BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
47 - F
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53
A
5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.47.F.15



Controuersiarum

ROBERTI BELLARMINI

S.R.E. CARDINALIS

AMPLISSIMI SECV.

DEFENSIO.

TOMVS SECVNDVS,

DE CHRISTO CHRISTIQVE

Vicario, Pontifice Romano.

ADVERSVS

IVNIVM; DANÆVM; SIBRANDVM; SVTLIVIVM, WITACKERVM, CHAMIERVM, ABBATVM, POVELVM, DRESSERVM, aliosque Sectarios.

AVCTORE

JACOBO GRETSERO

SOCIET. IESV SS. THEOLOGIAE DOCTORE, ET IN ACADEMIA Ingolstadiensi Professore.

Cum gratia & priuilegio sacræ Cæs. Mai.

ANNO M. DC. IX.

INGOLSTADII EX TYPOGRAPHIO ADAMI SARTORII

Digitized by Google

CLAVDIO AQVAVIVAE PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV.

OFFERO tibi, ADMODVM R.^de IN CHRISTO PATER, alterum Defensionis Bellarminianę Volumen; in quo Christus, eiusq; in terris Vicarius, summus Pontifex, à criminationibus, & insectationibus Hæreticorum huius ætatis vindicatur. Si prior Tomus tuo iussu à me conscriptus, tibi gratus accidit, planè spero, neque hunc, tuis itidem elaboratum auspiciis, ingratum tuas in manus venturum: cùm hic non iam *de Verbo Dei scripto, & non scripto*; sed de sacrarum literarum Auctore, CHRISTO DEO, & homine; deque supremo scripturarum Interprete, & omnium Controuersiarum, quę Religionem tangunt, aspectabili Iudice, Romano Pontifice, disserat.

Et quamuis Nouatores ingenio suo vbique indulgeant, habenasque latè laxent; nusquam tamen longius exspatiantur & diffunduntur, quàm in hoc de PAPA & ROMA argumento: & admodum ægrè se nobis facere existimant; cùm nos ab illo, PAPISTAS, PAPANOS, PAPENSES, PAPALES, PAPICOLAS, ab hac verò, ROMANOS, ROMANISTAS, ROMANENSES appellitant; & quò quisque in huiusmodi nominum flexionibus excogitandis copiosior est, eò fortiorem plagam se nobis imposuisse putat; quasi idem sit nominari PAPISTAM à PAPA, & ROMANISTAM à ROMA, quod CALVINISTAM à Caluino, LVTHERISTAM à Luthero, VVICLEPHISTAM à VViclepho, HVSSITAM ab Husso; cùm hæc

ſint nouę doctrinę & fidei vocabula; illa, nequaquam: Formantur enim, & deducuntur à PAPA, non vt à conditore noſtrorum dogmatum: nec à ROMA, vt à loco, in quo noua dogmata cuſa & tradita fuerint; ſed vt ab antiquæ Religionis ſummo Interprete ac Iudice: à ROMA autem, vt à ſummi huius Interpretis ac Iudicis ſede. Nam, ſi PAPISTA nouam fidem deſignat; oſtendant, quis ſit ille PAPA, qui, priſca Religione extruſa, nouam inuexerit, & à quo eius ſectatoribus PAPISTAE nomen inditum fuerit.

Nam ſi à nobis petatur, quis primus extiterit, à quo *Lutherani*, & *Caluiniani* has appellationes ſortiantur; nihil eſt facilius, quàm, ſi neceſsitas poſtulet, intento quoque digito denotare *Lutherum* & *Caluinum*. Et hîc gradum figere oportebit; quia vltra *Lutherum* & *Caluinum*, quò progrediaris, non erit. *Ante Valentinum non fuerunt, qui ſunt à Valentino*, inquit ſcitè, & verè beatus Martyr Irenæus, *neque ante Marcionem erant, qui ſunt à Marcione, neque omnino erant aliqui ſenſus maligni, antequam initiatores, & inuentores peruerſitatis eorum fierent.* Quàm verè hæc Irenæus de vetuſtis illis Nouatoribus; tam verè nos de noſtris affirmamus; Ante *Lutherum*, & *Caluinum* non fuerunt, qui ſunt à *Luthero* & *Caluino*. Vbi enim fuêre, ſi fuêre? Obeat quis cœlum & terram, & quæ eorum complexu continentur, nullum reperiet, etiam Hæreticum, qui per omnia, & in omnibus, ea crediderit, & docuerit; quæ crediderunt, & docuerunt, *Lutherus* & *Caluinus*, *Lutheranisq;* ſuis, & *Caluinianis* credenda, & diſcenda tradiderunt.

Ex hæreſibus, inquit Clemens Alexandrinus, *aliæ quidem appellantur ex nomine; vt, quæ appellatæ ſunt ex Valentino, Marcione, & Baſilide, etiamſi glorientur, ſe Matthiæ opinionem adducere: fuit enim vna omnium Apoſtolorum ſicut doctrina, ita & traditio; aliæ autem ex loco, vt Peratici, &c.* Item & de noſtris dicendum. A *Luthero* & *Caluino* originem & incunabula ducunt, licet iactitent genus, ſanguinem, & ſtemma Apoſtolicum. Nam Apoſtoli in doctrina, vt iſti, diſcordes non fuêre; vtpote vnum idemque, quaſi vno ore loqui ſoliti. Num os vnum, vnusque ſenſus *Luthero* & *Caluino*, *Lutheranis* & *Caluinianis*? In multis, fateor, conſpirant. In non paucis, iisque grauiſsimis articulis capitaliter & implacabiliter diſsident. Et tamen vtrique ſtirpem ſuam ad Apoſtolos reduce-

re ten-

re tentant. Ridiculè prorſus. quia vnuſquiſque eorum hæreſiarcharum, quos noſtra ætas protulit; *cuius participatus eſt ſententiæ* (ita loquitur vel ipſe Irenæus, vel qui Irenæum ex Græco tranſtulit) *eius & pater & antiſtes apparuit: omnes autem hi, multò poſterius, mediantibus iam Eccleſiæ temporibus, inſurrexerunt in ſuam apoſtaſiam*, quæ, vt cum Tertulliano dicam, *poſteritas*, tanti fit ab hoc ipſo acerrimo, & doctiſsimo hæreticorum oppugnatore & expugnatore, vt exiſtimet, iam debellatum eſſe, cùm præſcriptio hæc ſectariis obiicitur. *Solemus*, inquit, *Hæreticis compendij gratia de poſteritate præſcribere; in quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreſes prænunciauit, in tantum poſteriores quæque doctrinæ hæreſes præiudicabuntur; quia ſunt, quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænunciabantur. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur*, ait alibi idem ſcriptor, *id eſſe Dominicum & verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum & falſum, quod ſit poſterius immiſſum*.

Irenæ. loc. cit.

Tertul. lib. cõtra Hermogenem.

Gloriabatur Baſilides, teſte Alexandrino Clemente, ſe magiſtro vſum *Glaucia, qui fuit Petri Interpres*. Blandiebatur quoque ſibi Valentinus, de magiſterio *Theodadi, qui fuit Pauli familiaris*. An ideo Baſilides, & Valentinus ex infami Hæreticorum Catalogo eximi, & à probroſa hæreſeos nota liberari debent? Quid prodeſt Cerintho, vel Simoni Mago, quod Apoſtolicis vixerunt temporibus? quibus, licet *Lutherus* & *Caluinus*, *Lutherani* & *Caluiniani* ætatem egiſſent, æquè damnati nominis, & deteſtandę memoriæ Nouatores eſſent, atque iam ſunt, cùm poſt quindecim à Chriſto nato ſecula, infelici ortu exſtiterunt: qui, cùm nobis perſuadere conantur, ſuam doctrinam eſſe illam ipſam, quam tradiderunt Apoſtoli, hoc Tertullianeo, & quidem ineuitabili ariete pulſandi ſunt: *Edant ergo originem Eccleſiarum ſuarum; euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt; ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert: ſicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale*

Clem. lib. 7. Stromat.

Tertull. de præſcript. cap. 32.

Digitized by Google

aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam illicitum eſt? ſed, etſi conſinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate, & contrarietate ſua pronunciabit, neque Apoſtoli alicuius auctoris eſſe, neque Apoſtolici, &c.

Si quid ſimile *Lutherani*, vel *Caluiniani* à *Papiſta*, vel *Romaniſta*, vt ipſis loqui placet, poſtulent; nil procliuius eſt, quàm, à PETRO Apoſtolo, vſque ad PAVLVM V. & ab hoc ſurſum verſus vſque ad S. PETRVM enumerare, vel in tabula contemplandos offerre ſedis & cathedræ Romanæ Epiſcopos; continua ſerie, abſque vlla doctrinæ, vel eorum, qui ſibi mutuò ſuccedunt, interruptione. Et quoties ſectarij nos PAPISTAS nominant; toties, quamuis neſcij, eos nos eſſe indicant, qui generis ſui nobilitatem & decus ab Apoſtolis repetere queamus. Quod etiam verum eſt de illis Eccleſiis PAPISTICIS, vt loquitur Hæreticus, *quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, vt multò poſteriores; quæ denique quotidie inſtituuntur, attamen in eadem Fide conſpirantes non minus Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.*

Idem ibid.

Non eſt igitur probri, & dedecoris; nomen PAPISTAE, ſicut nec illa; ROMANVS, ROMANISTA, ROMANENSIS, quanquam ludibrij gratia ab Hæreticis excogitata. quia declarant communionem nobis intercedere cum illa, quæ *ſtatu felix eſt Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes poſt eaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.*

Idem Tert. eodem lib. cap. 36.

Appellabant olim quoque Ariani Catholicos, vt à dogmate, HOMOVSIANOS, ſeu, HOMOVSIANISTAS; ſic ab Eccleſia, cum qua ſocietatis fœdere copulabantur; ROMANOS, & ſacerdotes orthodoxos; PRESBYTEROS ROMANORVM, vt ex Gregorio Turonenſi, & Victore Vticenſi conſtat. A Paulianiſtis itidem, ſecta Manichæorum in Armenia, rectè ſentientes nominabantur ROMANI, vt ſcribit Petrus Siculus. ſed, vt ille ait, καλὸν ὄνειδος, *pulchrum probrum eſt*, ROMANVM dici. *Quo nomine*, vt verbis Petri Siculi vtar, *nos germani Chriſtiani magis gloriamur, quàm ſi quiſque noſtrum omnibus auri, & argenti, lapidumque precioſorum theſauris per*

S. Baſil. epiſt. 73.

Turon. lib. 2. de gloria Mart. cap. 25. 30. 79. Vict. lib. 1. de perſecut. Vand. Petrus Siculus in ſua Hiſtoria.

totum

totum orbem terrarum reperiendis potiretur. Qui enim, quod ad religionem attinet, ROMANVS non eſt, peribit, *regnante diluuio.* quia, *in arca Noë non eſt. Et quicunque extra hanc domum,* ROMAM, inquam, *agnum comederit, profanus eſt.* S. Hieronymus Epiſt. 57.

Sed nimis multa de his ad te, *Admodum R.^da in Chriſto Pater.* Itaque abiungo, etiam atque etiam orans, vt hoc alterum vigiliarum mearum opus, æquè ac primum, tuo nomine inſignitum, gratum habere velis: ſi non propter me, minimum tuum filium, attamen propter illos, quorum defenſionem complectitur, qui ſunt CHRISTVS, Chriſtique in terris VICARIVS, & Illuſtriſsimus CARDINALIS BELLARMINVS. Ingolſtadij, Kalendis Februarij, ipſo magni Martyris Ignatij feſto. M. DC. IX.

Admodum R. P. T. filius in Chriſto indignus

JACOBVS GRETSERVS.



Præfatio ad Lectorem.

QVOMODO HAERETICI SCRIPTVRAS TRACTENT, CITENT, INCAVTOSQVE ILLAQVEENT; DEQVE SECTARIIS, QVI SECVNDAM ET TERTIAM ILLVSTRISS. CARDINALIS BELLARMINI CONTROVERSIAM de Christo & Christi Vicario allatrarunt.

PLERVMQVE *in meis libris præfari soleo, quomodo haretici scripturas tractent ac citent. Idem & hìc faciam; nec tam meis, quàm ipsius Lutheri verbis, hunc enim in præsenti potissimum delegi, cuius ore loquerer, calamoq; scriberem. Et vt nec me, neque te, mi lector, diu detineam, paucis dico, sectarios dum scripturas proferunt, & iis, quos in nassam suam vel pellexerunt, vel pellicere student, proponunt; imitari eum, à quo vniuersa hæreses originem ducunt, videlicet* Diabolum. *Nam & ipse* legem nouit, *ait Petilianus Donatista, apud S. Augustinum lib. 2. contra Petilian. cap. 49.* Namque Domino Deo in causa Iob iusti, quasi iustus ita de lege respondit, sicut scriptum est: Dixit Dominus diabolo; respexisti in puerum meum Iob: quia non est similis illi in terra, homo sine malitia, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, perseuerans in simplicitate, tu autem petisti, vt omnem rem illius perderes sine causa. Et respondit diabolus, & dixit Domino; Corium pro corio, & omne, quodcunque habuerit homo pro anima sua dabit. Ecce legaliter loquitur, qui nititur contra legem. Et iterum Dominum Christum sermonibus suis sic ausus est attentare, sicut scriptum est; Assumpsit diabolus Iesum in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit ei: Mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te, &c.

Etsi autem sectator iste Donati, exemplum Cacodæmonis perperã ac sycophanticè prorsus ad orthodoxos transferebat, attamen S. Augustinus illud non reiecit; sed Hæreticos id facere consueuisse, quod Petilianus Diabolum agere dixerat, hisce verbis verissimè admonet. Quid te adiuuet, quod

de Dia-

de Diabolo commemorare voluisti, non video, nisi fortè vt nobis veniret in mentem, quomodo ipsum diabolum vos imitamini. Sicut enim ille contra latorem legis proferebat verba legis; sic & vos ex verbis legis accusatis homines, quos ignoratis, vt Dei promissis, quæ in ipsa lege scripta sunt, resistatis.

Quod S. Augustinus de Donatistis pronunciauit, hoc securus ad nostros itidem Nouatores transfer & accõmoda; qui ex ipsis scripturis dogmata scripturæ; horumque dogmatum professores, & approbatores oppugnant. Nec alio fine scripturas obtendunt, & prætendunt, quàm eo, quem capitalis ille ex Tartaro hostis noster propositum habet; vt nimirum circumueniant, & sacrarum literarum esca delinitos in exitium adducant.

Nullus hæreticus, *(ergo nullus itidem Lutheranus vel Caluinianus) inquit Lutherus in cap. 1. Epist. ad Galat. Enarrat. secunda,* venit sub titulo erroris, & Satanæ; Nec diabolus ipse venit vt diabolus, præsertim candidus ille. Imò ater etiam diabolus, ad manifesta flagitia impellens, operculum facit homini, vt peccatum, quod commissurus est vel committit, extenuet. Homicida non videt in furore tam grande & horrendum peccatum esse homicidium, vt re vera est: quia habet operculum. Adulteri, fures, auari, ebriosi, &c. habent suas blanditias & opercula. Ita Satan etiam ater in omnibus operibus & consiliis suis, prodit personatus & fucatus. At in spiritualibus, vbi non ater, sed candidus; angelica & diuina specie prodit Satan, ibi callidissima dissimulatione, ibi meris artificiis fallendi vincit se ipsum, suumque nocentissimum venenum venditare solet pro doctrina gratiæ, pro verbo Dei, pro Euangelio Christi. Hinc Paulus doctrinam Pseudoapostolorum, *(Prædicantium)* Satanæ ministrorum, vocat etiam Euangelium; in aliud, inquit, Euangelium, &c. sed, per ironiam. quasi dicat; Vos Galatæ alios iam habetis Euangelistas, habetis aliud Euangelium: Meum apud vos iam despectum est, nihil amplius valet, &c.

Sic peruersi & Satanici homines *(Haretici Caluiniani & Lutherani)* glorificant suas impias prædicationes, & vocant verbum Dei; & sic, per nomen Dei multis imponunt. Non enim vult diabolus deformis, & ater esse in suis ministris, *(Prædicantibus)* sed mundus & candidus. Et vt talis appareat, proponit & ornat omnia verba, & opera sua prætextu veritatis, & nomine Dei. Hinc ortum est apud Germanos illud tritum prouerbium: **Jn Gottes Namen hebt sich alles Vnglück an.** Quare, discamus hoc esse proprium artificium diaboli, quod si non potest nocere persequendo & destruendo, facit hoc corrigendo, & ædificando: *Et scripturas citando*, quia veneni calicem melle circumlinunt *(Diabolus & emissarij eius)* vt simulata dulcedo virus pessimum tegat:

idque

idque ſummo artificio & aſtu teterrimus ille ſpiritus, ſuo & ſuorum ſtudio perficit; nam vt Lutherus in caput 6. Epiſt. ad Epheſios Tom. 1. VViteberg. Germ. ſcribit; fieri non poteſt, vt quis omnes eius technas enumeret, vel etiam animo accogitatione concipiat; hac enim in palæſtra Magiſter magiſtrorum eſt, & mille impoſturarum artifex, quas pro verbo Dei venditat; quibus à condito mundo homines ſefellit, & varias hæreſes, etiam per vim, in Chriſtianam Rempublicam introduxit; neq; enim accurrit, furuo & lurido ſuo colore obſitus; neque clamitat; Ego ſum Satan, cauete: ſed ſenſim & placidè arrepit, ſerpentis inſtar, comitque ſe ac pectit quã formoſiſſimè poteſt, verbo & nomine Dei, profertque eaſdẽ ſcripturas ac ſententias, quas nos proferimus, amamus, & fundamenti loco habemus; zelumq; ardentẽ & inſignem pietatẽ præ ſe fert, tanquam fidus & probus Eccleſiaſtes; cui nil aliud cordi ſit, quàm gloria Dei, & ſalus proximi, quem ludum nunc ludit per Sacramentarios *(& Lutheranos)* & alios huius claſſis: qui meras ſcripturas contra nos crepant, & inde placitis ſuis firmamenta petunt; Et, quas nos vſurpamus, ſacrarum litterarum ſententias & articulos, nobis obtrudunt, nõ ſine ſpecioſa orationis pompa, qua iactant feruentiſſimum veritatis ſtudium, eximiam charitatem & curam lucrifaciendi animas. Ecce tibi, chariſſime, hic habes verbum Dei; ſic tu ipſe credis; Chriſtum aſcendiſſe in cælum, ibi ſedere ad dexteram Patris, ibi quęrendum eſſe; quomodo ergo poſſet eſſe in pane & vino? Quomodo deſcendere cogeretur ad murmur hominis altari adſtantis? &c. Hoc gloriæ Chriſti aduerſaretur.

Hæc & ſimilia iſti; quæ ſanè validam impreſſionem ac incurſionem continent, non quaſi à Dæmone profectam, ſed verbo Dei & veritatis fuco decoratam, qua incircumſpectos incautosque capiunt, & in præceps ſecum abripiunt. Sic olim egit Diabolus per Arianos, (qui Chriſti diuinitatem inficiabantur,) perque alios hæreticos *(Lutheranos videlicet & Caluinianos)* qui & ipſi ſcripturis repugnare videri nolebant; ſed pro ſe denſa diuinorum oraculorum teſtimonia adducebant, quibus ſententiam orthodoxorum falſitatis redarguere conabantur; tanta probabilitatis ſpecie, verborumque apparatu, vt Imperatorem & vniuerſum mundum ſuas ad partes traducerent; donec vix vnus vel alter Epiſcopus, veritati tuendæ à Deo cuſtoditus, ſupereſſet. *Hæc Lutherus.*

Qui profectò ſcitè & graphicè deſcribit, quo pacto & conſilio Diabolus, eiusq. adminiſtri Hæretici, ex quorum numero non poſtremus Lutherus & Lutherani; Caluinus & Caluiniani, ſcripturas citare, totique ſuæ peruerſitati & impietati obtendere ſoleant. Nec eſt, quod quis Luthero talia

ſcriben-.

ſcribenti fidem habere detrectet: quia huius artificij callentiſsimus fuit; quippe Cacodæmonis dilectus diſcipulus, & in ſinu eius varia myſteria edoctus; & quamuis Marcion non feret, vt Luthero hoc elogium: PRIMOGENITVS SATANAE; *quo à Polycarpo, teſte Irenæo, lib. 3. cap. 3. cohoneſtatus fuit, tranſcribatur; æquo tamen animo patietur, vt eiuſdem nominetur* πλυγέτης, *& amicorum ſaltem* Beta, *ſi non* Alpha, *qui porrò pergit nobis declarare, quo aſtu Diabolus, eiusq; imitatores Hæretici (Lutherani & Caluiniani) ſcripturas allegare ſoleant. Matth. 4. legimus, Chriſtum à Diabolo ductum in* ſanctam ciuitatem; *& ſupra Templi pinnas conſtitutum, cum hoc alloquio:* Scriptum eſt; Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c.

Non fame aut gladio, *inquit Lutherus, in quadam Concione ſuper hoc Euangelium, quæ habetur Tom. 6. Ihen. Germ.* Chriſtum oppugnat, ſed ad ſcripturam illum ducit: tanquam ſacrarum literarum Doctor; præclaramque illam ex Pſalmo ſententiam; *Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c.* producit. Et hic eſt Diabolus ſplendidus & nitidus, Angelũ Dei imitatus, qui non corporali perſecutione, ſed propria armatura, hoc eſt, ſcripturis, Chriſtianos aggreditur; Et hanc adeò ſcitè ac ingeniosè inflectere poteſt; vt niſi quis diligenter animum aduertat, facilè in errorem inducatur.

An huic ſcripturarum in Templi pinnaculo citatori, allegatori & profeſſori *deſunt diſcipuli? Nequaquam*; Simili enim ratione, hoc eſt, ſacrarum literarum Panoplia, *inquit Lutherus*, Chriſtum oppugnare aggreſſi ſunt Ariani, Macedoniani, Eunomiani, Manichæi, *(Lutherani, Caluiniani, Vbiquiſtæ, Fulloniſtæ, & quidquid aliud huius fecis)* qui Eccleſiæ plus detrimenti intulerunt, quàm qui eam olim igne & ferro depopulati ſunt; quia tunc ater ille, & in ſuo ſchemate conſpicuus Diabolus, ſine vlla difficultate, à quouis agnoſci & caueri poterat; At poſtquam Chriſtianos oppugnare cœpit, armatus ſpirituali gladio, *hoc eſt*, verbo Dei, vt ipſius velo mendacia ſua operiat, & ſpecie eximiæ ſanctitatis & ſapientiæ homines ſibi deuinciat; haud amplius tam deformis & ſæuus apparet; ſed, poſito tenebroſo & tartareo habitu, in Angelum lucis ſeſe transfigurat; *& ſcripturis per ſuos ſatellites (Lutherum, & Caluinum; Lutheranos & Caluinianos) rem gerit; eoſque ita occæcat, & ad alios occæcandos impellit, vt quidquid ſomniant ac delirant, id imperita plebecula pro Verbo Dei venum exponant; expoſitumque innumeris ſacrarum literarum teſtimoniis circumuallatum muniant; aptè an ineptè, manum non verterint; quia decipere volunt, non inſtruere; perdere, non docere.*

Quod in Exordio Captiuitatis ſuæ Babylonicæ de quodam Profeſſore

Lipſenſi

Lipſenſi iniurioſiſſimè ſcripſit Lutherus, hoc ſumma æquitate & veritate de ipſo Luthero, & quouis alio huius temporis Nouatore affirmaueris. Sic aptat ſcripturæ teſtimonia, per totum librum, vt ſi velit probare, Chriſtum eſſe in Sacramento; auſit incipere: Lectio libri Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli; quàm enim hoc verbum aptè diceretur, tam ſua dicuntur omnia. Et exiſtimat homo prudens, copia allegatorum, ſe hanc ſuam maniam ornaturum? *Et tamen omnibus ſectarum propugnatoribus nihil iſto artificio promendi ſcripturas eſt familiarius, nihil ſolennius; & hoc vnico hamo plurimos capiunt; qui vbi vel textus vel margines libri denſiſſimis ſcripturarum citationibus oppleti ſunt, è veſtigio, tanquam ad cæleſtes dapes aduolant, animoſque ſuos ſubuentaneo pabulo inaniter paſcunt; non attendentes, num ad rem, vel extra rem; num ſcitè an inſcitè teſtimonia illa proferantur.*

Statuit Hæreticus hanc aſſertionem: Papa eſt Antichriſtus. *& mox allegationes agglomerat.* 2. Theſſ. 2. v. 3. 4. 5. & ſeqq. Apocalyp. 17. v. 2. & ſeqq. Apocal. 20. v. 2. & ſeqq. 1. Ioan. 4. v. 3. Danielis 7. v. 8. 20. & ſeqq. Dan. 11. Matth. 24. *Nec refert, etiamſi citet* 12. caput *Iſaiæ, aut Hieremiæ, aut Ezechielis, aut Iobi, aut alterius; aut Pſalmum* 110. *vel librum Ruth* cap. 8. *vel Exodum* cap. 60. *vel Prouerbiorum* cap. 100. *quia plerique ita comparati ſunt, vt in citationibus conquieſcant; ſeu verè ſint, ſeu falſæ. Quam enim parum habetur* cap. 60 *Exodi Papam Romanum, eſſe Antichriſtum (cum Exodus quadraginta duntaxat capitibus circumſcribatur) tam parum reperire eſt in Daniele, Epiſtolis S. Pauli, S. Ioannis & in Apocalypſi Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum; quia perſuaſio hæc ex nullo ſcripturæ loco; ſed ex fanatico Nouatorum cerebro originem ducit; quam poſtea ſcripturarum teſtimoniis honeſtatum eunt. Nam vt Lutherus, experientiâ propriâ & domeſtica edoctus, non malè dicit;* Omnibus hæreticis hoc in more poſitum eſt, vt opinionem quandam animo concipiant, quam valdè probant; veramque ac probam reputant: & poſtea ad ſcripturam accurrant, firmamenta inde præconceptæ ſuæ opinationi quæſituri. *Quæ res eſt plena periculi, inquit Lutherus.* Et vt res exemplo illuſtretur: cum Arius perſonam Chriſti oppugnare ſtatuiſſet, prima eius cogitatio hæc erat; Chriſtum eſſe natum de Maria Virgine; hinc merum eſſe hominem, &c. Hac & id genus aliis perſuaſionibus imbutus ad ſcripturam feſtinus ſe contulit; Et in ea huic ſuæ phantaſiæ ſtabiliendę argumenta inueſtigauit.

At quid opus ô Luthere, tam vetera repetere, & longinqua arceſſere; cum domi ſuppetat, quo quod affirmas, probes? An non tu ipſe eodem pede tuis in placitis diffundendis & propagandis proceſſiſti? An non hanc opinionem animo efformaſti? Papam non eſſe Chriſti Vicarium, Papam eſſe

Antichriſtum: Eſſe duo tantum vel tria Sacramenta. Subſtantiam panis in Euchariſtia remanere; *An non his & huius ſortis aliis imaginationibus tuo in capite effictis; mox illotis pedibus manibusq; in ſcripturam inuolaſti; & ſi quid tuis deliramentis roborandis idoneum reperire poſſes, circumſpexiſti, & vſque ad rauim cum Magiſtro tuo, ſcripturas* ſupra Templi pinnaculum *quàm ingenioſiſſimè allegante, vociferatus es? SCRIPTVM EST. SCRIPTVM EST.* 2. *Theſſ.* 2. Niſi venerit diſceſsio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, &c. Ergo Papa eſt Antichriſtus. *Æquè argutè & ſubtiliter ac tuus doctor & inſtructor, quãdo in Templi culmine hanc conſecutionem texuit.* Scriptum eſt; Angelis ſuis Deus mandauit de te, &c. ergo ſecurus omnis læſionis ac damni poteris te hinc præcipitem dare.

Quamuis porro omnes hæretici *(& in his Lutherani & Caluiniani) errores & mendacia ſua ſcripturis, tanquam pigmentis, inſigniter colorare & picturare norint, hominibusq; glaucoma ob oculos offundere; vt ſe ipſiſſimam veritatem intueri, & tantum non manibus tangere credant;* attamen inſipientia eorum diu non latet, *inquit Lutherus,* ſed tandem in lucem extrahitur; quia Verbum Dei deſerunt, illudque arbitratu ſuo interpretantur, ita vt ſignificare quaſi cogatur, quidquid ipſis lubet. *O dictum bene; nam Luthero verba illa;* Hoc eſt corpus meum: *neceſſariò ſignificare debent, velint nolint, ſubſtantiam panis & vini cum corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia perſtare; Caluino autem illa ipſa verba; quantumuis reclamantia, & elata quaſi voce iniuriam ſibi fieri palam teſtantia; ſignificare debent, non ipſum corpus & ſanguinem Chriſti, ſed tropicè* figuram corporis & ſanguinis Chriſti. *Sic Brentio & Schmidelino ſcriptura variis in locis Vbiquitatem ſignificat, quia ipſi ita iubent, ſi aliud iuberent; aliud ſignificaret. Juberent autem aliud, ſi aliud monſtrum animo informaſſent; eademq; eſt aliorum Nouatorum ratio; quia omnes in eadem ſchola inſtituti ſunt.*

Summa ſummarum, *inquit Lutherus,* Hæretici, *hoc eſt, Lutherani & Caluiniani,* peculiare quid ſibi proponunt; nouam fidem ſibi cudunt, verbo Dei deſtitutam; & nouũ Deum ſibi architectantur, non ex ſcripturæ præſcripto, ſed ex libidine animi ſui; hic quidquid dicunt, gratum ratumque habere debet; ceu ſanctum & diuinis legibus conſentaneum. Quodcunque alij tradunt, etiamſi ſcriptura pro ipſis ſtet ac pugnet, id nihili eſt ac nauci, & impietati deputandum. Et iſti (*Lutherus, Caluinus*) ſunt illi, quos Diabolus peraërem vectat, & ſupra Templi pinnaculum collocat; clamitans; heus (*Luthere, Caluine*) mitte te deorſum; cæleſtibus radiis apprimè es illuſtratus, & ſpiritualibus cha-

riſmatis à Deo largiter locupletatus, melior, doctior & ſanctior, quàm omnes alij. Quod de Deo, *(Vbiquiſticè vel Sacramentariè)* cogitas, *(ô Luthere, Brenti, Schmideline, Caluine)* id certum ac fixum eſt. Falli ac fallere nequis. Quapropter cum hæc arcana tibi Deus reuelauerit, haud par eſt, vt ſolus iis fruaris; cum aliis communices oportet. Qua Diabolica ſuperbia inflati *(Lutherus, Caluinus)* eò confidentiæ & præſumptionis procedunt; vt abſque vllo timore & mandato Dei propria excrementa eructent, & in vulgus effundant, *hoc eſt*, noua dogmata abſq; & contra Dei præceptum doceant; quod eſt tentare Deum; & in aëre ſine pennis volare velle; Ex quo nil aliud ſequi poteſt, quam vt in nominè Diaboli inde præcipitentur, & ceruicem frangant.

Quare omnes Hæretici *(ergo etiam Lutherani & Caluiniani)* qui ſuis cogitationibus nituntur, & ſcripturas ad arbitrium ſuum inflectunt ac torquent, vt mendaciis, quæ fabricarunt, ſtabiliendis inſeruiant, ſimiliter agunt, ac ſi conarentur tranſire Rhenum abſque ponte, dicentes, Credam & fidam Deo. En expreſſum eius pro me verbum: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis:* ergo etiam me cuſtodient in Rheno, tametſi abſque ponte & nauigio tranſitum moliar.

Non ita, *inquit Lutherus. Quid ergo facto opus?* Studiosè & attentè videndum & diiudicandum eſt, an verbum Dei verè & candidè tractetur ac proponatur. Nam & Diabolus nouit artem citandi ſcripturas. Quapropter ne terrearis, licet ſectarij vociferentur: Hîc eſt ſcriptura: Hîc verbum Dei. His, *(hoc eſt, Luthero, Caluino, Lutheranis, Caluinianis,)* quando à ſcripturis cauſſæ ſuę præſidium mutuantur, & ſua mendacia per illas pingere & comere volunt, reſpondendum eſt; non moueor; quòd dicis, verbum Dei à partibus tuis ſtare, nam ſimul curare oportet, ne tentemus Deum, & quamuis fortè Dei verbum ſit, quod tibi ſuffragari perhibes, fieri tamen poteſt, vt quædam addideris, nõ nulla detraxeris. Itaque prius videamus, num ſit hæc mens ſancti Spiritus, & num Dei verbũ tractes, prout decet. Non enim ideo iraſcetur Deus, licet non amplectar ſuum verbum, eo ſenſu, quo à te proponitur & explicatur. Nam Diabolus & omnes Hæretici *(igitur Lutherani quoq; & Caluiniani)* licet verbo Dei ſeſe exornent; perperam tamen illud tractant.

Hæc verißimè Lutherus, quibus normam nobis præſcribit, cuius auſpiciis omnium hæreticorum pedicas & tendiculas euitare poßimus, quantumuis turgidis faucibus ſcripturas & verbum Dei ingeminent: Et ſexcenties ſuum illud: SCRIPTVM EST: *intonent: nam quòd Lutherus cum ſuis ex hac ſectariorum tribu, aduerſus quos hac norma vtendum eſt, ſeſe eximere velit;*

nulla

nulla ratio ſinit: quo enim maiore priuilegio nititur, quàm Caluinus, vel quilibet alius ſectarius; vt cum ſcripturam inſolentiſſimè iactat; credere tenear, loqui per os eius Angelum lucis, non Angelum tenebrarum? quem ſcripturarum amictu ita magnificè incedentem, nominat Lutherus Diabolum ſplendeſcentem, candidum, & Angeli habitu fulgidum. *Niſi Lutheri genium noſſem, maxima me caperet admiratio, qua fronte Hæreticis ſcripturas iactantibus, & verbo Dei omnia ſua comentibus & inſignientibus hæc talia obiicere auſus fuiſſet; neq; tamen oculos ad ſe & ſuos, omnia iſta, & his longè plura factitantes, reflexerit; lucidiſſimum enim omnium eorum, quæ ex Luthero audiuimus, ſpeculum in Luthero, & Lutheranis elucet.*

Dicat quis: Ergóne illicitũ erit ſcripturas depromere, *cum quid vel probare vel perſuadere aliis nitimur? Equidem nemo ſanus hoc affirmauerit. Hoc aio; nefas eſſe, citare ſcripturas eo modo et fine, quo à Diabolo eiuſq; adminiſtris Hæreticis proferuntur et iactantur*, occultant enim animũ, *inquit S. Athanaſius orat. 1. contra Arianos*, ac deinde in ſcribendo *(& in familiaribus colloquiis)* ſcripturarum verbis pro eſca vtuntur, vt latenter in ſuam malitiam pertrahant ignaros; *eamque ob cauſſam ſcripturas quoq; στρεβλοῦσι, hoc eſt, torquent, & diſtorquent; tendunt ac diſtendunt; donec ad id, quod volunt, nonnihil inclinentur & inflectantur: nam non tantum in Epiſtolis S. Pauli, ſed in omnibus omnino ſacri Canonis voluminibus*, ſunt quædã difficilia intellectu, *quæ vt in poſteriore ſua Epiſtola teſtatur S. Petrus*, indocti & inſtabiles *deprauant, στρεβλοῦσι, hoc eſt, quaſi equuleis & cataſtis ad ſuas anteceptas & in mente perperam adumbratas perſuaſiones rapiunt*, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.

Vbi obſerua iſtos ſcripturæ, vt ſic loquar, tortores, *vocari à S. Petro* indoctos: *quam inſcitiam cum lacte ex vberibus matris ſuæ ſuxerunt. Quæ hæc Hæreticorũ genitrix, niſi hæreſis, cuius typus eſt illa Prouerbiorũ cap. 9.* mulier ſtulta & clamoſa. *(Quid ſtultius & clamoſius hæreſi?* Plenaque illecebris, *(quia ante, retro, à dextris & ſiniſtris, infernè & ſupernè, intus & extra, ſacrarum litterarum gnomis ac effatis fucata eſt, & pauonis inſtar, picta.)* Et nihil omnino ſciens. *Ergo qualis mater, tales & filij; Qualis Hæreſis, tales & hæretici*, nihil omnino ſcientes, *præter ſtulteſcere & clamare. Iure igitur à S. Petro* indocti *appellantur: quin &* inſtabiles; *quia mater eorum hæreſis, eſt vaga & inſtabilis; quæ Prouerb. 7. à Spiritu ſancto elegantiſſimè deſcribitur his coloribus.* Mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga; *(en inſtabilitatem)* quietis impatiens; *(ſemper enim pro cerebri vertigine circumrotatur)* nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians.

Si quis omnia exempla inſtabilitatis, quibus cauſſam ſuam ſectarij noſtræ ætatis piis omnibus abominabilem reddiderunt, perſequi inſtituat, citius charta & tempore, quàm materia deſtituetur. Tantum accipiat primam Confeſſionem Auguſtanam, eamq; cum ſequentibus editionibus comparet; aut primæ editionis Locos Melanchthonicos, eoſq; cum poſteriorum annorũ Locis componat, aut libros Lutheri priores cum mediis et medios cum vltimis conferat, qualem in aſſertionibus conſtantiam, qualem et quàm ſibi cõſonam vndequaq; harmoniam et ſymphoniam reperiet? Tam veterum, quàm recentium Nouatorum verſatilis & volubilis genius expreſsè ſatis omnium oculis ſubiicitur in Concilio Romano ſub Martino huius nominis primo Pontifice; Etſi enim de ſolis Monothelitis ibi ſermo eſt, ab vno tamen exemplo omnium inconſtantiam diſcere licet, quia omnes ſunt Vertumni. Ita ergo Synodus illa Conſultat. IV.

Aliquando (*Monothelitæ*) vnã operationem, aliquando autẽ penitus nec vnã operationẽ: iterum aliquando vnam voluntatẽ, aliquando autem omnino nec vnã voluntatem in Chriſto Deo in aperto dogmatizant, &c. & quod plus eſt graui ſſimum, & magis eorum falſitatẽ redarguit, quoniã & vnam habere, & nec vnam habere voluntatem & operationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in ſcripto aſſeruerunt, cum anathemate huiuſmodi ſenſum contra ſe inundantes, omnium eſſe dogma & prædicationẽ perfectam, veram, firmam, indiminutam ſanctorum Patrum, & vniuerſalium quinq; Conciliorum perhibentes, minimè præuidentes, quoniam per alterũ aliud perimunt, hoc eſt, vnam operationem per hoc: quod dicunt; nec vnam operationem aſſerere, cum vnam voluntatem Chriſti dogmatizare noſcantur. Sed hæc omnia per Typum (*erat hic profeſsio Fidei Monothelitica, ſicut apud Lutheranos eſt Confeſsio Auguſtana, & Formula Concordiæ*) poſteriorem amputauerunt, vt nec ſciant iam quid credant; aut quid confiteantur, per inceſſabilem creberrimam ſuorum dogmatum immutationem, pariterque peremptionem: ſicut ſcriptum eſt; Adhuc eo loquente, ecce alius nũncius, præteriti ſermonis eorum innoteſcens deſtructionem, & eiuſdem verbi alius ſermo alacrior, & alter alterius, & omnium, omnes quippe ſimiliter à vera, hoc eſt, Eccleſiaſtica traditione in ſemetipſos habentes alienationem, perfectamque ruinam, pro qua re Dominus reprobans eos per Oſee, hæc dicit: *Va eis, quoniam receſſerunt à me: Oſeæ 7.* Vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me: Miſeri erunt, quia peccauerunt in me. Et ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia, & ſicut homo tranſgrediens teſtamentum, ita ibi me contemſerunt. *Pulcherrimum profectò hæreticæ inſtabilitatis paradigma; quo, vt ſupra dicebã, non minus luculenta in noſtrorũ Nouatorũ*

officina reperiet, ſi quis eam vel à limine ſalutare velit. Sed redeo ad technas, quibus Hæretici incautos ineſcare & circumuenire ſolent.

De Bogomilis ſcribit Euthymius in Panoplia Tit. 23. Monachorū more ſe veſtiunt, & eorum habitum, tanquā eſcam, aſſumunt, veſte lupū abſcondentes, quo faciliores aditus & colloquendi facultatē, propter habitum aſſequantur, & ſine ſuſpicione per ſermonum benignitatem auribus audientium venenum iniiciant. *Lutherus, cum non paucis de grege ſuo, contrariâ viâ inceſſit; nam Monaſticū ſchema exuit, et ex ſcripturæ diuinæ oraculis amictū ſibi contexuit, eoq; tectus aditum facilem ad multos inuenit, haud admiſſuros alioqui Lutherum, niſi hoc tam ſpecioſo tegmine lupinam ſuam feritatem ac ſauitiam abſcondiſſet.*

Neq; tamen ſolis ſcripturis rem gerendā cenſuit, ſed & verbo Dei abs ſe ſummis clamoribus iactato, addidit innumeras criminationes et calumnias, in Eccleſiaſtici ſtatus profeſſores, in Pontificē Maximum, in Cardinales, in Epiſcopos, in totum Clerum, in Monachos, in Moniales, vno verbo, in omnes Catholicos, quos ipſe Papiſtas *indigitat: His enim conuiciis excipiendis multorum mentes animaduertit eſſe admodum idoneas, promptas et faciles: Quare ſturnatim ea clā, palam, priuatim et publicè, in cōcionibus ad populū; in ſcholis ad diſcipulos, in libris ad vniuerſos Germanos effudit, vt eos ſiniſtris affectionibus impleret ac turbaret; turbatiſq; abſq; vlla difficultate, ſua Zizania, Verbi Dei colore tincta, inſereret.* Quomodo enim turbatus oculus, *inquit Clemens, lib. 7. Stromat.* ita etiam anima conturbata *(odio)* non poteſt veritatis lucem perfectè videre, quin etiam ea, quæ ſunt prę pedibus ægrè intuetur. Dicunt itaque anguillas quoque excœcatas capi in aqua turbida.

Hanc artē excœcandi homines ipſe itidē Lutherus ſibi adhibendā & amplectendam cenſuit; cuius, vt et aliorū hæreſiarcharum & hæreticorū huius aui, exſtat venuſtiſsimus, et Apelléo penicillo dignus Iconiſmus *apud Guntherum Ligurinum lib. 3. vbi cum turbas Romæ inter populum et clerum ab* Arnaldo *Brixienſi Hæretico, Lutheri atauo, recenſuiſſet, ea ſubiecit, quæ nō magis in illum impoſtorem, quàm in Lutherum eiuſq; aſſeclas competunt. Sic ergo canit ille Vates:*

Huius origo mali, tantæque voraginis Auctor
Exſtitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Peſtifero, tenui nutriuit Gallia ſumptu,
Edocuitque diu.

Si quæras, quis Auctor ſit omnium malorum, quibus miſera diuexatur Germania; & clerus tot vulgi ludibriis et opprobriis laceratur, et ex auitis poſſeſſionibus expellitur, & in exilium eiicitur? In promptu eſt reſponſio. Lutherus, quem ortu peſtifero protulit in Hercynia ſylua Iſſle-

bium, & tenuißimâ impensâ aluit Magdeburgum; poſt, Erphordia.

——Tandem Natalibus oris
Redditus, aſſumpta ſapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes.

Tandem Lutherus Vitebergam vocatus, Profeſſorq; & Doctor factus loquacitate ſua, qua longè plus valebat, quã mente, nõ modò ignobile vulgus, ſed & eos, qui aliquid eſſe videbantur, hoc eſt, Doctores & Profeſſores Academicos, Sacerdotes & Monachos; attamen nupturientes, et non ſolis auribus, ſed & carne prurientes, ſua in retia pertraxit.

——Clerumque procaci
Inſectans odio, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris;
Pontifices, ipſumque graui corrodere lingua
Audebat Papam, ſceleratáḱque dogmata vulgò
Diffundens, variis implebat vocibus aures.

Non potuiſſet Guntherus ſplendidius & artificioſius Lutherũ depingere, licet Lutheri tempore vixiſſet, et modiũ ſalis cum illo abſumpſiſſet. In tot Lutheri Latinis et Germanicis Tomis difficile erit inuenire librũ vel libellum; Tractatũ vel Tractatulum; Sermonem vel Sermunculum; Epiſtolam vel Epiſtolium, vbi nõ compareat inuectiua vel ſatyra, vel conuicium, vel vipereus morſus, cõtra et in Papam, in clerum, in Monachos, & vbi populo, pollicitatione libertatis verè Chriſtiana & verbi Dei, Lutherus aures non ſcalpat, molliterq; fricet, & ſpongia quã fieri poteſt, leniſſimè foueat & abſtergat.

Nil proprium cleri, fundos & prædia nullo
Iure ſequi Monachos, nulli fiſcalia iura
Pontificum; nulli, curæ popularis honorem,
Abbatum, ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantum
Committenda viris popularibus, atque regenda.
Illis primitias, & quæ deuotio plebis
Offerat, & decimas caſtos in corporis vſus,
Non ad luxuriam, ſiue oblectamina carnis
Concedens, molleſque cibos, cultuſque nitorem,
Illicitoſque iocos, laſciuaque gaudia cleri,
Pontificum faſtus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, Monachoſq́; ſuperbos.
Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus, falſis admixta monebat.
Et fateor pulchram fallendi nouerat artem
Veris falſa probans, quia tantum falſa loquendo

Fallere nemo poteſt, veri ſub imagine falſum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.

An non vides hìc viuam ſpirantemúqe Lutheri effigiem? An verius & genuinius Vates iſte Lutherum verſibus ſuis efformare potuiſſet, licet non tempore Friderici Barbaroſſæ; Sed ætate Caroli V. Imp. vixiſſet, & Iſlebicum Hæreſiarcham de pulpito in Monachos, Clericos eorumq; opes & mores detonantem & debacchantem audiſſet? Quamprimum hoc bonorum Eccleſiaſticorum pulpamentum multis admodum eſurientibus & ſitientibus obiectum eſt, & quidem Euangelij ſapidiſſimo ſapore conditum, mora nulla; confeſtim omnibus ex angulis ad Lutherum concurſus eſt factus prædæ tam exoptatæ inhiantium, & vel egeſtatem ſuam Eccleſiaſticis opibus explere, vel copiolas, quas habebant, iiſdem augere volentium.

Et quamuis non inficiamur multos ex Eccleſiaſticorũ numero non eam vitæ integritatem præſtitiſſe, quam ex officio præſtare debebant; illud tamen nobis itidem exploratum eſt; ſcelera flagitioſè viuentium non præiudicare veræ religioni; Lutherumq; cum ſuis ſectatoribus, ne vno quidem pilo, ſi mores intuearis, fuiſſe probiorem illis, quos tanta acerbitate inſectabatur: nam ſi de fide agatur, abſit vt vllam comparationem inter Lutherum & Catholicos profeſſioni ſuæ non conſentaneam vitam degentes inſtituam: quandoquidem Hæreſiarcha & pertinax Hæreticus in ſummo impietatis culmine reſidet. Quàm verò ſanctè viuant Lutherani, manifeſtum fit cum ex aliis Lutheranorum querimoniis, tum ex Threnis Eraſmi Sarcerij, Lutherani Prædicantis, quos effudit in ſuo libro de Diſciplina; & ex Epitome, quæ non ita pridem ex vaſto illo Sarceriano opere confecta eſt. Nunc iterum audiamus Guntherum noſtrum fanatici Arnaldi artificium deſcribentem.

Articulos etiam fidei, certumque tenorem,
Non ſatis exacta ſtolidus pietate fouebat,
Impia melli fluis admiſcens toxica verbis.

An non & hìc Lutheri ingenium elucet? Fauus enim diſtillans labia meretricis *(hæreſeos)* & nitidius oleo guttur eius, quæ verba ſua dulcia facit. *Quid dulcius illis Lutheri?* Non ieiunandum, niſi quando velis. Vota non ſeruãda. Solam fidem iuſtificare & ſaluare. Eccleſiæ præcepta nullius conſcientiam obſtringere, Chriſtianum, qua talis, nullius imperio ſubiici. *Et millena talia, omni melle vulgi palato iucundiora. Pergit Guntherus:*

Ille ſuam vecors, in clerum, Pontificemque,
Atque alias plures adeò commouerat vrbes,
Vt iam ludibrio ſacer, extremoque pudori
Clerus haberetur; quod adhuc, ni fallor, in illa
Gente nocet, multumque ſacro detruncat honori.

Imò plurimùm; non iam in Italia, & Italiæ capite Roma, vbi nulla Arnaldi memoria, nisi cum execratione, sed in Germania, vbi Cacodæmon in Arnaldi locum substituit Lutherum, Zuuinglium & alios, qui Pontificem & Clericos multis in locis in tantam contemptionem adduxerunt, vt ne eorum quidem nomina æquis auribus audiantur. Aduerte verò quod mireris: Monstrum hoc informe, Arnaldus, Germaniam quoque veneno suo infecit; postquam enim Nouator isteab Innocentio II. Romano Pontifice Romæ anathematis sententia percussus fuerat;

Territus & miseræ confusus imagine culpæ,
Fugit ab vrbe sua, Transalpinisque receptus
Quà sibi vicinas Alemannia suspicit Alpes,
Nobile Turregum, Doctoris nomine falso,
Insedit, totamque breui sub tempore terram
Perfidus impuri fœdauit dogmatis aura.
Vnde venenato dudum corrupta sapore,
Et nimium falsi doctrinæ vatis inhærens,
Seruat adhuc vuæ gustum gens illa paternæ.

En in ipsa etiam Heluetia, eiusq; primaria vrbe Turego, *quæ hodie* Tigurum, *pestilentis suæ doctrinæ Arnaldus sementem fecit; quæ in herba, vt optandum erat, minimè periit; sed in messem vt vberem, sic & miserandam excreuit, lappasq; tribulosq; suos ad posteros itidem transmisit. Fallor, an tunc eodem in loco Arnaldus oua posuit, ex quibus aliquot seculis pòst exclusi sunt Zuuinglius; Leo Iuda, Bullingerus, pernicioſi illi Basiliſci, qui in illa natione virus suum longè latéque diffuderunt, & innumeras strages ediderunt,* πολλὰς δ' ἰφθίμων ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψαν, *multasque præstantium hominum animas orco demiserunt.*

Ex Heluetia, mortuo Innocentio, & Eugenio in sedem Petri substituto, Arnaldus Romam reuenit: Vbi solitum Euangelij sui promulgandi tenorem tenens:

---populi tantas in clerum concitat iras,
Vt penitus nullum summo deferret honorem
Pontifici, Clerumque odio vexaret iniquo:
Et si quis, cui mens æqui & reuerentior esset,
Et meliora pio flagrarent viscera voto,
Fortè refragari, seu dissuadere furorem
Ausus erat, seseque nouis opponere monstris,
Omnibus ereptis, subuersa funditus æde,
Corporis afflictu, seu tandem sanguine fuso,
Clericus, aut etiam popularis, facta luebat.

Eundem prorsus Euangelizandi *morem obseruarunt cum alij huius ætatis*

noui Euangeliſtæ; tum præcipuè Lutherus, eodem prorſus euentu; niſi quòd Lutheri & Caluini doctrina: eò eſt deteſtabilior, quò latius extenditur, pluribusq́ ſempiternam perniciem creat.

Sed ſatis de Lutheri & Arnaldi ſimilitudine ac ſyncriſi: nec infrugiferum eſt recentium impoſtorum in vetuſtioribus expreſſam imaginem, tanquam in prototypis, contemplari. Vt enim orthodoxi ſcriptores & diſputatores, quando ſcripturas citant & tractant; perpetuò cum illis Eccleſiaſticæ intelligentiæ ac traditionis canonem coniungunt; ita Lutherus eiusq́ ſectatores, Verbum Domini, Verbum Domini *indeſinenter ingeminantes & occentantes; admiſcent inuectiuas, probra, opprobria, conuicia & contumelias in Papam, Cardinales, Epiſcopos, Monachos, & vniuerſim in omnes Papiſtas: quorum condimentorum ſuauiſſimo ſapore Verbum Lutheranum & Caluinianũ iucundiſſimè in intimas auditorum fibras & medullas illabitur; ita vt ſe nõ contineant, quo minus exclament:* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. *O cæcas hominum mentes, & plorari dignas; quæ tantas tam patienter ſibi fieri patiuntur offucias; & tum beatas ſe exiſtimãt, cum à ſeductoribus & ſcripturarum deprauatoribus ad ipſum limen mortis & Orci admoti ſunt; vnde niſi pedem referant; neceſſe ſit illos cum amabili illa ſua inſania in ſempiternum exitium præcipitari.*

Quanto ſatius eſt, vt cum Diabolus ſiue per ſe, ſiue miniſterio ſuorum ſatraparum nos in Ciuitatem ſanctam, *hoc eſt, in ſcripturam ducit; &* ſupra pinnaculum Templi, *hoc eſt, ſupra ſcripturam conſtituere molitur. ita vt nos ſimus ſcripturæ Interpretes; & Iudices, quis eius ſit natiuus & legitimus ſenſus; quanto, inquam, ſatius eſt; dicere tunc:* Vade poſt me Satana. *Vade poſt me Luthere, Caluine: quia ſcriptum eſt.* Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Recinat Diabolus:* SCRIPTVM EST, SCRIPTVM EST. *Tu regere:* Vade poſt me. Ita quoque Diabolo è ſcripturis loquenti, os à Domino obturatum eſt, *inquit S. Athanaſius in epiſtola de Synodis Arimini & Seleucia, quia* hæreticus, tametſi voces ſuas ex ſacris literis mutuatur, nihilominus ſuſpectus animoque corruptus audiet à Spiritu ſancto. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Contra beatus Paulus, tametſi ex alienis literis loquatur: CRETENSES SEMPER MENDACES, tamen ſanctus cum ſit, pium animum gerit, & Chriſti mentem tenens, Magiſter gentium eſt in fide & veritate, & quæ loquitur, cum pietate loquitur. *Ergo cum inciderís in Lutherum, Caluinum, eorumq́ue gregales;* Scripturam, Verbum Domini, *& ſuum illud:* Scriptum eſt: *iterum atque iterum inſonantes: tu cogita, inſidias tibi ſtrui* à muliere illa extranea & aliena, quæ ſua verba dulcia facit. *Prouerb. 7.*

nouiſſima autẽ illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps; pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant. *Non ab hac* vaga, garrula, clamoſa *meretricula, ſed ab Eccleſia, ſponſa Chriſti, veritas verusq́; ſcripturæ ſenſus diſci debet.*

Cum 2. Reg. 20. Ioab & exercitus eius Abelam *vrbem excindere conaretur; proceſſit in medium mulier ſapiens; his verbis Ioabum compellans.* Sermo dicebatur in veteri prouerbio; qui interrogant; interrogent in Abela, & ſic proficiebant. *Hæc Abela Catholica Eccleſia eſt.* Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem in Iſraël, & tu *(Luthere, Caluine)* quæris ſubuertere ciuitatem, & euertere matrem in Iſraël? Quare præcipitas hæreditatem Domini? *Vtinam Lutherus, Caluinus, Lutherani, Caluiniani ex animo reſponderent; quod Ioab.* Abſit, abſit, hoc à me: non præcipito, neq; demolior. *Totus enim eorum conatus huc tendit, vt hanc* Abelam, *eiusq́; certum & tam falli, quàm fallere neſcium oraculum & tribunal funditus euertant, & matrem in Iſraël ex Chriſtianiſmo eliminent. Hac enim exterminata, tum poteſt vnuſquiſque ſectarius liberè & impunè graſſari, & facere illud, quod ab antiquis Hæreticis beatus Martyr Irenæus factum ſcribit lib. 3. cap. 2.* Hanc ſapientiam *(diuinam ſcilicet ac cœleſtem)* vnuſquiſq; eorum eſſe dicit, quam à ſeipſo adinuenit, fictionem videlicet, vt dignè ſecundum eos ſit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione; aliquando in Cerintho, deinde in Baſilide *(iam in Luthero, nunc in Caluino)* vnuſquiſque enim ipſorum omni modo peruerſus, ſemetipſum, regulam veritatis deprauans, prędicare non confunditur.

Nunc de opere Bellarminiano, & ratione defenſionis noſtræ dicendum eſſet, niſi ſuperfluum arbitrarer, addere aliqua illis, quæ proœmio in primum Tomum præfati ſumus.

Quod attinet ad oppugnatores geminæ controuerſiæ de Chriſto & Pontifice, cuius apologiam nunc euulgamus, ij ſunt Iunius, Danæus & Sibrandus; qui cuius ſint notæ, docuimus Tomo primo. Pupugit Sibrandum liber meus. Quapropter doloris impatientia victus, Replicationem *in vulgus extruſit, prolem parenti ſuo pariſſimam, luridam, informem, fanaticam, vno verbo, Sibrandicam; in hac enim nomẽclatura vniuerſæ eius laudes & venuſtates compendio comprehenduntur. Sed de hoc aliàs. Non mirum, iſtos, ad pharmaca, quæ præbeo, furere & vociferari; quia aduerſantur eorum appetitioni & inclinationi, & ingrata accidunt, at* quis medicus volens curare ægrotum, *inquit S. Irenæus lib. 3. cap. 5.* faciet ſecundum concupiſcentias ægrotantis, & non ſecundum quod aptum eſt medicinæ?

Prædictis adde Matthæum Sutliuium Anglum, Pſeudodecanum

Exceſtri-

Exceſtrienſem, effrenatæ & propudioſæ audaciæ Caluiniſtam, quem ipſe Beza, tametſi ſuum in Caluini caſtris contubernalem; dudum petulantis calumniatoris & conuiciatoris *honeſtiſſimo titulo inſigniuit. Certè ſi Beza nunquam & nuſquam magis erraſſet, quàm in hoc ſuo de Sutliuio iudicio; ab omni errore liber pronunciari poſſet: quia verè talis eſt; vt te docebunt ſingulæ Sutliuianæ pagellæ, ſi inſpicere velis. Diſputationem de Chriſto non attigit, vt nec Sibrandus. Si attigiſſet, quid aliud egiſſet, quàm quod egit in controuerſia de Pontifice? Bellarmini ordinem & methodum diſſoluiſſet:* quadrata rotundis, & rotunda quadratis *permutaſſet, truncaſſet, decurtaſſet,* ὕστερα πρότερα, & πρότερα ὕστερα *feciſſet, denique infinitis mendaciis & calumniis Bellarminum obruere tentaſſet, prout facit in diſſertatione de Pontifice. Vbi quidquid proſe & ſecta ſua ex Scriptura, Patribus, Conciliis, Hiſtoriis adducit, totum fermè ex Bellarmino furatus eſt, ſed ſoluto nexu & variatis notis; vt ſolent fures, qui patinas & pateras argenteas & id genus alia vaſa; furacibus & tagacibus manibus ſubtracta, frangunt plerumq; & comminuunt, & in informem maſſam redigunt, ne ex forma à poſſeſſore agnoſci queant. Nec quidquam procliuius eſt calumniatoribus iſtis, quàm contra Bellarminum ſcribere, quia materiam ex copioſiſſimo Bellarmini promptuario depromunt, poſtea miſcent, confundunt, turbant, vertunt, peruertunt, & tam ſua quàm aliena mendacia, conuicia, calumnias, & inſcitiam addunt; quod dum faciunt, interea liber illis & hoc & aliud agentibus naſcitur, moxq; in apertum prodeunt, & de Bellarmino proſtrato triumphant, curru ignorantiæ, pſeudologiæ & lædoriæ ſublimes per compita inuecti.*

De Witackero dictum eſt ad Tomum primum. Nec iam de eo dicendum quidquam ſupereſſet, niſi ſuperiore autumno Baccalaureus Allenſonius, prælectiones Witackeri de ſummo Pontifice, duodecimo à morte Auctoris anno, in lucem extruſiſſet; verbis quam rebus longè abundantiores; vt mirer patientiam, ſi diſcipuli tantam loquacitatem & logodiarrhœan dictantis excipere & in chartas referre vel voluerunt vel potuerunt. Quanquam ſuſpicor editorem Baccalaureum, etiam de garrula ſua facundia auctarium adieciſſe, ne ad hanc verborum ſtruicibus lautiſſimam cœnam aſymbolus accederet. Nec attingit Witackerus Quintum Bellarmini de Pontifice librum. Forſan ideo, quod manum de tabula tandem tollere iuſſus fuerit, poſtquam integrum biennium in tribus prioribus Bellarmini libris in ſchola oppugnandis conſumpſiſſet; vt ipſemet in præfatione ad librum quartum teſtatur: in quo itidem tantæ verboſitati minus quàm ſemeſtre tribuere non poſſumus. Serò ad manus meas peruenit hic Witackerianus ſeu legitimus partus poſtumus; ſeu ſpurius, & à Baccalaureo Doctori ſuppoſitus. Hinc inde tamen Witackerianam vanitatem redargui, & libro quarto

exin-

ex instituto confutaui: Si quid non repulsum sub nomine Witackeri, id profligatum inuenies in succedaneis eius Sutliuio, Iunio, & aliis.

Idem dico de Daniele *Chamiero Delphinate, qui sex libros de* Oecumenico Pontifice *euulgauit Geneuæ anno Christi M. DC. I. Quos diu cupitos, quæsitosque bona sors mihi obtulit, vnde minimè exspectabam: etsi hic Caluinista non solum Bellarminum, sed & alios orthodoxos scriptores, in quos impetum faceret, sibi delegit. Videas tamen plerumque in Bellarminum prima vel potissima spicula dirigi. Nec vllam in refutatione methodum tenet: sed ex Bellarmino nunc hoc, nunc illud excerpit ac carpit, & vt quiduis vel ad reprehensionem, vel ad caninam facundiam exercendam opportunius est, ita ab isto arripitur, & maledicæ linguæ telis configitur. Cui obuiam itum, quantum necesse. Serò in illum incidi. Si quid insolutum videbitur, solutum inuenietur in Sutliuio, vel alio ex illis Caluinistis, quos ab exordio huius apologeticæ scriptionis habui.*

De Samuele Hubero, eiusq; Antibellarmino *quid scribam; nisi eum planissimè furere? ita vt nisi quam primum vel Helleboro, vel Antimonio largissimo succurratur, in sempiternam phrenesin incursurus sit. Nec scio, quid in hoc præcone refellendum sit, quia quidquid dicit, clamor est; vociferatio est; amentia est,* cornua, bestias, Babylonias meretrices, *& id genus alia sibi imaginatur, & tertio quoque verbo crepat. Quis qualisq; sit, docebunt te Caluinistarum & Lutheristarum libri; omnium enim manus aduersus hunc Prædicantem tenduntur; & manus eius contra omnes. Cum Helueticis Ministris Zuuinglianis & Caluinianis digladiatus, cum eos indignos nimisq; viles arbitraretur, in quos omne suum robur expromeret; integras Ciuitates & Respublicas Inuectiuis suis exagitare cœpit; sed eminus, vt hœdus Æsopicus lupum; & cum Lutherani de Prædicantis huius ex Heluetia electi ad Lutheranismum transitione sibi valdè gratularentur, rarumque & pretiosum piscem sese cepisse existimarent; Ecce Academiam Witebergensem seditioso & tumultuoso suo spiritu ita repleuit, vt iurgia illa inter Lutherum olim & Carlstadium agitata rediisse & reuixisse viderentur, quibus finis imponi non poterat, nisi, Principis auctoritate, Huberus ex Academia pelleretur. Quod & factum, Hunnio aliisq; Huberianis Antagonistis gnauiter ad expulsionem studium & operam suam conferentibus: qui postea aliquandiu profugus, velut Cain hinc inde oberrauit, donec tandem sistendæ fugæ, & stabiliendæ sedis occasio Goslariæ oblata est; quam vt ad vitæ terminum vsque teneat, vix irrequietum eius ingenium permittet.*

In hac igitur celebri & veteri vrbe ANTIBELLARMINVM *suum procudit & excudit Huberus; à quo quid sanum exspectes, cum ita*

insaniat,

Digitized by Google

insaniat, vt nec Zuuinglianis & Caluinianis in Heluetia, nec Lutheranis in Electorali Saxonia tolerabilis fuerit? Insani sunt, *inquit sanctus Irenaus de quibusdam Hæreticis libro secundo capite quinquagesimo quarto*, summa & insanabili insania. *Inter hos iure numeres istum. Qualis enim insania (quam tamen libris Latinis & Germanicis asserere studuit)* omnes homines siue credentes, siue non credentes, siue Turcas, Iudæos, Ethnicos, siue Christianos; siue probè, siue improbè viuentes; propriè & vniuocè ad vitam æternam electos ac prædestinatos esse. *Item:* Baptismum, etiam sine vlla fide & merè hypocriticè ab adulto receptum; esse verum & validum, neque vnquam iterandum. *Quis eum, qui hæc & similia portenta progeneret, sani capitis esse iudicet?*

De modo, quem tenuit, plura dicentur in Appendice ad Controuersiam de Pontifice adiecta. Vtar Hunnij verbis de hoc ipso Prædicante, in Quæstionibus & Responsis de Prædestinatione. Miscuit argumenta nostra pro libitu, & formam eam, qua proponuntur à nobis, data opera mutauit; neruum & nexum consequentiæ, qui in nostra forma clarissimè patet, suppressit malitiosè, & *(creberrimè)* loco conclusionis à nobis positæ suam ipse substituit à se confictam, & subdolè formatam, qua in parte num boni viri sit officio functus, iudicium penes lectorem esto. Vltimum autem malitiæ documentum est, quod postquam argumentorum nostrorum formam, & consequentiæ rationes à nobis expressè positas suppressit, & conclusionem à mente nostra alienissimam nobis affinxit, ipse deinde contra hæc sua commenta fortiter depugnat, id est, cum laruis luctatur. Hoc est artificium ipsius, quo se ostentat coram imperitis, & horum certaminum ignaris. *Hæc & plura huius notæ Hunnius de candore Huberi; quam suam sinceritatem longè largius in Bellarminianis disputationibus oppugnandis exprompsit.*

Dimisso nunc Hubero, transeo ad Robertum Abbatum, & Gabrielem Pouelum; vterque natione Anglus est; vterque Caluinista. Vterque effrænis calumniator, præsertim Pouelus, qui insciliæ & impudentiæ suæ nec modum nec finem vllum facit. Vterque solam Disputationem de Antichristo exagitandam suscepit: Vterque inflatus, neque in cœlo, neque in terra putat se esse *(vsurpabo enim verba beati Irenæi, quæ de arrogantissimis quibusdã Hæreticis protulit libro tertio capite decimo quinto.)* Sed intra pleroma *(Caluinianam plerophoriam)* introisse, & complexum iam Angelum suum, cum institorio & supercilio incedit, gallinacei elationem habens.

Praterist os vellicarunt partes quasdam Disputationis Bellarminiana de Christo, Christique Vicario Hunnius, Mauius, Rullus Basileensis, Mortonus & Rainoldus Angli, Petrus Thomas Gnapheus seu Fullo Wegelinus: Hotomannus, & Commonefactor Anonymus; quorum deliramenta suis locis refelluntur: Aduersus tales certamen nobis est, ô dilectissime, *(nam Irenæi verbis, libro tertio capite secundo hanc præfationem terminare lubet)* qui, more serpentum, lubrici vndique effugere conantur. Quapropter vndique resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes, ad conuersionem veritatis adducere possimus. Etenim si non facile est ab errore apprehensam resipiscere animam; sed non omnino impossibile est errorem effugere, apposita veritate. sine fuco autem est veritas, & propter hoc pueris credita est, *inquit idem sanctus & beatus Martyr Irenæus.*

APPRO-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ SVPERIORIS GERMANIAE SOC.TIS IESV.

Cùm ſacræ Cæſareę Maieſtatis decreto, omnibus, & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis, quamcunq; librariam negociationem exercentibus, ſeriò, firmiterq; inhibeatur, nequiſquā vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel in poſterum edendos, intra ſacri Imperij Romani regnorum, & dominiorum ſuæ Cæſareæ Maieſtati hæreditariorum fines, ſimili, vel alio characteris genere, aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, vel alibi etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere, clam, ſeu palàm, citra iudicium, ac teſtimonium ſupra dictorum Patrum audeat, vel præſumat; concedo ego GREGORIVS ROSEPHIVS, Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Prouincialis, ADAMO SARTORIO Typographo Ingolſtadienſi facultatem excudendi ſecundum Tomum Apologeticum pro operibus Illuſtriſſimi Cardinalis BELLARMINI à P. IACOBO GRETSERO, Societatis noſtrę Theologo conſcriptum, & à deputatis ad id Patribus approbatum. In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare voluimus. Ingolſtadij 13. Iulij M. DC. IIX.

GREGORIVS ROSEPHIVS
Prouincialis.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

Tomum hunc alterum pro Defenſione operum Illuſtriſſimi Cardinalis BELLARMINI à collega noſtro R. P. IACOBO GRETSERO, elaboratum, ęquè ac primum, iudico dignum, qui in lucem prodeat, cum duas grauiſſimas Controuerſias de Chriſto, Chriſtiq́ue Vicario luculenter & eruditè explicet, & nebulas hæreticorum, quas veritati offundere ſtudent, validè diſpellat & diſſiciat.

PETRVS STEVARTIVS, Leodium, SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Academiæ Ingolſtadienſis Vicecancellarius, Parochus Mauricianus & Colegiæ ad SS. Apoſtolos Præpoſitus, &c.

INDEX CAPITVM,

QVAE IN HAC DEFENSIONE CONTINENTVR.

Controuersiæ de Christo.

LIBER PRIMVS.

Defensio Præfationis.

CAP. I. & II.

III. Deum vnum numero esse ex Scripturis, & Patribus demonstratur.

IV. & V.

VI. VII. VIII. IX.

X. XI. XII. XIII.

XIV. XV. XVI.

XVII. XVIII. XIX. XX.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. II. III. IV. V. VI.

VII. & reliqua vsque ad XIX.

XIX. An filius Dei sit autotheos.

XX. & sequentia vsque ad finem libri.

Disputatio de sacrosanctę Trinitatis mysterio, in qua potissimum de processione sancti Spiritus contra Græcos disseritur; eiusque defensio.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. & reliqua vsque ad VIII.

VIII. & reliqua vsque ad XV.

XV.

Digitized by Google

XVI. & reliqua vſque ad finem.
De generali cenſura Danæi ad tres ſuperiores libros.
Digreſſio contra Hunnium, eiusque hyperaſpiſten Mæuium.
Refutatio Mæuiani libelli contra iudicium Bellarmini de libro Concordiæ.
Notationes in diſputationẽ Ergaſili Auguſtani de Chriſto.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. Proponitur Cõtrouerſia prima de ſcientia animæ Chriſti.
II. Probatur veritas ex Scripturis.
III. Idem probatur ex doctrina Patrum.
IV. Idem probatur rationibus.
V. Soluuntur argumenta aduerſariorum.
Refutatio cenſuræ Daneanæ.
VI. Proponitur quæſtio ſecunda, quæ eſt de deſcenſu ad inferos.
VII. Quod deſcendere ad inferos, non ſint omnino exſtingui.
VIII. Chriſtum non pertuliſſe pœnas damnatorum.
IX. Proponitur tertius error refellendus de deſcenſu Chriſti ad inferos.
X. Inferos eſſe loca ſubterranea diſtincta à ſepulcris.
XI. Animas piorum non fuiſſe in cœlo ante Chriſti aſcenſionem.
XII. Chriſtum ad inferos deſcendiſſe verè, oſtenditur ex Scripturis.
XIII. Explicatur locus obſcuriſſimus ex epiſtola prima S. Petri cap. 3. & 4.
XIV. Aſſeritur traditio Patrum de deſcenſu Chriſti ad inferos.
XV. Chriſtum propriè, ac re ipſa deſcendiſſe ad inferos.
XVI. Soluuntur quædam dubia.
Refutatio cenſuræ Daneanæ.
Digreſſiuncula contra Mæuium.

LIBER QVINTVS.

CAP. I. Explicatur breuiter, ſecundum quam naturam Chriſtus ſit Mediator.
II. Refutatur error Stancari de Mediatore.

III. Refutantur ex Scripturis errores Caluiniſtarum, & Lutheranorum de Mediatore.
IV. Refellitur idem error ex Patribus.
V. Refellituridem error rationibus.
VI. Soluuntur argumenta aduerſariorum deprompta ex Scripturis.
VII. Explicantur teſtimonia Patrũ, quæ aduerſarij proferunt.
VIII. Soluuntur argumenta ex ratione petita.
Digreſſio contra Lutheranum Mæuium.
IX. Oſtenditur, Chriſtum ſibi etiam aliquid meruiſſe.
X. Soluuntur argumenta Caluini.

CONTROVERSIÆ DE SVMMO PONTIFICE.

LIBER PRIMVS.

Aſſeritur à Iunij, Danæi, Sutliuij, & VVitackeri notis, & obiectionibus Præfatio.
CAP. I. Proponitur quæſtio, quodnam ſit optimum regimen.
II. Monarchiam ſimplicem ſimplici Ariſtocratię, & Democratiæ præſtare.
III. Monarchiam Ariſtocratiæ, & Democratiæ admixtam vtiliorem eſſe in hac vita, quàm ſimplicem Monarchiam.
IV. Circumſtantiis ſecluſis, Monarchiam ſimplicem abſolutè, & ſimpliciter excellere.
V. Debeatne Eccleſiaſticum regimen eſſe Monarchicum?
VI. Eccleſiæ gubernationem non eſſe Democraticam.
VII. Eccleſiaſticũ regimen non eſſe penes Principes ſeculares.
VIII. Eccleſiaſticum regimen non eſſe præcipuè penes Epiſcopos.
IX. Regimen Eccleſiaſticum præcipuè Monarchicum eſſe debere.
X. Proponitur tertia quæſtio, & probatur Petri Monarchia ex loco Euangelij Matth. 16.
XI. Quid ſit ſuper petram ædificari Eccleſiam Matth. 16.
XII. Quis ſit ille, cui dicitur, tibi dabo claues, Matth. 16.
XIII. Quid intelligatur per claues Matth. 16.
XIV. Soli Petro dictum eſſe à Chriſto: Paſce oues meas Ioannis 21.

Digitized by Google

XV. Quid significet PASCE, Ioan. 21.
XVI. Quod verbis illis Ioan. 21. OVES MEAS, vniuersa Ecclesia significata sit.
XVII. Explicatur prima prærogatiua S. Petri ex mutatione nominis.
XVIII. Explicatur secunda prærogatiua ex modo, quo ab Euãgelistis Apostoli numerantur.
XIX. Explicantur quatuor aliæ prærogatiuæ ex Euangelio S. Matthæi.
XX. Explicantur tres aliæ prærogatiuæ ex Euangelio S. Lucæ.
XXI. Explicantur aliæ duæ prærogatiuæ ex Euangelio S. Ioannis.
XXII. Explicantur aliæ nouem prærogatiuæ ex Actis Apostolorum, & ex Epistola ad Galatas.
XXIII. Proponuntur aliæ prærogatiuæ ex variis Auctoribus.
XXIV. Tres vltimæ prærogatiuæ in medium afferuntur.
XXV. Confirmatur primatus Petri testimoniis Patrum Græcorum, & Latinorum.
XXVI. Diluitur argumentum ex comparatione Petri cum Iacobo.
XXVII. De comparatione Petri cum Paulo.
XXVIII. Refellitur obiectio ex quindecim peccatis S. Petri à Magdeburgensibus concinnata.
De Danæana generali primi libri censura.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. Proponitur quæstio: an B. Petrus Romæ fuerit, ibidemque Episcopus existens mortuus sit?
II. Petrum fuisse Romæ.
III. S. Petrum Romæ esse mortuum.
IV. Petrum Romæ vsque ad mortem Episcopum fuisse.
V. Soluitur primum argumentum hæreticorum.
VI. Soluitur secundum argumentum Veleni.
VII. Soluuntur alia quinque argumenta.
VIII. Soluuntur alia octo argumenta.
IX. X. XI.
XII. Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia probatur ex diuino iure, & ratione successionis.

XIII. Idem probatur ex Conciliis.
XIV. Idem probatur ex teſtimoniis ſummorum Pontificum.
XV. XVI.
XVII. Idem probatur ex Origene, & antiquitate primatus.
XVIII. Idem probatur ex auctoritate, quam exercuit Romanus Pontifex in alios Epiſcopos.
XIX. Idem probatur ex legibus, diſpenſationibus, & cenſuris.
XX. Idem probatur ex Vicariis Papæ.
XXI. Idem probatur ex iure appellationum.
XXII. Soluuntur argumenta Nili de iure Appellationum.
XXIII. Soluitur argumentum primum Lutheranorum.
XXIV. Soluuntur alia tria argumenta.
XXV. Soluitur argumentum vltimum.
XXVI. Idem probatur ex eo, quod ſummus Pontifex à nemine iudicatur.
XXVII. Soluuntur argumenta Nili.
XXVIII. Soluuntur obiectiones Caluini.
XIX. Soluuntur nouem alia argumenta.
XXX. Soluitur vltimum argumentum, & tractatur quæſtio, an Papa hæreticus deponi poſſit.
XXXI. Idem primatus probatur ex nominibus, quæ Romano Pontifici tribui ſolent.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. Proponitur diſputatio de Antichriſto.
II. Antichriſtum certum quendam hominem futurum.
III. Oſtenditur Antichriſtum nondum veniſſe.
IV. Explicatur prima demonſtratio, quòd nondum venerit Antichriſtus.
V. Explicatur ſecunda demonſtratio.
VI. Explicatur tertia demonſtratio.
VII. Explicatur quarta demonſtratio.
VIII. Explicatur quinta demonſtratio.
IX. Explicatur ſexta demonſtratio.
X. De nomine Antichriſti.

XI. De charactere Antichriſti.
XII. De generatione Antichriſti.
XIII. De ſede Antichriſti.
XIV. De doctrina Antichriſti.
XV. De miraculis Antichriſti.
XVI. De regno, & præliis Antichriſti.
XVII. De Gog, & Magog.
XVIII. Refelluntur deliramenta hæreticorum, quibus non tam probant, quàm impudenter affirmant, Papam eſſe Antichriſtum.
XIX. Refutantur nugæ Synodi Schmalcaldicæ Lutheranorum.
XX. Refelluntur Caluini mendacia.
XXI. Refelluntur mendacia Illyrici.
XXII. Refelluntur ineptiæ Tilmanni.
XXIII. Refelluntur mendacia Chytræi.
XXIV. Refutantur argumenta Caluini, & Illyrici, qui probare conantur, Papam non eſſe amplius Epiſcopum. Vbi etiam refellitur fabula de Ioanne Papa.
Refutatio ineptiarum, quas Pouelus Anglus lib. 1. de ſuo Antichriſto effudit.
Refelluntur viginti quinque deliramenta, quibus Sutliuius probare vult Papam eſſe Antichriſtum.
De generali cenſura Danæi in librum tertium.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. Papam eſſe ſummum Iudicem in controuerſiis fidei, & morum diiudicandis.
II. Proponitur quæſtio, ſitne Papæ iudicium certum.
III. Statuitur prima propoſitio, de infallibili iudicio ſummi Pontificis.
IV. De Romana Eccleſia particulari.
V. De decretis morum.
VI. De Pontifice, vt eſt priuata quædam perſona.
VII. Soluuntur obiectiones ex ratione petitæ.
VIII. De erroribus, qui falſo adſcribuntur Romanis Pontificibus, Petro, & aliis nouem, qui non ſolùm Pontifices, ſed etiam Martyres fuerunt.

IX. De iis, quæ Liberio, & Felici II. obiiciuntur.
X. De Siricio, Innocentio, & aliis ſeptem Pontificibus.
XI. De Honorio primo.
XII. De aliis ſeptem Pontificibus.
XIII. De Gregorio VII.
XIV. De cæteris Pontificibus, quibus error in fide falsò tribuitur.
XV. Proponitur Quæſtio, An ſummus Pontifex habeat iuriſdictionem verè coactiuam, ita vt poſſit leges condere, quæ obligent in conſcientia.
XVI. Probatur teſtimoniis Verbi Dei, poſſe Pontifices veras leges condere.
XVII. Soluuntur argumenta aduerſariorum è ſcripturæ teſtimoniis ducta.
XVIII. Soluitur argumentum ex comparatione legum.
XIX. Soluitur argumentum ductum ab exemplis.
XX. & XXI.
XXII. XXIII. XXIV. XXV.

LIBER QVINTVS.

CAP. I. II. & III.
IV. & V. Papam non habere vllam merè temporalem iuriſdictionem directè iure diuino: & ſoluuntur rationes aduerſariorum.
VI. VII. & VIII. Papam habere ſummam poteſtatem indirectam: idque probatur rationibus, & exemplis.
IX. & X. Non pugnare cum Verbo Dei, vt vnus homo ſit Princeps Eccleſiaſticus, & Politicus ſimul: cum ſolutione argumentorum contrariorum.
Appendix, De mirifico, & horrifico Opere SAMVELIS HVBERI Lutherani Prædicantis.

DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI A GRAECIS AD FRANCOS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. Complectitur contradictiones Illyrici.

II. Continet mendacia Illyrici.

III. Refelluntur prolegomena Illyrici.

IV. Imperium Romanum translatum à Græcis ad Francos, summi Pontificis auctoritate, Historicorum testimoniis demonstratur.

V. Proferuntur testimonia, & confessiones Principum de translatione Imperij à Græcis ad Germanos per Romanum Pontificem facta.

VI. Idem asseritur testimoniis Pontificum.

VII. Imperium Germanorum non esse acquisitum iure belli.

VIII. Non accepisse Carolum Magnum à Deo immediatè Imperij dignitatem.

IX. Imperium Romanum non venisse ad Carolum iure hæreditario.

X. Non accepisse Carolum Magnum Imperij dignitatem auctore senatu, populoúe Romano.

XI. Non deuenisse ad Germanos Imperium donatione Græcorum.

XII. Romanum Pontificem iure suo Imperium à Græcis in Germanos transtulisse.

XIII. Soluuntur, aut soluta demonstrantur argumenta Illyrici.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. Successionem explicat Caroli Magni.

II. Othonem primum, non autem Henricum, aut Chunradum Imperatorem primum ex gente Saxonum fuisse demonstrat.

III. Eundem Othonem à ſummo Pontifice Ioanne XII. ad Imperium prouectum oſtendit.

IV. Obiectiones Illyrici diluit.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. Electores ante Gregorij X. Pontificis, & Friderici II. Imperatoris tempora deſignatos.

II. Obiectiones Onuphrij refellit.

III. Electores Imperij non ab Othone III. Imperatore, ſed à Gregorio V. Pontifice Maximo inſtitutos oſtendit.

IV. Obiectiones Illyrici diſſoluit, ac mendacia plurima auctoris eiuſdem detegit, & redarguit.

Admonitio de notis Iunij in libellum contra Anonymum quendam Caluiniſtam, à Bellarmino ſcriptum.

DEFENSIO CONTROVERSIAE DE CHRISTO, TOTIVS ECCLESIAE CAPITE, A REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO ROBERTO BELLARMINO S. R. E. CARDINALE AMPLISSIMO QVINQVE LIBRIS EXPLICATAE.

ASSERITVR A IVNII ET DANÆI NOTIS ET OBIECTIONIBVS PRAEFATIO ad Lectorem.

QVAE Dançus circa doctissimam Præfationem Illustrissimi Cardinalis Bellarmini mentitur; ea ferè iam, & quidem verè, à nostro Andrea Eudæmonioanne Cydonio profligata sunt lib. 2. Castigat. Danæanæ cap. 5. Primum mendacium est, Bellarminum & Genebrardum stomachari, *quod Seruetum & Gentilem exusserint, illum Genevenses; hunc, Bernenses:* Tantùm abest, vt stomachentur, vt stomachaturi non fuissent, licet cum illis omnes sanctissimæ Trinitatis hostes; item Caluinus ipse, & Beza, cum omnibus Synergis, quotquot tunc Geneuæ degebant, in cineres versi fuissent. Cui iustissimum hoc & æquissimum factum bilem cieret? Quis excandescat, quando bipedum tetterrimi & ex nefandis blasphemiis consuti tenebriones meritas luunt pœnas?

Vnum duntaxat mirantur Bellarminus & Genebrardus, & cum illis non modo Catholici, sed & nonnulli Lutherani. Alterum, cur Caluinistæ adeo debacchentur in Inquisitores, præsertim Hispanos; quòd interdum Hæreticos supremo supplicio afficiant. An Catholico Magistratui tantum potestatis non suppetit, quantum Caluino, Geneuensibus & Bernatibus? Si hodie Catholici aliquem Serueti aut Gentilis discipulum debito supplicio mactent; innumeris proscinduntur conuiciis: cælumque immensis completur clamoribus, & quidquid vel in cælo, vel sub cælo degit, ad vindictam tam dirę tyrannidis adAuocatur. Sed cum Caluinistæ sacrilegos istos cremant; *bonum factum*, vt acclametur, iubent. At Inquisitores etiam aduertunt in Caluinistas & Lutheranos. Hoc scilicet istis dolet. Sed non est cur adeo indignentur. Qua de caussa Caluinistæ exusserunt Seruetum & Gentilem; ob eandem in cæteros itidem aliquæ nationes gladium stringunt; nam vt minus sint impij, quàm Seruetus & Gentilis, (de quo tamen in vtramque partem disputari posse video) impij tamen sunt, & priscæ religioni pernicioſi: Quis autem nescit non solùm pestem pestilentissimam sed & quamcunque aliam, licet minus damnosam, omni, qua licet ope, exterminari consueuisse?

Secundum Danæi mendacium. *Seruetum, & alios Arianos & Samosatenianos impunè inter Pontificios vixisse; at simul atque Geneuam peruenerint, deprehensos, victos & punitos esse.* Si Seruetus prodigiosos suos errores palam in Hispania, Italia vel Catholica Gallia patefecisset; sicut patefecit Geneuæ; vtique nunquam euasisset: Cum enim eo ipso tempore Nouatores multi passim in Hispaniis, Galliis & Italia flammis addicerentur, vt non ignorant; sed lamentabiliter non semel deplorant sectarij; Serueto certè vel Gentili parcitum non fuisset, si immania paradoxorum suorum monstra prodidissent: nam si quod in angulis & conuenticulis clandestinis fit; & Magistratus notitiam effugit; non punitur, id mirum non est; quia punitio cognitionem exigit & præsupponit. Nec diu in Hispania vel Italia pestes istæ

perni-

præstiterunt: Statim vbi post Lutheranismum, Zvvinglianismum seu Caluinismum, animo cõceptum, ad Arianismum & Samosatenianismum declinarunt; trans Alpes in Sabaudiam, & Germaniam aduolarunt, vt vitæ rebusque suis consulerent. Quis, obsecro, Seruetо typos æneos subministrauit, quibus sceleratissimos suos libros de Trinitatis erroribus excuderet? An non Basilea, ciuitas nouo Euangelio dicata, hoc fecit Anno Domini M. D. XXXI. Consule, quæso, bibliothecam tui Gesneri; nam quòd nomẽ Basileæ omisit, qui ex Gesnero Epitomen confecit; hoc Zvvingliano capiti condonandum est. Voluit nimirum à ciuitate amica, & in Caluinismo sibi fœderata & contesserata hanc tantam labem abstergere. Crede mihi, Danæe, si Seruetus suos illos tartareis ignibus vstulandos libros Hispano vel Italo, vel Gallo Catholico typographo typis describendos tradidisset, Auctor vna cum libro, & liber cum Auctore arsisset.

Quis nescit omnes Trinitariorum antesignanos & duces hac ætate primitus vel Lutheranos vel Zvvinglianos seu Caluinianos, fuisse; Et postea hac tam prona & facili via vlterius ad Arianismum processisse? Quapropter non iniuria tertium Danæi mendacium appellaueris, quòd ait: *Propriam esse laudem Caluini & ciuitatis Genevensis, quidquid Bellarminus de Serueto, Gentili, Blandrata, acerrimis Christi hostibus exstinctis, eorumq; hæresi patefacta, refutata, victaq; scribit.* Hoc tertium mendaciũ fœtum est tribus aliis, nam inprimis nusquam dicit Bellarminus à Caluino *patefactam, refutatam, victamq;* Serueti & aliorum hæresin; imò Caluinum accusat, quòd contra Gentilem disputans, ea effutiuerit, quæ Arianismum apertè redoleant. Num hoc est dicere; *nouorum Arianorum hæresin à Caluino patefactam, refutatam & victam*? Si hoc est patefacere, refutare & vincere; quid erit stabilire, & nouis tibicinibus fulcire?

Secundum mendacium in tertio comprehensum, est, *quòd absolutè propria laus Caluini sit prostata Serueti & aliorum hæresis*: nam vt maximè Caluinus suis scriptis sceleratam illam hæresin patefeciſſet, refutasset, vicisset; at hæc non esset laus eius propria; quia multi alij & Caluinistæ & Lutheristæ contra sectarios illos euulgatis libris depugnarunt, (vt de Orthodoxis scriptoribus sileã,) quos omnes à communione huius laudis excludi; totamque gloriam victoriæ ad vnum Caluinum deriuari, haud patientur cæteri Caluiniani & Lutherani.

Tertium mendacium in his ipsis verbis latet. Quam enim laudem meretur Caluinus, si quos ipse formauit & instituit discipulos, postea oppresit? Num laudem meretur, qui vrbis alicuius incendium à se studiosè excitatum, deinceps extinguere nititur? Num laudem meretur, qui sua in schola ea doctrinæ semina iacit, ex quibus latrones & prædones exsistant; etiamsi postea, vbi exstiterint, latrones illos insequatur, ferroq; & flammis exterminandos vociferetur? An non Seruetus, Gentilis, Blandrata, fuêre quinti Euangelij, atq; adeo Lutheranismi & Zvvinglianismi seu Caluinismi discipuli? qui aperta sibi semel hæreticæ licentiæ fenestra; noluerunt semper discipuli audire; eo prorsus iure, quo Caluinus perpetuum in schola Lutheri discipulatum respuit; factus & ipse nouorum dogmatum magister & assertor. Cuius exemplo & isti in libertatem sese asseruerunt; & principiis Caluinisticis consentaneè, alacriter noua somnia somniare, mundoque vènditare institerunt.

Laudem mereri Geneuensem ciuitatem, quòd Seruetum in cineres vertit; non abnuo. Sed hoc addo; maximum ad hanc laudem cumulum accessurum fuisse; si Caluinum, Farellum & alios seductores; Serueti ad rogũ deductores, in eundem rogum coniecisset. Si enim tantam laudem vnius pernicioſi sectarij exustione promeruit, quanta futura fuisset laus, si Seruetо eos, quos dixi, comites adiunxisset? Vocat Danæus Geneuensem ciuitatem *beatissimã*. Vtinam verum, non mendax, elogium esset. Non inuiderem hanc *superlatiuam* beatitudinem. Si quis Pontificem Romanum vocet *beatissimum*; si ipsam Romam; *almam*; si Hierosolymam, aut Palæstinam; *sanctam*, corrugant isti frontem, & amphotidas poscunt; nunc cum sentina omnium transfugarum & fœdifragorum *beatissima* nominatur, auribus & linguis fauere iubemur. Condidit olim Philippus Macedo in Thracia ciuitatem, quam *ὁμώνυμον* indigitauit; quia pessimos quosque indigenas in ea collocarat. Num hæc vrbs ex Thracia migrauit ad littus Lemmannicum?

Ait Danæus, *nullam Caluini veriorem aut maiorem laudem exstare posse, quam quæ in hac Præfatione Bellarmini sonorissimè decãtatur & prædicatur.* Si Arianismi accusari, & non obscurè conuinci, maxima Caluini laus est; non obstabimus, quo minus pleno tam ore, quàm calamo ab omnibus dilaudetur, non tantum à Bellarmino; qui Caluino aliã laudem non tribuit, quàm quòd schola & institutio eius sit Arianorum seminarium; & ipse non vno loco, sensu & stylo vel Arianus, vel Arianorum patronus. Si hoc Bellarmini de Caluino iudiciũ *sonorissimè* Caluinum decantat & prædicat; quis tandem Caluinum vituperare censebitur?

Scripsit Lutherus cõtra Latomũ Tom. II. Lat. VViteb. *Anima mea odit hoc verbum ὁμοούσιον*. Hoc Bellarminus vitio vertit Luthero, quia spirat pectus & animum planè Arianum. Danæus incredibili impudentia mentitur, iniuriã fieri Luthero; *Lutherum non esse locutum de vocabulo ὁμοούσιον, sed de alio ab Arianis inuento ὁμοιούσιον, quod significat filium non eiusdem, sed similis cum patre substantiæ. Et hæc duo tam dissimilia*, ait Danæus, *magno & solo calumniandi Lutherum animo à Bellarmino confundi.*

At Danæi proiectam audaciam refellit inprimis Iunius & ipse Caluinista in Notis ad hanc ipsam præfationem Bellarminianã; qui agnoscit

& pa-

& palam fatetur Lutherum egisse de vocabulo ὁμούσιον. Fatetur idem alius quidam sectarius qui *Commonitorium* seu amicam ad amicum Admonitionem de scriptis Bellarmini non pridem euulgauit. Fatentur idem Hæretici alij, quibus iste Lutheri locus non semel est obiectus.

Idem denique manifestissimè indicant ipsa Lutheri in Confutatione rationis Latomianæ verba. *At Patres sic dixerunt* (peccatum interdum accipi pro pœna peccati) *sed nunquid præceperunt aut præcipere potuerunt, sic dicendum esse? Nonne obediendum est magis Deo, quàm hominibus? Paulus præcepit, & præcipiendi ius habuit, vt vitares profanas vocum nouitates, & loquereris, vt ipse loquitur, & sacris vocum antiquitatibus inhæreres. Quid enim prophanum? nonne, quod non est sacrum? At humanum, non est sacrum, deinde nouum, quia non ab Apostolis positum. Nec est, quod mihi homousion illud obiectes, aduersus Arianos receptum. Non fuit receptum à multis, iuxta præclarissimis.* (Insigne mendacium; nullus enim Orthodoxus fuit, qui vocabulum τὸ ὁμοούσιον non obuiis vlnis amplexus fuerit.) *Quod & Hieronymus optauit aboleri.* (iterum mentitur, nunquam sanctus iste pater vocabulum τὸ ὁμοούσιον abolitum voluit; sed de nomine hypostaseos seu hypostaseon Damasi sententiam exquisiuit.) *Adeoq; non effugerunt periculum hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur nescire se, quid veneni lateat in syllabis & litteris.* (Iterum mentitur, nam S. Hieronymus non vocem τὸ ὁμοούσιον, sed *hypostaseos* suspectam habuit; nec reiecit; sed num reiicienda esset, à Damaso Pontifice instrui voluit.) *Adeo illud Ariani magis, quàm scripturas etiam exigitabant.* Non vtique ὁμοιούσιον, sed ὁμοούσιον vocabulum magis, quàm scripturas exagitabant; quia prius illud Hæreticum & Arianum; hoc Catholicum & Orthodoxum erat. Nec quidquam à suo ingenio abhorrens fecerunt; quia Hæreticis innatum est ea respuere, per quæ eorum Hæresis redarguitur.

Subdit Lutherus. *Quod si odit anima mea vocem homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget vti, modò rem teneam, quæ in Concilio per scripturas definita est?* Quis tam stupidus est, præter Danæum, qui non videat, Lutherum loqui de vocabulo τὸ ὁμοούσιον. Singulæ syllabæ textus Lutherani hoc sonora voce proclamant. Hoc omnes Lutheri libri testatum faciunt, qui non habent ὁμοούσιον, sed ὁμοίουσιον, vel vt rectè dicam, Latinis litteris *homousion*; vt proinde probabile mihi fiat, Danæum, Lutheri contra Latonum nugacissimum librum, nunquam vidisse; Etsi enim ad omnem impudentiam proiectissimus est, vix tamen, opinor, ausus fuisset hæc in chartam euomere, si Lutherum vnquam inspexisset; vel si inspexit, sobrius inspexisset. Præsertim cum Lutherus hanc impiam suam stultitiam subinde suis in libris iteret, nominatim in Colloquiis mensalibus Germanicis *tit. de fellin*, & alibi, vt discas ex quarto spiritu Anatomiæ Lutheri, errore seu capite secundo.

A Dixit Lutherus, *se odisse vocem* ὁμοούσιον. Numeremus mendacia Danæi. Tria principialia antea recensuimus. Hoc ergo quartum locum teneat. *Rectè & pie*, inquit Danæus. Nec *rectè*, nec *piè* quintum effundit Danæus mendacium; quia Lutherus de vocabulo ὁμοούσιον nihil penitus egit. Sextum mendacium. *Bellarminum* ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον *imperitissimè eandem vocem existimasse.* Nihil Bellarminus de voce ὁμοούσιον, sed de illa ὁμοιούσιον, quia de hac non de altera Luthero sermo fuit. Sciuisse Bellarminum discrimen harum duarum vocum, patet ex cap. 3. lib. 2. huius de Christo controuersiæ, vbi ex instituto de his vocabulis differit.

Septimum Danæi mendacium. *Bellarminum* B *esse ineptissimum Lutheri calumniatorem.* Non dubito & Caluinistas & Lutheranos consona voce fateri, Danæum esse *ineptissimum* & *insulsissimum* Lutheri aduocatum; quando contra mentem, sensum, & institutum, & omnia exemplaria Lutheri contendit, Lutherum de voce ὁμοούσιον non de illa ὁμοιούσιον locutum esse.

Octauum Danæi mendacium; Bellarminum, *ea, quæ Lutherus sanctè dixit, perperam maculare & traducere.* Danæum perperam mentiri & calumniari patet ex Lutheri contextu & ex confessione Iunij Caluinistæ; qui concedit Lutherum agere de voce ὁμοούσιον, nec potuit aliter, nisi cum Danæo truncus fieri vellet. Sed adiungit; *Lutheri verba nec integrè, nec conuenienter aut sensui aut menti eius* C *adferri.* Cur non adferuntur integrè? Quia Bellarminus omisit illa duo vocabula. *Quod si.* &c. nam Lutherus ita scribit. *Quod si odit anima mea vocem, homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quid tu mihi Bellarmine*, clamat Iunius, *ex hypothetico enunciatio & fictis suppositionibus facis categoricas & affirmatiuas simpliciter?* Idem obiicit Bellarmino Anonymus *Commonefactor* de Operibus Bellarmini.

Respondeo, particulam *si* non semper efficere orationem hypotheticam & *conditionalem*, sed interdum nihil penitus de categorica & absoluta enunciationis ratione detrahere. Nam si quis mihi, exempli gratia, reconciliare conetur capitalem hostem, à quo apertis inimicitiis dissideo; egoque omnem pacificationem detrectans, di- D cam. *Si odit anima mea hunc hominem, & nolim vti eius amicitia, non ero hæreticus. Quis me coget?* Non profero certè orationem hypotheticam, sed absolutam; quia certum & exploratum est, me hunc odio prosequi, & ex odio cum illo amicitiam inire nolle. Similiter si quis rerum suarum prodigum castiget, moneatque, ne sua vsque adeo temerè profundat; ille autem respondeat; *si mea, non aliena consumo & abligurio, non est, quòd me dictis incessas: Quid tua id refert?* Profectò non hypotheticè, sed categoricè prorsus loquitur; quia id, quod facitare solet, de se profitetur; & si dictum eius citare vel commemorare vellem, nullam prorsus, omissa particula conditionali *si*; ei iniuriam irrogarem, quia oratio absoluta est, siue

illa vocula addatur, siue detrahatur. Eodē prorsus dicendi genere vsus est loco allato Lutherus. Nam omnes propemodum apices disputationis illius clamant, Lutherum vocabulum τῦ ὁμοούσιου odisse; & posito hoc odio, non per fictionem & cogitationē, sed per rem ipsam, postea hæc subiecisse. *Quod si odit anima mea, &c.*

Id probatur primò; quia innuit vocem istam τῦ ὁμοούσιου esse *profanam*; *Quid enim profanum?* inquit, disserens de vocibus à scriptura non vsurpatis. *Nonne quod non est sacrum? At humanum non est sacrum; deinde nouum, quia non ab Apostolo positum.* Hæc generatim de vocabulis in scriptura non repertis, inter quæ non postremum est & ipsum ὁμοούσιον, quod Luthero est *profanum*. Cur hoc, nisi ex odio? Est Luthero *non sacrum*. Cur, nisi ex odio? Est *humanum*. Cur, nisi ex odio? Est *nouum*; cur, nisi ex odio? Nam quòd ait, *ideo esse profanum, humanum, non sacrum, nouum*; quia ab Apostolis nō sit positum seu vsurpatum; id odij tegumentum est, non vera caussa: nam sic nulla Germanica vocabula essent sacra; omnia essent *profana, non sacra, humana, noua*, quia nullum eorum est ab Apostolis in sacris litteris positum & impositum: imò ipsa vox *Trinitatis profana, non sacra, humana, noua* esset: Quod libenter dabit Lutherus, quandoquidem in *Postilla sua Maiore* Dom. Trinit. non veritus est vocem Trinitatis appellare *frigidam*. Quia verò videbat Lutherus vocabulum τῦ ὁμοουσίου sibi mox obiectum iri, anteuertendum & sibimetipsi obiiciendum existimauit.

Probantur itaque secundò ex dictis Lutheri, Lutherum simpliciter vocabulum τῦ ὁμοούσιου odisse; quia mentitur, *non fuisse à multis receptum*. Cur hoc, nisi ex odio? Dico Lutherum mentiri; quia omnes Orthodoxi in Concilio Nicæno hoc vocabulum receperunt & approbarunt, & Arianis tanquam clypeum insuperabilem, obiecerunt & oppossuerunt; idemque postea præstitum est ab omnibus illis, qui Synodi Nicenę decretis assensum præbuēre. Quis autem Orthodoxorum nō præbuit assensum?

Tertiò probatur idem, quia Lutherus dicit *vocem hanc non fuisse receptam à præclarissimis*. Cur hoc mendacium effudit, nisi quia vocē τῦ ὁμοούσιου pessimè odit? Quid præclarius sanctissimis illis Nicæni Cōcilij Patribus? Annō vnanimi consensu hanc vocē receperūt? Quid præclarius Gregorio Nazianzeno, Nysseno, Basilio, Augustino, Ambrosio, Hieronymo, aliis. An nō prēclarissimi isti doctores, hanc vocē, vt sacrosanctā, venerati sunt?

Quartò probatur; quia Lutherus mentitur, *S. Hieronymum cupiuisse hoc vocabulum abolitū*. Cur hoc mendacium effutiuit; nisi quia immani in *Homousij* vocē odio æstuauit? Quod adeo grande fuit, vt mente occæcatus non attenderit. D. Hieronymum non de voce *Homousij*, sed *hypostaseos* locutū esse; quanquam ne hanc quidem absolutè abolitam voluit; sed quid de illa sentiendum esset, ex Damaso discere studuit, ne in fraudem impelleretur. Et hoc ipsum Lutheri delirum mendacium coactus est Iunius appellare *incogitantiæ dictū*, & μνημοσυνὸν ἁμάρτημα, *memoriæ lapsum*.

Fatetur & *Commonefactor*, fermè dixeram, *falsefactor*, Lutherum hic esse lapsum. Rectius feciſſet Iunius, si furoris & odij dictum indigitasset; & non tam infirmitati memoriæ, quàm concepto odio, quod oculorum aciem perstringere solet; lapsum illum adscripsisset, præsertim cum idem de S. Hieronymo in libro de Conciliis post multos annos repetiuerit.

Sed en insigne Iunij pro Luthero patrocinium. Lutherus dixit, Hieronymum vocabulū homousij aboleri optasse & expungi cupiisse; *quia Lutherus animaduertit vocem hypostaseos legi in scripturis, ὁμοούσιον minimè; Ergo nec mentitur, nec calumniatur Lutherum cum hæc talia Hieronymo attribuit*. Digna Iuniano acumine consecutio.

Ait Iunius. *Ille mentitur, calumniatur, & causam suā tuetur fraudibus & mendaciis, qui sciens, prudens & volens à veritate discessit, hoc non fecit Lutherus, qui in hac re imprudens à veritate aberrauerit*. Nō disquiram, vtrum Lutherus ex destinato cōsilio mentiri & calumniari voluerit; hoc fidenter dico; eum id feciſſe ex odio & furore in vocabulum *Homousij*: Cuius odij & furoris caligine, si mens excæcata fuit, num ideo à calumnia & mendacio liberari debet? Et vt ex ignorantia hoc feciſſet; quid tum? Non omnis ignorantia à peccato excusat; & per consequens, nec à mendacio & calumnia: imò si Lutherum audimus in eo ipso libro contra Latomum, & in Thesibus quibusdam Anno Domini M. D. XVII. VViteberge propositis, quę exstant Tom. 1. Lat. VViteberg. nulla penitus ignorantia à peccato excusat; sic enim habet Thes. 35. *Non est verum, quod ignorantia inuincibilis à toto excusat*. Non ergo à mendacio & calumnia per ignorantiam purgari potest; cum, ipso etiam iudice, nō excusaretur omnino, licet ignorantia Lutheri fuisset inuincibilis. Quis autem tam crassam ignorantiam in tanto doctore *inuincibilem* fuisse concedat, tanto præsertim tempore, ab Anno videlicet Redemptoris M. D. XXI. quo contra Latomum scripsit, vsq; ad Annū M. D. XXXIX. quo librum de Conciliis & Ecclesia euulgauit, in quo denuo asseruit, Hieronymum lamentabiliter postulasse, vt vox *Homousij* exploderetur.

Obiicit Iunius Interpretem libri de Conciliis, quisquis ille fuit, nō satis commodè Lutheri verba, quæ Germanicè dixerat, interpretatum esse. At Iunius non satis commodè mentitur. Verba Germanica Lutheri sunt ista Tom. 7. Ihen. Germ. Damit sie (die Arianer) das Concilium zu schwechen möchten/richteten vil Vnglücks an/machten hernach den vnsern damit so bange/das auch S. Hieronymus darüber verstürtzt/ einen kleglichen Brieff schrieb an den Bischoff zu Rom/Damason, vnd fieng an zu begern/ daß man solch Wort homousius/ solte außtragen/denn ich weiß nicht/spricht er/was doch für ein Gifft in dem Buchstaben sey/daß sich die Arianer so

vnnütz

vnnütz darüber machen. Verba Latina, quæ Bellarminus citat, sunt ista. *S. Hieronymus vehementer perturbatus lamentabiles litteras scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, & cupiebat expungi vocabulũ ὁμοούσιον.* Iudicet, quisquis vtramq; linguam nouit, an non cõtineatur in recitatis Germanicis verbis, quod interpres expresit suis illis Latinis à Bellarmino adductis.

Deinde nõ est quæstio quã fideliter Interpres ille Lutheri librũ transtulerit; sed num Lutherus mendaciũ dixerit, quando asseruit, D. Hieronymo in optatis fuisse, vt vocabulũ *Homousij* repudiaretur; Hoc Lutherũ asseruisse, euidenter adstruit tam Latina versio, q̃ Germanica, eaq; primigenia editio. Satis ergo cõmodè Lutheri mendaciũ, criminationẽ simul & insciciã oculis nostris subiecit Latinus interpres. Nec arbitror à Iunio magis cõmodum, seriò & ex animo postulari.

Commonefactor fatetur, vt antea dixi, Lutherum esse lapsum memoria, sed negat propterea *mendacem aut fraudulentũ appellandum*; Ratio est; *quia tam Hieronymus, q̃ Lutherus respexit eundẽ finem; & quod Lutherus de Homousio conqueritur, idem Hieronymus de hypostasi.* Sed dum iste Lutherum à mendacio vindicare nititur; in mendaciũ ipse incurrit: Mendacium est, *eundem Luthero finem fuisse propositũ, qui Hieronymo.* Nam in libro contra Latomum, ideo vocem *Homousij* insectatus est, quia in eam sententiam inclinabat; nullam vocem in rerum sacrarum tractatione vsurpandam esse, nisi quæ in sacris litteris contineretur; & eo etiam collineabat, vt nulla extra sacras litteras reciperetur. Nũ hic finis vnquam D. Hieronymo in mentẽ venit?

Secundò, locutio illa, quæ tres *hypostases* in diuina natura statuebat, non erat tempore D. Hieronymi trita in Ecclesia; vnde metuit D. Hieronymus, ne quid veneni sub trium hypostasẽon appellatione delitesceret. Quocirca à Romano Pontifice instructionẽ expetiit. At tempore Lutheri nemo Catholicus vnquã vocabulum *Homousij* in dubium vocauit. Nemo Catholicus repudiandum censuit. Nemo nõ obuiis vlnis, vt sanctum & venerabile, amplexus est. Nec Lutherus controuersiã de hoc vocabulo cum Arianis mouens vel renouans, ad Pontificem, vt instrueretur, accurrit; sed totius litis excitandæ causſam aliam non habuit; quàm quòd vocabulum hoc iniquis oculis intuebatur; & hinc oblitteratum cupiebat. Num sic affectus fuit D. Hieronymus? Minimè verò. Etiam de nõ sat trita trium hypostasẽon appellatione nihil decernere; sed totum iudicium ad Romanum Pontificem in solidum referre voluit: paratus vti illa phrasi, si iuberet Damasus: paratus, reiicere, si idem Pontifex id præciperet. Longè igitur diuersa est ratio Lutheri & D. Hieronymi; & finis, quem in hac re vterque spectauit.

Ait Commonefactor; *Non sola vocabula esse captanda; sed ipsam rẽ spectari debere.* Nec Bellarminus vocabulà captauit; sed mendacium Lutheri de

A D. Hieronymo, & odiũ eius in nomen *Homousion* redarguit. Num hoc est captare vocabula? *At Lutherus rectè sensit de Trinitate.* Vtinam non mentiaris. Si rectè sensit, cur vocabulum ab omnibus orthodoxis, tanto consensu receptum, communiq; omnium suffragio cõprobatum odit? nam quòd oderit, præter superius dicta, conuincit & hic syllogismus ex cõmonefactoris fundamentis exstructus. Quod quis exstinctum cupit, id odit. Sed Lutherus vocabulum *Homousij* exstinctum cupiit, ergo odit illud. Maior est nota. Probatur Minor. Lutherus eundem finem spectauit, quem Hieronymus. Maior hæc est Commonefactoris, vt antea visum. Sed Hieronymus eum finem spectauit, vt vox *Homousij* aboleretur. Hæc B Minor est Lutheri, ergo & Lutherus hunc finem spectauit, vt vox *Homousij* aboleretur. Quid hic habes, Admonitor, quod carpas vel neges?

Vel argumentum hoc modo institue. Qui eundem finem spectat in voce *Homousij*, quem spectauit Hieronymus in voce triũ hypostasẽon, is vocem *Homousij* sublatam cupit; quia Hieronymus trium hypostasẽon sublatam voluit; vt ait Admonitor. Sed Lutherus eundem finẽ spectauit in voce *Homousios*, quem Hieronymus in voce *trium hypostasẽon*, ergo Lutherus vocem *Homousios* sublatam voluit.

Hallucinatur autem Commonefactor, cum dicit, Hieronymum de voce *hypostasεos* conquestum esse. Nec egit, nec questus est de hac; sed C num *tres hypostases* in natura diuina dicendæ essent, addubitauit; & super ea re à Damaso edoceri suppliciter petiit: neque enim tam ignarus vel scripturarum vel litterarum fuit D. Hieronymus, vt ignoraret vel hæsitaret, num hypostasis de Deo dici posset.

Ait Admonitor, *Confessionis Augustanæ sectatores piè & rectè de Trinitate sentire.* Opto, vt ita sit; & verbis quidem hoc præ se ferunt. Sed non est in horum schola insuetum; vt labra dissentiant à mente; & calamus à pectore. Quod satis superque testatum faciunt, quæ Bellarminus ex Luthero & Melanchthone producit.

Iam reuertamur ad Lutherum, ostendamusq; eum, quidquid contra vocabulum *Homousij* eruD ctauit, ex odio vocis eructasse. Quinta igitur probatio sit ista. Qui Homousion vocat vocem nouam & profanam; is indicat se hanc vocem odisse; Lutherus hoc fecit; vt declarant hæc eius verba: *Etsi Ariani malè senserunt in fide, hoc tamen optimè, siue bono, siue malo animo exegerunt, ne vocem profanam & nouam in regulã fidei statui liceret.* En Lutherus *Homousion* vocem profanam & nouam nominat. Quæ ne tempore quidem Nicæni Concilij noua fuit, vt ex patribus ostendit Bellarminus infra lib. 2. cap. 3.

Sextò, qui laudat Arianos, quòd vocabulum *Homousij* repudiarint; is apertè indicat; se malè erga vocabulum *Homousij* affectum esse: Lutherus ob hanc causſam laudauit Arianos, vt patet

ex verbis paulò antè citatis: Ait enim, *eos optimè fecisse, quòd vocem extra scripturas, nouam & profanam noluerint admittere*, siue hoc fecerint *bono*, siue *malo animo*; Et, vt eos magis ab omni labe purget; multa garrit, cur non sit aliis vocibus, quàm à scriptura præscriptis vtendum. Ex quibus omnibus euidenter eluceſcit, Lutherum vocabulum *Homousij* verè & reipsa odisse: atque adeo nõ hypotheticè; sed categoricè locutum esse, cum dixit; *Quod si odit anima mea vocem homousion*, &c.

Ait Bellarminus, totam illam Tragœdiam, quæ Eccleſiam tot annis miserè vexauit, propter hanc vnam vocem τῦ ὁμοούσ excitatam esse. *Falsum*, clamat Iunius: *fuit enim propter vocem & rem significatam voce; Ariani enim vtrumq; negauerunt.* Audi Caluiniſta. Bellarminus nõ loquitur de voce *Homousij* τυχικῶς seu *materialiter*; sed formaliter, vt significat. Cũ ergo dixit propter hanc vnã vocẽ, totã illam tragœdiã exstitisse: non excludit rem significatam; quia loquitur de voce vt significat.

Calumniatur Iunius cum dicit, ex sententia Bellarmini *Patres pariũ logomachiũ contentiosè operam dedisse*: Nihil minus: quia sancti Patres dimicantes pro hoc vocabulo, simul etiã pugnarunt pro re vocabulo illi subiecta; tum quia dimicarunt pro vocabulo, vt significat; tum quia probè intelligebant, fore, vt si paterentur sibi ab Arianis vocabulũ eripi; res quoq; ipsa sibi eriperetur. Itaque ne rei significatæ iacturam facerent, totis viribus vocabuli possessionem tutati sunt.

Calumniatur iterum & mentitur Iunius, cum scribit, Bellarminum Luthero affingere, *verbis corruptis, sententiam à veritate, à mente, à verbis ipsius alienissimam.* Nihil Luthero affingitur. Id liquet ex dictis; & ex verbis Lutheri antea recitatis. Nec verba eius à Bellarmino corrupta sunt; vt iam ostensum. Nec sententia quæ ei tribuitur, à verbis & mente Lutheri alienissima est; etsi à veritate prorsus dissentiat. Quæ Bellarmini culpa, si Luthero ex scriptis & verbis Lutheri, sententiam à veritate alienissimam obiiciat? Cur tales sententias Lutherus malè cõcepit, & peius peperit?

Ait Bellarminus, Luthero non solum nomen *Homousios*, sed & nomen Trinitatis displicuisse, & ex Germanorum precibus illam precandi formulam submouisse: *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis. Falsum*, vociferatur Iunius. *Luthero non displicuit Trinitatis nomen, aut significatum nomine; sed vox in vulgo Germanis recepta, ad enunciandam Trinitatem. Hanc enim Germani ita enunciant, vt ex notatione, & forma vocis, triplicitatem potius (vt ita dicamus) quàm Trinitatem intelligas.* Dreyfaltig *illũ est triplex: & inde dicta* Dreyfaltigkeit / *triplicitas; Hanc formam vocis Lutherus, puriorũ & simplicioriũ, ac euidentioris sermonis amans, vsquoadeò non probauit, vt periculosam esse duceret in hoc mysterio enunciando.*

Vix vidi, qui hoc Caluiniano audacius de rebus sibi incompertis pronunciet. Nam I. vbi hoc Lutherus? Certè Tomo octauo Ienensi Germanico in Farragine cantiuncularum & precularum Lutheranarum, ne verbũ quidem de hoc Lutherus. Omittit quidem suis in Litaniis illa: *Sancta Trinitas vnus Deus*: Sed nullã penitus omissionis causſam reddit. Secundo; si omisit duntaxat propter vocabulum Germanicum, vt fingit Iunius, cur in Latinis suis Litaniis non retinuit? Exstant eodẽ Tomo octauo Latinæ Litaniæ cum Germanicis. AEquè ex illis expuncta est illa sanctissimæ Trinitatis inuocatio, ac ex Germanicis. Omissionis ergo causſa non fuit vox Germanica; sed alia.

Tertiò, si in Litaniis vox Germanica Luthero vsq; adeo periculosa apparuit; cur non & alibi eandem eadem religione tactus exhorruit & cauit? An non in *Postilla eius Domestica* hæc omnibus ingeruntur? Am Tag der heiligen Drifáltigkeit / idq; per multas paginas. Das Feſt der Drifáltigkeit. Der Artickel von der heiligen Drifáltigkeit. Et per totum librum; am erſten / am andern / am dritten / ꝛc. Sontag nach der Drifáltigkeit. Si Lutherus purioris, simplicioris ac euidentioris sermonis tantus amator & cultor fuit; cur hoc vocabulum in omnibus suis Germanicis Tomis passim, absque periculi metu, vsurpauit, si puritati, simplicitati ac perspicuitati sermonis repugnat? At fortè alibi nõ aduersatur munditiei, candori, & luci sermonis; sed in solis Litaniis. Qua de causſa verò, quod alibi purum, simplex & euidens est; in Litaniis impurum, caliginosum & tenebrosum euadit?

Adde, quòd Lutherani Prędicantes in suis Catechismis, *Postillis*, & libris, liberè vtũtur hoc Germanico vocabulo; (tametsi nõ me fugit in Germanicis quoq; libris eos vti subinde latino vocabulo *Trinitatis*, am Sontag Trinitatis, inquit Lutherus) minimè id facturi, si Lutherus ab eo, periculi vitandi causſa, abstineri voluisset. Quapropter Magistrũ suũ imitati vbiq; hac voce Germanis cõsueta vtuntur; tantũ in Litaniis tam Latinis, q̃ Germanicis abstinent. Qua de causa, oro?

Accedit, quod Nouatores isti non possunt aliter Trinitatem Germanicè appellare, quàm Drifáltigkeit / si à Germanis intelligi velint. Et quãuis admodũ libenter ipsa vetera Germanorũ explodant vocabula; vt fusè ostendimus in *Muricibus Prædicantici, Germanica & Catholica Antiquitatis*; nullum tamen vel legi vel audiui, qui Germanis conaretur illud Drifáltigkeit / eripere; & nouam appellationem substituere; cuiusmodi esse possetDriheit; vel simile quippiam.

Strenuè ergo delirat & sycophantatur Iunius, cũ supradicto emplastro Lutheri & Lutheranorũ impietati medicinam facere tentat. Aliud Lutherum & Lutheranos impulit, vt & Germanicã & Latinam vocem *Trinitatis* ex Litaniis suis eraderent: Studium videlicet gratificandi Arianis & Caluinianis; vt sublato iam ex Litaniis pręcipuo fundamento, quod est, *sancta Trinitas vnus Deus*; eò leuiore postmodum opera totam Litaniarum fabricam subuerterent ac demolirentur.

Nec

Nec est verum, quod Iunius ait; *vocabulū* Dreyfaltigkeit *indicare Germanis*, triplicitatem. Quidquid enim sit de vocabulo Latino, quod compositionem quandam ex tribus designare videtur; Germanicum tamen illud Trifeltig / seu Dreifaltig & Trifeltigkeit / seu Dreyfaltigkeit tantum ad Trinitatem personarum in diuina essentia refertur, idque ex communi & vetustissimo Germanorum ritu.

Non me latet, quid iudicij tulerit Lutherus de vocabulo Germanico Dreifaltigkeit/ in prima concione Dominicæ Trinitatis, sed interim duo hæc etiam comperta habeo: Nihil eorum, quæ Iunius commiscitur, Lutherum asserere. Secundò, Lutherum non tantum tale iudicium, omnis iudicij expers, de Germanico, sed & de Latino vocabulo *Trinitas* tulisse. Accipe Lutheri verba: Es ist wol nit ein köstlich Teutsch/ lautet auch nit fein / Gott also zu nennen mit dem Wort / Dreyfaltigkeit (wie auch das Lateinisch *Trinitas*, nicht köstlich lautet) aber weil mans nit besser hat / müssen wir reden/ wie wir können. *Non est magni pretij vocabulum Germanicum, nec bene sonat, vt Deus nominetur hoc nomine* Dreyfaltigkeit *(quemadmodum nec Latinum Trinitas admodum benè sonat) sed quandoquidem meliora non suppetunt, loquendum est prout possumus.*

Vbi nota importunissimam noui huius correctoris corrigendi vesaniam, qui tot Latinos Patres, quibus *Trinitatis* vocabulum fuit vsurpatum, quorum integra de *Trinitate* exstant opera, perstringere non veretur, quasi vocabulo non satis commodo, nec sat bene sonante vsi fuerint: idemque fert iudicium de tota natione Germanica, cui vox Dreyfaltigkeit & est, & fuit, & erit receptissima. Scilicet & Latini & Germani per tot annorum curricula exspectare debebant, vt ab isto *excucullato* doctore non modò sapere, sed & loqui discerent. Quanquam huic suę nouandi & correctionis nullius indiga corrigendi prurigini alibi itidem largiter indulsit; vt in *Prædicantici Muricibus* ostendimus. Neq; hoc iudicium de his vocibus altera Latina; altera Germanica ex alio fonte manauit, quàm ex odio & auersione quadam ab his tam vetustis nominibus: nam caussa, quam Iunius fingit, Luthero nunquam in mentem venit.

Nec solus Lutherus & Lutherani in hac pice Ariana hærent, quod ad vocabulum *Trinitatis* & precationem illam: *Sancta Trinitas*, attinet; sed & Caluinus cum suis Caluinistis, qui in epistola ad Polonos data anno M. D. LXIII. quando iam ad summum Caluinianæ lucis gradum proiectus fuerat, ita scribit: *Precatio vulgo trita: Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nostri, mihi non placet, ac omnino barbariem sapit.* Non saperet, nisi Ariana aura te afflasset. Hanc Magistri sui impiam stultitiam verbosè & stolidè tueri conatur Danæus in Responso ad Genebrardum cap. 3. Quo suo in vetustissimam & Ecclesię Dei vsitatissimam precationem odio, hoc effecerunt Caluinistæ, vt multi ex eorum grege *Trinitatis & personæ* nomina in diuinis simpliciter repudiauerint: vt videre est apud Caluinum in epistolis, epist. 350. qui pro sua facilitate & in Arianismum propensione, tales ab Ecclesiæ consortio non repellendos significat: *Neque interim malignè interpretabimur*, inquit, *si Bernensis Ecclesia pastores eos ad verbi ministerium admittere non sustineant.*

Crimini dat Bellarminus Luthero, quod in *magnis Postillis* in concione de natali Domini, imperitos quosdam, ait, *Christum facere hominem omnipotentem.* Quid autem aliud est, non esse Christum hominem omnipotentem, quàm non esse Christum hominē Deum, sed duas esse in Christo personas, vt quondam impius hæresiarcha Nestorius prædicauit? Hic Iunius iterum arma pro Luthero expedit: *Lutherum nihil aliud voluisse, quàm Christum non esse hominem omnipotentem, qua homo est, seu secundum humanam naturam, non autem negasse, quin ille homo Christus sit omnipotens homo, qua Deus, seu secundum diuinam naturam & hypostasin.*

Audiamus Lutheri verba ex concione super caput primum epistolæ ad Hebræos, quæ legi solet in Natali Domini, in *summo sacro*, & exstat in *Postilla*, quæ Germanicè inscribitur; Kirchen Postilla. Die Menschheit Christi hat eben wie ein ander heilig natürlich Mensch/ nit alle zeit/ alle ding gedacht/ geredt/ gewolt/ gemerckt / wie etliche einen Allmächtigen Menschen auß jm machen/ mengen die zwo Natur/ vnd jhr Werck in einander vnweißlich. *Humanitas Christi, instar aliorum Sanctorum & naturalium hominum, non semper omnia cogitauit, dixit, voluit, notauit, quemadmodum nonnulli ex illo omnipotentem hominem faciunt, miscentes imperitè duas naturas, earumque operationes.*

Non disquiram, quàm vera sint & sana priora illa verba. Posterioribus licet sanus sensus subiici possit, si tamen Lutheri doctrinam, & regulam abs se præscriptam spectare velimus; nec possunt, nec debent verba illa Lutheri ad bonum sensum trahi, ne Luthero fiat iniuria, idq; adstruatur, quod à Lutheri mente prorsus abhorret. Forsan enim persuadere quis sibi posset, Lutherum dictis verbis perstringere voluisse veteres & nouos Eutychianos Vbiquistas: sed hoc vix fit verisimile, cum ipsemet Vbiquitatis sectator & propagator fuerit, vt allatis ex Luthero testimoniis probat Bellarminus infrà lib. 3. cap. 1. Idemque non semel notauit in Luthero Zvvinglius, iis in scriptis Polemicis, quę contra Lutherum pro suo Sacramentario errore euulgauit. Quis autem credat Lutherū se pro publica concione imperitis annumerare, & id, quod ipsemet agebat, in seipso reprehendere voluisse?

Dices: non esse Luthero insuetum propria sua vineta cædere; & ore proprio seipsum damnare; ac proinde non nisi ad illos respexisse, qui, Eutychiano & Vbiquistico more, naturas, earumque proprietates miscēt ac confundunt: At ego quæro, num vel Iunius vel alius, qui hoc obiicit, in

ipsa Lutheri mente sesitarit; quando verba illa A
pronunciauit? Nisi hoc factum sit, caussæ nihil
dicere queunt, cur tã indubitanter hanc definitè
Lutheri mentem esse asserant; neq; enim ita Lu-
therus in Eutychetis castris stipendia faciebat;
vt non subinde etiam ad signa & castra Nestorij
transiret. Et certè verba illa ita præcisè prolata,
vt à Luthero proferuntur, *Nestorianissimum* apertè
olent: Quis enim, præter Nestorium, simpliciter
reprehendit illos, qui Christum hominem om-
nipotentem faciunt? Quis dicit illos, naturas,
earumq; operationes imperitè miscere ac con-
fundere, præter Nestorium, eiusque scholam,
cui ipsa etiam vtriusque naturæ in vna hypostasi
vnio & coniunctio nil nisi *imperita mixtio & confu-*
sio apparet; ex qua itidem mixtionem & confu- B
sionem ipsarum actionum sequi necesse sit.

Nec iniuriam facimus Luthero cum supradi-
cta eius verba, vt Nestoriana, respuimus & exe-
cramur: quia ea lege cum Luthero agimus, qua
ipse cum Erasmo similes locutiones, plenas hæ-
reticis latebris & insidiis, effutire solito, transi-
gendum & scripsit & præscripsit: *Cur non loquitur*
rectè & apertè, inquit Lutherus? *aut, quid delectatur*
insidijs, & figuris istis tam periculosis? Debuit tantus Rhe-
tor & Theologus, non solum scire, sed etiam fideliter præ-
stare, quod docet Fabius, scilicet ambiguum verbũ, cum sco-
pulum esse vitandum. Quod si casu aliquod excideris, ve-
niam meretur. Sed studio, & industria quærere hoc, nullã
venia, sed iustissimo omnium odio dignum est. Ad quid e-
nim hoc bilingue, & odibile dicendi genus valet, nisi vt sub C
vocibus, & literis Christianam fidem simulantibus, om-
nium hæresium semina tutò ferre, & alere possit: ac, dum
doceri, & defendi creditur religio, reuera tollatur funditus, & antequam intelligitur, euertatur. Quare, rectè fa-
ciunt omnes, qui suspecta, & insidiosa verba eius, contra
ipsum interpretantur. Nec est audienda eius vociferatio:
Calumnia, calumnia; &, quod non commodè, & candidè
interpretemur eius dicta. Cur ipse fugit commodè dicta: &
sectatur incõmodè dicta? Esset enim hæc tyrãnis inaudita,
vniuersum genus hominum ita habere velle subiectum, vt
insidiosè, & periculosè dicta cogeretur commodè intellige-
re, & illi regnũ concedere, semper insidiosè loquendi. Quin
ipse potius cogatur in ordinem, & iubeatur seruire generi
humano; hoc est, abstinere ab isto profano, & bilingui fle-
xiloquio, seu inani loquentia: sicut Paulus præcepit vitare D
profanas cenophonias. Hæc Lutherus de ratione a-
gendi cum amphilogiis Erasmicis; & ego de mo-
do tractandi Lutherum, quando dicta Nestoria-
nissimum vel Eutychianissimum, vel Arianissimum,
vel aliam hæresin spirantia, dicit.

Nec audienda est vociferatio Iunij. *Criminatio*
falsa ex iniqua verborum interpretatione: quæ si obtine-
ret, nemo planè orthodoxorum patrum ab immanibus hæ-
resibus immunis esset. Imo, *si ista licentia regnet*, inquit
Lutherus, hoc est, si obligaremur omnia, quæ à
quouis insidiosè & suspectè proferuntur, in me-
liorem partem interpretari, *possem ego omnia com-*
modè interpretari, quæcunque vnquam omnes Hæretici
dixerunt: denique quidquid ipse Diabolus fecit, dixit, aut
dicere, & facere possit in æternum. Vbi tunc erit vlla facul
tas refutandi hæreticos, & Diabolum? Vbi sapientia illa
Christi Domini, cui non possint resistere omnes aduersarij?
Vbi Dialectica docendi Magistra? Vbi Rhetorica persua-
dendi facultas? Nihil docebitur, discetur, persuadebitur,
consolabitur, terrebitur, quia, nihil certò, aut propriè dic-
tum audietur.

Eat nunc Iunius & Lutherum criminatione
onerari mentiatur, cum suspectissimus & insi-
diosissimus eius loquendi modus Nestorianis-
mi à Bellarmino accusatur. Nam quod obiectu
sanctorum Patrum, Lutherum suum, tueri ten-
tat, nugas agit: nam *cum bonis bene agier oportet*; si
quando quid duriusculè aut obscuriusculè dic-
tum illis excidit. Cum Luthero ex lege quam i-
pse tulit agendum est: *Si loquitur Arianicè*, inquit B
Lutherus, *iudicetur Arianus. Si loquitur Lucianicè, iu-*
dicetur Lucianus. Si loquitur gentiliter, iudicetur gentilis:
quia dogmata fidei tenere, arduum & diuinum opus est,
etiamsi propriis & signatis, & certis verbis tradantur: quo-
modo igitur tenebuntur, si ambiguis, dubijs & obliquis
verbis tradantur? At noster Rex amphibolus, inquit Lu-
therus de Erasmo, *sedet in throno amphilogiæ securus;*
& duplici contritione conterit nos stupidos Christianos.
Primò, vult, & magna voluptas est, ambiguis suis dictis
nos offendere, nolletq; non offendi istos truncos. Deinde, vbi
sensit nos offensos, & impegisse in insidiosas figuras, & cla-
mare contra eum: ibi, fertò triumphat, & gaudet incidisse
in suos casses prædam petitam. Nam ibi inuenta rhetori-
candi occasione, irruit super nos maguis viribus, & clamo- C
ribus, lacerans, flagellans, crucifigens, & vltra omnia tar-
tara mittens, quòd calumniosè, virulenter, satanicè (si
quid nominari prius posset) eius verba intellexerimus; quæ
tamen sic intellecta voluit, &c.

Hac tyrannide mirifica (quis credat, tantum posse Do-
minam istam amphibologiam: aut quis suspicari posset vl-
lum hominem esse tam deliræ mentis, vt tantum isti figu-
ræ vanissimæ confidat?) nos non solùm cogit ad ferendam
libidinem eius amphibologizandi liberrimam, sed etiam
ad necessitatem tacendi. Offendi nos planè vult, & cupit,
vt rideat cum suis Epicuris nos stultos. Rursus audire non
vult esse offensos, ne videatur non esse Christianissimus. Sic
nos vulnera fine fine pati debemus, gemere, aut hisere non
debemus.

Commodo Interprete opus est, inquit Iunius, *non* D
sugillatore incommodo. Recinit Lutherus: Ja/ja lie-
ber Juncker/ das must man euch bestellen/ sonderlich
bey den Christen. Et ex his habet Iunius quoq; re-
sponsum ad Eutychianum illum Lutheri locum
ex lib. de Conciliis part. 2. *Mihi paulò ante negotium*
fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me dispu-
tabant, quod diuinitas Christi non possit pati. Quem lo-
cum satis iam à Iunianis nebulis asseruimus in
Defensione Præfationis in primam Controuer-
siam.

In eodem libro sic itidem Lutherus delirauit:
Oportet dici, hic homo Christus, hæc caro & sanguis condi-
dit cœlum & terram. Si caro, inquit Bellarminus,
cœlum & terram condidit, quis non videat à Lu-
thero Christi naturas cum Eutychete confundi?

Iunius accusat inprimis Interpretem. *Quisquis librum illum aut ista Lutheri verba ex Germanico sic interpretatur, aut imperitè aut infidiosè facit.* Germanica Lutheri verba sunt isthæc. Darumb man sagen muß / diser Mensch Christus / das Fleisch vnd Blut Marie / ist Schöpffer Himmels vnd der Erden: Si hęc verba imperitè & insidiosè Latinè versa sunt; non in Bellarmino, aut vllo alio Catholico homine, sed in Lutherano verſore tota culpa residet. Neq; enim Catholicus; sed Lutheranus fuit, qui librum Lutheri de Conciliis & Ecclesia Latinum reddidit; quem Germanica Lutheri verbat, anquam Germanum, credibile est longè melius intellexisse; quàm Iunium, Gallum, Biturigem; linguæ Germanicæ haud callentissimum: nam quòd Iunius apponit de appositione Grāmatica, ficque transferendum censet: *Hic homo Christus, caro & sanguis Mariæ, cœlum & terram condidit*, id friuolum est, nec ad Lutheri excusationem idoneum: quia Lutherus vtitur vocabulo, das / quod, vt norunt Germani, est particula demonstratiua: nam das Fleisch / idem significat, quòd, *Hæc caro*: Et si appositione Lutherus vti voluisset; non adiecisset, voculam, das / sed illa omissa, dixisset: Diser Mensch Christus / Fleisch vnnd Blut Marie. At siue Lutheri verba bonam in partem accipi queant, siue non, nos vtimur iure nobis cōcesso à Luthero; de quo fusè paulò antea; quia *ipse etiam publicæ leges imperij Romani*, inquit Lutherus, *damnant hanc dicendi rationem, multantq; hac pœna, vt iubeant verba interpretari contra eum ipsum, qui clarius dicere potuit, & dixit obscurius: & ipse Christus seruum illum nequam sese insidiosè excusantem damnauit; & verbis ipsius in eum retortis, dixit: Ex ore tuo te iudico serue nequam. Quid enim fieret, si in Religionicus & Legibus, & omnibus grauibus causis, assueſceremus ambiguè, & insidiosè dicere, nisi confusissima illa Babylon, in qua nullus alterum tandem intelligere posit.*

Notat & culpat Bellarminus Lutherū. I. Quia in eodem de Conciliis lib. affirmat, Nestorium & Eutychen ex insciția solùm aliqua, & in modo loquendi lapsos esse. II. Quia vtrique zelum bonum alioqui, animum sincerum, & fidem rectam tribuit. III. Quia totam causſam tumultus & tragœdiarum illo tempore excitatarum in Episcopos Catholicos, Leonem & Cyrillum confert. IV. Quia dicit, se vereri, ne in extremo iudicio aliqui hæretici sedeant iudices; & Episcopi, qui eos, in Conciliis damnauerunt, in æternum pereant.

Iunius mentitur *hæc insidiosè à Bellarmino dici ad obruendam Lutheri causſam.* Quomodo *insidiosè*? An non bona fide, apertè & simpliciter, vt à Luthero asseruntur, ex Luthero deprompta sunt? Ait Iunius. *Quædam modestius à Luthero dicta fuisse multi desiderant.* Inter hos multos, vnus etiam est Bellarminus. Bene habet; Fatetur Caluinianus Lutheri aduocatus quosdam in Luthero modestiam desiderare, & immodestiam auersari. Quid mirum, si Bellarminus idem agat, præsertim in hoc de Nestorio & Eutychete argumento.

Ait Iunius: *De Concilijs Lutherus agens ostendit, paucare, & ratione, seu modo agendi simul probari posse: multa, re subſtantiaq; fuisse proba, sed modo agēdi vitiosa: plurima denique fuisse vitiosa re simul, & modo. Bellarminus turbat, ne causſam obtinere posit.* Etiamsi hæc Conciliorum distinctio non ex Iunij, sed Lutheri capite prognata esset; prorsus tamen intolerabilis esset. Nullum enim est ex receptis & approbatis in Ecclesia œcumenicis Conciliis, quod non fuerit re, subſtātia, & modo probum ac legitimum. Et quod nam est illud Concilium, quod iudicio Lutheri in libro de Conciliis, *re & ratione, seu agendi modo probum fuerit*; cum Lutherus omnia Concilia laceret, & ne quatuor illis parcat, quæ diuus Gregorius, & tota antiquitas orthodoxa, eodem, quo sacrosancta Euangeliorum oracula, loco habebat. Quoties carpit Concilium Nicænum, eiusq; decreta? Quàm contemptim & abiectè loquitur de Concilio Chalcedonensi & Ephesino? Quoties occultis cuniculis eorum fidem eleuare conatur, vt causſæ Nestorianæ & Eutychianæ auctoritatem aliquam conciliet?

Ait Iunius: *Lutherum habuisse Concilium Ephesinum & Chalcedonense pro pio & probo.* Crederem, nisi me ab assensu absterrerent conuicia, quæ in hæc Concilia tam obliquè, quàm directè vibrat. Sed quid hæc tandem ad rem? cur non respondet Iunius ad ea, quę Luthero & omnibus Lutheranis à Bellarmino obiiciuntur? Cur ad alia, de quibus nil Bellarminus, digreditur? *Nullus vbi de adulterio postulatus est*, inquit S. Athanasius, oratione prima *contra Arianos, de furto se excusat: neque si quis eadem imputet, reum patitur respondere, se non solùm non peierasse, sed etiam in depósito fidelem exstitisse. Id enim ludibrium potius, quam purgatio criminis, aut certum rei documentum fuerit. Quid enim cædes ad depositum? aut, quid adulterium ad furtum? Nam, tametsi scelera à se inuicem dependeant, ex corde prodeuntia, attamen ad diluendum facinus, nullam inter se communionem habent.*

Post multos anfractus tandem omnia, quorum Bellarminus Lutherum accusat, agnoscit; & impudentiam Lutheri suam quoque facit. Nam I. dicit: *Magnos illos viros* (Patres Ephesini & Chalcedonensis Concilij, præsertim S. Leonem, & S. Cyrillum) *à via charitatis æstu quodam inconsiderato in transuersum actos esse, in modo agendi cum Nestorio & Eutyche.* Hoccine est Lutherum defendere & à criminationis labe expurgare; an mendacium & effrontem Lutheri temeritatem iterare; nec hoc duntaxat; sed & confirmare ac stabilire?

Dicit II. *Neminem bonum, lectis Conciliorum Actis, narrationibus historiæ Ecclesiasticæ, & ipsorum aliorumq; sanctorum Patrum scriptis, bona fide, hoc negaturum.* Impudens commentum, nisi nomine boni lectoris intelligat eum, qui Lutherano & Caluiniano, omnibus hæreticis amico spiritu, calet; & nisi etiam *bonæ fidei* vocabulo accipiat fidem Caluinianam & Lutheranam. Nam qui sine hac bonitate

& bona fide ad cognoscendam Nestorij & Eutychetis causſam accedit; is ingenuè confiteri cogetur, consideratissimè, circumspectissimè, & prorsus paternè à sancto illo prestantissimorum Patrum consessu & conuetu actum esse cum versutissimis, dolosissimis, & fraudulentissimis hæresiarchis Nestorio & Eutyche, à quibus nostri Sectarij strophas suas vulpinas, sutelas, technas & tergiuersationes mutuati sunt, præsertim Lutherus docillimus Nestorij & Eutychetis discipulus, propterea tam operosè eorum causſam aduersus sacrosanctam Conciliorum Maiestatem tuetur.

III. Palam fatetur Iunius, Lutherum scribere, *Nestorium & Eutychem ex insitia & in modo loquendi maximè lapsos esse.* Quo quid falsius, quod ad modum loquendi attinet? nam & in re grauissimè & fœdissimè hallucinati sunt; nisi fortè existimant Lutherus & Iunius non esse lapsum in re, si quis neget diuam Virginem esse *Deiparam*; hoc est, genuisse Deum, sed solum & merum hominẽ; itemque non esse lapsum in re; si quis vtramque in Christo naturam post vnionem in vnam conflet; abnuatque in Christo non esse duplicem naturam diuinam & humanam inconfusam & impermixtam.

Ait Iunius: *Maximè lapsos esse in modo loquendi.* Quasi verò maior sit hallucinatio negare vocabulum *Deiparæ* seu Θεοτόκου, quàm rem hac voce significatam; Quasi item maior sit error, inficiari modum loquendi, quo duæ in Christo naturæ constituuntur, quàm rem ipsam hac loquendi formula denotatam.

IV. Fatetur Iunius ex sententia Lutheri: *Nestorium & Eutychen zelo bono, animo sincero, & fide bona egisse, non recta; vt dicit Bellarminus.* Quam mercedem dabunt duo isti Hæresiarchæ his suis duobus tam fidis aduocatis? Dic, oro, Iuni; habésne Eutychen & Nestorium pro damnatis hæreticis vel potius hæresiarchis? Si neges, satis prodes quis alastor pectus tuum obsideat & insideat. Si affirmes; ex ore tuo mendacij te & tuum Lutherum arguam. Estne zelus Hæresiarcharum, quo sectam & perfidiam suam toto pectore propagare & diffundere nituntur, *bonus?* Estne animus Hæresiarcharum, quo impia sua dogmata disseminare contendunt, *sincerus?* Est ne huiusmodi impostoribus & vulpinis sycophantis bona fides? Nam quòd Iunius admonet, Lutherum non vsum hac voce; *recta fides*; sed, *bona*: nodum in scirpo quærit. Si enim bona fides est, recta itidem est: Est autem bona, Iudice Iunio, ergo & *recta*. Nam cum Lutherus dixit Nestorio & Eutychi fuisse fidem bonam, aut bonitatem retulit ad intellectum, aut ad voluntatem. Si ad intellectum; rectè Bellarminus rectam fidem illis à Luthero tribui dixit; quia bonitas fidei ad intellectum relata est fidei veritas & rectitudo. Si bonitatem retulit Lutherus ad voluntatem, rursus rectè Bellarminus rectam fidem Hæresiarchis illis à Luthero tribui affirmauit: quia bonitas fidei in volũtate, nil aliud est quàm recta voluntas & intentio sincera & inculpata. Quis autẽ hanc bonitatem, hoc est, rectitudinem voluntatis & intentionis in tortuosissimis illis cerastis Nestorio & Eutyche fuisse credat? Itaque Lutherus absurdè & impiè egit siue priore, siue posteriore, siue vtroque modo *bonam fidem* pestilentibus illis sectarum architectis adscripsit.

V. Iterum calumniatur Caluinista cum auo suo Luthero, Patres Concilij Ephesini & Chalcedonensis *austeriore & asperiore agẽdi modo aliquam istiu (non totam) sui obfirmandi materiam præbuisse.* At Lutherus & Iunius cynicè prorsus sese gerunt, siue *aliquam* solummodo, siue totam his hæresiarchis peruicaciæ & obstinationis materiam & occasionem præbuisse dicant; & si vllum his tam duris capitonibus vestigium frontis supereſſet; verecundarentur hæc talia in chartas referre in gratiam perditissimorum & damnatissimorum nebulonum; aduersus tantos viros, quorum sanctimoniam, eruditionem, & in sententia ferenda æquitatem totus ante Lutherum & Caluinum orbis, qui Nestorianus & Eutychianus non esset, veneratus est.

VI. Addit Iunius, Tartareum prorsus mendacium pariter & conuicium. Ait: *Præcipitem seruidumq; in agendo fuisse Cyrillum, Leonem arrogantem, vtrunq; supra quam par fuit, vehementiorem, quodammodo omnes historiæ testantur.* Quid testantur? Te mentiri, & quidem proiectissimè. Quis Historicus in schola Nestorij & Eutychetis non educatus, & instructus, vnquam tale de sanctissimis & excellentissimis Pontificibus Leone & Cyrillo iudicium tulit? Qualis Lutheri patronus Iunius, qui lœdorias Lutheri in sanctos Patres non modò confirmat, sed & nouis incrementis adauget? Quam bene fecisset Iunius, si & chartam & operam lucrifecisset; & id, quod Bellarminus Lutherο obiecit de beneuolentia in Nestorium & Eutychen vel præteriisset, vel apertè fassus fuisset. At ipsum quoque Iunium de his Hæresiarchis bene mereri oportuit.

Clausula Iunianę defensionis est hæc Pseudologia, Lutherum, quando dixit: *vereri se, ne in extremo iudicio aliqui hæretici sedeant Iudices, & Episcopi, qui eos, in Concilijs damnauerunt; damnentur: id non de illis Conciliis* (Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi) *dici, sed de postremo isto Conciliorum genere, quod vitiosum fuerit re simul & modo.* Vbi duo mendacia obserues licet. Primum, de ipsa Conciliorum diuisione; quæ, vt supra dicebam, Luthero in libro de Conciliis nunquam in mentem venit: tantum abest, vt secundum illam dictum suum accipi voluerit. Alterum est de re ipsa: nam de illis Conciliis hoc pronunciauit Lutherus, de quibus immediatè ante, & immediatè pòst locutus fuerat; sed immediatè antea & immediatè pòst locutus est Lutherus de Concilio Ephesino & Chalcedonensi, deque Nestorio & Eutyche, & vtriusq;

causſa;

cauſſa; ergo de his Conciliis pronunciauit, ſe vereri, futurum, vt qui in eis fuerunt Iudices, in extremo iudicio iudicentur ab illis, quorum fuêre Iudices, hoc eſt, à Neſtorio & Eutychete; qui Iudices futuri ſint S. Cyrilli S. Leonis, & Patrum, qui vtrique Synodo præſentes adfuêre. Hactenus de Luthero, eiusque infortunato hyperaſpiſte Caluiniano Iunio.

Nec Lutherum duntaxat, ſed & alios huius temporis Sectarios Arianis fauiſſe, demonſtrat ex variorum Nouatorum ſcriptis Bellarminus. Danæus vna fidelia omnes dealbat, coruinumq; in morem candefacit: *Manifeſtiſſimus Melanchthonis, Caluini, Bullingeri, Bezæ & aliorum, quos iſte commemorat, piorum virorum calumniator eſt Bellarminus, vt ex ſequenti diſputatione apparebit.* Quam tamen vbi ingreſſus fueris, ex tam multis, quos Bellarminus teterrimarum opinionum poſtulat; vix vnum vel alterum magis defendi cœptũ, quàm defenſum videbis, vt ſuo loco planum faciemus. Cæteros atra nocte inuoluit, & ſub cultro linquit. Nihil iſte promiſſor de Eraſmo; quem Bellarminus meritò ad Cenſurã vocat, quod præfatione in S. Hilarium hæc effuderit. *Audemus Spiritum ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt.* Iunius paucis ſe expedit. *Sua Eraſmus præſtet: Nos ſingula eius dicta in hoc argumẽto, nec probamus, nec præſtare pollicemur.* Laudo conſilium, Iuni. Rectè ac ſapienter agis. Vtinam pari libertate Lutheri aliorumque, & inprimis Caluini tui defenſionem abiecisſes, melius famæ tuæ conſuluiſſes.

Turbas hic dat Commonefactor noſter, qui pollicetur *ſe Bellarminum de crimine falſi conuicturum*, & ſi id præſtet, nihil aliud ſuperfuturum ait, quàm *vt ex lege Cornelia iure ac merito in Bellarminum animaduertas.* Fac igitur quod promittis, & Bellarmino pedicas legis Cornelię iniice. Auſcultemus, quo pacto promiſſa præſtes. *Apertè crimen falſi committit, verba Eraſmi adulterans, atque corrumpens. Neque enim dixit; quod veteres auſi non ſunt; ſed; quod veteres aliquandiu non videntur auſi. Diuerſa enim ſunt, eſſe, & eſſe videri; illud affirmantis eſt; hoc, non omnino negantis.*

Quid ſi ipſe Eraſmus Bellarminum ab hac excuſatione abſoluat; nonne ſat excuſatus erit Bellarminus? Nonne tu meritiſsimò, tanquam vaniſsimus ſycophanta, ad pœnam, quam Bellarmino minitabare, depoſceris? Scripſit Albertus Pius, Carporum Princeps, aliquot libros contra Eraſmum; quibus varias eius ſtultiloquentias, vel potius impias aſſertiones, caſtigauit & refutauit; inter cæteras etiam hanc de Spiritu ſancto, ex præfatione in B. Hilarium, Eraſmo in os faciemque ingeſsit. Quid Eraſmus? Num Albertum criminis falſi arguit? Num verba ſua decurtata & mutilata fuiſſe queſtus eſt? An cum noſtro Admonitore legem Corneliam intonuit? Nihil minus: ſed agnoſcens verba, quæ Albertus citauerat, ſic ironicè Alberto occurrit in ſua Apologia contra hunc eundem magnæ pietatis & eruditionis principem: *Sed quis ferat, quod in præfatione in Hilarium in hunc modum ſcribo? Quin huc audaciæ prorupimus, vt nõ vereamur filio præſcribere, quibus modis debuerit honorare matrem ſuam. Audemus autem Spiritum ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt.*

Hæc & alia huius generis cum Eraſmus recitaſſet; ſubiecit varias impietatis ſuæ excuſandæ ratiunculas, & more ſuo in omnes partes ſe vertit, vt & pſeudologiam & blaſphemiam illã nonnihil tegeret. Neque tamen huc vnquam venit, vt conquereretur verba iſthæc de Spiritu ſancto non fuiſſe integrè & fideliter ab Alberto producta; cum tamen non ſemel quiritetur, alia nonnulla, quæ ex eadem præfatione Albertus excerpſerat, & ad examen vocarat; decurtata & mala fide prolata fuiſſe; ſed ea pro ſuis agnouit, & vt ſua non defendit, ſed defendere tentauit, idque ſtrophis & flexibus ſibi vſitatis ac propemodum propriis. Et ne crederes Eraſmum per incogitantiam hæc verba, tanquam à ſe ſcripta, comprobaſſe, ſæpius eadem repetit: *Illud monet* (Albertum & alios) inquit Eraſmus, *quod adiicio, audemus Spiritum ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt.* Hic nullum apparet *aliquandiu*. Nullum, *videntur*: in quibus commonefactor cardinem accuſationis ſuæ conſtituit; ſed ſimpliciter fatetur Eraſmus, ſe, id, quod Albertus obiecit, & Bellarminus repetiuit; ſcripſiſſe, nec vel verbum de *crimine falſi* facit; vt nec in Apologia contra Inquiſitores, ſeu, vt ipſe vocat, *Monachos* Hiſpanos, qui, præter cætera vel impiè, vel temerariè illius Eraſmicę præfationis dicta, etiam hoc de Spiritu ſancto impietatis poſtularant, & nigro Theta præfixo notauerant; vt ſcribit ipſe Eraſmus in libro contra Albertum. Et tamen ne tunc quidem incidit Eraſmo, vt cum Admonitore anonymo à crimine falſi & lege Cornelia opem perditæ ſententiæ quærendam exiſtimaret. Quid ergo *Vaniloquiorum* iſte non ex Plauti, ſed ex Caluini vel Lutheri Orcheſtra de crimine falſi vociferatur; cũ taceat Eraſmus; & theſeos illius informem partum, pro ſuo libenter amplectatur, totisq; caſtris tueatur?

Maiora canamus; & calefactorem ſine nomine propius vrgeamus. Quid ais Caluiniane *Todiniloquides? Bellarminus commiſit crimen falſi, verba Eraſmi corrupit, mutilauit, truncauit: eamq; ob cauſſam legis Corneliæ pœnas incurrit.* Itáne vero? Ne ergo Bellarminus ſolus plectatur pœna falſi, adiungamus ei ſocium, quia, vt triuiale fert verbum: *Solatium eſt miſeris ſocios habere in pœnis.* Quis iſte ſocius? Conjecta, ſi es diuinus. Eiuſmodi eſt, quem tu, vel corporis tui obiectu, à pœna perſoluenda proteges ac eripies. Arrige aures, Admonitor. Si Bellarminus verba Eraſmi falſauit & corrupit, eodem crimine tenebitur tuus Lutherus; tertius ille tuus Helias; & ſecundus Ioannes Baptiſta; & quintus Euangeliſta; & tertius Cato, & octauus Sapientum. Quid audio? Id quod res eſt. Audiſti me. Nunc patulas aures Luthero præbe, qui in

Iudicio de Eraſmo iſta. *Rectè Carpenſis ille, quiſquis fuit, reprehendit eum,* (Eraſmum) *tanquam fautorem Arianorum in præfatione Hilarij, vbi ſcripſerat; Nos audemus Spiritum ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt.*

En Admonitor, Lutherus tuus non aliter ac Bellarminus verba Eraſmi recitauit. Oportet igitur, vt aut Lutherum cum Bellarmino damnes, aut vtrumq; ab intentato crimine abſoluas. Rectè, inquit Lutherus, reprehendit Carpenſis ille Eraſmum. Quomodo *rectè* reprehenderet, ſi recitandis Eraſmicis dictis crimen falſi commiſiſſet?

Subdit Lutherus: *Ibi cum bene admonitus* Eraſmus (non ergo per crimen falſi) *deberet agnoſcere ſuas pulchras figuras, & Arianiſmos, & eos emendare; non modò id non facit; ſed maledicit iſtas Satanæ calumnias, & duplo magis ridet diuinitatem, quam ante. Tanta eſt confidentia in ſua ſtexiloquentia, ſeu amphibologia. Nihilominus valdè ſeriò confitetur Triaden, & nihil minus fecisſe vult videri, quàm negaſſe Trinitatem diuinitatis. niſi quod curioſitatem recentiorum (quam poſtea pro diligentia commodè interpretari exiget) narrat, multa ex ſcripturis accepiſſe, & auſos eſſe, quæ veteres non eſſent auſi. quaſi hominum autoritate nitatur religio Chriſtiana (hoc enim intendit perſuadere.) Hoc eſt aliud nihil, quàm pro fabulis haberi vniuerſas religiones.*

Hic planè etiamſi Carpenſis nihil planè ſit, & hoſtiliter Lutherum petat, tamen Eraſmus inaudita ſuperbia putat, omnes homines eſſe ſtipites, & truncos, qui nec rem intelligant, nec verba percipiant. Lege enim locum, & obſerua mihi Diabolum incarnatum. Hic locus fecit, vt ego (quid alij facturi ſint, viderint) Eraſmo non credã, etiamſi confiteatur apertis verbis, Chriſtum eſſe Deum. Sed dicam illud Chryſippi ſophiſma: ſi mentiris, etiam quod verum dicis, mentiris. Quid enim opus fuit (ſi ſyncerè credidit Spiritum ſanctum eſſe Deum) dicere; Nos audemus appellare Spiritum ſanctum Deum, quod veteres non ſunt auſi. Et verbum audendi tam variè torquere, nunc in laudem, nunc in vituperium, etiam in eiſdem recẽtioribus, cùm nos ex veteribus ipſis hoc habeamus, & ipſiſſimus auſi primum.

Deinde, manifeſtum mendacium eſt; veteres non auſos eſſe Spiritum ſanctum appellare Deum: niſi veteres pro ſua pulcra figura intelligant Democritum, & Epicurum, aut Deum intelligant materialiter, id eſt, iſtas quatuor literas, Deum. Ad quid autem iſta odibilia panurgia, niſi vt rudibus, ex muſca elephantem faciat: & ſignificet Chriſtianam religionem nimis nihilis eſſe, nulla cauſſa, niſi quia iſtæ quatuor literæ, Deus, non ponuntur omni loco, quo ipſe exigere poſſet.

Hactenus Lutherus pro innocentia Bellarmini contra Lutheranum vel Caluinianum Agyrtam. Quid ad hæc Eraſmus in *Purgatione* aduerſus *Epiſtolam* ſeu *Iudicium* Lutheri, quæ purgatio exſtat cum reliquis Apologiis Tomo 9. operum Eraſmicorum? Multa quidem pro conſuetudine ſua garrit Eraſmus; multa deblaterat; grandi verborum profluentia & volubilitate ſeſe & animum ſuum comit: at nunquam eò progredi auſus eſt, vt cum calefactore noſtro diceret, verba illa: *Audemus Spiritum ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt:* à Luthero per crimẽ falſi, fuiſſe corrupta, deprauata, truncata: ſed ea tanquam ſua recipit, & cum cæteris excuſare & tueri conatur, quamuis irrito conatu. Quæ enim Apologia hanc tantam, vt modeſtiſsimè dicam, Eraſmi ſummis de rebus ſcribendi leuitatem expurget? Quæ ſcelus hoc vnda abluat & eluat?

Oggrunnit Admonitor: *Eraſmus paulò antè ſe ipſum explicat, cum ait: Atque hæc dixerim, non vt in dubium vocem, quod nobis è diuinis literis Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas.* At Lutherus occinit: *Eraſmo non credam etiamſi confiteatur apertis verbis, Chriſtum eſſe Deum.* Multo minus igitur credet Lutherus Eraſmo, quando teſtatur, ſe, ea, quę præfatione in Hilarium ſcribit, non ſcribere, *vt in dubium vocet, quod nobis è diuinis literis Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas*, quia nõ fugit Lutherum ſolennis Eraſmi mos: qui erat, aliud pectore clauſum tenere, aliud ore proloqui, & calamo in chartas referre; atq; adeo bilinguem eſſe: & proteſtationibus ſuis prorſus aduerſa agere: nam ſi Spiritus ſancti diuinitatem in dubium vocare noluit, cur dicta illa ad dubitationem commouendã aptiſſima & appoſitiſsima, papyro illeuit? Cur mentiri non erubuit; veteres non fuiſſe auſos Spiritum ſanctum appellare *Deum?* Quod eſt ſacrum & deteſtabile mendacium, vt demonſtrat Bellarminus. Et quamuis Eraſmus primitus ſcripſiſſet hunc in modum: *Quod veteres aliquandiu non videntur auſi:* vt eum ſcripſiſſe vult Admonitor, non tamen propterea à mendacio liber eſſet; quia falſiſsimum eſt; veteres orthodoxos, (de his enim ſermo eſſe debet; nil namque mirum, ſi Hæretici Spiritum ſanctum nõ appellarunt Deum) *aliquandiu non fuiſſe auſos Spiritum ſanctum nominare Deum:* quia omnes orthodoxi à condito Chriſtianiſmo ſemper in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, tanquam vnius Dei, baptizati & ſalutaribus vndis abluti ſunt; & communior Theologorum ſententia affirmat, poſt ſufficientem Euangelij promulgationem neceſſarium eſſe, non modò neceſsitate præcepti, ſed & medij, explicitè credere ſacroſanctæ Trinitatis myſterium; cuius ſanè fides in hoc conſiſtit, vt Spiritum ſanctũ Deum Patri & Filio æqualem & conſubſtantialem corde & ore palam & priuatim profiteamur.

Eraſmicam editionem D. Hilarij non vidi. At in magno volumine epiſtolarum Eraſmi, reperitur liber præfationum, quas variis Auctoribus præfixit; & inter illas, etiam hæc in Hilarium: in qua ita legitur: *Audemus Spiritum ſanctum appellare Deum verum, ex Patre Filioq; procedentem quod veteres aliquandiu non videntur auſi.* Si initiò ita ſcripſit Eraſmus; cur diſputans aduerſus Inquiſitores Hiſpanos; Albertum Pium, & Lutherum, non vſus eſt hac defenſione, qua nunc vtitur Calefactor? Cur non dixit, verba ſua, per crimẽ falſi eſſe corrupta, truncata, mutilata?

Deinde

Deinde licet verbis illis; *aliquandiu non videntur ausi, &c.* in prima præfationis illius conscriptione vsus fuisset; nihilominus blasphemo mendacio sese obstrinxisset; qa ab omni veritate abhorret, veteres orthodoxos *aliquandiu* non fuisse ausos Spiritum sanctum appellare *verum Deum*. Vt patet ex his, quæ & hic & infra pro diuinitate Spiritus sancti Bellarminus profert. Non est autem, quòd quis miretur aliter hodie textum præfationis constitutum esse, quàm Hispani Theologi, Albertus Pius, Lutherus, & Bellarminus citarunt, & ipse Erasmus agnouit; quia vsitatissimum fuit Erasmo posteriores editiones vertere & inuertere, & si quid effudisset, quod piorum aures nimium feriret ac offenderet, fuco quodam & schemate flexiloquo colorare. Quod & hic accidisse mihi fit verisimile. Quanquam, vt dictum, siue hoc, siue illud scripserit; nunquam vel ipse seipsum, vel alius illum ex mendacij & impietatis cœno eripiet.

Ante aliquot annos obiecit mihi vir quidam magni nominis & doctrinæ non vulgaris, hunc ipsum Erasmicum à Bellarmino adductum locum, desiderabatq; fidem & frontem Bellarmini in loci huius recitatione: addens, Erasmum non absolutè dixisse: *Veteres*; sed; *quidam veteres ausi non sunt*: longo autem discrimine seiungi hæc duo: *veteres*; &, *quidam veteres*. At ego nullum vidi librum; qui exhiberet hanc voculam. *Quidam*. Et vt maximè ab Erasmo adhibita fuisset, res tamen nondum in vado esset: nam & hoc à vero abit, & malum affectum in Spiritus sancti maiestatem sapit: *Quosdam veterum Catholicorum non fuisse ausos Spiritum sanctum appellare verum Deum*.

Forsan ab illo ipso, de quo loquor, & cuius nomen exprimere, nil necesse, calumniam hanc in familiari colloquio accepit Admonitor; quãdoquidem, nisi me coniectura fallit, Pragę in Bohemia nidum habuit: qui pro copiosiore Erasmi purgatione hoc etiam adiungit: *Erasmum hoc ideo dixisse, quòd eos reprehendat, qui Spiritum sanctum Deum ore quidem appellant; ex animi verò templo suis sceleribus deturbant:* Non examinabo, num mentiatur Admonitor, hæcq; caussa ad effusionem dicti illius Erasmum verè impulerit: illud tantùm scisciabor, num ideo licuerit Erasmo blasphemè mentiri: *Veteres non fuisse ausos*; vel *aliquandiu non fuisse ausos*; vel, *aliquandiu non videri fuisse ausos Spiritum sanctum appellare Deum*; vt recentiores perstringeret, qui Spiritum sanctum sceleribus suis ex animo exturbant, licet illum Deum verum appellent? Certè si nunquam licet dicere mendacium, ne eo quidem fine licebit dicere; vt aliorum improbitas perstringatur.

Deinde Erasmus non loquitur de religiosa, vt sic loquar, *abstinẽtia*, qua reueriti, nomen *Dei* Spiritui sancto non tribuerint; sed loquitur de illa, quę inde procedit, quòd quis Spiritum sanctum non credit esse Deum: quæ non est religiosa, sed impia. Quanquam quæ reuerentia vel religio vnquam obstat; quo minus, vt Patrem & Filium, ita & Spiritum sanctum liberè appellemus *Deum*, quandoquidẽ verus est Deus; dummodo id fiat, nihil committendo in illud præceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Itaq; dum Admonitor Erasmum à mendacio liberare properat, mendacio eum innodat. Sic enim ratiocinãtẽ vel potius ψευδαλογοῦντα inducit. *Qui hodie viuunt non tantum liberè nominant Spiritum sanctum Deum verum; sed & eundẽ sceleribus suis ex cordibus exterminant: longè ergo dissident à priscis Christianis*. Probatur consequentia: *Quia prisci ne ausi quidem fuerunt Spiritum sanctum nominare Deum*. At quæ hæc religio? Quæ pietas non audere Spiritui sancto *Dei* appellationem tribuere; præsertim ex incredulitate; quòd eum verum esse Deum sibi non persuadeant?

Ait Admonitor, non fuisse mentem Erasmi, *Spiritum sanctum Deum negare*. Quæ fuerit mens Erasmi, ipse post Deum omnium optimè nouerit. Signa quæ passim edidit, haud bonæ & sanæ mẽtis symbola censeo. Λαξίας fuit Erasmus, & in omnes formas variabilis. Iam supra audisti ex tuo Luthero, quid de huius Vertumni sinuosis voluminibus sentiendum sit.

Ais: Erasmum dicere: *Spiritum sanctum nunquam exertè Deum vocari*. At hoc est exsertũ mendacium, vt patet hic ex Bellarmino, & infrà, vbi de Diuinitate Spiritus sancti disputat. Nec dixit Erasmus, *veteres exsertè non fuisse ausos Spiritum sanctum nominare Deum*; sed absolutè id pronunciauit; sine vocula illa: *Exsertè*. Exsertũ insuper mendacium est, Spiritum sanctum in diuinis literis nunquam *exsertè* dici Deum. Vide Bellarminum infrà ca. 13. & Gregorium de Valentia li. 1. de Trin. c. 24. & 25.

Mentitur Admonitor: *Erasmum, quando dixit, veteres non ausos Spiritum sanctum appellare Deum, non loqui de Nazianzeno, Nysseno, Basilio & aliis, Hilarij vel æqualibus, vel propè æqualibus; sed de illis, qui & Hilarium & synchronos antecesserint*. Mentitur, inquam, quia Erasmus absolutè loquitur de *veteribus*, sine vlla prsus restrictione. Et nihilominus nec Erasmus, nec Admonitor à mendacio immunes euadent; quia non nisi mendaciter & sycophanticè hoc ipsum de Patribus, qui Hilarium & coæuos antegressi sunt, asseritur. Vide Greg. de Valétia lib. cit. c. 25. & 20. Cæteros Erasmicos malè sanos & *Arianizantes* locos silentio transmittit Admonitor; animaduertens, opinor, deteriores esse, quàm vt vllo Apologiæ malagmate persanari queant.

Tertius Arianorũ patronus producitur à Bellarmino Philippus; qui in Locis Communibus anno M. D. XXXIX. editis, *necesse est*, inquit, *in filio aliquid esse diuina natura*. Accurrit suppetiatum Philippo Admonitor, & hoc missile vibrat. *Philippus est Auctor Confessionis Augustanæ, in qua de Trinitatis articulo recta & orthodoxa doctrina continetur; ergo Philippus nõ sanet Arianismum; per consequens, immeritò huius sceleris eum Bellarminus arcessit*.

Dabo ex liberalitate, quod sumit *Calefactor*, rectam doctrinam de Trinitatis mysterio in Con-

feſsione Auguſtana tradi. An Bellarminus Philippo Arianiſmũ ex Confeſsione Auguſtana exprobrat? An ex Confeſsione iſta teſtimonium aſserti ſui deprompſit? An non ex *Locis* fidem ſuo dicto fecit; & quidem ex locorum editione nouem annis poſt Confeſsionem Cæſari traditam, euulgata? An Philippus nouem illis annis mutari non potuit? An non ſemper *Vertumnus* fuit; nunquam ſtabilis, nunquam ſolidus, nunquam immobilis? An non hoc ipſo nouennio ipſam Confeſsionem ſæpius interpolauit? An non Stancarus, quamuis Sectarius, hæc ipſa Philippo ex *Locis immundis*, vt vocat, in os faciemq; ingeſsit, lib. de Mediatore contra Caluinum. Quàm ineptus ergo eſt iſte patronus cum ſic fatuatur: *Philippus in Confeſsione non dedit vllum Arianiſmi indicium; ergo nec alibi: Ergo Bellarminus ei facit iniuriam.*

Sed Admonitor aliam parat propugnationẽ. *Agnoſcit*, inquit, *fallaciam*: Agnoſco tuã ſtultitiam; quam vtinam haberes occluſam. Perge. *Philippus dicit: neceſſe eſt in filio aliquid eſſe diuinæ naturæ. Aut igitur Philippo ſunt plures naturæ diuinæ, aut certè multæ ſunt partes naturæ diuinæ: perinde ac ſi diceret Bellarminus: Filius eſt Deus: ergo plures Dij: Ergo Athanaſius in ſymbolo grauiter blaſphemauit, vbi præter alia, ait: Deus, Pater, Deus, Filius, Deus, Spiritus ſanctus. Sed, ſi rectè hic, vt quidem certè, cùm ſubiicit: ſed tamen, non tres Dij. ſed vnus Deus: non minus rectè Philippus, qui, quam in Patre, quam in Spiritu ſancto, agnoſcit diuinam naturam, eandem Filio tribuit; ſed tamen, non tres naturas, ſed vnam.*

Quis non videt Admonitorem egere aliquot hellebori nigri modiis: cum præ delirio tam diſsimilia vocat ſimilia; adeo vt ne vocabula quidẽ orationis ſuæ, vel Bellarminianæ intelligat. Quis enim niſi toto pectore plumbeus, affirmet eundem eſſe ſenſum huius orationis; *Filius eſt Deus*: & huius: *in Filio eſt aliquid Deitatis ſiue diuinæ naturæ?* nam qui priorem enunciationem profert, totam Filio Deitatem ſiue diuinã naturam tribuit: Qui verò alteram enunciationem vſurpat, is partem duntaxat Deitatis ſeu diuinæ naturę Chriſto largitur: nam aliquid rei non ſignificat totam rem; aliquid domus, aliquid hominis, aliquid equi, aliquid bouis, non ſignificat totam domum, totum hominẽ, totum equum, totum bouem, ſed aliquid ſeu partem ſingulorũ: ergo & in propoſito, qui dicit, *in Filio eſſe aliquid naturæ diuinæ*; hac ipſa locutione indicat, non totam naturã diuinã in filio ineſſe, ſed partẽ duntaxat. Quemadmodũ ſi dicerem; *in Petro aliquid naturæ humanæ ineſſe*; vtiq; non totam, ſed tantum partẽ humanæ naturæ in illo ineſſe declararem. At qui dicit; *Filius eſt Deus; Filius habet naturam diuinam*, is totam & integram Deitatem, naturamq; diuinã Filio tribuit; ſicut Petro totam humanã naturam concedit ille, qui dicit: *Petrus eſt homo: Petrus habet humanam naturam.*

Quocirca ex Philippico paradoxo: *In Filio eſt aliquid diuinæ naturæ: rectè infertur; ergo diuina natura eſt partibilis*: quia *aliquid* diuinæ naturę eſt in Filio; *aliquid* in Patre; *aliquid* in Spiritu ſancto. Ex altero autem Philippi aſſerto; *neceſſe eſt in Chriſto aliquam eſſe diuinam naturam*; non malè concluditur; *ergo ſunt plures numero diſtinctæ naturæ*; & quod hinc ſequitur, *plures Dij*: nam illa locutio; *aliquam diuinam naturam*: indicat naturæ diuinę indiuidualẽ multiplicationem: (Quanquam & prior locutio eandem diuinæ naturæ multiplicationem non obſcurè innuit, ſed concisè:) Sicut cum dico: *Neceſſe eſt Petrum habere aliquam naturam humanam*, ſignifico; Petrum habere naturam humanam indiuidualiter ab aliis diſcriminatam. Imperitiſsimè igitur *commonefactor* iſte, hanc delirationem Philippi; *In Filio eſt aliquid naturæ diuinæ*: æquiualere dicit huic: *Filius eſt Deus*; Potius hæc æquiualeret; *Filius habet aliquam naturam diuinam*: niſi aliud obſtaret; nempe, quod impoſsibile ſit plures eſſe *Deos* numero diſtinctos, vel naturam diuinam indiuidualiter multiplicari: cum autẽ hæc propoſitio: *Filius habet aliquam naturam diuinam*: ſignificet multiplicationem diuinæ naturæ: hæc autem; *Filius eſt Deus*: nullam penitus multiplicationem, ſed eandem prorſus naturam deſignet; quæ tribuitur Patri & Spiritui ſancto in his enunciationibus: *Pater eſt Deus: Spiritus ſanctus eſt Deus*: ideo fieri non poteſt, vt prior illa: *Filius habet aliquam diuinam naturam*; æquipolleat huic: *Filius eſt Deus*; ſeu, *Filius habet diuinam naturam*. Sed non eſt vitio vertendum Calefactori noſtro', ſi hæc à ſenſu remotiora nõ percipiat. Illud nullo modo bonam in partem accipi poteſt, quòd de iis, quæ penitus non intelligit; cum Bellarmino diſceptare ingreditur, cuius nec dignus agaſo eſſet.

Iunius hoc loco tam ſubtilis eſt, vt præ nimio acumine propemodũ deſipiat. Ait: *Iſta vox aliqua; aliquid; aut diſtinguit in Filio, aut in natura diuina: Si in natura diuina (q. tamẽ ſibi Melanchthon noluit) aut multæ naturæ diuinæ, aut multæ partes naturæ diuinæ; aut denig, plures perſonæ (q. Bellarminus diſſimulat) eo denotãtur. Sin autẽ in perſona, quod ſenſit Melanchthon, qui negat, aliquid in Chriſto naturæ diuinæ, aliquid humanæ eſſet.*

Quid nõ tentat improbitas, vt improbitatem defendat, eiusq; turpitudinem, ne palam omnibus appareat nonnihil velet? Nam vocabula *aliquid* & *aliqua*, ad id referri debent ex ſententia Melanchthonis, ad quod à Melanchthone ipſo relata ſunt: nemo enim melius ſciuit mentem *Melanchthonicam*, quàm ipſe Melanchthon; ſed vocabula illa nec ad Filium, nec ad perſonã Filij immediatè relata ſunt, ſed ad naturam diuinam; non enim dixit Philippus: *Neceſſe eſt in Filio aliquid eſſe Filij*; vel, *aliquid eſſe perſonæ*; vel, *neceſſe eſt in Filio eſſe aliquem Filium*; vel, *neceſſe eſt in Filio eſſe aliquam perſonam*; ſed dixit: *Neceſſe eſt in Filio aliquid eſſe diuinæ naturæ; aliquam diuinam naturam*: Ergo Philippus retulit illas voculas immediatè ad naturam; ad Filium autem non aliter, niſi quatenus omne prædicatum integrũ & perfectum referri ſolet ad ſubiectum, de quo prædicatur.

Exemplo res clarior euadet: *Neceſſe eſt in hoc concluſi aliquid eſſe aëris: neceſſe eſt in hoc concluſi aliquam*

quem eſſe aërem; certè dictiones *aliquid & aliquem* afficiunt, &, vt ſic loquar, modificant nomen illud, *aërem*; ſignificant enim non totum aërem eſſe in iſto conclaui, ſed partem eius; vel quoddam eius indiuiduum. Eadem prorſus eſt ratio in præſenti. Et tamen Caluinianus iſte tam duri eſt oris, vt dicere haud vereatur, Philippum voculas, *aliquid & aliqua*, non retuliſſe ad naturã, vel, vt ipſe loquitur, *non diſ. ingere in natura diuina*; cum ſolis luce dilucidius ſit, illas pertinere ad naturã diuinam, non ad perſonam, vt ſtulteſcit Iunius.

Nec mirum videri debet, Bellarminum in locutionibus illis Philippicis, non feciſſe mentionem relationis vocularũ *aliquid & aliquæ*, ad perſonam; quia credidit nullum fore tam hebetem, qui tam dilucida verba contra mentem Philippi, & ipſius orationis naturam & indolem, referret ad perſonam; diceretque: *Neceſſe eſt in Filio aliquid eſſe natura diuina*, hoc eſt, *perſona diuina*. Quanquã & in hoc ſenſu propoſitio impia foret; quia non aliquid perſonæ, ſed tota perſona eſt in Filio; vel potius per totam perſonam, non per aliquid perſonæ, conſtituitur Filius.

Igitur mendacium Iunianum eſt; Philippum illa, *aliquid & aliqua*; retuliſſe immediatè ad perſonam: Inſcitia autem & ſtupor pluſquàm *onicus* eſt; quod ſubiũgitur: *quis neget aliquid in Chriſto naturæ diuinæ, aliquid humanæ eſſe.* Primò, quid hîc ad rem humana Chriſti natura? Num de ea Bellarminus Philippo diem dixit? Num litem intẽdit? Num ipſe Philippus in impiis illis ſuis locutionibus naturæ humanę meminit? Nimirum ingerenda fuit hoc loco mẽtio naturæ humanę Chriſti, vt lectoris mens à natura diuina, quam Philippus vel in partes vel in indiuidua lacerare tentat, aliò auocaretur: & de vnione duarum in Chriſto naturarum cogitaret.

Deinde omnis ille, qui fungus non eſt, negabit, *aliquid naturæ diuinæ*; &, *aliquid naturæ humanæ*; eſſe in Chriſto; quia vtriuſq; non aliquid ſed totum eſt in Chriſto; nam tota natura diuina eſt in Chriſto; ſimiliter & tota natura humana.

Subdit Iunius: *Chriſtus conſtat ex vtraque natura; & ſicut anima rationalis*, ait Athanaſius, *& caro vnus eſt homo, ita Deus & homo, vnus eſt Chriſtus: aliquid eius, Deus, ſiue natura diuina; &, aliquid eius caro, vtrumque in Chriſto, in Filio Dei.*

Obſerua & deteſtare hic Caluinianũ, hoc eſt, Diabolicũ, Iunij artificium: qui ſumma improbitate & nequitia & phraſin & mentem aliò deflectit: quã ita proponit; quaſi Philippus dixerit; *aliquid eſt in Chriſto natura diuina; aliquid eſt in Chriſto natura humana*; quod cum verum ſit, non videtur Philippus meritò à Bellarmino cẽſus & notatus. Sed qua ratione, quęſo, euincet Iunius hanc propoſitionem Philippi: *Neceſſe eſt in Filio aliquid eſſe diuina natura*: eandem ſignificationẽ habere cum iſta: *Aliquid in Chriſto eſt diuina natura*: prior loco, quem Bellarminus adducit, aſſeritur à Melanchthone; non hæc poſterior; cui, qui priorem æquipollere dicit, hic cicuta eget, vt cerebrum purget. Nam Chriſtus ſignificat compoſitum ſeu conſtitutum quoddã ex duabus naturis, diuinâ & humanâ, in eadem hypoſtaſi. Quapropter rectè aſſeueratur: Aliquid in Chriſto eſſe diuinam naturam; aliquid, humanam naturam. At Philippus non ſic locutus eſt; ſed, *aliquid eſſentiæ diuinæ eſt in Filio. Aliqua eſſentia diuina eſt in Chriſto*; quo pacto, quiſquis loquitur, ille aut diuiſibilem in partes facit indiuiſibilem Dei naturam; aut eam in plura indiuidua ſecat: quia voculæ *aliquid & aliquæ* in Philippicis locutionibus afficiunt naturam diuinam; quæ & in partes & in atoma ſeu indiuidua, ſimpliciter eſt indiuiſibilis; at in illis enunciationibus, quas Iunius fraudulenter ſubſtituit, & Philippicis ſenſu æquiualere mentitur; dictiones, *aliquid & aliqua*, afficiunt Chriſtum: dicitur enim, aliquid Chriſti, hoc eſt, in Chriſto, eſt natura diuina: aliquid Chriſti eſt natura humana: cum autem Chriſtus non ſit ſimplex; ſed quiddam ex duabus naturis conſtitutum; veræ ſunt duæ iſtæ propoſitiones: At non ita locutus eſt Philippus: Sed, *neceſſe eſt in Filio aliquid naturæ diuinæ eſſe*. Quæ aſſertio vel cũ Tritheitis, vel cum aliis, his nihilo ſanioribus hæreticis, concinit; de quibus ex S. Auguſtino hîc Bellarminus. Si Philippus dixiſſet: *Neceſſe eſt in Filio eſſe naturam diuinam; neceſſe eſt in Chriſto eſſe naturam diuinam*: nulla reprehenſione dignum ſe reddidiſſet; ſed longè aliter olent illa, quæ ipſe peperit themata.

Hac tam præclara Melanchthonis defenſione à Iunio pręmiſſa & peracta ſtrenuè mentiri & calumniari ingreditur. I. Mendacium, Bellarminum peccare, *quòd vocem diſtinguentem in perſona Filij rapit ad naturam.* Non rapit, ſed relatam à Philippo immediatè ad naturam, ipſe itidem ad naturam refert: Quia Philippus non dixit, *aliquid perſonæ*: ſed, *aliquid naturæ diuinæ*. Nec; *aliquam perſonam*: ſed, *aliquam naturam diuinam.*

II. Mend. *Hoc, quod Bellarminus dicit; Philippo nunquam veniſſe in mentem.* Amens ergo propoſitiones illas effudit, quia ſi mentem habuiſſet, neceſſariò ei id, quod Bellarminus dicit, in mentem veniſſet, quia hoc quod Bellarminus dicit, & nihil aliud propoſitiones iſtæ ſignificant. Quantò verius ſcripſiſſet Iunius, hanc tam fatuam defenſionem & excuſationem Philippo nunquam veniſſe in mentem.

III. Mend. Bellarminum *in ratione naturæ diſtinguendæ inſufficientem enumerationem inferre, cum dicit; ex Philippi propoſitionibus ſequi; diuinam naturam eſſe vel in partes diuiſibilem; vel in multas naturas, indiuiduales ſcilicet, tanquam ſpecies quædam, in ſua atoma.* Et mox vt Philoſophicæ ſuæ peritiæ Caluiniſta nobis aliquem guſtum præbeat; docet nos, quomodo natura diſtingui debeat: *Diſtinguitur enim aut in multas naturas, aut in partes multas; aut in indidua multa; aut in perſonas multas ὑποφυὲς καὶ ὑποκείμ.* Non vocabo ad examẽ hanc diuiſionem; quamuis poſſem. Id quod inſtat agam.

Dico igitur, Bellarmino non fuisse propositum diuidere naturam, vel in suas partes componentes, vel in partes subiectas: sed hoc luculenter ostendere, quæ absurditas, vel potius impietas, ex assertionibus Philippi nascatur; quando dicit: *aliquid naturæ diuinæ esse in Filio.* Et, *aliquam naturam diuinã esse in Christo.* Nam ex prima sequitur, naturam diuinam esse diuisibilem in partes componentes, ad eum ferè modum, quo *totum quantum*; vel, *totum in intensione* est diuisibile in partes, ex quibus constat. Ex secunda sequitur, naturam diuinam esse diuisibilem in partes subiectas vel indiuiduales; vel si hæc absurditas non videtur Iunio satis enormis, etiam in *partes specificas* seu *species*; ita vt non tantum habeamus tres numeto; sed & specie diuersos Deos. Si Iunius mauult, vt Bellarminus in hunc sensum Philippi propositionem accipiat, nihil aliud efficiet, quàm quòd Philippi insciti am & blasphemiam haud paruo incremento adaugebit. De diuisione naturæ in personas, nihil dixit Bellarminus: quia nihil est ad rem: cum Philippus non de personis, sed de natura diuina blasphemias iam sæpe nominatas effutiuerit.

Obiicit Bellarminus Philippo, quòd Spiritum sanctum *aliquid Dei*; vel, *aliquid essentiæ Dei* appellarit. Desiderat Iunius in Bellarmino *simplicitatem*: Illam, opinor, quæ omnia hæreticorum placita & effata, quantumuis absona & impia, suspiciat & adoret, vel saltem, etiam aduersante & obluctante conscientia, tueri studeat. Qua simplicitate inductus Iunius, prædictum Philippi sacrilegum paradoxum excusare incipit: Videlicet, Melanchthonem vocem *Dei* vsurpare essentialiter, non *σχέσει*, siue *relatè*. Respõdeo, quomodocunq; Philippus vocem *Dei* accipiat; blasphemum est, quod affirmat: nam qui Spiritum sanctum nominat *aliquid essentiæ Dei*; vel, *aliquid Dei*; siue *aliquid naturæ diuinæ* (hoc enim significatu sumitur vox *Dei* à Philippo, si essentialiter sumitur, vt ait Iunius, & res ipsa loquitur) is essentiam diuinam, siue Deum essentialiter sumptum, siue naturam diuinam in partes vel componentes vel subiectas, diuisibilem constituit; non sine summa impietate & absurditate, vt antea satis superq́ue ostensum est.

Ait Iunius: *Persona in Deitate consideratur dupliciter: absolutè, qua subsistit, & est Deus: vel relatè, σχέσει, qua persona vna respicit ad alteram, & est aliquid Dei, vel essentiæ Dei, vt cum Philippo dicam.* Vt maxime verum sit personam spectari posse, vt habet ordinem & habitudinem quandam ad Deum essentialiter sumptum; siue ad essentiam seu naturam diuinam; nullo tamen modo Philippi locutio potest, aut debet tolerari; sed tanquam profana manibus pedibusq́ue explodi, quia, vt supra ex ipso Luthero audiuimus, huiusmodi insidiosæ nouæ & suspectæ locutiones, sub quibus mortiferum virus delitescere potest; contra Auctores suos explicandæ & interpretandæ sunt. Quod dũ Bellarminus fecit; id fecit, quod Lutherus voluit, & faciendum præscripsit. Deinde, qui *aliquid essentiæ diuinæ*; vel, *aliquid Dei* essentialiter sumpti nominat; is indicat hoc *aliquid* esse quasi *partem componentem* vel *subiectam* ad instar indiuidui; vt ex communi loquendi consuetudine patet. Quocirca quisquis ita loquitur, is absq; vlla circuitione & dilatione redargui debet. *Natura dicitur*, inquit Lutherus in Iudicio de Erasmo, *vt vnaquæq; professio tum sacra, tum profana suis certis verbis vtatur, & ambigua vitet. Nam & sordida officia aut arguunt, aut damnant, aut vident, vt iocũ, si alienis terminis (vt vocant) de rebus ipsorũ quispiam loquatur. Quanto magis in rebus sacris, vbi certa salus, aut perditio æterna sequitur, certis, & propriis verbis docendũ est. Ludamus amphibologiis, in rebus aliis leuibus, vt sunt nuces, poma, denarij, & similes puerorum, & stultorum delicia. In religione, & causis grauibus politicis, amphibolon, ceu diabolum, & mortem fugiamus, quantum fieri potest.*

Hæc Lutherus contra se, suum Philippũ, & Caluinianum Iunianum. Et quis est, qui auditâ hac locutione: *Spiritus sanctus est aliquid essentiæ diuinæ*: vel, *aliquid Dei essentialiter sumpti*; hanc notionẽ animo efformet: *Spiritus sanct' est persona seu hypostasis in essentia seu natura diuina subsistens*; seu, *hypostasis, in qua natura seu essentia diuina subsistit.* Quod si ita grauissimis in rebus ludere liceret, promptum esset dicere, etiam primam illam Philippi propositionẽ: *Necesse est in Filio aliquid esse diuinæ naturæ*: Defendi hunc in modum posse: *Necesse est in Filio aliquid esse naturæ diuinæ*; hoc est, *personam* seu *hypostasin*; quę est aliquid naturę, quatenus naturam diuinam supponitat: At quis talem blateronem ferret? Quis impietatis non arcesseret? Quis non æstimaret dignum, cui os probè contunderetur tam verbis, quàm verberibus?

Accedit demum, quod Iunij figmentum, quo à Melanchthone *Tritheismi* & alterius sectæ, hac non melioris, notam amoliri gestit, Melãchthoni nil penitus opis adfert: Nam quando Spiritus sanctus mittitur, non aliquid Dei, etiam Iuniano sensu acceptum, mittitur; sed totus Deus mittitur; hoc est, totus Spiritus sanctus, vt est, nostro cogitandi modo constitutum quoddam ex personalitate seu hypostasi & ex essentia diuina: nam Christus paracletum se missurũ promisit. At hic paracletus non est *aliquid Dei*, seu *essentiæ diuinæ*; sed ipsa essentia diuina & hypostasis, ex hac enim & illa cõstituitur: impiè ergo scripsit Philippus: *Deum testari per loẽlem, non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiæ Dei; & personam, quæ sit aliquid Dei.*

Quid, quod ne Iunius quidem post tot, quas excogitarat, nugas, Philippi pronunciata absolutè probat. Quamobrem in fine addit: *Receptum in Ecclesia loquendi modum, & communem præsim obseruari probo.* Cur ergo contra receptum in Ecclesia modũ blasphemã Philippi insciti am defendere niteris? Cur mox addis? *Sed illud non damno tamen*: hoc est, nõ damno effata *Melanchthonica*. Damnares nisi eodem, quo Philippus, morbo laborares.

Conce-

Concedit Iunius, esse locutionem aliquatenus *impropriam*. Rectè sentiret; si non *aliquatenus*, sed prorsus impiam assereret: Qui mox acutè nobis demonstrat, quæ hactenus nemo scilicet mortalium norat: *Vt species*, inquit, *in suis individuis subsistit, sic essentia in suis ἐνυπόστοις personis, individuis, vtcunq; placebit appellare. Nec individuum est species, nec persona, essentia; sed speciei illud; hæc essentiæ est.* At diuersa ratione; quia individuum est speciei vt pars subiecta, de quo species prædicatur essentialiter: at persona seu hypostasis in abstracto seu formaliter sumpta, est essentiæ, vt vltimum eius substantiale complementum.

Perge. *Quod si non species, non essentia est, ergo aliquid speciei & essentiæ est: quoties individuum cum specie, personáque cum essentia comparatur.* Cum speciem & individuum nominamus, totum vniuersale, & partem subiectam nominamus: vnde qui dicit: *Individuum esse aliquid speciei*, is hac ipsa loquendi formula indicat, qua ratione id intelligat, nimirum esse aliquid speciei tanquam partem subiectam, non essentialem. At qui dicit; *persona seu hypostasis* abstractè & formaliter accepta, *est aliquid essentiæ*; necessariò addere debet explicationẽ, quomodo sit aliquid essentiæ; nimirum instar termini & complementi vltimi substantialis, ne quis in errorẽ inducatur, & existimet; hypostasin esse partem essentialiter componentem essentiç; vel partem subiectam, vt toti vniuersali, quorum neutrum verum est.

Et vt hæc loquendi ratio tolerari queat in disputatione & tractatione rerũ naturalium; nullo tamen modo ferri debet, cum de mysterio sacrosanctæ Trinitatis disseritur; ob causſas antea dictas: Quis enim & sibilis & sannis non explodere-tur cum, qui die Pentecostes ex suggestu ad populum circũfusum sic concionari ingrederetur: *Hodie aliquid Dei, seu diuinæ essentiæ ad nos cœlitus venit*, hoc est, Spiritus sancti hypostasis, quæ est *aliquid essentiæ diuinæ*; quatenus in ea subsistit, & supponitur. Quis huic sacrilegæ impietati non è vestigio dicam scriberet, & damnationis notã inureret?

Reprehendit Bellarminus etiam hoc Philippi monstrum. *Non est quidem lacerata, aut mortua diuina natura, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit iræ æterni Patris.* Ait Bellarminus; nihil clarius pro Arianis dici potuisse, & nihil iucundius nouis Arianis accidisse, cum hinc perspicuè deducatur, Filium non esse Deum æqualem Deo Patri. Hic cum Iunius vel silere, vel solidam pro Philippo defensionem instituere deberet, contrarium prorsus facit; & Arianismum validius adhuc, quàm ipse Philippus, impiè simul insipienterque munit ac firmat. Ait enim: *Philippum, cum diuinam naturam dicit, dicere, etiam de persona secundum naturam diuinã.* Quid ais acutissime Apologeta? An vis, Philippum dicere, Christum nõ tantùm secundum naturam diuinam suo Patri obediuisse, sed & secũdum suam diuinam hypostasin? At hoc non est Philippum ex Arianismi cœno liberare; sed eundem in eandem cloacam vsq; ad ambas auriculas intrudere, quia, si te audimus, Philippus, nomine diuinę naturę inclusit etiam hypostasin; ita vt Christus nõ modo secundum diuinam naturam, sed & secundum hypostasin cœlesti Patri obedientiam præstiterit. Estne hoc Philippum ab Arianismo vindicare? Queso te, quis magis Arianizat: Illéne, qui præcisè dicit, Christum secundum naturam diuinam fuisse Patri obedientem; an ille, qui explicitè & formaliter tradit Christum, etiam secundum diuinam hypostasin fuisse Patri obedientem?

Ait Iunius: *Obedientia non est actus naturalis naturæ; sed voluntarius personæ secundum vtramq; naturam ex œconomia seu dispensatione diuina.* Num dixit Bellarminus; *obedientiam esse actum naturalẽ naturæ?* Num hoc ex dictis Bellarmini consequitur? Deinde rursus in Arianismum impingis. Quoties enim dicis, Christum Patri suo fuisse obedientem secundum naturam diuinam, toties *Arianizas*, & Christum secundum diuinã naturam minorem Patre facis: licet naturam quoq; humanam cum diuina iunctam nomines; quia hæc humanæ naturæ cum diuina vnio & coniunctio non tollit æqualitatem Christi secundum naturã diuinam cum suo Patre: quæ profectò æqualitas subsistere nequit, si Christus secundum diuinam naturam Patri obediens fuit: neq; ex œconomia seu dispẽsatione fieri potuit; vt Christus secundum diuinã naturam Patri obediens esset; quia per nullam dispensationẽ fieri potest, vt Christus secundum diuinam naturam non sit æqualis suo Patri.

Quod Iunius subdit; *non valere consecutionem ab vna specie ad alteram; ab actu naturæ ad actum voluntatis*; anili deliramento annumeres licet. Nam Bellarminus nec ab vna specie ad alterã; nec ab actu naturæ ad actum voluntatis, argumentatus est; sed Philippi Arianismum abs q; vlla argumentationis forma notauit, & lectorum oculis proposuit; quem tantùm abest, vt à Philippo Iunius amolitus fuerit; vt eundem noua impietatis accessione locupletarit, seq; Philippo in hoc sacrilego crimine comitem adiunxerit.

Quæ de Filio Regis cum Patre regnante attexit, friuola sunt; quia in humanis Pater, qua talis, semper maior est Filio: sunt enim relatiua *disquiparantia*, vt logici appellant.

Exprobrat Bellarminus Caluino, quòd non veretur Valentino Gentili concedere, nomẽ Dei κατ' ἐνοχὴν, id est, *per excellentiam quandam*, soli Patri tribui: nam si Pater est per excellentiam Deus, quomodo non est maior Filio? *Antecedens falsum*, clamat Iunius. Quare falsum? *Quia Caluinus sic ad verbum; ingenuè tradimus κατ' ἐνοχὴν Dei nomen Patri proprie ad scribi. Dicit Patri, non soli: dicit ad scribi, non, esse per excellentiam Deum. Aliud est, dici: aliud esse. Esse autem, est simplex: dici, vel adscribi, vel attribui, quàm est multiplex? Quid autem Bellarminus? argumentatur à dici, ad esse, vt ita loquamur, dicens: si Pater est per excellentiam Deus, &c.*

Qualis Iunius cauillator; cuius cauillum hoc argumento infringes. Aut verè tribuitur nomen Patris Deo Patri per excellentiã; aut falsò. Si verè; sequitur ergo, quod Bellarminus Caluino obiicit; *Patrem esse maiorem Filio.* Si falsò; mentitur ergo Caluinus, cum dicit; κατ' ὑπεροχὴν *Deo nomen propriè Patri adscribi.* Si falsò adscribitur, quomodo propriè adscribitur? Qualia verò illa Iunij effugia? *Dicit* Caluinus *Patri; non soli.* An qui alicui nomen κατ' ὑπεροχὴν conuenire affirmat, non soli conuenire affirmat? Si nomen Poëtæ & nomen Philosophi κατ' ἐξοχὴν competit; illud Homero; hoc Aristoteli, an non solis hac ratione competit? An non appellatio per ἐξοχὴν hoc includit, vt soli competat; nam si pluribus conueniat, iam nõ est κατ' ἐξοχὴν? Deinde omnes syllabæ clamant, Caluinum κατ' ὑπεροχὴν *soli Patri* nomen Dei tribuisse: excluso Filio & Spiritu sancto: si enim hos includebat, quid opus erat illa præmunitione? *Ingenuè fatemur, &c.* An non omnes Christiani fatentur, nomen Dei per excellentiam conuenire vero Deo, vni in essentia; trino in personis, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus? Cur *solum Patrem* nominat Caluinus? Nam quod dicit: *adscribi, non esse, per excellentiam*; quid refert? Nam si adscribitur, verè vtique adscribitur. Si verè adscribitur; est ergo Pater Deus per excellentiam; quemadmodũ si Homero verè adscribitur per excellentiam nomen Poëtæ; sequitur eum per excellentiam esse poëtam. Nec malum est argumentum *à dici ad esse*; quando res verè talis dicitur. Hinc si Homerus verè nominatur Poëta, rectè concluditur: ergo verè est Poëta. Et si verè per excellentiam nominatur Poëta: rectè inferes; ergo per excellentiam est Poëta.

Nunc explanare occipit Iunius, *quomodo Pater dicatur per excellentiam Deus instituta cum Filio comparatione.* Quam disputationem miror à Iunio suscipi, cum paulò antè dixerit, Caluinum non dixisse *soli Patri* per excellentiam nomẽ *Dei* competere; & tamen iam concedit soli Patri respectu Filij (& eadem est ratio Spiritus sancti) nomen Dei conuenire; & huius suæ cõcessionis nobis rationes reddere tentat. *Duobus modis*, inquit, *dicitur Pater quodãmodo per excellentiam Deus, comparatione cum Filio instituta; respectu personæ, aut officij volũtatis.* (Antequam vlterius progredimur, quæro, quid hic faciat vocabulum *quodammodo*, quod Iunius infercit, cum Caluinus non dicat nomẽ *Dei* per excellentiam *quodãmodo* Patri adscribi, sed propriè. Apage igitur Iuni, cum tuo *quodammodo* dici seu adscribi, nam ꝙ propriè tale dicitur; nõ *quodammodo* tale dicitur. Iam pertexe telã, q̃ exorsus es.)

Personæ autem, secundum naturam hanc aut illam, aut vtramq; simul. Si ad naturam diuinam Filij respexerit, ea, aut secundum se contemplanda est; aut, secundum originẽ, principiumq; ipsius. Priore modo Pater Deus dici per excellentiam non potest; at posteriore potest non incõmodè. quia est Pater, fons, & principiũ Filij. vt Patres vẽs ex Scriptura loquuti sunt. quemadmodum è diuerso Filius, Deus de Deo, lumẽ de lumine appellatur. Atq; illud est, quò respexit Cal.

Post tot igitur tenebricosos anfract⁹, & distinctiones minimè necessarias, hoc sentis; Patrẽ per excellentiam dici Deum, quatenus est primum principium Filij, & hoc Caluinũ voluisse. Si hæc Caluini & tua mẽs est; verè igitur ex vestra mente colligitur, non modò solum Patrem, Deum per excellentiam dici; sed & eundẽ solum, Deum per excellentiam esse; quia ipse solus est principium, fons & origo Filij; quod an non Arianismum oleat, alij naso, quàm Caluiniano committo; quia laborat pituita; & quãuis interdum simile quid videatur à sanctis Patribus dictum; nominatim à D. Hilario li. 9. de Trin. cum dicit: *Licet Pater maior est donantis auctoritate: tamen Filius minor non est, cui rnum cum Patre esse donatur*: tamen hoc simile valdè est dissimile eius, quod Caluinus asserit; nam tales Patrum locutiones, si quę occurrunt, intelligi debent non de *maioritate*, quę sit à parte rei, sed de illa, quæ est secundum quandam nostram cogitandi consuetudinẽ; vt rectè explicat Gregorius de Valentia Tom. 1. Comment. Theologicorum disp. 2. q. 7. p. 1. At Caluinus à parte rei *maioritatem* Patris supra Filium constituit; quandoquidem dicit; Nomen Dei tribui Patri per excellentiam, & quidem propriè; ergo à parte rei; non tantùm secundum cogitationis nostrę imperfectionem.

Nec diffitetur hoc Iunius cum diserte scribat: *Respectiuè Deo Patri nomen Dei κατ' ὑπεροχὴν tribui; non qua Deus absolutè; sed qua Pater fons & principium Filij.* Et sine dubio cum Caluino suo vult; Dei nomen Patri hoc modo propriè per excellẽtiam tribui, atq; adeo in Deo Patre secundũ rem prę eminentiam respectu Filij inueniri: Quod cum Arianis placitis egregiè concinit; non autem cum illo ab omnibus Catholicis recepto: *Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius; nihil maius aut min⁹.* Taceo, Caluinũ quando dubiè, obscurè, lubricè, periculosè & insidiosè de mysteriis Christianę religionis loquitur, non mereri illam ęquitatem, quã merentur sancti Patres; quia horũ sinceritas & integritas in vulgus nota est. At quis nescit, Caluinũ esse vulpem, Dominicę vineæ deuastandæ à Diabolo missam. Vnde cum ipso agere oportet ex norma Lutheri, q̃ nobis in Iudicio de Erasmo p̃scripsit.

Reprehendit Bellarminus Caluinum, quòd dixerit: *Non esse veritati contrariam sentẽtiam illã Gentilis; Deum habuisse vim generandi Filium ac propagandi Spiritum sanctum, quia voluit.* Ostendit Bellarminus multa absurda, quę hinc nascuntur. Quæ hinc sequi, non abnuit Iunius: sed negat, *Caluinum affirmasse hanc sentẽtiam nõ esse veritati contrariam.* ridetq; Bellarminum, quasi ita argumentetur. *Caluinus non refutauit assertionem illam Gentilis; ergo affirmauit non repugnare veritati; ergo probauit.*

Addit: *Longè aliud esse probare, aliud nõ refutare, nec Caluinum singularem singulorũ Valentini Gentilis errorũ confutationem instituisse.* At si quis Caluinum ipsum legat; manifestè intelliget, eũ probasse impium hoc Gentilis de quo loquimur, dogma: palamq; affirmasse, *illud veritati nõ repugnare.* Ista sunt enim

Caluini

Caluini verba: *Hac sententia, minimè labefactatur nostra fides.* Qua sententia nõ labefactatur Caluiniana fides? Hac nimirum Gentilis: *Deus habuit vim generandi & propagandi, quia voluit.* Libenter autem assentior Iunio, *Caluinum non instituisse accuratam errorum Gentilũ confutationem*; quia si instituisset, hoc paradoxũ nunquam probasset. Sed noluit nimirum vir pacis studiosus Caluinus, Valentini discipulos nimium offendere, ne ex eorũ gratia & beneuolentia penitus excideret. Et huc tendit Iunius, quando dicit, *Caluinum protheses Valentini tantummodo destrinxisse, qua ad summũ illud Quæstionis caput de vno essentiali Deo patre videbatur pertinere; cætera missa fecisse, quòd dissimulari mala quædam per illud compus mallet, quàm multas quæstiones amplius excitari; qua res ipsi inuidiosa, iudicibus onerosa, populo periculosa futura fuisset.* Si sincerè loqui & agere voluisset Iunius, paucioribus se expedire potuisset; ingenuè fatendo, Caluinum pleraq; non attigisse, quòd ea vel expresse probaret; vel non valde & validè animo repudiaret.

In eodem libro contra Gentilem hoc etiam portentum peperit Caluinus: *Filium respectu personæ non nisi impropriè creatorem cæli & terræ nominari, patrem autem propriè*; quod sanè nil aliud est, quàm filium in ordinem creaturarum redigere. Accurrit subsidio Iunius. *& ego quidem*, inquit, *à Caluino euidentius dictum velim, ab hoc verò disputatore acceptum æquius oportuit.* Quid euidẽtius à Caluino dictum volebas? An filium respectu personæ nõ esse propriè creatorem cæli & terræ? An nõ sat euidenter hanc suam impietatem protulit Caluinus? Non intelligo, cur plus euidentiæ Iunius flagitet. Nec video, cur hoc blasphemum dictũ æquo animo à Bellarmino accipi debuerit. Quis blasphemiam, nisi blasphemus, æquo animo accipiat?

Conatur Iunius Caluino subuenire triplici personæ considerandæ ratione. *Vnam ait esse communem in essentia, qua Deus est; alteram, singularem absolutam in persona, qua subsistit in vnitate essentiæ; Tertiam, relatiuam in distinctione & ordine personæ vnius ad alteram.* Hanc distinctionẽ proculdubio Iunius noctu inuenit, & noctu in chartam retulit; adeo tenebris inuoluta & vndequaque obsita est. Ego vtex huius insciticæ caligine paucis me extricem; dico, impiam & Arianam esse hanc propositionem: *Filius respectu personæ suæ non est propriè creator*; siue enim consideres personam filij formaliter, vt distinctam realiter à persona Patris & Spiritus sancti; verissimum est dicere; filius respectu personæ sic consideratæ est propriè cæli & terræ creator; siue consideres personam illam cum habitudine ad suam originem, seu principium suum ex quo procedit; rursus eadem affirmatio verissima erit; quia sub quacunque harum considerationum, persona illa Deus est, & omnipotens; siue consideres personam filij, vt identificatur cum essentia diuina; atque adeo etiam, vt identificatur in eadem essentia cum persona Patris, & cum persona filij, verum est dicere; persona filij

A sic identificata essentiæ & in essentia cum persona Patris & Spiritus sancti, est propriè creator cæli & terræ; quia essentiæ illi identificanti sibi tria illa supposita propriè etiam tribuitur creatio cæli & terræ; siue consideres personam filij, secundum absolutam essentiæ rationem; quam æquè habet ac Pater & Spiritus sanctus; idem prorsus conficitur; quia, vt antea dicebam, quocumque ex supradictis modo persona filij consideretur, vere Deus est & omnipotens; & quod hinc confit, propriè creatoris maiestatem & nomen sibi vendicat.

Quid Iunius? *Creatoris nomen est proprium essentiæ.* Falsum, nam & singulis personis competit: & de singulis propriè dicitur: vt propriè creator Pater,
B ita propriè creator filius, propriè creator Spiritus sanctus. Et quicunq; hoc negat, is *arianizat.*

Ait: *Esse creatorem, esse singulare vniuscuiusq; personæ in essentia:* Quomodo singulare; si cum qualibet persona, & cum ipsa etiam essentia identificante sibi tres personas, quælibet persona hoc commune habet? Quamquam hic non quæritur, per quid *creare & creatoris* nomen personæ cõpetat; & num vt proprium & singulare, an vt commune competat; sed de hoc disceptatur, vtrum filius respectu personæ nominetur impropriè creator cæli & terræ? Cur ad alia diuertit Iunius, & extra oleas saltitat? Aliud est aliquid alicui esse propriũ; aliud propriè de illo dici. Sensitiuum, animatum, & similia propriè de homine dicun-
C tur; & tamen non sunt hominis propria. *Nec sequitur, non est eius proprium; ergo non dicitur de illo propriè.* Idem in nostro proposito dixerim. Licet creare proprium esset essentiæ, vt nugatur Iunius; attamen nõ sequeretur; filium respectu personæ non nisi impropriè creatorem nominari; nam vt in eodem exemplo persistam, proprium est animalis esse sensitiuum; & tamen propriè dicitur de homine, non impropriè.

Post tot ambages, effundit tandem Iunius ex stomacho suo hoc pestiferum virus. *Si relatè personam respexeris secundum distinctionem & ordinem personæ vnius ad alteram, nomen creatoris ratione ordinis est proprium Patris, non filij.* Iterum dico, Iunium nihil
D ad propositum dicere: non enim est quæstio, vtrum sit proprium creare Patri; sed vtrum Pater propriè nominetur creator cæli & terræ; filius non nisi impropriè; nam licet filio non esset proprium creare; non tamen simpliciter sequeretur, creatorem impropriè de persona filij dici; nam & corporeum & quantum esse, non est proprium hominis, & tamen non dicitur de homine impropriè. Deinde, si creare proprium est Patri, conuenire filio nequit, nisi impropriè. *Sensitiuum* propriè prædicatur de homine, quia homo est animal, cui proprium est sentire. At Pater nõ prædicatur de filio. Si ergo Patri proprium est creare, propriè non conuenit filio, sicut nec sensitiuum propriè dicitur de vllo, quod sub sensitiuo non continetur.

Qualis Iunius cauillator, cuius cauillum hoc argumento infringes. Aut verè tribuitur nomen Patris Deo Patri per excellentiã; aut falsò. Si verè; sequitur ergo, quod Bellarminus Caluino obiicit; *Patrem esse maiorem Filio.* Si falsò; mentitur ergo Caluinus, cum dicit; κατ' ὑπεροχὴν *Deo nomen propriè Patri adscribi.* Si falsò adscribitur, quomodo *propriè* adscribitur? Qualia verò illa Iunij effugia? *Dicat* Caluinus *Patri, non soli.* An qui alicui nomen κατ' ὑπεροχὴν conuenire affirmat, non soli conuenire affirmat? Si nomen Poëtæ & nomen Philosophi κατ' ἐξοχὴν competit; illud Homero; hoc Aristoteli, an non solis hac ratione competit? An non appellatio per ἐξοχὴν hoc includit, vt soli competat; nam si pluribus conueniat, iam nõ est κατ' ἐξοχὴν? Deinde omnes syllabæ clamant, Caluinum κατ' ὑπεροχὴν *soli Patri* nomen Dei tribuisse: excluso Filio & Spiritu sancto: si enim hos includebat, quid opus erat illa præmunitione? *Ingenuè fatemur, &c.* An non omnes Christiani fatentur, nomen Dei per excellentiam conuenire vero Deo, vni in essentia; trino in personis, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus? Cur *solum Patrem* nominat Caluinus? Nam quod dicit: *adscribi, non esse, per excellentiam*; quid refert? Nam si adscribitur, verè vtique adscribitur. Si verè adscribitur; est ergo Pater Deus per excellentiam; quemadmodũ si Homero verè adscribitur per excellentiam nomen Poëtæ; sequitur eum per excellentiam esse poëtam. Nec malum est argumentum *à dici ad esse*; quando res verè talis dicitur. Hinc si Homerus verè nominatur Poëta, rectè concluditur: ergo verè est Poëta. Et si verè per excellentiam nominatur Poëta: rectè inferes; ergo per excellentiam est Poëta.

Nunc explanare occipit Iunius, *quomodo Pater dicatur per excellentiam Deus, instituta cum Filio comparatione.* Quam disputationem miror à Iunio suscipi, cum paulò antè dixerit, Caluinum non dixisse *soli Patri* per excellentiam nomẽ *Dei* competere; & tamen iam concedit soli Patri respectu Filij (& eadem est ratio Spiritus sancti) nomen Dei conuenire; & huius suæ cõcessionis nobis rationes reddere tentat. *Duobus modis*, inquit, *dicitur Pater quodãmodo per excellentiam Deus, comparatione cum Filio instituta; respectu personæ, aut officij voluntarij.* (Antequam vlterius progredimur, quæro, quid hic faciat vocabulum *quodammodo*, quod Iunius infercit, cum Caluinus non dicat nomẽ *Dei* per excellentiam *quodãmodo* Patri adscribi, sed propriè. Apage igitur Iuni, cum tuo *quodammodo* dici seu adscribi, nam ψ propriè tale dicitur; nõ *quodammodo* tale dicitur. Iam pertexe telã, q̃ exorsus es.)

Personæ autem, secundum naturam hanc aut illam, aut vtramq; simul. Si ad naturam diuinam Filij respexerit, ea, aut secundum se contemplanda est: aut, secundum originẽ, principiumq; ipsius. Priore modo Pater Deus dici per excellentiam non potest; at posteriore potest non incõmodè. quia est Pater, fons, & principiũ Filij. vt Patres vẽs ex Scriptura loquuti sunt: quemadmodum è diuerso Filius, Deus de Deo, lumẽ de lumine appellatur. Atq; illud est, quò respexit Cal.

Post tot igitur tenebricosos anfract⁹, & distinctiones minimè necessarias, hoc sentis; Patrẽ per excellentiam dici Deum, quatenus est primum principium Filij, & hoc Caluinũ voluisse. Si hæc Caluini & tua mẽs est; verè igitur ex vestra mente colligitur, non modò solum Patrem, Deum per excellentiam dici; sed & eundẽ solum, Deum per excellentiam esse; quia ipse solus est principium, fons & origo Filij; quod an non Arianismum oleat, alij naso, quàm Caluiniano committo; quia laborat pituita; & quãuis interdum simile quid videatur à sanctis Patribus dictum; nominatim à D. Hilario li. 9. de Trin. cum dicit: *Licet Pater maior est donantis auctoritate: tamen Filius minor non est, cui vnum cum Patre esse donatur*: tamen hoc simile valdè est dissimile eius, quod Caluinus asserit; nam tales Patrum locutiones, si quę occurrunt, intelligi debent non de *maioritate*, quę sit à parte rei, sed de illa, quæ est secundum quandam nostram cogitandi consuetudinẽ; vt rectè explicat Gregorius de Valentia Tom. 1. Comment. Theologicorum disp. 2. q. 7. p. 1. At Caluinus à parte rei *maioritatem* Patris supra Filium constituit; quandoquidem dicit; Nomen Dei tribui Patri per excellentiam, & quidem propriè; ergo à parte rei; non tantùm secundum cogitationis nostrę imperfectionem.

Nec diffitetur hoc Iunius cum diserte scribat: *Respectiuè Deo Patri nomen Dei* κατ' ὑπεροχὴν *tribui; non qua Deus absolutè, sed qua Pater fons & principium Filij.* Et sine dubio cum Caluino suo vult; Dei nomen Patri hoc modo propriè per excellẽtiam tribui, atq; adeo in Deo Patre secundũ rem prę eminentiam respectu Filij inueniri: Quod cum Arianis placitis egregiè concinit; non autem cum illo ab omnibus Catholicis recepto: *Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius; nihil maius aut min⁹.* Taceo, Caluinũ quando dubiè, obscurè, lubricè, periculosè & insidiosè de mysteriis Christianę religionis loquitur, non mereri illam ęquitatem, quã merentur sancti Patres; quia horũ sinceritas & integritas in vulgus nota est. At quis nescit, Caluinũ esse vulpem, Dominicę vineæ deuastandæ à Diabolo missam. Vnde cum ipso agere oportet ex norma Lutheri, q̃ nobis in Iudicio de Erasmo p̃scripsit.

Reprehendit Bellarminus Caluinum, quòd dixerit: *Non esse veritati contrariam sententiam illã Gentilis; Deum habuisse vim generandi Filium ac propagandi Spiritum sanctum, quia voluit.* Ostendit Bellarminus multa absurda, quę hinc nascuntur. Quæ hinc sequi, non abnuit Iunius: sed negat, *Caluinum affirmasse hanc sententiam nõ esse veritati contrariam.* ridetq; Bellarminum, quasi ita argumentetur. *Caluinus non refutauit assertionem illam Gentilis; ergo affirmauit non repugnare veritati; ergo probauit.*

Addit: *Longè aliud esse probare, aliud nõ refutare, nec Caluinum singularem singulorũ Valentini Gentilis errorũ confutationem instituisse.* At si quis Caluinum ipsum legat; manifestè intelliget, eũ probasse impium hoc Gentilis de quo loquimur, dogma: palamq; affirmasse, *illud veritati nõ repugnare:* Ista sunt enim

Caluini

Caluini verba: *Hæc sententia, minimè labefactatur nostra fides.* Qua sententia nõ labefactatur Caluiniana fides? Hæc nimirum Gentilis: *Deus habuit vim generandi & propagandi, quia voluit.* Libenter autem assentior Iunio, *Caluinum non instituisse accuratam errorum Gentilis confutationem*; quia si instituisset, hoc paradoxũ nunquam probasset. Sed noluit nimirum vir pacis studiosus Caluinus. Valentini discipulos nimium offendere, ne ex eorũ gratia & beneuolentia penitus excideret. Et huc tendit Iunius, quando dicit, *Caluinum protheses Valentini tantummodo destrinxisse, qua ad summũ illud Quæstionis caput de vno essentiali Deo patre videbatur pertinere; cætera missa fecisse, quòd dissimulari mala quædam per illud tempus mallet, quàm multas quæstiones amplius excitari; quæ res ipsi inuidiosa, iudicibus onerosa, populo periculosa futura fuisset.* Si sincerè loqui & agere voluisset Iunius, paucioribus se expedire potuisset; ingenuè fatendo, Caluinum pleraq; non attigisse, quòd ea vel expresse probaret; vel non valde & validè animo repudiaret.

In eodem libro contra Gentilem hoc etiam portentum peperit Caluinus: *Filium respectu personæ non nisi impropriè creatorem cæli & terræ nominari, patrem autem propriè*; quod sanè nil aliud est, quàm filium in ordinem creaturarum redigere. Accurrit subsidio Iunius, *& ego quidem*, inquit, *à Caluino euidentius dictum velim, ab hoc verò disputatore acceptum æquius oportuit.* Quid euidẽtius à Caluino dictum volebas? An filium respectu personæ nõ esse propriè creatorem cœli & terræ? An nõ fateuidenter hanc suam impietatem protulit Caluinus? Non intelligo, cur plus euidentiæ Iunius flagitet. Nec video, cur hoc blasphemum dictũ æquo animo à Bellarmino accipi debuerit. Quis blasphemiam, nisi blasphemus, æquo animo accipiat?

Conatur Iunius Caluino subuenire triplici personæ considerandæ ratione. *Vnam ait esse communem in essentia, qua Deus est; alteram, singularem absolutam in persona, qua subsistit in vnitate essentiæ; Tertiam, relatiuam in distinctione & ordine personæ vnius ad alteram.* Hanc distinctionẽ proculdubio Iunius noctu inuenit, & noctu in chartam retulit; adeo tenebris inuoluta & vndequaque obsita est. Ego vtcx huius inscitiæ caligine paucis me extricem; dico, impiam & Arianam esse hanc propositionem: *Filium respectu personæ suæ non est propriè creator*; siue enim consideres personam filij formaliter, vt distinctam realiter à persona Patris & Spiritus sancti; verissimum est dicere; filius respectu personæ sic consideratę est propriè cœli & terræ creator; siue consideres personam illam cum habitudine ad suam originem, seu principium suum ex quo procedit; rursus eadem affirmatio verissimæ erit; quia sub quacunque harum considerationum, persona illa Deus est, & omnipotens; siue consideres personam filij, vt identificatur cum essentia diuina; atque adeo etiam, vt identificatur in eadem essentia cum persona Patris, & cum persona filij, verum est dicere; persona filij sic identificata essentiæ & in essentia cum persona Patris & Spiritus sancti, est propriè creator cæli & terræ; quia essentiæ illi identificanti sibi tria illa suppositа propriè etiam tribuitur creatio cæli & terræ; siue consideres personam filij, secundum absolutam essentiæ rationem; quam æquè habet ac Pater & Spiritus sanctus; idem prorsus conficitur; quia, vt antea dicebam, quocumque ex supradictis modo persona filij consideretur, verè Deus est & omnipotens; & quod hinc confit, propriè creatoris maiestatem & nomen sibi vendicat.

Quid Iunius? *Creatoris nomen est proprium essentiæ.* Falsum, nam & singulis personis competit: & de singulis propriè dicitur: vt propriè creator Pater, ita propriè creator filius, propriè creator Spiritus sanctus. Et quicunq; hoc negat, is *arianizat.*

Ait: *Esse creatorem, esse singulare vniuscuiusq; personæ in essentia*: Quomodo singulare; si cum qualibet persona, & cum ipsa etiam essentia identificante sibi tres personas, quælibet persona hoc commune habet? Quamquam hic non quæritur, per quid *creare & creatoris* nomen personæ cõpetat; & num vt proprium & singulare, an vt commune competat; sed de hoc disceptatur, vtrum filius respectu personæ nominetur impropriè creator cæli & terræ? Cur ad alia diuertit Iunius, & extra oleas saltitat? Aliud est aliquid alicui esse propriũ; aliud propriè de illo dici. Sensitiuum, animatum, & similia propriè de homine dicuntur; & tamen non sunt hominis propria. *Nec sequitur, non est eius proprium; ergo non dicitur de illo propriè.* Idem in nostro proposito dixerim. Licet creare proprium esset essentiæ, vt nugatur Iunius; attamen nõ sequeretur; filium respectu personæ non nisi impropriè creatorem nominari; nam vt in eodem exemplo persistam, proprium est animalis esse sensitiuum; & tamen propriè dicitur de homine, non impropriè.

Post tot ambages, effundit tandem Iunius ex stomacho suo hoc pestiferum virus. *Si relatè personam respexeris secundum distinctionem & ordinem personæ vnius ad alteram, nomen creatoris ratione ordinis est proprium Patris, non filij.* Iterum dico, Iunium nihil ad propositum dicere: non enim est quæstio, vtrum sit proprium creare Patri; sed vtrum Pater propriè nominetur creator cæli & terræ; filius non nisi impropriè; nam licet filio non esset proprium creare; non tamen simpliciter sequeretur, creatorem impropriè de persona filij dici; nam & corporeum & quantum esse, non est proprium hominis, & tamen non dicitur de homine impropriè. Deinde, si creare proprium est Patri, conuenire filio nequit, nisi impropriè. *Sensitiuum* propriè prædicatur de homine, quia homo est animal, cui proprium est sentire. At Pater nõ prædicatur de filio. Si ergo Patri proprium est creare, propriè non conueniet filio, sicut nec sensitiuum propriè dicitur de vllo, quod sub sensitiuo non continetur.

Præterea summa insciti a est, dicere, creare esse proprium patris; quia vt commune Theologorum axioma habet, opera Trinitatis ad extra, sunt communia omnium personarum: nec *creator* vel *creare* est nomẽ notionale seu respectiuum; sed absolutum. Hinc omnibus personis commune est; & nulli proprium; & de omnibus propriè, de nulla impropriè dicitur.

Sed ait Iunius: nomen creatoris esse proprium Patris non filij, ratione ordinis. Quis iste ordo? An quia prius natura Pater fuit creator, quàm filius? Si hoc asseras, nec te, nec Caluinum tuum ex Arianismi fermento eripies. Nihil prius aut posterius est in Trinitate, vt disertè symbolum Athanasianum tradit. In quo ergo hic ordo consistit? Num in hoc, quòd prius produxit filium, quàm cum filio resalias? sed si tu productionem filij nominas creationem, & si in illa productione filij prioritas talis interuenit, tum te, vt perfectum Arianum, saluere iubeo. Nec quidquam aliud in hac tota defensione te præstitisse animaduerto; nisi quòd multò luculentius Arianismum tuo in pectore latitantem prodidisti, quàm Caluinus; nec id, de quo accusabatur Caluinus, attigisti; non enim culpatur Caluinus, quasi dixerit, contra Gentilem, *proprium esse patris creare*; (quamquam si hoc dixisset, falsum dixisset, nam quod in diuinis proprium est patris, id filio non competit,) sed quia scripsit, filium respectu personæ non nisi impropriè creatorem cæli & terræ dici.

Inequitat Bellarmino Iunius. *Hæc Caluini*, inquit, *distinctio, subtilior fortasse, quàm Bellarmino placeat, veruntamen nihil hæreticum Arianumq; sapiens.* Fateor, non sapere Arianismum, quia est apertus *Arianismus*: Et quidem Arianismus cum luculento mendacio iunctus, quando Caluinus dicit: *Certè vno consensu fatemur Christum impropriè vocari creatorem cæli & terræ, quoad personæ distinctionem.* Immane hoc mendacium iure optimo nominaueris; nisi Caluinus loquatur de suis sectatoribus; nam ex Orthodoxis nullos inueniet, qui huic monstro suffragentur.

Opprobrat eidẽ Caluino Bellarminus, quòd in eodem aduersus Gentilem libro scripsit, *impropriam ac duram esse locutionem symboli Nicæni: Deum de Deo, lumen de lumine.* Iunius dicit, Caluinum vocare hanc locutionem *duram*; non *impropriam*. At cur vocauit *duram*, nisi quia pro *impropria* habuit: nam nisi impropriam iudicasset, nunquam duritiei insimulasset. Molles autem auriculas Caluinum habuisse oportuit, si vocabulum, tot sæculorum vsu tritum, necdum duritiem, quam nunquam habuit, exuit. Vide Bellar. infra lib. 2. cap. 19.

Reprehendit Bellarminus Caluinum, quod locum illum Apostoli: *Tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*; ad vtramque filij naturam, diuinam scilicet & humanã retulerit lib. 2. Instit. cap. 14. Num purgat Iunius Caluinum suum ab hoc Arianismo? Nam si secundum naturam diuinam filius subiectus est patri; sequitur, filium esse inferiorem patre; & per consequens ad rerum creatarum classem ac ordinem pertinere. Nihil minus præstat Iunius; quàm quod ex Apologetæ officio præstandum erat.

Ait: *Benè fieri posse, vt qui natura non est subiectus, voluntariè sese subiiciat.* At vt in humanis, vbi *maius* & *minus*; item *magis* & *minus* locum habent; id profecto in diuina natura, vbi maius & minus, magisque & minus, nihil penitus loci inueniunt, id contingere nequit: quia fieri non potest, vt Deus, qui est summus secundum naturam diuinam, alteri se subiiciat; implicat enim hæc subiectio; at Christus secundum naturam diuinam est Deus; ergo implicat, vt se Deo secundum naturam diuinam subiiciat.

Vitio vertit Bellarminus Caluino, quòd multa scripturæ loca, nominatim illum; *Ego & Pater vnum sumus*: ita tractarit, vt noui Samosateniani ad eum in publica disputatione tanquam ad iudicem, prouocarint. Respondet Iunius, *Caluinum non propterea fuisse Hæreticum; in substantia enim doctrinæ cum Orthodoxis consensisse, etiamsi in quorundam locorum interpretatione dissenserit. Quod equidem nolim factum*, inquit Iunius. At licet Caluinus hanc ob causam præcisè hæreseos forsan accusari nequeat, quis tamen eum à summa temeritate excuset, vel Arianorum saltem patronum & fautorem fuisse abnuat; quando spretis orthodoxæ antiquitatis interpretationibus, expositiones tam plausibiles & fauorabiles Arianis & Samosatenianis attulit; vt suis in disceptationibus palam ad Caluini, tanquam æquissimi *diribitorij* tribunal appellarint. Dolet quidem Iunius id factum: sed culpam sustinet Caluinus. Cur ab huiusmodi deprauationibus potius quàm explanationibus sacræ scripturæ non abstinuit? Cur pedem in viam Arianorum intulit?

Scripserat Bullingerus; libro de scripturæ & Ecclesiæ auctoritate, *tres esse in diuinitate personas; non statu, sed gradu; non subsistentia, sed forma; non potestate, sed specie differentes.* Vix Ariani ipsi, inquit Bellarminus, dicere ausi essent tres esse personas diuinas gradu, forma, & specie differentes. Oggerit Iunius, *hæc esse Tertulliani verba lib. contra Praxeam cap. 2. dura quidem, sed pro illo tempore non male dicta, pro hoc autem nostro commodè accipienda*; At quando à Tertulliano proferuntur, non quando à Bullingero: nam Tertulliano aliquid concedi oportere, monet tanta viri antiquitas, cuius ætate hæc, quæ ad rationem loquendi de tam sublimi mysterio pertinent, minus discussa erant.

Adde mentiri Caluinistam, cum dicit, Bullingerum eadem loquendi forma vti, qua vsus est Tertullianus. Nam Bullingerus dicit, *esse tres personas diuinas gradu, forma, & specie differentes.* At Tertullianus non dicit esse tres gradu, forma & specie differentes; sed *esse tres gradu, forma, specie*; gradum, formam, speciem pro proprietatibus per-

sonalibus vsurpans. Vox *differens* non comparet apud Tertullianum; & notum est, quid iam vulgo sit *specie differre*; & quæ notio, audita hac locutione in animo formari soleat. Quis enim hodie ferat eum, qui dicere ausit? *Tres sanctissimæ Trinitatis personas specie differre.* Nec *subsistentia* vocabulum est in Tertulliano; sed *substantia*; Negat enim esse tres substantiâ; quia vnus est Deus in natura & essentia.

Quod dicit Iunius, *Arianos nullum vnquam præsidium à Tertulliano petiisse*: memoria vel potius ratio bonum virum fugit. Quot enim loca pro sua perfidia ex Tertulliano perperam depromant, inueniet Lector apud Bellarminum infrà cap. 10. & Greg. de Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 23.

Etiam Lutheranum Melium conatur Iunius à Bellarmini reprehensione liberare. Quid Melius? *Scriptura distinguit filium Dei à filio hominis.* Item. *Distinguitur Filius ille æqualis Patri, ab eo, qui non est æqualis.* Duos ergo filios iste cum Nestorio facit. Quid Iunius? Mentitur; *esse phrasin Orthodoxis patribus frequentatam.* Quæso vel vnum nomina, qui cum Melio dixerit; filium Dei distingui à filio hominis, & filium æqualem patri distingui ab eo, qui non est æqualis patri. Si phrasis hæc est Patribus orthodoxis frequentata; difficile non erit exempla promere. Promantur ergo; vt Melij caussa melior fiat.

Ait Iunius: *Hanc phrasin posterioribus seculis ad præcauendos errores nonnullos correctam esse.* Numquam correcta est, quia corrigi nequit. Falsa enim est, quanta, quanta. Nam qui dicit, scripturam *filium Dei à filio hominis distinguere*, is duos filios facit: hoc dixit Lutheranus ille Melius & cum illo Orthodoxorum nemo; duos ergo filios fecit. Item, quicumq; statuit filium æqualem patri, & filium nõ æqualem patri, hic duos filios statuit. Melius hoc pessimè fecit. Quæ sequitur conclusio?

Ait Iunius. *si quis talis locutione vtatur, eam cum grano salis accipi debere.* Negat Lutherus, qui *ambiguè, insidiosè & periculosè in rebus sacris dicta, contra Auctores interpretari iubet*; vt supra visum est. Accedit, quòd ne modius quidem salis locutionem illam Melij ita condire posset, vt palato bene affecto sapiat, tantum abest, vt vnicũ salis granum hoc præstet.

Iunius hoc schemate Melianam impietatem excusat. *Scriptura distinguit filium Dei, qua filius Dei est, à filio hominis, qua filius hominis est; nam Christus vnus est; persona vna: sed distinguitur secundum naturam vtramq; in vnitate personæ.* Ista Iunius pro Melio: sed cum delirante delirat; & cum *Nestorianizante, Nestorianizat*, & alienam impietatem suam facit: Licet enim verum sit, filium Dei esse filium hominis secundum naturam humanam, non autem diuinam; verum tamen non est; sed *Nestorianum*, illum, qui est filius Dei, distinguit à filio hominis, quia est vnus & idem; imò ne secundum naturam quidem humanam filius hominis à filio Dei distinguitur; quia est idem prorsus filius secundum vtramque naturam; diuinam scilicet & humanam, in vna filij hypostasi vnitam. Quocirca licet filio Dei, qui idem est filius hominis, diuersa prædicata & attributa secundum diuersas naturas competant; non est tamen vnquam verum, filium Dei distingui à filio hominis secundum diuinam naturam, vel filium hominis à filio Dei secundum humanam; quia est idem filius, qui vtramq; naturam habet; alias sequeretur, alium esse filium Dei secundum naturam diuinam; & alium secundum naturam humanam; quod falsum est & impium.

Est quidem filius Dei & hominis aliud; secundum naturam diuinam; & aliud secundum naturam humanam; sed non alius; quia alius; seu alius filius; & absolutè filius, est nomen personæ seu suppositi; Itaque qui dicit, *filium Dei distingui à filio hominis*; duos filios constituit; & per consequens duas personas.

Longè adhuc deterius & intolerabilius est alterum Melij pronunciatum, licet cum Iuniana glossa coniunctum. *Distinguitur filius ille æqualis patri, secundum diuinam naturam, ab eo, qui non est æqualis patri*; nempe secundum naturam humanam; nõ enim est hic vlla filij à filio distinctio; quia est vnus & idem filius æqualis patri secundum diuinitatem, & inæqualis patri secundum humanam naturam; vnus, inquam, non alius æqualis, alius inæqualis patri secundum diuersas naturas, vt cum insipiente Melio desipit Iunius; qui perfricta fronte mentitur, *Bellarminum eadem phrasi vsum.* Vbi? *Paulò pòst, cum de Stancaro & fratribus dicit; qui sic ad solum hominem Christum mediatorii officium referunt*, &c. Quid audio? Hocne Bellarmini dictum Melianis portentis æquipollet? Ne ipsa quidem inscitia & inuerecundia hoc affirmet, si & Melianum & Bellarminianum dictum non dicam penitius, sed vel obiter inspiciat. Nam illud; *ad solum hominem Christum*; idem significat; quod ad solum Christum, secundum humanam naturam; seu ad solam humanam naturam Christi; non autem designat Christum, seu filium, qui solus sit homo; & alium, qui solus sit Deus; vt denotat Meliana, prorsus Nestoriana, locutio.

Ait Iunius; *Idem filius est æqualis patri & inæqualis; vt in symbolo Athanasiano dicitur: æqualis patri secundum diuinitatem; minor patre secundum humanitatem. Quid hic reprehensione dignum tantopere?* Nihil. At non ita loquitur Melius; vt tu eum explicas, & loqui mentiris. Non dicit, *idem filius*; sed; *filius Dei distinguitur à filio hominis.* Quomodo distinguitur, si est idem? Item, *filius Dei æqualis patri distinguitur ab eo, qui non est æqualis.* Vbi vides, *duos filios*; æqualem patri & inæqualem. Num hoc dicit symbolum Athanasianum? An non apertè canit, eundem filium esse æqualem & inæqualem patri secundum diuersas naturas? Itaque, quascumque in partes se Iunius vertet, nunquam hæc Meliana effata à blasphemia Nestoriana asseret; sed quo plura garriet, eò profundius & se & suũ Melium in idem sacrilegij conuum immerget.

Melio succinere videtur Beza, *qui in Christo duas vniones hypostaticas constituit: alteram; carnis cum anima; alteram, Dei cum homine.* Quod quid est aliud, quàm Nestorium iam dudum sepultum ab inferis reuocare, inquit Bellarminus. Iunius nihil hic vel absurditatis vel blasphemiæ agnoscit; *quin Bezam rectè sensisse, & ita sentiendum esse*; contendit. (Adde, si cui cum Beza & Iunio in Nestorij disciplinam nomen dare libeat.) *Etenim aliud est, si vnitatem personæ in Christo contemperis, aliud, si vnitatem naturarum in vnitatem personæ.* Iunius iterum à proposito, ad alia nihil ad rem facientia digreditur. Quæstio est; vtrum Beza rectè dixerit; *Esse duas in Christo vniones hypostaticas*; alteram, *animæ cum carne*; alteram, *Dei cum homine.* Iunius, hoc omisso, aliud ingerit de vnitate personæ Christi; & de vnione naturarum in vnitatẽ personæ. Quid hoc ad rem? Prius ostendat nobis Bezam rectè sensisse; hoc cum demonstrauerit, tum patiemur, vt de aliis nobis concionetur. Nam si anima Christi cum carne Christi vnitur hypostaticè propriâ & distincta vnione, vt censet Beza, impossibile est, vt in Christo vnitas personæ inueniatur; quia necessariò duæ erunt personæ ex duabus hypostaticis vnionibus exortæ: nec nisi imperitè, ne dicam *phantasticè*, contemplaberis, quomodo naturæ in vnitatem personæ diuinæ conueniant; si anima & caro Christi propriâ, humanâ & creatâ vnione hypostatica inter se vniuntur.

Ex vnitate personæ est, inquit Iunius, *quod vnica statuitur vnio hypostatica in persona Christi.* (Imò ex vnica vnione hypostatica totali statuitur vnitas personæ; nam vnitas vnionis hypostaticæ est ratio vnitatis personæ; ideo enim vna persona est, quia est vna vnio hypostatica,) *prout re vnio hypostatica vna est animæ & corporis in homine, similiterque naturæ diuinæ & humanæ in Christo; Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus.* Nemo it inficias, animam & carnem in homine vniri hypostaticè vnione humana & creata. Sed num ideo & in Christo propria, humana, & creata vnione hypostatica vniuntur? nec dictum D. Athanasij Iunium iuuat. Est enim similitudo non per omnia similis, vt fieri solet; sed quoad quædam; & inprimis quoad hoc; quòd sicut anima & corpus in Petro v. g. vniuntur hypostaticè, ita & in Christo vniuntur hypostaticè; cum hoc tamen discrimine; quod in Petro vniuntur in hypostasi creata; in Christo autem in hypostasi increata; vt præteream hoc loco alias dissimilitudines, quæ in hoc simili insunt.

Pergit Iunius. *Sed ex vnione naturarum est in persona Christi, quod hypostatica vnio duplex consideratur ratione in vnitate personæ. nam cum homo, siue humanitas per hypostaticam vnionem constituatur ex anima, & corpore; & humanitatem Deus in se assumpserit: omninò sequitur, non posse dari Mediatorem Christum verum hominem, sine hac vnionis hypostaticæ modo: quandoquidem sine hac non potest homo esse, non consistere, non mori potest. Christus autem est homo, & hic constitit, vt homo, atq; vt homo est mortuus, non separatione diuinitatis ab humanitate*, sed solutione animæ à corpore sibi adunato personaliter. En insciticæ Iunianæ abyssum; cujus summa huc redit. In homine est hypostatica vnio creata, humana, in hypostasi creata; ergo etiam in Christo statuenda est talis vnio hypostatica, qua anima & corpus vniantur; alioqui Christus non fuisset homo, passibilis, mortalis, similis nobis. O crassam huius Caluinistæ ignorantiam. An Christus homo esse nequiit, nisi anima & corpus eius propria q. adã & creata vnione hypostatica inter se vnirentur? An diuina hypostasis atq; adeo vnio hypostatica animæ & corporis in diuina hypostasi efficere non potuit, vt Christus esset verus homo, similis nobis; etiam mortalis & passibilis? Quo non progreditur Caluinianus iste, dum alienas hallucinationes & blasphemias propugnatum vadit?

At imaginatur sibi rudis iste sectarius, Christi corpus non fuisse futurum mortale & passibile, si non creata & humana inter carnem & animam hypostatica vnio intercessisset. Quæ imaginatio non est indigna Caluini de grege hirco; indignissima tamen quouis intelligente, & vel parum res istas expendente, & ad rationis trutinam librante; cum Deus, vtpote agens liberum, ita sibi in hypostasi diuina naturam humanam vnire queat, & reipsa etiam vniuerit; vt de naturalibus eius affectionibus, Deum non dedecentibus, qualis est, mortalem & passibilem esse; nihil penitus immutaret. *At Christus est homo & hic homo.* Non negamus; sed non est hic homo, seu persona; per hypostasin creatam; sed per increatam.

Cum porrò Bezanæ & Iunianæ huius hallucinationis caussam attentius considero; vix aliam inuenio; quàm quòd imperitissimè vnionem illam physicam & essentialem, quæ in quouis cõposito physico, atque adeo etiam in Christo, est inter formam & materiam; seu inter animam & corpus, arbitrantur esse vnionem hypostaticam, & propterea cum hæc physica & essentialis vnio necessario in Christo sit constituenda, indoctè prorsus & primis physicorum principiis aduersè duas vniones hypostaticas in Christo ponunt; quasi & hæc physica inter corpus & animam sit hypostatica. Insciticæ & blasphemiæ tam suæ, quàm Bezanæ subiungit Iunius impudens mendacium his verbis: *Atq; hoc* (delirium Bezæ & Iunij) *cum verbis Athanasij optimè conuenit dicentis in symbole; qui, licet Deus sit, & homo, non tamen duo, sed vnus est Christus: vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem; sed, assumptione humanitatis in Deum: (humanitatis ait, quæ suam necessariò supponit hypostaticam vnionem) vnus omnino non confusione substantiæ; (nam, ne nostra quidem ex confusione animæ, & corporis subsistit humanitas) sed vnitate personæ.* Quid cum hoc homine tam imperito & insulso & *Nestorianizãte*,

si non

ſi non penitus Neſtoriano, agas? En rudiſsimè ſibi perſuadet humanitatem à Chriſto aſſumptam *ſupponere hypoſtaticam vnionem*; ſi hanc; ergo & perſonam: quia ex vnione hypoſtatica ſubſtantiæ perfectæ in ſua ſpecie, reſultat perſona; at humanitas, quam Chriſtus aſſumpſit, fuit perfecta in ſua ſpecie, & ſecundum Theologiam Iunianam, vnionem hypoſtaticam habuit; ergo & perſonam; ergo duæ ſunt perſonæ in Chriſto, vt impius aiebat Neſtorius, & cum illo Beza & Iunius; humana ſcilicet & diuina.

Dic, oro, Iuni, ſi per hypotheſin, ſiue tua in ſcholâ poſsibilem; ſiue impoſsibilem, (quamquam cur non poſsibilem?) Verbum diuinum humanitatem, ſeu humanam naturam à ſua hypoſtaſi dimitteret, & vt ſic loquar, exſolueret; eamque præcisè in ſuo eſſe naturæ, quod nunc in Verbo habet; relinqueret; eſſetne in illa aliqua vnio hypoſtatica? Dic, oro, ſed planè & diſertè. Si affirmes; Neſtorianus es; quia præter vnionem hypoſtaticam in diuina hypoſtaſi ſtatuis aliam; & conſequenter, aliam perſonam; ſi neges, ſtultè ergo hic aſſeris, humanitatem, ſeu humanam naturam, quam Chriſtus aſſumpſit, ſupponere vnionem hypoſtaticam.

Reprehendit Bellarminus Sarnicium, qui palam aſſeruit, *ſolam diuinam Chriſti naturam, Pontificem eſſe & Sacerdotem, humanam verò, victimam & ſacrificium.* Obſtrepit Iunius. Falſum: *Non ſolam diuinam naturam Sarnicius, ſed perſonam Chriſti, etiam ſecundum naturam diuinam Pontificem noſtrum, ſacerdotemq; ſtatuit.* Iterum neſcit Iunius quid dicat, aut quid defendat: Num hoc negat Bellarminus? Num neſciuit à Sarnicio ipſam quoque diuinam perſonam includi in toto quaſi Pontificatus & Sacerdotij illius ambitu? Minimè verò. Cur ergo dixit; *Solam naturam diuinam?* Ideo, quia loquebatur Sarnicianæ menti conuenienter de principio illo, quo operationes Pontificis & Sacerdotis à Chriſto exercebantur ſecundum Sarnicium. Hoc autem principium eſt ſola natura diuina; ſi rectè delirat Sarnicius; non perſona; quæ eſt principium, *Quod* Pontificis & Sacerdotis actiones exercet: ex noſtra, hoc eſt, ex ipſius veritatis ſententia ſecundum humanam naturam, quæ eſt principium, *Quo* Pontifex ille actiones Sacerdotales exercet.

Poſt Sarnicium malè defenſum ſimilem operam locat Iunius Lutherano Scheckio; quem ait Bellarminus *tam egregiè fidem contra Trinitarios propugnare, vt tamen dici nolit tres eſſe in Deo hypoſtaſes, ſed vnam tantùm cum tribus potentiis.* At hoc non eſt vincere Arianos, inquit Bellarminus, ſed vinci ac debellari à Sabellianis. Iunius ferrea fronte negat ſic ſenſiſſe Scheckium. At in medio ſunt libri Scheckij contra Trinitarios. Conſulantur, & de ſtigmatis Iuniano vultui tam duro inurendis decernatur. Paſsim namque clamitat; tres perſonas rectius appellari *potentias* ſeu δυνάμεις eſſentiæ, quàm perſonas ſeu hypoſtaſes. Nonne à Gennebrardo de hac re in libris de Trinitate admonitus, & vt par erat, caſtigatus; eandem ſuam impietatem repetiit & nouis ſomniis ſtabilire ſtuduit, publicata aduerſus Genebrardum Apologia? An non dicit; *Deum numero eſſe vnum; multa facultatibus & differentiis hypoſtaticis, perinde ac animam vnam, eſſe multa reapſe diſtincta, nempe eſſe vegetans, eſſe ſentiens, eſſe intelligens:* ob eamque cauſſam negat Scheckius *à ſcriptura patrem & filium & Spiritum ſanctum vel res vel hypoſtaſes nominari*: Hinc aſſerit, ſe *appellare δυνάμεις, differentias ſiue hypoſtaticas, id, quod patres dixerunt, perſonas & hypoſtaſes.* Et tamen hæc, quæ ex libris Scheckij luce clariora ſunt, negat Iunius ab illo vel dicta vel ſcripta. O faciem ex chalybe fabrefactam.

Nam quòd ſanctos Patres ſimili loquendi genere non ſemel vſos dicit, impudentiam duplicat, vel vnum nominet, & adquieſcemus: Solent quidem ſancti Patres, nominatim D. Auguſtinus, tribus animæ potentiis, intellectu, voluntate & memoria, tanquam vmbratili quadam ſimilitudine, Trinitatis myſterium illuſtrare & declarare; At qui contendat, non perſonas ſeu hypoſtaſes, ſed potentias & differentias hypoſtaticas nominandas eſſe, nullum vnquam Iunius proferet. Nonne Scheckius ſatis expreſsè vnâ hypoſtaſin in diuinitate ſtatuit; cum dicit, tres illas perſonas (ſic enim orthodoxi nominant) eſſe *tres hypoſtaticas*, hoc eſt, vnius hypoſtaſeos, *potentias* ſeu *differentias?* Et tamen, qua eſt Iunius temeraria audacia, clamat: *Numquam dixit, namquã ſenſit Scheckius vnicam eſſe Deitatis hypoſtaſin, & tres potentias.* An non vbique vociferatur, potius tres potentias quàm tres perſonas vel hypoſtaſes nominari debere? Videtur Iunius ne eminus quidem vnquam Scheckij libros aſpexiſſe: niſi quod eo eſt ingenio, vt etiam plana & dilucida ſuorum paradoxa & monſtra excuſare & Caluinianis fucis exornare conſueuerit.

Hinc Lutherani quoque VVigandi patrocinium ſuſcipit, qui cum ſuo Luthero docet, *eſſentiam in diuinis generare, ac generari*: Concedit Iunius hoc *ab eo dictum imprudentius*, mentiturque, à Bellarmino reprehenſum *inuidioſius*: *Eſſentiam, qui dicit generare*, inquit Iunius, *non eſſentiam in ſe intelligit, quod hæreticum eſt, ſed eſſentiam in perſona, quod VVigandus fortè ſenſit.* Sed ſiue dicas eſſentiam in ſe, ſiue eſſentiã in perſona generare vel generari, hæreſin dicis. Nam quod ſiue in ſe, ſiue in alio generat, realiter ab eo diſtinguitur, quod generat: & ſiue in ſe, ſiue in alio generetur; ſimiliter reipſa ab eo, quod generat, ſecernitur; hoc enim eſt de ratione verę & proprię generationis, vt generans & generatum reali diſcrimine ſeiungantur. Quapropter quocunq; ſenſu hoc VVigandus aſſeruerit, falſum & hæreticum paradoxum aſſeruit.

Quamquam certum eſt, eum id aſſeruiſſe eo ſenſu, quo à Scholaſticis negatur; quia ſe cum ſuo Luthero hac etiam in parte Scholaſticis ſapientiorem & acutiorem oſtendere voluit: tametſi

certum

certum est in Scholasticarum schola essentiam nec in se, nec in alio generare vel generari. Miraret autem VVigandum à Iunio defendi, nisi viderem Iunium omnia audere: præsertim cum ipse fateatur, *VVigandum à vero aberrare; & hoc*, inquit, *lib. 2. cap. 7. ostendi*. Ad quod caput Iunius nihil aliud notat; quàm hoc; *Quid ni etiam VVigandus taceat, qui ita ridiculariũ agit in rebus diuinis*. Dixerat autem cum Luthero VVigandus: *Mulier, id est, ratio in Ecclesia taceat*: Etnil contra mutiat, si audiat Lutherum & VVigandum asserentes: *Essentiam in diuinis generare & generari*. Si VVigandus ridiculus est & ridiculariũ agit, quando *essentiam diuinam generare & generari asserit*; Cur eius aduocatum agit Iunius? An vt & ipse ridiculus fiat, & ridiculariũ agat?

Aliorum errores, inquit paulò pòst Iunius, *nõ præstamus, qui nunquam fuerunt nostri*. Et tamen tanto hiatu errores Lutheri, Sarnicij, Scheckij & VVigandi præstare conatus es. Nam quod Caluinũ & Bezã, quin & Melanchthonem, tuã in clientelã recepisti, id non mirabitur, qui Caluinianã pietatem in magistros tuos accuratius perpenderit.

Iniquis auribus accipit Iunius, quod Bellarminus ait, *Trinitarios huius ætatis ex Lutheranorum & Caluinianorum schola exstitisse & prodiisse, & ab illis sacrilega suæ doctrinæ semina suxisse*. Res est in proparulo. Nec longa eget disquisitione, vel probatione; nec tantopere bilem cieret Iunio; si non vsque adeo liqueret. Veritas non modo odium parit, sed & stomachum mouet.

CAPVT I. & II. Lib. I.

PRIMO capite explicat Bellarminus sententiam nouorum Samosatensiũm Serueti & Seruetianorum. In secundo refert sententiam nouorum Arianorum. Nihil hic Iunius. Danæus vociferatur: *indignum facinus*, quòd Bellarminus *Serueti, Gentilis, & discipulorum immania placita repetat & lectoribus proponat; cum*, vt ait, *ferè semper aliquid in hominum infirmorum animis hæreat solet*. Si in culpa Bellarminus, an non & tui Magistri culpabiles erunt, Caluinus, Beza, Aretius; & multi ex Lutheranis; nominatim Schlüsselburgius in Catalogo Hæreticorum, in quo proprium librũ Seruetianis tribuit; qui omnia horum monstrorum dogmata litteris mandarunt, & ad posteritatem transmiserunt; non vtique ad legentium perniciem, vel ipso Danæo iudice; sed ad cautelam. An non & prisci patres Epiphanius, Augustinus, Philastrius, Theodoretus, alij, somnia hæreticorum, & hæresiarcharum, quantumuis absona & impia, in commentarios miserunt? Quis bonus hoc eorum studium carpit? Interest nosse has pestes; à quibus nihil periculi bonæ menti, quæ nõ plus sapit, quàm oportet; sed omnes sensus suos intra Catholicæ sobrietatis metas coërcet.

Quiritatur Danæus nomen *Ministri* etiã Arianis & Samosatenianis Polonis & Transyluanis à Bellarmino tribui. Iniusta querela. Num nomen *Ministri* propriũ est Caluinianorum? Edant, obsecro, vbi ære & libra id mercati fuerint. Cur Prędicantibus Trinitariis & Samosatenianis non concederetur nomen *Ministri*, eo sensu, quo Caluinistis & Lutheristis tribuitur, cum haud segnius, quàm isti Diabolo ministrent; eiusque negotia administrent?

CAPVT III.

Deum vnum numero esse ex scripturis & patribus demonstratur.

ETIAM hic Silium agit Iunius. Danæus fingit duas antilogias inter Bellarminum & Magistrum sententiarum. Bellarminus dicit; Deum à patribus sępe vocari singularem, eiusq; naturam, *individuam*. At Magister 1. d. 23. *Ex prædictis*, inquit, *ostenditur, quia nec singularis, nec diuersus, nec vnicus, vel solitarius conferendus est Deus*. Bellarminus dicit Deum *singularem*: Magister negat *singularem*. Quanta contradictio? Quam tolles vnico verbulo; si dicas, Deum esse singularem in natura & essentia sua; quæ vna est: non esse singularem; quoad personas; quarum sunt tres. Prius voluit Bellarminus; posterius Magister.

Altera contradictio. Bellarminus dicit: Patres non semel negant, Deum esse vnum specie. At Genebrardus, quem suæ scholæ principem & corypheum appellat, contra Scheckium apertè profitetur, *Dei essentiam & diuinam hypostasen non differre à specie infima & individuis sub ea contentis. Seipsos isti euertunt*, ait Danæus. Hoc Danæi impudens mendacium refutauit iam Ludouicus Rogerius noster apud Andream Eudæmonioannem lib. 2. contra Danæum cap. 6. refutatq; idem mendacium ipse doctissimus Genebrardus, qui in libris de Trinitate, & in libro aduersus Scheckiũ apertissimè scribit, diuinam naturã non esse speciem infimam respectu personarum, sed habere se per modũ speciei infimæ quoad prædicationẽ, cum prædicetur de Patre & Filio & Spiritu sancto; Interim hoc discrimen saluũ manet, q̃ species verè & propriè sumpta prædicetur de individuis per multiplicationẽ sui individualẽ in individuis; diuina autẽ natura sine huiusmodi multiplicatione prędicetur de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Quo ipso tamen seruat modum quendam prædicationis eius, qua species infima de suis individuis prædicatur.

CAPVT IV. & V.

CAPITE quarto asseritur diuinitas Filij Dei. Nihil hic Iunius. Capite quinto profertur pro diuinitate filij Dei, prima classis argumentorũ ex veteri testamento. Vbi Iunius frustillatim quædam carpit, vt postea notabo.

Danæ-

Danæus copia & multitudine argumentorũ, quæ contra nouos Arianos & Samoſatenianos proferuntur, obſtupefactus, mentitur; *Bellarminum, more Plagiariorum, ea, quæ à Caluinianis acceperit & didicerit, celare.* Idemq; mendacium repetit capite ſequenti, q̃ eſt ſextum, & alibi. Tam ſterile, ſcilicet, fuit ingenium Bellarmini, inquit Cydonius noſter lib. 1. cõtra Danæum cap. 5. vt qui tam multis ſcripturarum teſtimoniis, in reliquis omnibus ſuis libris, tam doctè, atq; acutè, reliqua fidei Chriſtianæ dogmata contra Hæreticos probauit; is, in defendenda filij, ac Spiritus ſancti diuinitate, pro qua tam multa patres olim diſputarunt, nihil inuenire per ſe, aut ab aliis Catholicis, ac ſanctiſsimis Patribus mutuari potuerit, ſed confugere ad Hæreticos ſit coactus.

Deinde ipſum Danæum contra Danæum iudicem aduoco. Nam ad caput quintum ita ſcribit. *Hic & nos ipſi, variæ lectionis, & diligentiæ honeſtam laudem Bellarmino tribuimus, & ſine inuidentia prædicamus.* Et ad cap. 20. lib. 1. *Et diligentiæ*, inquit, *& memoriæ, & aſſiduæ patrum lectionis nomine gratias illi agendas eſſe maximas exiſtimamus*: Et alibi ſæpe, non diſsimilia. Eum igitur, cui aſsiduæ lectionis, ac variæ eruditionis nomine gratias agendas eſſe exiſtimes: quã veriſimile eſt, cum poſsit ex ipſis Patrum fontibus teſtimonia ſumere, à turbidis hæreticorum lacunis mutuari voluiſſe? Argumenta porrò, quæ ex ſcripturis affert, partim ex Patribus ſumpta ſunt, quos ibi cõmemorat Bellarminus, quæ, ſi licuit hæreticis inde ſumere, quare Bellarmino Catholico homini, à Patribus, quorum verè filius eſt, ac fidem & veneratur, & imitatur, non licuit? Quanquam, is, qui & Bellarmini copiam vbertatemque; & Caluini ſimiliumq; ſummam egeſtatem & mendicitatem attentius conſideraſſet; nullo labore vanitatem huius criminationis deprehẽdet. Quid aridius, quid nudius Caluino, Beza, & id genus aliis ſcriptoribus hæreticis aduerſus Trinitarios? Ab his, nõ magis apparatũ aliquẽ argumentorũ ſumere poſsis, quàm ab aſino lanam, vel à ſilice aquam.

Iunius circa quintum caput calumniatur, Bellarminum non aduertiſſe amphiboliam latentẽ in illo Iſaiæ loco cap. 48. *Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius*: illa enim Prophetæ verba; *miſit me*, tam ad Dominum ipſum, cuius eſt ſpiritus, quàm ad ſpiritum referri poſſe. Num hoc negauit Bellarminus? An non expreſsè hoc dicit? tametſi quid opus de hoc monere; cum ipſa verba luce clarius ad Dominum, cuius eſt ſpiritus; & ad ſpiritum ipſum referantur.

Ait Bellarminus. Legem in mõte Sinai à Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, datam eſſe, ſed miniſterio Angelorum. Iunius. *Simplicius dixerit, à Deo Patre per Filium in Spiritu ſancto, comitantibus myriadibus Angelorum, & numeris eorum circumſtantibus.* Quàm ſeuerus loquendi Magiſter Iunius? Quid ſi quis abnuat, ſimplicius eſſe illud tuum, quàm Bellarminianum; quid ages? Certè ſimplicius

A eſſe argumento eſt; quod directè tres diuinas perſonas menti lectoris, tanquam cauſſam principalem illius legiſlationis, & inſtrumentalem, ſeu miniſterialẽ, nempe Angelos, ſubiicit; quod Iuniana loquendi formula non facit, quæ miniſterium huius legiſlationis non Angelis, ſed filio adſcribere videtur; præſentibus & inſpectantibus Angelis: & Spiritui ſancto, ſi verba præcisè ſpectes, vix quidquam largitur, niſi quod vi & efficacitate eius legiſlatio illa peracta ſit; ſi verba, inq̃, præcisè ſpectes; nam per varias ambages tandem ad priorem quoque ſenſum deueniri poſſe non nego. Forſan Iunio etiam illa doxologia: *Gloria Patri & Filio cum Spiritu ſancto*, vel *in Spiritu ſancto*; de qua S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto, ſim-
B plicior videtur; quàm noſtra; *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*: niſi fortè cenſet eam ſic conformandam: *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto*: quanquã Caluiniſtæ nec hanc, nec noſtram, nec aliam ferre volunt.

Ait Bellarminus, Iudam Apoſtolum in ſua Canonica cum Michaëlem Angelũ Diabolo dixiſſe refert: *Increpet te Dominus*; non loqui de illa increpatione, quæ deſcribitur Zach. 3. Ad quæ Iunius: *De eadem increpatione commodè poteſt accipi, ſi Ieſum Chriſtum intelligas Michaëlis Archangeli appellatione. Sonat enim Michaël Archangelus ſi Latinè interpretẽris, qui par eſt, vel æqualis Deo, principem Angelorũ.* Hactenus rebar nomen *Michaël*: idem eſſe, quod; *Quis ſicut Deus?* Nunc noua fiunt omnia. Etiam
C vocabulorum ſignificata. Sed ad rem. Si Iunius hoc ſuum paradoxum nobis perſuadere cogitat. locupletiorem auctorem, quàm ſit ipſe, adducat oportet: vt taceam inauditum eſſe; nomine *Michaëlis* in ſcriptura ſignificari Chriſtum vel Deum: Et Iudas Apoſtolus; nominat non abſolute *Michaëlem*; ſed *Michaëlem Archangelum*. Nec in Zacharia vllus apex apparet, quo veriſimile fiat: Satanam, qui aduerſabatur Ieſu filio Ioſedech, contendiſſe cum Deo de corpore Moyſis. Periculum erit, ſi Iunius hanc ex notationibus nominum argumentandi viam tenere velit; ne illa Euangeliſtæ: *Miſſus eſt Gabriel Angelus*, &c. de ipſo Deo interpretetur: Nam Gabriel eſt *vir Dei, vel Dei, vel fortitudo Dei, vel fortis meus Deus*: Et nomine
D Angeli, Deum; præſertim filium, etiam in ſcriptura ſignificari, quis neſcit? Quàm autem elegans & concinna erit hæc expoſitio?

Ait Bellarminus, ſi apud Zachariam nomine Domini, qui Satanam increpauit, intelligatur Angelus; vt quidam volunt; tum Angelum dici Iehouam, non vt Angelum, ſed vt repræſentabat Dominum. Iunius. *Prius diſtinctionis membrum eſt veriſsimum; poſterius nec auctoritate, nec ratione vlla probabili, nec exemplo confirmari poteſt.* Audax & præceps aſſertio. Nam Angelum vt perſonam Dei repræſentat & ſuſtinet, nominari Iehouam, patet omnibus antiqui teſtamenti exemplis & teſtimoniis, quæ Deum apparuiſſe & cum hominibus locutum ferunt, ex eorum quidem ſenten-

tia, qui nullam huiuſmodi Dei apparitionem putant fuiſſe perſonalem; ſed Angelorum interuentu peractam. Quæ ſententia cum veriſimilitudine non careat; nimium ſententiàm Iunius præcipitauit, cum tam audacter nomen Iehouæ Angelo, vt Deum repræſentat, tribui inficiatus eſt.

CAPVT VI. VII. VIII. IX.

IN hoc capite adducit Bellarminus teſtimonia ex nouo teſtamento pro diuinitate Filij Dei. Nihil hic Danæus, niſi quod mentitur, *Magiſtros ſuos à Bellarmino fuiſſe expilatos.* De quo mendacio iam antea.

Iunius excuſat Caluinum, quod locum illum; *ego & Pater vnum ſumus*; cum Arianis interpretatur de concordia & vnitate charitatis, non de vnitate eſſentiæ: Ait, *Caluinum hoc non feciſſe malo animo.* Credat Iudæus Apella, non ego. Cur Iunius, non dignatur eadem beneuolentia Eraſmũ ſimili ſenſu dictum illud Chriſti interpretantem? Ait Iunius. *De Eraſmo nil mirum.* Quin & de Caluino, nil mirum, quando Arianis illa ſua expoſitione gratum facere voluit. Neſcio quid ſtomachi Iunius in Eraſmum coquat. In Præfatione huius libri omnes alios tam Lutheranos, quam Caluinianos defenſum iuit; ſolum Eraſmum indefenſum reliquit. Quid cauſſæ, cum Caluinus, Lutherus, Caluiniani & Lutherani in eadem prorſus naui cum Eraſmo nauigent?

Capite ſeptimo probat Bellarminus Chriſti diuinitatem ex nominibus veri Dei. Inter cætera affirmat, vocem *Iehoua* nuper excogitatã eſſe. Iunius: *Hoc dictum probari teſtimonio certo, aut ratione nõ poteſt, vel auctoritate iuſta: & dignitati, maieſtatiq; teſtamenti veteris aduerſatur. Et quis nuper excogitatum dicat illud Iao, Iaõ, quo Gnoſtici, Valintiniani, & alij hæretici olim, corrumpentes nomen Iehoua, abuſi ſunt?*

At Iunij ſymmyſta & in Caluini caſtris commilito Ioannes Druſius integro libro probat nomen *Iehoua* eſſe nuperum ac nouitium; nec ætatem eius ſupra Galatini tempora proferri finit: qui in huius rei, atque adeo totius Hebraicę litteraturæ cognitione nunquam ſe Iunio poſtponi patietur.

Capite octauo oſtendit Bellarminus Chriſti diuinitatem ex attributis Dei; Capite nono ex Dei operibus. Nihil hic peculiare Iunius; niſi quòd ſuccenſet Bellarmino ob reprehenſum Lutherũ, qui in cap. 1. Geneſeos nominat Chriſtum *inſtrumentum Dei.* Vult Iunius, *huiuſmodi locutiones piè & benignè accipiendas & interpretandas.* Adde; ſi quis tali benignitate ſit dignus; *Amphibolia*, inquit Lutherus in Iudicio de Eraſmo, *ſemper ad deteriorem ſententiam ſpectat. Si caſu fiat, ignoſci poteſt: ſi ſtudio & voluntate, abſq; miſericordia condemnanda eſt.* Patiatur ergo Lutherus & ſubeat legem, quã ipſe tulit: cumque ſtudio & deditâ operâ Chriſtum *Dei inſtrumentum* nominauerit, ſimpliciter, vt *Arianizans*, condemnetur. Quis enim id caſu ei excidiſſe dicat, hac præſertim tempeſtate, qua loquendi de Chriſto formulæ, non modò apud grandes Theologos, qualis Lutherus videri volebat; ſed & in vulgo Orthodoxo peruulgatæ ſunt?

Danæus hîc iterum mentitur; Bellarminum has ſuas opes ex Caluino ſumpſiſſe. citatque lib. 1. Inſtitut. cap. 13. à ſectione octaua vſque ad finem. Adi locum citatum, videbiſque Caluinum adeo eſſe egenũ Irum & Codrum; vt nulli quidquam ex curtiſsima ſua ſupellectile auferendi facultatem reliquã fecerit. Ait Bellarminus exiſtere in cælo & in terra; vno verbo; vbique; eſſe attributum & proprietatem Dei. Hinc acutiſsimè concludit Danæus, *corpus Chriſti, quod nos in cælo & in Euchariſtia collocamus, iam non eſſe corpus, ſed verum Deum.* O pecus. Nec enim aliud dignius tanto acumine elogium inuenio. Eſſe vbiq;, & implere omnia, eſt attributum Dei. Num ideo corpus Chriſti eſt vbique, & omnia implet, quamuis in cęlo & in Euchariſtia ſtatuatur? Imò licet corpus Chriſti vbique eſſet; non tamen Deus, ſed verum corpus eſſet; quia immenſitas hæc non competeret ei ex natura ſua; ſed ex dono Dei; at immenſitas Dei conuenit Deo non alieno beneficio; ſed ex natura ſua; neque enim aliter fieri poteſt; quàm vt Deus per omnia diffundatur, nulliſque locorum ſpatiis circumſcribatur.

Nec minor eſt Danæani pectoris ſtupor, qui ſequitur. *Deus eſt æternum: ergo non eſt in Euchariſtia.* Probatur; *quia ſi eſſet in Euchariſtia tum in tempore inciperet eſſe Deus. Sed hoc fieri nequit*; perinde ac ſi diceret: *Quando primum producitur homo vel leo, tunc ex tempore incipit in illo eſſe ſeu exiſtere Deus; quia antea in illo exiſtere non poterat, quia nec homo nec leo ante ſuam productionem erat; ergo Deus incipit eſſe ex tempore.* Incipit eſſe ex tempore in re, quæ fit aut producitur; non in ſe, & in natura ſua; quia æterna eſt, omnis initij expers. Sic in Euchariſtia incipit eſſe primariò corpus Chriſti; per concomitantiam diuinitas quoque. Num ergo diuinitas incipit eſſe? Non in ſe; ſed in Euchariſtia; qua talis.

Falſitatis arguit, *Deum eſſe ſpiritualem locum Sanctorum*; quod Bellarminus affirmat. Quia cælum eſt ſedes & locus Sanctorum; iuxta illud Pauli Eph. 1. *Sedere nos fecit in cæleſtibus.* Cælum eſt Sanctorum locus; ſed corporalis; cum quo conſiſtit, quod Bellarminus ex Theodoreto ait; *Deum eſſe ſpiritalem locum Sanctorum*; quia ſpiritaliter habitabunt in Deo per amorem, & iuge gaudium: Magis enim eſt anima vbi amat, quàm vbi animat, ex veteri vulgatoque verbo. Obiicit Hæreticus: *Deus eſt obiectum noſtræ beatitudinis*; *ergo non ſpiritalis locus.* Hanc ob cauſſam vel maximè ſpiritalis locus beatorum eſt; cum obiecto illi ſuo perpetim abſque vlla diuulſione inhæreant & adhæreant.

CAPVT

CAPVT X. XI. XII. XIII.

CAPITE decimo adfert Bellarminus pro diuinitate Filij Dei testimonia ex Patribus, Iunius, Clementē Romanum, Ignatium, Dionysium & Martialem vt illegitimos, à senatu sanctorum patrum excludit. Sed de tribus prioribus actum est iam à nobis Tomo 1. lib. 4. Et nuper prodierunt vindiciæ Areopagiticæ nostri Delrij, contra Iosephum Burdonem; quæ à Dionysio veterem honorem à sectariis sceleratè ablatum, egregiè restituunt.

De Martiale quid hic sentiat Bellarminus, ipse legisti. Tu attende ad rem, de qua agitur, non ad Auctoris nomen. Nam quod ais, *vel ex Gratiano horum librorum fidem in dubium vocari posse*, d. 15. c. *sancta Romana*, quæso, quæ te intemperiæ exagitant? Vbi in illo Decreto vlla mentio Dionysij Areopagitæ? vbi Ignatij? vbi Martialis? vbi Clementis; nisi quoad *Itinerarium*, & Canones Apostolorum; cum Bellarminus ex libris Constitutionū Apostolicarum testimonium depromat, & ipse Gratianus d. 16. vel potius alij, quos citat; quinquaginta Apostolorum Canones agnoscant ac venerentur. Si maior numerus tibi displicet, quinquagenarium amplectere; nec tibi litem intendemus.

Danæus impudentissimè mentitur, à Bellarmino Ambrosium toto sæculo à Hieronymi & Augustini ætate seiungi; quia Ambrosium collocat sæculo quarto, Augustinum & Hieronymum quinto: perinde ac si quis dicat; me & Gregorium de Valentia, quem familiarissimè noui, & qui mihi non tantùm Doctor, sed & Pater in Christo fuit; integro sæculo distare; quia ille sua sæculo superiore, hoc est, decimo quinto; Ego pleraque mea sæculo decimo sexto edidi. An ideo distamus integro sæculo? An ideo alter alterum non nouit? An ideo, qui illud de Gregorio, hoc de me affirmat, integro sęculo nos disparat? Gregorium Magnum enumerat Bellarminus sæculo septimo. Quale piaculum? At clemens est Danæus. Gratiam facit Bellarmino *ob grauiores occupationes*, cum quibus arbitratur *accuratam Chronologiæ rationem nō posse consistere*. Ingrati essemus, nisi exactissimo Danæo pro hac liberalitate immensas gratias & haberemus, & cum opportunum fuerit, referremus.

Rogamus tamen, vt Danæus hoc etiam consideret dignetur, AEtatem septimam Bellarmino esse, quæ currit à D C. ad D C C. sicut supra apertè dixit: QVINTAE AETATIS ab ANNO C C C C. ad D. At certum est Gregorium, sicut & alios cum eo recensitos floruisse post annum D C. Et licèt antè etiam vixerint, referuntur tamen ad ętatem, in qua mortui sunt, quemadmodum Hieronymus & Augustinus ad quintā. Ineptus ergo Danæus, qui in Gregorio notat, quod contra alios prius obiicere debebat; nec Bellarminum intellexit; opinatus, ætatem septimam dici, quæ incipit ab Anno D C C.

Capite duodecimo probat Bellarminus diuinitatem Christi ex diuinis visionibus & miraculis. Danæus & Iunius hoc probationis genus digerere nequeunt; quia non ducitur ex Caluinianis Topicis; vbi nulla miracula, nullæ visiones, nisi quales febricitantibus & phreneticis, vel certè Lyæo probè tinctis offeruntur.

Capite decimo quarto ostendit Bellarminus diuinitatem Spiritus sancti. Neq; hic quidquam adferunt Iunius & Danæus; quod peculiari refutatione dignum sit. Danæus monet, *Bellarminū non intelligere, quid sit peccatum in Spiritum sanctum.* Iubet, *vt id discat ex Beza.* Mentiri Danæum, fateberis, si legas, quæ de peccato in Spiritum sanctū disputat Bellarminus lib. 2. de Pœnitentia cap. 16. Et quid Bellarminus à Beza disceret? Ne dignus quidem est Beza, qui sit illustrissimi Cardinalis Bellarmini agaso aut mulio, tantum abest, vt possit eius Doctor esse.

CAPVT XIV. XV. XVI.

IRCA hæc capita, cum Danæo nil, quod vellicaret, suppeteret; prolixitatem disputationis Bellarminianæ carpsit. Nil opus fuisse tot verbis, rem potuisse breuius transigi: Bellarminum ingenij vires & diuitias ostentare voluisse. Si Bellarminus concisius egisset; iste breuitatem accusasset. Ita semper in vtrumque paratus est; vt siue hoc, siue illud fiat; perpetuò vberem cauillandi & criminandi messem inueniat.

Loci illius Apostolici: *Tunc & ipse filius subiicietur*; explicationem à Bellarmino allatam nō probat Danæus; aliam adducit; quam dicit Bellarminum discere debuisse ex commentariis eorum, quos *gratis* oderit; hoc est, Caluinistarum. Quæ igitur hæc tam recondita horum verborum explanatio, vt diligentiam diligentissimi & accuratissimi Bellarmini fugerit? Audi: *Hæc Pauli verba pertinent ad formam, & modum regiminis, quo Christus Rex omnium à Patre constitutus, omnia gubernat; per quem Vicarius Patris est, & agit. Tunc autem modus regiminis istius abolebitur. Omnis enim alia potestas, præter quam illa, quæ Deus est, cessabit. Erit enim, addit Paulus, Deus omnia in omnibus. Ergò, ad externum regimen respicit Paulus, quo Christus, vt caput, Mundum gubernat, & Ecclesiam suam, constitutis sub se, aliis ministris. Omnis igitur ista ratio regendi tunc tolletur.* Eadem ferè occinit ex Magistrorum suorum commentariis Iunius. Vides ergo istos totam subiectionem constituere in cessatione gubernationis illius, qua nunc Christus militantem administrat Ecclesiam, tanquam summus illius Rex simul & Pontifex. Sed num ideo iam non est subiectus Christus Deo Patri, quia summum in Ecclesia gubernanda locum tenet? An non vocatur à Danæo *vicarius Dei*? Num vicarius non est subiectus ei,

cuius vices gerit? Num tunc primùm subiicitur, quando desinit esse Vicarius? Quæro etiam ex Danæo, secundum quam naturam sit Christus Vicarius Dei in gubernatione Ecclesiæ? Si dixerit; secundum diuinam, *arianizabit*. Si secundum humanam, fateri ergo debet, iam quoque Christum, quamuis Ecclesiæ militanti imperantem, Patri subiici; quia Christus semper subiicitur Deo secundum naturã humanam. Omnia enim creata Deo, tanquam creatori, subduntur. Quod autem Apostolus ait: *Tunc & ipse filius subiicietur*: minimè indicare vult illâ voculâ *Tunc*, Christum in præsenti statu non esse subditum patri; sed emphasi quadam demonstrat, Christum, etiam in illo statu gloriæ, vbi nulla amplius erit pugna, nullus hostis, sed pax, quies & securitas sempiterna, subiectum iri; de quo forsan aliquis in fide rebusque diuinis adhuc tiro, ambigere potuisset.

Iunius ferè, vt dicebã, eadem nobis decantat; statuit in præsenti Ecclesiæ statu *regnum quoddam Christi mediatorium*, cui ait, *finem impositum iri in consummatione sæculi. Et tunc Christum, qui nunc regnum mediatorium obtinet, cum reliquis omnibus Patri fore subiectum.* Dic Caluinista; nonne iam quoque, cum *mediatorium regnum*, vt tu loqueris, Christus tenet; Patri suo subiectus est, secundum humanam naturam? Nega, si audes. Nam quod subiectionem istam post extremum iudicij diem futuram, refers cum tuo Caluino, *ad naturam diuinam*; non satis scilicet existimasti te supra in Notis ad Præfationem fortiter deliraſſe; nisi hic deliria tua nobis reponeres, atque adeo non sine additamentis recoqueres; tametsi nunc pharmacum quoddam Arianicæ opinioni tuæ adhibes, nimirum, subiectionem hanc accipiendam *de persona Christi secundum vtramq; naturam ipsius in communi indiuiso, non autem diuisim.* At siue diuisim dicas Christum secundum diuinam naturam Patri esse subiectum; siue coniunctim, secundum humanam & diuinam; stultam & insulsam blasphemiam eructas; Nam diuina natura filij, cum sit eadem numero, quæ Patris & Spiritus sancti, nullo modo siue cum humana, siue absq; humana, Deo subiici potest; quia subiici est inferioris, statuq́e minoris. Num minor Deo diuina Christi natura, quamuis cum humana in vna hypostasi copuletur? An natura diuina filij nõ est Deus? Quomodo igitur subiicietur Deo? An non oportet, vt id quod subiicitur; & is, cui aliquid subiicitur, reipsa distinguantur? quia subiectio propriè non est nisi inter realiter distincta; & quæ imparis conditionis ac sortis sint capacia.

Iteras stultitiam supra in Præfatione effusam: *Christum non naturaliter, sed sponte sua ac voluntariè Patri subiectum esse secundum diuinam naturam.* At tu non naturaliter, sed sponte & voluntariè *Arianizas*, vel *Nestorianizas*; quamdiu in hoc febrili somnio perstas. Quidquid enim moliaris, necesse

A est, te fateri, minorem esse naturam diuinã Christi, quam Deum; si ei subiicitur; nam subiectio siue sit voluntaria, siue necessaria & naturalis, imparem sortem & conditionem essentialiter includit: Et simpliciter impossibile est, quod supra itidem dictum, vt Christus etiam *voluntariè*, secundum naturam diuinam patri se subiiciat, propriè loquendo de subiectione; quia non potest velle id, quod per nullam potentiam effici potest. Nec iuuat te similitudo ex rebus humanis petita, vbi maior se subdere potest sponte minori, nobilior, ignobiliori; quia natura humana, saltem moralis quoad dignitatem, *maioritatis & minoritatis*, vt sic loquar, per vices capax est; minimè autem natura diuina Christi; quæ cum
B sit omnium suprema; sub nullius potestatem redigi potest.

Obiicit Caluinista Cyrillum lib. 10. Thesauri cap. 8. Vbi asserit. I. *Non destrui æqualitatem subiectione.* II. *Subiici plerunque æquale æquali dispensationis modo.* III. *Spiritus Prophetis subiici. 1. Cor. 14. nec tamen minores Prophetis esse.* IV. *Subiectionem non repellere filium ab æqualitate patris:* Ex quo sequitur, iudicio D. Cyrilli Christum secundum diuinam naturam patri esse æqualem, licet secundum diuinam naturam Patri subiiciatur. V. *In hominibus quoq; filios Patribus subiici, nec tamen minores vllo modo esse, quantum ad substantiæ naturaq; rationem. Si ergo debere ita fieri nemo negabit in nobis*, inquit D. Cyrillus, *neq; ideirco maiores esse, aut minores, natura dicet*
C *eos, qui subiiciunt, aut qui subiiciuntur: quare id in Deo quoq; similiter sine impietate fieri non putabimus? Non enim subiectio in ipso esse Filij est, aut ipsum esse Filij in subiectione; sed, cum in propria sit hypostasi, subiici Patri dicitur. Vnde subiectio minorẽ Filij naturam Patre ostendere non potest.*

VI. *Etiam Patrem subiici filio.* Subiicitur enim alteri, qui ei ministrat; Pater verò ministrat Filio, vt canit Psalmista. *Sede à dextris meis, donec ponam, inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Pater, quamuis ministret Filio, minor tamen ipso propterea non est: nec Filius, quia Patri subiicitur, minor Patre putandus est. Sed sensum verborum Apostoli modò consideremus. Omnia Pater per Filium operatur: idq; subiectionis conditio est, vt voluntatem Patris in omnibus Filius habeat.*
D

VII. *Subiici nos filio, nec tamen propter subiectionem naturam nostram in aliud mutari: voluntatis enim atq; cognitionis subiectionem esse. Similiter ergo Filium quoq; subiici Patri*; non mutatâ naturâ; *Deum enim esse incommutabilem.* Hæc & alia huius generis D. Cyrillus, per quæ & suam & Caluini sui impietatem Iunius excusare nititur.

Respondeo, D. Cyrillũ subiectionem aliquando impropriè vsurpare; aliquando propriè, sic tamen vt illam nec ad personam, nec ad diuinã naturam Christi; sed ad humanam duntaxat referat. Quod aliquando impropriè vsurpet, conuincere videntur illa verba; *Sed quid dicetis, si Pater quoq; subiici filio reperietur? Subiicitur certè alteri,*

qui

qui ei miniſtrat: Pater verò miniſtrat filio. &c. Vbi luce clarius liquet; D. Cyrillum *ſubiectionis & miniſterij* ſeu *miniſtrandi* nomen vſurpare impropriè; nam ſubiectio propriè dicta diſtinctionē minimum duorum connexam habet. At Pater non diſtinguitur ſecundum naturam à natura diuina filij, cum ſit vna & eadem vtriuſque. Si dicas: Patrem vt Patrem, hoc eſt, ſecundum hypoſtaſin, qua realiter à filio diſtinguitur, miniſtrare atque adeo ſubiici filio ex D. Cyrilli ſententia. Reſpondeo, neque iſtud hic habere locum; quia ad ſubiectionem & miniſtrationem propriè dictam requiritur inæqualitas, ſi non naturæ & eſſentiæ; attamen dignitatis. Dignior eſt enim is, cui miniſtratur, qua talis; quàm qui miniſtrat, quatenus & ipſe talis, propriè loquendo de miniſterio: *Nam quis eſt maior, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit?* Lucæ 22. At in perſonis diuinis, nihil eſt maius aut minus; nihil ſuperius aut inferius etiam quoad dignitatem; nec poteſt eſſe; ne ex condeſcenſione quidem, & ex libera voluntate; quia repugnat naturæ diuinæ & ipſis perſonis, vt aliqua ſeipſam liberè ex diſpenſatione quadam minus dignam alterâ perſonâ faciat; quandoquidem par dignitas omnibus naturaliter ineſt. Itaque neceſſario dicendum eſt; D. Cyrillum, prædicto loco nomen *ſubiectionis* accepiſſe impropriè & abuſiuè, maximè cum cæleſtis Pater hoſtes, vt ſcabellum pedum, ſubiecturus ſit Chriſto; non quatenus Deus eſt; ſiue ſecundum naturam diuinam; ſic enim Chriſto æquè ac Patri omnia ſubiecta ſunt; ſed quatenus homo eſt, ſeu ſecundum humanam naturam; Ex quo conficeretur, Deum vt Deus eſt; Chriſto ſecundum humanam naturam ſubiectum eſſe; ſi D. Cyrillus *ſubiectionis* vocabulum propriè vſurpaſſet.

Sic impropriè vſurpatur, ſequentibus mox verbis, ſi illa (per filium) referas ad diuinā naturam filij. *Docet igitur Paulus*, verba Cyrilli recito, *in futuro quoq; ſeculo Patrem in nobis non aliter, quam per Filium habitare; ideo ſcribit; Quando ſubiecta filio erunt omnia, tunc ipſe quoq; Patri ſubiicietur, qui ſibi omnia ſubiecit. Et addit: Vt ſit Deus omnia in omnibus. Videtur ergò dicere; nemo putet aliter nos, quam per Filium Patrū fore participes in venturo ſeculo. Per ſubiectionem ergò nihil aliud ſignificare voluit, quàm Filium nobis Patrem etiam tunc largiturum. Et ita ſubiectio non minorem Filium oſtendit, ſed identitatem Trinitatis demonſtrat incommutabilem, quæ nunquam aliter ſe habebit, ſed erit etiam in illo ſeculo Pater per Filium omnia in omnibus, & vita, & incorruptibilitas, & gaudium, & virtus, & quidquid ſanctis gratia dabitur, ex Patre per Filium in Spiritu dabitur.*

Quamquam nil vetat hæc verba: *per filium*; referri ad Chriſtum, vt hominem; ſeu ſecundum humanam naturam; nam quidquid chariſmatum ſanctis diuinitus aut datur aut dabitur, id per Chriſtum hominem ſeu ſecundum humanā naturam, datur aut dabitur: Et Deus Chriſto ſecundum humanam naturam vtitur, vt ſic dicam, tanquam medio & inſtrumento, quo omnia dona cæleſtia ad nos deriuantur, & in nobis efficiuntur. & Chriſtus hoc modo Deo propriè ſubiicitur & ſubordinatur; nec mirum, quādoquidem humana Chriſti natura eſt creatura. Hanc ſubiectionis ſpeciem ſæpius poſtea indicat D. Cyrillus in eodem capite: *Subiectus nunc quoq; Chriſtus Patri eſt, non tamen pro omnibus; ſed pro ſolis credentibus in eum, pro quibus, ſeipſum tanquam immaculatum agnum, Patri obtulit, vt ab omni peccato liberates Patri offerret.*

Ex quibus perſpicuè eluceſcit, S. Cyrillū hanc ſubiectionē ſtatuere ſecundum humanā Chriſti naturā; ſecundū hanc enim obtulit ſe Patri tanq; agnum immaculatū. Subiungit S. Cyrillus. *Quādo igitur omni vndiq; exterminato errore, vniuerſus terrarū orbis ad verū Deum conuerſus, Dominū Deum IESVM Chriſtum confitebitur, ſalutariaq; ipſius mandata ſequetur: tunc, inquam, quia omnes ibi erunt ſubiecti, ipſe quoq; pro omnibus Patri ſubiicietur, & Pontifex omniū ſimpliciter factus, omnibus per ſe ipſum participationē Patrū largietur.* (En ſubiectionē Chriſti ex Pontificatu eius æſtimat. At Chriſtus Pontifex fuit & eſt, non ſecundum naturā diuinam; ſed humanā) *Sic enim Deus erit omnia in omnibus, per Filium in omnibus habitans.* Ideo, non dicit; tunc ipſe quoq; Filius Patri, vt minor ſubiicietur: ſed, ſubiicietur, inquit, vt ſit Deus omnia in omnibus. *Videt, quia mediationem Filij, qui nos ad Patrem adducit, ſermo hic ſignificat.* (En in officio Mediatoris ſubiectionem Chriſti collocat. Chriſtus autē Mediator fuit ſecundum naturam humanam tanq; principium proximū; vt ſupra ad præfat. notauimus, & ex inſtituto tractabitur infra lib. 5.) *Simul enim rurſus cum ſanctis erit, & ſeipſum proportionaliter ad gratiam ſingulorū omnibus largietur, vt per ipſum Patrū omnes ſint participes: & hic eſt ſubiectionis modus. Patris enim benedictionem naturaliter per ipſum in Spiritu ſancto conceſſam, vocatis in regna cæleſtia ipſe miniſtrabit.*

Addit S. Cyrillus. *Hæc autem miniſtratio atq; ſubiectio* (nempe ſecundum naturam humanam) *non repellit eum à naturali dignitate filij. Nam quamuis natura filius & æqualis Patri* (ſecundum diuinā naturam) *condeſcendens tamen etiam tunc* (nimirum ſecundum humanam naturam,) *miniſtrabit Patri,* (dum omnia dona cæleſtia ad ſanctos etiā in illo feliciſsimo æternæ beatitudinis ſtatu non niſi per Chriſtū, quatenus homo, deferentur ac peruenient.) *Cognitionem Deitatis nobis largiens, vt tantū cognoſcamus, quantum recipere poſſumus.* Quando igitur dicit D. Cyrillus, *perſpicuum omnibus eſſe non deſtrui æqualitatem ſubiectione; & æquale æquali ſubiici*; intelligi id debet, ſecundum diuerſos reſpectus ac habitudines. Nam in Chriſto non deſtruitur æqualitas Chriſti ſecundum naturam diuinam cum Patre; per hoc, quod Chriſtus Patri ſubiicitur ſecundum aliam habitudinē, nempe ſecundum naturam humanam. & in humanis quòque æqualitas naturæ humanæ in ſubdito cum ſuo

Domino non destruitur per subiectionem politicam, qua subditus suo Domino subiicitur. AEquale itidem æquali subiicitur, nõ formaliter & reduplicatiuè; sed materialiter & specificatiuè: nam Christus, qui cæleſti Patri æqualis est, subiicitur Patri, non secundum id, quo Patri est æqualis; sed secundum naturam humanam, qua Patri est inæqualis. Et seruus subiicitur Domino non secundum id, quo naturaliter Domino æqualis est, nempe secundum humanam naturã; sed secundum alios ciuiles respectus Domino subiicitur, vt quatenus est instrumentum quoddam eius, &c.) *Quomodo autem subiectio* (secundũ humanam naturam) *ab æqualitate Patris* (secundũ naturam diuinam) *Filium depellere poterit? Nonne quoq; filij Patribus subiiciuntur* (non secundũ physicam naturæ æqualitatem, sed secundum respectum causſæ & causſati) *nec tamen minores vllo modo sunt, quantum ad subſtantiæ naturæq; rationem*, inquit S. Cyrillus. Si hoc fit in hominibus quoad subſtantiæ & naturæ rationem, cur idem non posſet contingere in Christo, vt quamuis secundum naturam humanam Patri subiiciatur, eidem tamen, quoad diuinam naturam perfectè sit æqualis?

Non enim subiectio in ipso esse Filij est, inquit D. Cyrillus, *aut ipsum esse Filij in subiectione; sed cum in propria sit hypoſtaſi, subiici Patri dicitur*; videlicet secundum assumptam naturam humanam. Vnde subiectio (secundum humanam naturam) *minorem Filij* (diuinam) *naturam Patre ostendere non potest.* Ostenderet autem, si esſet secundum naturam diuinam, vt cum Caluino suo contendit Iunius. *Subiicimur nos*, ait S. Cyrillus, *Filio* (Dei) *nec tamen propter subiectionem natura nostra mutatur.* (Natura quidem non mutatur, & eiusdem omnino speciei sumus cum natura humana Christi; attamẽ, quatenus nos homines Christo homini subiicimur, ipso simpliciter non natura; sed statu, loco, sorte, conditione inferiores sumus, & ipse superior.) *Similiter ergo Filius quoq; subiicietur Patri, non mutata natura*: quia subiicitur secundum humanam naturam, quæ immutabilitati naturæ diuinæ nihil adimit. Nam si secundum naturam diuinam propriè Christus subiiceretur Deo, tunc esſet necessarium; Christum secundum naturã diuinam esſe minorem Patre; atq; adeò creatũ; cum enim, vbi propriè dicta est subiectio, oporteat esſe numero diuersa, & distincta; idem hic euenire oportet; at si Christus quoad naturam diuinam numero differret à Patre, minor Patre esſet; quia impossibile est, vt sint duæ numero distinctæ naturæ diuinæ æquales, & per consequens natura eius esſet creata; quia quidquid est infra Deum est; creatum est.

Quod si quis subiectionem in ipsis diuinis hypoſtasibus Patris & Filij constituat, necessariò vnam alteta maiorem, & digniorem facere debet; si non, vt ita dicam, quoad entitatem; attamen quoad auctoritatem, & præcipiendi facultatem; nam superioris est præcipere: subditi, præcepta facere. At quis talem subiectionem in diuinis ferat? Nihil itaque emolumenti accedit blaſphemiæ Caluinianæ & Iunianæ ex D. Cyrillo; qui Christum Patri propriè esſe subiectum secundum naturam diuinam nunquam asſeruit; sed vanitatem istius consequentiæ demonstrauit: *Christus est subiectus Patri*, nempe, secundum naturam humanam, sic enim intellexit; *Ergo est minor Patre.*

Attribuit Iunius Bellarmino hunc syllogiſmum. *Quidquid subiectum est, creatum est, natura diuina filij subiecta est, ergo & creata. Propositionẽ distinguo*, inquit Iunius. *Nam quidquid subiectum est natura sua, creatum est: at non quidquid subiectum voluntate, nam etiam persona increata se potest subiicere voluntariè, & re ipsa fecit. Minorem, siue assumptionem negamus propriè loquendo. Nam persona Filij propriè loquendo, in communi subiecta est: Commune autem iniquum est diuidi.*

Sed hoc iam euertimus: impossibile enim est, vt vbi est eadem numero res & naturæ identitas, ibi sit subiectio; vt & ibi, vbi prorsus est eadem auctoritas, maiestas, potestas, quæ in realiter distinctis diuinis hypoſtasibus ineſt. Et quicunque contrarium asſerit; is veræ & propriæ dictæ subiectionis, notionem non ntelligit; quidquid demum de naturali & libera seu voluntaria subiectione garriat.

Porro verba illa Iunij: *Persona filij propriè loquendo in communi subiecta est*: Castigatione egent; quia & obscura sunt, & hunc sensum falsum subſtratum habent: *Persona Filij propriè subiecta est, vt subſiſtit in vtraque natura*; quod Iunius vocat *commune*, & *diuidi posse* negat. Hinc scribit; *Hæc non de natura diuina filij, sed de persona dicuntur, secundum vtramque naturam ipsius in communi indiuiso, vt loquuntur.* Cæterum non agitur, vt diuidantur naturæ, sublata vnione; sed quid cuique proprium sit quæritur; proprietates naturarum non sunt vnquam confusæ, sed inconfusæ & impermixtæ, ita vt operatio vnius, non sit operatio alterius; quamuis coniunctæ in eadem hypoſtaſi. Hinc si solius naturæ humanæ est subiici, sicut reuera solius est; fieri nequit, vt subiectio competat quoque naturæ diuinæ, quamuis vniatur cum humana in eadem hypoſtaſi, atque fieri nequit, vt persona secundum ambas naturas licet hypoſtaticè vnitas, subiiciatur.

Dicat quis: Caluini dictum, non ita rigidè & inclementer accipiendum; sed benigna aliqua interpretatione molliendum esſe. At refragatur Lutherus, mandatque, vt cum huiusmodi hominibus absque misericordia agamus. & *lubrica*, atque adeo *Ariana & Neſtoriana dicta*, contra illos interpretemur, vt vidimus supra in Defensione Præfationis: Et de Caluino satis superque constat; eum ita fuisse affectum, vt nihil quod *Arianum* vel *Neſtorianum* esſet, admodum alienum abs se putaret.

Tria adhuc vel quatuor, vbi notauero, capiti huic finem imponam. Primum eſt; Iunium concedere hanc propoſitionẽ: *Chriſtum eſſe inferiorem Patre ſecundum naturam diuinam ſubiectiuè; hoc eſt, ex libera voluntate, quæ liberũ eſt principium actionum omnium, quæ dicuntur voluntariæ.* Quo quid ſtolidius? Quaſi verò per vllam voluntatem etiam Dei, fieri poſsit, vt natura diuina in Chriſto ſit inferior Patre. O ſtolonem maniacum & Arianicum.

Obiiciat fortè quis, Iunium hoc ſuo modo loquendi, nil aliud velle, quàm *in diuina natura inéſſe voluntatem illam, qua voluit ſubiici per aſſumptam humanitatem, qua formaliter ſubiectus eſt.* Sed, vt id ita eſſet, contra illum ex lege Lutheri iam ſæpius nominata; hæ tam lubricæ & flexuoſæ locutiones interpretandæ eſſent.

Deinde reclamant omnia propemodum Iunij verba: quia apertiſsimè dicit; *Chriſtum ſecundum naturam diuinam ſubiectiuè fuiſſe inferiorem Patre; tametſi non cauſſaliter, pro eo, quod eſt, ex iure & modo ſeu conditione naturæ diuinæ, ſed œconomicè & diſpenſatiuè per liberam voluntatem ſuam.*

II. Iunium libentius vſurpare & concedere hanc propoſitionem. *Chriſtum ſecundum perſonam eſſe inferiorem Patre.* Non extricas te ex luto vel Ariano vel Neſtoriano; ſed magis intricas; quo plura fabularis. Tace, quæſo, & faucibus tuis frænum impone. Quia æquè Arianum eſt dicere, Chriſtum ſecundum perſonam eſſe ſubiectum Patri, ac dicere; ſubiectum eſſe ſecundum naturam: quia perſona Chriſti Deus eſt, fieri ergo non poteſt, vt Chriſtus Patri ſecundum perſonam ſubiiciatur.

III. *Chriſtum habere regnum quoddam perſonale; hoc eſt, quod ratione perſonæ ei competat, ex diſpenſatione voluntatis; quod perſonæ Chriſti ſit proprium.* Quale hoc regnum? Num illud, quod Iunius vocat *Mediatorium?* Agedum dic, num eſſe Mediatorem conuenit Chriſto ſecundum perſonam? Num officium hoc eſt Chriſti proprium ſecundum perſonam? Non nego, perſonæ Chriſti conuenire officium Mediatoris; eſt enim perſona Chriſti principium quod operationum *mediatoriarum*; ſed conuenire ei ſecundum perſonam, hoc dico Caluiniſmum redolere. Nam *&pati, crucifigi, mori* competebat olim perſonę Chriſti; at non ſecundum perſonam; ſed perſonæ ſecundum humanam naturam: Neque enim verũ eſt; Chriſtum eſſe paſſum & mortuum ſecundum perſonam; ſed perſonam ſecundum humanam naturam. Perſona enim Chriſti æquè eſt impaſsibilis & immortalis ac natura diuina Chriſti; & æquè nulli poteſt ſubiici ac diuina Chriſti natura: Propterea æquè abſurdum eſt dicere, Chriſtum ſecũdum perſonam ſuam fuiſſe ſubiectum Patri; ac dicere; Chriſtum ſecundum naturam diuinam fuiſſe ſubiectum Patri, vt antea dictum: tametſi veriſsimum eſt; perſonam diuinam Chriſti fuiſſe ſubiectam Patri; non in ſe, ſed in natura humana; ſeu quod eôdem recidit, ſecundum naturam humanam. Sed Iunius imperitè iſta duo confundit: *Perſona Chriſti ſubiecta fuit Deo*, nempe, ſecundum naturam humanam: Et *Chriſtus ſecundum perſonam fuit ſubiectus Deo*: cum tamen magno diſcrimine diſtent.

Stultè etiam metuit, duas Chriſti naturas in vna hypoſtaſi vnitas diuiſum & diſtractum iri, niſi dicamus, perſonam Chriſti ſecũdum vtramque naturam ſuam *in communi indiuiſo*, hoc eſt, prout naturæ indiuiſim in vna hypoſtaſi vnitæ conſiderantur; Deo fuiſſe ſubiectam. Non enim magis diuidit naturas, qui dicit; perſonam Chriſti tantùm ſecundum humanam naturam fuiſſe Deo ſubiectam; ac qui dicit; perſonam Chriſti tantum ſecundum humanam naturam eſſe paſſam, crucifixam, mortuam.

Certè qua ratione dicit Iunius, perſonã Chriſti ſecundum vtramque naturam *in communi indiuiſo* fuiſſe ſubiectam Deo; ne diuidat vnitas naturas: dicere item debebit, perſonam Chriſti paſſam, crucifixam & mortuam fuiſſe, ſecundum vtramque naturam *in communi indiuiſo*; quia ſi ibi diuiderentur & diuellerentur naturæ, niſi aſſereretur id, quod aſſerit Iunius; cur non & hic? Aut ſi non hic; cur, quæſo, ibi? Quaſi verò vnio hæc naturarum in vna hypoſtaſi, proprietates earum confuderit; & quod vnius eſt, in alteram tranſfuderit.

CAPVT XVII. XVIIII. XIX. XX.

TERVM nimis prolixus eſt Danæo Bellarminus in his capitibus, quibus Arianorum & Samoſatenianorum veterũ & recentium argumenta vel potius anilia nugamenta diſſoluit ac diſsipat. Quam repetitam querelam neſcio vnde exſiſtere feram, niſi quòd Danæo ægrè eſt, amicos, vel certè ſocios ſuos Arianos, Neſtorianos, Samoſatenianos & Tritheitas tam fortiter ac potenter Bellarmini inuictis armis profligari. Mallet videlicet cum arcto amicitiæ nexu fœderatis mitius agi. Calumniam de petitione matris filiorum Zebedęi Matth. 10. deq; reſponſo Chriſti, quam hîc Danæus texit, refutatã inuenies apud Cydonium noſtrum libro 2. cap. 5. Quem conſule.

Iunius inuerecundè denuo negat Lutherum ex Litaniis expunxiſſe illud: *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.* De qua impudentia dictum eſt ad Præfationem. Inſpiciantur Litaniæ Latinæ & Germanicæ Lutheri, quæ exſtant Tomo octauo Germanico; & quæ in Lutherano *um Agendii* ſeu libris Ritualibus legũtur. Si inuocatio hæc comparuerit, Iunius hoc loco nec mendax, nec calumniator haberi debebit. Nam apud Caluinianos nec volam nec veſtigium Litaniarum reperiri, vel pueri in triuiis & compitis norunt.

Ad caput decimum nonum iterum effundit Iunius ſuos Arianiſmos: *Chriſtum, qua homo erat, naturaliter fuiſſe in potentia ad recipiendum: Qua mediator, id eſt, Deus & homo, fuiſſe in potentia ad recipien-*

dum etiam secundum naturam diuinam in se per œconomiam voluntariam vsum earum rerum, quibus se per eandem œconomiam inanierat. En inauditam in omnibus hucusque eruditis & orthodoxis scholis seu opinationem seu delirationem. In natura diuina, quatenus est natura mediatoris Christi, ponit iste *potentiam passiuam & receptiuam.* O monstrũ in Caluini stabulo æternis vinculis coërcẽdum; & ne quid stultitię deesset; fingit potentiam hanc non fuisse *diuinæ naturæ naturalem*, sed *voluntariam ac liberam*: quasi verò Deus per liberam suam voluntatem facere possit, vt *potentia passiua*; quæ diuinæ naturæ naturaliter non competit; competat per liberum voluntatis actum. An non est natura diuina ens necessarium, immensum, infinitum in perfectione? Num vlla re, quam postea recipiat, se abdicare potest? ô somnia plusquam phrenetica.

Nec exinanitio illa, de qua ad Philippens. cap. 2. in hoc sita est, vt natura diuina aliquam suam perfectionem per dispensationem liberè deponat, sed in hoc, quòd Deus formam serui accipere, & in vna secum hypostasi vnire dignatus est, cum iis quidem circumstantiis, quæ omnibus Christianis notæ sunt; naturâ diuinâ inuiolabiliter sua in maiestate atque gloria perseuerante, absque vlla decessione. Quid enim deente immutabili decederet?

Simile portentum est, quod proximè subiicit Iunius: *Iure œconomiæ voluntariæ cessit vsu rerum suarum diuinitas eius ad opus mediationis & redemptionis nostræ.* Obsecro te, quarum rerum vsu cessit diuinitas seu natura diuina? Quid propter officium Christi mediatoris dimisit, quod ei alioqui naturaliter competeret? Dic, oro, Iuni, vt tanta mysteria tecum pariter intelligamus & suspiciamus: *Est*, inquis, *pauper factus propter nos, cum esset diues.* At num pauper factus est secundum naturam diuinam? Hic tandem expeditum da nobis responsum. *Natura diues est.* Omnino: *Consilio misericordiæ & voluntate pauper.* Iterum quæro. Secundũ quam naturam? Si secundum diuinam; peiores Ariano. Filius Dei factus est pauper & inops, eedo, secundum quam naturam?

Finis libri primi de CHRISTO.

DEFENSIO LIBRI SECVNDI DE CHRISTO REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT I. II. III. IV. V. VI.

DANÆVS circa hæc capita admodum bene cum Bellarmino contentus est; vt parum absit, quin dexteram iungat; quod vel ex his eius pronunciatis intelliges. *Stant, quæ binis aut ternis capitibus traduntur.* Mirum, ni sedeant. *Vnum tamen nutat.* Forsan in nutante & nictante Danæi capite. Quid illud? Non placet Danæo, quòd Bellarminus dicit, nos propter nouas hæreses cogi noua nomina inuenire: vt ab illis perspicuè distinguamur, & Catholici sciant, quid credere debeant. Vide, inquit, Augustinũ tract. 97. in Ioan. vbi ostendit fugiendas profanas vocum nouitates, sed, non ipsa nomina noua, quæ contra ipsas hæreses instituuntur.

Prima ratio, inquit Danæus, *puerilis est.* Cur puerilis? An non grauissimi ponderis res est, vt Catholici non tantùm animo & sensu; sed & verbis, loquendiq; formulis ab Heterodoxis discriminentur? An vocabulum *Homousij*, quo tanquam certo symbolo Catholicos ab Arianis secernebant, tu pro re puerili & ludicra ducis? *Posterior ratio*, inquit Danæus, *falsa est.* Si loqueris de illa; *vt Catholici sciant, quid credere debeant*, caussæ nihil dices; cur te meritò mendacij nó arguam. An non vox *Homousij* in Concilio Nicæno & pòst, ea item de caussa celebrata & frequentata est, vt Catholicis omnibus constaret, quid fide tenendum, quid abiiciendum esset, tametsi vox hæc Concilio Nicæno antiquior esset? Si loqueris de dicto D. Augustini, quod Bellarminus adducit, imperitè rationem vocas, quia non est ratio cur noua vocabula sint procudenda & vsurpanda. Sed affirmatio, noua nomina contra nouas hæreses instituta, licite ac iure vsurpari. Deinde, verba Augustini & Bellarmini fraudulẽter deprauas. Non enim dicunt, *vocum nouitates*, sed, *profanas vocum nouitates*, à nouis vocabulis differre; & idcirco fugiendas esse.

II. Danæi pronunciatum: *Quæcunque hũ duobus capitibus* (quarto & quinto) *continentur & doctè & orthodoxè scripta à Bellarmino agnoscimus.* Quàm benignè. Nec hoc satis. *Itaq; probamus. Canderem agnoscimus,*

scimus, cum Genebrardum damnat, Caluinũ laudat. Ego hic candorem tuum, Danæe, desiderare cogor. An ideo Bellarminus damnat Genebrardum, laudatq́; Caluinum, quia vno in loco Caluinum non rectè à Genebrardo reprehensum & refutatum scribit? Si hoc in laude Caluini ponendum censes, ponas licet; nõ impedio; quia noui etiam olitores aliquando opportuna imò & opportuniora quàm alios, loqui. Sed hac de re copiosius agit ipsemet illustrissimus Cardinalis in Recognitione suorum Operum.

III. Danæi pronunciatum: *Meritò gratias Bellarmino in hoc capite 6. agimus* (quàm gratus Danæus) *quod tam sedulò & methodicè trium diuinarum personarum distinctionem, tamque eruditè contra Arianos & veteres & nostri temporis confirmauit.* Si tam plenis tibiis Bellarminus Caluinum laudasset; quæ tuba, quæ buccina Danæo ad diffundendam tam insignem laudem sufficeret? Hoc tamen tam verum encomium fœdat gemino mendacio: Bellarminum *hæc ex Caluinistarum scriptis accepisse*; *idq́; celare.* De quo iam lib. I.

Iunius mentitur, *etiam Gnosticos olim in pessima sua causa vsos vocabulo Homousij.* idq́; apud Irenæum *permultis locis legi.* Vel vnus mihi satisfaciet. Vnus monstretur, & adquiescam. Non sum planè hospes in Irenæo. Non memini tamen me vel semel, nedum multis locis, hoc in Irenæi scriptis obseruare.

Ad caput quartum grammaticatur Iunius nescio quid rancidulum de vocibus *vsiæ & hypostaseos.* Theologi est vocabulis vti prout fert recta & salutaris Ecclesiæ cõsuetudo; quidquid vel olim factum; vel etiam nunc fieri queat, si quis ipsa nomina Grammaticis duntaxat oculis intueatur.

Capite quinto onerat Iunius Bellarminum mendacio; quasi sententiam S. Augustini ex lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. *incommodè recitauerit.* Sed tam Augustini, quàm Bellarmini; lectione & inspectione, in fumum abibit huius commenti vanitas.

Capite sexto arbitratur Bellarminus non esse admodum firmum argumentum, quod ducitur ex consuetudine Hebræorum nomen Dei plurale cum verbo singulari iungentium; vt *elohim bara, Dij fecit.* Qua phraseos forma Trinitatẽ personarum, & vnitatem essentiæ innui existimant: hunc enim esse linguæ Hebrææ morem, vt vocabula pluralia singulari sensu accipiat; & cum singularibus construat: idq́; non tantùm in nomine veri Dei; sed & cum de falsis Diis, aliisque sermo instituitur, vsuenire.

Iunius ita intricatè hic nugatur, vt vix statuere queas, num stet pro Bellarmino; vel contra Bellarminum. Dixerat Bellarminus: mirum videri posse, cur, si Hebraicè dicere liceat de diuinis personis; *iuerunt Dij*; non idem concessum sit Latinis. Quibus appingit Iunius hanc notã: *Ergo siue nomen plurale singulari iungas, pluralitatem personarum vides in vnitate essentiæ; siue pluralia nomina, vt Dij sancti, Iosue 24. mariti tui, opifices tui, Esaiæ 54. siue nomen cum verbo: ita pluralitas non Deorum essentialiter, sed personarum τὸ ὁμοούσιον in vna essentia diuina ostenditur. Hæc illa est ratio, quam Bellarminus desiderat.*

Dubito, num hæc Iunius vigilans scripserit. An non palam scribit Bellarminus, nomina Dei Hebraicè in plurali cum verbo singulari posita; non habere significationem pluralem, sed singularem? An non idem dicit; si nomen veri Dei copuletur cum verbo plurali, vt interdum fieri, allato exemplo, demonstrat Bellarminus: idemq́; diceret Bellarminus, si nomen veri Dei pluraliter iungeretur cum nomine adiectiuo plurali; quod Iunius accidere scribit Iosue 24. in illo, *Dij sancti.* Si enim vocabula hæc tantum sunt pluralia quoad syllabas, sensu autem & significatione singularia, vt vult Bellarminus; fieri non potest, vt pluralitatem personarum in vnitate essentiæ designent; quandoquidem singularem significationem habent, non pluralem. At Iunius putat habere significationem pluralem. Hoc tamen non debet putare, sed probare. Neque hic tempus est *putandi*, sed probandi: alioqui non labefactabit opinionem Bellarmini: Et quam rationem Bellarminus desiderauit? *Hæc est*, inquit, *illa ratio, quam Bellarminus desiderat.* Nihil prorsus rationis in tuis verbis video; sed multum inanis assertionis.

Quærit Bellarminus; quare liceat Hebraicè de diuinis personis dicere, *iuerunt Dij*: & Latinè non liceat? Tu pulcherrimè scilicet respondes: *Ergo siue nomen plurale verbo singulari iungas, &c.* Quàm apta responsio; si tamen crassa ineptia appellari potest apta. Nec à te, nec ab alio Caluinista exspectabat & desiderabat Bellarminus huius rei rationem; quia eam non ignorabat, cum mox subiunxerit: hoc contingere ex more Hebræorum, quibus nomen plurale rem singularem significat, qua consuetudine latini carent; habent tamen Germani; qui de vno & ad vnum, sed honoratiorem: *Vos iuistis.* pro, *tu iuisti.* Rectius fecisses, si rationi Bellarminianæ opposuisses, Latinos itidem non penitus hac consuetudine carere: nam & vnus quispiam de se loquens: *Nos*, inquit, *hoc fecimus. Nos scripsimus*: Vbi vides, locutionem structura pluralem; sensu singularẽ. Quidquid sit de hoc, certum est, apud Latinos inusitatum esse; nomen veri Dei pluraliter de personis diuinis enunciare, siue cum verbo alióue adiuncto singulari; siue plurali.

Ait Bellarminus, nullum vel Græcum vel Latinum Interpretem ex Hebræo vertisse, *Dij*: hoc ipso igitur significari nomen Dei plurale apud Hebræos, accipi singulariter. Iunius dicit, *hoc ideo factum, quod septuaginta Interpretes mysterium Trinitatis, aut ipsi non viderint, aut si viderunt, aliis palam proponendum non censuerint. In nouo Testamento stylum esse mutatum; Hieronymum & alios Interpretes stylum nouum legi secutos.* Sed quid has muscas Iunianas vel memoro vel persequor? Fecit hoc diffusè

Caluí-

Caluinianus Drusius libello peculiari de voce *Elohim*, & in Responso ad Quæstiones Anonymi Theologi ex Germania. In quo libro non modò Bellarmini sententiam, quam hoc loco tradit, amplectitur, sed & verba eius verbatim exscribit & Iunio, Iunianisque discipulis opponit: vt & suum Caluinum, & in Caluini castris, commilitonem Danæum, & Mercerum; & ex Catholicis Caietanum, Pererium, alios. Quibus Iunius nil opponit, quàm Abenezram, hoc est, *Grammaticum Theologū*, inquit Drusius, *& Iudæum vnum tot Christianis. Quod nollem à me factum: Nam crimen esset. Sed illis licet, quod libet:* Ita Caluinianus Drusius.

CAPVT VII. & reliqua vsq; ad XIX.

AD caput septimum agit Danæus encomiasten Bellarmini: *Verissima*, inquit, *Bellarmini solutio est, ad Valentini Gentilis impium argumentum.* Rectè, sentis, ô Danæe. Perge, *Ioannis VVigandi* (Lutherani) *solutio falsa.* Rectissimè iudicas. *Nec enim essentia in diuinis generat essentiam, ne fiat essentia diuina multiplicatio.* Iterum bene & sentis & scribis. Et tamen Lutherus, auus tuus, adeo desipuit, vt essentiam in diuinis & *generare* & *generari* affirmarit; suisq; assectis ad hanc vesanam stoliditatem viam præiuerit. Mendacia, quæ de auctore huius propositionis: *Essentia diuina nec generat nec generatur*; Danæus effundit; refutat Cydonius lib. 1. castig. Danæanæ cap. 4.

Quidquid hoc loco Transyluanis respondet Bellarmino, admittimus, inquit Danæus ad caput octauū. Gratias ago pro tam liberali admissione, etiam sine vllo *Admissionali*. Aegrè fert Danæus, Aretium vocari à Bellarmino *Zvvinglianum*. Sed cum Aretium non puduerit esse Zvvinglianum, causse nihil dicere potest Danæus; cur quod esse voluit, dici non possit.

Ad caput nonum rursus Bellarmini laudes. *Quæ reliqua in hoc capite traduntur, & nos concedimus quoque, & verè aduersus Arianos dici fatemur.* Adquiescamus ergo. Displicet Danæo; quòd Bellarminus scribit, *genitum* & *ingenitum* nec esse substantias nec accidentia; vel, nec substantias, nec accidentia significare.

Occinit Danæus. *Quidquid est vel dicitur verè de alio, illud vel substantia est, vel accidens. neq; potest quidquam hanc διχοτομίαν euitare.* In quales angustias coniecit nos Danæus? Euades tamen leui nisu, si quod asserit; simpliciter neges. Nam nec substantiam nec accidens de Deo enuncio; cum has enunciationes de illo profero: *Deus non est lapis, Deus non est leo, Deus non est lignum*: quia negationes continent; negationes autem nec sunt substantiæ nec accidentia: vt taceam alia, quæ Philosophi in hoc Danæano axiomate vel arguent, vel desiderabunt. Cum ergo *ingenitum* & sit & significet negationem processionis, fit, vt cum de Deo seu Patre asseritur, nec substantia nec accidens de illo asseratur.

A Genitum relationem significat; inquit Bellarminus. *Relationes autem diuinæ, sunt quidem rationes substantiales, & realiter ipsa Dei substantia: tamen, vt distinguuntur ratione ab essentia, non dicunt substantiam, quia relatio, vt relatio, non est substantia. Nec dicunt accidens, quia, in Deo nullum est accidens. Ita respondit Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 3. 4. & 5.* Sic Bellarminus. Quæ cur non refelliſti, si displicebant? nisi fortè existimas, nos refutationis loco reputare debere, ea, quæ hic in chartam euomis immania portenta. *Ingenitum pertinere ad accidens Dei, & quidem separabile; similiter & genitum.* Dic, oro, suntne in Deo accidentia? Qualisnam hæc Lemannica Metaphysica: quæ tamen admodum in sectariorum scholis est trita, & indies magis ex istorum ruditate inualescit.

B Quod autem ex *ingenito* & *genito* separabile accidens facit; *ratione*, vt ait, *essentiæ*; id non minuit stultitiam, sed conduplicat: Nam & essentia, seu Deus essentialiter sumptus; est *ingenitus*, vtpote omnis processionis expers. Quod si *genitum esse*, esset accidens separabile Dei, ratione essentiæ; quia de essentia non prædicatur; esset etiam accidens separabile Patris, & Spiritus sancti, quia de neutro prædicatur aut prædicari potest. Et quāuis reuera genitum esse, esset accidens; num ideo dici posset *accidens separabile*, ratione essentiæ vel Patris, & Spiritus sancti, quia de essentia, Patre & Spiritu sancto verè non affirmatur? An risibile est accidens separabile bouis; candor, corui; nigredo cycni; quia nec risibile de boue; nec candor de coruo; nec nigredo de cycno verè prædicatur?

C Vide nunc & hoc monstrum. *Genitum est accidens inseparabile Filij, ingenitum, ratione Patris.* Arbitror *stoliditatem* esse inseparabile accidens Danæi, & omnium, qui accidentia seu separabilia seu inseparabilia in Deo ponunt. Quis enim, nisi validissimè infatuatus, accidentia in Deo statuat? Quod ait, *Ingenitum esse relationem*: falsum, si loquatur de relatione reali; falsum item principaliter significare relationē rationis; si de hac fortè Danæus loquitur; quia primariò negationem processionis denotat; quę relationem quandam rationis adiunctam habet.

D Ride & hoc monstrum. *Quidquid est, essentia est, vel accidens.* Si referas ad diuina; falsissimum est, tum alias ob caussas, tum quia in Deo nihil loci accidentibus relinquitur; si referas vniuersim ad omnes res: falsissimum itidem est; nam persona seu personalitas & hypostasis in homine v. g. nec est essentia hominis, nec accidens eius; vt norunt quicunque meliorem, quàm sit Caluiniana & Lutherana, philosophiam didicerunt. Lege Cydonium lib. 2. castigationis Danæanæ cap. 2. vbi hæc Danæana *accidentia* probè examinat & profligat.

Ad caput 10. & 11. calumniatur Danæus, Bellarminum *inutilia reuocare, & iam millies confutata, velut repotia, reponere, & obliterata commemorare.* Quæ ve-

risima sunt, si ad Danæi partim conuicia, partim mendacia referantur. Nam inutilia reuocat, & iam millies audita, protrita, & profligata, velut *repetia*, reponit. Cui bono? *Nimirum, vt suum ingenium ostentet*, & quàm vbere sycophantandi copia instructus sit, omnibus palam faciat: ex qua copia processit itidē immane illud mendacium, quod mox subiicitur, Bellarminum cap. 10. in solutione quarti argumenti dicere: *Filium etiam in diuinis generare posse, etsi actu nō generat, propterea quod non est opus.* Hoccine Bellarminus, vanissime impostor? Audiamus verba Bellarmini.

Respondeo, generare dicere perfectioné, sed minimè eam deesse Filio. Est enim in Filio omnis perfectio actiuæ generationis, licet ipsa actiua generatio in Filio non sit. quia, non est opus. Nam omnem perfectionem, quam habet generatio, ab essentia habet. Essentiam autem totam etiã Filius habet. Vult ergo dicere Bellarminus, omnem generationis actiuæ perfectionem esse in Filio, ratione diuinæ essentiæ, cum qua & Filius & ipsa generatio actiua identificantur: Nam personæ diuinæ licet realiter inter se distinctæ, omnia sibi in essentia idētificant. Hoc Bellarminus docet, sed toto cœlo diuersum est ab illo, quod Danæus Bellarmino tribuit: quia *posse generare*; & *habere perfectionem generationis actiuæ identificatam sibi in essentia*; non sunt vnum & idem; alioqui etiam Spiritus sanctus, & ipsa præcisè essentia generare posset; Nam vt persona generare possit, vel *generare posse*, de illa verè enuncietur, oportet, vt potentiam generandi non habeat tantùm identicè in essentia; sed & formaliter in se. Quo pacto solus Pater potentiam generandi habet; hinc & ipse solus generat.

Reprehendit Bellarminus cap. 11. Caluinum, quòd scripserit lib. 1. Instit. cap. 13. §. vlt. *Filium semel genitum fuisse, nec iam generari; stultè fingi in Deo continuum actum generandi:* Danæus mentitur, Bellarminum *hic nutare*. Quomodo nutat? An non perspicuè asserit, rectè dici: *In diuinis Filium semper nasci, & natum esse?* Cur maluisti mentiri, quàm tuum Caluinum tueri? Nam quod nos ad commenta tua, quibus librum primum sententiarum conspurcasti, ablegas; nemo tibi obsequetur, nisi qui & temporis & operæ iacturam facere cogitet.

Iunius molitur pro Caluino defensionem; sed pro viribus, qualem qualem. Ait: *Caluinum respexisse ad communem illum generationis modum, qua dum est in fieri, supponit imperfectionem generati.* At mentiri hunc aduocatum, patet ex Caluino, qui dicit, *in Patre stultè fingi continuum actum generandi.* Respexit ergo non ad communem generationis modum; sed ad illum, qui est in Patre. Si dicas; hunc ipsum modum considerasse Caluinum secundum communem rationem generationis *in fieri*. Respondeo; communem hanc rationem, prout generationem naturalem & diuinam includit; abstrahere ab imperfectione *in fieri*; sicut genus abstrahit à differentiis contrahentibus: nam si generatio, sic in communi sumpta, includeret imperfectionem *in fieri*; etiam diuina generatio hanc imperfectionem includeret; cum in inferioribus omnes communes & genericæ rationes inueniantur. Non potuit ergo Caluinus actum generandi in diuinis hoc modo considerare; si quid consideraret, & quomodo considerandum esset, intellexit.

Dices: Caluinum considerare generationem diuinam *in fieri* cum imperfectione illa, quam naturales generationes *in fieri* coniunctam habent. Respondeo, ita quidem Caluinum considerasse generationem in diuinis; sed stultè fecisse: quia quæ ex rebus naturalibus ad diuina trãsferuntur, transferri debent seclusis imperfectionibus: & præterea mentitum esse; quando dixit, *stultè fingi continuũ actum generandi*, quia nemo sani capitis talem continuum generandi actũ in Patre ponit; sed omnes imperfectionem secludunt: quæ vniuersim etiam in naturalibus generationibus non inuenitur à parte rei; sed tantùm secundum apprehensionem nostram; quia in substantialibus generationibus idem est, *fieri & factum esse*: idem, *nasci & natum*.

Circa decimum tertium & reliqua quinq; capita, variè ineptit Danæus. Nam post largiter effusa in Scholasticos & Scholasticorũ quæstiones conuicia vociferatur, hęc vocabula: *Emanatio, Generatio, Natiuitas, processio, filius, λόγος, verbum*, & similia, quibus tanta mysteria explicantur, planè esse *tropica, figurata, translatæ*. Hoc non animaduertere *Sententiarios*; & propterea his vocabulis vti *absque tropo: quæ fallacia est turpissima*, inquit Tropista Danæus. *Atq; etiam propterea ex rerum naturalium lege & conditione in his rebus diuinis, cœlestibus, & supernaturalibus argumentantur. Quæ est altera turpissima fallacia, nempe ignoratio Elenchi.*

Mirabar Danæum in hac Controuersia tam parcè vti solitũ illis spiculis: *Est fallacia accidentis. Est fallacia à dicto simpliciter, ad secundum quid*; vel vice versa: *Est fallacia diuisionis, est fallacia æquiuocationis, &c.* quibus, vt primo tomo vidimus, notas suas ad primam controuersiam complet. Ferè indignabar, quod in hac itidem disputatione acutissima illa sua tela non promeret, & promendo voluptate nos afficeret, sed speremus meliora. Iam denuo cœpit. Sępius id aget in posterum. Non deerit ridendi & sese oblectandi materies.

An non & hic batuit, dum fatuè prorsus contendit, supradicta nomina non dici propriè de Deo? Dic, quæso, num *filius* Dei non est propriè Filius? Estne tantum tropicè seu metaphoricè Filius? An Pater in diuinis, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra; non est propriè Pater? Num propriè non procedit Filius à Patre? Num processio eius non est propriè generatio? Quid cum his *Tropistis* tandem inceptabimus, quibus non est satis verba illa: *Hoc est corpus meum*: perfidè in tropum conuertere; nisi etiam baptisma-

tis

tis formam in tropum transmutent. Si enim Pater non est propriè Pater, sed tropicè, si Filius non propriè Filius, sed tropicè; sequitur illam quoque orationem: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, &c.* tropicam seu metaphoricam esse. Non intelligit miser iste *Metaphoristæ* & Caluinianus *Figuristæ*; aliud esse nomina, significatum, quod significant; imperfectè duntaxat repræsentare, & audientium vel legentium mentibus obiicere; aliud, tropicè & metaphoricè significare: Illud fieri potest, & fit, salua proprietate vocabulorum: hoc, nequaquam. Hinc licet hæ voces *Pater, Filius, &c.* minimè rem significatam adæquent, aut perfectè, vt in se est, exhibeant; non tamen idcirco *Tropicè*, hoc est, impropriè dicuntur de Deo; quia sub eodem conceptu formali, quamuis inadæquato, dicuntur de Deo, quo de hominibus.

Vereor, ne eò insaniæ Caluinianus iste progrediatur, vt affirmet, nullum penitus nomen de Deo propriè dici, sed omnia *Tropicè*, quandoquidem nullum penitus nomen exstat, quod perfectionem diuinam perfectè & adæquatè nobis exhibeat. Non est autem mirandum, Scholasticos Theologos in hanc de Tropis sententiam non descendisse; quia ipsi nec sunt, nec fuerunt *Tropistæ* Geneuenses, quibus, quidquid conantur dicere: *Tropus* est; qui suis *Tropis* totum sanctissimę Trinitatis mysterium euertunt, vt demonstrat Cydonius lib. 2. Castigat. Danæanæ cap. 2.

CAPVT XIX.

An filius Dei sit autotheos.

ADSCRIBITVR Caluino, quòd senserit & scripserit Filium esse Deum à seipso. Ostendit Bellarminus, Caluinum, quod ad rem ipsam attinet, nec perperam, nec hæreticè sensisse; sed in modo loquendi errasse; & intolerabilem arrogantiam suam prodidisse, cum verba illa Nicæni symboli: *Deum de Deo, lumen de lumine*, tanquam dura & impropria notare non erubuit.

Vociferatur Danæus: *In hoc capite Bellarmini leuitas, & maledicentia apparet. Leuitas, quod Caluini sententiam, & veram esse, & à Catholicis nequaquam discrepantem fatetur: Tamen eam pauculis lineis interpositis, tanquam hæreticam, & cum Arrianis consentientem oppugnat.* Respondeo, Danæum in hoc capite insigniter mendaciloquentiã suam patefacere: nam Bellarminus non reprehẽdit postea Caluini sententiam, quod ad rem ipsam attinet; sed modum loquendi, quo Caluinus vtitur, refellit; & periculosum, atq; simpliciter repudiandum esse demonstrat. Aliud est res significata, de qua Bellarminus Caluino nullam litem mouet; aliud, ipsa locutionis formula, quam Bellarminus reiicit ac refellit.

Oggrunnit Danæus, modum loquendi Caluini dicentis: *Filium esse Deum à seipso*; esse pium & orthodoxum. At Bellarminus ostendit esse reiiciendum. Pluris facio Bellarmini probationes, quàm nudas tuas assertiones. Mittis nos ad librũ tuum contra Genebrardum, in quo ais, *te hoc demonstrasse*. Iam vidi tuum librum contra Genebrardum, & nihil reperi, nisi inania verba; ignorantiam, & in Patres Nicænos calumnias. Ignorantię eximium specimen est, cum ais, *Dei nomen, nõ nisi impropriè personæ tribui*; ex quo sequitur Christum patri suo cœlesti impropriè nomen Dei tribuisse Ioan. 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum.* Impropriè igitur Pater erit Deus; impropriè Deus, Filius. Impropriè Deus, Spiritus sanctus. Nam si homo v.g. propriè tantummodo diceretur de natura humana; impropriè autem de persona Petri, Pauli, &c. vtique Petrus non propriè, sed impropriè homo esset; similiter & Paulus. Calumnia autem in Nicænos Patres est, eos in illa locutione: *Deum de Deo, à vera, propria & naturæ vocabuli Dei ratione recessisse.* Nã Deus terminus essẽtialis & notionalis est, & æquè personã ac essentiam ipsam diuinã denotare potest.

Pergit Danæus: *Transfert Bellarminus ad rationem relationem q̃, personæ ea, quæ Caluinus scribit de Filio diserte ratione diuinæ essentiæ.* At te mentiri, euidenter docet lectio vel etiam sola inspectio Bellarmini, concedit enim absolutè dici posse, Filium seu Christum, secundũ esse ntiam esse à seipso Deum; cum essentia sit seipsa Deus; hoc, inquam, concedit Bellarminus. Hac tamen concessione nõ obstante, quatuor argumentis modum loquendi reiicit: neq; enim solummodo reiiciuntur illi loquendi modi, qui simpliciter sunt falsi, sed & illi; qui noui sunt & inusitati, & vel periculum erroris continent; vel speciem falsitatis præ se ferunt: neque vel vnico verbulo, quæ Caluinus de Filio ratione essentiæ dixerat, Bellarminus ad relationem refert.

Mendacium est, *Caluinum verè sensisse, & scripsisse modum hunc loquendi: Deum de Deo, lumen de lumine; improprium esse ac barbariem redolere*; nisi forsan & iste sit improprius ac barbarus. Homo de homine: Filius de Patre nascitur.

Mendacium est, istum loquendi modum esse similem huic: *Mea humanitas salutat tuam humanitatem*: pro eo, *saluto te*: quia hæc locutio *Deus de Deo*; nomina concreta continet; non abstracta; vt est *humanitas*. Lumen insuper nomẽ, est absolutum; & verè proprieq; lumen de lumine, (sicut calor de calore; frigus de frigore) nasci dicitur.

Mendacium est; in illo, *Deum de Deo, lumen de lumine*; essentiam poni pro persona: significat enim vox *Deus* in illa oratione, totum illud constitutum, quod ex essentia & personalitate seu hypostasi constat: nec ideo sequitur, ipsam etiam essentiam in se esse de Deo; vel nasci vel produci: satis est, quod totum illud, quod vocatur Filius, nascitur & producitur: nam & in naturali generatione materia nec producitur, nec nascitur; & tamen verissima est hæc propositio:

Totus

totum Petrum nascitur : Petrus homo de homine, viuens de viuente. Imò licet in naturalibus generans eandem prorsus numero naturam & essentiam, ei quod generatur impertiret; verissimè tamen diceretur, *Totus ille homo producitur* : & sine vlla barbarie affirmaremus: *hominem de homine genitum esse.*

Quid sophisticatur Bellarminus & Caluini mortui ossa arrodit? clamat Danæus. Nihil *sophisticatur.* id quod res est dicit. Absit, vt Bellarminus mortui Caluini ossa rodat. Alios habent rosores & arrosores. *Nos ab hac scabie tenemus vngues.* Ais. *Respondeat ipse meis, in hoc argumento, & calumnia pari ad Genebrardum rationibus, & me viuum non mortuum; virum non Monachum experietur.* Quàm animosè. Quem non terreant hæ tàm terrificæ minaciæ? Cui non incutiant formidinem ? Quid minaris viuus Bellarmino, cum mortuus ad inferos prius descenderis, quàm hæ tuæ minæ in vulgus spargerentur ? Etsiamsi *Seruetianus*, aut *Gentilista*; aut etiam *Caluinista* essem; hos impudentissimos Danæi thrasonismos ferre non possem. Quid enim ad Bellarminum thraso iste ex criminationibus totus consutus, cuius totus liber nihil est aliud, quàm interminabilis quædam inscitia? Quid vanissimus iste Spermologus ad totius eruditionis Oceanum Bellarminũ? Prouocat ad librum contra Genebrardum. Quis iste liber? vis vno verbo dicam: Partus ipsius Ignorantiæ, & quidem partus alogia vndequaq; refertissimus.

Concludit mendacia mendacio: *Bellarminum reprehendere Augustinum, quod dixerit in diuinis esse essentiam de essentia.* Non reprehendit Bellarminus D. Augustinum; sed dixit, eum abstracta pro concretis vsurpasse, quando scripsit, in diuinis esse *essentiam de essentia*; & *sapientiam de sapientia.* Num hoc est reprehendere?

Etiam Iunius Caluino suo suppetias accurrit. Laudo pietatem discipuli in magistrum. Magis laudarem, si pietas candidior & eruditior esset. Ait, *Caluini sententiam esse hanc, cum de Filio sine respectu ad Patrem simpliciter loquimur, benè & propriè Filium à seipso esse asseri. A Bellarmino autẽ exagitari Caluinum, quasi voluerit hoc de Filio bene & propriè dici posse cum respectu ad Patrem.* Quæri inprimis posset, nũ Filius absq; respectu ad Patrem considerari queat? An non sunt relatiua filius & pater, quæ sc mutuò ponunt ac tollunt? Deinde dico, calumniari Iunium. Nam Bellarminus Caluini loquendi formulam simpliciter damnat, siue filius consideretur cum habitudine ad patrem, siue absque huiusmodi habitudine: quia periculosa est, & nec Conciliis, nec sanctis patribus, nec ipsi scripturę consentanea. Ait Iunius; Caluinum locutionem illam symboli. *Deum de Deo; lumen de lumine:* ideo vt *incommodiorem notasse, quod ea ad Deitatis personas diuidendas nefarij homines abuterentur.* Si ideo phrasis aliqua carpi & respui debet, vt *dura* (Hanc enim notã innuit ei Caluinus in admonitione ad *fratres* Polonos; *impropriam* vocat Danæus in Responso contra Genebrardum, idq; ex sententia suorum *Præceptorum*, hoc est, Caluini, Bezæ) quia improbi ea abutuntur, in periculo erunt multæ sacrarum litterarum sententiæ, imò ipsæ integræ sacræ litteræ; Quot enim sunt & fuêre, qui his nequiter abusi? Si audita illa locutione, *Deum de Deo, lumen de lumine*; adeo pronum & procliue est, suspicari filium non modò hypostasi à patre, sed & natura distingui; mirum id non aduertisse trecentos decem & octo patres, hoc est, sexcentos triginta sex oculos, non vidisse, quod Caluinus oculis duobus tam acutè post tot secula peruidit; præsertim cum non tantùm Gentilis hoc nostro tempore naturam diuinam diuiserit, sed & hoc ipsum sacrilegium, ipse Arius, contra quem symbolum Nicænum editum est, perpetrarit, & Christum naturæ à Patre diuersæ scelerata linguâ prædicarit. Cur nemo Nicænis patribus occinuit, locutionem istam; *Deum de Deo, lumen de lumine*; esse incõmodam? Arium mox occlamaturum: En ipsi *Deum de Deo*, hoc est, filium à patre naturâ distinctũ statuunt. Impropria, & dura, & barbariem redolens est hæc locutio. Expungatur & obliteretur, ne Arius eam ad diuisionem naturæ seu essentiæ diuinæ rapiat. Nemini quidquam horum in mẽtem venit; omnes modum illum loquendi amplexi & summoperè venerati sunt : donec Noviodunensis stigmatias ex lacu Lemmanico exstitit, & symbolum Nicænum emendare instituit : qui adeo *Deum de Deo*, & *lumen de lumine* horruit; vt in quodam Conciliabulo Lausanensi nemo à Caluino extorquere potuerit, vt fateretur, filium esse Deum de Deo; vt scribit Petrus Carolus, qui interfuit, citatus à Bellarmino.

Iunius: *Falsum. testis inimicus, accusator falsus, & in publico confessu Bernæ conuictus calumniæ, profertur è sinu. Qui testis quasi fide loquutus est? aut, quo iure credatur illius testimonio?* optimo iure; quia & oculatus & auritus testis est. Num iubes, vt exspectemus, donec Beza tale quid de Caluino litteris prodat? Nam quod de *publica conuictione* calumniæ addis, non nisi Caluiniana fide addis. Quo iure credatur tuo testimonio? An non tu multò magis es testis de sinu Caluini, quàm ille de sinu Papæ?

Mendacium est Caluinum idem voluisse, cũ, *Deum de Deo, lumen de lumine, duram locutionem* nominauit; quod sancti patres, Gregorius Thaumaturgus, Iustinus, Epiphanius, Hilarius, Augustinus, à Bellarmino citati, voluerunt. Num horumquispiam modũ hunc loquendi ad Caluini modum insectatus est? Num quisquam absolutè dixit; *Christum esse Deum ex se*; & ita simpliciter esse sentiendum ac loquendum?

Ait Bellarminus. Filium non esse solam proprietatem seu relationem, sed integram hypostasin. Oggerit Iunius. *Fallacia æquiuocationis.* Cur, ô vniuoce Caluinista? Audi & stupe nouum acumen. *Principium dicitur duobus modis: ortus & actu. Verbi gratia: Vegetationis, & sensus principium est in nobis anima vegetatiua, & sensitiua ortu: actu verò in nobis, ex quo*

perſona integrè conſtituta eſt, anima intelligens principium eſt vtriuſque, non ortu, ſed actu, & ductu interno ſuo. Quid audio? Animane intelligens, quà talis, principium eſt operationũ vegetantium & ſentientiũ? Non ergo erunt hæ operationes in plantis, nõ in brutis: quia carent anima intelligente. At fortè loquitur Iunius de anima rationali *ſpecificatiuè*, non *reduplicatiuè*. Adquieſcam; tametſi, vt iam ſæpè vidimus, Lutherus contrarium iubet; nempe, vt verba obliquè & ambiguè loquẽtium contra ipſos interpretemur; non tamen vtar hoc iure mihi per Lutherum conceſſo.

Illud inquiram; quid ſignificet illud: *Animam intelligentem eſſe principium actu & ductu ſuo interno.* Quid hæ ſibi volunt tenebræ & nebulæ? Num operationes vegetantes & ſentientes ſubiici animæ intelligenti, & in eius poteſtate eſſe? Quî hoc, ſi nemo, quidquid moliatur, vel vnum palmum ad ſuam ſtaturam adiicere poteſt? Num penes nos ſunt *creſcere, decreſcere, nutriri, &* id genus alia? Num omnes actiones ſentientes ſubduntur arbitrio noſtro libero?

Pergis. *Secundum hanc diſtinctionem Principij, iſtud, à ſe, dicitur dupliciter: Etenim filius ortu, qui relationis eſt, nõ eſt à ſe, ſed à Patre.* (ergo totus filius, ergo etiã ſecundum eſſentiam; quam habet ſibi à Patre cõmunicatam.) *actu verò, qui eſt perſona in ſe, id eſt, modo ſubſiſtendi, à ſe eſſe dicitur: quia in ſe & per ſe ſubſiſtit.* An non animaduertis huius Caluiniſtæ ſtrophas & anfractus? Non litigant Catholici cum Caluino, num Filius ſit Deus *in ſe & per ſe* ſubſiſtens; hoc enim per ſe liquet, ſi Filius eſt ſubſtantia perfecta & completa, atque adeo perſona, omnis enim perſona, *in ſe & per ſe* ſubſiſtit; ſed iſta eſt quæſtio, nũ Filius ſpectando eſſentiam, poſsit dici *Deus à ſe*; quòd eſſentia ſit Deus à ſe; hoc eſt, expers omnis principij. De hoc diſceptatur cũ Caluino. Et Bellarminus quidem ſententiam ipſam non dãnat ſimpliciter falſitatis; modum tamen loquendi reſpuit & repudiat. Nunc iſte aduolitat; & iſtud, *à ſe*, nobis in, *per ſe & in ſe*, tranſmutat: Et eſſe à ſe; quod principij negationem indicat; dicit idem eſſe, quod *in ſe & per ſe* ſubſiſtere: de quo cũ Caluino nulli vlla eſt quæſtio.

Iterum occinit, perſonam tripliciter conſiderari poſſe: *in eſſentia, in perſona abſolutè, & in ordine ſiue relatione ad perſonam alteram. Caluinus de perſona abſolutè dicit; Bellarminus de perſona in ordine ſiue relatione obiicit: Elenchus indignus eſt.* At tu indignè mẽtiris. Nam Bellarminus refutat ipſum loquendi modum Caluini; videlicet, filium eſſe Deum à ſe reſpectu eſſentiæ: hunc, inquam, loquendi modum Caluini refellit: & non tolerandum eſſe aſſerit: conſiderat ergo Filium, vt cõſiderabat Caluinus, in ordine ad eſſentiam, non in ordine ad relationem ſeu hypoſtaſin, vt iſte nugatur.

Paulò poſt eaſdem nænias reponit Iunius, & tunc cum valdè ineptit, valde ſibi ſubtilis videtur. Vt autem omnia in vnum coligam; variæ propoſitiones ex iis, quæ Iunius & Caluinus ſcribunt, formari poſſunt. I. *Filius Dei eſt à ſe.* II. *Filius Dei ratione eſſentiæ eſt à ſe, atque adeo autotheos.* III. *Filius Dei habet eſſentiam à ſe.* IV. *Eſſentia diuina eſt à ſe, vel eſſentia Filij eſt à ſe.* Prima ſimpliciter eſt falſa; quia filius Dei eſt à Patre. Secunda, nil falſi continet quoad rem, vt Caluino & Caluiniſtis concedit Bellarminus: non eſt tamen modus iſte loquendi tolerandus, ob rationes à Bellarmino allatas. Tertia falſa eſt, quia Filius non habet eſſentiam à ſe; ſed eam à Patre, tãquam à ſuo principio, communicatam accepit: Quarta, vera eſt; ſi ſenſus ſit; eſſentiam diuinam, vel eſſentiam Filij, eſſe à ſe, hoc eſt, non eſſe & vllo alio ſuo principio: ita vt illud, *eſſe à ſe* negationem alicuius principij inſinuet. Falſa tamen fieret, ſi ſenſus eſſet, eſſentiam diuinam eſſe à ſe, vt à principio; nihil enim hoc modo eſt à ſe; cum nihil ſeipſum producat; vt rectè notat Bellarminus. Quod autẽ Iunius illam propoſitionem. *Filius Dei eſt à ſe*, ita explicat: *Filius Dei in ſe*; *& per ſe* ſubſiſtit; id vno verbo dicã, pura puta ineptia eſt: quis enim qui vel obiter non dico Philoſophiam, ſed latinam linguam guſtarit, ignorat à *ſe eſſe*; & *in ſe*, ſeu *per ſe* ſubſiſtere; magno diſcrimine ſecerni?

CAPVT XX. Et ſequentia vſque ad finem libri.

TRactat his capitibus Bellarminus celebrem illam inter Græcos & Latinos controuerſiam de proceſſione ſancti Spiritus: in qua, licet Nouatores noſtri temporis cum Latinis ſentire videri velint, Danæus tamen & Iunius continere ſe non potuerunt; quo minus hanc quoque Bellarminianæ diſputationis partem vellicarẽt: quæ tamen adeo exacta & abſoluta eſt; vt Danæo hanc confeſsionem extorſerit. *Quæ in his tribus capitibus (23. 24. 25.) variè, & eruditè diſputantur à Bellarmino, admittimus, illiſq; etiam eo nomine gratias agimus. Magna enim diligentia, ſiue ab aliis quibuſdam (id enim nobis perinde eſt, quoniam hæc omnia ſub ipſius nomine exſtant) adiutus, quem admodum plerique dicitant, hæc collegit.* Sed hoc de *ſubadiuua* mendacium ſæpius à Danæo, Iunio, aliiſque effuſum; non ſemel iam Tomo primo refutauimus.

Ad caput 22. reprehendit Danæus Bellarminum (ad ſcribam enim quæ iam Andreas Eudæmonioannes Cydonius contra Danæum diſputauit lib. 2. caſtig. cap. 2.) quod doceat, quando Spiritus ſanctus mittitur in ſcripturis ſignificari, quod non ſolum dona creata Spiritus ſancti dãtur, ſed etiam eum donis ipſa datur Spiritus ſancti perſona: quodque manifeſtus ſit error, ſi quis contrarium aſſerat. *Imò*, inquit Danæus, *ſæpe verius de ipſis Spiritus ſancti donis, quàm de ipſo Spiritu ſancto, id eſt, de illius perſona hæ phraſes, & eiuſmodi miſsio intelligitur. Velut Ioan. 14. v. 17. 16. v. 13. atque adeò ipſemet ille, v. 26. in c. 15. Ioan. de donis Spiritus ſancti intelligitur, quem hoc loco affert, & vrget Bellarminus.*

Videri

Videri poſſet Danæus hoc loco non negare, mitti perſonam Spiritus ſancti; ſed, ſolum negare; ex iis ſcripturæ locis colligi hanc ipſius perſonæ miſsionem, quæ Bellarminus vrget; niſi ea, quæ ſubiicit, ſententiam, atque impietatem eius planam facerent. *Præſentia quidem*, inquit, *Spiritus ſancti, per eiuſmodi dona, & ſymbola, per quæ tunc extraordinariè agit, ſeque profert Spiritus, illuſtrior apparet & clarior; quemadmodum, cum in rubo apparuit Moyſi Deus. Exodi 3. Perſona autem Spiritus ſancti præciſè, non ſuperuenit, aut deſcendit, vti neque perſona Filij, cùm in rubo ſeſe in flamma manifeſtaret. Quod dicimus de Spiritu ſancto, confirmatur ex Paulo 1. Cor. 12. v. 7. Datur Spiritus, id eſt, declaratio Spiritus, & donum Epheſ. 4. v. 7. nec longa, aut alia recitatione res eget.*

Quibus verbis, primò apertè negat ipſam Spiritus ſancti perſonam mitti atque dari: cum Spiritus ſanctus in ſcripturis dari, vel mitti fidelibus dicitur. Deinde, ita loquitur, quaſi mitti, vel venire Spiritus ſancti perſonam, ſit, cælo relicto, ad ima deſcendere, vel nouum locum acquirere, in quo prius non eſſet: quorum neutrum caret errore. Cùm enim de hoc aduẽtu, ac miſsione Spiritus ſancti loquens Dominus in ſcripturis, tam apertè ipſam Spiritus ſancti perſonam venturam eſſe prænunciet: profectò, ſine errore atque impudentia ſingulari negari non poteſt.

Accipiamus primò, eum ipſum locum, quem vrgeri à Bellarmino Danæus commemorat. cap. 15. Io. v. 26. *Cùm*, autem, *venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit: ille, teſtimonium perhibebit de me.* Quibus verbis deſcribere clarius potuit ipſam Spiritus ſancti perſonam, ſi eam mitti, & venire, ſignificare Dominus voluiſſet? Certè, verba illa; *qui à Patre procedit*, internam eius proceſsionem atq; emanationem ſignificant: neque dona ſancti Spiritus à Patre ea ratione procedunt, aut procedere poſſunt. At, illum, qui procedit, miſſurum ſe à Patre Dominus dicit: ergò, ipſam eius perſonam mitti ac venire ſignificat.

Deinde, ea, quibus Bellarminus id probat, quæque Danæus more ſuo diſsimulat, quàm id manifeſtè concludunt? *Ad Roman. quinto*, inquit Bellarminus, *dicitur; Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: Vbi vides, apertè diſtingui Spiritum ſanctum, & dona eius & vtrumque dari. Item 1. Cor. 6. Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui habitat in vobis. Et infra: Portate Deum in corpore veſtro. At certè, dona Spiritus ſancti non ſunt Deus, neque illis debetur templum. Et 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. ergò non ſola charitas in nobis manet, quæ non eſt Deus; ſed manet verè ipſe Deus. Denique, quæ dicuntur Ioan. 16. Si non abiero, paracletus non veniet ad vos; & ſi abiero, mittam eum ad vos. Et Ioan. 14. Alium paraclitum dabit vobis; non niſi abſurdiſſimè exponuntur de donis. dona enim nec veniunt, nec mittuntur, nec poſſunt conferri cum Chriſto, vt vnus Paracletus cum alio.* Hæc Bellarminus.

Quibus hæc Danæi hæreſis tam manifeſtè cõuincitur, vt dedita opera, Hæreticus eſſe voluiſſe, non, vt ſæpè aliàs, inſcitiâ in hæreſin lapſus videatur. Quæ certè ſoluere debuit, ſi propoſitum non concludere exiſtimabat: aut oſtendere ipſe, vnde colligat ipſam Spiritus ſancti perſonam non dari, aut mitti; non ita dictatoriè hæreſin ſuam nobis obtrudere. Iam verò, quod Spiritũ ſanctum mutare locum negat, cum venit, & mittitur, verè negat: neq; enim, qui cælum, & terram maieſtate, & præſentia ſua implet, quidquã relinquit in rebus creatis inane; quò venire poſtea poſsit; aut vſpiam abeſſe poteſt; vt, ſi in terras veniret, cælum neceſſariò deſerat.

Quod verò videtur docere, *Spiritum ſanctum, niſi, cælo relicto, de nouo in locum deſcendere non poſſe, in quo prius non eſſet*; hæreticum eſt. Nam fide Catholica credimus, Filium Dei deſcendiſſe de cælo, veniſſe in terras, miſſum à Patre. Id ſcripturæ paſsim docent: id in Nicæno ſymbolo Caluiniani etiam canunt. At, eum quis vnquam ſobrius dixerit, ita de cælo deſcendiſſe, vt ibi eſſe ſecundum diuinitatem deſierit? Ita miſſum in terras, vt in iis non eſſet, antequam mitteretur? Quemadmodum ergò, cælo non relicto, potuit deſcendere Filius, atque ad terras venire, in quibus iam erat: ita poteſt Spiritus ſanctus & deſcendere, & venire, ita vt & in cælo maneat, & in terris ſit, antequam venerit.

Ceterùm, vt videas, quàm ineptè miſsionem, atque aduentum Spiritus ſancti Danæus explicarit; cùm dixit, præſentiam Spiritus ſancti illuſtriorem per ea dona, ac ſymbola apparere; per quæ tunc extraordinariè agit, ſeque profert: ſatis illud argumento eſſe poteſt, quod ea dona non magis Spiritus ſanctus in nobis, quàm Pater, & Filius operaretur. Neque verò donorum eorum effectus, ſi qui ij ſunt, à Spiritu ſancto magis, quàm à Patre, & Filio efficiuntur. Omnia enim opera, *ad extra*, cõmunia ſunt totius Trinitatis. Quare, non magis ſe Spiritus ſancti vis, aut præſentia, quàm cæterarum perſonarum prodit, ex eo, quod ea dona, atq; per ea dona Deus aliquid operatur in nobis: vnde, non magis mitti Spiritus ſanctus dicetur, quàm Filius. Aliquid igitur aliud neceſſe eſt, eſſe, *mitti Spiritum ſanctum*, quam dona in nobis producere, atque ita illuſtriorem reddere præſentiam ſuam: Præſertim, quod venire, & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum legimus in ſcripturis, etiam ſine vllo ſigno ſenſibili. *Si quis diligit me*, inquit Dominus, *ſermonem meum ſeruabit, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Io. 14. v. 23. Et 1. Io. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Vbi, tam de ſingulis perſonis, quàm de ipſo DEO, quod eſt nomen eſſentiæ, dici videmus; *venire, manere, eſſe in nobis, per charitatem*: at profectò charitas, neque ſenſibile ſignum eſt, neque cum ſenſibili vllo ſigno

necessariò coniuncta. Non ergo hoc est, venire diuinam aliquam personam, aut Deum ipsum ad nos: effectis suis præsentiam suam illustriorē reddere; ac per symbola, quæ tunc extraordinariè agit, sese proferre.

Iam, quæ ex Apostolo citat, ea, neque ad rem faciunt, & falsarius est Danæus. Nam 1. Cor. 12. v. 7. ita legimus; *Vnicuiq; datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem, alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, &c.* Quare, primò Danaicum illud glossema est, non Apostolicum dictum: *datur Spiritus*, hoc est, *declaratio Spiritus*. Deinde, eo loco, Apostolus loquitur de donis, & de diuisionibus gratiarum, quæ sunt in Ecclesia per Spiritum sanctum: quibus diuersis donis ostendit Spiritus sanctus adesse ac gubernare sese Ecclesiam suam. Ex quibus, quid ad rem suam colligat Danæus, non video; imò potius; si donis his manifestat Spiritus sanctus sese, profectò adest: at ea ratione prius non aderat, in animis hominum, qua postea adest, & qua adesse se ostendit. nam, dum mouet instrumenta illa, quæ accipit ad ostensionem sui, impleri ea à se, atque vt templa sua habitari ostēdit. At implendo mentes hominum, & tanquam templa sua inhabitando, prius profectò non aderat.

Porrò, quod ex 4. ad Eph. v. 7. citat, ad rem planè non facit. sic enim scribit Apostolus: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ex quo loco non magis potest colligere, quando Spiritus sanctus dari dicitur, de donorum tantum largitione, sermonem esse: quàm Lutherum, abiectâ cucullâ, ad sacrilegas nuptias ex monasterio non fugisse: qualis enim ista argumētatio est, aut quæ cōsecutionis huius necessitas? *Datur vnicuique gratia secundum mensuram donationis Christi; ergò, quando in scripturis sacris fit mentio missionis, & aduentus Spiritus sancti, non intelligitur de personæ ipsius aduentu, sed, de donis, ac symbolis, quibus præsentiam suam Spiritus sanctus illustriorem facit.* Sed Danæo non tam est curæ, vt ad rem, quàm vt aliquid omninò dicat. Hæc Cydonius noster.

Quid amplius Danæus? Mentitur, id. quod Bellarminus quinque postremis capitibus tractat, *esse periculosum, perplexū, inutile, & curiosæ disputationis plenum.* Si ita est, mirari subit, tot Concilia, tot sanctissimos, totq; eruditissimos Patres & doctores hanc disceptationem longè ante Bellarminum ingressos esse; nemine culpante; nemine improbante, quorum vestigia si Bellarminus sequi voluit, non reprehensionem, sed laudem promeruit; quia *à periculo* tutum præstitit Catholicæ fidei integritas; *à perplexitate* securum fecit, summa scribendi, qua pollet, perspicuitas, ab *inutilitate* tractationem hanc vindicat quæstionis seu argumenti ipsius rectè cognoscendi necessitas. *A curiositate* excusat veri à falso asserēdi cupiditas, vt proinde nulla me dubitatio teneat, tot hic Danæum effudisse mendacia, quot vsurpauit epitheta.

Mentitur II. *Esse miserum vel impium, in re tam difficili (qualis est Spiritus sancti ex Patre & Filio processio, & diuinarum personarum inter se distinctio) & tam obscurâ, maiores etiam tenebras animis hominum obiicere.* Miserum, imò impium hoc esset, fateor. Sed nego id à Bellarmino; vel aliis Catholicis scriptoribus factum; quibus in tota hac disceptatione nihil aliud propositum est, quàm vt falsitatis caliginem luce veritatis dispellant. Forsan existimas hoc ipso, animis hominum maiores tenebras obiici, quod tam sublimia mysteria disputando discutiuntur. Si hic tibi sensus est; Cur Caluin⁹, cur Iunius, cur Zanckius, cur Scheckius, cur tu ipse; cur alij ex Lutheri & Caluini Schola, de altissimo Trinitatis mysterio integros libros conscripsistis & euulgastis? Cur animos hominum densioribus tenebris inuoluere voluistis? Cur Lutherani in Responsis suis ad censuras Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani copiosissimè de processione Spiritus sancti differunt, & quidem sermone Græco & Latino?

Ait: *Miserum esse in tam augusto argumento ludere* (ita est; sed mentiris, dum Bellarminum in hoc tā augusto argumento *lusisse* innuis: An ideo *lusit*, quia scripsit? Lusit ergo & Caluinus, & tu, & tui symmystæ, qui de Trinitate, argumento æquè augusto, scripsistis) *& ingenij sui vanitatem in ipsius Deitatis dispendium ostentare.* Miserum hoc; sed falsum; nec a Bellarmino factum, nisi & à te & à tuis, qui de Trinitate Commentarios ediderunt, id factum concedas. Quanquam si horum monumenta *in dispendium Deitatis* condita censeas, nil à veritate alienum censueris, propter tot, quos admiscuerunt errores, de quibus Bellarminus in præfatione.

Bellarmino, inquis, attendendum fuit illud Prouerb. 25. *Scrutator maiestatis Dei ab ea opprimetur.* Cur non attendistis & tu, & tuus Caluinus, & symmystæ tui Iunius, Zanckius, Simlerus, alij? Si attendistis, & nihilo minus de Trinitate disputastis, sine vlla formidine, fore, vt à maiestate diuina opprimeremini; cur Bellarminus non potuisset æquè mentem ad diuinum illud oraculū aduertere; & tamen à scribendo non abstinere?

Moneo te, Bellarmine, inquis, *ne fortiora te, vt est in Eccles. 3. quæsieris.* Tibi, Caluino tuo, & symmystis hoc monitum ingere, qui ad grauissimas istas de Trinitate disputationes prorsus à sufficiente doctrina imparati accessistis; & propterea

non

non ſemel in teterminos errores prolapſi eſtis.

Mentitur Danæus, non valere argumẽtum, de quo Bellarminus cap. 26. quod Danæus ita formatː *Non poteſt Spiritus ſanctus à Filio diſtingui, niſi per relationem originis oppoſitam. Ergò Spiritus ſanctus ſit à Filio neceſſe eſt, alioquin ab eo non diſtingueretur.* Subiicit Danæus. *Primùm videt ipſe, quæ ſit animi ſolertia, totam hanc argumentationem eſſe meram translationem rerum diuinarum, mereq; cæleſtium ad res terrenas, quales hic cernimus, & ad earum legem, & conditionem.* Neſcio quid prius mirer & exagitem, ſtultitiam an vanitatem? Dic, Caluiniſta, ſumitur ne hoc argumentum à rebus diuinis, vt per id aliquid concludatur in rebus humanis? An non Bellarminus & alij hoc argumento proceſsionem Spiritus ſancti à Filio oſtendere & euincere inſtituunt? Eſtne hoc aliquid humanum? Eſtne hic tranſlatio rerum diuinarum mereq́ue cæleſtium ad res terrenas? Euigila pauliſper Caluiniſta, & vel paululum conſidera, quid vel Bellarminus dicat; vel tu reſpondere debeas. Cur ita *lallas* & *blatis*, quaſi ſub cranio tuo nullum penitus lateret cerebrum; & in pectore nil prorſus rationis ineſſet?

Forſan dicere voluiſti; voces, quibus hoc argumentum conſtat, eſſe tranſlatitias à rebus creatis petitas; & ad diuina myſteria accommodatas: Vt hoc ita eſſet, num idco argumentum imbelle ac euanidum eſſet? An nullis licet vti vocabulis, cum de Deo loquimur, quæ creaturis, ſecundum aliquam rationem tribuuntur? Non erit ergo *Filius* in diuinis, non *Pater*, non *relatio*, non *diſtinctio*, quia hæc omnia tribuuntur quoque ſuo modo creaturis. An vis omnia argumenti illius vocabula eſſe *impropria & tropica*? Hanc enim fatuitatem iam ſupra ex ſtultitiæ tuæ ſacco proſeminaſti. At qui hoc aſſerit, is & myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis tollit, & præ delirio, quid blateret, neſcit: Et de *ignoratione elenchi* ſub iſto argumento latente, non niſi ignorantiſsimè garrit: cuius ignorantiæ hoc itidẽ luculentum eſt teſtimonium, quando dicit; *hoc argumento apud Græcos vti; nil aliud eſſi, quàm principium petere.* Quomodo principiũ petitur; ſi quod à Græcis conceditur, (Conceditur autem realis diſtinctio Spiritus ſancti à Filio) tanquam medium aſſumitur; vt inde concludatur id, quod Græci negant? An non hoc fit in iſto argumento? At carpendi & mentiendi cacoëthes Danæũ vbique in præceps agit.

Mentitur, Bellarminum in multa abſurda incurrere. Quæ illa? *Facit Spiritum ſanctum ſpirationem merè paſſiuam.* Num vis vt faciat *actiuam*; cumque Patre & Filio confundat? *Paſſio*, inquis, *periculosè Deo ac proinde Spiritui ſancto tribuitur.* Paſsio

A ſeu ſpiratio paſsiua, hic non ſignificat *potentiam* aliquam recipiendi cum imperfectione coniunctam; ſed ſignificat terminum ſpirationis actiuæ; ſeu, id quod productum eſt ſeu producitur. Hic autem terminus, nil aliud eſt, quàm ipſe Spiritus ſanctus.

Impudentiſsimè mentitur, Bellarminum dicere cap. 26. *non repugnare vni perſonæ, vt pariter Verbum ſit & Amor; id eſt, Filius & Spiritus ſanctus:* ſubdit. *En quò tandem iſtæ diſputationes curioſæ homines iſtos abripiunt.* En quo tandem Diabolica calumniandi prurigo Danæum prouehit. Monſtra locum, vbi hoc Bellarminus aſſeuerarit; aut non ægrè feres, ſi tibi omnem pudorem ex
B vultu eraſum affirmem.

Quod ſequitur, quid niſi ruditas eſt, & quidem pluſquam *aſininaʃ Tam ſunt relationes originis oppoſitæ mas & fœmina, quàm ſpirator, & ſpiratus: ergo & hoc modo Spiritus à Filio diſtinguatur neceſſe eſt.* Ergone mas & fœmina ſunt relationes originis oppoſitæ? Eſtne mas *relatiuum*? Eſtne *fœmina* relatiuum? Credo apud Prædicantes qui omnes mares ad fœminas, & omnes fœminas ad mares referunt. Diſtinguunturne numero ſeu indiuidualiter mas & fœmina per ſexum? Nihilne iſte de ſpiratione actiua & paſsiua in diuinis, ſublimius efformare bruto in animo ſuo potuit; quàm accidentalem diſtinctionem maris & fœ-
C minæ?

Mentitur iterum, Græcos non incidiſſe in Turcicum iugum propter diſſenſionem ab Eccleſia Romana; peruerſamque de Spiritus ſancti ex ſolo Patre proceſsionem; ſed propter *horrendas blaſphemias, qualis eſt*; inquit, *idololatria, & cultus mortuorum hominum, opinio de meritis ſuorum operum apud Deum, de variis, præter vnum Chriſtum, interceſſoribus apud Deum. De tranſſubſtantiatione, ſeu μετουσίᾳ reali panis ſacramentalis in verum corpus Chriſti, vi verborum in ſancta cœna. De cultu Dei veri, ex hominum arbitrio ſtatuendo; de liberi, quod vocant, arbitrij viribus, ſeu noſtris, ad rectè agendum, & Deum anteuertendum. Quid? eſſet longum omnes eorum errores recenſere: omnes tamen eos retinet Romana Eccleſia, vt idem iudicium Dei, quod Græcis euenit, meritò ſit Eccleſiæ Romanæ metuendum, & quidem breui. Imminet enim illi Turca.* Hactenus Danæus; cui, cum hæc ſcriberet, longè propius impendit Orcus, quàm Eccleſiæ Romanæ Turcicus Tyrannus.

Quidquid caliginis clariſsimè lucenti ſoli vel iſte vel alij Nouatores offundere properent; euidentiſsimum eſt ex Græcorum & Latinorum monumentis; Græcanicum imperium poſt hoc Photianum ſchiſma, & impium de Spiritu ſancto dogma ſenſim indies magis atque magis defeciſſe; etiam hoſtes eius quotidie magis atq; magis inualuiſſe; donec tandem penitus exſtin-

gueretur; & ad nihilũ redigeretur. Signum igitur eſt aliquod peccatum à Græcis commiſſum, quod tam tyrannicam, & quidem diuturnam, ſeruitutem & captiuitatem mereretur: at defenſio dogmatum, quæ Danæus enumerat, non poteſt meritò huiuſmodi ſcelus, tanta pœna dignum exiſtimari, quia Græcorum Reſpublica nunquam magis floruit, quàm quando cum Eccleſia Romana pacificè cohæſit, & ſupradicta orthodoxæ fidei capita reuerenter ac religiosè coluit; Et quamprimum Iconomachi, & ſimiles ſectarij à Catholica Eccleſia diſſidentes exſtitêre, luculentam ſemper plagam Græcanico Imperio impoſuerunt.

Iunius adeo liuidus eſt; vt quidquid hic Bellarminus pro gloria Latinæ & occidẽtalis Eccleſiæ ſcribit, id aut penitus inficietur, aut cauillationibus ſuis in dubitationem reuocare conetur: qui elata voce clamitat; *Græcos, qui ad Latinorum Concilia venerint, non potuiſſe aliorum nomine conſentire Latinis; & ſemper aliquos reclamaſſe, tam ex illis, qui domi manſerint; quàm ex illis, qui ad Concilia venerint; id liquere etiam ex Concilio Florentino, in quo Marcus Epheſius perpetim Latinis refragatus fuerit.* Scilicet; quando Patriarchæ, Imperator, vel legati Imperatoris, plerique Epiſcopi, qui Concilio interſunt, vno verbo, quando ipſa præcipua capita aſſentiuntur, tum dici nequibit, Græcos Latinis aſſentiri vel aſſenſos eſſe; ſed exſpectandũ erit, donec omnium *Capitonum* durities emolliatur ac peruincatur;, omneſque etiam ex infimi vulgi ſorte calculum ſuum factæ vnioni & concordiæ adiiciant. Quod ne ſuis quidem in conciliabulis Nouatores aut æquum aut neceſſarium, aut etiam tolerabile arbitrantur.

Hæc de ſecundo libro; cui annectam Appendicis loco diſputationem de ſacroſanctæ Trinitatis myſterio; quam Anno Domini M. D. XCVIII. in Academia Ingolſtadienſi pro more ſcholæ propoſui, quia in ea diſſolui omnia fermè argumenta Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani in libris ſuis ad *Confeſſioniſtas*, qui Græcè & Latinè cum Lutheranorum reſponſis exſtant. Et quamuis Hieremias ex antiquioribus ſchiſmaticis argumenta illa corraſerit; iamque à Catholicis Doctoribus abundè profligata ſint, è re tamen erit, hic etiam ea breuiter refelliſſe; præſertim cum eadem diſputatio vindicanda ſit ab obiectionibus *Maximi Margunij*, Epiſcopi Græci ante paucos annos Venetiis defuncti; qui non modò Græcæ, ſed & Latinæ linguæ peritus, & editis aliquot opuſculis notus, cum in has meas Theſes incidiſſet, ſcholia *anaſceuaſtica* adiicienda exiſtimauit, quibus hic ſatisfacio; primo loco, poſita mea Theſi; ſecundò, obiectione Margunij, tertiò, Apologia, & reſponſione mea.

DISPVTA-

DISPVTATIO DE SACROSANCTAE TRINITATIS MYSTERIO, IN QVA POTISSIMVM DE PROCESSIONE SANCTI SPIRITVS CONTRA GRAECOS DISSERITVR; EIVSQVE DEFENSIO.

DISPVTATIONEM hanc A de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio in quatuor capita diuidemus: quorum Primo, diſſeremus de illis, quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum, & vnitatem eſſentiæ earundem, per ſe & abſolutè ſpectatam: ſecundò; de illis, quæ pertinent ad perſonas inter ſe comparatas; tertiò, de illis, quæ ſpectant ad perſonas collatas cum eſſentia diuina: quartò; de illis, quæ ſingulæ perſonæ habent propria.

I. *Eſſe Deum, ratione naturali notum eſt: Fide, ſacrarum & litterarum auctoritate illud præterea conſtat, diuinam eſſentiam tribus perſonis contineri: quarum vna, Pater; altera, Verbum; tertia, Spiritus ſanctus nominetur.*

II. *Negãt hoc quidem infideles; de quibus minus mirum, cum ſcripturas non recipiant: magis mirandum eſt, negare id non paucos hæreticos veteres, & nouos; qui diuinorum oraculorum perquàm ſtudioſi videri volunt; cùm ſcriptura, paſſim prædicet Deum Patrem, huiuſq; Dei,* Verbum; *& vtriuſque* Spiritum; *deq; ſingulis tanquam de perſonis loquatur.*

III. *Perſonam vocamus hoc loco ſubſtantiam intelligentem, indiuiduam, & incommunicabilem. Alio nomine dicitur* ſuppoſitum, *Græcè* πρόσωπον, *&* hypoſtaſis: *quorum hoc poſterius Latini interdum vſurpant; cui, ad verbum reſpõdet* ſubſiſtentiæ *vocabulum: inter quæ, quod ad ſignificatum attinet, nihil eſt diſcriminis: aliquid fortaſſis, quoad ſignificationis modum, & ambitum.*

IV. *Patrem eſſe perſonam; vix quiſquam tam imperitus fuit, qui diffiteretur. Ipſa enim Patris vox perſonam menti ſubiicit. Sed nec vllus negauit Filium huius Patris, quà quidem Filius eſt, perſonam eſſe. Etenim quis vel imaginatione cõcipere poteſt veri Patris Filium, qui non ſit res per ſe ſubſiſtens, indiuidua, & incommunicabilis?*

V. *Multi etiam hæreticorum hunc Dei Filium conceſſerunt eſſe Chriſtum; cuius res geſtas Euangeliſta deſcribunt: At illum, qui ea geſſit, quæ ſacra Euangeliorum hiſtoria narrat, perſonam eſſe, tantùm ii inficiabitur, qui perſonæ notionem ignorat.*

VI. *Hoc in controuerſiam venit: vtrum hæc perſona quæ eſt Filius, ſit* Verbum *illud diuinum, cuius ſcriptura cùm aliàs, tum Ioannis primo meminit. Negarunt omnes illi, qui negarunt Verbum eſſe perſonam: nec potuerunt aliter, ſi quidem ſibi conſtare volebant.*

VII. *Sed Verbum eſſe illum Dei filium, &* IESVM *Chriſtum Redemptorem noſtrum; quem ſcriptura paſſim commemorat: vnicum teſtimonium S. Ioannis planum facit, qui ait;* Verbum *illud, quod à principio erat apud Deum,* carnem, *hoc eſt, hominem eſſe factum; &* habitaſſe in nobis; *eiuſque gloriam à mortalibus viſam eſſe: & quidem* gloriam quaſi vnigeniti à Patre. *Eſt igitur Verbum illud vnigenitus Dei Filius: ſi Filius, ergò & perſona.*

VIII. *Quod & inde liquet: quia de Verbo diuino ea ſcribit S. Ioannes, quæ iuxta ſcripturæ loquendi morem, non niſi de perſona intelligi poſſunt. Nam,* in principio erat hoc Verbum: & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt: &, ſine ipſo factum eſt nihil. In mundo Verbum erat; & mundus per Verbum factus eſt. Verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Verbum dedit poteſtatem filios Dei fieri: Verbum caro factũ eſt; & habitauit in nobis: cuius gloria, *in operum mirabilium effectione, hîc in terris quàm maximè enituit. Certè ſi hac perſonam non deſignant, vix vlla perſona cognoſcendæ ſuperarunt indicia.*

IX. *Præterea, quæ narrantur Prouerb. 8.* A *& Eccleſiaſt. 24. de diuina ſapientia, hoc eſt, de Verbo diuino, ea non poſſunt conuenire niſi perſonæ: cùm ſcriptura non ſoleat aliter de perſonis loqui. Quando enim Deus* præparabat cælos aderam, *inquit diuina Sapientia*, & cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, *&c. Et*, Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum. *Poſtea petit, vt audiatur*; Nunc ergò Filij audite me, *&c. Et cap. 9. Prouerb.* Sapientia ædificauit ſibi domum: immolauit victimas; miſcuit vinum; propoſuit mēſam ſuam; miſit ancillas ſuas, &c. *quibus ſanè verbis deſcripſiſſe videtur Spiritus* B *ſanctus cœnam illam magnam, de qua Chriſtus, Dei ſapientia. Luc. 14. Et Eccleſiaſt. 24. dicitur de ſapientia:* Ex ore altiſsimi prodiui. Ego feci in cælis, vt lumē indeficiens oriretur, &c. Ego in altiſsimis habitaui: Gyrum cæli circuiui ſola, &c. *Quæ nulli, niſi perſonæ conuenire poſſunt. Neq; hæc ad ipſum Deum Patrem rectè referes, quia ſapientia dicit*; ſe prodiiſſe ex ore altiſsimi. *Nec dicit ſe fuiſſe*, illum; *ſed*, cum illo, *inquit*, eram. *Et hoc eſt, quod ait S. Ioannes:* Et Verbum erat apud Deum.

X. *Neque poſſunt hæc ad litteram aliter accipi, quàm de ſapientia diuina, hoc eſt, de verbo diuino, teſtibus ſanctis Patribus. Quid, quod & ipſi hæretici videntes hîc ſermonē eſſe de verbo,* C *de quo S. Ioannes; hinc etiam probare voluerunt; ſapientiam, quæ hîc loquitur, atq; adeò* Verbum, *eſſe creaturam: vt, cùm dicit:* qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. *Et cùm appellatur:* primogenita ante omnem creaturam. *Præterea*; Dominus creauit me in initio viarum ſuarum; *&c. Ergò, indicio etiam ipſorum hæreticorum, liquet, primò, hos locos accipiendos eſſe de ſapientia, quam ſub verbi diuini nomine deſcripſit S. Ioannes: Deinde, accipiendos eſſe hos locos de aliqua perſona.*

XI. *Ex eiuſdem ſcripturæ loquendi modis oſtenditur quoque, Spiritum ſanctum eſſe perſonam. Nam perſona eſt, quæ, vt principium completum, & perfectum operatur, cognoſcit, indicat, loquitur, docet, annuntiat, arguit, &c. Hæc omnia tribuuntur in ſcriptura Spiritui ſancto: quem proinde neceſſe eſt, eſſe perſonam. Addidimus autem*; principium completum: *ne quis animam humanam à corpore ſeiunctam obiiciat.*

XII. *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus non* A *ſunt vna, & eadem perſona: quæ diuerſa ſolùm ratione his tribus nominibus ſignificetur*; *ſed, ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ*; *quod, cum aliunde perſpicuè conſtat*; *tum ex illo Domini*; Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. *In quem locum D. Baſilius in Orat. contra Sabellianos, & Arianos:* Nonne, *inquit*, palàm impudens es, cùm audis: Ego, de Filio; Ille, de Patre; Alius, de Spiritu ſancto: & omnia tu miſces, & omnia confundis, & vni rei omnes appellationes attribuis?

XIII. *Ex ſcriptura itidem conſtat, in diuinis eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: ergò fieri non poteſt, vt eadem perſona ſit iſta omnia: cùm inter Patrem, & Filium neceſſariò ſit diſtinctio, & quidem realis; vt patet inductione:* At, quæ Deus inſtituit, etiam ipſe cuſtodit, *inquit Tertullianus contra Praxeam*; habeat neceſſe eſt Pater Filium, vt Pater ſit: & Filius Patrem, vt Filius ſit; aliud eſt autem habere; aliud, eſſe.

XIV. *Quod ad Spiritum ſanctum attinet, diſtingui illum à Patre, patet ex illo Ioann. 15.* Qui à Patre procedit. *At nihil procedit à ſe ipſo. Diſtingui illum à Filio, patet ex illo Ioan. 14.* Alium Paracletum dabit vobis. *At alius, & alius diſtinguuntur realiter. Præterea, qui tanquam perſona accipit eſſe ab alio, is neceſſariò debet ab illo diſtingui. At Spiritus ſanctus accipit eſſe tanquam perſona, à Patre & Filio: oportet ergò, vt ab illis diſtinguatur.*

MARGVNIVS: *Hæc propoſitio valet reſpectu Patris, non tamen reſpectu Filij. ſupponit enim, quod non eſt ſupponendum, Spiritum, nempe tanquam perſonam, accipere eſſe à Filio: nam illud ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, ſano modo intelligendum eſt; non dixit,* ἐξ ἐμοῦ. *Præterea Athanaſius* interpretans dictum dixit: ἐκ τοῦ ἐμοῦ φανερωθήσεται, *ex meo Patre. Adhæc,* accipere à Filio, *maior pars Theologorum* D *potius refert ad acceptionem diſpenſatiuam, quàm originis. Et D. Auguſtinus ſecundum originem hoc dictum accipiens, ad Patrem refert ipſum Spiritum, vt videas ex iis, quæ ſcribit in Maximinum, contra Arianos, & ſecundo de Trinitate.*

RESPONSIO. Tametſi nota ad *Maiorem* ſyllogiſmi appoſita eſt, attamen ad *Minorem* eam pertinere arbitror; alioquin haud temerè ſuſpicari poſſem, annotatorem neſcire, quæ ſit ratio, & definitio perſonæ. Negat ergò Minorem ſyllogiſmi: quia, *ſuppono*, vt inquit, *id, quod erat probandum*, ſed noſſe debet, tum demum vitioſum eſſe argumentum ex ſuppoſitione aliqua, ſi quis illam ſuppoſitionem,

nec

nec ab aduersario impetrauerit; nec probauerit, nec probaturus sit. Atqui Spiritum sanctum ex Filio procedere, pluribus argumentis infra ostendi, quàm iste voluerit. Quoties autem in omni genere scientiarum, id, quod vel alibi probatum est, vel alibi probabitur, supponatur, norunt ij, qui Philosophiæ non sunt ignari.

Deinde, hîc non agebam contra Græcos, sed contra Sabellianos; qui productionem Spiritus sancti à Patre & Filio, non negabant, eo saltem modo, quo distinctionem personarum cõcedebant: licet ista, qualicunque productione concessa, distinctionem realem personarum abnuerent. Contra hos, syllogismum illum formaui. Cuius, si propositionem aliquam negare voluissent, non *Minorem*, sed *Maiorem* negassent: tametsi insipienter, & imperitè. Ergò respectu horum aduersariorum, nulla suppositione vsus sum; etsi, sine vitio vti potuissem, vt antea dicebam.

Sed, probas Spiritum sanctum nõ procedere ex Filio, quia, illud, ἐκ τοῦ υἱοῦ λάβετε, sano modo est intelligendum. Peccas in methodum; nõ hîc, sed infra, suo loco de hoc ago. Vir doctus non disputat de quouis vbique. Et quis est iste *sanus modus? Græcus*, opinor, *& quidem hic nouitius, & nuperus. Nam priscus ille, à quo longè abes*, non dubium, quin probus sit, & probatus. Non dixit, ἐξ υἱοῦ, sed ἐκ τοῦ υἱοῦ, inquis. Quæso, si dixisset ἐξ υἱοῦ, num crederes Spiritum sanctum ex Filio procedere? An nõ & hîc glossam aliquam comminiscereris? *Athanasium*, inquis, *interpretatur* ἐκ τοῦ υἱοῦ πατρός. Nota est vel ex symbolo Athanasiano, D. Athanasij de Spiritus sancti ex Filio processione, sententia. Non notas Athanasij locum. Credam, cùm videro. Theophylactus ita interpretatur, & Euthymius. Sed isti, non tanti. De scientia rectè D. Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, & alij. Licet & illa expositio, ἐκ τοῦ υἱοῦ πατρὸς commodum sensum pro Latinis admittat. De quo loco, si accuratè disputare velis, refellenda tibi erunt illa, quæ super hac re disputarunt, tum Gennadius, Bessarion, & Patres Concilij Florentini, & Manuel Calleca, tum, ex recentioribus Bellarminus lib. 2. de Christo; & Gregorius de Valentia in primam partem D. Thomæ. in quæstionibus de Trinitate.

Quod addis, *plerosque Theologos, non de origine locum hunc interpretari*, sed ἀκριβικῶς, falsum est, licet vt infra dicemus, dispensatiua ista processio, præsupponat illam, secundum originem; hæcq; ex priore illa, rectè inferatur. De D. Augustino mirum hiscere audere schismaticos, cum sententia eius de Spiritus sancti ex Patre & Filio processione sit clarissima & euidentissima. Vide Gennadium sect. 7. pro Concilio Florent. vbi orthodoxam sententiã plurimis ex D. Augustino testimoniis confirmat. Adde Confessionem Augustinianam lib. 1. cap. 5. §. 2.

A **Thesis XV.** *Sicut Pater verus Deus est; ita & Filius, & Spiritus sanctus verus est Deus. Quæ veritas tot nouæ, & veteris scripturæ auctoritatibus; tot antiquorum Patrum testimoniis; totq; rationibus per discursum Theologicè formatis à Catholicis Doctoribus demonstratur, vt, qui illis non cedit, non tam Arianus, quàm atheus censeri possit.*

Thesis XVI. *Sunt tamen Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnus Deus, non per aliam, & aliam naturam; sed per vnam, eademq; numero singularem, & indiuiduam essentiam, communem tribus personis: neque vllum argumentum,* B *vel contra hoc, vel alias in hac disputatione assertiones adduci potest; quod non euidenter possit dissolui.*

Thesis XVII. *Inter personas diuinas quadruplex ordo reperitur: Ordo originis, siue processionis, ordo relationum secundum originẽ; ordo æqualitatis; & ordo missionis: qui ordines in personarum diuinarum distinctione fundantur, & ob id, qui negat personarum distinctionem, negat etiam hos ordines.*

Margvnivs: *Non omnis relatio diuinarum personarum est originis. Neque enim illa est originis, qua* C *Spiritus refertur ad Filium vt missus, vt donatus ab ipso, vt elucens ab illo; quæ distincta persona ab alia persona magis signa sunt, quàm originis. Et id probatur auctoritatibus sanctorum Patrum, non enim est idem,* ἐκ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, *&,* πέμπεσθαι παρὰ πατρὸς. *Si ita sit, non erit æqualitas trinitatis: cùm, illud, originem Spiritus designet; istud relationem discretiuam personæ, non constitutiuam.*

Responsio: Assero hîc, in Deo esse ordinẽ relationum. Tu, *non omnis*, inquis, *relatio diuinarũ personarum est originis.* Intempestiua nota, & verè ἄτοπος, quia, non suo loco, nec ad rem, cùm non dicam omnes relationes in Deo esse secundum originem. Deinde, si dixissem, omnes relationes reales in Deo, esse vel origines, vel secundum D origines, quid mihi opponeres? *Spiritus*, inquis, *refertur ad Filium, vt missus, vt donatus ab ipso, vt elucens ab illo: quæ, distincta persona magis signa sunt, quàm originis.* Nego, relationes, quæ sunt inter Spiritum sanctum, vt missum, & vt donum, seu donatum; &, inter Filium, & Patrem, vt mittentem, & donantem, non esse relationes secundum originem, sunt enim ipsa spiratio actiua, & passiua; prout etiam agnouit S. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. vbi ait; *Spiritum sanctum donum Dei esse, est à Patre procedere.* Et, quod de Patre dicit, similiter de Filio intelligendũ est. Itaq; falsum est istas relationes, esse potius *discretiuas*, quã *constitutiuas*. Id quod rem distinguit, cõstituit etiã rem, nisi, in Deo accidentales distinctiones, &

acci-

accidentalia *distinctiua* ponere velis. *Aliud est* πέμπεσθαι, inquis, *aliud* ἐκπορεύεσθαι. Respondeo; missionem tam actiuam, quàm passiuam, & processionem aliter non distingui, quàm quod missio processioni superaddit terminum aliquem temporalem, quem connotat: à quo processio abstrahit.

THESIS XVIII. *De ordine originis intelligitur illud Domini:* Ego ex Deo processi. *Ioann. 8. Et illud;* Spiritus veritatis; qui à Patre procedit. *Ioan. 15. Nec sequitur, potentiam passiuam, siue receptiuam, vel imperfectionem in diuinis statuendam esse; si admittatur processio; hoc est, vnius personæ ab alia, vel alia emanatio. Nec vna tantum in diuinis est processio; sed duæ, non tamen plures.*

THESIS XIX. *Duæ istæ processiones in diuinis non sunt secundum operationes transeuntes, hoc est, quæ effectum aliquem extra operantem relinquant; sed sunt secundum operationes immanentes in ipso operante. Quæ quidem aliæ non sunt, quàm operationes intellectus, & voluntatis; ita, vt per operationem intellectus, procedat Filius; per operationem verò voluntatis; procedat Spiritus sanctus.*

MARGVNIVS: *Hæc est positio potius scholastica, quàm Theologica, nec ad aures antiquorum Theologorum. Illi enim ponunt* νοῦν, λόγον, καὶ πνεῦμα, *non intellectum, voluntatem, amorem.*

RESPONSIO. Ais, Positionem hanc potius scholasticam, quàm Theologicam esse, nec ad aures veterũ Theologorum. At, num ideo falsa, quia scholastica? sed benè habet. Nullos hostes habet scholastica Theologia, nisi ignaros, & rudes, vel eos, qui, quid valeat, malo suo discunt. Et, quomodo non est ad mentem veterũ Theologorum? An putas eos nescisse discrimen inter operationes *immanentes*, & *transeuntes*? Absit ab animo tuo tam indigna de doctissimis viris cogitatio. An putas, statuisse illos processiones in diuinis secundum operationes transeuntes? At, hac ratione, collocas omnes inter Arianos, Macedonianos; Eunomianos; qui omnes contendebant processionem Verbi, & Spiritus sancti esse secundum operationes transeuntes, ac proinde creaturas esse Filium, & Spiritum sanctum. Quidquid enim à Deo procedit, non *ad intra*, sed *ad extra*, hoc est, *operatione transeunte*, id oportet esse creaturam, cum sit extra diuinam substantiam.

Patres, inquis, *ponunt* νοῦν, λόγον, καὶ πνεῦμα. Sit ita. Addis: *Non intellectum, voluntatem, & amorem.* Nego. Hoc ipso enim, quod ponunt λόγον, seu Verbum, ponunt intellectum. Nam intellectus est principium productiuum verbi etiam creati, nisi fortè apud recentiores Græcos verbum prodeat ex phantasia. Item; cùm ponunt Spiritum, quem millies amorem, & charitatem nominant; simul ponunt voluntatem, quia volũtas est principium productiuum charitatis. Et, si nõ procedunt Filius, & Spiritus sanctus secundum operationes intellectus, & voluntatis; per quas, dic, oro, prodeunt? Sunt ne aliæ potentiæ in Deo præter intellectum, & voluntatem?

THESIS XX. *Temerarij sunt, qui dicunt personas non procedere per intellectum, & voluntatem; sed, ex fœcunditate naturæ per actus quosdam communicatiues priores actibus volũtatis, & intellectus. Vtrum autem in nobis per operationem intellectus procedat verbum realiter ab intellectione distinctum; item, vtrum per actum voluntatis procedat quidam terminus actus, realiter ab actu distinctus, non conuenit inter Doctores; nos, negantibus subscribimus.*

MARGVNIVS: *Vide, obsecro, ne forsan temerarij dicendi sint qui id ipsum asserunt. Licet enim D. Augustinum, & alij probati auctores id asserant, vt tamen vnitatem essentiæ diuinæ, non, vt processionem ab inuicem ostẽdant. Et de hoc passim in suis scriptis Augustinus, sed vt hæreticorum errores exutiat, qui asserebant, diuersitatem substantiæ in diuinis personis.*

RESPONSIO: Ais, *me fortasse magis temerarium esse, quàm illos, quos temeritatis arguo.* At quomodo temerarij illi, qui Filium ex intellectu, Spiritũ sanctum ex voluntate procedere dicunt? An non Filius dicitur verbum, & sapientia? Verbum & sapientia immediatè sunt ab intellectu. An non Spiritus sanctus charitas est? *sicut Dei verbum Filium esse, nullus Christianus dubitat, ita charitatem esse Spiritum sanctum*, inquit S. Augustinus lib. 9. de Trinitate cap. 12. At charitas immediatè est à voluntate. Fateris Augustinum, & alios probatos Doctores docere, Filium per intellectum, & Spiritum sanctum per voluntatem procedere: sed addis; *Non vt processionem ab inuicem ostendant; sed vt vnitatem diuinæ essentiæ.* Quid hoc ad rem? Neque nos ita argumẽtamur; *Filius procedit per intellectum, Spiritus sanctus per voluntatem: ergo Spiritus sanctus procedit ab vtroque.* Quis vtitur hoc argumento? Deinde, falsum est, quod dicis, *id vnum eos spectare, vt demonstrent conuenientiam vtriusque in eãdem essentia.* Non est hic sanctorum Patrum in hac quæstione finis: sed, vt ostendant, in Deo non esse vnam tantum, sed duas distinctas processiones per distincta principia. Præterea, si per intellectũ, & voluntatem, non sunt istæ processiones, dic rogo, (iterum enim rogare lubet) per quas nam potentias, & operationes sunt istæ processiones? Num per operationes aliarum potentiarum in Deo existentiũ? Sed, quis in Ente simplicissimo, & merè intellectuali posuit alias potẽtias præter intellectum, & voluntatem respectu operationũ

ad in-

ad intra? Nam respectu operationum *ad extra*, nō defuerunt, qui potentiam quandam executiuā in Deo ponerent, distinctam virtualiter ab intellectu, & voluntate: quamuis improbabiliter.

Fortè dices; *immediatè à natura hæ processiones esse*, vt dicebat Durandus, & Gregorius Ariminensis, contra quos thesis ista posita est. At, *verbum, sapientia, & charitas* non procedunt immediatè à natura, sed, à potentiis, vt taceam, hinc sequi, processionem Spiritus sancti, esse etiam generationem, ipsumque Spiritum sanctum genitum æquè, ac Filium. Nihil enim efficies, si dicas; Filiū procedere à natura γεννητῶς, Spiritum sanctum ἐκπορευτῶς.

THESIS XXI. *Processio Filij in diuinis verè, & propriè est generatio. At, processio Spiritus sancti non est generatio; cùm Spiritus sanctus nō sit Filius. Hinc, vt à generatione processio Spiritus distinguatur; dici solet* spiratio. *Et quamuis ex scriptura certò nobis constet, processionem Spiritus sancti non esse generationem; tamen, cùm sancti Patres negent se scire particulare discrimen, propter quod processio Filij sit generatio, non autem processio Spiritus sancti; non est, quod nos id scire profiteamur: licet congruentiæ quædam non incommodæ adduci soleant ad hoc discrimen ostendendum.*

MARGVNIVS: *Græci Patres ἄῤῥητον γέννησιν aiunt Filij ex Patre, & ἄῤῥητον πρόοδον; vel ἐκπόρευσιν Spiritus sancti ab eodem; & hoc modo etiam distinguunt personam Spiritus sancti, à persona Filij per disparatam emanationem, quia, ille quidem γεννητῶς παρὰ τοῦ πατρὸς. iste verò ἐκπορευτῶς, ab eōdem.*

RESPONSIO: Nihil ad rem, quæ hîc notas. *Filij*, inquis, *est γεννητῶς παρὰ τοῦ πατρός. Spiritus ἐκπορευτῶς ab eōdem.* Idem Latini dicunt; idem assero in Thesi. sed hoc non est asignare particulare, & speciale discrimen, propter quod processio Filij sit generatio, & processio Spiritus sancti, non sit generatio. Et hoc particulare discrimen ignorare se profitentur sancti Patres, vt Augustinus libro 3. contra Maximinum, Damascenus, & alij. Quod, si tu nosti, prome, & magnam inibis à nobis gratiam. Quod addis; *Patres distinguere personam Spiritus sancti à persona Filij per disparatas origines*; licet vterque ab eodem Patre solo procedat: id non est ita. Nam Filium, & Spiritum sanctum distinguunt per oppositas originis relationes, quibus sibi mutuò opponuntur; non per hoc, quod & ille à solo Patre prodeat; & hic itidē à solo Patre; sed per disparatas origines. Et, quomodo tu *disparatas origines* inuenies in Patre, si, quod supra videbaris velle, procedunt Filius, & Spiritus sanctus non per intellectum, & voluntatem; sed, per naturam? An, in Deo est natura, & essentia disparata; & distincta saltem virtualiter, eo modo, quo in Deo intellectus, & voluntas saltem virtualiter distinguuntur? Denique vbi sunt disparatæ; seu distinctæ origines passiuæ, ibi etiam asignandæ sunt distinctæ, & disparatæ origines actiuæ. Asigna, si potes, posita illa tua opinione de processione per naturam, non per intellectum, & voluntatem.

THESIS XXII. *Filius procedit à Patre; atque adeò, Pater est principium processionis Filij: Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio. Vt prius illud omnes concedunt; ita, hoc posterius negant Græci schismatici, & multi alij, Græcorum errores complexi. Contendunt enim Spiritum sanctum à solo Patre procedere; vt nominatim videre licet in secundo & tertio libro de variis controuersiis, quos ante aliquot annos Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha misit ad Vuirtenbergenses Doctores Lutheranos.*

MARGVNIVS. *Confitemur nos Spiritum sanctum à Patre procedere, siue ἐκπορεύεσθαι, sicut ait Dominus, ex quo intelligitur ab eo produci ad proprium esse hypostaticum, vt omnes sancti Theologi intelligunt. confitemur à Patre, & Filio, siue à Patre per Filium mitti, siue procedere, tanquam ab vno principio, ad confutandas falsas hæreticorū opiniones, qui non à Patre, & à Filio tanquam ab vno, sed tanquam à diuersis principiis procedere asserebant; ex quo præiudicabant ipsi diuinitati Filij, & consubstantialitati cum Patre; & illam, processionem esse ad intra, & originis: istam, ad extra, & vt ita dicam, dispensatoriam: illam, absolutè intellectam; hanc, propter aliquid, ad sanctificandam, scilicet, creaturam.*

RESPONSIO: Ais; *Omnes sanctos velle ex Patre* (solo scilicet) *produci Spiritum sanctum.* Falsum est. Nec Christus, nec Patres hoc asserunt, vt perspicuè demonstrarunt Manuel Caleca, Gennadius, Bessarion, & Patres Concilij Florentini, & alij innumeri. *Confitemur*, inquis, *mitti, siue procedere Spiritum sanctum à Patre, & Filio processione ad extra.* At sic à seipso etiam mittitur Spiritus sanctus, si in hac quæstione nihil aliud spectare velimus.

THESIS XXIII. *Spiritum sanctum ex Patre, Filioq; procedere, constans semper fuit Latinorum, & veterum Græcorum sententia. Quod primùm ostenditur ex illo Ioan. 10.* Ego, & Pater vnum sumus. *Si enim vnum sunt in iis omnibus, in quibus relatiuè non opponuntur (quo pacto opponuntur in paternitate, & filiatione: in his enim vnum non sunt; cùm realiter, vt sic, distinguantur) omnino oportet, vt vnum*

sint,

sint, quemadmodum in essentia, ita etiam in spiratione actiua, qua Spiritus sanctus spiratur: cùm, vt sic, non opponantur relatiuè, atque adeò etiam non distinguantur. Ex quo proinde tale argumentum potest confici: Quæ vnum & idem sunt, tunc cuius vnum est principium: eiusdem etiam alterum est principium: nisi peculiaris quædam diuina reuelatio obstet. Sed, Pater, & Filius sunt vnum, & idem, quoad spirandi facultatem: Ergò, si Pater spirat Spiritum sanctum, etiam Filius eundem spirabit; cùm sint vnum, & idem in spirandi facultate.

MARGVNIVS: *Nunquam hæc fuit Græcorũ opinio, nisi huiusmodi processio sano modo intelligatur, prout sancti Doctores exponunt. Et scinduntur quidem Græci ab huiusmodi opinione, non tamen ab vniuersali Catholicorum Ecclesia, & à Christi Ecclesia, cùm audiant ipsum Christum dicentẽ de Spiritu sancto; qui à Patre procedit, id est, ἐκπορεύεται.*

RESPONSIO: Negas, *fuisse veterum Græcorum sententiam, Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere.* sed, veram esse assertionem, intelliget, quisquis legerit Manuelem Calecam, Gennadium, Bessarionem, & Patres Concilij Florentini, & recentiores Auctores supra nominatos. Dicis; *Vos ob hanc opinionem non scindi ab vniuersali Ecclesia.* Quomodo non ab vniuersali, si à Romana, tum propter hanc, tum propter alias quasdam inanes persuasiones vestras scindiminí? Communicatne vobiscum Italia, Gallia, Hispania, Germania, Polonia, nouus Orbis ad ortum, & occasum, & meridiem? Communicantne vobiscum ipsi Caluiniani, & Lutherani? scilicet in Græcia vniuersalis est, & vera Ecclesia, si non potius particula ab vniuersali abscissa; in Græcia, inquam, cui tam durum iugum est impositum, vt pleraque templorũ pars solo sit æquata, & funditus euersa, & totus populus in acerbissimam seruitutem abreptus. Interea Latinus Orbis floret, & indies accessione plurium, etiam prius schismaticorũ augetur; quod docebunt te legationes, Alexandrina, & Ruthenica ad Clementem VIII. Pontificem Maximum, & Oecumenicum.

Dices. *Nihil hinc pro veritate colligi.* Nec ego hinc demonstrationem certam, & euidentem sumi posse affirmo. Hoc dico; sicut ex captiuitate, seruitute, & summa miseria Iudæorum, probabiliter, imõ plus quàm probabiliter Iudæis ostendimus, eos in Christum, cuius diuinitatem abnuunt, peccatum inexpiabile admisisse, propter quod tam diuturnas luant pœnas: ità, ex summa Græcorum calamitate, & egestate, & durissima seruitute, probabiliter colligimus, eos aliquid commisisse in Spiritum sanctum, propter quod in tantas ærumnas inciderint, tanto iam tempore, tum sine spe libertatis recuperandæ; præsertim cùm indies Græcorum gloria, & potentia euanescere; & imminui cœperit, simul atque hæc peruersa de Spiritu sancto hæresis in Græciam inuecta est; cumque Græcorum Imperium ipso Spiritus sancti festo radicitus exstirpatum fuerit. Et certè, sicut Iudæi crucifixerunt Christum; ita Græci mihi videntur, saltem voluntate, & proposito, crucifigere Spiritum sanctum, quia quantum in ipsis est, è medio Spiritum sanctum tollunt, quando eum à Filio procedere negant: cùm ad rationem Spiritus sancti pertineat, vt à Filio itidem procedat; vt inuictissimis argumentis Latini sæpius demonstrarunt. Itaque, qui Spiritum sanctum à Filio procedere inficiantur, quid aliud agunt, quàm quod cum Pharisæis, & Scribis, coniunctis vocibus, clamant; *tolle, tolle. Sed nos*, inquis, *audimus Christum dicentem; qui ex Patre procedit.* Videlicet Christum auditis, sed non Catholicis auribus, vt loquitur Augustinus: sed illis, quibus audiunt Caluiniani Christum, cùm ait; *Hoc est corpus meum.*

Ad illa eiusdem vigesimæ tertiæ Theseos verba: *Ego & pater vnum sumus:* ais; *Dionysium asserere, nihil esse commune inter Patrem, & Filium, quod non sit etiam commune Spiritui sancto:* Respondeo; loqui S. Dionysium de essentialibus: sed, spirare, seu habere vim spiratiuam, non est essentiale: ergò necesse non est, vt ipse etiam Spiritus sanctus se producat. Ex quo, satis fit quæstioni, quam subiungis; *Vtrum spirandi facultas sit aliquid essentiale, an notionale?* Respondeo; esse notionale. Obiicis; *si notionale, & vt personarum proprium distinctarum; ergò, erunt duo principia.* Respondeo; id non sequi. quia Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum, vt vnum sunt in spirandi facultate: sicut iidem, vnà cum Spiritu sancto producunt creaturas, vt vnum sunt in essentia. Et sicut hoc non obstante, nihilominus creaturas producunt, vt distinctæ personæ: ita Pater, & Filius, non obstante, quod vnum sunt in spirandi facultate, producunt etiam Spiritum sanctum aliqua ratione; vt sunt distinctæ personæ. Malè autem colligis, *si spirandi facultas neque sit purè essentialis, neque purè personalis,* debere esse *συμμικτον*: non sequitur, sed est tertium quiddam, seu medium, sine tamen extremorum participatione reali, qualem vocabulum illud *συμμικτον* significat: quia est quid notionale. Non enim omne notionale, est personale, quamuis omne personale, sit notionale.

THESIS XXIV. *Ad argumentũ Thesi vigesimæ tertiæ propositũ respondet Hieremias Patriarcha in secundo suo responso:* Quæro, *inquit,* vtrum de eodem, vocabulum IDEM, in vtraque præmissarum accipias; an potius æquiuocatione dolum struas; dum aliter in Maiore, aliter, in Minore sumis? *Respõdemus; nos illud accipere de eodem, vt sensus sit: quæ idẽ sunt in essentia, & operatione, seu facultate spirandi, illa etiam idem producunt: sed Pater, &*

Filius

Filius idem ſunt ſecundum rem, numerum; & rationem in eſſentia, & operandi facultate, ſeu vi ſpiratiua; Ergo idem etiam producunt; nempe Spiritum ſanctum. Si ſic accipiatur vocabulũ idẽ, *inquit Hieremias*, tunc Minor erit falſa: quia Pater, & Filius, non ſunt idẽ numero; hoc enim eſt Sabellianorum. *Quaſi verò non ſint vnum numero, quoad ſpirandi vim: licet enim, quoad paternitatem, & filiationem non ſint vnum numero; nihilominus vnam, eandemque ſpirandi vim habent; ſicut habent vnam eſſentiam: & ratione huius ſpirationis communis vtrique, dicuntur vnum numero eſſe; &, vnus ſpirator, ſeu vnum principium ſpirandi quod.*

THESIS XXV. *Secundum argumentum ſumitur ex illo Ioan. 16.* Omnia, quę habet Pater, mea ſunt. *Et Ioan. 17.* Omnia tua, mea ſunt. *Ex quo tale argumentum confici poteſt: Omnia, quæ ſunt Patris, ſunt etiam Filij; ſed eſſe principium ſpirandi eſt Patris; ergo etiam Filij: Reſpondet Hieremias; illud:* Omnia mea tua ſunt, non eſſe intelligẽdum de proprietatibus perſonalibus; ſed de iis, quæ cõueniunt Patri, ratione eſſentiæ; ſed ſpirare, non conuenire Patri ratione eſſentiæ; ſed, ratione perſonæ, quatenus talis eſt. *Verùm, reſponſio hæc falſa eſt, ſpirare enim non poteſt eſſe proprium, & perſonale Patris: cùm, per* ſpirare, *non diſtinguatur Pater à Filio; & tamen diſtingui deberet, ſi ſpirare eſſet proprium & notionale Patri. Ad hoc argumentum videtur pertinere etiam illud, quod Hieremias Latinis tribuit:* Pater, & Filius ſunt eiuſdẽ eſſentiæ: ergo ſimul producunt Spiritum ſanctũ. *Ridet hoc argumentum, tanquam vanum:* Sequeretur enim, etiam Spiritum ſanctum eſſe principium ſui ipſius: cum ſit eiuſdem eſſentiæ cum Patre, & Filio. *Verùm hoc argumento, ita propoſito, nemo Latinorum vtitur.*

MARGVNIVS. *Et omnia, quæ ſunt Patris & Filij, ſunt etiam ipſius Spiritus ſancti, dicit Auguſtinus in libris de Trinitate. Ergo quid hinc inferes? & quas, hinc ſumpta occaſione, diſtinctiones conficies, vt, quæ, ſecundum te, ſequuntur abſurda, euitare poſſis?*

Contra illa verba Theſeos, verùm hæc reſponſio falſa eſt, obiicit Margunius. *Et tamẽ aliter ſenſit D. Gregorius Nazianzenus, dicens;* τοῦτ' ἔστιν ἡμῖν ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα· τὸ ἄγιον, ὁ μὲν πατὴρ, καὶ ἀρχὴ ἐκλάμψεως τοῦ υἱοῦ, τὸ δὲ πνεῦμα, τὸ ἐκλαμπόμενον. *quemadmodum igitur eſt proprium Patris, generare Filium, ita etiam proprium eius eſt, producere Spiritum ſanctum. Et ideo, idem Gregorius nomen ἀρχῆς ad intra, ſoli Patri tribuit. Et, ſicut proprium eſt Filij, genitum eſſe, & generari à Patre, ita etiam Spiritus ſancti proprium eſt, ab eodem Patre produci. quod ergo proprium eſt, qui cõmune ſit?*

RESPONSIO: *Omnia mea tua ſunt,* ait Chriſtus. *Quas diſtinctiones,* ais, *conficies, vt, quæ ſecundum te ſequuntur abſurda, euitare poſſis?* Vnica diſtinctione rẽ totam conficiam, & quidem ſub perſona Chriſti. *Omnia mea tua ſunt,* inquit Chriſtus ad Patrem, in quibus ſcilicet relatiuè non opponimur: In ſpirandi facultate relatiuè non opponimur; vt non modò Chriſtiani, ſed & quiuis Logici, & Metaphyſici norunt: ergo ſpirandi facultas quę Patris eſt, eſt etiam mea. Nazianzenus, quem citas, non ait, ſolum Patrẽ eſſe αἰτίαν Spiritus ſancti. Clara eſt pro Latinis ſententia eiuſdẽ oratione quinta de Theologia, nomẽ ἀρχῆς ſoli Patri tribuit reſpectu Filij, non autem abſolutè. Quæ ſubiungis nõ ſunt ad rem: *Ex iſto argumento; Pater, & Filius ſunt eiuſdem eſſentiæ, ergo ſimul producunt Spiritum ſanctum. Sequitur,* vt obiicit Hieremias, *Spiritum ſanctum à ſe ipſo produci.* Tu, *ſequetur,* inquis, *imò neceſſariò, & per ea, quæ à nobis ſuperius dicta ſunt:* Non debes probare, quid inde ſequatur: ſed hoc; Latinos iſto argumẽto vel vti, vel vſos eſſe, vt imponit illis Hieremias.

THESIS XXVI. *Sed hoc dicimus; omnia illa, quæ ad oppoſitas relationes in diuinis nõ pertinent, debere eſſe communia: ſed, ſpirare, non eſt formaliter paternitatis, neque filiationis etiam, præcisè: cùm per ſpirare formaliter non conſtituatur Pater, neq; etiam Filius. Debet ergo commune eſſe Patri, & Filio, ſicut eſſentia eſt communis. Nec tamen poteſt ſpiratio communis eſſe Spiritui ſancto alio quodam ex capite: quatenus ſcilicet ex natura ſua implicat, vt idem ſit productiuum principium ſui ipſius. Itaque, ſi quis ita formet argumentum:* Pater, & Filius ſunt eiuſdem eſſentiæ, vt habent eandem numero vim ſpirandi: Ergo, ſimul producunt Spiritum ſanctum; *tunc argumentum erit veriſimum.*

MARGVNIVS: *Et quomodo ſaluabitur poſtea abſoluta de communitate eſſentiæ inter diuinas perſonas doctrina Dionyſij, ſtante hac noua tua Theologia?*

RESPONSIO: Rectiſsimè ſaluabitur. quia, ſpirare, non eſt eſſentiale, ſed notionale. Nec eſt hæc Theologia noua, niſi apud imperitos.

THESIS XXVII. *Tertiò, argumentantur Latini ex illo Ioan. 20.* Inſufflauit, & dixit; Accipite Spiritum ſanctum: *vt, quemadmodum ſpiritus aërius ex ore humano procedit; ita Spiritus ſanctus à Filio procedere intelligeretur. Rident hoc argumentum Græci.* Et, ô loquacitatem, *inquit Hieremias,* vt vmbram veritati obiiciatis. *Sed hoc argumento vſus eſt S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum c. 14. & S. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 56. qui non paulò doctiores fuerunt, quàm iſti. Quod autem Chriſtus Apoſtolis dederit poteſtatem remittendi peccata,*

atque adeo dona Spiritus ſancti, id non obſtat; quo minus hac inſufflatione ceremonia ſignificare voluerit à ſe etiam procedere Spiritum ſanctũ.

MARGVNIVS: *Non eſt negandum ex hac ſcripturæ autoritate aſſerere Auguſtinum, etiam à Filio procedere Spiritum ſanctum: & ita procedere à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, contra negantes eiuſdem poteſtatis, & eſſentiæ eſſe Filium cum Patre. Hæc autem proceſſio, non ſpectat ad ipſum eſſe hypoſtaticum ſpiritus, ſed ad munerum diſtributionem potius; quæ tamen & ipſa cum per eundem Spiritum dentur indifferenter, ſicut à Patre, & à Filio, ita & ab ipſo Spiritu dantur. Ideo in acceptione munerum dari Spiritus & ipſe dicitur. Vbi enim vult, ſpirat. Ita enim datur à Patre, & Filio, (ſecundum Auguſtinum) vt etiam ipſe ſe ipſum dat, ſicut Deus. Quod attinet ad auctoritatem Cyrilli, commodius reſpondebimus ea inſpecta. nunc enim nullũ alium librum nobiſcum in hanc ſolitudinem attulimus, præter expoſitiones diuerſorum in ſacram Miſſam. Et hæc, quæ adnotamus hic, curſim, ac veluti ἐν παρέργῳ.*

RESPONSIO: Fateris, ex hoc loco D. Auguſtinum proceſsionem Spiritus ſancti ex Patre, & Filio ſtatuere. Sed, addis ſoli tenebras. At fruſtra. Legatur locus ille Auguſtini lib. 3. contra Maximinum cap. 14. clariſsimus, & inuictiſsimus eſt: vt taceam, apud Auguſtinum, & alios orthodoxos miſsionem propriè dictam ſeu proceſsionẽ ad extra (ad quam reluctantem Auguſtinum fruſtra trahis) præſupponere proceſsionem ad intra. Vt Cyrillum coram inſpicias, haud impedio, dummodo rectis oculis inſpicias.

THESIS XXVIII. *Quartò argumentantur Latini ex illis locis, vbi dicitur, Chriſtus dare, vel mittere Spiritum ſanctum: vt Ioan. 15.* Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. *Et Ioan. 16.* Si abiero, mittam eum ad vos, &c. *Omnis enim miſſio, & proceſſio ab alio; aut eſt per imperium; quo pacto ſerui miſſi procedunt à Domino; aut eſt per inſtructionem & per conſilium; quo modo miſſi procedunt, qui inſtruuntur à ſapientioribus in re, quã ignorabant; aut per naturalem productionem, & originem, ſicut dicitur flos emitti ab arbore, ex qua ſecundùm ſuum eſſe procedit; ſed certum eſt Spiritum ſanctum nõ mitti à Filio duobus prioribus modis. Ergo poſteriori; atq; adeo, procedit ab illo.*

MARGVNIVS. *Ita mittitur à Patre, & Filio, ſiue à Patre per Filium Spiritus ſanctus, vt indifferenter & à ſe ipſo miſſi dicatur, ſiue ſe ipſum mittere, ſecundum Theologos. Ita enim datur hîc donum Dei à Patre, & Filio, vt etiam ſe ipſum det ſicut Deus, vt dicit Auguſtinus, ſi rectè memini. Et, cùm aliud realiter intelligatur per miſſionem, quod ad perſonam attinet ſpiritus; aliud per ἐνέργειαν, fruſtra fiunt argumenta aſſerentia ex miſſione productionem Spiritus ſancti ab vtroque ad eſſe proprium hypoſtaticum, & potius ipſi Chriſto, & ſanctorum Patrum adhærendum eſt interpretationibus, quàm cuiuſcunque ſententiæ, & rationibus naturalibus, quæ nullam vim habent in ſupernaturalium rerum vel paruæ oſtenſione.*

RESPONSIO. Hîc ſoluendum erat argumentum aſſertionis. Tu dicis, adhærendum eſſe interpretationibus SS. Patrum, quæcunq; rationes afferantur. Quaſi verò argumẽtatio illa Patribus non ſit conſentanea. Mittitur Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, vt concedis. Hęc miſsio præſupponit originem: aut, ſi non præſupponit, refuta argumẽtum aſſertionis. Nam ſi ſpectemus tantùm ipſam doni collationem, prout confertur creaturæ; ſic iam dixi, Spiritum ſanctũ mitti à ſe ipſo. At plus ſignificant illa, & ſimiles ſententiæ: *Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis; quem*, non, *quod* donũ. Et tu ipſe concedis Theſi 31. Spiritum ſanctum, vt miſſum à Patre, & Filio, accipi à fidelibus, & nõ tantum dona eius. Hoc igitur poſito, ſolue argumentum, quod propoſui in hac theſi.

THESIS XXIX. *Idem argumentum accommodari poteſt ad vocabulum* dandi, *ſeu* dationis. *Nam, quando Pater, vel Filius dicitur dare Spiritum ſanctum: id vel intelligitur eo modo, quo ſeruus datur alteri à Domino, ſeu inferior à ſuperiore: Vel, intelligitur eo modo, quo arbor dat fructum etiam ſecundum ſcripturæ phraſin: ſed prius non: Ergo poſterius: qui modus eſt ſecundum proceſsionem vnius ab alio: ſicut fructus ſecundum ſuam proceſsionem eſt ab arbore.*

MARGVNIVS: *Nullo modo, niſi eo, quo Doctores ſancti intelligunt, nosq; edocent.*

RESPONSIO: Enumero varios modos, quibus aliquid ab alio prodit. Tu, *nullo modo, niſi quo S. Doctores intelligunt, nosq; edocẽt.* Subſumo ego: ſed Doctores ſancti non intelligunt alium modum miſsionis, & dationis Spiritus ſancti à Patre, & Filio, niſi eum, qui eſt ſecundum naturam, & originem: aut, oſtende alium. Feci inductionem theſi priore. Monſtra illam inductionem non eſſe ſufficientem.

THESIS XXX. *Nec refert, quòd ſcriptura aliquando in futuro dicit*; mittet, dabit. *Nam cùm proceſsio ſancti Spiritus duret in omni differentia temporis; rectè quoque per omnes differentias ſignificatur: quamuis etiam reſpectu donorum externorum, qua fideles futuro tempore à Spiritu ſancto accepturi erant, vel adhuc accepturi ſunt, rectè dici poſsit in futuro tempore*; mittet, dabit.

MARGVNIVS. *Donum eſt Spiritus ſanctus ſempiternè donatus, ſiue datus in tempore: Et tamẽ donum eſſe, & eſſe Spiritum, non eſt idem. diſtinguitur enim à perſona Filij, non eò quòd donum ſit, ſiue vt donum producatur: licet hoc, ſano tamen modo, intelligat Auguſtinus, ſed, quod hic quidem ſit à Patre ἀνεκφράστως, ineffabili ſcilicet modo; ille verò, γεννητῶς.*

RESPONSIO. Neſcio, quorſum nota iſta pertineat. Accipio tamẽ, quod dat. *Donum eſt*, inquis,

Spiritus

Spiritus ſanctus ſempiternè. Addo ego hanc conſequentiam; Ergo ab æterno procedit à Filio, quia ab æterno dat illum Filius; datione per originem. Nam ab æterno non poteſt eſſe donum reſpectu hominum, cum hominibus neque ſecundum ſe, neque etiam ſecundum ſua dona ſit donatus ab æterno; quippe non exiſtentibus hominibus ab æterno. Addis; *non eſſe idem, donum eſſe, & Spiritum ſanctum eſſe.* Contradicis Auguſtino, qui, vt ſupra vidimus, dicebat, donum Dei, eſſe Spiritui ſancto à Patre procedere: procedere autẽ à Patre, eſt Spiritui ſancto *eſſe.* ergo Spiritui ſancto, donum eſſe, eſt eidem eſſe: præſertim cum donum ſit nomen perſonale Spiritus ſancti, ſicut & amor. ſi ergo Spiritus ſanctus, vt donum, procedit quoq; à Filio, etiam vt donum diſtinguetur à Filio, cùm ratio, & relatio doni, quam Spiritus ſanctus habet, ad Filium, vt ad donantem, nihil ſit aliud, quàm ipſa ſpiratio paſsiua.

THESIS XXXI. *Reſpondet Hieremias ex aliis Græcis valdè verbosè, maximè lib. 3.* miſſionem Spiritus ſancti in Filio nullam ex tribus prædictis ſignificare; ſed miſſionem externam ad creaturas per donorum largitionem: cùm enim Filius quoq; donet hominibus fidem, ſpem, charitatem, ideo dici eum mittere Spiritum ſanctum, quia dat, & mittit dona, quæ ſunt Spiritus ſancti. *Hæc reſponſio multis modis refelli poteſt. Primò, quia, quando dicitur ſanctus Spiritus dari, vel mitti, tunc non dantur tantum dona creata; ſed cum donis illis verè etiam datur ipſe Spiritus ſanctus, ita ſcilicet, vt in illo homine, cui dantur dona Spiritus ſancti, ipſe Spiritus ſanctus nouo quodam modo ſecundum gratiæ operationem exiſtere incipiat: & contrarium aſſerere meritò cenſetur error. Quis enim toleraret, dicentem; Apoſtolos in feſto Pentecoſtes non accepiſſe ſanctum Spiritum; ſed tantum dona creata illius?*

MARGVNIVS: *Et tamen ſtat argumentum ſanctiſſimi Hieremiæ. Neq; enim ille negat Spiritum ſanctũ dari, dum ab eodem dantur munera: imò id ſupponit implicitè, licet non explicitè aſſerat. Dare enim & ipſe ſeipſum quodammodo dicitur, cum munera ſua creaturæ diſtribuit. Ergo ne ille quidem hoc negat: illud verò, quod tu aſſeris, nempe in huiuſmodi donatione, ſiue miſsione produci ad proprium eſſe hypoſtaticum ipſum Spiritum: Nil enim datur à Patre, & Filio, quod nõ ſimul, & ſemel etiam ab ipſo Spiritu ſancto detur, cùm indiuiſa ſint opera Trinitatis. & tantum valet dicere; Spiritum ſanctum à Patre, & Filio miſſi, ad ſanctificandum creaturam, quantum à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eandem creaturam ſanctificari per communia munera.*

RESPONSIO. Certè Hieremias vbiq; ſatis diſertè explicat, ſe per miſsionẽ Spiritus ſancti tantùm intelligere largitionẽ creatorum charismatum. Faciamus tamen verum eſſe, quod tu dicis, eum ſupponere, ipſum etiam Spiritum ſanctum, quoad ſuam perſonam, mitti & dari, quando in ſcripturis mitti & dari dicitur; an nõ inde ſequitur, Spiritum ſanctum à Patre & Filio ſecundum entitatẽ ſuam procedere, cum propriè loquẽdo de miſsione, perſona non dicatur miſſa, niſi ab illa, à qua procedit? Nec eſt, quod in iis ſcripturæ locis, quę de miſsione ſancti Spiritus loquuntur, à propria & genuina miſsionis ſignificatione recedamus. Et quamuis ipſe etiam ſanctus Spiritus ſeipſum, quoad entitatem ſuam mittere dicatur; minus tamen propria eſt hęc locutio, ſicut & illa, cũ Filius etiam, qua Deus, à Spiritu ſancto mitti dicitur. Hoc enim non aliter fit, niſi quia Spiritus ſanctus eſt principium eius effectus, ſecundum quem perſona Filij, quę miſſa dicitur, incipit eſſe alicubi. Nec tamẽ ſequitur; ipſum etiam Patrem, hoc improprio miſsionis genere dici poſſe *miſſum*; quia ne impropriè quidẽ mitti dicitur perſona illa, quæ non eſt ab alia, ſed à ſe, qualis eſt Pater.

THESIS XXXII. *Patet hoc etiam ex illis ſcripturæ locis, vbi Spiritus ſanctus ipſemet abſolutè dicitur dari vel mitti. Vt ad Rom. 5.* Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Vbi, Spiritus ſanctus diſtinguitur à donis: & tam hic quàm illa dicuntur dari. Et 1. Cor. 6.* Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis in vobis. *Et:* Portate Deum in corpore veſtro. *At, dona ſancti Spiritus, non ſunt Deus, neq; illis debetur templum. Et 1. Io. 4.* Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Ergo nõ ſola charitas manet in nobis, quæ non eſt Deus: ſed verè etiam manet ipſe Deus; & conſequenter, verè ipſe Deus datur, & mittitur nobis. Deinde, illa;* Paraclitus non veniet, &c. Mittam eum ad vos: Alium paracl itum dabo vobis; *non niſi violenter, & impropriè exponi poſſunt de miſsione, & datione donorum.*

MARGVNIVS: *Iam diximus ſuperius, quomodo hæc intelligenda ſint. Vbi enim vult Spiritus ſanctus, ſpirat, & tribuit vnicuique, prout vult, ſua munera. Et forſan etiam rectè quis dicat, quòd cùm ea vnitas ſit Spiritus ſancti cum ſuis muneribus, vt realiter idem ſint, ſed tantum reſpectu noſtri diſtinguantur, propterea etiam munera ipſa Spiritus ſancti nomen ſuſcipiant.*

RESPONSIO; Probo in Theſi ipſum Spiritum ſanctum dari, & mitti, non tantùm dona eius. Hic tu iſta: *Forſan rectè quis dicat, quod cùm ea vnitas ſit Spiritus ſancti cum ſuis muneribus, vt realiter idem ſint, & tantum reſpectu noſtri diſtinguãtur, propterea etiam munera ipſa Spiritus ſancti nomẽ ſuſcipiant.* Quid audio? Non diſtinguitur gratia & charitas, à Spiritu ſancto realiter? Num tu de charitate ſentẽtiam Magiſtri Sententiarum iam dudum exploſam inſtaurare contẽdis? Num reſpectu aliorum charismatum, vt fidei, ſpei, iuſtitiæ, ſapientiæ, &c. doni lingua-

rum, sermonũ, interpretationũ, &c. stabilire vis sententiam hæreticorum, qui dicunt, nos nõ esse iustos per nostram inhærentem iustitiam, sed per iustitiam Christi nobis imputatam? Tu vlterius etiam, per iustitiam diuinã increatam nos iustos esse censes: si verum est, dona sancti Spiritus, realiter à Spiritu sancto nõ distingui. An virtus, quæ est accidens, & in genere habitus, non distinguitur realiter à Spiritu sancto? Ens finitum ab infinito? limitatum ab illimitato? Nollem tibi excidisse hanc notam, qua totã de recentiore Græcia existimationem apud me in dubium deuocasti. Quod si Spiritus sanctus, & donum eius idẽ realiter sunt; quomodo secundum te non procedit secundum entitatem suam Spiritus sanctus à Filio, cùm à Filio secundum entitatem suam prodeant dona Spiritus, quæ, secundum te, entitatiuè sunt idem cum Spiritu sancto?

THESIS XXXIII. *Ergo quãdo Filius dicitur dare, vel mittere Spiritum sanctum, non tantum dat cum & mittit; quia dat eadem dona, quæ Spiritus; sed ipsum Spiritum sanctũ dat & mittit ad homines: ita, vt Spiritus sanctus secundum gratiæ operationem nouo quodam modo incipiat esse in hominibus, ex impulsu, & quasi motu Filij; qui impulsus alius esse non potest, nisi ú, qui est secundum originem.*

MARGVNIVS: *Hoc non poterit verè inferre ex doctrina Euangelica, neque ex sententia Doctorum: si modò non superficie tenus eorum dicta inspicias.*

RESPONSIO: Thesi præcedẽti, manifestè hoc probaui ex scriptura. Et tu ipse concedis, nõ modò dari dona Spiritus sancti, sed ipsum etiã Spiritum sanctũ. cùm, secundum te non distinguantur realiter. Et id ipsum dicis, supponere Hieremiam. Qua ergo constãtia affirmas, me id, quod hæc thesis continet, probare non posse: cum non modò ex Euãgelio, sed & ex tuis verbis id probẽ?

THESIS XXXIV. *Præterea, ex responsione Hieremiæ sequitur; etiam Patrem mitti à Filio; imò, ab ipso Spiritu sancto, quia Filius & Spiritus sanctus sunt itidem auctor donorum, quæ dat Pater. Si igitur ideo Filius dicitur mittere Spiritum sanctum; quia est auctor donorum, quæ dat Spiritus sanctus; rectè etiam dicitur mittere Patrem; quia est auctor donorum, quæ dat Pater. Et, si quis diceret, ideo dici Spiritum sanctum mitti à Filio; quod nobis meruerit, vt ad nos veniat Spiritus sanctus, sequeretur, & Patrem à Filio mitti, quia similiter nobis meruit Filius, vt Pater ad nos veniat.*

MARGVNIVS: *Neminem latet, missionũ, vocẽ in diuinis, vt plurima οἰκονομικῶς accipi: non autem, vt illatiuam originis, nisi quis τὸ σημαινόμενον ad Patrem ipsum referat.*

RESPONSIO; Nota hæc non respondet ad argumentum. Nego, vocem, *missionis*, in scriptura tantùm οἰκονομικῶς accipi, & originẽ non significare.

THESIS XXXV. *Obscit Hieremias*; Procedere & dari, non sunt idem, sicut nec procedere & mitti; quia procedere, semper manet; mitti verò vel dari, non manet semper. *Respondemus, dari vel mitti Spiritum sanctum*, datione & missione externa, *non semper manere; dari verò vel mitti Spiritum sanctum*, datione, & missione interna, *quoad ipsius substãtiam; semper esse, & manere; quod est dicere; datione, & missionem materialiter semper manere; non autem formaliter; quatenus scilicet* missio, *& præsertim* datio, *superaddit processioni respectum, & quasi transitum ad rem creatam secundum effectum, vel donum aliquod.*

MARGVNIVS: *At dari & esse Spiritum, non est idem: neque in eo, quod datur, vel vt donum consideratur, asserunt sancti Doctores, proprium esse, siue subsistentiam produci. ergo.*

RESPONSIO: *Dari*, inquis, *& esse Spiritum sanctum non est idem.* Imò verò, loquendo de datione interna, sicut produci Spiritum, & esse Spiritum, idem est, nam in instantaneis fieri, & esse; produci, & productum esse, non distinguuntur.

THESIS XXXVI. *Sed instat Græcus Patriarcha*; Filius etiã datur, & mittitur, vt sæpe dicit scriptura. *Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &c.* Ergo, dari, & generari, sunt idem. Rursus dari, & procedere, sunt idem: ergo etiam procedere, hoc est, spirari & generari, sunt idem; iuxta illud; *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: sed procedere, & generari sunt eadem vni tertio, nempe dationi passiuæ; ergo procedere & generari sunt etiam idem inter se. Sed hoc est falsum; quia Spiritus sanctus procedit, & non generatur: & Filius generatur, & tamen non procedit; hoc est, non spiratur, vt Spiritus sanctus.

THESIS XXXVII. *Sed hæc nihil valent. Nam Filius dicitur dari à Patre secundum humanam naturam; quo pacto etiam à Spiritu sancto datur, & mittitur Filius. Deinde, si Filius potest dici dari à Patre eo modo, quo dicitur mitti à Patre; quatenus scilicet per generationem æternam procedit à Patre secundum suum Esse diuinum: tunc hac ratione nunquam dicetur Filius mitti à Spiritu sancto, vel dari: cùm secundum naturam diuinam nullo modo procedat ab illo.*

THESIS XXXVIII. *Argumẽtum autem Hieremiæ, planè est puerile; perinde enim est, ac si quis diceret; processio generatim sumpta, est idem, quod generatio; & idem, quod spiratio; cùm sit quiddam commune ad vtramque: Ergo generatio, & spiratio, tam actiua quàm passiua sunt*

idem:

idem: quia, quæ ſunt eadem vni tertio; ſunt eadem inter ſe. Vel, vt magis notum exemplum demus: Animal, vt eſt genus, dicitur de homine & leone: Ergo homo & leo ſunt idem: iuxta illud; quæ ſunt eadem vni tertio, &c. *ſimile eſt argumentum in propoſito de datione & miſſione reſpectu generationis & ſpirationis. Nam ſicut ibi ex conuenientia generationis & ſpirationis in communi conceptu proceſſionis; vel hominis, & leonis in communi conceptu animalis, nihil aliud colligere licet, quàm generationem, & ſpirationem; itemq; hominem, & leonem; idem eſſe in conceptu communi, & ratione generica; non autem in particulari, vel ſpecifica; ita etiam hîc nihil aliud colligere licet, quàm generare & ſpirare; & generari & ſpirari eſſe idem ſecundum communem quandam rationem miſſionis, ſeu dationis actiuæ & paſſiuæ.*

THESIS XXXIX. *Addit & hoc argumentum Hieremias:* nõ ſolùm Filius dat Spiritum ſanctum; ſed & ipſe Spiritus ſanctus dat ſeipſum: ſi ergo dari ab aliquo, eſt ab illo procedere; ſequitur, Spiritum ſanctum etiam à ſe ipſo procedere. *Hoc argumentum facile diſſoluitur. Nam inprimis Spiritus ſanctus nuſquam in ſcriptura dicitur ſeſe mittere; ſi alicubi dicatur dare ſe hominibus, id mirum non eſt: quia, vt ipſa perſona ſeipſam aliis det; id nihil eſt, quod implicet: nec tamen inde rectè inferes; ergo & à ſe ipſa procedit illa perſona; quia hoc implicat. At cum alia perſona perſonam aliam dare dicitur; neceſſariò id, de proceſſione intelligendum eſt; cùm in diuinis, vt miſſionis; ita & dationis non poſſit alius modus inueniri; qui cum conſubſtantialitate perſonarum ſubſiſtat; niſi ille, qui eſt ſecundum originem.*

THESIS XL. *Obiicit Hieremias;* ſi Spiritus ſanctus neq; ſe, neq; Filium dare poteſt; tunc ſequitur, quod non ſit eadem potentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; quod tamen eſt falſum. *Reſpondemus, ſi hoc argumentum valeret, tunc ſequeretur, etiam Patrem eſſe potentiorem, quàm Filium, & Spiritum ſanctum: quia Pater poteſt gignere Filium; & tamen hoc non poteſt Filius, & Spiritus ſanctus: Et Pater, ſecundum Græcos, poteſt ſpirare Spiritum ſanctum: & tamen hoc non poteſt ſecundum eoſdem Græcos Filius, & Spiritus ſanctus: Ergo, non eſt eadem potentia Patris, & Filij, &c. Atqui eadem ſanctiſſimæ Trinitatis potentia eſt. Si hoc argumentum non valet; cur valeret illud alterum?*

THESIS XLI. *Deinde dicimus, eandem eſſe omnium potentiam reſpectu rerum efficiendarum* ad extra. *Præterea, quidquid perfectionis eſt in vna perſona; illud etiam eſt in altera; quatenus omnes in eadem eſſentia identificantur. Denique dicimus implicare; vt, quidquid* ad intra *poteſt vna perſona, quatenus eſt ab aliis diſtincta, poſſit & altera; ſic enim idem poſſet ſeipſum producere, quod implicat; & idem eſſet productum, & non productum; procedens, & non procedens.*

THESIS XLII. *Quintus locus, ex quo Latini ſuam ſententiam ſtabiliunt, eſt ille, Ioan. 16.* Cùm venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur, &c. ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. *Ex hoc loco ducitur tale argumentum; Filius affirmat, Spiritum ſanctum à ſe accipere cognitionem & ſcientiam: ergo ab eodem Filio accipit etiam Spiritus ſanctus ſuum eſſe. Quia,* ſcire, & eſſe *Spiritus ſancti, ſunt vnum & idem: cùm in Deo,* ſcire, & eſſe *ſint vnum & idem. Reſpondet Hieremias, in illo:* De meo accipiet; ſubintelligendum eſſe, Patre; vt ſenſus ſit; non loquetur à ſemetipſo; ſed de meo Patre accipiet, vt loquatur: proceſſionem ſcilicet. *Sed hæc reſpõſio planè nulla eſt: nam inuſitatum eſt hoc genus loquendi in ſcriptura: cùm Chriſtus de ſuo Patre loquens, nunquã tantùm dixerit* meus; *ſed ſemper nomen Patris pronomini adiunxerit.* Pater meus vſque modò operatur, & ego operor, *ait apud S. Ioannem. Et quamuis iſte ſenſus eſſet, quem iſti volunt, nihilominus rectè inde colligeretur proceſſio Spiritus ſancti à Filio.*

MARGVNIVS: *Et tamen hæc eſt mens Athanaſij. & Auguſtini, prout aliàs latius explicabimus, ſi Deus annuerit. Et, D. Chryſoſtomus, ſi rectè memini, hunc locum exponens, ait;* Ex meo accipiet, *id eſt, conſona mei dicet, eademq; & ipſe docebit. Quid hoc ad productionem ad Eſſe Spiritus ſancti? Præterea, non dixit, ex me accipiet, ſed, de meo, vt etiam ante diximus: ſed, quaſi duo aliqui accipiant ab vno tertio; quaſi dixerit; ex eo, quod ego accepi, & ipſe accipiet. hoc autem potius eſt ſignum conſubſtantialitatis Spiritus cum Filio, quàm proceſſionis ad Eſſe proprium ab eo. ſi enim de Filio accipit, accipit quidem & ipſe à Patre per originem; ſed, quia eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Filio, ideo à Patre accipiens, de Filio accipit. hæc, ſi ad originem referatur acceptionis vocabulum. Plerique enim Theologorum οἰκονομικῶς tantum id intelligi ſentiunt.*

RESPONSIO: Repetis, quæ ſupra iam notata, & diſcuſſa in illo loco: *De meo accipiet.* Quæro, cur non ſit aptior interpretatio illa, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, quàm illa, ἐκ τοῦ ἐμοῦ πατρός; Deinde, *de meo accipiet,* eſt illud ipſum, quod antea dixerat; *non loquetur à*

semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur; vt intelligamus, inquit S. Augustinus, *eum non esse à semetipso.* Audire illi scire est. scire verò, esse: & hoc esse habet vt à Patre, ita & à Filio, quod disertissimis verbis docet D. Augustinus cùm alibi, tum tract. 99. in Ioannem.

THESIS XLIII. *Sed ait Hieremias;* Demus significari, ex meo; hoc est, ex me Filio; non sequitur tamen, ob id Spiritum sanctũ procedere à Filio. Aliud enim est, quod accipit; aliud, ex quo accipit; aliud, ab vtroque differẽs, quod accipitur. Quod accipit; Spiritus est; Ex quo accipit; Filius. Quod verò accipitur, diuersum quiddam est ab vtroq;. Infert enim; & annunciabit vobis. Quare, B fortassis illud, quod accipitur, necesse est procedere ex Filio; non autem id, quod accipit: aliôquin idem erit, quod accipit, & quod accipitur, & idem se ipsum accipiet.

THESIS XLIV. *Hæc friuola sunt: Negamus enim id, quod accipitur, esse distinctum ab eo, quod accipit. Nam Spiritus sanctus accipit per processionem à Filio, esse & scire & operari, & omnia quæ sunt diuinitatis: & illud ipsum esse, scire, & operari accipitur. Sicut in generatione hominis; homo, accipit esse humanum per generationem: &, id, quod accipitur per generationem, est,* esse humanum: *nec est absurdum, vt se ipsum accipiat; quia, Socrates, verbi gratia, per generationem, se ipsum, hoc est,* suum esse humanum, *quod est ipse, accipit. Sed isti, ex rudi quadam speculatione putant prius præexistere debere id, quod aliquid accipit, quàm illud, quod accipitur: sicut, cum iam aliquis accipit vestem, verbi gratia; accipiens & acceptum distinguuntur realiter; sed tamen hoc non vbique habet locũ; vt patet ex ipsa prima rerum productione. Et, quidnam potuit Spiritus sanctus accipere à Filio, atq; adeò, quid potuit esse acceptum; si non accepit* suum esse, *ita vt* esse, *sit acceptũ?*

THESIS XLV. *Diceret fortaßis Patriarcha Græcus,* scientiam: *sed ipsa est ipsum esse Dei, vt iam vidimus. Sed ait;* accepit id, quod annunciauit hominibus per os Apostolorum & Doctorum. *Non est hoc negandum: sed illud ipsum, quod Spiritus sanctus annunciauit hominibus, & potentiam etiam annunciandi, & loquendi, accepit à Filio:* non enim loquetur à semetipso *(inquit Christus)* sed de meo accipiet. & tunc annunciabit vobis; *hoc est, si ita loqui liceret: A me instruetur circa ea, quæ hominibus annunciabit. Cùm autem blasphemum sit dicere; Spiritum sanctum propriè esse instructum à Filio; sicut homo instrui solet de re, quam*

ignorat: ideo, non nisi per internam à Filio processionem, & productionem accipere potuit aliquid de Filio, & de scientia Filij, &c. A

MARGVNIVS: Hæc & discussa sunt aliâs largius, à nobis, & discutientur non nisi Catholicè, si sese occasio obtulerit; nil tamen ad tuum propositum faciunt.

RESPONSIO: Exspectabo discussionem istã, sed scio non futuram Catholicam, nisi fuerit Latina & Romana.

THESIS XLVI. *Sextus locus, ex quo Latini processionem Spiritus sancti à Filio confirmant, est ille ad Rom. 8.* Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. *Et ad Galat. 4.* Misit Deus spiritum Filij sui, &c. *Hinc tale argumentum potest conflci: Spiritus sanctus dicitur in scriptura non modò spiritus Patris; vt ad Rom. 8. & Matth. 10. sed etiam Filij, vt patet ex locis iam citatis: Ergo, non minus procedit à Filio, quàm à Patre. Nam spiritus dicitur à spirando; nec absque suo spirante intelligi potest. Potest etiam argumentum sic formari: Ab illo spiratur Spiritus sanctus, cuius est spiritus; sed est etiam spiritus Filij: ergo & à Filio spiratur: si spiratur; ergo procedit: quia, processio sancti Spiritus dicitur spiratio.*

MARGVNIVS: *Falsum est argumentum, ex eo, quod spiritus dicitur Filij spiritus; sequi statim, ex eo procedere. non enim quidquid est alicuius, & ab eo est per originem: cùm illud latiùs pateat. Præterea, Damascenus dicit; spiritum Patris dicimus, & à Patre: Spiritũ etiam Filij dicimus, sed non à Filio dicimus. Et statim addit rationem, cur hoc dixerit, dicens; solus enim Pater est causa. Sicut & Dionysius Areopagita;* μόνη γὰρ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ πατὴρ. *Non ergo valet argumentũ: Spiritus est spiritus Filij; ergo à Filio procedit: nisi quis intelligat processionem ad extra. Præterea Augustinus dicit alicubi; & Spiritum sanctum ab eodem Patre procedere; sed vnum, & eundem esse spiritum Patris & Filij: Modò à te scire cupio, sitne vna & eadem relatio hæc secundum Augustinum, nec ne? quod non eadem: clarè enim id patet: licet tibi per Augustinum interpretari Augustinum, vt intelligas, eum quoque ad Patrem referre Spiritum sanctum, vt ad propriam originẽ, & principium: ad Patrem verò & Filium, eundẽ referre alia quadam relatione, non originis scilicet; sed qua dicitur vt donũ tribui, mitti, procedere ab vtroq; ad sanctificandã creaturã. Hanc duplicem relationem Spiritus sancti subobscurè nos docuit D. Gregorius Theologus, quando respondens ad argumentũ hæreticorum dicentium: quid igitur est q; deest Spiritui, ad hoc, vt sit Filius? dicit;* ὃ λείπει φαμὲν, τὸ ἐκ τῆς αἰτιάσεως, ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῶν τὴν πρὸς ἕνωσιν. *Quid voluit intelligere per ἀφορον, quam illam, quam vos disparatam emanationẽ dicitis, scilicet τὸ ἄγεννον Filij à Patre; τὸ ἐκπορευτὸν spiritus ab eodẽ quid diuersitatem relationis ad inuicem, nisi quia Spiritus sanctus dicatur Filij, quia ab eo detur, mittatur, &c. non autem è conuerso.* C D

RESPON-

RESPONSIO: Dicis, non sequi; *Spiritus sanctus est Spiritus Filij; ergò procedit ab illo.* Si non est bona consequentia, ostende vitium. *Non quidquid est,* inquis, *alicuius, id est illius per originem.* Quomodo ergò est Spiritus sanctus Spiritus Filij? Estne Filij, vt famulus Domini? vel, vt legatus mittentis? vel, vt subditus superioris? vel, vt aliquid constituens saltem secundum nostrum intelligendi modum: quo pacto essentia, est aliquid Filij, & similiter filiatio? Si nullo horum modorum est Spiritus sanctus Filij; restat, vt sit illius per originem. nam, non ob solam consubstantialitatem dicitur Spiritus Filij: alioqui posset etiam Filius dici Filius Spiritus sancti; quia eidem consubstantialis est: & Filium posset quis dicere Patris Filium: non quia à Patre procedat: sed quia cum Patre sit consubstantialis. Damascenum à Latinis non discrepare docent Bessarion & Gennadius. qui & caussam reddunt, cur eo loquendi modo sit vsus. Dictum illud D. Dionysij; *Solus Pater fons est diuinitatis;* verum est. quia solus Pater est principium vtriusque personæ; cùm Filius sit tantum principium vnius personæ. Ad dictum Augustini, & ad tuam quæstionem respondeo: esse eandem relationem, qua, ex sententia S. Augustini, refertur Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium. Est enim spiratio passiua. Sicut & eadem relatio est, qua Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum, nempe spiratio actiua. Neque alia relatio vnquam S. Augustino in mentem venit. Locus S. Gregorij, pro Latinis est. Nam ideo, inquit, Spiritus non est Filius: quia non habet ad Filium relationem Filij, seu filiationis; sed habent inter se alterius generis relationem, quàm sit paternitas, & filiatio. Non est autem inter Filium & Spiritum sanctum alia relatio, quàm spirationis, siue vocetur ἔκφαν σις, siue ἔκλαμψις, siue πρόμψις, siue quocunque alio nomine.

THESIS XLVII. *Ad hoc argumentum, negat Hieremias,* Spiritum dicere respectum ad Patrẽ, vel Filium; *sed imperitè. Licet enim non significet respectum ad Patrem, vel Filium formaliter, quatenus Pater vel Filius est; significat tamen respectum ad vtrumq; prout vterque est spirans, seu spirator. Omnis enim Spiritus alicuius spirantis, seu spiratoris Spiritus est: sicut etiam Spiritus aërius, qui ab homine procedit, relationem habet ad hominem; non quidem quatenus homo est formaliter; sed, quatenus spirans. Hoc ipso autem, quod relationem habet, vt ad spirantem; relationem quoq; habet ad eundem, vt ad suum principium productiuum; cum homo spirans sit causa effectiua Spiritus aërij. Eadem ratio est in diuinis.*

THESIS XLVIII. *Negat autem Hieremias insciè, omnia illa esse relatiua, quæ aliorum esse dicuntur, seu, quæ ad alia se habent. Nam illud est relatiuum, cui conuenit proprietas, vel potius essentialis ratio relatiuorum: sed ad aliud dici, seu ad aliud se habere, est proprietas, imo essentia relatiuorum. Ergo quidquid eiusmodi est, illud erit relatiuum: At Spiritus formaliter, quatenus talis, dicitur ad Filium, vt ad spiratorem, & ad illum se per quandam habitudinem habet. Ergo, vt sic, Spiritus est relatiuum; vnde etiam* Spiritus Filij *appellatur. Sed ait Hieremias;* dici Spiritum Filij, quod à Patre procedat, à quo etiam procedit Filius. *Verùm, hac ratione dicere liceret, quod Filius esset Spiritus sancti Filius. quia etiam Filius procedit à Patre, à quo procedit Spiritus sanctus.*

THESIS XLIX. *VVirtenbergenses, vt augeant argumenta contra Græcos ex scriptura, addunt & hoc in primo suo, & secundo ad Patriarcham responso:* Scriptum est; omnia per ipsum, hoc est, per Filium facta esse; & sine ipso factum esse nihil, quod factum est. Ergò Spiritus sanctus procedit à Filio: quia, nisi ab illo procederet; non haberet virtutem res omnes efficiendi. *An non est hæc egregia probandi ratio processionem Spiritus sancti contra Græcos?*

MARGVNIVS. *Friuolum est argumentum, & nullius valoris, nullaq; indigens responsione.*

RESPONSIO. *Rectè, sed nil contra me.* Quia, non est meum, sed Lutheranorum, qui cum Hieremia & Græcis dexteras iungere volebant.

THESIS L. *Addunt & hoc argumentum:* Spiritus sanctus vocatur à Christo digitus Dei: si in digito Dei eiicio dæmonia, *inquit Christus;* profectò peruenit in vos regnum Dei: sed digitus Dei, est potentia Dei infinita: Ergò Spiritus sanctus procedit à Filio: *Formet, quipotest, informes Tubingensium disputatorum argumentationes.*

MARGVNIVS: *Si in memoriam reuoces, quid de hoc dicto dicat Cyrillus, profectò te huiusmodi pœnitebit assertionis. Accommodat autem totum sensum ille sanctus vir ad ostensionem consubstantialitatis Spiritus sancti ad Filium, non ad id, quod ex tua mente tu asseris.* ὅπως ὑπ' ἀλλήλων ἀπέχωσι τῆς χειρὸς ἀλλήλων ἐν αὐτῷ, &c.

RESPONSIO: Nec hanc Thesin intellexisti. Non est meum argumentum, sed VVirtenbergensium; nec probaui, sed risi. Itaque cur te huius notæ pœniteat, causæ multum; cur me, meæ assertionis, causæ nihil video. Ex dicto tamen S. Cyrilli, & similitudine digiti argumentum non inefficax pro Latinis duci potest. Nam, Spiritus sanctus dicitur digitus Dei, hoc est, etiam Christi: ergò procedit ab illo; sicut digitus hominis procedit ab homine, & ex substantia hominis. Dicis; hoc exemplo S. Cyrillum tantum osten-

dere voluisse consubstantialitatem Spiritus sancti, & Filij; sed, quæso te, an digitus non procedit ex substantia manus? Tantumne ex substantia manus, tamquam ei consubstantialis, suspensus est?

THESIS LI. *Græci pro suo errore vix quicquam ex scriptura adferunt, præter illud Ioan. 15.* Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: *ergò non procedit à Filio. At Christus non dixit*; à solo Patre: *& licet hoc dixisset; tamen non exclusisset seipsum. Imò locus iste potius pro Latinis facit; vt rectè notauit Bessarion Cardinalis in sua Oratione dogmatica cap. 7. Nam spiritum, qui à Patre procedit, appellat ibidem Christus* spiritum veritatis, *hoc est, spiritum suum. Ipse enim veritas est, iuxta illud*; Ego sum via, veritas, & vita. *Ergò in hoc loco ostendit etiam Christus Spiritum sanctum à se procedere. Hinc S. Cyrillus in epistola ad Nestorium ex Concilio Alexandrino & nomine illius Concilij, scripta, sic ait*: Spiritus appellatus est veritatis; & veritas Christus est: vnde & ab isto similiter, sicut ex Patre procedit.

MARGVNIVS: *Cyrilli verba sano modo sunt explicanda. Cùm enim Nestorius nudum hominem esse opinaretur Christum; negabat etiam ab eo dari Spiritum sanctum, sicut à Patre. Cyrillus verò verum Deum, & hominem asserens Christum, ab eo similiter procedere. (non scilicet per participationem vt ille nugabatur) eundem spiritum asserebat, ad sanctificationem creaturarum: ἐξ ἑνὸς, καὶ ἐξ αὐτοῦ ὄντα, καθάπερ ἐμίλει καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς, communiori vocabulo vtens, & distincto ab illo τῆς ἐκπορεύσεως. Inspicias totam seriem ipsius Epistolæ, & veritatem cognosces.*

RESPONSIO: *Cyrilli*, inquis, *Verba, sano modo sunt intelligenda:* hoc est, Græco, & schismatico. Hic enim istis sanus videtur. Clariora sunt verba Cyrilli, quàm vt his verborum nebulis obscurari queant. *Ab isto* (nempe Filio) *similiter, sicut ex Patre procedit*, inquit Cyrillus: sed ex Patre procedit secundum originem; ergò etiam ex Filio procedit secundum originem. Maior est Cyrilli; Minor, Christi. Conclusio bona. Quo te hîc vertes? *Non dixit*, inquis, ἐκπορεύεται, sed πρόεισι. Inuenies ne in tota veteri Græcia discrimen inter πρόεισι, & ἐκπορεύεσθαι; sicut & in toto Latio inter *procedere, & progredi?* sed ais: *Tantum procedit à Filio ad sanctificationem creaturarum*, hoc est, secundum dona. Si sic, ergò etiam tantum procedit à Patre ad sanctificationem creaturarum, quia similiter procedit à Filio, vt à Patre.

THESIS LII. *Deinde ibidem promittit Christus, se missurum Apostolis Spiritum illum, qui à Patre procedit:* Cùm venerit paracletus, *inquit*, quem ego mittam vobis à Patre, qui à Patre procedit. *At missio vnius diuinæ personæ ab alia propriè loquendo, est etiam secundum originem; & non tantum secundum dona creata, vt supra argumentati sumus: Ergò, hoc ipso ostendit Christus, Spiritum sanctum à se etiam procedere. Et fortè ideo non dixit; qui à Patre, & Filio, seu à me procedit, ne repeteret id, quod iam bis disertè affirmauerat.*

THESIS LIII. *Probant etiam Latini suã sententiam ex Conciliis Latinis, & Græcis. Ex Græcis est Concilium Alexandrinum, præsidente S. Cyrillo; cuius Patres in Epistola ad Nestorium habent verba paulò superius citata. Quod autem hæc Epistola fuerit totius Concilij Prouincialis Alexandrini; & non solius S. Cyrilli, patet ex inscriptione, quæ talis est, & habetur Tomo I. Concilij Ephesini cap. 14.* Cyrillus, & Synodus ex Ægypti prouincia Alexandriæ congregata; Nestorio religiosissimo, piisimoque sacrorum comministro in Domino salutem, *&c. Hæc Epistola approbata est deinceps à Concilio generali Ephesino, & à quarta Synodo, & à quinta, & à sexta, & à septima, in qua legitur symbolum Constantinopolitanum, cum illa additione*; Filioque procedit. *Quinq; ergò generalia Concilia in Græcia celebrata, approbarunt apertè processionem sancti Spiritus ex Filio; cùm illam Epistolam Concilij approbarint: vt omittamus Concilium Florentinum; in quo denuo Græci cum Latinis fuerunt coniuncti.*

MARGVNIVS; *Non legitur, & à Filio procedit; neq; ea Concilia id asseruerunt, quod tu nescio quomodo asseris.*

RESPONSIO: Atqui legitur in Latinis codicibus septimæ Synodi, quidquid tu contra dicas. Negarunt hoc olim, vt tu, quidam Græci in Concilio Florentino. Sed Latini prolato antiquissimo Codice, in quo nulla corruptelæ suspicio, & testimonio antiqui cuiusdam historici peruicacibus ora obstruxerunt. Si in vestris codicibus non habetur, nil mirum. Notum est, qua arte noua Græcia codices corrigere soleat.

THESIS LIV. *Idem inde ostenditur. Quia Concilium Ephesinum, & Synodus quinta, & sexta, expressè condemnarunt Nestorium, symbolum Nestorij, & scripta Theodoreti contra anathematismos S. Cyrilli, in quibus scriptis, præter cetera, asserebat Theodoretus; Spiritum sanctum nec à Filio, nec à Patre per Filium procedere: quod etiam habebatur in symbolo Nestorianorum, vt auctor est Gennadius libro de processione sancti Spiritus, sectione tertia.*

MARGVNIVS. *Condemnarunt scripta Theodoreti; non, quod falsum ipse sentiret, sed quod Cyrillum calumniaretur. quod cognosces, si diligenter totum illum progressum percurras.*

RESPONSIO. Ergò ne tu vera credis illa, quæ

ex in-

ex intimo Neſtorij ſenſu, & pectore effuriuit in illo ſuo ſcripto contra S. Cyrillum Theodoretus? Atqui, propter illa condemnatus fuit Theodoretus: ergò propter falſam doctrinam, & hæreſes, quæ in illo ſcripto continebantur; inter quas & hæc; Spiritum ſanctum *ex ſolo Patre* procedere, non ex Filio, nec per Filium.

THESIS LV. *Nec eſt contemnendum argumentum aliud, quod adfert Gennadius ſectione 1. ex ſexta & ſeptima Synodo. Vtraque enim approbauit, & ſub anathemate recipi mandauit non modo ſcripta B. Cyrilli, & aliorum quorundam Græcorum; ſed etiam B. Auguſtini & B. Ambroſij. At D. Auguſtinus pluribus locis affirmat Spiritum ſanctũ à Filio procedere; maximè tractatu 99. in Ioannem:* Cur non credamus, *inquit*, quod etiã à Filio procedat Spiritus ſanctus; *cum Filij quoq; ipſe ſit Spiritus? Et certè, ſi Patres Græci, qui fuerunt in 6. & 7. Synodo, habuiſſent hanc ſententiam pro hæreſi, vt faciunt hodierni Græci; nunquam illam approbaſſent in S. Auguſtino, & aliis Patribus Latinis.*

MARGVNIVS: *Imò credendum eſt Spiritum ſanctum & à Filio procedere, ſed, vt ipſemet Auguſtinus intelligit.*

RESPONSIO: Benè. Plus non poſtulo. Crede cum Auguſtino proceſsionem Spiritus ſancti, & ſaluus eris.

THESIS LVI. *Argumentatur Hieremias proſe ex Conciliis. Nam in primo ſuo reſponſo cap. 1. ait*, Nicæna Synodus, & reliquæ cum ea conſentientes omnes docuerunt Spiritum ſanctum ex ipſo ſolo Patre procedere, *Hoc mendacium meritò exſibilat Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 23. Nam in Concilio Nicæno nihil aliud habetur de Spiritu ſancto, quàm hoc;* Et in Spiritum ſanctum; *& his verbis finitur ſymbolum Nicænum. In Concilio Conſtantinopolitano, quod eſt ſecundum generale, addita ſunt illa verba;* qui ex Patre procedit. *Et hoc propter hæreticos Macedonianos, & Eunomianos: qui, vt patet ex libro 2. S. Baſilij contra Eunomium, & ex libro 1. Dini Gregorij Nyſſeni contra eundem Eunomium, adeo non negabant Spiritum ſanctum ex Filio procedere; vt dicerent, eum à ſolo Filio ſuum eſſe habere, vt clariſſimè patet ex verbis Eunomij apud S. Gregorium Nyſſenum.*

MARGVNIVS: *Inueheris tu quidem in ſanctum virum, ſed iniuria, quod enim ille aſſerit tolerari poteſt. Cum ad Patrem ſemper & Concilia, & Patres ipſi referant ipſum ſpiritum, vt ad ſuam originem. Quod vero tu aſſeris, ideo in Concilio Conſtantinopolitano additum eſſe, qui à Patre procedit, propter Eunomianos, bene quidem dicis, ſi tamen & hoc confiteare, eos id feciſſe, vt Spiritum quidem ad Patrem, tanquam ad ſuam referrent originem, quaſi ad Filium referri hunc inclusiuè negarent, conſubſtantialem tamen eſſe ipſi Filio; quod erat confirmandum aduerſus eos. Ita enim de Filio eſſe ſpiritum ij opinabantur, vt diuerſum & alium eſſentiæ à Filio. Ideo dixit D. Baſilius; ἐκ πατρὸς μὲν ἐκπορεύεσθαι, vt ad Patrem referat vt ad principium; δι' ὑιοῦ δὲ παραγίνεσθαι, ἢ χορηγεῖσθαι, aut aliud ſimile. D. verò Gregorius Nyſſenus, & ipſe; ἐκ πατρὸς μὲν ἐκπορεύεσθαι, δι' ὑιοῦ δὲ ἐκλάμπειν. quod autem in hoc, δι' ὑιοῦ παραγίνεται, & ἐκλάμπειν & χορηγεῖσθαι, & ſimilia, non intelligatur productio Spiritus à Filio, vel per Filium ad proprium eſſe; conſule tantos Doctores, & videbis veritatem. Non enim negant omninò iſti contra eoſdem hæreticos diſputantes proceſsionem quandam Spiritus ſancti à Filio: hanc tamen & iſtam conſubſtantialem, non tanquam creaturæ, vt falsò illi opinabantur, ad Patrem tamen referunt ipſum, vt ad principium, & originem propriæ hypoſtaſeos. Diſcernunt enim perſonas diuinas, quod & alias dixi, ſancti Patres, non modò τῇ ἀσυγχύτῳ, id eſt, diſparata emanatione à Patre tam Filij, quàm Spiritus ſancti: verùm etiam relatione ad inuicem. quia Spiritus dicitur Filij, & non è conuerſo: Spiritus autem Filij, vt qui per ipſum præbeatur creaturæ, eluceat ab ipſo. Hæc autem non ad originem attinent, ſed ad diſcretionem perſonæ à perſona, non tamen conſtitutiua exiſtentiæ, & ad conſubſtantialitatem oſtendendam.*

RESPONSIO; Dicis, *me inuehi in virum ſanctum, ſed iniuria. Tolerari enim poſſe, quod ſcribit.* Quid ais? Poteſtne tolerari mendacium in vllo, ne dum in ſancto? Atqui mendacium eſſe, quod tuus ille *ſanctus* tam confidenter affirmat, notius eſt, quã velis. Neque enim ex *ſolo Patre*, neq; *ex Patre* procedere Spiritum ſanctum Nicæna Synodus definiuit. Addis; Patres Concilij Conſtantinopolitani adieciſſe ſymbolo illud; *qui ex Patre procedit*: vt referrent ſpiritum ad Patrem, tanquam ad ſuam originem. Ita eſt: Interim non negarunt iſti Patres, quod hæretici illi rectè ſentiebant, nempe ex Filio Spiritum ſanctum procedere; licet perfide negarent proceſsionem iſtam eſſe ſecundum eandem numero eſſentiam. Et ſancti Patres, qui dicunt δι' ὑιοῦ παραγίνεσθαι ἢ ἐκλάμπειν; originem Spiritus ſancti ex Filio τῇ ἐκφάνσει καὶ ἐκλάμψει ſignificant; & non ſecundum effuſionem, & collationem donorum temporalium. Adiungis: *ne ipſos quidem hæreticos negaſſe Spiritum ſanctum referri ad Patrem, vt ad factiuum principium.* Falleris, ſi de Eunomianis loqueris de quibus in hac Theſi. Iſti enim productionem ſancti Spiritus ſoli Filio adſcribebant. vt clariſsimè liquet ex 1. libro Nyſſeni contra Eunomium. Et S. Baſilius libro ſecundo contra Eunomium reprehendit Eunomium, quod ſoli Filio τὴν αἰτίαν Spiritus ſancti attribuat. Etſi iſti hoc ipſo etiam referebant Spiritum ſanctum ad Patrem, tanquam ad mediatum principium: ſicut nepos refertur ad auum, tanquam ad mediatum principium. Sed nos hîc diſputamus de principio immediato.

THE-

THESIS LVII. *Concilium igitur Constantinopolitanum symbolo id, quod negabatur ab Hareticis, adiecit, nempe Spiritum sanctum ex Patre procedere: & id omisit, de quo tunc nemo, ne ex ipsis quidem Hareticis, dubitabat: nempe, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere; quod tamen, cum postea negari cœpisset à Græcis, additum est symbolo Constantinopolitano, eodem iure; quo Concilium Constantinopolitanum ad symbolum Nicænum addidit;* Qui ex Patre procedit; *cum hoc ab Hareticis negaretur: siue adiectio hæc facta sit à solo Pontifice; siue ab aliquo Concilio, approbante Pontifice: siue Græcis præsentibus, siue absentibus. Nihil enim de hoc constat ex historijs. Nec vllum Concilium prohibuit additionem ad symbolum, quæ fieret tantum explicationis, & maioris claritatis causa: qualis fuit ista;* Filioque.

THESIS LVIII. *Pari fide affirmat iste in secundo suo ad Lutheranos responso;* Septem Synodos pro Græcis esse. *Ex Nicæna Synodo profert hæc verba; quasi ex persona Patrum ad Philosophum quempiam infidelem dicta;* Accipe vnam diuinitatem, Patris & Filij & Spiritus sancti, qui ex ipso Patre procedit, sed Filij proprius est. Si ex Filio, *inquit Hieremias,* putassent Patres illi procedere Spiritum sanctum; frustra additum fuisset; ex ipso Patre. *Sed vbi, & apud quem exstant hæc verba, quæ iste adfert sub nomine Concilij Nicæni? Certè in Concilio Florentino, sessione 5. ipsimet Græci fassi sunt; nihil pro hac quæstione afferri posse ex Concilio Nicæno.*

MARGVNIVS: *Et tamen plerique hæc verba proferunt, & progressus sermonis, & ipsa textura disputationis vera esse ostendunt; vt cuique patere potest, qui ea inspexerit.*

RESPONSIO; Qui sunt illi plerique? nominetur Auctor aliquis.

THESIS LIX. *Deinde, licet prædicta verba legerentur in actis Concilij Nicæni; nobis tamen non obessent. Non enim excluditur Filius; cum Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre. Nec omnia, quæ in Actis Conciliorum habentur; habenda sunt pro definitis tanquam de fide. Quod si verba illa supposititia non essent, tunc illud;* ex Patre, *additum censeri posset, ne quis qui ad fidem conuerteretur, putaret Spiritum sanctum, qui tertio loco in sanctissima Trinitate enumerari solet, non procedere à Patre; sed, immediatè, à solo Filio. Quam etiam sequentes Synodi conueniant cum Græcis, iam supra satis vidimus.*

THESIS LX. *Probant præterea Latini suam sententiam ex Patribus Græcis & Latinis; quorum multa testimonia adducunt Gennadius sectione 4. & Bessarion in oratione dogmatica, & alij; cumq; S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, & alij multi Latini vixerint eodem tempore, quo S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, & S. Basilius; &, cum S. Hieronymus cũ Gregorio Nazianzeno, & Nysseno familiariter egerit; quis credat, Græcos illos Patres in re tanti momenti dissensisse à Latinis; aut si vel Græci, vel Latini aliquid cõtra rectã doctrinã docuissent, hos, vel illos dissimulaturos fuisse?*

MARGVNIVS: *Concordant sanè inter se Patres tam Græci, quàm Latini; cum vtraq; pars vnum, atq; eundem spiritum illuminantem habuerint; sed discordamus nos propriam volentes opinionem statuere, neq; ad veritatem ipsam aspicere.*

RESPONSIO. Concedis Patres Latinos concordare cum Græcis Patribus. Habeo gratias pro tam liberali concessione. Nam Patres Latinos pro hodiernis Latinis stare contra nouellos Græcos, clarè ostendam, cum tua Apologia prodierit.

THESIS LXI. *Quamobrem mirandum est, quomodo Græci, & iste Hieremias, profecerint non modo Patres Græcos, sed & Latinos, Augustinum, Hieronymum, Gregorium Magnũ; & ex summis Pontificibus, Damasum, Zachariã, Leonem, & alios; cum de horum sententia in hac controuersia aquè parum dubitari possit; atq; de sententia S. Thomæ, S. Anselmi, & aliorum; qui ex instituto contra Græcos scripserunt. Illud etiã figmentum est, cum ait, Ioannem VIII. Pontificem Max. consensisse tertiæ Synodo Prouinciali celebratæ Constantinopoli pro restitutione Photij Patriarchæ, & annuisse, vt ex symbolo deleretur vox illa* Filioq; *Nam hoc postremum ab ipsis Græcis schismaticis confictum est, vt ex Manuele Calecæ, Græco scriptore, ostendit Franciscus Turrianus, in libro de 6. & 7. Synodo, & Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 5. Et Zonaras meminit quidem restitutionis Photij; sed non ablationis particulæ,* Filioq;, *ex symbolo. Et Græci in Concilio Florentino sessione 6. non agnoscunt Concilium illud sub Ioanne VIII. pro Synodo Oecumenica: licet illis multum profuisset, si legitimum fuisset: præsertim si Pontifex Romanus errorem Græcorũ de processione S. Spiritus approbasset. Quod autem Leo, & Benedictus Pontifices symbolum Constantinopolitanũ asseruarunt sine illa additione,* Filioq;, *& in Missa etiã recitari voluerũt, id nihil iuuat istorũ errorem. Ideo enim id fecerunt, vt seruaretur memoria symboli Constantinopolitani, quale fuerat; &, vt omnes intelligerent, illud nõ damnari, nec esse contrariũ nostro.*

MARGVNIVS: *Et tamen videtur edita hæc Epistola Ioannis Pontificis etiã Latina, neq; ficta est, vt tu ais,*

ſed vera; & citatur etiam, ſi rectè memini, ab Onuphrio Panuinio, dum ipſe eiuſdem Pontificis meminit.

RESPONSIO; Confictam, vel, vt rectius loquar, fraudulentiſsimè & hanc & alias quaſdam Ioannis Papæ Epiſtolas à Græcis falſatas & corruptas eſſe, luculentiſsimè demonſtrat Card. Baronius Anno Chriſti DCCC.LXXIX. Tam verum eſt quod de illo Ioanne narratur, quàm verum ab hoc Pontifice vſque ad Chriſtophorum, omnes Pontifices Romanos ſenſiſſe cum Græcis, quod Hieremias ſcribit in ſecundo ſuo ad VVirtenbergenſes reſponſo.

THESIS LXII. *Denique præter multas rationes, quibus Latini ſuam ſententiã confirmant, afferunt & hanc; In diuinis nõ eſt diſtinctio realis, niſi ratione originis vnius ab alio; ergo, ſi iſta relatio originis non eſſet inter Filium, & Spiritũ ſanctum, non diſtinguerentur realiter. Quæ ratio bona eſt, ſuppoſitis illis, quæ de ſacroſancto Trinitatis myſterio fides tradit, & Theologicè loquẽdo; quamuis ſi quæſtio hæc Metaphyſicè tantum tractetur per ſolas naturales rationes; non appareat implicatio, diuinas perſonas aliter diſtingui, quàm per relationes, & origines; ſecus, ſi ex reuelatis argumentari velimus.*

MARGVNIVS; *Diximus ſuperius duobus modis docere nos ſanctos Patres, diſtingui diuinas perſonas; ſcilicet ſiue diſparata emanatione, quæ eſt ἀμίνωσις πάσιν, & ἀνωφελὲς; ſiue relatione; In priori, nos edoceri proceſſionẽ Spiritus ſancti à Patre, & itidẽ diſtinctionẽ eiuſdẽ perſonæ ab vtroq; : In poſteriori; diſcretionem ſpiritus eiuſdem ab ipſo Filio, non tamen conſtitutiuam perſonæ.*

RESPONSIO: Quæſo te; nõne paſsiua generatio, ſeu generari, relatio eſt, ſicut & generare? An nõ illud, proprium eſt Filij; hoc, Patris? Poteſtné in diuinis aliquid eſſe propriũ alicui perſonæ, ꝙ ſit abſolutũ, & nõ reſpectiuum? Et q̃ ſunt iſtæ relationes diſcretiuæ Spiritus ſancti à Filio, & tamen nõ conſtitutiuæ Spiritus ſancti? An alia relatio vera & realis in Spiritu S. eſt, quã ſpiratio paſsiua? At per hanc & in *eſſe ſuo* cõſtituitur, & ad Filium & Patrem, tanquam ad terminum ſuum refertur. Omnis item relatio realis in Deo, fundatur in aliqua origine. Ergò hoc ipſo, quod alicubi relationem realem admittis, debes ſimiliter rationem originis admittere.

THESIS LXIII. *Vt nos ex ratione argumentamur pro proceſſione Spiritus ſancti à Filio; ita Græci ex ratione argumentantur contra eandem;* Abſurdũ eſt, *inquit Hieremias*, dualitatẽ facere principiũ vnitatis; cum potius vnitas ſit principium dualitatis; ſed hoc faciũt Latini, dum aſſerunt, Spiritũ ſanctum eſſe ex Patre, & Filio; vnum, ex duobus. *Hoc argumentum valdè vrgent Græci, cum tamen nullius ſit momenti. Primum enim, Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctũ, vt vnum ſunt. Deinde, licet ab illis itidẽ procedat, vt ſunt diſtincta perſona; id tamen non obſtat. An nõ enim qualibet etiã creatura, vt vna eſt, procedit proceſsione* ad extra, *à tribus SS. Trinitatis perſonis? Si Trinitas, hoc eſt, tria ſuppoſita, poſſunt eſſe principium vnitatis, hoc eſt, vnius rei,* ad extra; *cur nõ poſſet etiam dualitas, hoc eſt, duo ſuppoſita, eſſe principiũ vnitatis, hoc eſt, vnius ſuppoſiti* ad intra? *Nec arguit imperfectionem in Patre, quod à Filio quoq; procedat Spiritus ſanctus: ſed potius, ſummam perfectionem; ſicut non arguit imperfectionem, quod res creatæ procedant ab omnibus perſonis diuinis.*

MARGVNIVS; *Hæc longiori indigent diſcuſsione, quàm vt ab iſtiusmodi, quas nos obiter facimus, refellantur.*

RESPONSIO: Diſcutiam & ego ſingula accuratius, & prolixius, cum tuas diſcuſsiones accepero.

THESIS LXIV. *Addit & hoc argumentum Hieremias:* Secundum Latinos Spiritus ſanctus nõ accipit eſſe ſuum à Patre immediatè; ſed mediatè, nempe per Filium: ex quo ſequitur, Spiritum ſanctum ſecundum ſuã ſubſtantiam eſſe ſeparatũ à Patre. Nam inter ea, quę ſunt inſeparata, nullũ eſt medium: inter quæ verò medium eſt, ea oportet eſſe diuerſa. *Hoc argumentum nihil valet. Nam Latini dicunt, Spiritũ ſanctum immediatè procedere à Patre, & Filio. Et ſi quando dicant Spiritum ſanctum mediatè procedere à Patre; tunc conſiderant Spiritum ſanctum, vt procedit à Filio, habente vim ſpirandi ſibi à Patre communicatam. Sed negamus propterea ſequi, Spiritũ ſanctum, & Patrem eſſe diuiſos quoad ſubſtantiam; aliàs ipſi quoq; Græci admittere deberent diuiſionem: ſolent enim dicere, Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium; ergo & ipſi admittunt mediũ inter Patrẽ, & Spiritũ ſanctum. Videntur autẽ iſti de proceſsione Spiritus ſancti cogitare, ſicut de proceſsione alicuius hominis à ſuo auo per Patrẽ. Vnde etiã impiè olim blaſphemabãt: Spiritũ ſanctũ ſecundũ Latinos eſſe* nepotẽ Patris.

MARGVNIVS: *Vim ipſius propoſitionis, per Filium, te edocebit clarè D. Gregorius Nyſſenus, ſi autem mei accommodes, & ſyncerè velis ea, quæ docet, intelligere.*

RESPONSIO: Iam feci, quod faciendum ſuades. Imitare me, & ſchiſmati Græcanico multam ſalutem dices.

THESIS LXV. *Ex hac explicatione patet, vana eſſe, quæcunque poſtea obiicit Hieremias, vt, cum dicit;* Totum Patrem eſſe in toto Spiritu ſancto, & vicenerſà; non ergò Spiritum ſanctum mediatè procedere à Patre. *Reſpondemus, in eo ſenſu, quo nos aſſerimus,*

Spiri-

Spiritum ſanctum mediatè eſſe à Patre, planè nihil obſtare, quo minus Pater ſit in toto Spiritu ſancto, & vice verſa: imo, ne tunc quidem obſtaret; licet mediatè procederet à Patre per Filium eo modo, quo nepos mediatè procedit ab auo per Patrem.

THESIS LXVI. *Eſt ergo Pater, & Filius principium Spiritus ſancti: tum, quia datur in diuinis vnum quoddam principium, quod eſt identice Pater, & Filius: à quo Spiritus ſanctus, vt ab vno principio procedit. Tum, quia, licet Spiritus ſanctus procedat etiam à Patre, & Filio, vt ſunt perſonæ inter ſe realiter diſtinctæ: quia tamen ſpirant Spiritum ſanctum virtute communi, non duo, ſed vnum principium dici debent: Eſt autem de ratione Spiritus ſancti, vt à pluribus ſuppoſitis procedat.*

THESIS LXVII. *Actus, quibus perſonæ producuntur, atque adeo proceſſiones ipſæ, non ſunt ex nihilo: ſed ex aliquo. Filius enim eſt ex ſubſtantia, ſeu eſſentia Patris: Spiritus ſanctus ex ſubſtantia Patris & Filij; vbi vocabulum* ex, *materia, & formæ habitudinem; imo & principium,* quo, *denotare poteſt.*

THESIS LXVIII. *Potentia rationalis, per quam perſona eſt principium proceſſionis, non continetur ſola eſſentia diuina & intellectu, aut voluntate; ſed etiam relatione; quatenus relatio eſt vis quædam vltima, per quam in diuinis eſt proceſſio; & conſequenter, potentia notionalis, formaliter loquendo, non eſt tantum quid abſolutum, vt quidam putant.*

THESIS LXIX. *Operationes diuinæ, ſecundum quas exiſtunt proceſſiones, voluntariæ ſunt voluntate diuina; non, vt libera eſt, ſed vt Deus per illam omnia, quæ ſunt* ad intra, *naturaliter, & neceſſario amat: licet operatio, qua Filius procedit, ſit tantum voluntaria concomitanter; illa vero operatio, qua procedit Spiritus ſanctus, etiam eſt voluntaria à voluntate, vt à principio: quamuis alio quodam ſenſu poſſet quoque appellari voluntaria concomitanter. Hactenus de ordine originis inter perſonas.*

THESIS LXX. *Quod attinet ad ordinem relationum inter perſonas, aſſerimus in primis, omnino relationes in diuinis ponendas eſſe. Secundo dicimus; has eſſe ponendas:* paternitatem, filiationem, ſpirationem, *& proceſſionem: quæ formaliter ſignificant perfectiones, & quidem infinitas. Ex quibus illæ, quæ ſibi mutuo opponuntur, realiter inter ſe diſtinguuntur: paternitas autem, & ſpiratio actiua; ſola*

A *ratione; ſicut etiam filiatio, & ſpiratio: præter has tamen neceſſario ponendæ ſunt origines; quæ, & ipſæ ſunt reſpectiuæ; vt proinde, pro numero originum actiuarum, & paſſiuarum, quatuor aliæ relationes ſint conſtituendæ; etſi non realiter à prioribus diſtinctæ.*

THESIS LXXI. *Perſonæ diuinæ nec conſtituuntur, nec diſtinguuntur per aliquid abſolutum; ſed per origines, & relationes: quæ relationes, ſunt etiam notiones perſonarum. Notiones autem vocantur quædam ſiue conditiones, ſiue proprietates, non omnibus perſonis communes, in abſtracto ſignificatæ, quibus propria ratio cuiuslibet perſonæ innoteſcit. Tales notiones ſunt;* paternitas, filiatio, ſpiratio, proceſsio: *quibus additur,* innaſcibilitas: *nec opus eſt plures notiones conſtituere. Ex prædictis vero notionibus tantum trés ſunt proprietates perſonales.*

B

MARGVNIVS; *Et tamen D. Baſilius in Epiſtola de differentia οὐσίας & ὑποστάσεως ad fratrem Gregorium, hoc aſſerit eſſe notionale Spiritui ſancti hypoſtaſeos, τὸ ἐν τῷ πατρὶς ἀκατάληπτον, καὶ ἐν τῷ μονογενεῖ. ἀκατάληπτον quidem refert ad relationem originis, ſiue ad diſparatam emanationem, intelligens per quod & diſtinguitur, & conſtituitur ſimul in eſſe proprio perſona ab alia perſona. μονογενὲς verò ad relationem diſcretiuam tantum, per quam diſcernitur quidem Spiritus ſancti perſona à perſona Filij, vt eſſe proprium hypoſtaticum habere per ſe dignoſcatur, tanquam, vt ita dicam, ab inſeparabili lumine Filius inſeparatus inſeparabiliter, non tamen, vt hac ratione ad eſſe proprium producatur.*

C

RESPONSIO; Dicis, *ſecundum Baſilium notionale eſſe Spiritui ſancto τὸ ἀκατάληπτον ἐν τῷ πατρὶς, καὶ ἐν τῷ μονογενεῖ.* Eſto. Dicat hoc ſanctus ille Pater. Quid tum? τὸ ἀκατάληπτον, inquis, *refert ad relationem originis, qua diſtinguitur, & conſtituitur.* μονογενὲς *verò ad relationem diſcretiuam tantùm, non conſtitutiuam.* Hoc nego. Nulla datur in Spiritu ſancto relatio realis *diſcretiua*, non conſtitutiua. Omnis relatio in Spiritu ſancto realis, & vera vtrumque ſimul eſt. Conſtituit, & diſtinguit, ſicut & in aliis rebus forma conſtituens, diſtinguit quoque: vt anima conſtituens hominem, diſtinguit hominẽ. Et fruſtra eſt, quiſquis præter conſtitutiuum aliud *diſtinctiuum* quærit.

D

THESIS LXXII. *Cæterùm licet Filius ſit à Patre; & Spiritus ſanctus à Patre & Filio: tamen omnium trium perſonarum æqualis eſt gloria, maieſtas, & poteſtas. Quæ perſonarum æqualitas non eſt relatio realis, ſed rationis.*

THESIS LXXIII. *Vna perſona diuina tum mittitur, cum ex vi perſonæ alterius; ad quam, ſecundum aliquem modum proceſſionis habet relationem, incipit eſſe alicubi nouo modo,*

quo

quo antea ibi non erat, vt per gratiam in mente hominis, & hoc ipso dicitur persona procedens ab altera mitti; quod habet à persona producente essentiam; & consequenter etiam vim efficiendi, quidquid in creatura efficit; cum id, quod efficit, efficiat per illam entitatem; quam à persona producente accepit. Quocirca propriè loquendo de missione, non potest qualibet persona mitti.

THESIS LXXIV. *Potest persona diuina mitti ad omnes effectus, quos illa, in creatura variè potest producere. Rectè statuitur duplex missio: visibilis, & inuisibilis: illa, semper cum hac coniuncta est vel tempore, vel ordine & respectu; vel ad eandem personam, vel ad aliam. Non potest autem persona inuisibiliter mitti, nisi aliquid* ad extra *diuinitus fiat.*

THESIS LXXV. *Hoc nomen Deus, & similia concreta, non tantum supponuntur pro personis diuinis, sed etiam, pro ipsa essentia: quia in diuinis, non solum persona est quid perfectum & completum: sed etiam, illud vnum simplicissimum, quod est essentia, identificans sibi in ratione absoluta tres personas.*

THESIS LXXVI. *Essentia & personalitas diuina, atque adeo essentia & persona, actu sunt vnum & idem; & sola ratione distinguuntur; qua distinctio nominari solet virtualis distinctio: qua, propter infinitatem eius entis, in quo fundatur, sufficit; vt, de eâdem numero entitate affirmare, & negare possimus aliquid, sine vlla contradictione & repugnantia: cum enim res, quae hoc distinctionis genere distinguitur, aquiualeat actu distinctis propter suam infinitatem; fit, vt sicut contradictio non esset, si de actu distincto aliquid affirmaretur; quod de altero negaretur; ita & hic non sit contradictio; licet dicamus illam rem diuinam, vt est essentia, verbi gratia, esse communicabilem: vt vero est persona; esse incommunicabilem.*

THESIS LXXVII. *In vsu nominum diuinorum, qua significat essentiam, primo omnium videndum est, vtrum nomen diuinum essentiale vsurpetur in concreto, an in abstracto. Nam enunciationes, quae de nominibus essentialibus in abstracto sunt falsae; possunt esse verae de iisdem in concreto. Nam haec falsa est;* Essentia generat; *& tamen haec est vera;* Deus generat.

THESIS LXXVIII. *Videndum praterea est; vtrum nomen diuinum in concreto positum, sit substantiuum: vt,* Deus & creator; *an adiectiuum; vt,* potens, sapiens. *Si primum; non nisi in singulari praedicabitur de tribus personis. Nam tres personae sunt vnus* Deus, & creator: *non tres dij aut creatores. Si vero secundum: tunc communis sententia vult eiusmodi nomina posse in plurali affirmari de tribus personis: vt dicamus, esse tres sapientes, omnipotentes, &c. Nam, quod D. Athanasius ait;* non tres omnipotentes, *accipit vocabulum illud substantiuè; vt & alia; quae ibidem negat pluraliter enunciari. Adiectiuè enim hoc, & alia similia, multiplicari; colligitur ex capite* Firmiter; *vbi dicuntur omnes personae aequè omnipotentes; & ipse Athanasius, qui dixerat, non esse tres aeternos, substantiuè videlicet accipiendo tunc terminum; in eodem symbolo asseruit; personas tres esse sibi coaeternas, & coaequales. Propositio haec;* Deus non generat; *licet verum sensum habere possit; cum tamen simpliciter profertur; simpliciter est habenda pro falsa.*

THESIS LXXIX. *Praeter tres subsistentias respectiuas, non datur in diuinis quarta subsistentia absoluta, accipiendo subsistentiam pro ratione substantiali virtualiter distincta, & iuxta nostrum concipiendi modum, superaddita ipsi substantiali rationi essentiae, prout essentia est natura, per quam essentia quasi contrahatur secundum nostrum intelligendi modum, resultante inde quodam constituto, quod dicitur in concreto;* hic Deus *absolutè subsistens.*

THESIS LXXX. *Nomen principij soli Patri conuenit, respectu Filij: at respectu Spiritus sancti, commune est Patri, & Filio: respectu creaturarum, omnibus personis competit.*

MARGVNIVS: *Et tamen Gregorius Nazianzenus, & alij asserunt, nomen principij tantummodo Patri conuenire, & id respectu Filij, atq; Spiritus sancti, vt patet ex eorum autoritatibus.*

RESPONSIO: Dixi iam supra, id intelligendum respectu Filij.

THESIS LXXXI. *Propriè item tribuitur Patri, quod sit* ingenitus; *qua appellatione negationem processionis significat. Vtrum autem Spiritus sanctus etiam dici possit* ingenitus, *quaestio est de nomine: propriè, non potest: prout scilicet ingenitum esse, significat negationem omnis processionis.*

THESIS LXXXII. *Filius proprie dicitur* Verbum; *cum ipse solus per intellectum procedat, proceditque ex cognitione omnium, qua Pater intelligit, etiam personarum, & ipsarum quoque creaturarum: sicut & Spiritus san-*

ctus non modo procedit ex amore, quo Pater & Filius se & diuinam essentiam; sed etiam ex illo, quo creaturas amant. Propriè tribuitur Filio, quod sit imago Patris; cum ipse ex vi suæ processionis procedat à Patre, vt similis.

MARGVNIVS: *Quod Spiritus sanctus, ita vt amor Patris & Filij mutuus consideratur, tanquam ex vtroque productus, non videtur id asserere D. Augustinus; imò ex mutuo amore Patris, & Filij, ille vbique tam consubstantialitatem trium personarum, quàm Spiritus sancti cum Filio colligit; quodcunq; alij asserant.*

RESPONSIO: Nihil in hac Thesi de hoc affirmo. Secundò; de ratione mutui amoris est, vt ab vtroque extremo producatur: Spiritus sanctus est mutuus amor Patris, & Filij. etiam secundum S. Augustinum: ergò ab vtroque producitur.

THESIS LXXXIII. *Spiritus sanctus nomen amoris propriè sibi vendicat, vt & nomen doni; quod duas relationes obiectiuè significat: alteram, ad donantem: alteram, ad eum, cui donatur. Priorem illam principalius significat nomen doni; quàm hanc posteriorem.*

THESIS LXXXIV. *Conuenit nomen doni Spiritui sancto ab æterno; non ex tempore: eidemq; relatio illa doni ad creaturas conuenit ratione proprietatis personalis formaliter; sicut & Verbo conuenit secundum suam hypostasin respectus ille rationis ad creaturas, quem habet; vt eisdem intelligibiliter repræsentat.*

Finis disputationis de sanctissimæ Trinitatis mysterio.

Hæc iam olim scripseram. Interea prodiit decimus Annalium Tomus illustrissimi Cardinalis Baronij, qui controuersiæ inter Græcos & Latinos de processione sancti Spiritus maximam lucem adfert; & Græcorum impostura & fraudes circa Concilium Oecumenicum octauum celebratũ sub Hadriano secundo Pontifice Romano patefacit. A vero enim alienissimũ est, Ioannem VIII. Pontificem, successorem Hadriani, Synodum istam condemnasse, & conciliabulo schismatico Photiano postmodum coacto subscripsisse; & vt additio illa: *Filioq;*, ex symbolo expungeretur consensisse, & huius sui consensus testes litteras ad Photium & Constantinopolitanos Imperatores dedisse. Quæ omnia nil aliud sunt, quàm commenta schismatica & Photianæ technæ, sutelæ & fallaciæ, vt te docebit Baronius ad annum Redemptoris DCCC. LXXIX. & alibi. Idem perspicuè tibi ostendet ipsa octaua Oecumenica & legitima Synodus Græcè & Latinè cum accuratis notationibus non pridem edita; studio Raderi nostri: quæ

A hactenus in tenebris delituerat; & de ordine locoque octauo, quem tenet inter Oecumenicas Synodos, deturbata fuerat, partim astu Græcorum, qui Photianum conciliabulum Anno Christi, DCCC. LXXIX. celebratum in eius locum substituerant; partim ignoratione Actorum huius Concilij, qua effectum est, vt Synodus Florentina vulgo Octaua Oecumenica Synodus audiat, etiam apud Catholicos; & à Catholicis.

Qua de re grauis exstat querela illustrissimi Cardin. Baronij Anno salutis DCCC. LXIX. Num. 61. vt & de illo, quòd Iulianus Cardinalis in Concilio Florentino cum Marco Ephesio disputans, tam facilè passus est sibi & Latinis omnibus hanc octauum Synodum sub Hadriano B II. celebratam, à Græco illo eripi Act. 6. in principio; vbi ita loquitur Ephesius. *Concilium illud inter generalia connumerandum non est. Quandoquidem non modò non susceptum, verùm etiam antiquatum fuisse constat. Ioannis enim, & Hadriani summorum Pontificum tempore conuocatum fuit, ac Photium Constantinopolitanum Antistitem condemnauit. Is deinde Ioannes aliud Concilium habuit, quod item appellauit Octauum, quod Acta ipsius Concilij, quod vos Octauum fuisse dicitis, improbauit, Photiumq; restituit. In quo plane Concilio inter alia fuerat decretum, vt hac eadem symboli additio tolleretur, quod vos non ignorare putamus. Siquidem igitur ipsius Concilij Acta reprobata videntur; non est congruum rationi, vt de his aliqua mentio fiat, cum* C *alterum Octauum Concilium sequi potius deberemus. Propterea tempore ex eo in Constantinopolitana Ecclesia hucusque solet ita celebrari: Quæcunque in sanctos Patriarchas Ignatium, & Photium scripta, vel dicta sunt, anathema sunto.*

Hucusque Marcus Ephesius veteratoria arte, inquit Baronius, Latinos exuens tanto Concilio Oecumenico, ipsa inquam Octaua Synodo solenni ritu sub Hadriano Constantinopoli celebrata, turpiter mentiens quidem, & multipliciter, &c. Procul enim abest, vt Octaua Synodus sub Hadriano abrogata fuerit à Ioanne Romano Pontifice: longeque longius à vero discrepat, vt Ioannes Synodum Photianam damnantem Octauam, eandem legitimam esse, & D Oecumenicam Synodum comprobarit: falsum, quod ait, quod Oecumenica eadem Octaua Synodus sub Ioanne etiam Pontifice fuerit congregata, quam inchoatam, & absolutam vidimus sub Hadriano. Rursum, quas citat litteras Ioannis contra Octauam Synodum, eas falsatas fuisse à Photio, ex testificatione eiusdem Ioannis litterarum, luce meridiana clarius suo loco demonstratur, vt de his nulli prorsus possit esse aliqua dubitatio.

Ex his explicanda & declaranda sunt ea, quæ Thesi LXI. supra positæ disputationis asseruntur. Nam Marcus Ephesius reiicit in Concilio Florentino ipsam legitimam Octauam Synodum; & in eius locum Synedrium Photianum

ſubſtituit; cui tamen Oecumenici titulum in illo conſeſſu expreſsè non tribuit.

Ex eodem Baronio diſces, quàm pingue ſit illud Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani mendacium; omnes Pontifices Romanos à Ioanne VIII. vſque ad Chriſtophorum Papam, qui ſedit Anno DCCCC. VIII. ſenſiſſe cum Græcis, quod attinet ad proceſsionem Spiritus ſancti. Ioannem ſecutus eſt Marinus, hunc Hadrianus III. Hunc Stephanus VI. Hunc Formoſus, iſtum Stephanus VII. Hunc Ioannes IX. Hunc Benedictus IV. Tandem Chriſtophorus. Nullus ex his prorſus cum Græcis ſchiſmaticis in hac controuerſia ſenſit, & minimè omnium Marinus, qui Photium, prout merebatur, perfecto odio oderat. Incautè quidem egit Ioannes VIII. quòd contra decreta ſuorum Anteceſſorum, atque adeo Synodi Octauæ Oecumenicæ, Photium in Sedem reduxit; ſed cum Photij & Photianorum prauis opinionibus & dogmatibus nihil commune vnquam habuit.

Prodiit quoque hoc ipſo Anno M. DC. VIII. Manuel Caleca, Auctor doctiſsimus, qui quatuor libris fortiſsimè contra Græcos, populares ſuos, pro Latinis decertauit. Quos libros debemus admodum Reuerendo & Magnifico Domino Doctori PETRO STEVARTIO, qui eos ex Bauarica Bibliotheca in lucem extraxit, & ſcholiis eruditis illuſtrauit; vbi Epitomen inuenies omnium propemodum controuerſiarum, quas Græci importunè & ſchiſmaticè excitarunt.

Quid Græci recentiores de ſymbolo Athanaſiano ſentiant, conſtat ex Beſſarione & aliis. Exſtat Epiſtola Meletij cuiuſdam, qui ſe *Patriarcham Alexandrinum* indigitat, ad Ianum Douſam, Caluinianum, exſtat, in quam, in Hodœporico Conſtantinopolitano Georgij Douſæ F. Vbi ſchiſmaticus ille hæc effutiuit. *Athanaſio falsò adſcriptum ſymbolum, cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum, luce lucidius conteſtamur.* Mallem probationem, quàm conteſtationem. Quid enim conteſtari non poteſt ſchiſmaticus & hæreticus? An ideo ob futiles huius generis conteſtationes nobis eripi patiemur, quidquid Orientis & Occidens tanta temporis longinquitate, vnanimi conſenſu amplexus eſt, cuiuſmodi eſt hoc ſymbolum ſub Athanaſij nomine lectum & omnium propemodum fidelium ore decantatum? Scilicet Meletius intererat, & poſt fornaculam latebat, quando Romanus Pontifex Patri in proceſsione ſancti Spiritus adiunxit *Filium*. ita reſcribens: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

DEFENSIO LIBRI TERTII DE CHRISTO, REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT I. & reliqua vsq; ad 8.

RECENSET Bellarminus his capitibus errores tam antiquos, quàm nouos circa Incarnationis mysterium; Et in his etiam monstrum Vbiquitatis; fœtum illum Eutychianum & Nestorianum, Luthero itidem adamatum, cuius Eutychianas & Nestorianas phrases & sententias enumerat hoc loco Bellarminus.

Iunius dat manus, & ingenuè ac liberaliter confitetur; *Crassius hæc à Luthero dicta: Addo etiam*, inquit, *imprudenter, & licentiosè, cum æstu animi & contentionis feruore se transuersum abripi sineret impotentius*: Laudo, Iuni, tuum, quo vsus hîc, candorem. Hæc talia Eutychiana & Nestoriana effata, qualia Bellarminus ex Luthero excerpsit, non nisi *crassè, imprudenter*, quin & *impudenter, licentiosè & impotenter* effusa sunt: Nam quod addis; *Lutherum sæpe rei veritatem agnouisse, cum extra contentionem illam infaustam scriberet*; id nihil est; nam & Nestorius & Eutyches aliquando veritatem Incarnationis Dominicæ agnouerunt. Num ideo excusas, quæ ab illis scripta vel tradita? Perinde videris facere, ac si furem non damnandum assereres; quod aliquando, cum æstus aliena rapiendi nonnihil resedit, oculos ad iustitiæ honestatem reflectat, eamque, vt amplectendam, dilaudet.

Fateris à Luthero scriptum; Nestorium & Eutychen *non errasse nisi in modo loquendi*. Nam hæc sunt tua verba: *Lutherum certè interdum perturbatus ita scripsit, vt in libro de Conciliis, confessione maiore sua*, &c. Scripsit ergo ita Lutherus; sed *perturbatus*. Præclara profectò res; tantum Prophetam & Euangelistam, virumque cælesti lumine copiosissimè collustratum, adeò perturbari potuisse; vt pro perturbationis impetu nunc in Eutychianismum, nunc in Nestorianismum delaberetur? Si hæc à Luthero in chartas effusa sunt, cur tu suprà in Notis ad Præfationem, sincerè non agnouisti id, quod à Luthero, quamuis *perturbato*, scriptum noueras? Cur in omnes partes te conuertisti, vt à Luthero tuo hanc maculam abstergeres?

A Ad caput secundum duo fundit Iunius mendacia: primum est; *Schvvenckfeldium nunquam fuisse Lutheranum*. Imò adeo Lutheranus fuit; vt eum summis laudibus Lutherus deprædicarit; tametsi postea stylum vertit; quando Svvenckfeldius ex Lutherano nouæ sectæ architectus esse cœpit. Vide Præfationem Busæi nostri in paradoxa Svvenckfeldij.

Alterũ mendaclum est; *Musculo iniquè, plusculum, quã docuerit, à Bellarmino tribui*. In medio est liber Musculi, quo docet, ex Lutheri quoque sententia, diuinam Christi naturam in Cruce passam & mortuam: quæ est omni propemodum Eutychianismo deterior vesania: *Non probamus, quæ ille*
B *hac de re docuit*, inquit Iunius, *& ipse tandem μετανόησεν*. Atqui dementiam istam hausit Musculus ex Lutheri libris præsertim illo de Conciliis. Nam quod Palinodiam cecinit; (si tamen cecinit) id indicio est, nouos hosce Doctores spiritu vertiginis circumagitari, & modò hoc modò illud, quod pridie stertentes somniarunt; postridie pro verbo Dei venditare.

Ad caput quintum denuo excusare nititur Iunius, quod Lutherus dixit, in Concione de Natali Domini, *imperitos nonnullos facere Christum hominem omnipotentem*. Sed de hoc iam fusè dictum est ad Præfationem Bellarmini. Caluinum suum misere purgat Iunius à Nestorianis phrasibus, quas Bellarminus ex Calùino enotauit. Conatur
C locutiones illas in bonum sensum interpretari. Piè agit filius in Patrem, discipulus in Magistrũ. At non necesse est, vt idem faciat Bellarminus, quia nec filius, nec discipulus Caluini est. Nos auditis huiusmodi perplexis & periculosis locutionibus à sectariorum ore & calamo profectis; facimus quod Lutherus in iudicio de Erasmo faciendum præscripsit: de quo satis ad Præfationem.

Danæus ad caput primum contendit *sibi & suis, nominatim Caluino, Bezæ, Bullingero, Vrsino, Sadeelis, Iunio, deberi palmam detectæ, deuictæ & prostratæ Vbiquitatis; Hos Heroas, sententiarijs omnibus altum stertentibus, primos in Vbiquitatem signa sustuliſſe: Et priores quidem illos, etiam ante quàm Ingolstadienſis Iesuita, cuius Theses exstant, quidquã excudisset & peperisset; Ergo istius*

Vbiquitatis & monstri ingulatio, & victoria, nostra est, inquit Danæus. *non Sententiariorum, aut Bellarmini, vt de eo pro nobis Deo, & nobis ipsis, vti Ministris Dei, gratias agat, nisi hominum ingratissimus homo esse velit Bellarminus.*

Rident suauiter, sat scio, Lutherani, cum hos thrasonismos legunt. Vosne *Vbiquitatem* confecistis? Vtinam dictis facta supperant. Quid si ne intellexistis quidem? Equidem non intellexisse, docet in his subtilibus quæstionibus ruditas vestra; & errores, quos cumulastis, dum errores alienos confutare studetis. Anno M. D. LXIV. Kalendis Iulij edidit Theodorus Peltanus noster Theses de Maiestate Christi hominis cõtra Smidelinum, eas, inquam, Theses, *quas à tuis probari* ais, & quas tui sæpius recuderunt, tametsi non sine corruptelis vnius vel alterius loci, qui minus ad Caluinianam lyram faciebant. Num prædicto anno quidquam Beza contra Vbiquistas euulgarat? An nõ Smidelinus in libro pro Brentio contra Bezam obiecit Bezæ, quòd Iesuitæ Ingolstadiensis Theses expilasset? Nec ausus est Beza contra mutire in libro *de hypostatica vnione duarum naturarum in Christo* contra Smidelinum. Mentiris igitur cum ais; *Iesuitam Ingolstadiensem*, hoc est, Theodorum Peltanum. Bezæ *argumentis firmatum, primum ex Sententiarijs aduersus Vbiquitatem hisce ausum*: nam Beza tum nihil de hoc argumento scripserat; Caluini & Bullingeri argumentis si Peltanus niti voluisset, *baculo arundineo* niti voluisset; *cui si innixus fuerit homo*, vt est apud Isaiam cap. 36. *intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Gratias tum vobis habebit Bellarminus, & nos cum illo, quando merebimini. Immerentibus, & Martem *ventosa* duntaxat *in lingua* habentibus, quales vos hucusq; fuistis, nullæ debentur gratiæ.

Capitis secundi, tertij & quarti æquissimus censor est Danæus. *Plane probamus & agnoscimus*, inquit, *ea omnia, quæ in hisce tribus capitibus continentur.* Subdit mendacium. *Nam & hæc quoq; ipsa ex nostrorum* (Caluinianorum) *libris descripta sunt.* Scilicet Bellarminus non est scriptor, sed Caluinianarum næniarum exscriptor.

Quinti capitis omnia concedit Danæus. Illud tantũ displicet, quòd Caluinus ob Nestorianos quosdam loquendi modos à Bellarmino Nestorianismi notatur. Ait Danæus. *Voce filij Caluinus naturam duntaxat, non autem personam & Christi suppositum intelligit.* At Danæus nec Caluinum, nec seipsum, nec quid Bellarminus in Caluino arguat, intelligit. Hoc reprehendit Bellarminus, quòd Caluinus aliquot locis personã *mediatoris* à persona filij Dei distinguere videatur: Et ne quis diceret, Caluinum nomen *personæ* accepisse pro officio & munere; ipse mentẽ suam diserte explicans *personam*, inquit, *voco subsistentiam.* Hìc cum Danæus Caluinianas loquendi formulas, Nestorianum fermentum redolentes, interpretari, & à Nestorianismo vindicare deberet; id affert, q̃ prorsus ad rem nil conducit, imò rei discõducit.

Acceperit Caluinus nomen *filij* pro natura, concretum pro abstracto; quis erit sensus huius orationis, quam ex Caluino Bellarminus producit? *Respondeo* (Christum) *Dei esse filium, quia sermo est à Patre ante secula genitus, nondum enim nobis de mediatoris persona sermo est.* Iste vtique sensus erit, Danæo Interprete. Christum esse Dei *filiationem*, seu *diuinam naturam, quia sermo est à Patre ante secula genitus*, &c. Hunc esse sensum patet; quia Danæus dicit: nomen *filij* vsurpari à Caluino pro natura; concretum pro abstracto. Sic sensus huius: *Filius Dei vocatur* (Christus) *non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus sermo*, &c. erit iste: *filiatio Dei vocatur, non tantùm, quatenus*, &c. Stultè existimauit Danæus idem esse aliquid alicui in concreto secundum *formale* significatum, hoc est, secundum naturam tribuere; & concretum pro abstracto vsurpare; cum tamen ingenti discrimine distent: Nam ista enunciatio est vera: *Filius Dei est mortuus*, nempe secundum humanam naturam; & verè de concreto, seu de *filio* Dei prædico mortem; & tamen in hac enunciatione concretum, seu vocabulum *Filius* non vsurpatur pro natura, sed pro persona. At si quis dicat: *Filius Dei assumpsit hominem* (quo loquendi modo aliqui patres sunt vsi, vt notat Bellarminus sub finem cap. septimi) concretum pro abstracto; nempe, hominem pro humanitate ponit ac vsurpat. Hac notione Caluinum concretum vocabulum *Filius* vsurpasse; cum dicit Danæus; Caluinum stultũ facit; & se stultitiæ non modicæ obnoxium palam ostendit. Nec Bellarminus de voce *Filij* Caluino litem mouit; sed de eo, quod personam filij Dei, & personam mediatoris vbique distinguere videatur.

Itaque nil nisi fucatæ alogiæ & pseudologiæ sunt, quando affirmat, *ipsum S. Ioannem Euangelistam & Christi Apostolum fermè vbiq; ita loqui* (prout ipse videlicet Caluinum loqui interpretatur) *itemq; D. Augustinum; & ipsum Bellarminum hoc confiteri ad finem cap. 7.* Omnia hæc nil aliud sunt, quàm mendaces fumi, & imperitiæ tegumentum; nam nemo sanus ita loqui potest, vt Danæus Caluinum loqui comminiscitur; & exiguam sanè iniret tam ineptus patronus à Caluino gratiam; si Caluinus adhuc superstes esset. Bellarminus nil aliud dicit; quàm S. Augustinum concretum pro abstracto interdum posuisse. Quod verum est. At hoc à Caluino factum in locis à Bellarmino prolatis, nemo nisi bliteus asseret, & nemo nisi fungus sibi persuaderi sinet.

Quæ in capite sexto scribuntur, ea lubenter amplectimur, inquit Danæus, *quoniam sunt Dei verbo consentanea.* Mendacium de expilatis à Bellarmino Caluinianorum commentariis iterum euomit; credo, vt palam faciat, se vanitatis inexhaustũ fontem esse; vnaq̃ foras extrusa; alias è vestigio succrescere ac repullulascere.

CAPVT VIII. & reliqua vsque ad decimum quintum.

CAPITE octauo valde clementem ac propitium habet Bellarminus Danæum. *Verissima est*, inquit, *totius capitis octaui doctrina, itaq; facilè à nobis conceditur, prorsusq; admittitur.* Item. *Bellarminus commodè hoc loco explicat, in quo posita sit vnio hypostatica verbi Dei cum natura humana ab ea assumpta.* Item. *Brentius & Smidelinus meritò tanquam Monothelitæ & Monophysitæ Eutychiani damnantur.*

Capite nono reprehendit Bellarminus Bezam & Petrũ Martyrem, quod ille libro contra Brentium hic libro de duabus in Christo naturis scripserit, *communicationem idiomatum*, quæ ex vnione hypostatica nascitur, *esse planè verbalem*, non realem. Danæus Bezæ suo succurrere nititur. Martyrem clausis oculis præterit. Junius magis misericors pro vtroque arma sumit. Quid ergo Danæus? *Intelligit Beza eam prædicationem esse merè verbalem ratione naturæ, de qua sic alterius proprium attributum enuntiatur: non autem ratione totius personæ & suppositi Christi, cui re ipsa competit, quoniam vni illius parti re ipsa congruit; sed alteri naturæ Christi tantum verbaliter, & propter vnionis istius cum illa altera arctissimum vinculum & coniunctionem.* Vult, quantum capio, Danæus dicere; realem esse prædicationem; quando dico; *Deus est ex Deipara natus; Deus est flagellatus, crucifixus, mortuus*; sed esse verbalem duntaxat, respectu alterius naturæ, hoc est, diuinæ; vt si dicas; *diuina natura est ex virgine nata*, &c. Præterea realem communicationem respectu personæ seu suppositi prædicari, quando dicimus; *Hic homo*, demonstrato Christo, *est Deus, omnipotens, infinitus*, &c. Verbalem autem respectu alterius naturæ, nimirum humanæ; quia verbalis tantummodo prædicatio est, si dicas. *Hæc humanitas* (ostensâ naturâ Christi) *est Deitas, omnipotentia, infinitas.* Vel *Deus, omnipotens, infinita.* Aut si hæc non sit Danæi mens; erit illa; cum attributa vnius naturæ prædicantur de altera in concreto, *vt Deus est natus*: *Hic Homo* (demonstrato Christo) *est immortalis, immensus*; prædicatum in prima propositione afficere naturam diuinam, sed *verbaliter*; in secunda; afficere humanam; sed *verbaliter.* Iunius pro Beza & Pseudomartyre hoc spiculum vibrat. *Id falsò Martyri & Bezæ tribuitur. Agunt enim illi de duabus naturis Christi oppositè, prout in quæstione de communicatione idiomatum (puta naturæ vnius cuiusq; per se) fieri postulat ratio: non autem cõpositè, prout sunt communia in personâ: quum autem fit oppositio, aut naturæ habetur ratio in se, planè verbalis est communicatio.*

Quàm egregios nactus est Beza cum Martyre patronos. Audite Caluiniani aduocati. Attributa vnius naturæ, ne verbaliter quidem communicantur alteri naturæ; quia ne verbaliter quidem, nisi falsò & imperitè de natura prædicari possunt; siue illa attributa naturæ vnius accipias in concreto; siue in abstracto. Attributa diuinitatis sunt *immortalitas, impassibilitas, æternitas, immensitas, infinitas*: humanitatis verò *mortalitas, passibilitas, finitudo, circumscriptio in loco & tempore.* Si attributa vnius naturæ de altera natura prædicare velis, semper falsam enunciationem efficies; siue attributum in abstracto, siue in concreto ponas: Et siue duas illas naturas consideres coniunctim in eadem hypostasi; siue diuisim. Quapropter falsæ sunt hæ propositiones. *Diuinitas est mortalitas, passibilitas, finitas*, &c. vel etiã in concreto: *Deus est mortalitas, passibilitas*, &c. Falsæ sunt & istæ. *Humanitas est immortalitas, impassibilitas, æternitas*, vel *homo est immortalitas, impassibilitas*, &c. Sic & istæ falsæ sunt. *Diuinitas est mortalis, passibilis.* Humanitas est *immortalis, impassibilis, immensa, incircumscripta*, &c. Itaque cum attributa vnius naturæ, de altera natura verè enunciari nequeant, siue naturæ spectentur iunctim; siue diuisim, seu, vt loquitur Iunius, oppositè; non potest inter illas vlla mutua & vera idiomatum communicatio intercedere, ne verbalis quidem; cum quidquid proprietatum prædicto modo de altera natura enuncies, semper propositionem ineptam ac falsam texas. Neque Beza hoc voluit, quod isti ei tribuunt; id vt videas repetam verba Bezæ ex libro contra Brentium ad alteram Brentiani libri partem, vbi ita philosophatur. *Idiomata in Christi personâ vocantur proprietates, quibus diuina natura & humana in Christo distinguuntur. Eæ verò proprietates in iis, quæ ex duabus diuersis naturis, non confusis, sed tantum hypostaticè vnitis constant, duplici modo communicantur: quadam videlicet reipsa; quadam, verbotenus: cuius rei exemplum hoc esto, quamuis non per omnia simile; quoniam ex duobus non perfectè subsistentibus constat homo: cum anima humana ad hominem constituendum, requirat humanum corpus: Christum verò constituentes duæ naturæ, etiam cum per se considerantur, sint perfectæ duæ substantiæ, quamuis quod ad Christum ipsum attinet, non duæ sint hypostases, sed vnica. Sed hoc nihil impedit, quo minus satis congruens sit hæc similitudo. Anima igitur propriè viuit, mouet, sentit, intelligit. Eadem cum corpore quopiam coniuncta ad individuum quempiam hominem constituendum, vitam suam, motum, sensum, cum eo communicat: (nam viuere etiam, moueri & sentire corpus verè dicitur) intellectum verò non item: quis enim corpus dixerit intelligentia præditum? Altera ex parte, corpus suis humoribus propriè dicitur & est temperatum, & tamen pro eorum temperamento, mores animi consequi, non tantum Galenus, sed etiam ipsa experientia planissimè docet: qua ex re, perspicuum est, coniuncti corporis aliquid συμπαθῶς in animam vsq; ipsam penetrare. Quid si igitur sic loquar, vt illa, quæ reipsa sunt vel animæ, vel corpori ἀκοινώνητα, tanquã toti communia expresserò? nempe, verbotenus, non reipsa hæc communicatio fieri intelligetur. Vnde autem orta hæc loquendi consuetudo? ex eo videlicet, quod vnum quiddam sit, illud ex duobus vnitis,*

tis, non confusis compositum. sic dicimus; Petrum (quod est nomen personæ, non naturæ) comedisse, bibisse, esurisse, ægrotasse, & tandem mortuum esse: Item; Petrum, sapientem, prudentem, plenum zeli fuisse. quorum illa tamen ad corpus duntaxat: ista, ad solum animum spectant. Hæc sunt igitur duplicis illius ἰδιωμάτων κοινωνίας exempla. quarum vna est, vt ita loquar, realis; altera verò, verbalis, quæ & ipsa tamen minimè est inanis. quoniam personæ vnitatem confirmat, & ostendit.

Ex hac disputatione, manifestissimè patet, Bezam in Christo nullam penitus realem vtriusque naturæ idiomatum communicationem, & consequenter nullam realem huiusmodi idiomatum de naturis prædicationem aut agnouisse, aut admisisse; sed solummodo *verbalem*. Nam tunc est *verbalis* duntaxat secundum Bezam idiomatum communicatio, quando alterius naturæ proprietates in alteram naturam sibi copulatam non transfunduntur, sicut intellectus, v.g. vel intelligere nõ potest ab anima communicari corpori; neq; enim corpus intelligit; quamuis cum anima coniunctum; nec mori, quod est corporis, communicari potest animæ; quamuis cum corpore vnitæ; Hinc fit, vt si de toto, quod ex anima & corpore constituitur, hoc est, de homine huiusmodi attributum prædicem; dicendo: *Homo intelligit; homo moritur, vel mortuus est*, verbalem duntaxat proprietatum vtriusque naturæ communicationem prædicem; non realem; secus autem fit, si Bezam audimus, quando vna natura alteri, cum qua copulatur, aliquid quasi ἐνεργητικῶς inspirat; vt in ipso recipiatur; tunc enim est realis proprietatum communicatio; vt si dicam; *homo viuit, mouetur, sentit*; quia hæc sua idiomata in ipsum etiam corpus transfundit; & corpori subiectiuè communicat.

Si igitur tunc tantum est realis idiomatum vtriusque naturæ communicatio, quando naturæ coniunctæ sua idiomata in se mutuò intrinsecè transfundunt, vt docet Beza; sequitur nullam esse realem communicationem idiomatum vtriusque naturæ in Christo; quia nec diuina natura suas proprietates intrinsecè in naturam humanam transfundit, nec humana in diuinam; (nisi Beza ad Vbiquistarum vel Eutychianistarum castra transitionem moliatur) & per consequens, quodcunque idioma alterius naturæ de altera prædicauero, etiam in concreto, verbalem duntaxat communicationem significauero; vt si dicam: *Deus est natus, passus, crucifixus, mortuus*, quia nullum ex his attributis potuit ἐνεργητικῶς in ipsam diuinam naturam penetrare; nisi isti cum Eutyche, Luthero & Musculo concedere velint, ipsam quoque *diuinitatem esse passam*. Sic si dicam: *Hic homo est omnipotens, immensus, infinitus*; cõmunicationem tantummodo verbalem, Beza iudice, indicauero, quia diuinitas tam non potest omnipotentiam, immẽsitatem, infinitatem, &c. in humanam naturam transfundere, quàm non potest anima intellectum transmittere in corpus. Itaque sicut hæc propositio: *Homo est intelligens*: verbalem duntaxat communicationem intelligentiæ, quæ est proprietas animæ, cum corpore significat; ita & omnes illæ, in quibus idioma seu proprietas de homine Christo affirmatur, communicationem tantummodo verbalem significabunt; sicut istæ. *Petrus bibit, comedit, esurit, ægrotat, mortuus est, &c.* liquet igitur ex oratione & discursu Bezæ, eum non nisi *verbalem* communicationem idiomatum; & quod hinc consequitur, non nisi *verbalem* duarum in Christo naturarum vnionem agnouisse.

Nulla ergo iniuria Bellarminus Bezam affecit; sed isti Bezani aduocati neque Bezam, neque seipsos intelligunt: sed tantùm scriptitant & blaterant: quid, quomodo, pili non habent: quia ex Bezæ verbis luce meridiana liquidius lucet, Bezam eam solummodo realem proprietatũ communicationem existimasse & statuisse; quando naturæ in aliquo vnitæ, sibi mutuò actiuè proprietates suas imprimunt, quod hic nulla ratione contingit, nisi, vt supra dicebam, Caluinistæ cum Vbiquetariis & Eutychianis dextras iungere velint. Calumniatur ergo & mentitur Dançus, quando reprehensionem Bezæ immane scelus nominat. Scilicet horribile scelus est, Bezæ inscitiam vel obiter perstringere; quem cum Bellarmini *præceptorem* nominas; risum tenere nequeo: vt & tunc, cum *ex Beza Bellarminum quidquid contra Brentium & Brentianos scripsit, sumpsisse* mentiris. Scilicet à stillicidio situlæ vberrimus fons aquas accipiat. Antea aiebas *ex Caluino & Bullingero quoque accepisse*. Nunc solum Bezam expilatum scribis. Infrà tibi etiam tua surrepta conquereris. Quî ista cohærent; si *omnia sua* Bellarminus *ex Beza* rapuit?

Sequitur intoleranda & Diabolica prorsus Danæi calumnia. Ait Bellarminus: vocem, *Deus*, accipi posse pro quolibet supposito diuino: ac proinde etiam pro supposito secundæ personæ: hinc rectè dici; *Deus natus est ex Virgine, passus, &c.* Danæus, per summam impostruram, ita Bellarmini verba accipit; quasi dixerit; vocem, *Deus* in hac enunciatione: *Deus est natus ex Virgine, passus, crucifixus, mortuus, &c.* accipi posse pro quolibet supposito diuino; atque adeo pro *Patre & Spiritu sancto*; & hinc sequi, etiam *Patrem & Spiritum sanctum natum, passum, crucifixum, mortuum*. *Apage blasphemiam* vociferatur Danæus: Apage impudentissimam criminationem & sycophantiam: non enim dixit Bellarminus, vocem *Deus* in illa enunciatione sumi posse pro quolibet supposito diuino, sed absolutè & per se spectatam; quia sub communi ratione trib' suppositis diuinis communis est; quæ ratio generalis postea per prædicatum alicuius propositionis contrahi & restringi potest ad vnum certum suppositum; vt ad Filium v.g. quod fit in supradicta enunciatione: &

sicut in hac: *Deus generat Deum*; vox *Deus* subiecti vicem obiens restringitur ad Patrem; ita in illa; *Deus natus est, &c.* restringitur per prædicatum ad Filium.

Ad caput decimum & vndecimum nil aliud notat Iunius, quàm *falsò adscribi Luthero, quòd apertè docuerit diuinitati tribuenda, quæ dicuntur de passione Domini.* Sed euidentiora sunt Lutheri ex libro de Conciliis verba; quàm vt nebulis Iunianis obscurari queant. De quo satis ad præfationem.

Hic obserua duntaxat Encomium, quo Iunius Lutherum suum cohonestat. *Non inficiamur Lutherum æstu contentionis abreptum, impropriè locutum, & imprudentem cùm in sermone, & modo loquendi lapsum esse; tum in rebus interdum (nam homo fuit) aberrasse*: Et quidem sæpissimè & turpissimè.

Danæus cum his capitibus bene contentus est. *Sunt enim vera*, inquit. *Omnia stant & vera sunt*; Illud non arridet Caluiniano stomacho, corpus posse simul in pluribus locis existere. Sed de hoc non est hic agendi locus.

In capite duodecimo displicet Danæo & Iunio *descensus Christi ad inferos*. De quo libro seq. *Reliqua fatemur esse vera.* Falsa scilicet essent, nisi tu vera fatereris. Mentitur denuo, Bellarminum hæc exscripsisse ex Beza.

Nequeo hic tacitus præterire insignem *fungi* cuiusdam, quem hesterna pluuia produxit, sycophantiam in illustrissimum & eruditissimum Cardinalem Bellarminum, contextam ex hoc duodecimo capite, in loquacissima præfatione, quam Thesibus suis de Christo nuper editis Sectarius ille, patria Augustanus,

Spurcus homo, patriâ ist à indignu--loco que,

præfixit, vbi vultu non solùm duro, sed & ferreo mentitur, Bellarminum scribere, & *blasphemè delirare, Christum in cæli tecto, vt quemuis alium cæmentarium, qui tegulis domum operiat, sedere.* Verba Bellarmini sunt ista. Illud est certum, Christi corpus nunc esse visibile & palpabile, & tantum spatium occupare, quanta est moles corporis, & esse in cœlo isto corporeo, siue sit intus vt aliquis dicitur esse in domo; siue supra, vt aliquis dicitur esse in tecto. Hæc Bellarminus.

Ex quibus euanescit sycophantica indocti clamatoris criminatio. Nihil Bellarminus de *cæmentario*, nihil de *tegulis*; sed hoc solùm, Christum esse supra cœlum, eo modo, quo aliquis dicitur esse supra tectum: nam vt is, qui in tecto est, pedibus tangit conuexam superficiem tecti; sic & Christus, supra supremum cœlum commorans, pedibus tangit conuexum summi cœli, ex sententia S. Thomæ 3. p. q. 57. art. 4. Et hinc arripuit iste scurrilitatis suæ de *cæmētario* ansam; bona spe fretus, se à suis hoc tam lepidè dicto maximam gratiam inturū, & *menstruales dapes*, instar Ergasili alicuius, promeriturum: quasi omnem illum, qui est in tecto, seu supra tectum, oporteat esse *cæmentarium, qui tegulis domum tegat.*

At vilis & contemnenda est hæc sycophantia, præ illa, quę apud eundem vel cæmentarium, vel cæmentarij filium sequitur. Solent Vbiquistæ obiicere illud Apostoli Ephes. 4. *Ascendit super omnes cœlos.* Ad hoc respondeti potest, inquit Bellarminus, ascendisse Christum super omnes cœlos, & excelsiorem cœlis factum, & penetrasse omnes cœlos, quia est in parte suprema vltimi cœli, atque ita habet sub pedibus summum cœlum pro maxima parte. Hucusque Bellarminus. *Sed vide quid sequatur*, inquit Hæreticus. Quid, oro, sequitur? Audiamus, obsecro; operam tamen dato, vt id, quod sequitur, sequatur ex Bellarmini dictis, non ex rudi tua imaginatione & mentiendi prurigine.

Ais: *Terra ad extimum cœlum est instar puncti. Quod si ergo Christus suis pedibus maximam cæli partem occupat: pedes eius nunc in statu exaltationis erunt longè maiores ipso terræ ambitu: & si pedes sunt ad corpus proportionati, vastus erit Christi corpus ipsius mundi capacitate: Quomodo ergo verum erit illud Act. 1. Quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum.*

Tametsi Prædicantes cæteri insignes sunt cauillatores & calumniatores, omnes tamē eorum cauillationes & calumnias, respectu huius, arbitror *instar puncti* sese habere. Tantum granditate sua hæc reliquas omnes exsuperat. Non dixit Bellarminus; Christum pedibus suis *maximam supremi cæli partem occupare*, vt iste comminiscitur; quò calumnię suę struendæ materiem & cæmentum, tanquam peritus in sycophantiarum cæmento cæmentarius, inueniat: sed Christum *sub pedibus suis summum cælum habere, saltem pro maxima parte.* Loquitur enim Bellarminus de illorum opinione, qui arbitrantur; Christum non versari supra supremum cœlum, ita, vt pedibus suis conuexam cœli illius superficiem tangat; sed intra ipsum summum cœlum, quamuis in aliqua suprema eius parte, additq;, etiam secundum hanc sententiam verè dici posse, *Christum ascendisse super omnes cœlos*; quandoquidem non tantùm omnes reliquos cœlos, sed & ipsum supremum cœlum sub pedibus habet; saltem pro maxima parte.

Dic, Nouator, si quis sit supra tectum alicuius turris vel domus; an non totam turrim vel domum sub pedibus suis habere dicitur? Item si quis versetur in aliquo conclaui, quod in suprema turris vel domus parte; sed tamen intra turrim vel domum, exstructum sit; an nō maximam partem turris vel domus illius sub pedibus suis habere dicitur? An oportet, vt pedibus suis totam illam turrim vel totam domum occupet; atque adeo pedes tantos & tam crassos habeat; quanta est turris vel domus? Quando tu Argentorati celeberrimam illam turrim ascendisti; nonne sub pedibus tuis & turrim & vastum illud templū habebas? An propterea tantos habebas pedes, quāta est illa turris, & quanta visenda illa templi moles? Pari prorsus modo Christus euectus siue supra summum cœlum, ita vt extimam

eius

eius superficiem pedibus tangat; siue intra aliquam supremam summi cœli partem, rectissimè dicitur totum supremum cœlum, vel maximam eius partem, quin & omnes alios cœlos, sub pedibus suis habere; hoc ipso, quod omnibus situ & loco supereminet; nec quisquam nisi quem vel mentiendi vel criminandi furor in præceps rapit; meritò inde inferet: *Pedes Christi tam esse magnos, vastos & amplos*, quàm cœlum summum, vel maximam cœli summi partem; maioresque vniuerso totius mundi ambitu, quandoquidē terra, ad cœlum supremum puncti instar habet. Indigna hęc sunt quouis erudito somnia & scommata; dignissima tamen prædicantium genio, qui se & suos non alio pabulo, nisi huiusmodi quisquiliis pascunt.

Quæ in cap. 13. scribuntur, *omnia concedimus*, inquit Danæus. Habemus benignitati gratiā. Illud neuter Caluinista digerere valet, ꝙ Bellarminus obiter dicit; secundum Caluinistas, nil sumi in cœna, nisi vim & efficaciam corporis Christi. Negant hoc *verum esse*. Scimus Caluinistas hospitibus & conuiuis suis ipsum corpus & sanguinem Christi verbis quidem promittere; sed reipsa nō exhibere: Non quærit Bellarminus quid verbis in cœna vestra detis; nouit enim munificentiam vestram, vt sic loquar, *verbalem*; sed quid reipsa detis & apponatis. Sed hæc aliud tempus & otium desiderant. Aegrè fert; nomen *Sacramentarij*. Desine esse *Sacramentarius*: nec audies *Sacramentarius*.

Cap. 14. admittimus, inquit Danæus. Bonum factum. Periclitabatur, ne ex libro expelleretur, nisi tu admisisses. Ais, *te eadem tractasse in Examine libri Kemniciani de duabus naturis; sed Bellarminum id celare*. Si Bellarminus omnes Caluinistas, qui contra Vbiquitatem scripserunt, nominare voluisset; multum ei temporis à grauioribus occupationibus superesse oportuisset; tantus est eorum numerus. At tui saltem mētionem facere debebat; cum non sis vnus ex triuialibus; sed propemodum ex triariis. Quid si non vidit tuum librum? Quid si vidit & contempsit, idque iure optimo? Quid enim in te vel libris tuis ingenij, quid eruditionis? Libenter nimirum tu quoq; stationem in hac Bellarminiana disputatione habuisses. Abi, tu tibi quære parem. Tu tibi iunge parem.

CAPVT XV.

HOc & reliquis capitibus soluit Bellarminus Vbiquetariorū argumenta; quorum primū de sessione Christi ad dexteram Dei. Indignatur Danæus, *Bellarminum sequi noluisse Caluinianorum de sessione ad dexteram Dei sententiam*: Hinc factum mentitur. I. Mend. *Bellarminum in eosdem cum Vbiquistis scopulos incidere*. II. Mend. *Eodē falo iactari*. III. Mend. *Bellarminum suo se gladio iugulare*. IV. Mend. *Bellarminum duplicem hæresin hoc capite firmare*. V. Mend. *Bellarminum velle humanam Christi naturam esse parem & æqualem potentiæ Deo Patri: & sic euertere; quæ prius contra Vbiquistas differuerat*. At Bellarminus addit: Esse æqualem, *non in se*; sed in sua *hypostasi*. Cur tu omisisti illud *in se*, vel *in seipsa*; nisi quia Bellarminum calumnioso mendacio onerare voluisti? V I. Mend. *Bellarminum hanc sessionem tribuere suppositō Christi; non humanæ ipsius naturæ*. Mentiris. Tribuit sessionem ad dexteram humanæ naturæ nō *in se & secundum se*; sed in hypostasi. Aliud est non tribuere hanc sessionem naturæ humanæ; aliud, non tribuere in se; sed in alio. Prius Bellarminus non facit: sed posterius.

Contra delirat Danæus: *Vel toti illi suppositō conuenit, quatenus est tale suppositū: vel, vni duntaxat illius parti, atque propterea toti suppositō per synecdochen*. Toti suppositō hoc attribuit, mi Caluinista. Perge. *Non primùm, id est, non toti suppositō, quatenus tale, sed: fisset enim Christus ad dexteram Dei, à momento suæ conceptionis, & cum in Cruce penderet quo tamen tempore, dicitur & infirmus fuisse Christus, & minor Angelis. Hebr. 2. v. 7.* Omnino à momento suæ Incarnationis sedit Christus ad dexteram Dei, nō vidisti hæc in ipso Bellarmino verba? *Licet autem hoc factum sit in ipsa Incarnatione, tamen dicitur Christus sedisse à dextris Dei post Ascensionem: quia, tunc primùm perfectè innotuit gloria, & maiestas huius hominis, vt dicitur ad Philip. 2.* Nec obstat huic abiectio & humilitas Christi in Cruce: quia hæc fuit secundum corpus; salua maiestate vnionis hypostaticæ. Minor autem Angelis semper dicitur, nimirum præcisè, quoad humanam naturam.

Instat Danæus: *Sic vtriq; parti & naturæ huius suppositi propriè conueniret sessio ad dexteram Dei; quemadmodum vtriq; hominis parti, quia suppositum est compositum, id est, animæ & corpori propriè competit, vt sit humana anima, & humanum corpus*.

Respondeo, si, relicto vocabulo, rem ipsam spectare, perq; *sessionem ad dexteram* præcisè æqualem gloriam, potentiam & maiestatē intelligere velimus; Christum, etiam secundum naturam diuinam, esse & sedere ad dexterā Dei, quia Patri suo gloriā, potētiā & maiestate prorsus est æqualis. Ita etiam S. Thomas 3. q. p. 58. Si autē modum loquendi eiusq; originem propius intueamur, dicendum est; sessionem ad dexteram Dei Christo seu hypostasi Christi non nisi secundum humanam naturam competere. Sic tamē vt ipsi naturæ non in se, sed in hypostasi conueniat; quia, vt ipse Danæus notat, Christus dicitur *Dei virtute in eam dignitatem euectus Actor. 2.* Dicitur *factus talis*. Heb. 7. Dicitur *data illi hæc potestas*. Matt. 28. Phil. 2. *Et collata* Ephes. 1. quæ de Christo secundum naturam diuinam commodè intelligi vel dici nequeunt: & indubitatum videtur; hāc phrasin sessionis ad dexteram Dei de Christo vsurpatam, ex hypostatica vnione naturæ humanæ cum diuina ortam; & sic propriè ad gloriam diuinam, quam inde humana Christi natura cepit, pertinere.

Nec valet obiectio Danæi; de anima & corpore. Nam in hoc solummodò est similitudo; quòd vt anima Petri propriè est anima humana; & cor-

pus

pus Petri, propriè corpus humanum: ita humana natura Christi, propriè est natura verbi diuini; & diuina Christi natura propriè itidé est natura Christi; sed in hoc semper manet dissimilitudo, quod natura diuina naturaliter per æternam generationem sit natura Verbi; humana verò per gratiam vnionis hypostaticæ & concessionem liberam Dei, & per euectionem ad hanc diuinam gloriam & maiestatem.

Iunius hic acuminis sui insignia dat specimina. Ait, *nõ idem significare: esse à dextris, & sedere à dextris.* Nec Bellarmin' affirmat hæc duo generatim esse idem; nam num idem significent ex subiecta materia iudicari debet; cum enim de Christo dicitur, eum esse à dextris Dei, dubium nõ est, quin idem significet, quòd sedere à dextris; quandoquidem hoc filio alibi in Scriptura sacra tribuitur. Contrà, circumstantiæ loci suadere possunt, vt *esse à dextris*; accipiamus non pro sedere; sed pro stare seu adsistere alicui à dextris. Itaq; ex *subiecta materia* & circumstantiis iudicandum erit, quo sensu hæc phrasis accipi debeat. Quod minimè Bellarminum fugit.

Dicit Bellarminus, probabilius esse per *dexterã Dei*, ad quam Christus sedet, intelligi debere *gloriam, potentiam & maiestatem diuinã*, ita vt sensus sit illius articuli; datã esse humanitati istam sessionẽ, sed datam nõ ipsi in se, sed in supposito. Non enim factum est, vt humanitas in se ipsa sedeat ad dexteram Dei, sed, vt sit humanitas illius personæ, quæ sedet ad dexteram Dei: sicut non factum est per incarnationẽ, vt humanitas sit Deus, sed vt sit humanitas Dei, & pinde in concreto dici possit, iste homo est Deus, &, sedet ad dexterã Patris.

Hæc sententia occasionem dedit Danæo mentiendi, Bellarminum in scopulos Vbiquistarum incidere: cum Bellarminus disertè scribat, hanc potentiam, *gloriam, & maiestatem diuinã non esse datã humanæ naturæ seu humanitati in se; sed in alio; nempe in supposito Verbi*, cum quo vnitur, & hypostaticè terminatur; hoc ipso enim, quòd in hypostasi verbi subsistit, habet quidquid habet illa hypostasis; sed in hypostasi, non in seipsa: & consequẽter habet etiam æqualem potentiam, maiestatẽ, & gloriam, non in seipsa, sed in hypostasi sua. Hanc diuinæ gloriæ, potentiæ & maiestatis æqualitatem, quam habet natura diuina in sua hypostasi, dicit Bellarminus per sessionem ad dexteram Dei significari. An hoc docent Vbiquistæ? Regredere, obsecro, ad cap. 8. Bellarmini; vbi sententiam Vbiquistarum recitat, & vide, num in illorum scopulos Bellarminus incurrat.

Iunius distinguit hic triplicẽ gloriam Christi, *diuinam, humanam & mediam*, seu, vt vocat, *mediatoriam*. Primam ait competere Deo, atq; adeo Christo, vt Deus est, essentialiter, neque vlli creaturæ cõmunicari posse. At hoc negabit Bellarminus, & omnes illi, qui per sessionem ad dexteram Dei intelligunt æqualitatem diuinæ gloriæ, potentiæ & maiestatis. Dicent enim, hanc gloriã creaturæ communicari posse, atq; adeo reipsa communicatam esse creaturę, inquam, non in se; quasi in se susciperе possit huiusmodi gloriam, potentiam, & maiestatem, sed in alio, nempe in *supposito* Verbi; à quo cum subsistẽtiam suam personalem habeat; & cum eo hypostaticè vniatur; ita vt verè & propriè dicatur humanitas, seu natura humana Verbi diuini, seu Dei; ipseq; Deus, *homo*; fitq; vt habeat in sua hypostasi, quę etiã est hypostasis Verbi, quidquid ipsum verbum, seu ipse Deus habet; & hoc habere, est iuxta hanc sententiam, quam Bellarminus amplectitur, sedere ad dextrã Dei. Nec vllum adfert Iunius argumentum, quo probet gloriam, potẽtiam & maiestatem diuinã esse iam dicto modo incommunicabilem creaturæ.

Humanam gloriam, potentiam, & maiestatem dicit Iunius fuisse Christi propriã, *dum hic in terris ambularet in forma serui, in carnis infirmitate*. Optandum fuisset; vt Iunius paulò planius explanaret, quid per hanc *humanam gloriam, potentiam & maiestatem Christi* intelligeret. Num aliquod regnum temporale Christi, quod postea eo in cœlũ translato defecerit; quo pacto aliqui Christum in terris versantem, regem temporalem fuisse autumant. Vide Franciscum Suarez 3. p. q. 22. Disp. 48. sect. 2. Num per gloriam, potentiam & maiestatem humanam intelligit gloriam, potẽtiam & maiestatem regni spiritalis, & Sacerdotij, & Iudicis, miraculorum operatoris, medici, & similium officiorum, quibus Christus in hoc mundo degens, claruit? Atqui hanc gloriam, &c. nunquam deposuit; neq; vnquam in omnem æternitatem deponet. An per gloriam humanam & maiestatem intelligit celebrem & excellentem existimationẽ, quam de Christo fideles in hoc mundo conceperant? Atqui ista nunquam defiit, nec desinet, quamdiu Christiana religio stabit.

Mediam seu mediatoriam gloriam, potentiam & maiestatem, dicit Iunius, *esse propriam personæ Christi in vtraq; natura simul atque communiter, tum per gratiam vnionis, quæ in solo Christo est ad opus mediationis, tum per exaltationem illam supra omne nomen, quæ perpessiones eius secuta est.* Et de hac gloria, potentia & maiestate vult Iunius accipi loca scripturæ, quæ de sessione ad dexteram Dei loquuntur.

Non ignoro & esse & fuisse præclaros Theologos, & in his etiam Gregorium nostrum de Valentia lib. 1. de Vbiquitate cap. 11. qui per sessionem ad dexteram intelligant potestatem regalem, iudiciariam, summamq; beatitudinem humanæ Christi naturæ collatam, neque id absque verisimilitudine; haud tamẽ placet, quod Iunius hanc gloriam noua appellatione vocat *mediam & mediatoriam*: neque enim potentia & maiestas hæc solam mediatoris gloriam, solasque *mediatorias* actiones & functiones includit. Multò minus placet, quod passim insinuat, hanc gloriam competere *personæ Christi non tantùm secundum humanam, sed & diuinam naturam*: quasi verò secundum diuinam naturam Christus non fuerit per-

petuò

petuò Rex, iudex, & beatus; aut quidquam regalis & iudiciarię potestatis atq; beatitudinis Christo secundum diuinam naturam per incarnationem accesserit.

Nec illud cuiquam, nisi forsan *Ariano* vel *Arianizanti*, probabit Iunius; *Christum, vt Deum*, hoc est, secundum diuinam naturam, *sese exinaniuisse, & Patri subiecisse voluntariè; atque adeo voluntariè Patre minorem factum esse; sicut, qua homo, minor est naturâ suâ.* Hanc stultitiam iam supra ad præfationem tetigimus & refellimus, quia nulla ratione, nullaq; voluntate fieri potest, vt diuina natura Christi, sit minor naturâ Patris, quia cum sit eadem natura; fieri nequit, vt ipsa seipsa sit aut fiat minor. Et cum Christus vt persona sit Deus, immensus, infinitus; nulla volûtate vel œconomia fieri potest; vt sit minor Patre secundum personam. Nec illa exinanitio, de qua Apostolus ad Philippenses, consistit in aliqua submissione & deiectione diuinæ naturæ intrinseca; sed in hoc, quòd Deus manens id quod erat, hoc est, Deus, humanam naturam assumere, & sibi hypostaticè vnire voluit; quodq; etiam secundum humanam naturam, vitam adeo inopem, variisque ærumnis & molestiis obnoxiam elegit.

Illud insuper à ratione alienum est: *Exaltationem Deitati non quidem secundum naturam suam competere: sed secundum œconomiam.* Quæso, qua œconomia, nisi phantastica, effici potest, vt diuina natura; qua nihil est sublimius, nihil excelsius, exaltetur? Quò, obsecro, exaltabitur?

Nec illud soliditate caret, eo quidem sensu, quo à Iunio accipitur, Christum secundum *naturam diuinam ascendisse ad consessum paternæ dexteræ æqualiter*; citatq; S. Thomam 3. p. q. 57. art. 2. In qua citatione fidem desidero; non enim dixit S. Thomas; *æqualiter*: sed, *aliqualiter*. Verba S. Thomę sunt ista: *Christus dicitur ad Patrem ascendere, in quantum ascendit ad consessum paternæ dexteræ. Quod quidem conuenit Christo aliqualiter secundum diuinam naturam: aliqualiter autem secundum humanam, secundum quod infra dicetur*; nempe q. 58. a. 2. vbi docet, vno quodam sensu *sedere ad dexteram nihil aliud esse; quàm simul cum Patre habere gloriam diuinitatis & beatitudinem, &c. Et hoc Christo conuenire nõ per aliquam assumptionem, sed per æternam originem.* Quo significat dici etiam posse ascendisse, hoc est, venisse Christum, qua Deus, seu secundum diuinam naturam, ad dexteram Dei; sed per æternam ex Patre generationẽ. At Iunius, illud *aliqualiter* mutat in *æqualiter*. Et quod S. Thomas per *originẽ* & *æternam generationem* accidisse dicit; id iste respectu naturę diuinæ per hypostaticam vnionem euenisse tradit.

Ait Bellarminus: Illud: *Pater maior me est*: sine dubio intelligi ratione humanitatis. Iunius. *Dicendum potius: ratione personæ: secundum Deitatem voluntariâ œconomiâ; secundum humanitatem, naturâ suâ.* siccine Pater maior est Filio ratione personæ? siccine Pater maior est Filio secundum Deitatem; quocunque tandem respectu? Fierine vlla ratione potest, vt Pater secundum Deitatem maior sit Filio secundum Deitatem? Si hoc non est in castris Arij militare; quid tandem erit Arij partes sequi ac tueri?

CAPVT XVI. & reliqua vsque ad finem.

IN capite 16. soluit Bellarminus obiectiones Vbiquistarum ex verbo Dei desumptas. Danæus, præter calumnias & mendacia, nihil adducit. Mentitur I. Bellarminum *in eas se coniicere angustias, vt reliquis Vbiquetariorum argumentis non posit respondere*: eò quòd sessionem Christi ad dexteram Dei interpretetur de gloria, potentia & maiestate diuina humanæ naturæ non in se, sed in hypostasi sua collata. Mentitur II. *Bellarminum in eodem cum Vbiquetariis scopulo hærere.* Mentitur III. *Bellarminum ex magna animi perplexitate, solutionumq; varietate vacillare.* Mentitur IV. *Bellarminum locos scripturæ sibi obiectos interpretari modò de diuina Filij ex Deo patre generatione: modò de suppositò Christi, modò de diuina eius natura.* Inspiciatur solummodo Bellarminus; & è vestigio dissipabuntur istæ nebulæ. Mentitur V. *Bellarminum nec videre, nec docere, quid in horum argumentorum solutione sequendum sit.* Mentitur VI. *Bellarminum quartum & quintum Vbiquetariorum argumentũ insolutũ relinquere.* Mentitur VII. *Responsionem ad septimum Vbiquetariorum argumẽtum, esse incertam vel potius ineptam.* Mentitur VIII. *Bellarminum vbiq; nutare. Verùm quid me macero,* clamat *Danæus, vt Bellarminum doceam: quem ingratissimum fore & obstinatiorem scio.* Mirum, ni gratiæ tibi habeantur & referantur ob hanc tuam inuerecundissimam audaciam.

Post mendacia strenuè & indefessè effusa, effundit se in Vbiquistarum laudes, quos nominat *homines alioquin eruditos, & bene in scripturis versatos.* Aliud testantur Encomia, quæ alij Caluinistæ Smidelino & reliquis Vbiquitatis defensoribus pleno modio admetiuntur.

Iunius repetit hic suum illud Arianicum paradoxum: *Christum secundum diuinitatem se inaniuisse patriq; subiecisse voluntariè.* Adeo non semel ac iterum, sed sæpius Ariani spiritus documenta dare iuuat. Illud Oecumenij; Christi carnẽ repleuisse omnia; ait Bellarminus intelligendum eo modo, quo Christus omnia replere poterat; non simul, sed successiuè obeundo omnia loca. *Imò aliud sonant verba Oecumenij*, inquit Iunius. *Non enim de impletione corporali agit, vt Bellarminus homonymia verbi πληρόω deceptus putat, sed de energia, siue effectus complemento. sic enim ille: ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. καὶ γὰρ ἐμοῦ τῆς Θεότητος πάλαι τὰ πάντα πλήρη. καὶ σαρκωθείς, ἵνα τὰ πάντα μᾶλλον πληρώσῃ, φησίν, ἢ ἀνέλθῃ. Id est, vt impleret hæc omnia. Etenim & Deitate ipsa nuda implebat olim hæc omnia: & caro factus, vt omnia hæc cum carne impleret, descendit, ascendit q. si de præsentia illa Deitatis repletiua ageret, non fuisset dicturus, implebat olim; sed potius, implet à principio, vel iam olim, dixisset Oecumenius.*

Quem

Quem petis, aut ferire cupis Iuni? Num Bellarminum? An Bellarminus dixit: locum Oecumenij accipiendum de repletione, qua Deitas omnia replet? An non palam id refert, ad repletionem qua Christus carne sua seu corpore omnia repleuit, non simul sed successiuè, & ad eum modum, quo id explicat Bellarminus? Quid ergo iste vel dormitans vel somnians garrit de Bellarmini deceptione nata ex homonymia verbi Græci πληρόω? Nam si vult Apostolum loqui de repletione, qua Christus per virtutem & operationem suam omnia impleuit, Bellarminum aduersantem non habet: quia Oecumenius, & de hac & de illa, quam Bellarminus asserit, commodè accipi potest; nullo Vbiquistarum emolumento.

Ad caput decimum septimum nihil Iunius. At Danæus. *Huius capitis doctrinam, id est, solutionem à Bellarmino prolatam, omnino probamus & admittimus: Est enim vera & verbo Dei consentiens.* Est ergo, quòd sibi gratuletur Bellarminus ob hanc tantam Danæi liberalitatem: quam ad caput quoque decimum octauum extendit: *Cuius omnia facilè concedit, quia vera:* præter hoc, quod Bellarminus ait: non sequi, *vt si corpus Christi simul in pluribus locis sit, esse quoque possit vbique. Hoc enim ex illo sequitur necessariò*, inquit Danæus, *quia sic & tam verè corporis natura, ex situ simul pluribus in locis euertitur, quàm si sit vbique.* Idem occinit Iunius. Sed clamant tantùm; nihil probant. Negabit enim Bellarminus, & quotquot sunt huius sententiæ, corpus æquè destrui per positionem in pluribus locis, ac per positionem in omnibus, etiam infinitis; ad hanc enim dicit immensitatem planè diuinam requiri; minimè verò ad illam. Cur Danæus & Iunius hanc Bellarmini rationem non refutarunt; si displicebat? Cur asseuerant duntaxat; neq; vlla asseuerationis suæ firmamenta producunt?

Obiiciunt Vbiquistæ locum quendam Cyrilli lib. 12. in Ioan. cap. 32. & Theophylacti in eundem locum. Respondet Bellarminus, vtrunque eo loco disputare de Eucharistia; idque liquere ex sequentibus, vbi ponunt typum Agni paschalis; & nihil aliud velle, quàm carnem Christi esse vbique, vbi sunt, qui communicant, non autem esse absolutè vbique. Occlamat Iunius. *Neuter hoc dixit aut sensit*: Sed quàm temeraria & præceps sit hæc asseueratio, intelliget, quisquis hos duos Auctores, præsertim Theophylactum, inspexerit: cuius inter cætera sunt ista: *Sanctum Christi corpus indiuisibile est, & diuiditur, & communicatur in quatuor orbis partes, vsum præbens singulis, & vniuscuiusque animam sanctificans cum corpore per suam carnem vnigenitus & integer, in omnibus est existens vbique.* Quæ verba de Eucharistia à Theophylacto prolata esse, tam est clarum, quàm quod clarissimum. Nec obscuriora sunt verba S. Cyrilli; quæ recitare supersedeo.

Ex capite 19. & 20. vix quidquam vellicant Iunius & Danæus: imo iste ad caput vigesimum; *Hæc omnia*, inquit, *sunt vera, quæ hoc capite scripta sunt.* Simile fert iudicium de capite decimonono; nisi quod abnuit, *corpus Christi simul in pluribus locis esse posse*: stolidè ratus tolli de corpore *corporeitatem* (hoc enim vocabulo vtitur Danæus) si corpus simul pluribus in locis constituatur.

DE GENERALI CENSVRA DANÆI AD TRES SVPERIORES LIBROS.

MALE appellatur Censura: malè examè; quia est farrago & cento quidam turpissimorum mendaciorum, quæ multitudine sua non tantum periodos, sed & ipsa propemodum verba exsuperant. Recenseamus si non omnia; at saltem aliqua.

I. Mend. *In tribus superioribus libris fermè vbiq; occurrere tria maxima vitia; repetitionem:* vix quisquam à repetitione alienior est, quam Bellarminus.

II. Mend. *Ostentationem.* Nil modestius & moderatius Bellarmino.

III. Mend. *Animi ingratitudinem.* Nil gratius Bellarmino erga illos, quibus gratias debet: Nã quas iste postulat, indebitæ sunt.

IV. Mend. *Esse repetitionem ad nauseam vsque.* Expungam hoc mendacium, si Danæus hanc repetitionem ad battologicas suas lœdorias, alogias & pseudologias referat: Hæc enim relatio efficiet, vt quod erat mendacium, desinat esse mendacium.

V. Mend. *Bellarminum actum agere.*

VI. Mend. *Et Penelopes infelicem telam retexere.* Qua de caussa? Quia post Caluinum, Bezam, Danæum & similes Heroas contra Trinitarios & Vbiquistas calamum stringere ausus fuit.

VII. & VIII. Mend. *Bellarminum miserè & inutiliter otio & suo & alieno abusum esse.* Imò felicissimè vsum esse fatetur tota orthodoxa Ecclesia.

IX. Mend. *Bellarminum in his suis scriptis repetere infinita, non tantùm multa, otiosè.*

X. Mend. *Multiplicationem huiusmodi librorum* (quales Bellarminiani) *esse multiplicationem laborum, & quidem inutilium.* Transfer hoc tuum dictum ad immensos Lutheri, Zvvinglij, Caluini, Bezæ gregaliumque codices; nec verbum contrà mutiam.

XI. Mend. *Libri primi capita, sextum, septimum, octauum, decimum tertium, decimum septimum esse inanem repetitionem, & tractationem eorundem argumentorum.* At ego euidenter video hic tuum dictum esse iterationem eorundem mendaciorum tuorum: quæ quoties iubet; quando autem non iubet? nobis reponis.

XII. Mend. *In libro secundo loquacitatis vitium manifestè sparsum esse.* Mendacitatis tuę vitium vbique plenis saccis disseminatum intueor.

XIII. Men-

XIII. Mend. *Cap. 28. 29. 30. de vocula, (filióque) ad ſymbolum adiecta, exſtare odioſiſſimam repetitionem, quæ vno capite, eóque breuiſſimo, tradi potuerit:* ſic tamen, vt omnia Græcorum argumenta inſoluta, & tota hiſtoriæ veritas & æquitas tenebris obuoluta remanerent; vt taceam nullam prorſus in illis capitibus ineſſe repetitionem, ſed neceſſariam argumenti diffusè ſparſi diſcuſsionem.

XIV. Mend. *Lib. 3. cap 6. 8. 9. & 10 eſſe toties recoctam & repoſitam eiuſdem hæreſeos cramben, toties auctoritates, toties rei eiuſdem argumẽta repetita, vt faſtidium gignant etiam patientiſſimo lectori.* Hoc de Bellarmino falſiſsimum eſt; de te tuisq́; criminationibus & pſeudologiis, veriſsimum. Quis enim tam firmi ſit ſtomachi, cui tam immania mẽdacia, omnibus pagellis iterata, non moueant nauſeam? *Si tot paginæ & tot horæ in rebus iſtis à Danæo impendantur, ecquod, obſecro, ei tempus ſuperarit, quod in res ſacras neceſſarias referat & dedicet?*

XV. Mend. *In his libris manifeſtè apparere oſtentationem ingenij ex illa inani & pompa & repetitione.* Nulla hic inanis pompa; nulla repetitio; niſi loquamur de inaniſsima repetitione mendaciorum Danæanorum; nulla ingenij oſtentatio, ſed ſimplex demonſtratio quantis copiis veritas inſtructa ſit aduerſus inferorum manipulos, Trinitarios & Vbiquiſtas.

XVI. Mend. *Bellarminum non alio ſine hæc congeſſiſſe, quàm vt ſe inter ſuos tanquam magnum quendam Palephatum, & omniſcium & pulchrum iactaret.* Alio conſilio diſputationem hanc nõ ſuſcepit, quàm vt gloriam Chriſti ab aduerſariorum iniuria & contumeliis aſſereret. Hic Bellarmino ſcopus præfixus fuit, hæc præſtituta meta.

XVII. Mend. *Bellarminum piis penè omnibus noſtri temporis viris maledicere.* Et ne ignoraremus, qui nam ſint iſti pij viri, nominat Caluinum, Bezam, Aretium; viros tam pios, quàm eſt, vel potius fuit, Danæus.

XVIII. Mend. *Bellarminum ne ſuis quidem parcere: Genebrardum ab illo acerbiſsimè caſtigari.* Vbi exſtat hæc acerbiſsima caſtigatio?

XIX. Mend. *Bellarminum non ſequi ipſa bona verba, bonamq́; doctrinam, quam habet, ſtudio veritatis amplectendæ & tuendæ, ſed duntaxat, vt aliis, nimirum Vbiquetariis, contradicat, & ſuo Romano Pontifici placeat.*

XX. Mend. *Summam cerni ingratitudinem Bellarmini in ſupradictis tribus libris.*

XXI. Mend. *Bellarminum neminem eorum à quibus accepit, quidquid in his tribus libris tractat, honeſtè appellare.*

XXII. Mend. *Bellarminum maximam partem habere à Caluino.*

XXIII. Mend. *Et à Polonis fratribus, hoc eſt, Caluiniſtis.*

XXIV. Mend. *Et à Beza, & à Danæo.*

XXV. Mend. *Et à Melanchthone.*

XXVI. Mend. *Et à Zvvinglio.*

XXVII. Mend. *Bellarminum etiam bonas noui Teſtamenti interpretationes ex Bezæ commentariis ſumpſiſſe.*

XVIII. Mend. *Has bonas interpretationes ex veteri verſione non potuiſſe hauriri.*

XXIX. Mend. *Veterem verſionem à Bellarmino in prima controuerſia deificari.* Et quid tandem Bellarminus ex Bezæ commentariis ſumpſit?

XXX. Mend. *Horum verborum explicationem: Deus gloriæ:* pro, *glorioſe. Verbum caro factum eſt,* id eſt, *Verbum carnem aſſumpſit. Fecit Pontificem,* id eſt, *conſtituit. Ante me factus eſt,* id eſt, *prælatus eſt.* Immortales Bezæ gratiæ, qui hæc tam recondita myſteria reſerarit. Ante cuius editos commentarios nemo prorſus erat; qui noſſet; illud, *Verbum caro factum eſt,* idem ſignificare, quod, *Verbum carnem aſſumpſit.* Hæc nullus Patrum docuerat; nullus Scripturæ interpres tradiderat: ſoli Bezæ reuelatum eſt, *Verbum carnem fieri,* eſſe; *Verbum carnem aſſumere; & facere Pontificem; conſtituere Pontificẽ. Quæ tam multa, cum à noſtris,* inquit Danæus, *didicerit, ex magna tamen animi ingratitudine ne verbulo quidem vno illis gratias agit.* O execrabile ingratitudinis crimen, quo impudentiæ non prouehis eos, quorum pectora occupaſti.

Quod attinet ad querelam Danæi de ſuis ſcriptis à Bellarmino expilatis, non vereor, inquit Cydonius noſter, lib. 1. contra Danæum cap. 5. ne qui ſcriptum hoc eius in Bellarminum legerit, tam imperitè, atque ineptè conſcriptum, in dubium reuocet, vtrũ eſſe in eius libris aliquid potuerit, quod vir doctiſsimus, atque grauiſsimus, non modò ſuis ſcriptis dignaretur, ſed probaret omnino. Certè, in omnibus eius voluminibus nuſquam, ne refutandi quidem cauſa, Danæi nomen inuenies; cùm tamen nullum paulò nobiliorem hæreticum præterniſerit. Ita aut obſcura fuêrunt Danæi ſcripta, vt in manus viri, alioqui admodum accurati, atq; adeò in hoc genere curioſi, non venerint: aut, ſi quæ deuenerunt, indigna duxit, quorum ratio cum cæteris hæreticis haberetur.

Cæterùm, quod ad ea, quæ aduerſus Vbiquetarios ſcripſit Danæus, egregiè animaduertit Rogerius noſter, obiectum à Laonico Antagoniſta ſuo fuiſſe Danæo, quod, quæ contra eam hæreſin ſcripſerat, ex Ingolſtadienſi quodam Ieſuita corraſiſſet. Idq́; Danæum, qui ad reliqua omnia eius conuitia, acriter admodum reſponderit, inficiari non auſum; totum eum locum leuiter, traducta aliò quæſtione, tranſiſſe pag. 74. ſui in Laonicum libri, his verbis: *Porrò Ieſuitam quendam Ingolſtadienſem contra veſtram Vbiquitatem iam pridem ſcripſiſſe conquereris; quid ni verò ille faceret, Laonice, & illum errorem Eutychianum pro virili euerteret; cuius, & ſi Satan auctor eſt, ipſum tamen Satanam tam ſudi erroris iam manifeſtè pudet.* Ita, cùm furtum obiiceretur, quia geſtabat in manibus, non negauit; ſed eius, ex quo furatus eſt, laudat officinã: vt intelligas, iuſtam ſibi fuiſſe cauſam, cur furaretur. Quamobrem nihil eſt, quod queratur. Nam, & ſi nihil

opus fuit Bellarmino, cùm ſuis abundet, ſtipem corrogare, tamen, ſi ex Danęo, ſodalium ſuorum bona, quaſi ex fabuloſa illa cornicula, plumas repetere voluiſſet, obmurmuranti iure ſuo reſpondere illud potuiſſet; *non facio tibi iniuriam: tolle, quod tuum eſt, & vade.* ego, quod meum eſt, repeto.

DIGRESSIO CONTRA HVNNIVM, EIVSQVE HYPERASPISTEN MÆVIVM.

EDIDIT Hunnius diſputationem quandam, quam inſcripſit *Labyrinthum Papiſticum; in Articulo de Scriptura ſacra, de perſona Chriſti, de officio Chriſti, de iuſtificatione, de fide & operibus.* In ſecundo articulo de perſona Chriſti non ſemel incurrit in Bellarminum, eiusque doctiſsimam & accuratiſsimam aduerſus Vbiquiſtas diſceptationem.

Fatetur Bellarminus, inquit Hunnius theſ. 61. & ſeqq *humanitati Chriſti communicatam eſſe hypoſtaſin, ſeu ſubſiſtentiam Verbi.* Quid ni fateretur? Hæc enim eſt Catholica, & orthodoxa doctrina: *At negat*, inquit, *humanitati communicatam eſſe omnipotentiam, & cetera attributa Deitatis.* Rectè hoc negat Bellarminus, qui negat id eo ſenſu, quo communicatio diuinorum attributorum facta humanitati aſſeritur à Brentio, Schmidelino, & aliis Vbiquitatis architectis. Tu, quomodo Bellarminum refellis, aut contradictionis reuincis? Audiamus argumentum Hunnianum, hoc eſt, futile, & inane, vanitate, quàm ratione plenius. *Hypoſtaſis verbi, & attributa eius realiter idem ſunt. Ergo ſi humanitati communicata eſt hypoſtaſis verbi; ſequitur, eidem etiam attributa verbi communicata eſſe: ita vt humanitas ſit omnipotens, omnipræſens, omniſapiens, & quidquid demum Deus eſt.*

Reſpondeo; hoc argumentum eſſe lucidiſsimum Hunnianæ audaciæ & ignorantiæ ſpeculũ: nam ſi ab identitate reali ratiocinari velimus in diuinis: totum myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis, non magno niſu euertetur. quid ni enim cum Hunnio colligere liceat: *Pater communicauit cum Filio eſſe diuinum; ergo communicauit eidem paternitatem*: quia paternitas, & *eſſe* diuinum, realiter non diſtinguuntur: Ergo Filius eſt Pater. Item: *Pater & Filius communicauit Spiritui ſancto eſſe diuinũ: ergo etiam paternitatem, & filiationem: quia paternitas & filiatio non diſtinguuntur realiter ab eſſe diuino. Ergo Spiritus ſanctus eſt Pater, & Filius ſimul.* Centena talia Hunniano acumine digna pronunciata exiſtent ex axiomate illo: *Quando aliqua realiter idem ſunt; tunc, quidquid vni conuenit, conuenit etiam alteri*: ſi explicetur, prout à pingui huius Prædicãtis Minerua exponitur; & aduerſus Bellarmini doctrinam vſurpatur.

Hoc Hunnio reſponſum dedi in deſtructione Labyrinthi Creticohunniani (ſic enim inſcripſi librum aduerſus vaniſsimum Hunnij Labyrinthum.) Triennio fermè poſt prodiit nouitius Prædicans (Mæuium indigito) Hunnianus diſcipulus, qui deſtructum à me Labyrinthum reædificare conatus eſt; niſu quidem magno, ſed nullo ſucceſſu; cui mox ob manifeſtam inſaniam *Helleborum* nigrum, vt Bauio, *Antimonium*, apparaui & propinaui, vt, cerebro nonnihil expurgato; ſani hominis ſaltem aliquantiſper, cogitationem ſuſciperet: qui licet vbiq; ſtrenuè deliriis indulgeat, in hoc tamen de Vbiquitate & omnipræſentia corporis Chriſti argumento ſeipſum ſuperat.

Itaque obiectioni meæ contra Hunnium ſic conuiciando & delirando occurrit: *Reſpondeo, hoc argumentum eſſe lucidiſsimum Greteſerianæ audaciæ, & ignorantiæ ſpeculum. Nam eſt diuerſitas in exemplo. In noſtro argumento ſit proceſſus à perſona ad naturã, à verbo ad carnem, vbi nihil impedit, quin perſona, ſua externa attributa communicare queat natura. In tuo autẽ, Greteſere, ſit argumentatio à perſona ad perſonam, à Patre ad Filium, qui proprietates ſuas non communicant, eò, quod proprietates perſonales, ſicut ipſæ perſonæ ſint incommunicabiles, & ἀνεπίνοητοι.*

Audiui vociferationem tuam. Nunc audi tu meam reſponſionem. Hunnius abſolutè ſcribit, *quando duo realiter idem ſunt, tunc communicato vno, communicari etiam alterum*: Hoc fundamẽto iacto, quod ab Hunnio poſitum eſſe, nunquã inficiari poteris, ſi verba Hunnij intelligas; rectiſsimè infertur, Patrem filio per generationem non modo diuinam ſuam naturam, ſed & formaliter ipſam paternitatem communicaſſe; quia diuina Patris natura, & paternitas, etiam formaliter ſumpta, ſunt vnum & idem; communicatâ ergo naturâ Filio; oportet eidem quoq; paternitatem formaliter communicatam eſſe; ſi Hunnij acumen non hebeſcit & ſtulteſcit. Quid tu ad hoc? Nihil penitus. Quidquid enim garris, id meum argumẽtum ne eminus quidẽ attingit. ſiue enim à perſona ad naturam; ſiue à perſona ad perſonam procedatur; verum erit dicere; ſi verum ſit tui Magiſtri fundamentum; *communicato vno, communicari etiam alterum*; quia perſona cum natura realiter idem eſt: *Vbi autem Deo realiter idem ſunt; communicato vno, communicatur & alterum*, inquit Hunnius, qui Bellarminum oppugnat, quòd neget diuina attributa humanæ Chriſti naturæ, veſtro ſenſu, communicata, cum tamen concedat; *hypoſtaſin verbi naturæ humanæ communicatam eſſe, cum qua attributa realiter idem ſunt.*

Quanquã qua ratione hypoſtaſis diuina communicata eſt naturę humanę; vt ſcilicet per illam ſubſiſtat; nam vt ipſa natura in ſe ſit diuina hypoſtaſis; ita etiam diuina attributa naturæ humanę communicata aſſeri poſsint; nempe, vt per illa ſaltem mediatè, ſubſiſtat quoque, quatenus cum hypoſtaſi realiter idem ſunt: licet alia item ſit communicatio, quatenus hæc attributa in concreto ſumpta, de natura, itidem in concreto ſumpta, verè enunciari poſſunt. Sed hæc nihil ad rhombum Vbiquiſticum.

Nec

Nec verum eſt, me in obiectione mea *à perſona ad perſonam* immediatè procedere: quia nõ ignoro perſonas realiter inter ſe diſtingui; ſed aſſumpto Hunnij fundamento, euidenter oſtendo per communicationem naturæ diuinę factam Filio; etiam communicatam eſſe paternitatem; quia natura diuina & paternitas realiter idem ſunt.

Perſonæ, inquis, *proprietates ſuas non communicant; eò quod proprietates perſonales, ſicut ipſæ perſonæ ſint incommunicabiles.* Fateor rem ita ſe habere: ſed ſtultitia magiſtri tui turbat id, quod eſt, vt reponat in diuinis id quod non eſt. Nam ſi quando duo realiter idem ſunt, communicato vno, neceſſe eſt etiam alterum communicari; perſpicuè ſequitur, Filio non ſolùm naturam diuinam, ſed & ipſam paternitatem à Patre fuiſſe communicatam.

Ait Mæuius: *Pater non communicat Filio eſſe diuinũ, quatenus relatè conſideratur, hoc eſt, non communicat pater patrię Deitatem hypoſtatico charactere patrię limitatam, ſed quatenus abſolutè conſideratur.* Non euadis, Mæui, quidquid moliaris. Nam paternitas idem realiter eſt cum natura diuina quomodocunq; naturam diuinam conſideres. Itaque ſi pronunciatum magiſtri tui verum eſt, neceſſariò conficitur, cõmunicatâ naturâ, communicari etiam formaliter paternitatem; quandoquidem paternitas realiter vnum & idem eſt cum natura diuina, ſiue illam conſideres abſolutè, ſiue cum reſpectu ad hypoſtaſin.

Porrò, *ſi*, vt ais, *Pater non communicat Filio Deitatem hypoſtatico patrię charactere limitatam*; quam ergo Filio communicat? Eſtne alia Deitas, præter illã, *quæ hypoſtatico Patrię charactere*, vt tu loqueris, *limitata eſt* communicat ergo illam ipſam naturam, quæ in hypoſtaſi Patris ſubſiſtit; etiam prout & quatenus in illa ſubſiſtit: nam *vt ſic* quoq; cõmunicabilis & ab hypoſtaſi Filij & Spiritus ſancti terminabilis eſt: eo modo quo, multorum iudicio, natura humana Socratis, ſubſiſtens in ſuppoſito Socratis, etiam, *vt ſic*, potentiam, ſaltem obedientialem habet; vt ab alia itidem hypoſtaſi terminetur.

Ais: *Perſonam eſſe incommunicabilem.* Ita eſt, ſi rem ipſam ſpectare velimus; at ex Hunniano pronunciato aliter ſtatuere debebimus; nimirum perſonam communicabilem eſſe; quia hypoſtaſis realiter non diſtinguitur à natura, quæ eſt communicabilis.

Pergis: *Deitas relatè ſumpta eſt perſona.* Eſtne Deitas cum reſpectu ad paternitatem ſeu Patris hypoſtaſin perſona? Nonne perſona ſignificat conſtitutum quoddã ex natura & gradu illo, quem perſonalitatem ſiue hypoſtaſin appellamus? Perinde facis ac ſi diceres: Humanitatem cum reſpectu & habitudine ad perſonalitatem Socratis, eſſe perſonam. Ais: *Deitas Patrię, Deitas Filij, Deitas Spiritus ſancti eſt perſona.* Aut igitur erunt tres Deitates realiter diſtinctæ; ſicut ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ: aut vna duntaxat erit perſona; ſicut vna ſolummodo eſt Deitas; ſi Deitas *relatè* ſumpta, hoc eſt, vt in Patre ſubſiſtit, eſt perſona. Elige quidquid lubebit, aut Tritheita, aut Sabellianus fies. Si perſonæ notio tibi nota eſſet, nunquam in hanc hallucinationem incidiſſes, quia natura etiam cum reſpectu ad hypoſtaſin nõ eſt perſona, ſed aliquid perſonæ: Ex illa enim & hypoſtaſi ſeu gradu perſonalitatis fit ſeu conſtituitur perſona. Itaq; Deitas Patris non eſt formaliter perſona; ſed Pater eſt perſona. Nec Deitas Filij eſt formaliter perſona; ſed Filius eſt perſona: Nec Deitas Spiritus ſancti eſt formaliter perſona; ſed Spiritus ſanctus eſt perſona: & quælibet harum trium perſonarum includit præter Deitatem ſeu naturam diuinam; hypoſtaſin ex qua ſimul & ex Deitate perſona conſtituitur.

Miſſo iam Mæuio ad Hunnium regredior: cuius argumẽtum fortaſsis aliquam vim haberet, ſi hypoſtaſis Verbi humanitati cõmunicata eſſet, vt ipſamet eſſet, aut fieret hypoſtaſis Verbi: tunc enim illud etiam communicaretur humanæ naturæ: quod cum hypoſtaſi idem eſſet; & ſic fieret humana Chriſti natura *omnipotens, omniſciens, omnipræſens*; & demum, quidquid attributorum de Filio Dei affirmatur. Cùm verò hypoſtaſis Verbi non cõmunicetur naturæ humanæ, vt ſit ipſamet hypoſtaſis Verbi, ſed tantum, vt per illam ſubſiſtat, vltimumq́ue complementum in latitudine ſubſtantiæ ab illa accipiat: nullo modo ſequitur id, quod Hunnius, & alij Vbiquiſtæ volunt; nempe etiam ipſa attributa diuina communicata eſſe humanitati; ita vt humanitas verè ſit illa; verè omnipotẽs, verè omniſapiens; ſed, ſi quid ſequitur, tantùm hoc ſequetur, quòd ſicut hypoſtaſis Verbi communicata eſt humanæ naturæ, vt per eam proximè, & immediatè ſubſiſtat, & incommunicabilis fiat: ita attributa diuina, quatenus realiter ab hypoſtaſi Verbi non diſtinguuntur, communicata ſunt naturæ humanæ; non, vt ſit illa attributa; hoc eſt, nõ vt ſit omnipotens, omniſciens; ſed, vt per illa *indirectè* ſaltem, *mediatè*, & *ſecundariò* ſubſiſtat; quatenus immediatè, & primariò ſubſiſtit per hypoſtaſin, realiter ab illis attributis nõ diſtinctam. Qua explicatione adhibita, euaneſcit & vanitas argumenti Hunniani, & inanitas commentitiæ contradictionis; quam Bellarmino logodædalus iſte affingebat: qui, de attributis diuinis ita hoc loco diſſerit; vt ne ipſe quidem, quid dicere voluerit, intellexiſſe videatur.

Obiicit Mæuius: *Si hypoſtaſis Verbi tantũ eſſet communicata humanitati, vt per eam ſubſiſteret; ſequeretur nihil differre inhabitationem Verbi in carne Chriſti à noſtri inhabitatione; ſed conſequens eſt falſum, ergo, &c.* Reſpondeo, ſequelam maioris eſſe Mæuianam, hoc eſt, nauci & nihili. Quam probat Mæuius. *Quia & nos in Chriſto Ieſu ſuſtentamur, in ipſo viuimus, mouemur & ſumus, Act. 17.* Sed num à Chriſto Ieſu ſuſtentamur hypoſtaticè, ſicuti natura humana ab ipſo aſſumpta? Num in ipſo viuimus, mouemur & ſu-

mus hypoſtaticè, ſeu per vnionẽ hypoſtaticam? Num noſtra natura caret propria hypoſtaſi, & ab hypoſtaſi Verbi terminatur? Aliud eſt ſuſtentari à Deo, tanquam à cauſſa vniuerſali conſeruante & fouente omnia, quæ condidit; aliud hypoſtaticè à perſona diuina depẽdere. Aliud eſt in Deo eſſe, viuere, moueri, vt in cauſſa omnia penetrante; & quæ omnibus non tantum virtute & effectu, ſed & eſſentiâ ſuâ intimè ſit preſens: Aliud in Deo *eſſe, viuere, & moueri* hypoſtaticè: nam hæc eſt ſumma & maxima vnio, cum Deo, qua maior nulla excogitari poteſt. Illa, omnibus viuentibus communis eſt.

Ait Mæuius: *Hypoſtaſin verbi ita communicatam eſſe naturæ humanæ, vt humanitas in λόγῳ vnione perſonali, non participatione, vel conuerſione eſſentiali, ſit hypoſtaſis, adeóque vna tantum perſona. Deus & homo Ieſus Chriſtus conſtituatur, & quia ita particeps facta hypoſtaſeos humanitas, participat quoque idiomata, & omnem plenitudinem Deitatis corporaliter.* Verba audio, præterea nihil; & quidem verba inerudita: nam natura in hypoſtaſi aliqua ſubſiſtens, non fit hypoſtaſis, ſed ex ipſa & ex gradu perſonalitatis conſtituitur hypoſtaſis ſeu perſona. Deinde ſi humanitas vnione perſonali vnitur verbo; qua ratione fieri poteſt; vt non participet hypoſtaſin Verbi? An vnio non eſt participatio? At fortè dicet; ſe loqui *de participatione eſſentiali*. Non reluctabor. Nec vtor regula Lutheri monentis, vt verba ambiguè loquentium contra ipſos interpretemur.

Num hinc non ſequitur, inquit Mæuius, *humanam naturam Chriſti in λόγῳ, & reſpectu vnionis conſideratam; eſſe verè omnipotentem, omniſapientem, omnipræſentem, etſi non naturaliter, non ſubiectiuè, non inhæſiuè, non eſſentialiter, tamen perſonaliter & realiter?* Habent hoc præ cæteris Nouatoribus Vbiquiſtæ, vt in aſſertionibus ſuis ſint lubrici & flexuoſi, eaque interdum proferant, quæ à vero abire non videantur. Cuius obliquitatis exemplum eſt Mæuius, qui ſi nil aliud vellet, quàm humanam Chriſti naturam eſſe omniſapientem, omniſciam, omnipræſentem, non in ſe, ſed in hypoſtaſi verbi; nil à ſana & orthodoxa doctrina abhorrens ſcriberet; quia hypoſtaticè & ſubſtantialiter vnitur verbo, cui omniſcientia & omnipreſentia competit: At non hoc tantum vult Mæuius, alioquin Vbiquiſtarum caſtris valediceret, ſed Chriſtũ, etiam ſecundum humanam naturam, eſſe omniſcium & omnipræſentem; non *inhæſiuè*, inquit, & *ſubiectiuè*, ſed *perſonaliter & realiter*.

Quæſo te, ſi natura humana Chriſti verè & realiter eſt vbique; vt vos contenditis, an illa *Vbiquitas* ſeu omnipræſentia non eſt *inhæſiuè* & *ſubiectiuè* in humana Chriſti natura? An Vbiquitas, reſpectu humanitatis, non eſt accidens? Si eſt accidens, oportet ergo, vt in natura humana *inhæſiuè* inſit? Impoſsibile enim eſt, vt aliquid ſit vbique per aliquid, quod extra ſe eſt; ſicut etiam impoſsibile eſt; vt aliquid vel in vno loco exiſtat per aliquid, quod extra ſe eſt. At cum Vbiquiſtæ velint, humanam Chriſti naturam eſſe præſentem vbique per ipſam omnipræſentiam Verbi; hanc autem animaduertant non poſſe *ſubiectiuè* vel *inhæſiuè* in humana Chriſti natura ineſſe; hinc iſta vocabula refugiunt; & ad illa ſua *perſonaliter* & *realiter*, tanquam ad tuta quædam latibula, confugiunt. Sed quidquid tentent, nunquam ex pedicis iſtis ſeſe expedient: quia ne cogitari quidem poteſt aliquid formaliter eſſe vbiq; per aliquid, quod *ſubiectiuè* ſeu *inhæſiuè* in illo non inſit; quemadmodum impoſsibile eſt, vt quis vel in vno loco formaliter per aliquid extra ipſum, exiſtat. Itaque non humana natura; ſed Chriſtus homo eſt omnipotens, omniſciens, omnipræſens, &c.

Ait Hunnius theſi 68. *Si omnipotentia (& eadem eſt ratio aliorum attributorum diuinorum) conſideretur abſolutè, vt eſt toti Trinitati communis; non quidem re differt à ſingulis perſonis, ſed tamen ratione; conſiderata verò relatè in perſona Filij, nec ratione differt quidquam à Filij hypoſtaſi. Ita, vt ſi quis quærat, quid eſt λόγος in ſua hypoſtaſi? rectè reſpondeatur; eſt potentia Patris genita, eſt ſapientia Patris genita. Prouer. 8.* En acumen Hunnianum tanta tantæ imperitiæ nebula ſeſe implicans, confundens, iugulans. Quod, vt magis appareat, quærendum eſt ex Hunnio, quid per *attributa diuina*, quid per illud, *relatè in perſona Filij* intelligat? Nam ſi loquitur de ſapientia, omnipotentia, infinitate, & cæteris attributis diuinæ eſſentiæ, ſeu naturæ communibus, & abſolutis, prout præcisè conſiderantur in perſona Filij ineſſe; abducta mente ab hoc, quòd etiam in perſona Patris, & in perſona Spiritus ſancti inſunt: tunc non niſi inſipienter, & ſtolidè negat hæc attributa ab hypoſtaſi Filij ratione diſtingui: quia illa diſtinguuntur ſaltem ratione; quæ diuerſas formales rationes habent; ſapientia, omnipotentia, & alia attributa diuina etiam ad perſonam Filij relata, habent diuerſas rationes formales & notiones: alia eſt enim ratio, & notio ſapientiæ; alia, potentiæ; alia, infinitatis; alia, æternitatis; & alia hypoſtaſeos, ſiue perſonæ ſeu perſonalitatis: ergo ſapientia, aliaque attributa; & hypoſtaſis, ſeu perſonalitas, ratione ſaltem à ſe mutuò diſtinguuntur.

Secundò abſolutum, & reſpectiuum, in diuinis diſtinguuntur ratione: ſapientia, potentia, & reliqua attributa, etiã relatè ad Filium, ſunt aliquid abſolutum: hypoſtaſis autem, ſeu perſonalitas, aliquid reſpectiuum; diſtinguuntur ergo inter ſe ſaltem ratione. Deniq;, ſi propter reſpectum illum ad Filium proprietates eſſentiæ diuinæ ratione non diſtinguuntur ab hypoſtaſi Filij, tunc nec ipſa eſſentia ratione diſtinguetur ab hypoſtaſi Filij, ſi conſideretur præcisè prout in Filio ineſt; quia eadem eſt ratio, quo ad hoc, eſſentiæ, & proprietatum abſolutarum.

Quod ſi Hũnius per proprietates *relatè* in perſona Filij conſideratas, non intelligat proprieta-

tes abſolutas, quæ cum natura & eſſentia diuina in hypoſtaſi Filij ſubſiſtunt; ſed *reſpectiuas*, more Vbiquiſtis, vt videtur, iam vſitato: tunc iterum ineptè, & indoctè agit. Vt enim daremus, infinitatem, ſapientiam, omnipotentiam, & id genus alia attributa, relatiuè quoque ſumi; neceſſariò tamen ratione ab hypoſtaſi diſtingui deberent: nam ratio hypoſtaſeos eſt, vt per eam natura incommunicabiliter & completè intra latitudinem ſubſtantiæ exiſtat: quæ certè ratio, notioni *ſapientiæ*, verbi gratia, aut *potentiæ* nequaquam competit.

Deinde, ſiue hoc, ſiue priore modo Hunnius attributa ſumat, non ideo obtinebit id, quod ſibi propoſuit. nam prædictam attributorum diuinorum diſtinctionem adducunt Vbiquiſtæ; ne fateri cogantur, ipſa etiam attributa abſoluta, toti ſanctiſsimę Trinitati communia, naturæ humanæ Chriſti communicata eſſe; & ſic, non tantum Filium, ſed Patrem quoque, & Spiritum ſanctum hominem aſſumpſiſſe. Hoc enim effugium ipſo Hunnij argumento euerti poteſt ad hunc modum: Quando ea, quæ realiter idé ſunt, communicantur; tunc, communicato vno, communicantur etiam alia; ita enim argumentatur Prædicans contra Bellarminum: ſed potentia, ſapientia, & alia attributa realiter idem ſunt cum hypoſtaſi & inter ſe; ſiue conſiderentur abſolutè, vt ſunt toti Trinitati cõmunia, ſiue relatè ad hypoſtaſin Filij, prout in illa proprietates iſtæ abſolutè conſiſtunt: ſiue conſiderentur cum Vbiquiſtis non abſolutè, ſed reſpectiuè, eo modo, quo ipſa hypoſtaſis reſpectiua eſt; ergo, ſi, vt Prædicãti placet, attributa iſta relatè ſpectata, ſeu vt relatiua ſunt, humanæ naturæ communicata ſunt, etiam communicata erunt, prout abſolutè ſpectantur, &, vt toti Trinitati ſunt communia: quandoquidem inter ſe, & cum hypoſtaſi vnum prorſus, & idem ſunt.

Ad hæc, licet in perſona Filij conſtitueremus ſapientiam, omnipotẽtiam, & alia attributa planè propria, & perſonalia Filio, &, ne ratione quidem ab hypoſtaſi Filij diſtincta; non tamẽ ſequeretur id, quod Vbiquetarij volunt: nempe, ipſam quoq; naturam humanam in ſe, & ſecundum ſe, eſſe omnipotentem, omniſapientem, omnipræſentem, infinitam. nam hæc non aliter communicarẽtur naturæ humanæ, quàm ipſa hypoſtaſis infinita, & omnipręſens: hęc autem non ita communicatur naturæ humanæ, vt per eam natura humana fiat in ſe & ſecundũ ſe infinita; ſed vt per eam incommunicabiliter ſubſiſtat: ergo eodem modo communicarentur humanæ naturæ proprietates, ſi quæ huiuſmodi relationes in hypoſtaſi Filij eſſent; videlicet, vt immediatè, primò, & per ſe humana natura ſubſiſteret per hypoſtaſin; ſecundariò autem, per huiuſmodi proprietates. Quæ communicatio nobis non magis officeret, quàm nunc officiat communicatio proprietatum abſolutarum; per quas, natura humana ſaltem ſecundariò ſubſiſtit, hoc ipſo, quod realiter non diſtinguuntur ab hypoſtaſi: per quam, natura humana primariò, & immediatè ſubſiſtit.

Quod autem quętenti, quid eſt λόγος in ſua hypoſtaſi? non incommodè reſpondetur; eſt *potentia Patris genita*; eſt, *ſapientia Patris genita*, id fit, non quod hypoſtaſis formaliter ſit ſapientia, aut potentia; ſed, quia identicè. Et huc fortaſsis reſpexerunt Doctores illi, qui hoc loquendi modo vſi ſunt: vt, S. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 14. & Magiſter Sentent. lib. 1. diſt. 32.

Hanc meam contra Hunnium diſputationem ſolitis thraſoniſmorum, inſcitiæ & impudentiæ ſpiculis oppugnat Mæuius; ad primum reſpondet: *Tribus verbis confodiam hoc elumbe argumentum: diſtinguendo idiomata diuina, quatenus intra perſonam ſint ἐνεργείᾳ, & quatenus in perſona ad extra reſpectu ἐνεργημάτων conſiderantur. Priori modo, certum manet, ne ὁμολογουμένῳ quidem, & ratione diſtingui. Sic enim ſimpliciſsima ſimplicitas idiomatum confunderetur. Poſteriori modo concedimus attributa etiam relatè in perſona Filij ratione differre. Iam quia nos de priori modo diſſerimus, Suita verò de poſteriori, palàm conſtat, eum Andabatarum more pugnare, & ſcopas diſſolutas argumenti loco proponere.*

O ſtultitiam Prędicanticam. An æternitas Dei, v. g. vt eſt in Deo, & ſapientia ſimiliter, vt eſt in Deo, ratione non diſtinguuntur? Quis ratione præditus hoc affirmet? Quis inficias eat; qui intelligat, quid ſit diſtinctio rationis? Num hypoſtaſis ſeu perſonalitas in diuinis nõ diſtinguitur ratione à natura, & hæc ab illa; licet eam abſq; vllo ordine & reſpectu ad effectum externum conſideremus?

At Mæuius ſtolidè veretur, ne diſtinctio rationis ſimplicitati diuinæ officiat. Quaſi verò ex diſtinctione rationis multiplicitas ſeu compoſitio exſurgat: Quaſi verò natura diuina nihilominus ſimpliciſsima & omnis cõpoſitionis expers non maneat: quę diſtinctionem rationis ideo admittit; quia licet realiter ſit vna quędam & ſimpliciſsima *entitas*, virtute tamẽ eſt multiplex, atq; adeo infinitis realiter diſtinctis æquipollet: propterea diuerſos conceptus fundat; deq; illa ipſa vna eademque re ſub diuerſis rationibus idem affirmatur & negatur abſq; vllo contradictionis vitio.

Mentitur autem Męuius, quando ſcribit Hunnium dicere, *diuina attributa priori modo ne ratione quidem à ſingulis perſonis diſtingui*. nam, vt ex Theſi eius 68. patet; diſertè concedit omnipotentiam abſolutè ſpectatam, vt eſt toti Trinitati communis, *ratione* à perſonis diſtingui: nõ autem diſtingui ratione *prout refertur ad perſonas*. Et hoc longè aliud eſt, quàm quod nobis apponit Mæuius, qui vt inſipientiam ſui doctoris tueatur, ad effectus externos noua, & Hunniano ſenſui contraria ſtoliditate ſeſe recipere coactus eſt.

Secundum argumentum citius & facilius diſſoluit Mæuius quam vulpes *pyrum comeſt. Diſſecabimus acyus & hunc ignorantiæ Gretſeriana nodum*, inquit Mæuius. Adeſte igitur linguiſque fauentibus *diſſectionem* adeò expeditam Lutherani ſectoris ſpectate. *Perſona à perſona in Trinitate non tantùm differt ratione, ſed realiter.* Quis hoc negat? Perge: *Abſolutum verò & reſpectiuum, ſiue quod idem, eſſentia abſolutè, & perſona relatè, ratione differunt: non verò eſſentia relatè, & perſona relatè. Hæc enim duo non ſunt diuerſa.*

A At eſſe diuerſa; ſed ratione; tam eſt liquidum, quàm quod liquidiſsimum. Nam eſſentia diuina etiam *relatè*, vt iſti loquuntur, hoc eſt, cum ordine & habitudine ad perſonam Filij, verbi gratia, alium menti conceptum imprimit ac ingenerat, quàm hypoſtaſis; quis enim tam bardus eſt, præter iſtos, qui diffiteatur, alium eſſe formalem conceptum eſſentiæ diuinæ, etiam cum reſpectu ad certam perſonam; & alium perſonę ſeu hypoſtaſeos? Diſtinguuntur ergo ſaltem ratione; nam ad hanc ſatis eſt diuerſitas formalium conceptuum, fundata in vna quidem realiter entitate; virtualiter autem multiplici.

B Subdit Mæuius: *Sapientia, omnipotentia, &c. Filij, quatenus in Filio relatè, & hypoſtatikῶc conſiderantur, non ſunt eſſentia abſoluta, ſed eſſentia relata: adeóque ab hypoſtaſi Filij nihil diuerſum: ergo non differunt. Alioquin in ſancta Trinitate quaternitas, & in qualibet perſona diuinitas introduceretur. Quod tam certum eſt, quam quod certiſsimum.*

C Hæc tua tam ſtulta ſunt, quàm quæ ſtultiſsima, nec *quaternitatem* duntaxat, ſed longè copioſiorem numerum in diuinis ſacrilegè conſtituunt: duas enim fingit imperitus Mæuius eſſentias, alteram, *abſolutam*; alteram, *relatiuam*; & duplices vtriuſque proprietates. Quæro te; an non illa eadem eſſentia, quæ eſt in Filio, eſt etiam in Patre & Spiritu ſancto? An non hæc eſſentia abſoluta eſt; etiam vt exiſtit in Filio? Nam inexiſtentia in hypoſtaſi non facit, vt res abſoluta deſinat eſſe abſoluta; alioqui nulla ſubſtantia in ſuppoſito exiſtens abſoluta eſſet; ſed reſpectiua ſeu relatiua efficeretur hoc ipſo, quod in ſuppoſito exiſteret. Quis autem dicat hominis, verbi gratia naturam in Petro exiſtentem, non eſſe abſolutam, licet habitudinem quandam ad ſuppoſitum annexam habeat?

D Quis vnquam extra Hunnianam & Mæuianam ſcholam audiuit; duplicem eſſe in diuinis eſſentiam; alteram, *abſolutam*; alteram, *relatiuam*, quarum quælibet ſuas habeat proprietates; ſitque alia omnipotentia eſſentiæ abſolutæ, & alia, eſſentiæ relatæ? Quantus item ſtupor, dicere: *Eſſentiam diuinam, vt in Filio exiſtit, nihil eſſe diuerſum ab hypoſtaſi Filij, ne ratione quidem.* Quantus ſtupor, dicere; *quaternitatem in diuinis introductum iri, ſi quis eſſentiam in Filio ſubſiſtentem, ab hypoſtaſi Filij ſaltem ratione diſtinguat?* Quàm luculenta inſcitiæ ſuæ argumenta edit vbique iſte Hunnianus agaſo? qui mox ſtultitiam ſuam repetit, palam clamitans, nec eſſentiam, nec eſſentiæ attributa ratione ab hypoſtaſi Filij diſtingui, ſi conſiderentur præciſè prout in Filij hypoſtaſi ſubſiſtunt. Qua imperitia vix maior fingi poteſt; perinde enim eſt, ac ſi quis fatuè contenderet naturam humanam, eiusque proprietates, prout ſubſiſtunt in hypoſtaſi Socratis, ne ratione quidem ab hypoſtaſi Socratis diſtingui.

Ex hac ruditate proceſsit etiam, quod Mæuius ſcribere non veretur, *eſſe in diuinis vnam naturam, ſiue eſſentiam diuinam in ſe & abſolutè conſideratam: tres verò naturas hypoſtaticè ſumptas.* Quis Catholicus vnquam dixit, *tres eſſe in diuinis naturas ſeu eſſentias etiam hypoſtaticè conſideratas*; quia in tribus hypoſtaſibus diuinis non niſi vna eſſentia ſeu natura exiſtit; nec niſi vna in tribus ſuppoſitis exiſtere, verè conſiderari poteſt. Quis item Catholicus vnquam protulit vel probauit hanc Mæuianam propoſitionem? *Diuina natura ab æterno eſt genita. Quia diuina natura nec generat, nec generatur*, ſed Filius generatur.

Ait Mæuius. Hæc propoſitio. *Diuina natura generatur*; æquiualet huic; *Filius generatur.* Quis hoc affirmat, niſi ineptus Mæuius? Nam Filius non eſt adæquatè, vt ſic loquar, natura diuina; ſed hypoſtaſis in natura diuina ſubſiſtens; ſiue conſtitutum quid ex natura diuina & hypoſtaſi. Quæſo te, Mæui, eſtne natura diuina Filius? Quales item hæ duæ propoſitiones? *Pater eſt natura diuina generans.* Generatne diuina natura? *Spiritus ſanctus eſt natura diuina procedens.* Proceditne natura diuina in diuinis? Quale inſuper monſtrum; *omnipotentiam Patris & Filij non eſſe quidem aliud atque aliud τῇ οὐσίᾳ, eſſentia; eſſe tamen aliam atque aliam τῇ ὑποστάσει, ſuppoſito ſeu perſonâ.* Multiplicatur ergo indiuidualiter, quia aliam atque aliam fieri ſuppoſito ſeu perſona; fieri non poteſt abſque indiuiduali multiplicatione. Si multiplicatur, hoc eſt, alia atque alia indiuidualiter ſit omnipotentia, (& eadem eſt aliarum proprietatum abſolutarum ratio) ergo etiam ipſa eſſentia ſeu natura diuina fit hypoſtaſi alia atque alia; atque adeo multiplicatur.

Dices. Te non aſſerere, eſſe aliam atque aliam naturam in ſe, ſed ſuppoſito, ſeu in ſuppoſito; ſicut ſi idem numero accidens pluribus diuerſis numero ſubiectis inhæreret; aliud atque aliud fieret, ſed non in ſe, ſed in ſubiecto: ſic & in oppoſito. Reſpóndeo; propter ſolam multiplicationem ſuppoſitorum vel ſubiectorum non rectè dici, eſſe aliam & aliam naturam; ſeu aliud & aliud accidens: quia eſt vna & eadem natura; vnum & idem numero accidit. Quemadmodum ſi Petrus pluribus in locis exiſteret; non eſſet alius & alius locali exiſtentiâ, ſed eſſet vnus & idem pluribus locis exiſtens.

Ad monſtra Mæuiana refer & hoc. *Omnipotentiam Filij realiter differre ab omnipotentia Patris.* Si omnipo-

nipotentia Filij realiter differt ab omnipotentia Patris, tunc etiam natura Filij realiter differet à natura Patris; quia ſi Filius, eandem numero naturam cum Patre haberet; haberet etiam eandem numero proprietatem naturæ, quæ eſt *omnipotentia*: At non habet eandem numero, *ſed realiter diſtinctam*, vt ait Mæuius. Ergo nec habet eandem naturam; ſed realiter diſtinctam. Si Filius habet omnipotentiam realiter diſtinctam ab omnipotentia Patris, vbi manebit illud ſymboli Athanaſiani? *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus: & tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.* Qua porro inſcitia & audacia omnipotentiam Filij realiter diſtinguit ab omnipotentia Patris; eadē cætera quoque diuinæ naturæ attributa; vt *æternitatem, ſimplicitatem, infinitatem, ſcientiam*, &c. prout ſunt in Filio realiter diſtinguet ab attributis naturæ, vt ſunt in Patre; vt tandem totum ſanctiſsimæ Trinitatis myſterium labefactetur vel potius imis ex fundamentis ſubruatur.

Ait Mæuius; *Idiomata ſeu attributa diuina naturæ eſſe idem cum hypoſtaſi, non abſolutè, ſed relatè.* Quo plura Mæuius garrit; eo euidentius craſſam ruditatem ſuam patefacit. Nam vt eſſentia diuina, ſiue abſolutè conſideretur, ſiue cum habitudine ad hypoſtaſin, realiter vnum & idem eſt cum hypoſtaſi; ita & proprietates eſſentiæ realiter vnū & idem ſunt cum hypoſtaſi, ſiue abſolutè ſpectentur, ſiue cum reſpectu ad hypoſtaſin; vel aude, pro tua inſcitia & audacia, naturam diuinam & proprietates eius abſolutè ſumptas realiter ab hypoſtaſi ſecernere, vt tandem impietatis monſtrum quod parturis, apertè parias, & in lucem exponas.

Admodum indignatur, quod dixi, Vbiquiſtas naturam humanam Chriſti in ſe & ſecundū ſe omnipotentem, omniſciam & omnipræſentem ſtatuere. Clamat Mæuius. *Quis vnquam ex noſtris hoc dixit? ſcripſit? Oſtende, ſi bonus vir es, Gretſere; ſi verò non potes, pudeat te tantæ temeritatis.* Ne ſæui, magne Superintendens. Quando dixi, naturam *in ſe & ſecundum ſe* à vobis omnipotentem & omnipræſentem ſtatui, minimè volui, naturam ex ſe & per ſe hæc attributa habere; veſtro iudicio; ſed habere in ſe & ſecundum ſe ſubiectiuè & inhæſiue prædicta attributa: Etſi enim tu hos terminos ſupra excluſiſti; non excludi tamen debere, probatur primò ex Vbiquitatis architectis Brentio & Smidelino, qui hanc communicationem diuinorum idiomatum talem eſſe volunt, qualis eſt illa, qua principale agens ſuo inſtrumento virtutem ſuam, vim & efficacitatem communicat; ſed inſtrumento ſubiectiuè & inhæſiuè cōmunicatur virtus principalis agentis; ergo & naturæ humanæ ſubiectiuè & inhæſiuè communicantur diuinæ proprietates, ſi talis inter hypoſtaſin Verbi & naturam humanam eſt vnio, & talis etiam attributorum communicatio, qualis inter principale agens & inſtrumentum. Vide Bellarminum cap. 8. Nec refert, quod Vbiquiſtæ clamant, *diuina attributa non egredi ſuum ſubiectum; manere omnia in diuina natura; communicari tantùm per accidens naturæ humanæ*; & id genus alia; quia non eſt Vbiquiſtis inſolens antilogias & contradictiones vel apertas vel occultas texere. Nam ſi humana natura per ipſam omnipræſentiam diuinam vbique exiſtit; vt ſomniant Vbiquiſtæ; oportet, omnipræſentiam illam ineſſe in natura humana in ſe & ſecundum ſe; quia ipſa in ſe & ſecundum ſe, hoc eſt, ſecundum entitatem ſuam vbique exiſtit; Eſt enim impoſsibile, vt natura humana exiſtat vbique, ſine omnipræſente exiſtentia in ſe inhærente; ſicut impoſsibile eſt vt homo in vno etiam loco exiſtat ſine exiſtentia locali ſibi inhærente, & quicunque dicunt hoc fieri per alienam & extrinſecam præſentiam ſeu exiſtentiam, illi eodem iure aſſerent; *parietem poſſe eſſe album per albedinem ſibi nō inhærentem.* Idem dico de omnipotentia & omniſcientia aliiſque huius generis attributis.

At Vbiquiſtæ palam teſtantur attributa diuina non egredi ſuum ſubiectum. Quem moueat hæc teſtificatio, cum ab iiſdem ſtatim euertatur, dum docent, naturā humanam *eſſe vbiq; per ipſam omnipræſentiam & Vbiquitatem diuinam.* Si hoc ita eſt; oportet igitur Vbiquitatem diuinam in naturam humanam ita transfundi, vt ei inſit; quia exiſtentia in loco neceſſariò ineſſe debet, ei quod exiſtit in loco.

Accuſat Bellarminus hoc libro tertio, cap. 1. Brentium Neſtorianiſmi, ob has, & ſimiles phraſes; *Deus, aut Filius Dei vnuit ſibi hominem; ſeu Filium hominis perſonaliter: omnipotentiam ſuam Filius Dei in incarnatione contulit in Filium hominis.* Obiicit Hunnius, Theſi 71. & ſeq. *Si Brentius ſit Neſtorianus ob hos loquendi modos, etiam Thomam Aquinatem fore Neſtorianum, cuius hæ ſint loquendi formulæ; Filius Dei, Virginis Filio: Deus, homini; diuinitas carni contulit, quod ſemper ipſe cum Patre poſſedit*: Citatque S. Thomam in Catena aurea ſuper Euangeliſtas. Sed, quo loco Catenæ Prædicans? Grandis eſt illa Catena: cur caput, cur paginam non denotas, vt par erat? nam, vt tibi S. Thomam proferenti fidem habeamus, non inſpecto ipſo ſancti Doctoris contextu; id, tu à nobis numquam impetrabis. Non iniuria ergò reſponſum differre poſſem: quandoquidem, ſi reſpondeam, fortè non tam ad modum loquendi S. Thomæ; quàm, ad tuum mendacium, aut fucum reſponſurus ſum: quod vt ſuſpicer, facit in primis Hunnianus genius ex fraudibus & impoſturis totus conſutus.

Secundò, genius ſancti Thomæ; qui in verbis tam cautus, & religioſus fuit; vt ſcripſerit 3. parte, q. 16. a. 8. *Nos neque nomina debere habere communia cum hæreticis: ne, eorum errori fauere videamur.*

Tertiò; quia, ſi verba illa in illa Catena reperiuntur; fortè, non ſunt S. Thomæ, ſed alterius, quem citat; cum propemodum tota illa Catena ex alienis verbis, & ſententiis ſit conflata. Sed ſi

ſunt S. Thomæ; dicimus ea eſſe interpretanda ex ſancti Thomæ, non ex Hunnij mente. nam, quod hoc loquendi modo cauſam Neſtorij agere non voluerit, colligimus, cum ex ipſa Catena, in qua ſæpius Neſtorij veſania redarguitur: tum, ex libro quarto contra Gentes cap. 34. vbi accuratiſsimè contra Neſtorij hæreſin diſſerit: tum ex tertia parte paſsim in quæſtionibus de Incarnatione; præcipuè, q. 2. a. 2. & q. 4. a. 3. & q. 16. a. 7. vbi negat propoſitionem iſtã propriè loquendo, veram eſſe: *Homo, factus eſt Deus.* Sicut ergò Patres quoſdam piè explicamus; cùm dixerunt; *Filium Dei aſſumpſiſſe hominem*: ex quorum numero ſunt, S. Cyprianus, S. Auguſtinus, S. Hilarius; (Dicunt enim, vt ipſe S. Thomas docet 3. p. q. 4. a. 3. ad 1. hominem eſſe aſſumptum; quia, eius natura eſt aſſumpta; &, quia aſſumptio terminata eſt ad hoc, vt filius Dei ſit homo:) ita etiam dictum illud ex Catena non extendi; ſed in bonam partem accipi debet; vt ſenſus ſit; Filium Dei, qui aſſumpta humanâ naturâ factus eſt Filius Virginis, Deumque homini, cuius humanam naturam aſſumpſit; & diuinitatem carni contuliſſe: quod ſemper ipſe cum Patre poſſedit, contuliſſe inquam; non, vt humana natura eſſet Verbum diuinum, omnipotens, æternum, immenſum, ſed, vt per Verbum diuinum primariò ſubſiſteret; & ſecundariò etiam per Verbi diuini attributa realiter ab hypoſtaſi Verbi non diſtincta: Et vt attributa diuinæ naturæ in concreto ſumpta; etiam de natura humana itidem in concreto ſumpta enunciari queant. Hic homo eſt Deus, immenſus, infinitus, &c.

Quocirca nullius momenti eſt iſte tuus ſyllogiſmus: *Quisquis vtitur eo loquendi genere, quod à Ieſuita in Brentio reprehenditur, ille eſt Neſtorianus: Thomas Aquinas in Catena aurea ſuper Euangeliſtas vſus eſt eo loquendi genere, quod in Brentio reprehendit Ieſuita. Eſt ergò Neſtorianus: & per conſequens, errauit Papa, Neſtorianum Doctorem referendo in numerum Diuorum.* Reſpondeo, maiorem ſimpliciter eſſe falſam. Nam ad hoc, vt Neſtorianus ſit, oportet vt vtatur illo loquendi genere eo animo, & ſenſu, quo vſus eſt Brentius: nam ſola verba, non faciunt hæreticum: At Brentius, non autem S. Thomas vſus eſt illo loquendi genere, eo ſenſu, quo Neſtorius; ergò Brentius, non S. Thomas eſt Neſtorianus, & Neſtorianiſmi meritò à Bellarmino inſimulatur. Minor de Brentio perſpicuè patet ex Brentij verbis à Bellarmino recitatis: quæ, adeò ſunt Neſtoriana, vt magis Neſtoriana non eſſent, licet ab ipſo Neſtorio prolata fuiſſent. Nec eſt, quod quis piè interpretari conetur verba Brentij; nam impij Verba, non ſunt piæ interpretationis capacia. Nec poteſt cum ratione Brentium à Neſtorianiſmo abſoluere; quisquis cogitat, Vbiquiſtas, Eutychianiſtas, & Neſtorianiſtas contribules, imò fratres eſſe. Et quamuis olim duæ illæ hæreſes, Neſtoriana & Eutychiana, cenſerentur penitus oppoſitæ; noſtri tamen Vbiquiſtæ tam ſciti ſunt & belli fabri, vt etiam oppoſitas hæreſes in vnam Vbiquiſticam conflare norint. Eadem minor patet, quod attinet ad S. Thomã, ex omnibus locis ſupra ex operibus S. Thomæ adductis: euidenter enim docent, quę fuerit eius mens, ſi quando dixit; *Filium Dei aſſumpſiſſe hominem; aut, diuina ſua dona homini contuliſſe.*

Verùm, vt omnes intelligant, quàm præco iſte ſit egregius argumentator, proponamus nos alium ſyllogiſmum; Hunniano per omnia gemellum: *Quiſquis vtitur eo loquendi genere, quod Catholici reprehendunt in Arianis; ille eſt Arianus: Multi ex ſanctis Patribus vſi ſunt eo loquendi genere, quod in Arianis Catholici reprehendant; ergo multi illi ex ſanctis Patribus ſunt Ariani; & per conſequens, errauit Papa, & tota Eccleſia, Arianos Doctores referendo in numerum Diuorum.* Minor patet; quia multi ex ſanctis Patribus dixerunt; *Chriſtum eſſe creaturam.* quo tamen nihil frequentius Arianis in ore; vt cæteras peſtes taceam. Vide S. Thomam. 3. p. q. 16. Quam igitur ſolutionem tu dares ad hunc ſyllogiſmũ, ſi veram dares, eandem accommoda ad tuum; & calumnias, quas in S. Thomam, Bellarminum, & Pontificem hîc iactas, reſorbe: ſeptenaſque Theſes, tanquam nauci, & nihili annihila: vt eo illuſtrior, & lucidior ſit tuus Labyrinthus, quo paucioribus mendaciorum dumetis obſtruitur.

Quid ad hæc Mæuius? Primò, non indicat locum Catenæ, quamuis id poſtulauerim. *Paginam Gretſerus numeret, cui ſcripta Thomæ notiora eſſe debent,* inquit. Locum notare eſt eius, qui aliquem auctorem citat; ſi bona fide agere velit. Catenam S. Thomæ citauit tuus Magiſter, non ego; illius ergo erat, non meum, nominare Catenæ locum, & ſi ita vis, etiam paginam. Et quia tu defenſionem Hunnij ſuſcepiſti; par erat, vt poſtulato meo ſatisfaceres; vt diſpiceremus, quo candore à tuo magiſtro S. Thomas productus ſit. Sed tu omnia potius; præter id, quod agendum, agis; ita vt ſuſpicari cogar, te S. Thomæ Catenam nunquam vidiſſe.

Ais: *Ex ſola phraſi neminem poſſe vel debere Neſtorianiſmi damnari.* At Lutherus in iudicio de Eraſmo contrarium docet; vt ſupra in defenſione Præfationis Bellarminianæ vidimus. Deinde, qui incautè & improuidè loquitur, excuſationem meretur, ſi alioqui ſit ſanæ, bonæ & ſinceræ mentis; quæ nec Brentio, nec vlli Brentiano vnquã fuit. Hoc ipſo enim, quod *Vbiquitatem* introduxerunt; ſocietatem cum Neſtorio & Neſtorianis, cumq; Eutyche & Eutychianis, quamuis aduerſa fronte inuicem pugnantibus, inierunt; neque Brentius illis loquendi modis ex incuria inculpata, ſed ex malitia & nequitia *Vbiquiſtica* vſus eſt. Quocirca extra ſpem veniæ relinqui debet; & cum *Neſtorianè* vel *Eutychianè* loquitur, ſimpliciter vt Neſtorianus vel Eutychianus condemnandus eſt ex præſcripto Lutheri in ſæpe iam nominato de amphiboliis Eraſmicis Iudicio.

Mentitur Mæuius *S. Petrum eodem modo locutum*

Matth.16. *Cum filium hominis pronunciauit eſſe Filium Dei viui.* Nam Chriſtus verè eſt Filius hominis, verè item eſt Filius Dei. Quid hæc ad illa Brentiana? *Filius Dei aſſumpſit hominem. Filius Dei eſt in Filio Mariæ. Filius Dei implet Filium Mariæ*; quæ omnia ita ſonant, quaſi alius ſit Filius Dei, & alius Filius Mariæ; quod minimè indicat, qui Chriſtum Filium hominis, & Filium Dei affirmat; non enim duos innuit, ſed vnum eundemque numero Filium, cui ſecundum humanam naturam competit, vt ſit Filius hominis; ſecundum diuinam, vt ſit Filius Dei.

Ait Mæuius; *Brentium egregiè contra Neſtorianos depugnaſſe; ac proinde Neſtorianiſmi infimulari non debere.* Ita profectò contra Neſtorium & Eutychen pugnauit, vt non dubitem; quin ei nunc apud inferos, pro opera tam bene nauata, debitas gratias agant; & ex animo optent; huius generis plures oppugnatores ſectæ & ſectatoribus ſuis obuenire.

Ad geminum illum tuum verſiculum:

Sit malus Interpres, tum nil bona verba iuuabunt;
Sit bonus Interpres, tum nil mala verba nocebunt:

reſpondebit Lutherus ex ſuo de Eraſmo iudicio: *Si iſta licentia regnet*, (& ſi iſti verſiculi audiendi ſunt) *poſſem ego*, (imo & deberem) *omnia commodè interpretari. quæcunq; vnquam omnes hæretici dixerunt, denique quidquid ipſe Diabolus fecit, dixit, aut dicere & facere poſſit in æternum.* Hoc quis ferat? Ergo ꝙ Lutherus de Eraſmo, hoc nos applicemus Brentio. *Cum dicit* Eraſmus *Petrum Chriſtum appellat virũ, Deum tacet;* (& Brentius, *Filius Dei aſſumpſit hominem. Filius Dei eſt in Filio Mariæ. Filius Dei implet Filium Mariæ*) *damnandus eſt Ariana* (Neſtorianæ) *ſententiæ & hæreſeos; quia potuit hoc inſidioſum verbũ in re ſumma maieſtatis diuinæ omittere, vel religioſius loqui. Hæc enim Arianũ* (& Neſtorianis) *verba* (& effata) *fortiter ſignificant, non placere, Chriſtum Deum dici* (eundemq; Filium Dei & Filium Deiparæ) *meliusq; eſſe duntaxat virum eum appellare* (& duas perſonas in Chriſto ſtatuere) *vtcunq; poſſint commodè vel incommodè interpretari pro diuinitate* (& vna perſona) *Chriſti, tamen vt poſita ſunt & ſonant, præſertim ſuſpecto auctore, offendunt Chriſtianas mentes: quia non habent vnum & ſimplicem ſenſum, & pronius intelliguntur pro Arianis* (Neſtorianis) *quàm pro Orthodoxis.*

Docet Bellarminus, lib. 4. de Chriſto cap. 1. Chriſti animam, ab ipſa ſua creatione fuiſſe repletam ſcientia, & gratia, ita vt nihil poſtea didicerit, quod antea neſciuerit. *Ex hoc*, inquit Prædicans, Theſi 78. & ſeq. *demonſtrabimus Ieſuitam, nolit velit*, (en quanta potentia Prædicantis) *idiomatum diuinorum communicationem humanæ Chriſti naturæ concedere, ni proprias ſuas hypotheſes diruere velit, & euertere.* Intentis igitur auribus, & oculis adſtemus, vt audiamus & videamus, quo artificio rem tanti ponderis, tanti promiſſor hiatus perficiat. *Præſcire futura eſt ſolius Dei, Iſaiæ 41.* Item, *aſpicere tacitos gemitus, ſuſpiriaq; cordium, 1. Reg. 8. Aut ergò Ieſuita ſuum de animæ Chriſti tractatum deleat; aut increatæ ſapientiæ Verbi realem κοινωνίαν animæ Saluatoris attribuat: cumq; ſapientia increata Verbi, & omnipotentia eius, ſimpliciſſimè ſint vnum quid; hanc quoq; communicatam ei ſtatuat, omniaq; ſua argumenta, quibus diuinorum idiomatum communicationem oppugnauit, agnoſcat eſſe falſa, & ἀναίτια.*

Reſpondeo; ſolius Dei eſſe, vt futura, & tacitas cogitationes præſciat, & præuideat ex ſua natura, & ſcientia increata & infinita; interim tamen donum hoc communicari potuit animæ Chriſti, vt, quod Deus poteſt per naturam, & ſcientiam increatam; id Chriſtus, vt homo, ſeu ſecundum humanitatem potuerit per gratiam: per ſcientiam, inquam beatificam, & infuſam: vtrâque enim à primo cõceptionis ſuæ puncto vberrimè donatus fuit: vt proinde nihil opus ſit tua illa Vbiquiſtica communicatione idiomatum diuinorum in animam Chriſti transfuſorum, eo modo, quod id veſtris phantaſiis videtur; ſed nequaquam veritati. En, quam paucis verbis decem tuarum Theſium magniloquentia, vel potius ſuperbiloquentia proſternitur. Accingere, ſi quid contra habes; ſi homo non poteſt præſcire futura, & arcana cordium, quomodo Prophetæ ea cognouerunt? Si ad iſta requiritur ſcientia increata, & infinita, quomodo Prophetę per ſcientiam, lumenq́ue creatum in longè poſitorum, & à ſua ætate remotorum cognitionem peruenerunt? niſi fortè Prophetis quoque Vbiquiſticam communicationem diuinorum idiomatũ concedis ad hoc, vt ad labentibus annis futura intelligentiã explicare, abditosq; pectoris alieni receſſus penetrare poſſent.

Hic Mæuius rurſus imperitiæ ſuæ egregia dat ſpecimina. Ait: *Introduci confuſionem Eutychianam ſi quis dicat, Chriſti animam per gratiam*, hoc eſt, ſcientiam beatificam & infuſam, *cognoſcere futura; itemq; occultas hominum cogitationes.* Videtur Mæuius ne per ſomnium quidem aliquando audiſſe, quid ſit *Eutychianiſmus*, & in quo propriè conſiſtat; alioqui tam ineptè de Eutychiana confuſione non blateraret. Quæſo, confunduntur ne duæ naturæ humana & diuina, ſi quis in natura humana habitus infuſos ſtatuat? Transformatne hoc humanam naturam in diuinam, vel viceuerſa, diuinam in humanam; vel vtramque in aliquam tertiam? Quis propius ad Eutychianiſmum accedit; illéne, qui habitus creatos & infuſos in anima Chriſti agnoſcit; an qui humanæ naturæ Chriſti ipſa attributa diuina & increata tranſcribit; non vt per illa ſuo quodam modo ſubſiſtat, quatenus immediate per hypoſtaſin ſubſiſtit, cum qua attributa illa realiter idem ſunt; ſed vt per hæc diuina & increata attributa *intelligat, ſciat, regnet, agat, operetur*, &c.

Mox inſulsè ſimul & inſcitè nugari ingreditur de *idiomatis* perſonæ Chriſti; Ea facit triplicia; *eſſentialia, accidentalia, perſonalia.* Et poſt nugamentorum aliquot plauſtra; in Agnoëtam tranſmutatur; quia animæ Chriſti adſcribit *ignorantiam*;

negans

negans eam à momento incarnationis fuiſſe plenam gratiæ & veritatis. hoc eſt, ſcientiæ. De qua veterum & recentiorum Nouatorum ſtultitia lib. ſequenti cap. 1. Bellarminus.

Imperitè inſuper Chriſto *fidem & ſpem* tribuit, quaſi, more noſtro, in hac vita fuerit viator tantum, non *comprehenſor*. Neſtorianè prorſus aſſerit, *de Spiritu ſancto concipi, nasci ex Beata Virgine tantum pertinere ad naturam humanam*. Ex quo ſequitur, nō Filium Dei, non Verbum æternum Patris, nō Deum de Spiritu ſancto conceptum; natumque ex Virgine, ſed humanam tantummodo naturam; quia *concipi de Spiritu ſancto & nasci ex beata Virgine ſunt proprietates ſolius humanæ naturæ*. Quo progrederis Mæui? An Beata Virgo non eſt Deipara? An non eſt mater Dei? An non cōcepit & genuit Deum? An non Deus ſeu Filius Dei conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Virgine? An nō hæc verè de Filio Dei enunciantur, non autē niſi prorſus impiè de ſola natura humana? peperitne beata Virgo ſolam humanam naturam? Etiam in conſueta hominum generatione, quid naſcitur, natura an Socrates? Quid paritur, natura an Socrates?

Stultè contendit, Prophetas *non per creatum, ſed per increatum lumen prædixiſſe futura*: Quaſi verò donū Prophetiæ ſit aliquid increatū. Mentitur me dixiſſe, *Prophetas prædixiſſe futura ex ſcientia habituali*. Nullum verbū de hoc feci, quia non ignoro pleroſq; Theologos donū Prophetiæ non collocare in habitu quopiam conſtanter durabili, ſed in lumine quodam tranſeunte diuinitus menti infuſo.

Mentitur me dixiſſe, Prophetas prænunciaſſe futura ex *ſcientia acquiſita*. Numquam hoc mihi in mentem venit; quia Prophetiæ donum eſt quiddam cælitus infuſum & inditum, nullis naturæ viribus parabile. Negat Prophetas *cordium arcana cognouiſſe*. Si non cognouerunt, quomodo ergo Daniel cap. 2. dicere potuit Regi Nabuchodonoſor. *Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſtea*. &c. Negat ſtultè, *Prophetas arcana cordium cognouiſſe per ſapientiam creatam*. Eſtne donum Prophetiæ & lumen illud vaticinandi de futuris aliquid increatum? Mentitur, me *comparare*, hoc eſt, parem facere, *ſapientiam Propheticā cum ſapientia Chriſti*. Nunquā & nuſquam æquaui. Si abſq; exæquatione inter ſe contuliſſem, quid piaculi admiſiſſem? An non & homo cum Deo & Deus cum homine, inſtitutâ comparatione, conferri poteſt?

Pergit Hunnius. *Negat Bellarminus, & Ieſuitæ Moguntini, & Ingolſtadienſes communicationem omnipotentiæ diuinæ, competere humanitati Chriſti*. Negant: & rectè. Quid Hunniùs? In quantæ contradictionis retia Bellarminum compellit? *Bellarminus concedit humanitati Chriſti conceſſam eſſe potentiam in omnes creaturas: ergò concedere cogitur, nolit velit, eidem conceſſam eſſe omnipotentiam diuinam*. En ſupremam, & deſperatam Prædicantis huius ſeu vanitatem, ſeu ignorantiam: ſeu vtramque ſimul. Quaſi verò *potentia, & omnipotentia* ſint vnum, & idem. Quaſi verò, qui dicit, Chriſto ſecundum humanitatem, datam eſſe poteſtatem in omnes creaturas; is propterea dicat, Chriſto ſecundum humanitatem datam eſſe ſimpliciter *omnipotentiam*: cum *omnipotētia*, ad omnes effectus poſsibiles ſeſe extendat: potentia, nequaquā; quod, ex ipſis vocabulis manifeſtum euadit.

Obiicit Hunnius: *Aut intelligit per potentiam ſolam auctoritatem ſine efficaci dominatione; aut realem, & efficacem omnium creaturarum gubernationem*. Reſpondeo; Bellarminum hoc poſterius intelligere: ſed vt ſit efficax dominatio, & gubernatio, non oportet, vt ad omnes ſimpliciter poſsibiles effectus ſeſe extendat: ſatis eſt, vt ad aliquos. Ad quos autem ſeſe extendat hæc potentia Chriſto ſecundum humanitatem tributa, docebit te S. Thomas, ſi doceri aut velis, aut poſsis, 3. p. q. 13. a. 2. & 3. Et ibidem commentatores eius, præſertim Gregorius de Valentia, tibi non ignotus, & Franciſcus Suarez.

Obiicit Prædicans; *Dominium ſuper omnes creaturas ſolius Dei proprium eſt*. Reſpondeo; dominium ſuper omnes creaturas, quoad omnes effectus, abſolutumque ſimpliciter, & independens, ſolius Dei proprium eſſe: cuiuſmodi dominium nō eſt illud, quod Chriſto ſecundum humanitatem conceſſum dicimus: Eſt enim dependens à dominio diuino; nec ad omnes effectus ſeſe extendit, vt antea dictum: quia, neque ad creationem, nec ad annihilationem porrigitur. Itaq; aërem verberat Prædicans; cum hanc Theſin ſuam nonageſimam citatione ſcripturarum opplet: vt oſtendat, dominium ſuper omnes creaturas ſoli Deo competere: &, ſi competat etiam Chriſto ſecundum humanitatem, id ei competere per Vbiquiſticā illam diuinorum idiomatum communicationem.

Mæuius hic rem gerit ſyllogiſticè, admodum ſcilicet valenter & efficaciter. *Quacunq; potentia ſe extendit ad omnes creaturas, ea eſt omnipotentia; ſed, Bellarmino teſte, potentia ſuper omnes creaturas, Chriſto eſt data; ergo data eſt ipſi omnipotentia, quia non eſt alia potentia ſuper omnes creaturas, quàm omnipotentia*. Reſpondeo, Maiorem eſſe Mæuianam, hoc eſt, futilem & inanem. Quo fulcro eam fulciet Mæuius? Nam Chriſto ſecundum humanam naturam, data eſt omnis poteſtas, tanquam Regi & Iudici, omnis, inquam, poteſtas, ad Regis & iudicis munus neceſſaria, ita vt de omnibus creaturis diſponere queat, quatenus id ad vtrumque officium obeundum & ritè adminiſtrandum, requiritur. Num ideo Chriſtus ſecundum humanam naturam, ſeu qua homo, diuina illa omnipotentia præditus eſt? Num, quæ nō ſunt, creare; num quæ ſunt, *annihilare* poteſt? Num regia illa & iudiciaria, qua pollet, poteſtas, eſt ſuprema & independens, ſicut eſt diuina omnipotentia?

Inſtat Mæuius: *Efficax dominatio, & gubernatio*

omni-

omnium creaturarum eſt opus omnipotentiæ diuinæ, & proprium Dei, ſed potentia illa ſuper omnes creaturas, cuius Bellarminus meminit, eſt efficax dominatio, & gubernatio omnium creaturarum, ipſo Greſſero teſte & explicante. Ergò Bellarminus concedit omnipotentiam Chriſto, ſecundum naturam humanam. Reſpondeo, Maiorem eſſe veram de efficaci in omnes creaturas dominio, ſi ſit in omnes, etiam poſsibiles & quoad omnes effectus, prorſus independens; ſed hoc ſenſu falſa erit Minor. Cui quando fidem faciet Mæuius? Qui quid aget, ſi quod Bellarminus probabilius iudicat, reſpondeam, Chriſto datam omnem poteſtatem in cœlo & in terra, atque adeo ipſam omnipotentiam diuinam, non in ſe, & ſecundum ſe, ſed in ſua hypoſtaſi, cum qua copulatur? Quid, inquam, contra mutiet, ſi hoc reſponſum adferam, atque adeo liberaliter largiar, poteſtatem illam, de qua Chriſtus eſt locutus Matth. vlt. eſſe ipſam diuinam omnipotentiam, humanæ naturæ Chriſti non in ſe, ſed in hypoſtaſi ſua datam.

Tantùm non inſanit Mæuius, quod geminam potentiam ſuper omnes creaturas ſtatuo, alterâ limitatam, & Chriſto, vt homini cõpetentem; alterâ, indefinitam. Prouocat *ad totâ puriorem antiquitatem*, vt vel vnum teſtimoniũ pro hac duplici poteſtate proferatur. Quid opus hac prouocatione? Quot teſtes à Bellarmino & aliis contra veſtrã Vbiquitatem producuntur; tot contra iſtã poteſtatem, quam humanæ Chriſti naturæ collatã ſomniatis; teſtes excitantur. Nullus enim vnq̃ dixit, ipſi naturæ humanæ in ſe diuinã omnipotentiam communicatã; ſed vel locum illũ: *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. intellexerunt de poteſtate regali, ſacerdotali & iudiciaria Chriſti; vel certè de diuina omnipotentia naturæ humanæ non in ſe, ſed in hypoſtaſi ſua communicata.

Quærit Mæuius? *Nonne totus* Iesvs *Chriſtus ex aqua vinum fecit? An non totus Ieſus Chriſtus creat hodie homines & animalia? An non totus Ieſus Chriſtus ad iudicium venturus vniuerſum mundũ annihilabit?* Reſpõdeo, totus Iesvs Chriſtus ex aqua vinum fecit. Qua Deus, principaliter. Qua homo, ſeu ſecundum humanam naturam, inſtrumentaliter. Totus Chriſtus mortuus eſt. Num ideo etiã ſecundum naturã diuinam? Quando homo, vt Socrates v.g. moritur, totus homo corrumpitur. Num idep aut materia aut anima hominis corrumpitur? An nõ illa ingenerabilis eſt ac incorruptibilis: hæc verò immortalis? Hominem & animalia credebã hactenus naſci, nõ creari. Nunc Mæuius me allã Philoſophiam docet; cui tamen aſſentiri nequeo, donec mihi oſtenderit, homines & animalia ex nullo penitus præſuppoſito ſubiecto produci. Illud etiam de *annihilatione* mundi ſub extremum iudicij diem pluſquam Stoicum paradoxũ apparet. Quæ ſcriptura hoc tradit? Quis orthodoxorũ Patrum? Quis, qui nõ ſit Mæuius, hoc eſt, plumbeus & bliteus? Sciſne quid ſit annihilatio? Et tamen effrenato ore tuo Ieſum ſic affari audes. O Iesv *Chriſte exſurge. Et niſi reſipiſcat iſte homo, tuam gloriam, tuã omnipotentiam reipſa & facto erga ipſum oſtende. Cõfunde hoſtes tuæ maieſtatis*, &c. Hæc Epiphonemata nõ magis me mouent; quã fluctus marini immotam, ad q̃ perpetuo illiduntur, cautè. Hic ſcilicet mos veſter eſt, qui quando probationibus deſtituimini, ad exclamationes, & ſuperũ inferũmq; cõpellationes digredimini. Exſurget, profecto Chriſtus, & à tua tandẽ imperitia vindicabit ſuã gloriã, qui eo audacię & impietatis proceſsiſti, vt totũ ſacratiſsimę Trinitatis & Incarnationis myſteriũ funditus è medio tollas.

Ad Hunnium reuiſo; qui argumentando, vt videtur, defatigatus, mentiri incipit, vt animum, credo, nonnihil relaxet. Vt autem mentiendi argumentum habeat, arripit Theſi 91. Pſalteriũ Marianum, à S. Bonauentura compoſitum; *petram ſcandali, lapidemq; offenſionis* omnibus Prædicantibus: *In Pſalterio Mariano tribuitur omnipotentia virgini Matri; etſi cum Verbo*, inquit, *diuino hypoſtaticè non vnitæ*. Paucis me expediam, *ſcaphamq;* vocabo *ſcapham*. Mentiris Hunni. Non enim ignorauit S. Bonauentura omnipotentiam eſſe proprietatẽ diuinam creaturis ſimpliciter incommunicabilem: (Vide S. Bonauenturam 3. d. 14. a. 3. q. 3) ita, vt nulla pura creatura ſimpliciter ſit, & verè proprieq; appelletur omnipotens. Quid ergò ſignificare voluit S. Bonauentura, cum D. Virginem, *Dominam omnipotentem* vocauit? hoc nimirũ, eſſe omnipotentem, non ſimpliciter, ſed, in ſuo genere: ita, vt poſsit, quidquid alij omnes Cœlites poſſunt: quippe Regina, & Domina cæli, materq; Dei. Nam quod ſimpliciter omnipotentẽ non nominauerit, inde itidem liquet; quia, adiungit, *poſt Deum nomen eius*. Certè, ſi propriè *omnipotens* eſſet, nomen eius non *poſt Deum*; ſed *cum Deo* pariter eſſet. Cur tu Prædicans bonam Bonauenturæ mentem peruertis; niſi quia peruerſus es?

Quàm verò ſcita ſunt & docta, quæ ſubnectis? *Solius omnipotentiæ opera eſſe. I. Sedere cum Filio in gloria Patris.* An non omnes Beati cum Filio Dei in gloria Patris ſedent; licet impari gloria? *II. Dextera ſua cultores ſuos protegere.* III. *Virtute ſua capita inimicorum conterere.* IV. *Laborantibus, & tribulatis ad ſe confugientibus refrigerium dare, & ſolatium.* V. *Ædificare domum cordis noſtri.* VI. *Mittere de ſedibus cæli ſapientiam Dei; per quam illuſtrentur homines.* VII. *Mortuos ſuſcitare.* An hæc, & id genus talia ſunt, vt in nullum cælitem, diuino munere, quadrare poſſint? An nemo vnquam mortuos excitauit, præter omnipotentem? Aut ergò Petrus & Paulus mortuos non excitarunt; aut mortuos excitare, non ſolius omnipotentiæ opus eſt, vt Hunnius delirat. Etſi enim mortuos in vitam reſtituere propria virtute; opus ſit ſolius omnipotentiæ: attamen mortuos excitare, diuinæ virtutis adiumento; id competit etiã ſanctis; quos hoc dono Deus dignatur illuſtrare. Verùm de Pſalterio Mariano iam pridem multa diſſeruit Gregorius de Valentia lib. 5. de Idololatria cap. 15. contra

venerandum tuum præceptorem Heerbrandũ; & Ioannes Buſæus in Appendice; quam, contra tuos libellos de Vbiquitate ad ſuum Apologeticum in Gerlachium, adiecit. Cur non refellis, quæ diſputant, antequam nugas iam olim à te, tuoque Magiſtro prolatas, denuò profers?

Nam, quòd exorciſmum Oetingenſem iam olim à Clariſsimo viro Martino Eiſengrinio in lib de Sacello Oetingenſi ſcriptis mandatum; & ab aduerſariorum iaculis defenſum, vellicas; id fortè facis impulſu dæmonis illius, qué Caniſius ex puella illa expulit. Fortè inde expulſus, ad te migrauit, ſtabilem, fixamque ſedem in pectore tuo fixurus: ex quo nunc poſt tot annos latrat: quia, necdum cauſæ irarum, doloreſque ſæui exciderunt: alta mente repoſtum manet vulnus illud; quod tunc in ſacratiſsimo Deiparæ Sacello accepit.

Cuius tui inquilini inſtinctu mentiris quoque Beatam Virginem ab Eiſengrinio *in exauditionis alacritate, & auxiliandi promptitudine, toti venerandæ Trinitati proferri.* Quo auolauit frons tua Hunni? quo mens? hoccine Eiſengrinius? Vide, ne in te, tuumque mendacium recidat cæleſtis fulminis vltio: quam Eiſengrinio aut imprecaris, aut ominaris. Pudeat te prædicans huius tuæ impudentiæ. Sed ſurdo canimus; cum Hunnium verecundiæ commonefacimus. Iam dudum frontem exuit.

Fabrum Stapulenſem, quem in Theatrum hîc producis, tanti facimus, quanti tuum Fabrũ Tubingenſem. De hoc iam olim Magiſtro tuo Smidelino reſpondit Gregorius de Valentia, & tibi Buſæus, vt & de Paulo Kemerio; quem, quondam vocaſti *Ieſuitam*; quod mendacium à Ieſuita reſorbere iuſſus, necdum fortè concoxiſti. Item de Ertlino; qui nunc tibi *Ertlius*. Addis iam Caſparum Franckum; qui, pro inuocatione Sanctorum citat illud S. Hieronymi aduerſus Vigilantium, collegam tuum; *ſi Agnus vbiq; eſt; ergò, & ſancti, qui ſequuntur Agnum, vbiq; eſſe cenſendi ſunt.* Ad hoc teſtimonium reſponſum quidem accepiſti à Buſæo; cur, ſi diſplicebat, non refutaſti? Nõ repeto: in medio poſitus eſt liber Buſæi. Adiicio duntaxat; Agnum, quod ad humanitatem attinet, eſſe vbique ſcientia, & cognitione. quia, omnes ſibi ſupplicantes, quocunque loco ſupplicent, cognoſcit; ſic & ſancti, cognitione ſunt vbique. quia, omnium preces ad ſe fuſas, vbicunque locorum concipiantur & inſtituantur, intelligunt vel in Verbo; vel per peculiares reuelationes ſibi à Deo factas. Si hæc ſupra captum tuum ſunt, non eſt, quod miremur; cùm præter calumnias, & figmenta nihil capias.

Redis ad Pſalterium, in quo Virgini MARIAE adſcribitur, *quod in omni tribulatione præcipuè in hora mortis, adſit cultoribus ſuis; ad auxiliandum eis, & excipiendos illorum ſpiritus, & deducendos ad regna cælorum.* Quid hinc colligis? videlicet id, quod ſoles: *Rur-*

A *ſus Mariæ maieſtas præſentia*, inquis, *in omnibus neceſſitatibus ſuorum cultorum tribuitur; etiam citra vnionem; quam maieſtatem Chriſtus, qua homo, ne per vnionem quidem, ex Ieſuitico decreto, conſequi valuit.* Deliras Hunni. Petitur enim à D. Virgine, vt ſub horam mortis, rebuſque in arctis, nobis adſit; precibus, & interceſsione apud Deum: vt eius interuentu à periculis liberemur, & ad vitam æternam perducamur. Quam ad rem, neceſſarium non eſt, vt B. Virgo corpore nobis ſit præſens: ſufficit, ſi in cæleſti patria commorans, quibus præſidiis egeamus, intelligat. Multò minus ad hoc neceſſaria eſt veſtra illa Vbiquitas; vt ſcilicet vbique locorum corpore D. Virgo ſit præſens. Etſi non dubito, ſæpè nonnullis corporaliter præſentem fuiſſe: ſed, aut tunc cælum deſeruit; aut, quod commode fieri & intelligi poteſt; ſimul, & vno tempore, pluribus in locis fuit. Quam in pluribus locis exiſtentiã Chriſto nunquam nos negauimus. Poteſt enim, ſi velit, pluribus locis ſe præſentem ſiſtere, etiam extra Euchariſtiam. Illam duntaxat monſtroſam Vbiquitatem, & omni præſentiã ei competere negamus; quam vos ei ex vi vnionis hypoſtaticæ affingitis.

Liberaliter autẽ, vel potius illiberaliter mentiris, cùm ais, nos inficiando hanc veſtram commentitiam omnipræſentiam; *plus diuinæ maieſtatis Mariæ citra, & extra vnionem hypoſtaticam tribuere; quàm Chriſto, vt homini, per, & propter vnionem hypoſtaticam cum Deo Verbo. Ligonem* liceat vocare *ligonem.* Mentiris Hunni. An non Chriſtus, vt homo, ſubſiſtit in diuini Verbi hypoſtaſi: quæ talis, ac tanta eſt maieſtas; vt maior infra increatam eſſe nequeat? An hæc maieſtas Deiparæ Virgini competit? An non veriſsima eſt hæc plena maieſtatis diuinæ enunciatio? *Chriſtus homo eſt Deus. Hic Homo eſt Deus.* An hoc tantum elogium quadrat in Diuam Virginem? An non Chriſtus, vt homo, eſt iudex viuorum, & mortuorum? An non Rex, & Dominus vniuerſorum? An non *differentius* præ aliis omnibus nomen ſortitus eſt? Quid igitur tu fabularis? plus maieſtatis ſine vnione hypoſtatica concedi matri; quàm Chriſto, vt homo eſt, cum vnione hypoſtatica?

Nunc ſecundæ ſui Labyrinthi parti de perſona Chriſti decentiſsimum colophonem imponit; cum ex Catholicorum de Euchariſtia dogmate euinci dicit, Vbiquitatẽ corporis Chriſti admittendam eſſe; aut dogma de Euchariſtia *abſurditatibus non finiendis laboraturum.* Quas abſurditates non noſtras, ſed ſuas, antequam omnium conſpectui ſubiiciat; viam & rationem mõſtrat, qua Vbiquitas non modò poſsit, ſed & debeat defendi. *Ex ſententia*, inquit, *Pontificiorum, verè adeſt corpus Chriſti in locis omnibus, quibus Miſſa dicitur; nec tamen vel extenditur, vel ob locorum diuerſitatem multiplicatur, vel ſubſtantia eius deſtruitur, ſed citra expanſionem, vel multiplicationem, vel deſtructionem, verè adeſſe*

poteſt,

poteſt, idq; citra reſpectum vnionis hypoſtaticæ, & ſeſſionis in dextera maieſtatis: Ergò multo magis nos abſque prædictis abſurditatibus præſentiã corporis Chriſti in omnibus ſimpliciter locis aſſerere poſſumus, ex ipſamet vnione perſonali, & ſeſſione in dextera Dei, ceu immoto fundamento præſuppoſito. An non eſt hæc belliſsima conſequentia? An non digna generali Superintendente, ſeductore, & impoſtore Saxoniæ, qui duplici Lutheri Spiritu ebrius, in eiuſdem cathedra furit?

Nunc ad abſurditates: *Niſi Pontificij vbiquitatem admittant; tunc, aut coguntur negare præſentiam Chriſti in Euchariſtia;* Numerate, ô vos Hunniani pulli, mendacia, & imperitiam: *aut, ſi non negent, neceſſe habent confingere perpetuum deſcenſum in Euchariſtiam; & abſoluta Miſſa rurſus ſubinde receptionem in cælum.* (Quid inſulſius? quid indoctius hoc Prædicante, in rebus tam tritis aut hallucinante, aut alios decipiente?) *Et cum in multis locis Miſſa celebrentur, continuas, perpetuaſq; motiones de vno loco, ad alterum.* O plumbeum acumen Hunnij. *Quo pacto nihil erit corpore Chriſti inquietius.* O propè dixerim ferula caſtiganda in Doctore, & controuerſiarum omnium examinatore ignorantiam. Quaſi verò Chriſtus per motum localem præſens ſiſtatur in Euchariſtia: quaſi, cum ſpecies panis corrumpuntur per motũ localem rurſus abſcedat. Quãtæ tenebræ in cerebro huius Prædicantis? qui animo & cogitatione præſentem ſe in loco ſiſtendi nullum alium modum concipere & informare poteſt, quàm ſibi vſitatum, hoc eſt, eũ, qui fit localis motus interuentu. *Hæc eſt magna cæcitas cordis*, inquit S. Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum cap. 67. quando ei cum Petiliano, huic non abſimili Prædicante negotium erat; *&, ſi nec ipſam in vobis agnoſcitis, hæc eſt maior cæcitas cordis.*

At nec dum fatuari deſinit; Si, inquit, *hæc paradoxa euitare velint, aliud effingent; nimirum, non illud corpus, quod in cælos olim aſcendit, eſſe in Euchariſtia; ſed id manere tantùm in cælis; quoddam verò aliud Chriſti corpus; imò infinita corpora Chriſti, ex panibus innumerabilibus in Euchariſtia confici.* Cui vnquam orthodoxorum hoc commentum Hunnianum in mentem venit? Quis Vbiquitatis oppugnator, & præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia propugnator, vnquam eo, quo Hunnius mentitur, modo, Euchariſticum dogma defendit? At Hũnius pro imperio agit; *nolint, velint; velint nolint; aut hoc, aut illud dicere debebunt:* ſcilicet, tu Orthodoxos coges, &, vel inuitos adiges; vt, quæ tu deliras, pro armis aduerſus te aſſumant: *Verecundia in rebus tam manifeſtis*; terminabo enim hunc locũ verbis S. Auguſtini lib. 4. contra Creſconium; *vel etiam ipſa impudentia obmuteſcere poteſt; inſania, non poteſt.*

Quid ad hæc Mæuius? nihil præter conuicia & dicteria ex triuio & ſtabulo. S. Bonauenturã, vocat *Maleuenturam*, feſtiuè ſcilicet, & qua nominis immutatione mirum ni *menſtruales dapes* apud ſuos ſymmyſtas obtinuerit. Mentitur *D. Bonauenturam Beatæ Virgini omnia effecta omnipotentiæ naturæ adſcribere.* Mentitur II. *Gretſerum & omnes Pontificios, non niſi mendaciter Beatam Mariam cæli Dominam & Reginam eſſe profiteri.* III. Mentitur, *dicta Bonauenturæ non eſſe vllius bonæ interpretationis capacia.* Vbi Mæuium ſuorum verſiculorum obliuio cœpit. *Sit malus interpres, tum nil bona verba iuuabunt. Sit bonus interpres, tum nil mala verba nocebunt.* Si malo nõ nocent, accedente bono & æquo interprete, quanto minus nocebunt verba bona, qualia S. Bonauenturæ, ſi eis candidus & ſincerus lector ac interpres obtingat? IV. Mentitur, *S. Bonauenturam ſibi contradicere.* V. Mentitur, *S. Bonauenturam impiè vocare Deiparam omnipotentem; ſiue fiat ſimpliciter, ſiue dupliciter, ſiue tripliciter, ſiue propriè, ſiue impropriè.*

VI. Mentitur, *Gretſerum ieiunè reſpondere ad ea, quæ Hunnius de omnipotentia* D. Virginis *deblateraſſet.* At tu cum tuo Hunnio ebriè prorſus vbique calumniaris & mentiris; vt mihi probabile fiat, ne vnam quidem paginam Labyrinthi veſtri & huius Apologetici à vobis ieiunis vel ſobriis conſcriptam eſſe, omnia cereuiſiariam ebrietatem olent, & halant.

VII. Mentitur, *nullum beatum ſedere ad dexteram Patris.* Nam ſi cum D. Auguſtino per ſeſſionem ad dexteram Patris intelligamus beatitudinem, nullus eſt ſanctus in cælo, qui non ad dexteram Dei ſedeat: vt præteream alias rationes, ob quas meritiſsimò beati ad dextram Dei ſedere dicuntur.

Poſtea debacchatur Mæuius in Gregorium de Valentia (quem lepide, vt ſolet, *de Faulentia & Fallentia* cognominat, edoctus à ſuo Helbrando) & in Ioannem Buſæum, inque Martinum Eiſengrinium. Quibus lœdoriis & morologiis; quid præter ſilentium, reponam, non inuenio. Maledicit, quia benedicere non didicit; ſcurratur, quia Gelaſimus eſt.

Repetit loca ſcripturæ, ab Vbiquetariis pro fictitia omnipræſentia corporis Chriſti adferri conſueta: Quæ à Catholicis iam millies explicata ſunt. Cur me cum cuculi huius coccyſmis occupem? Mentitur, Theſes Labyrinthi Hunniani vehemẽtiſsimè momordiſſe Gretſerum. Ita profecto, adhuc veſtigia tanti morſus apparent in ſiniſtra manu non procul ab auriculari digito. Mox ſpuit Mæuius, *Suiſtas & ſcriptorculos Pontificios, & fabulas Lugendarum*, & neſcio quæ alia retrimenta. Quale ſupercilium, hunc, qui necdum ſcholaſticum puluerem, ex pallio ſuo penitus abſterſit, & nudius tertius ex hara Hunniana proſiliit, omnibus Pontificiis, quantumuis vſu & temporis diuturnitate in ſcribendo exercitatis, non ſcriptorum, ſed *ſcriptorculorum* nomen tribuere, cum reſpectu eorum, quos hoc conuicio ferit, Mæuius non ſit homo, ſed vappa & vapor; qui impiè ſimul & inſipientiſsimè ait; *omnes homines, etiam Gretſerum impium, ſuſtentari ab hypoſtaſi*

Filij Dei. Et audet caput hoc de hypostatica vnione disputare; cum ne notiones quidem siue notationes vocabulorum hypostaseos & vnionis perspectas habeat.

REFVTATIO MÆVIANI LIBELLI CONTRA IVDICIVM BELLARMINI de libro Concordiæ.

VOLEBAM nunc Mæuio missionem dare, sed mitti recusat. Manum iniicit, cogitque, vt examinem mendacia, quæ effutiuit in libro, cui hic profanus titulus. *Apologeticus contra Roberti Bellarmini Pontificiæ Ecclesiæ Cardinalis impium & stolidum iudicium pro sancto & orthodoxo Concordiæ libro.* In quo titulo, præter insignitè improbam vanitatem, luculentum continetur mendacium; quia cum refutationem totius Iudicij Bellarminiani polliceatur, vix modicâ eius portiunculam attingit: ea nimirum, quæ Bellarminus breuiter de vanitate subscriptionũ disserit, & sex errores cõtra symbolum Apostolicum, quos Bellarminus Concordiæ libro obiicit. Mendacia sexaginta septem, quæ Bellarminus ex Concordia excerpsit, intacta relinquit. Laudo factum: nam si attigisset; mendacia illa duplo vel triplo pluribus pseudologiis auxisset ac cumulasset; quemadmodum & errores, quos defensum tendit, non nisi nouis, iisque crassissimis & imperitissimis erroribus tueri conatur: &, boni ominis gratia, ipsum vestibulum sui libri hoc manifesto, & in publica luce collocato mendacio exornat. *Libris duobus de Indulgentiis inuictè ab Hunnio confutatis opposuit Robertus Bellarminus Auctariũ, cuius titulus hic est. Iudicium Roberti Bellarmini Politiani, Societatis* IESV *Theologi, de libro, quem Lutherani vocant Concordiæ.*

Vbi impudenter mentitur Bellarminum nugamentis Hunnianis de Indulgentiis opposuisse hoc *Iudicium*; cum istud *Iudicium* minimum quindecim annis antè prodierit, & summo omnium applausu exceptum fuerit, quàm vel Bellarminus vel Hunnius de Indulgentiis scripserit, vt notum omnibus. Et tamen iste non veretur scribere, Bellarminum hoc *Iudicium* libro Hunniano contra Indulgentias opposuisse; cumque libellus Bellarminianus, etiã Germanicâ linguâ, omnium manibus tereretur, à prima editione, quæ, nisi fallor, incidit in Annũ Domini M. D. LXXXV. vsque ad Annũ M. DCV. quo Mæuius Apologeticum suum euulgauit: iste tamen ita hoc de libro tenuiter & humiliter loquitur, quasi nigro cycno & candido coruo rarior fuerit; quem ait se *munere boni cuiusdam* amici adeptũ, cui se magnas gratias debere significat; quòd eius beneficio & dono obtinuerit *Iudicij* exemplar, in tanta exemplarium penuria & infrequẽtia; cùm omnes tabernæ librariæ, omnes Academiæ, & omnium eruditorum pulpita his exemplaribus abundarint. Sed ad rem.

Primus error Concordiæ à Bellarmino obiectus, est, *quòd Christus non solùm vt homo, sed etiam vt Deus Patri fuerit obediens*; qui error destruit penitus veram diuinitatem Christi, quã symbolum Nicænum contra Arianos asseruit. Mæuius. *Quid hic somnies, aut quidnam moliaris probare, assequi non valeo.* Credo: nil opus probatione vel testimonio. Notus est stupor tuus, qui nihil assequitur, nisi mendacia & conuicia. Hoc probare instituit Bellarminus, Concordistas, esse vel Arianos, vel Arianorum socios, & synergos. An nunc intelligis, quid probare moliatur Bellarminus?

Ais. *Num ideo Ariani censendi sunt, quia docẽt Christum Deum & hominem, Patri obediuisse vsque ad mortem?* Minimè verò, sed eam ob caussam, quia docent Christum, Deum & hominem non modò Patri obediuisse secundum humanam naturam, sed etiam secundum diuinam, vt prolatis ex Concordia exemplis Bellarminus demonstrat. Ob hanc impietatem Arianismi vos arguit Bellarminus. Quid tu? *Solenniter protestamur coram vniuerso orbe, nunquam in mentem nostram veniss[e], diuinitatem, quæ in se & per se, reuera est ἀοίδιστος, passionibus subiicere, clauũq; secundum proprietatem naturæ configi posse, asserere. Aliud autem est, quando cum scriptura Deum esse passum, Deum esse mortuum, sepultum, Dominum gloriæ crucifixum, affirmamus; quo pronunciato, tantum abest, quod diuinitatis natura, vel essentia violetur, vt potius illustrior coram mundo reddatur.*

Audi, Mæui, Bellarminus hic non agit de passione diuinitatis, vtrum scilicet Christus secundum diuinam naturam passus fuerit; sed de *obedientia*; vtrum videlicet Christus secundum diuinam naturam Patri suo obediuerit. Tu cur misces? Sed sinamus vt turbes ac misceas. Sinamus te de passione diuinitatis loqui. Annon huic tuæ tam solenni *protestationi* paulò pòst valedicis, quando imperitissimè statuis, has duas propositiones esse æquipollentes & synonymas: *Christus Deus & homo Patri obediuit.* Et, *Christus vt Deus & homo Patri obediuit.* Nam si istæ duæ enunciationes sunt æquipollentes; etiam istæ duæ erunt æquipollentes: *Christus Deus & homo passus & mortuus est.* Quæ est verissima propositio. Et; *Christus, vt Deus & homo*; id est, quatenus Deus & homo; *passus & mortuus est*: quæ est propositio falsissima, idem significans, quod ista: *Christus secundum diuinam & humanam naturam passus est & mortuus.* Et tamen antea solenniter protestabaris, vobis in mentem nunquam veniss[e], vt affirmaretis diuinitatem *in se & per se* passã. At si vera est hæc propositio: *Christus, vt Deus*, siue, *quatenus Deus, passus est*; ineuitabiliter sequitur, Christum secundum diuinitatem passum esse; atque adeo diuinitatem *in se & per se* pati posse.

Deinde

Deinde tu & tui ſymmyſtę hoc loquẽdi modo; diuinitatem *in ſe & per ſe* non poſſe pati; innuere videmini diuinitatem *per accidens*, & in alio pati & mori poſſe: quod æquè abſurdum ac illud prius; quia æquè hoc repugnat diuinitati, ac illud prius; tam enim diuina natura cum humanitate in eadem hypoſtaſi Verbi vnita, incapax eſt paſſionis ac mortis, quàm erat, antequam natura diuina cum humana in eadem perſona vniretur. Verùm de his plura inferius.

Quæris ex Bellarmino. *An Filium Dei nullam omnino Patri obedientiam præſtitiſſe cenſes?* Reſpondes tu loco Bellarmini, at nõ ex ſenſu Bellarmini. *Nullam, nullam omnino.* Dic Mæui, vbi ſcripſit Bellarminus, Filium Dei, *nullam obedientiam Patri præſtitiſſe?* Num ignorauit illud? *Factus obediens vſque ad mortem.* Quis vſque ad mortem factus eſt obediens? Filius Dei. Num quà Deus? Num ſecundum naturam diuinam? Obediuit Filius Dei Deo Patri; non vt Deus; non quà Deus, non ſecundum diuinam naturam; ſed vt homo, quà homo, ſecundum naturam humanam. Hoc Bellarminus vbique docet. Tu ineptiſimè & ignorantiſsimè exiſtimas; eundem eſſe ſenſum huius geminæ propoſitionis. *Filius Dei obediuit Patri. Filius Dei, quà Deus, ſeu ſecundum diuinam naturam obediuit Patri*; cum prior ſit veriſsima; poſterior, falſiſsima, & qui vtriuſque eundem ſenſum, eũque verum & probum eſſe arbitratur, is pariter dicere debebit; eſſe eundem verumque ſenſum harum propoſitionum. *Filius Dei eſt paſſus, crucifixus, mortuus; Filius Dei, quà Deus, ſeu ſecundum diuinã naturam paſſus eſt, crucifixus & mortuus.*

Ais. *non eſſe firmam hanc connexionem. Filius obediuit Patri, ergo minor eſt Patre quoad eſſentiam.* Concluſio; inquis, quatuor *terminorum vitio turpiſsimè laborat.* Rectè dicis. Primus terminus eſt, *minor.* Secundus, *Patre.* Tertius *quoad*, vel *ergo.* Quartus, *eſſentiam.* Num ſyllogiſmo an concluſioni vitium quatuor terminorum tribui ſolet? Cedo, precor, vbi nã ſunt quatuor iſti termini? Deinde, quidquid recalcitres & reſtites; conſecutio illa proba eſt: quia ſi Filius Dei obediuit Patri, quà Deus, hoc eſt, ſecundum diuinam naturam, eſt ergo inferior ſeu minor Patre ſecundum naturam & eſſentiam, quia ſi ei ſecundum naturam & eſſentiam diuinam æqualis eſſet, non ei ſecundum naturam & eſſentiam obediret, nam æquale non obedit æquali: quia obedientia ſecundũ naturam diuinam, neceſſariò importat inæqualitatem naturæ.

Ais: *Obedientia Filij non ratione eſſentiæ vel potentiæ, ſed ratione cùm officij, tum demonſtratæ reuerentiæ filialis erga Deum Patrem, tum denique perfectæ conſummationis omnium, & æternæ beatitudinis & vitæ hominum perpetuæ, definitur.*

Quæſtio eſt, Prædicans, non in quo conſiſtat obedientia à Chriſto præſtita Patri; ſed ſecundũ quam naturam hæc obedientia Patri à Filio fuerit præſtita. Num ſecundum diuinam, an ſecundum humanam, an ſecundum vtranq; ? Ad hanc quæſtionem planum & expeditum reſpoſum dandum erat, non inculcanda ea, de quibus nulla nobis eſt controuerſia. Sita fuerit obedientia illa in officio impoſito diligenter explendo, & in exhibitione reuerentiæ filialis erga Deum Patrem; ſemper quæritur, ſecundum quam naturã impoſitum ſibi munus Filius Dei expleuerit? Inter cuius muneris partes paſsio & mors non poſtrema erat. Quæro, ſecundum quã naturam ex obedientia paſſus eſt & mortuus? Num ſecundum diuinam? Ai vel nega. Exhibuitne Filius Dei Patri ſuo reuerentiam & timorem filialem ſecundum diuinam naturam? Loquere Mæui, vt videamus, quibus ſub ſignis milites.

Ais. *Si quæratur, vtrum humana natura ſola obediuerit? negabo conſtanter: viciſsim; vtrum diuina natura in ſe & per ſe, ratione eſſentiæ obediuerit? itidem negabo: & hoc nunquam à quopiam Theologorum puriorum aſſertum fuiſſe, ſanctè deierabo.* Neutrũ horum quæritur Mæui; ſed hoc; vtrum Chriſtus ſecundum ſolam naturam humanam obediuerit Patri? Nos orthodoxè affirmamus; vos ſacrilegè negatis. Itẽ: Vtrum Chriſtus ſecundum diuinam naturam Patri obediuerit, paſſuſq; fuerit? Nos orthodoxè abnuimus; vos nefariè affirmatis. Tu arbitratu tuo quæſtiones tibi cudis; & tuo arbitratu ſoluis: cum ſi candidus aut ſcriptor aut diſputator eſſes, ad aduerſariorum tuorum quæſtiones animum aduertere deberes.

Non placet tibi hoc argumentum; Filius obediit Patri, ergo eſt minor Patre. *Bella me hercle Bellarmini ratiocinatio*, inquit Mæuius: *quaſi verò obedientia officij in Filio, præſupponat aliquam minoritatem (vt ſic loquar) eſſentiæ. Filius aliquis in terris, ſi Patri obtemperat, non propterea minor eſt Patre, quòd ad eſſentiam, quòd ad ἐνέργειαν, δύναμιν, & potentiam naturalem: Ita; licet Filius Dei, quatenus Filius eſt, Patri ſuo obediat & officium filiale præſtet; non tamen exinde conſequitur, quod ſe Patri, ratione ἐνέργειας ſubmiſerit*, &c. Quid tibi cũ *Hercule* Prædicans? An tamdiu in Schola Hunnij ſeſsitaſti, nec audiuiſti, quomodo præceptor tuus iurare fuerit ſolitus, Chriſto in *Herculis* locum ſubſtituto? *Me Chriſte; Bella me Chriſte ratiocinatio*, &c. Ad rem.

Si Chriſtus ſecundum diuinam naturam Patri obediit, planè ſequitur, eum naturâ & eſſentia ſua eſſe minorem Patre. Quod hunc in modum oſtendo: *quia licet in terris*, vt tu obiicis, *ſi Patri Filius obtemperet, non propterea minor fit Patre, quoad eſſentiam humanam, & quoad energiam, δύναμιν, & potentiam naturalem*; neceſſariò tamen minor eſt & inæqualis dignitate; perſpicuum enim eſt; eum cui obeditur, digniorem eſſe, quà talis eſt, eo, qui obedit, quà talis. Si igitur Chriſtus ſecundum diuinam naturam & eſſentiam cæleſti Patri obediit, vt vos deliratis; oportet, Patrem dignioré eſſe Filio ſecundum diuinam naturam. Si Pater ſecundum diuinam naturam eſt dignior, quàm Filius ſecundum diuinam naturam; maior ergo

est Pater: quia dignior est maior. Minor ergo Filius, quia minus dignus secundum naturam, minor est secundum naturam; nam licet in humanis illa inæqualitas dignitatis consistere possit cum æqualitate physica naturæ, in diuinis tamen hoc fieri nequit, cum identitas dignitatis, & vt sic loquar, valoris & pretij, sit diuinæ naturæ intrinseca & essentialis.

Dispar est ergo ratio Filij in humanis; & Filij in diuinis, vt taceam ex alio etiã capite sequi inæqualitatem naturæ diuinæ in Christo, si Patri secundum naturam diuinam obediuit. Necessariò enim dicendum erit, Christum habere aliã numero distinctam naturam: quia obedientia propiè dicta importat necessariò realem distinctionem saltem duorum: vt supra libro primo dixi, si ergo Christus secundum naturam diuinam obediuit Patri, etiam vt Deus est; seu secundum naturam diuinam; habet igitur Pater aliam naturam diuinam; cui obedientia defertur: posita hac naturarum diuinarum *dualitate*, necessariò sequitur naturarum inæqualitas, quia impossibile est, vt duæ naturæ diuinæ numero distinctæ sint æquales: vtraque enim deberet esse infinita: At hoc fieri nequit, posito quod numero distinguantur, nec in vno tertio identificentur, quia neutra perfectionem alterius vllo modo includeret. Quæro ergo, quænam natura sit minor; illa, quæ in Filio, an illa, quæ in Patre: quia alterutram oportet esse inæqualem alteri. Iam siue isti naturam in Filio inæqualem & minorem statuant, siue eam, quæ in Patre, pari impietate sese obstringent.

Obiicit Mæuius. *Si valeret Iesuitæ argumentum, valeret & istud. Honorato maior est honorans; Filius honoratur à Patre Ioan. 8. v. 55. ergo Pater, vtpote honorans, est maior Filio honorato.* Huic argumento nihil deest, nisi probatio Maioris. Ex quibus Ethicis hausit Mæuius illud suum assertum: *honorans est maior honorato?* Certè non ex Aristotelicis; non ex vllis aliis, quæ cum ratione congruant: quia falsum est, & ab omni ratione auersum. Num ideo rusticus maior Imperatore, quia honorat Imperatorem? Num homo maior Deo, quia Deo honorem exhibet?

Ait Mæuius, *totum Christum Deum & hominem esse passum, crucifixum, mortuum.* Non imus inficias: neque enim medius Christus passus est & mortuus: Sed num ideo etiam secundum diuinam naturam passus est? Num ideo verum est dicere; *diuinitatem esse passam, vt tuus Lutherus impiè scripsit?* Totus homo corrumpitur, quando moritur; Num ideo etiam corrumpitur secundum materiam, & formam? Totus homo nascitur, quando nascitur. Num ideo nascitur hominis materia vel anima rationalis? Qualis istorum hallucinatio, cum ex eo, quod totus Christus, verus Deus & homo passus est, concludunt, Christum, etiam vt Deum seu quà Deus, seu secundum diuinam naturam, passum esse.

A *Negandum non est*, inquit Mæuius. *Deum ipsum passum esse verè, non χατηχῶς, non ἐπιπολαίως, sed ἀληθῶς.* Omnino Deus ipse verè passus est; at non secundum diuinam naturam; non secundum diuinitatem, vt vos sacrilegè simul & ineptissimè sentitis; & tamen hæc vestra tam profana sensa vix liberè eloqui audetis, & si quando vobis excidunt, statim glossas producitis, quibus & impietatem & absurditatem nonnihil veletis & comatis.

Ais. *Quosdam in abstracto ὑποφυσικῶς & κατηχητικῶς* scriptitasse *diuinitatem seu diuinam naturam passam esse.* Addere debebas, etiam *ἐντυχιανικῶς*, quos inter Eutychianos principem locum obtinet tuus Lutherus, quem nil iuuat, quòd aliquando B in concreto scripsit, Deum esse passum: non enim ideo hæc propositio; *Diuinitas passa est*; desinit esse Euthychiana: & qui hanc *in abstracto* effutire non erubuit, is proculdubio neque illi *in concreto* sanũ sensum subiicit; sed hunc insanum. *Deus etiam, quà Deus*, seu, *secundum naturam diuinam passus est.*

Sancti Patres Athanasius, Cyrillus, Vigilius à Mæuio ex Concordia producti, nil aliud volunt; quàm totum Christum, Deum & hominem, passum esse; sed secundum humanam solummodo naturam: quod non obstat, quò minus totus Christus verè & realiter dicatur passus; quia etiam totus Socrates corrumpitur, quando moritur; & tamen nec materia, nec anima Socra- C tis corrumpitur, & quando bos, leo, canis morte perit; totus bos, leo, canis, perit, & tamen materia nõ perit. Similiter in Resurrectione, quando Socrates resurget, totus Socrates producetur; & tamen nec materia, nec anima Socratis producetur. Et quãdo Socrates nascitur, totus Socrates nascitur; & tamen nec forma eius nascitur; quia creatur; nec materia eius nascitur, quia est ingenerabilis. Idem & de toto Christo cogita.

Quod Vigilius dixit; Trinitatem esse clauis confixam: id vt à Pio dictũ, piè accipiendum est; cõfixa est clauis non in se; sed in vna sua ex tribus persona. Nã Filius Dei, altera Trinitatis persona, verè clauis confixus est: quæ interpretationis benignitas, ne Luthero obueniat, impediunt D cum alia, tum lex, quam ipse tulit aduersus Erasmum de huiusmodi periculosis locutionibus non in meliorem, sed in deteriorem partem accipiendis.

Mentitur *Mæuius, sub illa vnione hypostatica, quam nos cum Catholica Ecclesia statuimus, latere Nestorianismum*: quia vnam personam in Christo prædicamus, non duas, vt faciebat Nestorius: veramque & substantialem vnionem duarum naturarum in vna persona agnoscimus ac profitemur. Ex qua etiam fit, vt vtriusque naturæ attributa *in concreto* de illa persona prædicari possint. Nam Christus seu persona Verbi, verè est homo; Filius Dei verè factus est mortalis: verè passus; verè mortuus, & quidem totus; sed secundum natu-

ram

ram humanam duntaxat: hæc enim omnia *in cõcreto* de Filio Dei verè, propriè, & realiter affirmantur, eò quod in ſua hypoſtaſi naturam humanam ſibi habeat vnitam.

Multa blatit Mæuius, de hæreſi Neſtorij, ſed qui veritatem cognoſcere auet, is non Mæuium, ſed Bellarminum hoc libro tertio cap. 6. legat. Quanquam quò plura verè de ſententia Neſtorij recitat, eò ſæpius ſeſe mendacij coarguit; quod Bellarmini & omnium orthodoxorum ſententiam vocat *Neſtorianam*.

Mentitur impudentiſsimè, Bellarminum *clamitare: alium Chriſtum eſſe paſſum: alium, non paſſum; alium obediuiſſe: alium non obediuiſſe*: cum Bellarminus vbique doceat & ſonora voce confiteatur, vnum eundemq; Chriſtum paſſum, vnum eundemque Chriſtum Patri ſuo obediuiſſe: quamuis non ſecundum naturam diuinam; ſed ſolùm humanam. Num ideo conduplicatur Chriſtus? Num ideo alius atque alius Chriſtus conſtituitur? Num duos Mæuios conſtituo, ſi dicam, iſtũ Mæuium eſſe mortalem; ſed ſecundum corpus; & immortalem; ſed ſecundum animam? Qualis Sectarij iſtius ſtupiditas ſimul & nequitia, quam mox iterum exerit, cum *Neſtorianiſmi* accuſat, quod Bellarminus ſcribit, Chriſtum eſſe paſſum & mortuum non ſecundum diuinitatẽ, ſed ſolùm ſecundum carnem, iuxta illud 1. Petri 4. *Chriſto igitur in carne paſſo*.

Quæritur, inquis, an particula iſta *carne* ſit χωριστικὴ, *quæ vim ſeparandi & excludendi habeat, vt videlicet alteram naturam à proprietatum alterius naturæ communione auellat*. Omnino talem vim habet hæc particula; Indicat enim in abſtracto ſecundum ſolam naturam humanam paſſum; nullo modo autem ſecundum naturam diuinam, neq; enim proprietates naturę humanæ, quales, *pati, mori poſſe*, & ſimiles per vnionem hypoſtaticã in diuinam naturam transfuſæ ſunt, vt nec vice verſa, proprietates naturæ diuinæ in humanam tranſierunt.

Obiicis. *Hoc repugnat Paulino illi ad Rom. 1. Filius Dei natus eſt ex ſemine Dauidis ſecundum carnem, quia ſi hic determinatio proprietatis ſecundum carnem, habet vim χωριστικὴν, ſeu ſeparatiuam, ineuitabiliter ſequitur, quod ſola caro in plenitudine temporis nata ſit.* Minimè hoc ſequitur, ſed hoc. Filium Dei ſecundum ſolam carnem, hoc eſt, humanam naturam ſolam in plenitudine temporis natum eſſe. Audi Prædicans; Filius Dei verus Deus, & homo, natus eſt ex Deipara; ſed ſecundum ſolam humanitatem; nam vt ſecundum diuinitatem naſcatur ex Virgiẽ, id ſimpliciter impoſsibile eſt; quia diuinitas eſt æterna. Certiſsimum igitur eſt, & firma fide tenendum, Filium Dei ex poſteritate Dauidis natum eſſe; ſed ſecundum naturam humanam, non diuinam. Quod enim tibi imaginaris, Filium Dei non poſſe dici natum ex ſemine Dauid, niſi etiam ſecundum diuinitatem ex ſemine Dauidis ſit natus, id ſtultiſsima eſt imaginatio, & flagris caſtiganda, cum ne Mæuius quidẽ ſecundum animam rationalem natus ſit ex ſemine ſui genitoris, quandoquidẽ anima creatur, non generatur; & tamen Mæuius & quidem totus, verè appellatur ſui parentis filius.

Iuſtat Mæuius. *Propter vnionem duarum naturarum in vna hypoſtaſi verè dici poteſt, Filius Dei paſſus eſt: Deus paſſus eſt; ergo verè etiam dici poteſt. Deus ſecundum diuinam naturam ſeu quà Deus, paſſus eſt, ſi non per ſe & primariò, ſaltem συνέργως & ſecundariò*, ait Mæuius; qui tam *per ſe & primariò*, quàm *συνέργως*, *& ſecundariò* ſtulteſcit ac delirat, quis enim ſanæ & integræ mentis dicat, diuinitatem, etiam ſecundariò, pati & mori poſſe?

Vrget Mæuius. *Aut tales determinationes* (ſecundum humanam naturam, ſecundum diuinam naturam) *alteram naturam à communione prædicati excludunt & ſegregant, aut non excludunt.* Reſpondeo, excludere; nam cum dico, Filius Dei eſt paſſus & mortuus ſecundum naturam humanam; ſignificare volo, Filium Dei ſecundum ſolam humanam naturam paſſum & mortuum eſſe, exclusâ diuinâ naturâ à paſsione & morte.

Si excludunt, inquit Mæuius, *ſequitur ἀσυγχυσία* Samoſateni & Neſtorij, *qui dicebant naturas nihil habere commune.* Imò ſequitur inſipientia & impietas Mæuiana: quomodo enim duæ naturæ ſecundum nos nil habent commune, cum habeant communem vnam eandemq; hypoſtaſin, in qua ſubſtantialiter vniuntur, & cui hypoſtaſi attributa ſua communicant, ita vt in concreto hypoſtaſis illa à diuina natura verè dicatur *Deus, immortalis*, &c. ab humana verò *homo, mortalis, paſſibilis*, &c. Neque enim vnio hypoſtatica in hoc cõſiſtit, vt ipſę naturę ſibi mutuò ſuas proprietates communicent: nam vt naturæ; ſic etiam proprietates vtriuſque naturæ manent impermixtæ ac inconfuſæ: ſed vt eas communicent hypoſtaſi, in qua ſubſtantialiter vniuntur; de qua etiam prædicari poſſunt, ſed in concreto, de qua re vide S. Thomam 3. p. q. 16. Etibi Gregorium de Valentia. Hactenus de primo Concordiæ errore, quem non paucis erroribus cumulauit & erraticè defendere ſtuduit Mæuius.

Secundum errorem, qui eſt de Chriſto Mediatore, differo ad librum quintum, qui de hoc argumento diſſerit; ibi excutiemus ineptias Mæuij.

Tertius Concordiæ error eſt, inquit Bellarminus; quod humana Chriſti natura ſit vbique verè & realiter. Mentitur Mæuius, *Bellarminum initio ſui libelli pollicitum, ſe noua dogmata à Lutheranis hactenus non defenſa, in ſuo catalogo commemoraturum.* Vbi hæc pollicitatio in proœmiolo libri Bellarminiani? Scilicet Bellarminus neſciebat monſtrum *Vbiquitatis* ante Lutheranam Concordiam

à Lutheranis fuiſſe excogitatum, & rudibus pro verbo Dei venditatum.

Poſt hoc mendacium verboſiſsimè deblaterat, quid ipſe & ſui per vbiquitatem ſeu omnipræſentiam corporis intelligat, cùm tamen ipſimet Vbiquiſtæ primarij inter ſe non conſentiant; tamque ſubtiliter & conſtanter in hac materia verſentur, vt ſanctè iurare queas, eos, quid dicant, penitus ignorare. Quid ergo patellarius iſte ac triobolaris Vbiquiſta intelligeret, qui infantiam, inſcitiam & temeritatem ſuam plenis vbique buccis prodit, chartiſque ſuis imprimit. Hic error vbiquitatis, inquit Bellarminus, repugnat primò ſcripturis quæ paſsim aſſerunt, Chriſtum ratione humanitatis alicubi non fuiſſe.

Mi Roberte, quò prolaberis? clamat Prædicans. *Quis ex nobis vnquam dixit, humanitatem Chriſti quatenus in eſſentia ſua circumſcripta, & naturaliter conſideratur, vbiq; fuiſſe localiter? quis, inquam, hoc ſcripſit? quis ex noſtris vel cogitauit per ſebrim ſaltem? Imò verò, quæ hic contra nos aut falsò obiicis: & quod tu hic inculcas, dudum ſciimus, dudum credidimus, dudũ profeſsi ſumus,* &c.

Omitte ſis verboſitatem & ſtultiloquentiam tuam. Ad rem reſponde. Non obiicit vobis Bellarminus id, quod à te & tuis amoliri conaris: ſiue enim Chriſtum localiter vbique ſtatuatis; ſiue vno duntaxat in loco localiter & circũſcriptiuè, ſimulq; vbiq; ex vi ſeſsionis ad dexteram, modo quodam illocali & ineffabili, ſiue, inquam, hoc, ſiue illud, ſiue vtrumque ſentiatis & ſtatuatis (quia ipſi neſcitis, pridie, quis veſter ſuper hac re poſtridie ſenſus, quæue decreta futura ſint, adeo in aſſertione profani huius dogmatis lubrici & inconſtantes eſtis) loca ſcripturæ à Bellarmino producta vos feriunt, & veſtra ſomnia euertunt, quomodocunque tandem Chriſtum vbique præſentem collocetis. Nam Ioannis 6. abſolutè dicitur. *Cùm vidiſſet turba, quia* IESVS *non eſſet ibi.* Quomodo ibi non erat, ſi non tantùm ibi, ſed vbique erat?

Occurrit Mæuius: *Quod verba Ioannis 6. attinet, manifeſtè patet, ea de locali & viſibili abſentia intelligenda eſſe, additur enim, quòd turba viderit, nec diſcipulos adeſſe. Iam autem diſcipuli ſaltem localiter adeſſe poſſunt: ergo vel hinc neceſſariò ſecundum litteram dictum hoc intelligendũ eſſe de præſentia locali concluditur.*

Bona gloſſa, ſi ab Euangeliſta proceſsiſſet; nunc quoniam ab Vbiquiſtis venit; examine eget. Nam ita viderunt abeſſe ab illo loco Chriſtum ſicut viderũt abeſſe ab illo loco diſcipulos; ſed ab illo loco viderunt diſcipulos abeſſe non tantùm localiter & circumſcriptiuè; ſed, & quocunque alio modo; ergo & Chriſtum non tantũ localiter, ſed & quocunque alio modo viderunt ab illo loco abeſſe. Maior eſt Mæuij, Minor clara. Bona forma. Vera igitur concluſio.

Magnam haud dubiè gratiam ab Vbiquiſtis iniiſſet Euangeliſta; ſi ita ſcripſiſſet; cum *vidiſſet turba, quia* IESVS *non eſſet ibi, intellige, circumſcriptiuè & localiter*; quia illocaliter & incircumſcriptè videbant illum adeſſe; ſed quærebãt & deſiderabant localem & circumſcriptam præſentiam. Si turba hæc fuiſſet *vbiquiſtica*, dixiſſet; videmus illum abeſſe localiter, ſed tamen illocaliter eum adeſſe firma fide tenemus. At nihil horum contigit. Sed ſimpliciter viderunt illum non adeſſe, quia omni modo viderunt & intellexerunt abeſſe.

Profert Bellarminus hunc locum Ioan. 11. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi.* Quomodo non erat ibi, ſi erat vbique? Reſpondet Mæuius, *idem eſſe iudicium de hoc loco, quod de prædicto, quandoquidem Chriſtus verè & realiter, non ſimulatè, ſuo corpore de loco in locum eſt progreſſus, vt iſto locali modo tunc in Bethania verè, ratione naturæ aſſumptæ, non fuerit.* Hic iterum Chriſtus bene de Vbiquiſtis meruiſſet: ſi, claritatis cauſsâ, dixiſſet: *Non eram ibi*, localiter & circumſcriptè, tametſi eram ibi, modo *vbiquiſtico*. At cùm Chriſtus ſine huiuſmodi reſtrictione abſolutè dixerit; *non eram ibi*; oſtendit ſe ſecundum ſuam humanitatem nullo modo fuiſſe ibi; quia ſi aliquo modo fuiſſet ibi; non negaſſet abſolutè, ſe fuiſſe ibi. Quis enim orthodoxorum, vel etiam Vbiquiſtarum, dicat; Chriſtum ſecundum humanam naturam non eſſe in Euchariſtia; quia non eſt in Euchariſtia *circumſcriptè & realiter*? Quis audet dicere; de hoſtia heri, v. g. à communicante quopiam ſumpta: *Chriſtus non erat ibi; quia non erat ibi localiter?*

Tertius locus: Matth. vlt. *Non eſt hic, ſurrexit*: quem eadem duplicis præſentiæ localis & illocalis, circumſcriptæ & incircumſcriptæ arte eludere nititur Mæuius. Sed nihil proficit. An enim Deus non eſt hic, in hoc ligno, v. g. quia non eſt hic localiter & circumſcriptè? An ideo verè affirmabimus? *Deus non eſt hic.* Et tamen non eſt hic localiter & circumſcriptè: vt taceam mihi prorſus abſurdum videri dicere, Chriſtum ſub circumſcripto habitu & modo verè moueri, & de loco ad locum progredi potuiſſe, ſi fuit ſecundum ſuam naturam humanam vbique. Nam quomodocunque tandem vbique fuerit; impoſsibile eſt vt aliquid verè ſecundum ſubſtantiam ſuam moueatur, ſi eſt vbique ſecundũ ſubſtantiam ſuam. Quorſum enim mouebitur, quorſum progredietur, cum ſit vbique? Nonne motus localis eſt acquiſitio noui loci, & poſitio ſubſtantiæ in loco, vbi antea ſubſtantia illa non fuerit? Quæſo, quæ cauſſa cur Deus ſit localiter immutabilis, & de loco in locum non moueatur, niſi quia eſt vbique? Et quamuis res (vt lapis v. g.) in qua Deus eſt, moueatur, ipſe tamen non mouetur, ideo ſolum, quia eſt vbique, ex qua vbiquitate naſcitur immutabilitas ſecundum locum: Ergo Chriſtus

etiam

etiam ſub locali & circumſcripto ſchemate, moueri non potuit verè; ſed tantùm imaginariè, eo modo, quo olim Deus ſub certis externis figuris moueri videbatur quando hominibus aſpectabiliter apparebat, Scio eſſe, quibus non videatur impoſsibile, vt ſubſtantia habeat duas præſentias, *localem & illocalem*, in vno eodemque loco, & ſecundum alteram localiter moueatur in illo loco; ſecundum alteram quieſcat. Sed hanc ſententiam ego cum natura & eſſentiali ratione motus localis penitus concordare nequeo.

Secundò dicit Bellarminus hoc vbiquiſticũ dogma repugnare articulis ſymboli de Chriſti conceptione, natiuitate, paſsione, reſurrectione, aſcenſione & aduentu ad iudicium. Nam quod ad conceptionem attinet, ſi Chriſtus ſecundum humanam naturam ab ortu ſuo primo vbique fuit, ſequitur eum non modò in beatæ Virginis vtero; ſed & extra, & in omnium mulierum vteris, imò vbique in omnibus rebus fuiſſe. Articulus de natiuitate, docet, Chriſti corpus poſt nonum menſem ex vtero prodiiſſe, & ſic verè eſſe natum. At, ſecundum Vbiquiſtas, ante nonum menſem, imò, primo die conceptionis fuit extra vterum, & poſt nonum menſem adhuc erat in vtero, nec inde vnquam exiit.

Hic Mæuius iterum confugit ad duplicem illam ſuam præſentiæ & exiſtentiæ rationem: *illocalem & localem*. Secundum illam, dicit Chriſtum *fuiſſe vbique à primo incarnationis momento*: Secundum alteram; *non fuiſſe vbique*; *ſed in ſolo vtero D. Virginis; neque egreſſum ex omnium vteris, ſed ex ſolo vtero virginis*. Hanc ſolutionem ne caſſa quidem nuce dignam eſſe oſtendit Bellarminus, quia, vt iam diximus, quod vbique eſt, illud non poteſt verè & realiter moueri; ſed tantum apparere: Si igitur Chriſtus ſecundum naturam & ſubſtantiam ſuam humanam, dum in vtero virginis eſſet, fuit vbique, impoſsibile fuit, vt ex virgine verè naſceretur; quia ad veram ex matre natiuitatem requiritur vera & realis ſecundum ſubſtantiam tranſitio de loco ad locum, quæ non habet locum, ſi corpus Chriſti ſecundum ſubſtantiam ſuam fuit vbique, quocunque tandem modo fuerit vbique; etiam illo illocali & incircumſcripto, in λόγῳ, vt loquitur Mæuius.

Poſt multas in Bellarminum & Ieſuitas ſcurriles criminationes & furioſas debacchationes reſpondet tandem Prædicans, *verum eſſe, quod ratiocinatur Ieſuita, ſi humanæ ſapientiæ in Theologia credendum, & illud Ariſtotelis, quo fieri μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, prohibet, negligendum eſt*: Scilicet dimiſſa humana ratione amplectemur ſtultitiam & inſaniam Lutheranã, exq; ea, ſuppoſitis fidei articulis æſtimabimus, quid conſequẽsſit, quid incõſequens; nó ex ratione & ratiocinatione, fidei & naturalium ſcientiarum præſidio munita. Et cũ ſomniator aut agyrta quiſpiam ſuum nobis ſomniũ obtrudit; vociferationibus nos abſterreri ſinemus; ne huiuſmodi deliriũ ad rationis trutinam expendamus. Si verum eſt ſecundum rectam rationem, & lumen naturę, verum & realem motum localem non poſſe fieri, niſi res tranſeat à termino ſeu loco, in quo eſt, ad locum ſeu terminum, in quo non eſt; veriſsimum id itidem erit in Theologia & Theologicis myſteriis, neque enim verum vero aduerſatur, ſed cum vero ſemper & vbique amicè conſpirat, vt contra Lutheri anilia & febrilia deliria in Actu Doctorali typis publicè excuſo latius oſtendimus. Quamobrem ſi ſecundum naturale & rectum rationis iudicium, res ita, vt diximus, comparata eſt, fieri contrarium non poteſt per vllum fidei vel Theologiæ arcanum; & quiſquis ita ſapit, is non *arcanè*, ſed propalam deſipit.

De tranſitu *ab vno genere ad aliud*: certus eſto, hunc ignorare quid blateret, hacque de re nunquam legiſſe Ariſtotelem lib. 1. Poſter. cap. 7. Et vt maximè legiſſet, non intellecturum fuiſſe; adeo mens eius ſtupet ac hebet. Scilicet cum ex veriſsima & ipſo naturali lumine nota motus localis definitione, notione & ratione oſtendimus, fieri non poſſe, vt ea ſubſtantia, quæ vbique eſt, atque adeo etiam corpus Chriſti, ſi eſt vbique, moueatur; tum *de genere ad genus* tranſilimus; & quod in demonſtratione fieri vetuit Ariſtoteles, committimus. Inſpice, quæſo, Mæui, Ariſtotelem, & aliquem ex melioris notæ interpretibus, & diſpice, num qua contentione hanc tuam tam altis radicibus fixam ignorantiam vincere queas. Forſan & Apoſtolus, cum à ſeminum in terram iactorum & corruptorum in lætam meſſem exuberantia ad futuram corporum reſurrectionem argumentum ducit, *à genere ad genus* tranſcendit; vt & alij Apoſtoli, & ante omnes Chriſtus Dominus, ſæpe ex terrenis iſtis, vt pote notioribus, cæleſtia explanare & illuſtrare conſuetus.

Poſt hæc per ſummam tautologiam & battologiam repetit & recinit, quæ iam ad faſtidium vſque inculcauerat, de duplici præſentia corporis Chriſti *locali & illocali*, & vbi totam vaniloquentiam vndequaque perpenderis, hoc inane argumentulum prodire conſpicies. *Chriſtus iam eſt in aliquo cæleſti Vbi, & tamen ſimul eſt illocaliter & incircumſcriptè in λόγῳ, ergo etiam fieri potuit, vt in hoc mundo eſſet in aliquo vbi Phyſico localiter & circumſcriptè, tametſi illocaliter & incircumſcriptè eſſet vbique in λόγῳ*. Meri logi. Antecedens friuolum eſt & imperitiæ plenum. Dico, *imperitiæ*, quia Chriſtus, ſecundum naturam humanam non eſt in Verbo, niſi vt in ſua hypoſtaſi, à qua ſuſtentatur, terminatur, & vltimum ſubſtantiale complementum accipit: totoque cælo diſtat à modo, quo ſubſtantia in loco ſeu *localiter & circumſcriptè* ſeu *illocaliter & incircumſcriptè* exiſtit. Nec vbique exiſtit hypoſtaticè humana Chriſti natura in λόγῳ, ſed ibi duntaxat,

vbi ipſa humana Chriſti natura ſecundum ſubſtantiam ſuam præſens exiſtit; licet ipſe λόγος ſit vbique, quemadmodum licet in Deo ſimus, viuamus & moueamur, Apoſtolo teſte, Act. 17. non tamen vbique in Deo, vbique exiſtente ſumus, viuimus, & mouemur, ſed ibi, vbi ſecundum ſubſtantiam præſentes ſumus.

Docet Bellarminus, monſtrum vbiquitatis etiam repugnare veritati corporis Domini in cœna, nam ſi corpus Chriſti ab ipſa conceptione eſt vbique, non egemus Sacramento cœnæ, vt præſentiam habeamus corporis Domini. Quid igitur Sacramentum cœnæ facit? non exhibet certè præſentiam corporis Domini, nam hæc antea quoque aderat, quid igitur facit? niſi hoc, quod ſignificat Chriſti corpus adeſſe? At, hoc volunt Zvvingliani, ex vi Sacramenti cœnæ nihil nos habere, niſi ſignum. Hic Mæuius nihil adducit præter denſa & immania conuicia & mendacia. Vocat I. Bellarminum *ignauè ſtupidum*. II. *ſtupidiſſimè ignauum*. Et quis hac loedoria Bellarminum petit? III. Mentitur, *Bellarminum controuerſiæ ſtatum negligere*. IV. Mentitur, *Bellarminum aſtutè præſentiæ modos confundere ac commiſcere*. V. Indoctiſsimè & ineptiſsimè garrit de præſentia Sacramentali, Chriſti *corpus fuiſſe quidem vbique in Verbo; ſed non Sacramentaliter, iam autem, inſtituto Sacramento, etiam Sacramentaliter nobis adeſſe*. Quidquid iſte blateret; nunquam hunc nodum diſſoluet. Nam ſub pane & vino, vel potius ſecundum Lutheranos Vbiquiſtas, in pane & vino corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam verè & realiter præſens eſt ante omnem actionem Sacramentalem, non ergo per Sacramentalẽ actionem fit aut ſiſtitur præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed tota illa Sacramentalis actio ſignificat tantùm præſentiam corporis Chriſti: quod manifeſtum inde euadit; quia impoſsibile eſt, vt de nouo ſecundum ſuam ſubſtantiam ibi incipiat corpus eſſe præſens, vbi antea eſt & manet præſens ſecundum ſubſtantiam ſuam; ſed corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam, antea & eſt & manet præſens in pane & vino, ex Vbiquiſtarum ſententia: ergo impoſsibile eſt, vt de nouo incipiat ibi eſſe præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam, quia iam antea eſt ibi præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam; ſed quidquid ibi fit, illud tantum erit expreſsius & dilucidius quoddam ſignum præexiſtentis in pane & vino præſentiæ Chriſti.

Quid Mæuius? Hoc negotij credit ſibi datum, vt vociferetur & bacchetur, ſed extra rem, vt ſolent bacchantes, & lymphati quà odio, quà inſcitia. Ait, *alium eſſe finem præſentiæ Sacramentalis*, et alium illius alterius vbiquiſticæ in λόγῳ, neque eſſe vbique, vt comedatur, & nexu illo Sacramentali nobiſcum vniatur, ſed hac ratione in ſolo pane & vino exiſtere. Verùm tot & tanta verborum inaniſsima profuſione, ne tetigit quidem Bellarmini argumentum, tantum abeſt, vt euerterit. Non enim loquitur Bellarminus de fine, diuerſoque reſpectu & effectu eiuſdem præſentiæ; ſed de ipſa corporis Chriſti præſentia; ſolideque demonſtrat, ſi corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam, ex vi vnionis hypoſtaticæ ſit vbique, fieri non poſſe, vt in cœna, vi actionis illius Sacramentalis ſit fiatque præſens; eſto, acquirat ibi nouum reſpectum cibi & potus, vel alium quemcunque; at non propterea ſecundum ſuam ſubſtantiam fit de nouo præſens, quia antea ibi erat ſecundum ſuam ſubſtantiam: quemadmodum & ipſe Deus non fit præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam illi rei, in qua aliquid de nouo efficit; quia antea ſecundum entiatem ſuam ibi exiſtit; licet nouam habitudinem nouumque reſpectum nanciſcatur.

Mentitur autem Mæuius cum hoc argumentum Bellarmino tribuit. *Chriſti corpus ab ipſa conceptione fuit vbique: ergo non fuit opus præſentia alia cœnæ*: non ita argumentatur Bellarminus, ſed hunc in modum. Corpus Chriſti ab ipſa conceptione eſt vbique, ergo non egemus Sacramento cœnæ, vt per illud habeamus præſentiam corporis Chriſti, ſecundum ſuam ſubſtantiam. Probatur conſequentia. Quia corpus Chriſti verè & realiter adeſt, abſque omni Sacramento cœnæ; quid ergo hoc Sacramento opus ad præſentiam corporis Chriſti habendam? Quod enim Mæuius clamat: *eſſe in Sacramento ſecundum fructum, gratiam, & ſpiritalem nobiſcum copulam*; id nihil eſt, niſi quidam Zvvinglianiſmus cum Vbiquitate admodum concinnè temperatus: nam & Zvvingliani ſeu Caluiniſtæ vi Sacramenti nihil nobis exhiberi tradunt, niſi fructum & effectum gratiæ: ſi non ipſorum verba, ſed ſenſa conſiderare velimus.

Adfuit ante, clamat Mæuius, *& verè adfuit, ſed non ita adfuit, non hoc modo adfuit*. Hoc ipſum eſt, quod Bellarminus ex veſtra ſententia, deduci ait. Adfuit antea corpus Chriſti ſecundum ſuam entitatem in pane & vino; ergo ſecundum ſuam entitatem non fit præſens in pane & vino per actionem illam Sacramentalem: Non ergo opus habemus Sacramento cœnæ ad præſentiam corporis Chriſti habendam: ſed tantùm ad hoc, vt Chriſto per fructum gratiæ & per vnionem ſpiritalem fruamur. Quæ fruitio Caluiniſmum haud occultè halat.

Mentitur, hoc eſſe Bellarmini argumentum. *Chriſti corpus ſemper vbique fuit: ergo in cœna non poteſt verè adeſſe, ſed tantùm notari & ſignificari*: nunquam hoc delirium Bellarmino in mentem venit, ſic enim argumentum inſtituit. Corpus Chriſti eſt vbique præſens ſecundum ſuam ſubſtantiam ex vi vnionis hypoſtaticæ, ergo nec eſt, nec fit præſens ſecundum ſubſtantiam ſuam

in pa-

in pane & vino per Sacramentum cœnæ, quia iã antea præſens erat; vt iam ſæpius dictum. Nec enim Mæuius ideo fit præſens in ſuo cubiculo, in quo antea eſt; quia nunc in illo ita eſt præſens, vt ſtet; nunc, vt iaceat; nunc vt ambulet; nunc vt ſedeat; quia modi præſentiæ non cõſtituunt nouam præſentiam. Quapropter conuicia, quæ hic Prædicans in Bellarminum exſpuit, ad ipſum meritiſsimò remittuntur. *Deum immortalem; quæ inaudita*, Mæuio tamen digniſsima, *eſt* hæc *aſyllogiſtia? Somno oppreſſus hæc ſcripſiſti, aut, quod facilius credo, ex mera calumniandi petulantiſsima libidine.*

Mentitur Bellarmini argumentationem eſſe ſimilem huic. *Chriſti corpus vbique regnat; ergo in ſede beatorum non adeſſe verè poteſt, ſed ſignificatur ſaltem.* Reſpondebo Mæuio verbis Mæuianis. *Mentiri, quantumuis tectè, illicitum eſt: apertè autem & abſque reſpectu hominum plauſtra mendaciorum horrendorum cumulare, ſceleſtum eſt*: nam quidquid hic declamitas, id nil aliud eſt, quàm iuge quoddã mendacium: non enim dicit Bellarminus, vos, ex veſtra ſententia, in veſtra cœna nil aliud agnoſcere, vel habere, quàm agnoſcant & habeant Zvvingliani & Caluiniſtæ; ſed ex vi Sacramenti vel actionis Sacramentalis nil vos habere dicit, quàm quod Caluiniſtæ habent; non enim habetis corpus Chriſti præſens ex vi Sacramenti; ſed ex vi vnionis hypoſtaticę. Quidquid ergo ex vi ipſius Sacramenti habetis, id tantum eſt fructus vel effectus corporis Chriſti.

Dicit Bellarminus vbiquitatis dogma excogitatum fuiſſe ad deſtruendam Zvvinglij hæreſin. Hoc Mæuius mendacij poſtulat, idque ob iſtud argumentum: *Si dogma hoc demum Zvvinglij tempore excogitatum eſt; ſequitur id antea & Apoſtolis, & Spiritui ſancto ipſi, totiq; antiquitati fuiſſe ignotiſsimum, ſed falſum hoc: ergò & illud.* Concedo ſequelam liberaliter. Nulli enim veterum hoc monſtrum vel per ſomniationem vnquam probatum aſſertumue fuit. Spiritui ſancto error hic non fuit vnquam ignotus: ſed ſi ideo non eſt error, quia à Spiritu ſancto præuiſus eſt; etiam Arij error non erit error, quia & iſte à Spiritu ſancto æquè eſt præcognitus.

Obiicit Bellarminus: corpus Chriſti, ſi ſit vbique, non poſſe ſimul verè cum pane, quantumlibet conſecrato, ſumi & comedi, nec ſanguinẽ cum vino, quantumlibet conſecrato, bibi. Nam panem & vinum ideo verè ſumi & comedi, quia non ſunt vbique; hinc tranſire de menſa ad manum; de manu ad os, de ore ad ſtomachum, & hæc de Chriſti corpore & ſanguine nullo modo dici poſſe, ſi ſint vbique: neque enim in pane & vino ſumimus, hoc eſt, comedimus Deum ſeu diuinitatem, licet panem in menſa manducemus, & aquam bibamus: idque propterea, quia Deus eſt vbique, ideoque immobilis, nec de loco ad locum transferri potis.

A Reſpondet Mæuius: *Abſurda, & impoſsibilia in Theologia, non eſſe ex impoſsibilitate noſtræ naturæ, & cerebello illo, in myſteriis fidei ſtupidiſsimo, fingenda. Quanto enim tibi impoſsibilior res videtur; tantò Deo eſt factu facilior.* Mirabile profectò reſponſum. Qualis illa Theologia, quæ abſurda, & impoſsibilia continet? Ego extra hæreticam ſynagogam nullam eiuſcemodi noui. Deinde lepidũ duco, quod iſti cum ex ipſa rerum euidentia vrgentur, dictitare ſolent, rationem eſſe cœcam & ſtupidam, neque horum talium capacem. Lumine naturali cognitum eſt, illud quod eſt vbique, non poſſe verè moueri localiter. Vbiquiſtæ hoc inficiantur, Nobis ad tantam ſtultitiam cohorreſcentibus, mox clamitant, *non eſſe quod miremur, rationem iſthæc non capere*: in quo illis libens aſſentior, nam B ratio non capit quomodo id, quod ſecundum ſubſtantiam ſuam vbique exiſtit, verè & realiter moueri poſsit localiter. Naturali itidem lumine omnibus hominibus inſito exploratum eſt id, quod verè manducatur & bibitur, per motum localem ad certas partes, vbi prius non erat, trãſuehi & tranſportari debere. Nam eſus verè ſic dictus & potus neceſſariò cum motu locali coniungitur. Hic aduolant noſtri Vbiquiſtæ; & inuerſo naturæ ordine nobis perſuadere conantur, ſe manducare & bibere corpus & ſanguinem vbiq; exiſtentem, & nullius localis motionis capacem. Cæterùm, ſi quanto *res impoſsibilior videtur, eò eſt Deo factu facilior*; tum facillimum erit C Deo binarium numerum facere imparem; & *ternarium, parem*, quia hoc valde videtur impoſsibile. Facilimè etiam facere poterit, vt ipſe non ſit æternus, omnipotens, bonus, infinitus, quia hæc talia maximè videntur impoſsibila.

Secundò reſpondet, *argumentum Bellarmini procedere ex falſo principio, quia tum demũ ſecuturum corpus Chriſti ſumi non poſſe, ſi mutaretur ſeu tranſubſtantiaretur in panem: hoc autem tranſubſtantiationis dogma eſſe impium, blaſphemum*, &c. At hæc reſponſio procedit ex immenſa quadam Mæuij ſtultitia, qua excæcatus, videre non potuit, vnde Bellarminus argumentum ducat; inde nimirum, quod impoſsibile ſit, illud, quod eſt vbique, moueri localiter. Eſtne hoc principium falſum? Quæ, dic D quæſo, cauſſa eſt, cur Deus nequeat loco moueri, niſi quia eſt vbique, & propter iſtam vbiquitatem immutabilis localiter?

Deinde quis vnquam docuit corpus Chriſti tranſmutari ſeu *tranſubſtantiari* in panem; & ſanguinem in vinum? Catholica Eccleſia panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutari & *tranſubſtantiari* tradit. Mæuius imperitiſsimè hæc confundit; quaſi mutatio corporis in panem; & mutatio panis in corpus Chriſti, ſint vnum & idem, bacchaturque inuerecundè in *tranſubſtantiationem*, cum neque quis Catholicæ Eccleſiæ ſuper hac re ſit ſenſus, intelligat; quæ nunquã tranſubſtantiationem corporis Chriſti in panem; ſed vice

verſa,

versa, panis in corpus Christi, contra inferorũ portas asseruit.

At cedo Mæui, *cur non potest verè manducari & bibi corpus & sanguis Christi, si panis & vinum transubstantientur in corpus & sanguinem Christi, seclusâ vbiquitate, sicut ab Ecclesia Catholica secluditur?* Annon adest tunc corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini; Annon de loco ad locũ transferri potest? Annon de mensa ad manum, de manu ad os, de ore ad stomachum transire ac transmitti potest? Nam quod *posita illâ tuâ phantasticâ transubstantiatione*: corporis & sanguinis Christi in panem & vinum, corpus & sanguis Christi verè nequeat sumi, liquidum est; quia nec corpus nec sanguis Christi adesset amplius si transubstantiaretur in panem & vinum. Itaque sicuti iam in Eucharistia nec panem nec vinum, quoad substantiam, sumimus, quia quoad substantiam suam transmutantur in corpus & sanguinem Christi, ita tunc corpus & sanguis Christi non sumerentur, quia *transubstantiarentur* in panem & vinum. At quis huius *transubstantiationis* corporis & sanguinis Christi in panem & vinum auctor est, nisi supina Mæuij inscitia, & calumniandi præceps audacia?

Ad exemplum de Deo allatum à Bellarmino, respondet Mæuius, *Si de Deo Filio sermo sit, manducari eum, qui vbique est, in cœna*: Sed adde; secundum id, quo non est vbiq; , nempe secundum corpus & sanguinem. Nam, si corpus & sanguinẽ Christi vbique colloces, impossibile erit, vt verè manducetur ac bibatur, quia impossibile erit, vt de loco ad locum transferatur. Hunc tandem nodum aut dissolue, Mæui, aut disseca, si potes: Nam quidquid eo integro, declamitaueris, id in ventum & fumum ibit.

Deum aliis in rebus non sumi seu manducari concedit Mæuius; caussam reddit, *quia non velit in aliis rebus à nobis sumi; neque illis Sacramentaliter præsens sit.* Respondeo, licet Sacramentaliter præsens nõ sit, intimè tamen per essentiam suam præsens est; & cum illis secundum indistantiam penitissimè vnitur. Quæ ergo caussa est, cur quando panem de mensa tollis, & ex manu ad os transfers, & ex ore ad stomachum traiicis, non moueatur etiam cum pane Deus, deque mensa ad manum, de manu ad os, & ex ore in stomachum transferatur; quæ, inquam, caussa est, nisi quia est vbique: ac proinde moueri non potis: & si illis in locis, ad quę mouetur panis, Deus non existeret, verè ad illa cum pane moueretur & trãsferretur. Ex quo sequitur, stultum esse, quod opinatur Mæuius, *à Deo, si vellet, fieri posse, vt in pane & vino verè à nobis comedatur, & bibatur.* Potestne Deus facere; vt ipse non sit vbique? potestne facere vt de loco ad locum transferatur; quia hoc ad veram & realem manducationem necessariò requiritur?

Postquam Bellarminus ostenderat corpus Christi non posse verè sumi & manducari in Eucharistia, si sit vbique; subiungit: Quorsum igitur Eucharistia? Vt habeatur corpus Christi fructuosè, dicet aliquis Brentianus. Ergo solus fructus, sola efficacia, sola virtus corporis Domini sumitur in cœna; at hoc ipsum docent Caluinistæ. Mæuius iterum omnia agit, excepto eo, quod agendũ erat. Oggrunnit, *Sumi corpus Christi realiter & substantialiter. Sumi secundum fructum à bonis & fidelibus: non ab improbis.* Occinit: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali.* Quorsum hæc omnia, nisi vt non totus obmutescat, & rudium oculos vaniloquentiæ suæ nebulis obnubilet. Si iste non esset rabula, sed disputator doctus, demonstraret nobis, quomodo, corpus Christi verè sumi & manducari queat, non obstante vbiquitate corporis Christi; Quandiu enim hoc nõ ostendit, nunquam Bellarminiano argumento satisfaciet. Nec suam Doctrinam à Caluinismo satis vindicabit. Sequitur enim ineuitabiliter, corpus Christi ex principiis *vbiquistici* tantummodo secundum fructum sumi, & manducari; quia secundum substantiam verè sumi & manducari non potest, cum sit vbique.

Quartò dicit Bellarminus, vbiquitatem repugnare Decreto Dresdensi promulgato in Saxonia ab iisdem Confessionis Augustanę Theologis Anno 1571. Mæuius expeditè sese expedit. Ait, *decreti illius Auctores fuisse Caluinistas; & mentiri Bellarminum, quod decretum illud ab Augustanæ Confessionis professoribus profectum dicat.* Sed cum decretũ Dresdense ab Academiis Lipsiensi & VVitebergensi, & à tribus Consistoriis, & ab omnium Saxonicarum Ecclesiarum Superintendentibus partim factum, partim approbatum fuerit; nemo non videt, mentiri Mæuium, nisi dicere velimus, totam Saxoniam tunc fuisse Caluinianam, exceptis pauculis, qui postea, Smidelino duce & auspice, caput cum sua vbiquitate attollere, & Dresdense decretum refigere cœperunt. Vide Hospinianum Caluinistam lib. de origine & progressu libri Concordiæ cap. 3. Nonne & sunt & fuerunt ex Lutheranis & Augustanæ Cõfessionis sectatoribus, qui vbiquitatem reiiciant, & tanquam informe monstrum, execrentur, & hanc potissimum ob caussam libro Concordiæ subscribere renuerint? Vide Hosp. lib. cit. cap. 35.

Quintò dicit Bellarminus, vbiquitatem repugnare Melanchthoni, primario Augustanæ Confessionis & Apologiæ Architecto. Non negat hoc Mæuius: sed mentitur, Philippum, *quando confessionem scribebat, versatum in hac vbiquetaria sententia.* Mentitur, inquam; quia nulla, ne obscura quidem vbiquitatis mentio fit in Augustana Confessione. De Philippo vide Hosp. lib. cit. cap. 1.

Vltimò dicit Bellarminus, vbiquitatem repugnare sanctis Patrib⁹. Oggãnit Mæuius: *se ad Patres respõsurum ἀναπυαστικῶς καὶ κατασκευαστικῶς, τοῦτ' ἔστιν,*

τῶν

Dior. Quanta copia reſponſionum; quanta vbertas, & quidem Græca. Si ſingula poſtmodum propius inſpicias, nil niſi re deſtitutã, hoc eſt, inanem & verboſam pollicitationem, offendes. Ait; cum ſuo Kemnicio, *Patribus multum certaminis cum Manichæis & Eutychianis fuiſſe; & nil aliud voluiſſe, quam Chriſtum habuiſſe verum corpus; proprietatibus Phyſicis conſtans, locale, circumſcriptum; interim non negaſſe, quin corpus illud alia ratione, nimirum illocali & incircumſcripta in Verbo exſtiterit, & etiãnum exiſtat.* Miſerabilis planè defenſio, vt intelliget, quiſquis legerit & perpenderit Patrum teſtimonia, quæ Bellarminus hoc lib. 3. de Chriſto, cap. 14. profert. Plerique enim Patres non tantum dicunt Chriſtum habere corpus naturalibus proprietatibus præditum, & loco circumſcriptum; ſed palam negant, corpus Chriſti eſſe vbique, vel tam latè, quàm Verbum diffundi, & hoc ipſo quod docent, Chriſtum habere corpus naturalibus proprietatibus conſtans, quod de loco in locum tranſeat, vel tranſierit, vereque nõ imaginariè & phantaſticè motum fuerit; ſimul itidem docent, corpus Chriſti non eſſe vbique præſens, ad eum modum, quẽ Vbiquiſtæ comminiſcuntur, quia impoſsibile eſt, vt corpus, quod ſecundum ſubſtantiam vbiq; eſt præſens, verè & realiter ſecundum ſubſtantiam ſuam moueatur motu locali, ſub quacunque tandem ratione cõſideretur, quemadmodum impoſsibile eſt, vt Deus ſub quacunque demum ratione ſpectatus localiter moueatur, eam ſolùm ob cauſſam, quia eſt vbique.

Quàm autem iſtum & alios Vbiquiſtas frontem fortiter perfricuiſſe oportet, quando Vigilium pro ſe allegant cum lib. 4. contra Eutychẽ diſertiſsimè vbiquitatem repudiet. *Si Verbi*, inquit, *& carnis vna eſt natura, quomodo cùm Verbum vbique ſit, non vbique inueniatur & caro? Namq;, quando in terra fuit, non erat vtique in cælo: Et nunc, quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra. Et, in tantum non eſt, vt ſecundum ipſam Chriſtum exſpectemus venturum de cælo, quem ſecundum Verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum vos, aut Verbum cum carne ſua loco continetur: aut caro cum Verbo vbique eſt: quando vna natura contrarium quid, & diuerſum non recipit in ſeipſa. Diuerſum eſt autem, & longè diſsimile, circumſcribi loco, & vbique eſſe: Et, quia Verbum vbique eſt; caro autem eius vbique non eſt; apparet, vnum eundemq; Chriſtum vtriuſq; naturæ, & eſſe quidem vbique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ: & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ: creatum eſſe, & initium non habere: morti ſubiacere, & mori non poſſe: quod vnum illi eſt ex natura Verbi, quâ Deus eſt: aliud ex natura carnis, quâ idem Deus homo eſt. Igitur vnus Dei Filius, idemque hominis factus Filius, habet initium ex natura carnis ſuæ: & non habet initium ex natura diuinitatis ſuæ: creatus eſt per naturam carnis ſuæ, & non eſt creatus per naturam diuinitatis ſuæ: circumſcribitur loco per naturam carnis ſuæ: & loco non capitur per naturam diuinitatis ſuæ: minor eſt etiam Angelis per naturam carnis ſuæ; & æqualis eſt Patri ſecundum naturam diuinitatis ſuæ: mortuus eſt naturâ carnis ſuæ; & non eſt mortuus natura diuinitatis ſuæ. Hæc eſt fides, & confeſſio Catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiunt.*

Hunc Vigilij locum integrum adſcribere libuit, vt Mæuij & aliorum inuerecundia validius cõtunderetur, qui Mæuius ineptiſsimè conatur Vigilio affingere ſuam vbiquitatem; ex his ab illo ſcriptis verbis: (Chriſtus) *maior eſt Angelis per naturam Deitatis. Minor eſt Angelis, per naturam carnis.* Subiicit Mæuius: *Quod ſi ergò minor eſt caro Chriſti Angelis, vtiq; vel reſpectu ſolius naturæ humanæ in ſe, & ſuis proprietatibus conſideratæ; vel etiam, in ipſiſsima ſeſſione ad dextram virtutis, minor dicetur, ſed poſterius eſt abſurdiſsimum, contraq; manifeſta verba Apoſtoli Eph. 1. Hebr. 1. vbi, Maior, præſtantiorq; omnibus angelis Chriſtus, per exaltationem factus eſſe dicitur.* Reſpondeo, naturam humanam phyſicè conſideratam eſſe minorem naturâ Angelicâ: ſiue phyſicè conſideretur præcisè & abſtractè ab vnione hypoſtatica; quod in confeſſo eſt; ſiue, phyſicè & ſecundum entitatem ſuam ſpectetur etiam vt exiſtit in hypoſtaſi Verbi: quia etiam, vt ſic, ſecundum ſuam entitatem minor eſt, quàm natura Angelica; nihil enim vnio hypoſtatica in naturali entitate humanitatis aſſumptę mutauit. Quomodo ergo maior eſt Angelis? Apoſtolus non dicit humanã Chriſti naturam, eſſe *maiorem Angelis*, nempe ſecundum eſſentiam ſuam; ſed ait; *Chriſtum* eſſe *maiorem & meliorem Angelis*; quia Chriſtus eſt Filius Dei naturalis, etiam ſecundum humanam naturam. Deinde Chriſtus eſt *maior & melior* Angelis effectus, etiam ſecundum humanam naturam, quia eſt caput, Rex, Princeps, & Iudex Angelorum, etiam quà homo, ſeu ſecundum humanam naturam. Igitur Chriſtus, ſedens ad dexteram maieſtatis in excelſis, ſecundum humanam naturam maior & melior Angelis effectus eſt ob iam dictas cauſſas, non autem ob vbiquiſticam ex ſomniis Lutheri, Brentij & Smidelini natam omnipræſentiam.

Hinc nullius ponderis eſt hoc Mæuianum argumentum: *Aut Chriſtus dicitur exaltatus ſecundum diuinam, aut ſecundum humanam naturam: non ſecundum diuinam; quippe ipſa eſt exaltans, & exaltari magis nunquam poteſt. Ergò ſecundum humanam.* Omnino ſecundum humanam naturam exaltatus eſt. Inſtas. *Si ſecundum humanam naturam, ſecundum hanc quoq; maior omnibus angelis factus afferitur.* Omnino, ſed eo ſenſu, de quo paulò antea. Vrges: *Si hoc: ergo Vigilius tantum de eſſentialibus, ſeu carnis proprietatibus naturalibus verba fecit: quando ſcribit; Chriſtum ſecundum, ac per humanam naturam circumſcribi loco.* Non abnuo de naturalibus proprietatibus accipiendum Vigilium; Sed addo, eũ loqui de eius carnis proprietatib⁹, quæ in hypoſtaſi diuina exiſtebat, & prout in illa exiſtebat. Nam humanam naturam aſſumptam à Chriſto ait *circumſcribi loco*, atq; adeo illam naturam, quæ ad dexteram Dei exal-

tata

tata est; non vt precisè, & quasi extra Christum, spectatur, sed etiam, vt est in Christo; & vt à diuino verbo hypostaticè terminatur.

Ad testimonia Patrum, quæ Mæuius ex libro Concordiæ, seu ex Appendicibus ad illum librum exscripsit, magna ex parte respondit Bellarminus lib. 3. de Christo, cap. 18. Et ferè nihil aliud volunt, quàm Christum esse Deum & hominem; esse omnipotentem, immensum, infinitum, &c. & id genus alia, quæ de Christo, Deo & homine, in concreto prædicari solent.

Clamat Mæuius, *Bellarminum ad Patrum testimonia mutum esse.* Quam mutus sit, discet ex cap. 14. & 18. huius tertij libri. Nam quòd in Iudicio de Concordia, libello aureo, nil ad auctoritate Patrum respondit, mirandum non est, quia libellum non librum conficere voluit. Mentitur Mæuius, *Bellarminum in oppugnatione Vbiquitatis à Scholasticis discedere. Quis Scholasticus hoc portentum defendit?*

Quartus error Concordiæ à Bellarmino notatus, est, quod Christi humanitati sint collata verè & realiter multa attributa diuina, vt omnipotentia, omniscientia, atque adeo ipsa diuina maiestas. Qui error destruit veritatem humanitatis Christi, renouat hæresin Eutychetis, & pugnat cum symbolo fidei. singula probat deinde Bellarminus. Mæuius consuetam artem facitat. Declamat, exclamat, mentitur, conuiciatur; & ne homini iniuriam faciam, tandem argumentatur. En primum argumentum. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, ergo humanæ naturæ Christi collata est ipsa diuina maiestas & omnipotentia, & omniscientia, non in hypostasi, ne errες, sed in se, ita vt formaliter sit omnipotens, omniscius, &c.* Probatur consequentia. Quia scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. *Ex quo dogma hoc nostræ Concordiæ,* inquit Mæuius, *potentissimè roborabimus:* inter quæ robora hoc, quod iam proposui, argumentũ, primas obtinet: quia potestas Christi est *παντοκρατορία, quæ nihil excluſum habet, quia omnia sibi subiecta habet,* &c. omnia nimirum, quæ ad officium summi sacerdotis, Regis, Iudicis, & capitis Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis requirũtur: omnis enim potestas ad hũc finem, hoc est, ad gubernationem Ecclesiæ necessaria, Christo quà homo, seu secundum humanam naturam est concessa tam in res, quæ sunt in cælo, tam in illas, quæ sunt in terris.

Dices, hæc potestas dicitur *æterna,* Daniel. 7. *Potestas eius, potestas æterna.* Faciamus sic, sermonẽ esse de potestate, quam Christus Matthæi vlt. sibi collatam dicit; æterna est hæc potestas, quamuis non sit diuina, sed diuina potestate minor; quia in omnem æternitatem durabit; Nam Christus hominum atque Angelorum Rex in æternum manebit. Neque vllus ex veterum, Patrum cætu hunc locum de *vbiquistica* omnipotentia accepit: Quare fumos vendit Mæuius, dũ antiquos scriptores adducit: nil enim aliud volunt, quàm Christo datam omnem, hoc est, plenissimam potestatem regiam, iudiciariam, & sacerdotalem ad totius Ecclesiæ gubernationẽ: neque verò vox illa *Omnis*, æqualitatem diuinæ potentiæ, vel ipsam diuinam potentiam necessariò indicat; nam & Rex verè dicere potest: Data est mihi omnis potestas in regnis meis. Omnia mihi tradita sunt; nec tamen diuina se potentia præditum significabit, sed humanâ. tametsi maiore & excellentiore, quàm sit illa, qua cęteri homines pollent. Itaque ineptè vrget Mæuius particulam illam; *Omnis*: cum & scripturæ & vulgari loquentium cõsuetudine; non soleat omnem restrictionem excludere. Omnia item subiecta sunt sub pedibus eius. quia est omnium Rex & gubernator, & omnibus creaturis vti potest arbitratu suo, prout ad finẽ iudicis, Regis & summi sacerdotis expedire arbitratur. Num ideo hæc potestas est ipsa potestas diuina?

Secundum Mæuij argumentum. *In Christo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ Dei; Coloss. 1. ergo Christo est collata omniscientia ad vbiquisticũ modũ.* Respondeo, consequentiam esse Mæuianam; quia si locus hic accipiatur de scientia diuina, in Christo & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei secundum diuinam naturam, itemq; secundum hypostasin, non secundũ naturam humanam. Item in Christo, etiam secundum humanam naturam, sunt omnes *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, sed creatæ. quia à primo suo ortu fuit plenus gratiæ, & veritatis, & scientiæ beatificæ ac infusæ; quę scientia & sapiẽtia meritò *thesaurus* appellatur, quia copiosissimè Christo cõmunicata est. Merito etiam *Dei* dicitur; quia à Deo tribuitur.

Vrget Mæuius vehementer illud, *quòd Christus, etiam in statu exinanitionis, nouerit omnes, licet oculis prius nõ vidisset. Ioan. 6. & 2. nouit* IESVS, *qui essent non credentes, & quis esset proditurus illum: nouerat etiam tunc suas oues Ioan. 10. Pharisæorum cogitata perspiciebat.* Matth. 9. *ergo humanæ naturæ Christi verè communicata est omniscientia diuina.* Si, vt par est, consequẽtiam neges, mox audies hanc probationem: *Quia hæc scire proprium est diuinæ naturæ.* Respõdeo; scire hæc talia per se, & per scientiam increatam & infinitam; esse proprium Dei; At negamus humanam naturam Christi, seu Christum secundum humanam naturam, sciuisse hoc ex se, & per scientiam increatam & infinitam; sed ex dono Dei; idque creato & finito; quia per lumen creatum & finitum hæc omnia cognita habuit.

Dixi iam in Labyrintho Creticohunniano, si hoc Hunnianum & Mæuianum argumentũ concluderet, secuturum, etiam Prophetas, omniscientiæ diuinæ attributum sibi communicatum habuisse. Quia & ipsi longè post futura cognouerunt, & prædixerunt: etiam ipsi cogitationes hominum occultas viderunt & peruiderunt: Etiam ipsi; quid lateret in pectore sagaciter

intuiti

intuiti ſunt. *Nonne cor* Eliſæi 4.Reg.5. *præſens erat*, quando reuerſus eſt Naaman de curru ſuo in occurſum Giezi? Nonne vidit Heliſæus, quamuis abſens, quando Giezi accepit veſtes & argentum? Nonne intellexit, quo conſilio hoc fecerit; videlicet, vt *emeret oliueta, & vineas, & oues & boues, & ſeruos & ancillas*? Nonne idem Heliſæus detexit occulta conſilia & poſitas inſidias Regis Syriæ 4.Reg.6. Nonne hanc ob cauſſam *conturbatum eſt cor Regis Syriæ*, exiſtimantis inter ſuos eſſe, qui omnia proderet: quam ſuſpicionem quidam ex famulorum numero ei eximere tentans; *Nequaquam Domine mi Rex*, aiebat, *ſed Heliſæus Propheta, qui eſt in Iſraël, indicat Regi Iſraël omnia verba, quæcunq; locutus fueris in conclaui tuo.* Nonne S. Petrus Act.5. nouit occultas fraudes & fallacias quibus Ananias & Sapphira Eccleſiam circumuenire ſtudebant? Et quid multis ambagibus opus; ſi in Mæuiana ſtultitia aliquid momenti ineſt, non in ſolo Chriſto, ſed & in omnibus Prophetis hanc Vbiquiſticam omniſcientiæ diuinæ communicationem naturæ humanæ factam inueniemus.

Mæuius appellat hanc obiectionem *ſtupidam*. *Stupida*, inquit, *Gretſeri obiectio*. Nec calumniæ ſuæ aliter fidem conciliare nititur, quàm eius, quod in controuerſia poſitum eſt, aſſumptione & repetitione, quam ſi in ſua primordia reſoluas, ſumma huc recidet: *Magno diſcrimine prænotionem & prædictionem Chriſti & Prophetarum diſcrepaſſe; illius enim naturam humanam hypoſtaticè fuiſſe vnitam Verbo: minimè verò naturam humanam Prophetarum; hinc in illam ipſius omniſcientiæ diuinæ proprietatem transfuſam; nequaquam verò in naturam Prophetarum: Quare naturam humanam Chriſti omnia ſciuiſſe per omniſcientiam diuinam, non verò naturam humanam Prophetarum.*

An non eſt hæc egregia reſponſio? Quaſi ideo neceſſe, vel etiam poſsibile ſit, omniſcientiam diuinam, vel aliam quamcunque Dei proprietatem in naturam humanam Chriſti transfundi, quòd ſit cum verbo hypoſtaticè coniuncta, ita vt quæ ſcit non ſciat per creatam, ſed per increatam diuinamque ſcientiam? Nonne hoc ipſum eſt, de quo cõtendimus? Quàm pulchrè ergo ipſam quæſtionem pro reſponſo nobis Mæuius apponit? Si Heliſæi vel alterius cuiuſcunque Prophetæ natura humana fuiſſet hypoſtaticè cum Verbo vnita, non aliter niſi per lumen creatum, diuinitus ſibi infuſum, futura & abdita cordis conſilia cognouiſſet & perſpexiſſet: Impoſsibile enim eſt, vt creata natura aliter intelligat in ſe & per ſe, quàm per ſcientiam creatam.

Obiicit Mæuius. *Chriſtus quando occulta cordium patefaciebat, & futura prædicebat, non eſt locutus per humanitatem inſciam eorum, quæ dicerentur, ferè, vt mente capti loquuntur, quæ non intelligunt.* Non abnuo. Num ideo locutus eſt, hæc Chriſtus ſecundum humanitatem, conſciam harum rerum per ſcientiam diuinam & increatam? Minimè verò, quia præter hanc, cuius natura humana non eſt capax, datur ſcientia creata, beatifica & infuſa, cuius beneficio humana Chriſti natura abſentia & abdita nouerat. At Chriſtus *dicitur vnctus, & quidem ſecundum humanitatem, vnctus q; ſpiritu ſapientiæ & ſcientiæ*; & quidem infinitæ. Vbi verò hoc? Ioan.3. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* Variæ ſunt huius loci expoſitiones, vt videre eſt apud Interpretes, nominatim Toletum, in caput tertium Ioannis. Demus locum accipi de Chriſto ratione humanitatis, cui Deus non dedit dona Spiritus cum menſura, ſed totam plenitudinem donorum, vt nullum ei deſit, & in tota perfectione, quantam potuit natura humana iuxta legem diuinæ prouidentiæ capere; quid hinc extundet? Num ipſa attributa diuina & increata tributa eſſe naturæ humanæ in ſe? Stolida eſt hæc cogitatio, & ſtolidior adhuc hæc collectio. *Deus non dedit Spiritum, hoc eſt, dona Spiritus; Filio ſuo*, hoc eſt, humanæ naturæ Filij, *ad menſuram; ergo dedit ei in ſe*, non tantum in hypoſtaſi, (nam de hoc non controuerſamur) *ipſa increata & infinita dona.* Anile delirium. Nam licet illud: *non ad menſuram*; ſignificaret, veram & categoricam infinitatem; non tamen ſequeretur id, quod vult Mæuius; quia ſi dediſſet illi infinitam categorematicè ſcientiam & ſapientiam, vt abſolutè fieri poſſe, non inuiti dant, quicunque infinitum à Deo effici poſſe in quocunque genere abſolutè docent; non tamen ideo Deus humanæ Chriſti naturæ ſuam increatam & diuinam ſcientiam communicaſſet; nec infinitam abſolutè in omni genere rerum; vt eſt ſcientia diuina; ſed creatam, & in vno duntaxat genere, nimirum in intenſione graduali, infinitam?

Deinde illud: *Non ad menſuram*; non ſignificat veram & poſitiuam donorum infinitatem. ſed copiam, multitudinem & varietatem; tum in ipſa vniuerſalitate donorum, tum in intenſione. Neque enim quædam duntaxat dona creata contulit Deus humanæ naturæ Chriſti; ſed omnia dignitatem & ſtatum eius non dedecentia, nec in remiſſo, ſed in *intenſiſſimo* gradu contulit, ita, vt ſecundum legem Dei ordinariam; nulla gratia, nullaque ſcientia intenſior eſſe queat, quàm illa, qua humana Chriſti natura inſignita eſt. Hinc rectè dicitur, non *ad menſuram* data, licet non ſit infinita. Nam & vulgari loquendi conſuetudine, vbi cibus & potus affatim apponitur, dicere ſolemus; non præberi *cibum & potum ad menſuram*; ſed ſine menſura, hoc ipſo, quod cuiuis tantum datur, quantum cupit; nec propterea infinitum cibum & potum ſuppeditari affirmamus; ſic & in præſenti aſſerimus cum ſcriptura; humanæ naturæ Chriſti in ſe non data dona Spiritus *ad menſurã*, ſed ſine *menſura*, tum quia omnis generis dona ei conceſſa ſunt, tum quia in ſumma perfectione; prout nimirum officium, quo functurus erat Chriſtus, exigebat.

Citat Mæuius ex Cõcordiæ libro multos pro ſuo febrili ſompio Patres, at nullus eorum affirmat, humanã Chriſti naturam intellexiſſe & ſciuiſſe omnia per increatam & infinitam verbi diuini ſcientiam; ſed ſciuiſſe omnia, & quidẽ perfectiſsimè, nimirum per ſcientiam creatam, beatificam & infuſam: ſcire omnia, quę ſcit Deus, notitiâ viſionis, hoc eſt, omnia, quæ aliquando exiſtent, vel exſtiterunt: ſed ſcientiâ creatâ; neque enim ad horum cognitionem requiritur ſcientia increata. Scire omnia (intellige per ſcientiam creatam) beneficio perſonalis vnionis, vt aſſerit Damaſcenus lib. 2. fid. Orth. cap. 22. quia talis ſcientia creata debebatur humanæ naturæ Chriſti propter vnionem hypoſtaticã cum Verbo. Hinc ſcribit idem Damaſcenus lib. 3. cap. 19. Chriſti animam omnia intelligere & noſſe, *non vt eſt nuda hominis mens, ſed vt Deo coniuncta*, quia hanc ſcientiam humana Chriſti natura non accepit præcisè, qua talis, ſed qua cum Verbo in eodem ſuppoſito coniuncta erat.

Breuiter nullus eſt ex ſanctorum Patrum & Eccleſiaſticorum ſcriptorum numero, qui vel hoc omniſcientiæ vel aliud Dei attributum humanæ naturæ in ſe & ſecundum ſe collatum doceat. Et tamen Mæuius hic thraſonicè Bellarminum ſic compellat. *Hic, mi Bellarmine, liceat mihi quærere, ſi omni ſcriptura dogma noſtrum deſtitueretur, ſolaq; Patrum autoritate ſuffiretur, quid ad tot excellentium virorum verba reſponderes, præſertim verò Magiſtro ſententiarum, quem inſtar numinis, Pontificij alióqui colunt, quid reſponſi dares?*

Magiſtrum ſententiarum, tanquam numen à nobis coli, criminatio Mæuiana eſt. Quanquam nõ imus inficias, eum à nobis omnibus Prædicãtibus præponi, & Stancari, quamuis ſectarij de Magiſtro iudicium, verum eſſe. *Quòd, ô Tigurini,* inquit Stancarus lib. contra Tigurinos, *ſententias Petri Lombardi lacunas appellatis, calumnia, & blaſphemia eſt. Damnatis enim omnium ſanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum ſententias, & totius Eccleſiæ Catholicæ dogmata. Hac enim de cauſa appellatur Magiſter ſententiarum; quia in vnum volumen diſtinctum in 4. libros, omnium SS. Patrum autoritates, & Eccleſiæ dogmata collegit. Vnde apparet, vos nunquam libros eius legiſſe. Quod ſi etiam legiſtis, non intellexiſtis, neq; etiam eos intelligere poteſtis: cum nec Philoſophi, nec Theologi, nec boni Dialectici ſitis, vt ſcripta veſtra teſtantur. & ego ſupra indicaui. Sed quemadmodum ſues auro, quod non cognoſcunt, non delectantur, ſed luto, lacunis, & latrinis; ita & vos, non delectamini libris Magiſtri ſententiarum, quos non cognoſcitis, ſed delectamini ſecibus, & excrementis Melanchthonicis, & veſtris deliramentis, ac impiis cogitationibus cordium veſtrorum. Ideo Deus tradidit vos in ſenſum reprobum, vt faciatis, dicatis, doceatis, ſcribatis, & conſulatis alia, quæ praua, mala, & hæretica ſunt. Plus enim valet vnus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Caluini. Qui omnes, ſi in mortario tunderentur, non exprimeretur vna vncia vera Theologia, & præſertim in articulis de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, & Sacramentis.*

Ter miſeri, & infelices homines neſciunt, quid ſcribant, aut de quibus affirment; & quidquid boni in eorum libris habetur, illud totum à SS. Patribus, quos blaſphemando Lombardum vituperant, acceperunt, &c. Teſtimonia Patrum, quæ allegaſtis in fauorem veſtrum, contra vos ſunt, & condemnant vos hæreſeos, & ſummam ignorantiam cum malitia coniunctam indicant veſtram. Magiſtri verò autoritas maxima eſt; quia, non à ſe, ſed à ſcriptura, & SS. Patribus loquitur. & ſcribit, &c. Quare, omnibus piis miniſtris Verbi Dei ſuadeo, vt relinquant feces, excrementa, & lacunas Melanchthonianas, Bullingerianas, Petri Martyrianas, & Caluinianas cum ſimilibus, & libros Magiſtri ſententiarum, & SS. Patrum aureos diligenter legant, ſi veram fidem cognoſcere velint.

Hoc reſponſi daret Bellarminus, neque te, neque ſymmyſtas tuos Vbiquetarios ſcire quid loquantur, aut quid affirment, nec ſcire, quid ſit *hypoſtaſis*, nec quid *hypoſtatica* vnio; nec mirum eſſe, ſi de grauiſsimo argumento abſque rerum & vocabulorum intelligentia differentes, tam ſacras literas, quàm ſanctorum Patrum lucubrationes perperam pro ſe adducant; & ex nimio Vbiquitatis amore, ipſi ſibi ſomnia fingant, & more delirantium, quæ nuſquam ſunt, eſſe tamen arbitrentur.

De dextera Dei multa hic nugatur Mæuius. Tandem hoc argumentum exit. *Chriſtus ſecundum humanam naturam ſedet ad dexteram Dei; ergo ad æqualitatem diuinæ maieſtatis & gloriæ exaltata eſt.* At iam capite decimo quinto vidimus quid Bellarminus ad hanc obiectionem reſpondeat; vt taceam hic aliorum ſolutiones, quas huic argumento diſſoluendo adhibent.

Eiuſdem farinæ ſunt, quæ adfert Mæuius ex officio Chriſti *iudicij*; *viuificatorij*, & *Saluatorij*; quaſi vero nullus queat eſſe iudex, niſi per increatam Dei iudiciariam poteſtatem: nullusque viuificandi aut ſaluandi virtute pollere valeat, niſi per infinitam illam vim, quam Deus ad viuificandum & ſaluandum habet. Etiam fides, & quidem ſola, ſecundum Hæreticos, *viuificat & ſaluat*. Num ideo id facit vi ſaluandi infinitâ & increatâ Dei? Idem & hic cogita. Chriſtus etiam ſecundum humanam naturam iudex, viuificator & Saluator eſt, ſed per poteſtatem creatam, naturæ humanæ in ipſa vnione hypoſtatica communicatam.

Nec aliud volunt Patres, quos iſte ingenti verborum tinnitu producit. Magnas gratias debet Mæuius Concordiæ libro; nam abſque hoc promptuario fuiſſet, Mæuius de Patribus vel omnino mutus, vel ſaltem minus vocalis fuiſſet. Cuius eſt & hoc omnem ſubtilitatem exſuperans argumentum. *Chriſti caro vel humana Chriſti natura adoratur, ergo participat diuina attributa in ſe; quia adoratio eſt propriiſſimum idioma Dei*, inquit Mæuius. Reſpondeo, natura humana Chriſti adoratur latria non per ſe, ſed ratione hypoſta-

ſeos,

ſeos, in qua exiſtit: non propter ſe, ſed propter aliud, nempe propter ſuppoſitum diuinum, in quo hypoſtaticè ineſt. Adoratur, non abſolutè & ſimpliciter, ſed analogicè, & cum habitudine ad hypoſtaſin diuinam. Quid amplius Mæui?

Occinis illud Apoſtoli toties decantatum. Coloſſ. 2. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Perpendit Mæuius ſingula ſententiæ huius verba; admodum ſcilicet acutè & penſiculatè; & tandem, ſi orationem ſolam ſpectes in noſtram ſententiam delabitur, inhabitare nimirum corporaliter omnem plenitudinem diuinitatis in Chriſto, *quòd tota plenitudo Deitatis Filij, cum aſſumpto corpore, id eſt, cum humana natura, ſit vna perſona*: hoc eſt, vt clarius obſcuritatem Mæuianam explanem; quod hypoſtaſis diuina Verbi *hypoſtaticè* ſeu *perſonaliter* humanam Chriſti naturam terminet ac ſuſtentet, & incommunicabilem efficiat. Quid hoc ad *phantaſiam* ſeu inhabitationem *Vbiquiſticam*? Quid ad transfuſionem idiomatum diuinorum in ipſam naturam humanam?

Sed en Mæuij ſtuporem: *Corporaliter inhabitare, aut ad diuinam, aut humanam naturam referendum eſt. Non ad diuinam: ergo ad humanam. Et per conſequens; inhabitatio totius plenitudinis Humanitati adſcribenda eſt.* Nego Minorem, quia Apoſtolus dicit, *in Chriſto habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter.* Eſt ergo diuinitas ſeu diuina hypoſtaſis, & per illam natura diuina *habitatrix*, vt ſic loquar; habitaculum autem eſt natura humana; ſeu Chriſtus ſecundum humanam naturam: loquitur enim Apoſtolus eo loco de Chriſto, quatenus eſt homo. Nec quiſquam ita explicat; *in Chriſto, qua Deus eſt*, ſeu *ratione Deitatis, habitat corporaliter plenitudo Deitatis*; vt iſte fingit; ſed, in Chriſto, qua homo, &c. totumque paulò ante memoratum argumentum Mæuij procedit ex imperitia, qua præpeditus *habitantem* ab *habitaculo* diſtinguere neſciuit.

Locum illum Chriſti Ioan. 17. *Et nunc clarifica me Pater apud temetipſum, claritate, quam habui, priuſquam mundus fieret, apud te*, interpretatur, prout decet Eutychianiſtam, qui humanitatem in diuinitatem transformatam exiſtimat: videlicet *ipſam gloriam diuinam increatam à Chriſto carni, ſeu corpori, ſeu humanæ naturæ poſtulatam*, & per conſequens, *impetratam*; *quandoquidem nil à Chriſto abſolutè poſtulatum eſt, cuius non fuerit compos effectus.* Hic mirificè triumphat Mæuius, & tantum non coronam publicè poſcit.

Hic potiſſimum verſatur quæſtio, inquit Mæuius, *num ſecundum diuinam, num verò ſecundum humanam naturam ſe glorificari petierit? Sacramentarij, & cum his Ieſuitæ, ad diuinitatem, iſtam petitionem referunt.* Mentiris, nemo Ieſuitarum dicit Chriſtum petiiſſe clarificationem quoad diuinam naturam; ſi de ipſa in ſe & ſecundum ſe, non autem de manifeſtatione & diffuſione eius per orbem, loqui velimus; claritatem enim diuinitatis numquam vel totam vel ex parte amiſit Chriſtus, vt eam ſibi reddi neceſſe habuerit poſtulare. Quapropter aërem verberat Mæuius, & tela incaſſum iactat, cum verboſè hic deblaterat, non eſſe à Chriſto petitam claritatem diuinitatis pro ipſa diuina natura; nemo enim ſanus & rectè ſentiens hoc abnuit. Quid ergo dicimus? Hoc, *clarificationem*, quam Chriſtus petiit, petitam fuiſſe pro humana natura; ſeu pro corpore Chriſti, quod nondum erat glorificatum. Num hæc claritas ſeu clarificatio pro corpore Chriſti poſtulata, eſt increata illa, immenſa & infinita, qua diuina natura ab æterno in æternum abſque vlla viciſſitudine vel variatione fulget? Ita quidem Vbiquiſta potiſſimum propter illa verba: *Quam habui, priuſquam mundus fieret.* Sed contra ſtat veritas, cui probè perſpectum, fieri non poſſe, vt humana natura increatarum & infinitarum proprietatum diuinarum ſit capax in ſe, ita vt & ipſa à diuinis proprietatibus talis & ſit & dicatur. Itaque dicendum, per *clarificationem* hic intelligi gloriam corporis, qua Chriſtus reſurgens à mortuis donatus eſt. Hanc claritatem habuit Chriſtus apud Patrem priuſquam mundus conderetur, habuit, inquam, non in ſe, ſed in cauſſa ſua, nempe in diuina claritate, ex qua, tanquam ex fonte profluxit illa claritas, qua prius anima, & poſtea etiam corpus Redemptoris noſtri claruit. Vide Interpretes in cap. 17. Ioannis, præſertim Toletum.

Addam exemplum, vt rei non ſat lucidæ lucem accendam. Si quis à ſole claritatem peteret, clarifica me ſol claritate, quæ in te eſt; non vtique peteret ipſam claritatem, quæ in ſole, vt in ſubiecto ineſt, ſed aliam huius claritatis quaſi prolem, & effectum; ſic & Chriſtus, cum corpori ſuo à Deo, ſole illo iuſtitiæ claritatem poſtulauit, non illam poſtulauit, quæ in Deo, liceat ſic loqui, ineſt, & à diuina eſſentia non diſtinguitur; ſed aliam, effectum huius; ita comparatam, vt in corpus cadere poſsit; cuiuſmodi non eſt vlla diuinæ naturæ proprietas.

Multum inſuper gloriatur Mæuius illo ex Apocalypſi loco cap. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem*, &c. *O aurea verba*: exclamat Mæuius, *ô pretioſa verba. Ita certè ſunt illuſtria, ita perſpicua, ita præclara, vt ſi per aliam ἐξήγησιν explanare quis moliatur, magis obfuſcauerit, quam illuſtrauerit.* Sunt aurea verba, ſed non pro Vbiquiſtis. Sunt pretioſa, ſed non pro Vbiquiſtis, quorum gloſſa ſi accedat, non lucem affundit, ſed caliginem offundit. Agnus, qui occiſus eſt, hoc eſt, Chriſtus ſecundum humanitatem, dignus eſt *accipere virtutem & diuinitatem*, &c. hoc eſt, manifeſtationem, agnitionem & diffuſionem diuinitatis ſuæ per totum terrarum orbem; vt fileam Græcum textum habere τὸν

πλοῦτον, *diuitias*. Sed parum interest, siue hoc, siue illo modo legas, nil habent Vbiquistæ, quod inde pro suo delirio stabiliendo arripiant. Vt nec ex aliis, quæ ibidem de adoratione viuentis, & de illa acclamatione: *Sedenti in throno & Agno: Benedictio, & honor, & gloria, & potestas; in secula seculorum*, &c. Quia etiam Agno seu Christo secundum humanam naturam debetur benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.

Ait Bellarminus errorem hunc de communicata naturæ humanæ Christi omnipotentia, omniscientia, &c. destruere veritatem humanitatis Christi, renouare hæresin Eutychetis, & pugnare cum symbolo fidei. Hic animosissimè Mæuius: *Omnibus Iesuitis, omnibus Sacramentariis, imò vniuerso diabolorum, & squamarum eius exercitui ilia rumpentur, priusquam sanctissimam humanitatem Christi, à nobis negari; vel eandem Eutychiano, & blasphemo errore confundi, diuinamq; effici essentialiter, probatum dederint. Adesse Iesuitæ, adesse monachi, & Sacramentarij, vires vos in probando vestro ἐγκλήματι præstate.* Quam fortiter. Quam intrepidè, vt & hoc. *Adesto Cardinalis Roberte, exprome rationes tuas.* Iam adest illustrissimus & eruditissimus Cardinalis. Tu rationes suas expromenti faciles aures præbe.

Si Christi humanitas, verè, & realiter non solum est vbique, quia est in toto mundo; sed, quia habet omnipræsentiam, & immensitatem, quam habet Verbum, & proinde est in infinitis spatiis imaginariis extra mundum, vel certè esse potest; profectò est formaliter infinita, & immensa; &, cum non sit infinita magnitudine molis, vt aduersarij concedunt; nam dicunt eam nō esse diffusam vbique localiter; infinita erit magnitudine virtutis. Infinita autem virtus infinitam essentiam requirit.

Mæuius hic longos logos texit; nobisque loquacissimè cum alia, tum hoc denarrat, quid per communicationem realem idiomatum intelligendum sit; Ait, *hoc nomine non accipiendam communicationem physicam, vel essentialem, sed veram; similem aliquo modo illi, qua ignis communicatur ferro ignito; hæc enim communicatio vera est & realis, nec tamen Physica seu naturalis & essentialis.* Vt non sit essentialis; attamen Physicam non esse, quis affirmauerit, præter Mæuium, qui, vt supra aiebam, absque vocabulorum intelligentia de reconditis istis rebus disserit? An non Physicè communicatur calor ignis ferro? An non Physicè calor in ferro producitur? An calor ferro non inest Physicè, tanquam subiecto suo?

Deinde, si quis cum ferro ignito ipsam ignis substantiam vnitam dicat; ista vnio aliter fieri nequit, nisi per indistantiam substantiæ ignis & substantiæ ferri; quia substantia non potest alteri substantiæ inhærere, sicut accidens inhæret suo subiecto, quod vocant inhæsionis; fatendum tamen est ex hac immediata ignis cum ferro cō-

A iunctione produci in ferro calorem; Si igitur vnio diuina naturæ cum humana est similis vnioni ignis cum ferro; Physicam seu naturalem esse oportet. Et sicut ignis producit calorem in ferro, qui calor in ferro recipitur; ita in natura humana oportet produci à diuina proprietates diuinas, quæ verè & realiter naturæ humanæ insint. hinc proprietates diuinas vel indiuidualiter multiplicari necesse est; vel easdem numero inueniri extra diuinam naturam in humana: quorum vtrumque est impossibile. Quod si præcisè ex indistantia diuinæ naturæ ab humana transfunderentur in eam proprietates diuinæ, sequeretur, easdem etiam transfundi in naturam cuiuslibet alterius hominis, cum multo in-
B timius cum quauis vniatur, quàm ignis cum ferro.

Negat autem Mæuius hanc consequentiam: *Humana natura Christi habet in se infinitas perfectiones & proprietates Dei*, ergo natura humana Christi est infinita: idque propterea, *quòd necesse non sit illud infinitum effici, cui infinita perfectio communicatur, quemadmodum necesse non est ferrum effici ignem vel calorem; quando ei communicatur ignis vel calor.* Mæuius solenni suo instituto nescit, quid garriat aut chartis illinat: Licet enim ferrum non fiat ignis, eo quòd ignem sibi copulatum habeat; necesse tamen est illud ens reddi infinitum, quod infinitam perfectionem in se verè, & formaliter habet: Nam quid est esse ens infinitum in per-
C fectione, nisi verè & formaliter habere in se perfectionem infinitam? At secundum Vbiquistas humana Christi natura verè, realiter & formaliter habet in se non vnam, sed plures perfectiones diuinas infinitas, vt omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam; ergo humana Christi natura est verè & realiter ens infinitæ perfectionis. Si est ens infinitæ perfectionis, non est igitur natura humana, quia natura humana est finita. Si non est amplius natura humana; ergo neque Christus est amplius homo; quia homo esse nequit absque natura humana.

Nec iuuat Mæuium, quòd obiectat, *humanam Christi naturam non habere hæc attributa essentialiter*
D *& Physicè*; quia quomodocunque natura humana has proprietates verè, realiter & formaliter in se habeat; necesse est per illam possessionem naturam humanam effici perfectionis infinitæ, in omni genere rerum, quandoquidem ens infinitæ perfectionis est illud, quod in se verè, realiter & formaliter perfectionem infinitam in omni genere rerum habet.

Dices. *Etiamsi ignis haberet in se subiectiuè calorem infinitæ perfectionis in genere caloris, non sequeretur tamen ipsum ignem secundum substantiam suam fore infinitæ perfectionis, sed maneret in se secundum substantiam finitæ perfectionis, sicuti antea; nec mutaretur in naturam infiniti illius caloris, sed perseueraret in genere substantiæ, vt prius, licet verè, realiter & formaliter in se ha-*

beret

beret infinitum calorem : ergo in noſtro quoq; propoſito natura humana manere poteſt finita, licet verè & realiter diuinas proprietates, quæ ſunt infinitæ perfectionis, ſibi communicatas habeat, vt placet Vbiquiſtis.

Reſpondeo, negando cõſequentiam, eſt enim diſpar ratio: quia natura humana habens perfectiones diuinas ſimpliciter & in omni genere rerum infinitas, non poteſt illas habere per inhæſionem; quo pacto ſubiectum habet ſua accidentia; nec poteſt illas habere per ſolam indiſtantiam à natura humana; quia ſic omnes omnino res proprietates diuinas ſibi communicatas haberent, cum eſſentia diuina ab omnibus indiſtet, imo omnes intimè penetret: nec concedunt Vbiquiſtæ naturam humanam habere proprietates diuinas mediatè, in hypoſtaſi ſcilicet Verbi, in qua exiſtit; & à qua terminatur; & *eſſe* incommunicabile accipit; vt Catholici docent; neceſſe eſt ergo, vt natura humana habeat iſtas perfectiones diuinas in ſua eſſentia: ſi illas habet in ſua eſſentia, verè igitur natura humana ſecundum eſſentiã efficitur infinita, & per conſequens, deſinit eſſe natura humana; ſed fit & eſt Deus; quia quod eſſentiã infinitæ perfectionis in omni genere rerum habet, id vtique Deus eſt. At nihil horum contingit in ferro participante calorem infinitum, quoad intenſionem; tum quia talis calor non eſt ſimpliciter infinitus in omni rerum genere; tum quia inhæret accidentaliter ferro, tanquam ſubiecto; quorum neutrum dici poteſt de perfectionibus diuinis, vt nec illud, quod adiaceant tantum *extrinſecus* humanæ naturæ; ſicut veſtis vel locus adiacet homini, &c.

Inſtat Mæuius: *Verbum eſt vbiq; ; vbiq; regnat, vbiq; dominatur; ergo & aſſumpta eius humanitas eſt vbique.* Perinde ac ſi diceres: Anima quæ informat & animat dextrum oculum vbique eſt in corpore; vbique viuificat, vbique partes corporis animat, ergo & oculus dexter vbique eſt in corpore. Pulchrè, cum quibus pulchritudine certant, quæ mox de *dextra Dei* blaterat; ſed ea iam non ſemel profligauimus; quæ Battus noſter recinit non ſine Hunnianis ampullis; vt: *ſequitur irrefutabiliter. Conſidera, quæſo, per Ieſum Chriſtum, mi Bellarmine, quanta hæc lux veritatis, cui tu contradicis.* Quis, obſecro, hic tantus veritatis ſplendor, a.l quem tam enixè Bellarminũ inuitas? Aperiamus oculos ne tanto ſpectaculo priuemur. Dixit Deus Chriſto; ſede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. *Hæc verba de ſeſſione quadam in tempore facta expreſſiſſimè loquuntur, in diuina autem natura Chriſti omnia ſunt æterna. Ergò ſimiliter, quia ſeſſio ad dextram Chriſto demum poſt reſurrectionem, & aſcenſionem tribuitur; quis non videt, temporale initium dari? In Deo autem eius eſſentiam, & virtutem concernens, nullum poteſt dari initium. Ergo cum Act. 2. dicitur, Exaltatus dextrâ Dei, rectè dicunt Patres, reiiciendam de diuina natura interpretationem, hac adducta ratione: Exaltari altiſſimus nequit. Conſidera, quæſo, per Ieſum Chriſtum, mi Bellarmine, quanta hæc lux veritatis, cui tu contradicis?*

Quanta lux, quanta ſplendoris immenſitas; quam vix oculis tutò vſurpare licet; periculum enim eſt, ne nimio fulgore percuſsi, detrimentum aliquod capiant. Num dicit Bellarminus, *Chriſtum exaltatum ad dexteram Patris ex tempore ſecundum naturam diuinam?* Tu quidem hoc Bellarmino tribuis; ſed impudenter ac mendaciter, cum Bellarminus & in Iudicio de Concordia, & lib. 3. de Chriſto cap. 15. ſeſsionem ad dexteram Dei explicet expreſsè de Chriſti natura humana, quam ad æqualitatem diuinæ potentiæ, maieſtatis & gloriæ (hanc enim per ſeſsionem ad dexteram intelligit) exaltatam ait, non in ſe præciſè, ſed in ſua hypoſtaſi.

Ait Bellarminus: *Humanam Chriſti naturam formaliter eſſe infinitam, ſi vbiq; ſit præſens per ipſam omnipræſentiam diuinam.* Oggrunnit Mæuius; Bellarmini argumentum eſſe huiuſmodi. *Humana Chriſti natura eſt vbique* (adde per ipſam omnipræſentiam diuinam) *ergo formaliter eſt vbique*, hoc eſt, *eſſentialiter.* Lector videat ipſum Bellarminum, & ſi hoc argumentum nec *in terminis* apud Bellarminum repererit, & præterea expreſsè viderit, illud non poſſe ex Bellarmini diſcurſu exſtrui; Mæuio nullam iniuriam inferet, ſi ei inter ſubſellia Sycophantarum locum tribuat: nam Bellarmini argumentum eſt tale, Humana Chriſti natura eſt vbiq; per ipſam omnipræſentiam Dei; ergo formaliter eſt infinita & immenſa, & cum hoc de infinita magnitudine molis accipi nequeat, dicendum erit, eſſe infinitam infinitate virtutis, quæ requirit infinitam eſſentiam.

Sed demus argumentum à Mæuio confictum, prodiiſſe ex Bellarmini officina: An non eſt bona hæc conſequentia? Humana Chriſti natura eſt vbique: ergo formaliter eſt vbique. Certè tam bona eſt, quam eſt iſta; Mæuius eſt in aliquo loco: ergo formaliter eſt in aliquo loco. Mæuius eſt ſucceſsiuè in pluribus locis, ergo Mæuius eſt ſucceſsiuè in pluribus locis formaliter. Subſtantia & eſſentia Mæuij eſt in aliquo loco; ergo ſubſtantia Mæuij eſt in aliquo loco formaliter, &, ſi vis, eſſentialiter, hoc eſt, ſecundum eſſentiam.

Ait Mæuius. *Naturam humanam Chriſti habere hæc attributa communicatiuè duntaxat.* Eſto, habeat *communicatiuè.* An ideo non habebit formaliter? Etiam murus dealbatus habet albedinem *communicatiuè*, an ideo murus non eſt formaliter albus? Neque formaliter eſſe tale, eſt abſolutè eſſe tale *eſſentialiter*, vt iſte hallucinatur, nam Cycnus formaliter eſt candidus; non tamen eſſentialiter; tametſi rectè affirmat Bellarminus, ſi verè & realiter, licet communicatiue, natura humana habet infinitam virtutem Dei, ſequi, ipſam humanam Chriſti naturam eſſe infinitæ eſſentiæ, quoad perfectionem, quia

infinitæ perfectionis virtus nonniſi infinitam eſſentiam habere poteſt.

Stultiſsimum autem eſt, quod paſsim clamitat; *Chriſti humanitatem communicatiuè eſſe vbiq;* non tamen *formaliter*, quaſi quis aliter vel in vno, vel in pluribus, vel in omnibus locis exſiſtere queat, quàm formaliter. Scurrilitas eſt; cum Bellarminum ita compellat. *Parcius, ſanctiſsime Pater, parcius, ſi non formaliter, ſi non eſſentialiter, tamen cõmunicatiuè eſt vbiq;; & per vnionis perſonalis gratiam.* An ideo nõ formaliter, quia *communicatiuè?* An ideo non eſſentialiter, quia vbique exſiſtit per communicationem infinitæ proprietatis, quæ communicari nequit, niſi eſſentiæ infinitæ? vt proinde neceſſe ſit, humanam naturam in ſe & ſecundum ſuum eſſe, fieri infinitam, hoc ipſo, quod per communicationem recipit infinitam perfectionem. Iam vide ſis hoc Mæuij monſtrum. Ratiocinationem Bellarmini dicit eſſe aſsimilem huic ſuo febriculoſo ſomnio: *Si caro Chriſti viuifica eſt, hoc eſt, ſi vitam omnibus hominibus, eá veſcentibus, affert.* Ioan. 6. *aut erit formaliter, hoc eſt, eſſentialiter, vt Deus ipſe, cuius naturale eſt idioma viuificare: aut, omninò non erit viuificatrix: ſed ſecundum Spiritum ſanctum caro Chriſti eſt viuificatrix:* Ioan. 6. *Ergo vel formaliter; vel omninò non erit. Quid reſpondebit Ieſuita?* Reſpondeo, *formaliter eſſe viuificam*; nec tamen eſſentialiter; ſed inſtrumentaliter; Eſt enim caro Chriſti inſtrumentum, quo Deus omnibus vitam impertit. Quid hoc ad tuam Vbiquitatem? Dicimus, proprietates Dei creaturis communicari poſſe, non in ſe; ſed in ſuis effectis, ſic vis viuificandi collata naturæ humanæ Chriſti, eſt effectus quidam virtutis illius viuificatricis immenſæ & infinitæ, qua Deus eſſentialiter & ab æterno pollet.

Sequitur alius Mæuianus ſtupor. *Chriſtus etiam ſecundum naturam humanam remiſit peccata Matth. 9. Marc. 2. Ergo humana Chriſti naturæ collata eſt infinita illa Dei poteſtas, qua ad remittendum peccata, valet.* Plumbeam collectionem: quaſi verò hoc Chriſtus præſtare nequiuerit, per poteſtatem creatam, & quod hinc ſequitur, longè diuina inferiorem.

Mentitur Mæuius, Bellarminum ſimpliciter aſſerere, omnipræſentiam naturæ humanæ pugnare cum veritate naturæ humanæ; hoc enim Bellarminus non affirmat de omni omnipreſentia, ſed affirmat hoc ſolummodo de omnipræſentia *Vbiquiſtica*; quæ fit, vt Vbiquiſtæ ſomniant, per communicationem ipſius omnipræſentiæ diuinæ & infinitæ; per hanc ait, tolli veritatem naturæ humanæ; & quidem meritiſsimo hoc aſſerit, vt hactenus viſum.

Mentitur Bellarminum docere, *corpus neceſſario debere eſſe in loco.* Opponit *Durandum, & cælum empyreum.* Quid opus hac oppoſitione? Num neſcit Bellarminus corpus Chriſti in Euchariſtia verè & verum corpus eſſe, nec tamen in loco circumſcriptiuè exiſtere?

A Sed en alius ſtupor euolat ex pectore & ore Mæuij. *In mortali corpore poteſt eſſe immortalitas, ſaluo corpore; ergo etiam in natura humana finita poteſt eſſe per communicationem perfectio infinita, ſaluâ naturæ humanæ finitione:* Negatur conſequentia, quia immortalitas, quæ Sanctorum corporibus conceditur, non eſt donum infinitum, ſed finitum, hinc à mortali corpore, ſalua corporis ſubſtantia, recipi poteſt.

Negat Mæuius verum eſſe, quod Bellarminus aſſerit, *infinitam virtutẽ requirere infinitam eſſentiam; hoc enim à vero abire, quando infinita perfectio alicui non eſſentialiter, ſed communicatiuè competit:* Exemplum dat nobis ipſam humanam Chriſti naturam, de qua omnis eſt controuerſia, hanc enim per com-
B municationem poſsidere infinitas perfectiones, nec tamen propterea infinitam effici: vbi admodum eruditè id, quod in quæſtione poſitum eſt, pro ratione negationis ſuæ Mæuius aſsignat. Quidquid tricetur iſte *mendaciuendum*, nunquam ſeſe extricabit; quia hæc conſequentia eſt ineluctabilis. Hoc ens habet in ſe, intrinſecè & formaliter infinitam perfectionem, ergo eſt ens infinitum, quoad ſuam entitatem. Si ergo humana Chriſti natura in ſe, intrinſece & formaliter habet perfectiones diuinas & infinitas, oportet eam eſſe ens infinitum, & per conſequens, non iam amplius naturam humanam, cuius perfectio finita eſt. Dico autem, *formaliter*, tametſi refragante Mquio: quia *formaliter* tale eſſe, non ſem-
C per eſt eſſentialiter tale eſſe, vt ſupra oſtenſum; nam & homo formaliter eſt riſibilis, non tamen eſſentialiter: Nec valet: Eſt tale per communicationem & gratiam, ergo non formaliter; vt iam ſupra monui.

Si dicas: *rectè quidem totum illud aggregatum, quod ex natura humana & perfectione diuina communicata conſtituitur, vocari ens infinitum, non tamen ipſam naturam humanam, prout concipitur quaſi ſubiectum diuinæ perfectionis infinitæ, propterea in ſua eſſentia infinitam vel eſſe vel vocari poſſe;* Reſpõdeo, planè ipſam etiam naturam in ſua eſſentia infinitam fieri; quia virtuti ſimpliciter infinitæ, vt eſt perfectio diuina, non eſt vllum ſubiectum proportionatum & accommodum, niſi eſſentia infinita.

D Tribuit Mæuius Bellarmino hoc argumentum. *Si humana Chriſti natura habet diuinæ maieſtatis poſſeſsionem & vſurpationem, reuera erit Deus. Atqui prius aſſerunt Concordiſtæ, vt liquet ex eorum verbis à Bellarmino adductis, ergo, &c.* Repetit cuculus coccyſmos toties iam auditos. *Maiorem eſſe veram de poſſeſsione & vſurpatione diuinæ maieſtatis eſſentiali, formali, ita vt habeat κλῆσιν καὶ χρῆσιν τῆς Deitatis in ſe, & ex ſe: non autem eſſe veram de communicata vſurpatione & poſſeſsione.* Sed quidquid battologiæ & matæologiæ Mæuius profundat; nunquam ſe ex pedicis huius ſyllogiſmi expediet. Quidquid habet in ſe, intrinſecè & formaliter diuinam & infinitam perfectionem, licet ſibi communicatã, illud eſt ens infinitum, & per conſequens, Deus. Natura hu-

mana

mana Christi habet in se, intrinsecè & formaliter diuinam & infinitam perfectionem, tametsi per communicationem & gratiam, ergo humana Christi natura est ens infinitum, & per consequens, Deus. Maior est certa. Minor in schola Vbiquistarum æquè est euidens. Nam quod Mæuius illud *formaliter* reiicit, perspicuè ostendit, se necdum didicisse, quid sit *formaliter* esse tale.

Post varios Battismos & coccysmos laxat Mæuius os suum iaciendis in Bellarminum conuiciis. *Ædepol, Iesuita*, vociferatur Mæuius, *ego hic non temerarium te, sed extremè cæcum, & iustissimo Dei iudicio lumine in sacrũ cassum dixero.* Qua de caussa? Quia Bellarminus Lutheranam Vbiquitatem non amplectitur; quod indicium est summæ cœcitatis: nam si pulchritudinem huius tam bellæ & formosæ Nymphæ intueretur, è vestigio in eius amorem exardesceret.

Mentitur Mæuius Bellarminum, Concordistis ex his verbis pag. 745. contradictionem obiicere velle: *Scriptura sacra hanc maiestatem omnipræsentiæ soli Christo, nulli autem alij homini tribuit.* Subiicit Bellarminus: Paulò antè dixerant; se de Christi humanitate loqui, & non de sola diuinitate, cum Christo tribuunt omnipręsentiam. Quibus verbis minimè vult Bellarminus Concordiæ architectos & patronos antilogiæ arguere, sed ex eorum verbis demonstrare conatur, Concordistas ipsam diuinam omnipræsentiam tribuere & transcribere humanæ naturæ Christi Domini. An vllam in hoc eis iniuriam irrogat? An non Bergenses Patres hoc volunt & tu cum illis?

Quapropter nil nisi fumosas criminationes interpretor illa tua: *Putat Cardinalis, cum de Christo loquimur, nos solam eius diuinam naturam intelligere velle & debere; idque ex ruditate & ignorantia nominis Christi prouenire.* Vnde tu hunt Bellarmini sensum elicis, nisi ex innata pectori tuo sycophantandi prurigine? Vnde hanc *ruditatem & nominis Christi ignorãtiam* colligis, nisi ex ruditate & insciti tua? quia Bellarminus optimè perspectum habet, quid nomen *Christi* significet, etiam apud Lutheranos, vt planum fit, ex toto libello, quod Iudicium de Concordia Lutheranorum, inscribitur, & ex disputatione contra Vbiquetarios.

Ait Mæuius: *Concordistas Vbiquitatem non modo affirmare, sed & probare tum ex lege & testimonio, tum ex consensu orthodoxæ antiquitatis*, laudatque Bellarminum, quòd hoc ipsum fateatur. Bellarminus nõ asserit, Concordistas suam Vbiquitatem probare: sed ita loquitur: *Prolixè docere conantur.* Aliud est *conari*; aliud reipsa, quod conaris, præstare; prius tribuit Bellarminus Concordistis; non posterius: Qua ratione Vbiquitatis portentum ex Scriptura & Ecclesiastica vetustate comprobaretur, cum vtrique penitus ignotum fuerit?

Ait Bellarminus, communicationem idiomatum secundum Patrum doctrinam, non tribuere vni naturæ ea, quæ sunt alterius, sed tribuere vni suppositi vtriusq; naturæ proprietates. Vbi Mæuius. *Parce, bone vir, parce, non nobis, sed tibi, ita enim turpiter te das, ita deridendum te propinas, vt nihil supra.* En Cymbalum tinniens, & cum ipso tinnitu euanescens. Nam quod denuo non pauca Patrum testimonia iam superius à se recitata; oggerit & ex Concordiæ penu transcribit, inanem operam sumit; quia nullus veterum Patrum hanc supremam absurditatem vnquam suffragio suo stabiliuit aut communiuit; vt sæpius non modò à Catholicis, sed & à Caluinianis, ostensum est, excussis & sigillatim examinatis omnibus illis testimoniis, quæ Concordistæ ex patribus protulerunt in Appendice quadam ad Concordiam, cuius est ista inscriptio: *Catalogus testimoniorum cum scripturæ, tum puriorũ antiquitatis: ostendentium, quid vtraq; non modò de persona, deq; diuina maiestate humanæ naturæ Domini nostri Iesu Christi euecta ad dexteram omnipotentiæ Dei tradiderit, sed etiam quibus loquendi formulis vsa sit.* Vide librum Hospiniani Caluinistæ de origine & progressu libri Concordiæ cap. 57.

Et tamen his thrasonismis aggreditur Mæuius Bellarminum. *Bellarminus quoq, rem non indignã Cardinali præstiterit, si veritatem ex ante dictis cognouerit, agnouerit, & vtinam, vtinam pœnitenti corde amplexus fuerit. Lucet, me hercle, splendor veritatis: lucet, & fulget ita in pectoribus piorum, vt mirum sit maximè, qua ratione homines isti excæcati reddantur: sed ita fit, ita contingit; deseruntur à Deo iustissimè: efficiuntur, vt oculos habeant, & non videant; aures, & non audiant; corda, & non sentiant.* Certè Lutheranorum insciti cum in omnibus fidei controuersis capitibus, tum præcipuè in argumento de persona Christi, & communicatione idiomatum sic lucet & elucet, vt vix quidquam lucidius excogitari queat; quod non inficiabitur, nisi ille, cui Vbiquitatis amor oculos effodit. Sed ita fit, ita contingit: deseruntur à Deo iustissimè, quibus credendi norma non est nisi proprij cerebri vertigo.

Ait Bellarminus. Communicatio idiomatum, quam Patres agnoscunt, mutua est, & non minus Deo conuenit, quàm homini; at aduersarij humanæ naturæ tribuunt realem communicationem diuinorum attributorum: diuinæ autem non tribuunt realem communicationem humanarum proprietatum.

Hic multa ineptissimè garrit Prædicans. Principio, *non ideo falsam fore communicationem idiomatum, quam Vbiquistæ constituunt, licet priscis patribus aduersaretur, varia enim per Lutherum diuinitus patefacta esse dogmata.* Quomodo diuinitus, si hæretica, noxia, perniciosa? Negat deinde communicationẽ, quam fingunt, *patribus repugnare; id liquere ex testimoniis quæ magno numero promunt.* Promere non est artis; sed aptè, appositè, ad rem, & verè promere, id nimirum eius artis est, quam necdum didicerunt Vbiquistæ, neque vnquam discent, quamdiu pro falsitate stabilienda Patrum dicta proferre tentabunt.

Mentitur inuerecundo & duro vultu, *Bellarminum ſibi contradicere.* Qua ratione? *Quia in refutatione quarti erroris concedit communicationem idiomatum vtriuſq; naturæ eſſe mutuam, & non minus Deo conuenire, quam homini. At hoc negat Bellarminus,* inquit Mæuius, *in examine primi & ſecundi erroris Concordiæ.* Os & vultum Mæuij: Quid non audet impudentia, præſertim quando inſcitia accedit? Siccine Bellarminus reiecit communicationem idiomatum reſpectu vnius & eiuſdem ſuppoſiti, ita vt idem Chriſtus dicatur Deus & homo; immortalis & mortalis, natus, paſſus, mortuus, ſepultus? Vbi, quæſo, hanc communicationem idiomatum negauit Bellarminus? *In primo & ſecundo errore.* Quid ergo ibi? Ait; ſi non mentitur Mæuius; *Chriſtum Deum & hominem nec paſſum, nec natum, nec crucifixum, nec eundem Deum & hominem, ſacerdotem noſtrum eſſe.* Hæccine Bellarminus? Cedo Prædicans: Itáne ſcripſit Bellarminus? Haſne propoſitiones in chartam effudit Bellarminus? *Chriſtus Deus non eſt natus. Chriſtus Deus non eſt paſſus, non eſt crucifixus. Chriſtus Deus non eſt Sacerdos & Pontifex noſter.* Quæ, obſecro, maior audacia & proiectior impudentia fingi poteſt, quàm hæc Mæuiana; quandoquidem Bellarminus diſertè & in libello de Concordia, & hoc libro tertio, & vbique in ſuis Diſputationibus propoſitiones iſtas: *Chriſtus Deus non eſt natus, non paſſus, non crucifixus,* pro hæreticis habet; contrarias autem: *Chriſtus Deus eſt natus, paſſus, crucifixus* pro orthodoxis.

At Bellarminus dixit: *Chriſtum non eſſe natum, paſſum, crucifixum, quatenus Deum, ſiue ſecundum diuinam naturam.* Ita eſt. Hoc Bellarminus aſſerit, aſſeriturque ab omnibus, quos ſpiritus Eutychianus non afflauit. Num iſtæ propoſitiones: *Chriſtus Deus non eſt natus, Chriſtus Deus non eſt paſſus, crucifixus;* Sunt æquiualentes iſtis? *Chriſtus quatenus Deus ſeu ſecundum naturam diuinam non eſt natus,* ex Virgine ſcilicet; *Chriſtus quatenus Deus,* hoc eſt, *ſecundum naturam diuinam nõ eſt paſſus, crucifixus?* Quis hoc affirmet, niſi quem inſcitia, quantus quantus eſt, tenet ac poſsidet. Tantum enim diſsident, quantũ falſitas & veritas: nam priores falſæ ſunt; quia tollunt Incarnationis myſterium; quo accidit, vt de eodem ſuppoſito diuino attributa etiam naturæ humanæ verè affirmentur; inter quę attributa ſunt itidem iſta: *naſci, poſſe pati, crucifigi, mori,* & id genus alia: at vocabula *vt, quatenus,* vel *ſecundum,* addita in propoſitionibus, transfundunt prædicata humanę naturæ in diuinam; ſenſus enim huius propoſitionis, *Chriſtus quatenus Deus, natus, paſſus, crucifixus, mortuus eſt;* conſit iſte: *Chriſtus ſecundum naturam diuinam natus, paſſus, crucifixus, mortuus eſt.* Qui ſenſus non modò eſt falſus, ſed ſimpliciter impoſsibilis, vt notum omnibus, qui veram notionem diuinæ naturæ in animo ſuo informarunt.

Quærit Mæuius: *Vtrum ſit proprium Filij Dei naſci in tempore?* In promptu eſt reſponſio, eaque negatiua, nam multæ aliæ res in tempore & natæ fuerunt, & adhuc naſcuntur, & poſthac etiam naſcentur. Naſci igitur in tempore, non eſt proprium Filij Dei.

Mox mentitur, Bellarminum ſcribere, *Lutheranos non agnoſcere vllam communicationem idiomatum mutuam:* non dixit hoc abſolutè Bellarminus; cui ignotum non fuit, etiam Lutheranos, vtriuſque naturæ proprietates, vni ſuppoſito vtcunque tribuere in concreto; ſed dixit; *communicationem idiomatum; quam Patres agnoſcunt, eſſe mutuam;* ac proinde non eſſe illam: quam inter duas naturas fingunt Vbiquiſtæ, quæ, ipſis etiam fatentibus, non eſt mutua; neque enim tribuunt naturæ diuinæ realem communicationem humanarum proprietatum; vt videre eſt in Concordia. tametſi, vt ſunt inconſtantes & variabiles, ſui non rarò obliti, etiam humana attributa in diuinam tranſfundunt; vt cum has propoſitiones concedunt; *Chriſtus ſecundum diuinam naturam natus eſt. Chriſtus ſecundum diuinam naturam paſſus eſt; crucifixus, mortuus.* An non in his propoſitionibus, pro quibus ipſe Mæuius initiò pugnauit; humanæ naturæ proprietates, *naſci, pati, crucifigi, mori,* tribuuntur diuinæ naturæ Chriſti?

Mentitur Mæuius: *Ieſuitas negare communicationem mutuam idiomatum, quæ vni ſuppoſito attribuuntur & adſcribuntur in concreto proprietates vtriuſque naturæ.* Quis noſtrum negat has propoſitiones: *Chriſtus eſt omnipotens, æternus, immenſus, infinitus;* nempe ſecundum naturam diuinam: Et, *Chriſtus eſt natus ex Virgine, paſſus, crucifixus, mortuus;* nempe ſecundum naturam humanam. An non hic vtriuſque naturę proprietates eidem ſuppoſito, Deo & homini à nobis tribuuntur?

Mentitur iterum profligatè, cum dicit: *Bellarminum affirmare Patres agnoſcere communicationem proprietatum realem, mutuam & immediatam inter ipſas naturas; adeò vt non modò attributa diuina communicentur naturæ humanæ,* vt delirant Vbiquiſtę; *ſed & proprietates humanæ communicẽtur naturæ diuinæ.* Quod Bellarminus nunquam ſomniauit; neq; niſi per ſummam impoſturam & nequitiam ei hoc à Mæuio affingitur, cum expreſsè dicat; communicationem idiomatum ſecundum Patrum doctrinam, non tribuere vni naturæ, quæ ſunt alterius, ſed tribuere vni ſuppoſito vtriuſque naturę proprietates. Ex quibus verbis planum fit; Bellarmini iudicio, Patres nullam penitus immediatam communicationem proprietatum vtriuſque naturæ agnouiſſe; ſed totam in eo conſtituiſſe, quod vtriuſq; naturæ proprietates de eodem ſuppoſito verè affirmantur ac prædicantur.

Obiicit Bellarminus Concordiſtis decretum conciliabuli Dreſdenſis; quo Vbiquitas tantoperè à Concordiſtis laudata; perenni anathemate percellitur, idque non à diobolaribus, ſed à præcipuis totius Saxoniæ miniſtris. Reſpondet Mæuius: *Auctores decreti illius fuére Caluiniani. Sacramentarij; Orcodoxi, non orthodoxi, mataeologi, non Theologi,*

logi, veritatis veræ oppugnatores non propugnatores, discordiæ auctores, non Concordiæ fautores, doctrinæ Lutheranæ infectatores, non sectatores. Tu orna quantumcunque lubet, & quibuscunq; voles elogiis Auctores decreti Dresdensis: parum moror. Bellarminus non alio consilio decretum hoc Lutheranis obiecit, quàm vt ostenderet, quàm constanter in assertione dogmatum vestrorum persistatis, cum illa Saxonia, quæ anno Christi M. D. LXXI. Vbiquitatem, vt immane monstrum proscripserat, eandem post paucos annos, vt cœlo lapsum munus, amplexa fuerit. Si autem Auctores decreti Dresdensis tales fuêre, quales à Mæuiano stylo depinguntur, oportet ferè omnes Saxoniæ ministros eiusdem formę & speciei fuisse; quia Dresdensem confessionem approbarunt Theologi Academiæ Lipsiensis & VVitebergensis, & trium Consistoriorum, & præterea omnes Superintendentes Saxonicarum Ecclesiarum, vt patet apud Hospinianum lib. de libro Concordiæ, cap. 3. qui hoc perspicuè ex scripto Lutheranorum ad Augustum Electorem demonstrat; quamuis postea isti ipsi approbatores, vbi in Saxonia Smidelini, hoc est, Vbiquistica factio inualuit; Decretum Dresdense & suas approbationes, velis retrorsum datis, condemnarunt, exagitarunt, & acerbissimis iudiciis infectati sunt; vt docet idem Hospinianus: nec id mirum videri debet, quia præcones isti seruiunt foro ac tempori, & prout flat aura, ita sese itidem vertunt & reuertunt. Hactenus de quarto errore Concordiæ.

Quintus error Concordiæ contra symbolum est, inquit Bellarminus, quod vnio hypostatica consistat in communione diuinorum attributorum. Et hoc à Concordia non semel insinuari, demonstrat Bellarminus adductis Concordiæ verbis. Mæuius grauiter expostulat cum Bellarmino, quasi Vbiquistas tam indoctos & inscitos censeat, *qui inter caussam & effectum nullum discrimen agnoscant*: nam vnionem hypostaticam esse caussam communicationis idiomatum: ipsam verò communicationem esse effectum. Nescio quàm acuti alioquin sitis in rebus discernendis; Hoc euidenter ostendit Bellarminus, fabros Concordiæ *effectum à caussa* non distinxisse, quando non semel apertè indicant, *vnionem hypostaticam consistere in communicatione idiomatum*: manifestè enim effectum confundunt cum caussa; & ὕστερον πρότερον faciunt.

Calumniatur autem, veteri suo more, Prædicans, quando Bellarminum *somnolentiæ* arguit, *tanquam oblitum, quid scriptitare proposuerit*: nam errores Concordię contra Symbolum refellere voluit. An non hoc præstitit, in hoc etiam quinto errore profligando? Nam quod Mæuius ogganit, Bellarminum, *ne vno quidem apice probare potuisse*: verba ista; *quod vnio hypostatica in communicatione diuinorum attributorum consistat; in libro Concordiæ reperiri*; nihil aliud agit, quàm quod solet, hoc est, A mentitur. An non enotauit Bellarminus duos locos ex Concordia, vbi Concordistæ planè indicant, vnionem hypostaticã consistere in communicatione idiomatum, qualem Vbiquetarij comminiscuntur?

Multa blaterat Prædicans de vnione hypostatica; & postquam omnia dixit, nihil dixit; quia veram hypostaticæ vnionis rationem & notionem nunquam attigit. Et quî attingeret, cum hæc talia & istius & omnium Prædicantium captum exsuperent, quippe omnis solidioris Philosophiæ & Theologiæ expertium?

Ait Mæuius; Concordiam palam distinguere vnionem hypostaticam à communicatione idiomatum illis verbis: *Propter vnionem autem hypostaticam, & ex ea consequentem communicationem*: B Num hoc nescisti aut abnuit Bellarminus? An non hæc ipsa verba ex Concordia recitauit? Num idcirco Concordia alibi hæc inter se non confudit, quia semel manifestè distinxit? Quasi verò Concordiæ penitus sit insuetum, vtà se ipsa discordet. An non hæc etiam sunt Concordiæ verba, à Bellarmino transcripta? *Propter hanc hypostaticam vnionem, quæ sine vera illa communicatione nec cogitari, nec subsistere potest, &c.* At certè id non est posterius, inquit Bellarminus, sed est verè de essentia, sine quo alterum nec esse, nec cogitari potest.

Profert Bellarminus hæc quoque ex Concordia verba. *Et sanè veteres Ecclesiæ Doctores, duo hæc vocabula, κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν, communicationem & vnionem* C *in explicatione huius mysterij coniunxerunt, & alterum per alterum declararunt.* Subiicit Bellarminus. En quàm apertè idem esse volunt vnionem hypostaticam, & suam illam communicationem idiomatum. Ait Mæuius: Bellarmini argumentum esse huiusmodi. *Lutherani dicunt, sine communicatione vnionem ne cogitari quidem vel subsistere posse: ergo vnionem & κοινωνίαν pro ἐνδιαφόροις habeant necesse est. Quo artificio ita concludit, Roberte?* sic enim compellat Mæuius Bellarminum. *Nunquid non rideres, si ad exemplar tuum sic concluderem? Caussa sine effectu ne cogitari quidem potest, quod est apud omnes sanos ἐξεταστὸν, ergo caussa & effectus sunt vnum & idem.* At hoc est Mæuij figmentum, non Bellarmini argumenta- D tio, quam si quis candidè formare velit; sic formabit: Concordistæ dicunt hypostaticam vnionem nec cogitari nec subsistere posse sine communicatione Idiomatum; ergo communicatio idiomatum non consequitur, hoc est, non est posterior, ipsa vnione hypostatica, sed est de essentiali conceptu vnionis hypostaticæ: quia id quod prius est cogitari potest, absque eo quod posterius est. Hic Bellarmini sensus & discursus est, non is, quem nobis apponit Mæuius, qui imperitiam suam aliâs manifestissimam, manifestiorem adhuc reddit, cum caussam absque effectu mente concipi posse negat. An caussa non est prior suo effectu: si non tempore, saltem natura? An caussa in illo priore mente apprehendi

nequit?

Digitized by Google

nequit? Quanquam si causſa & effectus considerentur, vt ſunt relatiua, causſa ſine effectu concipi nequeat, cum ea ſit relatiuorum natura, vt simul cognoſcantur, ſeque mutuò ponant ac tollant. Verùm hac conſideratione licet effectus nõ ſit de eſſentia causſæ, habitudo tamen & ordo quidam ad effectum eſt causſæ eſſentialis, vt contingit in omnibus reciprocis relatiuis. At Concordiſtæ videntur velle communicationem idiomatum nullo reſpectu cogitari poſſe tanquam poſteriorem ipſa vnione hypoſtatica; & tam arctè coniungi, vt qui nominat vnionem hypoſtaticam, nominet ſimul communicationem idiomatum, & vice verſa: alteriuſque rationem & notionem per notionem & definitionem alterius aſsignari & explicari poſſe: Quod quid aliud eſt, quàm vnionem hypoſticam & communicationem idiomatum, ſynonyma dicere?

Quærit Mæuius ex Bellarmino: *Poteſne*, Roberte, *imaginari tibi arborem abſque fructu?* Quid ni poſſet? Quotidie non modò nobis imaginamur, ſed & oculis vſurpamus arbores abſque fructu. Pergis. *Poteſne mente concipere Patrem abſque Filio, creatorem ſine creatura?* Reſpondeo, nos id non poſſe formaliter propter naturam relatiuorum; poſſe tamen hoc materialiter: poteſt enim quis eum, qui Pater eſt, ſine Filio; & eum, qui creator eſt, ſine creatura concipere. Et tamen abſtrahendo à natura relationis, Pater, vt cauſſa, prior eſt Filio, & ſimiliter creator creatura; & vt prior, mente apprehendi poteſt. Neque verò vnio hypoſtatica & communicatio idiomatum talia relatiua ſunt formaliter, primo aſpectu & intuitu, qualia Pater & Filius; creator & creatura. Quapropter minimè neceſſe eſt, vt, audita vnione hypoſtatica, neceſſariò ipſam quoq; communicationem concipere debeamus; ſicut audito homine, vel animali rationis participe, neceſſariò non concipimus ea, quæ ex hominis eſſentia conſequuntur, vt ſunt proprietates, & tamen hominis eſſentia habet quandam ad iſtas habitudinem, tanquam ad effectus quoſdam ſuos.

Neque Bellarminus arguit Concordiſtas ob hoc quòd dicunt, *vnionem hypoſtaticam & communicationem idiomatum, indiuiſo nexu, tanquam cauſſam & effectum formaliter*, cohærere (quanquam hoc potius dicit Mæuius Concordiæ Interpres, quàm ipſa Concordia) ſed quia ita de vnione & communicatione idiomatum philoſophantur, quaſi nullo penitus diſcrimine ſecernerentur, vnumque prorſus ac idem eſſent. Hoc delirium refellit hic Bellarminus etiam hoc argumento: Hæc ſententia, quod vnio hypoſtatica conſiſtat in illa communicatione diuinorum attributorum, deſtruit omnino myſterium incarnationis. Nam, inprimis, cum diuina attributa, id eſt, omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia, & ſimilia, ſint communia toti Trinitati; ſi in illorum communicatione conſiſtit vnio hypoſtatica, ſequitur, omnes tres perſonas eſſe incarnatas: vt enim ſecundum Catholicam fidem, quam expoſuerunt vetera Concilia generalia, 3. 4. 5. & 6. ideo ſola perſona Filij incarnata eſt, quia vnio facta eſt per communicationem ſubſiſtentiæ propriæ ipſius Filij: ita ſecundum aduerſariorum ſententiam, totam Trinitatem incarnatam eſſe, neceſſe eſt, cùm vnio facta ſit in eo, quod eſt commune toti Trinitati.

Quid hic Mæuius? Nil niſi clamores & criminationes. *Quantus quantus reputeris apud tuos, mi Bellarmine, piis certè, & verè fidelibus, tiro, & quouis ἀνταλλάκτῳ rudior hac in parte videris: quippe, qui indigeas inſtructione, qua perſonas Trinitatis ad inuicem diſcernere queas. Quare vt & hac in parte liberalitatem meam experiaris, quomodo argumenti tui ſcrupulos eximere queas, fideliter docebo.*

Hæc iſte ineptus nuper Magiſtellus, poſtea ineptior ex ludo Hunniano *Doctorculus*, Prædicans iuuenculus, qui vult eſſe Bellarmini Magiſter, non ſat idoneus, qui ſit eius agaſo aut mulio; qui mox de diſtinctione diuinarum perſonarum, & diuinis attributis loqui ingreſſus, non diſſerit, ſed ruditer rudit. Cuius ruditus en inſigne ſpecimen, quod iam antea etiam dederat in defenſione Labyrinthi Hunniani; vt ſupra in prima parte huius Appendicis dixi. Fatetur *attributa diuina abſoluta eſſe communia toti Trinitati.* Sed addit ex dictatis ſui Hunnij hanc ſtultitiam: *Omnipræſentiam, omniſcientiam, omnipotentiam, &c. Filij, quatenus eſt in hypoſtaſi Filij; & quatenus hypoſtaticè conſideratur, non eſſe communem toti Trinitati. Quemadmodum enim hypoſtaſis Filij communis non eſt toti Trinitati*, inquit Mæuius, *ita nec eius omnipotentia, omnipræſentia, quatenus ὑποστατικῶς videlicet conſideratur, communis eſt Trinitati, id quod irrefutabiliter demonſtrabo hoc pacto:* (en thraſoniſmum Hunnianum) *Aut hypoſtaſis Filij eſt hypoſtaſis Filij ſola, aut communis Trinitati toti. Falſum eſt poſterius: aliàs enim note characteriſtica perſonarum Trinitatis ἀφανιζοῖς, & velut in momento tollerentur. Ergo verum prius.* Omnino prius verum eſt, nempe hypoſtaſin Filij non eſſe communem toti Trinitati, quia eſt propria Filij; nam hypoſtaſis Filij non eſt quid abſolutum, ſed reſpectiuum: at ſola abſoluta in diuinis ſunt propria, non autem reſpectiua.

Iam ſic, inquit Mæuius, *aut hypoſtaſis Filij erit hypoſtaſis cum adiuncta ſua omnipotentia, omnipræſentia, & cæteris idiomatis ὑποστατικῶς ſibi competentibus: aut erit aliquid ſine biſce, hoc eſt, imaginaria ſaltem, & nomine nudo peculiaris erit perſona à Patre, & Spiritu ſancto; ſed hoc poſterius non tam abſurdum, quàm extremè blaſphemum eſt. Verum igitur prius.*

Reſpondeo, hypoſtaſin Filij, eſſe hypoſtaſin propriam Filij, quatenus ratione ſaltem ab eſſentia abſolutisque & communibus idiomatis: realiter autem ab hypoſtaſi Patris & Spiritus ſancti diſtinguitur, nec ad rationem hypoſtaſis formaliter, *vt ſic*, pertinẽt attributa abſoluta & communia, vt ſunt omnipotentia, omniſcientia, & id genus alia: quia cum hæc ſint formaliter omni-

bus

bus perſonis communia; non poſſunt ipſa in hypoſtaſi Filij, verbi gratia, *formaliter* computari; quaſi quædam conſtitutiua eius; niſi quis ipſam etiam hypoſtaſin Filij tribus perſonis communem blaſphemè ſtatuere vellet.

Nec ideo formaliter ad conſtitutionem hypoſtaſeos Filij ſpectant iſta attributa abſoluta & communia, quia ſubſiſtunt in hypoſtaſi Filij; nam & in rebus creatis natura ſeu eſſentia ſubſiſtit cum ſuis proprietatibus in hypoſtaſi ſeu ſuppoſito; nec tamen natura cum ſuis attributis hypoſtaſin formaliter conſtituit. Itaque hypoſtaſis Filij non eſt *nudum nomen & imaginatio*, vt iſte imperitè ait, ſed eſt perfectio reſpectiua, & quidem immenſa; propria Filij, ratione ab eſſentia & attributis abſolutis diſtincta; neque ex illis formaliter conſtituitur, vt iam dictum, licet cum illis realiter identificetur.

Vlterius ſis, ait Mæuius. deſine, oro, quia quò plura blatis, eo magis inſcitiam & impietatem tuam pateſacis. Quid enim imperitius, quid à pietate alienius, quàm dicere; *omniſcientiam* eademq; eſt ratio aliarum proprietatum abſolutarum, *quæ hypoſtaticè exiſtit in Filio, non eſſe communem toti Trinitati, ſed ſoli Filio propriam?* Quod ſimiliter de eſſentia aſſerendum erit; nam & hæc, vt hypoſtaticè in Filio exiſtit, & exiſtere cogitatur, non erit communis toti Trinitati. Ex quo ſequitur, omnia eſſe triplicãda vel quadruplicanda. Nam eſſentia & attributa abſolutè ſpectata erũt communia omnibus tribus perſonis. Eſſentia & attributa ſpectata, vt hypoſtaticè inſunt in Filio; erunt propria Filij; non communia; eſſentia autem & attributa abſoluta, quæ inſunt in Patre, erunt propria Patris; & quæ in Spiritu ſancto, propria Spiritus ſancti. Ex quo ingens impietatis chaos & confuſio naſcetur; nempe eſſentiam Patris realiter diſtingui ab eſsẽtia Filij; quia propria vnius perſonæ realiter diſtinguuntur à proprils alterius perſonæ. Quò progrederis, Mæui? An tibi ſatis non erat hanc impietatem protuliſſe in Apologia Hunniani Labyrinthi? An hic iteranda fuit, & quidem planius & explicatius?

Qualis porrò fatuitas, cogitare, ideo aliquid non eſſe pluribus commune, quòd in aliquo hypoſtaticè exiſtat: quaſi verò hæc ſubſiſtentia tollat naturæ communionem. Dic, Mæui, an natura humana, non eſt ſpecificè omnibus hominibus communis, quia hypoſtaticè exiſtit in Petro, vel Paulo, vel alio indiuiduo? Quod ſi quæ creata natura cum ſuis proprietatibus, exiſteret in tribus hypoſtaſibus, in Petro, Paulo, Iacobo; an ideo deſineret eſſe communis Pauli & Iacobi, quod exiſteret in Petro; etiam vt exiſtens in Petro?

Iam perge vlterius, Mæui. Et bea nos aſininis tuis acuminibus. *Si ergo perſona Filij, perſona Patris non eſt, vel communis non eſt Trinitati. & verò perſona abſq; ſuâ hypoſtaticè ſibi determinata omnipræſentia non eſt; aliàs enim perſona Deus non eſſet; vtique nec quoad illam ſuam ſolam perſonalem omnipræſentiam erit communis Trinitati: ſed vera prioꝛa. Ergo, &c.*

Clarius potuiſſet Mæuius hanc ſuam inſipientiam nobis proponere hunc in modum: *Perſona Filij non eſt communis toti Trinitati; ergo nec eſſentia vel proprietates in perſona Filij exiſtentes* (quas iſte ineptè vocat *perſonales*; quòd in perſona exiſtant) *ſunt communes toti Trinitati.* Reſpondeo, conſequẽtiam eſſe imperitiſsimam, & præterea blaſphemam. Quam probat Mæuius.

Perſona ſeu hypoſtaſis Filij non eſt abſque eſſentia & attributis in ſe hypoſtaticè ſubſiſtentibus, quia perſona Filij eſt Deus; habet ergo in ſe diuinam eſſentiam & proprietates diuinas. Reſpondeo, nihil aliud hinc confici, quàm hypoſtaſin propriam Filij habere in ſe, & includere eſſentiam & proprietates eſſentiæ abſolutas & communes toti Trinitati; neque ideo effici proprias, quòd in propria Filij hypoſtaſi exiſtant; ſicut nec natura humana cum ſuis proprietatib⁹ ſpecificè deſinit eſſe communis, quod in hypoſtaſi Petri ſubſiſtat. Quod ergo ſic vſuenit in communitate ſpecifica, hoc in diuinis accidit in communitate eiuſdem numero naturæ & earundem proprietatum.

At niſi me coniectura fallit, in hanc tam ſpiſſam ſubtilitatem inductus eſt Mæuius hac cogitatione. *Eſſentia cum proprietatibus ſuis abſolutis exiſtens in hypoſtaſi Filij, non diſtinguitur realiter ab hypoſtaſi Filij; ergo eſſentia cum proprietatibus ſuis exiſtens in hypoſtaſi Filij, non eſt communis Patri & Spiritui ſancto:* probatur conſequentia: *quia ſi eſſet communis, etiam hypoſtaſis eſſet communis. At hoc non, ergo, &c.* probatur maior. *Quia quando duo realiter ſunt idem, ſi vnum ſit commune, etiam alterum erit commune: eſſentia eiuſq; abſolutæ proprietates, & hypoſtaſis Filij realiter ſunt vnum & idem; ergo ſi eſſentia eſt communis, etiam hypoſtaſis erit communis.* Hæc Mæuij phantaſia totum ſacroſanctę Trinitatis myſterium euertit; vt quiuis eruditus facilè perſpiciet, ſi ad conſequentias, quæ hinc deducuntur, animum nonnihil attentius aduertere velit.

Vt breuiter hanc delirationem Mæuianam diluamus, ad argumentum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Ad probationem negatur Maior. Ad probationem Maioris, iterum negatur Maior: nam neque in humanis ſemper verum habet: ex multorum enim ſententia natura humana, & hypoſtaſis in rebus creatis ſunt realiter vnum & idem; & tamen natura ſpecificè communis eſt pluribus: non verò hypoſtaſis. Naturæ itidem ſpecificæ proprietates communes ſunt pluribus; non differentia indiuidualis & perſonalis; & tamen realiter idem ſunt cum proprietatibus naturæ. Quantò minus valebit Maior illa in diuinis, propter virtualem diſtinctionem, quæ eſt inter hypoſtaſin, & eſſentiam eiusq; proprietates, quæ cum in re infinita fundetur, æquialet diſtinctioni reali, facitque, vt de eadem entitate ſecundum rem, idem verè negetur & affirmetur; tametſi ſecundum diuerſos reſpectus.

ſpectus. Nec ſufficit Mæuio ſemel, etiam hoc loco, fuiſſe imperitè blaſphemum. Metuens enim, ne indocta ipſius impietas à lectore non intelligeretur, battologicè eam explicat, & quidem *dilucidius*; vt ait. Sed nil neceſſe, vt cum Batto vel *Battizemus*, vel *batuamus*. Satis perſpicuè vidimus, quàm ſit Prædicans iſte inſulſus & impius.

Audiamus tamen id, quod proximè ſubiungit: *cum dico: Deus eſt omnipotens: totam Trinitatem intelligo.* cùm verò dico: *Deus Filius eſt omnipotens, non loquor de omnipotentia illa abſolutè ἁπλῶς, ſed hypoſtatica & in perſona Filij determinata.* Vides iſtum abſolutè duas *omnipotentias* in Deo ſtatuere; vnã communem: alteram non communem? Eodemque iure, vel potius eadem iniuria & nequitia eò progredi debere, vt duas ſtatuat eſſentias, alteram, communem; alteram hypoſtaticam; ſeu ad Filij perſonam reſtrictam. Quę hęc imperitia, vel potius inſania? Miror iſtum Superattendentem non rapi in *Inquiſitionem Prædicanticam*, vt non vni ex Prædicantium numero contigit.

Quid reſpondet Prædicans ad argumentum hoc Bellarmini? Si vnio hypoſtatica conſiſtit in communicatione idiomatum diuinorum, ſequitur, totam Trinitatem eſſe incarnatam, quandoquidem hęc attributa ſunt toti Trinitati communia, per conſequens, à tota communicantur, ſi communicantur; & cum hæc communicatio nil ſit aliud, quàm vnio hypoſtatica, hoc eſt, incarnatio, ſequitur, totam Trinitatem eſſe incarnatàm. Quid, inquam, Mæuius? *Negatur*, inquit. Qua de cauſſa? *quia attributa non ſunt communicata carni, in quantum ſunt communia, in quantum ad eſſentiam ſimpliciter ſpectantia. ſed in quantum ſunt perſonæ Filij Dei. in quantum ſunt hypoſtatica. in quantum vnius perſonæ ſola, in quantum reliquis perſonis incommunicabilia & ἀσυγκοίνωτα.*

En hic iterum apertè duplicem omnipotentiam, duplicem omniſcientiam, duplicem omnipræſentiam, vno verbo, omnes proprietates abſolutas diuinæ naturæ ſtatuit duplices; alteras communes & communicabiles; alteras proprias Filij; *hypoſtaticas*, ſeu *perſonales*, non communes, non communicabiles Patri vel Spiritui ſancto. Quis Oceanus hanc ruditatem & blaſphemiam abluet? Siccine eſt alia *ſcientia*, alia *omniſcientia* in Patre; alia in Filio, alia in Spiritu ſancto; non vna & eadem verè, realiter, entitatiuè? Quid eſt myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis abolere, ſi hoc non eſt? Quis Arianus magis ſuſtulit apertè, quàm iſte per inſcientiæ ſuæ cuniculos?

Certè Bellarmini argumento nunquam ſatisfacies, niſi euerſo vel Trinitatis myſterio, ſi in hoc inſano reſponſo perſtes, vel abolita Incarnationis œconomia, ſi vnio hypoſtatica conſiſtit in communicatione idiomatum; quia hæc à tota Trinitate communicata ſunt, ſi, vt volunt Vbiquiſtæ, communicatá ſunt; quia ſunt toti Trinitati communia, & conſequenter, non niſi à tota Trinitate communicabilia.

Ex quo rurſum conſit, totam Trinitatem carni eſſe hypoſtaticè vnitam, cum hypoſtatica vnio nil ſit aliud, vt iſtorum delirat acumẽ, quàm realis communicatio diuinorum idiomatum: quæ non ſunt alia in hypoſtaſi Filij, vt iſte fatuatur; alia in hypoſtaſi Patris, ſed eadem prorſus numero: neque enim, quòd in hypoſtaſi Filij hypoſtaticè ſubſiſtunt, identitatem numericam tollit; quemadmodum identitatem genericam vel ſpecificam animalis & humanæ naturæ non tollit; quòd natura animalis & hominis exiſtit hypoſtaticè in Petro; nam prorſus eadem genere vel ſpecie exiſtit in Paulo, Iacobo, & aliis indiuiduis animalis vel hominis: quod enim natura generica animalis, vel ſpecifica hominis cum formali illo reſpectu, quem habet ad Paulum, vt in hypoſtaſi Pauli exſiſtit; non exiſtit in hypoſtaſi Petri aut Iacobi, id non impedit, quo minus abſolutè & verè aſſeueremus, eandem genere vel ſpecie naturam in Pauli, Petri & Iacobi hypoſtaſibus ſubſiſtere; neque vlla inde naſcitur multiplicatio genericæ & ſpecificæ naturæ; ſed eadem prorſus genericè & ſpecificè in omnibus hypoſtaſibus manet: ſic licet eſſentia vel omnipotentia diuina non ſit in Patris hypoſtaſi cum formali illo reſpectu ad hypoſtaſin Filij, cum quo ſubſiſtit in hypoſtaſi Filij; non eſt tamen vllo modo dicendum, eſſentiam vel omnipotentiam diuinam, & alias abſolutas proprietates diuinas, vt ſunt in Filio, eſſe Patri, & Spiritui ſancto incommunicabiles: proprias, hypoſtaticas, & perſonales Filio: ſed verè ſunt & manent communes & abſolutæ, & communicabiles omnibus perſonis diuinis, etiam vt ſunt in Filio, & vt formaliter huic reſpectui ſubſtant: & contrarium cum Mæuio affirmare, nil aliud eſt, quàm in grauiſsimo argumento grauiſsimè hallucinari & delirare. Et ſi communicetur alicui eſſentia vel omnipotentia diuina, etiam prout exſiſtit in Filio, impoſsibile eſt, non communicari eſſentiam vel omnipotentiam, etiam prout exiſtit in Patre & Spiritu ſancto, quia prorſus eſt vna & eadem, in omnibus tribus perſonis ſubſiſtens, omnis multiplicationis ex inexiſtentia ſeu ſubſiſtentia in realiter diſtinctis hypoſtaſibus expers: quemadmodum impoſsibile eſt, vt, ſi communicaretur alicui natura animalis vel hominis ſubſiſtentis in hypoſtaſi Petri, etiam vt in hac hypoſtaſi ſubſiſtit, non communicetur eadem genere vel ſpecie natura: quia eadem genere vel ſpecie in omnibus indiuiduis exiſtit, neque vlla ex inexiſtentia illa contingit ipſius naturæ multiplicatio.

Dixerat Bellarminus, Concilia generalia docere, ideo ſolam perſonam Filij incarnatam eſſe, quòd vnio facta ſit per communicationem ſubſiſtẽtiæ ſiue hypoſtaſeos propriæ ipſius Filij. Hic vaniſsimus Thraſo: *nunquid autem in ſola ſubſiſtentiæ communicatione adquieuerunt?* Omnino, immediatè in ſola; neq; attributa diuina abſoluta aliter, niſi mediatè communicata docuerunt; idque non vt

humanæ

humanæ naturę illa attributa ineſſent more Vbiquiſtico, & humana natura in ſe verè diceretur *omnipotens, omniſciens, omnipræſens*; ſed vt humana natura ſubſiſteret per illa, quatenus identificantur cum hypoſtaſi propria Filij, per quam immediatè natura humana ſubſiſtit.

Adiungit ignorantiſsimus Prædicans: *Revolue, Bellarmine, & relege ſynodos, ab Imperatoribus contra delirium Neſtorianum conuocatas. Emoriar, niſi faciem tuam præ nimia impudentia velare, & obtegere, neceſſum habiturus ſis.* Mox ſubdit Mæuius: *Verum, mi Bellarmine, extrahã te è latibulo, & ignorantiam tuam patulam, conſpicuam reddam.* Feciſti profectò ignorantiam tuam *patentiſsimam*: & in lucidiſsima luce eam collocaſti. Non poſtulamus euidentiora eius argumenta, quia quæ dediſti, ſunt euidentiſsima.

Ait Bellarminus cum Catholicis, vnionem hypoſtaticam factam per communicationem propriæ hypoſtaſeos Filij, vt per eam natura humana ſubſiſteret. *Hem tuam ignorantiam*, clamat Prædicans, *ne dicam, an blaſphemiam, qua hypoſtaſin Filij à maieſtate, & maieſtatem ab hypoſtaſi diuellis.* Non diuellit Bellarminus; ſed myſterio Trinitatis & Incarnationis conuenienter ita incarnationẽ peractam docet, vt ſolus Filius fuerit incarnatus, non autem Pater & Spiritus ſanctus; quod contingere nequiit, niſi per communicationem alicuius, quod Filio eſſet proprium, cuiuſmodi eſt hypoſtaſis; quæ realiter non diſtinguitur à communi eſſentia, & à communibus eſſentiæ attributis & proprietatibus: & tamen hypoſtaſis Filij immediatè eſt communicata naturæ humanæ, non vt in ſe natura humana hypoſtaſis Filij eſſet vel fieret, ſed vt per eam ſubſiſteret. Quo pacto, mediatè ſaltem, etiam attributa diuina communia, realiter ab hypoſtaſi Filij indiſtincta accepit, non vt humana natura, *omnipotens, omniſciens, omnipræſens* eſſet, ſed vt per hæc attributa quatenus identificantur cum hypoſtaſi mediatè ſubſiſteret.

Hic iterum nobis apponit Mæuius ſuum illud axioma: *Quando duo vel plura idem ſunt, tunc communicato vno communicantur etiam alia; ſed in propoſito hypoſtaſis Filij, & attributa abſoluta ſunt vnum & idem realiter, ergo communicata hypoſtaſi, communicantur etiam attributa illa abſoluta*: Dixi iam ſupra, hoc Mæuianum ſomnium vtrumq; myſterium & incarnationis & ſanctiſsimæ Trinitatis euertere: non enim vera eſt Maior, ne in naturalibus quidem: Tantum abeſt, vt vera ſit in diuinis, propter virtualem diſtinctionem eſſentiæ & attributorum eius ab hypoſtaſi, æquiualentem diſtinctioni reali. Quanquam, vt antea dixi, etiam attributa diuina mediatè communicata ſunt humanæ naturæ, quatenus identificantur cum hypoſtaſi Filij, non vt natura humana eſſet illa attributa; ſed vt per illa ſaltem mediatè ſubſiſteret. Quid, quod nec ipſi Sectarij *maiorem* illam admittunt; quia omniſcientiam increatam naturę humanę communicatam tradunt; & tamen *æternitatem* communicatam fuiſſe non concedunt; cum *æternitas & omniſcientia* Dei realiter ſint vnum & idem: ſaltem Ergaſilus Auguſtanus, hoc non concedit, in ſua Diſputatione de Chriſto, quidquid ſit de Mæuio.

Sed vide iam intolerabilem Lutherani huius blateronis iactantiam. *Hic ita conſtitutis*, inquit, *& irrefutabiliter aſſertis, Ieſuiticum Cardinalem hunc in modum torquemus, & labyrintho ineuitabili, ac indiſſolubili inuoluimus.* (Quid conſilij capiet Bellarminus? Quo ab ineuitabili hoc labyrintho, ne includatur, fugiet?) *Aut communicata hypoſtaſi, Bellarminus ipſam quoq; τὸ λόγε omnipotentiam, & omniſapientiam (non quidem ſub Patris, aut Spiritus ſancti hypoſtaſi, ſed ſolius Filij) communicatam aſſerat; atq; ſic tractatum ſuum hunc, quo realem diuinorum idiomatũ communicationem inſectatur, vna litura deleat* (non eſt quod ſperes, Bellarminum aſſerturum, humanæ naturæ communicatam eſſe *omnipotentiam*, & cætera attributa diuina modo Vbiquiſtico, quem vos comminiſcimini; fruſtra ſperas, ſi hoc à Bellarmino impetrari poſſe ſperas.) *aut ſi hanc oppugnare pergit, nonerit, ſe etiam communicationẽ hypoſtaſeos Verbi tollere, atq; ſic vnionẽ hypoſtaticam Verbi, aſſumptæq; humanitatis planè euertere, hoc eſt, & impietatis blaſphemiæ, & multiplicis hæreſeos deteſtãdæ reum ſe facere.* Negatur hoc ſecundum palam, & abſq; vllis ambagibus: ob cauſſas antea dictas, quia hypoſtatica vnio & incarnatio formaliter & immediatè conſiſtit in communicatione hypoſtaſeos propriæ Filij, vt per eam humana natura ſubſiſtat; non in communicatione attributorum communium, niſi remotè, mediatè & indirectè, vt per ea, quatenus identificantur cum hypoſtaſi Filij, natura humana etiam ſubſiſtat.

Huic ſuo imperitiſsimo & inſulſiſsimo Labyrintho ſubiicit Mæuius hunc thraſoniſmum. *Vir erit, quiſquis erit, qui hoc dilemma extricabit, & Ieſuitam Bellarminum ſolidè vindicabit.* Quàm arrogans animal hæreticus, & in hæreticis Prædicans? Quàm ſe iactat, quàm ſe circumſpicit, etiam tunc cum nil niſi gerras nugaciſsimas effundit? Eſt quidẽ hæc inſolentia propria hæreticorum, inſignitèr tamen elucet in Hunnianis pullis, qui ab arrogantiſsimo ſuo Magiſtro hunc ſuperbiſsimum ſpiritum ſuxerunt, & in præcordia ſua demiſerunt. Arbitror friuoli huius dilemmatis cornua ita eſſe iam confracta, vt ea nunquam reparaturus ſit Mæuius, niſi conſueto ſibi artificio, hoc eſt, futili & inani.

Inſcitè carpit Mæuius hoc Bellarmini dictum: *Pater gignendo Filium omnia ſua attributa illi communicauit: & ſimiliter Pater & Filius producendo Spiritum ſanctum, omnia ſua attributa illi communicarunt. Falleris profecto, mi Bellarmine*, intonat Mæuius, *obſecro te, num attributum ſuum perſonale, & characterem hypoſtaticum Pater communicauit Filio, vt Filius ab æterno Filium gignere poſſit; vel gignat; quod ſanè conſequens eſſet, ſi omnia attributa ſua Pater cum Filio habet communia.*

Ita num Pater & Filius, communicarunt sua attributa omnia Spiritui sancto, vt etiam instar Patris, Filium gignere, ratione Patris, & Filij alium Spiritum sanctum producere, & spirare; ratione Filij seorsim, Filius esse, Filius Patris dici, ac nominari queat?

Qualis cauillatio, quàm vanidica & inaniloqua. Quis nescit, præter eos, quos criminandi libido excœcat; cum omnia attributa à Patre Filio communicata dicimus, id intelligi de attributis naturæ, non de hypostaticis propriisq; personarum idiomatis. Nam & in creatis, cum ita loquimur; Pater generãdo Filium omnia sua attributa ei communicat, id non nisi subintellecta hac exceptione intelligimus; omnia naturæ attributa ei communicare; quorum nempe communicatio possibilis est, salua reali distinctione inter Patrem & Filium.

Et tamen puerilem hanc suam cauillationem coronat Prædicans hac coronide. *Hic hærebit Iesuita.* (admodum scilicet) *hic hærebunt omnes eius propugnatores.* Miseros nos, qui à Mæuio ita constricti sumus, vt vno in loco hærere cogamur. Cogamur, inquam, non in re ipsa, sed in Mæuij somniculosa phãtasia. Gratiæ Deo & superis. Laqueus, quem nobis tetendit, contritus est, & quidem labore nullo.

Sequitur aliud Bellarmini contra Vbiquistas argumentũ: Aut volunt hypostaticam vnionem consistere in communicatione omnium attributorum, vel aliquorum tantùm: si omnium, impossibilis erit vnio hypostatica. Nam inter attributa Dei, numeratur vera æternitas, quæ principio & fine caret: at impossibile est, rem creatam carere principio; & saltem certum est, Christi humanitatem non fuisse ab æterno. Pari ratione, Dei proprium est, carere principio effectiuo: at id nullo modo creaturæ communicari poterit. si verò aliquorum tantùm; quis dicere poterit, quę sint illa, cum eadem sit ratio omnium?

Respondet Mæuius; *ineptam esse istam distinctionem: aut quædam, aut omnia idiomata communicata esse carni Christi: non quædam, sed omnia esse communicata.* Quàm morosus censor. Quasi verò ineptum, & non potius necessarium sit, aduersario indefinitè affirmante; attributa diuina esse humanæ naturę communicata; ei qui contra argumentatur, disiunctiuã propositionem exstruere; vt absolutum responsum eliciat, in hunc modum: cum indefinitè affirmas diuina attributa communicata esse naturæ diuinæ; aut omnia communicata cẽses, aut aliqua duntaxat. Quid hic ineptiæ? Tu respondes, omnia esse communicata; bene est, sequitur ergo etiam æternitatem diuinã communicatam esse naturæ humanæ; & per consequens, naturam humanam verè & formaliter esse æternam; sicut Deus verè & formaliter est æternus. Concedit Mæuius etiam æternitatem diuinam communicatam esse naturæ humanæ Christi: eo quòd attributum æternitatis inseparabili nexu cum reliquis attributis cohęreat. Sequitur ergo, vt antea dixi, humanam Christi naturã esse æternam. Nam quòd verè & formaliter in se habet ęternitatem diuinam, illud est verè & formaliter æternũ æternitate diuina; sicut quod verè & formaliter in se habet calorem, verè & formaliter est calidum. Negat Męuius *hoc sequi.* Caussam reddit; *quia humana Christi natura non est æterna essentialiter, sed tantummodo participatiuè per vnionem hypostaticam.* Demus hoc ita esse, quamuis non ita sit; vt supra etiam ostensum, cum vel hanc eandem, vel similem Mæuij hallucinationẽ refelleremus. An ideo non erit formaliter natura humana æterna? Cycnus non est albus essentialiter. An idcirco nec formaliter? Impossibile est autem, vt aliquid formaliter ęternitatem habeat, & non sit formaliter æternum & ab æterno: sicut impossibile est, vt aliquid formaliter habeat albedinem, & non sit formaliter album.

Ait Mæuius. *Attributum æternitatis implicitè esse communicatum naturæ humanæ in cæteris attributis.* Verùm non euadet hac rima. Nam si cætera attributa formaliter in Deo existentia formaliter & realiter naturæ humanæ sunt communicata, cur non & hoc æternitatis, quod æquè formaliter est in Deo ac alia? Deinde, vt essentia diuina, sic & omnia eius attributa formaliter sunt æterna: cum ergo essentia, eiusq; *omnisicientia, omnipotentia*, & id genus alia naturæ humanæ attributa formaliter sint communicata, sequitur ipsam etiam æternitatem formaliter naturæ humanę esse communicatam, quia formaliter in essentia & in essentiæ proprietatibus continetur: & sic natura Christi humana, ex Vbiquistarum schola nobis prodibit æterna. Vbi ergo mysterium Incarnationis in tempore peractum?

At considera, quàm elegãti similitudine suam insciticm Mæuius illustratum eat. *Anima est essentia ἐμέριστος, non habens partem extra partem, cùm sit in toto corpore tota, & singulis partibus tota, potentias quidem suas communicat corpori, vt oculus videat, auris audiat, cor intelligat; non tamen ideo corpus inde fit substantia spiritualis, & immortalis sicut est anima: Ignis etiam se totum, & facultates suas ignito ferro communicat: non tamẽ inde protinus ferrum ignitum fit substantia elementaris, leuis, sursum tendens; sed nec ideo vera, & realis communicatio ignis ad ferrum infringitur.*

Pulchrę & scitę similitudines; quibus nihil deest, nisi harmonia & conuenientia ad propositum: nam anima rationalis nullam earum potẽtiarũ, quæ in ipsa sola subiectiuè insunt, communicat secundũ entitatẽ corpori; nam nec intellectus, nec voluntas vllo modo, in se & secundum suum esse, communicantur corpori, aut in corpus transeunt per participationem entitatis; sed in sola anima manent; & eadem est ratio potentiarum sensitiuarum, si, vt quidam volunt, in sola anima insunt. Hinc enim sequitur, eas in corpore non existere, nisi secundum operationes suas. Quo pacto, si Vbiquistæ diuinam naturam in humana exsistere sentiunt, non iniuria saluta-

buntur

buntur noui Nestoriani. At Vbiquistæ dicunt proprietates diuinas ita communicari naturæ humanæ, vt verè ab illis nominetur *omnipræsens, omniscions, omnipotens, etc.* At anima rationalis non ita communicatur corpori, vt corpus verè & formaliter dicatur *rationale; intelligens, volens*, neque enim ratio, intellectus, & voluntas in se per informationem animæ vllo modo corpori communicantur. De altera similitudine satis est iam dictum superius.

Ait Mæuius: *Æternitatem & immensitatem Deitatis Verbi personaliter quidem inhabitare in assumpta humana Christi natura, sed non peculiares pro se Energias in assumpta natura, & per eam proferre & exerere.* En nunc ad operationes confugit; quasi verò Vbiquistę velint attributa diuina carni Christi solummodo secundum operationem communicata esse, non in se & secundum se. Et quænam est æternitatis energia seu operatio, nisi, vt rem cui in se competit, æternam constituat? At æternitas in se & formaliter competit humanæ Christi naturæ; habet ergo in ea suam energiam, hoc est, naturam efficit æternam. Nam quod ait, *implicitè hoc attributum esse communicatum*, id iam supra refutauimus: nec valet, quod dicit; *personaliter*: Nam vocem istam *personaliter*, longè aliter vsurpant Vbiquistæ, quàm orthodoxi.

Ridiculum est autem, quòd exemplo essentiæ diuinæ in omnibus rebus existentis, nec tamen eadem in omnibus operantis, iste suam imperitiam fucare conatur; quia essentia diuina cum suis proprietatibus non est in rebus per vnionem hypostaticam & communicationem realem idiomatum, sed per indistantiam suæ substantiæ à rebus, & per operationem in illis. In quali vnionis modo si Vbiquistæ suam Vbiquitatem constituunt, viderint ipsi, an non ad Nestorij intima castra pertineant.

Ait Bellarminus. Attributa diuina non posse esse naturæ humanæ essentialia, ex sententia Concordiæ, esse igitur accidentalia. Obstrepit Mæuius, *esse insufficientem enumerationem; esse enim attributa personalia & hypostatica pro ratione vnionis hypostaticæ definita.* Fumos nobis vendit fumosus iste Prædicans. Nam statim iterum quærere licet, an ista *personalis* seu *hypostatica* vnio diuinorum attributorum cum natura humana sit essentialis, an accidentalis; & consequenter, num prædicata ista diuina competant naturæ humanæ essentialiter an accidentaliter? Quid hic respondebit Mæuius? Nos quidem dicimus vnionem hypostaseos diuinæ cum natura humana nec esse essentialem, nec accidentalem; sed substantialem. Num idem ipse sentit de Vbiquistica idiomatum diuinorum communicatione facta naturæ humanæ? Nam hypostaticam seu personalem illam vnionem, quam Vbiquistæ introducunt, oportet esse vel substantialem, vel essentialem, vel accidentalem. Concilium Quintum Oecumenicum, quo hic gloriatur Mæuius, tantum fauet Vbiquetariis, quantum Tridentinum Concilium.

De sexto Concordiæ errore, qui est de Christi ad inferos descensu, quem à Bellarmini argumentis Mæuius vindicare nititur, agemus sequenti libro quarto.

NOTATIONES IN DISPVTATIONEM ERGASILI AVGVSTANI DE CHRISTO.

EDIDIT nuper, nouitius quidam Prædicans (qui ne sine nomine sit, *Ergasilus* à nobis indigitabitur) verbosissimam disputationem *de Christo*, in qua potissimum pugnat pro Vbiquitatis portento contra Caluinistas, vt ipse quidem profitetur, sed dum alienos errores expugnatum tendit, proprios pleno sacco ferit. Nec loquor de illo palmario, qui est Vbiquitatis defensio, sed de illis, quos admittit, cum vel sua munit; vel aduersariorum rationes impugnat & soluit.

Tametsi autem Caluini sectatores in hoc dogmate; *Christum non esse vbique ex vi vnionis hypostaticæ*; prout Vbiquistæ somniant, rectè & orthodoxè sentiunt; atque adeo in ipsa assertione cum Catholicis concinunt; negari tamen nec possumus, nec debemus, veritatem hanc multis tetrisque erroribus ab illis inuolui & implicari, quos si Ergasilus iste solidè impugnaret, laudem mereretur. Nunc cum errores erroribus cumulet, minoresque grandioribus, euertere studeat, ipsamque adeo veritatem non nisi falsiloquiis & vaniloquiis appetat, non video, quid mereatur, nisi castigationem.

Notanda est autem in hoc argumento vafra Vbiquistarum fraudulentia; qui vt apud imperitos Iesuitis odium concilient; dictitare, & tanquam grande piaculum exaggerare solent; *Iesuitas cum Caluinistis in articulo de Maiestate Christi hominis conuenire.* Quasi ingens crimen sit, omniumque execratione dignum; cum hæreticis in vero quopiam dogmate consentire. An non Lutherani concordant cum Caluinistis in assertione Dei vnius in essentia, & trini in personis? An huic articulo idcirco fidem abrogant, quia eidem assentiuntur Caluinistæ? An non cum iisdem Caluinistis conspirant in reiiciendis & à Canone resecandis libris Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ, Ecclesiastici? An non cum Caluinistis vniuersam summi Pontificis potestatem, cultum Sanctorum, & venerationem Reliquiarum ac crucis & centena alia repudiant? Nec hanc non tantùm in vero, sed & in falso cum Caluini sectatoribus conuenientiam & harmoniam, sibi probro dari ferunt, solis Iesuitis vitio vertunt, quòd dogma verum de Maiestate Christi hominis non deserunt, eam duntaxat ob causam,

quia & Caluinistæ, vtcunque adhuc illud amplectuntur & à Lutheranorum insciti vindicant & defensitant.

Inspiciamus nunc Ergasili Theses; at breuiter. Quæ flagitia in præfatione commiserit: iam alibi notauimus. Nunc considera sequentia. Thesi 30. *Essentia diuina diuidua est realiter per distinctionem, non separationem.* Quis orthodoxus dixit, *essentiam diuinam esse realiter diuiduam*, propter tres personas, in quibus natura diuina subsistit? An vna eademque numero natura *diuidua* est seu diuisibilis *realiter per distinctionem?*

II. Thes. 36. *Rubenum, Simeonem & Leui*, id est, tres homines, seu tria individua eiusdem speciei, *essentialiter* differre. Quis audiuit talia, extra castra Vbiquistica, & Atopistica?

III. Thes. 37. *Verbum, quoad modum subsistendi*, hoc est, quoad filiationem, & hypostasin, *esse Deum de Deo, & lumen de lumine.* Videturque Prædicans loqui de sola filiatione, non autem de toto Filio, quasi Pater solam filiationem, non totum Filium genuerit.

IV. Thes. 39. Acutè probat; inter diuinas personas nõ esse *prioritatem & posterioritatem, quia nihil habent istæ personæ, nisi essentiam & relationem; essentia autem vna & eadem est in omnibus: relationes verò id requirunt, vt sint naturâ simul.* At quid iste dicet, si quis non sumat simul paternitatem & filiationem: vel spirationem actiuam & passiuam; sed paternitatem & spirationem actiuam; vel filiationem & spirationem passiuam, vel hanc & paternitatem? Num sunt & hæ relationes sibi mutuò non oppositæ naturâ simul, ex relatiuorum lege & conditione?

V. Thes. 40. Iterum oggerit, *Verbum, quatenus est Filius, filiationem seu* σχεσωτόητα, *personalitatem, dici habere à Patre.* Num solam? Ita omnino sentire videtur Prædicans.

VI. Thes. 42. *Diuinitatem, adeóque totam plenitudinem Deitatis esse generantem, genitam, & procedentem.* Itáne diuinitas *generat, generatur & procedit?*

VII. Thes. 48. Apparet *humana natura* κατ' ἐξουσίαν ὑφεσάμενον, vbi pro subtilitate cogimur esse contenti solœcismo. *Natura*, seu φύσις ὑφεσάμενον, Grammatica diceret: ὑφεσαμένη.

VIII. Eadem Thes. 48. & 49. videtur significare Christum assumpsisse personam: Ait enim, *Christum assumpsisse naturam humanam in individuo, spectatam in vno singulari existente cum proprietatibus individuis.* Si dicta sua intelligeret, pauculis verbis, sed planis & claris à suspicione grauis hallucinationis se liberare potuisset.

IX. Thes. 50. Acutè asserit, *non esse plura fidei obiecta, sed vnum individuum:* Et hoc acutius inde colligit, quia *Christus vnam solummodo individuam naturam humanam assumpsit.* Sed deistorum hallucinationibus circa primarium fidei obiectum, lege Gregorium de Valentia Tomo 3. Comment. Theolog. Disp. 1. q. 1. p. 1. Assert. 1.

X. Thes. 54. Per Michaëlem *principem magnum* Daniel. cap. 12. intelligit Christum hominem: Et hunc suum intellectum admodum ingeniosè probat ex capite duodecimo Apocalypseos; vbi *Michaël & Angeli eius dicuntur præliari cum Dracone.* Si Ergasilo prius occurrisset locus Apocalypseos, dixisset, nomine *Michaëlis* in Apocalypsi intelligi debere *Christum hominem*; & hoc liquere ex capite duodecimo Danielis: quia parum interest, siue hoc per illud, siue illud per hoc confirmes. Circulus iste non est Prædicantibus insuetus.

XI. Thesi 61. *Maria Deipara dicitur non secundum characteristicam Filij Dei differentiam mediatè, sed secundum hypostasin.* Quodnam, oro, discrimen est inter *characteristicam Filij Dei differentiam, & hypostasin?* Quam promptum fuisset dicere: Beatam Mariam esse Deiparam, quia verum Deum genuit.

XII. Thesi 64. Obseruetur elegans illa phrasis Theologica. Carnem ex sanguinibus semper Virginis *statuminauit* (Filius Dei) in propria persona.

XIII. Thesi 70. Nouam Philosophiam tradit. *Deum analogicè reduci ad prædicamentum substantiæ & relationis.* De substantia tolerari posset. De Relatione inauditum est; cum relationes in diuinis ad genus substantiæ, non ad *accidentia* pertineant; vt pertinent ea, quæ ad Relationis categoriam reducuntur.

XIV. Thesi ead. Argutissimum est, quod ait, *vnionis personalis quasi materiale esse subsistentiam seu personationem: Formale; Immeationem.* Insciticæ, opinor, in rudes Prædicantium phantasias: non naturæ diuinæ & humanæ.

XV. Thesi 73. Propius ad rem venit. *Humana Christi natura est insita in ipsissimam τῦ λόγυ ὑποστασιν καὶ κάλπον, ergo humana Christi natura est vbique.* Perinde ac si dicas: Materia manus dextræ animatæ est insita & inserta in ipsam substantiam, & quasi *in κάλπον* animæ, quæ corpus informat; ergo vbicunque est illa anima in corpore, ibi etiam est manus. Accipe fortius delirium Prædicantis. *Humana Christi natura est inserta λόγῳ seu Verbo non vt loco, sed illocaliter: ergo illocaliter vbique existit humana Christi natura, sicut λόγος.* Tu dic. Materia manus dexteræ inserta est animæ informanti non vt loco; sed illocaliter; ergo vbicunque hęc anima existit in corpore, ibi etiam erit materia manus dexteræ.

XVI. Ibidem. Nec hoc acumen negligi debet, *λόγος non reperitur extra carnem; ergo caro est, vbicunque λόγος est: ergo vbique.* Respondeo. Antecedens esse falsum. Nam vt anima reperitur extra manum, licet manum informet; ita & λόγος reperi-

tur

tur extra carnem, licet carnem hypoſtaticè ſuſtentet. Quamuis, vt de anima in pede vel capite exiſtente verum eſt dicere; eam animare & informare manum; ſed ibi, vbi manus eſt; ita & de Verbo vbicunque exiſtit, verum eſt affirmare, ab illo carnem aſſumptam hypoſtaticè ſuſtentari, ſed ibi, vbi caro aſſumpta exiſtit.

XVII. Ibidem. Chriſtum eſſe vbique ſecundum *vtramque naturam; at non formaliter ſecundum naturam humanam.* Quod qui aſſerit, hic profectò formaliter deſipit: quia vt natura humana cuiuſuis alterius hominis non niſi formaliter in vno loco exiſtit; ita non niſi in omnibus formaliter exiſteret, ſi in omnibus exiſteret: quia vt iam per formalem in loco exiſtentiam, exiſtit in vno loco; ſic tunc per formalem exiſtentiam in locis omnibus; exiſteret formaliter in omnibus.

XIIX. Ibidem. *Filius Dei ſubſtrauit ſuam infinitam hypoſtaſin naturæ humanæ; ergo fieri non poteſt, vt non è veſtigio coëxtenſa ſit verbo.* Perinde ac ſi diceret: Quælibet res viuens viuit, eſt, & mouetur in Deo; *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus,* Actorum 17. Quælibet etiam res ſuo modo ſuſtentatur & ſuſtinetur à Deo; ita vt Deus infinitam ſuam eſſentiam, tanquam baſin, cuiuis rei quaſi ſubſternat; ergo quælibet res, cuius vita, motus, ſubſtantia, & conſeruatio diuinæ & infinitæ eſſentiæ, veluti baſi cuidam, innititur; Deo coëxtenditur, atque adeo ſtatim exiſtit, vbicunque Deus exiſtit; eò quod nihil in infinito recipi poſsit finitè, ſed ſolummodo infinitè.

XIX. Theſi 75. Si humana Chriſti natura in hypoſtaſin diuinam recepta; non æquè latè ac verbum diffuſa ſit; *tum dicendum, aut Chriſtum ſuam infinitam ſubſiſtentiam depoſuiſſe; aſſumendo finitam; aut infinitum λόγον, aſſumendo humanam naturam, & perſonando,* ſeu hypoſtaticè ſuſtentando, *ſimul perſonaſſe locum, hoc eſt, infinitam ſuam ſubſiſtentiam, ita creato loco ſubſtrauiſſe, vt illum ſecum perſonaliter vniret.* Neque prius illud, neque hoc poſterius ſequitur; quia hypoſtaſis infinita poteſt etiam naturam creatam finitè terminare; & finitâ ſubſiſtentiâ donare. Nam & potentia Dei, qua res producit, conſeruat & ſuſtentat; infinita eſt; & tamen non producitur res infinita, ſed finita; nec paſsiua eius conſeruatio & in ſuo *eſſe* ſuſtentatio eſt infinita, ſed finita. Quod de loco garrit, rudiſsima eſt imaginatio. An ideo enim neceſſe eſt locum hypoſtaticè à Deo aſſumi; ſi aſſumat naturam certo loco circumſcriptam? Num locus eſt aliquid ad naturæ integritatem pertinens; vt natura loco circumſcripta abſque eo ad hypoſtaticam vnionem nequeat aſſumi?

XX. Theſi 76. Stultiſsimè veretur, ne λόγος *perſonaliter fiat locus & locatus, ſi natura aſſumpta loco circumſcribatur.* Quanquam nil vetat λόγον dicere *locatum;* ſed ſecundum naturam humanam. Certè Filius Dei certo in loco circumſcriptè exiſtens ratione humanæ naturæ, non magis locum, in quo exiſtit, hypoſtaticè aſſumit, quàm Socrates ſuum locum, in quo localiter exiſtit, hypoſtaticè aſſumat.

XXI. Theſi 80. Obſerua hanc imperitiam. τὸ εἶναι vel ὑπάρχειν, hoc eſt, *eſſendi modum in perſona Filij Dei toto genere differre à modo ſubſiſtentiæ in rebus creatis.* Non eſt ita; nam ſaltem in communi & generali eſſendi & ſubſiſtendi modo conueniunt. Similis imperitia eſt: *Modum, quo humana natura in ὑπάρξει inexiſtit λόγῳ, toto genere differre à rerum creatarum ſubſiſtentia:* nam vtrinque generalis ſaltem ſimilitudo & conuenientia intercedit. Sed Vbiquetarius iſte hæc præmittit, vt poſtea nemo cohorreſcat, quando portenta loquetur, & pro myſteriis ineffabilibus venditabit.

XXII. Theſi 81. Significare videtur, Chriſtum non fuiſſe in cruce mortuum; tametſi vocat *mortuum:* Sed quod affirmat, mox iterum euertit: quando dicit; *de Chriſto in cruce mortuo verè prædicari potuiſſe: Hic homo eſt verus & viuus Deus.* Eratne Chriſtus in cruce mortuus *homo* propriè dictus? Non magis, quàm quiuis alius mortuus. An non *eſſe humanum* per mortem diſſoluitur? An non homo deſinit eſſe homo per mortem? Nec refert, quòd corpus Verbo hypoſtaticè vnitum manſit; ſimiliter & anima: Nam nec illud, nec hæc; homo erat; etiam cum vnione hypoſtatica Verbi; quia homo fit ex vnione animæ cum corpore, quę, Chriſto in cruce mortuo, nulla fuit.

XXIII. Ibidem. *Vnionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate non fuiſſe diſſolutam in morte Chriſti.* Quomodo potuit non diſſolui; cum ipſum *eſſe humanum* ſeu *humanitas* in morte deſierit? Num poteſt id, quod deſiit eſſe, cum altero vnitum manere? Vide Franciſcum Suarez tomo ſecundo, in tertiam partem, quæſtione quinquageſima, diſput. 38. Sect. 2.

XXIV. Theſi 82. *Chriſtum hominem naturaliter quidem fuiſſe mortuum; ſed eo ipſo tempore per & propter vnionem hypoſtaticam viziſſe:* Si mortuus fuit; hoc eſt, ſi deſiit eſſe homo, per ſeparationem animæ à corpore; quomodo per & propter vnionem viuere, hoc eſt, homo eſſe potuit? An vnio hypoſtatica facit, vt qui mortuus eſt, hoc eſt, qui non eſt; ſit & viuat? Manſit quidem hypoſtaſis Verbi vnita corpori & animæ; ſed iam mutuò ſeparatis & diuulſis: & nec corpus Verbo vnitum, nec anima Verbo hypoſtaticè coniuncta: homo fuit, in triduo mortis Chriſti; ſed aliquid hominis.

XXV. Ibidem. *Chriſtum eo momento, quo naturaliter mortuus in ſepulchro iacuit, fuiſſe viuum vbique per vnionem extra omnem locum.* An non eſt hoc ar-

ticulum de morte Christi è medio tollere: & verbo quidem mortem Christi fateri; reipsa inficiari? Nam si eo ipso tempore, quo in cruce mortuus est, & in sepulchro mortuus iacuit; vbique *potenter & gratiosè viuus fuit*; vt loquitur Ergasilus, fuit ergo etiam in cruce, postquam spiritum emisisse dicitur, & in ipso sepulchro, viuus, & totum illud, quod mori & sepeliri videbatur, phantasma & ludibrium fuit. Quomodo enim verè mortuus fuisset, qui vbique locorum atque adeo in cruce & in sepulchro eo ipso tempore viuebat?

XXVI. Thesi 84. & aliquot sequentibus, furiosè bacchatur, in eos, quos vocat *Topistas*, hoc est, in omnes illos, qui *portentosam Vbiquitatem* repudiant; audacterque mentitur, ex horum sententia, *Deum extra carnem seu naturam assumptam, esse infinitum; in carne, finitum.* Nemo Catholicorum hoc vnquam asseruit. De Caluinistis, nihil laboro: Multa illis hic Ergasilus attribuit, verè an falsò, ipsi viderint. Nihil ad me Caluinistarum defensio: tametsi procliuè est credere, istum amore Vbiquitatis excœcatum, genio mentiendi liberaliter indulgere voluisse.

XXVII. Thesi 94. *Si Christus, etiam secundum humanam naturam, non est vbique, tum non potest dominari in medio inimicorum suorum, eosque confringere sceptro ferreo, neque regnare à mari vsque ad mare, neque defendere Ecclesiam suam à fauoribus Satanæ & mundi: Sed hoc est absurdum, &c.* Respondeo, sequelam esse Vbiquisticam, hoc est, friuolam & falsam; nam vt hæc & similia Christus, etiam qua homo, præstet, satis est; vt vbique sit secundum suam diuinam naturam; licet non vbique sit secundum humanam, præsertim cum, vt homo quoque, ea scientia & potentia sit instructus, vt omnia quæ in suo regno geruntur, norit, & absens etiam, secundum naturam humanam, hostes Ecclesiæ satis superque compescere valeat.

XXVIII. Thesi 96. Admodum notandæ sunt illæ in Vbiquitatis regno vsitatæ loquendi formulæ: *Quoad infinitus est*: pro, *qua* vel *quatenus* infinitus est. Subditur argumentum subtilissimum: *Λόγος tantum est incarnatus in suo loco: ergo tantum in loco suo est homo: in aliis multis millibus locis non est homo, sed ἀσωμος, in vnoſolùm loco ἐνσωμος.* Vult iste dicere: Verbum solummodo incarnatum est & caro seu homo factum in vtero Virginis, ergo extra vterum Virginis non est homo. Similiter ac si dicas: Ergasilus, *purus homo*, tantum in vtero matris suæ factus est homo; ergo extra maternum vterum in multis locorum millibus non est homo. Pulcherrima, & digna mulione consequentia. Num ideo Verbum vbique non est vbique homo, quia non vbique, sed in solo Virgineo vtero humanum esse per incarnationem accepit? An tu vbiq; hoc est, in omnibus rebus conceptum, & postea ex omnibus rebus natum arbitraris? Falsum est autem Verbum non esse vbique hominem, licet humana eius natura non sit vbique. Nam & Deus vbique & est, & verè & formaliter dicitur productor & conseruator huius vel illius hominis, verbi gratia, vt Socratis, Platonis; licet nec hunc, nec illum vbique, sed in certo loco produxerit, neutrumque, nisi in certo loco existentem conseruet.

XXIX. Ibidem. *Si assumpta natura non est vbique, hoc est, omnibus in locis, vbi Verbum existit*; tum sequitur, verbum extra illum locum, in quo natura assumpta existit; esse tantùm *respectiuè & relatiuè* ac *denominatiuè hominem*; *respectu illius puta loci.* Perinde ac si diceret: Si Petrus, qui in suo esse à Deo conseruatur, non est in omnibus locis, vbi Deus conseruans existit; tum sequitur, Deum extra illum locum, in quo Petrus in suo esse conseruatur, tantum respectiuè & denominatiuè non formaliter conseruatorem esse, ratione videlicet illius loci, in quo Petrus conseruatur. Huic delirio simile prorsus est prius illud Ergasili: quem ab hac amentia reuocare poterant, etiam humana exempla: An non vno in loco Doctor, vel Sacerdos creatus; Doctor vel Sacerdos est omnibus in locis, ad quæ postea successiuè peruenit? Sic & Verbum vno in loco, nempe in Virgineo vtero incarnatum seu homo factum; verè homo est omnibus in locis; licet incarnatio non sit in omnibus locis, sed in solo D. Virginis vtero peracta.

Sed iste semper hæret in hac sua perquam obtusa phantasia. *Verbum in hoc lapide*, verbi gratia, *existens, nõ habet præsentem naturam humanam assumptam, vt volunt quos iste nouo nomine Topistas indigitat. ergo Verbum in hoc lapide, verbi gratia, existens non est homo, vt hic existit.*

Soluamus & hoc *Atopistæ* nostri ἄτοπον accommodata enstasi. Deus in Europa existens non habet hic in Europa præsentem Petrum, quem in India conseruat, & in suo *esse* sustentat; ergo Deus in Europa existens, vt hic existit, non est formaliter conseruator Petri in India. Item. Anima in manu dextra existens, eamque informans, non habet præsentem pedem, aut manum sinistram; ergo anima existens in manu dextra non est formaliter informans pedem aut manum sinistram. Vt hæc nil valent; sic & nullius pretij est prior illa *Atopistæ* & Vbiquistæ illatio: nam vt Filius Dei vbique dicatur homo, satis est, quòd vbique sit is, qui humanam naturam assumptam hypostaticè & formaliter sustentat ac terminat, quamuis eam non terminet vbique existentem, sed in vno duntaxat, vel aliquibus locis existentem. De quo lege Gregorium de Valentia libro primo contra Vbiquetarios capite decimo tertio, & libro secundo, capite 7.

XXX. The-

XXX. Thes.97. & 98. insulsissimè iterum garrit *de loco naturæ humanæ circumscriptæ, qui ingressus sit ipsam vnionem hypostaticam, atq; adeo in se hypostaticè assumptus; & incarnatus*; Et per consequens, *in consummatione seculi vnionem hypostaticam dissolutum iri; quia tunc omnia loca abolebuntur*, vt ait. Si quis dicat; *nouum locum creatum iri*; statim occurrat: *tunc ergo etiam hypostaticam vnionem Verbi cum loco reuocari & innouari debere.* Hæc omnia colligit ex eo, quòd asseritur, *finitam naturam potuisse ab infinito capi*; hoc est, hypostaticè terminari & sustentari, in loco suo; hoc est, in vno, absque diffusione & coextensione sui cum Verbo. Ex hoc, inquam, dicto, quod verissimum est, colligit *Atopista* noster omnia prædicta absurda; quæ verè absurda sunt; sed non nisi absurdissimè ex vero dicto collecta. Et quæ tandem Theologia docuit istum, sub finem mundi *omnia loca abolitum iri?*

XXXI. Ibid. Acutissimè concludit: *ipsam vnionem hypostaticam multiplicatam esse in morte Christi, si id, quod à Verbo hypostaticè terminatur, vno in loco existat, & naturaliter etiam à loco dependeat; quia in morte Christi, separatâ animâ à corpore; anima Christi in alio loco fuit, & corpus in alio; & tam illa, quàm hoc hypostaticè sustentabatur à Verbo, eo in loco, vbi tum existebat; ergo erant duæ vniones hypostaticæ; vna in loco, vbi erat anima, & alia in loco, vbi erat corpus. Et quidem nouæ, ratione nouorum locorum iam primum exortæ.* Quomodo nouæ? An non antea etiam in ipso toto hypostaticè terminabantur & sustentabantur à Verbo anima & corpus? An primum per separationem ad hypostaticam vnionem peruenerunt, deque nouo assumptæ sunt? An in ipso toto non erant duæ partiales vniones hypostaticæ ex parte duorum terminorum partialium, nimirum corporis & animæ; quamuis ex parte Verbi esset tantum vnica, sicut & post separationem animæ à corpore, vnica ex parte Verbi erat, cum Verbi suppositum sit vnicum? At iste imperitissimè arbitratur has duas partiales vniones hypostaticas tum primũ factas, quando in morte Christi, anima eius cœpit in loco separato existere; & similiter corpus: ita, vt ex sententia eorum, qui Vbiquitatis dogma repudiant, locus sit caussa vnionis hypostaticæ Verbi cum anima & corpore, prout separatim existebant. Quod minimè est Catholicorum placitum, sed Atopistæ huius somnium. Nec vllus rectè sentientium affirmat, vnionem hypostaticam cum anima Christi & corpore, tanquam cum partibus naturę humanæ Christi, dissolutam fuisse; sed eam dissolutam multi aiunt, quæ erat cum tota natura seu cum Christi humanitate; Arbitrantur enim totalem vnionẽ humanitatis aliquid addere partialibus illis vnionibus, sicut totalitas humanitatis addit aliquid, præter animam & corpus, saltem modum distinctum: Ex quo sequitur; destructa humanitate, vt fit in morte; destrui etiam eius vnionem vt totalem; & formaliter ac integrè non manere, etsi maneant partiales vniones, ex quibus reipsa constabat; sicuti etiam nõ manet humanitas, licet maneant partes, nempe corpus & anima, ex quibus constabat; vt rectè explicat Suarez Disput. 38. sect. 11.

XXXII. Thes.100. & aliquot seqq. Dat egregia suæ in Physicis peritiæ specimina; ex quibus & hoc vnum est; *Corpus quantitate præditum non necessariò circumscribi loco; vel à loco dependere.* Atqui si naturæ legem spectemus, tam id necessarium est, quàm necessariæ sunt aliæ naturæ corporeæ proprietates & conditiones; nam quod de supremo cælo oggerit; nihil est; cum enim extimum sit; & secundum conuexam superficiem nullâ aliâ ambiatur, fieri non potest, vt sit in loco. Sed num ideo vbique est; quia non est in loco?

Si dicat Atopista. *Fieri potest per diuinam potentiam, vt natura corporea sit extra locum, seu incircumscriptè & illocaliter existat; ergo idem præcisè per vnionem hypostaticam factum est in assumpta humana Christi natura.* Respondeo, negando conseq. Quia Verbum assumpsit naturam humanam, saluis & integris naturalibus eius proprietatibus, inter quas vna itidem est; *circumscriptio in loco.*

Obiicit Ergasilus. *Natura humana existit in supposito Verbi illocaliter & incircumscriptè; ergo est vbique.* Respondeo; non esse probam hanc consequentiam. *Natura existit illocaliter & incircumscriptè, ergo est vbiq;*; nam caro & sanguis Christi existit in Eucharistia *illocaliter*, hoc est, incircumscriptè, & tamen non vbique. Et extimum cælum existit incircumscriptè; nec tamen vbique. Et quamuis natura humana non existat in Verbo localiter vt in loco, quia nulla natura existit in sua hypostasi, vt in loco; nam hypostasis non est locus naturæ; non sequitur tamen, eam illocaliter, multoque minus, vbique illocaliter existere; quia localiter existit in suo loco naturali, quem corporis circumscriptio & quantitas ex natura sua deposcit.

XXXIII. Thes.103. Nota insignem impostura huius *Atopistæ*. Damascenus lib. 3. cap. 2. ait, Verbum diuinum fuisse in Virginis vtero ἀπεριγράπτως, *incircumscriptè*. & ex illibato eius sanguine carnem, anima intellectuali animatam, sibi vniuisse & sustentasse, vbi cum illud ἀπεριγράπτως pertineat ad inhabitationem seu inexistentiam Verbi in vtero Virginis; Vbiquista noster fide Vbiquistica, id coniungit cum Verbo ὑπέστησεν, *sustentauit*; addito hoc scholio, ἀπεριγράπτως ὑπέστησεν, *incircumscriptè personauit*; Et mox litteris maiusculis; NON PERSONAVIT IN LOCO CIRCVMSCRIPTE. Quo nihil falsius est & à sententia Damasceni alienius; quia illud *incircumscriptè* refert ad inhabitationem Verbi in vtero Virginis; non ad Verbum ὑπέστησεν, pro quo Atopista superius planè ἵδρυσε reddidit nobis: *Statuminauit.* Quis non rideat, audiens, naturam humanam fuisse à Christo *Statuminatam*? Quamquam licet vocula ἀπεριγράπτως ad hoc verbum referretur; haud is esset sensus, quem iste fingit;

sed, Verbum ἀπερίγραφον, hoc est, sine sui circumscriptione naturam humanam assumpsisse & hypostaticè sustentasse.

XXXIV. Thes. 105. reuocare videtur, quod prius asseruit, quodque ab omnibus Vbiquistis tota contentione asseritur: *Naturam humanam Christi esse vbique.* Quia negat illam *coëxtendi Verbo diuino*; hoc est, existere in omnibus locis, vbi Verbum existit; hoc enim per *coëxtensionem* cum Verbo intelligitur; sed ait; *Carnem Christi in persona Filij Dei infinita subsistere loco & tempori creato incommensurabiliter.* At quid dicat, prorsus nescit; nec Vbiquisticæ suæ doctrinæ fundamenta intelligit: Quod si per subsistentiam loco & tempori creato *incommensurabilem*, nil aliud intelligit, quàm carnem Christi non commensurari Physicè loco & tempori Physico; idem Angelis competet; qui tamen hypostaticè non vniuntur Verbo; quia nec Angeli Physicè commensurantur loco; quia circumscriptiuè non sunt in loco; nec commensurantur tempori Physico, quia tempus non est mensura Angelorum, sed æuum. Si autem per istam subsistentiam *incommensurabilem* loco & tempori, intelligat naturæ humanæ in omnibus locis, in quibus Verbum existit, existentiam, prout intelligere debet, si ἄτοπον *Atopista* permanere velit: ineptè negat coëxtensionem humanæ naturæ cum Verbo, quia per hanc nihil aliud Vbiquistæ accipiunt, quàm existentiam carnis in omnibus locis, in quibus existit Verbum.

XXXV. Thes. 108. & seq. noua se aperit stultitia. *Impossibile est, vt diuina Filij hypostasis finitè & localiter existat; ergo impossibile est; vt illa natura, quam hypostaticè diuina filij hypostasis terminat, commensuretur loco, vel localiter subsistat; quia ipsa etiam hypostasis diuina commensuraretur loco, vel localiter subsisteret.* Atopisticam hanc ἀτοπίαν intelliges in exemplo, non quidem vndiquaque simillimo, assimili tamen, quantum attinet ad propositum. Impossibile est, vt Deus finitè & localiter existat, ergo impossibile est; vt illa natura, in qua intimè præsens est, commensuretur loco, vel localiter subsistat; quia alioqui ipse etiam Deus commensuraretur loco, & localiter existeret. Quanti ponderis est hæc consecutio, tanti est & illa prior. Neutra vel vno pilo pretiosior est. Quasi verò infinita natura vel hypostasis non possit in natura circumscripta & finita, finitum aliquid producere vel efficere; salua infinitate & incircumscriptione essentiæ & hypostaseos diuinæ. Deus in vnoquoque hominum penitissimè præsens est: Num ideo ipse circumscriptus, aut homo in quo est, incircumscriptus & illocalis efficitur? Anima informans intimè est præsens in manu. An ideo manus est vbicunque anima est; aut anima non est, nisi vbi manus est? An eius diffusio & existentia in toto corpore, ideo restringitur, quia existit in manu, quæ non est in toto corpore?

A Insinuat Ergasilus hanc consequentiam. *Natura humana Christi est illocalis personaliter*, hoc est, in persona sua, *quia persona Christi est incircumscripta & illocalis; ergo & ipsa natura humana est incircumscripta & illocalis.* Quàm probum Antecedens, tam terra & putida est consequentia; non enim necesse est, vt quod natura habet in persona; habeat etiam in seipsa. Ait Ergasilus Thesi 112. & seq. *Hoc Mysterium esse ineffabile, quod nec Angelorum lingua eloqui possit.* Assentior, si loquaris de dogmate tuo *Atopistico & Vbiquistico.* Si tamen ipsis Angelis ineffabile est, miror te tam verbosè effari conatum, quod ipsis Angelis negatum est. An tu maior, & in hoc mysterio explicando disertior Angelis?

B Postea suadet nobis, vt saltem credamus hoc Vbiquisticum mysterium. Sed suadeat hoc suis, quos obsequentiores habet quàm nos. Et hactenus quidem, hoc est, vsque ad Thesin 118. ait se de *materiali* vnionis disputasse; Repone; *deliraſſe.* Nunc desipere incipit de *formali* vnionis, quod, vt ait, est περιχώρησις, seu *immeatio* naturæ humanæ in diuinam, eiusque attributa diuina. Pateant aures. Miraadferet Atopisticus iste Histrio; qui in ipsa stultitiæ adyta & cubilia pleno gradu *immeabit.*

Principio longos texit logos, vt nobis istam *immeationem* dilucidè ob oculos ponat. Producit exempla ex Augustino, ex scriptoribus nouis & antiquis, quibus cõmentitia hæc *immeatio* numquam in mentem venit: immeat autem non tantum *natura diuina in humanam, sed & humana in diuinã*, & se mutuò mirificè penetrant; si tamen nõ cœcutiit Ergasilus, quando hanc *immeationem* propius contemplatus est: Ex immeatione sequitur *idiomatum communicatio, vnaquaque natura communicante cum altera propria sua*: propter istam immeationem & immansionem. Fit ergo natura humana immortalis; quia natura diuina, cõmunicat humanæ naturæ sua idiomata; ex quibus vnum est immortalitas. Et natura humana communicat per hanc atopisticam *immeationem* naturæ diuinæ sua idiomata, ex quibus vnum est mortalitas; & sic de cæteris attributis vtriusque naturæ. Immortalis igitur erit natura humana, D & quidem immortalitate increata, quia natura diuina suam ei immortalitatem impertiit: Mortalis autem, natura diuina, quia natura humana suam in illam mortalitatem transtulit. Et quod de hoc attributo diximus, idem intelligi debet de cæteris, nam humana Christi natura erit incircumscripta, æternà, omnipotens, &c. Diuina verò natura circumscripta, temporalis, impotens: *nec tamen est naturarum absorptio siue exequatio*, vt ait Atopista; Thes. 130.

Cui hoc creditu difficile accidit, suppositâ illâ monstrosâ idiomatum communicatione; ei succurret Ergasilus Thesi sequenti: nam quòd natura diuina tam liberaliter sua attributa cum natura humana communicat, hoc non habet na-

tura

tura humana *ex actu primo naturali Physico, sed ex actu primo personali* seu ὕπαρξιν ἑνωτικὴν. Si neges te intelligere, quomodo fieri posit, vt hac ratione non permisceantur naturæ, earumque proprietates; si natura humana habeat proprietates diuinas, & diuina humanas; Occinet tibi Ergasilus: *Qui hoc non videt, tendat per pietatem*, sed Vbiquisticam & Atopisticam *ad videndum: non per cæcitatem ad calumniandum.* Sed ô optabilem cæcitatem, quæ tantas tenebras non videt.

XXXVI. Thesi 135. Persuadere nobis nititur, naturas manere *integras & impermixtas, & earum proprietates illæsas*; non obstante hac *immeatione.* Quomodo naturæ impermixtæ, & earum proprietates inconfusæ; si naturæ humanæ in se cómunicantur proprietates diuinæ; & naturæ diuinæ proprietates humanæ?

XXXVII. Thes. 139. & tribus sequentibus, nil nisi contradictiones & insciticias inuenies. Prius absolutè dixerat; propter *immeationem* illam Atopisticam proprietates vnius naturæ communicari alteri, & quidem immediatè; nunc gradũ refert; & quædam idiomata tantum vnius naturæ propria formaliter esse asserit, nimirum humanæ, vt *natum, passum, mortuum esse*, quædam solius naturæ diuinæ formaliter, *vt remittere peccata.* Quomodo solius naturæ humanæ, si diuina Christi natura naturæ humanæ omnia sua attributa communicauit, vt antea à te assertum est?

XXXVIII. Thesi 142. docet, *Christum secundum vtramq; naturam esse mediatorem*; de quo commento infrà, libro quinto. Illud omnem subtilitatem superat; *Christum quoad vtramq; naturam esse passum, non tamen secundum vtramq; naturam.* Perinde ac si diceret; Petrum, quoad vtrumque oculum esse passum maximos dolores; non tamen secundum vtrumque oculum. Passum esse podagram quoad vtrumque pedem; non tamen secundum vtrumque pedem.

XXXIX. Thes. 144. *Christum secundum vtramq; naturam, esse Redemptorem, Sacerdotem, Prophetam*, &c. de quo infra lib. quinto.

XL. Thesi 145. & aliquot sequentibus multa & Vbiquistis consueta mendacia fundit Atopista noster contra eos, qui Vbiquitati genua flectere nolunt: vt quòd sint *Nestoriani*, quòd *in formali & materiali vnionis hypostaticæ turpiter hallucinentur*; quòd *vnionem cum Nestorio tollant*; & si quæ sunt alia malè sani & indocti capitis retrimenta; nusquam non in Vbiquistarum chartis obuia; neque hic attingenda.

XLI. Thes. 150. asserit; *animam communicare cum corpore suum actum.* Num omnem? Num actum intelligendi, volendi, reminiscendi? Thesi 151. Sic corpus Adami à Deo efformatum tradit, quemadmodum plastæ & statuarij effingunt statuas; nimirum, vt prius totam corporis molem, omniumque membrorum constitutionem effigiauerit, & postea demum spiraculum vitæ inspirauerit. Quæ profectò est admodum subtilis & plane *Atopistica* speculatio.

XLII. Thes. 152. Ex intimis Philosophiæ penetralibus depromptum est, quod ait; *Animam dare cerebro potentiam cogitandi, intelligendi, contemplandi.* Felicem hunc *Atopistam*, cuius cerebrum intelligit & contemplatur, & quidem νοητῶς, *intellectualiter.* Illud quomodo accipiet Philosophus: *Corruptis organis corporis, corrumpi etiam intellectum humanum.* Quo absurditatis progrederis, ô Atopista? Ne exspectes, donec huiusmodi verbis tuis bonum sensum substernere coner. Sequor Lutherum, qui obliqua & flexuosè dicta contra Auctores interpretari iubet, præsertim vbi de mala mente sat manifesta indicia supperunt.

XLIII. Thes. 154. *Mentitur nos negare naturarum, hoc est, proprietatum vtriusq; naturæ in persona communicationem.* Vide Bellarminum cap. 9. & 10. lib. 3. de Christo.

XLIV. Thes. 155. Acutum hoc argumentum proponitur. *Mors Christi habet infinitam efficaciam; ergo ab illa immeatione quam Atopistæ comminiscuntur.* Consequentia est Atopistica. Nam infinitam efficacitatem habet mors Christi à diuino supposito, in quo natura humana, secundum quam Christus mortuus est, existit.

XLV. Thes. 156. *Christus habuit potentiam videndi ab anima; ergo potentiam videndi Nathanaëlem absentem sub ficu habuit ab vnione hypostatica, vt à quadam sua Entelechia.* Non sequitur hoc. Nam & Heliæus vidit absentem Giezi munera à Naaman accipientem; & alij similiter Prophetæ absentia non raro quasi præsentia intuiti sunt, & tamen caruerunt personali vnione cum Verbo. Postea elegantissimè explicat Atopisticam suam *immeationem* per similitudinem *fermenti.* Deinde, per *dulcorationem mellis*, tertiò, per *ignitionem ferri.* Omnia aptè & concinne, vt solet Ergasilus; qui etiam de pectore suo fœcundo *Synclotbistas* progenuit, volens, opinor, à se *Synclotbistæ* nomen amoliri, nulla enim Clotho naturas magis conglomerare & commiscere potest, quàm qui *immeationem* supra descriptam statuit.

XLVI. Thes. 163. Mentitur vnionem hypostaticam, ex sententia eorum, qui Vbiquitatem nõ adorant, *similem esse vnioni, quæ est inter oleum & aquam; vel inter argentum viuum & pulueres.* Mendacium prorsus *Atopisticum.*

XLVII. Thes. 164. *Nestorium in Concilio Ephesino fuisse damnatum, quòd hanc immeationem* Vbiquisticam & Atopisticam *inficiaretur.* Mendaciũ hoc ἀτοπίας plenissimum sumpsit ex suo Smidelino: qui in Colloquio Mompelgartensi idem asseruit. Repetitur tamen Thes. 165. & 166. in quibus tot fermè mendacia, quot verba; vt & in Thesibus sequentibus vsque ad 174. vbi nouam mendaciloquentiæ & ignorantiæ telam exorditur. Inter has autem pseudologias principem locum tenet, quod Leporij reuocatio, quæ exstat apud

Cassia-

Caſianum lib. 1. de Incarnatione, fuerit profeſſio Vbiquitatis, ſeu *immeationis Atopiſticæ* & fanaticæ, quam Ergaſilus in ſuis Theſibus depingit.

XLVIII. Theſ. 174. & ſeqq. incipit deſtruere, quæ ſupra Theſi 133. & ſeqq. per ſuam *immeationem* ædificauerat; ibi enim dixerat indefinitè: *Ex immeatione Vbiquiſtica ſequi communicationem idiomatum, vnaquæq; naturarum communicante cum alia ſuæ proprietates.* Hic quoniam videt (tametſi prius quoque id ſaltem per tranſennam vidit) hanc liberalitatem eſſe nimiam, beneficium IMMEATIONIS ſuæ reſtringit; aitque, quaſdam eſſentiales Dei proprietates eſſe naturę humanæ incommunicabiles; vt *æternitatem, immenſitatem, eſſe increatum, incorporeum, impartibile.* Communicabiles autem *ſapientiam, potentiam, vitam.* Quaſi verò ſapientia, potentia, & vita æterna immenſa & increata Dei; non æquè excedant anguſtias naturæ humanæ finitæ, ac æternitas, & immenſitas Dei. Qua in re, vt & in aliis multis, quantum Ergaſilus à ſuo ſymmyſta Mæuio & ab aliis Atopiſtis & Vbiquiſtis diſcordet; docent ea, quæ ſupra ex Mæuio attulimus.

XLIX. Theſ. 175. Negat, *omnes proprietates humanæ naturæ communicabiles eſſe naturæ diuinæ*: In harum numero ponit, *eſſe corporeum; finitum, circumſcriptum, habere carnem & oſſa.* Et tamen Theſi 133. abſque vlla reſtrictione & exceptione affirmauerat; per illam *immeationem* naturæ humanæ in diuinam, & vice verſa; *communicari cum diuina natura τὰ ἴδια propria naturæ humanæ.*

L. Theſ. 178. Admodum peritè ſcribit. *Chriſtum nihil aliud eſſe, quàm ſuæ naturæ.* An hypoſtaſin ſeu perſonalitatem à Chriſto excludit? Deinde num eſt *ſuæ naturæ* iunctim an diuiſim?

LI. Theſ. 179. & aliquot ſeqq. multa garrit quomodo diuina & humana attributa prædicentur de Chriſto; poſtque verboſum garritum & barritum, nihil aliud exit, quàm attributa vtriuſq; naturæ poſſe affirmari de vna perſona Chriſti in cõcreto; ita vt verè dicatur; *Chriſtus eſt Deus, homo, Chriſtus eſt immortalis, mortalis, impaſſibilis, paſſibilis.* Quod nemo rectè ſentiens vel neſcit vel abnuit. Nos ex Atopiſtica illa *immeatione* exſpectabamus longè alias enunciationes, nempe has vel ſimiles. *Natura humana eſt omnipotens; omniſciens.* & quidem omnipotentiâ & omniſcientiâ increatâ. Si enim *immeatio* illa Vbiquiſtica has proprietates diuinas naturæ humanæ communicauit, cur de illa, ſaltem in concreto enunciari non poſſent? Ex altera parte putabamus Vbiquiſticam illam *immeationem* paritură nobis has propoſitiones. *Natura diuina eſt paſſibilis, mortalis, circumſcripta*; Nam ſi immeatio transfudit proprietates humanas in naturam diuinam, vtique & has transfudit. *Non has*, inquit Vbiquiſta; *ſed alias.* Quæ nam ſunt illæ? Si quarundam capax eſt; cur non omnium? Si quædam in naturam diuinam non *immeant*; cur vel vnam *immeare* credamus? Si quædă non *immeant*, quia finitæ & creatæ ſunt; cur aliæ immearent, cum ſint eiuſdem generis? Cur ipſa natura humana immearet in diuinam; circumſcripta, finita, corporea; in incircumſcriptam, infinitam, incorpoream?

LII. Theſ. 185. & ſeqq. Acriter it in Zvvinglianos, qui cauſſam ſuam ipſimet agent. Nolim vel grandi ære aduocatus eorum eſſe; niſi quatenus, defensâ veritate, vniuerſi veritatis patroni defenduntur. Nos palam & ſonorè profitemur. *Deum*, vel *Filium Dei verè eſſe natum, paſſum, crucifixum mortuum*; ſed ſecundum humanam ſolummodo naturam.

LIII. Theſ. 212. & multis ſeqq. deſipere ingreditur de proprietatibus diuinis, quas ipſe naturæ humanæ communicatas immediatè credit; vt ſunt *omnipotentia, omniſcientia*; Maximè vrget illum locum Col. 2. *In Chriſto habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; cuius, præter alios, etiam hic eſt legitimus ſenſus. In Chriſto, hoc eſt, in Chriſti natura humana inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc eſt, hypoſtaticè; quia plenitudo diuinitatis, hoc eſt, hypoſtaſis diuina, humanam naturam ad vnionem hypoſtaticam cum diuina aſſumpſit. Hinc quia hypoſtaſis diuina verè & realiter ſuſtentat & terminat naturam humanam, rectè aſſeritur, plenitudinem diuinitatis in ea natura inhabitare, *corporaliter*, hoc eſt, verè & realiter, quia perſonaliter: Rectè itidem affirmatur, hanc plenitudinem diuinitatis à natura aſſumpta poſſideri; ſed hypoſtaticè ſeu in perſona. Quare inanes logi ſunt, quidquid hic de ſua communicatione per immeationem facta prolixè deblateret; Et omnia iam ſupra in Mæuio refutata ſunt.

LIV. Theſ. 233. Ridet Atopiſta *Rationem*; vocatque ioculariter, *Dominam Rationem*; eique in hoc Vbiquiſtico arcano ſilentium indicit. Quocirca nil mirum, ſi tota eius diſputatio *Ratione* careat; cum Ratio in harum Theſium conſcriptione, ne mutire quidem auſa fuerit, ſilentio pluſquam Pythagorico obſtricta. Quid factum cenſes, cum poſtea in Tubingenſi Academia hęc de Chriſto diſputatio rationis exſors, abſq; ratione defenſa eſt?

LV. *Chriſtum non poſſe eſſe iudicem, Regem, Redemptorem, Sacerdotem ſeu Pontificem, Mediatorem, Doctorem, Medicum, viuificatorem, peccatorum expiatorem, miraculorum patratorem, ſine immediata iſta inter naturas proprietatum communicatione*, orta ex Atopiſtica illa *immeatione* & penetratione; inſcitia eſt Vbiquiſtica, Ergaſilo per multas Theſes cum Synergis Vbiquetariis communis; quia ad omnia prędicta ſufficit communicatio idiomatum facta reſpectu hypoſtaſeos, in qua vtraque natura pariter ſubſiſtit. quia hoc ipſo proprietates vtriuſque naturę applicantur vni communi hypoſtaſi, & proinde ipſis naturis in concreto, quia concreta nomina pro ſuppoſito accipi poſſunt, licet formaliter naturas ſignificent. Hęc inſuper idiomatum in hypoſtaſi diuina communicatio ſufficit,

ficit, vt Christi actiones & perpessiones infiniti meriti & efficaciæ fuisse dicantur: quia fuerunt actiones & passiones infiniti suppositi. Præterea hæc duarum naturarum in vna hypostasi vnio, satis est, vt natura humana Christi, atque adeo ipse Christus, qua homo, adoretur; nec requiritur Atopistica illa & Vbiquistica naturarum *immeatio* nuper in fornacibus Vbiquistarum excocta.

LVI. Thesi 267. & duabus seqq. iterum à se & suis mixtionem vel confusionem naturarū amoliri nititur; sed vano conatu. Nam quod ait; *Filium Dei naturaliter esse omnipotentem*; *Hominem autem Christum per gratiam vnionis*; non iniuriâ suspicari quis posset; eum, Nestoriano spiritu affiatum; *Filium Dei, & hominem Christum* distinguere; quasi alius sit *Filius Dei*; & alius; *Homo Christus*. Dic, Ergasile, num homo Christus, non est Filius Dei? Num Filius Dei, non est homo Christus? Si Filius Dei naturaliter est *omnipotens*; cur non & *Homo Christus* naturaliter est omnipotens? An Homo Christus non significat suppositū, quando nulla particula reduplicans adiicitur? Demus vero, Filium Dei naturaliter esse *omnipotentem*; Hominem verò Christum, seu, vt clarius loquar, Christum secundum humanitatem tantummodo per gratiam vnionis; an ideo naturæ & proprietates naturarum non confunduntur & permiscentur? An natura illa, quæ non in alio, hoc est, in diuino supposito, sed in seipsa omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam & gloriam increatam habet, natura humana manet, quomodocunque increatas proprietates immediatè in se habeat; siue naturaliter, siue dono cæleſti? Quid est esse Deum, nisi in se increatam omnipotentiam, omniscientiam, &c. habere? Si igitur natura humana hæc in se habet; quomodo natura humana erit, & non diuina, seu Deus; Etiamsi hæc idiomata non communicentur naturæ humanæ sub titulo *proprij*; sed sub titulo *appropriati*: vt loquitur Atopista: qui hac rimula se euasurum frustra confidit: Impossibile enim est, vt si natura humana per Vbiquistarum *immeationem*, verè in se, ipsam diuinam & increatam omnipotentiam, & omnipræsentiam, & alia attributa Dei accepit, sit & maneat verè natura humana.

Perquam iucundum verò est, quòd fictitiam hanc & *Atopisticam* communicationem idiomatum ait propemodum esse similem ei, quæ est inter *animam informantem*, & *corpus organicum*. Si propemodum similis est, ergo propemodum est ex substantiali vnione, facta per informationem. Quod forsan non inuitus dabit Ergasilus: quandoquidem communicationem istam nominat *organicā*. Nominat tamen etiam *personalem*. Quæso, num vnio physica inter animam & corpus est personalis, vel personali assimilis? Num personalitas vnitur naturæ, sicut anima corpori? Quo pacto tu *personalem* vnionem appellas illam tuam duarum naturarum in se mutuò *immeationem* & penetrationē? Num naturæ sunt personæ? Num vnio naturarum, præcisè qua talis, est vnio personalis? Nec etiam video, quid Thesi 269. velit sibi *Homo assumptus*. Num Filius Dei assumpsit hominem? Nec vno absurdo contentus, aliud addit: *Hunc assumptum hominem esse Deum eādem diuinitate, qua ipse Dei Filius Deus est, & omnipotentem ac omnipræsentem eadem omnipotentia & omnipræsentia, qua Filius Dei est omnipotens & omnipræsens.* Hæc si non monstri aliquid alunt; vnde tandem monstra nascentur?

LVII. Thesi 270. Asserit, *Christum esse Mediatorem, Redemptorem, aduocatum, summum Pontificem, secundum vtramq; naturā.* Qui error infra libro quinto latè refutatur.

LVIII. Thes. 291. De concreto & abstracto ita disputat, vt omnibus etiam Dialecticæ tironibus, ludibrium meritissimo debeat. Adfert quadruplicem horum vocabulorum vsum; *Scholasticum, Grammaticum, Etymologicum, Philosophicum.* Quasi verò Scholastici vsurpent hæc vocabula aliter, quàm Philosophicè; & Philosophi aliter, quàm Logici seu Dialectici. quod noto, quia iste Dialecticum concreti & abstracti vsum confundit cum eo, quem vocat Grammaticum; quasi apud Dialecticos ea solummodo sint concreta; quæ à Grammaticis dicuntur *Adiectiua*; & abstracta, quæ ipsi nominant *substantiua*; idque solummodo in genere & latitudine accidentium; cum in quacumque bona Dialectica *Homo*, sit *concretum*: Et *Humanitas, abstractum*; eademque est ratio aliorum vocabulorum, quæ substantias significant: Et hæc notio concreti & abstracti in hac de vnione personali, & in toto Incarnationis mysterio locum habet; quidquid Ergasilus contra musitet. Cui non sufficit, vt ipsum mysterium penitus inuertat; ne vocabula quidem immota relinquit; perspicuè animaduertens, fieri non posse, vt absurditas Vbiquistica in omnium oculos quàm primum non incurrat, nisi noua significata receptis ad hunc vsque diem vocabulis imponantur.

LIX. Thes. 302. Imperitè dicit; humanam Christi naturam, ne ψιλῶ quidem λόγῳ, *nuda cogitatione, extra vnionem hypostaticam considerari posse.* Mirum profectò esset, si mens nostra, etiam ea separatim considerare potis, quæ sola ratione distinguuntur, non posset naturam humanam Christi sine hypostasi & natura diuina Christi apprehendere, cum & ab illa & ab hac realiter distinguatur?

LX. AEquè indoctum est, quod ait; *Filium Dei, ne* ψιλῶ quidem λόγῳ *extra Patrem spectari posse.*

LXI. Thes. 315. statuitur hæc propositio: *Homo Christus non est Deus naturaliter.* An Deus alio modo potest esse Deus, quàm *naturaliter*?

LXII. Thes. 319. Mentitur, Thomistas hanc propositionem: *Homo est Deus*: sic resoluere: *Filius*

Dei

Dei sustentans humanam naturam est Deus. Postea Thes. 322. duplicat vel triplicat hoc mendacium. Ait enim; iuxta Scholasticam prædicationem & resolutionem huius propositionis: *Homo est Deus*: Etiam hanc esse veram. *Petrus est Deus vel Paulus; quia Petrus & Paulus nonminus sustentantur à Deo, quam humana Christi natura.* Quæ omnia nihil aliud sunt, quàm luculenta ignorantiæ & pseudologiæ Atopisticæ & Vbiquisticæ indicia. Et hic metam figo, absurdumque *Atopistam* valere iubeo, cuius Theses si ad viuum resecarentur, quot plaustra inscitiæ & ruditatis inde eruerentur & eruderarentur?

DEFENSIO LIBRI QVARTI, QVI EST DE CHRISTI ANIMA, REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur controuersia prima de scientia animæ Christi.

DANAEVS circa hoc primum caput nil aliud agit, quam quòd multis argumentis ostendit, se & suos Caluinistas sentire id, quod Bellarminus Nouatoribus huius ætatis tribuit; nempe Christum cum nostra natura assumpsisse & suscepisse *ignorantiam*, peccati tamen expertem: cumque hoc in hoc capite impensè docere studeat, audet tamen Bellarminum calumniæ accusare, quasi dogma istud sectariis per contumeliam affingat.

Nec noua est hæc hæresis, sed iam olim à Themistio Diacono excogitata & sparsa, & hoc tempore à Lutheristis & Caluinistis renouata. Cuius professores olim dicebantur *Agnoitæ. Melius Agnoëtæ*, occlamat Iunius. Adeo Criticum & Grammaticum suum spiritum celare nequit. Patiatur tamen, vt nos, qui ex vulgo sumus, vsitatiorem appellationem retineamus, & Græcum in Latinum commutemus, vt fit etiam in voce *Paraclitus*, & *Monothelita*, & *Aphthardocita*, aliisque nonnullis, præsertim quando ipse Danæus quoque non dedignatur *Monothelitam* potius, quàm *Monotheletam* scribere in suis commentariis ad librum S. Augustini de Hæresibus.

Mentitur Iunius, *Bellarminum Historiam de Agnoitis confundere; fuisse enim duplices Agnoitas; alteros, qui humanitati seu animæ Christi ignorantiam tribuerint; alteros, qui ipsi diuinitati, seu personæ Christi: illos fuisse priores, hos posteriores*; probatque ex Rhabano libro 2. de Institutione Clericorum cap. vltim.

A

Vt hæc Agnoitarum distinctio vera foret, falsum tamen esset, has duas classes à Bellarmino confundi; quia Bellarmino proposita est disputatio de anima Christi, vt habet ipsa huius quarti libri inscriptio: Iure igitur eorum duntaxat *Agnoitarum* meminit, qui animæ Christi ignorantiam tribuerunt; omissis aliis. Deinde Bellarminus loquitur de Agnoitis, quorum parens Themistius Diaconus, (non Themistius Philosophus sub Valente Imperatore, vt vult Danæus in Appendice sua ad librum S. Augustini de Hæresibus, tametsi Nicephorum Callistum lib. 18. cap. 50. huius sententiæ ducem habeat, quia Themistius iste Ethnicus fuit, quomodo igitur Hæreticus vel Hæresiarcha?) Hos autem non diuinitati, sed animæ assumptæ ignorantiam tribuisse, probat Bellarminus ex eorum argumento, quod erat eiusmodi: *Verbum accepit corruptibile corpus, vt moriendo pro nobis, nos à morte liberaret, ergo accepit etiam nostram ignorantiam, id est, mentem humanã ignorantem, vt nos ab ignorantia liberaret.* In eandem sententiam Nicephorus. *Hi* (Agnoitæ) *dicunt, Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem verò secundum subsistentiam eius vnitam permulta ignorare.*

B

Porro cum ista Agnoitarum secta sit frustum seu portio Eutychianorum, qui humanam Christi naturam in diuinam transiisse fabulabantur, hinc factum est, vt veteres quidam scriberent, Agnoitas ipsi diuinitati Christi ignorantiam adscripsisse. Ex quorum numero Isidorus lib. 8. Originum cap. 5. Agnoitæ (sic enim legendum non Gnoitæ) *& Tritheitæ à Theodosianis exorti sunt, ex quibus Agnoitæ ab ignorantia dicti, quia peruersitati, à qua exorti sunt, id adiiciunt, quod Christi diuinitas ignorat futura.* Quæ verba exscripsit ex Isidoro Rhaba-

nus

nus à Iunio citatus. S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus aduersus Agnoitas disserens apud Photium in Bibliotheca Volum. 230. ita disputationem instituit, vt Christum nihil secundum humanitatem, multò minus secundum diuinitatem ignorasse demonstret.

Ridiculum est autem, quod Danæus non cõtentus originem Agnoitarum à Themistio Philosopho petiisse; eandem altius adhuc ab Empsychio, Eunomij discipulo repeti posse censet. Cum Eupsychius (sic enim legitur apud Nicephorum lib. 12. cap. 30. non *Empsychius*, vt habet Danæus) adeo se opposuerit sententiæ Christo ignorantiam tribuenti, vt propterea ab aliis Eunomij sectatoribus secessionem fecerit; Et quomodo altius repetitur origo *Agnoitarum*, si repetatur ab Eupsychio, quàm si à Themistio Philosopho, cum vel eâdem ætate vterque vixerit, vel etiam Eupsychius Themistio diu superstes fuerit, Eunomiusque & Eunomiani maximè sub Theodosio Magno Ecclesiam vexare occœperint? Et quamuis ab Eunomianis hæc quæstio mota & agitata fuerit; rectè tamen à Themistio Diacono Eutychiano origo eius deducitur, vt à potiore & celebriore auctore, qui virus hoc suum in discipulos longè lateque diffuderit; nam & Nestorij & Eutychetis hæreses olim ab aliis partim tactæ, partim apertè sparsæ & traditæ fuerunt; Et tamen à Nestorio & Eutyche nomina sortiuntur; & ad illos, tanquam ad Auctores, referuntur.

Ostendit Bellarminus ex Luthero, Zvvinglio, Caluino, & Beza, Christi animam seu Christum secundum humanitatem paulatim didicisse, quę verè ignorauerit. Iunius appellat hoc *criminationem*. Quomodo criminatio? An non recitat Bellarminus luculenta verba, quibus prædicti sectarij hoc asserunt? Inspiciantur loca à Bellarmino ex quatuor supradictis Hæresiarchis exscripta; & statim liquebit, quis criminatoris stigmate inurendus sit, Bellarminus, an Iunius. Nam quod & hic insinuat, & cap. seq. expresè monstrare nititur, Lutherum & alios nihil aliud sensisse, quàm quod sentiunt illi Theologi, qui scientiam acquisitam in Christo statuunt, id Caluinianus fucus est, vt cap. sequenti constabit.

Accusat Bellarminus eosdem sectarios, quòd doceant, Christum aliquid egisse, quod corrigi debuerit; nominatim notat Caluinum, scribere non veritum, *Christi orationem in horto, fuisse votum abruptum*. Etiam hæc reprehensio vocatur à Iunio *criminatio*. Quæ hæc in Iunio calumniandi prurigo? An non attulit Bellarminus verba Caluini ex Commentario in cap. 26. Matthæi, quibus hoc Caluinus palam affirmat? An non ait Caluinus votum illud (*Pater si possibile est transeat à me calix iste*) *Christo fuisse subitò elapsum, & à Christo castigatum ac reuocatum*? Quid est votum *subito elapsum*, nisi inconsideratum, & quod temerè absq; vlla præmeditatione excidit? Quid est votum subito elapsum castigare & reuocare, quàm fateri & reipsa monstrare se aliquid egisse, quod correctione egeat? Nec immeritò iubet Bellarminus notari illa verba. *Subito elapsum*. Item illa; *castiget ac reuocet*. Euidenter enim conuincunt, Caluinum huius fuisse sententiæ, quam ei Bellarminus tribuit; omnemque Caluini defensionem excludunt; cum sint dilucidiora, quàm vt vllum in sensum commodum trahi queant.

Ad illud de *voto abrupto* exclamat Caluinianus Chtemes: *Hem rhetorem, qui nescit abruptum apud auctores idoneos τὸ ἀπότομον καὶ ἀπερράκτον appellari.* Scilicet, Christus in monte Oliueti, inter sanguineos sudores Rhetoricatus est, & abrupta, Rhetorum sensu, oratione vsus. Scilicet, hoc ipsum voluit Caluinus intelligere nomine *voti abrupti*, cum paulò pòst clarissimè explicet, quid per *votum abruptum* significare velit, nempe, subito, hoc est, temerè elapsum, & quod castigatione ac reuocatione eguerit.

Ait Bellarminus, Caluinum Christo *non modò ignorantiam, sed etiam obliuionem & peccatum tribuere. Falsum consequens*, inquit Iunius. Quomodo falsum consequens, vt tu loqueris? An non hęc sunt Caluini tui βλασφήματα potius quam ῥήματα? *Non fuit hæc* (Pater si possibile est, &c.) *meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio: Eadem vehementia cœlestis decreti memoriam ei abstulit.* An oratio præceps & inconsiderata peccato caret? An vox corrigi digna à peccato excusari potest? An non obliuione laborat, cui doloris magnitudo memoriam cœlestis decreti eripit?

Ait Bellarminus, semper fuisse Catholicorum communem sententiam, Christi animam ab ipsa sua creatione fuisse repletam scientia & gratia, ita vt nihil postea didicerit, quod antea nesciret, nec vllam actionem fecerit, aut facere potuerit, quæ emendatione eguerit. Occinit Iunius. *De scientia animæ Christi negatur hanc omnium vniuersè & absolutè sententiam esse.* Non dixit Bellarminus vniuersè & absolutè hanc esse omnium sententiam; sed, omnium Catholicorum. Et mendacium est, ipsum Bellarminum *ex parte concedere aliud in cap. quinto Respons. tertia.* Loquitur enim Bellarminus de scientia acquisita, itemque de practica, quæ in experientia consistit; hac licet Christus initio caruerit, non tamen idcirco ignorantia ei rectè adscribitur; quia per beatam & infusam scientiam omnia theoretice, & quidem perfectissimè, nouerat, quæcunque postea per scientiam acquisitam & experimentalem cognouit.

Mendacium est, *S. Thomam 3. p. q. 9. a. 4. eiusdem cum Hæretico sententia esse.* Statuit quidem in Christo scientiam acquisitam. Sed num ideo ignorantiam Caluinianam, Lutheranam, Iunianam, Zvvinglianam, Bezanam? Plumbea est hæc in scholis Scholasticorum consequentia. *In Christo fuit scientia acquisita, ergo ignorantia.* Quia quod per acquisitam scientiam didicit, id per-

fectissimè antea nouerat per beatam & infusam.

Mendacium denique est idem sentire Caietanum in locum citatum S. Thomæ, & alios multos. Nullus, nullus, inquam, orthodoxus scriptor animæ Christi ignorantiam cum Hæreticis adscribit.

CAPVT II.

Probatur veritas ex scripturis.

DRobat hoc capite Bellarminus ex scripturæ testimoniis animam Christi ab ipsa sua creatione sapientia & gratia plenissimam fuisse. Iunius hic ex Caluiniano propemodum Scholasticus euasit. Agnoscit namque in Christo, *qua Deus*; scientiã diuinam; qua homo; *scientiam beatam*, & præter beatam, illam quoque, quam *infusam* vel *inditam* vocant. Tertiò confitetur in Christo *scientiam acquisitam*, & in hac Christum profeciſſe tradit; *idq; optimè à Thoma 3.p.q.9.a.4. & q.12 a.2. & seq. explicatum affirmat.* Quid volumus amplius? Si ita ex animo sentit Iunius Caluinianus non est, in hoc quidem capite; nec quidquam restat, nisi vt Caluinum, alioſque malefidos & pessimè sanos Doctores suos valere iubeat; & his etiam cõsequentiis multam salutem dicat: *Profecit Christus in scientia acquisita, ergo laborauit ignorantia; Acquisiuit Christus aliquod scientiæ genus, ergo aliquid noui quod prius theoreticè ignoraret, per illam didicit.* Minimè hæc consequuntur; sed tantum hoc, Christum aliqua tametsi prius cognita, aliter didicisse & cognouisse, quàm antea cognouerit: vt si Iunius ex literis cognoscat, quod antea ex amicorum relatione intellexerat. Aliter quidem cognoscet, sed non alia. Si hoc vult Iunius, Scholasticos & nos suffragatores habet, neque in hoc dogmate *Caluinizabit* aut *Lutherizabit*, vt supra confessi sumus.

Testimonia scripturæ, quæ Bellarminus adducit, sunt Isaiæ 11. *Egredietur virga*, &c. Et illa, vbi Christus dicitur *vnctus*; vt Psal. 44. Isaiæ 61. Act. 4. & 10. Danæus omnia turbat. Mentitur, Bellarminum ducere primam rationem ex cap. 11. Isaiæ in hunc modum. *Deus vnxit Christum hominem spiritu, ergo anima Christi nihil ignorauit à momento conceptionis Christi.* Hoc argumentum non sumpsit Bellarminus ex capite vndecimo Isaiæ; in quo nihil exstat de vnctione, sed de requietione spiritus Domini super Christo. Verùm ex aliis scripturæ locis, quæ vnctionis huius mentionem faciunt, prout iam antea dictum, & liquet apud Bellarminum.

Deinde mentitur Danæus, *committi in hoc argumento fallaciam à non consequente; eamque multiplicem*: Tertiò mentitur; *Bellarminum hoc ipsum agnoscere.* Quartò mentitur, *Bellarminum propterea in laqueis, in quos sese induit dissoluendis, vehementer qui-*

A *dem, sed frustra laborare*: Et qui nam isti tam tenaces laquei?

Obiicere quis poterat, locos à Bellarmino prolatos accipiendos esse de *vnctione* facta anno ætatis Christi trigesimo, quando à Ioanne baptizatus est in Iordane, Spiritu sancto specie aspectabili super ipsum descendente. Hanc obiectionem tam facilè Bellarminus amolitur, quàm facilè Danæus mentitur. Ait Danæus. *Vnxit Deus Christum hominẽ, ergo à momento suæ conceptionis* (omnino, quia Ioan. 1. dicitur, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, &c. *Plenum gratiæ & veritatis*; sed statim à conceptione sua habitauit inter nos ante natiuitatem quidem ratione matris, in cuius vtero gestabatur, post natiuitatem autem etiam in se ipso; ergo etiam tunc fuit *Verbum caro factum*, gratiæ & veritatis plenum; numquam enim inter nos habitauit, nisi plenum gratiæ & veritatis) *ergo ad summum statim gradum.* (Quid ni? quia causæ nihil erat, cur humana Christi natura per incrementa & spatia ætatis, more nostro, proficeret. Et cum in ipsa Incarnatione Verbum caro factum, asseratur plenum gratiæ & veritatis, an non ad summum vsque gratiæ & veritatis sub ipsa primordia sua humana Christi natura processisse satis perspicuè insinuatur? Nam quod alij proficere potuerint, quamuis & ipsi pleni gratia prædicentur; nobis non officit; quia aliis data est gratia *secundum mensuram donationis Christi*, Ephes. 4. At Christo sine mensura data est, non enim *secundum mensuram dat Deus spiritum*, nimirum filio suo, vt ipsemet Bellarminus ad finem capitis respondet,) *ergo, vt omnia statim sciuerit & norit anima Christi actu, quæ Deus scientia visiua cognoscit.* De hoc non est quæstio, sed de hoc duntaxat: Num anima Christi ab initio aliquid verè ignorarit, quod postea didicerit; Nos negamus; Et negatio hæc vera esse potest, licet quis diceret cum nonnullis Theologis, Christi animam per beatificam quoque scientiam non sciuisse omnia, quæ scit Deus per scientiam visionis: Nam si omnia ista obiecta non sciuit statim à primo suo ortu, ne postea quidem sciuit, quia in hac scientia nullos progressus fecit: nec tamen ignorantia laborauit, quia talis cognitio non est humanæ creaturæ debita, ex horum quidem Theologorum sententia. Sed probabilius est, animam Christi per scientiam beatam nouisse omnia, quæ scit Deus scientia visionis, vt grauissimi Theologi sentiunt D. Thomas 3.p.q.10. Suaretz 3.p. Tom.1. Disp. 26. sect. 3. & alij, quos Suaretz citat. Hanc sententiam quanam ratione falsitatis conuincet indoctus Danæus?

Obiicit Danæus: *Citata testimonia scripturæ probare quidem Christum vnctum iri, sed non designare tempus, quo fuerit vngendus.* Respondeo, licet si verba præcisè spectes sine discursu, ratiocinatione, & collatione cum aliis, tempus vnctionis non appareat, si tamen ea, quę dixi, veritatis cognoscen-

dæ me-

dæ media & instrumenta adhibeas, vt facit Bellarminus, veritatem mox intueberis, & hanc vnctionem nullo alio, quàm Incarnationis tempore factam esse cognosces.

Mendacium porro est, *testari Euangelicam historiam* Lucæ 3. v. 22. 23. *demum anno trigesimo vnctum fuisse*; quia ex hoc loco Euangelistæ nil aliud colligitur, quam, Christo in Iordane baptizato, vnctionem Christi esse patefactam, & publicè manifestatam. Neque vllum verbum eo loco exstat, quod tum demum vnctionem factam indicet: satisque acutè, solenni suo ritu, delirat Iunius, *cum Christum & in momento incarnationis, & in baptismo vnctum scribit*; quasi primum aliquid; postea, incremento facto, totum acceperit: Nam si à primo ortu erat *plenus gratiæ & veritatis*, & ea B quidem plenitudine, de qua nos omnes accepimus, & quæ sine mensura fuit, quomodo postea hæc vnctionis plenitudo incrementum accepit?

Illud insuper eruditum, & ex intimæ Theologiæ penetralibus depromptum est, quòd Iunius dicit, *testimonia sacrarum litterarum à Bellarmino producta, pertinere ad vnctionem personæ Christi; qua donorum, qua vocationis respectu.* Quasi verò persona Christi vncta fuerit in Incarnatione Christi; quæ gratia & veritate increata ab æterno plenissima fuit, vtpote Deus. Quod si Iunius dicat, se loqui de persona Christi non *in se*, sed in *sua natura*, eaque *humana*; Respondeo, me ex verbis Iunij, quid sentiat, iudicare; nam in Caluinianam mentem adeo latebrosam & anfractuosã oculos inserere nequeo. Si ita sensit, cur verbis id non exprompsit? C

Danæus hîc iterum mentitur, cum ait, *ipsummet Christum* Lucæ 4. v. 18. *docere, vnctionem sibi euenisse, cum munere sibi à Deo patre delegato fungi cœpit* Fungi munere fungatur oportet, qui Danæo hoc asserenti fidem habeat. Nam Christi verba sunt ista: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus misit me*, &c. Num dicit Christus, se tum demum vnctionem spiritus accepisse, cum hæc verba protulit; vel cum in baptismo testimonium diuinum è cælo accepit? Si vnquam, non alio tempore, quàm in Incarnatione missus est Christus *euangelizare pauperibus*, D *sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* nam ob hos, & id genus alios fines, Incarnatio instituta & peracta est.

Mentitur rursum Danæus, cum Hieronymum in caput 61. Isaiæ sententiæ suæ *approbatorem* laudat. Nihil minus sensit S. Hieronymus, vt Bellarminus hoc loco ostendit. Cuius Hieronymiani dicti explicationem iste ne primoribus quidem digitis attingere ausus fuit.

Obiicit Danæus. *Crescebat puer Christus non solum ætate, sed etiam sapientia* Lucæ 2. v. 40. & 52. *Ergo scientiam non accepit in summo gradu in ipso Incarnationis*

A *nis suæ instanti.* Quàm securè obiectat Danæus, quæ Bellarminus dissoluit. An non vidit in Bellarmino cap. 5. responsionem ad hunc Euangelistæ locum? An, ne videret, oculos de industria clausit? An vidit, sed deditâ operâ se vidisse dissimulauit, ne præcideretur fabulandi materies? Profecit Christus sapientiâ & scientiâ quoad declarationem & manifestationem. Profecit quoad scientiam acquisitam & experimentalem; sed non inde cõficitur, Christum aliquid verè ignorasse, quod postea didicerit: Nam vt per scientiam acquisitam vel in experientia positã aliquid initio non sciuerit; at sciuit perfectissimè per scientiam beatam & infusam. Sed de hoc cap. 5. vt & de loco Marci 13. *De die illo nemo scit*, &c. quem hic vrget Danæus, perinde ac si Bellarminus huius dicti nullam penitus explicationem attulisset.

Iam Danæus derepente Bellarmini Doctor efficitur, iubetque, *vt à se discat, quod ex Magistro sententiarum nunquam*, vt ait, *didicerit*: Quid nam hoc tam abditi mysterij? Audi. *Locos scripturæ de vnctione spectare ad omnes Christianos; omnes Christianos esse Christos*, hoc est, *vnctos, Christi vnctionem in nullo ab aliorum vnctione differre, nisi gradu, sublimitate & qualitate donorum*; & præterea, *quod vnctus sit, qua homo, à Deitate intra seipsum, quippe in eadem cum illa hypostasi vnitus.* Vt verum sit, locos scripturæ de vnctione loquentes, ad singulos itidem Christianos accommodari posse, tamen is sensus minimè est primarius, & vt primarius esset, non tamen, nisi ineptè, colligeretur inde Danæi delirium, in Christi & aliorum vnctione esse paritatem, etiam quoad tempus & modum vnctionis, vt sicut alij temporis progressione proficiunt, & ea, quæ verè ignorauerant, discunt; ita & in Christo vsuuenerit. Nulla enim reperitur in omnibus testimoniis syllaba, quæ hoc vel obscurè innuat. Neque vlla verisimili ratione commento suo fidem Danæus conciliare studet.

Cætera, quæ idem Caluinista attexit, nil sunt, nisi conuicia & mendacia; vt responsiones Bellarmini esse *leues & inanes*: *Bellarminum petere principium Sumere pro concesso, quod in controuersia positum est. Nihil valere, quidquid hic pluribus Bellarminus scribit.* Si hoc est respondere aut refutare, tum quo quis erit ineptior, eo ad refutandum & respondendum aptior censeri debebit.

Iunius hic iterum contendit, *Christum in acquisita scientia profeciisse.* Quasi hoc neget Bellarminus, aut vllus Theologus, qui acquisitam scientiam in Christo statuit. Legatur S. Thomas 3. part. quæst. 12. a. 2. & Interpretes eius ibid. Sed non sequitur: *Ergo Christus aliquid verè ignorauit, quod prius nesciuerit: ergo ab instanti Incarnationis non fuit plenus gratiæ & veritatis*; non sequitur inquam hoc, ob causas iam antea recensitas.

Criminatur Iunius, Bellarminum verba illa:

Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis; diuidere; nam hæc posteriora ad duo simul antecedentia pertinere: nempe, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Num hoc inficiatur Bellarminus? An non plenitudinem gratiæ & veritatis palam ad Incarnationem Verbi, & *habitationem* in nobis refert? Neque aliter facere potuit, si, vt veritas habet, & S. Ioannes satis perspicuè indicat, in ipsa Incarnatione Verbum, qua homo, plenum gratiæ & veritatis exstitit, neque enim postea *habitando* nobiscum in terris plenitudinem illam amisit.

Illud festiuum est, quod Iunius scribit, *Christum ad prædicationis officium anno demum trigesimo, quando baptizatus est, vocatum esse. Antea solummodo designatum fuisse.* Scilicet, Christus deteriore hac in parte cõditione fuit, quàm Hieremias, ad quem Deus cap. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te; & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Ecce Hieremias in vtero matris suæ Propheta in gentibus constitutus est; ergo & vocatus ad Prophetandum, hoc est, ad docendum & prædicandum. Si Hieremias in & ex vtero matris ad prædicandum vocatus est, cur non & Christus? qui non successu temporis factus est Doctor & gentium rector; sed natus, imò & conceptus.

Isaias cap. 49. De Christo Domino, (quod Ecclesia etiam ad Ioannem Baptistam accommodat) *Dominus ab vtero vocauit me.* Ergo non demum anno trigesimo ætatis suæ vocationem accepit, quia ab vtero eam accepit: Etsi tempore baptismi publicam declarationem & manifestationem eius accepit. Ibid. *Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum*, &c. Vbi iterum vides, Christum ex vtero, hoc est, à primo Incarnationis momento, à Deo destinatum & vocatum, ad prædicationis munus: neque enim designatio & actualis vocatio in Christo distingui debent: quod indicat etiam ille Psalmi 39. locus. *Sacrificium & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. Sacrificium & pro peccato non postulasti. Tunc dixi; Ecce venio: In capite libri scriptum est de me*, &c. Quæ Christus, vt homo, non demum dixit, trigesimo ætatis suæ anno, sed in ipso Incarnationis momento; tunc enim Deo ad redemptionem generis humani, & per consequens, etiam ad officium prædicationis sese vocanti, promptissimo animo assensus est: verbis illis: *Ecce venio*; assensum testatus.

Accedit, quòd Iunius, si in hac sua fatuitate perstet, affirmare cogetur, Christum anno demum trigesimo non tantum ad prædicationis, sed & ad redemptionis munus vocatum esse: Nam si in primo statim conceptionis suæ instanti vocatus est ad munus redemptionis, ergo & ad munus prædicationis, quia hoc pars quædam alterius est.

Dicit S. Hieronymus in cap. 61. Isaiæ vnctionem Christi expletã anno eius trigesimo. Ostendit Bellarminus expletam esse tunc vnctionem, hoc est, vnctionem iam antea in Incarnatione acceptam, manifestatam tunc fuisse exteriore signo, nempe visibili Spiritus sancti in specie columbæ descensu.

Oggerit Iunius. *Amplius sibi voluit Hieronymus*: quia dicit, expletam fuisse vnctionem; *ac proinde expletam dicens, principium & progressum vnctionis discernit à complemento ipsius.* Distinguit à complemento in manifestatione, non in aliquo nouo dono supernaturali posito; nam & res tunc expleri & compleri dicitur, cum reuelatur & manifestatur. & quamuis hoc complementum non sit rei intrinsecum; aliquo tamen modo ad absolutionem & completionem eius pertinet; quatenus per illud in aliorum notitiam defertur. Vt autem in hac cælestium donorum vnctione cõplementum intrinsecum negamus, ita etiam negamus intrinsecum progressum: neq; hunc vllo vel exiguo verbulo insinuat S. Hieronymus, quãuis progressus, quoad declarationem admitti possit; semper enim magis atque magis per diuina opera declarabat & manifestabat Christus internam suam vnctionem.

Innuit Iunius complementum, de quo digladiatur, consistere in scientia acquisita & experimentali. At iam sæpius testatus sum huiusmodi progressum, incrementum & complementum à nobis itidem recipi. Sed de hoc cõplemento nõ loqui D. Hieronymum, fatetur ipse Iunius: Et certum est, scientiam practicam experimentalem non fuisse baptismi tempore expletam, hoc est, terminatam & simpliciter absolutam; quia triennio sequenti, quo Christus superstes fuit, multa expertus est, seu experimentali cognitione practicè cognouit, quæ antea non cognorat: multa enim tribus illis annis vidit, multa audiuit, multa gustauit, quæ prius nec viderat, nec audiuerat, nec gustauerat.

Quod attinet ad scientiam acquisitam non in particularibus experimentis, sed in generali & abstracta notitia consistentem, Doctores, qui eam agnoscunt & à Christo verè acquisitam, nec in ipsa Incarnatione per accidens infusam tradunt, successionem, hoc est, principium, progressum, & complementum in ea statuunt. Sed hanc scientiam trigesimo demum anno in Christo fuisse *expletam*, hoc est, complementum accepisse, nec S. Hieronymus affirmat; nec verum est, quia Christus propter ingenij summam excellentiam, & propter adiumentum scientiæ infusæ & beatæ, celerrimè adquisiuit, quidquid scientiæ naturali lumine intellectus acquiri potest. Vide S. Thomam 3. p. q. 9. & 12. & ibid. Interpretes.

Mox verbosè iterum declamat Iunius, *Christum profecisse scientiâ acquisita & experimentali; naturæ humanæ Christi suum cursum fuisse relictum; neq; enim naturam à gratia destrui.* Quod attinet ad experimentalem & sensitiuam cognitionem, nonne ipsemet Bellarminus cap. 5. profectum & incrementum

in hac

in hac scientia admittit? Nonne Theologi, qui acquisitam scientiam non tantum experimentalem, sed vniuersalem & abstractam in Christo agnoscunt, eum in hac profeciſſe confitentur? Quid opus ista ingerere Iunium, quasi aut à nobis negarentur, aut ab Hæreticis concederentur: quorum ea est sententia, Christum verè aliquid ignoraſſe, more communi hominum; verè didiciſſe ea, quæ prius nescierit, ad instar aliorum, qui prius sibi ignota discunt. Num alicui Catholicorũ hæc mente sedet sententia? Qui cum negant, Christum in scientia profeciſſe, nil aliud significare volunt, quam Christũ, successu temporis, nihil didiciſſe, quod antea theoreticè ignoraverit. Hanc sententiam, si Iunius amplectitur, tum desinat ignorantiam Christo tribuere; ignorans enim non est; qui quod prius sciuit; alio modo cognoscit: sicut ignorans partæ victoriæ non est, qui eam primum ex certa amicorum relatione; postmodum ex aliorum litteris cognoscit.

CAPVT III.

Fidem probatur ex doctrina Patrum.

CHRISTVM fuiſſe plenum scientiæ, atque adeo nihil noui postea didiciſſe, nullaque ignorantia laboraſſe, demonstrat hoc capite Bellarminus ex sanctis Patribus. Danæus vociferatur, *ineptam esse quorumuis hominum auctoritatem, cum Dei scripto manifestè conuellitur eorum sententia. Auctoritates istas nullius esse ponderis, nisi Verbo Dei confirmentur.*

Mentitur deinde alacriter. I. *Athanasij dictum pertinere ad Christum Deum* (& quidem tantummodo) *& hoc fateri Bellarminum.* II. *Eusebij scriptum lib. 10. demonstrationum Euangelicarum* (ita citat) *esse duntaxat rhetoricationem.* III. Mend. *Ab Ambrosio lib. de Incarnat. cap. 7. Bellarminum prorsus oppugnari.* IV. Mend. *Totamq; hanc sententiam sententiariorum.* V. Mend. *Item à Beda, quĕ Bellarminus citat.* VI. Mend. *Testem huius rei esse ipsummet Lombardum lib. 3. d. 13. cap. 2. & 3.* VII. Mend. *Bellarminum refelli à Cyrillo.* VIII. Mend. *Hieronymum in cap. 61. Isaiæ contrarium docere.* IX. Mend. *Nazianzenum & Bernardum non de anima Christi, sed de tota persona loqui.* X. Mend. *Vel spiritum, qui tam apertè Christum profeciſſe sapientia pronunciauit, in Dei verbo mentitum fingere.* XI. Mend. *Vel Christum ipsum dissimulatorem facere.* XII. Mend. *Et nos fefelliſſe, cum id ipsum non ageret, quod agere videbatur. Quæ sunt omnes grauissimæ blasphemiæ*, inquit Danæus. Dic tu ad Danæi perfrictam frontem respiciens: *Quæ sunt omnes grauissimæ pseudologiæ, & in sanctos Patres lædoriæ.* Nil aliud postulo, quàm vt legatur Bellarminus. Quisquis legerit, fatebitur si sani sit capitis, Danæum insano capite ad hæc scribenda accesſisse.

Iunius in hac materia candidior est. Concedit Christum, vt hominem, *vidisse Deum per scientiam beatam.* Ambrosium lib. 5. de fide cap. 8. contendit loqui de tota persona: Accipio, quod Iunius dat; si de tota persona loquitur, ergo affirmat Christum non modo secundum diuinam, sed & secundum humanam naturam nulla ignorantia laboraſſe.

Testimonia, quæ Iunius ex S. Ambrosio præsertim lib. de Incarnatione cap. 7. prolixè recitat, nil aliud probant, quàm Christum profeciſſe scientia acquisita, vel experimentali, vel ostensione scientiæ in primo suo ortu acceptæ. Non tamen idcirco Ambrosius, vel alij Patres, Caluiniana ignorantia Redemptorem nostrum adspergunt. Idem ad Nazianzenum responsum esto: cuius iste testimonium luculentiſsimum à Bellarmino allatum, ad personam Christi detorquet. Tolerabimus detorsionem, si id, ad personam secundũ naturam humanam itidem referat; nam secundũ hanc quoq; ab initio gratia & sapientia Christus absolutus perfectusq; fuit, ita vt postea nihil didicerit, quod prius ignoraſſet.

Ait S. Hieronymus in Christum descendiſſe omnem Spiritus sancti fontem. Occinit Iunius. *In personã Christi.* At secundum humanam naturã. Nam in personã Christi præcisè, vel in personam Christi secundum naturam diuinam, Spiritus sanctus descendere nõ potuit, per sua dona, cum Christus secundum personam & diuinam suam naturam sit vnus cum Spiritu sancto Deus; nullius accesſionis vel multiplicationis cœlestium charismatum capax.

Ait D. Hieronymus in cap. 31. Hier. *Qui* (Christus) *iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate: sed perfectus vir in vtero Virginis solitis mensibus continebitur.* Iunius. *Hic locus nihil ad institutũ.* Qua de causa? *Quia verbum* VIDEBITVR, *quod Bellarminus rapit æquiuocè, non est accipiendum figuratè, vt hic putat, sed propria significatione, pro eo, quod est, videbunt eum omnes sapientia & ætate proficere.* Si de Sapientia acquisita & experimentali loqueris, frustra pugnas; nam quicunq; acquisitam scientiam in Christo agnoscit, simul etiam verum in ea profectum agnoscit, vt & in experimentali cognitione; quam Christo abiudicare nemo potest, qui quid sit experimentalis cognitio norit. Sed hinc non rectè concludes. *Verè visus est proficere Sapientia, ad prædictum videlicet modum, ergo profecit more nostro*, hoc est, *prius ignorans fuit, & postea aliquid prius sibi ignotum, didicit.* Nam per scientias alterius generis prius sciuit, quidquid postea per acquisitam scientiam & experimentalem cognouit. Fuit enim, vt ait S. Hieronymus, in vtero matris *vir perfectus.* Perfecta videlicet rerum cognitione instructus. Nec verum est, Bellarminum, verbum *videbitur* accipere *æquiuocè*, sensuque ab Hieronymi mente diuerso: nam Bellarminus sententiam D. Hieronymi præcisè recitat, neque vllam glossam, vel explicatiunculam addit. Neque etiam à S. Hieronymi sententia Bellarminus aberraſſet, quamuis aſſe-

ruisset, verbum, *videbitur*, accipi pro, *putabitur, existimabitur*: neque enim communi Patrum sententiæ de *putatitio* profectu D. Hieronymus refragari censendus est; qui apertè Christum in vtero Virginis *perfectum virum* fuisse confitetur, quoad cognitionem scilicet. Illud non iniuriâ haud paruę insciticæ argumentum habebitur, quod Iunius scribit: *Humanam naturam si non proficiat in scientia & sapientia, non fore veram naturam humanam.* Siccine verò? Estne de essentia naturæ humanæ profectus in scientia? Si affirmas, tum sequitur, infantes, qui in infantia ante rationis vsum moriuntur, non habere veram naturam humanam, vt nec illos, qui vsum rationis nunquam adipiscuntur, sed fatui semper & amentes manent: quia nunquam proficiunt. Sequeretur etiam Christum non habuisse veram humanam naturam, si non modò scientiam beatam & infusam, sed & acquisitam in primo suo ortu per accidens infusam habuit, vt nonnulli probabiliter opinantur. Dices: Potuisse nihilominus proficere in scientia experimentali. Et hoc satis esse. At ponamus nō potuisse proficere, sed experimentalem omnium rerum scientiam simul Christo datam esse, ita vt nihil noui deinceps experiretur, an ideo natura eius non fuisset vera natura humana?

Testimonium S. Athanasij ex Orat. 4. contra Arianos clamat Iunius. *pertinere solūmodo ad Christum, qua Deus, non qua homo est*; Et glossema Bellarmini dicentis Athanasium, satis apertè indicare, quòd etiam loquatur de Christo qua homo; nominat *falsum*: *rem enim aliter se habere tum ipsa argumentatio docet*, inquit Iunius, *tum locus & pagina tota; quia non esset consequens illud, quod ex absurdo Samosatenicæ doctrinæ colligit, sed tantū sequeretur istud, profectum quidem capere Christū, sed non pro conditione aliorum hominū capere.* Nugas agit Iunius. Quia optimè id, quod instituerat, S. Athanasius conficit, etiamsi dicamus, eum sensisse, Christum, etiā vt hominem, interno profectu non profeciisse, sed tantum externo, quoad clarioré magis ac magis sapientiæ suæ ostensionē. Quia enim Ariani contendebant, verbum Dei secundum naturā suam diuinam profeciisse; & ad hoc demonstrandum: locum illum D. Lucæ proferebant: *Iesu autē proficiebat sapientia, ætate & gratia*: subdit S. Athanasius: *verba quidem ita se habent, sed tamen necesse est, vt eos, qui hic offenduntur, vicissim quasi Pharisæos, aut Saducæos interrogemus, de quo nam hic Lucas verba faciat? facit autem de IESV Christo: sed quid? estne ille homo, vt vulgus hominū? an Deus humanitate, & carne indutus? Quod si vulgaris est homo, esto, vt pro conditione aliorum hominum profectus capiat. Ast istiusmodi est Samosatensis sententia, quam vos toto animo, & ope fouetis, titulo duntaxat Samosatensium, ob metum hominum, repudiato.*

Quæ optimè consistunt, licet D. Athanasius ab humana itidem natura profectū, quo ignorantia expellitur, excluserit. Nam nil aliud vult, quàm Christum non fuisse vulgarem hominem, seu talem, qui nil cælestium charismatum supra morem & consuetudinem nostram posideret; quæ fuit Samosatensis opinio. Imò tunc maximè vulgaris homo non fuit, si ignorantia, instar vulgarium hominum nunquam laborauit.

AEquè futile est, quod de *loco & pagina ferè tota* blatit Iunius. Explicans enim D. Athanasius dictum illud Saluatoris. Marci 13. *De illo die nemo scit, neq; Angeli, neq; Filius*, &c. ita scribit: *sed tamen, cur ita sermonem temperarit, ne filium quidem hoc cognitum habere, cum hoc omnium optimè cognosceret, ne id quidem infidelibus obscurum arbitror, eum hic per carnem, hominis more, & ex persona hominis locutum esse. Neq; est, vt aliquid detrimenti Verbo Dei accidisse putes; cum ignoratio ista ad humanam naturam, cui id peculiare est, solummodò pertineat*, &c. *Siquidem hominis proprium est, ignorare, ac præcipuè ea, quæ sunt istius generis, & in eo ipso proprium, quiddam est beneuolentiæ Saluatoris nostri aduersus nos homines.*

Ex hoc loco existimat Iunius, euidenter probari, Athanasium statuisse in Christo *profectū Caluinianū*, nempe cum ignorantia cōiunctum: Sed si verba D. Athanasij attentè perpendantur, mox liquebit, longè aliam D. Athanasio fuisse mentē; nil enim aliud indicare vult, quàm Christum præcisè, qua homo, ex cognitione præcisè humana, nescire supremum illum diem: & Christum, quando negauit, Filium nescire illū diem, locutum esse de Filio, vt natura præcisè humana constabat. Sic enim ignorauit nouissimū diem; cuius cognitio non prouenit ex principiis naturæ humanæ, vt per se notum est, alioqui omnes homines vel reipsa scirent, vel saltem scire possent diem illum extremum. Et hoc significant illa D. Athanasij verba: *Per carnem, hominis more, & ex persona hominis* (nimirum præcisè vt homo est) *locutum esse. Ignorantiam istam ad naturam humanam, cui id* (ignorare) *peculiare est, pertinere. Hominis proprium esse ignorare, ac præcipuè ea, quæ sunt istius generis* (hoc est supernaturalia) proprium nimirum hominis, præcisè vt homo, est ignorare ista, cum naturæ fines longè transcendant: interim verum manet, ab homine eadem sciri posse, sed diuina reuelatione, & concessu Dei; vt accidit in Christo. Nil igitur causæ est, cur Iunius S. Athanasium ad sua castra pertrahere nitatur.

Adducit Bellarminus ex D. Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remiss. clarissimum locum, quo sanctus ille Pater ignorantiam à Christo infante penitus remouet. Et huic tamen vsq; adeo perspicuo loco officiis suis Iunius tenebras offundere tentat: Augustinum, ait, loqui *de ignorantia miserabili, per quam motibus irrationalibus perturbentur: nullaq; ratione, nullo imperio, sed dolore aliquando, vel doloris terrore cohibeantur: Bellarminum hæc transiliisse, vt sequentia mutila proferret: hic quæstionem esse, de ignorantia naturæ simplicis, ac non peccatis coniunctæ, cui scientia acquisita & experimentalis opponatur, & medicinam faciat.* Quæ omnia, nihil aliud sunt, quàm fumi veritati obnubilandæ excogitati.

Nam

Nam D. Augustinus negat in Christo fuisse illam ignorantiam, quæ in nostris infantibus apparet; quam vocat *miserabilem*, cum tanta sit, vt ea præpediti infantes penitus quid agant, vel nó agant, ignorent: nec est hæc ignorantia in infantibus peccatũ, vel etiam in renatis coniũcta cum peccato, sed est mera priuatio cognitionis, qua homo quid agat, quidue non agat, intelligit. Talem ignorantiã etiam naturę simplicis in Christo infante fuisse, disertè abnuit S. Augustinus. Quod verũ est, etiamsi dicamus Christum scientia acquisita à primo ortu caruisse; sicut experimentali eum' ab instanti Incarnationis caruisse ęxploratum est: nam priuatio huius scientiæ ignorantiam in anima Christi nequaquã produxit, cum omnia quæ postea per scientiam acquisitam & experimentalem practicè cognouit antea theoreticè; & quidem perfectissimè, per beatam & infusam scientiam agnouerit: Hinc ignorantia in eo locum nullum habuit: neq; enim ideo beati in cœlo ignorantia tenentur, quia Deum non cognoscunt per habitum fidei, quem per lumen longè excellentius cognoscunt.

D. Cyrillus citatus à Bellarmino apertè dicit, nihil additum Christo, etiamsi legamus, eum profeciſſe sapientia & gratia. Addit Iunius glossema. *Nihil additum personæ Christi; dictum verissimè.* Verissimè quidem hoc dicitur, sed extra rem & mentẽ S. Cyrilli; nam illi vult Cyrillus nihil additum, de quo scripsit Euangelista, eum profeciſſe sapientia & ætate: sed hoc non scripsit Euangelista de persona Christi in se; sed de persona Christi secundum naturam humanam, ergo Cyrillus significare voluit, nihil sapientiæ & scientię additum fuisse personæ Christi secundum naturam humanam: eius, inquam, sapientiæ & scientiæ, per quam aliquid antea abs se ignoratum, disceret.

Illa Cyrilli lib. 10. Thesauri cap. 7. quæ Iunius citat: *Quoniam igitur carni proficere, proprium est, dicas eum, vt hominem profeciſſe: sibi enim attribuit, quæ carnis sunt*: intelligi possunt vel de profectu secundum opinionem hominum; vel de maiore semper ac maiore manifestatione insitæ, & in primo ortu acceptæ sapientiæ; vel de scientia acquisita; vel de cognitione experimentali practica. Idemque dicendum de similibus Patrum sententiis, si quæ occurrunt.

Bedæ, Damasceni, & Bernardi testimonia dicit Iunius accipienda de persona Christi *in se*; hanc enim non profeciſſe, & hoc adstrui ab illis Patribus. In quanta veritatis obruendæ & sepeliendæ prurigine tenetur Iunius, qui clarissima quæque Patrum dicta nebulis suis obfuscare studet. Quid clarius hoc Bedæ dicto? *Iuxta hominis naturã proficiebat sapientia* (loquitur ergo de persona Christi non in se præcisè, sed de persona Christi secundum naturam humanam) *non quidem ipse sapientior ex tempore existendo* (nimirum secundum naturam humanam, & profectu interno, vt loquitur Iunius) *qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat, sed eandem, qua plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore ministrando.* Profecit ergo tantum, iudicio Bedæ, secundum patefactionem & declarationem & communicationem acceptæ sapientiæ cum aliis, non autem per acquisitionem nouæ scientiæ, qua prius sibi ignorata & ignota didicerit.

Æquè clara est illa D. Damasceni sententia lib. 3. fidei orthod. cap. 22. *Proficere autem sapientia, & ætate, & gratia idcirco dicitur, quòd ætate quidem creſceret, per ætatis autem incrementum sapientiam eam, qua præditus erat, in lucem proferret; ac præterea, quòd hominum in sapientia, & gratia progreſſum, paternæq; voluntatis expletionem, hoc est, hominum pietatem, ac Dei cognitionem, & salutem, profectum suum duceret, atque vbique, quod nostrum erat, sibi asciſceret. Qui autem eum progreſſus in sapientia, & gratia, perinde feciſſe aiunt, ac si earum incrementum acciperet, non à primo illo carnis ortu factam esse vnionem asserunt, nec personalem vnionem tuentur, &c.*

Quid pro veritate stabilienda dilucidius hac Damasceni sententia? cui tamen Caluinianam caliginem inducere conatur Iunius ex cap. præcedenti Damasceni, vbi ita scribit: *Scire operæpretium est: Christum ignoratione quidem laborantem ac seruam naturam assumpſisse. Hominis enim natura, Dei conditoris sui serua est, atq; in futurarum rerum ignoratione versatur. Quare, si de Theologi Gregorij sententia, id quod in oculorum aspectum cadit, ab eo, quod mente atq; intelligentia percipitur, diſtinxeris, serua & ignorans Christi caro dicitur. Verum ob personæ identitatem, atq; individuam coniunctionem, Domini anima rerum futurarum cognitione, quemadmodũ & reliquis miraculis, locupletata est.*

Verũ his minimè stabilit Damascenus ignorantiam Caluinianam in Christo, quia nil aliud dicere instituit, quàm naturam humanã à Christo assumptam esse ignorantem, si præcisè, qua talis, & extra vnionem cum Verbo spectetur; propterea dicit cum Nazianzeno, si id, quod sub aspectum cadit; hoc est, formam hominis seu naturam humanam, ab eo, quod mente & intelligentia percipitur, nempe, ab hypostasi Verbi, diſtinxeris, seiunxeris, & seorsim consideraueris, *serua & ignorans Christi caro dicitur.* Minime verò, si id quod sub aspectum cadit, videlicet, humanã Christi naturam coniunxeris cum eo, quod sub aspectum non cadit, nempe, cum hypostasi Verbi; *quia Domini anima*, inquit Damascenus, *ob vnionem cum ipso Dei Verbo, ac personalem identitatem, vt reliquorum miraculorum, sic etiam futurarum rerum cognitionem consecuta est*: imò omnes etiam sapientiæ & scientiæ Dei thesauros. Mira profectò est Iunij in eludendis, etiam clarissimis Patrum testimoniis, improbitas, mira peruersitas tanto fuco compta, vt cum nugas nugacissimas agit, eum cœlestia oracula fundere credas, nisi præsenti mentis attentione à præstigiis illis te præmunias.

CAPVT IV.

Idem probatur rationibus.

CAPVT hoc oppugnat Danæus validissimis arietibus: ex quibus agmen ducit iste: *Hoc caput nihil valet per totum.* Assentior, si de capite Danæi hoc intelligatur, verè enim nauci est ac nihili, nec cassa nuce dignum. Mentitur deinde, *primum Bellarmini argumentum aduersari scripturæ, quia Christus proficiebat sapientia; nescisse diem iudicij. Laborauit ergo ignorantia.* Nugę Danæanę: à Bellarmino iam fortiter obtritæ & profligatæ. Mentitur imperitè, Bellarminum confundere attributa personæ & suppositi, *cum attributo naturæ vnius proprio, velut cum eadem anima dicitur sapientiæ anima; cum tamen hic agatur de anima Christi, quatenus homo est, non de anima Christi, quæ Deus est.* Insipientissimè. Confundit ne attributa personæ cum attributis naturæ, qui dicit: *Animam Christi esse animam Verbi?* vel, *animam Christi esse animã Dei?* vel, *animam Verbi esse animam Dei?* Est ne aliqua anima Deus: vt iste hic delirat? Est ne aliqua anima Dei quatenus Deus, hoc est, secundum naturam diuinam? Quis credat Danæum hæc scripsisse sobrium?

Ait Bellarminus Deum in humanitatem assumptam omnia dona, quorum capax esset, in ipsa incarnatione effudisse. *Vera est ꝓpositio*, inquit Iunius, *si omnia dona rectè & propriè acceperit*: excipit tamen Iunius, scientiam acquisitam; de beata, & indita seu *per se infusa*, id concedit. Nec Bellarminus dicit scientiam acquisitam fuisse Christo per accidens infusam; quod tradunt aliqui magni nominis Theologi, non absque verisimilitudine; & vt maximè Bellarminus de scientia acquisita hunc in modum sentiret; nil tamen dicto illi Euangelistę de profectu Christi aduersum sentiret; quia nihilominus proficere verè potuit Christus scientia experimentali, & ostensione ac manifestatione & cum aliis communicatione scientiarum in ipso conceptionis articulo sibi infusarum. Quid tricatur semper Iunius de scientia acquisita? Quam siue Christo à primo ortu tribuas, siue ab illo successiuè partam dicas; à Christo, si orthodoxus es, omnem ignorantiam remouebis; quia nihil didicit per acquisitam, si eam successiuè acquisiuit; quod prius non sciuerit speculatiuè per beatam & infusam scientiam.

Ait Bellarminus, absurdum esse, si quis affirmet, animam æternæ sapientiæ fuisse aliquando insipientem. Occinit Iunius: *Hoc absurdum esse æquiuocum & inconsequens*: nam vocem *Insipiens* dupliciter accipi: primò, *negatiuè*; secundò *positiuè*; vt nimirum significat *contrarium habitum*. Et insinuare videtur, non esse absurdum, si quis animam æternæ sapientiæ concedat fuisse *insipientem* priori modo, nimirum, *negatiuè*. Quo nihil insipientius, ne dicam à pietate alienius, dici potuit. Quis enim pius ferat; si audiat, Christum prius fuisse *insipientem*, quàm scientiam acquisitam & experimentalem adquireret? Cuius aures hanc vocem non refugiant & detestentur?

Dices: *Christus verè habuit negationem scientiæ acquisitæ & experimentalis priusquam illam compararet; ergo illa negatio dici potest ignorantia & insipientia.* Respondeo, negando consequentiam; nam ignorantia & insipientia indicant aliquid, quod sciri possit, sciriq; deceat, ita nesciri, vt nullo alio modo sciatur. Neq; enim ignorans dicitur, qui aliquid scit ex relatione amicorum; quod nescit ex libris: at Christus nihil penitus per scientiam acquisitam & experimentalem didicit, quod prius nesciuerit; non potest igitur negatio illa in Christo appellari ignorantia vel insipientia.

De secunda Bellarmini ratione sic mentitur Danæus: *Secunda ratio facit vnionem naturarum hypostaticam in Christo effusionem proprietatum Deitatis essentialium, qualis est, omniscientia, in humanam Christi naturam, quam ipsemet confutat Bellarminus sup. cap. 9. lib. 3. & cap. 10. Itaque in vitium à se prius notatum & reprehensum incidit.* Mendacium stolidum: quia Bellarminus loquitur de transfusione creatorum charismatum in humanam Christi naturam, non increatorum; quæ transfusio ex ipsa vnione naturæ humanæ cum persona Verbi resultabat. Iunius excipit scientiam acquisitam & experimentalem. Excipiat sanè, num ideo ignorans Christus, si hac gemina scientia à primo suo ortu caruit?

Pergit mentiri Danæus. *Tertia Bellarmini ratio confundit naturas in Christo.* Mendacium istud confirmat Danæus hoc altero. *Sic enim arguit Bellarminus: cœpit Christus in Incarnatione esse Filius Dei, ergo & omniscius.* Non est hæc consequentia Bellarmini; sed ista: ergo Christus tunc, nempe in Incarnatione, repleri debuit omnibus donis, quorum humana Christi natura capax erat, vt declarat Bellarminus in prima ratione. Sed audi impium portentum. *Christus fuit ab initio vnionis Filius Dei, qua Deus, non qua homo.* Quid audio Danæe? An Christus qua homo, ab initio & primo vnionis momento, non est, non fuit Filius Dei? Quid hoc Nestorianismi, Samosateniśmi, vel potius *Sataniśmi?* Damnati sunt olim quidam quod docerent, Christum, qua homo, non esse *Filium naturalem* Dei, sed *adoptiuum* duntaxat; & iste damnationis notam effugiet, cum perfricto ore & vultu, negat Christum, qua homo est, seu secundum naturam humanam ab initio vnionis esse Filium Dei?

Ait Danæus: *Christum qua Deus, non qua homo, esse omniscium.* Quid hoc ad rem? Num Bellarminus dixit, Christum, vt hominem, esse omniscium per omniscientiam diuinam & increatam? Num vllum verbum de *omniscientia* in tertia ratione fecit? Satis est, Christum esse omniscium creata *omniscientia*, & ea, cuius natura humana est capax, & quæ, vt parerat, omnem ignorantiam à Christi anima excludebat. Quocirca effrons mẽdacium

est:

est: *Bellarminum tertiam suam rationem formaliter ab Vbiquetariis sumpsisse, sed ipsum refellere.* Vix credo in Danæi corpore fuisse sanguinem; alioqui ad hæc tanta mendacia erubuisset.

Quartam rationem Bellarmini mentitur Danæus esse *fallaciam manifestã à non consequente: nempe à destinatione ad rei existentiam.* Febriliter somniasse Danæum oportuit, quando hæc in chartam retulit. Vbi enim vel minimum vestigium huiusmodi argumentationis in Bellarmini ratione, quæ est ista: Christus homo in ipsa Incarnatione factus est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum, ergo debuit tunc repleri sapientia, gratia, & ipsa beatitudine. Vbi hic processus à rei destinatione, ad eiusdem existentiam?

Quinta Bellarmini ratio est ista. Adam creatus est sapientissimus, &c. ergo multo magis secundus Adam debuit in ipsa conceptione sapientissimus fieri. Mentitur Danæus. I. *Esse fallaciam ab ignoratione elenchi.* II. *Esse puerilem Bellarmini ignorantiam.* III. *Bellarminum esse ineptum Theologastrũ.* IV. *Ignorare prorsus primum Christianitatis Alphabetum.* Quid ita? *Quia Christus formam serui & infirmum statum nostrum, qualis est post peccatum, assumpsit: non qualem Adam ante peccatum habuit: ergo & ignorãtiam, quæ est sine peccato.* Assumpsit quidem Christus naturam nostram subiectam iis defectibus, qui ad finem Incarnationis, & ad redemptionem generis humani necessarij erant; inter quos & hic; vt natura eius esset patibilis & mortalis. At ignorantia nihil penitus ad redemptionem generis humani conducebat. Quocirca necesse non fuit, vt à Christo assumeretur, imò necesse fuit, ob causas præcedentibus argumentis à Bellarmino recensitas, vt ignorantia penitus à Christo repudiaretur & ablegaretur.

Nec eneruat vim argumenti diuersa conditio naturæ in Adamo & in Christo: nam si Adamus creatus est sapientissimus in natura, quæ ante peccatum immortalis erat; quòd Adamus esset caput & parens totius generis humani: Multò magis decebat, vt Christus Rex & caput, Saluator & Redemptor omnium hominum plenus sapientia in ipso conceptionis momento euaderet; quamuis in natura fami, siti, labori, & cæteris molestiis atque adeo ipsi morti obnoxia; neque enim ideo debuit ignorãtia laborare; quòd passibilis & mortalis esset.

CAPVT V.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

DANÆVS non desciscit à perenni suo more. omnia mendaciis miscet ac turbat. Mentitur I. *Bellarminum dicere; Christum eam humanam naturam assumpsisse, quæ eodem modo perfecta esset, quo in primo homine Adamo.* Nullum verbum hoc loco de Adamo Bellarminus. Tantùm dicit, Christum assumpsisse naturam integram, cum omnibus, quæ ad eius perfectionem pertinent. Et in hunc sensum accipit dictum Athanasij. *Perfectus Deus est Christus & perfectus homo.*

Ait Danæus: *Esse duplicem perfectionem naturæ: alteram essentialem: alteram accidentalem.* Scilicet hanc distinctionem Bellarminus nescivit, & quia eam nũc, doctore Danæo, didicit, Minerual proculdubio magistro suo debet & persoluet. Post allatam hanc perfectionis distinctionem mentitur Danæus, *Bellarminum, id, quod de perfectione essentiæ intelligendum est, transferre ad perfectionem adiunctorum, & carentiam omnis infirmitatis etiam in anima.* Vbi hoc Bellarminus? In qua linea, in qua periodo, in quo paragrapho huius capitis?

Tertiò mentitur Danæus, Bellarminum dicere; *ignorantiam quã Agnoitæ & Caluinistæ dicunt, Christum diem iudicij ignorasse, esse peccatum, eamque ob caussam à Christo remoueri debere.* Imo Bellarminus contrarium expressè docet, nimirum, ignorantiam istam non esse peccatum; nec propterea assumi debuisse, quòd ad redemptionem generis humani nihil conduceret. A Christo autem omnia esse assumpta, quæ vel ad perfectionem naturæ pertinent, vel ad redemptionem conducunt: Et stupido corde Danæum fuisse oportet, quando contendit, *ignorantiam ad finem redemptionis humanæ conducibile quiddam esse*; perinde ac si diceret; *ignorantiam doctoris conducere ad profectum discipulorum.*

Mentitur Iunius: *Sententiæ Caluini, suæ, & suorum nihil esse commune cum Agnoëtis.* Quomodo nil commune, cum iisdem argumẽtis vtantur, & ad eundem finem, quibus Agnoëtæ? Nonne Christum ignorasse diem iudicij æquè ac Agnoëtæ affirmant? Nonne Christum, more communi hominum, in scientia, depulsis ignorantiæ tenebris, profeciſse docent? Horrescunt Caluinistæ nomen *Agnoëtarum*; rem amplectuntur. Minus desiperent, si rem horrerent; de nomine minus solliciti.

Fatetur Iunius cum Damasceno, Christum assumpsisse πάντα τὰ φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη ἀνθρώπου, omnes naturales, & vt Scholastici appellant, *indetrectabiles affectiones.* Num ideo & ignorãtiam? Ignorantiam, inquam, prauæ dispositionis, vel *priuatiuam*; positam in ignorantia rei, quæ non solum potest sciri ab homine, sed etiam ita scire decet, vt si nesciat, imputari soleat hoc ipsum (moraliter rem æstimando) cuidã imperfectioni hominis, considerata nimirum hominis conditione vel in particulari, vt scilicet hic aut ille habet tale vel tale munus, vel saltem in genere, spectando ipsam dignitatem, & capacitatem animę rationalis, vt rectè docet Gregorius de Valentia Tom. 4. Comment. Theolog. q. 15. p. 1.

Ait Iunius: *Se & suos nõ constituere in Christo ignorantiam priuatiuam, sed negatiuam*, seu *puræ negationis*, quæ à Scholasticis vocetur *nescientia.* Fumos

vendit.

vendit. Nam Caluiniſtæ & alij Sectarij contendunt Chriſtum *aſſumpſiſſe omnes infirmitates humanas*, excepto ſolo peccato propriè dicto; & eas quidem infirmitates, quibus homines ab infantia ſubiecti eſſe ſolent. At homines, communi rerum curſu, ſubiecti ſunt ignorantiæ, etiam *priuatiuæ*, non tantùm illi, quæ *puræ negationis* dicitur: ergo ſententia Caluiniſtarum, etiam priuatiuam ignorantiam in Chriſto ſtatuit; quia eum more vulgari & protrito profeciſſe, & quæ prius ignorabat, didiciſſe tradit. Nam ſi de ignorantia *puræ negationis* Caluiniſtæ loquerentur, nil admodum cauſſæ ſuppeteret, cur magnoperè cum illis digladiaremur; cum enim hæc ignorantia ſeu potius *neſcientia*, ſit eius rei, quæ vel ab homine ſciri non poteſt, vel etſi abſolutè quidem poteſt ſciri, tamen non ita, vt ſi neſciatur, ſubeat propterea animum cogitatio aliqua cuiuſdam imperfectionis, & veluti imbecillitatis humanæ, non enim quia anima Chriſti Deum non comprehendit, atque adeo non omnia ea ſcit, quæ in Deo ſunt eminenter, ideo imperfecta, & infirma cenſetur; nemo abnuit, eam in Chriſto fuiſſe; cum Chriſtus, vt homo, non omnia cognouerit, quæ Deus cognoſcit. Sed num ideo Chriſtus abſolutè, & ſine reſtrictione, dici debet ignorantia laboraſſe? Minimè verò. Neq; (vt dixi) Nouatores noſtri de hac nobiſcum litigant; ſed de illa priuatiua; qua Chriſtum aſpergunt; quamque poſtea per ſuperuenientem & acquiſitam ſcientiam deletam expunctamque ferunt, vt accidit in aliis hominibus.

An non ipſe Iunius poſt tot anfractus & calumnias de *æquiuocationibus* à Bellarmino commiſsis, palam in Chriſto ignorantiam *priuatiuam* ponit? Quid enim aliud ſignificant illa eius verba? *Defectum* (ignorantiæ) *negatiuè habuit etiam Adam in integritate: priuatiuè habuit poſt lapſum, & omnes in ipſo: Chriſtus humanam naturam aſſumens naturales defectus noſtros coaſſumpſit, excepto peccato*: ergo etiam defectum ignorantiæ priuatiuæ, quia & iſte eſt inter humanos defectus, cum quibus naturaliter producimur & naſcimur. Innuit Iunius hoc loco argutum prorſus argumentum: *Venit Chriſtus curare & ſanare ignorantiam humanam; ergo debuit illam aſſumere*. Quidquid ſit de Antecedēte; ſi argumentum hoc vllius eſt pretij, tum nullo labore probabimus, Chriſtum peccata itidem hominum aſſumere debuiſſe, quia venit, vt peccatis noſtris medicinam faceret.

Ait Iunius: *Impium eſſe tribuere Chriſto ignorantiam priuatiuè, id eſt, quæ res ad commune omnium & ad ſingulare mediatorij officium pertinentes, Chriſtus neſciuiſſet*. Impij ergo ſunt Caluiniſtæ, & cum his ipſemet Iunius, qui in Chriſto omnes defectus humanæ naturæ, excepto peccato, ponunt: atque adeo etiam ignorantiam priuatiuam, quia hæc eſt communis omnium hominum defectus. Miror Iunium in hac materia non modò manifeſtè ineptum, ſed & palam inconſtantem eſſe voluiſ-

A ſe. Nam poſtquam dixerat, *impium eſſe priuatiuam ignorantiam Chriſto tribuere*; mox iterum contendit, *Chriſtum omnes defectus naturæ humanæ, præter peccatum, aſſumpſiſſe; etiam illos, qui nil conducebant, nec vtiles erant ad redemptionis opus*: ergo & ignorātiam priuatiuam aſſumpſit, quia hæc nec eſt peccatum, nec erat vtilis ad redemptionis myſterium peragendum. Et admodum deſipit, cum ignorantiam & alios defectus humanæ naturę, vt ſunt *morbi*, ad redemptionem aliquatenus vtiles fuiſſe affirmat. Quid, obſecro, momenti attuliſſet ignorantia ad generis humani redemptionem? *Nō inutiles fuerunt*, inquit Iunius, *defectus iſti* (ignorantia & ſimiles) *ſiue ad rationem ſecundi illius Adami velut exemplarij noſtri* (ſcilicet Chriſtus exemplar

B noſtrum eſſe nequiit, niſi ignorantiam noſtram aſſumeret) *ſiue ad effectum redemptionis, nam quæ erat vindicaturus, ea aſſumpſit* (ſubſumam ego. Peccata generis humani potiſsimùm erat vindicaturus, vt eſt in confeſſo, Infer tu concluſionem; quæ ex tua Maiore & mea Minore neceſſariò infertur: ergo peccata generis humani potiſsimùm aſſumpſit. Vt arridet tibi Iuni, hæc concluſio?) *ſiue ad inſtitutionem noſtram & ad redemptionis ſalutaris noſtræ applicationem* ſcilicet ignorantia multum ad inſtitutionem noſtram facit: multum itidem ad applicationem redemptionis humanæ.

Neque Caluiniana impietas colligitur ex loco illo D. Pauli Hebr. 4. prout citat Iunius: *non enim habemus Pontificem, qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus, excepto*

C *peccato*: Nam ſi ideo ignorantiam noſtram aſſumpſit, vt nobis ignorantibus compati queat, tunc & morbos noſtros aſſumpſit, vt lepram, podagram, chiragram, & id genus alios, vt noſtris infirmitatibus compati poſsit. Scilicet nemo, atque adeo neque Chriſtus compati poteſt iis infirmitatibus, quas ipſemet in ſe non eſt expertus. Tentatus igitur eſt Chriſtus per omnia, quæ ad Redemptionis opus vel neceſſaria vel vtilia erāt: At peccatum, ignorantia, morbi, & id genus alia nec neceſſaria, nec conducibilia ad hunc finem erant, nec decebant naturam hypoſtaticè Verbo Dei vnitam. Pari modo debuit Chriſtus *aſsimilari fratribus per omnia, abſque peccato*, vt dicitur Hebr. 2.

D & 4. & abſque omni illo, quod ad Incarnationis finem inutile, & naturæ cum verbo vnitæ inconueniens erat.

Vbi Danæus: *Negat Bellarminus has voces; abſque peccato, rectè à nobis intelligi*. Rectè negat hoc Bellarminus; quia nomine *peccati* intelligitis tantùm excipi id, quod vel verè, vel, iudicio veſtro, verum eſt peccatum; non autem cæteros defectus, qui ad Incarnationis finem inutiles erant, & naturam Verbo hypoſtaticè copulatam dedecebant. Addit Danæus: *Deinde negat Bellarminus, verba illa; abſque peccato: eſſe habenda, in ipſo textu*. Non negat ſimpliciter, ſed in cap. 2. ad Hebræos negat hæc verba, *abſque peccato*, exſtare; quia in hoc capite tantùm reperiuntur iſta: *Vnde debuit per omnia*

fratri-

fratribus assimilari. Num negauit Bellarminus voculas istas, *absque peccato*, inueniri cap. 4. v. 15? Quapropter, nil nisi calumnia est, cum dicit Danæus: *Sibi contradicit; qui sic loquitur: & hoc ait, non esse; & non rectè intelligi. Hoc enim ponit ea verba esse in textu: primum, negat esse.* Bellarminus nunquam dixit, vos non rectè intelligere verba illa; *absque peccato*, in cap. 2. epist. ad Hebræos; quia non sunt in textu illius capitis; sed cum hæc verba à vobis non rectè intelligi affirmauit, de iis locutus est prout reperiuntur cap. 4. epistolæ ad Hebræos v. 15. Dic, Caluinista, non extant hoc loco verba illa: *absque peccato*: quæ vos perperam accipitis?

Mendacium insuper Danæanum est; *à Bellarmino primum Agnoëtarum & Caluinistarum argumentum solummodo eludi, nõ refutari.* Lectio Bellarmini contrarium lectori monstrabit.

Iam audi mirificissimam Iunij Philosophiam: *Defectus naturales negatiuè dicti*, hoc est, puræ negationes, *ad perfectionem naturæ pertinent, exempli caussa, defectus volandi pertinet ad perfectionem naturæ nostræ, & alij defectus quã plurimi.* O à sæculis omnibus absconditam sapientiam, & nunc ministerio Iunij tam feliciter Leidæ in Holandia patefactam. Ex qua sequitur hominem, imò quamlibet substantiam, imò & quodlibet accidens esse infinitæ perfectionis, quia infinitas negationes fundat: homo enim non est equus, non est canis, non est lapis, non est cœlum, non est Deus, &c. Albedo non est substantia, non est quantitas, non est relatio, non est arbor, non est piscis, non est bos, &c. Quid opus verbis? Quis vnquam audiuit, rem per negationem ditescere; hoc est, perfectiorẽ fieri? Est perinde, ac si quis diceret; hominem per defectum seu negationem pecuniæ locupletiorem effici. Dic, quæso, esset ne homo imperfectior, si volare posset, ideo præcisè, quia volare posset? Careretne ob volatum aliqua perfectione sibi debita?

Ait Bellarminus: Si omnia simpliciter deberent esse in Christo, quæ sunt in nobis, non debuisset cõcipi de Spiritu sancto, nec nasci ex Virgine, nec in infantia repleri sapientia, nec carere partis inferioris rebellione, imò etiam oportuisset eum febri, podagra, cæterisque morbis affligari. Obiicit Iunius. I. *Hæc* (concipi de Spiritu sancto, nasci ex virgine) *non sunt de esse Christi, sed de ortu ipsius.* Multò minus ignorãtia est de *esse* Christi; & tamen hanc ab eo Sectarij assumptam clamitant; vt nobis per omnia assimilaretur, excepto solo peccato. Si ergo inter nos & illum tanta debet esse assimilatio, etiam quoad ea, quæ non spectant ad esse humanum; debuit certè Christus nobis etiam assimilari in conceptione & natiuitate; quia per omnia simpliciter, ex Nouatorum interpretatione, *fratribus assimilari* debuit, excepto solo peccato. Negat Iunius, & rectè quidem absolutè loquendo, Christum non debuisse impleri sapientia à primo suo ortu; *quòd ad Redemptoris conditionem pertineat illud inde à principio, si acquisitam scientiam vel experimentalem exceperit.* Sed non rectè negat id consequi ex eo, si, vt Caluinistæ & alij contendunt, Christus per omnia simpliciter, excepto peccato, fratribus assimilari debuit: quia si ab initio plenus sapientia beata & infusa fuit, vt Iunius concedit, certè dissimilis in hoc fratribus fuit, quia nemo cæterorum hominum à primo suo ortu scientia beata & infusa exornatur. Cum autem scientiam beatam & infusam Iunius vbiq; in Christo agnoscat, mirum est, eum Christo ignorantiam adscribere propter scientiæ acquisitæ & experimentalis defectum, cum nihil noui theoreticè postea didicerit, quod prius per scientiam beatam & infusam non cognouisset.

Rebellionem partis inferioris contra superiorem veri nominis peccatum esse, hactenus plures Prædicantes, quàm Mathematici quadraturam circuli, demonstrare conati sunt. Quid profecerunt? Nec hilum. Febrem, podagram, & id genus alios morbos debuisse à Christo assumi, abnuit Iunius, *quod sint defectus non naturales vniuersè, sed personales vel particulares.* Rectè quidem hoc inficiatur; sed nescio, quàm Caluinisticè: Quia, vt ex Danæo hic, & ex aliis liquet, *Christum per omnia, excepto solo peccato, fratribus assimilari debuit*; hanc enim vniuersalem propositionẽ assumunt, vt inde euincant; Christum, ignorantiam quoque assumpsisse: ergo assumpsit quoque febrim, podagram & cæteros morbos, quia nõ sunt peccata, sed infirmitates naturæ. Cum ergo Apostolus nec febrim, nec podagram, nec chiragram exceperit, neque alij Caluinistæ excipiant, cur excipit Iunius, si genuinus Caluinista auditi cupit? præsertim cum debeamus habere Pontificem, qui vniuersis infirmitatibus nostris compati possit, quippe *tentatum per omnia* simpliciter, qui vt ignorantiæ nostræ compati posset; ignorãtiam nostram suscipere non detrectauit, vt ratiocinatur Iunius: vt ergo febricitanti vel podagrico, vel chiragrico compati posset, necesse fuit, vt hos ipsos etiam morbos per experientiam degustaret: licet non ad vniuersos, sed tantùm ad particulares nonnullos spectent.

Ait Iunius: *Ignorationem, quæ est scientiæ acquisitæ vel experimentali oppositæ, esse naturalem ignorationem in hac ergo Christum fratribus suis similem effici debuisse.* Naturalis est; quia à primo ortu nobis inest: & vt habitus scientiæ acquisitæ, & ipsa scientia experimentalis non fuerit in Christo, à primo existentiæ exordio, eius tamen *carentia* dici nequit *ignoratio* vel *ignorantia*, quandoquidem Christus beatam & infusam scientiam à primo suo ortu habuit, teste ipso Iunio, per quam speculatiuè sciuit, quidquid temporis progressione per acquisitam & experimentalem cognouit. Non est autem *ignorans*, qui rem absolutè & verè nouit; non nouit autem illam hoc vel illo modo, nempe per proprij intellectus industriam, vel per experientiam.

Cunctatur dicere Iunius, vtrum indecens fuerit, Christum assumere *febrim, lepram, podagram, chiragram, & similia. Ego*, inquit, *ἐπέχω. Assensum cohibeo.* Quis non videt indecentiam, si naturam illam, quæ cum Verbo Dei hypostaticè vnita fuit, animo & cogitatione concipiamus, horribili lepra aliisque morbis ab interno principio natis deformatam? An non decebat, vt Redemptor noster esset *speciosus præ filiis hominum.* Quæ speciei maiestas, quomodo cum podagra, chiragra, & similibus miseriis consistere potuisset?

Ait Bellarminus: Christum tentatum per omnia, id est, expertum omnia mala, quæ solent homines perpeti in corpore, in animo, in honore, in facultatibus, in amicis, in consanguineis, & tamen nullam harum tentationum eum ad peccatum vnquam adduxisse. *Negatur ista interpretatio*, inquit Iunius, *quia fallit à non distributo.* Quomodo fallit *à non distributo*, si eum per omnia vniuersim tentatum Bellarminus dicit? per omnia, inquam, quæ vel necessaria vel vtilia ad incarnationem erant, naturamque cum verbo vnitam non dedecebãt. nam quod hic Iunius variè garrit *de infirmitatibus habitualibus actiuæ, qualitatis dei, aliis potentialibus passiuæ, qualitatis, & ad has solas dictum Apostoli à Bellarmino restringi clamitat*; quid aliud facit, quàm quòd, vt ipse paulò pòst loquitur, *tragelaphos nobis pingit?* Nam Bellarminus nihil siue actiuum, siue passiuum à Christo excludit, quod, vt sæpius iam dictum, ad finem Redemptionis humanæ necessarium vel vtile fuerit, & naturam ad hypostaticam vnionem assumptam non dedecuerit.

Mendacium est, *explicationem Bellarmini aduersari argumentationi, quam Apostolus ad Hebr. 4. instituit.* Mendacium est, *aduersari aetiologiæ, quam subiicit initio capitis quinti.* Nil enim aliud vult Apostolus, quàm vt noster Pontifex eiusmodi fuerit, qui & potuerit compati infirmitatibus nostris, quippe ipse etiam infirmitate circumdatus: sed non oportet, vt propterea etiam ignorantia laborarit; quia scientia & sapientia instructus, longè melius compati potest ignorantibus, quàm ignorans: talis insuper longè felicius sanare potest ignorantiam, quàm ignorans. Quomodo enim ignorans ignorantiam pellet? Hactenus de primo scripturæ testimonio ex quo Agnoëtæ veteres & recentiores primum suum argumentum architectantur.

Alterum testimonium est Lucæ 2. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo:* Vbi in Græco non est πλήρης, *plenus*, sed πληρούμενον, seu πληρούμενον, *qui implebatur, ergo incrementum in sapientia capiebat, per momenta scilicet temporum & progressu ætatis.* Tres adfert Bellarminus solutiones, quarum prima: Vocem πληρούμενον, accipi aliquando pro vocabulo *plenus.* Et hac notione acceptum hoc loco à nostro Interprete.

A Danæus solitam mentiendi & sycophantandi artem factitat. Primum mendacium. *Nutare Bellarminum in solutione.* Quomodo nutat; cum triplicem adferat, & quidem etiam eius iudicio, probam probatamque? Secundum Danæi mendacium: *Bellarminum in secunda solutione sentire cum Caluinistis.* Quid ita? Quia docet, si *passiuè* legam's *implebatur*, sensum esse, *quòd sapientia tam creata, quàm increata, quæ in ipso erat, replebantur indies magis organa corporea, & mouebantur atque aptabantur ad opera excellentiora facienda.* Num hoc est cum *Agnoëtis* nostris sapientiæ & scientiæ incrementum per successionem temporis prædicare in Christo? An qui dicit, scientiam & sapientiam, quæ in
B Christo à prima conceptionis hora inerat, indies magis in corpus & organa Christi transfusam ad opera diuina patranda, is successionem & augmentum in ipsa secundum se scientia & sapientia constituit? An Philosophus perfectus, cum ad disputationem locutione peragendam; aut artifex, cum habitu artis ad organa & instrumenta, operis efficiendi gratia, applicat; ideo præcisè in ipso habitu proficit; eumq; accessione noua adauget?

Tertium Danæi mendacium, *Bellarminum fateri, Christum per temporum momenta in sapientia creuisse*: nõ enim asserit Bellarminus hunc profectum, nisi de scientia experimentali; per quam nihil didicit, quòd prius speculatiuè ignorarit.

Iunius negat illud πλήρωμα rectè ab Interprete nostro versum. *Plenus.* Sed nimio carpendi Interpretis nostri æstu abreptus, ipsi etiam
C communi loquentium consuetudini repugnat: Nam si quis Græcè dicat: ἴδες τινὰ ἄνθρωπον πλεγούμενον οἴνου ἢ μανίας; aliusque latinè vertat; *Vidi hominem plenum vino vel furore*, num quid aduersus linguæ Græcæ leges delinquet? Christus dicitur, inquit Iunius, plenus sapientia *habitualiter non effectiuè.* De habituali plenitudine nunquam Bellarmino in mentem venit dubitare; multò minus negare. Cur non & *effectiuè* dici potest plenus sapientia cum habitudine videlicet ad plenitudinem operum & miraculorum, quæ ex habitualis sapientiæ plenitudine patrauit? Athanasium serm. 4. contra Arianum cum Caluinianis facere, mendacium Caluinianum est, de quo
D supra cap. 3.

Placet Iunio, quòd Bellarminus in tertio responso concedit, *Christum profecisse sapientia acquisita per experimentum proprium: Nunc demum aliquid Disputator dicit*, inquit Iunius. Vbi, aut quando profectum hunc in Christo Bellarminus negauit? *Profecit Christus*, inquit Iunius, *habitualiter secundum animam acquisita & experimentali scientia. Hoc illud est, quod nos affirmamus: Quid tanta fuit circuitione opus, Bellarmine?* Tu quidem hoc affirmas, qui beatam & infusam Christo scientiam ab ipso conceptionis exordio largiris. Num tuis symmystis & gregalibus idem est sensus? Minimè verò, cum Christum infantem nobis per omnia similem

faciant,

faciant, excepto peccato: & tu ipse verbis quidem idem asseris, quod nos, sed non sensu: nam propter *tarentiam* scientiæ acquisitæ & experimentalis ponis in Christo ignorantiam, & Christum facis verè ignorantem. Quod nullus orthodoxus affirmat; quia, vt iam centies dictum, nihil noui speculatiuè Christus per scientiam acquisitam & experimentalem didicit.

Ait Iunius. Falsam esse restrictionem Bellarmini, quæ mox subiicitur; scientia practica, ac non theoretica Christum profeciſse. Bellarminus hoc non dicit; quia hæc sunt eius verba: *tametsi enim Christus nihil ignoraret theoreticè, cum haberet infusam scientiam omnium rerum: tamen practicè ignorabat illa omnia, quæ non fuerat expertus.* Quibus verbis non inficiatur Bellarminus, Christum scientia Theorica, quoad habitum profeciſse, quia nihil de hoc penitus dicit; sed ait; eum profeciſse scientia experimétali practica, quæ in experientia singularum rerum, & quasi in *sensitiua cognitione* consistit: quod scientiam Theoricam acquisitam minimè excludit. Nam, vt rem dilucidiorem faciamus, S. Thomas 3. par. quæst. 9. art. 4. & quæst. 9. & multi Interpretes ibidem, duplicem ponunt in Christo scientiam acquisitam; vnam quæ verè & propriè sit habitus scientificus siue speculatiuus siue practicus, naturaliter ab intellectu parabilis. Alteram experimentalem, in experientia rerum per sensus consistentem. Qui vtramque in Christo ponunt, nec acquisitam illam, Christo per accidens in primo ortu infusam sentiunt; in vtraque eum profeciſse concedunt; & in priore quidem, etiam theoreticè, quia scientia, quæ naturali lumine intellectus obtineri potest nõ tantùm est practica; sed & Theorica: vt per se patet. Quid ipse Bellarminus de priore illa sentiat: vtrum scilicet eam admittat, & si admittit, num per accidens in ipso conceptionis momento infusam credat; vel cum nonnullis Theologis ab ipsa experimentali & sensitiua scientia non distinguat; neque hic, neq; alibi, quod sciam, expresè indicat: Quidquid sit, rectissimè explicatur profectus de quo Euangelista, de profectu in scientia experimentali sensitiua practica. Et si quis nullam aliam scientiam acquisitam in Christo agnosceret; difficile foret Iunio probare, Christum etiam in scientia Theoretica profeciſse. At quæcunque Bellarmini sit sententia, de scientia acquisita propriè dicta, inque habitu verè scientifico sita; rectè & legitimè ad obiectum ex Euangelista locum respondit.

Quid est scientia nisi habitus? inquit Iunius. Scientia propriè dicta est habitus: nemo abnuit. *Quid scientia Theoretica, nisi habitus internus mentis?* Non hoc solummodo; alioqui etiam practica scientia esset Theoretica, cum practica quoque scientia sit habitus internus mentis, sed finis habitus spectandus est; nã si sit solius cognitionis & contemplationis gratia, theoreticus erit: Si ad opus dirigatur ac destinetur, practicus censebitur. *Quid scientia practica*, inquit Iunius, *nisi actus ex habitu?* Imperitissimè. Nam scientia practica, propriè accepto scientiæ vocabulo, æquè est habitus ac scientia theorica seu contemplatiua: & ex hac Iunij stultitia sequitur, omnium scientiarum & habituum actus esse practicos, quid enim est scientia practica, nisi *actus ex habitu*, vt Iunij delirat acumen: quod suadeo, vt philosophis redacuendum tradat; nimis enim euasit obtusum. Non nego actum ex habitu scientiæ profectum sortiri etiam interdum *scientiæ* appellationem; sed omnem habitus actum esse scientiam practicam, hoc luculentæ insciti argumentum esse aio.

Subdit Iunius. *Hic actus an acquisitus est? Minimè gentium. forma interna, id est, habitus acquiritur. Forma externa ac velut materiata non acquiritur propriè, sed ab acquisita in actu prodit.* Liceat hic ad Iunium verbis Iunianis, quæ proximè subiiciuntur, vti. *Tragelaphos* Caluinista *pingit nobis, vt imprudentes abducat à cognitione veritatis.* Valde scilicet ad rem pertinebat disquirere, num actus, qui ex habitu acquisito prodit, propriè dici possit acquisitus; & magno piaculo nos obstringemus, siue negationem siue affirmationem amplecti libeat.

Audi Iuni. Scientia experimentalis seu sensitiua in rerum per sensus experimentis posita, de qua Bellarminus loquitur, non procedit ex habitu, sed ex sensibus externis, in quibus nullus est habitus; nam ad actum in sensu eliciendum, sufficit ipsa potentia cum specie sensibili, & medio debito, absque vllo habitu, vt philosophis notum est. nam cum video, audio, tango, gusto, olfacio id, quod antea non vidi, audiui, tetigi, gustaui, olfeci, ex nullo habitu, sed ex sola potentia sensitiua actus illi eliciuntur, siue inde noua cognitio in intellectu generetur, siue præexistens tantùm exerceatur, & quodammodo applicetur ad operandum cum sensu. Quid tu igitur hic insulsè & indoctè de habitu, ex quo ista scientia sensitiua & experimentalis proficiscatur, blateras?

Quærunt tamen Theologi, vtrum per hanc experimentalem & sensitiuam cognitionem, acquisiuerit etiam Christus nouam aliquam in intellectu experimentalem cognitionem, & species intelligibiles, ad illam necessarias, quas à principio non habuerit. Affirmat communis Theologorum sentẽtia, vt videre est apud Franciscum Suarez de Incarnatione quæst. 12. disp. 30. sect. 2. qui eandem sententiam sequitur, & fusè confirmat. Sed neque ad hanc intellectiuam experimentalem cognitionem opus est habitu; nam ad productionem eius sufficit ipsa potentia intellectus & species; siue quando primo per experimentum sensuum acquiritur, siue cum postea repetitur, absque sensitiua cognitione.

Porro, qui præter hanc experimentalem sensualem & intellectualem scientiam siue cognitionem rerum singularium admittunt in Chri-

ſto ſcientiam verè acquiſitam, non à primo ortu per accidens infuſam, ſed temporis progreſſu partam & auctam; illi vt in actibus, ſic & in ipſis habitibus tam practicis, quàm ſpeculatiuis, opinioni ſuæ conuenienter, augmentum & profectum agnoſcunt.

Tertium Scripturæ teſtimonium, ex quo Agnoëtæ & noſtri & priſci argumentãtur, eſt illud Lucæ 2. *Ieſus autem proficiebat ſapientia, ætate & gratia.* Reſpondet Bellarminus ex communi Patrum ſeutentia, Chriſtum ſapientia & gratia profeciſſe opinione hominum, quibus indies magis aperiebat ſapientiam ſuam. Quid Danæus? *Ad quartum noſtrum argumentum, Bellarminus nihil reſpondet, niſi ſpiritum Dei mentitum eſſe.* Vbi hoc Bellarminus, Danæe? An tibi amplius mentiri non lubet, niſi cum ſumma & intolerabili Bellarmini iniuria?

Ait Caluiniſta. *Chriſtum profeciſſe ſapientia apud Deum*, hoc eſt, *ratione rerum diuinarum*, ſic enim illud, *apud Deum*, intelligi debere; *& hoc ignoraſſe Bellarminum, tametſi Doctorem in Iſraël.* Bellarminum non ignoraſſe per verba illa, *apud Deum*: non niſi inſipienter ac ſtolidè intelligi in Chriſto profectum rerum diuinarum; inde planum euadit, quia vbique in tota hac diſputatione contra Agnoitas & *Ignoriſtas*, clamat, Chriſtum ſapientia & ſcientia & gratia habituali non profeciſſe, ſed omnem plenitudinem à primo ortus ſui tempore poſſediſſe, ita vt nihil, quod prius ſibi ignotum fuerit, didicerit.

Ait Bellarminus illud: *Apud Deum & homines*; debere coniungi cum profectu in gratia, non cum profectu in ſapientia vel ætate. Oggrunnit Danæus: *Verba iſta in fine ſententiæ ex profeſſo addi, vt ad totum contextum & eius ſingulas partes referantur; nam ex Iuriſconſultorum regula, quæ in principio aut in fine adduntur, vbique repetiti cenſentur.* Idem intonat Iunius; adiungens: *Duplicem à Bellarmino fallaciam committi; diuiſionis & æquiuocationis. Grammaticos faſſuros membrum illud: apud Deum & homines, cum verbo conſtrui debere; idem faſſuros pueros, ſi appellentur; à verbo autem communiter regi hæc tria nomina; Sapientiâ, ſtaturâ, ſeu ætate, gratiâ.*

Sed iſti, arbitratu ſuo, in Theologia, in Iuriſprudentia, in Grammatica, & alibi regulas comminiſcuntur, vel vſitatis abutuntur: nam communis ſenſus dictat, & vulgaris loquentium conſuetudo ſuffragatur, antecedentia ita cum poſtremis, & poſtrema cum antecedentibus iungi debere, vt nulla inde oriatur abſurditas, ſequeretur autem abſurditas, ſi illud; coniunctim etiam ad ſapientiam & ætatem referretur: non enim ſolemus dicere, inquit Bellarminus, aliquem profeciſſe ſapientia vel ætate apud Deum & homines: nam ſapientia & ætas ſunt res abſolutè, nec ab alio pendent: At rectiſsimè dicimus, aliquem proficere gratia apud alios, quibus indies fit gratior. Chriſtus igitur dicitur gratia apud Deum & homines profeciſſe, quia quotidie magis diligebatur ab hominibus, & recipiebat ſigna beneuolentiæ Dei, &c. ſiue creſcebat quotidie inexternis ſignis beneuolentiæ Dei & hominum. Ad hanc Bellarmini rationem debebant Danæus & Iunius aliquid reſpondere, & non neſcio quid extra propoſitum de quadam Grammaticorum & Iuriſconſultorum regula deque *fallacia diuiſionis* occinere: itemque de *æquiuocationis deceptione*, quam odoratur Iunius in nomine *gratiæ*: quod vocabulum dicit citato Euangeliſtæ loco accipi *pro habitu in Chriſto exiſtente; non ſolùm pro effectu, qui eſt gratum eſſe Deo & hominibus.* Aſſeuerationem Iunij video: Sed vbi probatio? Nam hoc ipſum, quod tu nudè affirmas, Bellarminus ob plurimas rationes, negat. Quomodo in gratia ſanctificante profectus fecit; ſi à primo ortu plenus gratiæ & veritatis fuit? Ambroſium libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 7. illud: *apud Deum & homines*: ad omnia præcedentia referre, Iunianis ſecurè accenſeas mendaciis: nam nil aliud dicit S. Ambroſius, quàm verbum, *proficiebat*, ad omnia tria, nempe ad *ſapientiam, ætatem, & gratiam* referri debere: quod nemo abnuit: ſed quæſtio eſt de illis voculis; *apud Deum & homines*; num ad omnia illa tria referantur.

Poſcit Iunius Auctorem idoneum, quo probetur, inuſitatum eſſe hunc loquendi modum: *proficere aliquem ſapientia & ætate apud Deum & homines.* Quid opus auctore, cum abſurditas locutionis per ſe manifeſta ſit? Nam vt dici queat, profeciſſe Chriſtum opinione hominum; at dici nequit eum profeciſſe apud Deum, hoc eſt, in opinione Dei; non enim creuit opinio ſeu exiſtimatio Dei de Chriſti ſapientia. Idemque de ætate dictum eſto. Quanquam non negat ſimpliciter Bellarminus dici poſſe; *Chriſtum ſapientia profeciſſe apud Deum & homines*: per opera nimirum plena ſapientiæ & gratiæ, quæ faciebat; quia erant opera digniſsima & maximè meritoria tã Dei, quàm hominum iudicio.

Illud planè philoſophicum eſt, quod Iunius dicit, *nullam qualitatem eſſe abſolutam. Et hoc nouiſſe omnes.* Ego inter iſtos omnes me non comprehendi ſcio; quia nunquam hoc noui; neque id iam cum aſſenſu noui; ſed cum diſſenſu. Eſt autem admodum philoſophica quoque ratio, quę pro ſtabiliendo hoc paradoxo redditur: *quia omnis qualitas pendet à ſuo ſubiecto, nulla ergo erit abſoluta.* Hac ratione nullum accidens erit abſolutum, quia omne accidens pendet à ſuo ſubiecto. Corruet ergo tritiſsima illa accidentium in *abſoluta & reſpectiua* diuiſio: & miſcebuntur inſuper *prædicamenta*, & periculum erit, ne ipſa ſubſtantia ex rerum abſolutarum numero eiiciatur, quandoquidem & ipſa varios reſpectus ad varia annexos habet.

Paradoxum terminat Iunius mendacio: *Bellarminum hic noua quadam ratione in ſcholis excitare nouellum illud monſtrum, quod Accidens ſine ſubiecto*

vulgò

vulgò appellamus. Atqui Bellarminus hoc loco nullum verbum de *accidente* extra subiectum fecit: neque de eo hîc fortè vnquam cogitauit: quia nulla erat cogitandi occasio. Sed somnia sua debet Iunius Bellarmino affingere, quia *tragelaphos pingit*; & nisi strenuè fingeret; sæpe penicillo otiandum esset.

Quartus locus quem antiqui & noui Agnoitæ obiiciunt est ille Marci 13. *De illo die nemo scit, neque Angeli, neque filius, nisi solus pater, &c.* Bellarminus varias adfert solutiones; tandem illam probat, Filium dici nescisse diem iudicij, quia non sciebat ad dicendum aliis; eamque probat aliis Scripturæ testimoniis. Danæus hic propè tot fundit pseudologias, quot syllabas scribit.

I. Mend. *Bellarminum nihil habere, quod vllo pacto ad argumentum suorum respondeat.*

II. Mend. *Bellarminum solummodo in variis aliorum responsionibus recitandis immorari.*

III. Mend. *Bellarminum vi veritatis victum, nihil adferre.*

IV. Mend. *Bellarminum tandem probare eam solutionem, per quam Christum sibi contrarium faciat, quia Christus 15. dixit; omnia, quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis; ergo & iudicij diem Apostolis notum fecit, nam ille, qui omnia dicit, nihil excipit.* Non legisti in ipso Bellarmino responsum ad hanc obiectiunculam? Non enim omnia simpliciter Christum Apostolis dixisse; liquet ex illo capite decimosexto: *Adhuc multa vobis habeo dicere, sed non potestis portare modo.* Dixerat ergo illis *omnia*, quæcunque audiuerat à Patre ad dicendum illis pro illo tempore.

V. Mend. *Bellarminum sententiam Caluinistarum falsitatis accusare contra ipsius Marci verba.*

VI. Mend. *Contra fidem omnium Patrum.*

VII. Mend. Bellarminum, Christi dictum: *De illo die, &c. imperitissimè referre ad Christum, qua Deus est, non qua homo.* Quis non miretur eò impudentiæ quenquam processisse, vt tam immaniter mentiatur? Non opus refutatione: Tantum inspiciatur Bellarminus, & liquidò iam cõstabit qua mente & fronte Danæus præditus fuerit.

Nec illud silendum. Danæus suprà ad caput primum conatur quoq; Agnoëtarum insipientiam fucare ex Scholasticis, ex quibus Lombardus primus in aciem educitur. Is lib. 3. sentent. distinct. 14. negat, *animam Christi in scientia Deo, suo creatori æquari.* Idem & nos fatemur. Num inde sequitur Agnoëtarum error, Christum propriè dicta ignorantia laborasse, & postea didicisse, quæ prius ignorauerat, nec à primo ortu plenum veritatis & scientiæ fuisse?

Addit Caluinista. Durandus 3. dist. 13. quæst. 1. *Docet gratiam & sapientiam Christi fuisse finitam: nec ad ea pertingere, quæ in sui vnius potestate Pater posuit, quale est scire diem iudicij.* Etiam nos concedimus, gratiam & sapientiam Christi, qua est homo, fuisse & esse finitam in genere entis: Sed non inde sequitur error ille Agnoëtarum, Christum *successiuè* profeciisse in scientia: quia in primo ortu hanc suam gratiam & sapientiam acceperat, maximam quidem, copiosissimam & amplissimam, sed tamen finitam, perque eam omnia illa cognoscebat, & etiamnum cognoscit, quæ eum cognoscere conueniens erat. Illa autem: *Nec ad ea pertingere* (scientiam Christi) *quæ in sui vnius potestate Pater posuit, quale est scire diem iudicij*; non sunt Durandi verba, sed Danæi mendacia: quibus & istud adiice. *Ex Sententiarijs quicunque aliter sentiunt*; quàm Agnoëtæ docent; *illos aut idioma essentiale Deitatis in creaturam, hoc est, in animam Christi transfundere, nimirum omniscientiam, atque sic ex anima Christi nouum Deum fabricare.* (Nulli Scholasticorum hoc in mentem venit. Quæ hæc sycophantandi licentia?) *Aut in Vbiquetariorum errorem incidere.* Nil nisi commenta audio.

Communem Scholasticorum & omnium orthodoxorum sententiam vocat Danæus *errorem*, cui occasionem dederit Augustinus, negans, *Christum infirmitates pueriles & ignorantiam suscepisse.* Et tamen hunc locum capite tertio à Bellarmino productum, conatus est aliò rapere Iunius per consuetas sibi strophas, & tergiuersandi præstigias. Gratiæ Danæo, qui palam confitetur, S. Augustinum à nobis stare; & ignorantiam à Christo infante seclusisse. Sed ait; *hoc excidisse Augustino in calore disputationis contra Pelagianos.* Scilicet vigilantissimus disputator ita in palæstra incalescebat, vt quid chartæ illineret, non cogitaret. Si hoc per imprudentiam excidit, cur non est retractatum in libris Retractationum, vbi tam multa ad censuram vocantur, quæ ab omni censura libera mansissent, nisi ipse Auctor censoriam virgulam in ea stringere voluisset?

Contra sententiam Bellarmini & communem hoc spiculum intorquet Iunius. *Verbum οἶδεν*, nouit, *communiter ad homines, Angelos, filiumque refertur constructione vnica, cum dicitur: de die illo & hora nemo nouit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, sed Pater: vnius autem semel positi verbi in eadem constructione vnicam significationem esse, quis ignorat, aut vnicam dici oportere?* Hoc argumentum iam dissoluit Bellarminus: nempe verbum *scit*, vel *nouit*, ad Filium, ad Angelos, & ad homines pertinere; omnes enim istos non scire vel non nosse extremum diem ad dicendum aliis: & in hoc esse omnium parem rationem. In alio esse diuersam; nam licet Christus nesciat diem iudicij ad dicendum aliis, scire tamen alio modo, cum in ipso sint omnes Thesauri scientiæ & sapientiæ Dei Coloss. 2. & quia ipse constitutus est Iudex vniuersalis omnium: Nosse ergo debuit diem iudicij. At de Angelis, & hominibus nil huius generis scriptura nobis tradit.

Iunius detorquet locum Apostoli ad personam. Non ignoramus de Christo atque adeo de suppositio Christi affirmasse, Apostolum, in eo fuisse omnes scientiæ & sapientiæ thesauros; sed

quærimus secundum quam naturam in eo istos thesauros Apostolus infuisse asserat: Et clarum est ex ipso contextu & scopo D. Pauli, ei sermonem esse de persona Christi secundum naturam humanam. quandoquidem de illo disserit, vt pro nobis passus, mortuus & sepultus est: atque adeo vt est redemptor & liberator noster: at hæc ei competunt secundum naturam humanam, ergo & illi thesauri scientiæ & sapientiæ Dei competunt illi secundum naturam humanam.

Citat Bellarminus S. Augustinum libro 1. de Genesi contra Manichæos capite 22. dicentem: *Etiam Patrem solum dixit* (Christus) *scire diem ipsum, quia eundem Filium scire faceret*, & refert hoc dictum ad Christum hominem: quasi Pater Christum hominem iudicij diem scire fecerit, ex sententia S. Augustini. Vociferatur Iunius: *Hæc adducuntur malè. Nam Augustinus simpliciter dicit:* Dominum, *ad personam respiciens, non ad naturam solùm, Pater enim dedit cognitionem Filio, vt Pater principiumque Filij.* Iunius itaque verba illa Augustini refert ad æternam Christi ex Patre generationem, per quam Pater Christum, etiam secundum diuinam naturã fecit scire extremum diem iudicij: quandoquidem & *esse* & *scientiam diuinam* à Patre accepit. At S. Augustinum loqui de Christo secundum humanam naturam, quodq́, ideo duntaxat Patrem iudicij diem scrie asseruerit, quod ipsum, vt hominẽ, Pater diem illum scire fecerit, patet inde, quia Augustinus vult Patrem secundum illum naturam fecisse scire Filium diem iudicij, secundum quam Filius dixit; se non scire diem iudicij; sed certum est, etiam apud ipsos veteres recentesque *Agnoëtas* Christum hoc asseruisse de natura sua humana non de diuina; nisi *Agnoëtæ* nostri transitionem ad Arianorum castra meditentur, qui Christum, etiam secundum diuinam naturam, ignorantiæ labe aspergere non verebantur. Ergo ex Augustini sententia à Bellarmino relata, Pater fecit Filium scire diem iudicij secundum hominem seu naturam humanam: non quod negemus Patrem per generationem æternam fecisse scire Filium diem iudicij; sed quia Bellarmini sententiam non modò Augustino, loco citato non aduersari, sed penitus ex mente eius depromptam esse, credimus.

Vltimum Scripturæ testimonium, quo suam ignorantiam stabilire tentant Sectarij, est illud Matthæi 26. *Si possibile est, transeat calix iste, sed non quod ego volo, sed quod tu:* Videtur enim Dominus reuocare & corrigere priorem orationem suam. Respondet Bellarminus, impiam esse blasphemiã quod Christus sine spiritu orauerit, aut correxerit vel reuocauerit orationem suam. Quid de hac Christi oratione Caluinus in caput 26. Matthæi sentiat, docet Bellarminus suprà, cap. 1. & nos ibidem.

Danæus miserabiliter suppetiatum accurrit Caluino. Accipe Danæi verba. *Dixit Caluinus spectans hominum de Christo ista precante iudicia, Christum sese castigasse & reuocasse.* At Caluinus nihil penitus dicit de aliorum iudicio, vt patet ex Caluini dictis, quæ Bellarminus cap. 1. recitat, sed quid ipse de oratione illa Christi senserit in illo impio suo Commentario vniuersis lectoribus patefacit: Et si qui iudicium hoc de oratione Christi aut formarent, aut formassent, quasi eam correxerit & reuocarit, prout formauit Caluinus, illi nequaquam ab impietate excusari possent.

Iunius aliter Caluinum purgat, nempe ex Ciceronis, Fabij, Hermogenis, Dionysij & Auctoris ad Herennium myrotheciis, *per figuram*, inquam, *ἀναστροφὴν, correctionis.* Scilicet, Christus in illa lucta *Rhetoricis figuris* ad cœlestem Patrem vtebatur; & ad Rhetorum præcepta precationem illam suam conformabat. Ait Iunius, *non omnem correctionem & reuocationem, aut coniunctam esse cum peccato, aut supponere peccatum.* Vt hoc ita sit; attamen corrigere, castigare & reuocare orationem *subitò*, hoc est, *temerè* elapsam, *non meditatam, ex obliuione decreti cœlestis emissam; & ex vacillatione mentis exortam*; id profectò peccati correctio, castigatio ac reuocatio est: at hæc omnia scripsit Caluinus de oratione Christi in horto, vt patet ex verbis Caluini supra capite primo citatis.

Mentitur ergo Iunius, cum ait, *Caluino à Bellarmino fieri iniuriam.* Mentitur iterum, quando dicit, eandem fuisse veterum sententiam, quam Caluini; citatque Origenem tractat. 35. in Matthæum, Hieronymum, sed non adscripto loco, & Augustinum epistol. 121. ad Probam capite 14. quorum primus dixit: *Christum reuocasse desiderium suum.* Num abruptum? num subitò & temerè elapsum? num elapsum vacillanti alternis tentationum fluctibus? Num quod extra ordinem Christo exciderit? Num quod memoriam decreti cœlestis Christo abstulerit, & mentem eius caligine obfuscarit? Quibus omnibus elogiis Caluinus hanc orationem cohonestauit. Num quia Hieronymus dixit: *Christum in seipsum reuersum fuisse*; ideo blasphemiæ Caluini succinit? Reuertit in seipsum, quia *appetitum sensitiuum*, cui liberè mœrendi & mortem horrendi fecerat potestatem, ad id, quod secundum superiorem partem, hoc est, secundum voluntatem volebat, reduxit. Idem responsum sit ad id, quod ait S. Augustinus Christum in se voluntatem ex hominis susceptione *transformasse*, quando subiecit: *Verùm quod non ego volo, sed quod tu vis Pater.*

REFVTATIO CENSVRAE DANAEANAE.

DISPVTATIONI contrà Agnoitas quinque capitibus circumscriptæ subiungit Danæus generalem censuram, quæ ne latum quidem vnguem discedit ab aliis eius censuris, quas singulis libris subtexit: nam vt illæ sunt mendaciorum & calumniarum farragines, sic est ista. Docet Magister 3. dist. 14. animam Christi omnia scire, quæ Deus scit; intellige, omnia, quæ Deus scit, scientia visionis, at non omnia quæ scit scientia simplicis intelligentiæ. Ex quo infert Danæus: *ergo anima Christi habet parem & æqualem Deo scientiam.* Non absolutè, sed in genere certi obiecti nempe eius, quod sub scientiam claræ visionis cadit. In cæteris maxima est disparitas, nam scientia Christi hominis est creata & finita, quoad suam entitatem: Dei scientia, increata & infinita. Hæc omnia, etiam possibilia, & quæ nunquam erunt; attingit; atque ipsum etiam Deum perfectè comprehēdit secundum omnem suam habitudinem. Minimè verò scientia animę Christi, aut Deum comprehendit, aut omnia possibilia nouit.

Mentitur Danæus, *Lombardum mox assertionem suam euertere*; quando dicit: *In nullo creaturam æquavi creatori; ergo nec in paritate scientiæ, vt prius dixerat Magister.* Calumniatur Caluinista; quia Magister prius non asseruerat, paritatem scientiæ Dei & animæ Christi quoad omnia, sed tantùm quoad obiecta, eaque non omnia simpliciter, sed quæ scientia visionis percipiuntur. *Nec est eius* (Christi) *sapientia æqualis sapientiæ Dei*, inquit Magister, *quia illa* (diuina) *multò est dignior* (quia increata & infinita) *digniusque & perfectius omnia capit, quàm illius animæ sapientia.* Mentitur ergo Danæus, cum ait; *à Magistro & sententiariis ipsam essentialem Dei omniscientiam tribui Christo secundum naturam humanam.* Mentitur iterum cum ait, *Lombardum & sequaces, velut in luto hærere, num omnipotentiam diuinam, quæ est proprietas essentiæ diuinæ, debeant Christo secundum humanam naturam concedere.* Quis extra Vbiquistarum scholam vnquam somniauit humanam Christi naturam omnipotentiæ diuinæ capacem esse?

Si quis tamen contendat, Magistrum sensisse animam Christi intelligere etiam omnia possibilia, quæ sunt in Deo, neque moderationem, quam sententiæ Magistri adhibuimus, admittat, cum hoc non pugnabo. Aio tamen Danęum non propterea à mendaciis, quæ effudit, liberatum iri, quia nihilominus, etiam ex mente Magistri, ingens est discrimen inter scientiam Dei & Christi; nam illa increata est & infinita: hæc creata & finita in se. Illa longè clarior & perspicacior: ista minus clara, vt expressè Magister monet.

Mentitur quartò, cum ait, *distinctionem scientiæ in scientiam visionis & simplicis intelligentiæ habere mera verba, non rem.* Probat. *quia est eadem Dei notitia, non diuersa.* Respondeo, esse eandem secundum rem, & materialiter, non esse eandem formaliter propter diuersitatem obiectorum. Si quia secundum rem hæc scientia in Deo nō est diuersa, ideo reiici debet supradicta distinctio, necesse erit, vt Danæus pariter repudiet partitionem attributorum Dei in misericordiam, iustitiam, æternitatem, immutabilitatem, &c. quia non sunt diuersa secundum rem.

Quid, quæso, plus notitia intelligentiæ scire Deus potest? inquit Danæus. Entia possibilia, quæ in infinitum producere posset, nunquam tamen actu producet. *Nisi isti fingant*, ait Danæus, *quandam notitiam & potentiam, quæ in actum reduci non possit, & mera potentia sit; quod est in Deo blasphemum.* Omnia imperitè. Notitia simplicis intelligentiæ non est potentia, sed actus: & quidem æternus, absque vlla variatione & vicissitudine.

Sapientior Durandus, inquit Danæus: in 3. dist. 13. quæst. 1. vbi docet, *Christi animam habuisse scientiam finitam, cum sit ipsa finita;* (finitam habuit, quoad entitatem, quod nec Magister, nec vllus vnquam Scholasticus negauit) & eiusdem rationis cum animabus nostris (respectu finitatis, & quod ad scientiam acquisitam & experimentalem attinet: nam beatam & infusam fuisse eiusdem rationis cum nostra; quanquam Durandus in quæstione à Danæo citata nihil huius scribit) *nec eadem scire, quæ scit Deus:* (hoc vbi Durandus?) *nec Dei essentiam comprehendere.* (Hoc verum est, sed quid vel contra Lombardum, vel alios Scholasticos, quorum omnium idem est sensus?) Sed en, quàm studiosus illustrandæ veritatis Danæus, cuius gratia sequentes statuit aphorismos.

I. *Anima Christi, excepto peccato, fuit similis nostræ.* Omnino, quo ad entitatem simillima fuit nostræ & eiusdem prorsus speciei. Sed num ad hanc similitudinem requiritur, vt ignorantia laborarit?

II. *Essentiale Deitatis attributum, quale est omnipotentia, nulli creaturæ competere potest.* Quis abnuit? An non Magister cum omnibus Interpretibus idem sonora voce tradit?

III. *Si anima Christi propter vnionem hypostaticam cum verbo, facta est capax omniscientiæ Dei, ergo & omnipotentiæ, omnipræsentiæ, & cæterarum essentialium proprietatum Dei.* Concedo sequelam. Iam subsume. *Sed verum prius ex Scholasticorum sententia.* Nego Minorem. Nō est hoc Scholasticorum assertum, sed Danæi mendacium.

IV. *Anima Christi est finita & finitæ capacitatis. At quæ Deus scit notitia visionis sunt infinita, scit enim omnia, quæ sunt, fuerunt, aut futura sunt: ergo non eadem omnia illa scit anima Christi, quæ Deus infinitus.* Si hoc

informe argumentum formare velis, hæc exibit argumentatio an deliratio? *Res finita*, qualis anima, *non potest intelligere infinita, ergo nec finita anima Christi intelligit infinita*, hoc est, illa, quæ Deus intelligit scientia visionis. Si antecedens negetur; probationis vox faucibus hærebit Danæo.

V. *Hæc* (Scholasticorum) *sententia de omniscientia animæ Christi, coincidit in hæresin Apollinaristarum, qui in Christo λόγον omniscium pro anima Christi esse volebant, ac substituebant: item, in hæresin Monothelitarum, qui eandem λόγον & hominis Christi voluntatem, scientiam, & virtutem esse contendebant. Ergo ista sententia perspicuè est nefanda hæresis duplex.* Ergo inscitia & impudentia Danæi simul certant, vt iure ambigas, vtra alteram exsuperet. Et licet quis omniscientiam diuinam cum Vbiquistis animæ Christi tribueret, nec in Apollinaristarum, nec in Monothelitarum sectam incurreret: cum illi animam seu mentem; isti voluntatem rationalem humanam Christo ademerint.

VI. *Qui id sentiunt & scribunt, aut essentialiter illam omniscientiam animæ Christi, qua homo est, competere volunt; & sic, animam Christi Deum, sed nouum, & recentem constituunt: ac proinde sunt idololatræ: Psal. 81. vers. 10. Rom. 1. vers. 20. Galat. 4. vers. 8. Aut accidentaliter, nempe participatiuè, communicatiuè, & per effusionem, sicut Bellarminus loquitur; & sic euadunt Vbiquitarij.*

Nemo Catholicorum ita sentit, ô Hæretice. Quando mentiendi & criminandi facies finem? scientia, qua anima Christi diuinitus donata est, non est illa diuina & increata; sed creata, in ipsa anima Christi existens, non *Vbiquistico*, vel alio quouis fictitio, sed vero & reali modo.

Mentitur ad extremum Danæus: *Lombardum cum suis non respondere ad loca Scripturæ, quæ de profectu Christi in sapientia loquuntur.* Tu vide distinctionem decimamtertiam libri 3. Et mox quàm verax sit Danæus, deprehendes. Mentitur iterum tres solutiones, *quas Magister* distinctione decimatertia de profectu Christi *in sapientia & gratia adfert*, refutari à Thoma & Durando. O vanitatem. Cui superadditur pro clausula non minor. *In summa Spiritum sanctum mendacem impiissimè fingunt* (Lombardus & Sententiarij) *qui quod reipsa non est affirmarit prudens.* Hominem tam profligatè mentientem nec Dei nec hominum reuerentia duci, firmiter mihi persuadeo, alioqui & calamo & effrenatissimo suo ori saltem aliquam custodiam poneret.

CAPVT VI.

Proponitur quæstio secunda, quæ est de descensu ad inferos.

HAec est secunda huius libri pars. Danæus omnia concedit, quæ in hoc capite à Bellarmino differuntur. Iunius tricatur nescio quid de illo Apostoli loco Ephes. 4. *Descendit ad inferiores partes terræ.* Negat eum huc pertinere; quod se suo loco demonstraturum promittit. Exspectemus ergo donec promissa faciat. At quando faciet?

CAPVT VII.

Quod descendere ad inferos, non sit omnino exstingui.

EX grege Sectariorum citat Bellarminus Brentium & Caluinum, qui sensisse videntur, *descensum ad inferos*, nil aliud esse, quàm *omnimodam interitionem & exstinctionem.* Ex quo delirio sequitur; Christum, si ad inferos descendit, penitus interiisse & exstinctum fuisse: Si verò penitus non interiit, consequenter, neq; ad inferos descendisse; cum hæc duo reciprocentur, imò vnum idemque in istorum schola censeri debeant.

Danæus & Iunius vociferantur, Caluino fieri iniuriam. *Quod de Caluino calumniandi animo, & ex verbis eius manifestè contortis detortisque blaterat Bellarminus, id tam putidum est, vt refutatione non egeat,* inquit Danæus. Et mox declamare, vel potius mentiri & conuiciari incipit, *neminem vnquam & Christi animæ, & in vniuersum, animæ cuiusuis humanæ immortalitatem vberius, melius aut acrius defendisse, contra Atheos & Manichæos istos porcos* (sic loquitur modestissimæ frontis Caluinista) *quàm Caluinum.* Omissis hisce ad populum phaleris; disquiramus, num Bellarminus in Caluinum iniuriosus ac contumeliosus fuerit. Affirmat Caluinus in psychopannychia, & rectè quidem.

I. *Animas iustorum post discessum à corpore non dormire*, id est, *non exstingui.*

II. Probat hoc exemplo animæ Christi, *quæ post separationem à corpore non est exstincta, nec absorpta à morte.* Sed immortalis mansit.

III. Non fuisse exstinctam, probat ex illo Actorum secundo. *Non derelinques animam meam in inferno.* Ergo ex Caluini sententia, *derelictio animæ in inferno, est animæ exstinctio:* Et per consequens, omnes animæ hominum damnatorum exstinguuntur, quia in inferno derelinquuntur.

IV. Animam Christi non fuisse exstinctã, probat ex concione D. Petri, Actorum 2. in qua affirmat; *impossibile fuisse, Christi animam à morte, siue in inferno teneri*; hoc est, interprete Caluino, penitus

exstin-

exstingui; ergo illæ animæ, quæ à morte tenentur, & à morte absorbentur, funditus intereunt & exstinguuntur, ex principiis, doctrinæ Caluinisticæ: ergo *descendere ad infernum; derelinqui in inferno, teneri à morte*, hoc est, *ab inferno absorberi*, Caluino nihil aliud est, *quàm animam penitus exstingui.*

V. Animam Christi non fuisse exstinctam probat Caluinus inde, *quia non descendit in ventrem ceti*; hoc est, *in infernum*, nam si descendisset, ipsa etiam interiisset; vbi rursus per *descensum ad inferos* perfectam interitionem animæ intelligit.

Iunius hic nihil aliud agit, quàm quod aures animumque ab hac Bellarmini disputatione auertit, vociferans. *Auser cauillum*, auferatur, *si viri boni, si Christiani facere officium voles. Neminem audire me, aut legere in hac sententia memini. Quid enim? quòmodo sibi constarent cum sententia illa sequentes articuli? Tertia die resurrexit.* (Viderint Caluinus & Brentius, quo pacto deliramentum suum cum symboli & fidei articulis concordare velint. Hunc laborem ipsis committo. Nil ad me. Nam quod inconstantia & malè cohærentia docuerunt, & in chartas eiecerunt, quid mirum, quandoquidem inconstantia & circumrotatio ab omni vento doctrinæ, est omnium hæreticorum proprietas?) *Non metuis*, clamat Iunius alloquens Bellarminum, *vt te repercutiat* Plancus, *qui cum mortuis, non nisi laruas luctari prædicabat?* Non metuit hanc repercussionem Bellarminus, quia, vt Brentius & Caluinus mortui sint, & ad inferos descenderint, attamen libri eorum, pestilentia pleni, necdum sunt exstincti, & ad orcum detrusi.

Ait Iunius; duplicem esse vitam animæ, *vnam essentialem & naturalem: alteram, spiritalem* seu χαριτικὴν *in respectu & relatione ad Deum positæ. Et hoc secundo modo animam exstingui vel mori dici, manente nihilominus integra essentia ipsius.* Nemo hoc nescit aut dissitetur. Sed quid hoc ad purgandum Caluinum, qui in Psychopannychia non egit contra Anabaptistas, de animę vita & morte spiritali, quæ in gratia, eiusque amissione consistit; sed de vita & interitu animæ secundum essentiam & naturam suam; hanc enim mori Anabaptistæ illi asserebant. Quos vt refellat, assumit vitam animæ separatæ Christi, vitam, inquam, & immortalitatem Physicam seu naturalem; non illam spiritalem, quæ animæ Christi per gratiam vnionis & infusam obtigit: Et vt animæ Christi immortalitatem adstruat, adhibet, quæ supra recensui; *Animam illam nõ fuisse derelictam in inferno, non absorptam à morte*, &c.

Etiam de Brentio bene mereri cupit Iunius; illudque eius dictum; Hom. X. in Act. Apostolorum ex persona Christi: *Descendam in infernum, sentiam dolores inferni, & planè periisse videbor*: excusat, ob verbum, *Videbor: quia aliud est, si dixerit*, inquit, *planè peribo*; aliud, si; *planè periisse videbor. Sequitur enim: Videbor; at non peribo tamen.* Sequitur, apud Iunium; sed non in Brentiana Homilia: in qua hæc Iuniana paraphrastica verba non comparent; vt fatebitur, qui Brentium inspexerit. Et quia Iunius tam peritus est φαρμακεύειν, vt Pharmacis suis etiam insanabilia sanare tentet, cur non & hoc Brentianum portentum in Catechismo Anni M. D. LI. *Descendere ad inferos, est penitus interire*; malagmate suo *malaxisse* conatus est?

CAPVT VIII.

Christum non pertulisse pœnas damnatorum.

ADMODVM stomachantur hic & cõuiciis in Bellarminũ detonant Danæus & Iunius, quòd hoc capite summã Caluini impietatem & blasphemiam de Christi ad inferos descensu perspicuè retexerit ac redarguerit. Docet Caluinus locis à Bellarmino citatis, Christum dici descendisse ad inferos, *quia passus sit dolores animarum damnatarum. Damnandarum potius dixerim*, inquit Iunius, *si quis euidentius Caluini mentem cupiat exprimi.* Iunius muscas captat. An non Caluinus lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10. dicit, Christum diros in anima cruciatus *damnati ac perditi hominis* pertulisse? Non dicit; *damnandi* aut *perdendi*; sed, *damnati & perditi.* Rectè ergo asseruit Bellarminus, Christum, ex sententia Caluini, *damnatarum animarum dolores* sustinuisse. Mendacium igitur est, cum subiicit Iunius; *non esse hunc Caluini sermonem: sed à Bellarmino adfictum.* An non est hic Caluini sermo? *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.*

Ait Bellarminus, apud Caluinum nullum esse locum subterraneum pro impiis, nec purgatorium, nec etiam limbum Patrum. Obstrepit Iunius. *Primum membrum*, nempe nullum esse locum subterraneum pro impiis, *Caluino falsò tribuitur.* Verè hoc Caluino tribui, patet ex lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. vbi sic generatim scribit: *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.* Quid autem locus subterraneus *pro impiis* aliud, nisi carcer, in quo animæ detinentur? Si ergo puerile est credere, animas carcere concludi, etiam puerile erit credere, animas impiorum in loco subterraneo, tamquam in carcere, concludi. Nec verum est, Caluinum de solo limbo lòqui. Nam vniuersim pronunciauit; *puerile esse animas mortuorum carcere concludere.* Si ergo ideo limbus nullus est, quia puerile est animas mortuorum carcere concludere; etiam nullus erit infernus, cum vt ex sententia orthodoxa limbus vel est vel fuit animarum carcer; sic & infernus sit animarum carcer. Si igitur stultum est existimare, animas concludi vel conclusas esse in limbo, vt in carcere; & propterea limbus nullus vel est, vel fuit, stultum itidem erit, arbitrari, animas impiorum cõcludi

inferno, vt carcere; ac proinde nullus infernus statuendus erit.

Ait Bellarminus, Christum, secundum Caluinum, descendisse ad inferos, quia apprehendit Deum, tanquam sibi iratum & infensum, propter nos; & ex metu salutis propriæ amittendæ incredibilem anxietatem animi passus est, qualem pateretur, qui sciret se in æternum perituru. *Negatur*, inquit Iunius, *de prima parte. Nam hoc quidem ille* (Caluinus) *in pœnis numerat, sed nihil aliud esse exclusiuè; non legitur apud illum.* Bellarminus non dicit; nil aliud esse descensum Christi ad inferos; quàm quòd Christus apprehendit Deum, tamquam sibi iratum & infensum; sed dixit; hoc esse apud Caluinum descensum Christi ad inferos, & mox etiam alia subiecit, in quibus ex Caluini doctrina, descensus iste positus est. Quid tu de *exclusiua* particula vel somnias vel criminaris; cum eam non adhibuerit Bellarminus?

Vide autem Iunij frontem. Negat Caluinum scripsisse, *anxietatem*, quam Christus sustinuit, similem fuisse ei, quam pateretur, qui sciret se in æternum periturum. Et tamen ipse statim agnoscit hæc Caluini verba: *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.* Anxietas ergo illa & cruciatus non tantum fuit similis illi cruciatui, quem sustinet, qui se in æternum scit periturum; sed & illi, quem iam reipsa damnatus & perditus suffert.

Mentitur Iunius, cum ait, Bellarminum ita loqui *quasi Caluinus hunc descensum in sola mentali apprehensione & imaginatione Christi statuerit, cum eum etiam in reali perpessione dolorum mortis & inferni posuerit; & hæc veteratorie, non bona fide omitti.* Adeo nõ sunt à Bellarmino omissa, vt ferè hic recitauerit, quidquid Caluinus impiè de hoc descensu delirauit lib. 2. Instit. cap. 16. Et tantum abest, vt Bellarminus censuerit descensum hunc, ex Caluini mente, in sola imaginatione & apprehensione tormentorum infernalium positum esse; vt quo *realius*, vt sic loquar, Caluinus Christum inferni tormenta in anima passum asseuerat, eo hæresiarcham profligatioris & amentioris impietatis postulet.

Negat Iunius, Caluinum scripsisse, *à Christo verba desperationis prolata esse.* Quæ hæc inficiandi impudentia? An non Caluinus hoc expresè scriptum reliquit in cap. 27. Matthæi? An non verba illa; *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? vocem desperationis* nominat? Quàm verò insignis Scholiastes Caluini Iunius? Quàm egregius Glossator? Verba illa Caluini: *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit*: hoc glossemate mitigat fidus Caluini assecla: id est, *quos cruciatus homo damnatus & perditus in se fuerat experturus, nisi Christus Redemptor noster in se recepisset. Hoc quis neget, nisi impius?* Hoc quis asserat, nisi impius? Quis non horreat dicere, Christum expertum illos dolores & cruciatus, quos experturus erat homo impius, nisi Christus pro illo satisfecisset? Quos enim homo impius & perditus, alios cruciatus experturus est, nisi cruciatus inferni? Cruciatus igitur inferni Christus expertus est; quia illos est expertus, quos experturus erat *damnatus & perditus*, nisi satisfactione Christi ab illis euasisset immunis.

Miror Iunium hic non vsurpare suam illam obseruatiunculam initio huius capitis allatam; Christum pertulisse potius *damnandorum*, quam *damnatorum* cruciatus. Fortè vidit textum Caluini esse clariorem, quàm vt vbique per strophas obnubilari queat. Imò ex his Caluini verbis fortè exsculpsit Smidelinus impium & sceleratissimum suum effatum in concione Germanica habita Augustæ & impressa Tubingæ, Anno M. D. LIX. *Christum non solum omne opprobrium & mortem temporalem passum esse, sed etiam mortem æternã, ignemque inferni degustasse.* Nam si, vt Caluinus dicit, dolores & cruciatus hominis damnati & perditi sustinuit, ignem igitur gehennæ sustinuit; quia hic est potissimus hominis damnati & perditi cruciatus: siue quis dicat, eum pertulisse cruciatus quos actu sustinet damnatus & perditus, siue, iuxta Iunianum emplastrum, quos experturus erat, nisi pro ipso Christus expertus fuisset.

Negat Iunius, à Caluino ex propria sententia scriptum; *Christo desperationis vocem excidisse*; vult hoc ab illo dictum, *μιμητικῶς, recitando eorum sermonem amarulentum, qui obiiciebant & oppugnabant doctrinam eius*: Sed luculentior est Caluini impietas & blasphemia, quam vt vllius loquacitatis velo tegi queat. Legatur Caluinus in caput 27. Matthæi; & è vestigio intelliges, quid de Iunij patrocinio sentire debeas.

Ait Bellarminus, secundum Caluinum Christum cœpisse versari in inferno illa hora, qua in horto cœpit contristari & orare. Deinde profundius descendisse, quando in cruce clamauit, *Deus, Deus meus*, &c. denique profundissimè, quando coram Dei tribunali comparuit, tamquam reus æternæ mortis. Probat hoc Bellarminus ex lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. Negat Iunius hos gradus ita *minutatim per momenta à Caluino distinctos.* Si Caluinus totidẽ verbis non est vsus; rem tamen ipsam dixit; quia dolorem & angorem in horto vocat Caluinus exordium descensus ad inferos. Si exordium fuit, minus ergo illud initium descensus *profundum* fuit; quàm medium & terminus, quia notum est, principium descensus minus esse profundum, quàm medium, hocque & illud, minus quàm terminum.

Ait Bellarminus. Caluinum, quamuis apertè non dicat, quamdiu Christus fuerit in inferno, innuere tamen, fuisse vsque ad resurrectionem. Iunius. *Est hoc commentum alterum, quod Caluino in mentem nunquam venit.* Si commentum est, ostende locum ex Caluino, vbi dixerit, aut scripserit, descensum hunc fuisse finitum, simul atq; Christus in Cruce exspirauit. Nunquam & nusquam

hoc

hoc Caluinus; imò passim apertè satis insinuat; Christum vsque ad Resurrectionis punctum in his damnatorum tormentis versatum esse, cum isti cruciatus præcipuè post animæ ex corpore excessum, inchoari soleant, & tum maximè anima mortis rea iudicio Dei sisti consueuerit.

Non audet Iunius inficiari Brentium in lib. de Maiestate Christi docuisse, *Infernum non esse determinatum locum, sed vbig, esse inferos, vbi sunt impij, qui tentantur de æterna sua damnatione*: Addit; *Brentium id asseruisse æstu contentionis abreptum: In Euangelium Ioannis melius sensisse.* At & cælum & infernum certis terminis circumscripta loca nõ esse, docuit Brentius quàm asseuerantissimè, cum sibi super æthera euectus & tranquillitate *Vbiquistica* ex omni parte circumfluere videretur; si in Euangelium Ioannis melius sensit, id per posteriores libros, præsertim, per Vbiquisticum suum testamentum postea dispunxit. Bonum autem factum fecisset Iunius si locum Brentij in Ioannem notasset: nam fidei suæ consuluisset; quæ nunc de fidelitate non iniuria periclitatur.

Ait Bellarminus. *Hinc*, hoc est, ex istis Hæreticorum de descensu Christi ad inferos portentis, exstitisse quendam, de quo Cochleus & Surius, qui asseruerit, Christum *desperasse, & esse damnatum*. Iunius vocat *fabulam*. Quasi verò quintum hoc Euangelium non procuderit & protulerit nobis etiam atheos, & monstra plusquam monstrosa. Quid mirum, si & istud? Scilicet fabula erit quidquid Iunio ad aures & animum admittere non lubet. Ait; istum non potuisse amentiam suam haurire à Caluino, *cum Institutionem suã demum scripserit Anno M. D. XXXVI. Basileæ: blasphemus autem iste vixerit Anno M. D. XXVII. Neque etiam ex Melanch: bone & Brentio, quia postea scripserunt plurimum.* Quasi verò Bellarminus per oculam *Hinc*, intelligat Caluini Institutionem. Quis non videt eum hoc nomine significare tritam in Hæreticorum officina de descensu ad inferos opinionem, prius viua voce à sectariis traditam; longè ante annum Redemptoris M. D. XXXVI. & postea demum in Commentarios relatam. Quamquam Philippus, quem simul cum Brentio & Caluino Bellarminus citat, multis annis antè *locos suos* euulgauerat; ac tam ipse, quàm alij Nouatores sacrilego illi Apostatæ ouum ab se positum in horribilem blasphemiam excludendi occasionem dederant: Nonne Philippus in Annotationibus suis in Matthæum sub exordia fermè Lutherani Euangelij publicatis hoc etiam impium dogma eructauerat? *Christum in illo pauore suo habuisse sensum desertionis & iræ diuinæ, qua fluctuabat inter infernum & vitam, vt in eo, subtrahente se diuinitate, non flagrauerit charitas.* An non, vel hoc vnico fundamento posito, ansam habebat fanaticus ille, de quo Cochleus, plura audendi, & vlterius procedendi, atque adeo desperationem quoq; & damnationem Christo blasphemè adscribendi?

A Narrationem Bolsteci de morte Caluini, quam hìc disputationi suæ Bellarminus intexit, detestatur Iunius simul cum Danæo. Vtcumque sit; mallem, si quid optando consequi liceret, Caluinum scelera sua per salutarem pœnitentiã eluisse, cæloq; potiri, quàm sempiternis cruciatibus addictum esse. Hactenus recitauit Bellarminus sententiam Caluini, & aliorũ sectariorum: Nunc eandem validis rationibus refellit.

Prima est, sacras litteras totam salutem nostram tribuere sanguini & morti corporali ipsius Christi, & post mortem corporalem nullam vlterius pœnam agnoscere, &c. Danæus ita proponit Bellarmini argumentum. *Scriptura totam salutem nostram sanguini & morti corporali Christi tribuit: ergo in anima nihil passus est.* B Figmentum Danæi, non argumentum Bellarmini audio: Non enim abnuit Bellarminus Christum in anima, seu in parte inferiore animæ, aliquam tristitiam passum, quandoquidem ipse Christus disertè dixit: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem*: Sed negat, & omnes orthodoxi cum illo, Christum damnatorum & perditorum cruciatus in anima sustinuisse, & quidem in superiore animæ parte, hoc est, in voluntate rationali; vt blasphemat Caluinus, & *Caluinisequæ*. Neque vllo modo id ex maledicto legis, contra eum lato, qui in cruce penderet, ostendi potest, de quo ad Galat. 3. ex cap. 21. Moysis.

Nec aliud, quàm Danæana crimination est, C cum primum argumentum *Fallaciam à non caussa pro caussa* nominat. Quid ageret Danæus, si quis illi hæc *Fallaciarum* hastilia adimeret? Nec Iunio placet hæc Bellarmini probatio: *quia scriptura non soli passioni & morti temporali, sed & resurrectioni Christi salutem nostram adscribit: nam traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Rom. 4.* Respondeo, adscribi iustificationem nostram resurrectioni, non quòd Christus salutem nostram passione & morte sua non terminarit ac consummarit, perq; resurrectionem aliquid amplius nobis meruerit, sed quia, si Christus nõ resurrexisset, *inanis esset fides nostra*; & per consequens, nulla nostra iustificatio, quæ sine vera fide nemini adultorum obtingit nam falsa essent, D quæ Christus de sua Resurrectione prædixerat; hinc & fides, quæ his falsis fidem haberet, falsa esset, quia vera fides nulli falso assentitur.

Resurrexit etiam propter iustificationem nostram, hoc est, vt citò & efficaciter iustificatio per Christi passionem & mortem nobis parta applicaretur, Admodum enim conducibile ad fidem amplectendam, & ad iustificationem nostram erat, vt Christus à mortuis resurgeret, & quidem non longo post tempore. Resurrexit insuper propter iustificationem nostram, vt nobis nouæ vitæ ineundæ sectandæque exemplum præberet; quam nouam vitam iustificatione inchoamus. Itaque neque hic locus Apostoli, neque S. Thomas 3. p. q. 53. a. 1. citatus à Iunio Bellarmini re-

spon-

ſponſum infirmat, multoq; minus blaſphemiam Caluini aliorumque iuuat: Neque etiam locus ille Philipp. 2. *Humiliauit ſemetipſum*, &c. nam vt rectè dicit Bellarminus, nulla hic fit inferorũ mentio, ſed obedientiæ vſque ad mortem omnia tribuuntur; & mox ſubiungitur exaltatio.

Obſtrepit Iunius. *Mors crucis, vt maledictionem importantis, mors inferorum eſt, ſi Paulo credimus Gal. 3.* Verſa & reuerſa caput hoc tertium ad Galatas ſurſum & deorſum, prout libuerit, & quoties libuerit, nunquam in eo inuenies; *mortem crucis*; *mortem inferorum* nominari, ſed tantum Chriſtum pro nobis factum maledictum: quia ſcriptum eſt; *maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Cæterum, vt Chriſtus maledictum pro nobis fieret, minimè oportebat, vt cruciatus damnatorum & perditorum, atque adeo ipſa gehennæ tormenta ſubiret; ſatis erat, vt ſacratiſsimo ſuo corpore in cruce figeretur, eoſque ſuo in corpore & appetitu ſenſitiuo dolores ſuſtineret, qui ex hoc ſupplicio ſequi ſolent; quamquam Chriſtus multas ob circumſtantias grauiſsimos præ omnibus aliis, eodem aliquando ſupplicio affectis, cruciatus pertulit.

Ait Bellarminus, Pſal. 31. & Iſaiæ 53. deſcribi figillatim omnes Chriſti afflictiones nec vllam inferorum mentionem fieri. Reſpondet Iunius: *Etſi nomen inferni ibidem non exſtat, exprimi tamen Pſal. 21. v. 2. æquiualens, quod nomen inferni figuratè ſignificet.* Verſiculus ſecundus Pſalmi 21. ita habet. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Quod nam vocabulum hoc loco infernum deſignat? Num dies? Quis hoc aſſerat? Num nox? Ita, opinor, ſentit Caluiniſta. Quo teſte perſuaſioni ſuæ fidem conciliat? Nam *noctem* hic tempus afflictionis, atque adeo paſsionis ſignificare, communis eſt Interpretum expoſitio.

Iſaiæ 53. v. 3. legimus. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Nullus comparet *infernus*: nihil inferno æquiualens. Nam quòd languores & dolores noſtros Propheta ei impoſitos teſtatur; num ideò dolores & languores ſeu cruciatus inferni & gehennæ nobis debiti Redemptori noſtro impoſiti fuêre? Num hoc affirmat Propheta? An non ſatis erat, vt imponerentur ei pœnę corporales & temporales, qualis flagellatio, coronatio, crucifixio, & triſtitia itidem ſeu mœror in *appetitu ſenſitiuo*? quibus doloribus ſuſceptis ſoluit ille nos à doloribus alterius generis, nempe à doloribus inferni; neque enim, vt quis alterum à dolore quopiam liberet, neceſſe eſt, vt eadem ſpecie dolores in ſe recipiat: ſufficit, ſi alios, quibus pro reis ſatisfaciat; & hoc maximè locũ habuit in Chriſto, cuius omnes actiones & perpeſsiones infiniti fuêre valoris ob dignitatem perſonæ. Nec *diſciplina*, ſeu, vt Hæretici malunt, *correctio pacis*, quam Iſaias Chriſto impoſitã canit, nec *infirmitas*, qua eum à Deo contritum affirmat, *dolores infernales* ſignificant, vt Iunius cum ſuo Caluino deſipit, ſed pœnas corporales, & illas itidem animæ, quarum capax erat anima ſecundum ſuperiorem partem beata.

Sed en argumentum acutiſsimum ex Iunianæ pharetra. *Qua morte prior Adam deuictus eſt, eam poſterior debellauit: duplice morte prior Adam victus eſt, corporis & animæ: vtramq; ergò Chriſtus, Adam poſterior, debellauit.* Reſpondeo maiorem eſſe impiam, & blaſphemam; Si vult Caluiniſta, vt quidem velle videtur, Chriſtum debellaſſe mortem eo genere mortis, quo Adam proſtratus fuerat. Sequeretur enim Chriſtum, æternam mortem, & mortem ſpiritalẽ animæ ſubiiſſe, ac ſuſtinuiſſe; quandoquidem Adamus æterna morte, & morte animæ proſtratus, ac deuictus fuerat. Quis autem ad hanc tantam blaſphemiam aures non obturet, & penitus occludat, ne tam horribili aſſertione pulſentur? Audi Caluiniſta. Mors corporalis Chriſti ſufficientiſsima fuit debellandæ, proterendæ, & profligandæ morti æternæ, & morti animæ; cum fuerit mors Filij Dei, mors perſonæ diuinæ, cuius omnes actiones, & perpeſsiones qualeſcunque, & in ſpeciem quantulæcunque, ſunt infiniti valoris ac pretij. Quo non progrediuntur iſti? An non aduertit Iunius, ſe inexpiabili ſcelere, ex Chriſto peccatorem facere: quia ſi mortem animæ non potuit debellare, niſi ſuſcepta morte animæ, commiſit igitur peccatum mortale; quia mors animæ non incurritur, niſi per mortiferum peccatum. Ait Iunius. Apud Iſaiam cap. 53. v. 9. *mortem Chriſti numero plurali appellari mortes*, vt ſignificetur ſcilicet, Chriſtum, *duplicem mortem*; corporis nimirum & animæ, *ſuſtinuiſſe*. Fabulæ. Nam Hebræus textus vtitur plurali pro ſingulari, vel per enallagen; vel quòd corporalis mors Chriſti adeò acerba fuit, vt pluribus mortibus comparari & æquipollere poſsit.

Quæ ſequuntur in Catalogum pſeudologiarum Iunianarum referas licet. *Biſariam, in his omnibus locis diſputator peccat: primùm, quòd diſtribuit non diſtributum; corporalem ſolum mortem attribuens Chriſto, eamq; ſolam faciens ſalutarem: deinde etiam, quòd res diſiungit in vno actu coniunctiſsimas, nimirum, mortem, & maledictionem, quæ in ſymbolo Apoſtolorum diſertè confitemur.* Si Bellarminus Caluiniſta foret, tunc vtique Chriſto non ſolum mortem corporis, ſed & mortem animæ tribueret. Abſit hæc impia mens à quouis Catholico, imò & à quouis nõ penitus expectorato pectore. Nec mortem à *maledictione* ſeparat Bellarminus. Quî ſepararet? Cum mors crucis ſit maledictio, iuxta illud Deuteronomij: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Sed Caluiniſtæ vbique ſomniant maledictionem damnatorum & inferni, quam ſomniationem, ſi *maledictam* appelles, vero nomine eam afficies.

Danæus hic ſolito more inſanit. Argumentum Bellarmini ſic format, vel potius deformat; *Iſaias cap. 53. enumerat omnes dolores, quos pro noſtris*

peccatis Christus passus est. At nusquam eum in anima passum esse, ac proinde (quod idem est) in infernum descendisse meminit Isaias. Ergò in infernum non descendit. Impostorem agit Danæus. Nam Bellarminus non vult ex Isaiæ testimoniis conficere, Christum nil passum in anima: Sciuit enim illud: *Tristis est anima mea*: Sed, Christum in anima non esse passum illud, quod eum pertulisse impiè simul ac sceleratè Caluinus docet. Neque etiam ex Isaiæ oraculis colligere instituit Bellarminus, Christum non descendisse ad inferos, sed non descendisse eo modo, quem Caluinus nefariè comminiscitur.

Obiicit Danæus. Isaiam in prædicto capite potius meminisse dolorum animæ quam corporis, v. 10. *Cum posuerit Christus animum suum in reatum*, (sic citat Caluinista) *videbit semen suum. Ver. 11. pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur. Ver. 12. Fortium diuidet spolia; pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam.* Respondeo his locis *animã* accipi pro vita, more tritissimo & communissimo scripturæ. *Si posuerit pro peccato animam suam*: id est, vitam. Si vitam suam per mortem corporalem pro peccato profuderit, *pro eo, quod laborauit anima eius*; hoc est, pro eo, quod in vita sua varios dolores Christus sustinuit, *videbit & saturabitur.* Et vt *anima* hic acciperetur verè pro altera parte compositi, num ideo sequeretur quod Caluinistæ volunt? Qualis, oro, hæc consequentia. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum; ergo Christus pœnas gehennæ & cruciatus damnatorum ac perditorum hominum sustinuit*; Probatur consequentia. *Quia aliter anima non potest dari pro peccato, nisi inferni cruciatus vel spiritalem mortem per capitale scelus subeat.*

Mentitur Danæus Bellarminum dicere; nullam in verbis Isaiæ mentionem *animæ* exstare: Non dixit, non scripsit hoc Bellarminus, sed nullam *inferni* mentionem fieri. Quod verissimum est. Et tamen impudens caput exclamare non veretur: *Quis te Monachum impudentior alter?* Quis te sectariorum perditior & sceleratior alter, qui tua somnia & commenta Bellarmino affingas, & vbi affinxeris, conuiciis & lœdoriis in eum detones?

Oggrunnit Danæus. Christus dixit: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem; ergo anima Christi tristata est.* Num abnuit Bellarminus? Non hanc veram & Catholicam, sed illam *Caluinisticam* consecutionem inficiatur, vel potius execratur: *ergo Christus passus est dolores gehennæ, & hominis damnati ac perditi cruciatus.* Hæc blasphemia in mentem nunquam Prophetæ venit. Hæc in nullius vnquam orthodoxi cogitationem cum assensu cecidit. Itaque quotiescunque clamat Danæus, *Christum, etiam in anima passum esse; & hoc Bellarminum negare*; toties facit, quod in toto suo libro, & singulis propemodum periodis facit, hoc est, mentitur & calumniatur.

Docet Bellarminus, Christum Matth. 20. Marci 10. Luc. 18. prædicere Apostolis passionem suam, & nominare flagella, sputa, crucem, mortem, & continuò subdere: *Et tertia die resurget*; neque quidquam de doloribus damnatorum & cruciatibus gehennæ adiunxisse. Respondet Iunius, Christum nomine *mortis* intellexisse non tantum *mortem corporis, sed & spiritalem animæ: Et vbi Christus dicitur nos morte sua & sanguine liberasse, vtrãque mortem designari.* Vbi monstri huius probatio? Vt alia omittam, si, cum profitemur in symbolo; *Christum esse mortuum*; significamus, eum non modò corporis, sed & animæ mortem sustinuisse; atque adeo supplicia inferni subiisse, cur postea subditur, etiam apud Caluinistas: *Descendit ad inferos*: Cuius articuli sensus hic est, ex Caluinistarum interpretatione; *mortuus est pro nobis*, hoc est, mortem animæ etiam sustinuit, non tantum mortem corporis. Quis Christianorum vnquã ante Caluinistas exstitit, qui audito, Christum pro nobis esse mortuum; hanc notionem & cogitationem efformarit, Christum pro nobis spiritalem animæ mortem subiisse, & inferni cruciatus sustinuisse? vt silentio præteream turpem antilogiam à Iunio admissam; capite enim septimo, notâ tertiâ, acriter contendit, Christum *vitam animæ ἀπωλὼ*, vt ipse vocat, *& spiritalem non perdidisse*; hoc autem octauo, notâ 17. nõ erubuit scribere, *Christum debuisse mortem animæ subire, vt nos à morte animæ immunes præstaret.* Quomodo hæc consonant? Quamquam causæ nihil est cur ab impietate & blasphemia consonantiam seu concentum in dogmatis postulemus.

Negat Iunius à Caluino scriptum, *Christum corporali morte nihil egisse, sed inferni doloribus.* Quid? an non sunt hæc Caluini verba lib. 2. Institut. cap. 16. §. 11. *Nihil actum erat, si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus.* Sed ait Iunius: *Etiamsi sola mors corporis nobis nihil vtilitatis attulisset, attamen coniunctam cum morte animæ inferniq; cruciamentis plurimum emolumenti attulisse.* Reprehenditque Bellarminum, *quasi res coniunctas non bene diuidat.* Quo significat Bellarminum vnius tantum mortis meminisse, cum Caluinus de duabus loquatur. Sed mentitur Iunius: Nam Bellarminus dicit, Caluinum tribuere huic pœnæ infernali totam FERE redemptionem nostram, ita, vt sine hoc descensu ad inferos mors in Cruce non fuerit futura vllius pretij. An nõ dicit Bellarminus? SINE HOC, &c. An non denotat vox FERE, Bellarminum *coniuncta non dissiungere*, sed fateri, etiam mortem corporis, copulatam cum pœna gehennæ secundum Caluinum, aliquid momenti ad redemptionem nostram contulisse? Negat Iunius, *Christum*, ex doctrina Caluini, *fuisse in inferno*, hoc est, cruciamentis & tormentis inferni subiacuisse, *ab oratione in horto vsq; ad Resurrectionem.* Producat Iunius locum ex Caluino, vbi ante resurrectionem his tormentis terminum posuerit: vel saltem ponendum insinuarit; totumq; descensum ad inferos absolutum affirmarit, quando Re-

demptor

demptor noster in Cruce exspirauit. Si enim *oportuit, Christum cum copiis inferorum, aeternaq; morti horrore, quasi cominus manibus luctari, & in locum sceleratorum sponsorem, vadem, adeoq; instar rei, submitti, qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas, eamq; mortem perferre, quæ sceleratis ab irato Dei infligitur*; vt blasphemat Caluinus, dici profectò nequit, descensum hunc Christi ad inferos, siue infernales cruciatus simul cum vita Christi in cruce fuisse finitos, cum impiorum tormenta & horror ille immensus ex offensi numinis ira conceptus, posthanc demum vitam reipsa & efficaciter subeantur & tolerentur, tumque demum sceleratus diuino tribunali iudicandus sistatur.

Negat Iunius, à Caluino affirmatum, *Christum securum non fuisse de sua salute.* Quomodo securus fuit, si personam damnatorum gesit? Quomodo securus fuit, si cruciatus hominis damnati & perditi pertulit? An securus de sua salute erat, *cuius conscientiam hac anxietate torqueri oportebat, ac si derelictus à Deo esset, imò ac si Deum haberet infestum*, vt in suo Catechismo Caluinus scribit?

Dicit Bellarminus, si redempti essemus per infernales pœnas Christi, deberent figuræ præcessisse; Respondet Iunius, *præcessisse figuras; nam sacrificia pro peccatis mactabantur & comburebantur planè*, &c. Idem respondet Danæus. Nemo nescit hæc sacrificia fuisse typos & imagines Christi aliquãdo pro peccatis nostris immolandi & sacrificandi; sed num præfigurabant Christum subiturum pœnas inferni, vt blasphemat Caluinus? Qua quæso parte sui hoc præmonstrabant? Num quia hostiæ illæ occidebantur? At hostia occidi & macari potest, licet pœnas inferni non sustineat. An quia hostia illa pro peccatis penitus consumebatur? At & hoc sine cruciatu inferni peragi potest. Nam quoties homo occiditur, compositum illud penitus consumitur; nec tamen ob id pœnas gehennæ tolerare vel toleraſſe censetur. Sic & in cruce Christus, salutaris nostra & pacifica hostia, penitus absumptus est; quia per mortem anima à corpore seiuncta est; & desiit esse homo, vsque ad punctum resurrectionis, quo anima cum corpore iterum coniuncta fuit. An hostia pro peccatis ideo Christum dolores inferni passurum præsignificabat, quia comburebatur? Ita Caluinistæ cogitare videntur. At ignis ille non flammæ tartareæ, sed incensissimi amoris, quo Christus pro nobis passus est ac mortuus, symbolum & argumentum erat. Quàm verò inepta, & quàm longe petita est hæc Caluinistarum consecutio? Hostiæ pro peccato comburebantur olim in lege veteri; ergo significabant Christum flammas inferni, & cruciatus damnatorum perpessurum. Acutè profectò, quo acumine cuiuis procliue erit probare, Christum die tertia non resurrexisse; quia hostiæ pro peccato, quæ typum gerebant Christi aliquando passuri nunq; resurrexerunt, ergo nec antitypon reuixit.

A Hic denuo mentitur & calumniatur Danæus. *Bellarminum negare, Christum aliquid in anima sustinuisse*, cum vbique Bellarminus contrarium asserat, resque certa & explorata sit ex illo: *Tristis est anima mea*, omnesque fateantur animam Christi secundum appetitum sensitiuum, passibilem atque adeo tristitiæ obnoxiam fuisse; nec desint, qui arbitrentur, illud, *Tristis est anima mea*; etiam ad superiorem Christi partem, hoc est, ad voluntatem referri debere; licet enim à primo suo ortu voluntas Christi fuerit plena omni gaudio & voluptate, quæ ex clara Dei visione redundabat, in passione tamen, diuina dispensatione, factum aiunt, vt ex visione beatifica ad voluntatem nulla delectatio manauerit. Hinc summam tristitiam & anxietatem in anima Christi exortam esse.

B Vide Gregorium de Valentia Tom. 4. Comment. Theol. Disp. 1. q. 9. p. 2.

Ait Bellarminus: si Christus tormenta inferni passus fuisset, deberet pingi in igne gehennæ in medio damnatorum, vt depingi solet in Cruce inter duos latrones. Iunius. *De hoc argumento pictores viderint.* At Catholici, non Caluiniani. Catholici dicent: ideo Christum hoc schemate nõ pingi, quia non decet, vt falsa, imò impiâ & blasphemâ figurâ repræsentetur; qualis esset ista de qua loquimur; quæ ideo Ecclesiæ Catholicæ filiis inaudita est; quia id quod significat non accidit, nisi in Caluinistarum cerebro. Solet quidem Christus ad inferos, hoc est, ad limbum descendens pingi, sed habitu triumphatoris, patres

C ex diuturno illo carcere liberare venientis.

Danæus hoc argumentum Bellarmino affingit. *Si Christus passus esset in anima pro nobis, hoc debuit pingi in figuris Christi crucifixi, vti eius crux & flagella pinguntur.* Respondet Danæus; *ineptus homo est Bellarminus, qui nos ad picturas & pictores remetet.* Mendax & fraudulentus Danæus, qui sua commenta Bellarmino attribuat: non enim dicit Bellarminus: *Si Christus in anima passus est*; sed, *si Christus pœnas inferni sustinuit*; vt impiè contendunt Caluinistæ, *tum hoc schemate pingi debuit.* Aliud est, pati in anima: aliud, pati pœnas inferni in anima.

Ait Danæus; *à Luca hoc satis esse depictum, quando illam Christi in Monte Oliueti agoniam descripsit.* At ve-

D ro hæc D. Lucæ pictura nulli, nisi pessimè & terrimè affecto, supplicia inferni, Christumque in illis constitutum repræsentat, aut ante Caluinianam impietatem repræsentauit. Nihil huius videtur aut visum est vlli mortalium, quisquis orthodoxis oculis descriptionem illius in Monte Oliueti luctæ aut videt aut vidit.

Probat Bellarminus sententiam Catholicam ex Patribus. Danæus: *Hoc argumentum nullius est momenti, eos enim Patres allegat, qui vel malè hunc articulum intellexerunt: vel de effectu ipsorum dolorum, quos in anima sensit Christus, non de ipsis doloribus, id est, de inferno, in quem descendit, locuti sunt.* Iunius clamat. *Patres hæc pronunciasse Rhetoricè & figuratè.* Ita, vbi & quando lubet, *Rhetores* nobis & *Tropistas* ex patri-

bus

bus procudit. Scilicet Patres Rhetoricabantur, quando de articulis fidei ad plebem verba faciebant; & falsam explicationem pro vera auribus auditorum instillabant. Nam quod Danæus Patres *non intellecti huius articuli* arguit; *Chamica* criminatio est. Quod de *effectu dolorũ* nugatur, pseudologia est, quia sancti Patres à Bellarmino citati, scribunt, Christum ad inferos descendisse, vt victorem; non vt damnati tormenta perpetientem vel perpessurum.

Negat Iunius, *versari in inferno, nihil aliud esse, quàm timere Deum iratum*; ex Caluini doctrina. Nec Bellarminus dixit; existere in inferno nil aliud adæquatè apud Caluinum esse, quàm timere Deum iratum; sed indefinitè, nil aliud esse quam timere Deum sibi iratum; quo non excludit cætera, quæ ad hunc timorem consequuntur, & à Caluino lib. 2. Instit. cap. 6. percensentur. Nõ immeritò notat Bellarminus Caluinum, quasi hac sua impietate infernum, locum subterraneum, sustulerit, vel saltem suffodere tentarit. Vociferatur Danæus, *Caluino fieri iniuriam: cum enim inferos subterraneos confessum esse.* Si confessus est; cur Christum in horto, in ædibus Annæ, Caiphæ, Pilati, in Cruce, in via ad Crucẽ, dixit fuisse apud inferos? Cur tormenta inferorum reuocat ad tormenta & cruciatus animæ, Epicureorum more? Cur si inferos subterraneos agnouit, concedere renuit, Christum post mortem eò penetrasse?

Negat Iunius à Caluino scriptum: *Christum timuisse de sua salute, quantum ad sensum carnis.* Quid, an non scripsit Caluinus in cap. 27. Matthæi? *Sensum carnis* in Christo *exitium* (inferni) *apprehendisse*? An hoc sine formidine de propria salute fieri potest? An non scripsit Caluinus: *Christum desperationis vocem emisisse*? An non timet de sua salute, qui *desperationis* vocem emittit? An non scripsit Caluinus, Christum *inferni tormenta sustinuisse, & cruciatus damnati ac perditi hominis toleraſſe*? An talis de sua salute non timet? Nam quod Iunius ait, *veteres, nominatim Damascenum lib. 3. fidei Orthod. cap. 23. idem cum Caluino docuisse*, mendaciis Iunianis securè accenseas. Damascenus enim nil aliud vult, quàm Christum naturali timore corporalis & temporalis mortis perculsum, & ob eius vicinitatem mœrore & tristitia affectum esse: At Christum timuisse & horruisse *sempiternum exitium, & pœnas gehennæ sibi subeundas*; Caluinistica blasphemia est, & à sensu sanctorum Patrum longè alienissima.

Affingit Iunius Bellarmino hanc consequentiam. *Christus luctatus est cum desperatione*, vt ait Caluinus, *ergo desperauit saltem aliquo modo. Hem disputatoris argutiam*, exclamat Iunius. Dic tu; prô Caluinisticam frontem & fidem: quæ sua figmenta Bellarmino affricat: quia si Bellarmini discursum contra Caluinum ad aliquam argumentationis formam redigere velis, sic rem instituas oportet. *Secundum Caluinum passus est Christus pœnas damnatorum, ergo desperauit.* Antecedens est Caluino & Caluinistis certum. Probatur consequentia. *Quia pœna damnatorum includit essentialiter desperationem salutis, sicut beatitudo includit certitudinem salutis nunquam amittendæ.* Quid in hac argumentatione culpabile; suppositâ Caluini blasphemiâ?

Respondet Iunius: *Desperationem non includit pœna damnatorum, nisi eorum, qui absolutè damnati, & non includit reipsa essentialiter, sed tantum consequenter, quia non est de damnationis essentia. Primi confitentur omnes Pontificij, cum purgatorium affirmant esse.* Mentitur Iunius: nam qui ad purgatorium ablegantur, minimè inter damnatos numerandi sunt. Nec est, qui dicat, pœnam eorum, qui gehennæ flammis & suppliciis addicuntur, non includere desperationem, quia in inferno nulla est redemptio: Et ignis ille à Redemptore nostro nominatur *æternus*; *Ite maledicti in ignem æternum*; includit ergo per se desperationem salutis. Et si hanc inclusionem piget appellare *essentialem*; alio nomine eam Iunius afficiat; dummodo per se à damnatione inseparabilem agnoscat. Cum ergo ex Lemmannica Theologia Christus inferni siue gehennæ tormenta sustinuerit, planè dicendum erit, eum desperasse: cum languores nostros ipse verè tulerit, & dolores nostros verè portarit, hoc est, interprete Iunio & Caluino, *cruciatus damnatorum & perditorum hominum verè sustinuerit*, quibus verè & inseparabiliter annexa est desperatio; quæ & ipsa vtique vnus est ex languoribus & doloribus, quos damnati & perditi ferunt.

Obiicit Iunius. *Aquinas 3. p. q. 46. docet, Christi cruciatus fuisse acerbissimos & omnium grauissimos, idemque affirmant alij.* Quid inde? Comparant isti pœnas Christi non cum pœnis alterius seculi, sed cum pœnis huius vitæ, easque omnium, quæ in hac vita tolerari solent, acerbissimas fuisse tradunt. Num ideo S. Thomas cum Caluinistis existimauit, Christum inferni & gehennæ tormenta sustinuisse? An non & alias causas reddit, cur passio Christi omnium grauissima fuerit? Et quidem illa passio corporalis, tametsi nec de tristitia, quam Saluator in anima sensit, hoc negari debeat: sine dubio enim maxima fuit. Num idcirco illa gehennæ & damnatorum hominum? De hoc impio delirio stabiliendo nullam vnquam vel minimam cogitationem suscepit S. Thomas.

Negat iterum Iunius, Caluinum scripsisse in cap. 27. Matthæi, *à Christo desperationis vocem emissam fuisse.* Sed inspectio Caluini mendacium hoc redarguit. Occinit, Caluinum nil dicere, *de voluntate deliberata.* Nec Bellarminus hoc Caluino attribuit; sed, posito Caluini dicto, Christum *desperationis vocem* emisisse: dilemma exstruit, quo Caluinianos irretiat. Nam si *desperationis vocem* emisit, aut emisit voluntate deliberata, aut non. Si primum, desperauit ergo, & peccauit; si secun-

dum, ergo in Christo fuit inordinatio passionum, &c.

Fatetur Iunius Caluinum dicere: *Orationem illam*; transeat à me calix iste; *non fuisse meditatam*. Si meditata non fuit; ergo *indeliberata* fuit. Quid enim est oratio non *meditata*, quam indeliberata, & quæ mentem anteuertit? Oggrunnit Iunius. *Si tibi, Bellarmine, meditatum & deliberatum idem est, crassa hæret inscientia an malitia?* Qui verò? An non omne deliberatum est meditatum, & omne meditatum, deliberatum? An non qui deliberat, omnia circumspicit, perpendit & expendit? An non idem facit, qui seriò de re quapiam meditatur? Quid verò sibi vult istud? *Meditatus est Christus secundum humanam naturam; secundum vtramque deliberat.* Itané Christus secundum diuinam naturam deliberat? ergo Deus ipse, qua Deus, deliberat. Ergo non nouit primo statim, vt sic loquar, intuitu, quid vtile, quidque sit expediens. Nam omnis, qui deliberat, id eo consilio agit, vt rationibus vtrinque expensis, & obscuritatis nebulâ depulsâ, tandem id, quod optimum factu apparet, eligat.

Ait Caluinus: Vim doloris extorsisse illa verba: *Vt quid me dereliquisti.* Quærit Bellarminus: Cur hæc verba censeri debeant *extorta*; cũ proximè antecedentia; *Deus Deus meus*, &c. fuerint verba fidei & deliberata, Caluino teste. Occurrit Iunius, Caluinũ non dicere; *extorta*; sed, *expressa*. Vt hoc ita esset; quid ad rem faceret? Si doloris immensitas expresit illa verba: *vt quid dereliquisti me*; ita vt hæc oratio rationem anteuerteret; cur de præcedentibus voculis non statuatur idem? Neque enim in tam breui oratione mens præuenire & præueniri potuit. Quamquam lib. 2. Instit. cap. 16. §. 11. satis apertè indicat Caluinus totam illam Christi orationem fuisse *indeliberatam* & doloris granditate *extortã*, non rationis impulsu fusam. *Coactus est*, inquit, *vrgente angustia, exclamare: Deus meus, Deus meus, vt quid*, &c. Tota ergo hęc oratio Christi *coacta, extorta*, & *indeliberata* fuit. Ait Caluinus in Comment. Psal. 22. Ista verba: *Deus meus*; esse correctionem istorum: *Quare me dereliquisti?* Quis vnquam audiuit, inquit Bellarminus, correctionem præponi errori? Nonne correctio sequi debet errorem? Obiicit Iunius; *Caluinum eo loco agere de Dauide, vt typo Christi, non autem de Christo.* Agit quidem Caluinus primum de Dauide, vt Christi figura; sed mox omnia ad Christum in Cruce pendentem accommodat. Et vbi correctionis meminit, loquitur quidem de Dauide, vt typo Christi. Sed nonne correctionem in ipso etiam Christo, Dauidis antitypo, constituit, hoc ipso, quod Christum, instar Dauidis, verba ista, summis, imò infernalibus angustiis adactum, protulisse scribit? Et quamuis de solo Dauide *correctionis* vocabulo Caluinus fuisset vsus, an ideo absurdum non erit, dicere; *correctionem errori fuisse præpositam?* Quis antè corrigit errorem, quàm committatur? Confugit hic denuo Iunius ad *correctionem*, Rhetorum figuram. Scilicet Dauid in summis angustiis & Christus in Cruce *rhetoricabantur*, & vt cœlesti Patri preces acceptiores accideren, figuris rhetoricis eas exornabant.

Mentitur iterum Iunius, Christum de salute sua timuisse, *non esse verba affirmantis Caluini, sed aduersariorum ipsi obicientium calumniosè.* At licet Caluinus hæc ex persona aduersariorum suorũ adducat, lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. mox tamen ea suffragio suo, tamquam ex sensu suo prolata, comprobat. Accipe Caluini verba: *Hic nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quàm insciti impulsi, clamitant, me atrocem facere Christo iniuriam: quia minimè consentaneum fuerit, eum de animæ salute timere. Deinde, calumniam durius exagitant, me desperationẽ adscribere filio Dei, quæ fidei contraria sit. Primùm, de metu, pauore q; Christi, quem tam apertè prædicant Euangelistæ, controuersia ab hic improbè mouetur.* En metum & dubitationem in Christo de salute propria apertè ab Euangelistis prædicari asseuerat.

Pergit Caluinus. *Nam antequam instaret tempus mortis, turbatus est spiritu, & affectus mœrore; in ipso verò congressu, cœpit expauescere vehementius; simulationem fi fuisse dicant, nimis putidum est effugium. Confidenter ergò, (vt verè docet Ambrosius) profiteri Christi tristitiam conuenit, nisi nos Crucis pudeat. Et sanè, nisi pœnæ particeps fuisset anima, corporibus tantum fuisset redemptor.* An non hic palam fatetur Christum de salute sua timuisse? An non id ipsum paulò pòst pluribus persuadere conatur? An nõ ridet illos, qui aiunt, *Christum duntaxat pœnas mortis corporalis timuisse*, nõ autem *maledictionem & iram Dei?*

Expendant pij lectores, inquit Caluinus, *quàm honorificum hoc sit Christo; meliorem ac magis meticulosum fuisse, quàm pleroſq; gregarios homines.* Quid multa? Totis viribus contendit Caluinus, Christum aliquid amplius timuisse, quàm mortem temporalem; & hoc aliud, nil aliud est; quam *maledictio & ira Dei.* An qui maledictionem timet, de salute sua securus est? An de salute sua non timet, qui malectionem timet? Duram frontem Iunij, quæ tam perspicua tenebris inuoluere non erubescit: Et tamen mox idem mendacium Iunius repetit, & sceleratâ audaciâ impietatis Caluinisticæ sanctos Patres Ambrosium & Iustinum testes laudat; vt & Tertullianum, qui ab ea tantũ distant, quantum Angelus lucis ab Angelo tenebrarum. Dic, Iuni, an de sua salute non dubitat, *qui sentit, se à Deo derelictum, & alienatum, & cum inuocauerit, non exaudiri; & qui omnia irati & punientis Dei signa experta est?* At hæc omnia asserit Caluinus de Christo §. 11.

In altera parte huius capitis soluit Bellarminus argumentum Caluini & Sectariorum. Primum argumentum sumit Caluinus ex cap. 53. Isaiæ, vbi dicitur *Christum à Deo percussum.* Respondet Bellarminus; dici percussum, quod Pater permiserit eum occidi prò nobis. Oggerit Iunius. *Non ergo percussus esset à Patre, sed potius ἀδὴς, permissus percuti:*

curi: at Pater non modo permisit, sed etiam non pepercit, tradidit, & ipse pastorem percussit Zach. 13. vt Christus Matth. 26. interpretatus est. Nemo nescit, communi scripturæ more, verba actionem denotantia sæpe accipi nō pro actione in eo, de quo affirmantur, sed pro permissione; vt Exod. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis*, id est, permittam indurari. Psal. 104. *Errare eos fecit*, id est, permisit. Isaiæ 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*, &c. id est, permitte excæcari, permitte aggrauari, &c. Isaiæ 63. *Quare errare nos fecisti Domine de via tua & indurasti cor nostrum?* hoc est, errare nos, & cor nostrum indurari permisisti. Rom. 9. *Quem vult indurat*, id est, indurari permittit, vt huius generis plura exempla sileam, in quibus verba actionem proximè alioqui significantia, Deo tributa *permissionem* solummodo designant: Neque enim Deus actione sua per se vel per accidens auctor est erroris, indurationis, excæcationis, aggrauationis: nisi in impia schola Caluini, cui nulla religio, ipsa etiam scelera ad Deum, vt ad auctorem, reducere. Cum igitur hæc sit scripturæ phrasis mirandum non est, si & apud Isaiam & alibi, verbū *percussit*, pro permissione percutiendi accipiamus; vt & verbum *tradendi*; Neque enim ipse Pater filium tradidit in manus Iudæorum, sed permisit eum tradi à Iuda traditore.

Addit Bellarminus, istam percussionem pertinere ad solam *temporalem*. non *ad pœnam gehennæ*. Occinit Danæus. *Et nos quoq; hoc concedimus*. Quid conceditis? *Christum non percussum tormentis* inferni? Si hæc vobis mens, in spongiam igitur incumbere mandate, quidquid vsquam hac de re Caluinus blasphemè scripsit. At hoc non vult Danæus, sed; *Christum, etiam ex sua & suorum sententia, pœnam temporalem passum; quia pœnas inferni passus est, verùm temporaliter duntaxat.* At hæc est illa ipsa blasphemia, quam hoc capite Bellarminus oppugnatum & expugnatum iuit. Probat enim Christum æternas pœnas ne temporaliter quidem sustinuisse; sed pœnas solummodo temporales, hoc est, quæ à Deo in huius vitæ tempore alicui diuinitus infligi solent. Cui autem vnquā æterna pœna in huius vitæ statu incussa est?

Mentitur Danæus, cum ait, Bellarminum *scribere voluisse, & debuisse: Christum sola corporali pœna affectum esse.* Bellarminus longè melius scit, quid scribere voluerit & debuerit, quàm Danæus; id nimirum scribere voluit & debuit, quod scripsit, scilicet percussionem apud Isaiam referri ad solam pœnam temporalem. Nam Christum sola pœna corporali punitum esse, nec potuit, nec debuit Bellarminus scribere; quia par non erat, vt aliquid scriberet contra illud; *Tristis est anima mea.* Qualis tandem est Caluinistarum consequentia: Deus dicit de Christo: *Propter scelus populi mei percussi eum; ergo Christus pœna inferni percussus est.* An aliâ pœnâ non potuit percuti, præterquam pœnâ inferni? AEquè vana est ista. *Deus iratus percussit proprium filium, ergo pœnâ gehennæ.* Num omnes, quos in hac vita Deus iratus punit, suppliciis inferni mactantur? Quamquam Deus filio suo, vtpote innocentissimo, nequaquam iratus fuit.

Ait Bellarminus, neminem ex veteribus somniasse, cum de passione Christi agerent, Christū pœnis gehennæ percussum esse. *Falsum*, clamat Iunius, citatque S. Hierónymum in cap. 53. Isaiæ. Sed sanctus iste Pater, nil aliud dicit, quàm quod omnes Catholici cōcordi voce tradunt, nempe, *Christum pro nobis factum maledictum, maledictus enim omnis, qui pendet in ligno. Christū, passum pro nobis, quod nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere. Christum, etiam secundum animam, verè doluisse; deleuisse chirographum, quod aduersus nos erat; reputatum esse inter peccatores & iniquos, vt descenderet ad infernum*, &c. Quid hæc & huius generis alia ad Caluini & Caluinistarum blasphemiam? Nihil penitus. Nam quòd *ad inferos descendisse* ait; descensum post mortem iam triumphantis significat, non illum blasphemum & sacrilegum Caluini in horto & Cruce; & vt videtur, etiam post Crucem & mortem, vsque ad resurrectionem.

At semel soluenda est clarè & distinctè consecutio, quam si non in charta, at in animo Caluinistæ ex Isaiæ & Hieronymo efformare videntur. *Christus pro nobis passus est, quod nos pro nostris sceleribus debebamus pati; ergo pœnas gehennæ.* Antecedens est Isaia & D. Hieronymi. Probatur consequentia. *Quia pœnas Gehennæ pro sceleribus nostris pati debebamus.* Respondeo, si Antecedentis verba aliquis vniuersim & presè, & vt dixi solet, absque vllo *salis grano* accipere velit, plus inde consequetur, quàm ipsi Caluinistæ velint; nempe Christū non modò pœnas Gehennæ aliquo tempore tulisse; sed etiamnum pati, atque adeo in æternum passurum; quandoquidem nos propter scelera admissa pœnas illas in æternum pati debebamus. Si autem hoc ab omni ratione & pietate alienissimum est; ipsiq; Caluinistæ necessariò verba illa restringere coguntur; æquo animo ferant, si & nos verbis huiusceмodi sensum Maiestati diuinæ & rationi consentaneum subiiciamus, vel potius à Spiritu sancto subiectum in lucem proferamus.

Ad Antecedens igitur Respondeo, illud esse verum de pœnis nostris in genere; non de pœnis in specie. Nam Christus verè sustinuit pœnas nobis debitas secundum generalem pœnæ conceptum, quatenus pœna, quam Christus sustinuit, & illa quam nos sustinere debebamus, in *generico* pœnæ conceptu conueniunt: At non sustinuit pœnas nobis debitas secundum determinatā & specificam suam rationem: hæc enim pœna, erat pœna æterna gehennæ, quā Christus nec ad tempus, nec perpetim sustinuit aut sustinet. Res exemplo dilucidior fiat. Si quis pretio liberet furem à laqueo, vel latronē à rota; vel si quis se cædi sineret pro liberatione istorum; pœnas ipsis debitas in se recipere & sustinere, vere affirmaretur: & tamen non ferret pœnam laquei, aut rotę;

sed pecuniæ vel verberum: ita & hoc loco tecum ratiocinare: neque enim ad redemptionem nostram necessarium erat, vt Christus ipsas etiã pœnas nobis debitas secundũ specificam suã rationẽ subiret, satis erat pœnã aliam sustinere, cuius perpessio infiniti erat valoris propter dignitatem & excellentiam diuinam personæ patientis.

Dicit Bellarminus, figmentum esse Caluini, omnes, qui percutiuntur à Deo irato, pati pœnas infernales. Obstrepit Iunius. *Neq; id Caluinus dixit vsquam.* Profectò non semel, sed sæpius; non obscurè, sed dilucidè id dixit, ex quo hoc necessariò conficitur. Nam inter cæteras caussas, cur Christus pœnas inferni sustinuerit, hanc quoq; reddidit, quòd à Deo irato fuerit percussus. Ex quo constat, Caluini iudicio, *percuti à Deo irato*, esse pœnas gehennæ pati. At non tantum Christus, sed & plures alij à Deo irato, & quidem verè sibi irato (nam Christo iratus nõ fuit) percussi sunt, & indies percutiuntur. Ergo omnes isti sustinent pœnas inferni. Quo quid stolidius? D. Thomam 3. p. q. 46. idẽ cum Caluino tradere de percussione Christi, mendacium Iunianum est.

Acutissimè distinguit Iunius passionem in eam, quæ est *in fieri*; & in eam, quæ *in facto esse*, seu, vt ipse loquitur, *in factum esse*: Christum ait, pœnas gehennæ sustinuisse *in fieri*; impios, vbi anima ex corpore excessit, *in facto esse*. Hanc, vocari πάθος seu πάθημα; illam συμπάθειαν, *propassionem*, testemque nobis fert Hieronymum ex Origene tract. 35. in Matth. Imperitissimè & absurdissimè omnia: Nam primum ipse Caluinus huius commenti nunquam meminit. Secundò, in substantialibus & momentaneis mutationibus *fieri & factum* esse nihil differunt; vt notum Philosophis. Si quis igitur contendat, tormenta inferni vno momento Christum inuasisse & occupasse; dicere debebit Christum hæc tormenta non modò in *fieri*; sed & *in facto* esse pertulisse; cum vtrumq; reipsa sit vnum & idem. Tertiò in mutationibus successiuis differunt quidem *fieri & factum esse*; etiam tempore; sed quia fieri ad *factum esse* tanquã ad terminum ordinatur, dicere necesse erit, hanc pœnam gehennæ in Christo tandem *ad factum esse* peruenisse; atque perfectè & completè in *termino* à Christo fuisse subitam & toleratam; qualem intensionem & quasi gradationem in hac pœna à Caluino traditam fuisse, supra cum Bellarmino monebamus. quam statuit quoq; Caluinus disertè in Psal. 21. his verbis: *Si primo conflictu elicitæ fuerunt sanguinis guttæ, vt opus fuerit consolatore Angelo, non mirum est, si in vltimo agone confessus est tantum dolorem.* Item lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. *Antequam instaret tempus mortis, turbatus est spiritu, & affectu mœrore; in ipso verò congressu cæpit expauescere vehementius.*

Præterea, Christus pœnas inferni non tantum imperfectè, sed & perfectè sustinere debuit, quia vt Caluinus cum suis philosophatur, *pœnas inferni nobis debitas ferre debuit*; nam Deus infirmitates nostras, correctionem, & disciplinam nostram humeris eius imposuit; at nobis debebatur pœna inferni non tantum *in fieri*, sed & *in facto esse*; hoc est, non tantum imperfecta; sed & perfecta, ergo & Christus eandem subiit, si Caluini placita non sunt Diabolica portenta.

Accedit, quod intolerabilis sit blasphemia, affirmare, *Christum pœnas inferni*, etiam *in fieri* & imperfectè sustinuisse. Quia quomodocunque quis pœnam inferni ferat, siue perfectè siue imperfectè, siue intensè, siue remissè, is pro eo tempore, quo eam sustinet, damnatus est, & à Deo reiectus; & iræ cælesti obnoxius. Quod vel tenuissimè de Christo suspicari, horret quælibet mens religiosa.

S. Hieronymum, vel alium ex priscorum cœtu συμπάθειαν seu *propassionem* in Christo, explicasse de perpessione pœnarum infernalium *in fieri*, luculentissimum est Iunij mendacium, cum insigni ignorantia copulatum. Sanctus enim Hieronymus per *propassiones* in Christo, intelligit illas affectiones appetitus sensitiui, quæ in nobis appellantur *passiones*, coniunctæ cum motione & alteratione corporis: ex quarum numero sunt *amor, concupiscentia, delectatio, odium, fuga, tristitia*, & id genus aliæ, quas S. Hieronymus in Christo noluit appellare *passiones*; sed *propassiones*, quod rationem, in Christo nunquam anteuerterint; vt in nobis accidit; sed ad imperium rationis semper prodierint; cœperint, & desierint. Verba D. Hieronymi in cap. 26. Matth. sunt ista, citata etiam à S. Thoma 3. p. q. 15. a. 4. *Dominus noster, vt veritatem assumpti hominis probaret, verè quidem contristatus est: sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem dicitur, quòd cæpit contristari, & mœstus esse, vt passio perfecta intelligatur, quando animo, id est, rationi dominatur: propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitiuo, sed vlterius non se extendit.* Vbi ne *gry* quidem aut *My* de pœna inferni, quam Caluinistæ impiè somniant: multoque minus de pœna gehennæ in *fieri*, & in *facto* esse, de qua hic inscitissimè Iunius.

Negat Iunius, *mortem corporis Christi satisfacere potuisse pro morte animarum omnium.* Qui hoc asserit, is Christum necdum nouit; nec quanti pretij sint actiones & passiones personæ infinitæ intelligit; & cum fusè probat, Christum *non tantum corpore, sed & anima passum*, (quod hic etiam aduersus Bellarminum Danæus Battologicè ostendere conatur) meras nugas agit; nam vt sæpe dictum, Bellarminus hoc non abnuit, imò hoc ipso capite id crebrò asserit, potissimum his verbis in solutione secundi argumenti Caluinistici: *Christus animo & corpore passus est.*

Negat Iunius Caluinum scripsisse: *Christum animæ periculum metuisse.* Quid attinet mendacium hoc tautologicum toties refutare? Cui refutando sufficit vel vnus ille cap. 16. lib. 2. Instit. paragraphus vndecimus. *Quantulum enim fuisset*

securè & quasi per lusum prodire ad subeundam mortem. Vbi Caluinus docet, parum fuisse futurum, si Christus *securus de sua salute* ad Crucem & mortem accessisset. Mentitur ergo Iunius, cum hoc Caluinum inficiatur sensisse. Mentitur, quando affirmat, *veteres, nominatim Iustinum Martyrem cum Caluino sensisse.* In nullius cor blasphemia Caluini vnquam ascendit, saltem cum assensu.

Post hæc impetum dat Iunius in S. Hilarium, Hieronymum, Origenem, & plures alios patres. At quo Caluinista impudentior est, eo nos reuerentiores & obseruantiores in sanctos Patres esse conuenit. S. Ambrosium conuenire cum Caluino perinde est, ac si dicas; *lucem conuenire cum tenebris, Christum cum Belial.*

Danæus circa solutionem tertij argumenti Caluinistici à Bellarmino datam seipsum acumine superat. Acumen in hoc consistit. I. *Nescit Bellarminus, quid Christus sit passus.* II. *Stupidi homines Monachi ad tanta arcana Dei non penetrant.* III. *Neque Christi beneficium salutem nostram esse putant, qui scribunt nos à Christo vel vna sanguinis gutta redimi potuisse propter personæ ipsius dignitatem:* quia Caluinistæ vix credunt nos à Christo redemptos, licet nos ab illo per ipsa gehennæ tormenta liberatos esse impiè contendant, tanta est eorum erga Christum obseruantia & gratitudo. B

Quartum argumentum sumunt Caluinistæ ex illis Matth. 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Respondet Bellarminus, humanitatem à Deitate relictam in pœnis, & cum posset eam inde eripere, noluit, vt sacrificium perficeretur, quo mundus erat redimendus. Mentitur Danæus, *Bellarminum negare, derelinqui in pœnis esse signum iræ Dei.* Non negat hoc Bellarminus, sed tantum dicit; nullam fieri prædictis verbis mentionem *iræ Dei erga filium.* Quod verissimum est. Nam vt Deus humano generi ob scelera admissa iratus fuerit; attamen erga filium iræ penitus nihil habuit. C

Calumniatur Iunius, quasi Bellarminus diceret, *humanitatem in tormentis à Deo relictam fuisse hypostaticè*, hoc est, exutam hypostasi diuina; quæ est Sycophantica prorsus criminatio, cuius Bellarmino nunquam in mentem venit.

Quam verò est argutus hic Iunianus syllogismus. *Quem Deus dereliquit, ei fuit iratus: Pater dereliquit filium: iratus igitur.* Nihil deest, nisi probatio Maioris; quam ipse Caluinus negat, vbi nonnihil ex profundo blasphemiæ suæ caput sustulit. *Neque tamen innuimus*, inquit, lib. 2. Instit. cap. 16. §. 11. *Deum fuisse vnquam illi (Christo) vel aduersarium, vel iratum. Quomodo enim dilecto filio, in quo animus eius acquieuit, irasceretur? Aut quomodo Christus Patrem alio sua intercessione placaret, quem infensum haberet ipse sibi?* Vides ergo hic, Caluini iudicio, ita à Deo Christum in Cruce derelictum, vt tamen ei non irasceretur, atque adeo derelictionem sine ira intueris: solutumque Iuniani syllogismi figmentum. D

Quintum argumentum sumunt Caluinistæ ex illo Act. 2. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni*, &c. Nam si non pertulit, quomodo ab illis solui potuit? Bellarminus duo vel tria adducit responsa. quæ mendaciis suis allatrat Danæus. Ex quibus primum, dolores inferni eos esse, *quos non Christus sed infernus ipse sensit, Christum retinere cupiens.* Exclamat Caluinista. *Nuga nugerrima.* Omnino: sed tuæ, non Bellarmini. Nam Bellarminus Chrysostomi & Oecumenij sententiam refert, qui de morte solutionem illam accipiunt. Obiicit Iunius. *Interpretem Chrysostomi & Oecumenij non assecutos mentem Auctorum: Et hoc Bellarminum haud animaduertisse.* Calumniatur Iunius, sed ciuiliter, vt solet, non crassè & rusticè pro more Danæi & similium Balatronum. Græca Chrysostomi sunt ista. Ἵνα καὶ αὐτὸς ὕβρεις κατέχων αὐτὸν ἐδείκνυτο καὶ τὰ ὠδῖνα ἔπαχεν. *Ostendit ipsam etiam mortem doluisse, quæ ipsum detinebat; & grauia pertulisse.* An non est hic idem prorsus sensus eius versionis, quam Bellarminus attulit? Idem palam asserit versio Theophylacti Sifaniana, Oecumenij interpretationi consona, quam ipsemet Iunius recitat: *Ostendit mortem, cum illum detineret, quasi parturiisse, & acerbos dolores sustinuisse*, &c. An aliud dicit Bellarminus? Et tamen Iunius clamitat: *falsa interpretatio.* O in tanta litterarum luce censorem liberum ac solutum, ne dicam, dissolutum. Sic pronunciat, quasi nemo mortalium amplius inquisiturus esset, num dicat vera, an à vero aliena.

Mentitur Danæus, *Bellarminum corrigere textum Græcum ex vulgata editione; quoniam eo opprimitur*, inquit. Non corrigit; sed vtriusque textus lectionem adducit & explanat: neutra stat pro Caluino, neutra contra nos. An non ipsemet Iunius lectionem vulgatam: *Solutis doloribus inferni*; profert Græcè: *Solutis doloribus mortis*: tametsi vtrique commodus subiicitur sensus; nec ab vlla pressus est Bellarminus, multò minus oppressus.

Expositiones D. Augustini allatas à Bellarmino floccifacit Iunius; *Pietatem*, inquit, *sapiunt, quam semper sum admiratus* (admodum scilicet) *sed aliquantum à veritate absunt, nec loco Petri conueniunt, aut huic argumento.* Et hoc dictum vult Iunius; *bona Augustini piorumque venia.* O supercilium Caluinisticum. Quidquid isti vel sobrij vel ebrij despumant, pro verbo Dei nobis obtrudunt: Et si quis Patrum aliquid scripserit, quod ad istorum palatum non faciat, è vestigio iubent, vt illis desertis, commenta Lemannica vel Saxonica amplectamur. Mentitur Iunius, Augustini de solutis doloribus inferni sententiam, *conuenire cum sententia Caluini de perpessis à Christo doloribus & tormentis inferni.* Nam S. Augustinus disertissimè dicit solutos esse dolores inferni, non quibus Christus detentus fuerit, sed *ne teneretur*; sicut aliquis soluit laqueos & pedicas venantium, non quòd fuerit detentus, sed

ne teneatur. At Caluinus blasphemat *Christum aliquando à doloribus & tormentis gehennæ detentum fuisse.* Idem hic contendit Iunius: & ridicule comparat hæc dolorum & tormentorum infernalium vincula cum vinculis Caluiniani *Simsonis*; nostri, *Sampsonis. Fuit*, inquit, *Simson ligatus vinculis Philistæorum; sed soluta sunt, ne tenerent eum; dum consitit Nazaræatus ipsius; sic Christo dolores iniecti sunt, adalligata dolorum vincula, sed fuerunt soluta; eo quod fieri non poterat, vt teneretur eis.* Sampsonem gessisse figuram Christi; & vincula eius præmonstrasse vincula Christi, non imus inficias. Tantum hoc abnuimus; vincula illa Sampsonis, fuisse typum pœnarum inferni, quas Christus subiturus esset. Apage hanc Caluinianam impietatem. Præsignificarunt enim vincula, quibus Redemptor noster à Iudæis vinctus, nec tamen detentus est; & illa, quibus à morte; non gehennæ, sed corporali; quæ in separatione animæ à corpore consistit; alligatus fuit; nec tamen detentus. Non autem vincula inferni seu gehennæ; quia ab his non modò non fuit detentus, sed illis ne alligatus quidem vnquam fuit.

Sextum argumentum ducit Caluinus ex illo Hebr. 5. *In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, &c. Exauditus est pro sua reuerentia. Vult enim Caluinus* illud (*pro sua reuerentia*) debere sic intelligi. *Exauditus est à suo metu*, ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, quasi dicat, *Christus non orabat, vt non moreretur, sed vt non absorberetur vt peccator*, id est, *ne damnaretur in æternum, & ab hoc metu perdendæ salutis æternæ per paternam exauditionem liberatus est.* Respondet Bellarminus; Caluinum debere ostendere εὐλάβειαν accipi pro metu pœnæ. Occlamat Iunius. Caluinum dixisse, *vocem hanc accipi simpliciter pro metu; illam alteram dictionem: Pœnæ, insidiosè adiici.* Caluinum nomine τῆς εὐλαβείας apud Apostolum intellexisse metum *pœnæ*, & quidem *infernalis*, testantur omnes propemodum syllabæ paragraphi vndecimi lib. 2. Institut. cap. 16. quia dicit, Christum esse liberatum à metu, quo metuerit ne *absorberetur à morte vt peccator, & ne relinqueretur in illa formidabili abyssο*, qua *sentiebat se à Deo derelictum & alienatum.* Num timor *absorptionis infernalis, & derelictionis & alienationis à Deo* non est timor pœnæ? Num absorberi à morte non est pœna? Num derelinqui & alienari à Deo non est pœna? *Non dubito*, inquit Caluinus in cap. 5. Epistol. ad Hebræos, *quin significet Apostolus, exauditum fuisse Christum ex eo, quod timebat, ne scilicet malis obrutus succumberet, vel morte absorberetur.* An talis metus non est metus pœnæ?

Danæus optimè expedit responsa Bellarmini. Dicit I. *Bellarminum nihil prorsus respondere; Etsi multa verba fundat.*

II. *Bellarminum, se prorsus Græcæ linguæ ignarũ ostendere*; eam duntaxat ob caussam, quia Caluino & Bezæ, qui totam Græciam in scrinio pectoris sui conclusam habebant, fidem habere detrectat.

III. *Bellarminum non didicisse Græcè, sed Latinè, quia vulgatam versionem inepte* ἀποθεοῖ.

IV. *Bellarminum negare*; εὐλάβειαν *significare metũ*; cum Bellarminus disertè asserat, εὐλάβειαν significare *metum reuerentialem.*

V. *Solutionem Bellarmini esse merum paralogismum & bella & mera Bellarmini ignorantia.* Quis non suspiciat & veneretur doctissima ista responsa ex Danæano tripode, tanquam oracula, effusa?

Ait Danæus, Bezam in cap. 5. ad Hebræos, ex quinque probatis scriptoribus docere, εὐλάβειαν accipi pro *metu, & timiditate, non inani*, sed *vera*; iubetque, vt legamus Thesaurum Henrici Stephani. Non vidisti, ipsum Bezam fateri vocabulum εὐλαβείας, accipi etiam pro *reuerentia, id est, religioso quodam honore*, cap. 12. eiusdem ad Hebr. Epistolæ *v. 28 & pro pietate; vnde* εὐλαβὴς, *pius & religiosus Lucæ 2. v. 25. Act. 2. v. 5. Act 8. v. 2.* Cum ergo, ipso Beza teste, εὐλάβεια accipiatur pro *reuerentia*, caussæ nihil erat, cur Caluinus tam insolenter vulgatam versionem reiiceret lib. 2. Instit. & in caput 5. ad Hebræos, vociferans: *Quod transtulerunt alij*; pro sua reuerentia: *mihi nequaquam placet*; ideo nimirum nõ placet, quia impietatem suam de pœnis Christi Caluinus stabilire non poterat, nisi noua translatione cusa, & repudiata veteri. Cur hoc loco reuerentiæ nomen non retineremus, cũ Beza concedat, εὐλάβειαν cap. 12. accipi pro *reuerentia*; sensusque & pietas cum hac versione optimè consset ac consistat?

Exempla, quæ Beza profert plus non probant, quàm εὐλάβειαν aliquando accipi pro *cautione*, & *metu reuerentiali*; vt & exempla, quæ profert Stephanus Caluinista in suo Thesauro; & vt ad metum pœnæ quædam testimonia deflecti possent; Caluinistæ tamen rem factam non haberent; quia probandum restaret, vsu scripturæ εὐλάβειαν pro *metu pœnæ* accipi: vnde enim melius & certius notiones vocabulorum, quibus scriptura vtitur, indagamus, quàm ex aliis scripturæ locis, vbi eadem vocabula vsurpantur?

Ait Beza in c. 2. Lucæ, εὐλάβεια *significat nõ quemcunq; timorem, sed cum reuerentia potius, quàm cum animi trepidatione coniunctum. Latini religionem vocant.* Quærit Bellarminus. Si ita est, cur Hebr. 5. eandem vocem Caluinus & Beza ad metum mortis æternæ coniunctum cum summa trepidatione accommodare conantur?

Occinit Iunius; *Primum inuidiosum est nimis, quòd ἐμφατικωτέρας voces disputator adhibet, atrocioresq;, quas nec Caluinus, nec Beza vnquam occupauerunt, vt latenter criminando obruat.* Mira Iunij confidentia, qui dum Caluini & Bezæ impudentiam velare conatur, suam apertissimè prodit, & in meridiana luce collocat. Quid aliud agit Caluinus in Institutione sua, & in Commentario ad caput quintum ad Hebræos; quid aliud Beza ad hoc ipsum caput, quàm vt ostendant, metum

hunc

hunc non fuisse qualemcunque metum, & cuiuscunque impendentis periculi; vt mortis corporalis, & cruciatuum corporalium; sed metum *maledictionis & iræ Dei; & formidabilis illius abyssi, in quam* detruduntur, *qui se à Deo derelictos & alienatos sentiunt*: metum diuinæ seueritatis & vindictæ; vno verbo, metum inferorum & gehennæ; quia Christus nostram gerebat personam, & nostram vicem sustinebat, & tormenta nostra subiit: metuit ergo, quæ impij & scelerati metuere solent. An non hæc mens Caluini & Bezæ? An non Beza illis, quibus hoc absurdum & impium videbatur, in hunc modum occurrit: *Quæro, an non Christus non modò naturam, sed etiam omnes, quantumlibet abiectas, & infirmas hominis affectiones, vno duntaxat peccato excepto, assumpserit. Certè, qui hoc negat, Christianus non est. Sin verò ita est, quæro, quomodo Christus à metu, pauore, atque adeò, à perculsione alienus fuerit, qui sibi ipsi etiam, quatenus homo est, ignorationem arcanorum Dei consiliorum adscribere non veretur. Marc. 13. Et verò, nisi hoc etiam modo tentatus est, excepto peccato, Pontifex noster, quomodo nos ab hoc malo, quod vnum est, ex præcipuis, id est, à penitissimo illo iræ Dei sensu, à pauore, & perculsione animi deiudicio illo Dei seuerissimo cogitantis liberauerit?* Hæc Beza ex intimis Caluinismi penetralibus. Vbi clarè intelligis adeo necessarium fuisse, iudicio Bezæ, Christum, *metum gehennæ & æternæ mortis in se recipere*, qui metus cum summa trepidatione coniunctus esse solet, vt credat, nos ab illo per Christum non potuisse liberari, nisi eum ipse Redemptor expertus fuisset. Nihil igitur ad inuidiam concitandam Bellarminus Caluino & Bezæ tribuit; nihil illis affingit criminandi gratia, vt calumniatur Iunius; sed quod senserunt & in commentarios suos retulerunt, id bona fide proponit.

Probat Bellarminus prolatis ex scriptura exemplis, voculam ἀπὸ cum genitiuo idem aliquãdo significare quod διὰ cum accusatiuo, hoc est, *propter*. Iunius. *Negatur affirmatio. Negantur exempla: negatur denique conuenire huic interpretationi cum verbis Apostoli.* Dicere solent Germani: *Fatuum plura posse negare, quàm decem sapientes probare.* Id verissimum esse docetur exemplis strenuissimi huius *Negatorii*, Iunij: cuius vnum ex primariis spiculis. *Negatur. Nego. Negamus.* Ait locis à Bellarmino productis ἀπὸ idem esse, quod *ex* vel *præ*, vt ἀπὸ χαρᾶς *præ gaudio*. Cur non & *ob gaudium*, vt Act. 12. vers. 14. *præ gaudio* ἀπὸ χαρᾶς, non aperuit ianuam. Nonne sic rectissimè verti posset? *Ob seu propter gaudium non aperuit ianuam.* Idem de similibus locis iudicium esto.

Locus 2. Machab. cap. 5. v. 21. citatus à Bellarmino ita habet. λαβὼν δὲ ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας τοῦ ἑνὸς πολλοὺς, ἐγένετο πρᾶος τῷ πλήθει, καὶ τὸ κάλλιστον προσέταξε διὰ τὸν μετανοοῦντα τῆς κακίας. Vertit Iunius: *existimans præ superbia, se cùm terram nauigabilem, tum mare ipsum peruium pedibus effecturum, propter elationem cordis.* Subdit Iunius: *Quæ verba si acciperentur, vt Bellarmino placuit, ineptissima foret* παιτολογία. Scilicet inanis verborũ repetitio committeretur, si quis transferret: *existimans ob superbiam, &c.* Et, *propter elationem cordis.* An non idem prorsus sensus existeret? Nam ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας, & διὰ τὸν μετανοοῦντα τῆς καρδίας, synonyma esse, nemo non videt ex iis, qui veritatem videre desiderant. Sed nihil est tam perspicuum, quod sepia ista Caluiniana atramento suo non conetur denigrare.

Ait Bellarminus, dubitari nõ posse Chrysostomum, Theophylactum & Oecumenium Græcas phrases etiam intellexisse; neque tamen locum Pauli eo modo intellexisse, quo eam explicant Caluinus & Beza. Cũ Iunio nil supperet, quod aptè reponeret; obstrepit. Oecumenium melius explanasse locum illum, quàm Theophylactum. Quid hoc ad rem? Quia siue melius, siue non melius exposuerit, Caluino & Bezæ nulla penitus ratione suffragatur.

Mendacium est Oecumenium suę expositioni diffidisse; & propterea aliam ex Photio attulisse. Nullum indicium diffidentiæ in Oecumenio. Nam & Photij expositio prorsus à Caluinistica abhorret; Christum enim exauditum ait ἀπὸ τῆς εὐλαβείας *ob reuerentiam, quam cœlesti Patri habuerit.* Olet ne hæc expositio Caluinismum? Mentitur Iunius Theodoretum omnino, vt Caluinum & Bezam, locum Pauli interpretatum esse. Quid ergo Theodoretus? Ait, Christum timuisse mortem. Corporalem scilicet. Quis dissentit? Ait; *vt timeret humanitas diuinitatem concessisse.* Nemo abnuit. Num hoc Caluinianum est & Bezanum? An nil aliud Caluinus & Beza?

Septimum argumentum sumit Caluinus ex Hilario, qui lib. 2. de Trinit. *Crux, mors, inferi, nostra vita sunt, &c.* Respondet Bellarminus miram esse Caluini impudentiam, qui Hilarium pro se adducat, cum Pater iste vix dolores corporis agnouerit, & Theologi multum laborent, vt ostendant, ab Hilario non esse omnino negatos dolores Christi. Oggannit Iunius. *Hilarium non fuisse huius sententiæ: Et qui secus sentiant, eos non admodum Hilarij aspreta frequentasse.* Nec Bellarminus absolutè dicit, eum in hac sententia fuisse: sed ita tamen scripsisse, vt vix agnouerit sensibiles dolores in Christo. *Vix*, inquit: Et Theologis laborem excusandi sui procreasse. Quod verum esse: docebit te S. Thomas 3. p. quæst. 15. art. 5. & ibidem, optimus eius Interpres Franciscus Suaretz. Nec dedignaberis S. Thomam adire, quandoquidem in hac materia de Christi ad inferos descensu, non semel à te citatur.

Lib. 10. de Trinitate refutat S. Hilarius quasi ex professo Caluini errorem, & tantum non nominat Caluinum, inquit Bellarminus. Mentitur Iunius, *Hilarium loqui de Christo, vt Deus est: sic enim non timuisse pœnas gehennæ.* At Hilarium loqui de Christo secundum humanam naturam manifestum inde fit; nam qui Christum pœnas inferni metuisse arbitrabantur, occasionem ita opinandi sumpserunt ex illa Christi oratione: Lucæ 23.

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Certum eſt autem Chriſtum hæc verba protuliſſe ſecundum humanam naturam, non ſecundum diuinam: Exiſtimabant ergo iſti Chriſtum ſecundum humanam naturam, ſiue quatenus erat homo, inferorum pœnas reformidaſſe, & ideo animam ſuam in manus Patris commendaſſe. Hos refellens Hilarius negat, Chriſtum pœnas gehennæ metuiſſe; & negat eo ſenſu, quo ab aduerſariis aſſerebatur, alioqui negatio & contrarij probatio non fuiſſet ad rem; imò non fuiſſet negatio eius, quod alij affirmabant: ſi dixiſſet, & laboriosè probare voluiſſet, Chriſtum ſecundum diuinam naturam pœnas inferni non reformidaſſe; quia per ſe liquet, huiuſmodi formidinem à natura diuina procul abeſſe.

Deinde ſecundum eam naturam negat Hilarius, Chriſtum pœnas inferni metuiſſe; ſecundum quam Chriſtus crucifixus eſt, & ſecundum quam alij dolores Chriſto tribuebantur, & infligebantur; vt patet ex toto lib. 10. Sed hæc erat natura humana, non diuina. Denique à Chriſto remouet Hilarius formidinem gehénæ ſecundum eam naturam, ſecundum quam ab eodem Chriſto remouere viſus eſt, etiam dolores corporales; ſaltem ita; vt ſi Chriſtus ſimpliciter noluiſſet, nullus eum dolor attingere potuiſſet; at hæc eſt natura humana, non diuina, vt per ſe notum eſt.

Scribit Bellarminus, Hilarium ideo dixiſſe inferos Chriſti eſſe noſtram vitam, & in inferno mortem occiſam, quòd Chriſtus eò deſcenderit, vt inde ſanctos eriperet, & in poſterum, locum illum occluderet, &c. Oggannit Iunius. *Hanc interpretationem non facere ad mentem Hilarij.* Probat dupliciter. Primò, *quia Hilarius inferos refert inter Chriſti perpeſſiones.* Tu refer hoc inter Iunij mendacia, quia ante mortem Chriſti, nullos agnouit Hilarius Chriſti inferos, hoc eſt, Chriſti ad inferos deſcenſum: Poſt mortem verò, omnes Chriſti dolores ceſſaſſe, & victoriam triumphosque cœptos eſſe, non ignorauit; ideo enim vult Chriſtum dixiſſe: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem:* quòd mors omnes dolores & cruciatus finitura eſſet. Audi Hilarium. *Sciens Dominus hæc omnia poſt paſſionem ſuam deſitura, ideo & vſque ad mortem triſtis eſt.* Sciebat, *conſummata in ſe paſſione, metum tranſiturum, &c. & finem terroris eius non niſi finito conſummatæ paſſionis terrore ſuccedere.*

Secundò probat Iunius, interpretationē Bellarmini non facere ad mentem Hilarij, *quia Hilarius prædicat inferos eſſe vitam noſtram; quæ propoſitio vtcunque detorqueatur de localibus inferis falſa eſt: nam infernus iſte non fuit Patrum vita.* Nec Bellarminus dicit, ipſum infernum fuiſſe vitam vel noſtram, vel Patrum; ſed Chriſti deſcenſum ad inferos fuiſſe noſtram vitam; & S. Hilarium, quando dixit, *inferos eſſe noſtram vitam*, id non intellexiſſe de ipſo præcisè inferorum loco, ſed de Chriſti ad illum locum deſcenſu, qui nobis ſalutem & vitam attulit.

A Non eſt hîc ſilentio tranſmittendum inſigne Ergaſili Auguſtani mendacium, qui in verboſa illa præfatione ſua, quam Theſibus de Chriſto præpoſuit; mentitur, *Bellarminum negare idiomatum communicationem in Chriſto, lib. 3. de Chriſto cap. 10.* Non negat veram & realem idiomatū communicationem vtriuſq; naturę reſpectu hypoſtaſeos in qua naturæ vniuntur, ſed reiicit illā Vbiquiſticam, in cerebro Lutheri primitus coctam, & poſtea à Brentio & Smidelino recoctam, quæ facta fingitur immediatè in ipſis naturis; quaſi altera in alteram ſuas proprietates transfuderit: vel eas altera alteri communicauerit. Hanc repudiat Bellarminus, & quidem meritiſsimò.

Poſt hoc mendacium ait, *intolerabile eſſe, quòd* B *Bellarminus hoc capite affirmet, Chriſtum ſola morte corporali pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe: pœnas peccatis noſtris debitas non pertuliſſe.* Bellarminus non ita loquitur; ſed hunc in modum: *Scripturæ totam ſalutem noſtram tribuunt ſanguini & morti corporali.* Quibus tamen Bellarminus minimè excludit ea, quæ Chriſtus, vt homo, etiam ante ſacratiſsimam paſſionem ſuam, geſsit & pertulit. An ad redemptionem & ſatisfactionem pro peccatis noſtris non ſufficit actio, paſsio & mors Chriſti, veri Dei & hominis? An actiones, perpeſsiones & mors eius non habebant à diuino ſuppoſito, immenſum valorem, & infinitam dignitatem, ita vt debitis noſtris, quantumuis grandiſsimis diſſoluendis & expungendis, abundè ſufficerent; etiam ſine C illa Vbiquiſtica idiomatum inter naturas ipſas immediata communicatione, ſine qua iſti deliratores nullum pretium, nullumque valorem in Chriſti actionibus, perpeſsionibus & morte inuenire poſſunt; & ideo non poſſunt, quia nolunt.

Nec ad ſatisfactionem requiritur, vt Chriſtus eaſdem ſpecie pœnas pertulerit, quę peccatis noſtris debebantur; ſatis eſt, quòd eas pœnas ſuſtinuerit, quæ ſaltem in communi ratione pœnæ, cum pœnis humano generi ob ſcelera patrata debitis conueniant; vt ſupra explicatum eſt. Miror autem Lutheranum iſtū Ergaſilum hîc cum Caluino colludere, & Chriſtum ad pœnas Gehennæ amandare voluiſſe: quaſi piacula noſtra D expiare nequiuerit, niſi inferorum ſupplicia toleraret. Quod certè nimium eſt in eo, qui iuratus Caluini & Caluiniſtarum hoſtis videri cupit.

Addit Ergaſilus. *Chriſtum pœnas peccatis noſtris debitas non pertuliſſe tam ſequi manifeſtè ad communionis abnegationem, vt neque à Pontificiis, neque Caluiniſtis vllo prætextu palliari, aut diuersis declinari poſſit.* Si teipſum intelligeres, in tantas abſurditates nō incideres. Etiamſi quis cum Vbiquiſtis commentitiam illam & Vbiquiſticam idiomatum communicationem, &, vt iſte vocat, naturarum *immeationem* ſtatueret; haud neceſſe haberet dicere, Chriſtum eaſdem ſpecie pœnas, hoc eſt, tartareas & infernales, peccatis noſtris debitas, ſu-

ſtinui ſſe

ſtinuiſſe. Et licet huius deliramenti defenſores & patroni eſſemus, haud tamen neceſſe foret, vt in altero itidem capite vobiſcum deſiperemus. Neque ideo cogimur dicere, Chriſtum eaſdem ſpecie pœnas pro peccatis noſtris non ſuſtinuiſſe; quia Vbiquiſticam idiomatum communicationem repudiamus; eamque, quam ſacræ literæ, Conciliorum & ſanctorum Patrum auctoritas tradunt, amplectimur; ſed hoc commẽtum eam ob cauſſam deteſtamur, quia vel cogitare impium ac blaſphemum eſt; Chriſtum Inferni pœnas toleraſſe; neque aliter Filium Dei nos ex debitis noſtris liberare potuiſſe, niſi Gehennæ ſupplicium pro nobis ſubiret. Hæc ſcilicet eſt illa Maieſtas, ad quam iſte nouellus Vbiquiſta Chriſtum exaltat. Hæc eſt illa Maieſtas, cuius luce iſti nyctcoraces colluſtrati non amplius *norunt Chriſtum ſecundum carnem, hoc eſt, humiliter & ſeruiliter locatum & circumſcriptum, ſed exaltatum ad Dei dexteram:* prius tamen depreſſum ad Gehennam, non ſine guſtu & ſenſu pœnæ illius, qua inferorum incolæ diſcruciantur.

At vide Prædicantis huius extremam ſeu inſcitiam, vel, quod procliuius creditu, malitiam. Vt ſe verum Eutychianum & ex femoribus Petri Gnaphei progeneratum dilucidè teſtetur; non erubeſcit pro phantaſmate ſuo Vbiquiſtico ſtabiliendo & crimen falſi committere, & id quod Eutychiani olim factitabant, facere, nempe ad Hymnum *triſagium* impiam appendicem adiicere. Audiamus, quid in præfatione præfetur. *Hoc loco intermittere non poſſum, quin obiter hoc annotem memorabilem quandam hiſtoriam de tanti myſterij axiomate, quam Conſtantinopoli Theodoſio Imperatore contigiſſe narrat Ioan. Zonaras, annal. Tom. 3. verbis ſequentibus, ex Latina verſione huc tralatis. Huius, inquit, imperatoris temporibus, Proculo Patriarcha cum Clero, & maxima Vrbanæ multitudinis parte ſupplicantibus, puer ſublimis in aërem tollitur: Populo obſtupefacto, & longo tempore vociferante, Kyrie eleiſon, rurſus demittitur, ac ſibi præceptum eſſe dicit, vt in Cantico ter ſancto, adderetur clauſula:* QVI CRVCIFIXVS EST PRO NOBIS.

Obſtupui, fateor, his lectis ad tantam Ergaſili huius ſeu ignorantiam, ſeu improbitatem. Nam inprimis falſarius eſt; & Zonaræ prorſus contrarium ſenſum flagitioſè affingit, corrupta nequiter etiam Latina verſione Lutherani VVolphij, quæ negatiuum ſenſum habet. *Populo obſtupefacto, ac longo tempore vociferante Kyrie eleiſon, rurſus demittitur, ac ſibi præceptum eſſe dicit:* NE *in cantico ter ſancto adderetur clauſula:* QVI CRVCIFIXVS EST PRO NOBIS. Græcè ἵνα μὴ τρισάγιον τὸ παιδίον λέγειν μυηθῇ, μηδὲν προσῳδὸς τῷ τελωνίῳ, τὸ, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. At iſte noſter mutat NE in VT, & ex ſenſu negatiuo vero facit affirmatiuum falſum. Quo ipſo declarat, ſe eſſe genuinum & legitimum Petri Gnaphei & Eutychianorum filium, qui Deum, etiam ſecundum diuinam naturam paſſum & crucifixum exiſtimet, ac in ſanctiſsima Trinitate quaternitatem conſtituat.

A *Sed nos*, inquit Damaſcenus lib. 3. fidei orthoxæ capite 10. *appendicem illam, quam ſtultus homo Petrus Gnapheus* (& ſpurcus homo Ergaſilus Auguſtanus) *in ter ſancto hymno adiecit, impiam eſſe ſtatuimus, vt, quæ quartam perſonam inducat, ac Dei Filium, vim quæ illam Patris verè ſubſiſtentem, ſeorſim collocet, ac ſeorſim rurſus eum, qui cruci affixus eſt, tanquam videlicet ab illo ſorti diuerſum, aut Trinitatem ſanctam paſsibilem eſſe aſſerat, Patremque, ac Spiritum ſanctum cum Filio in crucem tollat. Procul ſit hæc impia, & adulterina nugacitas.*

Et poſtquam de origine triſagij Damaſcenus quædam interpoſuiſſet; ſubiunxit. *Quamobrem ridiculum ſanè fuerit, illum ab Angelis proditum, & incumbentium malorum depulſione confirmatum, & tot ſanctorum Patrum Concilio comprobatum, ac prius etiam à Seraphim decantatum ter ſanctum hymnum, vtpotè quo tres Deitatis perſonæ declarentur, Gnaphei ſtulta, ac nulla ratione nixa opinione, tanquam ſcilicet ille Seraphim antecellat, obteri, ac (ſi ſuperis placet) emendari. O inſignem arrogantiam, ne dicam amentiam. Nos verò, (diſrumpantur etiam licet dæmones) ita dicimus: ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis.* Nimirum ſine impia additione illa Petri Gnaphei, Ergaſili, & aliorum Eutychianorum.

Et tamen nouitius iſte Pappi diſcipulus, ait ſe *hanc hiſtoriam omittere noluiſſe, quoniam commodè huc ſpectare videretur:* ad mendacia nimirum admodum accommodata eſt falſa vel falſata hiſtoria, qualis eſt iſtâ, prout ab iſto recenſetur, qui, vt dicit, *hanc rem fide hiſtorica geſtam Chriſtianæ conſcientiæ expendendam relinquit.* Iam expendi illam, ſimulque manifeſtè intellexi, te rem nulla hiſtorica fide ſubnixam commemoraſſe; nec hoc tantum; ſed & ab aliis, nominatim à Zonara, quem citas; verè & hiſtoricè relatam, turpiſsimè deprauaſſe; & negatiuum ſenſum in affirmatiuum impudenter tranſmutaſſe. Hoc ſcilicet eſt ſtudium ſuum patronis & mecœnatibus ſuis approbare; quod iſte à ſe præſtitum iactat. Nec inficior ſtudium mẽtiendi & recta falſandi inſigniter iſtum probaſſe; at vehementer dubito, num vllus ſanæ mentis ſibi hoc ſtudium probari paſſurus ſit.

B

C

CAPVT IX.

D

Proponitur tertius error refellendus de deſcenſu Chriſti ad inferos.

REFVTAT hoc capite Bellarminus errorem Buceri & Bezæ, qui per inferos ſeu infernum intelligunt *ſepulchrum.* Reſpondet Danæus, *ſe non curare, quid de hoc articulo ſenſerit Bucerus.* Nos multò minus id curamus. Iunius reſpondet. *Aliter de dogmate ipſo fidei Bezam ſentire, loqui, ſcribere. Infernum alicubi pro ſepulchro accipere, vt & Caluinum; ſed alibi, minimè.* Quàm ſit hæc excuſatio calua, capite ſequenti videbimus. Nam quod ad Caluinum attinet; ſi, vt in Inſtitutione tradidit, nomen In-

ferni accipitur pro tormentis gehennæ, cur tam audacter in versione & commentario Psal. 15. seu, vt ipse numerat, decimisexti, *infernum* mutat in *sepulchrum*: *Non deseres animam meam in sepulchro, nec pones sanctum tuum, vt videat foueam.* Ait Bellarminus, animas iustorum ante Christi mortem fuisse in cœlo, ex sententia Caluini & Bezæ, & tamen Deum nõ vidisse. Negat Iunius. *hæc ita ab illis fuisse dicta.* Fateor, Bellarminum Caluino & Bezæ minus tribuere, quàm ipsi dixerint. Nam non solum negant ab animabus piorum ante ascensionem Christi; sed & post Christi ascensionem videri in cœlis Deum; quia Caluinus in psychopannychia disertè dixit, & multis ostendere conatus est; *pacem animarum in cœlis esse imperfectam: nec plenam & perfectam quietem.* At impossibile est, vt pax & quies animæ, quæ Deum in cœlis videt, sit imperfecta, & non plena. Beza item in libro de Maiestate Christi contra Brentium scribit, animas nondum plena gloria perfrui; sed eam *tantummodo degustare.* At omnis anima, quæ Deum *beatificè* videt, *plena gloria* fruitur: Nondum ergo animæ in cœlo vident Deum in schola quidem Caluini & Bezæ, non Christi & Ecclesiæ.

CAPVT X.

Inferos esse loca subterranea distincta à sepulchris.

DANÆVS solitam mentiendi artem hîc facitat: Ait; *non esse quæstionem, vtrum infernus sit locus inferior; sed vtrum sit is locus, in quo ante Christi resurrectionem fuerint piorum & iustorum defunctorum animæ. Hoc probet ex verbo Dei Bellarminus, & coronabitur,* inquit Agonotheta Danæus. Minimè hoc hic Bellarmino probandum incumbit, sed id solummodo, quod ad calcem præcedentis, & in titulo huius capitis tractandum proposuit; nempe, inferos esse loca subterranea; nam quod Danæus postulat, transactum dat Bellarminus capite sequenti.

Ait Bellarminus, nomen *inferni* significare aliquid inferius nobis, nam *infernus appellatur eo, quod infra sit,* teste Isidoro lib. 14. Originum cap. 9. Obiicit Iunius: Etiam *sepulchrum respectu nostri infernum esse.* Non semper; quid si sepulchrum sit in celsissimis pyramidib⁹ & colossis? Deinde, num ipsa notatio huius nominis *sepulchrum*, aliquid inferius nobis designat? Dicit Iunius; inferos etiam ab *inferendo* deduci posse. Vt ita sit: communior tamẽ & certior origo iure præfertur minus communi & minus certæ. Cum ergo plerisque mortalium hic sensus à natura, quasi insitus fuerit, *inferos* esse sub terra, probabilissimum est, Latinos non ab *inferendo*; sed à vocabulo *infra*; *infernum* & *inferos* formasse. Nam & in sepulchrum inferuntur cadauera; & tamen latinè vox *inferni* vel *inferorum* non vsurpatur pro sepulchro. Dico latinè. Nam de Græca & Hebræa voce postea videbimus.

Cauillatur Iunius, quod Bellarminus dicit; *infra nos nihil esse, nisi centrum terræ. nam & vniuersa terra subest viuentibus nobis*, inquit Iunius. Hoc scilicet nesciebat Bellarminus; & vt id disceret, doctore Iunio egebat. Vane cauillator. Num Bellarminus terram excluſit, cum cẽtrum terræ nominauit? Agnoscit tandem Iunius, inferos esse locum subterraneum. Quid ergo tricaris, tergiuersaris, & ad inconfessa & inconcessa gradum promouere differs?

Græcam vocem ἅδης asserit Beza in cap. 2. Act. *ordinariè accipi pro sepulchro. Aliquando tamẽ apud poëtas pro loco damnatorum.* Iunius. *Imo vtrumque hunc vsum agnoscit Beza ex Scripturis sacris. De poëtis verò nullum verbum.* Accipe Iuni, Bezæ verba, simulque mendacium tuum agnosce; *Græci Interpretes ᾅδου conuerterunt, quasi locum tenebricosum dicas, cum hoc vocabulo Græci poëtæ soleant significare, quos latini inferos vocant.* Vbi vides mentionem poëtarum, quam à Beza factam, inuerecundè negat Iunius; neque Beza vllum locum adducit, quo probet ᾅδου in scripturis accipi pro inferno. Totus est in suo *sepulchro*: idque, vt ait propterea, quia hæc *amphibolia* (non vocabuli, sed Bezanici cerebri) *obiecit errorem nonnullis, qui de animæ Christi ad inferos descensu multa non minus certò affirmarunt, quàm si id eis Scripturæ testimonijs hoc dogma confirmaretur. Ita ædificatus est limbus*, inquit Beza, *cui postea purgatorium impositum est.* Vt igitur his incommodis Beza occurreret, prudenter voluit ᾅδου, hoc est, *infernum*, transformare in *sepulchrum*: ità vt sensus illius articuli: *descendit ad inferos*: sit iste; *descendit in sepulchrum.*

Nec silere possum, quod ibidem Beza adiungit. *Tandem inuentus est nostra ætate, qui Christi animam diceret verè ad loca damnandis nocentibus destinata peruenisse, & ibi peccatorum nostrorum pœnas tulisse.* Quid mirum exstitisse talem, cum Caluinus, & ipse Beza Christum in horto & cruce damnatorum pœnas sustinuisse blasphement? Quid mirum, si iste, de quo Beza, iisdem fundamentis suam impietatem stabiliuit, quibus Caluinus suam. *Nam, inquit ille, alioqui non erit plena ipsius pro nobis satisfactio.* An non hoc ipsum Caluinus centies intonat? *Atqui, si ita est*, inquit Beza, *miror cur non etiam ipsum Christi corpus iisdem pœnis subiecerit, siquidem nostrum corpus non est minus obnoxium pœnis æternis quàm noster animus.* Hæc canat Beza suo Caluino, & sibimetipsi, in cap. 5. epist. ad Hebr. quando magnis clamoribus euincere nituntur, Christum simpliciter omnes pœnas nobis debitas perpeti debuisse, omnes, inquam, excepto vnico peccato.

Dicit Bellarminus, nec Bezam, nec Henricum Stephanum in Thesauro potuisse proferre locum, vbi vox ᾅδης *sepulchrum* significaret. Iunius inclamat, *commenta.* At hæc non esse commenta patet primo ex Beza in cap. 2. Act. Ne vnum qui-

dem

dem locum producit; vtique producturus, si potuisset. Inspiciatur Beza, neq; enim alia re, quam inspectione opus est. Idem æquè liquet ex Stephano: nam nec in vocabulo ἅιδης, nec in ᾅδης vllam mentionem *sepulchri* facit; sed semper *Inferos* nominat; hoc est, loca animabus deputata: Et apertè mentitur Iunius; cum ait, Stephanum dicere, dictionem ᾅδης *vniuersè quamlibet sedem nobis tenebricosam & inuisibilem significare.* Nihil de hoc Stephanus; nam licet dicat ἅιδης, per contractionem ᾅδης, esse ex ἀ particula priuatiua, & verbo εἶδω, *video*; tamen ipsum nomen ad Orcum, Tartarum, & inferos tantummodo traductum esse minimè diffitetur; neque enim tam videndum à quo nomen formetur, quam ad quid significandum sit formatum, nam & *tectum* est à *Tego*; nec tamen pileum rectè vocaueris *tectum*, quod caput tegat.

Ait Iunius: *Stephanum non putasse hominem quenquam fore, qui hoc significatum ᾅδου negaturus esset.* Nosse debet Iunius, in Lexicis non tantum enumerari abstrusa & ignota dictionum significata, sed & clara, perspicua, indubia, cur igitur nihil de hoc vocis ᾅδου notione Stephanus, si *sepulchrum* significat? si tam vulgata & obuia est huius vocis *pro sepulchro* acceptio, procliue profectò Bezæ & Stephano fuit vel vnum exemplum producere. Et tamen non potuerunt. Nec potuit vtriusque promachus Iunius.

Vocem Hebræam *Scheol* semper ex Bellarmini sententia, *pro loco damnatis vel Angelis vel hominibus destinato accipi*; mendacium Danæanum est: Non enim abnuit Bellarminus, nomen hoc aliquando accipi pro sepulchro; sed negat id esse perpetuum, vt contendit Beza: Vbi Iunius. *Nusquam hoc contendit Beza.* Accipe verba Bezæ in cap. 2. Actor. & erubesce. *In quo errore* (de liberatione SS. Patrum ex inferis) *mirum est plerosque veterum fuisse versatos, cum apud Hebræos appellatione* Scheol, *pro quo Graci Interpretes ᾅδου dicunt, nil aliud quàm sepulchrum declaretur.* En Iudice Beza, nil aliud voce *Scheol* significatur, quàm sepulchrum. Vbiq; igitur ex Bezæ mente *sepulchrum* intelligendum est, quoties vox *Scheol* in scripturis occurrit.

Dixerat Bellarminus vocem *Scheol*, vel rarò, vel nunquam pro sepulchro accipi. Iunius vt hoc infirmet, varia exempla profert. 3. Regum 2. iubet *Dauid ablegari Ioabum & Semei in sepulchrum. Nam de inferis, quis accipiat?* Noster Interpres, & quotquot rectè sentiunt, de inferis accipiunt. Vertit ille: *Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos: Deducesq; canos eius cum sanguine ad inferos.* Rem confectam haberet Iunius, si suam & Tremmelij versionem his locis amplecteremur.

Obiicit Iunius: *Deducere aliquem ad inferos nec virum bonũ decet, nec politicæ & iudiciariæ magistratuum cognitionis est.* Deducere ad infernum damnatorum per se virum bonum non decet: Deducere tamen ad inferos indeterminatè, & aliquid agere, ex quo per sequelam aliquis ad locum quempiam inferorum deferatur; non dedecet virum bonum, & magistratum; cuius est mala & malos punire. Cum autem in veteri Testamento cœli fores necdum essent patefactæ; necessariò cuiuslibet anima ad *inferos* descendebat; & si morte violenta ex corpore expulsa fuisset, ad inferos deduci ferebatur; licet esset anima hominis iusti; vel eius, qui, extremo vitæ tempore, pro sceleribus admissis, seriam pœnitentiam egisset. Hinc *à consequente* deducere ad infernum, significabat, aliquem occidere; vel ita tractare, vt animam efflaret, atque adeo ad inferos descenderet.

Iob 14. legimus. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me?* Hic Iunius iterum sepulchrum somniat: *quia*, inquit, *postulatum hoc fuisset furentis, & non εὐλαβοῦς, pij.* Scilicet in loco infero seu subterraneo tegi velle, donec ira Dei sæuiens desæuiat, furiosi votum est. Neque enim necesse est, vt dicamus *infernum* hic accipi pro ipsa perpetim damnatorum sede. Quanquam si & in hoc loco Iob à Deo tegi & protegi voluisset, sine perpessione cruciatuum Gehennæ, num ideo insaniuisset? Iob 17. *Si sustinuero, infernus domus mea est.* Hic rursus sepulchrum exstruit Caluinista. *De inferis, vt interpretemur, absit.* Imò aptè aliter non interpretaberis; tametsi nil necesse de loco perpetim damnatorum seu Gehennæ interpretari, in qua sine dubio Iob nec delegit nec habuit sedem; sed latius patent *inferi*, vt sæpe iam dictum: Cum autem certum sit Iobum loqui etiam de sede animæ; an non insulsum censeri debet, dicere; *sepulchrum fuisse sedem & domum animæ Iobi?* Num anima eius assidebat corpori in sepulchro?

Necdum satis sepulchrorum. Etiam Psalm. 6. & Isaiæ 38. *sepulchra* vespillo iste Caluinianus condit. *In inferno quis confitebitur tibi?* hoc est, quis te laudabit? *Quia non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te.* Verùm his locis aptissimè nomine *inferni* locum Gehennæ accipiemus: vt & quæ mox sequuntur; suadent: *Non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam*; nempe illi, qui in lacu Gehennæ. Nam qui in limbo vel purgatorio tum erant, exspectabant vtiq; illum, qui de se; *ego sum via, veritas & vita.* Prouerb. 1. *Deglutiamus eum, sicut infernus viuentem, & integrum, quasi descendentem in lacum.* Vbi vox *Scheol* accipi nequit pro *sepulchro*, vt Iunius arbitratur; neq; enim *sepulchrum* viuos deuorat, sed mortuos. Eiusdem farinæ sunt cætera, quę postea Iunius contra infernum pro sepulchro disputat: nisi quod obseruatione valde dignum, sepulchrum, quod supra terram exstat, in Iunij schola, non esse *sepulchrum*, sed τύμβον ἢ κενοτάφιον. Quomodo κενοτάφιον, si cadauer mortui complectebatur? Quomodo pyramides non sepulchra, si in iis defunctorum cineres & ipsana condebantur.

Quod Bezam tanto opere ab antilogia & inconstantia vindicare nititur, non improbo, quia pietas in Magistrum, non dedecet discipulum. Illud doleo, Iunium tanto nisu nil nisi nugas

agere,

agere, Bezamque suum potius deformare, quam exornare.

Vtrum inferi sint loca *subterranea an subuentanea* putat Iunius non esse curiosius inquirendum. Subterraneos esse, iam ostendit Bellarminus: & tu non semel concessisti, saltem verbo: Deus nouit, num animo. Nam inferos Caluinistis esse *subuentaneos*, hoc est, commentitios, non leuibus documentis declarant. Caluinus in psychopannychia palam monet, quid *reprobis* in altera vita *accidat, non magnæ curæ nobis esse debere.*

Mox iterum Iunius: *Inferos esse credimus. Subterraneos esse contentiosè non repugnamus: sed vbi futuri sunt tandem cum terra esse desierit?* Quis terram secũdum substantiam suam post extremum iudicij diem penitus abolitum iri docet? Vt nunc infernus locus subterraneus est, sic & tunc erit. Num infernum & cœlum Brentianum, hoc est, Vbiquisticum, post generalem illam mundi instaurationem, introductum iri Iunius existimat? apud quem non est certum, Inferos esse locum *subterraneum:* Tantummodo enim nõ contentiosè aduersabitur ei, qui inferos locum subterraneum affirmarit. Aduersari igitur licebit, sed absque contentione. Cæterùm, si hoc licebit, quid tandem non licebit? An non est hoc cum Brentio & reliquo Vbiquistarum grege inferos cum cœlo, & hoc cum inferis confundere?

Ostendit Bellarminus, etiam Scripturæ testimoniis inferos esse locum *subterraneum.* Primum est Apocal. 5. vbi refertur, neminem inuentum, qui solueret librum: *nec in cœlo, nec in terra, nec sub terram.* Paulò pòst dicitur, omnes creaturas dixisse, *laudes Deo, in cœlo, in terra, & sub terram.* Adfertur & ille locus Philip. 2. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* Iunius: *Primus locus est negatiuus; negatio per se nihil ponit.* Qualis cauillatio, quàm fatua & futilis. Negatiuus est; quo ad dignitatem personæ, cum nemo repertus fuerit, qui dignus esset signacula libri illius soluere. Affirmatiuus est quoad locorum distinctionem: exhibet enim nobis tria habitaculorum genera, nimirum, cœlestia, terrestria, & sub terram, siue subterranea. Si quis diceret, neque Geneuæ, neque Leidæ in Holandia, neq; Lausannæ virum doctum inuentum esse, qui Caluini figmenta de Inferis solidè tueretur; an non confiteretur Geneuam, Leidam & Lausannam esse certa quædam loca, in quibus homines habitent? Num tali in locutione includitur negatio huiusce modi locorum?

Mentitur deinde, Bellarminum committere hic duplex vitium. *Vnum, quòd ex sermone æquiuoco simplicitur concludit.* Vbi verò hic sermo æquiuocus, ô æquinoce Minister, & vniuoce Caluinista? *Æquinoce dicuntur τὰ ὑποχθόνια* seu *τῆς γῆς καταχθόνια, subterranea; in Scripturis sacris, propriè aut figuratè ac populariter. Est enim sententia Philosophorum ex natura & rei veritate aquam terra superiorem esse. Vulgi verò sententia popularis καὶ ἐνδοξος hæc est, terram superiorem esse, vel aquas subesse terræ, quia è litore seu ripa in aquam descenditur, &c.* Fumos venditat Iunius. Nam siue aqua sit superior terra, siue infra terram; an ideo *τὸ ὑποχθόνιον, subterraneum,* non erit *ὑποχθόνιον*; An ideo id, quod est sub terra, non erit sub terra; si aqua ex natura sua sit supra terram, vel si iam sit infra vel potius intra terram?

Si autem velit Iunius in Apocalypsi per illud membrum: *neque sub terra,* populari sensu significari aquas & maria, quæ sub terra; indicare nobis debet Iunius, qui nam homines in aquis habitent, qui subterranei appellentur, inter quos nullus reperiri potuerit, qui signacula illius libri soluere dignus esset. An sunt illi qui in Insulis degunt? At quis etiam popularem sensum spectando dixit vnquam, istos esse subterraneos, vel sub terra viuere? Forsan subterranei Iuniani erunt, qui nauigant? At nec isti censentur sub terra versari, etiam secundum populare iudicium. Quis enim in alto nauigantes, pro subterraneis habet? *At ex littore descenditur in mare,* inquit Iunius. Non vbique. Et vt descenderetur, quid tum? An non & ex terra in terram descenditur? Ex monte in vallem?

Eiusdem farinæ Iunianæ est & illud, alterum scilicet vitium, à Bellarmino commissum. *Figuratè dicuntur omnes creaturæ laudare Deum, & genu flectere coram Christo, etsi nec omnibus vox est, qua laudent, nec genua, quæ flectant.* An hoc ignorauit Bellarminus? Nimirum nunquam legerat Hymnum trium puerorum: ex quo didicisset, omnes creaturas, atque adeo ipsos quodammodo inferos, Deum suo quodã modo celebrare ac decantare. Quid hoc ad institutũ? Num si animæ, quæ *ἐν τοῖς ὑποχθονίοις, in subterraneis* locis degunt, propriè non flectunt nomini Iesu genua; ideo non erunt infra terram? An idcirco loca *καταχθόνια* accipiuntur figuratè ac impropriè apud S. Paulum ad Philipp. 2. Neque de hoc agitur, vtrum propriè, an impropriè genua flectant; sed num versentur sub terra.

Ait Bellarminus, consentaneum esse rationi, vt locus Dæmonum & reproborum hominum longissimè distet ab eo loco, in quo Angelos ac beatos homines perpetuò futuros non dubitamus. Iunius. *Propositionem accipio, damnatos à beatis quàm longissimè abesse. Sed equidem haud scio an disputator fallatur, qui illud longissimè, corporali modo intelligit secundum distantiam materialis & elementaris loci, non secundum distantiam virtutis.* Impudens mendacium. Vbi dixit Bellarminus, *damnatos à beatis non abfore longissimè secundum distantiam virtutis.* Tantum à se distabunt, quantum distat damnatio à beatitudine, & hæc ab illa; quæ certè immenso inter se spatio seiunguntur; spatio, inquam, etiam *virtutis & effectus.* Num quando Iunius falli putat Bellarminum, *quòd damnatos longissimo interuallo, etiam corporali,* à beatis distare scribit; id fortasse is eam ob causam facit, quòd Brentianum pectus habeat, cœlumque & inferos materiali spatio permisceat; tametsi *virtuali*

immen-

immensum disparet; nam & Brentius, cui & cœlum & infernus indiscriminatim vbiq; erat, non negabat infinitam *virtutis* distantiam inter damnatos & beatos. Si autem credit, infernum locum damnatorum esse abyssum & voraginem subterraneam; & cœlum, beatorum domicilium; tenere supremum inter omnia corpora huius vniuersi locum, profectò non nisi stultè inficiatur, *damnatos à beatis longissimo spatio, etiam materiali, distare.* Quantum enim intercapedinis intercedit à supremo cœlo vsque ad superficiem terræ, ne dicam, vsque ad ea quæ sub terra sunt, & centro vicina; cuiusmodi creditur infernus. Consulat, oro, aliquem mathematicum; qui geometricis demonstrationibus adhibitis, hanc ignorantiam eximat.

Innuit Iunius hanc corporalem vicinitatem damnatorum & beatorum, non quidem iam esse, sed fore post extremum iudicij diem: tum scilicet transferretur *Infernus* in cœlum Lunæ, vel Mercurij, vel Saturni, vt damnati sint propinquiores beatis, alioqui à beatis conspici nequirent. Et tamen conspiciuntur, vt patet ex historia epulonis, qui Lazarum vidit in sinu Abrahæ; & Christus beatos statuet ad dextram: damnatos ad sinistram. Quibus Iuniana hæc propinquitas insinuatur. O acumen Caluinisticum. O lucem inenarrabilẽ. Quis vnquam ante Lemmannici Euangelij exortum audiuit talia?

CAPVT XI.

Animas piorum non fuisse in cœlo ante Christi ascensionem.

DANÆVS cœptum cursum hic quoque tenet. Calumniatur I. *Bellarminum nugas nugerrimas agere.* II. *Caput hoc, omnesque eius rationes nihil valere.* III. *Bellarminum ad quæstionem peregrinam & aliam confugere*, hoc est, *prater casam fugere.* IV. *Siue verum siue falsum sit, Samuelis animã apparuisse, ἴδιον ἔργον, & nihil ad rhombum Bellarmini esse.* His ita transactis, receptui canit, & parta iam laura illustris caput claudit. Prostratum ergo iacet hoc vndecimum caput, sine vlla spe resurgendi: in quo tamen Iunius quoque vires suas experiri voluit.

Animas piorum ante Ascensionem Christi non fuisse in cœlo, probat Bellarminus primò inde, quòd contraria sententia sit prorsus inaudita in Ecclesia Dei. *Negatur propositio*, inquit Iunius, *& probatio illius: quia negauit Christus, latroni dicens: Hodie mecum eris in paradiso.* Gloriam cœlestem eo die latroni promisit, non ipsum cœli locum. quem non nisi quadragesimo post resurrectionem die sanctus ille latro cum Christo adepturus erat. Porrò cœlestis gloriæ, etiam extra cœlum, sub terra, & in limbo cum reliquis Patribus ibi detentis particeps effici potuit. *Negat Sapiens Ecclesiastæ 12.* Negat, interprete Iunio. Non negat, si veritas audiatur. Quid ergo ille? *Ibit homo in domum æternitatis suæ, &c. Reuertatur puluis in terram, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Si ex his locis probare cupit Iunius animas ante Christi ascensionem fuisse in cœlo, inde itidem probare licebit, non modò animas iustorum, sed & impiorum fuisse in cœlo: quia generatim de quouis homine asseritur illud: *Ibit homo in domum æternitatis suæ, &c.* & de quauis anima pronunciat illud Ecclesiastes: *& spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Si ergo redire ad Deum, est, *ascendere in cœlum*; tunc etiam animæ imporum ascenderunt in cœlum, quia vt corpus eorum rediit in terram, ita & anima ad creatorem suum. Si hoc nimium est, etiam iudicio Iunij; aliter hæc loca interpretetur oportet, & per *domum æternitatis* sepulchrum intelligat; iuxta illud; *Domus illorum sepulchra eorum in æternum*: non quòd in æternum corpora in sepulchro sint permansura; sed longissimo tempore, & sine spe reditus ad huius vitæ statum. Redit insuper spiritus ad Deum, qui fecit illum, quãdo ex corpore excedit, ad quemcunque tamen locum deferatur.

Ecclesiam veterem *exemplis Enochi & Heliæ informatam, statuisse animas piorum ante Christi ascensionem in cœlo*; mendaciis Iunianis annumera: nam de Enoch tantùm dicitur Genes. 5. *Non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et *cœlum Heliæ* non magis huc facit; quàm volatilia & aues cœli, quæ passim in scripturis occurrunt. Crepat vbique Iunius *æquiuocationes & figuratas locutiones.* In voce *cœli* nullam reperire potuit æquiuocationem: ideo, opinor, quia proposito suo disconducere animaduertebat. Nec obstat, quòd Helias dicatur 1. Mach. 2. *receptus in cœlum*, quia *cœli* nomine vel paradisus terrestris, vel aëreus quispiam locus accipiendus est.

Patriarcham Iacob significasse descensum ad infernum verbis illis Genes. 37. *descendam ad filium meum in infernum*; inficiatur Iunius tali argumento. *Vbi nullum est opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, nec laudatio; ibi nec operarius est, nec ratiocinarius, nec sapientia, scientia ue praditus, nec laudator: piorum autem animæ sunt operariæ, ratiocinariæ, sapientia & scientia praditæ, laudatricesq;. Apocal. 6. Ergo piorum animæ non sunt, vbi nullum est opus, nec ratio, &c. Ita autem est infernus, ex Pontificiorum ipsorum interpretatione.* Respondeo, locum illum Eccles. 9. ex quo Iunius argumentum suum sumpsit, *quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*; intelligi posse de inferno damnatorum, nõ de limbo, domicilio subterraneo, sanctorum Patrum: idemq; de similibus Scripturæ locis, si quæ sunt similia, sentiendum erit. Vel dici potest, in inferno, etiam generatim sumpto, non esse *opus, rationem, sapientiam & scientiam* agendæ pœnitentiæ, & perficiendi aliquid, quod ad promerendam vitam æternam, antea non promeritam aliquid momenti conferat. Quo sensu hunc locum intellexisse videtur D. Hieronymus in cap. 9. Ec-

clesiastæ: *Fac quodcunque nunc potes, & labora; quia, cùm ad infernum descenderis; locus non erit pœnitentiæ. Huic quid simile à Saluatore præcipitur: Operamini dum dies est; veniet nox, quando nemo poterit operari. Quod autem ait: In inferno, quo tu vadis illuc. Nota, vt Samuelem quoq; verè in inferno credas fuisse: & ante aduentum Christi quamuis sanctos, omnes inferni lege detentos.* Obserua hoc diligenter, Iuni, vnà cum tuis Caluinistis. Siue hanc, siue priorem, siue vtramq; expositionem amplectaris, nihil descensui Patriarchæ Iacob officies.

Ait Bellarminus: diuitem, cum in inferno esset, vidisse à longe animam Lazari in sinu Abrahæ, & audisse, inter loca ipsorum magnum esse hiatum seu χάσμα; & hinc elucere, nil solidi interceßisse inter locũ damnatorũ, & sinum Abrahæ; sed vtraſq; animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes. Quid hic Iunius agit? Cauillatorem. *Chasma*, inquit, *hiatus est*, ex Bellarmini sententia, *à cuius extremo vno ad alterum, nihil solidi intercedit.* Mox subiũgit. Quid? *Hiatũ hominis lingua nonne inter duo extrema oris labra interuenit?* At inprimis Bellarminus nihil de *extremo* dicit: Sed id de suo Iunius adiicit, vt habeat cauillandi materiam: quia non est de ratione hiatus, vt extremo careat, siue spectetur secundum profunditatem, siue secundum latitudinem, sed vt, qua hiat, nihil solidi interponatur, quod hic euenisse Bellarminus affirmat: nam in eodem *chasmate* seu hiatu animam Lazari & Epulonis fuisse dicit, tametsi longissimo spatio à se mutuò distantes.

Obiicit Iunius: *Inter quos magnos hiatus siue vorago est, ij non sunt in eadem voragine: inter pios & impios magnus hiatus est, non ergo versantur in eadem voragine.* Respondeo, maiorem esse falsam: quia in eodem hiatu possunt duo vel plures versari, & tamen maximo hiatu, hoc est, hiatus interuallo, seiungi, vt per se liquet. Si enim vorago sit profundissima, cur vnus nequeat esse in parte superiore, alter in ima?

Samuelem fuisse qui 1. Reg. 28. apparuit, negat Iunius. Sed nil probat: Tantum vetustissimo more suo *negat*: cuius negatio, præter seipsam, prorsus nihil ponit. Animam Samuelis prius apparuisse, quàm incantamentis Pythonissa vteretur, vocat Iunius *putum commentum*; historiæ contrarium. Legatur historia, non defugio conditionem: moxq; eluescet, quis *puta* & *putida* commenta fundat, Bellarminus an Iunius.

Etiam clarissimo illi Zachariæ loco: cap. 9. *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua*: Caluinianas tenebras offundere nititur Iunius. Negat Zachariam aut Hieronymum de Christi ad inferos descensu locutum. *Zacharias enim alloquitur Ecclesiam*, inquit Iunius, *non autem Christum, & repetens Dei verbis recens beneficium, ostendit longè amplius ab Ecclesia exspectari in aduentu Regis debere.* Hæc expositio est à recẽtioribus *Rabinis & Rabinizantibus*; cui subscribat, qui malit cum Iunio & Tremelio *Rabinizare*, quàm Christianum agere. Nam communis sententia Patrum, veterumq; interpretum hæc verba ad Christum sanctos Patres ex limbo educentem refert. Vide Riberam in cap. 9. Zachariæ Numer. 49. & seqq.

Quàm verò Iunius candidè Hieronymi auctoritatem declinet, docent hæc sancti Patris verba: *Postquam sermo Prophetæ*, imò ipse Deus Pater omnipotens, *nunciauit Sion, & Hierusalem, quòd veniret ad eas Rex suus mitis, & ascendens super asinam subiugalem, & pullum asinæ; & potestas eius esset futura à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad terminos terræ: facit apostrophan ad ipsum Christum, de quo vaticinium est & loquitur: Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aquæ. Quod ita intelligitur: In sanguine passionis tuæ, eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti.* Et tamen negare non erubescit Iunius, Hieronymum hoc velle, quod se velle apertissimè ostendit. Quæ D. Hieronymi mens etiam ex sequentibus manifesta euadit: *Rursumque ad ipsos, qui vincti erant, & Christi misericordia liberandi, sermo dirigitur; conuertimini ad munitionem vincti spei. Et est sensus: Qui nunc vincti estis, & immiti atq; terribili inferno tenemini: qui solutionem vinculorum in Christi sperati aduentu: conuertimini ad munitionem, siue, sedebitis in munitione, de qua scriptum est. Munimentum sancti, timor Domini, vt positis dicere; Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitũ, &c.* Nec obstat, quod S. Hieronymus, eos etiam nominat, qui post resurrectionem Christi de monumentis egressi surrexerunt; nam & isti beneficio Redemptoris nostri de lacu, in quo non erat aqua, liberati fuerunt.

At cum Iunius aduerteret, éxceptionem suam contra D. Hieronymum, ineptiorẽ esse, quàm vt ab vllo erudito probari posset, ad criminationes conuertitur: aitque Hieronymum, *commentarium* illum raptim effudisse, ipsomet teste ad Exuperium, vbi ista. *Hunc librum tanta celeritate dictamus, vt penè non sit emendandi spatium. Itaque festinationem Hieronymi dolemus. Homonymias verò & lapsus excusamus & interpretamur humaniter.* Gratiæ magnæ, maximæ pro humanitate, excusatione, dolore; quibus tamen nil opus, quia nullus hic est lapsus, nullus error: non solus Hieronymus, sed & alij Patres ac Interpretes hanc explanationem attulerunt. Hieronymum etiam citato cursu properantem meliora & elaboratiora in literas misisse, quàm Iunium, gradu quamuis testudineo incedentem, facilè mihi persuaserim: vt & quiuis alius, cui cognitus Hieronymus, & perspectus Iunius.

De Ruperto sic scribit Iunius. *Errorem iam olim receptum secutus est*, cui συμπάσχειν licet, συναπάγειν non licet. Quàm misericors Iunius. Bonum factum fecerit, si aliò & ad alios, præsertim ad se, & domesticos fidei Caluinianæ, misericordiam suam conuerterit. Cetera, quæ blaterat Iunius ex Iudæorum lacunis vel potius paludibus, hausta

sunt,

sunt, quibus limpidos Israëlis fontes meritò anteponimus. Quid firmum & inconcussum perstabit, si cuiuis verba Scripturæ suas ad imaginationes contra communem & veterum sensum detorquendi potestas fiat?

CAPVT XII.

Christum ad inferos descendisse verè; ostenditur ex Scripturis.

NEGATOR Iunius auspicatur caput hoc à *negando*. Profert I. Bellarminus locum illum Psal. 107. *Contriuit portas aereas, & vectes ferreos confregit.* Iunius. *Negatur. Non est argumentum necessarium.* Danæus. *Hic locus nullius est momenti, ipso Bellarmino teste*, qui addit. *Hic locus non conuincit.* Num ideo nullius momenti? An nihil ponderis inest argumentis verisimilibus, præsertim quorundam sanctorum Patrum auctoritate munitis? An quidquid adfertur oportet esse apodicticum?

Secundus locus est ille Eccles. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &c.* Vociferatur Danæus: *Ecclesiasticum esse apocryphũ.* Sed de hoc iam in Controuersia de Verbo Dei. Iunius oggerit. *Locum hunc non comparere in textu Græco.* An nõ hoc ipsum monuit Bellarminus? Et vt in Græcis exstaret, parum tamen ponderis apud te haberet, cum toti Ecclesiastico vel nihil vel perparum tribuas. Exstitisse olim in Græco fidem facit auctoritas & integritas Interpretis nostri, quem hanc sententiam de suo adiecisse, omni verisimilitudine caret.

Tertius locus est ille Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ.* Danæus clamitat hunc locum malè explicari à Bellarmino. Qua de causa? Quia per *cor terræ* intelligit locum *sub terra*. Hoc malè habet Danæum, quia ipsi *cor terræ* nil aliud est, quàm *sepulchrum:* mentiturque idem doceri à Paulo Ephes. 4. & à Patribus, quos Bellarminus citat. An hanc de sepulchro sententiam non refellit hoc ipso loco Bellarminus? cur ad refutationem eius obmutuit Danæus? Imò cur hic à suo Caluino discessit, qui in sua *Psychopannychia* vult *ventrem certi* esse figuram mortis, quæ Christum triduo tenuit. Ad quæ Iunius stomachabundus: *Hoc verbis illudere est, non ad rem respondere. Caluinus figuratè locutus est. Absit τὸ ονειδίζειν.* Bona verba, Iuni. Non nescit Bellarminus Caluinũ *figuratè* locutum: quin ideo Caluinum reprehendit, quia in huius loci tractatione nimis *figuratè* ac *tropicè* versatus est; relicto vero & genuino sensu.

Ait Bellarminus, cor esse in profundissimo loco animalis. *Falsum*, clamat Iunius; additq; ioculariter. *Quam rem si Iesuita nescivit, Carthusiani docere potuerunt, & docet Aristoteles lib. 2. de hist. Animalium cap. 17.* Festiuè prorsus ac lepidè. Videtur Iunius opinari, *cor animalis*, tum futurum in profundissimo loco, si esset in cauda aut pedibus; & quia neque in illa, neq; in his sedem habet, ea de causa falsum esse, quod Bellarminus asserit; quasi id quod in medio alicuius est, non possit dici, esse *in profundissimo eius loco.* At cor omnium animalium excepto homine, est in medio pectore, teste Aristotele, loco cit. rectè igitur dicitur esse in profundissimo loco: est enim in profundiore, quam vtraque eius extrema, inter quæ medium intercedit.

Ait Bellarminus, sepulchrum Christi fuisse excisum in lapide supra terram exstante. *Falsum*, clamat Iunius. Quam ob rem? *quia fuit cauatum intra rupem*; (At illa rupes eminebat supra terram;) *ideoque prægrandi lapide aduolutus est in os illius: Matth. 27. & fœminæ deuolui petunt.* (Nihil contra Bellarminum, quia totum hoc euenire potuit, monumento in rupe supra, non intra vel infra terram exstante: nam & domus pleræque sunt supra terram; & tamen si aliæ fores deessent, lapidibus occludi possent.) *Discipulorumq; alter visurus se incuruauit.* (Neque hoc obstat Bellarmino; quia sæpe fit, vt si in domum quampiam, quę minimè infra, sed supra terram exstat, introspicere velis, corpus inclinare debeas.)

Ait Bellarminus: sicut Ionas fuit viuus in ventre ceti, ita aliquid viuum debuit esse in corde terræ.

Occinit Iunius: *Vox* VIVVS *non est in textu.* Quis nescit: Num ideo inficias ibit Iunius Ionam fuisse viuum in ventre ceti? Num similitudo non magis constat, si vt Ionas viuus triduum fuit in ventre ceti; sic & anima Christi, vtique viuens, fuerit in corde terræ, hoc est, apud inferos?

Quartus locus est Actor. 2. *Non relinques animam meam in inferno.* Beza vertit: *Non relinques cadauer meum in sepulchro:* tametsi editio anni M. D. XCVIII. aliter tinnit: *Non derelictam esse apud inferos animam eius.* In Notis tamen redit Beza ad ingenium, inferos per *sepulchrum*, & corpus per animam intelligens. Danæus ait, locum hunc, ipso Spiritu sancto interprete, *intelligi de corporis & carnis*, id est, *cadaueris Christi ex mortuis & sepulchro excitatione.* Nihil in prædicto versu directè de corpore aut carne, multoque minus de cadauere; sed de non relinquenda anima in inferno. Nam quod Beza ex anima nobis *cadauer* procudit, nescio num id tanquam homo; an tanquam *cadauer* fecerit; vt & tunc, cum ᾅδλω, *infernum*, mutauit in *sepulchrum.* Obstrepit Iunius: Bezam voces ψυχὴ & ᾅδης sumpsisse *figuratè.* imò *figuratissimè*, hoc est, ineptissimè, quis enim mortalium vnquam audiuit ψυχὴν *animam*, esse *cadauer*; vt & ᾅδλω, *sepulchrum.* Nam vt capite decimo visum, nullum penitus, etiam profani Auctoris locum isti producere potuerunt, quo palam facerent, ᾅδλω pro *sepulchro* accipi.

Ait Iunius: se nolle contendere de hac interpretatione Bezæ Actor. 2. Cessa igitur litigare; & *cadaueroso* Bezæ multam salutem dicito; qui hostibus immortalitatis animæ paratam ostendit viam eludendi loca, quibus animæ æternitas adstruitur, nam ψυχὴν seu *animam* pro cadauere accipi dicent. Si ineptè & impiè, quid tum? Facient quod Beza prior fecit. Facient, quod Caluinus fecit in *versione* Psalmi 16. *Non deseres animam meam in sepulchro.* Vbi *infernum* mutat in sepulchrum; & *animam* verbo retinet; re abiicit. Nam per animam nil nisi *corpus* intelligit. Corpus enim infertur sepulchro; non anima: Corpus relinquitur vel non relinquitur in sepulchro, non anima; etiamsi cum Caluino, nomine *animæ* non accipiamus ipsam animæ substantiam, sed vitam; effectum animæ: nam hæc nullo modo infertur in sepulchrum, sed, separata à corpore anima secundum substantiam; vita, effectus informantis animæ, penitus desinit.

Mirum autem, Iunium pro hac Bezæ versione litigare, cum tam ipse, quàm Caluinus ex hoc Act. 2. loco impietatem suam de descensu Christi ad inferos, hoc est, de perpessione pœnarum infernalium maximè stabilire soleant; quod argumentum penitus à Bezana translatione eliditur & in nihilum redigitur: Si dicas. *Non relinques cadauer meum in sepulchro.* Quid hac versione constituta Caluinus, vel Iunius pro se ex hoc testimonio elicient aut efficient? Quin & Beza symbolum Apostolicum *Battologismi* arguit, & telum, quod inde Caluinus promit, imbelle reddit. Nam si per *infernum* Actor. 2. intelligitur *sepulchrum*, & per *animam*, corpus; licebit igitur articulum illum *descendit ad inferos*: sic interpretari; *anima*, hoc est, cadauer Christi, *descendit in sepulchrum*; & ita erit inanis repetitio eius quod iam præcesserat; *& sepultus.*

Sunt, qui opinentur, inquit Caluinus lib. 2. Instit. cap. 16. §. 8. *non aliquid nouum hic dici* (quando dicitur, descendit ad inferos) *sed aliùs verbis repeti, quod prius de sepultura dictum fuerat; quandoquidem inferni vocabulum sæpius in scripturis pro sepulchro ponatur. Quod de verbi significatione obtendunt, verum esse concedo, non tamen pro sepulchro accipi infernum: sed eorum opinioni rationes duæ repugnant; quibus ego facilè adducor, vt ab illis dissentiam. Quanta enim obscuritate fuisset, rem minimè difficilem, verbis expeditis, & clarè demonstrare, obscuriore deinde verborum complexu indicare magis, quam declarare? Nam quoties locutiones duæ rem eandem exprimentes simul connectuntur, posteriorem esse prioris exegesin conuenit. At verò, qualis erit ista exegesis, si quis ita loquatur: quod Christus sepultus esse dicitur, significat ad inferos descendisse? Deinde, non est verisimile, irrepere potuisse superfluam eiusmodi battologiam in compendium hoc, vbi summatim, quam fieri potest paucissimis verbis, præcipua fidei capita notantur.*

Ait Bellarminus: Animam nusquam accipi pro cadauere, cum in cadauere sit priuatio vitæ. Obiicit Iunius locum S. Augustini epist. 157. ad Optatum, vbi probat *animam* posse etiam accipi pro corpore; vt Gen. 46. *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, &c.* Non enim animam generatam esse ex Iacob, sed corpus. Eademq; notione metonymica accipi vocem *animæ*. Leuit. 21. vbi lex inquinari eum dicit, *qui intrauerit super animam mortuam, hoc est, super defuncti cadauer, vt nomine animæ mortuæ mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat.* Verùm Iunius, si quid ad rem probare volebat, hoc ei probandum erat, vocem Latinam *anima:* vel, Græcam ψυχὴ, absolutè positam pro cadauere seu corpore mortuo accipi, hoc enim negat Bellarminus. Nam quod pro *corpore viuente* accipiatur, vel etiam pro toto viuente; nemo nescit, sed absolutè positum istud vocabulum sumi pro *cadauere*; hoc nimirum luculenta probatione eget. Hinc & S. Augustinus non posuit *animam* absolutè, pro cadauere seu morticinio; sed, *animam mortuam*: Et Interpres noster Leuitici 21. v. 11. & 21. non vertit; *animam*; sed, *mortem* & *mortuum*; non ignarus Hebraicam vocem Nephes longè latius patere, quam Latinam *anima*, vel Græcam ψυχή.

Quintus locus est Rom. 10. *Ne dicas in corde tuo: Quis descendet in abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare*; ergo Christus post mortem fuit in abysso. Danæus. *Bellarminus locum intelligit de descensu Christi ad inferos. Frustra.* Quare? *Bellarminus solem in tenebras mutare queat, quo tã aliena suggerat pro veris?* Quid amplius? *Tertia, quarta, quinta, huius ratio, mera est fallacia ab æquiuocatione.* Quis hoc affirmat? Danæus affirmator perpetuus & temerarius; probator, nullus. Etiam Iunius hic *figuras* intonat. Nam abyssum accipi ait pro *mari, id patere ex cap. 30. Deuteronomij.* Vbi nullum penitus verbum de abysso. Sed; *quis è nobis poterit trãsfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre?* Quæ verba non citauit Apostolus; explicitè saltem & formaliter, sed priora tantum. *Quis nostrum valet ad cœlum ascenderet* neque ea ad mandatum Dei, de quo in Deuteronomio ad literam intelliguntur, sed de ipso Christo interpretatus est; & de suo, vel potius Spiritus sancti instinctu, subiunxit illa; *Quis descendet in abyssum, &c.* Nugatur insuper Iunius nescio quid de *dicto secundum quid*, ad *dictum simpliciter*. Ita solet, vt chartas perdat. Nam *descendere in abyssum* quid sit, ipsemet explanat his verbis: id est, Christum à mortuis reuocare. Si quis igitur hoc facere tentasset, in abyssum descendere debuisset. Qua de caussa? Nisi quia anima Christi mortui erat in abysso, hoc est, in profundissima voragine, ex qua educenda & reuocanda erat, si cum corpore denuo copulari debebat. Iunius semper hæret in *abysso*, hoc est, in profundo maris; quasi Christi anima post excessum ex corpore in pelagi profunditatibus circumnatauerit.

Sextus locus est Ephes. 4. *Qui ascendit, ipse est & qui descẽdit in inferiores partes terræ.* Ait Beza in hunc locum, *inferiores partes terræ esse sepulchrum.* Clamat Iunius: *Non exstat hic apud Bezam locus.* Vt in tua

editione

editione non exstet, num ideo in nulla exstat? Quoties Beza auxit, minuit, finxit & refinxit suas annotationes in nouum Testamentum? ita vt credibile non sit, Bellarminum hoc apud Bezam non reperisse; præsertim cum odio inferorum seu descensus Christi ad inferos, non erubuerit, commenta, quamuis ineptissima, comminisci: Hinc in Notis ad c. 4. Ephes. impotenter incurrit in Origenem & alios, qui hunc locum de inferis interpretantur; & ipse eò inclinat, vt potius vterum virginis per inferiores, seu, vt ipse vertit, *infimas* terræ partes intelligere velit, quàm aliquid aliud. Aliam Bezæ & Marlorati explicationem probatam hic à Iunio, tanti facimus, quanti eius auctores: nam à Bellarmino hic refutatur auctoritate SS. Patrum & rationibus. Nec quidquam contrà mutit Iunius, nisi forsan hæc illius mussatio magni à nobis pendi debet. *Non auctoritate hominum pugnatur, sed rei & sententiæ veritate, quam modò expressimus.* Expressisti; at non ex veritatis penu; sed ex scoriis & falsidicis Scholiis Bezæ & Marlorati. Nam quod ad Patres attinet; nihil aliud postulo à Iunio, quàm illud, quod olim Beza à Brentio impetratum cupiebat lib. de Maiestate Christi, *Patiatur nos in re minimè omnium dubia, plusculum omnibus, qui vnquam vsquam vixerunt, orthodoxis Patribus, quàm ipsi tribuere.*

Obiicit Iunius: *Chrysostomum & alios interpretari hunc descensum Christi in inferiores partes terræ de humilitate & morte Christi.* At hæc explicatio spiritalis est; quæ priorem illam literalem non euertit; vt notum omnibus. Lyranus nil aliud dicit, quam Christum per incarnationem *descendisse in inferiores partes huius terræ, quæ sunt inferiores respectu aliarum partium mundi.*

Mox Iunius denuò *figuras & figuratas locutiones* crepat. Vbique somniat *Tropista* tropos. Quæ Danæus circa hoc sextum testimonium blaterat, mera sunt mendacia, conuicia; & insanæ paratragœdiationes.

CAPVT XIII.

Explicatur locus obscurissimus ex epist. 1. S. Petri cap. 3. & 4.

IOcvs est iste. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c. in quo his, qui in carcere erant spiritibus prædicauit, &c.* & capite 4. *Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium, &c.* S. Augustinus epist. 99. non explicat hos locos de Christi ad inferos descensu, sed per *spiritus in carcere* intelligit homines, qui erant tempore Noë; his Christum non secundum humanitatem, quam nondum assumpserat, sed secundum diuinitatem prædicasse per internam inspirationem, aut per linguam Noë, &c. Refellit hãc expositionem Bellarminus debita cum modestia & reuerentia erga tantum Patrem, ipso S. Augustino non renitente; quia in hac sua sententia non conquieuerat penitus.

Vbi Iunius: *Augustini modestia Bellarminus insigniter abutitur.* At tu non abuteris, sed eximiè veteris calumniandi tua arte. Monstra vel vnum verbulum in Bellarmini dissertatione, quod in S. Augustinum aliquo modo ab æquo iudice censeri queat iniuriosum. Quid tu de modestia erga S. Augustinum, aliosq; Patres concionaris? Nota est frons hæretica in sanctos Patres; & qui eam nescit, consulat Titulum *de Patribus & Scholastici Doctoribus* in symposiacis Colloquiis Lutheri, & quæ ex variis Sectariis collegi initio tertiæ & quartæ Apologiæ contra Misenum Caluinistam.

Ait Bellarminus, expositionem D. Augustini repugnare communi aliorum Patrum sententiæ: multosq; Patres citat. Iunius solito recta deprauandi studio, oggannit, *alios Patrum locutos de Filio Dei secundum naturam diuinam, alios secundum animam humanam; qua propriè, qua figuratè accepisse: alios denig, de carne Christi.* Hæc pro sua asseuerandi auctoritate Iunius, quæ tantum abest, vt prolatis Patrum testimoniis probet, vt ne probare quidem tentet. Scilicet *caro* seu *corpus* Christi descendit ad inferos, relicto sepulchro. Scilicet, natura diuina descendit ad inferos, id est, eò, vbi antea erat, quandoquidem omnia complet. Scilicet, *figuratè* loquuntur sancti Patres, cum disertè scribunt, Christum post mortẽ, seu Christi animam descendisse ad inferos, & prædicasse, spiritibus, qui in carcere erant.

Iustinus in Dialogo cum Tryphone, & Irenæus lib. 3. cap. 23. citant verba quædam Isaiæ, inquit Bellarminus, quę modò non inueniuntur, simillima verbis S. Petri, &c. Iunius. *Quid ille locus ad rẽ? Nam est allegoricus.* Miratus fuissem, si *tropista* noster locum adeo perspicuum non tentasset eludere per figuras. Quid *allegoriæ* in hisce verbis? *Commemoratus est Dominus sanctus Israël mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis, & descendit ad eos Euangelizare salutem, quæ est ab eo, vt saluaret eos.* Quæ necessitas vel ratio cogit, vt relicto literali, eoque planissimo sensu, ad allegorias Caluinianas confugiamus? Iunius ait, *hæc, si Isaiæ sunt, ex cap. 26. deducta esse.* Sit ita. Quanquam Iunij coniecturæ nequaquam in oraculis censeri debent. *Veruntamen Ieremiæ magis esse putem, vt scribitur apud Iustinum Martyrem in Dialogo, & apud Irenæum libro 4. capite 39. Eundem adducit lib. 5. cap. vlt. Sed dissimulato Prophetæ nomine.* Hoc ipsum notauit ante Iunium Feuardentius in caput 23. lib. 3. Irenæi: At cuiuscunque sit hæc sententia, parum interest, quia sacra est, siue ab Isaia, siue ab Hieremia processerit: Quam Græcè sic Iustinus recitat, ἐμνήσθη δὲ ὁ λόγος ὁ λέγων ὁ θεὸς ἀπὸ τῶν νεκρῶν αὐτῶ τῶν κεκοιμημένων ἐπ' αὐτῆς γῆς, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Hunc locum testatur Iustinus à Iudæis, odio Christi, ex editione septuaginta In-

terpretum expunctum esse: quos Iunius *quadantenus* imitatur, dum literalem sensum eradere, & in allegoricum transformare conatur.

His omissis, pergamus. Dicitur Christus *profectus spiritu ad prædicandum spiritibus*: id enim refert illud, *in quo*, nimirum *spiritu*, *veniens*, &c. at spiritus, qui hic distinguitur contra carnem, non videtur posse significare aliud, quàm animam, non ergo sola diuinitate, sed etiam *anima* Dominus ad prædicandum spiritibus profectus est. Iunius. *Negatur assumptio*, seu Minor. Quæris caussam? Ecce tibi, *quia falsum est spiritu in scripturis animam significari, vbi carni opponitur; nec vllo ex loco putem probari posse.* Quid ergo commendauit Christus in cruce Patri, illis verbis? *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: Si spiritus hic, prout à carne distinguitur, non significat animam? Quid tradidit, quid emisit Christus, quando in cruce spiritum tradidisse & emisisse scribitur, si his locis nomine spiritus non intelligitur anima, prout à carne seu corpore distinguitur?

Æquè friuolum & nugatorium est, quod subdit Iunius: *Vbi de Christo hæ voces enunciantur, solenne est carne humanitatem; spiritu diuinitatem eius significari.* Ex quo sequitur, Christum in Cruce Patri suo commendasse diuinitatem, quia *commendauit ei spiritum*. Item *diuinitatem* moriendo emisisse; quia emisit spiritum: Et tradidisse diuinitatem, quia tradidit spiritum. Pulchrè profectò. Quo non prouehitur Iunius odio veri ad inferos descensus Christi?

Ait Bellarminus; illius: *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu*, hunc esse sensum; *Christum carne mortificatum, spiritu viuificatum in passione; quia caro mortua manst, anima verò non potuit occidi, sed manst viua & operans, ac triumphans de inferno.* Iunius hic *æquiuocationes & collectionem à particulari ad vniuersale* somniat. Vbi talis collectionis exemplum? Vbi æquiuocatio? Num in voce *spiritus*? Tu quidem ais: Quid aiendo efficis, nisi quòd te *Aium Locutium* facis? In tota Petri periodo accipitur *spiritus* pro anima & animabus humanis. Quæ hic æquiuocatio? Probat tandem Iunius vocem spiritus hîc non accipi pro *anima*; quia Christus dicitur *viuificatus spiritu*. *Anima non potuit viuificari; nam ea demum viuificari dicũtur, quæ mori possunt; anima autem non potuit occidi.* Vnde probat Iunius illud solummodo dici *viuificari*, quod occidi potest? imò illud maximè viuificatur, quod non potest occidi. An non Bellarminus productis scripturæ exemplis demonstrat; viuificari esse non occidi? Cur tu nihil ad hæc exempla? Quanquam anima Christi etiam dici potest per excessum ex corpore viuificata, quia liberata est ab omni molestia & angore, quem in corpore existens partim in appetitu sensitiuo, partim quoque, vt nonnullis placet, tempore passionis, in ipsa voluntate, pertulerat.

Ait Bellarminus; illud: *Veniens prædicauit; non posse accipi de diuinitate, nisi impropriè.* Iunius: *Si impropriè dicit pro eo, quod est figuratè, agnoscimus.* Impropriè dicit pro eo, quod opponitur vocabulo *propriè*. Nam diuinitas propriè non mouetur, nec de loco ad locum propriè venit; ergo impropriè. Itaque si illud: *Veniens prædicauit*, accipitur de diuinitate; improprie erit locutio: non *vitiosa*, vt calumniatur Iunius; neque enim improprium idem est, quod, *vitiosum*. Iunius illud; *veniens prædicauit*; accipit de persona Christi. Etiam Bellarminus, sed de persona non præcisè, nam & hæc moueri nequit, sed de persona secundum animam; manst enim anima Christi, quantumuis à corpore separata, hypostaticè coniuncta Verbo.

Danæus hic non scribit, sed prorsus insanit. Mentitur I. *Bellarminum ex loco Petri colligere, Christum nihil in anima passum, sed in solo corpore*; contra illud, *Tristis est anima mea.* Nihil de hoc isto quidem loco, Bellarminus. Mentitur II. Verbum πορεύεσθαι ex sententia Bellarmini, *non posse accipi pro itione vel aduentu metaphoricè*; quo pacto Deus in scripturis dicitur aliquando *iuisse, venisse, descendisse*; itione, aduentu, & descensu metaphorico. Mittit Bellarminum ad Thesaurum Stephani & Scholia Bezæ. Nil opus hac missione; quia notio hæc Bellarmino non est ignota. Fatemur aliquando impropriè accipi Verbum πορεύεσθαι: hoc loco diui Petri, participium eius πορευθεὶς impropriè vsurpari; abnuimus; sed pro vero locali motu animæ Christi poni affirmamus. Nec obstat, quod *masculinè* dicatur πορευθεὶς, quod non videtur construi posse cum vocula ψυχὴ, *anima*; nam Christus πορευθεὶς, *profectus* seu *veniens prædicauit*, sed κατὰ ψυχὴν, secundum animam.

Dicit Bellarminus, si per spiritus, qui in carcere erant, intelligantur homines viuentes; consequens videri, S. Petrum de industria affectasse improprietatem & obscuritatem. *Negatur*, clamat Iunius. Non enim dicit Petrus, ἔπνεε δὲ ἐν φυλακῇ, *sed potius*, τοῖς ἐν φυλακῇ. Quid hoc ad rem? siue illud dixerit sanctus Petrus, siue hoc; oratio obscura & impropria redderetur; si per *spiritus in carcere* intelligerentur homines viuentes. Quis enim ita loquitur, vt homines viuos, appellet *spiritus in carcere*? Quanquam Iunius, tanquam lucifer, aliter tenebras ab hac oratione diui Petri fugat. Nam iuxta illum sensus est; in quo spiritu, his, qui in carcere sunt; hoc est, his, qui iam pœnis æternis propter suam incredulitatem adiudicati, addicti & adstricti sunt, *veniens prædicauit*, nempe Christus secundum diuinitatem, & *venienti prædicauit*, non quando iam in carcere erant, sed cum adhuc in hac vita degerent. Quis tam luscioſus sit, qui illata hac Caluiniana in hunc locum luce; omnia longè lateque splendescere non videat, omni sermonis obscuritate & improprietate sublata?

Qua fronte autem pugnare se fingit Iunius pro sententia D. Augustini; cum hæc, quam nobis propinat, non sit ex S. Augustini officina, sed ex Iunij & Bezæ cerebro; nam S. Augustinus per *Spiritu in carcere*, non intelligit, Spiritus seu animas inferni pœnis iam subiectas, vt Iunius; sed homines viuos, & in terra adhuc superstites. *Voces τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι* Bellarminus perperam interpretatur *spiritibus in carcere*, inquit Danæus. *Beza* facilè, rectè explicat, *spiritibus in carcere existentibus*; id est, qui nunc exsistunt in carcere inferni. Sed quàm facilis & recta sit hæc explicatio, paulò pòst docebit Bellarminus; & partim iam vidimus in Iunio.

Dicit S. Petrus cap. 4. *Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium*: vbi per *mortuos* verè mortuos intelligi ait Bellarminus; ex quo concludit: Igitur veris mortuis Christus prædicauit, id est, ad veros inferos descendit. *Non sequitur ex ambiguo*, inquit Iunius. Vbi hoc ambiguum? An non demonstrauit Bellarminus *mortuos* eo loco pro verè mortuis sumi? *Imò sequitur contrarium planè*, inquit Iunius, *si quis diligentius attenderit, ex horum locorum comparatione in hunc modum: vt viuos & mortuos Christus iudicaturus est, ita prædicauit Euangelium suum: Viuos autem & mortuos (qui nunc quidem sunt viui & mortui) Christus iudicabit viuentes (facta resurrectione) tempore iudicij sui: eodem igitur modo, viuis & mortuis dicitur prædicasse, & ita oportet intelligi, nempe dum viuerent.*

Si neges Maiorem; nil suppetet Iunio, quo eam fulciat. Nam mortui, dum mortui erunt, hoc est, dum eorum anima extra corpus versabitur, non iudicabuntur in extremo iudicio; sed iudicabuntur resumpto iam corpore, atque adeo viui. At S. Petrus ait, Euangelium prædicatum esse *mortuis* formaliter, hoc est, vt mortuis, quorum spiritus seu animæ extra corpora exsistant. Ait enim: *Reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos*; id est, verè mortuos; Nam vt tales quoque, hoc est, vt verè mortuos paratus est Deus iudicare, *ideo enim & mortuis*, hoc est, verè mortuis, quos Deus paratus est iudicare; *prædicatum est.*

Dicit Bellarminus: nullã apparere connexionem, si quis prædicationem hanc referat ad tempora Noë. Quomodo enim ista cohærent; Christus in passione sua carne mortuus est, spiritu viuus mansit, ideo Deus olim prædicauit hominibus per Noë. *Euidentissima est cohærentia*, occinit Iunius. Assentior, sed ita, si somnia Iunij nobis pro euidentia obtrudi patiamur. Audiamus tamen Iunianam cohærentiam: *Hortatus est Petrus, vt afflictiones perferamus, in eis sanctificemus Deum, fidem profiteamur, colamusq; bonam conscientiam, vt pudefiant, qui incessunt nostram bonam in Christo conuersationem. Hanc hortationem confirmat Petrus à virtute Christi, tum in persona ipsius, tum in Ecclesiæ membris constanter demonstrata. In persona ipsius*; nam & Christus, *inquit*, vt nos ad Deum adduceret, semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. *In Ecclesia verò, tum prisca, tum noua; quoniam communis vtrig, est bona illa in Christo conuersatio. Prisca autem*, in quo, *nimirum*, profectus prædicauit etiam spiritibus, qui sunt in carcere, immorigeris olim, cum semel exspectaret Dei lenitas diebus Noë, cum exstrueretur arca, in qua paucæ, id est, octo animæ seruatæ sunt in aqua. *Hac verò noua, & Christiana Ecclesia*, quo etiam nos antitypum baptisma nunc seruat, &c. *Quo autem, puta eodem spiritu, quo & Christus viuificatus est, & prisca Ecclesia instituta.* Hoc Iunij bitumine quid non coalescat, & cohærere cogatur? Nihil tam dissipatum & disparatum erit, quod non coëat, si huiusmodi cæmentum adhibeas. Quis non videt commenti vanitatẽ, quando dicit; *Priscæ Ecclesiæ sub Noë mentionem factam, postea etiam nouæ, quod vtrig, communis sit bona illa in Christo conuersatio*; cum temporibus Noë omnis caro corruperit viam suam, octoque duntaxat animæ generale exitium euaserint, ipseque Petrus mentionem fecerit, non eorum, qui bona conuersatione Deum tunc colebant, sed qui increduli fuerant; & ad omnia salutaria monita aures obturauerant, donec in ipso interitu sapere didicerunt, & ad Deum confugerunt. Quis tam stupidus est, vt hos, tanquam exemplar bonæ conuersationis, à S. Petro Christianis propositos fuisse asserat? Quis & illos commemoratos credat, tamquam paradigma efficacissimæ virtutis Christi & passionis eius, in quibus omnis efficacitas & virtus Passionis Christi penitus deperdita fuit; nam omnes istos incredulos æternis supplicijs esse addictos, tradit hic Iunius. & Caluinus in hunc ipsum B. Petri locum. An deerant S. Petro priscæ Ecclesiæ exempla virtutis Christi apta & ad rem idonea? Cur non protulit Abraham, Iacob, Isaac, Dauidem & similes, in quibus virtus Christi luce meridiana euidentius elucet? Quomodo Christianam patientiam, fidem, & sanctimoniam nos docere voluit exemplis eorum, qui in æternum perierunt, ex Caluinistarum quidem sententia?

Citat Bellarminus S. Hieronymum dicentem, Deũ puniuisse multos tempore Noë aquis diluuij, ne deberet eos punire in gehenna in æternum. Obstrepit Iunius. *Quid hoc ad causſam & sermonem institutum Petri?* Multum, ô Iuni, quia inde apparet, Christum apud inferos, non damnatis in æternum, sed aliis prædicasse; qui olim quidem fuerant increduli, sed postmodum incredulitatem salutari pœnitentia expiarant. Et quãuis eo loco patientiam, & molestiarum tolerantiam exemplo Christi pro nobis mortui S. Petrus docuerit; interserit tamen & illa; quæ anima Christi à corpore seiuncta egerit; quo peruenerit, & hoc vt charitatem Redemptoris nostri in nos luculentius ob oculos poneret.

Sed en solidissimum argumentum, quo demonstrat Iunius prædicationem, cuius meminit

S. Petrus, factam ad viuentes, non ad mortuos. *Media antecedunt finem tempore in iis rebus, quæ fiunt cum tempore; medium autem est prædicatio: finis, iudicatio in carne & vita in spiritu: antecessit igitur prædicatio hunc vtrumq; finem. Vtrumq; autem finem suis præstat in hac vita Deus, semperq; præstitit: ergò & prædicatio apud viuos antecesserit in hac eâdem vita, necesse est.*

Respondeo, media ad conuersionem antecedere finem, hoc est, ipsam conuersionem. Præcessit ergo & prædicatio aliqua apud istos, qui tempore Noë erant increduli; &, superueniente diluuio, pœnitentiam egerunt; siue illa prædicatio facta fuerit à Deo per Noë, siue per internas inspirationes, siue vtroque modo. At prædicatio Christi in inferno non fuit ad conuertendos incredulos, sed solum ad significationem gaudij magni faciendam piis animabus, quibus annunciauit completam esse redemptionem, vt intelligerent se iam inde liberandas, & tempore suo etiam corpora recepturas, vt bene Bellarminus explicauit. Itaque necesse non fuit, vt hæc prædicatio ipsam incredulorum conuersionem antegrederetur.

Ait Bellarminus, Augustinum postea cognouisse sinum Abrahæ fuisse in inferno, licet de eo dubitauerit in Epist. 99. id patere ex tract. in Psal. 85. & lib. 20. de ciuit. cap. 15. Obiicit Iunius Augustinum Psal. 85. vti voce *fortasse*, & lib. 20. de Ciuit. hac phrasi. *Si enim non absurdè credi videtur*, &c. Non ignorauit hoc Bellarminus; attamen ex vtroque loco manifestè apparet, S. Augustinum opinatum esse, sinum Abrahæ esse apud Inferos, tametsi quia certus sententiæ suæ non erat; nihil definite affirmare voluit. Si tamen Iunius desiderat locum Augustini in quo nullum dubitationis vestigium insit, sinum Abrahæ fuisse in inferno: accipiat istum ex serm. 137. de temp. in die sancto Paschæ. *Vultis tamen audire quid egerit? audite, quid fecerit. Nulla necessitate, sed propria voluntate in ligno se suspendi permisit, clauis corpus suum perforari non renuit, animam ponendo mortem sustinuit, carnem in sepulchro posuit, & comitante secum anima, ad inferna descendit. Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu*; (quid est tranquillitatis sinus, nisi Abrahæ sinus?) *tamen apud inferni claustra tenebantur.* (erat ergo sinus tranquillitatis seu Abrahæ in inferno) *ad Paradisi amœna ducti sunt. Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua Dominus impleuit. Si exaltatus fuero, inquit, à terra, omnia trahan ad me. Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit vtiq; electa. Neq; enim infideles quosque, & pro suis criminibus æternis supplicijs deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit: sed, illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide, & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Oseam dicitur: Ero mors tua, ô mors: ero morsus tuus inferne. Id namq;, quod occidimus, agimus, vt penitus non sit. Ex eo autem, quod mordemus, partem abstrahimus, partemq; relinquimus. Quia ergò, in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis exstitit. Quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit* A *funditus, sed momordit infernum.* Nec video, quid Iunius contra tam luculentum testimonium allaturus sit; quàm sermonem illum non esse Augustini. In quo adstipulatores non ex triuio, sed ex Lycéo habet. Verum in Crisi nullius præiudicatur Crisi, sua cuiq; libera est, dummodo ab omni lege & norma non abscedat.

Discussa S. Augustini sententiâ, transit Bellarminus ad commentum Bezæ, qui exponit, vt supra Iunius. *Christus in spiritu*, id est, *diuinitate, veniens prædicauit spiritibus in carcere*, id est, *spiritibus, qui nunc sunt in carcere inferni; sed tunc, quando ea prædicabatur, non in carcere, sed in corpore erant, quando fiebat scilicet arca Noë.* Hæc Beza, qui pro; *erant*, antiqui nostri Interpretis: vertit, *sunt*, vt figmento suo locum B struat. Et quamuis in Græco nullum sit verbum: tamen omnes Latini hactenus legerunt, *erant*: imò ipse Caluinus in Commentario 1. Epist. S. Petri ita vertit; *In quo & iis, qui in specula erant, spiritibus, profectus prædicauit*; & Græci à Bellarmino citati exponunt; *erant*, non autem *sunt*; quia eos volunt à Christo liberatos de carcere; non potuit autem verè dici tempore Petri de illis spiritibus eos tunc in carcere fuisse. Iunius. *Negamus.* (Quid nobis cum tuo *Negamus*? Redde negationis aliquam rationem, si potes.) *Nam Augustinus* Epist. *99. plerunq; reddit, conclusis in carcere, ad præsens tempus respicientes.* Quomodo S. Augustinus ad *præsens tempus*, hoc est, ad tempus D. Petri respicere potuit, cum ipse per *spiritus in carcere*, intelligat ani- C mas temporibus Noë, quando condebatur arca, adhuc in corporibus existentes, seu viuentes homines; & ad viuos, & in his terris degentes prædicationem illam à Christo secundum diuinam naturâ, institutam & peractam scribat. An ætate D. Petri spiritus illi adhuc in corporibus versabantur, seu, quod idem est, an illi, qui Noëtico diluuio interierunt, D. Petri seculo adhuc superstites erant? Quid, an non ipse S. Augustinus in ipso vestibulo Epistolę ad Euodium sic legit: *In quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit*, &c. Itaque illud; *carcere conclusis*, resolui debet in istud. *Qui in carcere erant conclusi.*

Pergit Iunius. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. & Oecumenius *præsente vtitur, τοῖς ἐν ᾅδου κατακλείστοις, iis, qui in inferno continentur.* Cur non; *iis, qui in inferno concludebantur*, vel, vt Augustinus loquitur, concluſi erant? An participium κατακλειστοῖς hanc significationem respuit? An solummodo præsentis temporis verbo exponi potest?

Glossæ & Lyrani expositio mystica est, non litteralis; nec aduersatur nostræ; sed eam supponit, sicut solet sensus spiritualis litteralem supponere.

Tertia opinio est Caluini lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. & in Psychopannychia, & in commentario in 3. cap. Epist. 1. D. Petri, qui vult, Christum prædicasse piis & impiis, defunctorum spiritibus, non quòd ad eos venerit per animæ præsentiam, sed quòd effecerit, vt sentirent effectum passio-

nis

nis & mortis suæ, & boni quidem gaudium reciperent, mali mœrorem: illudque S. Petri ἐν φυλακῇ, vertit; *in specula*; non, *in carcere*, &c. & versionis causas reddit, vt habes apud Bellarminum; suumque delirium tanti fecit; vt dixerit, *speraresse bonos omnes id approbaturos*. At cum ipse inprimis Beza illud non approbarit, oportet, vt vel Caluinus falsum dixerit, vel Beza vir bonus non fuerit, vt rectè ratiocinatur Bellarminus. Clamat Iunius. *Maleuolæ interpretationes; argumentatio falsa, & indigna conuicia hic adhibentur ad fundamentum falsum. Nam vbi locorum Caluinus his verbis vsus est?* In Psychopannychia his verbis vsus est Caluinus. An opus illud nunquam legisti? Vix crediderim. An non in eo exstant hæc verba, vbi prædictum S. Petri locum tractat. *Sic enim* (vt Bellarminus ex Caluino recitauit) *illum locum interpretor, qui multa ingenia torsit, & persuasurum me bonis omnibus confido*. Deinde quæ nam sunt illæ *maleuolæ interpretationes?* Quæ falsa argumentatio? Quæ indigna conuicia? Certè Bellarminus conferens inter se Bezæ & Caluini sententias, earumque discrepantias, nil aliud dicit, quàm quòd Caluinus & Beza dicunt, remotâ omni verborum contumeliâ. Et argumentatio, quam ex dicto Caluini contra Bezam Bellarminus texuit; spõte sua, nemine educente & deducente, ad manum quasi fluit.

Sanè, si Caluinus verum dixit, nec Iunius bonus vir erit; quia amplectitur sententiam Bezæ, quæ consistere nequit cum Caluini somnio: Et Iunius palam fatetur, *se non constituisse sententiam Caluini præstare, humanis oculis etiam vidisse Caluinum: omnia scire esse diuinitatis*. Ergo aut Iunius non est vir bonus: aut Caluinus mentitus est. Solertior hic fuit Iunio Danæus; quia retorquet Bellarmini argumentum in Bellarminum, nempe nec ipsum bonum virum esse; quandoquidem Caluini sententiam sibi non est passus persuaderi: sed inepta est retorsio; quia Caluinus nomine *bonorum*, intelligit Caluiniane bonos, hoc est, suos, & sibi *deuotos bonos*; qualis absit, vt Bellarminus habeatur. Haberi autem debebant & volebant Beza & Iunius. Porro in Psychopannychia legit adhuc Caluinus cum vetere Interprete: *in carcere*: non in *specula*: sed posteris annis vberiore lute ex orco colluſtratus, ridiculam illam suam *speculam* erexit.

Ad finem capitis dicit Bellarminus, perstandum in communi patrum sententia, quæ docet, Christum in carcere inferni sanctis Patribus prædicasse. Hic furiis exardescit Danæus. Furor eius I. est iste, *Bellarminum falsum committere*. II. *Bellarminum doctrinæ Petri falsum & erroneum dogma adscribere & affingere*. III. *Bellarminum deducere animam Christi ad infernum damnatorum seu gehennam*. IV. *Bellarminum scribere, animam Christi ibi prædicasse & annunciasse pœnitentiam*. V. *Ex sententia Bellarmini animam Christi liberasse damnatos ad gehennam*. VI. *Bellarminum incidisse in reprobum sensum, quòd repudiarit veram interpretationem Bezæ, & Augustini*. Si expositio Bezæ vera est; non potest esse vera explicatio Augustini; si hæc, falsa erit illa; quia sunt diuersæ & ἀσύμφωνοι. Cur nulla mentio explicationis Caluini? An hæc vera non est, etiam apud Danæum? Profectò vera esse nequit, si vera Bezæ. VII. *Bellarminum elegisse omnium pessimam sententiam*. VIII. *Id, vt diues Monachorum ærarium amplificet pro virili*. IX. *Et ex ea caligine fuligine otiosè viuat & pascatur*. Habes Enneadem furoris Danæani.

CAPVT XIV.

Adfertur traditio Patrum de descensu Christi ad inferos.

HOc loco prorsus est sibi gemellus Danæus: calumniatur & mentitur, *Bellarminum ad Patres confugere, quòd animaduerterit imbecillitatem argumentorũ hactenus allatorũ: Hoc Patrum præsidium esse prorsus inutile & infirmum; non esse licitum in articulo fidei ad hominum auctoritatem se recipere: patribus habendam fidem, quatenus cum scripturis cõcordant*. (Quis abnuit? Sed num ideo discordant, quia iudicio Danæi discordant, vel discordare videntur?) *Symbolum Apostolicum & duo Concilia Toletanum & Lateranense citata à Bellarmino facere pro Caluinistis* (faciunt, si quis Caluini in illud; *Descendit ad inferos*; Commentarium non arbitretur commentitium, nec execretur, vt blasphemum & atheũ) *Patres à Bellarmino adductos non sapere ex Dei Verbo, neque sententiam suam ex Dei verbo confirmare; sed dunetaxat ex suis coniecturis, & ex errore, quod piorum animas ante Christi incarnationem non in cælum euolare crederent, sed in infernum detrudi. Omnes Patrum sententias manifestè pugnare contra illud*: Hodie mecum eris in paradiso: *Cui potius credendum, quam centum millibus Patrum*. Quid multis opus est? Fatetur Danæus patres esse nostros, patres pro Bellarmino stare; *se patres nihil morari*. At nos moramur & pluris facimus Patres hoc capite à Bellarmino enumeratos, quam Caluinum cum centum millibus Caluinisticis sannionibus & scurris.

Sed en argumentum. *Bellarminus concedit potuisse Christum animas ex inferis liberare, sine vllo descensu; ergo ita factum est*. Plane subtiliter, *à posse ad esse*. Nec meliore fide; quamuis tectiore astu versatur Iunius in eludendis Patrum testimoniis à Bellarmino adductis. Multa nugatur de vocabulo ᾅδης quasi iam cap. 10. non sat nugarum super hoc ipso nomine nobis apposuisset. Nec tamen vllum Auctorem, etiam hic laudare potest, qui proprie ᾅδης aliter, quàm pro subterraneo animarum habitaculo vsurparit. Ne Diphilus quidem aliter accipit, cuius multos Iambos recitat Iunius ex lib. 5. Stromat. Clementis Alexandrini. Miratus fui, Iunium, qui nihil nescire volebat, pleroſque illorum Iamborum adeo vitiosè protulisse, vt præter nomen, nihil de Iambo superesset; quasi Sylburgius in Græca editione

Cle-

Clementis pridem ex Eusebio Iambis illis medicinam non fecerit.

Sed his omissis, intonat Iunius, *aequiuocationes & figuratas locutiones*, quibus Patres de Christi ad inferos descensu differentes vsi fuerint. Addit & hoc; *multos recentiores ex patribus in hanc sententiam deuenisse; tum ignoratione homonymiæ abductos, tum communi opinione in Ecclesiam recepta sine fundamento scripturæ.* Adiungit & hoc reuerentiæ suæ in sanctos Patres specimen. *De sequentibus omnibus testimoniis ita statuimus; singula ex veritate, quæcunq; possumus commodè, interpretari oportere: quæ verò se habent secus, ea humaniter à nobis ex charitatis lege tolerari; aut ex veritate (si qua fortè contra fidem veniunt) improbari; cum nulla de his Canonicarum scripturarum expressa proferatur auctoritas, vt Augustinus loquitur.*

Agimus gratias pro humanitate, & charitate in sanctos Patres, quam tamen nec ipsi postulant; quia dolosa est; nec nos desideramus; quia sub melle tegit aculeum. Testimonia Concilij Toletani & Lateranensis negat Iunius, si accipiantur *propriè*, hoc est, si non vertantur in *tropos* Caluinianos. Oportet ergo, vt & articulum illum symboli neget, si *propriè* accipiatur, quia Concilia hęc nihil aliud asserunt, quàm quod articulus ille symboli complectitur. Et certè iam dudum Caluinus articulum illum; *Descendit ad inferos*; à litterali & germano sensu ad *tropicum* suum, vel potius *phantasticum* detorsit: quo præsidio ineptissimè etiam Iunius hic eludit testimonium Thaddæi, vnius ex discipulis Domini, & insuper mentitur malè à Bellarmino verba Thaddæi referri.

Eadem arte declinare nititur euidentissima Ignatij, Iustini & Irenæi testimonia; & imperitissime dicit; Irenæum hoc velle, *separari quidem animam à corpore, sed tamen hominem adhuc secundum corpus in terræ inferioribus degere*: Nihil minus dicit, vt fatebitur, quisquis oculis non Iunianis Irenęum inspexerit. Expressè asserit, Christum lege mortuorum secundum animam ad inferos descendisse, & vsque ad tertiam diem in terræ inferioribus commoratum esse, *in medio vmbræ mortis*, vbi erant animæ mortuorum. Ex quo infert, etiam discipulos debere, post mortem, ad inferos secundum animam descendere; *non enim esse discipulum supra magistrum*; & per locum *inuisibilem* intelligi inferos. Quid autem de hoc postremo D. Irenæi asserto sentiendum sit, nil attinet hìc discutere, sufficit, quod descensum Christi ad inferos, manifestissimè adstruit: ita vt Inferos per Iunium suum nihil vel caliginis vel offuciarum reipsa offundere queant; licet tentent; quo artificio Iunius etiam illustrissimum locum Clementis Alexandrini lib. 6. Stromat. obnubilare conatur, impudenter mentiens Clementem διὰ τὸν ἐκεῖ (subaudi εἶναι, vel simile quid) per eos, qui sunt in inferno, intelligere eos, *qui hic vitam infernalem ducunt*: quo nihil alienius à sententia Clementis dici poterat; cuius sunt ista.

A *Prædicauit Dominus iis quoq; qui erant apud inferos: Dicit quidem certè scriptura:* Iob. 28. *Dicit infernus perditioni, eius quidem speciem non vidimus, eius autem vocem audiuimus. Non locus vtiq; voce accepta, dicit ea, quæ prius dicta sunt, sed ij, qui sunt collocati apud inferos, & se ipsos tradiderunt ad exitium, tanquam ex naue aliqua, se sua sponte in mare proijcientes. Ipsi verò sunt, qui diuinam audierunt virtutem, & vocem. Nam, quis sanæ mentis, & iustorum & peccatorum animas esse existimauerit in vna condemnatione iniustitiæ, maculam infundens prouidentiæ? Quid verò, an non significant Dominum annuntiasse Euangelium, & iis, qui perierant in diluuio, vel potius vinctis fuerant, & iis, qui in præsidio continebantur & custodia?*

B An non singuli apices clamant, hic sermonem esse de mortuis, seu de animabus, quæ apud inferos detinebantur? Et tamen hunc tam perspicuè lucentem solem non veretur Iunius nebulis suis obscurare.

Post prædicta subiicit Clemens: *Ostensum est autem in secundo quoq; stromate, Apostolos consequenter Domino, iis quoq; qui erant apud inferos, annunciasse Euangelium. Oportebat enim, vt existimo, sicut hic, ita illic quoq; optimos, ac præstantissimos discipulos esse magistri imitatores, vt vnus quidem, eos qui erant ex Hebræis, alij verò gentes deducerent ad conuersionem, hoc est, eos, qui in iustitia, quæ est ex lege, & ex Philosophia vixerant quidem, sed non perfectè sed cum errore, & prolapsione vitam transegerant.*

C Non examino hic, quam hæc sint vero consona. Duo moneo; primum, eodem modo Irenæum loqui cap. vlt. libri quinti; vltimo, inquam, veteris editionis; nam Feuardentius ex vetustis codicibus plura adiecit. Alterum, hinc elucere, quod verum credimus, & vt dogma fidei tuemur, Christum verè ex Clementis sententia ad inferos descendisse, prædicationis caussa; cum exemplo magistri eôdem Apostolis vita functis eundum fuerit; vt quidem Clemens arbitratur; qui rursus ait; *Si igitur Dominus nulla alia de caussa descendit ad inferos, quàm, vt annunciaret Euangelium, sicut certè descendit: aut descendit, vt annunciaret omnibus, aut solis Hebræis. Atq; si omnibus quidem, salui erunt omnes, qui crediderint, etiamsi sint ex gentibus, cum iam illis confessi fuerint,* &c.

D Obserua ex Iunii delirio sic hæc Clementis verba interpretanda esse. Si igitur Dominus nulla alia de caussa descendit ad inferos, id est, *ad homines vitam infernalem agentes*, &c. Ingeniosissimè; præsertim cum subdat; *Apostolos quoq; sicut hic*; id est, in hac vita; *ita etiam illic*, id est, in altera vita, apud inferos, *Euangelium annunciasse iis, qui ex gentibus apti erant ad conuersionem.* Adscribam hic, quæ eruditus Scholiastes Clementis annotauit ad hunc, de quo agimus, locum, quia toti aduersus Iunianam vanitatem disceptationi non parum lucis adferet. *Non eadem penitus verba, sed quæ tamen videtur in mente habuisse Clemens, Iobi sunt 28. v. 12.* ἡ ἀπώλεια, καὶ ὁ θάνατος εἶπαν, ἀκηκόαμεν ἀκοῇ τὸ κλέος. *Latina vulgata: Perditio & mors dixerunt: auribus nostris*

ſtris audiuimus famam eius. Chaldaicæ paraphraſis interpretatio; Domus perditionis, & angelus mortis dixerunt. Clementis verba ſunt: Λέγει ὁ ᾅδης τῇ ἀπωλείᾳ· εἶδόν σου ἀπὸ οὐκ εἴδομεν, φωνὴν σου ἀπὸ οὐκ ἠκούσαμεν. *Similis eſt locus & Iobi 26. v. 6. Nudus infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni.* γυμνὸς ᾅδης ἐναντίον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔστι περικάλυμμα τῇ ἀπωλείᾳ· *quem ſic interpretatur quidam ex veteribus apud Nicetam Heracleenſem in expoſitione, ſeu Catena manuſcripta C. V. Petri Delbenij Abbatis:* τοῦτο δὲ σαφηνιστικῶς εἰς τὸν διὰ σαρκὸς οἰκονομίαν τοῦ μονογενοῦς εἴρηται. ἀπὸ γὰρ ἐναντίου γυμνὸς ἔστι ὁ ἀφεγγὴς, καὶ σκοτεινὸς ᾅδης, καὶ ἡ μείωσις τοῦ ᾅδου ἀπώλεια, ἥγουν ὁ διάτορος οὐκ ἔχει ἀποκρυβὴν· αὐτὸς ἄνθρωπος γενόμενος, ἐν τῷ ᾅδῃ ἐσκύλευσε, καὶ τοὺς ἐκεῖσε ἐν ἀνδρείᾳ ἐξήγαγεν. εἴρηται δὲ καὶ ἐν ταῖς παροιμίαις· ᾅδης, καὶ ἀπώλεια φανερὰ παρὰ κυρίῳ· οὐκ ἐκρύβη γὰρ παρ' αὐτῷ ὅτε τὸ χωρίον, ἐν ᾧ αἱ ψυχαὶ κατέλιχθησαν πρὸ τῆς αὐτοῦ ἐπιδημίας. ὅτι οἱ ἀπολέσαι λόξαντες διὰ τὸν φθόνον, καὶ τὸν διάτορον. ἀλλὰ καὶ εἰς ᾅδου κατῆλθε, καὶ τὰς ἀπ' αἰῶνος ψυχὰς αἰωνίων δεσμῶν ἀπέλυσεν.

Hæc de vnigeniti diſpenſatione in carne propheticè dicta ſunt. Siquidem coram eo tenebricoſus, & ſplendore carens infernus nudus eſt, & quæ illi propinqua eſt perditio, hoc eſt, mors, latere non poteſt. Ille ſcilicet homo factus & infernum ſpoliauit &, qui illic erant, virtute ſua eduxit. Dictum eſt & in prouerbiis; infernus, & perditio manifeſta apud Dominum. Neq; enim locus, in quo verſabantur animæ, quæ ante illius aduentum detinebantur, abſconditus illi fuit: neq; illi, qui ob corruptionem, ac mortem funditus interiiſſe videbantur; ſed ad inferos deſcendit; &, quæ à ſæculo fuerant, animas, perpetuis vinculis expediuit. Locus ex Prouerbiis citatus eſt cap. 15. v. 22. Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum.

Origenis teſtimonia ſimiliter per figuras & tropos à ſe amolitur tropicus & figuratus Iunius; ſi inſulsè, quid tum? Parum ſollicitus eſt, iam enim ſemel ad omnem impudentiam alea iacta, & frons obdurata eſt. Poſtea, quia tropus non videbatur rem totam tranſactam dare, Origenem cõuiciis flagellare ingreditur: & ſputa multa exſpuit, tantum vt veritas obruatur. Quaſi verò hic aliud quæratur, quàm vtrum Chriſtus ad inferos deſcenderit. Deſcendiſſe adeo apertè affirmat Origenes, vt Iunius nullam ſibi cauillandi viam patere animaduertens à calumniis & cõtumeliis præſidium petendum duxerit. Pari candore tractat Iunius loca Euſebij, Athanaſij, Baſilij, Nazianzeni, Nyſſeni, Epiphanij, Cyrilli, Tertulliani, & aliorum, vbique *figuras* & *tropos* & ad inferos deſcenſum *virtualem*, non *realem* ingeminat: vt nihil penitus ab vllo tam perſpicuè aut dici queat, aut olim dictum fuerit, quod, ſi hanc impudentiam Iunianam ſectari libeat, in ſenſum *figuratum*, hoc eſt, præpoſterum, rapere non poſsis.

CAPVT XV.

Chriſtum propriè ac reipſa deſcendiſſe ad inferos.

NIHIL *ad nos caput iſtud pertinet*; Clamat Danæus. Cur ergo à tuis mendaciis intactum non relinquis? Si ad te & tuos non pertinet, dic, oro, ad quos pertineat. *Ad ſuæ ſchole ſententiarios & otioſos homines remitti debet.* Bonum igitur profectò factum feciſſes, ſi calamum ab hoc capite tuum abſtinuiſſes; nam pauciora liber tuus mendacia & conuicia contineret: Ex quibus vnum, *ipſum Thomã in Secunda Secundæ q. 52. a. 2. Durando ſuffragari, hoc eſt, docere, Chriſtum non reipſa, ſed ſecundum virtutem ſolummodo ad inferos deſcendiſſe.* Quæſtio 52. in ſecunda ſecundæ eſt *de dono Conſilij*; neque vllum verbum, in quatuor articulis, quibus conſtat, de Chriſti ad inferos deſcenſu continetur. Fortè voluit Danæus nominare quæſtionem 52. tertiæ partis S. Thomæ; vbi art. 2. ita ſcribit: *Alio modo dicitur aliquid eſſe alicubi per ſuam eſſentiam; & hoc modo anima Chriſti deſcendit ſolum ad locum inferni, in quo iuſti detinebantur; vt. quos ipſe per gratiam interim viſitabat ſecundum diuinitatem, eos etiam ſecundum animam viſitaret & loco. Sic autem in vna parte inferni exiſtens effectum ſuum aliqualiter ad omnes inferni partes deriuauit; ſicut & in vno loco terræ paſſus, totum mundum ſua paſſione liberauit.*

Hæc S. Thomas; quæ Durando minimè patrocinantur; quia Durandus negat Chriſti animam ſecundum eſſentiam ad vllum inferni locum deſcendiſſe; at S. Thomas dicit, Chriſti animam ſecundum eſſentiam deſcendiſſe ad inferni locum, in quo animæ iuſtorum detinebantur; ad infernum autem damnatorum ſeu gehennam tantummodo virtute & effectu. Eſtne hoc Durandicum?

Mentitur deinde effrenatiſsimè, Bellarminũ affirmare, *animas extra ſuum corpus non eſſe in loco*; nam expreſsè ſcribit Bellarminus; non eſſe improbabilem eorum ſententiam, qui docent tam Angelos, quàm homines eſſe in loco per ſuam eſſentiam. Et quamuis poſtea referat eorum ſententiam, qui putant, animas naturaliter non poſſe applicari certo loco niſi per operationem, nec operari poſſe extra corpus; tamen ſupernaturaliter vtrumque poſſe. Itaque Deo iubente animam ſeparatam poſſe mouere corpora, apparere, loqui, & operari, &c. Quid hæc Durandum iuuant? Non poſsit ſe mouere anima ſeparata naturaliter, vt quibuſdam placet, quorum ſententiæ ego nequaquam ſubſcribo, at poteſt ſupernaturaliter; vt dicit hic Bellarminus. Ex quibus etiam refutare licet inſignem illam calumniam, cum ſupra ad cap. 7. Danæus accuſat Bellarminum, *quaſi impiè de animæ immortalitate ſentientem; quòd neget animas noſtras eſſe poſſe in loco extra*

ſuas

sua corpora. Non negat hoc; sed ait, esse in loco aut per essentiam; aut per operationem. Item quòd dicat, *animas extra sua corpora, nullam nisi extraordinariam actionem habere, & nihil extra corpus suum operari.* Nihil dicit Bellarminus de actione extraordinaria; sed naturaliter ait eam nihil operari posse, posse autem supernaturaliter, idque ex quorundam sententia, cui præmisit illam alteram; Angelos & animas per essentiam in loco esse; & per consequens, naturaliter operari & se mouere posse. Quæ mihi semper placuit; quamque & in Philosophia & Theologia auditoribus meis tradidi. Tametsi neque secunda opinio, quam Bellarminus commemorat, quidquam immortalitati animæ detrahit, vt calumniatur Danæus.

Inter cætera argumenta, quibus Durandus oppugnat realem Christi ad inferos descensum, etiã hoc vnum est; *quòd in ipso momento mortis Christi animæ iustorum in limbo fuerint beatitudine donatæ; fieri autem non potuerit, vt eo puncto anima motu locali, qui tempore indiget, realiter ad illa loca peruenirent.* Respondet Bellarminus, non esse necesse dicere, eodem prorsus temporis puncto, quo Christus in Cruce exspirauit, animas illas beatitudinis gloria fuisse collustratas: Nihil enim absurditatis sequi, licet dicamus, gloriã breuissimo illo tempore dilatam, quo egebat anima Christi ad peragrandum illud spatium. Secundo respondet Bellarminus, animas iustorum, etiam necdum animâ Christi ad inferos delatâ, glorificari potuisse.

Vociferatur Danæus, *hæc facere pro Durando; nam cur descendit, si præsentia realis ad gloriam iustorum non fuit necessaria?* Huic obiectioni iam occurrit Bellarminus Christum non propter solam beatificationem animarum ad inferos descendisse, sed etiam vt maneret in loco animarum illo triduo, quo corpus iacebat in loco corporũ, & propter alias causas, de quibus S. Thomas 3.p.q. 52.art.1. & ibid. Interpretes.

Obiicit Durandus. *Christum fuisse cum latrone in paradiso; non ergo in inferno.* Respondet Bellarminus, paradisum accipi metaphoricè pro loco gloriæ. qualis tunc Christo triumphatore ipse limbus erat. Et ita palam S. Augustinus Epist. 57. ad Dardanum in solutione primæ Quæst. cuius verba adscribam, quia Caluinisticam impietatẽ insigniter redarguunt. *Si secundum hominem*, inquit S. Augustinus, Epist. 57. *quem Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse: Hodie mecum eris in paradiso; non ex his verbis in cælo existimandus est esse paradisus. Neq; enim ipso die in cælo futurus erat homo Christus* IESVS, *sed in inferno secundum animam, in sepulchro autẽ secundum carnem. Et de carne quidem quod eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium. Quod verò illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat, quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, vbi de ipso prædictum esse demonstrat: quoniam non derelinques animam meam in inferno, neq; dabis sanctum tuum videre corruptionem. Illud de anima dictum est; quia non ibi est derelicta, vnde tam citò remeauit: illud, de corpore, quod in sepulchro corrumpi celeri resurrectione non potuit. Sed in sepulchro paradisum nullus intelligit.* Et *Si, quisquam esset ita absurdus, vt, hoc sapere conaretur, eò quòd illud sepulchrum in horto erat; certè hinc ab ista opinione reuocaretur, quòd ille, cui dictum est: hodie mecum eris in paradiso; non illo die fuit cum Christo in illo sepulchro: nec enim fidei, pro magno munere offerretur sepultura carnis, nihil gaudij, vel doloris in morte sentientis, cum ille de requie, vbi sensus est, cogitaret. Restat igitur, vt, si secundum hominem dictum est; hodie mecum eris in paradiso, in inferno intelligatur esse paradisus, vbi erat eo die futurus secundum humanam animam Christus.*

Secundò respondet Bellarminus, si paradisus accipiatur *propriè*, pro loco illo, in quo protoplastus olim vixit; non fuisse impossibile animam Christi simul in duobus locis existere. Hoc Bellarminus, non autem, quod illi Danæus, cynica prorsus fronte, adscribit; *animam Christi post mortem fuisse duntaxat quoad effectum, nõ quoad locum cum anima latronis. Cur igitur*, inquit Danæus; *anima Christi cum aliorum piorum animis eodem modo fuisse negatur à Bellarmino? Hoc scribere, quod facis, Bellarmine, est Durandum contra te victorem clarè pronunciare.* Hoc scribere, quod facis, Danæe, est mentiri & calumniari turpiter & flagitiosè; quia hoc non dicit Bellarminus ex sua mente, sed ex Durandi sensu, cuius argumentũ proponit, & mox soluit. Tandem mendacia sua hoc mendacio coronat; *Bellarminum nihil contra Durandum adserre, quod sententiam Durandi planè non confirmet.* Contrarium fatebitur, quisque alio animo, quàm Danæus, Bellarminum legerit.

Quiritatur Iunius, *Caluino iniuriam fieri, quod Christi descensum ad inferos secundum virtutem non admiserit.* Atqui licet Caluinus lib.2.Institut.cap.16. §.9. concedat, *Christum mortuis illuxisse virtute sui spiritus*, nusquam tamen hanc, vt sic loquar, apparitionem, nominat descensum Christi ad inferos; sed totum & adæquatum in perpessione cruciatuum infernalium constituit. Quem pro fabula habuisse nõ modò limbum & purgatorium, sed & ipsam gehennam, ostendimus ad cap. 8. quia palam dicit, *puerile esse concludere in carcere animas mortuorum*: neque est hoc *falsa criminatio*, vt hîc Iunius criminatur: Neque falsò dicit Bellarminus, *Caluinum negare animas à Christo esse beatificatas.* Audi Iunium Caluinum lib.3.Institut.cap. 25. §.6. *Valde se torquent multi disputando, quem locum occupent* (animæ separatæ) *& an cælesti gloria iam fruantur necne. Atqui stultum & temerarium est de rebus incognitis altius inquirere, quàm Deus nobis scire permittat.* En Deus non permisit nos scire, iudice Caluino, num iustorum animæ iam gloria cælesti fruantur; & de hoc inquirere, notat Caluinus *stultitiæ & temeritatis nota.*

Addit. *Contenti simus hic finibus diuinitus nobis præscriptis: Animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum felici lætitiæ fruitionem*

pro-

promisse gloriæ exspectant. Nondum ergo potiuntur promissa gloria. Nondum ergo à Christo sunt beatificatæ; *quia omnia tenentur suspensa, donec Christus appareat Redemptor*, inquit Caluinus. Nullam ergo Caluino iniuriam fecit Bellarminus, vt mentitur Iunius. Imò eò impietatis prouectus est Caluinus, vt ne impiorum quidem animas à corpore abiunctas, Gehennæ supplicia iam tolerare affirmet: *Reprobis eandem esse sortem dubium non est*, inquit Caluinus, loco citato, *quam Iudæ Diabolio assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium, cui addicti sunt, trahantur.* Nondum ergo ad hoc supplicium tracti sunt Diaboli & impiorum animæ.

Ludit iterum Iunius in inferis & cum inferis, *Christumq; verè non modò animâ, sed & corpore ad inferos descendisse confitetur*; verum ad inferos Caluinianos, qui longè fabulosiores sunt, quàm illi Virgiliani & Homerici.

Obiicit Durando Bellarminus: si descendere ad inferos nil sit aliud, quàm virtutem passionis Christi ad inferos pertingere ac penetrare, tum etiam dici posse, carnem & sanguinem eius descendisse ad inferos; quia virtus & efficacitas carnis & sanguinis Christi peruenit ad inferos. Iunius. *Inconsequens tribus nominibus. 1. non valet à communi indiuiso, siue à toto in communi ad partes ipsius singulas.* At Bellarminus non argumentatur à toto ad partem vel partes; & vt id faceret, nihil vitij in hac quidem materia cõmitteret; sed argumentatur à parte ad partem Christi; quæ omnes fuerunt partes personæ diuinæ; & hac ratione eiusdem dignitatis & energiæ. Hinc, vt de toto verè dicimus; Christus virtute passionis suæ penetrauit ad inferos; ita verè etiam affirmamus: Animam Christi, item corpus Christi efficacitate & energia sua verè ad inferos permanasse. Si hoc de anima Christi, itemque de corpore, verè asseritur, licet sint tantũmodo partes Christi, cur id de carne & sanguine Christi verè non pronunciaretur, cum sint etiam partes Christi, sacræque litteræ redemptionem nostram potissimum sanguini Christi adscribere soleant.

Secundò, inquit Iunius. *Non valet ab eo, quod est caussa primò, & per se, vt anima est, ad id quod per accidens appellatur caussa: vt corpus Christi non est caussa per se, sed anima per corpus. atq; in corpore, ac potius diuinitas, per humanitatem suam.* Audi Iuni, nec integra natura humana Christi, hoc est, corpus & anima coniunctim, nec separatim & diuisim sumpta, sunt caussa per se principalis, virtutis illius & energiæ, quæ ad inferos & superos, hoc est, ad Angelos, Christo in cruce moriente, & secundum animã ad inferos descendente manauit; sed sola diuinitas Christi est caussa per se principalis; Instrumentalis autem, anima, corpus, caro, sanguis, &c. His enim diuinitas, tanquam electissimis organis, cum hypostasi Verbi etiam post mortem in Cruce obitam, vnitis vsa est in virtute & efficacia passionis & mortis Christi ad omnes diffundenda. Vt autem anima instrumentum diuinitatis esse potest; sic & corpus; & vt corpus, sic & caro; & vt hæc; ita & sanguis; quia his omnibus salutem nostram, & alios mirificos effectus sacra scriptura adscribit.

Tertiò, inquit Iunius, *non valet ex diuerso facto argumentum; Est autem factum diuersum Christi, in se inferos expugnantis, & in nobis expugnantis, emundantisq; peccata nostra. Inferos expugnauit Christus anima semel, & immediatè: peccata nostra perpetuò delet Christus sanguine suo mediatè: non qua sanguis per se, vt optimè Cyrillus tradit, sed qua sanguis Christi.*

Ineptè omnia; ne dicã impiè. Impietas enim est, inficiari, Christum corpore, carne & sanguine suo, seu, quod idem, virtute & energia corporis, carnis & sanguinis sui inferos expugnasse, etiam tunc, quando in cruce exspirauit. Impium est, affirmare, tunc sanguinem Christi effusum nos à peccatis non abluisse; quia hoc ipso à peccatis nos lauit, quòd Deum mundo reconciliauit, & media, quibus à peccatis reipsa aliquando emundaremur nobis acquisiuit. Ineptum est affirmare nunc nos per sanguinem Christi tantum mediatè à peccatis expurgari; quia emundet nos non præcisè, qua sanguis, sed qua sanguis Christi. Ex quo sequitur; mediatè tantum per totam quoque humanitatem, id est, per corpus & animam Christi coniunctim olim nos redemptos esse, & hodie etiam iustificari, quia per humanitatem Christi nec aliter olim redempti sumus, nec aliter hodie iustificamur, quàm vt est humanitas seu humana natura Dei.

Cætera, quæ hinc inde ex hoc capite Caluinista frustillatim vellicat & carpit, nil sunt nisi Ἀῆσις, vt elogium hoc ad Iunium remittam; cuiusmodi est sæpius iam decantata & toties recocta *æquiuocatio* in vocabulo *inferni* delitescens; ad quam, vt ad ignorantiæ Caluinianæ asylum aduolitat, quoties aliquo veteris cuiuspiam scriptoris testimonio premitur; Eiusdem classis est distinctio loci in locum *Physicum*, & *Metaphysicum*, & alia.

CAPVT XVI.

Soluuntur quædam dubia.

CENSET Bellarminus probabile, Christi animam ad omnia loca inferni, atque adeo etiam ad Gehennam secundum substantiã descendisse; Et probat hoc, inter cætera, auctoritate S. Augustini Epist. 99. dicentis, Christum descendisse ad loca inferni, *vbi erant dolores & tormenta.* Negat Iunius, *Augustinum hoc asserere*: sed facit more suo temerariè & inuerecundè. Legatur S. Augustinus non procul à principio prædictæ Epistolæ, & è vestigio disparebit mendacium. vt & illud, Augustinum dicere, Christum nõ propriè secundum substantiam animæ ad inferos descendisse, sed tantummodo *figuratè secundum*

virtutem. Quo nihil vanius. Danæus hic conſuetum furorem furit. Vociferatur I. *Nihil eſſe miſerius Bellarmino, aut inconſtantius.* II. *Bellarminum hoc capite euertere, quidquid ſupra tot paginis de Chriſti ad inferos deſcenſu diſputauerit.* III. *Bellarminum Thomæ & Bonauenturæ & Caietano contradicere.* Mendacium de S. Bonauentura: Nam in primo dubio non citatur à Bellarmino, in ſecundo citatur & approbatur. IV. *Bellarminum etiam contradicere Auguſtino.* Vbi? In quo? V. *Quin & Verbo Dei.* Quando? VI. *Bellarminum in hoc capite modò idem affirmare, modò negare.* Nullum exemplum proferes. Non ſi te ruperis. Obiicit, *nullum eſſe exitum ex inferno damnatorum. Non igitur Chriſtum eò deſcendiſſe.* At Chriſto fuit & exitus & introitus liber: quia inter mortuos & damnatos fuit *liber* ab omni prorſus damnationis ſententia & pœna. Venit enim eò, vt Dominus, non vt reus. Ita quidem hîc ſentit Bellarminus de Chriſti ad ipſam Gehennam deſcenſu. At in Recognitione Operum ſuorum nuper excuſa ſententiam mutauit, ob cauſſas, quas apud illum leges.

Sequitur Bellarminus ſententiam D. Bonauenturæ dicentis Chriſti animam dum eſſet in inferno, fuiſſe in loco pœnæ, ſed ſine omni pœna, imò & ſine *pœnalitate* ex ipſa deſcenſione & manſione apud inferos enata; non enim diffitetur Bellarminus, quòd anima à corpore maneat ſeparata, id dici poſſe aliquam *pœnalitatem*, vel potius minorem perfectionẽ; Vociferatur Danæus, hoc eſſe *blaſphemiam & immanem abſurditatem. Omnes enim pœnas morte Chriſti fuiſſe terminatas.* At quidquid contra circulator iſte inſaniat, hæc *pœna*, ſeu *pœnalitas*, ſeu potius minor perfectio, quæ nullum penitus in anima Chriſti dolorem pariebat, tum primum cœpit, cum Chriſtus in cruce obiit; hoc eſt, poſt mortem; neque enim ante mortem anima ſeparatim à corpore exiſtere poterat.

Citat Bellarminus illuſtre S. Fulgentij de Chriſti ad inferos deſcenſu teſtimonium: quod ſuo ſplendore oculos Iunio perſtrinxit. Ait, Fulgentium & alios quoſdam Patrum *non bene de inferis Philoſophatos eſſe.* Forſan ideo, quia nondum ex lacu Lemanno exſtiterat Philoſophia Caluiniſtica, quæ ita de hoc deſcenſu philoſophatur; vt ad impietatis cumulum vix quidquam reliqui faciat. Scilicet nos ſanctis Patribus valedicemus, & agyrtis iſtis adhærebimus.

Tertium dubium apud Bellarminum eſt, *quid animabus iuſtorum contulerit deſcenſus Chriſti ad inferos.* Reſpondet Bellarminus, contuliſſe beatitudinem eſſentialem, & eductionem ex carcere, ac deductionem in cælum. Hæc cum Bellarminus expreſsè ſcribat, audet tamen effrons Danæus profligatiſsimè mentiri, *animam Chriſti*, ex Bellarmini ſententia, *per ſuum ad inferos deſcenſum nihil animabus iuſtorum contuliſſe*: Et ne videatur tantum mentiri, ignarus argumentari, ſic mendacium ſuum confirmat. *Bellarminus dicit, Deitatem Chriſti, quæ animas iuſtorum beatificat, apud inferos & vbiq; fuiſſe. ergo deſcenſu animæ nihil opus fuit.* Danæana, hoc eſt, inſcita & inſulſa conſequentia: quæ ſi aliquid momenti contineret, etiam hoc oſtenderet, nil opus fuiſſe, vt Chriſtus qua homo, in cælũ aſcenderet, quia ſecundum diuinitatem vbique, atque adeo etiam in cælis erat; vt ergo Chriſtus cauſſas habuit, cur, vt homo in cælum aſcenderet; ſic & iuſtiſsimæ rationes ei ſuppetebant, cur ſecundum animam ad inferos deſcenderit, de quibus S. Thomas 3. p. q. 52.

Quartum dubium eſt, an præter animas iuſtorum qui erant in ſinu Abrahæ, aliquæ aliæ liberatæ ſint. Reſpondet Bellarminus, ex gehenna neminem liberatum, vt nec ex limbo infantium qui hinc peccato originali obſtricti exceſſerunt: omnes ex limbo Patrum; non omnes ex purgatorio, ſequitur enim ſententiam S. Thomæ 3. p. q. 52. a. 8. quam Danæus hic blaſphemiæ poſtulat: cum ipſe nullum penitus ex purgatorio Chriſto ad inferos deſcendente ereptum ſentiat, quippe cui purgatorium & ipſe Chriſti deſcenſus ad inferos, nihil ſit aliud, quàm fabulamentum inane. Quæ Iunius præterea annotat *diuinaculorum deliriis & Hiberni naniis* deputa.

Refutatio Cenſuræ Danæanæ.

CENSVRAM generalem diſputationis de Chriſti ad inferos deſcenſu, diuidit Danæus in *Hæreſin, nugacitatem*, contradictionem, ſeu, vt ipſe loqui mauult, *contradicentiam*; & in *maledicentiam*, in quæ membra ſi inſulſiſsima Danæi nugamenta diſpertias, diuiſionem *duiſo* parem, & vndequaque congruentem effeceris. Sed en horribiles Bellarmini hæreſes ad Geneuenſem Inquiſitionem à Danæo delatas. Prima. *Quia Bellarminus cap. 15. iudicat probabilem D. Thomæ ſententiam, animã ſeparatam non poſſe applicari naturaliter certo loco, niſi per operationem*; tranſeuntem ſcilicet, ſeu externam, *nec operari poſſe*, tranſeunter nimirum, *extra ſuum corpus, ſupernaturaliter tamen vtrumq; poſſe.* At Danæus ita hanc D. Thomæ opinionem proponit, quaſi anima ne operationes quidem internas; vt *velle & intelligere*; extra corpus exercere, neque ſeipſam quoque mouere poſſet, non ſine inſigni imponendi & ſycophantandi ſpecimine.

Secunda Hæreſis. *Animas piorum, etiam poſt iuſtum ipſarum redemptionis pretium perſolutum à Chriſto, non fuiſſe tamen ſtatim à pœnis ſuorum peccatorum & captiuitate inferni liberatas.* Quanta hæreſis, affirmare, idque non vt certum, ſed vt probabile; animas Sanctorum, non fuiſſe ſtatim à momento mortis Chriſti gloria beatitudinis donatas; ſed manſiſſe priſtino in ſtatu, breuiſsimo illo temporis ſpatio, quo anima Chriſti egebat, vt in limbum motu locali deueniret. Quanta item hæreſis, dicere; animas piorum, præſentia Redemptoris ſui iam cæleſti beatitudine inſignitas,

manſiſſe in ſubterraneo illo habitaculo vſque ad Dominicæ reſurrectionis horam. Grandiſsima ſcilicet hæc eſt Bellarmini Hæreſis, meraq; & pura veritas, quod Danæus *ipſos inferos tollit*, omneſque iuſtos, etiam ante mortem Chriſti, *in cælū collocat*.

Tertia Hæreſis. *Anima Chriſti ad ipſa damnatorum hominum loca veniſſe, ibiq; ad tempus aliquod fuiſſe.* O ſcelus flammis vix expiabile, præſertim cum addat Bellarminus Chriſtum in locis pœnarum ſine vlla pœna fuiſſe; nec eò veniſſe, vt reum, ſed vt Regem; nec vt pœnæ addictum, ſed vt dominum.

Quarta Hæreſis. *Paradiſum & ſinum Abrahami collocat in inferno, & loco ſubterraneo.* Non abſolutè paradiſum, ſed illum, qui promiſſus fuerat latroni verbis illis; *Hodie mecum eris in paradiſo.* Mirum ob tam atroces Hæreſes Bellarmini Tomos non rapi ad rogum ab Inquiſitione Geneuenſi.

Quinta Hæreſis. *Animas iuſtorū ante Chriſti mortem non fuiſſe in cælum receptas.* Etiam hæc grandiſsima hæreſis eſt, quia Euangelio Lemannico aduerſa fronte aduerſatur. Ait Danæus, *ſe breuitati ſtudere; alioqui plures Bellarmini hæreſes indicaturum fuiſſe.* Quanto rectius feciſſes, ſi breuitatis ſtudio, totam hanc Cenſuram prætermiſiſſes; nam & verbis & mendaciis, & conuiciis tuis compendium non exiguum feciſſes.

De Bellarmini nugacitate, quæ nulla eſt, impigrè nugatur, calumniatur & mentitur Danæus; vnum vel alterum ſpecimen ſufficiat. Mentitur, *Bellarminum non potuiſſe probare, animas piorum ante Chriſti paſſionem & reſurrectionem non fuiſſe in cælo*; & rationes, quibus id efficere conatus eſt, *eſſe nauci ac nihili.* Sed hanc pſeudologiam conrguit & demolitur caput vndecimum Bellarmini; quo lectorem ablego, ſimulque ad ea, quæ ibidem diſſeruimus.

Contradictiones, quas Danæus comminiſcitur, nil aliud ſunt, quàm frontis expertia mendacia; vt & illud, quod ait: Bellarminum *Thomæ, Durando, Bonauenturæ conuicia dicere.* Vbi ſunt iſta conuicia? In Danæi, opinor, malè feriata phantaſia.

Digreßiuncula contra Mauium.

INTER illos errores, quos illuſtriſsimus Bellarminus in Iudicio de libro Concordiæ enotauit ex Concordia, ſextum locum obtinet, quòd totus Chriſtus Deus & homo ad inferos deſcenderit. Oggrunnit Mæuius in Refutatione Iudicij. *Bene habet. Erret ergò ſymbolum Apoſtolicum, quod ait: nos credere in Ieſum Chriſtum, qui ex Maria natus, ſub Pontio Pilato paſſus, mortuus, ſepultus, qui Ieſus Chriſtus totus deſcendit ad inferos, reſurrexit ex mortuis, aſcendit ad cælos, &c. Hæc enim vniuerſa, & ſingula de toto Chriſto* Συνεκδοχικῶς, *dicq; perſona minimè ſolutè pronunciantur.* In qua Symboli parte exſtat vox illa *Totus* vel *Totum*, hoc eſt, totum Chriſtum, ſeu totam perſonam Chriſti deſcendiſſe ad inferos? Concordia quidem hoc his verbis affirmat, ſed non ſymbolum. Audi quid iam olim noſter Ioannes Buſæus in diſputatione ſua doctiſsima de Chriſti ad inferos deſcenſu contra Concordiæ architectos ſcripſit; Cum decernunt (Patres Concordiæ) totam Chriſti perſonam deſcendiſſe ad inferos, geminam poſſunt verba illa habere ſubiectam intelligentiam. Si enim voce, (totius perſonæ Chriſti) non vtramque naturam, diuinam & humanam, ſed hypoſtaſin earundem naturarum præcisè intelligamus, inficiandum non eſt, totam perſonam Chriſti ad inferos deſcendiſſe. Nam ſicut rectè dicimus, totam perſonam Chriſti ratione corporis, ſepultam; ſic rectè dicimus, eandem perſonam totam ratione animæ deſcendiſſe ad inferos. Cuius dogmatis ratio illa perſpicua redditur à Theologis; quòd, nec diuinitas, nec perſonalitas tota diuini Verbi, vnquam vel à corpore, vel ab anima Chriſti ſeparata fuerit. Vnde Fulgentius Reſponſo ſecundo ad quæſtionem Ferrandi; *Vt ſecundum carnem in ſepulchro iaceret, totus Chriſtus fecit, ſed ſepulturæ capax ſola caro naturaliter fuit. In infernum quoq;, vt ſecundum animā Chriſtus deſcenderet, naturæ vtriusq;, id eſt, diuinæ, atque humanæ vnum fuit opus: ſed ſolius animæ naturaliter fuit ille deſcenſus. Sicut eodem tempore totus in cælo, & in terra non ceſſabat Chriſtus operari; ſed ſolius diuinitatis fuit, & loco non teneri, & quæ ad vniuerſitatis gubernationem pertinent, cum Patre naturaliter, & æqualiter operari.* Et lib. 3. ad Thraſimundum regem cap. 34. *Totus Chriſtus*, inquit, *ſecundum ſolam animam ad infernum deſcendit: idem atq; inſeparabiliter Chriſtus ſecundum ſolam carnem de ſepulchro ſurrexit. Idem, atq; inſeparabiliter Chriſtus ſecundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deſerens, ad cælum aſcendit.*

Adhæc D. Auguſtinus lib. 3. de ſymbolo ad Catechumenos. *Quis eſt, qui ſedet ad dexteram Patris? Homo Chriſtus. Nam in quantum Deus, ſemper cum Patre, & ex Patre: &, quando ad nos proceſſit, à Patre non receſſit. Hoc eſt enim eſſe Deum, vbiq; eſſe totum. Totus ergo filius ad Patrem, totus in cælo, totus in terra, totus in vtero Virginis, totus in Cruce, totus in inferno, totus in paradiſo, quo latronem introduxit. Non per diuerſa tempora, vel loca dicimus vbiq; eſſe totum, vt modò ibi totus ſit, & alio tempore alibi totus, ſed vt ſemper vbique ſit totus.*

His Patribus conſentiunt & ſcholæ Doctores, è quibus D. Thomas 3. parte, quæſt. 52. art. 3. *In morte Chriſti*, inquit, *licet anima fuerit ſeparata à corpore, neutrum tamen fuit ſeparatum à perſona filij Dei. Et ideo, in illo triduo mortis Chriſti, dicendum eſt, quod totus Chriſtus fuit in ſepulchro: quia, tota perſona fuit ibi per corpus ſibi vnitum: & ſimiliter, totus fuit in inferno; quia tota perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi vnitæ; totus etiam Chriſtus tunc erat vbiq; ratione diuinæ naturæ.*

Si verò voce (*totius perſonæ Chriſti*) non hypoſtaſin tantum, ſed humanitatem, & diuinitatem

Christi, vt Concordistæ intelligunt, comprehendere velimus: prorsus negandum est, totã Christi personam, Deum & hominem; ad inferos descendisse: idque eas ob caussas, quas Bellarminus ex scriptura, symbolo Apostolico, Conciliis, & Patribus attulit, & fusè itidem Busæus in sua Disputatione exequitur. Ex quibus corruunt ineptiæ Mæuianæ, quibus hic miseras chartas conspurcauit.

Ait Bellarminus, Hunc errorem, quod scilicet totus Christus, Deus & homo, seu secundum diuinitatem & humanitatem ad inferos descenderit, cum tribus symboli articulis pugnare; nam si Christus homo descendit ad inferos, viuus, non mortuus descendit; mortuus enim non est homo; cum omnis homo per mortem desinat esse homo. &c. Ad hoc nihil aliud Mæuius; quã *Christum viuum descendisse ad inferos; & Articulum hunc ad victoriam non ad passionem vel mortem Christi pertinere*; idque confirmat auctoritate Lutheri. Nihil ad rem respondes Prædicans. Dic, vtrum Christus descenderit ad inferos *viuus homo*; nam *viuum* secundum animam descendisse, nemo Catholicorum dubitat. Si viuus homo descendit, nõ ergo in Cruce animam verè exspirauit; aut illam statim resumpsit, & corpori copulauit. Qua igitur ratione dicitur tertia die à mortuis resurrexisse; si iam viuus homo ad inferos descendit? Vide verò, imò & ride miserandam Mæuij insciam, qui *blasphemiam & impietatem*, & quidem *summam*, indigitat, quod Bellarminus scribit, Christum; quando mortuus est, hoc est, animâ à corpore separatâ, desiisse esse hominem, more cæterorum hominum, cum supremum diem obeunt. Sed iste *dilectus ignorantiæ pullus* ne nouit quidem quid sit homo. An non homo significat compositum ex anima & corpore? Potestne hoc compositum manere dissolutis & disiunctis partibus? Si affirmes, tum eadem ratione asseras licet, domum, quæ est compositum quoddam artificiale, posse manere, & de *facto* manere domum, licet *totum* illud, seu compositum dissoluatur, partesque antea colligatæ, dissipentur. Deinde, cur Petrus, v. g. quando moritur, definit esse homo; nisi quia compositum illud ex anima & corpore dissoluitur, anima separatim; & corpore itidem seorsim existente? Si hoc accidit in nobis, cur non & in Christo; qui eiusdem prorsus rationis & compositionis physicæ & essentialis naturam humanam habuit, quam reliqui mortalium habent? Disce, quæso, Prædicans, quid sit mori, disce, quid sit mors.

At computruisset Christus, si desiisset esse homo, inquit Mæuius, *& hoc modò cadauer factus esset. Contremiscat hic cælum, stupescant omnia elementa*, nimirum ad hanc tantam Prædicantis huius stultitiam & fatuitatem pluspquam *asininam*. An mortuum & exanime corpus Christi in sepulchro iacens non erat cadauer? An vlla ignominia sacratissimum Christi corpus afficit, qui illud ait fuisse *cadauer*, cum vitæ iam exsors, & emisso spiritu, in Cruce penderet, & postea in tumulo iaceret? Video Præconem istum non tantum mortis, sed & cadaueris notionem funditus ignorare. Nec ideo corpus Christi computruit, si cadauer factum est, aut si Christus desiit esse homo, contra illud: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; quia non est necesse, vt corpus corrumpatur & computrescat simul ac anima euolat, sed integrum aliquamdiu perseuerare potest; vt patet quotidiana morientium experientia. Nam mors præcisè non est putrefactio vel corruptio corporis; sed est corruptio seu dissolutio *totius*, quod homo nominatur, licet partes incorruptæ maneant vel semper, vt accidit in corpore Christi, cum propter alias caussas, tum propter resurrectionem celeriter subsecutam: vel saltem aliquamdiu, vt etiam in aliorum hominum corporibus vsuenire consueuit. Nec intelligitur illud Dauidis & B. Petri, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; de morte Christi & dissolutione compositi illius, quod *homo* appellatur; alioqui sequeretur; Christum non fuisse mortuum; sed de corpore Redemptoris accipi debet. Hoc non corruptum, putrefactum, & in cineres redactum iri Propheta prædixit, & ex Propheta B. Petrus demonstrauit.

Occinit Mæuius. Magdalena Ioan. 20. *Vocat Seruatorẽ, quantumuis corpore exsangui in sepulchro iacentem, non cadauer; sed Dominum, inquiens; sustulerunt Dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum*; *non dicit, sustulerunt cadauer; quemadmodum & præcedenti articulo legitur, Angelos sedisse illic, vbi posuerunt corpus, (non cadauer)* IESV. Respondeo, vocatum esse *Dominum*, etiam quando in sepulchro corpus iacebat; quia, vt supra diximus, ex S. Thoma, totus Christus fuit in sepulchro ratione personæ, tota enim persona fuit ibi per corpus sibi vnitum, & similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi erat ibi ratione animæ sibi vnitæ. Iure igitur etiam in sepulchro iacens, *Dominus* à Magdalena appellatus est. Deinde vsitatissimum est per synecdochen nomina *totius* transferre ad partes. Quid enim vsitatius illis? *Pater meus, frater meus; cognatus meus, Rex & Princeps meus in hoc tumulo humatus est*. Et tamen nil nisi corpus eo in sepulchro conditur. Consimiliter dicere consueuimus: *Spero patrem, fratrem, cognatum, Regem & Principem meum esse in cælo*; Cum tamen solam animam pro præsenti in cælo degere speremus. Vt ergo hic per Synecdochen nomen *totius* ad partem transferimus, sic & Magdalena nomen *Domini* ad partem *compositi* seu *constituti* illius, quod Christum nuncupamus, transtulit.

Porro corpus in sepulchrum illatum esse, nemo ambigit. At corpus mortuum; corpus vita cassum. Quid verò est corpus mortuum & vita cassum, nisi cadauer? Hoc si, Mæui, inficieris, non homo, sed cadauer es; qui sic fatuari pergis. *Duplici ratione Christus quoad humanitatem fuit incorrupti-*

Digitized by Google

ruptibilis, primò quidem, quoad naturæ ipſius ſanctitatem & puritatem, omni peccato naturaliter vacuam. Secundò, quia fuit vnita incorruptibili Filio Dei, à quo, vti alia idiomata, ita & ἀφθαρσίαν accepit.

Si Chriſtus quoad humanitatẽ, hoc eſt, quoad humanam naturam, fuit incorruptibilis, tum propter naturæ ſanctitatem, tum propter vnionem cum Verbo, ſequitur, Chriſtum non fuiſſe mortuum, quia quoad humanitatem, ſeu humanam naturam fuit incorruptibilis. Expunge igitur ex ſymbolo articulum illum; qui Chriſtum verè *mortuum* profitetur; non enim mortuus eſt, ſi ſecundum humanitatem ſuam mortis expers fuit. Præterea cum mors ſit corruptio, vt omnes norunt, neceſſe eſt, vt qui Chriſtum affirmat mortem ſubiiſſe; aliquam corruptionem ſubiiſſe affirmet; quia fieri non poteſt, vt quis mortem ſubeat ſine aliqua alicuius rei corruptione. Quæro igitur, quid per mortem in Chriſto corruptum fuerit. Vtique non natura diuina, non hypoſtaſis, non anima humana, non corpus, non enim vidit corruptionem, vt Propheta præcinuerat; Quid igitur corruptum eſt? An nihil? Ergo mors nulla fuit; ergo nec mortuus Chriſtus. Sequitur ergo, compoſitum illud, quod vocatur *homo*, ſeu eſſe humanum completum & perfectum, ſeu naturam humanam Chriſti, morte illa Chriſti corruptionem ſubiiſſe.

Anne putas, Bellarmine, clamat inficetus Prædicans, *vnionem perſonalem ſolutam eſſe per mortem*? Nec cum anima, nec cum corpore ſoluta eſt vnio hypoſtatica, quia & anima, licet extra corpus; & corpus, quamuis exanime, in vnione hypoſtatica cum Verbo permanſerunt, ſed ſoluta eſt vnio hypoſtatica cum toto, ſeu compoſito ex anima & corpore, quia ipſum compoſitum per mortem diſſolutum fuit; qua diſſolutione facta, fieri non potuit, vt vnio hypoſtatica cum toto remaneret, non remanente ipſo toto.

An exiſtimas, Bellarmine, vociferatur ignorantiſsimus Prædicans, *Chriſto iacente in ſepulchro, non hominem, ſed cadauer filio Dei vnitum fuiſſe*? Planè, non homo, ſed corpus mortuum, corpus humanum, vitæ exſors, hoc eſt, cadauer filio Dei in ſepulchro *hypoſtaticè* vnitum fuit: quia nullus homo in ſepulchro tunc fuit, ſed tantum corpus mortuum. Eſtne humanum corpus iam mortuum & exanime homo? Fierine poteſt, vt ſit homo, ſine anima, quæ cum corpore iuncta, illud informet ac animet? Quantus eſt hic ſtupor Prædicanticus? Et tamen exclamare audet: *Parce mihi Domine* IESV *Chriſte, blaſphemiam iſtam Ieſuiticam referenti.* Quanto ſatius fuerat, ſublata voce, intonare, *Parce mihi Domine* IESV *Chriſte, ob hanc meam ſpiſſiſſimam ignorantiam, qua præpeditus, ignoro quid ſit homo. Nam ſi hæc caligo ab oculis meis abeſſet, viderem profecto, quod nunc tantum audio, nec tamen credo, hominem eſſe aliquid viuum, ex anima rationali & corpore compoſitum: Hoc compoſitum viuum,*

A *cum in ſepulchro non iacuerit, per conſequens, nec hominem in ſepulchro iacuiſſe; ſed corpus humanum Redemptoris noſtri* IESV *Chriſti.*

Tu verò, Mæui, Prædicans omnium Prædicantium longè ineptiſsime, *exorare per miſericordiam Dei, & per vulnera* IESV *Chriſti, vt horrendam iſtam ignorantiam ex cerebro tuo expungas, Chriſto culpam depreceris, & te valde peccaſſe confitearis*: quia non intelligis quid ſit homo; & hoc tuo pluſquam anili delirio mortem Chriſti & reſurrectionem eius tollis. Quia ſi Chriſtus in ſepulchro homo fuit, non igitur verum eſt, quod verè mortuus in ſepulchrum illatus fuerit, quia omnis ille, cui propriè nomen *hominis* competit, verè viuit. Ex quo ſequitur, Chriſtũ non reſurrexiſſe tertia die, quia
B reſurgere à morte, eſt reuiuiſcere; at Chriſtus iam in ſepulchro viuus erat, quia homo in ſepulchro iacebat, non ergo demum poſt tres dies reſurrexit, hoc eſt, reuixit. Imò hæc Mæuiana deliratio etiam mortem Chriſti funditus tollit: quia ſi in ſepulchro verus homo iacuit, ergo & in Cruce, poſtquam Chriſtus ſpiritum emiſit, verus homo pependit, veruſque homo de Cruce depoſitus eſt: ergo verè non eſt mortuus in Cruce, nec verè mortuus de Cruce ſublatus, & in ſepulchrum importatus; ſed hæc omnia imaginariè & quaſi hiſtrionicè geſta ſunt: quia verus homo non eſt mortuus, & impoſsibile eſt, vt ſit verus homo, niſi anima cum corpore vniatur, illudque informet. *Vnicum certè locum iſtum*
C profundiſsimæ ignorantiæ & impietatis Prædicanticæ, *neq; tu*, Mæui, *vindicabis, neq; alius* Prædicans, vel Prædicantium aſſecla, *vnquam vllo modo à blaſphemiæ & abominandæ impietatis crimine liberabit. Reſipiſce*, Mæui, & AEgyptiacas iſtas tenebras & impietatem ex mente tua depelle, *niſi cum diſpendio ſalutis tuæ & hic & illic viuere velis.*

Ait Bellarminus. Si Chriſtus viuus, & de Cruce deſcendit, & viuus peruenit ad inferos, non anima ſolùm deſcendit, ſed etiam caro: non enim ſola anima homo dici poteſt; quod ſi anima & caro deſcendit, quid quæſo iacuit in ſepulchro? Denique, ſi Chriſtus ſemper fuit homo, nec vnquam vere mortuus, aut ſepultus eſt; certè nec verè etiam reſurrexit. Hic propemodum
D vox hæret Mæuio, nec enim inuenit, quod reſpondeat: niſi elumbe illud: *Fieri iniuriam Concordiæ, eiusq; Profeſſoribus; cum arguuntur, quaſi ſenſerint, Chriſtum in Cruce non fuiſſe verè mortuum.* Sed iam ex principiis Mæuianis oſtendimus, neceſſariò id ſequi, præſertim cum & hic ſonora voce clamitet: Totum Chriſtum, *Deum & hominem ſepultum eſſe. Totum Chriſtum Deum & hominem in ſepulchro iacuiſſe.* Si Chriſtus verè & propriè homo eſt ſepultus, & in ſepulchro iacuit, verè ergo viuus ſepultus eſt, viuuſque in ſepulchro iacuit; quia omnis ille viuit, qui verè & verus eſt homo; *Si*, vt ait Mæuius, *viuus totus Chriſtus, ſecundum vtramque naturam ad inferos peruenit, totus, inquam*, inquit ipſe Mæuius, *animâ & corpore*, verum igitur eſt, quo

Bellarminus Concordiſtis attribuit. *Chriſtum non ſecundum ſolam animam ſed & ſecundum corpus ſeu carnem ad inferos deſcendiſſe.* Viuebat ergo, & ſic non ſemper per triduum illud corpus in ſepulchro manſit, nec verè ex ſepulchro reſurrexit: quia iam antea viuebat.

Monet Mæuius, vt non multum ſcrutemur, quomodo hæ ſtultitiæ *Mæuianæ & Concordiſticæ de Chriſti ad inferos deſcenſu fuerint poßibiles.* Salutare conſilium, cui nemo tamen obtemperabit, niſi qui Mæuium amat: qui velum, quo hanc ſuam anilem inſipientiam texit, remoueri renuit; quia ſi remoueatur, è veſtigio promicabunt Arcadici pecoris auriculæ.

Ait Mæuius. *Chriſtus ſemper fuit homo. Ergo etiam in Cruce poſt quam ſpiritum in manus Patris tradidit, fuit homo; ergo & in ſepulchro, ergo & apud inferos fuit homo:* ergo viuebat, in Cruce poſt emiſſum ſpiritum; ergo viuebat in ſepulchro, nõ ergo reſurrexit tertia die, quia iam antea viuebat. Non enim reſurgit homo, vt rectè ait Bellarminus, *niſi quando per nouam vitam iterum incipit eſſe homo, qui per mortem deſierat eſſe homo* Occurrit Mæuius, *hoc de vulgaribus & ἁπλῶς hominibus, peccato & corruptioni naturaliter ob noxiis accipiendum, non ad innocentem Chriſtum, in diuulsè ſemper Deum & hominem exiſtentem referendum* A *eſſe.* Scilicet propter ſtultitiam & amentiam Prædicanticam, rerum naturæ, eſſentiæ, &, vt ſic appellem, *quidditates* in Chriſto vero homine ſunt mutatæ, & in contrarium transformatæ. Verus homo eſt compoſitum ex corpore & anima rationali informante, corpuſque vegetante & viuificante. Facta diſſolutione huius eſſentialis nexus inter corpus & animam tam fieri nequit, vt homo maneat, ſiue Chriſtum, ſiue quemcunque alium ſpectemus, quàm fieri nequit, vt domus remaneat, ſi ſtructura eius penitus diſiungatur ac diſſoluatur. Et tamen inſcitiſsimus iſte *Concordiſta* nobis perſuadere conatur, eum, qui mortuus eſt, & qua mortuus manet, eſſe verè & verum hominem; qua ſua inſania demolitur omnia illa ſymboli capita; *Mortuus, ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit.* Et tamen ita tonat & fulminat, quaſi nil niſi ex intimis veritatis penetralibus depromptum attulerit; cum nil niſi luculentiſsima ſummæ ſuæ rudi- B tatis & inſcitiæ argumenta adduxerit.

Digitized by Google

DEFENSIO LIBRI QVINTI, DE CHRISTO, QVI EST DE MEDIATORE ET EIVS MERITO: REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT I.

Explicatur breuiter secũdum quam naturam Christus sit Mediator.

A

ENVMERAT Bellarminus *Mediatoris* notiones seu acceptiones, simulque docet, quæ nam ad præsentem disputationem maximè pertineat. Iunius iterum adcurrit cum suis illis copiis: *Nego, negamus, negatur*, quas stipat *elenchi fallacia, impropria locutione, & æquiuocatione.* Adest quoque, *inconsequens ex particulari*: etiam vbi nulla consequentia texitur. Clamat insuper, *omissum à Bellarmino quintum Mediatoris modum, nimirum regnum illud mediatorium & gubernationem Christi.* Quasi verò regnum Christi & gubernatio, quatenus consistit in *mediatione* aliqua, non possit reuocari ad aliquem ex quatuor modis, quos Bellarminus recensuit. Nam si Christus regnando & gubernando mediatorem vel egit, vel iam itidem agit, oportet vt id fiat vel discernendo vel iudicando causſam. Et sic habes primum mediatoris modum: Vel, referendo hinc inde pacta, & conditiones vtriusque partis, &c. & habes modum secundum: Vel, orando & supplicando vni parti pro altera. Et habes modum tertium. Vel, soluendo & satisfaciendo vni parti pro altera; & habes modum quartum. Neque enim alia ratione, quàm hac quadruplici munus mediatoris obiri potest: vel à Christo obitum ex scriptura discimus.

B

De principio operationum, quibus Christus mediatoris officio functus est, valde subtiliter disserit Iunius; & vt eò profundior euadat subtilitas; mentitur; Bellarminum *duo confundere*; & voce *principij abuti* æquiuocè; cum Bellarminus non aliter vocem *principij* accipiat, quàm significatu in omnibus Scholis trito, nempe pro mediationis principio *quod*; & pro *principio quo*. Illud, ait esse Christum, seu personam Christi: hoc; naturam humanam Christi. hac enim, seu per hanc, tanquam per instrumentum, exercuit Christus, Deus & homo, opera & actiones mediatoris. Iunius occinit, *principium mediationis absolutũ, esse personam Christi secundum vtramq; naturam suam: & opera*

C

mediatoria alia esse diuinæ, alia humanæ, alia communis operationis: Atque adeo iam nunc Hæreticum virus de Christo mediatore non clam innuit, sed apertè promit, de quo capite tertio.

Nescio præterea, quid sibi velit illud: *Naturam humanam Christi habere à diuina principium essentiæ, potentiæ & operationum omnium?* Num nihil per se potest natura humana Christi? Num totum eius *esse, posse & agere*, procedit à natura diuina tanquam à suo principio, præcisè vt natura diuina humanam hypostaticè sustentat?

Dixerat Bellarminus, esse etiam aliquam substantialem mediationem, & Christum dici posse mediatorem, quatenus personalitas eius coniunxit nouo & mirabili fœdere diuinam & humanam naturam. Hanc tamen mediatoris notionem ad præsens institutum non pertinere. Hîc vociferatur & mentitur Danæus.

I. *Bellarminum incidere in ἀκροασίαν.* Tu verò in pseudologiam.

II. *Bellarminum confundere & miscere vera rerum vocabula.* Tu conuicia & mendacia.

III. *Bellarminum confundere μείζω cum μέσῳ*, & mox nsulsissimè de vtroq; nugari incipit: quasi non quiuis ex triuio caupo norit; quid *medij* nomine denotari soleat.

IV. Bellarminum *translatas mediatoris significationes à vera & propria, qua Christus mediator est, non distinguere.* Tandem Bellarminum *in verbis & vocibus istis grauissimè peccare.* Sine dubio Danæus ab illo, cui famulabatur, mentiendi priuilegium obtinuerat & assecurationem, fore, vt quidquid mentiretur, id à Caluinistis pro oraculo acceptaretur, alioqui tã prodigè, securè & flagitiosè mentiri vix ausus fuisset. Est quod & S. Thomas Danæo gratias agat: à quo nouo opere auctus est; nempe *Tertia Secundæ*. Nos hactenus primam Secundæ; & Secundam Secundę, & tertiam partẽ nouerамus, & in Scholis explicabamus: Nunc prodiit *Tertia Secundæ*. Adeo Danæus in S. Thomæ scriptis versatus est, vt ne eorum quidem nomina rectè proferre possit.

CAPVT II.

Refutatur error Stancari de Mediatore.

NIHIL ad hoc caput Iunius & Danæus, nisi quod iste stomachatur, Bellarminum tam enucleatè in Stancari opinationem inquirere. Quod cur reprehendat, non satis dispicio, cum tota fermè Caluinistarum Schola in hunc Stancarum insurrexerit, & acerbissimis scriptis sententiam eius flagellarit. An ideo Bellarmino succenset, quia perspicuè cernit, Caluinum & asseclas eius pugnasse cum Stancaro, velut vmbras & laruas; Bellarminum autē, vt inuicti roboris athletam? Ne autem à mendaciis longius Danæus abscedat, mentitur; Bellarmini & Magistri Sententiarum opinionem à Stancari errore non discrepare, quasi diceret Danæus: Mendacia, quæ vbique fundit, nil differre à vero. Legatur Bellarminus. Et è vestigio euanescet Danæana vanitas.

CAPVT III.

Refutantur ex Scripturis errores Caluinistarum & Lutheranorum de Mediatore.

PLERIQVE Hæretici huius ætatis volunt Christū exercere officium Mediatoris secundum vtramque naturam: quod testimoniis variorum Nouatorum ostendit Bellarminus, etiam Philippi, qui scripsit, *Deitatem Filij obediuisse Patri.* De hoc portento Philippico multa iam diximus ad præfationem huius Controuersiæ. Iunius hic excusare nititur: Eo argumento, *quòd Deus & Deitas in diuinis sint idē reipsa.* Si ergo verè dicitur; Deum obediuisse cœlesti Patri; verè itidem affirmabitur; Deitatem obediuisse Patri. Hæc non est excusatio, sed grauissima potius incusatio, & ad omnia fidei dogmata permiscenda & euertenda expeditissima ratio: nam si ob identitatem *abstracti & concreti* in diuinis verificatur de *abstracto*, quod verè enunciatur de concreto; verè itidem affirmabimus; Deitatem esse *incarnatam, ex virgine natam, crucifixam, mortuam, sepultam*; quia hæc omnia verè enunciantur de Deo in concreto. At quæ nam aures ab Eutychianismo puræ ferant illas enunciationes? *Deitas est nata, passa, crucifixa, mortua, &c.* Discat igitur iste prædicata vtriusque naturæ de eodem supposito prædicari posse; sed in concreto; quia tum significatur vnio vtriusq; naturæ in eadem persona; non autem in abstracto; quia tunc hæc vnio in persona per vocem abstractam minimè significatur.

Ait Iunius: tolerabiliorē esse hanc propositionem: *Deitas Filij obediuit Patri*: quàm istam: *Deitas Filij passa, crucifixa, mortua est; quia pati, crucifigi, mori* A *attingit naturam, & naturæ Deitatis aduersatur planè: illud non item; cum sit à voluntate; manente integra natura.* Quasi verò *subiici* & *subdi* non æquè attingat naturam diuinam ac pati & mori. Quasi verò obedientia diuinitatis non æquè tollat naturam diuinam ac passio vel mors, quia æquè repugnat naturę diuinę alicui subiici, ac pati & mori, cum ipsa sit omnium supremat de quo copiosè ad præfationem dictum est.

Est & hoc non obscurum Iunianæ subtilitatis specimen. *Natura, testibus philosophis, est principium motus & quietu, est autem duplex in Christo natura, ergo & duplex principium.* Quis hoc inficiatur? Vt natura humana est principium humanarum actionum, sic diuina diuinarum. De hoc non est hic B quæstio, vel dubitatio; sed de hoc: *num natura diuina sit principium operationum ad mediationem seu mediatoris officium pertinentium.* Hoc monstrare debebat Iunius; non illud, quod extra omnem controuersiam positum est: neque ideo, quia dicimus solam naturam humanam esse principium formale (ita vocat Bellarminus, hoc est, formaliter & immediatè eliciens & efficiens) operationum ad mediatoris munus spectantium, concedimus, vt imperitè Iunius insinuat, *ipsam naturam humanam esse principium formale operationum diuinarum*: cum operationes naturæ diuinæ sint extra censum earum operationum, per quas Christus mediatoris officium executus est.

Ait Bellarminus; inde etiam colligi, Nouatores velle, Christum secundum diuinam & humanam naturam fuisse & esse mediatorem, quod repudient sentētiam Magistri Sententiarum docentis, Christum fuisse mediatorē secundum naturam humanam tantùm, licet ipse mediator sit & esse debeat, Deus & homo. Oggerit Iunius: *Non sequitur; improbāt hoc dictum Magistri, ergo negant Christum ratione formalis principij mediatorem esse.* Atqui hoc argumentum nec fecit Bellarminus; nec faciendum vel leuiter insinuauit: neque enim dicit; Sectarios negare Christum ratione formalis principij mediatorem esse: Sed sic argumentum institui deberet, si quis non cauillari, sed ex mente Bellarmini ratiocinari vellet. Hæretici reiiciunt sententiam Magistri, dicentis, Christū Deum D & hominem esse mediatorem secundum humanam naturam tantum, non secundum diuinam, loquendo de principio quo mediatoria opera exercentur & immediatè eliciuntur. ergo hæretici sentiunt Christum esse mediatorem secundum humanam & diuinam naturam simul, ita vt æquè diuina natura sit principium, quo eliciuntur & efficiuntur opera mediatoria, ac natura humana.

Obiicit Iunius: *Christus vt mediator, non tantùm fecit humanas operationes, sed & diuinas, ergo etiam secundum diuinam naturam mediator fuit.* Respondeo, antecedens esse falsum, si intelligatur de operationibus ex diuinitate, tanquam ex principio efficiente *quo*, procedentibus; nam, vt sic, quate-

nus

nus mediator; nullas diuinas operationes fecit; qa per diuinas operationes nõ est functus officio Mediatoris. Verum autẽ erit antecedens, si intelligatur de diuinis operationib. ratione principij *quod*, seu suppositi; sic enim omnes Christi operationes fuerunt diuinæ; etiam illæ, per quas officium Mediatoris obiit: quia omnes ab illo, qui verus erat Deus, processerunt: sed non sequitur; *ergo etiam secundum naturam diuinam Mediator fuit*: vt infert Iunius; quia secundum humanas tantummodo actiones Mediator fuit, quæ diuinæ fuerunt ratione suppositi.

S. Leonem affirmare; *solius diuinitatis opera esse illuminare mentes, remittere peccata, &c.* Mendacium est Iunianum, eo certè sensu, quo id à Leone asfertum credit Iunius. Nec euincitur hoc ex isto B dicto, Serm. 1. de Natali Domini: *Nisi esset verus Deus, non adferret remedium: nisi esset verus homo; non præberet exemplum*: Nam verus Deus attulit nobis remedium. Verus Deus nos redemit, verus Deus, tanquam mediator, nos Patri reconciliauit; sed per opera naturæ humanæ; non per actiones naturæ diuinæ.

Dictum Sarnicij: *Diuinam naturam Christi esse Pontificem & Sacerdotem: humanam verò, sacrificium:* nullo malagmate est sanabile. Nititur tamen Iunius medicinam facere monstro, quantumuis insanabili: *Sarnicium nil aliud voluisse, quàm Christum, etiam secundum naturam diuinam, esse mediatorem: non exclusa tamen humana.* Voluerit hoc Sarnicius, quanquam dictum eius longè est crudius & rudius; an ei vllam facit iniuriam Bellarminus, cum illum in eorũ classe collocat; qui Christum secundum diuinam naturam Mediatorem fuisse contendunt? C

Ait Bellarminus: Christum secundum humanam naturam solummodo fuisse mediatorem, si sermo sit de principio formali, non de ipso supposito. Iunius. *Negamus.* Et en negationis geminam rationem. *Nullius diuinæ operationis principium formale est natura humana: Christi, qua Mediator, plurimæ sunt diuinæ operationes: in Christo igitur, qua Mediator, alterum quoddam principium formale insit operationum illarum necesse est: Diuinarum autem non potest nisi diuinum esse; vt in fine præcedentis capitis Bellarminus confessus est, &c.*

Respondeo, per distinctionem Minoris. Christi, qua mediator est, plurimæ, (imò omnes) sunt operationes diuinæ, respectu suppositi, seu vt à supposito procedunt; concedo Minorem: Christi, qua Mediator est, plurimæ sunt operationes diuinæ ratione naturæ, *& principij formalis*, quo proximè opera mediationis eliciuntur, nego Minorẽ. Quibus fulmentis eam fulciet Iunius? D

Alterum argumentum ducit Iunius ex operationibus, quæ Bellarminus capite primo Mediatori tribuit: *Arbitrium inter Deum, & homines supra humanitatem est: hoc autem primum opus mediationis est, vt suprà c. 1. dictum: quoddam igitur opus mediationis supra humanitatem est. Quod autem supra humanitatem est, id est diuinitatis: arbitrium ergo diuinitatis est, non dico solius, sed cum assumpta humanitate, seruatis naturæ vtriusque proprietatibus.*

Respondeo, antecedens esse verum de humanitate seu natura humana non vnita hypostaticè Deo; falsum autem de natura humana, quæ in eodem supposito cum Filio Dei subsistit. Talis est natura humana Christi, secundum quam Saluator noster inter Deum & homines arbiter fuit: cuius operationes ex diuino supposito infinitam contrahebant dignitatem & incomparabilem valorem.

Ex officio internuncij sic argumentatur Iunius: *Nemo primus, & summus internuncius rerum esse diuinarum potest, nisi Deus per Deitatem suam: Christus autem primus, & summus internuncius rerum diuinarum est: Christus ergo Deus per Deitatem suam, velut principium formale, est rerum diuinarum internuncius.*

Respondeo, Maiorem esse falsam. Quã probat Iunius: *Nam quemcunque alium comminiscamur internuncium, tandem ad Deum ipsum veniamus necesse est; eumq; rerum suarum agnoscamus interpretem.* Non agimus hic de Interprete, sed de internuncio, qui ad partes diuersas pacta & responsa defert; quo pacto, qui Deum sui ipsius internuncium facit, is, quid internuncius sit, ignorare se, planum facit. Nam, vt nemo est mediator sui ipsius; sed diuersarum partium; sic & internuncius sui ipsius nemo esse potest: non igitur Christus internuncius fuit secundum naturam diuinam, sed secundum humanam.

Nec obstat illud: Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam. Filius vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Quia hic nihil de internuncio agitur; & vt ageretur; dicendum esset; Filium enarrasse, & vt internuncium, cœlestia mandata hominibus patefeciisse, non secundum diuinam, sed secundum naturam humanam. Nec obstat alter locus Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi is, qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*: id est, Interprete Iunio, *nemo primus, & summus est internuncius rerum diuinarum, idemq; certus, & perfectus, nisi qui Deus est, etiam qua Deus est. hæc autem est persona λογου, sermo Dei, Christus Iesus, in cœlo, terrãque pariter diuinus interruntius à Patre apud nos, à nobis apud Patrem.* Rem factam, confectamq; haberet Iunius, si hunc Iunianum commentarium in locum Ioannis suffragio nostro approbaremus. Quod dum non fit; haud procliue erit, vt persuaderi nobis sinamus, Christum secundum diuinam naturam esse, vel etiam ante incarnationem fuisse, *internuncium Dei ad nos*; quia sui ipsius internuncius fuisset: quod cum internuncij natura & munere pugnat. Et si quid nobis nunciasse dicitur Verbum ante incarnationem; non excluditur Pater & Spiritus sanctus; quia opera Trinitatis ad *extra*, sunt *indiuisa*: Adde, aliud esse, *nunciare*: aliud; *internunciare*: aliud; nuncium agere; aliud; *internũcium*, quia hoc duas mutuas & oppositas partes designat.

Ex tertia notione mediatoris, quæ est, esse ad-

uocatum

uocatum & interceſſorem, hoc argumentum ſtruit Iunius: *Ne tota quidem natura, vt natura eſt, ſufficiens exſiſtit præſtando operi, vel vnico ſupra naturam. Iuſta autem interceſsio pro peccatoribus, & ſufficiens apud Deum, eſt opus ſupra naturam: ergo nec tota natura eſt ſufficiens ad hanc interceſsionem iuſtam.*

Reſpondeo, Maiorem eſſe veram de naturâ hypoſtaticè cum Deo non vnita, falſam de natura hypoſtaticè cum Deo iuncta: qualis eſt natura humana Chriſti. Minor eodem modo diſtinguitur. Iuſta & ſufficiens interceſsio apud Deum pro peccatoribus, eſt opus ſupra naturam; præcisè ſpectatam; concedo; at non eſt ſupra naturam, vt in hypoſtaſi diuina ſubſiſtit. Idem argumentum veſtit Iunius hac itidem veſte. *Natura non poteſt principium eſſe ſupernaturalis operationis: hæc autem eſt operatio ſupernaturalis: ergo huius principium non poteſt eſſe natura tota: ſi non tota, ergo nec humana: ſi non humana; ergo nec humana Chriſti ſimpliciter: quandoquidem ſecundum eam ſimilis per omnia fratribus factus eſt.* Hebr. 2. Reſpondeo, Maiorem eſſe veram de natura præcisè, vt talis eſt; non de natura cum gratia vnionis hypoſtaticæ, & habituali, qua humana Chriſti natura vberrimè perfuſa fuit.

Ex opere ſatisfactionis hoc telũ cudit Iunius: *Nullũ principium niſi Deitatis ipſius, principium ſatisfactionis eſſe poteſt, quæ conſtare coram Deo poſsit; ſequitur ergo quod antea, Chriſtum ſecundum naturam diuinam mediatorem fuiſſe ſoluendo & ſatisfaciendo cœleſti Patri pro nobis.* Reſpondeo, Antecedens eſſe falſum, loquẽdo de principio formali proximo, *quo* actiones ſatisfactoriæ cliciuntur: tametſi verum eſt, illum, qui pro nobis ſoluit & ſatisfecit parti læſæ, debuiſſe eſſe Deum & hominẽ; ſiue principium, *quod* operationes illas exercebat non potuiſſe aliud eſſe, niſi Deum.

Tandem hoc miſsile mittit Iunius: *Regnare ad ſalutem, & ſaluum facere, proprium Deitatis eſt: quod omnes Prophetæ, & Apoſtoli clamant: horum ergo principium non poteſt eſſe humanitas: ſi enim eſſet, certè operatio non foret propria Deitatis.* Reſpondeo, negando antecedens. Nam Chriſtus ſecundum humanam naturam propriè fuit & eſt Rex, regnatque & regnauit ad ſalutem noſtram: propriè etiam nos ſecundum humanam naturam redemit & ſaluos fecit.

Obiicit Iunius: *Aut Chriſtus non eſt mediator, aut ſecundum vtramque naturam mediator eſt.* Neutrum verum eſt: nec hoc poſterius aſſeritur à S. Leone quem perperam citat Iunius, quia S. Leo non dicit, *vtramque formam*, hoc eſt, vtramque naturam, agere opus ſeu opera Mediatoris ſeu mediationis; ſed vtramq; formam cum alterius communione agere, quod proprium eſt. De quo nemo orthodoxorum dubitat.

Profert Bellarminus illum locum; 1. Tim. 2. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Occurrit Iunius: *Non ſequitur: Mediator homo: ergo Mediator, qua homo, vel ſecundum naturam humanam ſolùm.* Imò ſequitur. Cur enim Apoſtolus addidit; *Homo*, niſi vt exprimeret naturam, ſecundum quam Chriſtus eſt Mediator? Alioquin voculam omiſiſſet, contentus dixiſſe: *vnus & Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.*

Citat Bellarminus pro hac ſententia S. Auguſtinum. Recinit Iunius. *Auguſtinum de natura vna ſic dicere, vt non excludat alteram; de perſona enim dicere, quæ perſona eſt facta caro, ac proinde Mediator, non qua Deus ſolùm, ſed qua Deus & homo.* Quis locus adeo perſpicuus & dilucidus erit, cui per hanc Iunianam audaciam aliquis tenebrio tenebras offundere non poſsit? En S. Auguſtinus lib. 2. de gratia & peccato originali cap. 28. diſertiſsimè dicit, Chriſtum non eſſe *mediatorem per hoc, quòd eſt æqualis Patri*, hoc eſt, per naturam diuinam: & cauſſam reddit: *quia per hoc*, id eſt, per humanam naturam, *quantùm Pater, tantùm & ipſe diſtat à nobis. Et quomodo erit medietas, vbi eadem ipſa diſtantia eſt? Ideo Apoſtolus non ait, vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus; ſed, homo Chriſtus Ieſus, per hoc ergo mediator per quod homo.* Quid euidentius, quàm ex ſententia D. Auguſtini, Chriſtum ſecundum humanam duntaxat naturam eſſe mediatorem; quia diſertè dicit, eſſe mediatorem ſecundum id, & quidem ſecundum id ſolum, quo diſtat à Patre, hoc eſt, ſecundum humanam naturam, hac enim ſola diſtat à Patre, cum ſecundum id, quo non diſtat à Patre, hoc eſt, ſecundum naturam diuinam, nulla poſsit eſſe medietas; nam qua ratione medietas eſſe poteſt, vbi nulla eſt diſtantia ſeu differentia, ſicuti nulla eſt inter naturam diuinam Filij & Patris, cum ſit eadem numero. Quocirca vaniſsima ſunt illa Iunij gloſſemata, quibus verba & ſenſum S. Auguſtini inobſcurare nititur. *Per hoc ergo Mediator, per quod homo*: nimirum *factus eſt*, inquit Iunius. imò, velis nolis, per humanam naturam: Nam per illud eſt Mediator, per quod diſtat à Patre, per quod eſt inferior Patre, & *propinquior nobis*, vt loquitur S. Auguſtinus, vt hoc eſt natura humana, & quidem ſola. *Inferior Patre*, inquit ſanctus Auguſtinus, *per quod nobis propinquior.* Aſſuit gloſſa Iuniana. *Nimirum qua Deus, voluntaria œconomia; qua homo, natura.* Vbi iterum ſtolidum illud ſuum ſomnium reponit, de quo libro primo; Chriſtum ſecundum naturam diuinam potuiſſe Patri ſubiici; ſed per *œconomiam*, ſeu *diſpenſationem*; aſt Iunianam, ex malè feriato cerebro prognatam: Nulla enim vera œconomia fieri poteſt; vt id eueniat, quod eſt prorſus impoſsibile. At vt Chriſtus ſecundum naturam diuinam ſit Patre ſuo inferior, prorſus eſt impoſsibile, nec in vllã ſanam & rectam intelligentiam cadere poteſt.

Hæc religioſè credimus atque profitemur, inquit Iunius. Certè religioſè tantum monſtrum credi non poteſt, nempe, Chriſtum ſecundum diuinam naturam eſſe Patre ſuo inferiorem, neſcio per quam ex Caluini ſchola eductam œconomiam. Nam vt fieri nequit per vllam diſpenſationem, Deum non eſſe Deum; ita fieri nequit diuinam naturam alicui ſubiici.

Et

Et tamen hanc suam stultitiam mox recoquit Iunius, & recoctã lectoribus suis propinat, cum ait; *Christum cum Deo comparatum distingui à Deo duobus modis*: (obserua, loquitur Iunius de Christo secundum naturam diuinam) *natura & œconomia, natura enim secundum personam distinguitur à Patre.* (Mirus loquendi modus, & apud Theologos inauditus. *Filium natura distingui secundum personam à Patre.* Quid hoc locutionis? Natura distingui Filium à Patre, pessimè sonat, quomodocunq; per illud, *secundum personam*: restringatur: quia Filius nullo modo natura distinguitur à Patre; Nec distinctio illa personalis, est distinctio naturæ, vel natura; sed est realis distinctio, non naturæ, vel naturarum, vel natura, sed personarum seu hypostaseon.) *Œconomia secundum officium distinguitur ab essentia Dei, vt mediator est*: imò etiam essentialiter, per naturam, secundum quam Christus mediator est, à Deo distinguitur, quia natura humana essentialiter secernitur à natura diuina. Sed aliud vult Iunius: nempe ipsam Christi diuinam naturam distingui secundum officium mediatoris à diuina essentia; idq; per voluntariam œconomiam in officina Iuniana fabrefactam. Quin & ipsam Verbi hypostasin cum natura diuina Patri subiicit; quia eadem *persona*, inquit Iunius, *quæ secundum naturam* (Diuinã) *Deus est æqualis Patri, secundum voluntatem & Deo, & seipsa minor.* En per *phantasticam* Iunij dispensationem statuitur persona Christi, quatenus est diuina hypostasis, & natura diuina Christi, minor Patre; & huc peruersissime detorquentur illa; *Pater maior me est*: etiam secundum personam & diuinam naturam; quia Filius per voluntariam dispensationem, & quoad personam & quoad naturam diuinam, Patre minor esse voluit. Et huc etiam rapit exinanitionem illam, de qua Apostolus ad Philip. 2. quasi hæc exinanitio facta fuerit secundum personam in seipsa, & secundum diuinam naturam; non secundum naturam humanam assumptam; & quasi vllo modo possibile sit, vt persona diuina in se, vel in natura diuina sese exinaniat, demittat, subiiciat; quanquam negandum non est, ipsam personam Verbi sese exinanisse, & humiliasse; at non in ipsa persona sua vel natura diuina; sed in natura humana assumpta.

Cum Christus dicitur, inquit Caluinista, *minor Patre secundum humanitatem, de persona diuina dicitur, quæ in sese inaniuit seipsam voluntariè* (falsum hoc & impium est; persona diuina in sese non potest seipsam exinanire, etiam voluntariè & œconomicè sicuti nec Deus in sese seipsum exinanire valet) *& in humanitate assumpta facta est minor naturaliter.* At non in se, sed in sola humana natura, quæ naturaliter minor est diuinitate.

Danæus hoc spiculo Bellarminum appetit, *Deus ipse sibi dicitur reconciliasse mundum 2. Cor. 5. v. 18. ergo Deitas etiam ipsa operata est, & quidem tanquam principium formale in operibus nostræ secum reconciliationis.* Respondeo, negando consequentiam, de qua probanda nihil penitus Danæus cogitauit; quamuis vel maximè cogitatum oportuit; Nam Deus ipse sibi reconciliauit mundũ, sed per operationes & perpessiones humanæ naturæ Christi.

Sed en alterum Danæi telum. *Disertè scribitur Christus per spiritum æternum sese pro nobis obtulisse: ergo in ea oblatione operatus est æternum Christi spiritus, id est, diuina ipsius quoque natura.* Quis negat, diuinam Christi naturam in salutis nostræ procuratione aliquid egisse? Egit vtique; quia Christum pro nobis tradere voluit, & reuera etiam tradidit: sed hoc abnuimus, diuinam naturam, vel Christum per diuinam naturam tanquam per principium formale immediatum *quo* egisse aliquid, quod opus mediatorium siue mediationis appellari possit. Itaque si quid ad rem Danæus dicere cupiebat, non probandum erat, Deum, etiam qua Deus est, aliquid circa salutem nostram operatum esse; sed Christum, qua Deus est, seu secundum naturam diuinam, opera mediatoria exercuisse, tanquam per principium formaliter opera mediationis efficiens.

Dicit Bellarminus, Caluinum ridere has expositiones: *Vnus Deus*, id est, *Trinitas*. Creditis in Deum, id est, *in Trinitatem. Falsum ridere*, obstrepit Iunius. Quomodo non ridet; qui in epistola ad Polonos, *quid*, inquit, *blateret Stancarus, nihil moror.* Mox, *quod ergo ab eo dicitur, vnus Deus, & vnus mediator, id est, Trinitas*: Item, *vt cognoscant te verum Deum, id est, Trinitatem, &c. non modò tanquam insipidum, sed profanum quoque repudiamus.* An non est hoc ridere prædictam expositionem, vt dicebat Bellarminus?

Ait Iunius: *non negare Caluinum, alibi nomen Dei vsurpari pro Trinitate*: ac proinde Caluinum non ἀγνοεῖν. Neq; Bellarminus dixit, Caluinum nomen *Dei* nusquam pro tota Trinitate positum agnoscere; sed id ei vitio vertit; quòd in illis locis: *Vnus Deus, &c.* &, *creditis in Deum*, vocabulum Dei pro *Trinitate* accipi inficias ierit: cum sensus loci eam acceptionem non modò admittat, sed &, consideratis omnibus circumstantiis, exigat, cumq; in eandem sententiam sancti Patres à Bellarmino citati conspirent.

Vociferatur Iunius. *Fraudem facit Auctoribus.* At Bellarminum Patribus nullam fraudem facere, docent illa ipsa testimonia, quæ Iunius ex sancto Chrysostomo & Oecumenio Græcè recitat, & quæ indicarat etiam ipse Bellarminus: Disertè enim tam Chrysostomus, quàm Oecumenius ait; per illud: *Vnus Deus*: non excludi, Filium & Spiritum sanctum; sed tantummodo *Deus gentium*. Si ex sententia horum Auctorum non excluditur Filius & Spiritus sanctus, vox ergo *Deus* eo loci non pro solo Patre, sed pro tota *Trinitate* accipitur. Idem iudicium est de illo apud S. Ioannẽ: *Vt cognoscant te verum Deum, &c.* Et tamen hæc, quæ à Patribus traduntur, Caluinus non tantum vt *insipida*, sed & vt *profana* respuit.

Citat Bellarminus S. Augustinum in Psal. 29. vbi ait, ab illo explicari eum ipsum Apostoli locum: *Vnus Deus, vnus & mediator, &c.* Occinit Iunius. *Augustinus ibi locum explicat Rom. 8. non autem 1. Timoth. 2.* Sed locus S. Augustini inspectus hanc animaduersiunculam Caluiniani confestim vanitatis redarguet. Tametsi enim verbis proximè antecedentibus S. Augustinus egit de illo Apostoli dicto: *Qui sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, tamen immediatè post delabitur ad locum Apostoli de Mediatore 1. Tim. 2. *Quare*, inquit, *interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Quid est mediatorem esse inter Deum & homines, &c.* An non his & iis, quæ subiicit, explanat locum Apostoli ad Timotheum de vno Mediatore? Et hæc aliaque S. Augustini clarissima verba tractat Iunius arte consueta: Nam inter cætera sic loquitur S. Augustinus: *Inter illam Trinitatem & hominum infirmitatem & iniquitatem, Mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus*; Sensus est, inquit Caluinianus Glossator, *Christus qui Mediator est à Patre datus, & stitit voluntariè seipsum vadem, hic ergo factus est homo, &c.* Quid est deprauare & corrumpere, si hoc non est? Quid est impostorem agere, si hoc non est? Nam vel solis luce clarius lucet, verborum S. Augustini non esse hunc sensum, quem Caluinista perfidè comminiscitur; nempe eum, *qui à Deo datus sit mediator, hominem esse factum*; sed; mediatorem inter Trinitatem & homines peccatores, fuisse & esse hominem, non iniquum; sed tamen infirmum, *vt ex eo, quòd non iniquus, iungeret te Deo: ex eo quòd infirmus, propinquaret tibi: atque ita vt inter hominem & Deum mediator existeret, Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factus est.* Nec dicit S. Augustinus, vt fingit Iunius, *Mediatorem Christum factum esse hominem*; sed; Verbum carnem seu hominem factum, *vt inter hominem & Deum mediator existeret*: nimirum per humanam naturam.

Nec verum est, quod Caluinus semper ingeminat in Epistolis ad Polonos contra Stancarum, Christum, etiam ante Incarnationem fuisse mediatorem, & quidem reipsa: ex quo concludit eum secundum diuinam quoque naturam mediatoris munus obiisse; nam ante Incarnationem non fuit mediator, nisi respectu & destinatione ad humanam naturam à Verbo aliquando hypostaticè assumendam; neq; reipsa opera mediationis seu mediatoria ante assumptam carnem peregit; sed quidquid gratiæ & beneuolentiæ diuinitus sanctis concedebatur, id fiebat dependenter ab operibus mediatoris aliquando futuris.

Obiicit Caluinus cum suis; admittendam esse in diuinis *quaternitatem*, si à tota Trinitate distinguatur Mediator. Negat Bellarminus *quaternitatem* sequi. Nam idem Christus propter duas naturas, numeratur inter personas Trinitatis, cui debetur satisfactio. Et simul ipse est, qui satisfacit, ipse enim vt homo est, mediator est; ad ipsum, vt Deus est.

Oggannit Iunius. *Omnino sequeretur quaternitas, data oppositione personæ, ad quam Caluinus, & alij respexerunt. Nam si vnus Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus (vt certè vnus est) Mediator verò alius est, & tamen Deus: quatuor personæ planè futuræ sunt: quod est falsissimum.* Quis dicit; Mediatorem esse alium, quàm Filium Dei? An non sonora voce profitemur, Filium Dei esse Mediatorem; & Mediatorem esse Filium Dei; secundam sanctissimę Trinitatis personam? Idem prorsus est Mediator & Filius Dei, at non secundum naturam diuinam, sed secundum humanam. Vbi ergo manet commentitia Iunij & Caluini in Trinitate *quaternitas*?

CAPVT IV.

Refellitur idem error ex Patribus.

PRÆTER conuicia & mendacia crassa, spissa, nihil ad hoc caput Danęus; *vt Bellarminum neque quid dicat ipse; neque quid Patres, neque quid Caluiniani; intelligere*: hanc propositionem esse Bellarmini: *Non potest vnus & idem, sacrificium offerre & accipere.* Ex quo infert: *Ergo idem Christus non potuit; ipse sibi sacrificium mortis suæ offerre, cum sit idem, & eadem persona.* Vbi Caluinista per summam improbitatem omittit illud, quo addito, omnis impostura è vestigio in fumum diffluit. Nam Bellarminus ita loquitur: *Non potest vnus & idem, VT IDEM, sacrificium offerre & accipere*: Sed (Christus) *sacrificium accepit, vt Deus, ergo non offert vt Deus; offert igitur tantùm, vt homo.* Quæ Bellarmini verba totam Danzanæ vanitatis machinam dissiciunt.

Iunius, præter inanes tautologias & pseudologias, vix quidquam ad hoc caput annotat. Fixus in illo suo phasmate hæret; *personam Christi in se esse sacerdotem, & Mediatorem: etiam secundum diuinam naturam*; tametsi non excludat naturam humanam: licet forsitan facilè adduci posset, vt excluderet, quandoquidem Christus etiam secundum solam diuinam naturam mediatoris munere fungi valet, in Schola quidem Caluini, qui in Epistola ad Polonos contra Stancarum, contendit, Christum, ante Incarnationem fuisse itidem Mediatorem. Si nondum assumpta natura humana mediator fuit, quid ni & *Pontifex*? Nec abnuere videtur Iunius, cuius sunt hæc deliria potius, quàm verba: *Nostras omnium simul, qui in terra vbiuis locorum sumus, preces audire, accipere & offerre simul esse naturæ diuinæ opus, siue personæ secundum naturam diuinam: hoc autem Pontificiu atque Sacerdotiu officium esse, qua Pontifex & Sacerdos noster est.* Vbi videsChristi personam secundum diuinam naturam statui à Iunio Pontificem. Quo paradoxo posito, causæ nihil habet Iunius, quò minus Christum, etiam ante Incarnationem Pontificem

fuisse

fuisse profiteatur: maximè cum dicat: *supradicta Pontificiæ munia non posse obiri à Verbo seu Filio Dei, vt homo est*; licet imperitè agat, qui angustiis sui pectoris amplitudinem & immensam potestatem Christi hominis metiatur.

Calumniatur Iunius, Bellarminum *mutilare Chrysostomi verba.* Iniuriam fieri Bellarmino fatebitur, quisquis vel altero duntaxat oculo Chrysostomum inspexerit. Nam quidquid ad rem faciebat, bona fide attulit. Vbi rursus delirat Iunij acumen, personam Christi, seu Christum secundum naturam diuinam, *quatenus mediator factus est, dispensatione voluntatis, & quatenus idem minor seipso factus est: non esse Dominum rerum dominio naturali, quòd dominium hoc deposuerit quodammodo cedens per œconomiam*; quod perinde est, ac si diceret; Christi personam, seu Christum quando naturam humanam assumpsit; diuinitatem exuisse, & quodammodo deposuisse, cedendo per œconomiam; nam personæ Christi, eiusque diuinæ naturæ tam est naturale rerum omnium Dominium, quàm naturale est ei esse ens primum; à se; independens; & quàm parum hoc Christus deponere potest, tam parum & illud possibile est deponere. Dominium autem *dispensatiuum* seu *œconomicum* & *mediatorium*, de quo Iunius hic somniat, non aliunde prodiit, quàm ex malè dolata Iunij phantasia, ad quam proinde iure suo remittitur.

Iterum ingerit Caluinista suum illud monstrum: *Exinanitionem conuenire personæ Filij secundum naturam diuinam*: Quasi nimirum aliquid quod alioquin ei, vt Deo competit, per assumptionem carnis deposuerit. Item: *Christum secundum naturam diuinam assumpsisse formam serui.* Item: *Diuinam naturam esse assumentem: humanam verò assumptam.* Quasi verò natura diuina; non Verbum seu Verbi hypostasis carnem assumpserit; quanquam non nego huic postremæ propositioni posse bonum sensum subiici. Sed num eam bono sensu malus Caluinista accipiat, equidem dubito. Exinaniuit autem se Verbum non aliquid, quòd sibi secundum hypostasin, vel secundum naturam diuinam conuenit; abiiciendo; sed carnem nostram, terræ corruptibilem massam, in consortium hypostaticum recipiendo. Reliqua Iunij λῆροι sunt, & antegressis non absimilia deliria: sponte sua diffluentia & dilabentia.

CAPVT V.

Refellitur idem error rationibus.

IN hoc caput irruit Danæus instructus *fallacia manifesta ab equiuocatione.* Deinde, *fallacia à petitione principij.* Tertiò, *fallacia à coniunctis ad disiuncta.* Quartò, *fallacia à figuris dictionis.* Adiungit calumnias, vocitando Bellarminum; *lapidem, miserum, veteratorem: qui medium & mediatorem imperitissimè confundat.* Hisque effusis ac peractis receptui canit, tanquam re bene gesta, & ob prostrata Bellarmini argumenta, mercedem poscit. Hoccine est refutare, an nugari & conuiciari? Si sufficit crepare *fallacias*, & opprobriis aduersarium lacerare, nil tam solidum erit, quod scurra de triuio labefactare nequeat. Operæpretium autem fuerit si Iunio plectam corollam ex floscul is, quos in notulis suis ad hoc caput sparsit.

I. *Christum, qua Deus, seu secundum diuinam naturam, distare à Deo, œconomia voluntaria*; imò stultitia Iuniana. Quomodo enim distabit à Deo, hoc est, à natura diuina, quatenus Deus est, cum, vt sic, eandem diuinam naturam habeat? Num idem distat à seipso?

II. *Christus, qua Deus, distat à se quodammodo, quatenus inaniuit se.* Num secundum diuinam naturam ita se exinaniuit, vt aliquid deperderet?

III. *Bellarminus hanc œconomicam exinanitionem & à Deo distantiam Christi secundum diuinam naturam, in ratione secunda cogitur agnoscere; dicens*; Christum secundum vtramque naturam simul sumptam distare à cæteris hominibus, etiam à Deo Patre & Spiritu sancto, *nimirum κατ' οἰκονομίαν*, inquit Iunius, *dispensationis illius modo.* Flosculus hic tetrum & fœdum mendacium redolet: nam Iuniana ista œconomia Bellarmino hæc scribenti in mentem non venit: neque enim dicit vllo modo distare Christum à Patre & Spiritu sancto distantia illa œconomica, etiam secundum solam naturam diuinam; vt delirat Iunius: sed ait, distare secundum vtramque naturam simul & collectiuè siue iunctim spectatam; quia licet Pater Deus sit, & similiter Spiritus sanctus: atque adeò hoc intuitu Christus ab illis secundum diuinam naturã non distet; attamen nec Pater nec Spiritus sanctus est *Deus & homo* simul. In hoc ergo coniuncto seu copulato distat Christus à Patre & Spiritu sancto, & de hoc loquitur Bellarminus; non autem de fanatica illa Iunij œconomia & distantia.

IV. *Filium Dei secundum naturam diuinam differt à Patre & Spiritu sancto non natura, sed œconomia.* Rectè dixeris: phantasia Iuniana.

V. *Deus Filius, nec persona, nec natura à se differt, sed œconomia.* Quæ hæc œconomia, qua factum est, vt Christi persona & diuina natura ita à se distaret & differret, vt Christus secundum personam & naturam suam diuinam sibi ipsi potuerit mediator esse, atque adeo satisfacere?

VI. *Christus, vt homo solùm, non est persona.* Quid, quæso, est persona? An non hypostasis cum natura? seu in hypostasi subsistens natura? Faciamus per impossibile: Christi hypostasin sola natura humana præditam esse. An ideo non erit persona? Dicat quis; Flosculo huic posse commodum sensum subdi. Cur non subdidit Iunius, aut qui subdidisse credam, cum tot monstra passim vomat? Regula Lutheri est; *verba insidiosè loquentium contra illos esse interpretanda.*

Obiicit Iunius: *Operatio est personæ, mediatio verò est operatio, est igitur personæ mediatio.* Respondeo, operationem esse suppositi, vt principij, cui in scholis datũ hoc nomen, vt dicatur *quod*. Naturæ verò esse operationem, vt principij proximi & immediati, quo suppositum physicè operationes elicit & efficit. Si ergo Maior intelligatur de principio priori modo; conceditur, si de principio posteriore modo; negatur. Hunc in modum distincta Maiore, conceditur Minor, & conclusio iuxta distinctionem datam vel recipitur; vel reiicitur. Nam nemo Catholicus inficiatur personam Christi, seu Christum Deum esse mediatorem, sed quæritur; secundum quam naturam sit mediator, seu quæ sit natura, per quam, velut per proximum & immediatum principium, persona Christi, seu Christus Deus operationes mediatorias elicuerit & exercuerit. Nos humanam, eamque solam tale principium statuimus: sectarij diuinam quoque adiungunt.

VII. *Quæ ratio est corporis ad animam in nobis, eadem est humanitatis ad diuinitatem in persona Christi: corpus autem est instrumentum animæ, & nihil agit, nisi qua agitur ab anima, vt principio suo: ergo humanitas instrumentum diuinitatis est, & nihil agit nisi qua agitur ab agente principali suo.* Insignis flosculus: quasi verò vt corpus alioqui exanime omnem vitam & actionem, omnesque vitales motus ab anima nanciscitur; sic & natura humana à diuinitate, cum qua in eadem persona vnitur, præcisè quatenus ab illa sustentatur: omnem vitam, actionem, motusque vitales accipiat; hæcque omnia non habeat ex se, & ex donis diuinitus sibi infusis. Scio humanitatem dici *instrumentum diuinitatis* maxime respectu miraculosorum effectuum, sed non eo sensu; quem Caluinista insinuat; qui diuinitatem cõcipit quasi formam, quæ quodammodo humanam naturam informet; quæque omnes operationes humanæ naturæ in Christo eliciat, quemadmodum anima in corpore elicit omnes actiones motionesque vitales corporis. Quæ speculatio, nil aliud est, quàm rudis imaginatio.

VIII. Battologicus flosculus, *Christum, vt Deum, esse mediatorem sui ipsius secundum œconomiam voluntatis, non secundum rationem naturæ absolutè huius vel illius.* Mirabilem profectò œconomiam hanc esse oportet, quæ facit, vt Christus secundum personam & naturam diuinam, ita à persona & natura sua diuina distet, vt ipse sibi respectu personæ & diuinæ suæ naturæ mediator esse possit.

IX. *Christus mediator est secundum personam propriè, non secundum naturam.* Fuit ergo mediator ab æterno, quia personam ab æterno habuit. An non ipsimet Caluinistæ, & in his Iunius, passim dicunt; Christum seu personam Christi esse mediatorem secundum vtramque naturam, hoc est, secundum diuinam & humanam? Qua ergo ratione iam affirmat Iunius, Christum non esse propriè mediatorem secundum naturam, sed secundum personam, perinde, ac si diceret; Socratem non esse propriè grammaticum, seu grammaticæ disciplinę capacem secundum naturam, sed secundum personam? Dices. *Persona Christi propriè est mediator.* Non abnuo. Illud nego: personam Christi propriè esse mediatorem seu mediatricem, reduplicatiuè, secundum personam, vt loquitur Iunius: nam persona Christi secundum naturam humanam mediatrix est.

X. *Mediatio non conuenit personæ Christi secundum naturam communem Deitatis, id est, essentiam simpliciter, sed secundum naturam singularem vel formam subsistentem, quam personalitatem vocant.* En duas naturas statuit Iunius in diuinis. Vnam communem totius Deitatis; aliam singularem in singulis personis. Quasi verò non eadem numero natura diuina, quæ est in Christo; sit toti Deitati communis, quia nulla alia est in Patre & Spiritu sancto, quàm illa ipsa vel potius ipsissima numero, quæ est in Filio. Quod si personalitatem seu hypostasin Filij vocat *naturam singularem*: quæro, quo exemplo, quo auctore orthodoxo, & qua auctoritate id faciat? Scio, multorum iudicio, S. Cyrillum in epistola ad Successum, *naturam* pro *hypostasi* vsurpasse, cum dixit, *vnam naturã Verbi fuisse incarnatam*: at non quidquid S. Cyrillo licuit, licet quoque Iunio, nec tales loquendi formulæ trahendæ sunt in consequentiam. Quanquam Iunij locutio longè aliter tinnit, quàm illa Cyrilliana: cuius tamen ab antiquis aliæ itidem explicationes adferri solent. Quis non detestetur eum, qui dicat, in diuinis esse vnam naturam communem, & tres naturas singulares, singularum personarum proprias? Vt taceam, quod prius dictum, istum nescire, quid ipse & sui gregales loquantur, si mediatio seu mediatorem esse conuenit Christo secundum personam, non secundum naturam: Dicunt enim, *Christum esse mediatorem secundum naturam diuinam & humanam.* Ergo Christus, proprio ipsorum testimonio, secundum naturam humanam & diuinam mediator est: Cur ergo id inficiatur Iunius? cum quo qui desipere cogitat, dicere debebit; *Christum esse mediatorem secundum humanam & diuinam personam*, quandoquidem per naturam non est hic intelligenda illa totius Deitatis natura communis, sed quædam singularis, quam personalitatem vocant, hoc est, hypostasis. Si ergo in illa locutione per naturam diuinam intelligitur *hypostasis* diuina; etiam per naturam humanam accipere oportebit hypostasin humanam; Et sic tandem Iunius, & quotquot Iunianam stoliditatem complectuntur, in Nestorios vel Nestorianos transformabuntur.

XI. *Aliud est* (in diuinis) *natura communis, aliud singularis & indiuidualiter subsistens.* An non illa ipsa natura, quæ tribus personis est communis, singularis est, & indiuidualiter in personis subsistens? Quis vnquam in rectè sentientium Schola audiuit, in Trinitate *aliud esse naturam communem*

tribus personis; aliud naturam singularem & individualiter subsistentem?

XII. *Aliquas diuinas operationes externas, non esse communes toti Trinitati, sed pertinere ad vnam aliquam Trinitatis personam*: contra receptissimum illud axioma, *opera Trinitatis ad extra, esse indiuisa.*

XIII. *Opera mediationis, respectu hominum, totam Trinitatem communiter facere principio essentiali.* Tota igitur Trinitas pro nobis orauit; famem, sitim, & cæteras vitæ molestias pertulit; Tota Trinitas nata est, passa, crucifixa, mortua, sepulta, quia hæc omnia fuerunt opera *mediationis*; etiam respectu hominum, si igitur hæc opera & παθήματα à tota Trinitate, & non à solo Christo secundum humanam naturam processerunt; Tota ergo Trinitas mediator noster fuit.

XIV. *Christus mediator fecit opera mediationis, quæ ad homines spectabant, personaliter & singulariter principio terminali à quo*, id est, personalitate sua; hanc enim ineptè designat per *principiũ terminale.* Ergo Christus personalitate sua secundum se, natus, passus, crucifixus, mortuus fuit, quia hæc omnia fuerunt opera & παθήματα mediatoria, quoad nos.

XV. *Opera mediatoria, quæ Deum concernunt, non agit mediator sine essentia diuina.* Vbi aduerte primùm imperitiam Iunij, distinguentis *opera Mediatoris Christi in ea, quæ sunt respectu nostri, & in ea, quæ sunt respectu Dei*; quasi non eadem opera, quæ mediabant respectu Dei, mediauerint etiam respectu nostri, & vice versa. An non eadem passio, flagellatio, crucifixio, mors, quæ apud nos mediabat, mediauit quoque apud Deum, & è contrà? Deinde, obserua non minorem insipientiam; *personam diuinam posse aliquid operari non concurrente essentia*: quasi verò fieri possit, vt persona aliquid agat, (loquor de actione propriè) sine formali agendi principio, quod est natura seu essentia. Num Socrates, verbi gratia, potest aliquid operari ex sola personalitate sua, non concurrente ad operationem illam natura Socratis? Quàm parum hoc fieri potest, tam parum possibile est, vt persona Christi aliquid agat, non concurrente ad actionem illam natura diuina vel humana.

XVI. *Mediatoris actiones, quâ mediator est, aliæ sunt ad intra, aliæ ad extra.* Falsissimum est, si Iunius hæc vocabula vsurpet prout vulgo in Theologorum scholis vsurpantur: nam Christus per nullas operationes *ad intra* mediatoris officium exercuit, cum omnes istæ operationes, sint prorsus diuinæ, & vt in ente necessario necessariæ. Si autem per operationes *ad intra* intelligat, eas operationes, quæ solùm mediabant respectu Dei; & per illas *ad extra*, eas, quæ solùm mediabant respectu hominum; nego huiusmodi operum mediatoriorum distinctionem esse bonam; nam opus mediatorium ad vtramque partem conciliandam pertinet; alioqui non esset mediatorium, quippe non attingens duos extremos terminos. At si per operationes *ad intra* intelligat operationes *immanentes* naturæ humanæ Christi; non diffiteor, eas fuisse *mediatorias*, sed valde dubito num Iunius per nebulas loquens has significare voluerit.

XVII. *Christus secundum naturam diuinam est sacerdos. Et hoc respectu minor est Deo*, non natura, *sed consilio œconomico & libera voluntate.* Quasi verò libera sua voluntate potuerit se Christus secundum naturam diuinam facere minorem Deo.

XVIII. *Christus secundum diuinam naturam minor est Angelis ministerio œconomico & voluntario.*

XIX. *Ipsam Christi personam, qua Deus est, esse inferiorem Deo secundum voluntatis dispensationem & consilium œconomicum.*

XX. *Omnia sacrificia esse æquiuocè sacrificia, solum sacrificium Christi in Cruce esse vniuocè sacrificium.* probat acutissimè; *quia sacrificia gentium fuerunt falsa, Iudæorum typica, ergo tantum æquiuoca.* Quis abnuat notionem & rationem sacrificij Iunio optimè perspectam esse? Argumento est hic flosculus; præsertim, cum gentium sacrificia non ideo fuerint falsa, quòd non essent veri nominis sacrificia, sed quia falsis Diis immolabantur; nec ideo vniuoca ratio sacrificij dispereat, quòd rei futuræ sit typus & præsignificatio, cur enim vniuocatio cum typica ratione consistere non possit? Hedera pro foribus cauponis suspensa significat vinum vendibile, quod non significat hedera adhuc in silua florens; an ideo hæc & illa non sunt vniuocè hedera?

XXI. *Sacrificandi actio est personæ Christi secundum vtramque naturam communiter.* Est igitur Christus etiam secundum naturam diuinam sacerdos.

XXII. Flosculus Battologicus. *Quæ ratio est corporis ad animam in nobis, ea est humanitatis ad diuinitatem in persona Christi.* Summa est disparitas, vt supra indicatum.

XXIII. *Humanitatem Christi esse principium instrumentale diuinitatis, respectu omnium actionum, quæ humanitas Christi exercet.* Nihil igitur ex se & per se agit natura humana Christi.

XXIV. *Solam diuinitatem in Christo esse formale principium agendi, non autem humanitatem.*

Hos flosculos ex animaduersionibus Iunianis ad hoc caput enotare & excerpere libuit; vt cuncti perspicuè intelligant, quantum portentorum Caluinistæ sub doctrina sua de *Mediatore* alant: nec immeritò Stancarus, quantumuis perfidus Nouator, Tigurinos, Caluinum & asseclas: propter hæc de mediatore monstra; Arianismi, Eutychianismi, Apollinarismi, & similium hæreseon iam olim damnatarum palam postulauit in libris, quos de Mediatore contra istos euulgauit.

CAPVT VI.

Soluuntur argumenta aduersariorum deprompta ex Scripturis.

MENTITVR I. Danæus. *Bellarminum potentiam resurgendi tribuere humanæ Christi naturæ, non diuinæ*; & loquitur Danæus de potentia actiua, quasi ipsa humana Christi natura, qua humana est; habuerit in se seipsam excitandi & viuificandi potentiam actiuam, quod Bellarmino nunquam in mentem venit, quippe qui non sit ignarus, hanc potentiam principaliter soli Deo competere. Quid ergo vult Bellarminus? Hoc, potentiam sumendi animam, hoc est, potentiam passiuam resurgendi, conuenire Christo tantùm, quatenus homo est, seu secundum naturam humanam, non secundum diuinam; id quod verissimum est.

Imperitè dicit Danæus, eam virtutem & potestatem, per quam Christus potuit mori, *emanare ex eo, quòd idem hic, qui animam habebat; erat & est quoque Deus.* Quasi verò potentia moriendi prouenerit ex hoc, quòd Christus fuit simul Deus; & non inde, quòd naturam passibilem, mortiq; obnoxiam assumpsit. Dic, quæso, an nemo moritur, nisi qui homo simul & Deus est? Vnde proficiscitur potentia moriendi in quouis homine; inde similiter manauit potentia moriendi in Christo homine; potentia, inquam, passiua; Nam illa altera potestas quasi actiua ponendi animam arbitratu suo, concessa est diuinitus Christo secundum humanitatem.

Mentitur II. Danæus: *Bellarminum fallere transitione seu migratione de genere ad genus, nimirum, de re, quæ deponitur & resumitur; ad virtutem, qua ea res deponitur.* Vbi hæc transitio in Bellarmino? Solutionem secundi argumenti Caluinistici à Bellarmino allatam nominat Danæus *nihili*: Nec cur hoc probroso Epitheto eam afficiat, causam vllam reddit, probè gnarus à conuiciatore non reposci rationem, cur conuicietur. Mox mentitur III. Bellarminum agere *nugas nugerrimas.* IV. Mentitur, *eundem contradicere S. Thomæ.* V. *In Tertia Secundæ.* Nullus S. Thomæ hoc titulo liber exstat. VI. Mentitur, *apertè negare Bellarminum, Christum virtute diuinitatis in cœlum ascendisse.* VII. Mentitur, Bellarminum non omnia Caluinistarum argumenta attulisse, *quòd quid illis responderet, nihil omnino habuerit.* Nil opus omnia Sectariorum argumenta studiosius corradere & expugnare; quia euersis primariis, cætera sponte sua ruunt. Quãquam quid leuius & inanius illo, quod à Caluino inter prima collocatur. *Christus vt Mediator dixit Ioan. 8. Ego pono animam meam; ergo Christus non tantum secundum naturam humanam, sed & secundum diuinam Mediator est.* O abyssum acuminis Caluiniani supra omnem lacus Lemannici profunditatem.

Iunius in Notatiunculis ad hoc caput, *pingit tragelaphos & chimæras*, vt Iuniana loquendi formula vtar. Summa est: *Christũ Theanthropum, Deum & hominem, esse mediatorem.* Quis hoc inficiatur? Quæstio est, secundum quam naturam *Theanthropus* iste, hoc est, Deus & homo, sit Mediator. Huc, huc dirigat oportet Caluinista, si quid validorum spiculorum sua in pharetra. Nam quod de mediatore propriè dicto & analogicè sumpto, hic longos *logos* texit, nil aliud agit, quàm quòd ἀπροσδιόνυσος: Nam de Mediatore propriè dicto Bellarminus disserit, & nauci est hæc somniatio potius, quàm argumentatio: *Deus reconciliauit sibi mundum; ergo Deus vt Deus mediator est*: quia vt rectè respondet Bellarminus, nõ omnis qui reconciliat, continuò est mediator; quia mediatoris est reconciliare vnum alteri: at si quis per seipsum reconciliet sibi inimicum, is non dicitur mediator. Accedit, quòd Deus reconciliauit sibi mundum; Sed per Christum, quatenus homo est; atque adeò per Christum mediatorem.

CAPVT VII.

Explicãtur testimonia Patrum, quæ aduersarij proferunt.

DEBENTVR Danæo gratiæ. Ferè hoc caput tacitus præteruolasset. Ne tamen penitus obmutuisse videretur, hoc fudit mendacium; *tres distinctas solutiones*, quas dat Bellarminus ad locũ Dionysij Areopagitę de Theandricis operationibus, *argumento esse, quàm Bellarminus in his explicandis dubius sit ac incertus.* Quasi verò responsionum copia indicium sit dubitantis & incerti animi, & non potius de inuicta veritatis vi ac robore confidentis.

Ait Bellarminus, primam explicationem Theandricæ operationis esse posse, si quis hoc nomine intelligat vnam operationem propriam vtriusque naturæ, vt velle videntur aduersarij, & olim apertè voluerunt Monothelitæ. Clamat Iunius. *Imperitè dictum: Propriam vtriusque naturæ; nam si vtriusque naturæ est, non propria, sed communis est naturæ vtriusque, propria verò personæ.* Imò & propria vtriusque, & quidem copulatè, velis nolis, si neutri separatim competit, sed solùm vtrique coniunctim, vt cum Monothelitis sectarij velle videntur.

Dicit Bellarminus, omnia opera Christi mediatoris esse humana, spectando nimirum formale principium horum operum, quod est sola & vnica natura humana. Occinit Iunius. *Negatur hæc assumptio:* Non video, vbi sit assumptio, quam negas; nullam enim argumentationis speciem hoc loco formauit Bellarminus, vt aliquid assumere vel potuerit vel debuerit. Quidquid sit de phrasi, Iunius *Theandricas* in Christo actiones contendit esse duas actiones, & *vnam operationem*:

quasi

quasi aliud sit *actio*, aliud *operatio*; & quasi si actio duplicetur, non duplicetur itidem operatio: *Si*, inquit, *ambulare super aquas, est actionis duplicis vnica operatio* (nunquam dixit Bellarminus in illo miraculo vnicam duntaxat operationem interuenisse; sed, vt expressè duas actiones statuit; alteram humanam, qualis ambulatio, alteram, diuinam; vt dare aquis soliditatem, vt Christum ferrent, vel dare corpori hãc virtutem, vt liquidam naturam similiter ac solidam sine submersionis periculo calcaret: sic etiam duas statuit operationes, quia operatio & actio idem prorsus est, & duplicata actione, duplicatur itidem operatio. (*An non mortem subire & vincere itidem est*) sit *sane*. Sed mortem subire est actio, vel potius passio humana, & mediatoria; vt & vincere; at dare virtutem vincendi; actio diuina est; sed non mediatoria. Sic resurgere, & in cœlum ascendere, actio humana est; quia homo resurgit, & in cœlum ascendit: At indere virtutem resurgendi & ascendendi in cœlum; actio diuina est, sed non mediatoria; vt maximè priores illæ humanæ in mediatoriis actionibus numerari deberent. Sic venire è cœlo iudicatum viuos & mortuos, actio humana est; quia Christus, vt homo, ad locum iudicio destinatum descendet. At dare virtutẽ corpori Christi, vt è cœlis, modo illo admirabili, descendere queat, actio diuina est; ac proinde nõ mediatoria, quia nulla actio diuina considerando formale & immediatum principium mediatoria est, sed humana tantum. Et eadem est ratio aliarum actionum seu operationum theandricarũ, in quibus scilicet humana & diuina operatio concurrit.

Dicit Bellarminus, omnem in Christo operationem posse dici Theandricam ratione suppositi; quia omnis Christi operatio est Dei simul & hominis, hoc est, eius, qui est Deus & homo, citatq; Damascenum lib. 3. fidei Orthod. cap. 19. Iunius impudenter clamitat, hoc nusquam docere Damascenum. Obstupui, fateor, asseuerãdi præcipitem audaciam. An non sunt hæc Damasceni verba; præter alia eôdem pertinentia? *Nil aliud Theandrica actio significat, quàm quod Deo, viro effecto, hoc est, incarnato, humana quoq; ipsius actio diuina erat, hoc est, Deitate perfusa, nec diuinæ ipsius actionis expers*, (nimirum propter vnionem in eodem supposito, vt verbis antegressis declarauerat Damascenus) *rursusq; diuina ipsius actio humanæ ipsius actionis haud expers* (nempe propter vnionem cum natura humana in eodem supposito) *Verum vtraq; cum altera consideratur*, in vnione scilicet hypostatica.

Sed en argumentum argutissimum, quo Iunius efficere tentat, Christum etiam per naturæ diuinæ operationes munus Mediatoris exercuisse: *Qualis substantia personæ talis & operatio, & contra, qualis operatio, talis est & substantia: Est autem Mediator Theanthropus substantialiter Deus homo, substantiali mediatione, vt vocat Bellarminus cap. 1. Ergo Mediator vt mediator est, operationes mediatorias verè Theandricas, diuinas atque humanas, operatur.* Respondeo, si conclusio ita formetur & explicetur: *ergo me diator, vt mediator est, substantiali mediatione, operationes mediatorias, verè theandricas*, hoc est, *ex substantiali illa mediatione profectas, operatur*: conceditur totum argumentum, sed nihil est ad rem. quia Bellarminus hic non disputat de mediatore secundũ substantiam, seu de emdiatione substantiali; sed de mediatore & mediatione per operationem: Nam mediatorem mediatione substantiali operationes diuinas & humanas exercuisse, nemo rectè sentientium ignorat. Si autẽ in conclusione vox *Mediatoris* accipiatur propriè, vt quidem à Caluinista accipitur, pro mediatore per operationem; tum negatur maior; non enim verum est, talem esse operationem personæ in quocunque genere muneris, qualis est secundum quemcunq; respectum substantiæ seu naturæ personæ; nam fieri potest, vt officium, quod persona illa sustinet; huius vel illius substãtię seu naturę actiones non admittat, neque etiam admittere possit; quod in præsenti accidere affirmamus: nam munus mediatoris per operationem, admittit quidem, imò & necessariò exigit, vt principium *quod*, seu suppositum sit diuinum; at non exigit, imò nec exigere potest, quia fieri nequit, vt principium formale & immediatum operationum mediatoriarum, sit diuinum; ob causas iam sæpe in hac disceptatione allatas.

Dices: *Mediator est Theanthropos, Deus homo; ergo mediatoria eius operationes partim sunt diuinæ, partim humanæ.* Respondeo, negando consequentiam, si, vt debet, intelligatur de principio formali & proximè effectiuo operationum: quia nullis operationibus à diuina natura profectis munus & partes mediatoris Christus egit: Est tamen nihilominus mediator noster *Theanthropus*, quia operationes mediatoriæ, quæ per humanam naturam, tanquam per formale & proximum principium exercentur & eliciuntur; verè à Christo Deo & homine, atq; adeo à *Theanthropo* eliciuntur & exercentur.

Ait Iunius: *Mediatio substantialis est vnica operatiuæ mediationis mater* (non diffiteor, at non secundum diuinam, sed solummodo secundum naturam humanam) *& operatiua mediatio, germana est illius substantialis filia.* (at operatiua secundum & per humanam naturam, non secundum & per diuinam) *vnam qui tollit, ambas eâdem tollit.* Si quis mediationem substantialem in vnione hypostatica sitam, tollat; is vtique etiam mediationem in operatione positam tollit; quia Mediator necessariò debet esse Deus & homo. At si quis tollat mediationem in schola Hæreticorum fabrefactam per operationes naturæ diuinæ, is planè non tollit veram operatricem per opera humanæ naturæ mediationem, sed eam confirmat & stabilit.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta ex ratione petita.

DANÆVS etiam circa hoc caput ſuccinctus eſt, & paucilocuus, tametſi vanidicus, vt cum primam ſolutionem Bellarmini ad primam Hæreticorum rationem *nihil valere* pronunciat. Item, *Chriſtum, qua homo eſt, nihil apud Deum propriè eſſe meritum.* Quiritatur præterea, *Caluino fieri iniuriam à Bellarmino*; & vt mendacio ſuo aliquem colorem illinat, mentitur, *Bellarminum hoc Caluino dare crimini, quòd dixerit, Chriſtum fuiſſe caput Angelorũ*, cum Bellarminus hoc in Caluino minimè reprehendat, ſed quòd ſcripſerit, *Chriſtum, etiam ante lapſum Adæ fuiſſe mediatorem hominum & Angelorum*: quod vt rectè Bellarminus annotat, Arianiſmum ſat grauiter olet.

Ait Bellarminus: modum dandi Spiritum ſanctum meritorie, non eſſe Dei formaliter, ſed hominis. *Negatur diſtinctio*, clamat Iunius. Atqui nihildum Bellarminus diſtinxerat; ſed poſtmodum diſtincturus erat. Cur tu ante diſtinctionem negas diſtinctionem? Probat Iunius intempeſtiuam ſuam negationem. *Meritum mediationis eſt: ſed mediatio eſt perſonæ, ergo & meritum.* Reſpondeo ad Minorem, Mediationem eſſe perſonæ, at ſecundum naturam humanam, non diuinam, ergo & meritum eſſe perſonæ, at ſecundum naturam humanam, non diuinam.

Inſtat Iunius: *Quod eſt cauſſa cauſſæ, idem eſt cauſſa cauſſati, at formalis principij operatio eſt cauſſa meriti, ergo & rei meritoriæ.* Reſpondeo ad Minorem; operationem formalis principij humani, non diuini, id eſt, humanę naturę, non diuinæ, eſt cauſſa meriti, vel vt rectius loquar, ipſa potius eſt meritum; quia meritum eſt ipſe actus. Necdum argumentandi finis. *Solus Deus dat res diuinas formaliter, ſolus ergo dat Spiritum; Mediator autem dat Spiritum; dat ergo, qua Deus, formaliter.* Reſpondeo, Antecedens eſſe falſum; nam & Chriſtus, qua homo, res diuinas formaliter, vt cauſſa meritoria nobis obtinuit; vt hic & cap. ſequentibus docet Bellarminus; ipſe etiam, qua homo, inſtrumentaliter diuina chariſmata, formaliter qua talia ſunt, nobis impertit. Nonne ſacerdos baptizans infantem, vel abſoluens peccatorem, in Sacramento Confeſsionis; formaliter res diuinas tribuit baptizato & confeſſo? Niſi fortè baptiſmus & abſolutio, & vtriuſq; fructus ac effectus non ſit res diuina formaliter apud Iunium, qui mox cramben illam iam millies recoctam reponit, *Chriſtum, vt Deum, mediatorii munere fungi; Chriſtum ſecundum naturam diuinam Deo preces pro nobis offerre.* Citat D. Thomam 3. p. q. 8. a. 1. quem non intelligit, nam Chriſtum ſecundum naturam diuinã mediatoris officium obiiſſe & impleſſe; per neſcio quam *œconomicam diuinitatis exinanitionem*, ſancto Thomę in mentem nunquam venit. Qualia verò ſunt illa Iunij? An non monſtra? *Docere principaliter eſt commune opus Trinitatis:* (Recte hoc quidem) *ſed hoc docendi munus ex interna œconomia & relatione perſonis terminatur.* (Quid hoc rei?) *Itaq, officium docendi à Patre præſtitũ terminatur ad Filium: officium docendi à Patre & Filio, terminatur ad Spiritum ſanctum procedentem à Patre & Filio*: Ego hactenus arbitrabar officium ſeu actũ docendi terminari ad illos, qui docentur, ſeu ad auditores? Num Filius fuit vel eſt auditor Patris? Num Spiritus ſanctus eſt auditor Patris & Filij? Loquitur quidem Spiritus ſanctus, *quæcunq, audit* Ioan. 16. Sed Iunius de hac auditione non loquitur. An non & Spiritus ſanctus docet? Ad quam perſonã officium docendi, quo fungitur, terminatur? Num ad Patrem & Filium? O deliramenta, ex Iunij cerebro exſculpta; quibus tamen etiam Scholaſticos Doctores citra controuerſiam ſubſcripturos putat. Hiſcene inaniis & nebulis ſubſcriberent?

Leuia ſunt hæc, præ illis, quę Iunius mox ſubiicit. Chriſtum, *qua Deus eſt*, ſeu *ſecundum naturam diuinam, quatenus eam accepit à Patre, tanquã à ſuo principio, eſſe mediatorem inter Patrem & res creatas, quo mediante electi Angeli ſtant, & homines inſtaurantur*; & hoc ideo, quod Deus *omnia per Filium feciſſe dicatur.* Heb. 1. Vbi Iunius parum ab Arianiſmi fermento abeſſe videtur; Imaginatur enim ſibi, quaſi illud *per*, reſpectu Filij, non ſignificet cauſſam *principalem* in creatione & effectione rerum, & in collatione ſalutis cœleſtiumq; chariſmatum: ſed mediam quandam inter Patrem & res creatas. Quæ phantaſia ſatis eſt Ariana. Adiungitur quidem particula *per* Filio, vt denotetur ipſum eſſe principium medium, hoc eſt, principium de principio; ſed non *medium*, quaſi ſecundum diuinam naturam, ſeu quatenus Deus eſt, mediet inter Patrem & res creatas; quia ratione effectionis ſeu cauſſalitatis, æquè eſt Filius, etiã vt ex Patre procedit, vel procedere cogitatur; cauſa principalis, ac ipſe Pater. Eadem eſt ratio Spiritus ſancti; quę Iunius, rudi ſuæ ſpeculationi conuenienter, deberet facere mediatorem inter Patrem & Filium, & inter res creatas, quandoquidem etiam *in Spiritu, & per Spiritum ſanctum* operantur. Quàm verò hæc ſunt veræ Theologiæ conſentanea? vt & ſequentia: Chriſtum, *vt Deum*, ſeu *ſecundum diuinam naturam, eſſe particulariter*, hoc eſt, peculiari & alio modo, *quàm ſit Pater, caput Angelorum & hominum: & ipſum Patrem, qua Pater eſt, eſſe peculiariter caput Filij ſecundum diuinam naturam*: Et per conſequens, Pater & Filius peculiariter erũt caput Spiritus ſancti, quia ex Patre & Filio procedit. Quis vnquam audiuit talia in Catholica Eccleſia? Quis audiuit, Chriſtum, ſecundum diuinam naturam, quatenus ex Patre procedit, eſſe mediatorem omnium Angelorum & hominum communiter? Hæc tamen portenta Iunius hoc loco inuerecundè fundit, & ſemina non obſcura Arianiſmi ſpargit. Nihilominus verecũdè ab eo factum

inter-

interpretor, quod Caluinum à Bellarmino Arianiſmi poſtulatum, ſub cultro liquit; nec defendere voluit; & ſi voluit, Arianiſmi crimen non niſi nouis Arianiſmis diluit; ſi hoc eſt diluere, non potius crimen auctius reddere. Cæteræ Iunij notatiunculę ex dictis euaneſcunt. Vix quidquam præter *æquiuocationes* occinit. *Æquiuocum* videtur Iunio, quidquid Bellarminus aſſerit. *Exinanitionem illam voluntariam & œconomicam diuinitatis in ſe & ſecundum ſe*; ad nauſeam vſque decantat, eamque acutiſsimè probat ex Homero, *apud quem Iupiter ſæpe interuenerit*, hoc eſt, *mediatoris partes agit. Et Pontifex Romanus inter partes offenſas aliquando ſe mediatorem interponit. ergo etiam Chriſtus ſecundum naturam diuinam potuit ita voluntariè ſe demittere, vt per illam mediatoris munus obiret.* Quid hac ſubtilitate profundius? cui tamen multum gratiæ Iunius conciliaſſet; ſi eundem reſpectu eiuſdem naturæ, etiam apud ſe ipſum mediatorem eſſe poſſe demonſtraſſet. Quo non demonſtrato, tota ſubtilitas claudicat.

DIGRESSIO CONTRA LVTHERANVM MÆVIVM.

INTER errores, quos Illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus in libello, quem *Iudicium de libro Concordiæ* inſcripſit, Lutheranis obiecit, hic erat ſecundus, quod Chriſtus fuerit perfunctus munere mediatoris & Pontificis, non ſolùm per naturam humanam, ſed etiam per diuinam.

Mentitur Mæuius in Apologia *contra Iudicium Concordiæ*; idemque mendacium ſæpiſsimè iterat, Bellarminum negare, *Chriſtum Deum & hominem eſſe Mediatorem, Sacerdotem & Pontificem noſtrum*; cum hoc nemo orthodoxus abnuat; ſed hoc, quod longè aliud eſt; Chriſtum ſecundum naturam diuinam fuiſſe Mediatorem & Pontificem: nam Catholica aſſertio habet; Chriſtum, ſeu perſonã Chriſti fuiſſe mediatorem ſecundum & per humanam naturam tantùm, tanquam per principium immediatum, quo operationes mediatoriæ ſunt elicitæ & effectæ, quia opera mediatoria & ſacerdotalia Chriſtus, verus Deus & homo, tantùm per naturam humanã exercuit, tanquàm per immediatum principium *quo*, vt vocant.

Nouus error, vociferatur Mæuius, *nouorum Eſaiitarum, toti ſacræ Scripturæ repugnans, toti puriori antiquitati contradicens.* Clamores & calumnias audio; præterea nihil. Oggannit. *Non potuiſſe fieri, vt Mediator eſſet purus homo: ſed debuiſſe eſſe Deum & hominẽ, vtrag, natura diuina ſcilicet ac humana in eadem Verbi ſuppoſito vnita.* Non ignota refers. Sed vbi tua illa conſequentia. *Oportuit Mediatorem eſſe Deum & hominem, & ad hoc neceſſe fuit naturam diuinam & humanam in eadem Verbi ſuppoſito vniri; ergo Chriſtus fuit Mediator per operationes vtriuſque naturæ; diuina ſcilicet ac humana.* Iſtam conſequentiam deberet Mæuius formare, formatamq; ſolidè comprobare. Nunc *lallat* tantum, & inſulsè de rebus non intellectis boat: nam vt opera Chriſti eſſent Mediatoria; ſatis erat, vt eſſent opera Dei & hominis, vtramque naturam in eadem hypoſtaſi vnitam habentis; licet non eſſent opera ab ipſa natura diuina, tanquam à principio formali & immediato, elicita: quia hoc ipſo, quòd fuerunt opera edita à perſona infinitæ dignitatis, quamuis per principium effectiuum proximum & immediatum; finitum; infinitum valorem contraxerunt, & Deum hominibus, hosq; Deo reconciliare potuerunt: Et hoc tantummodo probant Scripturæ teſtimonia, quæ miſer Mæuius indoctè accumulat; qui quærit, *vtrum Chriſti humanitas ſola ſit aduocatrix an tota perſona, quæ eſt Deus & homo.* Reſpondeo, perſonam, quæ eſt Deus & homo eſſe aduocatricem, vel potius aduocatum & mediatorem noſtrum; ſed ſecundum humanam naturam tantùm, cum diuina tamen in eadem hypoſtaſi vnitam. Vrget vocabulum *tota*. Sed vt ſuo loco, cum de Chriſti ad inferos deſcẽſu diſputaretur, hoc vocabulum diſtinximus, ſic & in præſenti diſtingui debet. Si enim per *totam perſonam* non vtramque naturam, ſed ipſam præcisè hypoſtaſin Verbi intelligam⁹; tum tota perſona Chriſti eſt aduocatus & mediator noſter; ſi autẽ nomine *totius perſonæ* inuoluamus etiam vtramq; illius perſonæ naturam; tota perſona dici nequit aduocatus & mediator; quia natura diuina ſeu Chriſtus ſecundum naturam diuinam nec eſt nec fuit aduocatus & mediator noſter.

Obiicit Prædicans: *Mediatorem oportet vtriq, parti coniunctum eſſe & cognatum: ergo neceſſe fuit Mediatorem noſtrum eſſe Deum, ſiue natura diuina præditum.* Nemo it inficias. At Mæuius hanc concluſionem inferre debebat; *ergo neceſſe fuit Mediatorem ſecundum diuinam naturam mediatorii munus obiuiſſe.* Hoc infer, Mæui. Hoc ſi inferas, proba; aliàs aërem verberas, & multa agendo, nugas agis.

Mediator, inquit Bellarminus, per id, quo munus Mediatoris exercet, neceſſariò diſtinguitur ab eo, cuius eſt Mediator: Eſt autem Chriſtus mediator Dei & hominum, ergo ſi vt Deus Mediator eſt, vt Deus à Deo diſtinguitur: erunt itaque duo Dij, vnus maior, alius minor, vt Ariani volebant. Omiſsis conuiciis, quæ laxo ore Mæuius largiter vomit, concedit, *Mediatorem debere diſtingui ab illo cuius eſt Mediator.* Minorem negare non poteſt; cum ſit Apoſtoli, bona ergo prima concluſio; Bona ergo & altera illatio, quidquid inſulſus Mæuius contra oggannıat. Nam ſi Chriſtus vt Deus ſeu ſecundum naturam diuinam, ab illo, ratione cuius mediat; diſtinguitur; diſtinguitur ergo ſecundum naturam diuinam à Deo, quia eſt mediator Dei & hominum; erunt igitur duæ naturæ diuinæ, ſeu duo Dij.

Oggrunnit Mæuius: *Diſtinctionẽ hanc mediatorii non eſſe ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum perſonam quæ*

Filium realiter à Patre & Spiritu ſancto diſtinguitur. Hęc reſpõſio inprimis euertit hæreticorum aſſertionem; quia dicunt, Chriſtum ſecundum diuinam naturam fuiſſe mediatorem, ergo mediator fuit ſecundum id, ſecundum quod à Deo, atq; adeo à Patre & Spiritu ſancto non diſtinguitur, quia à Deo Patre & Spiritu ſancto ſecundum naturam diuinam non diſtinguitur. Deinde licet ſecundũ perſonã à Patre & Spiritu ſancto Chriſtus diſtinguatur realiter, nõ diſtinguitur tamen realiter à Deo, ſumendo hunc terminum eſſentialiter. Nec diſtinguitur perſona Chriſti à ſeipſa, & tamen, Chriſtus etiam reſpectu perſonæ ſuæ mediatorẽ agere debuit, quia & ipſe fuit pars offenſa ab homine. Si igitur mediator neceſſario diſtinguitur ab eo, cuius eſt mediator, vt concedit Mæuius, ſequitur, Chriſti perſonam à ſeipſa neceſſariò diſtinctam eſſe; quia *in ſe & ſecundum ſe, & inſuper ad ſe* mediatoris officium peregit, ſi non delirat Mæuius. Quomodo perſona in ſe, & ſecundum ſe Mediatoris functione fungi potuit; cum non operetur, niſi per aliquod principium formale & immediatum, quo actiones producat? Intelligit perſona hominis, ratiocinatur, cupit, amat, odit, ſed per principium aliquod operatiuum. Idem ergo in perſona Chriſti euenire debuit: *Mediauit.* Quo principio? Num duntaxat humano? An & diuino?

Oggannit Mæuius: *Filium diſtingui à Patre ratione officij; quod peculiare Filij eſt, id non item Patris & Spiritus ſancti eſſe.* Iſtud eſt petitio principij: nam diſtinctio inter mediatorem, & eos, ratione quorum mediat, debet eſſe realis; at diſtinctio ſecundum officium non infert neceſſario diſtinctionẽ realem; neq; enim propter officium mediatoris, realiter diſtinguitur Filius à Patre ſecundum naturam; neq; etiam à ſeipſo ſecundum perſonam: Nec aduertit Mæuius per hanc ſuam reſponſionẽ id ſtabiliri, quod ipſe maximè reſpuit, nempe, *totam Trinitatem functam eſſe Mediatoris officio*, ſi Chriſtus ſecundum naturam diuinam mediatoris officio functus eſt: vt obiicit Bellarminus; poteſt enim quis dicere, ſatis eſſe, vt Trinitas medians, officio diſtinguatur à Trinitate apud quam mediat. At quis tale reſponſum non repudiaret, & toto pectore auerſaretur? Adde, quod ſi per hoc ſuum commentum aliquid efficere vellet, prius probare deberet, officium mediatoris cõuenire vel conuenire poſſe Chriſto ſecundum diuinam naturã (hocenim in controuerſia poſitum eſt) & hoc probato, tum aliquid de diſtinctione reſpectu officij fabulari potuiſſet, *quia prius eſt eſſe, quàm diſtingui*, vt vulgò & verè dicitur. Bellarminum duas perſonas in Chriſto cum Neſtorio ſtatuere; calumnia eſt digna Prædicante, cuius os & calamus calumniatorum principi & Archiſtratego ſeruit.

Ait Bellarminus: *Si Chriſtus, vt Deus, mediator eſt, ſequitur vnum è duobus, aut totam Trinitatem eſſe mediatricem, aut Chriſtum non eſſe vnum Deum cum Patre, & Spiritu ſancto, ſed alium quendam Deum. Nam, quod vni perſonæ conuenit ratione Deitatis, id etiam aliis omnibus perſonis conuenit, quæ habent eandem Deitatem. Igitur, eſſe mediatorem, quod Filio conuenit ratione Deitatis, quandoquidem, vt Deus, mediator eſt, conuenit etiam Patri & Spiritui ſancto, ſi vnam, & eandem cum Filio Deitatem habent: vel, ſi non conuenit, certè non habent.*

Occlamat Mæuius: *Peruertitur à Ieſuita ſtatus controuerſiæ, & affingit noſtræ Concordiæ, quaſi aſſerat, Filium Dei executum mediationis officium* ratione diuinitatis in ſe abſolutè conſideratæ. Iterum ſycophantatur Mæuius: Nam Bellarminus hoc exprobrat Concordiæ, quòd diuinitatem Filij, etiam cum natura humana in eadem Verbi hypoſtaſi coniunctam, mediatoris officium obiiſſe tradat: Quomodocunque enim diuinitas ſpectetur, abſurdum & impium eſt; dicere, *Chriſtum ſecundum diuinam naturam actiones mediatorias exercuiſſe*: neque etiam ab impietatis labe excuſari poteſt Mæuius, cùm ait; *paſſiuam mediationem magis in humanitate, quàm in diuinitate eluxiſſe.* Ex quo ſequitur, paſsionem, crucifixionem, mortem, & id genus alia etiam in diuinitate Chriſti fuiſſe, ſed *minus conſpicua*, vt loquitur Mæuius, *magis autem conſpicua, in humanitate.*

Filium Dei dicimus Mediatorem, inquit Mæuius, *non ratione οὐσίας, eſſentiæ, quatenus eam tota Trinitas communem habet, ſed hypoſtaſeos determinatæ.* At Concordia non dicit, Chriſtum fuiſſe Mediatorem *ſecundum perſonam determinatam*; ſed, *ſecundum naturam vtramque*; atque adeo etiam ſecundum naturam diuinam: aliud eſt dicere; perſonam ſecundum naturam diuinam; aliud perſonam ſecundum rationem determinatam perſonæ, Mediatoris munus exercuiſſe. Prius affirmat Concordia; & cum illa non ſemel Mæuius. Poſterius aſſerit ſibi contradicens ineptus Concordiſta Mæuius. Quid enim ineptius, hac Mæuiana aſſertione: quæ & diſtinctionem tollit inter Mediatorem, & eum, apud quem mediat? nam perſona Filij etiam apud ſe mediauit, cum & ipſa pars offenſa fuerit; & præterea tollit principium formale & immediatum, quo perſona operationes mediatorias elicere & exercere debet. Quo quid ſtolidius?

Videtur autem Mæuius portẽtum illud ſuum hic innuere, quod manifeſtius prodidit, in Controuerſia de Vbiquitate, vt ſuo loco vidimus; nimirum non abſolutè Chriſtum ſecundum diuinam naturam toti Trinitati communẽ, eſſe Mediatorem, ſed ſecundum naturam diuinam in hypoſtaſi Filij exiſtentem, quaſi non ſit vna & eadem, & quidem vnica magis vnica, quæ toti Trinitati eſt communis; & quæ in Filij hypoſtaſi exiſtit: Etiam prout in illa exiſtit; nam & hac ratione à parte rei communis eſt Patri & Spiritui ſancto, licet concipi à nobis poſsit, vt in ſolo Filio exiſtit.

Ficulneum eſt autem hoc Mæuij præſidium. *Chriſtum incarnatum eſſe dicimus, vt Deum, non quaſi incarnatus ſit reſpectu abſolutiſimæ diuinitatis q̃, cum Patre & Spiritu S. communem obtinet, ſed perſonaliter & in hypoſtaſi Verbi determinatè.* Si enim ſenſus ſit; Chriſtum vt Deum, hoc eſt, ſecundum diuinam naturam eſſe incarnatum; negamus propoſitionem eſſe veram; ineuitabiliter namque ſequeretur, Patrem itidem & Spiritum ſanctum incarnatos eſſe, cum quidquid filio ſecundum naturam primò & per ſe competit, commune ſit Patri & Spiritui ſancto; ſi autem ſenſus ſit, Chriſtum, vt Deum, hoc eſt, vt hypoſtaſin diuinam, incarnatum eſſe; concedimus propoſitionem, ſed nihil pro ſe hinc extundet Mæuius; Nam ſi tantum vellet Chriſtum, vt Deum, hoc eſt, vt hypoſtaſis eſt diuina, fuiſſe Mediatorem; non ſecundum diuinam, ſed ſecundum humanam naturam, nemo ei litem intenderet.

Non eſt ſilendum, à Mæuio hic iterum monſtroſum illud, ne dicam, Arianicum; paradoxum inſinuari; diuinam naturam incarnatam eſſe, nõ eam, quæ tribus perſonis ſit communis, ſed quæ in hypoſtaſi filij exiſtat. Quo nihil à pietate & veritate alienius. Nam ne hæc quidem propoſitio abſolutè vera eſt; *diuina natura eſt incarnata*, & ſi quando vel iſta vel ſimilis in Patrum ſcriptis occurrit, in bonum & commodum ſenſum trahi debet, de quo vide S. Thomam 3. p. q. 3. a. 4. ad ſecundum, & Gregorium de Valentia Tom. 4. diſp. 1. q. 3. p. 1. tantum abeſt, vt verum ſit; non illam diuinam naturam, quæ communis eſt tribus perſonis; ſed quæ, & prout in filio exſtitit, incarnatam eſſe.

Sicut non ſequitur, inquit Mæuius, *Chriſtus Deus incarnatus eſt: ergo vel tota Trinitas incarnata eſt, vel Chriſtus non erit vnus Deus, cum Patre & Spiritu ſancto; quia incarnatio non eſt opus naturæ, ſed perſonæ; ita ἄτοπον & illud eſt; Chriſtus Deus Mediator eſt: Ergo tota Trinitas mediatrix eſt; vel nõ erit Chriſtus vnus Deus cũ Patre: Mediatio enim οὐ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ καθ' ὑπόστασιν, οὐκ ἐν φύσει ἁπλῶς, ἀλλὰ ἐν τῇ ὑποστάσει σεσωδιεσιμένῃ perfecta eſt.*

Abſurdum eſt, ſi proponatur, vt proponitur à Mæuio, qui abſurditatem & impietatẽ opinionis *Concordiſtica* veteratorie velare conatur. At ſi proponatur, vt ex mente Concordię proponi debet; *Chriſtus Deus vt Deus*; ſeu *ſecundum naturam diuinam, mediator eſt*; *ergo tota Trinitas mediatrix eſt, quia quidquid Chriſto ſecundum naturam diuinam competit, hoc toti Trinitati commune eſt: vel certè Chriſtus non erit vnus Deus cum Patre & Spiritu ſancto*; hoc, inquam, modo ſi argumentum formetur, vt formari debet, ſi quis nolit Sycophantã agere, omnis abſurditas euaneſcit. Pari modo ſi quis aſſereret, Chriſtum vt Deum, hoc eſt, ſecundum naturam diuinam, incarnatũ eſſe, nullo modo effugere poſſet, quo minus concedere cogeretur, etiam Patrem & Spiritum ſanctũ incarnatos eſſe. Sed cur Græcè maluit, quàm Latinè contradicere & refragari ſuæ Concordiæ, quæ Chriſtum *ſecundum naturã diuinã & humanam* mediatorem & eſſe & fuiſſe adſtruit? Quid Mæuius? Mediatio non eſt facta κατὰ φύσιν, *ſecundum naturã*: *ſed ſecundum hypoſtaſin*. Et tamen, quoties ipſe Męuius & dixit & ſcripſit, *Mediationẽ eſſe factam ſecundum naturam*? Nunc neſcius quid affirmet aut neget; nõ in natura, ſed in hypoſtaſi *Mediationem* factam dictitat; hypoſtaſis ergo Filij Dei in ſe eſt paſſa, crucifixa, mortua; quia iſta fuerunt opera, vel potius παθήματα *mediatoria*.

Sed en aliam antilogiam. *Mediatio facta eſt non in natura ſimpliciter, ſed in hypoſtaſi determinatè.* Antea dixerat; *non eſſe perfectam in natura*; Nunc reſtringit; *non eſſe perfectam in natura ſimpliciter; ſed in hypoſtaſi*: Sequitur ergo quod antea hypoſtaſin Verbi in ſe, & ſecundum ſe eſſe paſſam, crucifixã, mortuam, quia in ſe & ſecundum ſe mediatoris munus peregit, ſi vera canit Mæuius. Eſt quidem Filius Dei, ſeu perſona Chriſti mediator, ſeu mediatrix; & opera mediatoria peregit; ſed ſecundum naturam humanam, & in natura humana; non in ſe & ſecundum ſe; aut in natura diuina, vel ſecundum naturam diuinam.

Ait Mæuius. Valere hanc conſequentiam. *Perſona Filij Dei eſt omnipotens ratione Deitatis, ergo, & Pater. at non valere iſtam: Filius Dei paſſus eſt ergo & Pater.* Nullius ponderis eſt hæc conſecutio, fateor, at Bellarminus eam non texuit, ſed Mæuius, idque fuci faciendi cauſſa; nam ſic formanda erit ex Concordiſtarum placitis. *Filius Dei paſſus eſt ſecundum naturã diuinam; ergo & Pater paſſus eſt, quia q̃ vni perſonæ realiter cõuenit ratione Deitatis, id etiã alijs perſonis cõuenit, q̃ habent eandẽ Deitatẽ.* Hęc argumentatio rectiſsimè ex hęreticorũ doctrina deducitur.

Ait Mæuius: *Paſſionẽ iſtam non eſſe factam reſpectu eſſentiæ & naturæ diuinæ, quatenus eſt cõmunis tribus perſonis, ſed ratione, (decreto diuino) determinati officij, ad perſonã filij, non Patris, aut Spiritus ſancti, tantum pertinentis.* Audio verborũ ſtrepitus, & ſine mente ſonos. Concordiſtæ palam affirmant; *Chriſtum ſecundum naturã diuinam egiſſe mediatorem*: paſſus igitur eſt ſecundũ naturam diuinã; quia paſsio ad *mediationem* pertinet; paſſus ergo & Pater, & Spiritus ſanctus; quia eandẽ numero naturam cum filio habent. Sed cum verba Mæuij penitius introſpicio, hoc videtur velle; *nõ Chriſtum, ſed officiũ, quod gerebat, paſſum eſſe*; Ait enim; *paſſionẽ factam ratione determinati officij.* Officium ergo paſsionẽ ſuſtinuit. Feſtiuè prorſus. Secundum quã naturam Chriſtus hoc officiũ geſsit? Num tantũ ſecũdum hypoſtaſin, vt Męuius ſatis apertè nõ ſemel innuit? Hypoſtaſis ergo filij Dei in ſe, & ſecundum ſe paſſa eſt. Quis niſi inſanus adeo delirat, vt hoc aſſerat? Cum hypoſtaſis filij Dei æquè ſit impaſsibilis & immortalis, ac natura diuina filij.

Poſt hæc pluſquã anilia & febrilia deliria & fabulamẽta ſubiicit vaniſsimus Prędicans hos turgidiſsimis, hoc eſt, Hunnianis ampullis ſartos thraſoniſmos. *Vides, Ieſuita, dilemma tuum, quàm ſit ineptum, q̃ inſulſum, abſurdum,* ἄδικον & ἀδιάλογον. *Hiſce*

contra, ſi vir es, hiſce vel vno verbulo. Paulò antea non minore vanitate & impudentia. *Delirat me hercle, penitusq; inſanit Bellarminus, niſi veritati iſti ſplendidiſſimæ palmã concedere velit.* Quis hanc inſolentiſsimã iactantiam non deteſtetur & execretur, quando videt, indoctiſsimum *tympanotribam & agyrtã* nudius quartus ex Hunnij ſchola profectum, tanta vaniloquentia inſultare celeberrimo, & in toto Chriſtiano orbe ob virtutis, dignitatis & eruditionis præſtantiã decantatiſsimo Cardinali Bellarmino, cuius reſpectu Mæuius nec punctii inſtar habet, neq; talis ſaltem eſt, qualis pumilio comparatione viribus, & robore præpollentis gigantis. Sed hic Lutheranorum ſcriptorculorũ mos eſt; ſpiritu cereuiſiario inſtincti, audaciſsimè quoſuis prouocant; & quibuſuis ſe anteponunt, & cum maximas nugas agunt, maximè paratragœdiant; quid enim attulit iſte in hac de Mediatore diſceptatione, præter Arianas & Eutychianas iam olim damnatas ſtultitias & quiſquilias? Cui Stancarus, ſi viueret, acclamaret illud, quod olim acclamauit Melanchthoni lib. contra Caluinum de Mediatore: *O inſanum Grammaticum. O caput hellebore dignum.*

Ait Bellarminus, Chriſtum nõ poſſe eſſe Pontificẽ ſecundum naturã diuinam, q̃ eſſe Pontificẽ & Sacerdotem intrinſecè & eſſentialiter includat eſſe creaturã, & longè minorẽ eo, cui ſacrificium offerre debet. Mentitur Mæuius; Bellarminũ docere, *Filium Dei nõ poſſe dici Pontificẽ; Filium Dei non poſſe dici Sacerdotem.* Nuſquam hoc Bellarminus: vt calumniatur Prædicans; ſed hoc aſſerit; Filium Dei ſecundum naturam diuinam non poſſe dici Pontificẽ vel Sacerdotẽ. Tantum autẽ diſtant hæ duæ propoſitiones: *Filius Dei nõ poteſt dici Pontifex*: Et, *Filius Dei ſecundum diuinã naturã, non poteſt dici Pontifex*; quantum falſitas & veritas diſtant: Nam prior propoſitio falſiſsima eſt; poſterior, veriſsima: licet enim nõ ſit Pontifex ſecundũ naturam diuinã; Eſt tamen Pontifex ſecundũ humanam.

Audin' Ieſuita, inquit thraſonicus Prædicãs, poſt aliquot recitata ex ſcripturis teſtimonia, *ſcripturã Filium Dei nominare Pontificem, & Sacerdotem.* Non neſciuit, multo minus negauit Bellarminus Filiũ Dei in ſcripturis appellari Pontificem & Sacerdotem; ſed neſciuit & negauit Filium Dei ſecundum naturam diuinã in ſcripturis nominari Põtificem & Sacerdotẽ. Itaq; quidquid verborum hic prolixè profundis, extra inſtitutã diſputationem profundis; quia nemo it inficias, Filiũ Dei fuiſſe Pontificem & Sacerdotem; hoc abnuimus fuiſſe talẽ ſecundum naturam diuinam. Hoc tibi Prædicans firmis argumentis oſtendendum & euincendum incumbit; omiſsis cõtumeliis & cõuiciis, quibus in Bellarminũ debaccharis, quaſi perſonã Chriſti diuidat, quando tecũ & cum gregalibus tuis ita deſipere renuit, vt dicat; *Filiũ Dei ſecundum naturã diuinam fuiſſe Pontificem & Sacerdotẽ.*

Luculentiſsimum pro hac re S. Auguſtini teſtimonium à Bellarmino prolatum eludere conatur Prædicans primò hac exceptione, *non audiendum eſſe Auguſtinum, vbi quid ſacris litteris diſſonum docuit.* Scilicet diſſonum erit ſacris litteris quidquid ſanctus hic Pater capitis tui fatuitati diſſonum affirmarit. Secundò reſpondet Prædicans; Auguſtinum hæc verba: *Secundum hominem Chriſtus & Rex & Sacerdos effectus eſt; protuliſſe, ad diſtinguendam naturã, non ad diuellendã perſonam.* Quid inde? An diuellitur ideo perſona, ſi quis dicat; Chriſtum ſeu Filium Dei tantummodo ſecundũ naturam humanam, nõ ſecundum diuinam, eſſe Sacerdotem & Pontificem? Certè non magis diuellitur, quàm ſi dicas: Filium Dei tantummodo ſecundum naturam humanam mortuũ eſſe. Vſus ergo fuerit D. Auguſtinus illo modo loquendi gratiâ diſtinguendi naturas in Chriſto; vt tu dicis, quid Bellarmino officis? An ideo nõ dixit, *Chriſtum ſecundum hominem*, hoc eſt, humanam naturam, *Sacerdotem & Regem factum?*

Opponit Mæuius alium locum D. Auguſtini ex lib. 10. Confeſſ. cap. 42. vbi docet, *Mediatorem inter Deum & homines debuiſſe habere aliquid ſimile Deo, & aliquid ſimile hominibus.* Idem & nos pleno ore profitemur. Nec tamen ideo Chriſtum ſecundũ naturam diuinam mediatorem fuiſſe credimus; nam nihilominus mediator, qua mediator, Deo Deitate ſimilis fuit; & diſsimilis naturâ humanâ; diſsimilis autem hominibus Deitate; & ſimilis naturâ humanâ. Vnde medius, hoc eſt, mediator inter Deum & hominem eſſe potuit, participans de vtroque extremo, & diſtans ab vtroque.

Producit deniq; Bellarminus ſat euidentia D. Cyrilli Alexandrini teſtimonia. Nihil hic Mæuius, niſi quod obiter muſsitat, *teſtimonia iſta non lædere cauſſam Concordiſticam; & doctrinam Cyrilli in hoc articulo eſſe ſatis orthodoxam*, hoc eſt, vt ipſe intelligit, Lutheranam. Lector conſulat ipſa D. Cyrilli dicta apud Bellarminum, & confeſtim videbit, quàm procul D. Cyrillus ab hac Hæreticorum ſtultitia abfuerit.

Accumulat deinde Mæuius varia pro fanatico ſuo errore dicta Patrum, quibus prorſus nihil aliud confit, quàm Filium Dei fuiſſe & eſſe Mediatorem, Sacerdotem & Pontificem noſtrum; quod veriſsimum eſt; at nullus Patrum dicit; Filium Dei *ſecundum naturam diuinam* fuiſſe vel eſſe Mediatorem, Pontificem, Sacerdotem, &c.

Citat Prædicans Anſelmum lib. *Cur Deus homo*, capite ſeptimo ita ſcribentem. *Satisfacere non poteſt, niſi ſit verus Deus; nec debet, niſi ſit verus homo: ſi homo tantum eſt, non faciet; quia non poterit; ſi Deus tantum non faciet, quia non debebit.* Ad marginem allinit Prædicans iſtud hortamentum *Arrige aures Ieſuita.* Quanta inſulſiſsimi & inſcitiſsimi balatronis iactantia; quanta inſolentia, qui Bellarminum, ad hoc S. Anſelmi teſtimoniũ, tanquam ad rem prius inauditam vocet; quo dicitur, Mediatorem & Redemptorem noſtrum debuiſſe eſſe Deum & hominem, nec niſi à Deo & homine (ex ſuppoſitione diuini decreti) mediationẽ

hanc

hanc peragi potuiſſe; Quid aliud Bellarminus in tota hac de Mediatore diſputatione docet? Satis de inſulſo Mæuio.

De Baſileenſi Rullo quid? Edidit is Tomo primo *Sylloges* Theſium Theologicarum, diſputationibus Roberti Bellarmini oppoſitarum, vt ipſe gloriatur, quo mercibus ſuis Bellarminiani nominis hederâ appoſitâ, promptiores emptores inueniat, diſputationem *de Mediatore*: itemque aliam eiuſdem argumenti Tomo tertio.

In ipſo titulo ſe ſtatim prodit; Eſt enim iſte: *De Mediatore inter Deum & electos*: quaſi Chriſtus non fuerit Mediator inter Deum, & omnes homines, ſed inter prædeſtinatos duntaxat; inſigni impietate, & in vniuerſalem Chriſti paſſionem iniuriâ; cum ſanguis Chriſti fuerit propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi, vt dicitur 1. Ioan. 2. Hunc Caluiniſmum è veſtigio rurſum ingerit in deſcriptione Mediatoris. *Mediator inter Deum & electos* (imò inter omnes homines) *eſt perſona Deo Patri electos* (imò omnes, quantum eſt in ſe) *reconcilians, illúq; omnia merito ſuo obtinens & conferens, quæ ad æternam ſalutem ſunt neceſſaria.* Poſtea verbosè probare inſiſtit, Chriſtum, Deum & hominem, ſolum & vnicum eſſe Mediatorem, de quo non eſt dubium, ſi de eo Mediatore loqui velit, *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus* (Nota, non pro electis tantum, ſed, *pro omnibus*) Talis enim mediator eſt ſolus & vnicus *Theanthropus*, hoc eſt, Deus & homo, Chriſtus. At ſi per illam ſuam particulam *ſolus*, excludere cogitet Mediatores inferioris gradus & conditionis, qui aliis adiumento ſunt ope & opera ſua, præſertim interceſsione; tum Rullus, vt Hæreticus, Sanctorum hoſtis & oſor, non audiri, ſed explodi debet, neque enim ſumma illa ſolius & vnius Mediatoris quoad redemptionem præcellentia, excludit alios minoris ordinis mediatores, potiſſimum per interceſsionem. De qua re præclarè ſcripſit Gregorius de Valentia in tert. p. S. Thomæ q. 22. p. 2. Quapropter cauſſæ nihil habet dicere Rullus, quo minus hanc ſuam Theſin L V. expungat. *Errant Ieſuitæ, qui ſanctos demortuos Mediatores hominum apud Deum faciunt*: citatque Bellarminum lib. 1. de ſanct. beatitud. cap. 2. Ingens diſcrimen eſt inter Mediatorem illum vnum vniuerſalem, Chriſtum Deum & hominem, & inter iſtos inferioris ordinis. Quocirca ſibi mutuò non præiudicant.

Multa nugatus de functionibus Mediatoris, quæ ad rem non pertinent, vt ſunt, quæ blaterat de Chriſti Prophetico & Regio munere; nam Prophetam & Regem eſſe diſtincta ſunt à mediatore munia. Tandem decernit Chriſtum *eſſe Mediatorem ſecundum vtramq; naturam, diuinam* ſcilicet *& humanam*. Probat I. *quia ideo duæ naturæ ſunt vnitæ in Chriſto, vt ſecundum vtramq; eſſet mediator.* Minimè verò, ſed ideo præter cæteras cauſſas, duæ naturæ in Chriſto vnitæ ſunt, vt mediator noſter

A eſſet Deus & homo; nequaquam vt ſecundum vtramque naturam Mediatoris munus obiret. Quam ob rem non fruſtra facta eſt hæc naturarum copulatio, vt arbitratur Rullus.

Secundò probat. *Pœna pro peccatis noſtris non potuit ſufficienter dependi à ſola natura humana, ergo & diuina intervenire debuit mediando.* Reſpondeo, Antecedens eſſe verum, de ſola natura humana nudè & præcisè ſpectata; Falſum, de natura humana ſubſiſtente in hypoſtaſi Verbi; Inde enim actiones naturæ humanæ infinitam dignitatem, immenſumque valorem contraxerunt: nam quod Danæus in generali Cenſura huius quinti libri ridere audet orthodoxos, qui dicunt, humanas Chriſti operationes infinitam dignitatem ex ſuppoſito diuino contraxiſſe, ſatis indicat, quo ſpiritu caleat, præſertim cum palam affirmare non vereatur, *operationes humanas Chriſti, ſeiunctas ab operationibus naturæ diuinæ, non plus valuiſſe, quàm operationes cuiuſlibet alterius puri hominis.* Huc enim tendunt eius verba: *Agitur in contractibus ex pacto, in quibus promiſſum præſtandum eſt, & quidem tantum, quantum promiſſum eſt, ſiue à Rege, ſiue à paupere promiſſum exigatur: neq; facit dignitas fideiuſſoris, vt cum centum aurei debentur, non centum, ſed triginta duntaxat aureorum ſolutio liberet debitorem.* Hæc impius Danæus, non cogitans, vnam itidem operationem Chriſti, quantumuis in ſpeciem minima appareat, infinito debito exſoluendo ſufficere; nam ſi hoc cogitaſſet; minimè rude hoc exemplum protuliſſet; neque etiam affirmaſſet, perperam Catholicos ſcribere; *vel guttam ſanguinis Chriſti potuiſſe nos redimere, propter dignitatem perſonæ Chriſti.* Si id ita eſſet, inquit Danæus, *fruſtra Chriſtus mortem eſſet perpeſſus.* Minimè verò; quia copioſam voluit eſſe noſtrâ apud Deũ redemptionem, non vno, ſed plurimis, iiſque omnibus infiniti valoris & pretij operationibus perfectã.

Ad Rullum; qui tertiò probat Chriſtum ſecundum naturam diuinam fuiſſe mediatorem: *quia Mediator debuit nobis Deum morte ſua reconciliare; Hoc non potuit, niſi etiam ſecundum naturam diuinam Mediator eſſet. ergo*, &c. Reſpondeo, Minorem eſſe Rullicam, friuolam, ſtramentitiam. Sufficiebat, vt Mediator eſſet Deus homo.

D Quartò probat. *Mediator debuit reſtituere amiſſam iuſtitiam & vitam æternam. Hoc eſt ſolius Deitatis; ergo etiam ſecundum Deitatem mediator fuit.* Reſpondeo ad Maiorem, ſatis eſſe, vt Mediator reſtituat amiſſam iuſtitiam meritoriè; quod tantum abeſt, vt ſit ſolius Deitatis, vt ne conueniat quidem Deitati, qua talis.

Quintò probat. *Quia Mediatoris eſt interpellare pro nobis. Ad quam rem neceſſarium eſt, vt videat arcanum pectus Patris. Hoc non poteſt ſecundum naturam humanam, ſed diuinam; ergo etiam ſecundum diuinam mediator eſt.* Reſpondeo, Chriſtum ſecundum naturam humanam non poſſe ſcire arcana Patris ex viribus & potentia ipſius naturæ humanæ; poſſe autem munere & conceſſu Dei.

Sextò

Sexto probat. *Mediator inter Deum & homines vtrosq; perfectissimè nosse debet; Christus secundum naturam humanam non nouit perfectissimè vtrosq;, sed solum secundum diuinam, ergo*, &c. Respondeo, Minorem esse falsam, quia Christus Mediator scientiâ beatâ & infusâ copiosissimè instructus fuit, qua necessaria ad officium Mediatoris perfectissimè nouit.

Septimò probat. *Mediatorem oportet sedere ad dexteram Dei Patris, vt per ipsum Pater omnia gubernet. Hoc non sit per humanitatem.* Respondeo breuiter, omissis aliis solutionibus, satis esse, vt natura humana, secundum q̃ Christus est Mediator, sedeat ad dexteram Patris non in se, sed in sua hypostasi.

Octauò probat. *Mediatoris est perfectè hominibus reuelare voluntatem Dei. Hoc non potest facere secundum solam humanam naturam, ergo*, &c. Respondeo, Minorẽ esse falsam; nam cum Christus secundum naturã humanã sit plenus gratiæ & veritatis, potest vtiq; per solam humanã naturam id præstare.

Nonò probat. *Quia Mediatoris est exaudire preces nostras & opitulari nobis*; Hoc non tantum secundum humanam, sed præcipuè secundum diuinã naturam præstat Christus, ergo, &c. Respondeo, exaudire preces, & opitulari necessitatibus nostris, totius Trinitatis est; non proprium Mediatoris. Exaudit nos etiam pater. An ideo Mediator? Exaudit nos Spiritus sanctus. An idcirco Mediator?

Decimò probat. *Quia Mediatorem iubemur inuocare Hebr. 1. Hoc non competit Christo secundum naturam humanam.* ergo, &c. Respondeo, Minorem esse Caluinisticam. Nec pluribus opus est.

Vndecimò probat. *Quia Mediatoris est sacrificare. Iam Christus obtulit seipsum per spiritum æternum Patri, Hebr. 9.* Respondeo, obtulit se Christus per spiritũ æternum Patri, sed secundum naturam humanã; ad hoc enim sacrificium peragendum à Spiritu sancto impulsus est. Hæc sunt firmamenta Rulli. Sed quã infirma & vacillantia? Et tamen his suis næniis subnectit hanc calumniam. *Errant Iesuitæ, quòd Nestorij & Stancari hæresin ex Orco reuocant, dum Christum secundum humanã naturam tantum Mediatorem esse contendunt*; citatq; Bellarminum lib. 5. de Christo cap. 2. Num Iesuitæ dicunt, Christum secundũ humanam tantum naturã in alio, q̃ diuino suppositio subsistentem, & à natura diuina diuulsam, Mediatorẽ esse? Num duas personas, cũ Nestorio constituunt? Num diuinã Verbi hypostasin requiri negant; saltem vt principium *Quod* operis mediatorij, vt negasse videtur Stancarus?

CAPVT IX.

Ostenditur, Christum sibi etiam aliquid meruisse.

PRAETER mendacia adfert circa hoc caput Danæus, duo argumentula ex Caluino, iam à Bellarmino disiecta: Alterum, *Christum non sibi fa-*

A *ctum hominem, ergo nec sibi aliquid meruisse.* Alterum: *Si Christus meruit corporis gloriam, ergo multò magis gratiam & scientiam.* Vtriusque obiectionis solutionem inuenies apud Bellarminum.

Iunius arbitratur, parum referre siue hanc, siue illam quęstionis partem amplectaris: quia tamen Bellarminus partem affirmantem tuetur, Caluiniq; nugamenta refellit, committere non potuit, quo minus Caluino suppetias ferret; sed Iunianas, hoc est, futiles & elumbes. Inter cæteros locos, quibus Bellarminus probat, Christum omnia illa sibi meruisse, est etiam ille Hebr. 2. *Videmus* IESVM *propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Vbi Iunius: *Fallacia diuisionis committitur*; nam illa verba: *propter perpessionem mortis*, non B ad sequens membrum, sed ad præcedens pertinent, hoc modo, *sed Iesum illum, qui paulisper fuit Angelis inferior factus propter perpessionem mortis, videmus gloria & honore coronatũ.* Iunio procliue erit, quiduis vel adstruere vel destruere, si ei integra fiat verba diuina mutandi & transferendi potestas. Verba Apostoli sic habent. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Neque aliter Græcus textus: tametsi Beza odio *meriti* Christi, eodem modo sua in versione, quo Iunius, textum transuertit & peruertit: Sed clarum est nõ cœcis, vel non cœcutientibus oculis, illud; *propter passionem*; significare causam, cur Christus C *gloria & honore coronatus fuerit*: nam Christus non in passione modico quàm Angeli *minoratus est*; sed in ipsa naturæ humanæ assumptione; natura enim, quam filius Dei assumpsit, minor & inferior est, quam natura Angelica; & per cõsequens Christus assumens naturam humanam minor Angelis euasit, præcisè respectu humanæ naturę; neque hæc *minoritas*, vt sic appellem, in passione demum exstitit. Vult ergo Apostolus, Christum gloria & honore coronatum propter passionem, tanquam propter causam meritoriam.

Adiungit Iunius. *Hæc eadem verba*; propter perpessionem mortis; *finem significant ex proprietate linguæ, id est, vt Christus perpeteretur mortem, quod* ἐξηγητικῶς *docent verba sequentia*: Vt pro omnibus D mortem gustaret, *hoc enim significat* διὰ *accusatiuo iunctum.* Hoc Iunij responsum pro subtilitate ducerem, nisi stultitia esset. Quanta enim insipientia, sic verba Apostolica interpretari; *Cum autem, qui modico quàm Angeli, minoratus est, videmus* IESVM, *propter passionem mortis*, id est, *vt mortem pati posset, gloria & honore coronatum.* Si quis autem verba illa; *propter passionem mortis*, transponere, & cum illis; *minoratus est*; copulare velit; hyperbaton prorsus improbabile Apostolo affinget; nam si hoc dicere voluisset Apostolus: Christum minorem Angelis factum esse, vt passionem mortis subire posset; vtique æquè ac Beza & Iunius, verba illa; *propter passionem mortis*, cum prioribus connectere potuisset.

Pari candore diſtorquet Iunius locum illum Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illũ, &c. *Quaſi dicat*, inquit, *propterea, quòd Deus ſumme abiecit ſeſe aſſumens humanitatẽ in vnitatem perſonæ, gratiamq; vnionis cum ea communicans*, &c. *Propterea*, id eſt, *propter hanc vnionis gratiam in perſona*, &c. *eandem perſonam, etiam ſecundum naturam humanam, ſummè fuiſſe exaltatam: nam non propter opera humanitatis; ſed propter Verbum adunatum perſonaliter humanitas ſubſiſtens in Verbo exaltata fuit.* Hæc omnia, vt verbo dicam, vaniſsima & inaniſsima ſunt; neq; enim illa: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortẽ; mortẽ autem Crucis*; ad vnionem hypoſtaticam humanæ naturæ in hypoſtaſi Verbi factam pertinent; ſed ad humilitatem, & obedientiã, quam Filius Dei iam homo factus, ſecundum humanam naturã, ſeu, vt homo, palam præ ſe tulit, & cæleſti Patri exhibuit; pertinent inſuper ad paſsionem, mortemq; Crucis, quã vt homo, ſuſtinuit; neq; enim ſenſus eſt; quia Filius Dei, qua Deus, humiliauit ſe & obediuit Patri ſecundum diuinam naturã; naturam humanam in vnionem hypoſtaticã aſſumendo, *propterea exaltauit illum Deus*; quia obedientia non conuenit Chriſto ſecundum diuinã naturam, multoq; minus paſsio & mors; ſed vult S. Paulus; Chriſtum, propter humilitatem, obedientiam, mortemq; Crucis, (quæ omnia Chriſto ſecundum humanam naturam conueniunt, & vnionem hypoſtaticam iam factã ſupponunt) exaltatum, & nomine *ſupra omne nomen* donatum; ita vt hæc exaltatio, & tam glorioſi nominis elargitio, ſit præmium & merces illius humilitatis, obedientiæ, & mortis in Cruce à Redemptore noſtro ſecundum humanam naturam obitæ.

Iterum inſinuat hic Iunius ſuum ſæpius iam inculcatum ſomnium: Filium Dei *ſecundũ formam Dei ſeu naturam diuinam in ſe, ſeſe exinaniſſe, humiliaſſe, & gloriam ſuam, diſpenſatione quaſi depoſitam, poſt mortem recepiſſe; & ſimul humanitatem exaltaſſe.* Occurrit hoc loco factum Melanchthonis, qui in ſuis locis communibus Halæ Sueuorum Anno M. D. XXXIX. excuſis, locum illum: *Pater clarifica me*, &c. ſic reddidit, teſte Stancaro in libro de Mediatore cõtra Caluinum: *Reſtitue mihi gloriã.* Quod ſi verbum *clarifica* ſeu *glorifica*, *ſignificat*, reſtituere gloriam, *vt blaſphemat ille Grammaticus*, verba Stancari refero, *vide quid ſequatur. Supra enim in eadem oratione Chriſtus patrem orans dicebat, ſecundũ Melanchthonis interpretationem, reſtitue gloriam filio tuo, vt & filius tuus tibi gloriam tuam reſtituat. Quale, quæſo, bellũ, ô Melanchthon, & qualis diſcordia fuit inter Patrem & Filium, quod Pater filium, & filius Patrem gloria & maieſtate ſua priuauit, & poſtea ad preces filij, in concordiam fuerint redacti? O inſanum Grammaticum. ô caput helleboro dignum. Siccine de tanto Imperatore totius mundi Patre ſcilicet, & Filio, & Spiritu ſancto, vno Deo loquerit? At relicto iſto perturbatore totius Chriſtianiſmi, intelligamus, & interpretemur verbum δοξάζειν, vt iacet, glorificare, ſcilicet, honorare, clarificare, vt Auguſtinus interpretatur, celebrare, & glorioſum prædicare*, vt vetus interpres vertit; *glorifica filium tuum, vt filius tuus glorificet te. Illud verò; glorifica me tu, Pater, ea gloria, quam habui, &c. de humanitate Chriſti, non de diuinitate, vt ſupra vidimus, intelligitur: quod & Petrus Apoſtolus in priore Epiſtola cap. 1. aperte oſtendit. Deum dediſſe Chriſto ſecundum humanam naturam gloriam. Et hoc eſt, quod poſt reſurrectionem dicebat Apoſtolus; Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Concluſum itaq; eſt, ô Caluine, doctrinam tuam de Filio Dei eſſe planè Arrianam, à qua reſilias quam primum, te oro, atq; obſecro.*

Eadem, opinor, occinuiſſet Stancarus Iunio; ſi ex eius ore vel ſcriptis blaſphemiam hanc audiuiſſet: *Chriſtum ſecundum diuinam naturam ſeſe exinaniſſe, humiliaſſe, obedientiam præſtitiſſe, & gloriâ ſuâ exuiſſe, exutamq; poſtea recepiſſe*; tametſi Iunius, lenimenti gratia, addit; illud, *Quaſi*: perque commentitiam Oeconomiam ab impietatis macula ſe vindicare ſtudet.

Citat Bellarminus Patres, qui docent, humilitati & obedientiæ Chriſti vſq; ad mortem datam eſſe, mercedis loco, exaltationẽ & nominis omnia nomina præcellentis gloriam & maieſtatem. Obſtrepit Iunius ſtrepitu prorſus Ariano. *Patres loquuntur, vt Paulus, non de obedientia carnis, ſed de obedientia Verbi in carne per diſpenſationem præſtita.* Non eſt mens Iunij; Filium Dei ſeu Verbum ſecundũ carnem, hoc eſt, ſecundum naturam humanam ſeſe humiliaſſe, & Patri obediuiſſe, vſq; ad mortẽ; ſed vult, Filium Dei ſeu Verbum *in carne*, hoc eſt, *incarnatum; humiliaſſe & exinaniſſe ſeſe ſecundum diuinam naturam, humiliatione & exinanitione Oeconomica ſeu diſpenſatiua*, vt non ſemel à Iunio vocitata eſt: per conſequens, affirmat; *Verbum incarnatum obediuiſſe Patri ſecundum diuinam naturam, diſpenſatione quadam voluntaria*; nec quidquam reſtat, quàm vt dicat apertè (nam tacitè hoc iam ſæpius affirmauit, & manifeſtè ex doctrina eius ſequitur) *Verbum incarnatum ſecundum diuinam naturam mortẽ Crucis ſuſtinuiſſe.* Quæ effata ſi non ſunt, quouis Arianiſmo deteriora; tunc fateor, me quid ſit Arianiſmus ignorare. Sed de hac ſtulta impietate, iam ſæpius dictum eſt.

Ait Iunius: Verbum *merendi & meriti* alio ſignificatu apud Patres accipi, quàm hodie vulgo accipiatur; probat hoc etiam ex Miſſalis Romani orationibus: *Merear Domine portare manipulum fletus*, &c. Item. *Aures tuæ pietatis*, &c. *Inclina precibus noſtris*, &c. *Teij, æterna charitate diligere mereamur*, &c. Item, *vt te perfectè diligere, & digne laudare mereamur*, &c. Neſciebam, Iunium tam tritum & verſatum eſſe in *Miſſali* Romano. Niſi vitam eius ex vita, quam ipſe ſcripſit, noſſem; ſuſpicio ſubiret, eum aliquando Monachum vel Sacerdotem fuiſſe; ſed obſtat hiſtoria vitæ eius, ſi tamen pura à mendaciis prodiit. Vtcunq; eſt; ego non video, quomodo notio *meriti*, quam Iunius odit, excluſamque & exploſam cupit, excludatur prædictis locis; Rogamus enim Dominum, vt *mereamur*, hoc eſt, vt digni reddamur, portare manipulum fletus & doloris. Quomodo hanc gratiam ſeu

digni-

dignitatē aliter merebimur, niſi bonis & ex virtute profectis actionibus, hoc eſt, meritis? Rogamus, vt Deum æterna charitate diligere *mereamur*. Qua ratione, niſi bonis operibus, hoc eſt, meritis? Rogamus, vt Deum dignè laudare *mereamur*. Quo pacto hoc impetrabimus, niſi laude dignis actibus, hoc eſt, *meritis*? In eandem ſententiā accipi poteſt illud D. Ambroſij à Iunio citatū lib. de Fide Reſurrectionis. *Quæ mereri optauimus*, nempe bonis actibus, *cum meruerimus, abdicamus.*

Ait Bellarminus. Melius eſſe, cæteris paribus, aliquid ex merito habere, quàm ſine merito. *Negatur*, clamat Iunius. *Nam Deus ex natura, non ex merito habet, alioqui præſtabilior foret creatura merens, quā Deus ex natura habens.* At Iunius attendere debebat ad reſtrictionē illam, *cæteris paribus*; & ad ſubiectam materiam, & ad circumſtantias perſonarum: non enim omnia ſub meritum cadunt. Et inprimis nihil penitus eorum, quæ ad diuinam naturā pertinent, reſpectu Dei; quia omnia hæc Deo ſunt naturalia, & nullo merito acquiſita; neq; enim Deus, quatenus Deus, ſeu ſecundum naturam diuinam, quidquam mereri poteſt; ſed hominis, qua homo, eſt mereri ea, quibus eget: Et, *cæteris paribus*, hoc eſt, ſi dignitas perſonæ non impediat, neq; etiam indecentia aliqua inde naſcatur, melius eſt aliquid per meritum acquirere, quàm ſine merito; nam talis, præter rem, ſeu mercedem, q̄ accipit, exercet inſuper actū ſeu actus virtutis, qui per ſe etiā laudandi & commendandi ſunt, ob peculiarē bonitatē, qua conſtant.

Vidit ipſemet Iunius hoc vel ſimile quid ad primam ſuam obiectionem reſponſum iri: quo circa ſubdit: *Si excipere diſputator volet, ſe de iis agere, quibus ex merito aliquid poteſt accedere, reſpondebitur, perſonæ Filij Dei nihil poſſe accedere, ergo ne ex merito quidem.* Si perſonæ Filij Dei nihil poteſt accedere, quomodo acceſsit in tempore natura humana ad vnionem perſonalem aſſumpta? Quomodo nihil acceſsit perſonæ diuinæ, cum Sectarij contendant, perſonam diuinam, hoc eſt, filium Dei, ſapientiā & gratiā creuiſſe, more cæterorum hominum? Deinde, vt perſonæ Filij Dei ſecundum diuinam naturam nil poſsit accedere, at poteſt ſecundum humanam. *Non ex merito*, occlamat Iunius, *ſed ex vnione perſonali, propter dignitatem perſonæ.* At Apoſtolus, diuini ſenſus ſine dubio callentior quàm Iunius vel Caluinus, diſertè affirmat, exaltationem & gloriam corporis, nominiſq; celebritatem per vniuerſum orbem diffundendā Chriſtum humilitate, obedientia, & paſsione ſua meruiſſe; *Propterea* enim, id eſt, *propter* humilitatem, obedientiam, & paſsionem Deus *exaltauit eum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Deinde duò hæc non aduerſantur ſibi abſolutè, aliquid eſſe debitum ex vnione hypoſtatica, & cadere ſub meritum, præſertim ſi poſteriore demū tempore acquiratur, quia bene fieri poteſt, vt idem pluribus titulis ac nominibus ſit debitum.

Ait Bellarminus cum S. Thoma, Chriſtum omnia debuiſſe habere optimo modo: Subſumit Iunius: *Diuinus autem modus eſt optimus: omnia ergo habuit Chriſtus diuino modo. Atqui gratia vnionis modus diuinus eſt, meritum verò humanitatis in ſe humanum.* En quā rigidus ſit Iunius cenſor, cum de *merito* agitur; tam autem facilis, cum de gratia & ſcientia Chriſti diſputatur; in hac enim contendit Chriſtum feciſſe progreſſus, non ſecus ac alios homines. Hic nihil apud Iunium poteſt hypoſtaticæ vnionis diuinus modus; vt corpore incrementa ſumpſit, ſic gratiā & ſcientiā, iudicio Iunij. At cū de parta corporis gloria ex merito diſceptatur, hypoſtaticæ vnionis diuinus modus in medium producitur, vt meritum excludatur, cum tamen gloriam corporis, & alia nōnulla in ipſo vnionis hypoſtaticæ puncto nō acceperit, ſed longo poſt tempore. Quapropter ea, quibus adhuc carebat, mereri potuit; tametſi debita ſibi ex vnione hypoſtatica. Itaque modus diuinus aliquid acquirendi optimus eſt; ſed per additionē illius modi, qui in merito conſiſtit, non euadit deterior: vt taceam, etiā ipſum modū adipiſcendi aliquid p meritū, diuinū eſſe, ꝓmanat enim ex diuina gratia, nō ex nuda natura humana: itemq; ex illa natura, quæ hypoſtaticè Verbo diuino vnita fuit; Ex qua vnione meritum illud immenſum valorem ac dignitatem contraxit; ita vt & hoc intuitu, iure optimo, modus per meritum acquirendi nominari queat diuinus.

Ait Iunius: *Humanam naturam non niſi inſtrumentum diuinitatis eſſe.* Etſi in quibuſdā operationibus humanitas Chriſti diuinitatis inſtrumentū eſt, & quidem coniunctum; dicere tamen humanitatē non eſſe niſi diuinitatis inſtrumentū, id nil aliud eſt; q̄ grandem ſecurim ſcelerata manu myſterio Incarnationis impingere: nam myſterium illud inuiolatè cuſtoditū tradit, vt naturas, ita & operationes naturarum in Chriſto manere inconfuſas, ac proinde vtramq; naturam ſuarum operationum eſſe cauſſam principalem, nō inſtrumentariam; nam vt in quouis homine natura humana naturalium ſuarum actionū principalis cauſa eſt; ita & in Chriſto. Qui igitur docet in Chriſto naturā humanā nil niſi inſtrumentū diuinitatis eſſe, is docet; humanā Chriſti naturam nil ex ſe poſſe, ſed ad omnē actionē moueri debere à diuinitate, tanq̄ à principali cauſſa, quemadmodū quodlibet inſtrumentū nil ex ſe poteſt, niſi à primaria cauſſa ad actionē applicetur. Hoc autem quàm cum Incarnationis articulo concinat, rectè ſentientium arbitrio diiudicandum relinquo.

CAPVT X.

Soluuntur argumenta Caluini.

NE finis Annotationū Danæi in hunc librū diſcreparet ab exordio & medio, mentitur & calumniatur alacriter. I. *Primam ſolutionem Bellarmini eſſe nihili.* Quis hoc affirmat? Homo nauci ac nihili.

II. *Caluinum loqui de persona Christi.* Nō de illa præcisè, sed de persona secundum naturam humanā, & hoc respectu abnuit personam Christi aliquid sibi meruisse. III. *Bellarminum agere de natura Christi diuina, quæ descendit.* Meminit quidem Bellarminus Filij Dei, qua Deus, vt Caluini argumentum profliget; at minimè dicit, Christum hac ratione sibi aliquid meruisse. IV. *Christum in forma serui nil potuisse sibi mereri.* Mendacium Battologicū. V. *Creaturam de suo creatore nihil mereri.* VI. *Hoc docere Christum. Lucæ 17. v. 10.* Quære locum, & si hoc Danæi assertū repereris, renuncia mihi. VII. *Idem docere Thomam.* VIII. *Et quidem in Tertia Secundæ* q. 19. a. 3. vbi hæc *Tertia Secundæ?*

IX. *Bellarminum sui omnibus aduersari, quando scribit, Christū in hac vita fuisse in statu merendi: fuisse enim comprehensorem.* X. *Prorsus esse ἀνύσιατον, ἀδυνατον & absurdum, vt quis sit comprehensor & viator.* Cur, obsecro, secundum diuersos respectus? XI. *Hoc proinde esse, ac si quis asserat, aliquid omnibus suis partibus esse perfectum; & tamen mancum aliqua sui parte, vel pluribus.* Quis dicit, Christum fuisse perfectum comprehensorem, hoc est, perfectè beatum, vndequaque & ex omni parte: omnibus sui partibus, etiam corporeis? Quis asserit comprehensionem seu beatitudinem illam Christi in terra degentis fuisse perfectam, etiam quoad omnia *accidentalia & accessoria?*

XII. Mend. *Bellarminum seipsum euertere. Nam illum hic scribere, animam Christi acquisiuisse sibi gloriam per actus repetitos & peractos in corpore.* Sed mentitur Danæus, quia Bellarminus non sentit, nec indicat se sentire, quòd Christus sibi meruerit gloriam animæ, vt satis colligitur ex principio cap. 9. nec de Christo loquitur hoc cap. 10. Sed de communi modo, quo homines gloriā corporis merentur, vt declaret, an hæc gloria sit accessoria tantum gloriæ animæ: qualis si foret, non videtur posse cadere sub meritum hominis iam secundum animam beati, quia sine merito alio illi debetur. Respondet Bellarminus, nec accessoriam esse, nec si esset, repugnare, quo minus beatitudinem animæ possidens vel meritus; nouo titulo mereri possit gloriam corporis, licet iam debitam. Nec in hoc repugnat Bellarminus omnibus Pontificiis, vt XIII. mentitur Danæus.

XIV. Mend. *Omnes Pontificios Doctores negare,* illud cadere sub meritum, quod est ex alio consequens. Imò nullus disertè hoc dicit; vnus vel alter obliquè & obscurè id insinuat, vt patet apud Suarez 3. p. q. 19. disp. 40. sect. 3. Omnes alij Scholastici apertè docent, Christum meruisse sibi gloriam corporis, tametsi quid consequens esset ex gloria animæ.

XV. Mend. Tale meritum pugnare cum illa regula naturæ: *Caussa caussæ est etiam caussa caussati.* Pugnat, quia axioma hoc non intelligis; si intelligeres, non pugnaret. Nam meritum, caussa illius effectus, non excludit aliam caussam, nempe gloriam animæ, vt neque hæc, meritum: sed conspirant amicè, & ad eundem effectum producendum concorditer concurrunt, quamquam in diuerso caussæ genere.

XVI. Mend. *Nihil à Bellarmino ad secundum Caluini argumentum responderi.* Videat lector Bellarminum & iudicet. XVII. *Dicere Bellarminum, in Dei Verbo nequaquam expressum esse, Christum pro sese neque meritum, neq; passum fuisse.* Nihil Bellarminus de passione; sed de merito: nam Christum pro se passum esse, nō bene tenuit. At pro se meruisse, nil absurditatis præfert.

Vrget Danæus hanc argumentationem: *Christus pro nobis est passus.* Esto; *& quidem pro nobis tantum: ergo non est passus pro se.* Esto. Neque enim id affirmat Bellarminus; neq; ita loquitur: sed hoc modo: *in nullo scripturæ loco legi propter nos tantum Christum laborasse.* Quod verissimum est: Si dicat Caluinista: *Christus non est passus pro se:* ergo nec meruit pro se; concesso antecedente, neganda est consequentia, vt friuola & Danæana.

XVIII. Mend. *Bellarminum scribere, peccatum Adami fuisse nō veram caussam Passionis Christi, sed caussam duntaxat sine qua non: Et ideo eum manifestè Verbo Dei contradicere.* Bellarminus nunquam dixit; nō fuisse veram caussam; quamquam capitali crimine se nō obstrinxisset, licet id asseruisset, (quia nec est caussa efficiens, nec forma, nec materia, nec finis; occasio fuit. Finis passionis erat non peccatum, sed eius abolitio, & nostra à peccatis redemptio) sed ita loquitur; *Nos fuimus caussa, sine qua Christus non fuisset passus.* Quo loquendi modo putat ineptus iste excludi rationem veræ caussæ, & introduci tantum conditionem *sine qua non:* perinde ac si diceret; eum, qui ita loquitur; *Anima est caussa, sine qua homo non viueret;* abiudicare animæ veram rationem caussæ, tantumque pro conditione *sine qua non* agnoscere.

XIX. *Responsionem Bellarmini ad tertium argumentum Caluini nihil valere.* Quis hoc asserit? Homo, qui plus non valet, quàm hoc eius assertum.

XX. Mend. Bellarminum facere Christi passionem *mercenariam.* Remoue mendacem & calumniosum dicendi modum, si verax & candidus videri cupis. Num & Caluinistæ passionem Christi *mercenariam* faciunt; quia credunt Christum per passionē suam nobis aliquid, tanquam mercedem, obtinuisse, atque adeo meruisse?

Ait Bellarminus, Maximam Christi charitatē ex eo elucere, quòd mori voluerit, & quidē pro inimicis, cum sine passione & morte per alios actus mereri sibi gloriam corporis & nominis exaltationem potuerit. Hinc accepit Danæus occasionem cudendi XXI. Mendacium. *Bellarminum à se ipso confutari.* Quo pacto? *Quia supra scribit, Christum per mortem Crucis gloriam corporis meruisse.* Qualis contradictio? *Reipsa per passionem & mortem meruit illam gloriam; ergo Bellarminus sibi aduersatur, quando dicit; Christum absolutè sine passione & morte gloriam illam mereri potuisse.* Quis ab hac antilogia Bellarminum vnquam exsoluet?

XXII. Mend.

XXII. Mend. *Bellarminum contradicere omnibus sententiarijs.* Imo nulli prorsus: quia nullus vnquam exstitit, qui non fateretur, Christum simpliciter loquendo gloriam corporis sine passione & morte per alios actus mereri potuisse.

XXIII. Mend. *Scholasticos docere, Christum ex sola morte sibi gloriam acquisiuisse.* Nullus vtitur hac voce, *sola*, quia nec Apostolus eam adhibuit: nam & actus, passionem & mortem Christi antegressi, fuerunt *meritorij* eorum, quæ Christus post passionem accepit. Hinc Apostolus Philip. 2. non tantum nominauit passionem & mortem; tanquam caussam illius gloriæ; sed & humilitatem ac obedientiam, quæ ad cæteras quoque partes vitæ Christi spectant.

XXIV. Mend. *Bellarminum ad tertium Caluini argumentum planè cecutire.*

XXV. Mend. *Bellarminum modò affirmare, modò negare Christum meruisse sibi, vt esset caput mundi.* Bellarminus disertè negat, Christum sibi meruisse, vt esset caput Angelorum & summo Dei Imperio potiretur, atque in eo Dei maiestas resideret: quamuis addit, Christum mereri potuisse, vt esset Iudex mundi, præsertim in nouissimo iudicio.

His mendaciis & criminationibus huic quinto libro valedicere voluit Danæus. Quamuis mox in Censura generali, omnia ψεύσματα, quæ toto hoc libro effuderat, breuiter repetit, & propter tardiores in Epitomen redigit; vt legentium oculis facilè patere queant. Quam nihil est, cur speciatim refellam, quia nil aliud est, nisi Battologicus alogiæ, inscientiæ, lœdoriæ, maniæ & pseudologiæ Danæanæ cento. Quale mendacium, Bellarminum dicere, *perfectius esse aliquid ex nostro merito, quam ex Dei gratia habere.* Vbi hoc Bellarminus? Quale mendacium Bellarminũ scribere, *suppositum mediatoris nostri, diuinum esse oportuisse, non vt naturam humanam sibi vnitam sustentaret; sed vt actiones hominis Christi essent infinitæ dignitatis.* Posterius quidem hoc verum; sed vbi prius illud negauit Bellarminus? Quid aliud est naturam hypostasi vniri, quam ab ea sustentari?

Nunc ad Iunium: qui solenni sua consuetudine omnia Bellarmini dicta in frustilla discerpit, vt frustillatim criminando, tutius criminetur. Ait Bellarminus, neminem ambigere posse, quin Christo in forma serui aliquid defuerit ante resurrectionem. Iunius. *Defuit quidem humanitati in se, at non defuit in persona, cum ea fuerit caro Christi.* Quid audio, Iuni? Num corpus Christi habuit gloriam corporis, qua post resurrectionem claruit, in persona Verbi? Non magis profectò, quã messem habeat, vel habere dici absolutè possit is, qui eam habet in grano seu semente; & effectum in sua caussa. An ideo electi iam absolutè dici possunt, potiri beatitudine; quia eam habent in sua caussa, hoc est, in gratia diuina? *Verbum*, inquit Iunius, *omnia habuit.* Non quæritur quid Verbum in se habuerit; sed quid habuerit Verbum secundum carnem seu humanitatem; quamquam non nisi improprie dicitur gloriam humanitatis Christi habuisse; quia non habuit illam formaliter, sed tantummodo eminenter, vt caussa.

Obiicit Iunius. *Caro est instrumentum Verbi; ergo nil potuit mereri.* Respondeo, falsum esse carnẽ seu humanitatem esse instrumentum Verbi in omnibus suis actionibus, vt Caluinista somniat; de cuius delirio cap. superiore. Deinde quidquid sit de antecedente, negatur Consequentia: Etsi non tam caro, seu humana natura, quàm Christus secundum carnem seu humanam naturam meruisse dici debet.

Fingit Iunius, Bellarminum hunc in modum argumentari. *Christus meritus est nobis, & sufficiens fuit, vt mereretur nobis, ergo sufficiens fuit vt mereretur sibi, & reuera sibi est meritus. Negatur consequens*, clamat Iunius: *probari non potest.* Quidquid negas, id tuum est, nõ Bellarmini, vt & sequens syllogismus. *Qui meretur alteri & sufficiens est ad merendum alteri, idem meretur sibi & sufficiens est, vt mereatur sibi: Christus meritus est nobis, & sufficiens est ad merendum nobis, ergo Christus meritus est sibi, & sufficiens est, vt mereatur sibi. Propositio Maior falsa est*, inquit Iunius, *si vniuersalem feceris: ex particulari nihil sequitur.* Seu vera seu falsa sit Maior; nõ est Bellarmini, sed Iunij: Nam Bellarminus eam hoc modo concepisset: *Qui meretur alteri, & sufficiens est, vt mereatur alteri, & caret aliquare sub meritum cadente; idem mereri potest sibi, & sufficiens est, vt sibi mereatur.* Postea subsumpsisset: *Christus meritus est nobis, & sufficiens est ad merendum nobis; & caruit aliquare sub meritum cadente; ergo Christus potuit sibi mereri; & sufficiens fuit ad merendum sibi: ergo & de facto sibi id, quod deerat, meruit; quia affirmat hoc Apostolus ad Philippenses secundo.* Quanquam absolutè non est necessarium, vt quis re, quam mereri debet, careat: fieri enim potest, vt quis ante merita cum respectu ad illa futura, habeat præmium, vt explicat Suarez Tom. 1. in 3. p. Disp. 10. sect. 4. Deinde licet quis omnia sub meritum cadentia haberet, posset ea nouo titulo mereri, si status operantis vel aliud adiunctum, non excludat meritum.

Mereri, inquit Iunius, *accessionem notat: Deo nihil potest accedere; non potest ergo mereri Deus.* Quam vanitatẽ Iunius supra positam hic reponit: quia non est satis ei semel ineptum fuisse; iuuat ineptias repetere. Paucis respondeo, Deum secundum naturam diuinam nil posse mereri; posse autem secundum humanam, quia hæc est accessionis capax. Et hic pedem figamus. Gratiæ Deo, qui nos ad finem huius secundæ Controuersiæ clementer perduxit.

Finis secundæ Controuersiæ generalis, quæ est de Christo.

Digitized by Google

REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI,

S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI, TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS DE SVMMO PONTIFICE.

QVINQVE LIBRIS EXPLICATA, ET NVNC PER IACOBVM GRETSERVM SOCIETATIS IESV THEOLOGVM A SECTARIORVM CALVMNIIS vindicata.

ACCESSIT

APOLOGIA TRIVM LIBRORVM DE TRANSLATIONE IMPERII CONTRA DRESSERVM & Iunium: cum defensione libelli contra Anonymum quendam Nouatorem conscripti.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEFENSIO CONTROVERSIÆ DE SVMMO PONTIFICE A REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO ROBERTO BELLARMINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, QVINQVE LIBRIS EXPLICATÆ.

ASSERITVR A IVNII, DANÆI, SVTLIVII, ET VVITACKERI NOTIS ET obiectionibus præfatio.

CONTROVERSIAE de summo Pontifice præposuit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus præfationem doctissimam, in quam modò nominati Caluinistæ hostiliter incurrunt. Intonat Iunius illa sua solennia; millies iam audita, & millies audienda: *Negatur; Negamus. Falsum. Æquiuocatio. Inconsequens*, & id genus alia, quæ textui Bellarminiano frustillatim conciso, vt alibi, ita & hic attexit: Illud probo, quòd fatetur, scurrarum, aut imperitorum esse, *Papæ* nomen ad loca cœnosa ac sordida, & quidquid fœdum ac turpe in rerum natura continetur, transferre. Scurræ ergo Lutherus, Melanchthon, Paracelsus, Caluinus, Beza, innumerabiles alij, qui non modò per Methaphoram suis moribus conuenientem, *Papæ* vocabulum ad prædicta omnia transtulerunt, sed & turpissimis picturis, sculpturis, scalpturis, cælaturis effigiem & munia Papæ expressérunt, & intuentium oculis subiecerunt. Quo in genere omnes scurras longissimo post se interuallo reliquit Lutherus, vt planum faciunt Diabolicæ illæ imagines, quas in opprobrium & contumeliam Pontificis Romani Anno Christi M. D. X L V. hoc est, paulò ante mortem suam in vulgus extrusit: quarum tanta est turpitudo, vt eas vix vllus honestus oculus intueri queat.

Illud non placet, quod mentitur Iunius; Bellarminum fateri, duo ex generalibus Conciliis, nempe Constantinopolitanum primum, & Chalcedonense; ambitioso Romani Pontificis primatui repugnasse. Nihil huius Bellarminus; sed hoc tantùm; Græcos, iam inde ab Anno Domini CCCLXXXL Episcopum Constantinopolitanum tribus Patriarchis Orientis anteponere, & secundum à Romano Pontifice facere voluisse: idque liquere ex Concilio generali secundo, Canone quinto. Deinde in Concilio Chalcedonensi Act. X VI. Græcos definiuisse, non tamen sine fraude & absentibus legatis Romanis, Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, vt tamen habeat æqualia priuilegia. Hæc Bellarminus. An hoc est fateri duas œcumenicas synodos primatui Romani Pontificis aduersatas esse? An quod paucorum ambitione per nefas summamque iniuriam gestum est, ipsis legitimis Conciliis adscribi debet? Quanquam etiam id, quod iniustè pauci quidam egerant, non est argumento eos primatui Pontificis aduersatos esse; nam in Cõstantinopolitano Concilio primatum non attigerunt, Tantumodo Episcopum Constantinopolitanum secundum à Romano Pontifice esse voluerunt. In Chalcedonensi quoque Synodo nil aliud fecerunt, quam quòd primo Pontifici socium primatus dederunt: quo apertè præ se tulerunt, se non auersari primatum, sed optare, vt eo etiam Constantinopolitanus Episcopus potiatur: neque posteri Græci primatum in Ecclesia absolutè negarunt; sed eum Romano potius, quàm Constantinopolitano concessum fuisse, digerere non potuerunt; hinc per vim dignitatem primam suo Patriarchæ vendicare aggressi sunt.

Danæus suspicatur hanc à Bellarmino pro Pontifice susceptam disputationem spe obtinẽdi alicuius luculenti sacerdotij. Eodem consilio Genebrardum pro Catholica religione calamum strinxisse scribit: Bellarminum tamen à Pontifice non plus quàm Genebrardum consecuturum; *fumos nimirum & verba; non rem, non sacerdotium.* Verum licet certissimus sim tam Bellarminum, quàm Genebrardum, non alia mente cum hæreticis in arenam descendisse, quàm vt ab ouili Christi furibundos lupos arcerent, & Ecclesiæ laboranti opem pro virili ferrent, diuinique nominis gloriam & honorem quà conseruarent, quà propagarent; suorumq; laborum tandem in cælo æternum præmium reciperent; nemo tamen non videt, quàm mendax vates fuerit Danæus, cum Genebrardus ad Archiepiscopatum Aquensem in Prouincia Apostolicæ sedis gratiâ, peruenerit: Bellarminus autem ad galerum Cardinalitium; imò & ad Archiepiscopatum Capuanum, quo tamen sponte se abdicauit; palam faciens, quàm vehementi harum dignitatum cupiditate flagrarit.

Cætera Danæi mendacia sunt, & conuicia in Romam & Papam; partem quoque thrasonismi tenent: ex quorum numero ille: *Ego te, Bellarmine, vel inuitum in gyrum rationis reducam, & feroces illos & altos tuos pro tuo Deo Romano Spiritus, vero Deo bene fauente, comprimam ac compescam.* Tunc, irrationalis lurco, in rationis gyrum quenquam reuocares; qui in insulsissimis tuis Annotationibus vbique stultitiæ, vt sic loquar, montes ostentas; rationis aut nihil aut perparum?

Sutliuius statim in vestibulo suæ contra Pontificem & Bellarminum dimicationis demonstrare voluit, se *petulantem conuiciatorem* esse. Quo elogio cohonestatus est ab ipso Beza in Responso *ad Tractationem de Ministrorum Euangelij gradibus*, ab Adriano Sarauia Belga editam. Conatur quidem Sarauia hanc notam, qua Matthæus Sutliuius Decanus Excestrien sis à Caluinistarum Antesignano inustus est, depellere; sed irrito conatu. Nam verè à Beza hoc encomio ornatum esse, pro testimonio fuerit, (vt nulla alia documenta suppeterent) hæc ipsa, de qua loquimur, præfatio, in qua præter infinita in Pontificem maledicta & conuicia, ex sannionum & scurrarum chartis maximã partem desumpta, præter item mendacia crassissimo filo consuta, in Cardinalem Bellarminum, toto terrarum orbe illustrissimum, & ipsis etiam hostibus, ob eruditionis magnitudinem, admirandum, petulantissimè debacchatur, appellitando eum I. *gloriosum & stercoreum militem.* II. *Furiosum & Daemoniacum Iebusitam.* III. *Leonem vaferrimum.* IV. *Balliona Comico magis turpem, mendacem, & versipellem.* V. *Monachum trihæreticum.* VI. *Annibalem Iebusiticum.* Quid tibi videtur Lector? An non Beza iure optimo nominasset Sutliuium, *petulantem calumniatorem*, licet nullas alias lædorias, totâ vitâ tuâ, præter istas in tantum virum, effudisset? Sed Sutliuiana conuiciandi intemperies minimè his finibus circumscribitur, Non tantum tota præfatio, sed & totus eius liber his gemmis exornatur. Quia enim verba illa Isaiæ, & duorum Apostolorum Petri & Pauli; *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidẽ probatum, &c.* Bellarminus ad Pontificẽ Romanum, siue illius sedem refert, ideo, Sutliuij iudicio, *non plus sapit* Bellarminus, *quàm lapis.* At mirificissimum est, omnes Prædicantes Lutheranos, & omnes Ministros Caluinianos, qui vel scripturiunt, vel scriptitãt, cum Bellarmino occupari, si nõ plus sapit quàm *lapis*? Quid periculi vel detrimenti imminere potest rei Lutheranæ ab illo, qui non plus sapit, quàm *lapis*? Si non plus sapit, quàm *lapis*, quomodo igitur Bellarminus est *disputator versutus, & declamator argutus*, vt eum Stultliuius nominat? Quomodo ab eodem accensetur Iesuitis, qui, vt ait, *sunt homines cati, callidi, astuti, versipelles, audaces, loquaces, sophistæque strenui?* Num in eũ, qui non plus sapit, quàm *lapis*, hæc Epitheta conueniunt? An Sutliuius non tantum est petulans conuiciator; Bezæ testimonio & iudicio, omni exceptione maiore? sed inconstans item, sibique contradicens conuiciator, qui furore & amentiâ ebrius nesciat, quid in miseram papyrum effutiat?

Tonat & fulminat, quòd Bellarminus locum de *lapide angulari*, ad Pontificem transtulerit. VVitackerus quoque eandem ob causam frontem pariter & nasum corrugat, in præfatione ad suos auditores quam Controuersiæ suæ quartæ præmisit. Inexpiabile facinus, præsertim, cum Bellarminus publicè fateatur, verba illa præcipuè competere Christo; haud tamen ineptè Christi Vicario applicari posse, per sensum videlicet, quem vocant, *accommodatitium*, An non hoc perspicuè ostendit Bellarminus? Tu Sutliui cur non refelliſti? Cur tantummodo vociferaris, histrionis instar, sedem Romanam non esse inædificatam lapidi angulari, de quo Propheta & Apostoli, sed *arenæ, cœno, fabulo*: ita enim tu *arenosus, fabulosus, & cœnosus* dissertator loqueris, An non ipsum Petri nomen & præclara illa Christi oratio: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* satis perspicuè indicant, locum illum de *lapide angulari* posse ad Petrum Apostolum, eiusq; successores, certo quodam sensu applicari?

Sensisti, quod Bellarmin⁹ ait, hostes sedis Apostolicæ nullas vnquã generales synodos tanto tẽpore celebrasse ip argumentum mutuæ consensionis & pacis. oggãnis, vos intra X L. *annos in vna Anglia multas synodos indixisse.* Nũ generales, nõ modò respectu Lutheranorũ, qui cõciliabula vestra ne vnius quidem assis æstimãt, sed respectu etiã tuorum Caluinianorum? Num vnquam in Anglia vlla synodus celebrata est, quæ ab omnibus Caluinistis sit recepta? Mitte, si lubet, decreta

Con-

Conciliabuli Londinensis. Anno M. D C. si ritè recordor, initi Geneuam, vel ad Gallos Caluinistas, vel ad Belgas, vel ad Germanos, vel ad tibi viciniores Scotos, vel ad tibi vicinissimos Anglos Puritanos, videamus, num calculum suum decretis illis sint adiecturi. Quanquam certum est adiecturos calculum; sed atrum, non candidum: id clarum fit ex perpetuis contentionibus Caluinopapistarum Anglorum cum Puritanis, & ex mutuis, iisque aduersariis scriptis Bezæ & Sarauiæ. Annon digito quasi intento te designauit Beza, quando in Responso contra Sarauiam ita scripsit? *Conuiciatorem illum, à quo discrimen inter cuiusque rei ὑπόθ. (* essentialia*) & adiunctas circumstantias tollitur, & qui nos ridiculè ad logicam doctrinam reuocat, quis æquo animo ferat?* Quis iste cõuiciator? An non Sutliuius: quem Sarauia vocat *virum doctum, integrum & dissimulandi expertem, qui schapham vocet schapham?* At grauior est, eritque in Caluinistarum Synagoga Bezæ auctoritas, citiusq; quàm Sarauia fidē dictis suis inueniet; qui Sutliuium alio titulo cohonestat, & conuiciatorem indigitat: Hoc nimirum est *scapham, scapham:*

Tria sunt, inquit Sarauia, *in quibus sine vllo Verbo Dei, ecclesiæ nostræ à prisca antiquitate recesserunt. Primum est; Episcoporum abolitio; alterum, presbyterorum, & diaconorum temporariorum inuentio; & tertium, amborum officium, & functio. Hic tamen nouitius error, & nuper natus, paruo tempore adeò altas iecit radices, vt è multorum animis posse euelli diffidam patrono, & defensore Beza; propter opinionem, quam imbiberunt; cui plerunq; plus tribuere solent homines quàm veritati. Nam, hoc audeo dicere, si Geneua abolitionem Episcoporum non probasset; & hos presbyteros, & diaconos non recepisset; nemo, id esse faciendum in sacris literis vsquam inuenisset, aut inueniret. Quandocunque in re quapiam ab antiquitate vniuersali, & sibi consentiente, & per omnes ætates constante, receditur: opus est apertioribus verbi Dei testimoniis, & validioribus argumentis, quam D. Beza in hac sua responsione attulit: quæ tantum abest, vt me vel minimùm dimouerint à prima mea sententia; vt magis in ea confirmauerint: & iure Episcopalem gradum, & presbyterorum, & diaconorum, re, & nomine Ordines, cum ea authoritate, quam Deus Apostolis, & futuris Ecclesiæ Episcopis, & presbyteris dedit, retineri, & restitui me desiderasse, & desiderare censeam.*

Num tu, Sutliui, vllam cum aliis Caluinistis concordiam in aliqua generali Caluinistica synodo sanciri posse confidis, quandiu hæc nobis sententia mente sederit; Et *Puritanis* itidem sua, hoc est, vestræ ex diametro opposita: tametsi nõ tantùm in his tribus, sed in plurimis aliis capitibus capitaliter à Geneuensibus dissidetis?

Porrò, eodem iure, hoc est, optimo, quo Beza Sutliuium *petulantem conuiciatorem* nominauit, nominare eundem potuisset *thrasonem*. Ex infinitis thrasonismis, quibus omnes Caluinistæ huius chartæ refertæ sunt, hunc vnum paradigmatis loco accipe: *Omnes ego viros doctos, & pios, qui in scholastica palæstra vsum, & arma habent ad hostes*

A *Ecclesiæ debellandæ idonea, hortor, & moneo, vt coniunctis copiis communem piorum hostem aggrediantur, atque vt istos Iebusitas prælium redintegrantes fortiter pellant, fundant, fugent. Acies aduersariorum iam pridem inclinare cœpit, & terga vertere; hi soli suos pugnam detrectãtes in aciem reduxerunt, prælium q, se restituturos sperãt. si hos vincamus; & Christus honorem suum, & Ecclesia libertatem, & nos omnes ius nostrum recuperabimus. Fortiter itaque agite; &, si non alium habeatis in hoc certamine promptiorem, me ducem sequimini. Ostendam ego vobis, quomodo Iebusitas istos facile vincere possitis. Christi Iesu auspiciis pugnamus, &c.*

Quis Pyrgopolinices, isto tam magnanimo & imperterrito, duce & auspice, certam victoriam, & victoriæ præmium coronam sibi non spõdeat! Quis *Bombomachides* & *Cluninstaridysarchides* istum non sequatur alacriter in prælium? qui domo egrediens proculdubio ea suis mandata edit, quæ ille apud Comicum: *Curate vt splẽdor meo sit clypeo clarior, quàm solis radij esse, olim cùm sudum est, solent, Vt vbi vsus veniat, contrà conferta manu, Oculorum præstringat aciem in acie hostibus. Nam ego hanc macheram mihi consolari volo, Ne lamentetur, nunc animum despondeat, Quia se iampridem feriatam gestitem, Quæ misera gestit sartum facere ex hostibus.*

Quid tibi ego dicam? quod omnes mortales sciunt; Pyrgopolinicem te vnum in terra viuere virtute, & forma, & factis inuictissimis. Amant te omnes mulieres: neq, hercle iniuria, Qui sis tam pulcher.

C VVitackerus sua in præfatione multum cõcionatur de æqualitate Episcoporum, quæ olim in Ecclesia fuerit. Et tamen contra hanc ipsam ementitam, & abs se deprædicatam æqualitatem habent isti in Anglia Episcopos maiores Presbyteris & Diaconis, item Archiepiscopos Episcopis sublimiore gradu collocatos. Annon nouus partus VVitackeri ab editore Allensonio inscribitur *Archiepiscopo Eboracensi, Angliæ primati ac Metropolitæ*? An non hic maior est, quàm *Iamesius*, Episcopus Dunelmensis, quem ex eadem VVitackeriana fidelia dealbat Allensonius? An Primas est æqualis iis, quorum est Primas? Dedicat Sutliuius VVitgifto Cantuariensi Pseudoarchiepiscopo, & *totius Ecclesiæ Anglicanæ Primati*

D *amplissimo* suas aduersus Bellarminum nugas & gerras: vt & typographus Geneuensis Danæanas, & secundum suum librum de *Papana* Ecclesia offert Pouelus successori VVitgifti, *Bancroftio*, cuius fines vlterius profert, & *totius Britanniæ Primatem* ac *Metropolitam* indigitat. Num iste tãtus Primas non est Maior cæteris? Et tamen VVitackerus de æqualitate Episcoporum hîc verbosè ad suos declamitat, & ad populum phaleras iactat. Et paritatem inter Episcopos Catholicæ Ecclesiæ statui vult; quam nec à suis, & inter suos obtinere potuit, nisi Angli in Puritanos se transformari passi fuissent; renuente & reluctante Sutliuio & Sarauia; qui in ipsa Anglia, aduersus Puritanos æqualitatem Ecclesiasticorũ

miniſtrorum ſtatuentes, pro Miniſtrorum inæqualitate integris libris decertarunt. At ſat de præfatione. Ad rem ipſam accingamur.

CAPVT I.

Proponitur quæſtio, quodnam ſit optimum regimen.

DANAEVS coniungit hoc caput cum duobus ſequentibus: mentiturque, *ea nihil pertinere ad regiminis Eccleſiaſtici formam & rationem*, & Bellarminũ *committere fallaciam & migrationem de genere ad genus.* In huius mendacij communionem ſimili dicto venire voluit Iunius. Quod vt diluatur, obſeruare oportet, neminem ex Catholicis ſcriptoribus probare & confirmare Eccleſiæ gubernationem & adminiſtrationem præcisè ex politica gubernatione & adminiſtratione ciuilis Reipublicæ, quà talis eſt; vt ſectarij calumniantur, ſed ex gubernandi forma generatim ſumpta: cum enim apud omnes in confeſſo ſit, Eccleſiam egere gubernatione, atq; adeo reipſa gubernari; ſequitur eã ad alicuius gubernatricis formæ præſcriptum gubernari. Dico, *alicuius gubernatricis formæ*: nec addo; *ciuilis* ſeu *politicæ*: vt includam generalem gubernandi rationem, nec ad ſpeciem aliquam deſcendam; cũ enim quidquid gubernatur, ex aliqua gubernandi formâ gubernetur, neceſſe eſt, vt & Eccleſia ex aliqua gubernandi forma gubernetur, quandoquidẽ, omnium confeſsione & conceſsione, gubernatur.

Sunt autem vniuerſim loquendo ſimplices gubernandi formæ bonæ & laudabiles non plures, quàm tres; *Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia*, & quatuor compoſitæ, & ex tribus prædictis temperatæ, quas Bellarminus enumerat. Cum ergo Eccleſia regatur, vt per ſe conſtat, ſequitur, eam regi vel Monarchicè, vel Ariſtocraticè, vel Democraticè, vel mixtim ex tribus prædictis ſpeciebus. Nam Nouatores dum clamant, *has gubernandi formas pertinere ad politicam gubernationem*; neſciunt, quid dicant; nam in genere nec ad politicam, nec ad Eccleſiaſticam gubernationem pertinent; ſed ab vtraque abſtractæ atque abductæ ſunt; & ad vtramque per ſuas certaſque differentias contrahi poſſunt. Itaque ſi velint has regiminis formas etiam ſecundum generalem ſuam rationem ad Eccleſiaſticum regimen non poſſe limitari ac contrahi, perinde faciunt, ac ſi dicerẽt, genus, vt animal v. g. non poſſe per differentiam reſtringi ad ſpeciem, ad hominem v. g. Deinde neceſſe eſt, vt nobis alias gubernationis formas aſsignent, ſi nulla iſtarum in Eccleſia locum obtinet.

Ad extremum ipſi ſeipſos euertunt; quia Sibrandus capite ſecundo prolixè contendit Eccleſiæ regimen eſſe *Ariſtocraticum*. An non Ariſtocratia, eſt Politicæ gubernationis forma? Qua igitur ratione transfertur à Sibrando ad Eccleſiam? Sutliuius lib. 1. cap. 7. ait, *Eccleſia Politiam eſſe Ariſtocratiæ ſimiliorem, quàm regno.* Num & hic conclamabit inficetus Danæus, ab his duobus ſuis ſymmyſtis committi *fallaciam tranſitionis de genere ad genus? Nam Eccleſiæ regimen toto genere politico diſpar & diſsimile eſt*, vt inquit Danæus, tametſi mendaciter; nam ſpecie diſsimile eſt, non genere: in genere enim conueniunt Eccleſiaſtica & politica gubernatio, quia omnem gubernationem oportet eſſe vel Monarchicam, vel Ariſtocraticam, vel Democraticam, vel ex his conflatam: Neque vnquam dixit Bellarminus, vt ei imponit Danæus, ciuile regimen *toto genere ab Eccleſiaſtico eſſe diſpar*: nam genere non diſcrepat, ſed ſpecie: Quocirca impudenter etiam mentiendi prurigini frena laxat Sutliuius, cum primis verbis primi capitis ſcribere non veretur: *Bellarminum, totius huius controuerſiæ fundamentum in eo tanquam indubitato, ponere; Eſſe vnam & eandem Reipublicæ & Eccleſiæ adminiſtrandæ rationem.* Nunquam hoc dixit Bellarminus, neque enim vna & eadem eſt Eccleſiæ & ciuilis Reipublicæ gubernandæ ratio ſecundum ſpeciem; ſed longè diuerſa: licet vna ſit & eadem ſecundum generalem quandam rationem; quatenus omnis gubernatio eſt vel Monarchica, vel Ariſtocratica vel democratica, vel ex his mixta. Bellarminus certè nil aliud dixit; quàm nemini poſſe eſſe dubium, quin & potuerit & voluerit Saluator noſter Eccleſiam ſuam, eo modo gubernare, qui ſit omnium optimus & vtiliſsimus.

Quapropter cum poſtea Sutliuius verbo ſiſsimè oſtendere nititur, *non eſſe vnam & eandem Reipublicæ & Eccleſiæ adminiſtrandæ rationem*; non Bellarminum, ſed ſuum figmentum oppugnat, & cum cerebri ſui laruis dimicat, & quidem non ſine thraſonicis promiſsis. *Nos*, inquit, *ne poſtea quiſquam putet hoc argumentum alterius melioris artificij manu reſarciri poſſe, fundamentum hoc funditus euertemus, & oſtendemus longè diuerſam & diſcrepantem eſſe Reipublicæ & Eccleſiæ adminiſtrandæ rationem.* Subit in mentem illud Comici, *Periurioremhoc homine ſi quis viderit, aut gloriarum plenioremquàm ille eſt, me ſibi habeto, & ego me illi mancupio dabo.* Audi iterum Caluiniſta quod iam ſæpius audiſti, vna eſt ratio Reipublicæ & Eccleſiæ adminiſtrandæ non ſpecie, ſed genere; non ſpecifica, ſed generica: nam vnam eandemque vtriuſque adminiſtrationis genericam rationem eſſe; probatur teſtimonio Caluiniſtarum, nominatim Sibrandi, qui ſcribunt, Regimen Eccleſiæ potius eſſe Ariſtocraticum, quàm

Monar-

Monarchicum. Conuenit ergo in generico concepru Ariſtocratica Caluinianæ Synagogæ gubernatio, cum gubernatione Ariſtocratica ciuili.

Nec quidquam efficiunt nugamenta Sutliuij contra hanc generalem conuenientiam. *Eccleſia eſt corpus myſticum, non autem Reſpublica; vna item eſt Eccleſia, & omnia Eccleſiæ membra vnius ſunt ciuitatis; vnus eſt Eccleſiæ ſummus Paſtor, & princeps* IESVS *Chriſtus; Eccleſia perpetuò manet; Eccleſia nullis locorum aut temporum finibus circumſcribitur; Eccleſia non niſi Chriſti legibus neceſſariò tenetur; Denique Eccleſia ſalutem animarum ſpectat; Reſpublica, pacem externam; ergo Eccleſia & Reipublicæ adminiſtrandæ ratio ne genere quidem vna aut eſt, aut eſſe poteſt*; nam huius argumenti breuitate includi poteſt, quidquid Caluiniſta loquaciſsimè garrit.

Reſpondeo, quidquid ſit de ſingulis Antecedentis partibus, conſequentiam eſſe vaniſsimam; quia ſi quid efficitur, hoc tantùm efficitur, aliam eſſe ſpecie, non genere, Eccleſiam & Rempublicam adminiſtrandi rationem. Quod nemo rectè ſentientium abnuit.

Mentitur Danæus, Bellarminum *Eccleſiaſtici regiminis ſtabiliendi, probandi, indicandi fundamentum ex Caluino petere & ſtatuere.* Qui verò; cum Bellarminus Caluinum in hoc argumento grauiſsimè non ſemel confutet, Caluinuſque eam Eccleſiaſtici regiminis formam præſcribat, quàm omnes orthodoxi reiiciunt?

Mentitur iterum Danæus, *Bellarminum Eccleſiaſtici Regiminis formam ex Platone, Ariſtotele, & id genus aliis ſcriptoribus probare*; Vociferatur etiam Sutliuius in præfatione: *Ex Ariſtotele & Philoſophis ſperat* (Bellarminus) *ſe* Monarchiam Pontificiam *nobis probaturum, quam alij hactenus in Apoſtolorum ſcriptis fruſtra quæſiuerunt.* His acclamat Iunius. *Ariſtoteles & alij Eccleſiam Dei & ordinem illius ὑνικὸν τοῦτον neſciuerunt; ac non ſecundum Deum philoſophati ſunt.* Fumos vendunt ſectarij iſti *fumiuenduli*; nam Bellarminus minimè vult Eccleſiaſtici Regiminis formam ſecundum ſpecificam & vltimam ſuam rationem demonſtrare ex Platone, Ariſtotele, aliiſque ſcriptoribus Ethnicis; ſed ex illis docere ſtudet; quæ ſit Monarchiæ ratio, quæ Ariſtocratiæ; quæ Democratiæ; quæ formarum ex his tribus coagmentatarum & temperatarum; quæ ſingularum ſit notio, quis conceptus, quæ vtilitas, quæ commoditas, quæ mutua habitudo, quæ comparatio. Quæ omnia profectò à nemine aptius petuntur, quàm à Philoſophis, qui de his ex inſtituto ſubtiliter & enucleatè diſſeruerunt: vbi enim Prophetæ vel Apoſtoli de his Reipublicæ formis ex profeſſo aliquid nobis ſcriptum reliquerunt, vt hæc ex ſacris litteris exactè haurire liceat?

Neque refert quòd Plato, Ariſtoteles, & ſimiles veram Eccleſiam, eiuſque gubernationem in ſpecie non agnouerunt, ſatis eſt, eos monumentis ſuis Monarchiæ, & cæterarum gubernandi formarum naturam, genium, commoditatem, vtilitatem, fines, & id genus alia eruditè explicaſſe; & explicata ad poſteritatem tranſmiſiſſe. Hæc enim quæ à Philoſophis doctè, & rerum naturis conuenienter diſputata exſtant; Chriſtiani accipiunt; & ad ea, quæ in Chriſtiana Eccleſia geruntur, accommodant: Etſi enim Eccleſiæ forma & gubernatio à Deo ſit inſtituta; attamen non contra naturæ ordinem inſtituta eſt; quia vt gratia non deſtruit naturam, ità nec naturæ ordinem rerumque *quidditates* peruertit. Cum ergo quidquid rectè & laudabiliter gubernatur; gubernetur vel Monarchicè, vel alio ex ſupradictis modo, neceſſe eſt, Eccleſiam quoque ſimili quapiam ratione gubernari.

Vt igitur, quando quæſtio exſiſtit, de vnione hypoſtatica humanæ naturæ cum verbo diuino, rectè quis facit, ſi ex Philoſophia conceptum & rationem *vnionis*, *perſonæ* ſeu *hypoſtaſeos*; itemque *naturæ humanæ* adducat, & ad propoſitum myſterium accomodet; ſic & diſputaturus de Eccleſiaſtici Regiminis forma; rectè & ex præſcripto Artis agit; ſi de Monarchiæ, aliarumque gubernandi ſpecierum ratione & notione prius diſſerat; nam *quidditates* rerum & definitiones antè intellectas habere oportet, quàm quis in ipſam diſputationem ingrediatur. Iſtæ autem *quidditates* & definitiones rerum plerunque nec expreſsè nec implicitè à ſcriptura traduntur, ſed ſupponuntur; & aliunde peti debent. Vbi enim docet ſcriptura, quid ſit *vnio*; quid *perſona*, quid *humana natura*, prout à perſona diſtinguitur?

Vt igitur nil niſi cauillator vel potius calumniator eſſet; qui vociferaretur, me myſterium Incarnationis ex Ariſtotele probare velle, eò quod ex Ariſtotele doceam, quid ſit *vnio*, quid *hypoſtaſis* ſeu *perſona*, quid *natura*; ſic & in præſenti argumento ſycophantæ perſonam egregiè agunt Caluiniſtæ

noſtri, dum clamitant: *Bellarminum Eccleſiaſtici Regiminis formam ex Ariſtotele & Platone confirmare*: non enim inde confirmat quà tale; ſed ex Ariſtotele & aliis tradit rerum rationes, notiones & definitiones, vt poſtea ad propoſitam diſputationem accommodentur.

Rurſum itaque mentitur Danæus, *Bellarminum ex Iliade Homerica probare formam Eccleſiaſtici regiminis*; nihil enim aliud decantatiſsimo illo Homeri verſu:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, &c. Bellarminus efficere conteſtdit; quàm Monarchiam eſſe omniũ adminiſtrandi rationum ſimpliciter loquendo excellentiſsimam. Hoc demonſtrato, tum vlterius hunc in modum proceditur. Si Monarchia eſt omnium optima; Chriſtus autem optimam Eccleſiæ regendæ rationem proculdubio præſcripſit, dubitari non poteſt; quin Eccleſiam Monarchicè regi voluerit.

Obſeruandum eſt autem, licet Plato, Ariſtoteles, Homerus, ſimiles, myſteria Chriſtianæ fidei nõ intellexerint; potuiſſe tamen eos aliquid ſcribere, & reipſa quoque multa ſcripſiſſe & dixiſſe, quæ ſuo loco & ordine poſita, diſputationes de fidei quæſtionibus multum illuſtrent; quod non tantum intellectum volo de enucleata illa & accurata rerum & eſſentiarum enodatione & explanatione; cuius gnarũ eſſe oportet, qui de diuinis peritè diſſerere velit, ſed & de quibuſdam eorum dictis & effatis; quæ meritò poſtea pro veritate, etiam cæleſti & ſupernaturali adſtruenda aſſumũtur: vt inde aliquid, quod aduerſarij negant, comprobetur.

Mendacium inſuper eſt, quod Danæus ait, Bellarminum, diſputationem de Monarchia *ingenij oſtentandi gratia inſtituiſſe*. Modeſtia Bellarmini & ingenium ab omnibus thraſoniſmis prorſus abhorrens, ſatis ſuperq; hoc calumnioſum mendacium redarguit; neceſsitas enim hanc à Bellarmino accuratiſsimam de Monarchia diſceptationem expreſſit; nam cum Caluinus velit omnium regendi formarum Monarchiam eſſe deterrimam, neceſſe fuit, vt inſano hæreſiarchæ os probe contunderetur, adductis vndiq; contra hanc tantam criminationem & inſcitiam copiis. Nec aliud reſponſat Iunius pro ſuo Caluino, quàm *eum*, hac in re, *vſum ſuo iudicio*. Vtique ſuo vſus eſt, ſed ſtulto & deliro. Addit *æquũ eſſe, vt & hoc Caluini de Monarchia iudicium audiatur*. Audiuimus, & quidem attentè. Sed vt illud, ita & hoc æquum eſt, vt ſi quis ſuo in iudicio deliret, prout delirauit Caluinus, iudicium delirij nomine notare liceat.

Sutliuius lib. 1. cap. 2. calumniatur, Bellarminum *nihil ſapere in rebus politicis, eum in ipſo diſputationis ſuæ principio grauiter impegiſſe, & quaſi arcem politicæ ſcientiæ euertiſſe*. Qua de cauſſa? *Quia inter formas bonæ gubernationis ponit Democratiam*. At *Ariſtoteles & omnes rerum politicarum magiſtri inter labes Rerumpublicarum, & non inter laudatas formas* numerant: citatque Ariſtotelem lib. 8. Ethicorũ cap. 10. & lib. 3. Polit. cap. 5. Sed imperitiſsimè. vt intelliges ex ipſis Philoſophi verbis. πολιτείας Νῦν δὲ τρία: *Tres ſunt Reipublicæ ſpecies. Tres δὲ παρεκβάσεις, οἷον φθοραὶ τούτων: totidemque declinationes & quaſi harum corruptiones; ἥν δὲ μὲν πολιτείαν βασιλεία τὴν ἀριστοκρατία, τρίτην δὲ ἡ ἀπὸ τιμημάτων, ἣν τιμοκρατικὴν λέγειν οἰκεῖον φαίνεται: Sunt verò Reipublicæ ſpecies tres: Regnum ſiue Monarchia, Ariſtocratia, & ea, in qua cenſus attenduntur, quam Timocraticam appellare licet. τούτων δὲ βελτίων μὲν ἡ βασιλεία, χείριστη δὲ ἡ τιμοκρατία. Harum optima eſt Monarchia; peſſima Timocratia.* Peſsima nimirum eſt, non quòd ſit παρέκβασις καὶ φθορὰ, *labes & pernicies bonæ formæ regendi Rempublicam*; de quib. corruptelis poſtea demũ agit Ariſtoteles, ſed quia inter formas Reipublicæ infimũ bonitatis locum ſortitur: nam & peſsimum vinum vocare ſolemus illud; quod reuera vinũ eſt ſecundum ſubſtantiam; cõparatum tamen cum aliis, infimum locum tenet.

Eſt autem hæc Timocratica gubernationis forma, popularis: ſic dicta, quòd in ea honores dentur κατ' ἀξίαν καὶ κατ' ἀξίαν, vt ait Ariſt. lib. 3. Polit. cap. 5. Quapropter vulgò ab Interpretibus & aliis nominari ſolet *Democratica*: quæ, vt quidã Ariſtotelis Scholiaſtes annotat, in omnes, aut certè in pleroſque, ſi naturam legibus accommodare velint, cadere poteſt; in pleroſque, inquam, eiuſdem Reipublicæ ciues, eodem cenſu in certas claſſes diſtributos, ad quas claſſes ordine certo magiſtratus perueniunt, & qui deinde in claſſe qualibet virtute excellunt, cæteris præferuntur.

Expoſitis tribus bonæ gubernationis ſpeciebus enumerat Ariſtoteles labes oppoſitas: παρέκβασις δὲ βασιλείας μὲν, τυραννὶς· *Labes ſeu corruptio regni ſeu Monarchiæ eſt Tyrannis. Ariſtocratiæ, Oligarchia. Timocratiæ, Democratia.* En, inquiet Sutliuius, an non expreſsè numerat Ariſtoteles *Democratiam* inter corruptelas bonæ gubernationis? An Democratia non eſt φθορὰ & παρέκβασις τῆς τιμοκρατίας? Video; ſed tu hoc itidem videas, & in animum demittas tuum. *Democratiæ* vocabulum quando à Bellarmino & aliis, more iam vſitatiſsimo, inter bonas Reipublicæ gubernandæ formas ponitur, non vſurpari ea notione, qua vſurpatur ab Ariſtotele, cum corruptelis Reipublicæ accenſetur: accipitur enim vel pro ſtatu Timocratico, vel abſolutè pro ſtatu populari, in quo bonum commune multitudinis ſpectatur & procuratur: quando τὸ πλῆθος σκοῖ τὸ κοινὸν πολιτεύεται συμφέρον, vt inquit Ariſt. lib. 3. Polit. cap. 7. & hæc forma *politia*, communi nomine apud Ariſtotelem dicitur: At cum Democratia labes eſt & corruptela Reipub. non iam multitudo commune bomum quærit: ſed τὸ τῶν ἀπόρων, *vtilitatem egenorum*, vt inquit Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 7. edit. Baſil. in fol. 1582. vbi etiam Democratiam inter corruptelas τῆς πολιτείας, numerat.

Sutliuius igitur ambiguitate vocabuli *Demo-*

cra-

cratia & ſibi & lectoribus illudit; vt & in Monarchiæ nomine. Ait, Tyrannidem eſſe Monarchiã. Eſt Monarchia ſed corrupta, φθορὰ τῆ παρεκβασις, *corruptio Monarchiæ* : Vt Ariſtoteles loquitur. Eſt Tyrannis Monarchia; ſicut acetum, vinum; & ſicut homo mortuus, homo: æquiuocè nimirũ, & ſola nominis communione. Mentitur Caluiniſta cum ait, ex doctrina Ariſtotelis lib. 3. Politicorum cap. 5. *Tyrannidem æquè dici Monarchiam ac regnum*, verbis illis. τελεῖν δ' εἰώθασιν τῶν μὲν μοναρχῶν τὰν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέποντων συμφέρον, βασιλείας. *Nominare ſolemus illam ex Monarchiis regnum, quæ ad communem vtilitatem reſpicit.* Verùm ex hoc loco nõ magis rectè colligit Caluiniſta æquè propriè Tyrannidem dici Monarchiam; ac regnũ, quàm ſi ex hac oratione mea; Illud ex animalibus nominare ſolemus *riſibile*, quod reipſa ridet vel ridere poteſt: concluderet; vocem *ridendi* æquè propriè de prato viridante, ac de homine dici.

Obiicit Caluiniſta: *Monarchia eſt vnius Principatus, Ergo propriiſſime dicetur Tyrannis Monarchia, & Bellarminus ſtultiſſimè pro Regno dixit Monarchiam, & Monarchiam Ariſtocratiæ antepoſuit.* Reſpondeo, conſequentiam, ne caſſa quidem nuce dignam eſſe: non enim tã attendendum eſt à quo, quàm ad quid nomina ſint vel primitus impoſita, vel poſtea vſu loquentium translata. Nam licet Monarchiæ nomen vnius principatum denotet, attamen nunc, abſolutè prolatum, in bonam partem ab omnibus accipitur, pro illo nimirum principatu, in quo ſalus & vtilitas ſubditorum quæritur; non commodum eius ſolius, qui præeſt. Nec niſi ſtultiſſimè reprehendit Sutliuius Bellarminum, Monarchiam pro Regno vſurpãtem, cum Ariſtoteles expreſsè tradat, βασιλείαν, *regnum*; eſſe Monarchiam; cumque hodierna etiam omnium rectè ſentientium conſuetudo Bellarmino ſuffragetur: Nam Rex Hiſpaniæ vulgò Monarcha audit. Similiter Rex Galliæ. Et vtriuſque Regnum, Monarchia: Et ipſimet Caluiniſtæ Regem hodiernum Britanniæ Monarcham ſalutant, & Regnum eius *Monarchiam* indigitant. Num & iſti *ſtultiſſimè agunt*, quando Monarcham pro Rege, & Monarchiam pro Regno accipiunt?

Multa blaterat poſtea Sutliuius de ſpecie bus Monarchiæ, prorſus extra propoſitum. Bellarminus de alia Monarchia nõ loquitur, quàm de illa, quæ ad commune omnium ſubditorum emolumentum dirigitur. Tu garri, quidquid voles. Vt vitilitigatoris nomen obtineas, eruditi certè diſputatoris laudem nunquam adipiſceris: qui cũ ſub Monarcha in Anglia degas, quẽ non modo in politicis, ſed & in Eccleſiaſticis pro capite tuo, hoc eſt, pro Monarcha, venaris; qua fronte audes pro Ariſtocratia contra Monarchiam declamare, odio Monarchiæ Eccleſiaſticæ Catholicæ Romanæ, quandoquidem ipſius Anglicanæ ſynagogæ gubernatio, non eſt Ariſtocratica, ſed præcipuè Monarchica, cum Angli Regem ſuum, vt in Politicis, ita & in Eccleſiaſticis cauſsis ſupremum caput agnoſcant, eoſque, qui huic capiti, hoc eſt, Monarchæ Eccleſiaſtico, non antè multos annos fabrefacto, capita ſubmittere nolunt, exquiſitiſsimis ſupplíciis excarnificatos enecent?

Argumenta, quæ pro Ariſtocratia contra Monarchiam Caluiniſta adducit, pleraque ex Buccanano, Bruto, & id genus aliis Monarchomaſtigibus, & popularis regiminis turbulentis præconibus deſumpta ſunt: & diſſoluuntur à Guilelmo Barelaio lib. 1. & 2. contra Monarchomachos: Et ad delirij huius confutationem ſat nobis eſſe debet communis omnium propemodum nationum in contrarium exiſtimatio; de qua Bellarminus cap. ſequenti: cui tantæ conſenſioni, qui ſeditioſorum quorundam inanes ratiunculas anteponit, is iure ſtoliditatis & capitis parum ſani notam ſubit.

Nec propter tam pauculos *phantaſtas*, qui ſimplici Monarchiæ ſimplicem Ariſtocratiam anteferunt, periclitatur fundamentum diſputationis Bellarminianæ de ſummo Pontifice; neq; enim cuiuſuis ex triuio fatuitas & inſipientia tanti roboris eſt, vt immota mouere, & inconcuſſa per *heteroclitas* ſuas opinationes labefactare queat: alioqui ipſa religio noſtra in diſcrimen veniret, cum non defuerint, ex ſchola Hæreticorum prognati, qui Deum eſſe, inficias irent: Qua negatione, ipſum Chriſtianæ religionis fundamentum ſubruitur; quantum quidem eſt ex parte ipſius negationis. Num ideo reipſa ſubruitur? Num propter iſtorum ſacrilegam perfidiam nutat & vacillat, quidquid huic veritati: *Eſt Deus*: ſuperſtruimus?

CAPVT II.

Monarchiam ſimplicem ſimplici Ariſtocratiæ & Democratiæ præſtare.

DEMONSTRAT hoc Bellarminus vt copioſiſsimè, ita & eruditiſsimè omni argumentorum genere & apparatu, idque ipſius etiam Danæi iudicio, qui cum, obſtupefactus probationum multitudine & varietate, aliud quod criminaretur, non reperiret, vociferari occœpit; *Bellarminum ingenij oſtentandi gratia, hanc diſputationem ingreſſum eſſe.* Et tamen Sutliuius, vt lippis & tonſoribus palam faciat, ſe à Beza iure ac meritò *petulantem calumniatorem* vocitatũ eſſe, calumniatur hanc Bellarmini diſputationem eſſe *mucidam, enervatam*, & *ineptam*: argumenta eius *ſimpliciſſima & ineptiſſima*. Quid aliud vel ipſe Beza à petulante ſuo calumniatore, exſpectet?

Ait Bellarminus, conuenire in hanc ſententiam, nimirum, Monarchiam ſimplicem præ-

ſtare

ſtare Ariſtocratiæ & Democratiæ ſimplici, veteres omnes ſcriptores, Hebræos, Græcos, Latinos, Theologos, Philoſophos, Oratores, Hiſtoricos, Poëtas. Reſpondet Sutliuius, *Ariſtocratici noſtri hanc Bellarmini iactantiam rident; & ipſum magnificè mentiri dicunt.* Agnoſcis, opinor, iterum petulantem illum à Beza nobis depictum calumniatorem. Qui nam ſunt illi Ariſtocratici, niſi tenebriones nonnulli, ex Caluini gurguſtiis in lucem progreſſi; qui cum Caluino, ex odio Monarchiæ Eccleſiaſticæ; Ariſtocratiam ſimplicem ſupra Monarchiam ſimplicem extollunt. Et ſi qui extra Caluini haram in eodem luto hærent, ij & pauculi ſunt; & comparatione aliorum, nulli.

Negant Ariſtocratici, inquit Caluiniſta, *Bellarminũ omnes Hebræos, Græcos & Latinos ſcriptores legiſſe: quomodo ergo ſcire poteſt omnes idem de Monarchia ſentire?* Ego verò nihil penitus dubito. Bellarminum, plures auctores euoluiſſe, imò & triuiſſe, quàm omnes Ariſtocraticos, hoc eſt, omnes illos, qui paradoxum hoc amplectuntur, *Ariſtocratiam ſimplicem Monarchiæ ſimplici antecellere.* Præterea nil dubito, Bellarminum plures auctores legiſſe, quàm Sutliuius vel legerit, vel lecturus ſit, licet viuendo cornices ſuperaret. Et vt omnes non legerit; affirmare tamen rectè potuit, omnes idem ſentire; quia, vt hoc pronunciemus, ſufficit nullos veterum eſſe, vel de nullis conſtare, qui contrà ſentiant aut ſenſerint. Et vt vnus, vel alter, vel pauculi eſſent; nihilominus verè diceretur, neminẽ veterum diſſentire; quia vnius vel alterius, vel pauculorum à communi ſemita exerrantium non ſolet haberi ratio; nec faciunt exceptionem: nec Sutliuius antiquum quempiam producere potuit, qui Monarchiam ſimplicem Ariſtocratiæ ſimplici poſtponeret.

Nam quod Franciſcus Patricius Senenſis lib. 1. de Inſtitutione Reipublicæ cap. 1. dicit, veterem admodum & peruulgatam diſceptationẽ eſſe inter præclaros Philoſophos, quid præſtantius ſit Monarchia an Ariſtocratia, id Sutliuium non iuuat; quia quæſtio hæc dupliciter diſceptari poteſt, & verò etiam diſceptata fuit. Primùm, vtrum Monarchia ſimplex ſeclusis omnibus circumſtantiis præſtet Ariſtocratiæ, ſeclusis itidem omnibus circumſtantiis. & in hoc ſenſu tractatur hæc quæſtio à Bellarmino, reſpondeturque affirmatiuè. Nec Caluiniſta vllum ex veterum numero proferet, qui negatiuam huius quæſtionis partem defenderit: Et forſan Caluinus primus fuit, qui vt in aliis, ita & in hoc auius à vero & à communi ſenſu abiret. Secundò, poteſt quæſtio illa tractari, incluſis, ſimulque ſpectatis tàm Monarchiæ, quàm Ariſtocratiæ circumſtantiis. Hac conſideratione fuere, qui negatiuam quæſtionis partem amplectendam cenſerent: quibus ipſe etiam Franciſcus Patritius accedit, nam poſt varias Monarchiæ laudes & cõmoditates enumeratas, ſubdit tandem: *ſed*

A *quia non immortales, aut immutabiles natura principes dedit, & eorum poſteri, quod ab aſſentatoribus delicatè admodum educati ſint, deterioresq; plerunque euadunt: tutiorem vitam arbitrandum eſſe cenſeo benè moratæ Reipublicæ, quàm cuiuſque principis. Illa ſiquidem diuturna, ac penè immortalis eſt; hic paruo temporis curriculo ſenio ac morte conficitur.*

Ex quibus planum fit Patricium Monarchiã & Ariſtocratiam non præcisè ſecundum ſe ſpectaſſe, vt facit in hoc capite Bellarminus; ſed ſecundum adiuncta & euenta; quæ hoc loco, vt & capite quarto Bellarminus excludit. Qua propter Caluiniana fide agit Sutliuius, cum Patricium Bellarmino obiicit; quandoquidem
B Patricius, vt ex ratione eius apparet, ſimplicem Monarchiam non contulit cum ſimplici Ariſtocratia; ſed vt vtraque ſubſtat circumſtantiis: Denique quidquid in libris de Inſtitutione Reipublicæ ſenſerit, in Opere certè de *Regno & Inſtitutione Regũ*, lib. 1. Tit. 13. Principatum ſeu Monarchiam omnibus aliis gubernandi formis anteponit. Teſtatur autem ipſemet, ſe hos libros poſt illos de Inſtitutione Reipublicæ elaboraſſe.

Obiicit Caluiniſta. *Ariſtocratia, eſt melior Tyrannide; ergo & Monarchiâ*, probatur conſequentia: *Quia Tyrannis eſt ſpecies Monarchiæ.* Reſpondeo, cõſequentiam eſſe *mucidam, enervatam & ineptam*; nec probiorem eius probationem: quia Tyrannis
C non eſt propriè ſpecies Monarchiæ, cum ſit παρέκβασις & φθορὰ, labes, peſtis, pernicies & corruptio *Monarchiæ*, prout hoc vocabulo ſignificatur vnius principatus, non ſuam, ſed publicam vtilitatem procurans.

Mentitur Sutliuius, *ex teſtibus, quos Bellarminus produxit, aut nullos aut pauciſſimos Monarchiam Ariſtocratiæ anteferre.* Ad Philonem reſpondet, *eum nõ loqui de Reipublicarũ formis, ſed de totius mũdi adminiſtratione, quæ non ad plures, ſed ad vnum Deum pertinet.* Sed hæc nimis magna eſt Caluiniſtæ impudentia, cum meridiano ſoli tenebras inducere & induere nititur. An non loquitur Philo de Reipublicæ adminiſtrandæ forma; qui laudans illum Homeri verſum: *Multos imperitare malum eſt*, &c. ait; *eum non magis ad ciuitates & homines pertinere, quàm ad Deum?* An ideo de adminiſtrandæ
D Reipublicæ modo non agit Philo, quia dicit, Homericum illum verſum magis pertinere ad mundum & Deum, quàm ad ciuitates & homines? Num hac locutione negat ad ciuitates & homines pertinere? Si dicam: hoc magis pertinet ad Bezam, quàm ad *petulantem calumniatorem* Sutliuium; an ideo aſſero, id ad Sutliuium non pertinere? qui ipſam quoque Homerici Vlyſsis decantatiſsimam ſententiam, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, peruertere & aliò detorquere contra totius antiquitatis conſenſionem non erubeſcit. Ait, *nec Homerum, nec Philonem per vnius Imperium Monarchiam; aut per* πολυκοιρανίην, *Ariſtocratiam intelligere, ſed belli profecturam, per* πολυκοιρανίην *verò multitudinẽ*

Impera-

Imperatorum in bello parum ſecum conſentientium. Verum per hoc ſuum & ſuorum Ariſtocraticorum, hoc eſt, Caluiniſtarum commentum refragatur Sutliuius toti antiquitati, & in primis Ariſtoteli, qui etiam in Metaphyſicis hanc Homericam ſententiam generatim accipiens, inde vnitatem primi Motoris ſeu Dei oſtendit: Etſi enim Vlyſſes Homericus, ſeu potius ipſe Homerus gnomen illam pronunciauit, occaſione confuſionis & anarchiæ, quæ tum in Græcorum exercitu apparebat; ipſa tamen per ſe generalis eſt, & vbiq; multitudinem eorum, qui imperant, damnoſam eſſe affirmat; vt & vnitatem, fructuoſam; neque enim inquit, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, ἐς πολίμαρχος vel ἐνδυής, ſed ſimpliciter, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς. *Non eſt bonum vt multi imperent, Dominus vnus eſto, & vnus Rex.* Nam occaſione vnius particularis facti ſæpè generales gnomæ progignuntur: quod & hic accidit. Et quomodo Philo verſum hunc Homericum ad belli præfecturam ſolummodò retulit, cum dixerit, eum magis pertinere ad mundum & Deum; hoc eſt, ad hùius mundi, Deo præſide, adminiſtrationem, quàm ad ciuitates & homines?

Ad hæc, quæ cauſſæ ſuadent, vt in bello ſit Rex & Dux vnicus, cui omnes reliqui pareant, eædem euincunt alibi itidem Regem & ducem vnum & vtiliſsimum, & vitandis detrimentis accommodatiſsimum eſſe.

Occinit Sutliuius. *In Regno*, hoc eſt, *Monarchia, ſæpe plures imperant, vt Conſtantinus & Licinius, aliique eius collegæ.* Reſpondeo, quando plures erant & nominabantur Imperatores, tunc aut alij dependebant ab vno, aut non dependebant ab vno. Si primum; non erant plures Monarchæ ſed vnus, nec plures Monarchiæ, ſed vna; Nam Monarcha & Monarchia ſupremam, & ab alio independentem poteſtatem denotat. Si ſecundum; tum non vna; ſed plures Monarchiæ illa Imperia erant, nec vnus Monarcha, ſed plures; ſicut iam Rex Galliæ, Rex Hiſpaniæ, &c. plures ſunt Monarchæ, non vnus: certè plures fuiſſe tam Monarchas quàm Monarchias eo caſu inde eluceſcit; quòd plerunque ſua in prouincia quilibet, arbitratu ſuo, quod lubebat, factitaret, ediceret, decerneret.

Citat Bellarminus Iuſtinum Martyrem, qui in Exhortatione ad Gentes dicit, vnius principatum à bellis diſsidiiſque ſolutum ac liberum eſſe. Oggrunnit Sutliuius: *Iuſtinum tantummodo reprehendere Idololatras; qui plures Deos, eoſque inter ſe diſcordes, eſſe putarunt.* Reſpondeo, Iuſtini ſententiam eſſe generalem, tametſi prolatam occaſione multitudinis Deorum, inter ſe rixantium, quam ſtatuebant Ethnici. nam vt antea dictum, quotidiano vſu euenit, vt occaſione alicuius particularis facti, generales ſententiæ promantur & pronuncientur, vt antea dictum: neque enim dicit Iuſtinus: *Vnius principatus in diuinis, ſeu in cœlis*; ſed abſolutè; *vnius principatus à bellis diſsidiiſque ſolutus ac liber eſſe ſolet.* Conuicia & mendacia in Sanctos, quæ Caluiniſta mox exſpuit, ipſis Sanctis vindicanda relinquo.

Citat Bellarminus S. Athanaſium; qui in oratione aduerſus idola: *Vt multitudo Deorum, nullitas eſt Deorum, ita quoq; neceſſe eſt multitudinem Principum id efficere, vt nullus eſſe Princeps videatur; Vbi autem Princeps nõ eſt, ibi prorſus diſturbatio naſcitur.* Occurrit Sutliuius. *Athanaſium nõ tam optimatum ſtatum, quàm perturbationem Reipublicæ & confuſionem in imperio reprehendere.* At qua ratione commodiſsimè vitatur hæc perturbatio & confuſio, an nõ per Monarchiam: idque iudicio S. Athanaſij? Nam ſi defectus vnius principis eſt cauſſa confuſionis & diſturbationis, ſequitur, eius contrarium; nempe, vnum Principem eſſe cauſſam ordinis & vnitatis. *Loquitur Athanaſius*, inquit Caluiniſta, *de confuſione, quæ ſequitur ex hominum ambitione Principatum cupientium.* At hæc confuſio magis naſcitur, vbi plures imperant, quàm vbi dũtaxat vnus: nam quod plures conſequi poſſunt, à pluribus appetitur, tanquam à pluribus parabile.

Ad S. Cyprianum reſpondet Caluiniſta, *eũ nihil habere, quod aduerſus Ariſtocraticum ſtatum quiſquam ſanus dictum exiſtimet.* Hoc habet S. Cyprianus; vnius imperium, quod conſortis ſit expers, eſſe omnium optimum & præſtantiſsimum, ac proinde illud ipſum in Deo itidem ſtatuendum eſſe, excluſa plurium deorum multitudine. An nihil hoc pro Monarchia contra Ariſtocratiam? Eadem eſt mens D. Hieronymi. Et tamen Caluiniſta nos ita dementare tentat, vt credamus Hieronymum id quod voluit, non voluiſſe: cõmendat enim vnius Imperium. Ait, *ne Romam quidem ſub ipſa ſua primordia ſimul habere duos Reges potuiſſe.* Quo indicat, plurium Regimen inſtabilius & infirmius eſſe, quàm vnius. Nam quòd Caluiniſta dicit, *in Ariſtocratico imperio eſſe ſummam imperantium conſenſionem*; is credat qui volet; Ex natura certè rei difficilius eſt, vt quis cum pluribus conſentiat; quàm vt ipſe ſecum; prout in Monarchia contingit.

Rurſus dat Sutliuius euidens documentum, ſe non temerè à Beza *petulantem calumniatorem & conuiciatorem non ferendum*, appellatum eſſe. Calumniatur S. Thomam Aquinatem *eſſe leuem rerum politicarum Auctorem.* Sed hanc lœdoriam ſufficienter repellunt S. Thomæ opera; præſertim cõmentarij in Ethica & Politica Ariſtotelis, & Opus de Regimine Principum, ſi tamen ex eius officina prodiit; & alia eius monumenta, quæ eum & ciuilis & moralis Philoſophiæ peritiſsimum & callentiſsimum fuiſſe declarant.

Ait, *Nullas leges de Republica, à Monacho, aut fratre Mendicante exſpectandas eſſe: eiuſmodi homines potius decere, vt de nugis in circulis & ſcholis garriant, quàm vt Rempublicam tractent.* Hactenus petulans Bezæ Calumniator: quem animaduertere decebat,

aliud

aliud esse leges de Republica ferre; & Rèpublicam tractare; aliud, de optima forma Reipublicæ disputare; hoc posterius fecit S. Thomas, non prius. Posterius pro summa ingenij excellentia excellenter præstare potuit: Neq; enim ad hoc absolutè requiritur, vt quis Rempublicã tractet. Nam & Aristoteles de Republica præclarè scripsit, & tamen vitam in schola non in foro contriuit.

Mentitur Caluinista locum S. Thomæ 1. p. q. 103. a. 4. nihil pro Bellarmino facere. Quomodo nihil facit, cum ex Monarchia in his terrenis, ceu optima gubernationis specie, visitata, concludat, tanquam ex vniuersali principio, etiam in diuinis vnum Monarcham, Principem seu Regem constituendum esse?

S. Thomam lib. 4. contra Gentes cap. 76. Regnum seu Monarchiã oligarchiæ potius, quàm Aristocratiæ anteponere, mendacium est Sutliuianum: nam Monarchiæ simpliciter dat primatum; nec opus fuit eam oligarchiæ præponere; cum nemo nesciat virtutem vitio esse anteponẽdam. Est autem oligarchia φθορὰ, vitium, & corruptio, non quidem Monarchiæ, sed Aristocratiæ, vt ex octauo Ethicorum constat.

Etiam Platonis luculentissimum testimonium eludere gestit Caluinista; Ait; *Platonem non loqui de regno simplici, sed legibus temperato.* Quasi verò Bellarminus à Monarchia bonas leges excludat. Quasi verò bonarum legum admixtio simplicitati Regni seu Monarchiæ obstet; in qua compositionem nullam facit nisi admixtio alterius gubernatricis formæ, vt Aristocratiæ vel Democratiæ. Falsum autem est Platonem non comparare Monarchiam optimatum statui, seu Aristocratiæ, quia expressè dicit, vnius dominationem bonis instructam legibus optimam esse; gubernationem verò eam, in qua non multi imperant, mediam censeri debere. Quæ hæc species in qua non multi imperant, alia; nisi Aristocratia seu optimatum status? Nam de democratia seu statu populari mox subiungit: *Multorum administrationem*; hoc est; Democratiam, *omnibus in rebus debilem atque infirmam esse.* Falsum insuper est, Platonem lib. 6. de legibus, optimatum statum supra Monarchiam laudibus euexisse.

Aristotelis testimonium sic elidere molitur: eum lib. 8. Eth. cap. 10. non simpliciter Monarchiam Aristocratiæ antepositisse, sed respectu conciliandæ amicitiæ, de qua eo in loco agitur, Nam lib. 3. Polit. cap. 3. eum primas detulisse optimatum statui siue Aristocratiæ: insigni profectò vanitate, vt intelliges ex ipsis Philosophi verbis lib. 3. cap. vlt. ἐπεὶ δὲ τρεῖς φαμὲν εἶναι τὰς ὀρθὰς πολιτείας· τούτων δὲ ἀναγκαῖον ἀρίστην εἶναι τὴν ὑπὸ τῶν ἀρίστων διοικουμένην. τοιαύτη δ' ἐστὶν, ἐν ᾗ συμβέβηκεν, ἢ ἕνα πᾶσι συμπάντων, ἢ γένος ὅλον, ἢ πλῆθος ὑπερέχον εἶναι κατ' ἀρετὴν, τῶν μὲν ἄρχειν δυναμένων, τῶν δ' ἄρχειν, οἷς τὸν αἱρετώτατον ζῆν. *Quia autem tres assirmamus esse rectas respublicas, harum autem necesse est optimam esse, quæ administratur ab optimis viris: huiusce modi autem est, in qua contigit vel vnum quempiam simul omnibus, vel familiam totam, vel multitudinem antecellere virtute, his quidem vim, potestatemq; in se habentibus parendi, his autem imperandi, propositam sibi maximè expetendá vitá.*

Quo loco non comparat inter se Aristoteles tres Reipublicæ formas; sed absolutè affirmat, illam esse optimam, quę ab optimis administratur; siue sit vnus virtute & æquitate optimus, vt accidere potest in Regno seu Monarchia, siue sint plures optimi, vt euenire potest in Aristocratia; siue tota multitudo sit optima, Quod verissimum est; nam melior est illa Respublica, quæ à pluribus optimis gubernatur, quàm illa, quæ ab vno malo, vel pessimo: & melior illa, quæ ab vno optimo, quàm quæ à pluribus malis vel pessimis. Sed hoc intuitu nõ considerantur istæ gubernationis formæ secundum se; sed vt substant circumstantiis: quod est contra præsentis disputationis hypothesin.

Vt autem Sutliuius glaucoma lectorum oculis offundat, priora duntaxat Aristotelis verba recitauit, omissis posterioribus, quæ ei iugulum incidunt.

Nec nisi insignitę cuiusdam vel imperitię vel malitiæ argumentum dixero, si quis asserat, Aristotelem in Politicis Regno seu Monarchiæ anteponere Aristocratiam; nam in tertio & quarto libro vbicunque aliquid ex sententia sua decernit, Monarchiam secundum se spectatam disertissimè anteponit Aristocratiæ: quod vel ex Elogiis illis apparet, quibus lib. 5. Polit. cap. 2. βασιλείαν seu Monarchiam afficit, cum eam πρώτην καὶ θειοτάτην *primam & diuinissimam* nominat: tyrannidemque ideo deterrimam esse asserat, quòd sit à *prima & diuinissima*, hoc est, à Monarchia, declinatio.

Ait Seneca lib. 2. de Beneficiis, *optimum esse ciuitatis statum sub Rege iusto.* Respondet Caluinista; *hoc eum tribuisse tempori: aliter sensisse in libro Declamationum, vbi loquitur de præmiis tyrannicidarum, & in ludo in mortem Claudij.* At Critici aiunt, nõ esse eundem Senecam, qui ludum illum, & libros de beneficiis, & declamationes scripserit; hos enim à patre, illum à filio prodiisse. Ipsi viderint. Ex ludo & Declamationibus nihil euincitur; quia ille in Tyrannum lusus est; Istæ continent paradigmata etiam fictarum rerum; nec effata, multo minus oracula complectuntur, sed Themata de proposita materia probabiliter dicendi.

Addit insuper Sutliuius. *Senecam loqui simpliciter de Regno seu Monarchia, non per comparationem ad Aristocratiam.* Quid aliud vult Bellarminus, quàm Monarchiam simpliciter consideratam esse omnium optimam Reipublicæ formam? Si est omnium optima; superat ergo ipsam quoque Aristocratiam. Si dicam; hominem esse omnium

anima-

animalium perfectiſsimum; an non illum hoc ipſo præfero cani, boui, equo, lepori; licet horũ animalium nullam penitus mentionem faciam?

Ad teſtimonium Plutarchi occinit Caluiniſta: *Eum, Monarchiam non cum Ariſtocratia, ſed cum Oligarchia & Democratia comparare: id liquere ex inſcriptione; & inde etiam planum fieri, Bellarminum Plutarchi librum vel non inſpexiſſe, vel dolo malo ſententiam eius corrupiſſe.* At dum iſte Bellarminum vel negligentiæ vel impoſturæ accuſat; ſuam inſcitiam egregiè prodit; nam vt ex toto Plutarchi commentario manifeſtum eſt, per Oligarchiam non intelligit Plutarchus vitium *Ariſtocratiæ* oppoſitum, vt facit Ariſtoteles in Ethicis & Politicis, ſed ipſam Ariſtocratiam: id planum fit ex primis ſtatim Plutarchi verbis: *Politia appellatur ordo & conſtitutio ciuitatis, ad quam diriguntur actiones, quomodo tres politiæ, id eſt, formæ reipublicæ dicuntur: Monarchia, quæ vnius eſt dominatio. Oligarchia, quæ paucorum: Democratia, quæ penes populum ſummam gubernationis ponit. Has etiam Herodotus libro tertio inter ſe comparauit: videnturque eſſe præcipuæ. Reliquæ enim, intenſione, aut remiſſione harum ortæ, vitia potius ſunt, & corruptelæ, quam formæ reipublicæ. quomodo in muſico concentu modi, ſeu toni principibus nimium, aut non ſatis contenti, error incidit.*

Hinc clarum relinquitur, Plutarchum tam in titulo, quàm in contextu per *Oligarchiam*, non vitium, & corruptelam, ſed bonam formam Reipublicæ adminiſtrandæ intellexiſſe, quam & ἀειστοκρατικὴν ὀλιγαρχίαν appellat: ex quibus ait, *Perſas elegiſſe Monarchiam; Spartanos, paucorum Optimatum liberam dominationem* ſeu *Oligarchiam*; Athenienſes, *Democratiam*. Poſtea ſubiungit: *Quod ſi ciuili viro detur optio formam reipublicæ tanquam muſicum inſtrumentum ſuo arbitratu capeſſendi; nullam profectò delegerit aliam, quàm Monarchiam, Platonis ſidem ſecutus. Ea enim ſola poteſt perfectum iſtum, & orthium, ſiue rectum virtutis tonum, & contentionem ſuſtinere, & vtilitatem neque neceſſitatis, neque gratiæ cauſa inflectere. Reliquæ, id habent, quòd ferè is, qui imperat, ſub imperio, & poteſtate eſt; & qui gerit eas, ipſe geritur, ferturq́; quod non habet vim ſolidam, & ſtabilem, qualis eſt in monarchia.* Quid euidentius, quàm Plutarchum hac oratione Monarchiã reliquis duabus bonis probiſque Reipublicæ formis anteponere? Vitium Oligarchiæ pro Ariſtocratia ſumptæ repugnans, nominat Plutarchus δυναστείαν.

Cum Plutarchus in Solone dixiſſet: Athenis plurimas ſeditiones ortas eſſe, cum Democratia vigeret, addidit continuò: *Vna autem ſupereſſe ratio videbatur ad ſalutem, & quietem, ſi res delatæ ad dominatum eſſent.* Obſtrepit Caluiniſta: *Hæc oſtendunt Tyrannidem præſtare Democratiæ potius, quàm Monarchiam Ariſtocratiæ, nam de hac forma ne verbum quidem vnum facit. at certum eſt, ipſum loqui de Athenienſium ciuitate, quæ ex ſeditione populi in tyrannidem incidit.*

Sed hæc inania ſunt effugia. Nam vel vult Caluiniſta Tyrannidem præſtare Democratiæ, vt Democratia bonam Regiminis formam ſignificat, & grauiſsimè errat: quia licet tyrannis non ſit proximè φθορὰ ſeu corruptio Democratiæ, ſed Monarchiæ; attamen ipſa Democratia melior eſt, quàm Tyrannis, ſemper enim res bona & integra, quà talis, melior eſt, quàm corrupta; cum in corruptione quà talis, non ſit ratio, ſed priuatio entis: & per conſequens, etiam bonitatis. Si autem per Democratiam intelligat vitium Timocratiæ aduerſum, vt facit Ariſtoteles lib. 8. Ethicorum, iterum vehementer hallucinatur: nam Ariſtoteles tertio & quarto Politicorum paſsim docet, inter politiarum parecbaſes, Tyrannidem eſſe peſsimam & deterrimam, eò quòd optimæ & præſtantiſsimæ Reipublicæ, quæ eſt Monarchia, aduerſetur. Quod autem Plutarchus in Solone non meminit Ariſtocratiæ, id nihil eſt. Satis eſt, quòd dixit, tum demũ Rempublicam Athenienſem in viam ſalutarem reductum iri, ſi ad Monarchiam ſeu vnius Principatum redigeretur: Nam eo ipſo Monarchiam Ariſtocratiæ prætulit: ſi n. Ariſtocratiã prætuliſſet, potius Ariſtocratiam quàm Monarchiam poſt tot ſeditiones ſaluti futuras affirmaſſet.

Citat Bellarminus teſtimonia Iſocratis & Stobæi. Oggrunnit Caluiniſta: *Multum ſe mirari Bellarmini audaciam, qui Iſocratem ſuam ſententiam probare dicat, & ex Stobæo præſidium ſuæ cauſſæ quærat: neque enim Iſocratem vel vnam rationem, aut verbum habere, quod pro ipſo faciat: nec Stobæum pro ipſo ſuffragium ferre. Habet quidem ille caput hoc titulo, ὅτι κάλλιστον μοναρχία: ſed eius ſententiam aduerſarius non intellexit. hoc enim ideo dixit Stobæus; quia & tyranno, & infimo cuique videtur pulcrum dominari, nullus autem apud ipſum dixit Monarchiam eſſe optimam reip. formam, aut eam Ariſtocratiæ præſtare.*

Non ſatis admirari queo audaciam huius Caluiniſtæ: qui neget, Iſocratem in Oratione, cuius inſcriptio; *Nicocles*; quidquam de excellentia Monarchiæ ſupra alias Reipublicæ formas dicere, cum non procul ab orationis exordio fuſiſsimè demonſtret Monarchiam Oligarchiæ (ſic enim appellat, quam alij Ariſtocratiam vocant) & Democratiæ præſtare: ita vt ad caput illius diſputationis margini hæc verba Lutheranus Iſocratis Editor VVolffius adiecerit: ὅτι μοναρχία ἀρίστη τῶν πολιτειῶν. Monarchiam eſſe optimam ex Reipublicæ adminiſtrandæ formis.

Quod ad Stobæum attinet, vanitatem Caluiniſtæ redarguit titulus ſeu capitis ſeu ſermonis, quem ipſe agnoſcit: ὅτι κάλλιστον ἡ μοναρχία. *Optimam & pulcherrimam eſſe Monarchiam*, ex omnibus nimirum Reipublicæ formis; & hoc ſeu *lemma* ſeu *thema* oſtendit poſtea Stobæus, more ſuo, variis auctorum teſtimoniis. Nam quod iſte dicit, neminem apud Stobæum dicere, Monarchiam eſſe optimam Reipublicæ formam, intolerabile commentum eſt, vt intelliget, quiſquis vel obiter Stobæum inſpexerit. Nec refert, quòd & Tyrannum & Tyrannidem nominat; nam hæc

vocabula ſæpe in bonam partem pro *regno & Rege*, accipiuntur, maxime apud Iſocratem, cuius teſtimoniis hoc ipſo in argumento Stobæus vititur & nititur: de quo genere eſt & illud apud Virgilium: *Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.*

Ad auctoritatem Perſarum ex Herodoto, reſpondet Caluiniſta. Perſis quidem Monarchiam optimam fuiſſe viſam; ſed aliorum aliud eſſe iudicium. At hic iam oritur quæſtio, quorum iudicium ſit ſanius, & veritati propinquius; vtrum hominum plurimorum & vetuſtiſſimorum; an eorum, qui nudiustertius aut quartus, Monarchiæ odio, Ariſtocratiam ſuper omnia extollere inſtituerunt.

Ad Homerum repetit Caluiniſta ſuum Coccyſmum, de quo ſatis iam ſupra, cum de Philone ſermo eſſet. Tautologiæ & ineptiis ſuis appingit hanc thraſonicam coronidem. *Atque ita videre licet, hunc glorioſum ſophiſtam, qui omnes ſcriptores Hebræos, Græcos, Latinos, Theologos, Philoſophos, Oratores, Hiſtoricos, Poëtas in aciem producere viſus eſt, nunc ab omnibus deſertum, nudum, & ſolum ex prælio fugere.* O iactātiam. Tune Pſeudologiis & lœdoriis Bellarminum ſua armatura denudaris? Ne ad vnum quidem teſtimonium à Bellarmino prolatum, quidquam reſpondiſti, quod micam rationis vel eruditionis ſaperet.

Probat ſecundò Bellarminus Monarchiæ ſupra cæteras Reipublicæ formas præſtantiam ab auctoritate diuina: nā Deus ex viro fecit omne genus hominū, &c. *Mirum eſſet*, inquit Caluiniſta, *ſi Deus Monarchiam omnibus Rebuſpub prætuliſſet, cum & ipſe aliam probarit, & tot homines ſapientes aliud Reipublicæ genus elegerint.* Reſpondeo, Deum etiam alias Reipublicæ formas probaſſe, quia & aliæ bonæ ſunt, licet non tam bonæ, quàm Monarchia: alios autem, quamuis ſapientes, Ariſtocratiam potius, quàm Monarchiam elegiſſe; quia non obligatur quis, vt eligat optimum; ſatis eſt, vt bonū & probum amplectatur. Fatetur Caluiniſta, *Deum ex vno produxiſſe omnes*, ſed addit; *ineptè inde concludi, Monarchiam eſſe præſtantiſſimam Reipublicæ formam.* Sed dum Caluiniſta hanc collectionem ineptiæ inſimulat, ipſe non parum ineptit; An non enim, qui de præſtantia Regni ſeu Monarchiæ ſcribunt, ab vnitate argumenta & firmamenta ſuæ ſententiæ petunt: nominatim Frāciſcus Senenſis lib. 1. de Regno Tit. x 11 1. cuius auctoritate Caluiniſta capite ſuperiore Bellarminum premere voluit?

Citat Bellarminus S. Chryſoſtomum Hom. 34. in primam Epiſt. ad Corinthios, dicentem: ideo virum & fœminam nō pariter ex humo exſtitiſſe, ſed virum ex humo; fœminam ex viro, quòd Deus voluerit, inter homines eſſe non Democratiam, ſed regnum. Oggerit Caluiniſta. *Non ita colligit Chryſoſtomus, ſed potius omnes amoris vinculo coniunctos eſſe debere, vtpote ab vno principio profectos.* Hoc quidem aſſerit Chryſoſtomus, ſed eam ob cauſſam id aſſerit, quod omnes ab vno principio, & ab vno capite profecti ſimus: vnitatem enim ſeu identitatem principij & capitis, plurimum momenti ad mutuam charitatem cōferre. *Nam ſi nunc quidem tantùm*, inquit S. Chryſoſtomus, *quia locis diſſidemus, alienos nos inuicem eſſe putamus; Si generis totius duo principia exſtitiſſent, quid futurum fuiſſe credis? Itaque veluti a capite quodam vno totum humani generis corpus depēdet.* poſtea cum, muliere condita, videri poſſet, quaſi duo generis humani principia eſſent; ait Chryſoſtomus; Deum per matrimonium illa iterum in vnum redegiſſe; *erunt enim bi duo in carne vna, & fœminam viro ſubiecciſſe, vt vnitas imperij conſeruaretur*, idque eam ob cauſſam, quòd generatim loquendo, vnius imperium melius ſit, quàm plurium.

Idem Chryſoſtomus ait, Deum voluiſſe in domo eſſe Regnum, ſeu vnius Imperium, non Democratiam: & hoc propterea, *quòd inter æquales ſoleat eſſe æmulatio.* Obiicit Sutliuius: *Chryſoſtomum non dicere inter omnes homines debere eſſe Monarchiam; hoc ei falsò à Bellarmino affingi*; Nec Bellarminus dixit; *debere eſſe inter omnes homines Monarchiam* ex Chryſoſtomi ſententia, ſed, Deum ex vno principio feciſſe genus humanum, vt oſtenderet, vnius imperio, nihil melius aut præſtantius eſſe; & vt inter homines Regnum, non Democratia eſſet: quòd ab vno dependere; ſit, generatim loquendo, res ad charitatem, pacem & concordiam longè accommodatiſſima.

Probat eandem ſententiam Bellarminus à naturali propenſione ad Monarchicum regimē. Occurrit Sutliuius, *Primas in mundo Reſpublicas Ariſtocratiæ, quàm Monarchiæ fuiſſe ſimiliores.* Sed hoc affirmat tantum, non probat, Bellarminus autem contrarium perſpicuè oſtendit.

Secundò dicit Sutliuius. *Neminem ſe alterius imperio ſponte ſubiicere, eſſe enim omnes ad libertatem propenſos, pro qua retinenda multi mortem oppetere non dubitarint.* Sed hæc nimia eſt imperitia. An non ciuitates, Reſpublicæ, & regna, ſunt cœtus hominum, qui ſpontè conuenerunt, & vnum vel plures ex tota multitudine voluntariè elegerūt, cui cæteri obtemperarent? Quæſo, quis coëgit Iſraelitas, vt ſe Regi Sauli ſubiicerēt? Nam quòd omnes dicuntur ad libertatem propenſi, id de illa intelligitur, quam tollit ſeruitus ſeu ſeruilis conditio: nam ſeruitus contra vel præter naturam eſt; non autem ſubiectio, qua quis Monarchico vel Ariſtocratico, vel Democratico Imperio ſubditur; Neque enim ſerui ſunt ciues ſed liberi; nec ſeruis imperant Reges & Optimates, ſed liberis, & pro hac ciuili libertate tuenda, multi vitam promptè profuderunt; ne in tyrannos, vel in nouam Reipublicæ adminiſtrationē ab vſitata abhorrentem, delaberentur.

Ait Caluiniſta: *Illud maxime eſſe naturale, quod eſt æquiſſimum, at nihil iniquius quàm vt meritis pares honoribus ſint inæquales, καὶ τοῖς ὁμοίοις, καὶ ἴσοις*, inquit Ariſtoteles lib. 3. politicor. c. 12. ὅτι ὁμοίοις δὲ

ὅτι δίκαιον, ἵνα χίσεως ἵνα πάντων. *Si autem homines non appetunt naturaliter monarchiam, abſurde dixit Bellarminus, omnibus penè rebus inditam eſſe hanc naturalem propenſionem.* Reſpondeo, Aſſumptionem eſſe falſam; neque ab Ariſtotele lib. 3. polit. cap. 12. aliàs 16. ex propria ſententia aſſeritur; ſed eſt obiectio eorum, qui contra πληρωσεολείας ſeu *plenum Regnũ* diſputabant, vt patet ex hac clauſula capitis: *Quæ igitur adferunt, qui differunt contra regnum, hæc fermè ſunt.* ſed non eſt inſuetum Sutliuio ea, quæ Auctores ex aliorum mente adferunt, ipſis contra mentem ſuam affingere.

Ridet Caluiniſta, exempla apum, gruum, armentorum & animantium rationis expertiũ, à Bellarmino enumerata. Atqui non ſolus Bellarminus; ſed & illi, qui ex profeſſo de rebus Politicis ſcribunt, his exemplis vtuntur; vt nihil dicam de S. Cypriano, & S. Hieronymo, quos Bellarminus teſtes laudat; quibus aliquid ſaltem reuerentiæ à Caluiniſta deferendum erat: quem moneo, caueat, ne conuicium illud: *Armẽtum hoc Iebuſitarum, qui Antichriſtum ſibi in Regem elegerunt, non plus ſapere, quàm pecora campi*: recidat in caput eius, & in vniuerſum Caluini gregem.

Obiicit Caluiniſta. Ariſtotelem illo ſuo dicto: *ſolum hominem eſſe animal politicum lib. 1. Polit. cap. 2. iugulare totam Bellarmini argumentationem.* Quaſi verò Bellarminum hoc Ariſtotelicum dictum feriat: Nam propriè loquendo ſolus homo eſt animal *ſociale*, quia ſolus eſt animal ciuile; Attamen huius proprietatis quædam veluti veſtigia eluceſcunt etiam in nonnullis brutis animãtibus, vt notum apud omnes, quibus odium Eccleſiaſticæ Monarchiæ oculos non effodit.

Oggannit Caluiniſta. *Porcos non ſequi ducem.* Quid tu hic cum porcis, de quibus nullum verbum Bellarminus? Obiicit. *Multa animantium genera liberè abſque duce vagari.* Neque Bellarminus affirmauit omnibus ducem eſſe; ſatis eſt, ſi aliquibus. Occinit: *non omnes apes habere Regem.* Iterum dico, ſatis eſſe, ſi quædam ſub Rege degãt. Quanquam neſcio vnde Sutliuio tanta notitia apum, vt quæ ſine Rege viuant, tam exactè norit.

Ait Bellarminus, gubernationem Reipublicæ Hebræorum planè fuiſſe Monarchicam. Sutliuius, vt hoc argumentum diſſoluat, primò omnium Bellarminum *hominem ineptiſſimum* appellat: vbi rurſus iudicium Bezæ de petulante calumniatore & conuiciatore approbare cogor. Addit, hoc ſomnium iam antea refutatum. Vbi? capite ſuperiore. Quid ibi Caluiniſta? *Monarchiam demum introductam in illum populum, poſteaquam terram promiſſionis iam multos annos poſſederant.* Verùm vt antea non habuerint Principes titulo Regum, at habuerunt titulo Ducum & Iudicum. An Moſes non fuit ſummus Dux illius populi? An non & Ioſue, & qui hos ſecuti, Iudices?

Ait Caluiniſta: *Moyſen & reliquos nihil feciſſe, niſi ex conſilio & auctoritate Principum & ſeniorum* A *populi.* Quàm hoc verum ſit, abunde teſtatur ſacra hiſtoria. Et vt verum eſſet, tamen vnius Principatui nil obſtaret; nam & Monarcha cum ſuis in Monarchia adiutoribus & adminiſtris, quorum opera neceſſariò eget, de rebus gerendis deliberare ſolet, & verò debet, cum vnus omnia ſolus ſat dilucidè peruidere nequeat: ſic tamen eorum conſilia exquirit, vt ſummum arbitrium ſibi retineat.

Ait Sutliuius: *Summam poteſtatem leges ferendi, iudicandi, bellique & pacis negotiorumque publicorum, fuiſſe penes ſummum conſeſſum Hieroſolymitanum, quem Iudæi Sanedrin dixerunt*; citatque Sigonium lib. 6. de Republ. Hebr. cap. 7. Reſpondeo, magnam fuiſſe huius concilij auctoritatem; ſed dependenter ab vno principe in politicis quidem politico; in rebus verò Eccleſiaſticis, à ſummo ſacerdote. Nam & hodie ſumma eſt auctoritas *Parlamentorum* in Gallia, & Prætoriorum Regiorum in Hiſpania; & tamen nemo eſt, qui ideo neget Imperium Galliæ & Hiſpaniæ Monarchicũ eſſe; eò quòd omnes ſenatorum Curiæ Regi ſubdantur. B

Obiicit Sutliuius Ioſephum; qui lib. 4. Antiq. cap. 6. (edit. mea cap. 8.) ita ſcribit. *Ariſtocratia, & vita, quæ ex ea degitur, res optima eſt, nec vos capiat deſiderium alterius Reipublicæ: Sed præſtat, vt hac (Reipublicæ formâ) contenti in legum & veſtra ipſorum poteſtate ſitis: Satiũ enim eſt Deum habere præſidem*: Reſpondeo, Ioſephum, vt & Sigonium lib. 1. de Repub. Hebr. cap. 5. citatum à Sutliuio vocaſſe C imperiũ illud ante Saulem, Ariſtocraticũ impropriè, quòd, (vt rectè hic docet Bellarminus) Deus potius populi illius immediatus Rector & gubernator eſſet, quàm homo, qui vices Dei gerebat; & ex lege ſcripta, ſeniorumq; conſilio omnia adminiſtrabat; tametſi primo illi Duci minimè æquales eſſent; vt fieri ſolet in Ariſtocratia, vbi omnes; qui ad clauum Reipublicæ ſedent, pares ſunt, vt dignitate, ſic & poteſtate, ſi quidem ſit pura Ariſtocratia. At iſti, maximè Sigonius, Imperium illud Hebræorum eam ob cauſſam præcipuè faciunt Ariſtocraticum, quòd in eo lex potiſsimum cũ Deo dominata fuerit. Quæ certè non eſt notio aut ratio Ariſtocratiæ propriè dictæ. D

Benignior eſt Iunius, quàm Sutliuius. Non enim abnuit Imperium Moyſis, Ioſuæ & Iudicũ fuiſſe Monarchicum; ſed ait, fuiſſe extraordinarium. *Horum Monarchia*, inquit, (*Si ita appellare libet*) *fuit extraordinaria.* Extraordinaria prorſus reſponſio & opinatio. Quis vnquam dixit; Moyſen, quà politicus Princeps erat, extraordinariè functionem illam adminiſtraſſe? Quis de Ioſue hoc vel ſenſit vel docuit? Quis item de Iudicibus, qui hos duos populi Iſraëlitici Duces ſecuti ſunt? Extraordinariè vocatus ſit Moyſes ad populi Iſraëlitici gubernationem. Num propterea ad extraordinariam functionem vocatus eſt? Cuiuſnam munus ordinariũ erit, ſi Moyſis.

Ioſuæ & ſimilium extraordinarium fuit? Nec ſcio, qua mente Iunius affirmare audeat idem tandem agnoſcere Bellarminum infra cap. 27. Num eo loco agit Bellarminus de politico Principatu Moyſis? Num dicit, Moyſis ciuile populi regendi officium fuiſſe extraordinarium? An nõ apertiſsimè loquitur de ſummo Põtificatu, hoc eſt, de poteſtate Spiritali & Eccleſiaſtica Moyſis, quam ait in Moyſe fuiſſe extraordinariam, ratione ſcilicet ſucceſsionis, quatenus non Moyſi, ſed Aaroni in ſumma illa dignitate ſucceſſum eſt: vt Tom. 1. lib. tertio fuſius explicatum eſt. De ciuili Moyſis poteſtate nihil penitus dicit Bellarminus infra cap. 27.

Falſum eſt & illud, *rem ad Principes tribulium & ſenatum Ariſtocraticum rediiſſe*, poſtquam Moyſes & Aarõ ſuo munere ſunt perfuncti: Citatque cap. 11. Num. & Iud. 1. Sed in libro Numerorũ, nihil aliud ſcribitur, quàm Moyſi datos eſſe ſeptuaginta viros, qui ei in adminiſtratione populi adiumento & leuamento eſſent: quod Monarchiæ nil repugnat; quia ſummum imperium penes ſolum Moyſen erat, & omnia, quæ gerebantur, dependenter à Moyſe gerebantur, vt nũc quoque accidit in ſtatibus Monarchicis.

Poſt mortem Ioſuę vſque ad ſuſcitatos & cõſtitutos Iudices videtur in Iſraële ſtatus Ariſtocraticus viguiſſe, vel potius Interregnum fuiſſe: neque enim abſolutè fit Ariſtocratia, quando exſpectato Principe, Dei vel hominum electione futuro, optimates Rempublicam adminiſtrant. Sed hoc Bellarmino non officit, nihil enim agit de ſtatu hoc intermedio; ſed de imperio ſingularium perſonarum, Moyſis & Ioſuæ; & Iudicum, vt Samuelis, Samſonis, & aliorum: nã quòd oggerit Iunius horum iudicum *non fuiſſe Monarchiam, ſed temporarium ſubſidium & extra ordinem ad vindicias Reipublicæ; idque conſtare ex Gedeonis exemplo Iudic. 8. Et ex ſtipulatione Iephte Iud. 11. Et ex quo rem bene geſſerant, eis extra ordinem delatas primas ad obitum vſque*: Id Iunianis plaſmatis ſecurus annumera: quia Gedeon conſtitutus eſt à Deo dux & Iudex populi Iud. 6. poſtea deuictis Madianitis conſenſerunt in eius imperium vniuerſi Iſraëlitæ Iud. 8. *Dominare noſtri tu & filius tuus, & filʼ filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian*: quibus verbis non Ariſtocraticum, ſed Monarchicum Imperium ei, poſteriſque eius detulerunt. Nec obſtat reſponſum Gedeonis: *Non dominabor veſtri, neque dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus*: hoc enim ideo dixit, quod Iudices eſſent quaſi Vicarij & proreges Dei, vt docet hìc Bellarminus; qui illa in Republica primas in gubernatione, modo quodam peculiari tenebat; vt ſupra cum Bellarmino diximus. Stipulatio illa Iephte pro nobis facit: Nam certus eſſe volebat de Imperio Monarchico, ſi victoriam de filiis Ammon reportaſſet: Et Iſraëlitæ abſolutum imperium ei detulerunt; non adiecta hac conditione. Tu quidem nos reges, ſed ita, vt ab imperio non excludantur optimates.

Probat præterea Bellarminus Monarchiæ ſuper cæteras Reipublicæ formas præſtantiam ex eo, quod Iſraëli poſt Iudices dati ſunt Reges, vt Saul, Dauid, Salomon. Obiicit Sutliuius, *Deo hunc ſtatum diſplicuiſſe; nec poſſe optimum Reipublicæ ſtatum cenſeri & Ariſtocratiæ anteponi, qui Deo diſplicuerit.* Occinit etiam Iunius: *Reges vitio in Rempublicam Hebræam introductos.* Deut. 18. 1. Reg. 9. Reſpõdeo, ipſam Monarchiam per ſe Deo nec olim diſplicuiſſe, neque iam diſplicere; alioqui diſpliceret illi etiam propria ipſius gubernatio, quæ Monarchica eſt: Diſplicerent etiam hodiernæ Monarchiæ, quarum nonnullæ ſunt potentiſsimæ & fortunatiſsimæ; ſed diſplicuit Deo, quòd populus Iſraëliticus Monarchia illa, in qua ipſe, Bellarmino teſtãte, quaſi proprius & peculiaris Rex regnabat; contentus eſſe noluerit; ſed eam concupierit, cuius Princeps vniuerſum Regnũ, vt proprium poſsideret, & quaſi hæreditario iure ad filios nepoteſque ſuos tranſmitteret. Recinit Sutliuiʼ: *Nihil magis eſſe ſtultũ, quàm illud in Regno reprehenſum putare, quod eſt optimum, hanc enim Regni ſummam eſſe laudem; quòd iure ad proximum agnatum deuoluto omnis de regno contentio & diſceptatio tollitur.* Reſpondeo, Deum non hoc præcisè reprehendiſſe; ſed quòd ſe excluſo, & quaſi de auita poſſeſsione deiecto, tale regnum elegerint: Nam Deus non tantum erat Dux & gubernator Hebræorum generali illa ratione, qua res omnes regit & gubernat, ſed peculiari & propria quadam ratione; ita vt viſibiles illi Duces & Iudices tantummodo vicariam functionem, reſpectu Dei, obirent, vt docet Bellarminus.

Ait Sutliuius: *Bellarminum aduerſari ſacris literis: eas enim docere ideo reprehenſum fuiſſe populum Iſraëliticum, quòd Regem petiiſſet, non quod tyrannum.* Quid tu de Tyranno ſomnias? Nullum verbum Bellarminus de Tyranno, vtpote cui exploratiſsimum fuerit, regnum ab Iſraëlitis expetitum, & à Deo poſtea comprobatum, non fuiſſe tyrannidem, ſed probæ notæ gubernandi formam. Impiè egerunt Hebræi petentes Regem; non præcisè, quà Regem petebant; ſed quà cum iniuria Dei, qui per hanc Monarchiam à peculiari illa ſua regendi populi Iſraëlitici functione quodammodo excludebatur. Inſtat Sutliuius. *Abſurdum fuiſſet alium Regem poſtulare, ſi quem antea habuiſſet: & facilè reſpondere Samuel populo potuiſſet, & dicere, cur Regem quæritis, cum iam Regem habeatis?* Reſpondeo, Iſraëlitas, quando regebantur à Ducibus & Iudicibus, habuiſſe Reges, (nam & Iudices vocabantur Reges, vt patet Iud. 18. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël.* Et cap. 21. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.*) Sed non habebant Regem eius ſortis & conditionis, cuius erant cæteri, qui hoc nomen vſurpabant: nam variæ ſunt Monarchiæ ſpecies, variæ limitationes & reſtrictiones; vno

verbo,

verbo, varia genera, vt ipſe Caluiniſta ca. 2. ex Ariſtotele docet. Hinc ipſimet ſeniores Iſraël nō petiuerunt ſibi à Samuele conſtitui qualemcunq; Regem: ſed talem poſtularūt, qualem *vniuerſæ habent nationes.* Et, *erimus nos quoque ſicut omnes gentes*, habendo nimirum Regem abſolutum, qui non ſit quaſi peculiaris vicarius Dei; ſed independente poteſtate vtatur.

Hic autem dicat velim Ariſtocraticus & Monarchomaſtix Sutliuius, ſi Ariſtocratia ſimpliciter eſt melior, quàm Monarchia, cur, vt ſcriptura loquitur, *vniuerſæ nationes*, & *omnes gentes* Monarchiam ſeu Regnum potius elegerunt, quàm Ariſtocratiam? *Inſanum fuiſſet*, inquit Sutliuius, *ſi Rege optimo abiecto tyrannum petiſſent, quod tamen Bellarminus putat.* Iniuriam facis Bellarmino, nihil ille de Tyranno: nec Saulem à Samuele vnctum, & à Deo confirmatum pro Tyranno habet; ſed pro legitimo Rege; Nec vitio, ſed legitimè Saul eſt electus & deſignatus Rex; tametſi origo vel potius occaſio huius legitimæ electionis & deſignationis fuerit populi improbitas, & in Deum impietas.

Admodum petulanter inequitat Sutliuius Bellarmino, quòd ſcripſerit, Patriarchas in veteri teſtamento regia poteſtate fuiſſe præditos. *Hoc*, inquit calumniator, *Bellarmini arguit inſignem ſtultitiam & imperitiam, qui patrifamilias & Regis iura domum & Rempublicam diſtinguere non potuit.* Hæc tua, Caluiniane, oratio, luculenter oſtendit, non immeritò *petulantis calumniatoris* encomio te à tuo Beza cohoneſtatum eſſe: Nam quomodo iura, domeſticum & regium diſcriminentur, multis annis antè nouit Bellarminus, quàm tu Exceſtrenſis Pſeudodecanus crearetis: Quòd enim oggannis, *vbi non eſt, niſi vna domus, ibi non eſſe ciuitatem aut regnum, ſed tantum ius domeſticum*, id aſſeris, quod tibi firmo aliquo argumento demonſtrandum incumbit, vnde enim tibi conſtat, totam familiam Abrahæ vna in domo & ſub vno tecto habitaſſe? quæ tanta fuit, vt capto Loth, & abducta eius ſubſtantia, ſtatim trecentos decē & octo vernaculos in aciem educere, & hoſtes perſequi potuerit, tametſi tu Caluiniſta in vocabulis inſidias ſtruis, quaſi vnica familia vel domus ex Bellarmini ſententia, nominari poſsit ciuitas, vel regnum; quod primo intuitu perquā abſurdum auribus accidit. At nihil Bellarminus de hoc, num *ciuitatis* vel *regni* vox, in vnicā domū quadrare queat; quia nō ignorat ab Ariſtotele, & aliis hæc nomina aliter vſurpari; ſed affirmat, Patriarchas habuiſſe regiam, hoc eſt, principalem poteſtatem, & id inde euincit; quia bella geſſerunt, vitæque ac necis poteſtatem habuerunt; quæ ius œconomicum ſeu domeſticum longè tranſcendunt: neque enim ideo præciſè ius vitæ ac necis quis poſsidet, quia iure œconomico pollet. Quod ſi domum ſeu familiam illam Abrahæ, v. g. Sutliuius non vult appellare Regnū; afficiat quocunq; libuerit nomine, dummodo fateatur, Abrahamum, & alios Patriarchas, Regis ſeu Principis poteſtate fuiſſe præditos, quæ abſolutè loquendo à nullo vel pari, vel ſuperiore penderet, & ea, quæ principis erant, liberè ageret: nam quod Caluiniſta vitæ neciſque auctoritatem Patriarchis ex *iure domeſtico* conueniſſe ſcribit; nimis inſulſum eſt ac imperitū: ſi enim hæc poteſtas ex iure œconomico præciſè, quà tale eſt; proflueret, omnibus, qui illo iure pollent, competeret; At contrarium verum eſſe, nemo ſanæ mentis ignorat.

Vt Bellarminus oſtenderet ius regium competiuiſſe Patriarchis, protulit exemplum Iudæ Gen. 38. qui nurum ſuam, quæ ſcortationis fuerat accuſata, igni adiudicauit, neque tamen Iudam vllum ſenatum conſuluiſſe aut rogaſſe. Reſpōdet Iunius. *Vtrumq; falſum: non enim Iudas morti adiudicauit, vt Iudex, vir nondum ſenex, atque extraneus in alieno agro, cui pater & fratres natu maiores erant, ſed vt accuſator irrogauit mortem.* Vt quis ſit Iudex, nil opus, vt ætate annoſum Priamum ſuperet: aut patre & fratribus natu maioribus careat. Certe Iudam vt Iudicem, propria auctoritate nurum ad flammas damnaſſe, argumēto eſt abſolutum illud mandatum eius: *Producite eam, vt comburatur.* Nec meminit ſcriptura, ad hanc ſententiam, eiuſq; executionem, alterius quàm Iudę nutum & arbitrium interueniſſe: Itaq; ſtatim ſubiicitur: *Quæ cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum dicens*, &c. Neque etiam hic vlla mentio Iudicum in portis vrbium ſeſsitare & lites cognoſcere ac dirimere conſuetorum, quæ conſuetudo, poſtea demum, conſtitutâ Hebræorum Republicâ, nata eſt: nec Chananæis, inter quos tum verſabatur Iudas, in vſu erat. Itaque vanum eſt illud Iunij gloſſema, quod hic, vt & in ſcholiis ad ſua Biblia, adducit: *Iudam iuſſiſſe, vt duceretur nurus ad portam, non ad patibulum.* Mirū, ſi Iunio verba illa: *Producite eam, vt comburatur*; non *patibulum*, ſed *portam* ſonant. Et vnde nobis certum teſtatumq; faciet apud Chananæos eundem viguiſſe morem, qui inter Hebræos poſteris ſæculis obtinuit, vt ius à Iudicibus diceretur in ciuitatum portis? Nec refert, quod Iudas tunc in aliena terra degeret: nam & Abraham in peregrina terra verſabatur, & tamen Gen. 14. aduerſus quatuor Reges bellum geſsit.

Obiicit Sutliuius, *Moyſen & Aaronem cum mandata ad populum Iſraëliticum haberent, congregaſſe cunctos ſeniores filiorum Iſraël: hoc autem non facturos fuiſſe, niſi apud optimates & ſeniores imperium fuiſſet*: citatq; caput quartum Exodi. Inanis obiectio. Nam tū Moyſes necdum Principem & Ducem populi Iſraëlitici reipſa, & in actu exercito egerat, ſed vt ageret, à Deo in ſolitudine monitus & deſignatus fuerat; vt igitur à populo reciperetur & agnoſceretur, an non ſaltem ſeniores conuocare, iiſque voluntatem & iuſſa Dei ſibique demādatam prouinciam patefacere oportuit?

Deinde num ideo Rex non eſt Rex hoc eſt, Monarcha, ſi quando Optimatum Concilium conuocet, & cum illis de communi Reipublicæ vtilitate deliberet? An non idem fit in Anglia, in qua iſte Caluini diſcipulus degit? Moyſen, Ioſue, Samuelem, & Iudices nunquam nominauit Bellarminus *Reges*; ſed eorum imperium vocauit Monarchiam. Et vt reges nuncupaſſet, an nõ ſcripturæ exemplo ſe tueri poſſet; quæ Iudices vocat *Reges*, vt ſupra dictum. Nec obſtat, quod garrit de magna eorum poteſtate, qui principes in populo Iſraëlitico erant: nam & nunc in Imperio Romano ingens eſt Principum & quarũdam Rerumpublicarum poteſtas *in fœderibus percutiendis, in diuidenda terra, & legatis mittendis*, & tamen omnes ſubiiciuntur vni Monarchæ, videlicet Imperatori.

Probat præterea Bellarminus excellentiam Monarchiæ ſupra cæteras Reipublicæ formas ex proprietatibus eius, quarum prima eſt Ordo, quia Monarchia magis eſt ordinata, quàm Ariſtocratia vel Democratia, & aptior ad conſeruationem pacis. Reſpondet Sutliuius, *hæc potius Ariſtocratiæ competere, quàm Monarchiæ.* Si ita eſt, cur nõ ſuadet ſuis Britannis, vt, dimiſſa Monarchia, Ariſtocratiam in prouincias ſuas introducant? Suadere hoc incipiat Caluiniſta. Nos interea contemplabimur, quæ præmia ſuaſor iſte ſit reportaturus.

Accuratius, inquit, *ſeruantur leges in Ariſtocratia, quàm in Regno, cum Rex ſit legibus ſolutus, multaq; faciat contra, aut ſaltem præter leges.* Et hoc nouum argumentum eſt, quo popularibus ſuis ſuadere poterit, vt malint eſſe Ariſtocratici, quàm Mõnarchici. Miror, qua fronte hæc chartis illinere audeat homo, qui in Regno, & ſub Rege degit, & qui in Eccleſiaſticis quoque negotiis & quæſtionibus Regem pro capite agnoſcit ac veneratur: nam longè commodior eſt, per ſe loquẽdo, in Monarchia, quàm in Ariſtocratia leges cuſtodiendi ratio, cum omnes vni ſubſint; & ab illo abſq; diſcrimine ad officium compelli queant. Illud autem: *Regem ſolutum eſſe legibus*; nõ ſine moderamine accipi debet: Vt paucis expediam, ſolutus eſt quoad *coactionem*, nõ quoad *directionem*.

Addit Caluiniſta: *Homines in Ariſtocratia cò melius eſſe moratos, quò minus pro delictis ſperant veniam. Contrà verò fieri in Monarchia; eamq; ob cauſſam in Pontificio Regno omnia ſceleribus redundare.* Hic itetum grandem ſecurim popularibus ſuis impingit; quos, quia ſub Rege & in regno degunt, minus bene moratos, & ad ſcelera audentiores facit, quàm Caluinianos in Batauia, qui Ariſtocraticam vel Democraticã vitam viuunt. Nam quòd hic de Pontificiorum flagitiis declamitat, id non eſt ei dandum crimini: Nam niſi in criminandi arte inſigniter exercitatus eſſet: nunquam à Papa ſuo Beza *petulans calumniator* audiſſet. Si Epitomen quandam ſanctimoniæ Caluinianæ ex ipſo Caluino, & Caluiniſta Polano à me concinnatam ſpectare cupis, conſule meum Bauium & Mæuium; & Panegyricum Miſenicum. Illud item meretur præmium à Monarchicis Anglis tibi perſoluendum, quod ais; *Ariſtocratiã minus eſſe obnoxiam ſeditionibus, quàm Regnum.* Si ita eſt, cur populares tui, expulſo politico & Eccleſiaſtico ſuo Monarcha, non conuolant ad Ariſtocratiam? Forſan paulò poſt Ariſtocraticis tuis rationibus ipſi Deo perſuadebis, vt Monarchiam ſuam in Ariſtocratiam transformet: præſertim, ſi, vt Caluiniſta dicit, Ariſtocratia eſt *omnium firmiſſima & robuſtiſſima: & ad diuturnitatem & ſtabilitatem* accommodatiſſima: ſi vera canit iſte Anglus, iterũ mirari ſubit, cur Angli Monarchici nõ è veſtigio incipiant eſſe Ariſtocratici. Quis enim patriæ tantus eſt oſor, qui eam non cupiat eſſe quàm firmiſſimam, robuſtiſſimam, maximè diuturnam & ſtabilem.

Ait Caluiniſta: *abſurdum eſſe, dicere; facilius ciuitatem ab vno regi, quàm à multis; nam plures oculos, plura videre, quàm vnum.* Et hoc, vbi Monarchicis tuis Anglis perſuaſeris, tum ad nos regredere, & num illud nobis itidem perſuadere queas, experire. Sed piget referre plures huius hominis vanitates ex Buccanano, Bruto, & id genus aliis Regum hoſtibus, & Ariſtocraticis Democraticiſque fiabellis corraſas, quas ipſe Bellarminus ſatis diluit, vt & Guilhelmus Barclaius, in opere contra Monarchomachos, hoc eſt, contra Buccananum, Brutum, ſimiles.

Illud vt ſæpe iam teſtatus ſum etiam atque etiam mirarer, hominem, ſub Monarcha & in Monarchia degentem, hæc contra Monarchas & Monarchiam in chartas exſpuere auſum fuiſſe, niſi compertũ haberem, omnia iſta ex immani quodã odio Monarchiæ Eccleſiaſticæ in Catholica, Apoſtolica & Romana Eccleſia fundata proficiſci. Nec tamen iſti ex Anglia, Romanæ Monarchiæ obtrectatores, animaduertunt, ſe ſua vineta cædere, dum abs ſe Pontificiam Monarchiam cædi exiſtimant, quandoquidem & ipſi olim, prô pudor, fœminam; nunc Regem Politicum pro capite, hoc eſt, pro Monarcha, ſynagogæ ſuæ ſuſcipiunt & ſuſpiciunt.

CAPVT III.

Monarchiam Ariſtocratiæ & Democratiæ admixtam vtiliorem eſſe in hac vita, quàm ſimplicem Monarchiam.

VIx attingunt Prædicantes hoc caput. Inter cætera probat Bellarminus, in veteri teſtamento ſic diuinitus Monarchiam fuiſſe conformatã vt Ariſtocratiam & Democratiam aliquo modo admixtam haberet: habuiſſe enim Hebræos vnũ

ſiue

siue Ducem, siue Iudicem, siue Regem, qui toti multitudini imperaret, & hoc ad Monarchiam pertinere. Habuisse item multos Principes minores, de quibus Exod. 18. & hoc ad Aristocratiam spectare. Fuisse item ex omni plebe, & nō tantū ex vna aliqua tribu assumptos principes, vt ex eodem cap. 18. & ex Deut. cap. 1. colligitur. & hoc aliquatenus Democraticum statum concernere.

Iunius. *Fugit hominem differentia fori iudicialis, & senatus siue iudicij publici. De foro iudiciali ad dirimēdas lites & causas terminādas agitur Exodi 18. & Deut. 1. De consilio verò ad politicam Reipublicæ administrationem pertinente, Num. 11. Itaque nihil probat ex re diuersa historia.*

Mirificus est passim Iunius in procudendis nouis & ad rem nil attinentibus distinctionibus: Bellarminus hoc loco nil aliud docere voluit, quàm Monarchiæ Hebræorum fuisse aliquid de Aristocratia & Democratia admixtū. Quod cum Prædicans iste falsitatis cōuincere deberet; concionari ingreditur de differentia *fori iudicialis, & senatus siue iudicij publici*; & cauillatur, Bellarminum perinde facere, *ac si centumuiralia iudicia cum senatusconsultis confunderet.* Nimirum qui calumniari semel in animum suum induxit, is si aliūde non suppetat, ipse sibi calumniandi materiem fingere debet; ne penitus obmutescere cogatur. Neque locum illum ex Numeris protulit Bellarminus. Et licet protulisset, æquè commodè, quod proposuerat, inde confecisset; nempe Monarchiæ, aliquid de Aristocratia & Democratia adiunctum fuisse: Falsumque est, & à Iunio confictum, eos Iudices, qui Num. cap. 11. constituti sunt, non fuisse litibus & controuersiis forensibus cognoscendis & componendis præpositos, sed tantum ad deliberationes de Republica delectos. Nam Moyses absolutè petiit sibi in regimine illius populi à Deo adiutores dari. *Non possum*, aiebat, *solus sustinere hunc populum, quia grauis est mihi.* Cur grauis, nisi ob multitudinem controuersiarum & litium? Cui Deus: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus grauerii.* Quibus verbis, pollicetur Deus Moysi adiutores & administros non tantùm in deliberationibus de Republica, quæ forsan Moysen non adeo molestabant & excruciabant; sed indefinitè in omnibus negotiis, atque adeo etiam in litibus & quæstionibus populi cognoscendis & dirimendis. Nam si has omnes Deus humeris Moysis impositas reliquisset, parū leuamenti Moysi attulisset: nemo enim ignorat, plenum molestiæ opus esse, controuersiis & vitilitigationibus vulgi cognoscendis & decidendis vacare.

Non est hîc prætereunda Mortoni Anglicani frons inuerecunda; qui Bellarmino opprobrat, quasi contradictorias has duas propositiones. *Monarchiam simplicem ex simplicibus Reipublicæ formis esse optimam*: & *Monarchiam Aristocratiæ & Democratiæ admixtam, esse simplici Monarchia vtiliorem atq; præstantiorem.* Sed Mortonus, vt ferè vbique, ita & hoc loco; id est, p. 2. vaniloquæ suæ Apologiæ lib. 2. cap. 1. impostorem agit: nam secunda propositio non est Bellarmini; quia cap. 3. disertè dicit; Monarchiam Aristocratiæ & Democratiæ admixtam, esse vtiliorem, non absolutè; *sed in hac vita, & propter naturæ humanæ corruptionem*: hoc est, per accidens ratione circumstantiarum; non *per se & præcisè*. Quocirca capite sequenti simpliciter, directè & absque vlla circuitione decernit Bellarminus, Monarchiam cæteris Reipublicæ formis antecellere.

Hinc & in auras abit alia à Mortono fabricata antilogia. Dicit Bellarminus hîc cap. 2. Monarchiam simplicem excellere cæteris, quia etiam Deo competit. At lib. 2. de Christo. cap. 6. §. *Igitur prima*; ait idem Bellarminus; *Beatitudinem esse summum bonum, vnum verò & insigne bonum esse consortium æqualium.* Ex quibus nascitur, Mortono obstetricante, hoc dilemma: *Optimum est esse solum: & tamen summum bonum est habere consortium æqualium, Quàm non conhærent?* inquit Mortonus. cui assentior, si loquatur de Mortonicis, hoc est, suis mendaciis. Sunt enim, vt funiculus ex arena connexus. Audi Caluinista. Trinitas personarum, atque adeo consortium diuinarum personarum in eadem numero essentiâ, non tollit Monarchiam; nam vt est vnus Deus; licet tres sint personæ; sic & vnus est Monarcha, omnia gubernans, quamuis in personis trinus. Itaque summum bonum est in diuinis, habere consortium æqualium, sed talium, qui non modò voluntate ac perpetua consensione; sed & essentiâ ac naturâ sint vnum & idem: quæ identitas facit, vt Monarchia verè cum personarum multiplicatione subsistat. Sed Mortonus, vt est argutus, ita ratiocinari videtur: *Tres sunt in diuinis persona; ergo Monarchia non habet locum in diuinis*; similiter ac si diceret: *Tres sunt personæ in diuinis; ergo non est vnus Deus omnia gubernans ac moderans.*

Eiusdem generis sunt reliquæ antilogiæ, quas Mortonus ex fanatico suo cerebro extudit, & lectori contemplandas proposuit: Etsi in illis nullæ Bellarmini vel alterius Catholici scriptoris cōtradictiones, sed Mortonici capitis admodum grauiter læsi circumuolantia phantasmata, verè & valde dilucidè eluescunt.

CAPVT IV.

Circumstantiis seclusis, Monarchiam simplicem absolutè & simpliciter excellere.

ACCVSAT Bellarminus Caluinum, quod Aristocratiam Monarchiæ antepoſuerit, ſecluſis omnibus circumſtantiis. Occlamat Danæus, *Caluinum cum Aristocratiam præfert Monarchiæ ſpectare hunc mundi ſtatum, qualis eſt, qualiſque futurus eſt vſque ad conſummationem ſeculi.* Sed mētiri Danæum, perſpicuè docent verba Caluini à Bellarmino recitata ex lib. 4. Inſtit. cap. 20. §. 6. *Equidem ſi in ſe conſiderentur tres illæ, quas ponunt Philoſophi, regiminis formæ* (quid eſt rem in ſe conſiderare, quàm conſiderare illam ſecluſis circumſtantiis, & quaſi ab omnibus aduentitiis denudatam?) *minimè negauerim, vel Ariſtocratiam vel temperatum ex ipſa & politia* (hoc eſt, Democratia) *ſtatum, aliis omnibus longè excellere.* An non ſunt ſat clara hæc Caluini verba? An non ſat clarè vanitatem Danæi redarguunt? Nam quòd in poſterioribus editionibus errorem ſuum agnouit & emendauit; nũ ideo ſequitur, eum prius turpiter non erraſſe, cum Ariſtocratiam in ſe ſpectatam Monarchiæ antetulit?

Valde ſtomachatur Iunius; quòd Bellarminus Caluino prioris ſententiæ mutationem & expunctionem exprobrauit, *nemini enim vitio dari, ſi ſua recognoſcat, & meliora reddat*; ipſum Bellarminum hoc factitaſſe. Reſpondeo, mutationem ſententiæ & cognitionem lucubrationum ſuarum non verti vitio illis, qui modeſtiæ memores, ſcribunt, & aſſerunt, vt homines, labi & hallucinari faciles. At ſi quis hæreticorum, Caluini, Lutheri, Melanchthonis & ſimilium ritu, non modo ſcriptitet; ſed & ſua placita, veriſſima, immota, inconcuſſa, & ex ipſarum ſcripturarum penetralibus deprompta thraſonicè iactitet; & poſtea poſt tot thraſoniſmos, mutet, demutet, vertat, inuertat: ac prius probata, improbet; is meritò culpatur. Qua de re dixi multa contra Iunium & alios ſectarios libro ſecundo de iure prohibendi libros malos & noxios.

Obiicit Bellarminus Caluino contradictionem. Qua dum Iunius eum liberare ſtudet, laterem lauat. Summa huc redit, Bellarminum *neſcire diſcrimen inter has duas locutiones: in ſe, & per ſe.* At optimè nouit Bellarminus, has duas phraſes diſcriminari duabus diuerſis præpoſitionibus, ſenſu autem conuenire, prout à Caluino vſurpãtur; nam ſiue dicas rem *in ſe* conſiderari; ſiue *per ſe* conſiderari; hoc dicis; eam ſecluſis circumſtantiis ſecundum ſolam ſuam ſubſtantiam ſeu rationem eſſentialem conſiderari. Cum ergo Caluinus dicit; Ariſtocratiam excellere, ſi *in ſe* conſiderentur tres illæ formæ; cumque mox addit; hoc non eſſe verum, ſi *per ſe* conſiderentur quid aliud agit, quàm quod ſibi contradicit, vel potius quid dicat, neſcit, aut non intelligit?

CAPVT V.

Debeatne Eccleſiaſticum regimen eſſe Monarchicum.

MVRMVRAT Danæus. I. *Bellarminum velle* implere paginas. II. *Eum velle lectorem otio abuti.* III. *Eum ea & remotiſſima adſciſcere.* IV. *idque ea mente, vt ſui ingenij induſtriam oſtentet.* V. *Bellarminum aut ſe euertere; aut pugnantia dicere, & cum Caluino conſentire.* Quid ita? *Quia contendit toto hoc opere Eccleſiæ regimen eſſe Monarchicum, & quidem planè; & tamen hic negat.* Vbi vnquam ſcripſit Bellarminus, Eccleſiæ regimen eſſe Monarchicum planè, hoc eſt, *purè*, ſine vlla admixtione ex Ariſtocratia & Democratia? Monſtra, oro, locum ſi potes; Ni monſtraueris; quis alius habeberis, quàm is, qui vt eſſes, iam pridem tot tuis matæologiis & alogiis commeruiſti; qui grauiſſimas Bellarmini diſputationes non niſi mendaciorum & conuiciorum obtuſiſſimis haſtis oppugnas. Iunius hic præter ſuum *Negatur*, nihil adfert.

CAPVT VI.

Eccleſia gubernationem non eſſe Democraticam.

NON eſt ſui abſimilis Danæus, etiam hoc loco, omnia Bellarmini argumenta proſternit his ſuis arietibus. *Verboſus eſt hic ſcriptor in toto iſto capite, non neruoſus. Nihil probat.* Quis hoc affirmat? Danæus. Quis ille? Hic taceo. Notus iam eſt. Addit. *Epiſcopos olim non à ſolis Epiſcopis, excluſo populi ſuffragio, creatos fuiſſe*: Quid hoc ad rem? Num ideo regimen Eccleſiaſticum fuit aliquando Democraticum? Quanquam nil populus in Electione Miniſtrorum Eccleſiæ vnquam iure diuino habuit; ſed ſi quid habuit, id totum habuit ex conniuentia vel conceſſione Pontificum; vt docet Bellarminus lib. de Clericis cap. 7.

Ait Danæus, *neminem ſuorum dixiſſe aut ſcripſiſſe Eccleſiæ regimen eſſe merè & purè Democraticum, quidquid Bellarminus cauilletur.* Atqui Bellarminus nulli ex Lutheranis vel Caluinianis hanc ſententiã attribuit; tantum dicit, Illyrici iudicio, Democratiam habere in Eccleſia primas partes: Ariſtocratiam, ſecundas. Nega, ſi audes, (quanquã quid non audes?) hanc eſſe Illyrici opinationem.

Iunius, vt aliâs vbique, ita & hic reuocat mihi in memoriam illud Homericum: μίσνμόν' ἄχε πάλλα, τὸ ἀμφ' ἐλένην ἔπονται Vbique enim

textum

textum Bellarmini in fruſtilla concidit & lanci-
nat, ita vt nec pes nec caput vni reddatur formæ.
Ait Bellarminus ex Euſebio lib. 3. Hiſt. cap. 4.
colligi, Dionyſium Areopagitã à S Paulo Athe-
narum conſtitutum eſſe Epiſcopum. Obſtrepit
Iunius: *Horum quidem nihil Euſebius.* Quomodo
nihil? An non ſunt hæc ipſiſsima Euſebij verba?
Addeiũ, (qui Apoſtolis ſucceſſerunt, & ab illis
conſtituti ſunt Epiſcopi) *Areopagitam illum, Dionyſium nomine, quem in Actis Apoſtolorum poſt Pauli concionem in Areopago apud Athenienſes habitam; ad fidem conuerſum fuiſſe, Lucas in Actis Apoſtolorum ſcribit,* (Act. 17.) *quemq́; primum Eccleſiæ Athenienſis Epiſcopum deſignatum, aliũ quidam Dionyſius Eccleſiæ Corinthiorum paſtor, ſcriptor ſanè perantiquus, narrat.*

Ait Bellarminus: Neſtorium à Conſtantinopolitano Epiſcopatu depoſitum per Epheſinam ſynodum, mandato Cæleſtini, Papæ Romani, idque teſtari Euagrium lib. 1. cap. 4. Iunius. *Negatur. Hæc nõ ſunt Euagrij.* Quid? An nõ apud Euagrium ita loquuntur Patres Concilij Epheſini, cauſam reddentes, cur Neſtorium depoſuerint? *Eccleſia Canonibus, tũ Epiſtolâ ſanctiſſimi Patris noſtri & collegæ Cæleſtini, Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ neceſſariò compulſi, idq; non ſine crebris lacrymis, ad hanc ſeueram ſententiam contra eum pronunciandam venimus.*

CAPVT VII.

Eccleſiaſticum regimen non eſſe penes principes ſeculares.

VOCIFERATVR Danæus, *Bellarminum principibus piiſq; magiſtratibus omnem omnino poteſtatem in Eccleſiam adimere.* Nec ſemel hanc criminationẽ effudiſſe contentus eſt, ſæpius eam occinit; cum Bellarminus ius Eccleſiam tuendi, & verum Dei cultum propagandi & propugnandi Regibus & principibus ex officio cõpetere, copiosè doceat lib. de Clericis cap. 18. & in hoc ipſo etiam capite idem diſertè tradat.

Mox crepat Danæus: *Fallacias à non conſequente. A non cauſſa pro cauſſa. A dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.* S. Gregorium Magnum & Gelaſium laudatiſsimos Pontifices nominat *acerrimos piorũ magiſtratuum hoſtes.* Blaterat neſcio quid *de Pontificis culina & Romana nidore.* Vno verbo, licet totam Danæi ad hoc caput reſponſionẽ diſtillare conareris, ne guttam quidem rationis exprimere poſſes.

Ad extremũ ſtolidè gratulatur Bellarmino, quòd factus ſit Caluiniſta. *Lætetur cælum*, inquit Danæus, *iam Caluiniſta eſt, & bene ſentit prioris ſuæ ſententiæ & erroris pœnitens Bellarminus.* Orcus, opinor, lætaretur, non cælum, ſi vir tantus Caluiniſmum amplecteretur. Cur Caluiniſta Bellarminus? Quia dixit, Reges debere eſſe legum diuinarum cuſtodes. Ipſorum eſſe edictis & pœnis impedire blaſphemias, hæreſes, ſacrilegia. Ideone Caluiniſta Bellarminus? An nihil aliud volũt Caluiniſtæ? An non docent, iudicium de religione & interpretationem legum diuinarum pertinere etiam ad Principes? Num hoc Bellarminus, vel vllus orthodoxus ſentit? Inſpice, quæſo, oculis apertis extrema verba huius capitis, & caput decimum ſeptimum libri de Clericis, & fortè intempeſtiuam tuam gratulationem retractabis.

Vehementer exardeſcit Danæus, quòd Bellarminus ſcripſit, Chriſtianos Reges præeſſe hominibus Chriſtianis, non vt Chriſtiani, ſed vt homines ſunt. Arbitratur hoc cum ſummo Chriſtianorum principum dedecore coniunctum. Sed meminiſſe debebat Danæus hoc millies à Luthero totidem verbis fuiſſe aſſertum; cũ alibi paſsim, tum in libro, *quatenus politico magiſtratui ſit obtemperandum*: vt taceam Philippũ Melanchthonẽ; qui in ſuis Diſputationibus, quæ exſtant in operibus eius Theologicis, idẽ frequentiſsimè inculcat: tametſi longè alio ſenſu & animo, quàm Bellarminus, qui eam ſolummodo ob cauſſam ait; Reges Chriſtianos ſubditis Chriſtianis, non præeſſe, vt Chriſtianis, quòd iudiciũ de rebus ad Chriſtianam fidem pertinentibus, non ſpectet ad Reges & Principes politicos: quare ſub iſta ratione Chriſtiani, quà tales, hoc eſt, vt legibus extra notionem, arbitrium, interpretationem & iudicium Regum poſitis ducuntur & reguntur; à tribunali Regum & Principum ſæcularium liberi ſunt. Quod verum eſt: licet iiſdẽ, alio reſpectu iura dent, vt Chriſtiani ſunt, hoc eſt, vt Reipublicæ politicæ ad Chriſtianam normam conformatæ membra ſunt; & vt Reges ac Principes Chriſtianæ religionis tutores ſunt, cuſtodes, nutricij & propagatores: Sic enim Chriſtianos, etiam formaliter, quà tales, tueri ac cuſtodire debent. At Lutherus & Hæretici Chriſtianum, vt talis eſt, & ſub quocunque *Chriſtianiſmi* reſpectu ab omni prorſus tam Eccleſiaſtico quàm politico imperio ſolutum pronunciant. Quod ſomnium nulli orthodoxorum in mentẽ venit.

Iunius æquis auribus audire non poteſt, quòd Bellarminus dicit: Henricum VIII. Angliæ Regem ſe caput Eccleſiæ conſtituiſſe. Et certè ab æquis auribus non niſi iniquè hoc accipi poteſt. Sed cur Caluiniſtæ Germani, Galli, Belgæ non vrgent fratres ſuos Britannos, vt ab hac amentia deſiſtant; & quod à Rege illo contra cõmunem omnium ſeculorum ſenſum, patratum eſt, ad ſucceſſores non deriuent?

Commemorat Bellarminus ex Sulpicio exemplum Maximi Imperatoris, qui poculum ſibi, vt omnium nobiliſsimo, à pincerna oblatũ, miſit ad S. Martinum, qui non recuſauit, ſed primus bibit, & poſtea non Imperatori, ſed Presbytero ſuo calicem tradidit; nullum exiſtimans digniorem, qui poſt ſe biberet. Hanc hiſtoriam eludere conatur Iunius partim iocis, partim

calum-

calumniis: Ait enim: *forſan ſitiuiſſe Martinum ex oratione diu habita, eaq; de cauſſa Imperatorem ad eum miſiſſe calicem.* At nihil de ſiti Sulpicius, quem credibile eſt, melius nouiſſe, quo conſilio Imperator ſcyphum S. Martino obtulerit, quàm hunc ex Holandia Caluiniſtam ab æuo S. Martini tam remotum. Nec S. Martinus ſiti periiſſet, licet Imperator ipſe ante Martinum bibiſſet. Ergo quidquid Maximus egit, id argumentum honoris & reuerentiæ erga Epiſcopum & ſacerdotem fuit. *Et quid ſi ruſticè Martinus egiſſe diceretur*, ait Iunius. Et quid ſi Iunius vel cauillatorem, vel calùmniatorem, vel vtrumq; agere diceretur, ſi in eo facto ruſticitatis S. Martinum accuſaret, quod ei omnis antiquitas ſemper laudi dedit? *Nihil horum*, ait Iunius. Bene habet. Abſoluit Caluiniſta S. Martinum à ruſticitatis nota: ſed ita, vt eam transferat in Sulpicium, qui *Martini vrbanitatem neſciuerit, nam vel Ioſephi exemplo Gen. 43. conſtat homines conditione inferiores non ſolere ad principes rem, quam miſerint, remittere, aut eis calicem tradere.* Sed nihil efficis hiſce ſtrophis: nam non quæritur, cur S. Martinus calicem non remiſerit, ſed cur Maximus S. Martino priuſquam ſibi calicē offerri voluerit; Item cur S. Martinus Presbytero ſuo eundem calicem porrexerit, vt ante Imperatorem biberet? Tam hoc, quàm illud; tam ab hoc, quàm ab illo factum dicimus, Sulpicium ſecuti, ob reuerentiam & præeminentiam dignitatis ſacerdotalis: neque vlla atramenti ſui fuſione ſeu ſparſione hæc ſepia hanc veritatis lucem obruet.

CAPVT VIII.

Eccleſiaſticum Regimen non eſſe præcipuè penes Epiſcopos.

IN CA hoc & ſequens caput præcipuè ſe diffundunt Sutliuius & Sibrādus. Nec prorſus muti ſunt Danæus & Iunius. Itaque Sutliuius lib. 1. cap. 5. hanc ponit aſſertionem: *Eccleſiaſtica politia externam formam ad reip. ſtatum Ariſtocraticum proximè accedere; & ei ſimiliorem eſſe, quam regno, aduerſus Bellarminum lib. 1. cap. 8.* Sibrandus verò lib. 1. cap. 2. iſtam. *Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum.* Iſte totum Eccleſiæ regimen facit Ariſtocraticum: Ille proximè ad Ariſtocratiam accedere dictitat, quod miror, cum Sutliuius Anglus Regem ſuum pro ſupremo capite Eccleſiæ Anglicanæ habeat, à quo cæteri omnes Epiſcopi & miniſtri Eccleſiaſtici dependeant, vt vicarij: Et ſub Rege totius Angliæ *Primatem* conſtituat ſuum Pſeudoepiſcopum Cantuarienſem. An in Ariſtocratia vllius *primatus* locum habet? Sed miſſo Primate, de Rege dicamus: An non tale Regimen potius eſt Monarchicum, quàm Ariſtocraticum? An fortè Sutliuius Regi ſuo hunc honorem nuper etiam à Synedrio Londinenſi conceſſum, non cōcedit? Caueat læſæ maieſtatis & perduellionis crimē: Nā hoc tanto ſcelere omnes illos ſeſe obſtringere, qui Regem caput Eccleſiæ Anglicanæ eſſe inficiantur; definiuit non ita pridem ex tripode ſuo Pſeudoſynodus Londinenſis.

Vt autem omnia nugamenta, quæ Caluiniſtæ adducunt, clarius & dilucidius confutari poſſint, videndum eſt ante omnia, ex quibus optimatibus iſti Ariſtocratici Miniſtri ſuam Eccleſiaſticam Ariſtocratiam continnent: neq; enim inter ſe concordant. Nam Puritani, quales Sibrandus, Danæus, Iunius; & multi ex Anglis, Scoti, Belgæ, Germani, Galli, & omnes extra Angliam Caluiniſtæ, Ariſtocratiam iſtam conficiunt ex paſtoribus, *quorum eſt Sacramenta adminiſtrare, & Euangelium annunciare*, & ex doctoribus, *ad quos pertinet ſcripturam tantùm interpretari, vt ſana doctrina inter fideles retineatur*, & ex gubernatoribus, ſeu ſenioribus, *qui vnà cum paſtoribus* (quos interdum etiam *Epiſcopos* nominare audent) *morum cenſuræ præſint*: & *ex Diaconis, quorum alij Eleemoſynas colligunt & diſtribuunt; alij ægrotis & pauperibus adminiſtrant.* Ita Sibrandus cap. 1.

Senioribus ſui tribuunt aliquando nomen Presbyteri; licet hoc honoris & dignationis vocabulo, ſæpius paſtores ſuos afficiant: ſub Paſtoribus comprehendit Sibrandus doctores; & per Doctores illos intelligere videtur, qui in aliqua Academia titulo *Doctoris* publicè & legitimè inſigniti ſunt: tametſi, refragante Beza, in extremo ſuo libro contra Sarauiam, vbi diſertè ſcribit Academias poſſe ſeduliis diſcipulis tribuere *quod merentur pietatis & eruditionis teſtimonium, quod ſit illis apud Eccleſias, quaſi deſignationis cuiuſdam loco. Docendi verò ius & auctoritatem reipſa docendi, ſolam illis Eccleſiam, ordine legitimo, certo loco concedere, ſi verè doctores eſſe & haberi velint.*

Paſtores aiunt omnes diuino iure inter ſe eſſe æquales; neque vllum ſuperiorem altero. Hanc æqualitatem feſtiuè ridet Sarauia Caluiniſta in Apologia libri ſui contra Bezam cap. 3. *Tanta eſt*, inquit Sarauia, *naturæ vis, vt vincat etiam eos, à quibus impugnatur: æqualitatem inter Eccleſiæ paſtores, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, D. Bezæ eſſe oportere, aliique plures cum eo hodie contendunt: & eminentiam auctoritatis Epiſcoporum damnant tyrannidis: cùm ipſi interim æqualitatem, quam profitentur, minimè obſeruēt: nec enim, vt maximè velint, poſſunt. Verum quidem illud eſt*: naturam expellas furcā licet, vſque recurret: *Conſtat enim ipſum D. Bezam collegis ſuis eſſe longè ſuperiorem: & Ioannes Caluinus, dum vixit, plus auctoritatis in ſuos collegas habuit, quàm hodie Angliæ primas in cōepiſcopos exerceat. Nota loquor, vt impudentiùs fuerit negare, quod res ipſa clamat, & ſcripta eorum teſtantur. At, hæc maior auctoritas (inquies) non fuit imperij, ſed meriti. Nihil referre arbitror, quomodo æqualem poteſtatem collegis quis eripiat. In deliberationibus, vbi alicuius nomen, ætas, eruditio, gratia, plus ratione valent, libertas aut nulla, aut certè imminuta intelligitur. Quæ autem vtilia, honeſta, iuſta, & cum ratione conſentanea ſunt,*

veriſi-

veriſimilius eſt, & ſemper fuit, potius à magnis nominib. quàm à vulgaribus proficiſci: & in viro docto, atque in ſene plus creditur ineſſe iudicij, quàm aut in iuuene, aut in viro indocto. Iuuenes plerunque ſunt imperiti rerum; & homines indocti naturâ minus vident, & minus ſciunt: quocirca hominem imperitum, & iuuenem, & indoctum, ſententiæ viri docti, & grauis ſenectutis, & multæ experientiæ, refragari, eiq;, etiam ſi melius ſentiat, ſuum iudicium præferre, temeritas eſt. Quod ſi quid ingenui pudoris in iuuene ſit, quamuis verius, & melius ſentiat, non tamen audebit (quod nec decet) contradicere ſenj: quod tamen ſi fecerit, cum modeſtia, & eo decoro, quod ætatem, & conditionem ſuam decet, non erit tamen pondus ſententiæ tam graue, ſicut ea, quæ à D. Beza proficiſcetur.

Synodi cuiuſdam cùm recitarentur, me præſente, canones, vbi ventum erat ad illum canonem, qui æqualitatem inter verbi Dei miniſtros obſeruandam mandat: & in primis cauendum, ne Verbi Dei miniſter Verbi Dei miniſtro, aut diaconus diacono præcipiat: fratribus, qui ibi aderant, teſtatus ſum, mihi non diſplicere canonem: ſed non prius me probaturum, quàm autores illius in Verbi Dei miniſtrii omnia paria efficerent. Naturæ, rerumque ordinem docere, vt ſaltem ſenes præeant, præſintq; iunioribus; &, vt ipſi iuuenes ſenibus obſequantur, & obtemperent: item, vt doctores præcepta tradant diſcipulis: atqui cõſtat, inter Eccleſiarum paſtores, tantum ætatis eſſe diſcrimen, vt patres & aui iunioribus ſeniores eſſe queant. Item eruditionis, & doctrinæ, qua alij alios ſuperant: vt aliqui magiſtri, & doctores eſſe poſſint aliorum. At illud diſcrimen (inquies) canone illo non tollitur; aperta illa eſſet inſania. Sed age, numnam regiminis ordo minus ab ipſa natura manat, quàm illa ipſa, quæ nunc commemorauí? qui in ſocietate nullus eſt, niſi ſit, qui præcipiat, & qui obtemperet. ſed (inquies) plures imperabunt paucioribus: rectè quidem; niſi hæc, quæ dixi, vim afferrent legi, facerentq;, vt pauciores (vel etiam vnus) reliquos ad ſe traherent. Quãti autem ſit apud Geneuates hodie vnius Bezæ autoritas, & quondam fuerit (illaudatæ) memoriæ Ioannis Caluini, hinc apparet; quod etiam exteri, ab ipſorum pendere voluerint ſententia: vt, quod ipſi probaſſent, reciperent; quod improbaſſent, reiicerent. Quid enim in dubiis rebus à remotiſſimis Europæ partibus Geneuam curritur, mittitur, ſcribitur, vt D. Bezam adſipulatorem habeant ſuæ ſententiæ? inſaniunt profectò, qui hoc faciunt; ſi nulla D. Bezæ eſt præcipua autoritas. Vnde, quæ ſit vnius Bezæ domi ſupra ſuos collegas eminentia, diſci poteſt: & quomodo inter collegas æqualitatem queat obſeruare, iudicent alij. Quod me attinet, ego mallẽ Bezam habere legitimũ Epiſcopum, quàm collegam tyrannum. Nam, quidquid aut in ſe aſſumit ſupra cæteros, aut ei tribuitur plus quàm cæteris, contra æqualitatis legem ſit: & eatenus tyrannis quædam eſt: quæ nulla eſſet, niſi contra legem, quam ſibi conſtituerunt, fieret.

Hæc Caluiniſta Sarauia: & quidem verè: nã verbo Ariſtocratiam, communemque omnium paſtorum æqualitatem ſectarij iactant. Vbi rem propius inſpexeris, vnius impotẽtiſſimum dominatum, hoc eſt, ſæuiſſimam tyrannidem reperies. Nam qui vel ſenio, vel eloquentia, vel eruditione, vel fauore & gratia apud Principes valet, is imperium in alios ſibi arripit. Contrà mutiat, ſi auſit, inferioris ſubſellij & nominis Prædicans vel miniſter. Præmium minimè optabile è veſtigio reportabit. Teſtatum hoc faciunt exempla Lutheri ipſius, & Smidelini, (quorum hic *Papam Germanicum* ſeu *Saxonicum* ſe appellitari haud ægrè ferebat) qui omnia pro imperio agebant, & vel in minimo punctulo ſibi aduerſantes, immaniter perſequebantur.

Apparuit itidem hæc æqualitas manifeſtiſsimè, quando à quinque vel ſex Prædicantibus liber Concordiæ eſt confectus, & omnibus aliis ſymmyſtis, ſynergis, ludimoderatoribus, Aedituis & veſpillonibus violentiſsimè obtruſus: mirabili Ariſtocratiæ tantis laudibus deprædicatæ in Oligarchiam transformationes; ſi tamen ex ſenis illis patribus *patratis* & *atratis*, Concordiæ Architectis quini non vnius, hoc eſt, Smidelini mancipia erant: à cuius, velut Monarchæ, vultu & nutu obſequentiſsimè pendebant.

Nec conſentiunt inter ſe Caluiniſtæ de Diaconis & ſenioribus, Nam Geneuæ & alibi temporario officio, & ſummùm, annuo, funguntur. Et Diaconis quidem præter curam pauperum & colligendæ ſtipis, nihil relinquitur: niſi diſtributio calicis cum Geneuenſes cœnant; quã miſeram Geneuenſium Diaconorum conditionẽ miſerabiliter deplorat Sarauia in libro de miniſtris Eccleſiaſticis, & in defenſione huius libri contra Bezam. Inter cætera ſic lamentatur:

Deploranda quidem res eſt diaconatus Chriſtiani ſubuerſio: ſed, quid eius profanatio? quando ad collectionem, & diſtributionem elemoſynarum annuam traducitur. Perſonatos diaconos prorſus reiicio; ſed annuos diaconos, vbi poſſunt haberi perpetui, non probo: &, cùm olim tres partes fuerint diaconiæ, ad vnam, quæ pauperum curam habet, eſſe redactam, &c. Quis Apoſtolus, quis ex Patribus, noſtros aut presbyteros, aut diaconos annuos agnoſceret veros eſſe, & legitimos? Veritas, & integritas rerum ſemper retinenda eſt, etiam ſi eas propter temporum iniquitatem non habeamus. Non eſt ſperanda diaconatus reſtitutio, ſicut nec presbyterorum reformatio, apud eos, qui neſciunt, nec ſcire volunt, quis ſit, & quis fuerit olim diaconatus Chriſtianus: & quod ſit, & fuerit olim verũ preſbyterium: & qui in hac re plus vnius, aut duorum ſcriptorum tribuunt opinioni, quàm toti, ſibique conſentienti antiquitati; non rectè iudicant, &c.

Quid cauſſæ ſit, cur calicis adminiſtrationem excipiat D. Beza, niſi quia Geneuæ ſit, & D. Caluino, initio ita placuit, non video: ſed doleo voluntatem plus quàm veritatẽ valere; & plus diacono, ſi modò diaconus, quàm preſbytero, ſi modò presbyter, in ſacramentorum adminiſtratione tribui, &c. Si D. Bezæ reddenda eſſet ratio, cur calicis adminiſtratio conceſſa ſit diacono potius, quàm paniis, & num non æquè panem Domini adminiſtrare poſſit, ſicut calicẽ; quid plus minuſve ſit in hoc, quàm in illo: & cur eam prouinciam credant diacono, & non presbytero; quid diceret, ego libenter audirem. Nihil temerè feciſſe Patres in hac re iudico: ſed illorum diaconi, erant veri diaconi; &

ad illud miniſterium ordinati; nō, in annuum, ſed quamdiu dignè ſua vocatione viuerent: quod de Geneuenſibus diaconis dici non poteſt. Imitatione quidpiam facere, vbi non eſt eadem ratio, κακοζηλία eſt. ſed hoc abſurdum eſt, diaconos presbyterū ſacra myſteria porrigere, &c.

Videtur huic Caluiniſtæ abſurdum, Diaconis in ſynagoga Geneuenſi fieri poteſtatem diſtribuendi calicis tam laicis, quàm ſenioribus, hoc eſt, laruatis presbyteris, eandemque poteſtatem non fieri ipſis ſenioribus ſeu Presbyteris. Nimirum omnia naturæ præpoſtera legibus ire debent apud iſtos, quorum profeſsio planè eſt præpoſtera.

Vt Diaconos, ſic & presbyteros ſeu ſeniores annuos Geneuenſes acerrimè inſectatur idem Sarauia; & contra eorundem propugnatorem Bezam, tōtis caſtris dimicat. *Ex malè intellecto loco Pauli in quinto capite prioris ad Timotheum*, inquit Caluiniſta; *multi*, (hoc eſt, omnes Geneuenſes, & Geneuenſium aſſeclæ) *hodie inter presbyteros nouam differentiam collegerunt, alienam prorſus à mente Apoſtoli, qui nihil minus cogitauit, quàm tēporarios presbyteros, qui vnum atque alterum annum regerent Eccleſiam, diſcernere à perpetuis paſtoribus, qui verbo Dei gregem paſcunt. Nam apoſtolicæ literæ nullum presbyterum in Eccleſia Chriſti agnoſcunt, cui ſuperius poſitæ deſcriptiones non conueniunt*, &c. Et tamen Geneuenſes hos ſuos commentitios & ſtramentitios Presbyteros & ſeniores toti mundo inuito, obtrudere ſtudent.

Sed ferendum non eſt, inquit Sarauia, *vt orbi vniuerſo mos vnius vrbis, & paucorum quorundam, qui laboribus ſuis auctoritatem, & nomen aliquod in Eccleſia obtinuerunt, error legem præſcribat; vt eum ſcripturæ ſenſum recipiamus, quem ipſi maximè probant: & ea ſit ſola verè gubernandæ Eccleſiæ vera ratio, quam recepit Geneua. Plerique, qui eam ſecuti ſunt, imitatione id fecerunt magis, quàm iudicio,* &c. *Quid cauſſæ eſt, cur ex vna Geneuenſi vrbe, & populo, iudicium fecerint primi horum ſeniorum inuentores, de ceterū omnibus nationibus? Quod Geneuæ perpetui ſeniores haberi non potuerunt, idcirco nullibi? Aequum ne fuit ex ſtatu vnius paruæ Reipublicæ, & populi vnius ingenio vniuerſum populum Chriſtianum æſtimari? Adeóne vbique terrarum felices in hac re quondam fuēre omnes Eccleſiæ, & earum felicia tempora, vt ſeniores perpetuos habere potuerint, hodie nuſquam habere poſſint?*

Ita Sarauia de Geneuenſium: hoc eſt, Puritanorum Ariſtocratico Senatu: qui tamen, ſi conſtare ſibi velint, laicum Magiſtratum & principes politicos, qui alioqui nec Paſtorum, nec Doctorum, nec Diaconorum, nec Seniorum officio in Eccleſia funguntur, excludere non poterunt, quandoquidem & ipſi ſunt diuinarum legum interpretes, & religionis arbitri vel iudices.

Sarauia cum Anglis, quos *Caluinopapiſtas* indigitant, iure diuino Epiſcopos ſupra Presbyteros collocāt: & Presbyteros Diaconoſq; fingūt, non quales Geneuenſes fabricarunt, ſed quales, vt aiunt, *vetus habuit Eccleſia*: Imò & Archiepiſcopos, Primates & Patriarchas agnoſcunt; & aduerſus Bezam tuentur, vt & eorum dignitatem, ſplendorem, magnificentiam, diuitiarumque affluentiam, eoſque & appellationibus, comitatu, famulitio, ornatu, & amictu vix à Catholicis diſcriminant: ridentq; Geneuenſem illam Paſtorum, Diaconorum, & Seniorum deformē formam. Iſti tamen Angli, cum de Ariſtocratico ſuo ſenatu agunt, vix diſertè explicant, quos in illum ſenatum recipiant. Nam Regem excludere, nefarium fuerit, cum ſit caput. Et tamen Sutliuius Anglus in tota ſua verboſiſsima de Ariſtocratico Eccleſiæ Regimine diſputatione, Regis ſui nūquam meminit. Quē pudere debebat, ſi de Ariſtocratico Eccleſiæ Imperio vel paululū mutiret; cum Angli in fidei Quæſtionibus Regē pro capite agnoſcant, idq; toties repetitis ſynodorum decretis ſanxerint; nec alios ab hoc ſuo Ariſtocratico (verius Caciſtocratico) ſenatu excluſos velint. Nam audi rem prorſus admirādā & omnibus ſeculis ante inauditam, à Sarauia nobis denarratam. *In celebrata ſynodo anno Domini M. D. L X X X V I I I. inuentus eſt numerus concionatorum, & catechiſtarum in hoc Angliæ regno ſepties mille quadringenti ſexaginta tres: inter quos numerabantur Doctores Theologiæ, titulo ab Academiis honorati, centum quadraginta quinque; & vtriuſque iuris triginta vnus. Baccalaurij Theologiæ, trecenti quadraginta octo; artium Magiſtri mille octingenti, viginti: iuris Baccalaurij viginti & vnus; & liberalium diſciplinarum nongenti quadraginta ſex; catechiſtæ bis mille ſeptingenti quadraginta ſex.* Quis tā Papiſticus ſit, qui hunc tantū confeſſum non admiretur & ſuſpiciat, præſertim cum in illo etiam *Baccalaurij* compareant? Quis non amplectatur hanc Ariſtocratiam, abiecto è veſtigio omni Monarchico Imperio? Sed cur Sarauia Regis, hoc eſt, Monarchæ, & omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Presbyterorū, Diaconorum capitis in Regno Anglicano nullam penitus mentionem fecit? Cur non ſaltem eius, vel eorum, qui Capitis vicem geſſerunt?

Cum inſuper Sarauia, magnus Sutliuij contra Bezam encomiaſtes, ideo in Geneuenſi Eccleſia concordiam conſeruatam dicat, quòd cæteri omnes ab vno, ſi non nomine, at certè re & auctoritate, ſupremo dependerent; eoque ipſo ſignificet, Monarchicum præcipuè imperiū, ad vnitatem & mutuam conſenſionem eſſe aptiſſimum; & propterea Epiſcopos Presbyteris; & Epiſcopis Archiepiſcopos, & his Primates anteponat; cur Decanus iſte Regni, in quo degit, & conditionis ſuæ adeo obliuioſus eſt, vt Ariſtocratiæ, hoc eſt, dominatui plurium inter ſe æqualium omnia largiatur? Audi, obſecro, Sutliui, quid præco tuus de Monarchico imperio, etiam illo, quod nomine quidem tali caret, re autem ipſa eiuſmodi eſt ſentiat. *Scire vultis, quid concordiam Geneuæ hactenus tantam inter paſtores*

aluerit,

aluerit, & alatſ Habent, quem negant, & quem nolunt, vnum tantum Epiſcopum. Nam quidquid ſcribat dominus Beza, aut ſentiat, nunquam mundo perſuadebit, eum in collegio, & deliberationibus, & in tota Eccleſiæ gubernatione, autoritati, & ponderi ſententiæ ſuæ aliis collegis ſuis cedere, ſicuti loco præſidentiæ. Eadem habetur de Ioanne Caluino opinio. Quod nec Zanchius diſſimulauit, quando ſuam ſententiam de Epiſcopis, & Archiepiſcopis expoſuit: Sed vbi etiam, (inquit,) neque vetera illa bona Græca, neque hæc noua malè Latina verba obtinent, ibi tamen ſolent eſſe aliquot primarij, penes quos ferè tota eſt autoritas, &c. *Videtis quomodo caeci nos naturæ vis reducit, vnde fugimus?*

His præmiſsis accedamus ad Sutliuij & Sibrandi rationes, quibus aſſertiones ſuas de Ariſtocratico Eccleſiæ regimine ſtabilire volunt. Sibrandus, ita *ſyllogizat*, acutiſsimè nimirum, vt iam in primo Tomo millies vidimus. *Quemadmodum Apoſtoli gubernarunt Eccleſiam, ita etiam nunc adminiſtrari debet. Sed Apoſtoli gubernarunt eam Ariſtocraticè. Ergò & nunc Ariſtocraticè adminiſtrari debet. Maior eſt certa*, inquit Caluiniſta. *Minor probatur Act. 15. conuenerunt igitur* Apoſtoli & presbyteri, vt de hoc *negotio diſſicerent.*

Reſpondeo, negando minorem. Ad probationem Reſpondeo, conueniſſe Apoſtolos & Presbyteros, ſed dependenter à Petro, tanquam à ſupremo capite, ſicut & in Concilio Tridentino conuenerunt Epiſcopi & Ordinum Religioſorum Generales; ſed dependenter à ſummo Pontifice. Nonne in ipſa Anglia coëunt in ſynodum Archiepiſcopi; Epiſcopi, alij, non abſolutè; ſed dependenter à ſuo capite, quod aiunt eſſe Regem?

Secundus Sibrandi Syllogiſmus. *Quod à paucis, iiſq; præcipuis pari iure adminiſtratur, id regitur Ariſtocraticè. Sed Eccleſia, à paucis, iiſq; præcipuis pari iure adminiſtratur: Ergò Eccleſia regitur Ariſtocraticè.* Reſpondeo, Maiorem eſſe veram de paucis, qui pari iure Rempublicam adminiſtrant independenter ab vno, & ſummo capite: non autem de illis paucis, qui omnia faciunt cum habitudine & relatione ad vnum & ſummum caput, vt fit in Eccleſia. *At Epiſcopi & Presbyteri paſcunt etiam.* Non nego; ſed ſub vno generali paſtore, cui omnes ſubduntur, & ſub cuius cura ipſi quoque, vt oues Chriſti, paſcuntur.

Tertius Syllogiſmus. *Qui abſque presbyterorum conſilio nihil facere audet, ille non monarchicõs, ſed ariſtocraticõs gubernat. ſed Epiſcopus in primitiua Eccleſia abſque presbyterorum conſenſu nihil facere audebat. Ergò Epiſcopus in primitiua Eccleſia non monarchicõs, ſed ariſtocraticõs gubernabat.* Reſpondeo, quidquid ſit de maiore, aut accipitur minor vniuerſaliter, aut particulariter. Si vniuerſaliter; ita vt ſenſus ſit; *nullus Epiſcopus aliquid facere audebat ſine presbyterorũ conſenſu.* negatur Minor. Si autem Minor ſumatur particulariter: hoc ſenſu; Quidam Epiſcopus in primitiua Eccleſia abſq; presbyterorum cõſenſu nihil facere audebat; tum nihil eſt ad rem, (tametſi falſa ſit, quia nullus vnquam Epiſcopus ita ligatus fuit, vt ei nihil, niſi cum Presbyterorum ſuorum conſenſu facere liceret,) quia non quærimus hîc vtrum regimen Catholicæ Eccleſiæ ſit Monarchicum reſpectu cuiuslibet Epiſcopi: ſed num reſpectu vnius; nempe eius, qui eſt ſucceſſor Petri, & Chriſti vicarius: & hunc nihil vel fuiſſe vel facere auſum abſq; conſenſu presbyterorum ſuorum, Sibrandus nunquam oſtẽdet. Ex quo apparet concluſionem quoque nullius pretij eſſe. Nam ſi ſit vniuerſalis; *ergo nullus Epiſcopus in primitiua Eccleſia monarchicè gubernabat*; ſtatim negabitur; quia falſa eſt de illo Epiſcopo: cui dictum; *Paſce oues meas.* Si autem ſit particularis; *ergo quidam Epiſcopus*, &c. nihil efficiet; quia nõ eſt bona conſequentia; *Quidam Epiſcopus non gubernat monarchicè, ergo nullus. Quidam homo non eſt albus, ergo nullus.* Quanquam imperium, particularis etiam Epiſcopi, reſpectu presbyterorum ſuorum non eſt Ariſtocraticum; ſed potius Monarchicum, cum illis iura det, non vt par paribus, nec vt ſuppar, ſed vt ſuperior inferioribus; & paſtor, ouibus.

Ad exemplum S. Cypriani omnia ferè negotia Maiora coram Clero & populo tractare conſueto, iam cap. 6. reſpondit Bellarminus, eũ nulla lege coactum, ſed ſponte ſua hoc feciſſe. Ad dictum S. Hieronymi reſpondit iam Bellarminus cap. 8. cur Sibrandus reſponſum hoc ne attingere quidem voluit?

Quartus Syllogiſmus: *Vbi abſq; ſeniorum conſenſu nihil agitur, ibi omnia gubernantur ariſtocraticõs. ſed, in Eccleſia primitiua abſq; ſeniorum cõſenſu nihil agebatur. Ergò in Eccleſia primitiua omnia gubernabantur ariſtocraticõs.* Nego maiorem. Nam & Reges politici, quos conſtat verè eſſe Monarchas, abſque conſiliariorum ſuorum conſilio rarò aliquid faciunt; & tamen non ideo non ſunt Monarchæ: aliud enim eſt, nihil facere ſine ſeniorum, tanquam ſibi ſubiectorum, conſilio; aliud nil facere ſine ſeniorum conſilio, tanquam ſibi parium. Hoc Monarchiam euerteret: illud nequaquam: quia Monarchiæ non repugnat habere & audire conſiliarios & eorum conſilia ſequi.

Profert Sibrandus dictum illud Ambroſij in cap. 3. Epiſt. 1. ad Tim. *Et ſynagoga; & poſtea Eccleſia habuit ſeniores, ſine quorum conſilio nihil agebatur.* Ex quo etiam Beza & aſſeclæ, ſuos ſeniores temporarios & annuos extundere tentant: acriter obnitente Caluiniano Sarauia lib. de Grad. Miniſtrorum, cap. 12. & in eius Apologia contra Bezam. Ipſe vult, Ambroſium loqui de presbyteris, hoc eſt, ſenioribus, *ætate & annis*, non de Presbyteris *ordinatione & officio*, ſed ſiue de illis, ſiue de his, ſiue de vtriſque loquatur Ambroſius; nihil pro Ariſtocratia inde extunditur; quia multa ab Epiſcopis olim ad ſeniores referebantur, non neceſsitate: ſed quia Epiſcopis vtile ac ſalutare tum videbatur, conſilium ſeniorum in gerẽdis negotiis diligenter exquirere. Poſtea

mos iſte deſiit, auctâ Eccleſiâ; & delierat iam tẽpore ipſius Ambroſij. Multa hic nugatur Sibrãdus, vt. *Epiſcopum & presbyterum idem habere officium. Nil differre Epiſcopum à Presbytero, & vice verſa*: quæ nugamenta refellit Bellarminus in libro de Clericis.

Quintus Syllogiſmus: *Quidquid communi presbyterorum conſilio gubernatur, hoc gubernatur ariſtocraticè. Sed Eccleſiæ gubernabantur olim communi presbyterorum conſilio: Ergò Eccleſiæ gubernabantur olim Ariſtocraticè.* Reſpõdeo. Maiorem eſſe veram de eo imperio, quod adminiſtratur communi presbyterorum conſilio independenter ab alio, tanquam à ſuperiore; falſum autem de illo imperio, quod adminiſtratur à presbyteris; dependenter ab vno, tanquam à ſuperiore. Priore ſenſu falſa eſt Minor; nunquam enim Eccleſia ab vllis Preſbyteris gubernata eſt independenter ab Epiſcopo proximo & immediato; quem *Ordinarium loci* nuncupamus; vel à ſupremo Paſtore, Petri ſucceſſore, Chriſtique Vicario.

Obiicit Sibrandus dictum illud Hieronymi in cap. 1. ad Tit. *Antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, &c. Communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur*: Ex quo colligi videtur, Eccleſiam ſub prima ſua incunabula Ariſtocraticè gubernatam fuiſſe. Varia adferuntur reſponſa ad hoc D. Hieronymi dictum, vt patet apud Bellarminum hic, cap. 8. & in lib. de Clericis cap. 15. Mihi, vt paucis me hinc expediam, videtur dicendum; S. Hieronymum ſenſiſſe, initiò, cum Eccleſiæ particulares anguſtis adhuc terminis circumſcriberentur, nec eſſet copia hominum idoneorum, qui Epiſcoporum titulo, Eccleſiis ab Apoſtolis præficerentur, presbyterorũ communi conſilio Eccleſiarum ſingularum gubernationem fuiſſe commendatam: ſic tamen vt eas dependenter gubernarent ab Apoſtolis: ex quo fit vt regimen illud non fuerit Ariſtocraticum, quia hoc eſt abſolutum, & à nullo ſuperiore dependens. An non iam quoq; fieri poteſt, vt Eccleſiæ vel inter Ethnicos vel inter Hæreticos, vbi nulli penit' ſunt Epiſcopi, adminiſtrẽtur communi Presbyterorum conſilio? Num ideo hoc regimen erit Ariſtocraticum? Minimè verò, quia vbicunque Catholici ſacerdotes & Eccleſiaſtæ aliquam Eccleſiam vel ex Ethnicis, vel ex Hæreticis, vel Schiſmaticis colligunt, collectãque gubernant, eam non aliter, niſi ex nutu & arbitrio expreſſo vel tacito ſummi Pontificis, tanquã ſummi Paſtoris, gubernant. Idem initiò factum, quãdo presbyteri Eccleſias particulares gubernabant: paulò pòſt, magno incremẽto adauctis Eccleſiis, oriri cœperũt diſsidia; quibus vt mederentur Apoſtoli, ſingulis Eccleſiis proprios dederũt Epiſcopos, ſupra presbyteros, qui ius tã Eccleſiis, quàm ipſis presbyteris dicerent: delato imperio ad vnum, quod antea penes plures erat, quanquam Ariſtocraticum propriè non erat; quia nõ erat independens; quemadmodum

A neque Epiſcoporum in ſua Diœceſi gubernatio proprie & abſolutè Monarchica eſt; quia pendet à ſuperiore, nimirum à ſummo Pontifice.

Ait Bellarminus: hanc D. Hieronymi ſententiam nihil Caluinianã Ariſtocratiam iuuare; ſed contrà maximè lædere: quia Hieronymus non dicit, in prima Eccleſia viguiſſe Ariſtocratiam presbyterorum, & fuiſſe illud bonum regimen, & paulatim poſtea per abuſionem aliquam, introductam eſſe à malis hominibus Monarchiã: ſed è contrario affirmat, Ariſtocratiam, quæ initio erat, quia non benè ſuccedebat, & plurimæ inde oriebantur ſeditiones, & ſchiſmata, communi orbis terræ conſilio in Monarchiam eſſe mutatam. Ad quæ Sibrandus: *Tot fermè committit* B *Bellarminus mendacia, quot verba proloquitur. Ac primùm, quod dicit, ſchiſmata, & ſeditiones ex Ariſtocratia orta eſſe, verum non eſt. Illa enim non ex Ariſtocratia ſed ex ſuperbia eorum, qui Ariſtocratico regimine abutebantur, orta ſunt.* Vt per ſe ſchiſmata & diſsidia iſta non ſint nata ex Ariſtocratia, ſeu plurium Optimatum imperio; at per accidens inde exſtiterunt; dum ex communi illo presbyterorum cœtu vnus hunc, alius alium cæteris anteponit. An non ipſemet S. Hieronymus plurium Regimen in vnius humeros translatum ſcribit, *vt ſchiſmatis ſemina tollerentur.* Quod quid aliud eſt, quàm abolitâ illâ Ariſtocratiæ impropriæ formâ; prius regimen in Monarchiam commutatum eſſe? Aptius ergo vnius Epiſcopi imperium ad pacẽ & concordiam conſeruandam viſum eſt, quàm plurium presbyterorum. C

Æquè falſum eſt, inquit Sibrandus, *quod dicit Bellarminus, Ariſtocratiam communi orbis terræ conſilio in Monarchiam mutatam eſſe.* Si tibi hoc diſplicet, cũ S. Hieronymo litiges licet: nam ipſe expreſsè affirmat; poſtea, ſchiſmatibus tollendis, *in toto orbe decretum eſſe, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris. Nec verum eſt*, ait Sibrandus, *Hieronymum hoc dicere; Monarchiæ enim nulla mentio apud Hieronymum.* Vt vocabulum Monarchiæ apud Hieronymum non exſtet; at exſtat res ipſa. An non nominat *vnum de Presbyteris electum, cæteriſque ſuperpoſitum, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineat*? Quid D hoc aliud eſt, quàm eſſe Monarcham, ſeu Monarchico imperio pollere? Nec Ariſtocratiæ vocabulum vſurpat hoc loco S. Hieronymus, & tamen Sibrandus, & alij nonnulli ex purioribus Caluiniſtis, hinc ſuam Ariſtocratiam extundere moliuntur.

Subiungit Sibrandus. *Hanc mutationem dicit Bellarminus tempore Apoſtolorum factam eſſe. Sed & hoc falſum eſt: tempore enim Apoſtolorum nulla Monarchia fuit in Eccleſia* (Tu quidem dicis, ſed nil probas) *Apoſtoli quidem conſtituerunt Epiſcopos,* (ergo & aliquatenus Monarchas in ſua quemque diœceſi quamuis dependentes ab vno ſupremo, cui dictum fuerat: *Paſce oues meas.*) *Sed illi communiter vocabantur presbyteri* (de nomine non contendo) *& inter ſe æquales erant.* Hoc nullus Catholicus

docuit,

docuit, sed Hæreticus Aërius cum suis Aërianis, vt in libro de Clericis demonstrat Bellarminus: quem quod Sarauia lib. de gradibus Ministrorum cap. 23. & in Apologia huius libri in castris Aërianis collocat, luculentam iniuriam viro optimo & doctissimo irrogat.

Obiiciunt: *hanc mutationem factam esse tempore Apostolorum, aperte scribit S. Hieronymus. Nam tunc facta est; quando dicebatur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ: At ista iactabantur tempore Apostolorum. vt notum est ex S. Paulo: ergo & translatio illa Regiminis à pluribus Presbyteris in Episcopum, facta est tempore Apostolorum.* Inter cæteras solutiones, quas Bellarminus adfert, hæc postremum locum obtinet: non loqui Hieronymum de regimine vniuersalis Ecclesiæ, sed solum particularium; nam Hieronymum disertis verbis docere lib. 1. contra Iouinianum Petrum fuisse caput totius Ecclesiæ à Christo constitutum.

Ad quæ Sibrandus. *Aut enim non loquitur Hieronymus hoc loco de vniuersali per totam Ecclesiam Monarchia, aut non agit de particularium Ecclesiarum regimine tantum.* Ambigo, num Sibrandus hæc verba sobrius effuderit. Certè sobrium animum non olent. An non expressè dicit hæc postrema solutio, S. Hieronymum loco supradicto non nisi de particularium Ecclesiarum regimine agere?

Pupugit Caluinistam, quòd S. Hieronymus dicit; Petrum à Christo constitutum caput, vt schismatis tolleretur occasio. Obiicit; *Hieronymũ non dicere, Petrum totius Ecclesiæ caput constitutum esse: fuisse enim caput vnius Collegij, nimirum Apostolici.* Respondeo, si Petrus caput, hoc est, Princeps Apostolorum fuit, ergo multò magis reliquorũ inferioris sortis & conditionis ad Ecclesiã pertinentium. Nam qui est Princeps Principum, & caput capitum, is procul dubio etiam est Princeps & caput inferiorum. Nec S. Hieronymus limitat illam capitis præeminentiam in Petro ad collegium Apostolicum; sed indefinitè dicit, vnum, nempe Petrum, constitutum esse caput, vt schismatis tolleretur occasio. Quò significat, eum vniuersale caput respectu omnium fuisse constitutum; quia vbiq; & inter omnes tollenda fuit occasio schismatis.

Obiicit Sibrandus: *Petrum esse caput, & Petrum esse Monarcham, non esse vnum & idem: posse enim aliquem vel auctoritate, vel ordine, vel eruditione caput dici, nec tamen ideo Monarcham esse.* Respondeo, etiamsi absolutè loquendo hæc duo non reciprocentur; si quis tamen sit caput vniuersale, eundem etiã iure optimo Monarcham esse, cum indepẽdentis potestatis plenitudinem possideat. At Petrus fuit caput vniuersale: nam generatim & indefinitè illi dictũ est: *Pasce oues meas*; ergo & Monarcha. Quanquam nil vetat, etiam quemlibet Episcopum in sua diœcesi vt caput, sic & Monarchã vocari, cum eius potestas à nullo in ea Diœcesi, sed à solo vniuersali pastore dependeat.

Obstrepit Sibrandus: *Cyrillum in synodo Ephesina vocari Episcoporum congregatorum caput; neque tamen Cyrillum fuisse Monarcham per vniuersam Ecclesiã.* Respondeo, ex subiecta materia & circumstantiis considerandum esse, num capitis nomen vniuersim, an verò particulatim accipi debeat. Hac consideratione adhibita, quis non videt, S. Cyrillum tantũmodo respectu cœtus illius, qui Ephesi collectus fuerat, vocatum esse caput: quia enim vices Pontificis Romani gerebat, primas in synodo illa partes tenebat; & per consequens, synodi caput erat; Ex quo nemo cum ratione concludet, eum fuisse caput vniuersale per totã Ecclesiam. At de Petro, cum caput appellatur, diuersa ratio est, quia absolutè caput dicitur, non determinatè respectu huius vel illius cœtus. *Caput nationum* vocatur S. Paulus à D. Gregorio, quia doctor omnium nationum fuit: vel quia diuinitus, vt alij Apostoli; potestatem & iurisdictionem in omnes omnium nationum Ecclesias accepit; quamuis dependentem ab vno summo pastore Petro.

Occinit Sibrandus. *Prudentius vocat Bethlehem caput orbis: neque tamen Prælatus Bethlehemiticus est per totum orbem Monarcha: Chrysostomus vocat Antiochiam caput orbis: neq; tamen Episcopus Antiochenus est Monarcha per vniuersum orbem.* Respondeo, eam ob causam hoc non sequi; quòd nec Prudentius Bethlehemo, nec Chrysostomus Antiochiæ capitis nomen tribuerit, ob regimen & gubernationẽ Ecclesiasticam; sed ille quidem ideo, quòd Christus in ea vrbe natus fuisset; hic autem, quòd inter orientales vrbes Antiochia, amplitudine & magnificentia facilè primas teneret. At si dixissent; ille Bethlehemum; hic Antiochiam esse caput orbis in gubernatione, seu in regimine Ecclesiastico; rectè colligeremus inde, penes huius vel illius ciuitatis Episcopum residere Ecclesiasticæ potestatis Monarchiam.

Sutliuius lib. 1. cap. 5. suam Aristocratiam pluribus quidem, sed planè ficulnis argumentis stabilire conatur, quæ breuiter percurremus & refellemus: nam pleraque alibi in hac de Pontifice controuersia discutiuntur. I. *Christus dedit omnibus Apostolis vnam & eandem ex æquo potestatem, ergo nullus erat inter illos Monarcha.* Probatur. Quia scriptum est Lucæ 6. *Vocauit discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Respõdeo breuiter, omissis illis, quæ alibi dicenda erunt, antecedens esse falsum: Maiorem enim dedit illi, cui dixit; *Pasce oues meas.* Ad illud Lucæ 6. respondeo, eo tempore fuisse pares, quia reipsa Christus nullũ designauerat caput, designaturus post resurrectionem suam verbis illis: *Pasce oues meas.*

II. Apostoli *pariter missi sunt ad prædicandum & Apostolatus munus peragendum. Matth 28 Euntes docete omnes gentes, &c. ergo pari potestate omnes.* Respõdeo, consequentiã esse stramineã. Illud Lucæ 9. *Conuocatis duodecim Apostolis dedit illis potestatem super omnia dæmonia, &c.* antè contigit, quàm Christus

ex duodenario Apostolorum numero vnum reliquis omnibus præficeret. Quanquam neq; ex hoc loco paritatem, quoad iurisdictionem, etiam ante designationem Petri ad Monarchiam Ecclesiasticam, rectè exsculpes. *At Apostoli acceperunt eadem mandata: ergo eandem potestatem*: Eadem non quoad omnia; sed quoad quædam; nam solus Petrus accepit illud mandatum: *Pasce oues meas*; omnes, nulla excepta; ipsos etiam Apostolos; (nam & hi sine dubio erant inter oues Christi) independéter, indefinitè; non ad vllum locũ vel gregem limitatè, cum priuilegio transmittendi hanc potestatis plenitudinem ad posteros, serie perenni, absque vllo defectus periculo.

III. *Omnes Apostoli acceperunt claues* Matth. 18 *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis*, &c. Respondeo, omnes accepisse claues, sed non plenitudinem clauium, hoc est, non independentem potestatem à Petro; nec cum priuilegio illam trãsmittendi ad successores.

IV. Patres, vt Cyprianus, Ambrosius; dicũt, *Apostolis parẽ potestatẽ datam*. Respondeo, hoc intelligendum de paritate seu æqualitate potestatis prædicandi & docendi vbique terrarum, absque vlla certa locorum præfinitione & præscriptione; non autem de paritate independentiæ & obiectorum huius potestatis; nam potestas Apostolorum à Petro dependebat; & ipsi quoque, vt oues de grege Christi, eidem subiiciebantur. Fuit insuper aliorum Apostolorum potestas inæqualis potestati Petri ratione successionis; vt iã antea dictum.

V. *Apostoli quoad vixerunt pari potestate Ecclesiam administrarunt*. Hoc probatione eget. Ait, *liquere ex cap. 2. Ad Galat.* vbi nihil inuenio de hac Aristocratica æqualitate. Nam quod Petrus, Ioãnes, Iacobus, dederunt Paulo & Barnabæ dextras societatis, non euincit omnimodam æqualitatem; nam & hoc etiam tempore Pontifex Romanus dat dexteram societatis Episcopis à se confirmatis, nec propterea illos sibi adæquat.

VI. Apostoli pariter designarunt Episcopos, & eos, qui sibi successuri essent; ergo omnes fuerunt pares. Respondeo, etiam hodie à Capitulis Clericorum designari Episcopos; & ab Episcopis iam consecratis cõsecrari electos Episcopos; nec tamen ideo sequi; omnes Episcopos eandem cũ Romano Pontifice potestatẽ habere.

VII. Act. 6. *eliguntur Diaconi communi consilio*. At ductu Petri; & dependenter à Petro; volente & consentiente Petro. Etiam hac ætate communi Ecclesiæ consilio, damnatæ sunt Lutheranorum & Caluinianorum hæreses. Num ideo non est vnus in Ecclesia Princeps & Monarcha?

VIII. *Leges de sanguine, suffocato & idolothytis latæ sunt Act. 15. communi consensu*. At præsidente Petro. Etiam leges in Concilio Tridentino factæ sunt communibus suffragiis: sed adstipulante, confirmante, & præsidente Pontifice.

IX. *Petrus noluit solus controuersiam illam de legalibus definire: ergo non fuit reliquorum Princeps*. Acutè. *Noluit, ergo non potuit*. Quæ consequentia? Etiã Pontifex Romanus noluit excitatas à Luthero & Caluino controuersias solus, absq; Tridentino Concilio, definire; Num propterea negauit se esse Ecclesiasticæ Hierarchiæ Principem?

X. *Christus, non eos, qui Petrum, sed eos, qui Ecclesiam audire detrectarent, habendos, tanquam Ethnicos & publicanos decernit; ergo penes Petrum non fuit Monarchia Ecclesiastica*. Respondeo ad Antecedẽs, Christum nomine *Ecclesiæ* intelligere Prælatos Ecclesiæ; & in his quoque summum, qui est Petrus & successor eius: Item Ecclesiam, at non acephalam, & capite truncatam; sed cum Prælatis, in quorum numero præcipuus est Petrus, & is, qui Petro succedit.

Ait Sutliuius, *fieri non posse, vt nomine Ecclesiæ designetur Ecclesiæ Monarcha: nam Ecclesiam esse congregationem ex pluribus, & in vno consistere, si propriè loquamur, non posse*. Quanta vanitas. Quasi verò, vt nomen partis pro nomine totius; sic & nomen totius pro nomine partis, præsertim præcipuæ, accipi nequeat, aut non soleat. Si Rege aliquid decernente, dicam; *hoc in regno decretum esse*; an quid contra ordinariam loquendi consuetudinem committo? An non & *regnum* plurium congregationem & cœtum denotat? Omnino, si absque tropo vsurpetur. At si tropus interueniat, nihil vetat, quo minus nomen hoc ad vnum restringatur.

Patres Matth. 18. nomine *Ecclesiæ* solam fidelium multitudinẽ vel Aristocratiam illam pluriũ optimatũ inter se parium intelligere, figmẽtum Sutliuianum est; nam eo nomine vel Ecclesiam cũ Prælatis, atq; adeo cum suo summo Prælato; vel Prælatos, & in his etiam summum, intelligunt.

Obiicit Sutliuius; non esse æquum, *vt ab vniuersali Ecclesia eiiciatur, nisi is, qui vniuersalis Ecclesiæ decretis repugnet*. Sit ita; (non enim disquiram, nũ hoc sit verum: quandoquidem ab Ecclesia meritissimò etiam eiicitur, qui decreto particularis Ecclesiæ contumaciter & prẽfractè sese opponit) sed num decreto vniuersalis Ecclesiæ non repugnat; qui repugnat decreto vniuersalis & summi in Ecclesia capitis? Ait: ex sacris litteris constare, multos esse constitutos Ecclesiæ præpositos. At non *Aristocraticos*, vt Caluiniani somniãt; sed cùm inter se dispares; tum vni summo subiectos, & à nutu illius dependentes. Num in Puritanũ transformatus es, ô Sutliui? si omnes sunt pares: quorsum tuus Cantuarienſis primas in Anglia? Quorsum Eboracensis Primas? Quorsũ Archiepiscopi supra Episcopos? Episcopi supra presbyteros, presbyteri supra Diaconos?

XI. *Prima Christi Ecclesia ab ipsis Apostolis fundata, non habuit alios summos Rectores & iudices, quàm Episcopos & Ecclesiæ præsidentes in synodo legitima congregatos*: Summi isti fuerũt: at respectu inferiorũ: Non summi, respectu eius, cui dictum est: *Pasce*

oues:

oues meæ, à quo in actionibus suis, vt hodie, sic & olim dependebant.

XII. Argumentum consuit Sutliuius ex variis Conciliorum historiis, quasi quidquid vnquam in synodis gestum est, id Aristocraticè, hoc est, per pares optimates gestum fuerit: cum nullam legitimam synodum vniuersalem, vel particularem nominare queat, quæ sibi supremum ius arrogarit, excluso Petro, hoc est, successore Petri: cui, vt suo Principi, omnia concilia, Christi spiritu instincta, primas detulerunt. Prætereo mendacia, quæ Sutliuius pleno cornu fundit. Nam in hac ipsa disputatione de Pontifice crebrò recurrent. Hoc sit vice omnium. *Ipsos Pontifices Romanos vidisse & confessos esse summam potestatem penes concilium generale esse.* (Sed nũ penes solum? Num penes illud, excluso Pontifice Romano, vel incluso quidẽ, sed vt cæteris Episcopis æquali? Num quis dixit, penes concilium esse hanc potestatem, vt penes cœtũ Aristocraticum, in quo omnes pares?) *Et non alibi rebus Ecclesiæ turbidis remedium inueniri potuisse.* Qui nam sunt hi Pontifices, qui hoc tam apertè confessi? Nominat Iulium I. *qui Athanasio nullum auxilium ferre potuerit, licet ei bene vellet.* Ideo ferre non potuit; quia Hæretici nimis potentes & hæreticus Imperator obsistebant. Etiam hodie Pontifex Romanus Episcopis Anglis, Hibernis, &c. opem ferre nequit, propter Hæreticorum violentiam & impotentem tyrannidem. An ideo à nobis pro Ecclesiæ Monarcha non suscipitur? Idem iudicium esto de antiquis Pontificibus, qui oppressis opem ferre non valuerunt.

XIII. *Olim summa potestas erat penes concilium septuaginta seniorum*: Respondeo, in horum numero fuisse etiam summum sacerdotem, à quo cæteri, vt à supremo, dependebant: vt latè dictum priore Tomo lib. 3. de verbo Dei.

XIV. *Prouinciales Ecclesiæ reguntur à synodis prouincialibus: & ab illis leges & regulas accipiunt: ergo & vniuersalis Ecclesia ab vniuersalibus synodis regi, & viuendi regulas accipere debet.* Respondeo ad antecedens; Regi ab illis, sed non excluso Episcopo, tanquam omnium & omnibus superiore: neque tamen tantùm à synodis particularibus particulares Ecclesiæ reguntur, viuendique normam accipiunt; sed & à solo Episcopo rationem viuendi; regulas consequi possunt, imò & reipsa consequuntur, tametsi semper dependenter à supremo pastore, non tamen dependenter à sibi subiectorum presbyterorum concilio. Idem contingit respectu vniuersalis Ecclesiæ; quæ & à cõciliis vniuersalibus regitur; vitæque ac fidei regulas accipit, at non excluso pastore supremo; Idem vero beneficium à solo pastore summo & vniuersali consequi potest.

XV. Probat Sutliuius Aristocratiam Caluinianam testimonio Patrum: quæ omnia nihil aliud probant, quàm conciliorum esse, lites de quæstionibus fidei cognoscere, diiudicare, & terminare. Quis hoc nescit? Sed num à Conciliis excluditur Pontifex Romanus? Num Patres illum excludunt? Num Patres dicunt, solum Pontificem, etiam absque concilio, hoc non posse facere? Num aiunt, vllum robur vel auctoritatem inesse decretis conciliorum sine expressa vel tacita summi Pastoris approbatione cõditis?

XVI. *Legi naturæ & rationi maximè consentaneum est, vt quæ ad omnes pertinent, communi consilio statuantur: nam ea omnes facile probant, quæ à communi Ecclesiæ consensu auctoritatem habent, contraq; valde displicent; quæ pro vnius arbitratu & libidine cunctis imponuntur.* Si hæc ratio proba est, tum sequitur, non tantum Aristocratiam, sed puram putam Democratiam in Ecclesiam inducendam esse: tum enim populus erit obsequentissimus, si non tãtum Optimatum, sed & suo assensu & suffragio decreta condantur ac promulgentur. Eadem Democratia pellet quoq; Aristocratiam & maximè Monarchiam ex ciuili Republica. quia tum demum leges populo gratæ acceptæque erunt, si non sint Optimatum vel Regum statuta, sed plebis scita. Quam pulchrè suffodit & perfodit iste Monarchomachus non tantum Monarchiæ Ecclesiasticæ, sed & politicæ fundamẽta: idque sub prætextu Aristocratiæ; cum tamen spicula, quæ vibrat, ipsam quoque pro Democratia Aristocratiam feriant. Audi Caluinista. Legi naturæ, & rationi maximè consentaneum est, vt oues à suo pastore se pasci sinant; eáque pascua saluberrima censeant; ad quæ à pastore suo aguntur: illudque pabulum, quod ipsis à pastore apponitur, optimum & sibi maximè conducibile ducant: quia & legi naturæ & rationi magnoperè aduersatur, vt oues suum iudicium iudicio legitimi sui pastoris anteponant.

XVII. *Ratio suadet, Christum singulis Ecclesiis prospexisse, & eis tribuisse, quæ ad fidei conseruationem & morum disciplinam constituendam necessaria sunt: ergo non Monarchiam, sed Aristocratiam instituit.* Respondeo, negando consequentiam; quia Monarchia fidei, paci, & concordiæ tuendæ, & schismatibus impediendis tollendisque aptissima est: vt iam sæpe visum: nec refert, quòd hæc Monarchia lõgè lateq; diffunditur, quia Rectores & Pastores subordinatos habet, qui particulares Ecclesias regunt & pascunt, & ne quid detrimenti capiãt, vigilanter attendunt; iussa supremi Rectoris, & Pastoris capessere & facessere prompti. Obserua hic vertiginem Sutliuij. Supra cap. 2. asperè & calumniosè exagitauit Bellarminum, quod diceret, Patriarchas, vt Abraham, Isaac, Iacob, regia potestate fuisse præditos. Nunc cape hæc eius verba. *Abraham & sacerdos erat, & instar Regis, familiæ suæ præfuit. Similiter Isaacus, Iacobus.* Resorbe igitur conuicia, quæ prius in immerentem Bellarminum euomuisti.

XIIX. En tandem vltimum arietem, eumq; validissimum. *Olim sub lege naturæ quilibet erat sacerdos & Rex in domo sua, absque vno communi & generali*

Monarcha; ergo & nunc sub lege Christi idem contingit. Antecedens probatur, exẽplo Abrahæ, Isaac, Iacob; qui suis familiis præfuerunt: *Sed & ante ipsos, & post eorum excessum seniores singuli præpositi sunt singulis familiis. In Aegypto quot erant Patriarchæ, tot erãt sacerdotes æquo iure præditi. De Iob dubium nõ est, quia, ipse sacerdos fuerit: obtulit enim sacrificia pro filiis suis. Melchisedech & Rex erat, & sacerdos altissimi. Adami etiam liberi Cain, & Abel sacerdotes fuisse videntur. at inter istos nullũ nos eminuisse videmus, qui supra omnes alios sacerdotes, imò supra omnem Ecclesiam potestatem habuerit.*

Respondeo, hoc ideo in statu legis naturæ euenisse; quia fideles necdum in vnum quasi corpus coaluerant. Posteris tẽporibus cum ex pluribus familiis vnus cœtus & vna Ecclesia collecta est, statim vnus Princeps datus est, qui omnibus cum imperio præesset: vt patet de Moyse: & his, qui hunc consecuti. Etiam olim, nondum constitutis Rebuspublicis, quilibet paterfamilias suorum Princeps erat. Nunc aliter se res habet, collectis in vnũ Reipublicæ corpus hominibus. Idem & in Ecclesiastico seu spiritali regimine cogita. Hæc sunt Sutliuij pro Aristocratico Ecclesiæ Regimine firmamenta. Quæ hominem Anglum, Regem pro Monarchia in politicis & Ecclesiasticis negotiis agnoscentẽ & venerantẽ disputare ausum esse, vehementer, vt iam nõ semel dixi, miror, debebat saltem Monarchæ sui honori parcere; si proprij tam prodigus erat, vt mallet videri Geneuensem Aristocratiam, quàm Anglicanam Monarchiam comprobare.

Nunc accingit se Sutliuius ad refutationem Argumentorum, quibus Bellarminus probat Ecclesiæ regimen non esse præcipuè penes Episcopos, hoc est, non esse præcipuè Aristocraticum.

Primum argumentum est. Nusquam legi in scripturis summam potestatẽ collatam esse concilio sacerdotũ. Respondet Sutliuius: *Si rectè argumentari voluisset; dicere debuisset; summam potestatẽ generali concilio nusquam datam legi.* Minimè verò hoc dicere debuit Bellarminus, quia disputat contra Caluinum, qui summã potestatem in cœtu seu concilio Presbyterorum collocabat: cõtra hunc affirmat, nusquã legi, Concilio sacerdotũ seu presbyterorum inter se pariũ, summam potestatem collatam esse: cum Presbyteri nõ intersint conciliis cum potestate ferẽdi suffragij, nisi teneant locũ aliquorum Episcoporum. Nã nec in veteri testamento synedrio collata est summa potestas, sine summo sacerdote. In nouo autem hoc peculiare est, quòd ius suffragij nõ competit, nisi maioribus Prælatis, non autem Presbyteris, infra prælatorum dignitatem constitutis. Vide Bellarminum lib. 1. de Conciliis, cap. 15.

Sibrandus cõciicit hanc primam Bellarmini probationem in hunc syllogismum: *Quod ex scriptura non habet auctoritatem, hoc est abiiciendum, sed hoc dogma, summam potestatem collatam esse concilio sacerdotum, non habet auctoritatem ex scriptura: Ergo abiiciendum.* Respondet Sibrandus, *mutari statum controuersiæ, non enim docere Caluinum; summam Ecclesiæ potestatem concilio sacerdotum collatam esse, sed docere; Iurisdictionem in vitiis corrigendis esse penes senatũ Ecclesiasticum.* Calumniatur Sibrandus: Caluinus enim spiritalem potestatem disertè seniorũ suorum concilio attribuit; spiritalem, inquam, quę non tantum ad censuram morum & correctionem vitiorum, sed & ad cognitionem doctrinæ pertinet: licet enim ipse duplicis generis presbyteros seu seniores statuat; alios, quos pastores nominat, quorum præcipuum munus, concionari, & sacramenta administrare; alios, quib. potissimũ cura disciplinæ ac morum incumbit; attamen penes integrum hoc seniorum cõsistorium seu conciliabulum, vult Caluinus potestatẽ cognoscẽdi doctrinã & mores adæquatè residere; vt clarè liquet ex lib. 4. Instit. cap. 11. §. 5. & seqq.

Bellarminus vocat *summam potestatem*. Occlamat Iunius, *nulli in hoc mundo summam potestatẽ concedi, hanc soli Christo reseruari, etiam à Caluino.* Summa est, non absolutè; sed in suo genere; nimirũ post Christum; & in hac militantis, & visibilis Ecclesiæ administratione.

Danæus vociferatur, Bellarminum, non debuisse scribere: CONCILIO SACERDOTVM, sed *seniorum*; Corrige, si lubet, textum, quandoquidem *Sacerdotis* nomen ferre non potes, quod profectò Caluinianis presbyteris seu senioribus non competit. Corrige igitur texum, vt dixi, & substitue *seniores*; facies id nõ inuito Bellarmino. Hoc tantum à te impetrari fine, vt insanire desinas. Insanis enim, quando his maledictis Bellarminũ insectaris. I. *Misificator es: occisor Christi. Leuiticus Sacerdos; non Christianus senior & presbyter,* (scribe, *non Caluinianus senior, & presbyter*, & assentiar) III. *Bellarminus est homo in tenebris natus.* IV. *In claustris educatus.* V. *Nec per insomnium veram Ecclesiam vnquam vidit.* VI. *Totam vitam sub miserrimo & corruptissimo Ecclesiæ Papisticæ statu vixit.* Pollicetur se *docturum Bellarminũ.* Quid? Abditissima scilicet mysteria; & quæ Bellarminus pridẽ in Caluino legerat, & accuratè refutarat. I. *Episcopum & presbyterum esse eundem. Esse duo presbyterorum genera,* de quibus paulò antea. II. *Quatenus cura & gubernatio Ecclesiæ & gregis suo cuiusque Episcopo & presbyteris in eadem Ecclesia delectis competat.* III. *Quomodo eiusdem gregis & Ecclesiæ cura tum ad Pastorem & presbyteros illius, tum ad pium eiusdem magistratum, præsertim summum, communiter pertineat.* Hæc omnia se Bellarmino explicaturum profitetur Danæus: sed diuersis scholis, & petit *Minerual.* Dabimus; sed ferulam, neque enim aliud *didastrum* mereris, cum quid de his Caluinus delirauerit, compertissimum habuerit Bellarminus: vt patet ex hac præsenti disputatione, & ex alia de Clericis.

Nam quòd ais, *Caluinum solum & primum ab hinc nongentis annis verum Ecclesiæ Dei regimen orbi terrarum restituisse.* id strenuè negant Sarauia, Sutliuius

uius, & alij Caluiniani in Anglia: nec immeritò, quia cœtum illum seniorum ex suo cerebro Caluinus extudit, vt non modò Bellarminus, sed & Sarauia contra Bezam fusissimè ostendit: nec vllum fundamentum eius in scriptura vel patribus exstat: testimonia enim Patrum Tertulliani, Cypriani, Irenæi, aliorum, quæ profert Sibrandus, hoc tantum euincunt, veteri Ecclesiæ fuisse visitatam disciplinam & censuram morum; & quidé per seniores seu presbyteros exercitam, sed num ideo per tales seniores, quales nobis in officina Geneuensi procudit Caluinus?

Ait Bellarminus locum illum Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: nihil facere ad cœtum seu concilium seniorum; cum in quemuis conuentum fideliũ in nomine Domini collectũ quadret, ipso Caluino teste lib. 4. Instit. cap. 9. §. 2. Et certè si Sibrandus hoc suum seniorum concilium hoc loco firmare & stabilire velit; dabit occasionem exoptatissimam non modò Geneuensibus artificibus; sed vniuersis omnino Caluinianis, detrectandi iussa & imperata, quæ à Presbyterorum Caluinianorum synedriis proficiscuntur: Nam cuiuis procliue erit dicere; *sibi & duobus vel tribus aliis in nomine domini collectis, aliter visum esse faciendũ vel sentiendum, quàm statuerit seniorum Concilium. Sibi æquè Deum adesse ac illis; æquè sibi ac illis cælestem veritatem ex promisso Christi reuelari.* Quo se vertent isti seniores in his angustiis deprehensi?

Mentitur Sibrandus, Bellarminum hoc ex Caluino argumentum texere: *Quod omnibus cœtibus auctoritatem conciliat, hoc concilijs nullam auctoritatem confert. Sed hoc dictum. Ergò.* Mox figmentum à se magna voluptate fabrefactum, non minore iucunditate demolitur. *Respondeo*, inquit, *Maiorẽ esse falsam.* (Si falsa est, tuo vitio falsa est; quia tu eam formasti, non Bellarminus.) *Quod enim omnibus congregationibus auctoritatem tribuit, hoc etiam concilijs auctoritatem conciliat. nam & concilia sunt congregationes.* Nunquam negauit Bellarminus aliquid ex hoc loco pro conciliis colligi posse; illud videlicet generale: Christum ope sua adsistere illis, *qui in nomine suo piè congregantur*; sed abnuit, hinc determinatè firmari posse concilium illud Presbyterorum, cui Caluinus suum imperium in rebus Ecclesiasticis tribuit. Quod tam verum est, vt ipse Caluinus id confessus fuerit.

Criminatur deinde Sibrandus, *Bellarminum velle, nil opus esse Cõcilijs.* Quomodo hoc vult Bellarminus, qui duobus libris de conciliis conciliorũ auctoritatem & necessitatem, vt fusissimè, ita & doctissimè asseruit? Hoc hic contendit: Nullum esse in scripturis locum, quo demonstretur, concilio Presbyterorum seu seniorum summã collatam esse potestatem decernendi & statuendi de rebus Ecclesiasticis. Nec opus fuisse concilio seu cœtu seniorum ad hoc, vt Apostoli, eorũmque discipuli, acceptam à Christo potestatem exercerent: singulos enim Apostolos potuisse & nunc etiam Episcopos posse, docere, baptizare, soluere, ligare, ordinare ministros, &c. Hic est sensus & scopus Bellarmini. Quocirca nugas agit Sibrandus, cum hîc extra rem de causis & necessitate conciliorum declamitat, absque vero aduersario, licet non sine vmbratili, quem ipse sibi confinxit.

Secundum argumentum Bellarmini ducitur ab incommodis, quæ Ecclesia pateretur, si eius regimen esset Aristocraticum; quia ferè semper careret Rectoribus: Et vt plurimum nemo esset, qui commune bonum curaret, &c. cum enim Optimates inter se sint pares, non possunt commune bonum, vt par est, administrare, nisi vel congregati sint, vel aliquem elegerint communi consensu Magistratum, cui omnes obediant, quemadmodum Romani suos consules eligebant: At in Ecclesia rarissimè congregantur Optimates ad generale concilium, &c. Respondet Sutliuius: *hoc argumentum, si quid valet, contra Pontifices Romanos maximè valere. Nã si summa potestas non sit nisi penes illos, qui semper viuunt, tum non esse penes Romanos Pontifices; hos enim mori; sæpe vacare Pontificatum, non modò per menses, sed & per annos.*

Dic, Caluinista, vbi dixit vel scripsit Bellarminus, summam in Ecclesia potestatem non esse nisi penes illos, qui semper viuunt? Hoc nisi monstraueris, hoc tuum responsum non reputabo responsum, sed somnium.

Secundò respondet Sutliuius, *non necessariò requiri, vt illi, penes quos est summa potestas, semper actu congregentur; satis esse, Apostolos scriptis nobis doctrinam Christi tradidisse: & concilia antiqua controuersias de fide statuisse, & posse nunc concilia congregari, quoties Deo visum est principum mentes spiritu suo permouere.* Nil efficis Caluinista. Nam vt in aliqua ciuili Republica necesse non sit Optimates, qualibet exorta controuersia, congregari; sed sæpe lites & quæstiones per literas inter absentes transigi possint; hoc tamen in Ecclesia, in quauis controuersia, difficillimum, imò impossibile moraliter esset, quia vt Ecclesia, ita & Optimates eius per totum terrarũ orbem diffunderentur. Quotum donec sententia sigillatim exquireretur, quid damni non subiret Ecclesia? Secus se res habet in ciuili politia Aristocratica; cuius Optimates ferè in vno loco resident. Quocirca non incommodè imperium, quamuis latè prolatum, administrare possunt. Nam quod scripturas ab Apostolis nobis relictas habemus, & conciliorum decreta; parum emolumenti controuersiis componendis adfert, dum quò quisque est peruicacior, eò scripturas ad capitis sui phãtasmata audacius inflectit: & veterum conciliorum scita impudentius reiicit. Quàm item arduum sit vniuersalia concilia colligere, hoc præsertim rerum statu, satis exploratum existimo.

Sibrandus proponit suumne delirium an Bellarmini argumentum? hoc syllogismo: *Respublica Aristocratica ferè semper destituitur rectoribus. Ecclesia non semper destituitur rectoribus. Ergò Ecclesiæ regimen non est Aristocraticum.* Respondeo, Maiorem non esse Bellarmini, sed malè feriati Sibrādi. Nunquam enim dixit Bellarminus generatim, Aristocraticam Rempublicam ferè semper destitui rectoribus; sed speciatim ait hoc euenturum esse in Ecclesia, si Aristocraticè gubernaretur, propter Optimates, hoc est, Episcopos, & vt Caluiniani volunt, Presbyteros toto terrarū orbe cum & in Ecclesia diffusos, quorum sententiæ, litibus ortis, vix exquiri possent, (vt exquiri debent, vbi omnes optimates habent ius dicēdæ sententiæ) sine grauissimo Ecclesiæ damno. Quid enim damni non acciperet Ecclesia, si exspectandum esset, donec omnes omninò toto terrarū orbe dispersi Optimates sententiam suam dicerent? Itaq; quidquid postea Sibrandus, vt loquacissimè, ita & futilissimè de Aristocratico Ecclesiæ regimine deblaterat, vanissimis, & mox euanescere consuetis fumis annumera: quia nil aliud adfert, quam inanes tautologias, battologias, seu Battotautologias, Cenologias, & eius, quod probandum erat, assumptiones.

Danæus concedit hoc quod Bellarminus obiicit, euenire, *vbi vnum & idem negotium numero commendatur pluribus simul æquali iure: non autem cum eiusdem negotij, & corporis partes pluribus demandantur, sua cuique nimirum, de qua sua parte postea rationem reddant singuli. Quod fit in Ecclesiastico regimine nostro & verò singuli enim seniores habent suam quisq; prouinciam procurandam, de qua reddunt per septimanas rationem.* At vbi est Aristocraticum regimen, tum vnū & idem negotium pertinet ad plures pari iure & potestate præditos: hæc enim est Aristocratiæ ratio & notio. Nam quod Geneuenses seniores rationem reddere coguntur per singulas septimanas administratæ prouinciæ, quæro; num illis, quibus rationem reddunt, sint pares potestate an impares? Si pares, habemus ergo Aristocratiam. Si impares; quæro, num imparitas hæc sit solùm respectu vnius, an plurium. Si respectu solùm vnius: iam ergo Monarchia, vel aliquid Monarchicum erit: quia Monarchia vel aliquid Monarchicum est, vbi vnus reliquis omnibus potentiâ supereminet. Si autem hæc imparitas est respectu plurium; tum aut oligarchia, ὑποστάσεως Aristocratiæ erit, aut ipsa adhuc vera Aristocratia: Et consequenter, nascentur incommoda, quæ Bellarminus enumerat. Quanquam Bellarminus non agit de regimine particularis, sed vniuersalis Ecclesiæ; nā fieri posset, vt fortasse Ecclesia particularis non incōmodè gubernaretur aliquandiu Aristocraticè, tametsi Sarauia existimat Geneuæ iam aliquādiu concordiam inter Ministros ipsos, & inter plebem conseruatam esse, non tam propter Aristocraticum seniorum cœtum, quàm propter vnius Caluini puta, & postmodum Bezæ, dominationem.

Ait Danæus: *seniores Geneuenses libenter, & promptè, & facilè conuenire.* At Bellarminus non dixit, quid Geneuæ fiat, aut fieri possit, sed quid fieret, si vniuersalis Ecclesiæ regimen Aristocraticum esset. Nam optimates vniuersalis Ecclesiæ nec facilè, nec promptè conuenire possunt; quia toto terrarum orbe disperguntur. Latius autem patet, opinor, orbis terrarum, quàm mœnia Geneuæ: de cuius Presbyterorum cœtu Aristocratico quàm sit ad cōcordiā aptus, hæc Sarauia Caluinista in Apologetico contra Bezā: *Secundus à Caluino nunc Beza Geneuensem regit Ecclesiam, in parua Republica, cum collegij numero pauci, nempe ad summum octodecim, si cum pastoribus doctores numeres; concio illic hebdomadica est, & circularis: & presbyteri, & diaconi noui & annui: quamdiu in tranquillo statu degitur: omnia quidem bene se habent: sed si quando acciderit discidium inter Ecclesiarum ministros, qui populo, & magistratui gratiosi erunt, facilè in partes diuidetur ciuitas: quo malum nullum potest accidere grauius; eadem facilitate diuidetur & presbyterium: & semel diuisum vulgus tumultuabitur, & partes fouebit. In hoc casu, qui certè non semper vitari potest, quid fiet? Magistratus interponet suam auctoritatem. Benè quidem: sed in quam partem inclinabit? Imperatores Romani suam auctoritatem interponere dissidiis Episcopi coacti sunt: sed non semper eis datum fuit, fauere melioribus: factiones, & factiosos tutati sunt. At nihil huius modi sub hoc regimine adhuc experti sumus: Experientiam igitur magistram quæritis? si citra periculum, & irreparabile damnum, eius magisterium haberi posset, benè esset; sed, vt in naufragio, ita his in periclitari non licet.*

Ibidem ostendit Sarauia alio exemplo, vel potius alia hypothesi, quàm periculosum sit in Ecclesia Aristocraticum imperium, vbi nullus superior; omnes æquales: *Cogitemus Galliam reiectis Romanis superstitionibus, puram recepisse filij Dei doctrinam: & eam, quod absit, gubernationis Ecclesiæ formam, quam dominus Beza opinatur esse diuinam, admisisse: num calamitatibus, quibus omnes omnium seculorum Ecclesiæ fuerunt subiectæ, quarum causas imputat Episcopis, liberam fore credis? & si tunc, quando Episcopi reliquam ministrorum verbi Dei multitudinem in officio continebant, vt synodos legitimas nullas conuocare possent, cogebantur tamen synodi contra synodos; &, quod sanxerat vna, damnabat altera: si tunc concurrabant huc illuc Episcopi, quid non fecissent, si pares*

omnes

omnes fuissent presbyteri Episcopi, & Episcopi Patriarchi? Si pauci, pari potestatis agrè pacem, & doctrinæ concordiam retinere potuerunt: poterunt ne pro vno sexcenti, aut bis, terue mille eiusdem autoritatis ministri? Nec valet, quod quisquam dicet; bonis legibus coercitũ iri petulãtia ingenia; leges illæ, quib' id fiet, æqualitatẽ, de qua tãq; pro aris, & focis disputatur, tollẽt: in æqualitate æquè iniquum erit, paucos imperare pluribus, atque vnum Episcopum. Concilium nationale, quo trecenti conuenerint pastores, mille aut decies mille collegis; quidquid aliorum nomine signauerint procuratores, legem non dabunt: nisi multitudini probetur, aut accedat autoritas, cui parere teneantur. Iniqua enim esse poterit: aut, si non sit iniqua; huiusmodi videbitur, & contentiosi controuersiam de ea mouere poterunt: & contra decretum factum à trecentis, conuenient quadringenti, & amplius. At magistratu id non feret; non Geneuensis, cuius iurisdictionis anguste sunt termini; & ministri Ecclesiarum pauci: quique, quantumuis negent, ab vnius sententia pendent.

Hæc Caluinianus Sarauia; cuius rationes, si quid efficiunt pro tollenda Aristocratiæ æqualitate; & introducendo vnius in vna diœcesi imperio; valebunt itidem pro introducendo vnius in tota & vniuersali Ecclesia imperio; vt omnis litium & controuersiarum amputetur occasio, vel si ortæ sint, expedita eas sopiendi & veritatem definiendi suppetat ratio.

Citat Bellarminus Hieronymum, qui dicit; Alexandrino Episcopo nihil esse iuris in Palæstina, Idem de eodem ait asserere Chrysostomũ respectu Thraciæ. Oggannit Sutliuius. *Qua igitur impudentia Pontifex Romanus falcem suam in totius orbis messem immittit?* Nullâ impudentiâ, ô Caluinista; sed æquitate summa; quia est vniuersalis pastor, cui non definitè, sed vniuersim dictum: *Pasce oues meas.* Iunius oggerit, *hunc esse humanum ordinem, non diuinum; vt extra suam Diœcesin Episcopus nil possit.* Respondeo, vt nullus Episcopus, præter Romanum, in vniuersum orbem Imperio potiatur, ordo diuinus est, non humanus: sed vt hæc vel illa Diœcesis, his vel illis terminis finiatur, neque latius proferatur, ordo humanus est: nam humana dispositione, Episcopatuũ termini fixi sunt.

Tertium Bellarmini argumentum: Si in cœtu Optimatiũ sũma esset potestas; quo numerosius cogeretur conciliũ, eò plus haberet auctoritatis: neque vnquam euenire posset, vt minori Concilio plus tribueretur, quàm maiori. Sed hoc est falsum, vt exemplis allatis docet Bellarminus. Danæus ab hoc & sequentibus Bellarmini Argumentis, facillimè se expedit; clamitando nimirum, *ea esse nihili: & paralogismum à figura dictionũ, vel ab accidente. Omnia, quæ Bellarminus ad Caluini argumenta respondet esse prorsus futilia & inania.* Quàm fortis & inuictus Bellarmini debellator & expugnator Danæus; Quàm validis lacertis ictus in Bellarminum librat? Quis huic heroi coronam non decernat, & quidem triplicatam; vel ne Pontificia videatur, *quadruplicatam?*

Sibrandus Bellarmini ratiocinationem hoc malè sarto syllogismo vestit: *Quòd senatus in Aristocratia est numerosior, eò habet plus autoritatis. Sed numerosissimum in Ecclesia Concilium, non semper habet plurimum auctoritatis. Ergò, Ecclesia non regitur Aristocraticè.* Respondet Caluinista. *Inter politiam ciuilem & regimen Ecclesiasticum esse magnum discrimen. Omnem enim politiam continere in se autocratoriam.* At hic consona voce Sibrandum inscitiæ postulabunt politicorum Aristotelicorum Magistri ac Professores; cum enim tres sint Politiæ seu Reipublicæ formæ, Monarchia, Aristocratia, & Democratia, sola prima Autocratoriam complectitur, vel potius est ipsa *Autocratoria. Optimates* coniuncti, inquit Sibrandus, *sunt ἀυτοκράτορες.* Neq; hoc cõcedent politices Magistri, nisi nouus huic vocabulo significatus indatur; nam ἀυτοκράτωρ propriè sonat vnum, penes quem est summum imperium: at in Aristocratia non est vnus; sed plures. Nec in vno Optimate adæquatè residet potestas, sed in singulis inadæquatè; in omnibus adæquatè, nec illi omnes coniunctim sunt ἀυτοκράτορες, sed potius totum illud ex omnibus optimatibus conflatum, ἀυτοκράτωρ dici deberet, si quis hoc nomine abuti vellet.

Negat Sibrandus, *in Ecclesia esse ἀυτοκρατοείαν.* Sed nos negationem eius probatione destitutam susque deque habemus. Ait Sibrandus; *ministros Ecclesiæ neque de doctrina, neque de moribus nouas leges ferre posse.* Quo igitur iure nouam formam regiminis præscripsit Caluinus synagogæ Geneuensi? Quo iure tot Caluinianorum in Belgio, Gallia & Britannia synodi, tot leges, & vt ipsis etiam vocare lubet, *Canones* architectatæ sunt? Quæ de iudicandi & diiudicandi synodorum decreta singulis concessa facultate, deque synodorum erroribus Sibrandus lingua volubili detonat; protritæ & sæpius iam auditæ sunt nęniolæ alibi refutatæ; & iterum in disputatione de Conciliis refutandæ.

Sutliuius calumniatur. *Tertiam Bellarmini rationem non multum à deliratione discrepare, nam vt Concilia generalia auctoritatem habeant, satis esse, vt omnes Episcopi legitimè vocentur, & rectè secundum Canonicas scripturas definiant.* Si conuicium suum Caluinista ad responsum suum transferret, conuicij naturam exueret: non enim ignorat Bellarminus, vnde Concilia auctoritatem habeant, nempe à summi Pontificis approbatione, ex qua certò concludimus, omnia in illo concilio secundum canonicas scripturas & traditiones definita esse. Sed loquitur ex sectariorum hypothesi, qui volunt, Ecclesiæ regimen esse aristocraticũ; hoc est, eorũ, qui pares sunt inter se auctoritatis & potestatis, nã si id ita esset; tum profectò, quo concilium ex pluribus optimatibus constaret, eò maioris auctoritatis esse deberet; quia multitudo optimatium non parũ facit ad auctoritatẽ decretorum & legum: at hoc in Ecclesia non fit

vt pro-

vt probant exempla, quæ Bellarminus profert.

Quarta Bellarmini ratio. *Ecclesia perniciosior esset Aristocratia, quàm Democratia, cum hæreses potius ab optimatibus, hoc est, ab Episcopis & Presbyteris, quàm à plebeiis, & olim excitatæ fuerint, & hodie excitentur.* Sutliuius nil aliud reponit, quàm quòd in nostros Episcopos & presbyteros venenatam linguam stringit, & Pontificem Romanum maledictis incessit. Ad quod agendum nil opus erat Decano Excestrienſi; quilibet de triuio scurra hoc præstare poterat. Hoc tamen non displicet, quòd ait, *hos Episcopos & presbyteros hæresum fatores fuisse*, non de sua, hoc est, Caluiniana, sed de Papistica Ecclesia: exierunt enim à nobis, hoc est, à Catholico cœtu, non à vobis, qui necdum ex profundo lacus Lemannij, vel potius Auerni exstiteratis.

Sibrandus hunc syllogismum Bellarmino affingit. *Qui sunt hæretici, illi non debent Ecclesiam regere. Sed aliqui Episcopi, & presbyteri fuerunt hæretici. Ergò nulli Episcopi, & presbyteri possunt Ecclesiam regere.* Mox demolitur Sibrandus huius syllogismi monstrosam laruam. *Respondeo*, inquit, *consequentiam esse falsam.* Cuius culpa, *nisi* tua? qui si Bellarmini sententiam candidè ad Syllogisticam formam redigere volebas, ante omnia calumniatoris & sycophantæ mentem exuere debebas. Quandiu enim hanc retines, spes nulla est, fore, vt aliquid sincerè proponas. Syllogismus certè suprapositus Bellarmino in mentem nunquam venit, vt nec iste: *Nulli hæretici possunt Ecclesiam regere. Quidam Episcopi, & presbyteri sunt hæretici. Ergò nulli Episcopi possunt Ecclesiam regere.* Tua sunt hæc phantasmata, non Bellarmini argumenta. Texit hic oportunissimè Catalogum Paparũ, quos hæreticos fuisse clamitat. Sed Catalogus hic non est Paparum, qui Hæretici fuerint, sed mendaciorum Sibrandicorum Index: Tot enim mẽdacia effudit, quot Papas tanquam Hæreticos in illo censu posuit.

Dictum illud D. Hieronymi, quod Bellarminus ex lib. 1. contra Iouinianum recitat: *Ex duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio*: ait Iunius; non esse Hieronymi, sed Iouiniani: Item *malè à Bellarmino, ex particulari vniuersale concludente, vsurpari.*

In vtroque Junius solenne suum tenet; hoc est, temeritatem, quiduis audacter asseuerandi. Licet enim S. Hieronymus hanc obiectionem Iouiniani præmittat: cap. 14. (*At dicis; super Petrum fundatur Ecclesia*) paulò post tamen ex suo sensu & propria mente subdit; non propterea supra Petrum fundatam esse Ecclesiam, seu, quod idem est, non propterea Petrum, non Ioannem; constitutum esse reliquorum caput, quòd coniugiũ, in quo olim Petrus vixerat, anteponendum sit Virginitati; sed vt occasio schismatis & discordiæ præcideretur: Hoc totũ asseueranter affirmat S. Hieronymus ex sua sententia: & quamuis ibidem dicat: *in alio loco*, nempe Matth. 18. *Super omnes Apostolos Ecclesiam fundatam dici*: tamen hoc ipso, quod postea scribit, vnũ, hoc est, Petrum, constitutum esse caput, satis perspicuè indicat, Ecclesiam peculiari quadam ratione supra Petrum ædificatam esse, qua non sit ædificata supra cæteros, cum nullus ex cæteris cõstitutus fuerit caput, sed solus Petrus.

Aequè vana est altera Iunij obiectio, Bellarminum *ex propositione particulari vniuersalem efficere*: quo innuere videtur Caluinista; non valere hanc consequentiam: *Inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt, capite constituto, schismatis tollatur occasio: ergo Petrus fuit totius Ecclesiæ caput.* Sed consequentiam hanc esse probam & legitimam, suprà ostẽsum est contra Sibrandum. Non enim dicit S. Hieronymus; Petrum Apostolorum solummodo fuisse caput, sed indefinitè, fuisse caput cõstitutum, vt schismatis tolleretur occasio, hoc est, vt pax & concordia conseruaretur; vel, vt pacis & concordiæ conseruandæ aptissima ratio iniretur: At pax & concordia non tantum inter Apostolos, sed in tota Ecclesia conseruanda erat; oportebat igitur vnum totius Ecclesiæ caput cõstituere, vt eo constituto, vbique schismatum tolleretur occasio.

CAPVT IX.

Regimen Ecclesiasticum præcipuè Monarchicum esse debere.

ANTEQVAM Sibrandus & Sutliuius Bellarmini argumenta dissoluere incipiunt, integrum exercitum inaniũ & friuolarum rationum præmittunt, quibus demonstrari arbitrantur, Ecclesiasticum Regimen non esse Monarchicũ, quas copias breuiter nos recensebimus, & lustrabimus, vt earum vis & potentia magis eluceſcat. Ordiamur à Sutliuianis.

1. *Omnis Monarcha aut est Rex, aut Tyrannus: Sed qui Ecclesiæ præsidet, non est Rex nec Tyrannus: ergo nec Monarcha.* Respondeo, si Regis nomẽ in maiore accipiatur ea notione, qua hodie vulgò vsurpatur, Maiorem nõ esse verã, potest enim quis verè esse Monarcha, hoc est, vnicus & absolutus Dominus in sua ditione absque vllo Regis nomine seu titulo. Si autem vocabulum Regis latius sumatur, tum dico, Monarcham Ecclesiasticum non esse Regem, sed spiritalem, & Ecclesiasticum: non temporalem & politicum: cui non obstat illud Lucæ 22. *Vos autem non sic*: quia hic nõ prohibet ne officium Regis Ecclesiastici vel Politici; sed fastus, & arrogantia, & inclementia erga subditos: Quò etiam respexit S. Petrus priore sua Epist. cap. 5. vbi iubet, vt qui Ecclesiæ præsunt, non se gerant, *vt dominantes in cleris*, hoc est, ne sint ex eorum Dominorum & Pastorum numero, de quibus exstat querimonia diuina:

Ezech

Ezech. 34. *Va Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, &c. Lac comedebatis & lanis operiebamini, &c. gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod egrotum non ſanaſtis, &c. ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Eadem eſt ſanctorum patrum mens: non enim primatum improbant; ſed faſtum & ambitum primatus. nam ſi primatus abſolutè prohibitus eſt in Eccleſia, cur Sutliuius ſuum librum dedicauit *Primati totius Angliæ*, Pſeudoarchiepiſcopo Cantuarienſi? Cur non & huic ſuo occinit illud? *Vos autem non ſic. Neque vt dominantes in Cleris.* Scilicet Anglia ſuum habebit *Primatem*, ſaluo iure diuino; & in Eccleſia Dei *Primatem* vniuerſalem agnoſcere, nefas erit?

Idem argumentum verbosè, vt ſolet, obiectat VVitackerus. Ne tamen verboſitas faſtidium pariat; prudenter hac ſubtilitate temperandum cenſuit: *Matth. 20. volebant Iacobus & Ioannes in regno Chriſti primatum tenere; altero ſeſſionem ad dexteram; altero, ſeſſionem ad ſiniſtram ore matris, ambiente & efflagitante: At Chriſtus reſpondit: neſcitis, quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? imò & hoc: Reges gentium dominantur eis; Non ita erit inter vos. Ergo Chriſtus prohibuit omnem primatum Eccleſiaſticum.* Febricitabat proculdubio VVitackerus, quando hæc tam arguta ſomnia in chartam referebat. Quis conſideratis ſacri contextus Matth. 20 & Lucæ 22. circumſtantiis non aduertit, ſi aduertere velit; Chriſtum vtrobiq; non *primatui* abſolutè; ſed tali primatui, qualem animo efformabant, Iacobus & Ioannes, ſimulque ambitioni obuiam ire, & ad humilitatis ſtudium & æmulationem diſcipulos incitare voluiſſe? Neque enim vnquam dixit Chriſtus; neminem ex diſcipulis fore *primum*, vel primatu donandum; quod vno verbo indicare poterat, ſi omnes inter ſe æqualis poteſtatis & auctoritatis eſſe decreuiſſet: quo ipſo diſcipulis omnem hac de re diſquirendi & diſceptandi occaſionem præcidiſſet: imò diſertè oſtendit, aliquem cæteris primum, & maiorem conſtitutum iri; cui etiam hæc præcepta dedit: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Et; *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior; & qui præceſſor eſt; ſicut miniſtrator.* Cur non apertè & palam dixit; ſuperſluè eos de Primo & Maiore diſputare; nullum enim fore talem? Quid opus erat Primo & Maiori viuendi & agendi præcepta dare, ſi nullus eorum erat futurus *primus & maior?*

Argutum eſt & hoc VVitackerianum ſomnium. Si Chriſtus Monarchiam Petro promiſiſſet Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. Apoſtoli ea dere poſtea minimè contendiſſent; cum ſcirent iam antea Petro eſſe deſignatam.* Reſpondeo, hoc non ſequi: nam Apoſtoli ante Spiritum ſanctum acceptum longè etiam clariora Chriſti dicta, quàm hoc ſit, non ſunt aſſecuti; vt erat illud Domini, Ioan. 11. *Lazarus amicus noſter dormit*: Et parabolicæ

A conciones Chriſti cum alibi, tum Matth. 13. vt alia huius generis præteream; imò ne illa quidē, quæ illis clariſsimè de ſua poſt triduum reſurrectione non ſemel prædixerat, ſatis perceperunt. Quid ergo mirū, ſi & illius Mat. 16. promiſsionis Petro factę vim non penitus intellexerunt? tametſi ex hac Chriſti pollicitatione, & ex aliis itidē indiciis haud obſcurè colligebant, Petro primatum à Chriſto datum iri: & fortè eam ob cauſſam hæc inter illos de primatu contentio ſub ipſum Chriſti ex hoc mundo diſceſſum, exorta fuerat.

Non iniuriâ autem miretur quis hunc Anglicanum diſputatorem, qui non animaduertat; ſe ſua & ſuorum vineta cædere; cum Epiſcopos adeo ab omni primatu & externo dominio ac ſplendore abiunctos eſſe cupit; cū ipſi Caluiniſtæ in Anglia duos habeant primatus, & geminum Primatem, Cantuarienſem & Eboracēſem: ipſumque Regem omnium, ipſorum etiam Primatum, Primatem conſtituant, & caput vniuerſale totius Anglicanæ Eccleſiæ iactitent. Et ſi Regis illius Imperium per totum orbem diffunderetur, haud dubiè, vt nunc totius Anglicanæ ſynagogæ; ſic tunc totius vniuerſalis Eccleſiæ caput Regem illum ſalutarent; nec quidquam, iudicio eorum, committeretur contra illud: *Vos autem non ſic*; vt nec iam quidquam contrà committitur, cum Pſeudoepiſcopis Anglicanis, *hic honos defertur*, verba ſunt Sarauiæ Caluiniſtæ, *vt inter nobiles & proceres regni cenſeantur* (Vbi manet illud, cum gloſsis veſtris? *Vos autem non ſic.*) *Archiepiſcopi inter Duces, & magnos Regni Officiarios locus cum Clementiæ titulo datur.* (Vbi illud, ô VVitackere? *Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: Vos autem non ſic.*) *Et Cantuarienſi archiepiſcopo ante omnes proceres & magnos Regni Officiarios eſt attributa; & primus par Regni dicitur. Cæteri omnes Epiſcopi inter Barones locum tenent, & eo nomine titulo Dominorum honorantur.* Hæc Sarauia.

II. *Præter Chriſtum nullus dici poteſt vel Princeps Paſtorum, vel caput vniuerſalis Eccleſiæ: vel ſponſus eiuſdem*: Reſpondeo, hæc omnia eadem facilitate negari à nobis, qua aſſeruntur à Sutliuio. Viſibilem enim Eccleſiæ cœtum habere oportet viſibile caput, & viſibilem Principem, cuius tribunal adiri, vox & reſponſa audiri ab omnibus queant: Viſibili inſuper ſponſæ competit viſibilis ſponſus. Sed probat Sutliuius ſuum aſſertum: *quia ſcriptura & patres elogia illa ſeu Epitheta ſoli Chriſto tribuunt.* Aſſertionem video; at nullam probationem; niſi fortè vult, vt probationis loco accipiamus calumniam, quam ſubiungit: *Iſtas appellationes Romano Pontifici ſine blaſphemia tribui non poſſe.*

Inſtat, 1. *Petri quinto, vocatur Chriſtus, Paſtorum Princeps; ergo Romanus Pontifex non eſt Princeps paſtorum.* Reſpondeo, negando conſequentiam: quia & Chriſtus eſt Princeps

Paſto-

vt probant exempla, quæ Bellarminus profert.

Quarta Bellarmini ratio. *Ecclesia pernitiosior esset Aristocratia, quàm Democratia, cum hæreses potius ab optimatibus, hoc est, ab Episcopis & Presbyteris, quàm à plebeiis, & olim excitatæ fuerint, & hodie excitentur.* Sutliuius nil aliud reponit, quàm quòd in nostros Episcopos & presbyteros venenatam linguam stringit, & Pontificem Romanum maledictis incessit. Ad quod agendum nil opus erat Decano Exceſtrienſi; quilibet de triuio ſcurra hoc præstare poterat. Hoc tamen non displicet, quòd ait, *hos Episcopos & presbyteros hæreseon fatetes fuisse*, non de sua, hoc est, Caluiniana, sed de Papistica Ecclesia: exierunt enim à nobis, hoc est, à Catholico cœtu, non à vobis, qui necdum ex profundo lacus Lemannij, vel potius Auerni exstiteratis.

Sibrandus hunc syllogismum Bellarmino affingit. *Qui sunt hæretici, illi non debent Ecclesiam regere. Sed aliqui Episcopi, & presbyteri fuerunt hæretici. Ergò nulli Episcopi, & presbyteri possunt Ecclesiam regere.* Mox demolitur Sibrandus huius syllogismi monstrosam laruam. *Respondeo*, inquit, *consequentiam esse falsam.* Cuius culpa, *nisi tua?* qui si Bellarmini sententiam candidè ad Syllogisticam formam redigere volebas, ante omnia calumniatoris & sycophantæ mentem exuere debebas. Quandiu enim hanc retines, spes nulla est, fore, vt aliquid sincerè proponas. Syllogismus certè suprapositus Bellarmino in mentem nunquam venit, vt nec iste: *Nulli hæretici possunt Ecclesiam regere. Quidam Episcopi, & presbyteri sunt hæretici. Ergò nulli Episcopi possunt Ecclesiam regere.* Tua sunt hæc phantasmata, non Bellarmini argumenta. Texit hic oportunissimè Catalogum Paparũ, quos hæreticos fuisse clamitat. Sed Catalogus hic non est Paparum, qui Hæretici fuerint, sed mendaciorum Sibrandicorum Index: Tot enim mẽdacia effudit, quot Papas tanquam Hæreticos in illo censu posuit.

Dictum illud D. Hieronymi, quod Bellarminus ex lib. 1. contra Iouinianum recitat: *Ex duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio*: ait Iunius; non esse Hieronymi, sed Iouiniani: Item *malè à Bellarmino, ex particulari vniuersale concludente, vsurpari.*

In vtroque Iunius solenne suum tenet; hoc est, temeritatem, quiduis audacter asseuerandi. Licet enim S. Hieronymus hanc obiectionem Iouiniani præmittat: cap. 14. (*At dicis; super Petrum fundatur Ecclesia*) paulò post tamen ex suo sensu & propria mente subdit; non propterea supra Petrum fundatam esse Ecclesiam, seu, quod idem est, non propterea Petrum, non Ioannem; constitutum esse reliquorum caput, quòd coniugiũ, in quo olim Petrus vixerat, anteponendum sit Virginitati; sed vt occasio schismatis & discordiæ præcideretur: Hoc totũ asseueranter affirmat S. Hieronymus ex sua sententia: & quamuis ibidem dicat: *in alio loco*, nempe Matth. 18. *Super omnes Apostolos Ecclesiam fundatam dici*: tamen hoc ipso, quod postea scribit, vnũ, hoc est, Petrum, constitutum esse caput, satis perspicuè indicat, Ecclesiam peculiari quadam ratione supra Petrum ædificatam esse, qua non sit ædificata supra cæteros, cum nullus ex cæteris cõstitutus fuerit caput, sed solus Petrus.

Aequè vana est altera Iunij obiectio, Bellarminum *ex propositione particulari vniuersalem efficere*: quo innuere videtur Caluinista; non valere hanc consequentiam: *Inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt, capite constituto, schismatis tollatur occasio: ergo Petrus fuit totius Ecclesiæ caput.* Sed consequentiam hanc esse probam & legitimam, suprà ostẽsum est contra Sibrandum. Non enim dicit S. Hieronymus; Petrum Apostolorum solummodo fuisse caput, sed indefinitè, fuisse caput cõstitutum, vt schismatis tolleretur occasio, hoc est, vt pax & concordia conseruaretur; vel, vt pacis & concordiæ conseruandæ aptissima ratio iniretur: At pax & concordia non tantum inter Apostolos, sed in tota Ecclesia conseruanda erat; oportebat igitur vnum totius Ecclesiæ caput cõstituere, vt eo constituto, vbique schismatum tolleretur occasio.

CAPVT IX.

Regimen Ecclesiasticum præcipuè Monarchicum esse debere.

ANTEQVAM Sibrandus & Sutliuius Bellarmini argumenta dissoluere incipiunt, integrum exercitum inaniũ & friuolarum rationum præmittunt, quibus demonstrari arbitrantur, Ecclesiasticum Regimen non esse Monarchicũ, quas copias breuiter nos recensebimus, & lustrabimus, vt earum vis & potentia magis eluceſcat. Ordiamur à Sutliuianis.

1. *Omnis Monarcha aut est Rex, aut Tyrannus: Sed qui Ecclesiæ præsidet, in nec Rex nec Tyrannus esse debet: ergo nec Monarcha.* Respondeo, si Regis nomẽ in maiore accipiatur ea notione, qua hodie vulgò vsurpatur, Maiorem nõ esse verã, potest enim quis verè esse Monarcha, hoc est, vnicus & absolutus Dominus in sua ditione absque vllo Regis nomine seu titulo. Si autem vocabulum Regis latius sumatur, tum dico, Monarcham Ecclesiasticum, esse Regem, sed spiritalem, & Ecclesiasticum: nõ temporalem & politicum: cui non obstat illud Lucæ 22. *Vos autem non sic*: quia hîc nõ prohibetur officium Regis Ecclesiastici vel Politici; sed fastus, & arrogantia, & inclementia erga subditos: Quò etiam respexit S. Petrus priore sua Epist. cap. 5. vbi iubet, vt qui Ecclesiæ præsunt, non se gerant, *vt dominantes in cleris*, hoc est, ne sint ex eorum Dominorum & Pastorum numero, de quibus exstat querimonia diuina:

Ezech.

Ezech. 34. *Va Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, &c. Lac comedebatis & lanis operiebamini, &c. gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod aegrotum non sanastis, &c. sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Eadem est sanctorum patrum mens: non enim primatum improbant; sed fastum & ambitum primatus. nam si primatus absolutè prohibitus est in Ecclesia, cur Sutliuius suum librum dedicauit *Primati totius Angliæ*, Pseudoarchiepiscopo Cantuariensi? Cur non & huic suo occinit illud? *Vos autem non sic. Neque vt dominantes in Cleris.* Scilicet Anglia suum habebit *Primatem*, saluo iure diuino; & in Ecclesia Dei *Primatem* vniuersalem agnoscere, nefas erit?

Idem argumentum verbosè, vt solet, obiectat VVitackerus. Ne tamen verbositas fastidium pariat; prudenter hac subtilitate temperandum censuit: *Matth. 20. volebant Iacobus & Ioannes in regno Christi primatum tenere; altero sessionem ad dexteram; altero, sessionem ad sinistram ore matris, ambiente & efflagitante: At Christus respondit: nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? imò & hoc: Reges gentium dominantur eis; Non ita erit inter vos. Ergo Christus prohibuit omnem primatum Ecclesiasticum.* Febricitabat proculdubio VVitackerus, quando hæc tam arguta somnia in chartam referebat. Quis consideratis sacri contextus Matth. 20 & Lucæ 22. circumstantiis non aduertit, si aduertere velit, Christum vtrobiq; non *primatui* absolutè; sed tali primatui, qualem animo efformabant, Iacobus & Ioannes, simulque ambitioni obuiam ire, & ad humilitatis studium & æmulationem discipulos incitare voluisse? Neque enim vnquam dixit Christus; neminem ex discipulis fore *primum*, vel primatu donandum; quod vno verbo indicare poterat, si omnes inter se æqualis potestatis & auctoritatis esse decreuisset: quo ipso discipulis omnem hac de re disquirendi & disceptandi occasionem præcidisset: imò disertè ostendit, aliquem cæteris primum, & maiorem constitutum iri, cui etiam hæc præcepta dedit: *Qui voluerit inter vos primus esse; erit vester seruus.* Et; *Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior; & qui præcessor est; sicut ministrator.* Cur non apertè & palam dixit; superfluè eos de Primo & Maiore disputare; nullum enim fore talem? Quid opus erat Primo & Maiori viuendi & agendi præcepta dare, si nullus eorum erat futurus *primus & maior?*

Argutum est & hoc VVitackerianum somnium. Si Christus Monarchiam Petro promisisset Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Apostoli ea de re postea minimè contendissent; cum scirent iam antea Petro esse designatam.* Respondeo, hoc non sequi: nam Apostoli ante Spiritum sanctum acceptum longè etiam clariora Christi dicta, quàm hoc sit, non sunt assecuti; vt erat illud Domini, Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit*: Et parabolicæ

A conciones Christi cum alibi, tum Matth. 13. vt alia huius generis præteream; imò ne illa quidē quæ illis clarissimè de sua post triduum resurrectione non semel prædixerat, satis perceperunt. Quid ergo mirū, si & illius Mat. 16. promissionis Petro factę vim non penitus intellexerunt? tametsi ex hac Christi pollicitatione, & ex aliis itidē indiciis haud obscurè colligebant, Petro primatum à Christo datum iri: & fortè eam ob caussam hæc inter illos de primatu contentio sub ipsum Christi ex hoc mundo discessum, exorta fuerat.

B Non iniuriâ autem miretur quis hunc Anglicanum disputatorem, qui non animaduertat; se sua & suorum vineta cædere; cum Episcopos adeo ab omni primatu & externo dominio ac splendore abiunctos esse cupit; cū ipsi Caluinistæ in Anglia duos habeant primatus, & geminum Primatem, Cantuariensem & Eboracēsem: ipsumque Regem omnium, ipsorum etiam Primatum, Primatem constituant, & caput vniuersale totius Anglicanæ Ecclesiæ iactitent. Et si Regis illius Imperium per totum orbem diffunderetur, haud dubiè, vt nunc totius Anglicanæ synagogæ; sic tunc totius vniuersalis Ecclesiæ caput Regem illum salutarent; nec quidquam, iudicio eorum, committeretur contra illud: *Vos autem non sic*; vt nec iam quidquam contrà committitur, cum Pseudoepiscopis Anglicanis, *hic honos defertur*, verba sunt Sarauiæ Caluinistæ, *vt inter nobiles & proceres regni censeantur* (Vbi manet illud, cum glossis vestris? *Vos autem non sic.*) *Archiepiscopis inter Duces, & magnos Regni Officiarios locus cum Clementiæ titulo datur.* (Vbi illud, ô VVitackere? *Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic.*) *Et Cantuariensi archiepiscopo ante omnes proceres & magnos Regni Officiarios est attributa; & primus par Regni dicitur. Cæteri omnes Episcopi inter Barones locum tenent, & eo nomine titulo Dominorum honorantur.* Hæc Sarauia.

C

II. *Præter Christum nullus dici potest vel Princeps Pastorum, vel caput vniuersalis Ecclesiæ: vel sponsus eiusdem:* Respondeo, hæc omnia eadem facilitate negari à nobis, qua asseruntur à Sutliuio. Visibilem enim Ecclesiæ cœtum habere oportet visibile caput, & visibilem Principem, cuius tribunal adiri, vox & responsa audiri ab omnibus queant: Visibili insuper sponsæ competit visibilis sponsus. Sed probat Sutliuius suum assertum: *quia scripturæ & patres elogia illa seu Epitheta soli Christo tribuunt.* Assertionem video; at nullam probationem; nisi fortè vult, vt probationis loco accipiamus calumniam, quam subiungit: *Istas appellationes Romano Pontifici sine blasphemia tribui non posse.*

D

Instat, *1. Petri quinto, vocatur Christus, Pastorum Princeps; ergo Romanus Pontifex non est Princeps pastorum.* Respondeo, negando consequentiam: quia & Christus est Princeps

Pasto-

Sect. 1. Of the Nature of Sin.

Sect. 2. Of the Nature of Sin.

Sect. 3. Of the Nature of Sin.

Sect. 4. Of the Nature of Sin.

Sect. 5. Of the Nature of Sin.

Sect. 6. Of the Nature of Sin.

Sect. 7. Of the Nature of Sin.

Sect. 8. Of the Nature of Sin.

Sect. 9. Of the Nature of Sin.

Sect. 10. Of the Nature of Sin.

Sect. 11. Of the Nature of Sin.

Sect. 12. Of the Nature of Sin.

Sect. 13. Of the Nature of Sin.

Sect. 14. Of the Nature of Sin.

Sect. 15. Of the Nature of Sin.

Sect. 16. Of the Nature of Sin.

Sect. 17. Of the Nature of Sin.

Sect. 18. Of the Nature of Sin.

Sect. 19. Of the Nature of Sin.

Sect. 20. Of the Nature of Sin.

Sect. 21. Of the Nature of Sin.

Sect. 22. Of the Nature of Sin.

Sect. 23. Of the Nature of Sin.

Sect. 24. Of the Nature of Sin.

Sect. 25. Of the Nature of Sin.

Sect. 26. Of the Nature of Sin.

Sect. 27. Of the Nature of Sin.

Sect. 28. Of the Nature of Sin.

Sect. 29. Of the Nature of Sin.

Sect. 30. Of the Nature of Sin.

Sect. 31. Of the Nature of Sin.

Sect. 32. Of the Nature of Sin.

Sect. 33. Of the Nature of Sin.

Sect. 34. Of the Nature of Sin.

Sect. 35. Of the Nature of Sin.

Sect. 36. Of the Nature of Sin.

Sect. 37. Of the Nature of Sin.

Sect. 38. Of the Nature of Sin.

Sect. 39. Of the Nature of Sin.

Sect. 40. Of the Nature of Sin.

Sect. 41. Of the Nature of Sin.

Sect. 42. Of the Nature of Sin.

Sect. 43. Of the Nature of Sin.

Sect. 44. Of the Nature of Sin.

Sect. 45. Of the Nature of Sin.

Sect. 46. Of the Nature of Sin.

Sect. 47. Of the Nature of Sin.

Sect. 48. Of the Nature of Sin.

Sect. 49. Of the Nature of Sin.

Sect. 50. Of the Nature of Sin.

Sect. 51. Of the Nature of Sin.

Sect. 52. Of the Nature of Sin.

Sect. 53. Of the Nature of Sin.

Sect. 54. Of the Nature of Sin.

Sect. 55. Of the Nature of Sin.

Sect. 56. Of the Nature of Sin.

Sect. 57. Of the Nature of Sin.

Sect. 58. Of the Nature of Sin.

Sect. 59. Of the Nature of Sin.

Sect. 60. Of the Nature of Sin.

Sect. 61. Of the Nature of Sin.

Sect. 62. Of the Nature of Sin.

Sect. 63. Of the Nature of Sin.

Sect. 64. Of the Nature of Sin.

Sect. 65. Of the Nature of Sin.

Sect. 66. Of the Nature of Sin.

Sect. 67. Of the Nature of Sin.

Sect. 68. Of the Nature of Sin.

Sect. 69. Of the Nature of Sin.

Sect. 70. Of the Nature of Sin.

Sect. 71. Of the Nature of Sin.

Sect. 72. Of the Nature of Sin.

Sect. 73. Of the Nature of Sin.

Sect. 74. Of the Nature of Sin.

Sect. 75. Of the Nature of Sin.

Sect. 76. Of the Nature of Sin.

Sect. 77. Of the Nature of Sin.

Sect. 78. Of the Nature of Sin.

Sect. 79. Of the Nature of Sin.

Sect. 80. Of the Nature of Sin.

Sect. 81. Of the Nature of Sin.

Sect. 82. Of the Nature of Sin.

Sect. 83. Of the Nature of Sin.

Sect. 84. Of the Nature of Sin.

Sect. 85. Of the Nature of Sin.

Sect. 86. Of the Nature of Sin.

Sect. 87. Of the Nature of Sin.

Sect. 88. Of the Nature of Sin.

Sect. 89. Of the Nature of Sin.

Sect. 90. Of the Nature of Sin.

Sect. 91. Of the Nature of Sin.

Sect. 92. Of the Nature of Sin.

Sect. 93. Of the Nature of Sin.

Sect. 94. Of the Nature of Sin.

Sect. 95. Of the Nature of Sin.

Sect. 96. Of the Nature of Sin.

Sect. 97. Of the Nature of Sin.

Sect. 98. Of the Nature of Sin.

Sect. 99. Of the Nature of Sin.

Sect. 100. Of the Nature of Sin.

vniuersalis Ecclesiæ Monarcha; vt taceam, eandem vniuersalem & Monarchicã potestatem etiam sub vocabulo *gubernationum* includi; nam præter gubernationes particulares, instituit Christus sua in Ecclesia vnam vniuersalem gubernationem & administrationem reliquis omnibus præsidentem ac iura dantem. Ex quibus in fumum abit VVitackeriana itidem matæologia, qua hîc chartas ventosissimè infercit.

Valdè insectatur Sutliuius, & cum illo VVitackerus, Bellarminum, quòd scripserit, cæteris quoque Apostolis summam concessam esse potestatem; sed soli Petro ordinariam, hoc est, ad successores transmittendam: *Si enim alij itidem Apostoli summa potestate præditi fuerint, tum Petrum non fuisse Monarcham, & per consequens, neq; Ecclesiæ regimen Monarchicum.* Ne sæui, ne fure, mi *Caluiniane Decane.* Summa fuit hæc potestas respectu terminorum & obiectorum; quia vbiq; & omnibus, absque discrimine, Euangelium annunciare, & in omnibus prouinciis & regnis acceptam potestatem exercere poterant, libere & absque vlla restrictione; at summa non fuit respectu Petri, à quo, tanquam à capite & principe, & vt oues à pastore, vno verbo, vt à Monarcha Apostoli omnes dependebant. Successum est quidem & aliis Apostolis; sed non in illa plenitudine potestatis, qua Apostoli pollebant: neque enim aliorum Apostolorum successores toto terrarum orbe potestatem suam exercere possunt, vt possunt successores S. Petri. Quibus hunc in modum explicatis diffluit tota VVitackeriana ex ampullis & sesquipedalibus vocabulis contexta declamitatio, *sicut fluit cera à facie ignis*: cuius totus fundus est inscitia, si non nequitia.

Nec illud facit ad palatum Sutliuij, & VVitackeri quod Bellarminus dicit, responderi etiam posse, Apostolum loco cit. non delineasse Hierarchiam Ecclesiæ; sed tantùm enumerasse varia dona; quæ sunt in Ecclesia. Recinit Sutliuius; *quasi verò Apostoli, pastores & doctores non sint ex sacru ministeriũ, & non pertineant illa clarissima lumina ad Apostolicæ Ecclesiæ hierarchiam.* Quasi verò Bellarminus ignoret, tres prædictos gradus, licet ad Ecclesiasticam Hierarchiam alioqui pertineant, posse tamen alio respectu considerari, vt sunt dona quædam & charismata à Deo Ecclesiæ cõcessa. Et hoc modo hîc spectari posse; atq; adeo Apostolum hîc perfectam Ecclesiasticæ Hierarchiæ formam efformare non voluisse; etiam inde planum fit, quòd è vestigio subiungit ea, quæ omnium confessione, non sunt gradus Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sed dona; vt sunt *virtutes, gratiæ curationum, epitulationes, genera linguarum*, &c. Nec moramur scurrilem VVitackeri sarcasmũ: *Apostolum in delineandis Hierarchiis parum accuratum fuisse; quod illius inscitiæ*, inquit, *tribuendum videtur, qui Pontificias Hierarchias nescierit. Si cum suo Dionysio deliberasset, non tam ignarus rerum istarum fuisset.* His A nimirum facetiis condire volebat macrologiam suam VVitackerus, ne auditores in schola, quibus hæc dictabat, tantis cenologiis offensi, fastidio afficerentur.

VI. Argumentum. *Vnitas Ecclesiæ seruatur absq; aliquo summo in externa Ecclesiæ gubernatione Monarcha*: probatur ex Apostolo Eph. 4. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnũ corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.*

Respondet Bellarminus; vnum Papam & vnũ Monarcham comprehendi in illis verbis: *vnum corpus, & vnus spiritus*; vt enim in corpore naturali ideo seruatur vnitas membrorum, quia omnia parent capiti; ita quoque tunc in Ecclesia seruatur vnitas, cum omnes obediunt vni. B

Oggerit Sutliuius: *hoc nimis absurdè dici. Nam Apostolus aut corpus intelligit mysticum, quod caput habet Christum; aut corpus accipit absolutè, absq; relatione ad caput. Vtrouis modo accipiamus nihil hæc verba ad Papam pertinent, qui non est huius corporis mystici caput, (ipsi enim mystici corporis caput visibile ponere non solent) sed corpus stolidum, & inutile corpus terræ.* Hic iterum laudare cogor iudicium Bezæ, qui Sutliuium *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* nominauit. Ingenio Sutliuij nomina hæc appositissimè conueniunt, vt iam sæpius visum; & sæpius in decursu disputationis huius videbimus. Ad argumentum Respondeo, nos intelligere illud corpus mysticum, quod caput inuisibile, absolutum & in suo genere independens habet Christum: Visibile autem caput, hoc est, caput sub capite Christo, habet Romanum Pontificem, Petri successorem. Et quodnam corpus *mysticum* intelligunt Angli, quando Regem suum aiunt esse caput corporis Ecclesiæ Anglicanæ? Num illud, quod caput habet Christum? An corpus accipiunt absolutè, sine habitudine ad caput? Mendacium est autem, quod Caluinista dicit, *nos mystici corporis nullum visibile caput ponere.* C

VII. *Nullus erat, Apostolorum temporibus, visibilis & summus Ecclesiæ Monarcha; ergo*, &c. Respõdeo Sutliuiũ vix mereri fidẽ, quando probat, quia perperam probat: quanto minus audiri debet, cum duntaxat temerè affirmat? D

VIII. *Nullus Apostolorum Apostolis reliquis leges dedit, aut eos ad munus Apostolicum vocauit. ergo*, &c. Respondeo, antecedens, quoad primam partem, non esse certum; Et vt certum esset; quæ tamen hæc consequentia esset? *Petrus non præscripsit reliquis Apostolis leges, ergo non potuit illis leges præscribere, vt caput & princeps omnium.* Quasi verò necesse sit, vt quidquid quis in alios potest, id faciat, præsertim si illi, sponte sua, sine præscripto legum strenuè exequantur ea, quæ sunt sui muneris. Ait Caluinista. *Petrum habuisse paria cum cæteris mandata.* Paria quoad omnia; nego: quoad quædam, concedo. Nullus Apostolorum accepit hoc mandatum eo penitus sensu &

Ps. 119. 105 Thy word is a lamp unto my feet, and a light unto my path.

106 I have sworn, and I will perform it, that I will keep thy righteous judgments.

107 I am afflicted very much: quicken me, O Lord, according unto thy word.

108 Accept, I beseech thee, the freewill offerings of my mouth, O Lord, and teach me thy judgments.

109 My soul is continually in my hand: yet do I not forget thy law.

110 The wicked have laid a snare for me: yet I erred not from thy precepts.

111 Thy testimonies have I taken as an heritage for ever: for they are the rejoicing of my heart.

112 I have inclined mine heart to perform thy statutes always, even unto the end.

113 I hate vain thoughts: but thy law do I love.

114 Thou art my hiding place and my shield: I hope in thy word.

115 Depart from me, ye evildoers: for I will keep the commandments of my God.

116 Uphold me according unto thy word, that I may live: and let me not be ashamed of my hope.

117 Hold thou me up, and I shall be safe: and I will have respect unto thy statutes continually.

118 Thou hast trodden down all them that err from thy statutes: for their deceit is falsehood.

119 Thou puttest away all the wicked of the earth like dross: therefore I love thy testimonies.

120 My flesh trembleth for fear of thee: and I am afraid of thy judgments.

121 I have done judgment and justice: leave me not to mine oppressors.

122 Be surety for thy servant for good: let not the proud oppress me.

123 Mine eyes fail for thy salvation, and for the word of thy righteousness.

124 Deal with thy servant according unto thy mercy, and teach me thy statutes.

125 I am thy servant; give me understanding, that I may know thy testimonies.

126 It is time for thee, Lord, to work: for they have made void thy law.

127 Therefore I love thy commandments above gold; yea, above fine gold.

128 Therefore I esteem all thy precepts concerning all things to be right; and I hate every false way.

129 Thy testimonies are wonderful: therefore doth my soul keep them.

130 The entrance of thy words giveth light; it giveth understanding unto the simple.

131 I opened my mouth, and panted: for I longed for thy commandments.

132 Look thou upon me, and be merciful unto me, as thou usest to do unto those that love thy name.

133 Order my steps in thy word: and let not any iniquity have dominion over me.

134 Deliver me from the oppression of man: so will I keep thy precepts.

135 Make thy face to shine upon thy servant; and teach me thy statutes.

136 Rivers of waters run down mine eyes, because they keep not thy law.

137 Righteous art thou, O Lord, and upright are thy judgments.

138 Thy testimonies that thou hast commanded are righteous and very faithful.

139 My zeal hath consumed me, because mine enemies have forgotten thy words.

140 Thy word is very pure: therefore thy servant loveth it.

141 I am small and despised: yet do not I forget thy precepts.

142 Thy righteousness is an everlasting righteousness, and thy law is the truth.

143 Trouble and anguish have taken hold on me: yet thy commandments are my delights.

144 The righteousness of thy testimonies is everlasting: give me understanding, and I shall live.

145 I cried with my whole heart; hear me, O Lord: I will keep thy statutes.

146 I cried unto thee; save me, and I shall keep thy testimonies.

147 I prevented the dawning of the morning, and cried: I hoped in thy word.

148 Mine eyes prevent the night watches, that I might meditate in thy word.

149 Hear my voice according unto thy lovingkindness: O Lord, quicken me according to thy judgment.

150 They draw nigh that follow after mischief: they are far from thy law.

151 Thou art near, O Lord; and all thy commandments are truth.

152 Concerning thy testimonies, I have known of old that thou hast founded them for ever.

153 Consider mine affliction, and deliver me: for I do not forget thy law.

154 Plead my cause, and deliver me: quicken me according to thy word.

155 Salvation is far from the wicked: for they seek not thy statutes.

156 Great are thy tender mercies, O Lord: quicken me according to thy judgments.

157 Many are my persecutors and mine enemies; yet do I not decline from thy testimonies.

158 I beheld the transgressors, and was grieved; because they kept not thy word.

159 Consider how I love thy precepts: quicken me, O Lord, according to thy lovingkindness.

160 Thy word is true from the beginning: and every one of thy righteous judgments endureth for ever.

161 Princes have persecuted me without a cause: but my heart standeth in awe of thy word.

162 I rejoice at thy word, as one that findeth great spoil.

163 I hate and abhor lying: but thy law do I love.

164 Seven times a day do I praise thee, because of thy righteous judgments.

165 Great peace have they which love thy law: and nothing shall offend them.

166 Lord, I have hoped for thy salvation, and done thy commandments.

167 My soul hath kept thy testimonies; and I love them exceedingly.

168 I have kept thy precepts and thy testimonies: for all my ways are before thee.

169 Let my cry come near before thee, O Lord: give me understanding according to thy word.

170 Let my supplication come before thee: deliver me according to thy word.

171 My lips shall utter praise, when thou hast taught me thy statutes.

172 My tongue shall speak of thy word: for all thy commandments are righteousness.

173 Let thine hand help me; for I have chosen thy precepts.

174 I have longed for thy salvation, O Lord; and thy law is my delight.

175 Let my soul live, and it shall praise thee; and let thy judgments help me.

176 I have gone astray like a lost sheep; seek thy servant; for I do not forget thy commandments.

pus cum capite conferri, & truncus seu moles corporis etiam sine capite considerari potest?

IV. *In qua Republica singulis reipublicæ membris data est sua portio, in ea vni alicui non data sunt omnia, & vniuersa. Sed in Ecclesia singulis membris data est sua portio. Ergò vni non sunt omnia, & vniuersa data.*

Respondeo maiorem esse falsam: sed eam Sibrandus *manifestam* pronunciat: *nam singulis portionem, & vni omnia data esse sunt contradictoria*, inquit Caluinista. Sed in qua schola sunt hæc contradictoria? In Lemannica, opinor. Perinde ac si diceret. Regi alicuius amplissimi Regni datam esse totam & plenam potestatem; & singulis proregibus & prouinciarum præfectis portionem; contradictoria sunt; nam si omnis potestas data est Regi; quomodo datur singulis sua portio? Etiam Christus omnem potestatem habet: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas*; & tamen Caluiniani Episcopi habent quoque singuli suam portionem potestatis; id quod nec Sibrandus, nec Sutliuius diffitebitur. Quomodo suam portionem obtinent, si Christus *omnem potestatem* habet? Imò quod plus est, ex sententia Caluinianorum in Anglia Rex habet vniuersalem, hoc est, omnem potestatem in Ecclesiam Anglicanam, sine vllo Episcoporum præiudicio, quia vnicuique sua portio nihilominus intacta manet. Videtur Sibrandus admodum subtiliter de potestate ratiocinari sicut de re quapiam materiali, (puta de pane aut vino,) quæ quo in plures partes distribuitur, eò minor efficitur; nec tota penes vnum exstare potest. Quasi verò eadem sit ratio potestatis; hæc enim ita cõparata est, vt integra in vno perseuerans, & per partes aliis, qui sint in regimine supremi illius adiutores & administri, demandari ac committi possit, prout ei, qui potestatis plenitudine pollet, videbitur.

V. *Qui non est caput vniuersæ Ecclesiæ, ille non est Monarcha in Ecclesia. Sed Papa Romanus non est vniuersæ Ecclesiæ caput. Ergò Papa non est Monarcha per vniuersam Ecclesiam.* Respondeo, negando Minorem; quam probat Sibrandus. *Christus est caput Ecclesiæ; ergo non Papa.* Dicamus nos. Christus est Episcopus Ecclesiæ, etiam cuiusuis particularis; ergo Londinensis ille, qui se nominat Londinensem Episcopum, non est Episcopus Londinensis Ecclesiæ. Christus est caput Ecclesiæ Anglicanæ; ergo non Rex Angliæ. Christus est primas Ecclesiæ Anglicanæ, ergo nõ VVitgiftus ille, cuius nomini nænias suas inscripsit Sutliuius. Sed de consecutionis huius inanitate abundè iam supra.

VI. *Qui non est idoneus & sufficiens ad vniuersam Ecclesiam gubernandam, ille non est Monarcha per vniuersam Ecclesiam. Sed vnus homo non sufficit ad vniuersam Ecclesiam gubernandam. Ergò, vnus homo non est Monarcha per vniuersam Ecclesiam.* Respondeo, Minorem esse falsam; quia vt vnus sit sufficiens, satis est, si sit sufficiens per subordinatos ministros. Nam vt ipse Monarcha omnia per se immediatè peragat, necesse non est; vt patet quoque in Monarchiis politicis, quarum nonnullæ fuerunt, & sunt maximæ; & tamen ab vno administrantur optimè; sed per subordinatos proreges & præfectos. Maledicta ad Sibrandum remissa volo.

VII. *Qui ratione sui ipsorum nihil sunt, ratione autem officij ministri sunt, & aliorum sunt, eodemq; respectu vnum sunt, illi non Monarcha, neq; Domini, sed serui, & inter se æquales sunt. Sed omnes ministri ratione sui ipsorum nihil sunt; ratione autem officij serui sunt, & aliorum sunt, eodemq; respectu vnum sunt. Ergò omnes ministri, non Monarchæ, neque Domini, sed serui, & inter se æquales sunt. Maior est per se vera*, inquit Sibrandus, *quicunque enim seruus est, ille non est Dominus.*

Respondeo I. Si horribilis iste syllogismus aliquid virium haberet; ipsos etiam politicos Monarchas Christianos, imò & alios è medio tolleret. Nam quiuis Christianus, ratione sui ipsius, per humilitatis affectum, nihil esse debet, quia modestè & humiliter quiuis de se sentire debet. Et quid absolutè est homo, nisi *vapor ad modicum parens*? Idem politicus Monarcha ratione officij, minister est; quia bonum commune & subditorum omnibus modis ex officio procurare tenetur. Minister etiam Dei est, quia Dei vice fungitur. Idem Monarcha, aliorum est, quia aliorum vtilitatibus studere obligatur: Monarcha quoque politicus cum subditis vnum est, quod attinet ad humanam naturam; erit igitur & ipse politicus Monarcha non Dominus, sed seruus. Caueant igitur sibi Monarchæ politici ab hoc Sibrandico syllogismo; ne per eum suo de throno deturbentur, & in ordinem vulgi redigantur.

Respondeo II. hunc eundem syllogismum cuiuis etiam Episcopo Caluiniano, siue Anglo, siue Geneuensi, siue Batauo, imò & toti Geneuensi Consistorio, quantum, quantum est, omnem potestatem adimere, & in seruorum stationem detrudere. Quia etiam Caluiniani ministri, respectu sui ipsius, nihil sunt, ratione autem officij, ministri sunt; & aliorum sunt, eodemque respectu vnum sunt; ergo nullam habent in alios potestatem; sed serui sunt; & æquales aliis, &c. Neque marito ius in coniugem; neque patrifamilias ius in familiam per hunc syllogismum constabit, vt fatebitur, quisquis Maioris conditiones ad ius mariti & Oeconomicum accommodare voluerit.

Respondeo III. directè falsam esse Maiorem, si intelligatur de affectu Christianæ humilitatis, & de ratione officij; quæ exigit, vt qui in potestate constitutus est, communitatis commoda priuatis anteponat. Vera autem est Maior, si intelligatur, de eo, qui verè nihil est; hoc est, nulla sublimiore potestate & dignitate insignitus, & qui aliorum minister est ratione sub-

dicat; Monarchiam Aristocratiæ & Democratiæ admixtam, esse optimam Reipublicæ formam; non igitur optimam esse Monarchiam, vt in capite secundo decernitur. Sed Caluinista aduertere noluit, Bellarminum cap. 2. loqui de Monarchia simplici, vt opponitur Aristocratiæ & Democratiæ, itidem simplici, & absque circumstantiis consideratæ: in tertio autem capite de Monarchia inclusis circumstantiis. Quo animaduerso, omnis euanescit antilogia & calumnia. VIII. *Bellarminum ex duobus mendaciis inferre hanc conclusionem: Ecclesiæ regimen esse Monarchicum.* Videtur Sutliuius Danæo palmam mentiendi & criminandi præripere; & hanc tantam gloriam ex Lemanno lacu in Angliam transferre velle.

Danæus ait, primum Bellarmini argumentum esse huiusmodi. *Est opus aliquo capite ministeriali in Ecclesia, ergo Ecclesiæ regimen est Monarchicum.* Mentitur Danæus; argumentum hoc non est Bellarmini; sed refellens obiectionem quandam Caluini, dicit; Ecclesiam vniuersalem, cum sit corporalis & visibilis egere capite generali, & vno aliquo visibili summo iudice, licet Christum pro capite inuisibili habeat & agnoscat. Iunius nil aliud ingeminat; quàm illud suum: *Negatur. Negatur.*

Sibrandus Bellarmini probationem hoc syllogismo complectitur. *Tantum sunt tres regiminis formæ; Democratia, Aristocratia, & Monarchia. Sed Ecclesiæ regimen non est democraticum, neque aristocraticum; ergò Monarchicum.* Nihil aliud respondet Caluinista; quàm antea à se ostensum, Ecclesiæ regimen esse Aristocraticum. Sed quàm erudite & feliciter hoc demonstrarit, vidimus suo loco.

Vt autem cognoscas, quàm Sibrandus sit ingignendis syllogismis feracis ingenij, etiam hunc ex prima Bellarmini ratione syllogismum exscalpit: *Quod in politia est optimum regimen, illud etiam in Ecclesia est optimum regimen; atque ea Deus Ecclesiam gubernari voluit. Sed Monarchia est optimum regimen in politia. Ergo & in Ecclesia optimum regimen est Monarchicum, eoq; Deus Ecclesiam gubernari voluit. Respondeo,* inquit Caluinista, *maiorem non esse veram: Multa enim sunt in politia optima: quæ ne quidem in Ecclesia sunt licita. Vt, hominem facinorosum externa vi coërcere in politia est laudabile, & necessarium, Rom. 13. in Ecclesia, est illicitum,* Matth. 26. At Bellarminus non dixit; quod in politia, hoc est, in Republica ciuili, est optimum regimen, hoc etiam in Ecclesia est optimum regimen; sed absolutè asseruit, Monarchiam simpliciter spectatam esse optimum regimen, ac proinde cogitandum esse, Deum, Ecclesiasticum regimen voluisse esse Monarchicum, cum proculdubio non nisi optimum esse voluerit. Vbi autem tradit scriptura, in Ecclesia illicitum esse vim vi repellere? Tametsi enim Sibrandus in Caluiniano Euangelio magnos progressus fecit, vix tamen vsque adeo perfectum arbitror, vt latroni violenter se inuadenti, manibus & pedibus non reluctaretur.

Ait Sibrandus. *Politiam administrare est regnare; Ecclesiam verò administrare, non est regnare, sed seruire.* Est seruire, non per subiectionem, sed propter obligationem, qua ij, quibus Ecclesiæ gubernacula commissa sunt, subditorum commoda & vtilitates procurare obstringuntur. Quo intuitu rectè dixeris, etiam in politico regimine, regnare esse *seruire*, cum politicus quoque Princeps, emolumenta crediti sibi populi præcipuè ob oculos habere debeat.

VVitackerus in Controuersia sua de Pontif. Quæst. 1. cap. 2. multa fabulatur & fatuatur de Monarchia, nec audet apertè, vt Sutliuius, eam Aristocratiæ posthabere, memor, si rectè coniicio, se in Monarchia, non in Aristocratia degere. Itaque quod Sutliuius manifestè in scena, & coram tota cauea actitat; hoc iste facit latens post siparium: Et post multa diuerticula tandem ait; *Etiamsi Monarchicum regimen optimum foret, non sequi tamen, Ecclesiam Monarchicè regi debere.* At cur non sequitur? An non credibile est, Christum modo optimo, præstantissimo, & excellentissimo Ecclesiam suam gubernari voluisse? Ait VVitackerus, *ineptè facere illos, qui ex Philosophorum sententiis docere velint, quam formam regendæ Ecclesiæ Christus præscripserit.* Nemo hoc docet, ex Philosophorum sententiis; sed istud ex Philosophorum placitis, hoc est, ex ipsius naturæ dictatis, docetur, Monarchiam esse omnium Reipublicæ formarum præstantissimam, simpliciter loquendo: Et hoc posito, infert Theologus; hanc conclusionem: Ergo Christus Ecclesiæ regimen voluit esse Monarchicum, quia credibile est optimum institutorem, non nisi optimam formam elegisse.

Postea logodædaliæ suæ frænos laxare incipit VVitackerus; & verbosissimè declamitat; *Christum seu scripturam esse omnium controuersiarum iudicem; nullum hominis iudicium esse infallibile. Deum esse audiendum, non Papam... Papam neminem... continere in officio, imò omnia officia ab illo peruerti;* Et si quæ sunt huius farinæ alia, trium, quàm literario gymnasio longè digniora.

Illud est festiuum; *Solum Christum esse Pastorem & Episcopum animarum nostrarum.* Quorum ergo Episcopi & Pastores Anglicani sunt Episcopi & Pastores? Num corporum solummodo, non animarum? Nomen *Pastoris & Episcopi* æquiuocè dici de Christo & aliis Pastoribus ac Episcopis; assentior, si VVitackerus non de orthodoxis, sed de Caluinianis & Lutheranis *Pastoribus, Superintendentibus & Pseudoepiscopis* hoc intelligat. Quàm verò regio professori turpe

[illegible] [illegible] [illegible] [

rarchiæ sub vno principe in cœlis institutæ? Probabilis profectò est hæc loci Paulini explicatio; tametsi non apodictica, & prorsus euidens; pro qua neque à Bellarmino allata est.

Obiicit Sutliuius: *Gregorium lib. 4. epistol. 12. ne verbum quidem vnum de Angelis facere, aut eorum politia.* Nescio, qua Bellarmini editione vsus sit Sutliuius, Mea Ingolstadiensis in folio 1601. notat epist. 52. Quam si Sutliuius consuluisset, reperisset vtique, quod se in epist. 12. non reperisse queritatur. Oggannit Caluinista. Bernardum non dicere; *esse eandem politiam nostræ Ecclesiæ, & Angelorum.* Nec Bellarminus dicit, Bernardum hoc affirmare; sed istud: Ecclesiam militantem nominari in Apocalypsi *nouam Hierusalem*; quod ad exemplum cœlestis illius ciuitatis instituta & conformata sit. Quod Bellarmino ad confirmationem argumenti sui sufficit.

VVitackerus clamitat: *Gregorium & Bernardum sæpius sequi commenta sui cerebri, sine auctoritate verbi.* Neruosa solutio; quia nititur auctoritate *verbi*, sed Caluiniani, cui solenne, conuicia in sanctos Patres vibrare, idq; ex sui cerebri phantasmate, sine verbi cœlitus delapsi auctoritate. *Luciferi similem esse*, Auctore Gregorio, qui *nomen Monarchæ desiderat*; credam, cum in Gregorio legero; & credam, non sine glossa.

Oggerit VVitackerus: *Colligi quidem ex Gregorio Angelos esse potestate impares; at non vnum esse inter Angelos summum Angelum.* Sed VVitackerus non debebat verberare auram, sed attendere, cui probando Bellarminus sanctum Gregorium produxerit; non enim alio fine hoc fecit, quàm vt ostenderet, gubernationem Ecclesiæ militantis esse similem Angelicæ Hierarchiæ: Idem, & non aliud, euincere voluit auctoritate B. Bernardi; non autem illud: quod Bellarmino affingit VVitackerus; *vnum esse supremum Angelum, qui cæteris omnibus præsit.* Nam hoc postea aliunde ostendit Bellarminus. Quocirca impostorem agit VVitackerus, cum Bellarmino tribuit, quæ ipse ex Caluiniano suo cerebro extudit: Calumniatoris autem partes egregiè sustinet; quando expostulat cum Bellarmino, quòd non protulerit *Patres Bernardo & Gregorio antiquiores*: & hoc ideo factum criminatur, *quòd nullus inter antiquos de tam putido commento somniauerit.* At cui nō sat antiquus D. Gregorius, ei, suspicor, ne antiquissimum quidem satis antiquum fore. Si quis vel ex primo sæculo proferretur, quid aliud diceret VVitackerus, quàm quòd paulò pòst occinit? *Fides nostra non ex humanis, sed diuinis testimoniis pendet.*

Sed en subtile VVitackeri argumentum; tametsi nihil ad Bacchum, cum Bellarminus necdum agat de vno Angelorum principe & Monarcha, sed tantùm generatim de similitudine, quæ est in Hierarchiæ Ecclesiasticæ & Angelicæ gubernatione. *Angeli*, inquit VVitackerus, *liberi*

A *sunt à prauis perturbationibus, iuq; desiderijs, quæ bonum statum aut euertunt, aut corrumpunt, non abnuuntur dignitate & potentia sua, vnde metuendum non esset, ne in tyrannidem degeneraret eorum Monarchia; Homines autem peruersi sunt naturæ, & superbo ingenio præditi: ergo licet inter Angelos vnus reliquis omnibus Monarchicè præesset, haud sequeretur, idem in Ecclesiastico regimine contingere.* Respondeo, hoc argumentum non magis pugnare contra Ecclesiasticam Monarchiam ac contra politicam. Nam si superbia humani ingenij, & periculum abusus ac degenerationis in tyrannidem obstat, quò minus Monarchia locū in Ecclesia habeat, obstabit etiam, quò minus ei in Republica ciuili locus relinquatur, cum arrogantia dominandi, abusus & B tyrannis vbique sint intolerabilia, & summopere fugienda. Quòd si his periculis plerique mortalium minimè absterriti fuerunt, quò minus Monarchiam cæteris politicæ Reipublicæ formis præponerent; caussæ nihil est, cur metu huiusmodi periculorum Monarchiam ex Ecclesia eliminent.

Vociferatur Sutliuius & vnà VVitackerus, *non posse probari, quod dicit Bellarminus; vnum Angelum cæteris omnibus aut olim præfuisse, aut nunc præesse.* Hæc enim nec scripturam, neque Patres tradere. At duobus hisce Caluinistis non puris, oppono Caluinistam *Puritanum* Iunium, qui hic ista. *Etsi hoc controuerti potest, tamen ne opinioni receptæ nos de industria aduersari putet, vltrò* cōcedimus. En quam C liberalis Iunius; quàm verò parcus & restrictus cum VVitackero Sutliuius ex eadem Caluini schola discipulus: qui tam temerè opinioni, vt Iunius vocat, *receptæ* sese opponit. Cui sat verisimilitudinis conciliat Bellarminus ex capite 40. Iob, vbi *Behemoth*, id est, Diabolus, dicitur *principium viarum Domini.* Et ex cap. 14. Isaiæ, vbi Diabolus comparatur Lucifero stellæ candidissimæ, &c. Obiicit Sutliuius. *Non sequi, Behemoth est figura Diaboli, ergo Diabolus omnibus Angelis præest.* Hanc consequentiam non texuit Bellarminus, sed *Diabolus*, hoc est, ille, qui Bezæ *petulans calumniator & conuiciator* nuncupatur. Nam Bellarmini argumentum sic instituendum esset; si quis candidus Theologus, & non futilis lœdorologus D esset. Per Behemoth apud Iob intelligitur Diabolus, & quidem is, *qui principium viarum Domini*, hoc est, qui omnium excellentissimus erat: ergo iste ante lapsum Angelis præerat: quia æquum est, vt omnium excellentissimo ceteri subiiciantur.

Obiicit Sutliuius: *Neque hanc consequentiam valere: Diabolus significatur apud Isaiam per Luciferum, stellam lucidissimam & pulcherrimam; ergo ille Diabolus, qui cum hoc stella comparatur, reliquis Angelis ante lapsum imperauit.* Cur non valet hæc consequentia? cur saltem verisimilis censeri nequit, accedente præsertim sanctorum Patrum consensu. Nam quod Iunius ait, & Sutliuius quoque innuit, aliud esse *caput secundum ordinem naturæ cuius*

4 And by knowledge shall the chambers be filled with all precious and pleasant riches.

5 A wise man is strong; yea, a man of knowledge increaseth strength.

6 For by wise counsel thou shalt make thy war: and in multitude of counsellors there is safety.

7 Wisdom is too high for a fool: he openeth not his mouth in the gate.

8 He that deviseth to do evil shall be called a mischievous person.

9 The thought of foolishness is sin: and the scorner is an abomination to men.

Non aliam ob causſam comparatur Diabolus lucifero, hoc eſt, ſtellarum maximæ & pulcherrimæ, ſaltem quoad apparentiam & vulgi opinionem; quàm, quia vt hæc ſtella inter alias primatum tenet; ſic & Diabolus ante caſum primas tenuit inter Angelorũ choros, & hoc etiam probat Bellarminus auctoritate S. Gregorij lib. 32. Moralium, vbi nouem illos lapides, qui apud Ezech. 28. quibus primus Angelus veſtitus fuiſſe dicitur; interpretatur nouem Angelorum choros, qui hunc Angelum, tanquam principem ſuum, circumſteterint.

Vociferatur Sutliuius, Gregorium non dicere, nouem Angelorum choros circumſtetiſſe illum Angelum, tanquam ſuum principem; ſed *ipſum fuiſſe eis opertum, quia eos quaſi veſtem ad ornamentum habuit.* Nec Bellarminus dixit, hæc, quæ protulit, eſſe ipſa D. Gregorij verba: neque enim verba annumerare voluit, ſed ſenſum: qui alius non eſt, quàm quem Bellarminus expoſuit, nam primum illum Angelum tenuiſſe ſuper cæteros principatum, S. Gregorius apertiſsimè ſuprà nõ ſemel affirmarat, vt antè vidimus: poſtea dicit, hunc primum Angelum fuiſſe *nouem Angelorum chorũ opertum.* Quæ eſt hæc *opertio*, ſeu quale hoc operimentum; niſi Angelorum circumſtatio, qua hunc circumuallabant? Qua de cauſſa, niſi quia eorum princeps erat? Et hæc ipſa circumſtatio indicatur à S. Gregorio, etiam illis verbis: quia *eos* (nouem Angelorum choros) *quaſi veſtem ad ornamentum habuit:* veſtis profectò homini circumadiacet: eumque circumdat: ſi autem reliqui Angeli fuerunt primi illius quaſi veſtes ad ornatum, quis non animaduertit, illos ei fuiſſe ſubiectos, & inferiores? An non veſtes ſubiiciuntur ei, cuius ſunt veſtes?

Subdit S. Gregorius de primo Angelo: Quorum (Angelorum ex nouem choris) *dum claritatem tranſcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.* ergo alij inferiores ipſo erant, eumq; circumſtabant, vt ex oppoſitione mutua, ſublimitas & maieſtas eius ſupra cæteros magis eluceret.

Iunius intonat: Has S. Gregorij & aliorum Patrum interpretationes nec veras nec proprias eſſe. *Nam locus Iobi,* inquit, *de elephante agit belluarum principe; ſecundus ex Eſaia, de rege Babyloniæ; tertius ex Ezechiele, de rege Tyri. Patres autem vera, & propria locorum ſignificatione abludentes, dixerunt iſta allegoricè, atque allegoriam vnam, de re vna ſpeciatim dictam ad alteram tranſtulerunt. Allegoricæ interpretationes, ſi non ſunt loci propriæ, & deſtinatæ, nihil omnino probare poſſunt.* At vt hæc omnia allegorica eſſent; ſenſum tamen ſanctorum Patrum nobis patefacerent, nimirum, iudicio eorum, fuiſſe vnum Angelum, qui reliquorum dux & caput eſſet; Deinde, cum eiuſdẽ loci in ſcripturis poſsint eſſe plures litetales ſenſus, vt lib. 3. primi Tomi Defenſionis diximus; mirum videri non debet, ſi loca illa Iob, Iſaiæ & Ezechielis, etiam *litteraliter*, de Diabolo accipiantur, vt factum videtur à Patribus. Imò quando ſub & in perſona alterius aliquid de aliquo dicitur; non minus in illum dicitur, quam in eum, qui eius quaſi perſonam gerit.

Inuerecundior eſt VVitackerus, qui criminatur *falſum & ridiculum eſſe*, affirmare, per Behemoth *Diabolum* ſignificari. Et hoc dictum vult *bona cum Gregorij venia.* Ne dubita; mitis ſemper fuit S. Gregorius. Impudentiæ tuæ proculdubio potius miſeretur, quàm indignatur. Sed cur tibi *falſum & ridiculum*, quod tantus vir tradidit? Quia Behemoth, de quo Iob, *comedit herbam ſicut bos; & lumbos, oſſa, neruos, caudam habet: Sed horum nihil competit Diabolo.* Trade te, oro, in diſciplinam ſanctiſſimi Gregorij. Inuenies, quomodo hæc omnia in ipſo Cacodæmone, tametſi *tropicè*, inuenias. Ait VVitackerus, *non multum valere, quòd patres Iſaiæ 14. per Luciferum intelligunt Diabolum.* Tantum hoc valet, vt valorem eius tuis calumniis nunquam ſis labefacturus; & multò minus hoc tuo mendacio, cum ſcribis: *Hieronymum in cap. 14. Iſaiæ per Luciferum intelligere Regem Babylonis; ac proinde Hieronymum perperam à Bellarmino citari.* At cedò Caluiniſta; num per Luciferum ſolum Regem Babylonis intelligit, ſanctus ille Pater, excluſo Diabolo, & caſu eius? Vt dura tibi frons ſit, vix tamen tam duram fore credo, vt id abſque ambagibus aſſeras, cum mens & verba Hieronymi ſint clariſsima.

Ait Sutliuius: *Vt concederemus, Luciferum reliquis Angelis præfuiſſe: parum tamen hoc honorificum eſſet Pontifici Romano eum exemplum ſuæ prælationis à Lucifero petere: & Bellarminus hoc loco planè prænaricatus videtur, qui Pontificem ſuum Lucifero, & Diabolo, quem germano modo imitatur, in Monarchia Eccleſiaſtica ſimilem facit.* Hic iterum approbo factum Bezæ, qui Sutliuium *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* appellauit. Verè enim talis eſt; quid enim hoc reſponſum eius aliud eſt, niſi calumnia & lœdoria? Quia Pontifex Romanus non habet pro exemplo ſuæ Monarchiæ Luciferum in Diabolum malitia ſua transformatum, & ex Angelo lucis Angelum tenebrarum factum; ſed prout verſabatur in gloria & magnificentia, quæ Iſaiæ 14. & Ezechielis 28. accuratè deſcribitur: Itaq; à Luciferi hoc modo ſpectati Monarchia argumẽtum ducit Bellarminus ad Monarchiam Pontificis; Eſtne hoc Pontificem Diabolo ſimilem facere? Ne ipſe quidem Diabolus hoc affirmarit, pudentior hac in re Sutliuio.

Obiicit Sutliuius, Scholaſticos docere Luciferum non ex ſupremo, ſed ex inferiore Angelorũ ordine fuiſſe. Aut loquitur Sutliuius de omnibus Scholaſticis, aut de aliquibus: ſi illud: palam mentitur; nam plerique & præcipui Scholaſtici, & in his S. Thomas 1. p. q. 63. tradunt, Luciferum ex ſupremo Angelorum choro fuiſſe. Si hoc: cur nullum particularis orationis ſignum adhibuit? Neq; verò ægrè feret, ſi Bellarminus, & nos cum illo, paucos multis, & ignobiliores nobilioribus poſthabeamus.

Ait

1 Blessed is the man that walketh not in the counsel of the ungodly, nor standeth in the way of sinners, nor sitteth in the seat of the scornful.

2 But his delight is in the law of the LORD; and in his law doth he meditate day and night.

3 And he shall be like a tree planted by the rivers of water, that bringeth forth his fruit in his season; his leaf also shall not wither; and whatsoever he doeth shall prosper.

4 The ungodly are not so: but are like the chaff which the wind driveth away.

5 Therefore the ungodly shall not stand in the judgment, nor sinners in the congregation of the righteous.

6 For the LORD knoweth the way of the righteous: but the way of the ungodly shall perish.

1 Why do the heathen rage, and the people imagine a vain thing?

2 The kings of the earth set themselves, and the rulers take counsel together, against the LORD, and against his anointed, saying,

3 Let us break their bands asunder, and cast away their cords from us.

4 He that sitteth in the heavens shall laugh: the Lord shall have them in derision.

5 Then shall he speak unto them in his wrath, and vex them in his sore displeasure.

6 Yet have I set my king upon my holy hill of Zion.

7 I will declare the decree: the LORD hath said unto me, Thou art my Son; this day have I begotten thee.

8 Ask of me, and I shall give thee the heathen for thine inheritance, and the uttermost parts of the earth for thy possession.

9 Thou shalt break them with a rod of iron; thou shalt dash them in pieces like a potter's vessel.

10 Be wise now therefore, O ye kings: be instructed, ye judges of the earth.

11 Serve the LORD with fear, and rejoice with trembling.

12 Kiss the Son, lest he be angry, and ye perish from the way, when his wrath is kindled but a little. Blessed are all they that put their trust in him.

1 LORD, how are they increased that trouble me! many are they that rise up against me.

2 Many there be which say of my soul, There is no help for him in God. Selah.

3 But thou, O LORD, art a shield for me; my glory, and the lifter up of mine head.

4 I cried unto the LORD with my voice, and he heard me out of his holy hill. Selah.

5 I laid me down and slept; I awaked; for the LORD sustained me.

6 I will not be afraid of ten thousands of people, that have set themselves against me round about.

7 Arise, O LORD; save me, O my God: for thou hast smitten all mine enemies upon the cheek bone; thou hast broken the teeth of the ungodly.

8 Salvation belongeth unto the LORD: thy blessing is upon thy people. Selah.

1 Hear me when I call, O God of my righteousness: thou hast enlarged me when I was in distress; have mercy upon me, and hear my prayer.

2 O ye sons of men, how long will ye turn my glory into shame? how long will ye love vanity, and seek after leasing? Selah.

3 But know that the LORD hath set apart him that is godly for himself: the LORD will hear when I call unto him.

4 Stand in awe, and sin not: commune with your own heart upon your bed, and be still. Selah.

5 Offer the sacrifices of righteousness, and put your trust in the LORD.

6 There be many that say, Who will show us any good? LORD, lift thou up the light of thy countenance upon us.

7 Thou hast put gladness in my heart, more than in the time that their corn and their wine increased.

8 I will both lay me down in peace, and sleep: for thou, LORD, only makest me dwell in safety.

1 Give ear to my words, O LORD, consider my meditation.

2 Hearken unto the voice of my cry, my King, and my God: for unto thee will I pray.

3 My voice shalt thou hear in the morning, O LORD; in the morning will I direct my prayer unto thee, and will look up.

4 For thou art not a God that hath pleasure in wickedness: neither shall evil dwell with thee.

5 The foolish shall not stand in thy sight: thou hatest all workers of iniquity.

6 Thou shalt destroy them that speak leasing: the LORD will abhor the bloody and deceitful man.

7 But as for me, I will come into thy house in the multitude of thy mercy: and in thy fear will I worship toward thy holy temple.

8 Lead me, O LORD, in thy righteousness because of mine enemies; make thy way straight before my face.

9 For there is no faithfulness in their mouth; their inward part is very wickedness; their throat is an open sepulchre; they flatter with their tongue.

10 Destroy thou them, O God; let them fall by their own counsels; cast them out in the multitude of their transgressions; for they have rebelled against thee.

11 But let all those that put their trust in thee rejoice: let them ever shout for joy, because thou defendest them: let them also that love thy name be joyful in thee.

12 For thou, LORD, wilt bless the righteous; with favour wilt thou compass him as with a shield.

1 O LORD, rebuke me not in thine anger, neither chasten me in thy hot displeasure.

2 Have mercy upon me, O LORD; for I am weak: O LORD, heal me; for my bones are vexed.

3 My soul is also sore vexed: but thou, O LORD, how long?

4 Return, O LORD, deliver my soul: oh save me for thy mercies' sake.

5 For in death there is no remembrance of thee: in the grave who shall give thee thanks?

6 I am weary with my groaning; all the night make I my bed to swim; I water my couch with my tears.

7 Mine eye is consumed because of grief; it waxeth old because of all mine enemies.

8 Depart from me, all ye workers of iniquity; for the LORD hath heard the voice of my weeping.

9 The LORD hath heard my supplication; the LORD will receive my prayer.

10 Let all mine enemies be ashamed and sore vexed: let them return and be ashamed suddenly.

1 O LORD my God, in thee do I put my trust: save me from all them that persecute me, and deliver me:

2 Lest he tear my soul like a lion, rending it in pieces, while there is none to deliver.

3 O LORD my God, if I have done this; if there be iniquity in my hands;

4 If I have rewarded evil unto him that was at peace with me; (yea, I have delivered him that without cause is mine enemy:)

5 Let the enemy persecute my soul, and take it; yea, let him tread down my life upon the earth, and lay mine honour in the dust. Selah.

6 Arise, O LORD, in thine anger, lift up thyself because of the rage of mine enemies: and awake for me to the judgment that thou hast commanded.

7 So shall the congregation of the people compass thee about: for their sakes therefore return thou on high.

8 The LORD shall judge the people: judge me, O LORD, according to my righteousness, and according to mine integrity that is in me.

9 Oh let the wickedness of the wicked come to an end; but establish the just: for the righteous God trieth the hearts and reins.

10 My defence is of God, which saveth the upright in heart.

11 God judgeth the righteous, and God is angry with the wicked every day.

12 If he turn not, he will whet his sword; he hath bent his bow, and made it ready.

13 He hath also prepared for him the instruments of death; he ordaineth his arrows against the persecutors.

14 Behold, he travaileth with iniquity, and hath conceived mischief, and brought forth falsehood.

15 He made a pit, and digged it, and is fallen into the ditch which he made.

16 His mischief shall return upon his own head, and his violent dealing shall come down upon his own pate.

17 I will praise the LORD according to his righteousness: and will sing praise to the name of the LORD most high.

1 O LORD our Lord, how excellent is thy name in all the earth! who hast set thy glory above the heavens.

2 Out of the mouth of babes and sucklings hast thou ordained strength because of thine enemies, that thou mightest still the enemy and the avenger.

3 When I consider thy heavens, the work of thy fingers, the moon and the stars, which thou hast ordained;

4 What is man, that thou art mindful of him? and the son of man, that thou visitest him?

5 For thou hast made him a little lower than the angels, and hast crowned him with glory and honour.

6 Thou madest him to have dominion over the works of thy hands; thou hast put all things under his feet:

7 All sheep and oxen, yea, and the beasts of the field;

8 The fowl of the air, and the fish of the sea, and whatsoever passeth through the paths of the seas.

9 O LORD our Lord, how excellent is thy name in all the earth!

1 I will praise thee, O LORD, with my whole heart; I will show forth all thy marvellous works.

2 I will be glad and rejoice in thee: I will sing praise to thy name, O thou most High.

3 When mine enemies are turned back, they shall fall and perish at thy presence.

4 For thou hast maintained my right and my cause; thou satest in the throne judging right.

5 Thou hast rebuked the heathen, thou hast destroyed the wicked, thou hast put out their name for ever and ever.

6 O thou enemy, destructions are come to a perpetual end: and thou hast destroyed cities; their memorial is perished with them.

7 But the LORD shall endure for ever: he hath prepared his throne for judgment.

8 And he shall judge the world in righteousness, he shall minister judgment to the people in uprightness.

9 The LORD also will be a refuge for the oppressed, a refuge in times of trouble.

10 And they that know thy name will put their trust in thee: for thou, LORD, hast not forsaken them that seek thee.

11 Sing praises to the LORD, which dwelleth in Zion: declare among the people his doings.

12 When he maketh inquisition for blood, he remembereth them: he forgetteth not the cry of the humble.

13 Have mercy upon me, O LORD; consider my trouble which I suffer of them that hate me, thou that liftest me up from the gates of death:

14 That I may show forth all thy praise in the gates of the daughter of Zion: I will rejoice in thy salvation.

15 The heathen are sunk down in the pit that they made: in the net which they hid is their own foot taken.

16 The LORD is known by the judgment which he executeth: the wicked is snared in the work of his own hands. Higgaion. Selah.

17 The wicked shall be turned into hell, and all the nations that forget God.

18 For the needy shall not always be forgotten: the expectation of the poor shall not perish for ever.

19 Arise, O LORD; let not man prevail: let the heathen be judged in thy sight.

20 Put them in fear, O LORD: that the nations may know themselves but men. Selah.

1 Why standest thou afar off, O LORD? why hidest thou thyself in times of trouble?

2 The wicked in his pride doth persecute the poor: let them be taken in the devices that they have imagined.

3 For the wicked boasteth of his heart's desire, and blesseth the covetous, whom the LORD abhorreth.

4 The wicked, through the pride of his countenance, will not seek after God: God is not in all his thoughts.

5 His ways are always grievous; thy judgments are far above out of his sight: as for all his enemies, he puffeth at them.

6 He hath said in his heart, I shall not be moved: for I shall never be in adversity.

7 His mouth is full of cursing and deceit and fraud: under his tongue is mischief and vanity.

8 He sitteth in the lurking places of the villages: in the secret places doth he murder the innocent: his eyes are privily set against the poor.

9 He lieth in wait secretly as a lion in his den: he lieth in wait to catch the poor: he doth catch the poor, when he draweth him into his net.

10 He croucheth, and humbleth himself, that the poor may fall by his strong ones.

11 He hath said in his heart, God hath forgotten: he hideth his face; he will never see it.

12 Arise, O LORD God, lift up thine hand: forget not the humble.

13 Wherefore doth the wicked contemn God? he hath said in his heart, Thou wilt not require it.

14 Thou hast seen it; for thou beholdest mischief and spite, to requite it with thy hand: the poor committeth himself unto thee; thou art the helper of the fatherless.

15 Break thou the arm of the wicked and the evil man: seek out his wickedness till thou find none.

16 The LORD is King for ever and ever: the heathen are perished out of his land.

17 LORD, thou hast heard the desire of the humble: thou wilt prepare their heart, thou wilt cause thine ear to hear:

18 To judge the fatherless and the oppressed, that the man of the earth may no more oppress.

1 In the LORD put I my trust: how say ye to my soul, Flee as a bird to your mountain?

2 For, lo, the wicked bend their bow, they make ready their arrow upon the string, that they may privily shoot at the upright in heart.

3 If the foundations be destroyed, what can the righteous do?

4 The LORD is in his holy temple, the LORD's throne is in heaven: his eyes behold, his eyelids try, the children of men.

5 The LORD trieth the righteous: but the wicked and him that loveth violence his soul hateth.

6 Upon the wicked he shall rain snares, fire and brimstone, and an horrible tempest: this shall be the portion of their cup.

7 For the righteous LORD loveth righteousness; his countenance doth behold the upright.

1 Help, LORD; for the godly man ceaseth; for the faithful fail from among the children of men.

2 They speak vanity every one with his neighbour: with flattering lips and with a double heart do they speak.

3 The LORD shall cut off all flattering lips, and the tongue that speaketh proud things:

4 Who have said, With our tongue will we prevail; our lips are our own: who is lord over us?

5 For the oppression of the poor, for the sighing of the needy, now will I arise, saith the LORD; I will set him in safety from him that puffeth at him.

6 The words of the LORD are pure words: as silver tried in a furnace of earth, purified seven times.

7 Thou shalt keep them, O LORD, thou shalt preserve them from this generation for ever.

8 The wicked walk on every side, when the vilest men are exalted.

1 How long wilt thou forget me, O LORD? for ever? how long wilt thou hide thy face from me?

2 How long shall I take counsel in my soul, having sorrow in my heart daily? how long shall mine enemy be exalted over me?

3 Consider and hear me, O LORD my God: lighten mine eyes, lest I sleep the sleep of death;

4 Lest mine enemy say, I have prevailed against him; and those that trouble me rejoice when I am moved.

5 But I have trusted in thy mercy; my heart shall rejoice in thy salvation.

6 I will sing unto the LORD, because he hath dealt bountifully with me.

1 The fool hath said in his heart, There is no God. They are corrupt, they have done abominable works, there is none that doeth good.

2 The LORD looked down from heaven upon the children of men, to see if there were any that did understand, and seek God.

3 They are all gone aside, they are all together become filthy: there is none that doeth good, no, not one.

4 Have all the workers of iniquity no knowledge? who eat up my people as they eat bread, and call not upon the LORD.

5 There were they in great fear: for God is in the generation of the righteous.

6 Ye have shamed the counsel of the poor, because the LORD is his refuge.

7 Oh that the salvation of Israel were come out of Zion! when the LORD bringeth back the captivity of his people, Jacob shall rejoice, and Israel shall be glad.

1 LORD, who shall abide in thy tabernacle? who shall dwell in thy holy hill?

2 He that walketh uprightly, and worketh righteousness, and speaketh the truth in his heart.

3 He that backbiteth not with his tongue, nor doeth evil to his neighbour, nor taketh up a reproach against his neighbour.

4 In whose eyes a vile person is contemned; but he honoureth them that fear the LORD. He that sweareth to his own hurt, and changeth not.

5 He that putteth not out his money to usury, nor taketh reward against the innocent. He that doeth these things shall never be moved.

1 Preserve me, O God: for in thee do I put my trust.

2 O my soul, thou hast said unto the LORD, Thou art my Lord: my goodness extendeth not to thee;

3 But to the saints that are in the earth, and to the excellent, in whom is all my delight.

4 Their sorrows shall be multiplied that hasten after another god: their drink offerings of blood will I not offer, nor take up their names into my lips.

5 The LORD is the portion of mine inheritance and of my cup: thou maintainest my lot.

6 The lines are fallen unto me in pleasant places; yea, I have a goodly heritage.

7 I will bless the LORD, who hath given me counsel: my reins also instruct me in the night seasons.

8 I have set the LORD always before me: because he is at my right hand, I shall not be moved.

9 Therefore my heart is glad, and my glory rejoiceth: my flesh also shall rest in hope.

10 For thou wilt not leave my soul in hell; neither wilt thou suffer thine Holy One to see corruption.

11 Thou wilt show me the path of life: in thy presence is fulness of joy; at thy right hand there are pleasures for evermore.

1 Hear the right, O LORD, attend unto my cry, give ear unto my prayer, that goeth not out of feigned lips.

2 Let my sentence come forth from thy presence; let thine eyes behold the things that are equal.

3 Thou hast proved mine heart; thou hast visited me in the night; thou hast tried me, and shalt find nothing; I am purposed that my mouth shall not transgress.

4 Concerning the works of men, by the word of thy lips I have kept me from the paths of the destroyer.

5 Hold up my goings in thy paths, that my footsteps slip not.

6 I have called upon thee, for thou wilt hear me, O God: incline thine ear unto me, and hear my speech.

7 Show thy marvellous lovingkindness, O thou that savest by thy right hand them which put their trust in thee from those that rise up against them.

8 Keep me as the apple of the eye, hide me under the shadow of thy wings,

9 From the wicked that oppress me, from my deadly enemies, who compass me about.

10 They are inclosed in their own fat: with their mouth they speak proudly.

11 They have now compassed us in our steps: they have set their eyes bowing down to the earth;

12 Like as a lion that is greedy of his prey, and as it were a young lion lurking in secret places.

13 Arise, O LORD, disappoint him, cast him down: deliver my soul from the wicked, which is thy sword:

14 From men which are thy hand, O LORD, from men of the world, which have their portion in this life, and whose belly thou fillest with thy hid treasure: they are full of children, and leave the rest of their substance to their babes.

15 As for me, I will behold thy face in righteousness: I shall be satisfied, when I awake, with thy likeness.

1 I will love thee, O LORD, my strength.

2 The LORD is my rock, and my fortress, and my deliverer; my God, my strength, in whom I will trust; my buckler, and the horn of my salvation, and my high tower.

3 I will call upon the LORD, who is worthy to be praised: so shall I be saved from mine enemies.

4 The sorrows of death compassed me, and the floods of ungodly men made me afraid.

5 The sorrows of hell compassed me about: the snares of death prevented me.

6 In my distress I called upon the LORD, and cried unto my God: he heard my voice out of his temple, and my cry came before him, even into his ears.

7 Then the earth shook and trembled; the foundations also of the hills moved and were shaken, because he was wroth.

8 There went up a smoke out of his nostrils, and fire out of his mouth devoured: coals were kindled by it.

9 He bowed the heavens also, and came down: and darkness was under his feet.

10 And he rode upon a cherub, and did fly: yea, he did fly upon the wings of the wind.

11 He made darkness his secret place; his pavilion round about him were dark waters and thick clouds of the skies.

12 At the brightness that was before him his thick clouds passed, hailstones and coals of fire.

13 The LORD also thundered in the heavens, and the Highest gave his voice; hailstones and coals of fire.

14 Yea, he sent out his arrows, and scattered them; and he shot out lightnings, and discomfited them.

15 Then the channels of waters were seen, and the foundations of the world were discovered at thy rebuke, O LORD, at the blast of the breath of thy nostrils.

16 He sent from above, he took me, he drew me out of many waters;

17 He delivered me from my strong enemy, and from them which hated me: for they were too strong for me.

18 They prevented me in the day of my calamity: but the LORD was my stay.

19 He brought me forth also into a large place; he delivered me, because he delighted in me.

20 The LORD rewarded me according to my righteousness: according to the cleanness of my hands hath he recompensed me.

21 For I have kept the ways of the LORD, and have not wickedly departed from my God.

22 For all his judgments were before me, and I did not put away his statutes from me.

23 I was also upright before him, and I kept myself from mine iniquity.

24 Therefore the LORD hath recompensed me according to my righteousness, according to the cleanness of my hands in his eyesight.

25 With the merciful thou wilt show thyself merciful, with an upright man thou wilt show thyself upright;

26 With the pure thou wilt show thyself pure; and with the froward thou wilt show thyself unsavoury.

27 For thou wilt save the afflicted people; but wilt bring down high looks.

28 For thou wilt light my candle: the LORD my God will enlighten my darkness.

29 For by thee I have run through a troop; and by my God have I leaped over a wall.

30 As for God, his way is perfect: the word of the LORD is tried: he is a buckler to all those that trust in him.

31 For who is God save the LORD? or who is a rock save our God?

32 It is God that girdeth me with strength, and maketh my way perfect.

33 He maketh my feet like hinds' feet, and setteth me upon my high places.

34 He teacheth my hands to war, so that a bow of steel is broken by mine arms.

35 Thou hast also given me the shield of thy salvation: and thy right hand hath holden me up, and thy gentleness hath made me great.

36 Thou hast enlarged my steps under me, that my feet did not slip.

37 I have pursued mine enemies, and overtaken them: neither did I turn again till they were consumed.

38 I have wounded them that they were not able to rise: they are fallen under my feet.

39 For thou hast girded me with strength unto the battle: thou hast subdued under me those that rose up against me.

40 Thou hast also given me the necks of mine enemies, that I might destroy them that hate me.

41 They cried, but there was none to save them: even unto the LORD, but he answered them not.

42 Then did I beat them small as the dust before the wind: I did cast them out as the mire of the street.

43 Thou hast delivered me from the strivings of the people, and thou hast made me the head of the heathen: a people whom I have not known shall serve me.

44 As soon as they hear of me, they shall obey me: the strangers shall submit themselves unto me.

45 The strangers shall fade away, and be afraid out of their close places.

46 The LORD liveth; and blessed be my rock; and let the God of my salvation be exalted.

47 It is God that avengeth me, and subdueth the people under me.

48 He delivereth me from mine enemies: yea, thou liftest me up above those that rise up against me: thou hast delivered me from the violent man.

49 Therefore will I give thanks unto thee, O LORD, among the heathen, and sing praises unto thy name.

50 Great deliverance giveth he to his king; and showeth mercy to his anointed, unto David, and to his seed for evermore.

1 The heavens declare the glory of God; and the firmament showeth his handywork.

2 Day unto day uttereth speech, and night unto night showeth knowledge.

3 There is no speech nor language, where their voice is not heard.

4 Their line is gone out through all the earth, and their words to the end of the world. In them hath he set a tabernacle for the sun,

5 Which is as a bridegroom coming out of his chamber, and rejoiceth as a strong man to run a race.

6 His going forth is from the end of the heaven, and his circuit unto the ends of it: and there is nothing hid from the heat thereof.

7 The law of the LORD is perfect, converting the soul: the testimony of the LORD is sure, making wise the simple.

8 The statutes of the LORD are right, rejoicing the heart: the commandment of the LORD is pure, enlightening the eyes.

9 The fear of the LORD is clean, enduring for ever: the judgments of the LORD are true and righteous altogether.

10 More to be desired are they than gold, yea, than much fine gold: sweeter also than honey and the honeycomb.

11 Moreover by them is thy servant warned: and in keeping of them there is great reward.

12 Who can understand his errors? cleanse thou me from secret faults.

13 Keep back thy servant also from presumptuous sins; let them not have dominion over me: then shall I be upright, and I shall be innocent from the great transgression.

14 Let the words of my mouth, and the meditation of my heart, be acceptable in thy sight, O LORD, my strength, and my redeemer.

1 The LORD hear thee in the day of trouble; the name of the God of Jacob defend thee;

2 Send thee help from the sanctuary, and strengthen thee out of Zion;

3 Remember all thy offerings, and accept thy burnt sacrifice; Selah.

4 Grant thee according to thine own heart, and fulfil all thy counsel.

5 We will rejoice in thy salvation, and in the name of our God we will set up our banners: the LORD fulfil all thy petitions.

6 Now know I that the LORD saveth his anointed; he will hear him from his holy heaven with the saving strength of his right hand.

7 Some trust in chariots, and some in horses: but we will remember the name of the LORD our God.

8 They are brought down and fallen: but we are risen, and stand upright.

9 Save, LORD: let the king hear us when we call.

1 The king shall joy in thy strength, O LORD; and in thy salvation how greatly shall he rejoice!

2 Thou hast given him his heart's desire, and hast not withholden the request of his lips. Selah.

3 For thou preventest him with the blessings of goodness: thou settest a crown of pure gold on his head.

4 He asked life of thee, and thou gavest it him, even length of days for ever and ever.

5 His glory is great in thy salvation: honour and majesty hast thou laid upon him.

6 For thou hast made him most blessed for ever: thou hast made him exceeding glad with thy countenance.

7 For the king trusteth in the LORD, and through the mercy of the most High he shall not be moved.

8 Thine hand shall find out all thine enemies: thy right hand shall find out those that hate thee.

9 Thou shalt make them as a fiery oven in the time of thine anger: the LORD shall swallow them up in his wrath, and the fire shall devour them.

10 Their fruit shalt thou destroy from the earth, and their seed from among the children of men.

11 For they intended evil against thee: they imagined a mischievous device, which they are not able to perform.

12 Therefore shalt thou make them turn their back, when thou shalt make ready thine arrows upon thy strings against the face of them.

13 Be thou exalted, LORD, in thine own strength: so will we sing and praise thy power.

1 My God, my God, why hast thou forsaken me? why art thou so far from helping me, and from the words of my roaring?

2 O my God, I cry in the daytime, but thou hearest not; and in the night season, and am not silent.

3 But thou art holy, O thou that inhabitest the praises of Israel.

4 Our fathers trusted in thee: they trusted, and thou didst deliver them.

5 They cried unto thee, and were delivered: they trusted in thee, and were not confounded.

6 But I am a worm, and no man; a reproach of men, and despised of the people.

7 All they that see me laugh me to scorn: they shoot out the lip, they shake the head, saying,

8 He trusted on the LORD that he would deliver him: let him deliver him, seeing he delighted in him.

9 But thou art he that took me out of the womb: thou didst make me hope when I was upon my mother's breasts.

10 I was cast upon thee from the womb: thou art my God from my mother's belly.

11 Be not far from me; for trouble is near; for there is none to help.

12 Many bulls have compassed me: strong bulls of Bashan have beset me round.

13 They gaped upon me with their mouths, as a ravening and a roaring lion.

14 I am poured out like water, and all my bones are out of joint: my heart is like wax; it is melted in the midst of my bowels.

15 My strength is dried up like a potsherd; and my tongue cleaveth to my jaws; and thou hast brought me into the dust of death.

16 For dogs have compassed me: the assembly of the wicked have inclosed me: they pierced my hands and my feet.

17 I may tell all my bones: they look and stare upon me.

18 They part my garments among them, and cast lots upon my vesture.

19 But be not thou far from me, O LORD: O my strength, haste thee to help me.

20 Deliver my soul from the sword; my darling from the power of the dog.

21 Save me from the lion's mouth: for thou hast heard me from the horns of the unicorns.

22 I will declare thy name unto my brethren: in the midst of the congregation will I praise thee.

23 Ye that fear the LORD, praise him; all ye the seed of Jacob, glorify him; and fear him, all ye the seed of Israel.

24 For he hath not despised nor abhorred the affliction of the afflicted; neither hath he hid his face from him; but when he cried unto him, he heard.

25 My praise shall be of thee in the great congregation: I will pay my vows before them that fear him.

26 The meek shall eat and be satisfied: they shall praise the LORD that seek him: your heart shall live for ever.

27 All the ends of the world shall remember and turn unto the LORD: and all the kindreds of the nations shall worship before thee.

28 For the kingdom is the LORD's: and he is the governor among the nations.

29 All they that be fat upon earth shall eat and worship: all they that go down to the dust shall bow before him: and none can keep alive his own soul.

30 A seed shall serve him; it shall be accounted to the Lord for a generation.

31 They shall come, and shall declare his righteousness unto a people that shall be born, that he hath done this.

1 The LORD is my shepherd; I shall not want.

2 He maketh me to lie down in green pastures: he leadeth me beside the still waters.

3 He restoreth my soul: he leadeth me in the paths of righteousness for his name's sake.

4 Yea, though I walk through the valley of the shadow of death, I will fear no evil: for thou art with me; thy rod and thy staff they comfort me.

5 Thou preparest a table before me in the presence of mine enemies: thou anointest my head with oil; my cup runneth over.

6 Surely goodness and mercy shall follow me all the days of my life: and I will dwell in the house of the LORD for ever.

1 The earth is the LORD's, and the fulness thereof; the world, and they that dwell therein.

2 For he hath founded it upon the seas, and established it upon the floods.

3 Who shall ascend into the hill of the LORD? or who shall stand in his holy place?

4 He that hath clean hands, and a pure heart; who hath not lifted up his soul unto vanity, nor sworn deceitfully.

5 He shall receive the blessing from the LORD, and righteousness from the God of his salvation.

6 This is the generation of them that seek him, that seek thy face, O Jacob. Selah.

7 Lift up your heads, O ye gates; and be ye lift up, ye everlasting doors; and the King of glory shall come in.

8 Who is this King of glory? The LORD strong and mighty, the LORD mighty in battle.

9 Lift up your heads, O ye gates; even lift them up, ye everlasting doors; and the King of glory shall come in.

10 Who is this King of glory? The LORD of hosts, he is the King of glory. Selah.

1 Unto thee, O LORD, do I lift up my soul.

2 O my God, I trust in thee: let me not be ashamed, let not mine enemies triumph over me.

3 Yea, let none that wait on thee be ashamed: let them be ashamed which transgress without cause.

4 Show me thy ways, O LORD; teach me thy paths.

5 Lead me in thy truth, and teach me: for thou art the God of my salvation; on thee do I wait all the day.

6 Remember, O LORD, thy tender mercies and thy lovingkindnesses; for they have been ever of old.

7 Remember not the sins of my youth, nor my transgressions: according to thy mercy remember thou me for thy goodness' sake, O LORD.

8 Good and upright is the LORD: therefore will he teach sinners in the way.

9 The meek will he guide in judgment: and the meek will he teach his way.

10 All the paths of the LORD are mercy and truth unto such as keep his covenant and his testimonies.

11 For thy name's sake, O LORD, pardon mine iniquity; for it is great.

12 What man is he that feareth the LORD? him shall he teach in the way that he shall choose.

13 His soul shall dwell at ease; and his seed shall inherit the earth.

14 The secret of the LORD is with them that fear him; and he will show them his covenant.

15 Mine eyes are ever toward the LORD; for he shall pluck my feet out of the net.

16 Turn thee unto me, and have mercy upon me; for I am desolate and afflicted.

17 The troubles of my heart are enlarged: O bring thou me out of my distresses.

18 Look upon mine affliction and my pain; and forgive all my sins.

19 Consider mine enemies; for they are many; and they hate me with cruel hatred.

20 O keep my soul, and deliver me: let me not be ashamed; for I put my trust in thee.

21 Let integrity and uprightness preserve me; for I wait on thee.

22 Redeem Israel, O God, out of all his troubles.

1 Judge me, O LORD; for I have walked in mine integrity: I have trusted also in the LORD; therefore I shall not slide.

2 Examine me, O LORD, and prove me; try my reins and my heart.

3 For thy lovingkindness is before mine eyes: and I have walked in thy truth.

4 I have not sat with vain persons, neither will I go in with dissemblers.

5 I have hated the congregation of evil doers; and will not sit with the wicked.

6 I will wash mine hands in innocency: so will I compass thine altar, O LORD:

7 That I may publish with the voice of thanksgiving, and tell of all thy wondrous works.

8 LORD, I have loved the habitation of thy house, and the place where thine honour dwelleth.

9 Gather not my soul with sinners, nor my life with bloody men:

10 In whose hands is mischief, and their right hand is full of bribes.

11 But as for me, I will walk in mine integrity: redeem me, and be merciful unto me.

12 My foot standeth in an even place: in the congregations will I bless the LORD.

1 The LORD is my light and my salvation; whom shall I fear? the LORD is the strength of my life; of whom shall I be afraid?

2 When the wicked, even mine enemies and my foes, came upon me to eat up my flesh, they stumbled and fell.

3 Though an host should encamp against me, my heart shall not fear: though war should rise against me, in this will I be confident.

4 One thing have I desired of the LORD, that will I seek after; that I may dwell in the house of the LORD all the days of my life, to behold the beauty of the LORD, and to inquire in his temple.

5 For in the time of trouble he shall hide me in his pavilion: in the secret of his tabernacle shall he hide me; he shall set me up upon a rock.

6 And now shall mine head be lifted up above mine enemies round about me: therefore will I offer in his tabernacle sacrifices of joy; I will sing, yea, I will sing praises unto the LORD.

7 Hear, O LORD, when I cry with my voice: have mercy also upon me, and answer me.

8 When thou saidst, Seek ye my face; my heart said unto thee, Thy face, LORD, will I seek.

9 Hide not thy face far from me; put not thy servant away in anger: thou hast been my help; leave me not, neither forsake me, O God of my salvation.

10 When my father and my mother forsake me, then the LORD will take me up.

11 Teach me thy way, O LORD, and lead me in a plain path, because of mine enemies.

12 Deliver me not over unto the will of mine enemies: for false witnesses are risen up against me, and such as breathe out cruelty.

13 I had fainted, unless I had believed to see the goodness of the LORD in the land of the living.

14 Wait on the LORD: be of good courage, and he shall strengthen thine heart: wait, I say, on the LORD.

1 Unto thee will I cry, O LORD my rock; be not silent to me: lest, if thou be silent to me, I become like them that go down into the pit.

2 Hear the voice of my supplications, when I cry unto thee, when I lift up my hands toward thy holy oracle.

3 Draw me not away with the wicked, and with the workers of iniquity, which speak peace to their neighbours, but mischief is in their hearts.

4 Give them according to their deeds, and according to the wickedness of their endeavours: give them after the work of their hands; render to them their desert.

5 Because they regard not the works of the LORD, nor the operation of his hands, he shall destroy them, and not build them up.

6 Blessed be the LORD, because he hath heard the voice of my supplications.

7 The LORD is my strength and my shield; my heart trusted in him, and I am helped: therefore my heart greatly rejoiceth; and with my song will I praise him.

8 The LORD is their strength, and he is the saving strength of his anointed.

9 Save thy people, and bless thine inheritance: feed them also, and lift them up for ever.

1 Give unto the LORD, O ye mighty, give unto the LORD glory and strength.

2 Give unto the LORD the glory due unto his name; worship the LORD in the beauty of holiness.

3 The voice of the LORD is upon the waters: the God of glory thundereth: the LORD is upon many waters.

4 The voice of the LORD is powerful; the voice of the LORD is full of majesty.

5 The voice of the LORD breaketh the cedars; yea, the LORD breaketh the cedars of Lebanon.

6 He maketh them also to skip like a calf; Lebanon and Sirion like a young unicorn.

7 The voice of the LORD divideth the flames of fire.

8 The voice of the LORD shaketh the wilderness; the LORD shaketh the wilderness of Kadesh.

9 The voice of the LORD maketh the hinds to calve, and discovereth the forests: and in his temple doth every one speak of his glory.

10 The LORD sitteth upon the flood; yea, the LORD sitteth King for ever.

11 The LORD will give strength unto his people; the LORD will bless his people with peace.

1 I will extol thee, O LORD; for thou hast lifted me up, and hast not made my foes to rejoice over me.

2 O LORD my God, I cried unto thee, and thou hast healed me.

3 O LORD, thou hast brought up my soul from the grave: thou hast kept me alive, that I should not go down to the pit.

4 Sing unto the LORD, O ye saints of his, and give thanks at the remembrance of his holiness.

5 For his anger endureth but a moment; in his favour is life: weeping may endure for a night, but joy cometh in the morning.

6 And in my prosperity I said, I shall never be moved.

7 LORD, by thy favour thou hast made my mountain to stand strong: thou didst hide thy face, and I was troubled.

8 I cried to thee, O LORD; and unto the LORD I made supplication.

9 What profit is there in my blood, when I go down to the pit? Shall the dust praise thee? shall it declare thy truth?

10 Hear, O LORD, and have mercy upon me: LORD, be thou my helper.

11 Thou hast turned for me my mourning into dancing: thou hast put off my sackcloth, and girded me with gladness;

12 To the end that my glory may sing praise to thee, and not be silent. O LORD my God, I will give thanks unto thee for ever.

1 In thee, O LORD, do I put my trust; let me never be ashamed: deliver me in thy righteousness.

2 Bow down thine ear to me; deliver me speedily: be thou my strong rock, for a house of defence to save me.

3 For thou art my rock and my fortress; therefore for thy name's sake lead me, and guide me.

4 Pull me out of the net that they have laid privily for me: for thou art my strength.

5 Into thine hand I commit my spirit: thou hast redeemed me, O LORD God of truth.

6 I have hated them that regard lying vanities: but I trust in the LORD.

7 I will be glad and rejoice in thy mercy: for thou hast considered my trouble; thou hast known my soul in adversities;

8 And hast not shut me up into the hand of the enemy: thou hast set my feet in a large room.

9 Have mercy upon me, O LORD, for I am in trouble: mine eye is consumed with grief, yea, my soul and my belly.

10 For my life is spent with grief, and my years with sighing: my strength faileth because of mine iniquity, and my bones are consumed.

11 I was a reproach among all mine enemies, but especially among my neighbours, and a fear to mine acquaintance: they that did see me without fled from me.

12 I am forgotten as a dead man out of mind: I am like a broken vessel.

13 For I have heard the slander of many: fear was on every side: while they took counsel together against me, they devised to take away my life.

14 But I trusted in thee, O LORD: I said, Thou art my God.

15 My times are in thy hand: deliver me from the hand of mine enemies, and from them that persecute me.

16 Make thy face to shine upon thy servant: save me for thy mercies' sake.

17 Let me not be ashamed, O LORD; for I have called upon thee: let the wicked be ashamed, and let them be silent in the grave.

18 Let the lying lips be put to silence; which speak grievous things proudly and contemptuously against the righteous.

19 Oh how great is thy goodness, which thou hast laid up for them that fear thee; which thou hast wrought for them that trust in thee before the sons of men!

20 Thou shalt hide them in the secret of thy presence

Nequeo tamẽ tacitus præterire hanc Sibrandi subtilitatem. Iob. 40. dicitur de Behemot: *Ecce Behemot quem feci tecum, herbam tanquam bos comedet: sed diabolus ante lapsum non erat iumentum, quod herbam comedebat; ergo quæ in illo capite dicuntur, intelligi nequeunt de supremo Angelo, qui pòst in Diabolum per malitiam suam euasit.* Subtilissimum & prorsus Sibrandicum argumentum: cuius acumen tum demum dignè admiraberis, si ex lib. 32. cap. 10. & ex lib. 33. cap. 1. Moralium S. Gregorij discas fæni nomine designari voluptates & vitia carnis, quibus Behemot, hoc est, diabolus æquè inhiat & saginatur ac bos fæno. Sed hac Behemotica & fænea subtilitate beauit nos iam supra VVitackerus.

Tertiam rationem pro Monarchia Ecclesiastica sumit Bellarminus ex Ecclesia veteris Testamenti, in qua semper fuit vnus, qui omnibus præerat. Sutliuius huic argumento nihil reponit, nisi criminationes & mendaciloquentiam. Vt, *hoc argumentum nullo alio fundamento niti, nisi insigni Bellarmini ignorantia in populi Israëlitici politia; summam enim potestatem fuisse penes Sanedrin collectum ex principe & senioribus populi. Hoc Talmudistas; hoc Sigonium; hoc alios docere.* Etiam isto tempore summa potestas iudicandi negotia Ecclesiastica est penes Concilium generale collectum ex Episcopis & Pontifice summo; & tamen Ecclesiæ regimen dicimus esse præcipuè Monarchicum: quia in cœtu Episcoporum non nisi dependenter à Pontifice potestas summa residet. Idem factum cogita in veteri Testamento. Vbi & in Concilio, & extra Concilium princeps sacerdotum; dux & caput omnium aliorum iudicum erat.

Nec obstat, Iudices in singulis ciuitatibus constitutos fuisse, vt mandatur Deuter. 16. quia nunc etiam in variis ciuitatibus sunt Concilia & *consistoria* Ecclesiastica; omnia tamen vni summo principi, Romano Pontifici, subiecta: & à singulis ad hunc conceditur appellatio, quemadmodum olim apud Hebræos concedebatur à particularibus iudiciis ad vniuersale illud Sanedrin. Abiathar autem summum sacerdotem, iudicauit Salomon non tam vt Rex, quàm vt Propheta; de quo alibi. Quam formam Reipublicæ posterioribus seculis Iudæi amplexi fuerint, parum moramur, quia de ea loquimur, quæ ante Christum fuit.

Ait Sutliuius: *Ex duobus aliis capitibus idem argumentum Bellarmini nullum & inualidum ostenditur. Primò: Facilius est, vnum hominem vnius gentis, quàm totius orbis Ecclesia præesse: non ergo sequitur; si summus sacerdos Iudæorum Ecclesiæ præfuit, vnum debere nunc toti terrarum orbi præesse.* Idem occinit VVitackerus, & quidem verbosissimè. Respondeo, facilius esset, si ille noster vnus toti orbi per se, sine administris, præesset. At non præest hoc modo per se toti terrarum orbi, sed per alios, quos sibi in gubernatione adiutores adscisciit. Et quamuis aliquando, ipsa etiam Hebræorum Ecclesia, angustis finibus circumscripta fuerit, progressu tamen temporis, latissimè per mundum diffusa est: ita vt Act. 2. dicatur: *Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Et tamen huic tam fusè dispersо Ecclesiæ cœtui, dispersо, inquam, etiam ante Christi Domini passionem, & synagogæ abrogationem, facilè præerat vnus Pontifex seu sacerdos summus; ergo & nunc Ecclesiæ Catholicæ per disiunctissimas & remotissimas orbis terrarum prouincias propagatio & diffusio non obstabit, quo minus facilè ab vno summo pastore, interuentu subordinati ministerij, gubernari & administrari queat.

Ait Sutliuius: *Etiam sine vno Monarcha vnitatem Ecclesiæ seruari posse.* Sed num tam commodè, expeditè & feliciter? Ait, *vnitatem Ecclesiæ non seruari ob vnum Monarcham, sed quando vnitas spiritus seruatur, & vnus Deus colitur, & vna fides retinetur, & omnes denique in vna veritate secundum Apostolorum doctrinam consentiunt.* At vt hæc omnia obtineantur, quid aptius, & accommodatius est, quàm vt sit vnus princeps, à quo omnes dependeant, & qui omnes de fide exortas controuersias infallibiliter definire ac decidere possit?

Est autem perquam ridiculum, hoc VVitackeri deliramentum. *Christiani ex remotissimis regionibus, puta ex Indiis, Sinis, Iaponiis, non possunt adire Pontificem Romanum* quoties lubet: imò quidam vel potius plerique eorum nunquam possunt, ergo Romanus Pontifex non est tam longè distantium caput. Hoc argumento efficiet Caluinista, Regem Hispaniæ non esse caput Politicum eorum, qui in Insulis Philippinis, in Moluccis, & alibi in remotissimis prouinciis degunt; quia plerique eorum nunquam, tota vita sua, possunt adire Regem Hispaniæ. Si Caluinista dicat, sufficere vt adire possint Regis ministros: idem & à nobis nostro in proposito sibi responsum arbitretur.

Occinit Sutliuius: *Non ita erat vetus Testamentum figura noui, vt vniuersa Ecclesiæ veteris disciplina in Ecclesiam transferenda sit. Habuit enim vetus Testamentum templum vnum, sacrificia plurima, Sacerdotum, & Leuitarum ordines, sacrasq; ceremonias, & leges, quæ ad Ecclesiam Christi nullo modo pertinent.* Neque dixit Bellarminus, ita vetus Testamentum fuisse figuram noui; vt ea quæ in veteri gerebantur, omnia determinatè in disciplinam Christianæ Ecclesiæ transferenda & transcribenda fuerint; sed omnia, quæ gerebantur in veteri Ecclesia præsignificasse, saltem generali ratione, id, quod gerendum erat in noua: cum igitur in illa fuerit summus sacerdos, qui reliquis omnibus iura dabat; &, vt princeps præerat, quid ni & hanc eius Monarchiam crederemus fuisse typum Monarchiæ in Ecclesia Christiana instituendæ?

Nam quòd Sutliuius ait; illud Apostoli 1. Corinth. 10. *Hæc omnia contingebant illis in figura*; non intelligi de cæremonialibus, sed de moralibus;

Figure 1.1 Sample Figure Caption. Figure 1.1 Sample Figure Caption. Figure 1.1 Sample Figure Caption.

sub oculis domini esse. (vt de apiario Columella dicit) & ab administrũ curari necesse est. Ecclesia autem ager est eiusmodi: ergo, & præsentiam Domini, & administrorum operam desiderat. Respondeo, hoc argumento, si quo robore pollet, euerti quoq; caput illud vniuersale Ecclesiæ Anglicanæ; fieri enim nõ potest, vt Ecclesiæ per totam Angliam dispersæ, semper sint sub oculis ipsius Domini, hoc est, Regis, qui Ecclesiæ illius caput vniuersale constitutus est. Si Iunius, vtpote *Puritanus*, respondeat; obiectionẽ hanc ad se non pertinere, vtpote, qui caput & Monarcham illum Ecclesiasticum non admittat; at pertinet certè ad Sutliuium, VVitackerum, aliosque symmystas Anglos, qui respondebunt, ad felicem gubernationem necessarium non esse, vt caput & Monarcha suo in conspectu semper omnia habeat vel habere possit; hoc enim non modo physicè, sed & moraliter impossibile rectè censeri; sed requiri vt per administrorum attentos & vigilantes oculos omnia, quoad licet, intueatur; & hoc non modo fieri posse, sed & sufficere, vt patet etiam in Monarchiis politicis, quæ ab vno prosperè gubernantur, licet earum termini latissimè proferãtur; quia ille vnus per Proreges & Vicarios omnia quasi ipsemet præsens intuetur. Quod igitur Caluinistæ Angli in sua Ecclesiastica, & in Monarchia quoque ciuili euenire, & satis esse affirmant; hoc etiam in nostra accidere & sufficere credant: nam & sub oculis Domini est, quod est sub oculis eorum, qui fideliter vices Domini gerunt.

Post hunc Columellę dicto, tanquam columna, subnixum syllogismum subtiliter admodum disputat Iunius de variis generibus *Totius, de toto communi, de toto vniuersali, de toto in quantitate*: & hęc omnia eam ob caussam, quòd Bellarminus dixit; *totum Testamentum* vetus fuisse figuram noui. Scilicet hoc totum Testamentum hanc adeo scrupulosam de *toto* disputationem exigebat; mirorque non allatam à Iunio illam quoque de *toto* quæstionem: *Num totum reipsa distinguatur à partibus, an ratione tantùm?* Quis tam luscios us est, qui non videat, qua notione sumatur *totum*, quando quis affirmat *totum* Testamentum fuisse figuram noui? nimirum pro complexo seu aggregato omnium eorum, quæ in veteri Testamento vel ex præscripto legis gesta, vel diuinitus instituta fuêre. Institutionem ergo summi Pontificis, vel potius ipsum summum Pontificem, fuisse typum non modò Christi, sed & Pontificis nostri; Bellarminus demonstrat, cui & hîc & alibi Iunius nil reponit, nisi Battologicos suos Coccysmos; & negationes probatione carentes; & hanc futilem consequentiam: *Legalis Pontifex fuit typus Christi, ergo non eius Pontificis, quem nos statuimus.* quasi verò idem typus non possit plurium rerum esse typus: An agnus paschalis non fuit typus sacrificij in cruce peragendi? & tamen vix puto, vllum fore Caluinistam, qui inficias eat, pariter fuisse typum Eucharistiæ; seu vt ipsi libentius loqui amant, *cœnæ Dominicæ.*

Fecerat Bellarminus mentionem sacrificiorum veteris Testamenti, quæ præfigurarint sacrificium in Cruce, & id, quod vsque ad finem sæculi in Ecclesia immolatur. Iunius *æquiuocationes & vniuocationes* inculcat; & vbi omnia plana & expedita sunt, ipse tamen æquiuocationum quasi dumos reperit, & magno nisu demetit; positisque, quas ipse finxit, *æquiuocationibus*, quiduis postea, quasi dictator quispiam, ex cathedra, absque vlla probatione definit: Quapropter pro auctoritate sua affirmat, *Impropriè & æquiuocè dici veteris legis sacrificia simul fuisse typos eius sacrificij, quod nunc offertur. Nam aut sacrificium crucis*, inquit, *idem est sacrificium, cum eo, quod nunc offertur in Ecclesia.* (est idem, quoad hostiam seu rem oblatam, non est idem quoad modum & circumstantias) *atque hoc verum vniuocè.* (Quid est verum vniuocè? An sacrificium crucis esse vniuocè & verè sacrificium? An sacrificia antiquæ legis verè & vniuocè fuisse typos sacrificij in Cruce? At omnia ista verè etiam affirmantur de sacrificio, quod nunc in Ecclesia perpetuò immolatur; nec contrarium vlla ratione demonstrare potest Iunius.) *Aut oppositè dicitur sacrificium Crucis, & id, quod in Ecclesia fit ad commemorationem illius; atque hoc sensu sacrificia veteris Testamenti non sunt typi sacrificij Christi, & eius, quod in Ecclesia fit, sed tantum sunt typi sacrificij Crucis, & eius quod in Ecclesia fit, antitypa, vt Apostolus ait ad Hebræos 9. 24.*

Solet Iunius vbique propemodum difficiles sectari nugas, & ita scriptionem instituere, quasi abditissima lectoribus apponat; quæ vbi propius inspexeris; nil nisi vana nugamenta appareant. vt & hic, cum Antitypa profert; quasi verò *antitypon* non sit illud, quod est ἀντὶ τύπου, loco & vice typi, seu id, quod typo tanquam signi ficatum seu repræsentatum respondet: quò pacto vsurpat hanc vocem sanctus Petrus prima epistola capit. 3. ὃς καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. vbi baptismus Christianus nominatur *antitypum* τῆς κιβωτοῦ, *arcæ Noë*, in qua ab exitio diluuij quidam conseruati fuerunt. Et cur *antitypum*, ni si quia baptismus, vt figuratum; respondet arcæ vt figuræ? Interdum tamen ipsi typi & figuræ, nomine composito pro simplici vsurpato, dicuntur ἀντίτυπα, vt Hebr. 9. οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, hoc est, *typos, formas & figuras verorum*: quo sensu licet sacrificia veteris Testamenti dicuntur eius, quod nunc in Ecclesia offertur, *antitypa*; idem tamen est, ac si dicerentur *typi*, quia compositum nomen pro simplici vsurpatur: nec solùm huius, sed & illius, quod in Cruce peractum est; hoc respectu fuêre sacrificia illa antiqua ἀντίτυπα. Neque verò si sacrificium Crucis, & illud, quod nunc in Ecclesia offertur, inter se conferantur, dici possunt *antitypa*; quia nec sacrificium Crucis fuit typus sacrificij Eucharistiæ; neque hoc,

significatum seu figuratum illius; cum sit sacrificium in memoriam sacrificij in Cruce oblati institutum; vt & in commemorationem illius, quod Christus incruentè in vltima cœna obtulit. Quod si vtrumque velis vocare *antitypon*, quatenus typo veteris Testamenti respondent; facias licet: nil delinques: sed Iunio inuito facies: qui etiam *circumcisionem & baptismum inter se antitypa fuisse ait.* Non refragor, dummodo nemo neget, circumcisionem verè fuisse typum baptismi. Appellentur deinde antitypa, eò quod repræsentans & repræsentatum, significans & significatum se, relatiuorum instar, mutuò ponant ac tollant; appellentur, inquam, hoc modo; sicut in relationibus vtrumque terminum nominare solemus, *relatum, seu relatiuum*: nullus intercedet, dummodo ipsa veritas non subruatur; & per verborum præstigias obruatur. Satis de Iunio.

Danæus ad hanc tertiam Bellarmini rationem, de qua nobis sermo est, respondet, esse *fallaciam ab ignoratione Elenchi*: vt hoc probet, mentitur, Bellarminum *fingere diuersa esse eadem.* Et ne hoc mendacium careat comite, confestim addit & hoc: *Deum diserte vetuisse, ne in nouo Testamento sit alius summus Pontifex in hac visibili Ecclesia, præter Christum*: citatque cap. 7. vers. 15. 16. 23. 24. & cap. 9. vers. 24. 25. epistolæ ad Hebræos. Tu consule hæc loca, si repereris, quod Danæus asserit, patiar, vt mendacij culpa à Danæo in me transferatur. Posteà tam atrociter mentiri & calumniari Danæus incipit, vt Bellarminum, quem veritate vincere non poterat, videatur mendaciis & criminationibus obruere voluisse. Sed frustra: veritas semper caput attollit, tametsi infinitis sycophantiarum spiculis appetita.

Sibrandus hunc conficit syllogismum ex Bellarmini argumento: *Quemadmodum Ecclesia Iudaica ante Christum administrata est; ita & Ecclesia Christiana per Christum administrari debet. Sed Ecclesia Iudaica ante Christum administrata est μοναρχικῶς. Ergo & Ecclesia Christiana post Christum μοναρχικῶς administrari debet.* Respondeo, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam.* Cur feciſti falsam? An non tibi integrum erat, veram Maiorem condere? Nunquam dixit Bellarminus, eodem prorsus in omnibus modo administrari debere Ecclesiam Christianam, sicut administrata fuit Iudaica, non enim ignorauit magnum esse inter vtriusque gubernationem discrimen, si quis ad particularia descendere velit; sed dixit; quemadmodum vetus Ecclesia ab vno summo capite administrata fuit; sic etiam administrari debere nostram ab vno summo Rectore; quandoquidem legalis ille sacerdos summus, figura fuit eius, qui in noua Ecclesia aliquando instituendus erat. Itaque Sibrandus loquacitate sua non refellit Bellarmini Maiorem, sed propriam vanitatem & impudentiam.

A Illud lepidum. *Eum, qui præter Christum, alium Pontificem constituit, aut negare Christum venisse, aut ostendere se ab eo solo seruari non posse. Vtrumque impium*, ait Sibrandus. Omnino impium. Sed quandonam hoc ex Bellarmini argumento extundes? Num ideo significamus Christum non venisse; quia præter supremum & inuisibile caput Christum, agnoscimus & veneramur aliud visibile, quod vices Christi in terris gerat? Num & in veteri Testamento existimabant se ab vno Deo seruari non posse, quòd præter Deum, aliud caput haberent? Num & hodie Angli profitentur se à solo Christo seruari non posse, quia, præter Christum, statuunt vniuersale caput Ecclesiæ suæ, ipsum videlicet Regem; & præter hoc B caput, multa particularia, vt Primates, Archiepiscopos, Episcopos? Quasi verò Christus nos non seruet ac saluet, quando nos seruat & saluat interuentu & ministerio sui Vicarij, & aliorum Ecclesiæ ministrorum. An non seruat nos Christus, quando seruamur & saluamur per baptismum?

Ait Sibrandus: *Totum regimen veteris Testamenti, & ante omnia Pontifex, erat vmbra Christi.* (Num solius?) *Vt ergo solus Pontifex erat summus sacerdos in veteri Testamento; ita solus Christus est summus sacerdos in nouo.* Nego consequentiam: quæ forsan valeret, si Christus, vt Pontifex ille Aaronicus, si non idem numero; saltem idem successione & officio; semper in Ecclesia, specie & habitu visibili, præsens esset; at cum visibilem suam præsentiam fidelibus subtraxerit, oportet, vt C eius vicem alius visibilis summus sacerdos subeat. Haud aduertunt autem Sectarij, se his suis deliramentis non modò vniuersale caput visibile, sed & omnia particularia de medio tollere. Nam si ideo non potest esse vniuersalis Pontifex visibilis, quia Christus est vniuersalis totius Ecclesiæ Pontifex; sequitur, neque particularium Ecclesiarum Sacerdotes, Ministros, Episcopos, & capita constitui debere; quia Christus similiter est particularium Ecclesiarum summus Sacerdos, Pontifex, caput. Si hoc hic non obstat, cur in vniuersali Ecclesia impedimento esset, quò minus, præter Christum, visibile Ecclesiæ caput constitueretur, & ab omnibus religiosè coleretur? Obiicit Sibrandus. *Pontifex antiqui Testamenti pro se & pro populo obtulit. At noui Testamenti Pontifex non pro se; sed tantum pro populo obtulit.* Hebr. 7. 17. Respondeo, hæc & alia, quæ in epistola ad Hebræos dicuntur, intelligi de supremo illo Pontifice Christo Deo & homine; iis tamen minimè excludi alium sub hoc supremo, noui Testamenti Pontificem, qui & ipse pro se & pro populo offerat, & in hoc perfectè adæquetur typo suo, Pontifici Aaronico, qui itidem pro se & pro populo hostias immolabat, quòd & ipse peccatis obnoxius esset.

Sed

Sed en Sibrandus perquam festiuè & argutè remittit argumentum Bellarmini in caput Auctoris. *Quemadmodum gubernabatur Ecclesia veteris Testamenti, ita etiam gubernari debet Ecclesia noui Testamenti: sed Ecclesia veteris Testamenti, gubernabatur per vnum summum sacerdotem tantum. Ergo & Ecclesia noui Testamenti tantùm per vnum summum sacerdotem administrari debet.* Respondeo, si ad Minorem adiiciatur hæc vnica vocula: *Visibilem*: me syllogismum non repudiaturum, sed concessurum, quantus quantus est: nam vt Ecclesia veteris Testamenti non gubernabatur, nisi per vnum summum Pontificem visibilem; sic & Christiana Ecclesia non debet gubernari nisi per vnum summum Pontificem visibilem.

Instat Caluinista: *Vnus tantummodo fuit Pontifex in veteri Ecclesia; quia Christus nondum erat Pontifex, vtpote nondum incarnatus: ergo & iam vnus tantummodo debet esse Pontifex.* Respondeo, vt antea; si de visibili loquatur; non abnuimus; si de inuisibili & visibili prioris Vicario, negamus: quia cum Christus noluerit perpetim specie & schemate visibili in Ecclesia militante versari; necesse fuit, vt sibi aliquem surrogaret, qui visibili specie inter mortales degeret; hominesque modo ipsis consentaneo gubernaret, & ad optatum salutis portum dirigeret ac deduceret.

Quartam rationem petit Bellarminus à variis similitudinibus, quibus in scriptura Ecclesia describitur, comparatur enim exercitui, regno, ouili, domui, & id genus aliis, quæ docent, debere esse vnum in Ecclesia, qui aliis præsit. Clamat Sutliuius: *Nullum argumentorum genus esse imbecillius, quàm hoc à similitudinibus & metaphoris:* Sed vt hoc generatim verum esset; tamen verum non est de argumentis ductis ex metaphoris, quas scriptura nobis tradit: Cur enim vocat scriptura Ecclesiam *exercitum*, cur *domum*, nisi quia vt in vno exercitu bene constituto & rectè ordinato; est vnus dux; & in vna domo vnus paterfamilias, & in vno Regno, vnus Rex; sic & in Ecclesia est vnus generalis dux, vnus paterfamilias, & vnus Rex. Deinde vt argumenta à metaphoris sumpta per se non essent admodum robusta; multum tamen virium acquirunt coniuncta cum aliis, prout hîc à Bellarmino coniunguntur cum aliis.

VVitackerus intonat: *Similitudines non esse rigidè interpretandas, nec nimium vrgendas; rumpi enim funem, si vltra modum intendatur.* Ne metuas Caluinista. Nihil incommodi nascetur, licet similitudinem Ecclesiæ cum exercitu explicemus eo modo, quo eam explicat Bellarminus. Tu aliud quiduis potius vis; sed parum refert, quid tu velis & declamites, quandoquidem quidquid verborum fundis, extra rem & *ἀτόπως* fundis, vt fileam criminationes, quibus VVitackerus caninam suam facundiam vbique exornat. *Allegoricum sensum negat Thomas esse argumentatiuum*, inquit Sutliuius. At nosse debet Hæreticus; argumentationes, quas hîc exstruit Bellarminus non sumi ex *allegoriis*, prout *allegoriæ* vocabulum vsurpatur à sancto Thoma, & aliis Theologis; sed metaphoris: atque adeo ex litterali sensu, na & metaphoricus sensus ad litteralem pertin vt docent Theologi cum sancto Thoma prin parte, quæstione prima, articulo nono & dec mo. Quocirca si dicam: *Ecclesia vocatur in script ra exercitus; Regnum, domus; ergo habet vnum summu Ducem, Regem, patremfamilias*; ex sensu littera non ex allegorico, qui est species sensus m stici, seu spiritualis, argumentum ded co.

Nec illud; *ex sensu spirituali seu mystico, non d firmum argumentum*: aliter intelligi debet, quà cum certo moderamine, vt libro tertio prior Tomi declaratum est, vbi de sensibus scriptur disputauimus. *At philosophi negant argumentum q qui à simili, nisi in quantum per omnia simile.* Qu nam isti Philosophi tam hebetes & hoc nomi prorsus indigni? Cur eorum nomina non ed disti? Si non nisi ab illo simili, quod per omn simile est, argumentum rectè concluditur; m lè ergo Christus fecit quando à tot similitud nibus & parabolis minimè per omnia similib tot argumenta sumpsit, vt diuina mysteria a ditoribus dilucidè ob oculos poneret. Cer decem virgines, quarum quinque prudentes quinque fatuæ; & cœna illa magna, quam p rauit homo quidam, & centena talia minim per omnia sunt similia iis, quorum explicand rum gratia, ea Christus adhibuit: quia suffic aliqua & aliqualis similitudo vel analogia; proportio; vt notum omnibus, qui norunt vi & naturam illius argumentationis, quæ *exem plum* dicitur. Confirmat sanctus Paulus resurr ctionem mortuorum à similitudine grani in te ram iacti, putrefacti, & postea rursus, magn cum fœnore & decore excitati. Num grani resu scitatio per omnia similis est resurrectioni ho minum?

Mirum, Sutliuium ad caput decimum quin tum, epistolæ primæ ad Corinthios, non atte xere hæc verba: *Cogitare debuit Paulus, nullum esse a gumentorum genus, quàm hoc à similitudinibus & meta phoris imbecillius. Allegoricum sensum negat Thomas e se argumentatiuum. Philosophi negant argumentum s qui à simili, nisi in quantum per omnia simile.* Qui ergo tu, Paule, à grani putrefacti excitatione a gumẽtaris ad resurrectionem hominum? Qui ab impari claritate stellarum, ad imparem clari tatem beatorum?

Ecclesia est exercitus, inquit Sutliuius, *sed mysti cus: corpus, sed mysticum: sponsa, sed in mysterio.* Qui tum? An ideo sequitur, hunc exercitum mysti cum, hoc est, eum, cuius arma non sunt carna lia, sed spiritalia; non habere visibilem ducem

Hr. Kronecker macht eine Mittheilung über die Theorie der Abel'schen Integrale.

dispensatorem; de naui, quòd habeat vnum gubernatorem. Ergo de Ecclesia etiam dicitur, quòd habeat vnum summum sacerdotem, & is est Papa Romanus. Respondeo, Maiorem esse falsam, inquit Caluinista. Falsa est vtique; At non est hæc Bellarmini propositio, sed tua confictio: quæ Bellarmino neque somniando incidit; quis enim adeo omnis eruditionis est expers, vt nesciat, non esse necesse, vt omnia, quæ conueniunt ei, quodalicui metaphoricè tribuitur, affirmentur quoque de illo, cui tribuitur? Nam Christus vocatur metaphoricè leo; num ideo *quadrupes*, vel *tubatus* dicitur, quia leo talis dicitur? An non satis est ad metaphoram hanc, vt leo iste metaphoricus; & propriè dictus, in fortitudine & robore analogicè conueniant? Sic & in proposito satis est Bellarmino, in Ecclesia, quando in sacris litteris comparatur cum exercitu, domo, naui, regno, ouili, vel quando vocatur exercitus, domus, nauis, &c. reperiri aliquid commune cum exercitu, domo, naui, &c. etiamsi in aliis pluribus plurimùm discrepent. Hoc autem commune vtrinque, consistit in vnitate vnius capitis. Cur enim nominatur Ecclesia exercitus ordinatus, nisi quia, vt in exercitu bene ordinato, est vnus summus dux aspectabilis, cuius mandata & iussa omnes audire & exequi queant; & ad cuius imperium omnes mouentur; sic & in Ecclesia vnus itidem supremus visibilis dux cæteris omnibus præsidet, qui per se & per administros sibi subiectos, minoresque duces totam illam fidelium multitudinem in campum educit, & vt contra spiritales hostes fortiter dimicet, instituit. Eadem est ratio de domo, naui, &c.

Itaque quando Maiorem illum sui syllogismi, vel potius vtrumque suum syllogismum verbosè oppugnat, figmentum sui cerebri oppugnat, non argumentum Bellarmini. Nam si quis rationem Bellarmini in argumentationis aliquam speciem coniicere absque impostoris cogitet, sic vel simili modo rem instituet. Ecclesia visibilis vocatur in scriptutis exercitus bene ordinatus; ergo inter cæteras causas etiam propter vnum supremum ducem visibilem nominatur bene ordinatus exercitus. Probatur consequentia. Quia nil magis exercitum efficit bene ordinatum, quàm vnus supremus & visibilis dux; ergo bene ordinatum esse, quod huic spirituali exercitui conuenit, maximè etiam in hoc exercitu proficiscetur ab vno supremo & visibili capite.

Obiicit Sibrandus, vt & VVitackerus, *ideo Ecclesiam comparari cum exercitu, quod contra carnem, Satanam & reliquos Dei hostes semper pugnet;* (sed ordinatè, & quidem admodum bono ordine; ergo sub vno duce, eoque visibili, quandoquidem & ipsa Ecclesia est visibilis exercitus) *Comparari cum corpore humano, quòd singula Ecclesiæ membra arctissimè inter se & cum capite Christo iuncta sint* (sed sub capite vno visibili, quia & ipsa Ecclesia est corpus visibile; visibili igitur capite eget; ne visibilis eius species inter homines videatur monstrosa, carens capite visibili) *Comparari cum sponsa, quia Ecclesia à Christo, vt sponsa vnicè diligitur, & quia ei fidem coniugij castè seruat.* (Sed num hæc sponsa visibilis caret capite & sponso visibili?) *Comparari cum regno, quod Ecclesiæ Christiani omnes sint subditi.* (Sed Ecclesiæ, vt regnum est, hoc est, vt ab vno summo principe regitur; hoc enim denotat Regni vocabulum.) *Comparari cum ouili, quia omnes Christiani cibo spirituali à Christo pascuntur.* (Sed per ministerium vnius summi & visibilis pastoris.) *Comparari cum domo, quia omnes Christiani, tanquam domestici, se mutuis officiis iuuant, & Christi beneficiis fruuntur.*) Sed sub vno supremo visibili patrefamilias; nam cum domus & familia sit visibilis, oportet & vnum summum patremfamilias visibilem esse.) *Comparari cum naui, quia omnes illi, qui sunt extra Ecclesiam pereunt.* (& hoc ideo quia sunt extra nauim illam, quæ ab vno summo visibili gubernatore regitur.) *& quia Ecclesia tanquam naui perpetuis calamitatum fluctibus exagitatur:* (at non sine summo nauclero; eoque visibili, qui nauim fluctibus & procellis obiectam dextrè & peritè ad portum dirigat.)

Ad extremum hanc texit Sibrandus cauillationem seu potius sycophantiam. *Ecclesia vocatur mulier, ergo est multitudo aliqua, quæ vnum Monarcham habet.* Miratur Sibrandus in hoc argumento *Iesuiticum acumen*; Et ego, Caluinianam malitiam, & recta peruertendi perennem prurigínem: Hæc enim consequentia non est Bellarmini; sed ista: Ecclesia visibilis comparatur mulieri speciosæ, hoc est, sponsæ Canticorũ septimo, cuius sponsus sit Christus: ergo Ecclesia visibilis habet quoque caput visibile: Quæ enim sponsa visibilis, & quidem speciosa sponsa, caret visibili capite, & sponso? Instat Sibrandus. *Si ideo Ecclesia est multitudo habens vnum caput; quia comparatur mulieri speciosæ seu sponsæ; sequetur etiam Antichristum esse multitudinem habentem vnum caput. Sed hoc Bellarminus non concedit, quia libro tertio de Pontifice, capite secundo, loco secundo, ita scribit: quia enim Antichristus vocatur homo peccati.* vt habetur epistola 2. ad Thessalonicenses capite 2. *ideo non est aliqua multitudo, quæ Monarcham habet, sed est tantùm vnica persona. At mulier tam est singularis numeri quàm homo peccati; si igitur à muliere, cum qua Ecclesia confertur, rectè colligitur, Ecclesiam esse aliquam multitudinem, quæ vnum Monarcham habet, ostendat aduersarius in Iesuitica Logica aliquam causam, qua ex homine peccati non æquè colligere possim, Antichristum esse aliquam multitudinem, quæ vnum aliquem Monarcham habet.* Hactenus nugacissimus Caluinista, cuius quanta inaniloquentia non sine petulantia? Quis enim vnquam dixit; Ecclesiam *ideo esse multitudinem, quia comparetur cum muliere speciosa,*

diuinum. Fallitur Iunius: Nam vt iam ſupra alicubi dictum eſt; iuris diuini eſt, eſſe aliquos Epiſcopos particularium locorum in Eccleſia; nam inter cæteros gradus dedit Deus Eccleſiæ ſuæ etiam *Paſtores* Eph. 4. Sed hoc iuris eſt humani, vt in hac vel illa Eccleſia ſit Epiſcopus, vtque termini eius his vel illis limitibus circumſcribantur; hoc iuris humani eſt; ſed Bellarminus hinc non petit argumentum; ſed inde; Iure diuino ſunt aliqui Epiſcopi & Paſtores locorum, ſeu Eccleſiarum particularium; ergo etiam iure diuino debet eſſe vniuerſalis quidam Epiſcopus & Paſtor, qui vniuerſæ Eccleſiæ curam gerat. Nimirum, Iunius vbique ſubtilitatibus diffluit & circumfluit, vt & paulò antea, quando ſuſpicatus eſt verba illa Ambroſij, vel alterius auctoris, in cap. 3. ad Tim. *Domus Dei eſt Eccleſia.* Cuius HODIE RECTOR EST DAMASVS: *farcturam eſſe*, vt ipſe loquitur. Et cur Caluinianus iſte *farctor* ſeu *farctor* ſuſpicatur eſſe farcturam, niſi quia *primatum* Pontificis Romani, nimis luculenter legentium oculis repræſentat? Et quia in *farctura* parum præſidij collocatũ cernebat, rancidulum neſcio quid balbutit, de ſchiſmate, quod tempore electi Damaſi exſtitit; & acutiſsimè inſuper adiungit, dictum illud ſic eſſe intelligendum: *Domus Dei eſt Eccleſia Romana, cuius hodie rector eſt Damaſus*: Licet enim Auctor huius commentarij vniuerſim loquatur de Eccleſia, nullamque penitus reſtrictionem addat, neque etiam Auctor ille vllam habuerit occaſionem, hanc potius, quàm illam, & in his quoque ſuam nominandi; Iunius tamen admodum ſapienter vidit, eum, de Romana, vt eſt particularis Eccleſia, loqui; & hoc ideo duntaxat vidit, quia ei in optatis eſt, vt de hac tantummodo, non autem de vniuerſali Eccleſia locutus ſit.

Sibrandus hunc ſyllogiſmum architectatur: *Quemadmodum Chriſtus ante paſſionem Eccleſiam adminiſtrauit, ita eam adhuc adminiſtrat. Sed tum adminiſtrauit eam Monarchicõs. Ergò Chriſtus eam adhuc Monarchicè adminiſtrat. Reſpondeo*, inquit Caluiniſta, *Maiorem non eſſe ſimpliciter veram.* Neque Bellarminus dixit *ſimpliciter*, quoad omnia, debere adminiſtrari Eccleſiam, ſicut adminiſtrata fuit à Chriſto ante paſsionem; ſed dixit; ea forma gubernationis iam quoque illam adminiſtrari debere, qua adminiſtrata fuit à Chriſto ante paſſionem: hanc autem fuiſſe Monarchicam: ergo & nunc debere eſſe Monarchicam. Itaque cum Sibrandus Maiorem illam, generali latitudine ſumptam oppugnat; non cum Bellarmino, ſed cum phaſmate à ſe conficto dimicat.

VVitackerus negat, affirmari à Centuriatoribus Chriſtum rexiſſe Eccleſiam Monarchicè. Audiatergo Centuriatorum verba Cent. 1. cap. 7. colum. 268. *Etſi verè eſſet ſummus ſacerdos, vt erat Pſal. 100 prædictum, tamen titulum ſibi arrogare noluit, ne externam dignitatem & potentiam videretur affecta-*

A *re: ſed res ipſas ad Pontificem pertinentes*, &c. *omnes exequitur.* At ad ſummum Pontificem & Monarcham pertinet quoq; gubernatio; ſi ergo Chriſtus omnes ſummi ſacerdotis partes executus eſt, etiam hanc quæ in gubernatione Monarchica conſiſtit, executus eſt.

Oggannit VVitackerus; *Si Chriſtus fuiſſet viſibilis Monarcha Eccleſiæ, tum vno tempore duo fuiſſent viſibiles Monarchæ Eccleſiæ, nempe Chriſtus, & ſummus Pontifex Aaronicus.* Reſpondeo, hoc non ſequi; licet enim Chriſtus, qua homo; eſſet Dominus Synagogæ; nõ tamen erat ſecundum humanam naturam ſacerdos Synagogæ, hinc nec ſummus Pontifex Synagogæ, quia non fuit ſacerdos Aaronicus; ſed ſecundum ordinem Melchiſedech.

B Hinc Bellarminus non dixit; Chriſtum, vt Pontificem, ſeu vt ſummum ſacerdotem, Eccleſiam abſolutè gubernaſſe regimine Monarchico; ſed reſtrictè dixit: *Eccleſiam à Chriſto congregatam*, hoc eſt, *Chriſtianam*, formaliter, qua talis, *cœpiſſe initiò habere regimen viſibile & externum Monarchicum.*

Illa VVitackeriana emblemata & erotemata; *Num ſimilis Papæ Chriſtus fuit? At quos ille Cardinales, quos Archiepiſcopos, quam pompam habuit? An etiam dominatum temporalem exercuit, & triplicem coronam geſtauit?* hæc, inquam, & ſimilia ζητήματα inſperſit logodædaliæ ſuæ VVitackerus, vt ſannionibus ex vulgi fæce gratum faceret, iiſque ſaliuam, nouo condimento, moueret.

C Sextam rationem petit Bellarminus à ſimili. In particularibus locis conſtituuntur particulares Epiſcopi: & ſupra hos, Metropolitani; & his ſublimiores, Primates, & Patriarchæ. Decet igitur, vt ſit etiam vnus aliquis, qui omnibus præſideat. Vociferatur Sutliuius: *Bellarminum aſſumere id tanquam certum, quod in controuerſia eſt poſitum*: & mox ex faucibus impuris ingentem maledicorum cumulum in ſummum Pontificem & Bellarminum exſpuit. At ſi quis dicat, *petulantem* hunc *calumniatorem & conuiciatorem*, (ita à Beza, Caluiniſtarum Patriarcha, indigitatus eſt Sutliuius) præ furore & rabie excæcatum, neſcire quid blateret; nullâ eum iniuriâ afficiet. An enim id, quod in quæſtione verſatur, ſumit ille, qui argumentum ſic format? Particularibus Eccleſiis dantur particulares Epiſcopi & Paſtores; ergo etiam vniuerſali Eccleſiæ attribuendus eſt Epiſcopus & Paſtor vniuerſalis. Sciſne, Caluiniſta, quid in quæſtione verſetur? An non iſtud? Num vniuerſali Eccleſiæ dandus ſit Paſtor vniuerſalis? An hoc aſſumit Bellarminus? An non ex diuerſo, & apud vos conceſſo, iſtud concludit? Pudeat te huius tuæ vanitatis; vel ſi nihil pudoris ſupereſt, ſume aliquantulum mutuum; vt ſaltem aliquo rubore tuæ genæ tingi poſſint.

D Danæus vibrat illas ſuas haſtas: *Argumentum Bellarmini eſſe à dicto ſecundũ quid; & à petitione principij.* Bene ſit vobis, ô *fallaciæ*, & quidquid veſtri

generis est. Præclaram operam Danæo nauatis: Absq; vestro subsidio si esset, vix habuisset, quod ad Bellarmini argumenta responderet. Nunc tam elinguis nunquam est, quin, vestro nomine obiecto, tanquam terriculamento quodam, imperitiores absterrere queat, quo minus propius ad considerationem argumentorum Bellarmianorum accedant.

Sibrandus profert hunc syllogismũ ex sua, non ex Bellarmini theca. *Quemadmodum singulæ vrbes, & singulæ prouinciæ gubernantur: ita totus terrarum orbis administrari debet. Sed singulæ vrbes gubernantur per singulos Episcopos: & singulæ prouinciæ gubernantur per singulos Metropolitanos. Ergò, totus mundus per vnum Papam regi debet. Respondeo, Maiorem non esse veram*, inquit Caluinista. Tibi id imputa, si vera non est. Cur non fecisti veram; quia Maior à tua manu est, non à Bellarmini? Nunquã enim dixit Bellarminus, eodem prorsus modo vniuersalem Ecclesiã gubernari debere, quo gubernantur singulæ; sed par esse, vt sicut singulæ à singulis Pastoribus & Episcopis reguntur; ita etiam vniuersalis Ecclesia regatur ab vno Pastore & Episcopo.

Obiicit Sibrandus. *Petrum monere, vt Episcopus pascat eum gregem, qui penes se est: rectius igitur colligitur, neminem debere alienum gregem inuadere; sed quemlibet debere gregem sibi à Deo commissum pascere, & ab alieno abstinere.* Quis hæc nescit? Sed num alienum gregem inuadit, qui in omnes particulares greges diuinitus accepta potestate per illud mandatum: *Pasce oues meas*; omnes verbo & doctrina pascit? Cuius cum proprius sit grex vniuersus, oportet quoque singulas vniuersi illius gregis portiones eiusdem proprias esse; quibus qui particulatim præsunt, non nisi dependenter ab illo summo pastore præsunt. An non & Angli, præter capita particularia, vniuersale quoddam caput Synagogæ suæ constituunt? Num & hic vniuersalis Pastor totius gregis, atque adeo etiam particularis cuiusq; cœtus curam gerens, alienum gregem inuadit? Consulat Sibrandus Decanum Sutliuium; videamus, quid responsi relaturus sit.

Sed en alium syllogismum ex mendaciorum promo condo pectore Sibrandi. *Quemadmodum vnius vrbis Ecclesia administratur; ita totius orbis Ecclesia administrari debet; Sed vnius Vrbis Ecclesia sæpe immediatè per vnum virum tantùm administratur. Ergò, totius orbis Ecclesia sæpè immediatè per vnum virum tantùm administrari debet. Vides Bellarmine*, inquit calumniator, *quorsum te adigant tua argumenta.*

Video, quorsum te adigat effrenis tua Sycophantandi libido, nempe ad deploratam & desperatam impudentiam. Nam syllogismus iste est tuus; non Bellarmini. Tua petulantia & improbitas hoc syllogismi monstrum procudit, nõ erudita mens & scita manus Bellarmini. Maiorem, vt antea dixi, non agnoscit pro sua Bellarminus, si vniuersim sumatur; nec forma syllogismi cõstat, vt vel tirones in Logicis deprehẽdent; Et sensus Minoris falsus quoq; & fallax est; quia necesse non est, vt particularis quoque Ecclesiæ Episcopus & Pastor omnia immediatè per se agat; hoc enim fieri nequit, præsertim in amplis lateque diffusis diœcesibus, quales pleræque in Germania; sed satis est, vt per subordinatos & delegatos Pastores, Parochos & Presbyteros, gregem sibi commissum pascat. Si hoc satis est particularium locorum Episcopis & Pastoribus; quanto magis vniuersalis Ecclesiæ pastori sufficiet? Scisciatare ex Sutliuio, Sibrande, num Pastor ille vniuersalis Ecclesiæ Anglicanæ & Pastores, hoc est, Episcopi huic subiecti, omnia per se immediatè peragant. Ne in priuata quidem domo necesse est, vt omnia immediatè ipse paterfamilias agat.

VVitackerus hoc loco sudat & æstuat, & inter angustias deprehensus, oculos in omnem partem versat, vt dispiciat, si qua euadendi via sese offerat: nam si cum Caluino & Geneuensibus omnes Ministrorum Ecclesiasticorum gradus potestate & auctoritate pares faciat, timet, ne lapidetur à suis Anglis; si autem impares statuat, veretur, ne in Caluini offensam incurrat. Quid ergo agit? Loxiam & Vertumnum, nec tam quid ipse, quam quid Caluinus sentiat, exponit; nec quid absolutè, sed quid ex Caluini mente responderi debeat, tradit: Etsi tandem posito alienæ personæ, quam induerat, habitu; perspicuè satis, quia luculento mendacio, *sensa* sua patefacit.

Caluinus noster, omnes, inquit, *hanc Metropolitanorum & Primatum Hierarchiam non à Christo vel Apostolis institutam, sed Ecclesiæ auctoritate introductam esse scribunt*: Hoc indicat Caluinista, auctoritate s potestate omnes ministros Ecclesiasticos iu diuino esse pares; nullũ altero maiorem; & hc omnes Caluinianos docere. Quod effrontibus figmentis annumeres licet. Nam Hadrianus S rauia fuit Caluinista, & quidem Minister; & t men fusissimè in ipsa Anglia contra Geneue ses, aliosque Puritanos, nominatim aduersus B zam, distinctionem Episcoporum à Presbyter & Archiepiscoporum, & Primatum ab illis, tat quam iure diuino introductam, defendit; gem no opere de hac quæstione publicato, in quo altero ex professo Bezam refutandum suscep In eodem argumento versatus est Sutliuius C uinistæ Anglus, qui animum Bezæ ita exulcer uit, vt eum *petulantis conuiciatoris & calumniato* cognomento cohonestaret. Fuerunt & alij C uinistæ; qui idem certamen certarunt, vt app ret ex Sarauia. Qua igitur fronte asserit Angl VVitackerus, omnes Caluinistas de his gra bus idem cum Caluino, hoc est, cum Beza & C neuensibus sentire, quorum phlyarias, quar partem aliquam transcripsit hic VVitacker Sarauia copiosissimè refellit?

At nunc os VVitackerianum intuere. Citauerat Bellarminus sanctos Pontifices Leonem & Gregorium. Quid VVitackerus? *De his, nil aliud respondeo, quàm nos illorum dictis non teneri.* (Et nos multò minus dictis Caluini aut VVitackeri) *nam vt erant Episcopi Romani, sic natiua quadam illius vrbis, & insita ambitione rapiebantur ad munus suum verbis ornandum, & fidem plus æquo efferendam.* Hæc videlicet est illa frons reuerens & pudibunda, qua isti Chami, camo & fræno dignissimi, veterum patrum libros lectitant, & ad censuram vocant.

Septimam rationem sumit Bellarminus ex Ecclesiæ propagatione: Ad hanc enim vnum caput requiri; & vix post Apostolorum tempora fidem infidelibus per alios esse traditam & annunciatam, quàm per illos, quos Romanus Pontifex miserit. Quod pluribus exemplis demonstrat Bellarminus.

Calumniatur Sutliuius, *tot esse huius argumenti peccata & vulnera, quot sententias.* Nam primò, absurdum reputat, quod Bellarminus ait, *particulares Episcopos non posse mittere prædicatores in alienas prouincias.* Et cur tibi hoc videtur absurdum; cum particularis Episcopus nihil iuris aut iurisdictionis in alienas prouincias habeat? At Christus dixit Apostolis: *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ: hoc,* inquit Sutliuius, *non tantum Apostolos, sed & eorum successores obligat.* Assentirer, si Caluinista aliquid probationis adferret: Nunc cum tantum aiat & lallet, assensum cohibeo; Etsi enim Episcopi, qua tales, sunt Apostolorum successores; non succedunt tamen Apostolis in illa plenitudine potestatis & iurisdictionis exercendi suum munus indiscriminatim toto terrarum orbe: Excepto successore S. Petri, qui in potestatis & iuris plenitudinem subit. Miror, Sutliuium istum, odio Romanæ cathedræ palam contra suæ Synagogæ consuetudinem & praxin declamare. Mittat Caluinianus Episcopus Londinensis vel Eboracensis Ecclesiastas in diœcesin Cantuariensem; num primas ille Cantuariensis hoc patietur? Mittat iste primas concionatores Leidam vel Gencuam, eo fine, vt Anglicanum Caluinismum introducant, expulso spiritu Puritano; quid præmij reportabunt isti concionatores? Num tolerabuntur?

Non diffitemur aliquando à particularibus Episcopis missos esse, & etiamnum mitti Doctores & Pastores ad gentes, quibus veræ fidei lux nondum illuxit; aut si olim illuxit, postea rursus occidit; nam hæc talia nec fiunt, nec facta sunt, nisi cum expresso vel tacito consensu pastoris summi; à quo cum Caluinista dicit; *non emitti pacis nuncios & prædicatores Euangelij, sed potius prædatores, belli incendiarios, flabella seditionum, sicarios & venefices, qui bonos viros iugulent:* iterum planum testatumque facit, Bezam à vero non aberrasse; quando *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* eum ipsum appellauit, qui has tam atroces lœdorias in chartam effudit: qui mox insigni impudentia contumelias exornat, dum inficiari non veretur, S. Bonifacium à Gregorio secundo Pontifice Romano in Germaniam Euangelij docendi caussa esse missum, itemque Augustinum & socios à S. Gregorio, & S. Kilianum à Conone Pontifice. Siccine nihil remanebit in historia diuina vel humana, quod Caluinianus genius subuertere non tenter, si ad gustum eius non faciat? Quid testatius, quid exploratius historiis, quas iste vultu ferreo negatum tendit? Videatur vita S. Bonifacij, & S. Kiliani, vtraque notis & notationibus Serarij nostri illustrata: Legatur Ecclesiastica Historia Bedæ; quis tam blennus erit, qui præistis hunc *calumniatorem* audiendum censeat? Cui religio non fuit in ipsum S. Augustinum virulentam suam linguam stringere, quippe quem dicat; *timidè ad veteres Anglos accessisse; parum aut nihil præstitisse; crudeliter & superbe se gessisse.* Hæ sunt gratiæ, quas Caluinisticus alastor Apostolo Anglorum Augustino persoluit. *At iam antea lux Euangelij in Angliam, & Germaniam illata fuerat.* Num in omnes eius partes? Num ita, vt accensa vbique clarè perpetim rutilaret ac micaret? Num ab illis, qui non legitimè missi mediatè vel immediatè à summo pastore? Quantam barbariei syluam; quantas incredulitatis, ignorantiæ, & Ethnicæ impietatis tenebras sancti illi viri in Anglia & Germania repererint, docent monumenta paulò antè laudata.

Accusat Sutliuius Bellarminum, *quasi mala fide verba Innocentij primi recitet.* Sed calumniatur iterum Caluinista proteruè & effrenatè; nam Bellarminus non voluit recitare verba Innocentij, sed sensum. Considera autem, an non sit idem vtriusque huius locutionis sensus. Bellarminus sic scribit: *Innocentius primus* in Epistola prima constanter affirmat, per omnem Hispaniam, Galliam, Africam Ecclesias esse fundas per eos, quos Petrus aut eius successores in hoc opus miserant. Ita Bellarminus. Innocentius verbatim in hunc modum: *Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores, constituerint sacerdotes.* Hactenus Innocentius, de cuius mente & sensu num vel vnum iota subtraxit Bellarminus? De sensu, inquam, verba enim ad verbum recitare non instituerat. Et tamen Caluinianus iste *malam fidem* Bellarmino iterum, iterumque exprobrat.

Quid vero mirum, si in Bellarminum insiliat, qui petulantiâ suam ab ipso Innocentio, tanti nominis & existimationis Pontifice, coërcere non valuit? Nam *mendacij eum postulat*, tum

pro-

propter iam recitata dicta, tum quoque propter hoc, quod mox subiicit. *Aut legant, si in his prouinciis alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse.* Nec acquiescere dignatur Apologiæ seu explicationi, quam Card. Baronius Tom. 1. Annalium, Anno Christi LXI. Num. 5. adfert; & eam duntaxat ob caussam non acquiescit, vt Innocentij conuiciis insectandi occasionem non amittat. Nam quòd varios numerat, qui variis in locis Euangelium annunciarint; num ideò sequitur, eos auctoritate S. Petri, vel successorum eius, illas in partes, prædicationis caussa, non venisse? Quid, quod sine scelere dici potest, nec S. Iacobum in Hispanias, nec S. Paulum Romam, & in alias orbis partes concessisse, nisi ductu & auspiciis Petri, tanquam summi Pastoris & Ecclesiastici gubernatoris, & hoc respectu Innocentium scripsisse id, quod scripsit. Dic Caluinista, num inexpiabili facinore se obstringet, qui in hanc sententiam Innocentij dictum acceperit?

Non dissimilia nugatur circa hoc Bellarmini argumentum Sibrandus: qui in limine nugamentorum suorum hunc syllogismum collocat. *Qui propagauit omnes Ecclesias, ille est Monarcha in Ecclesia. Papa propagauit omnes Ecclesias. Ergò Papa est Monarcha in Ecclesia.* Sed Sibrandus semper manet Sibrandus, hoc est, cauillator & σοφιστης. Nam si candidè agere voluisset, argumentum longè aliter formasset; sed quia & hoc & alia non formauit ex Bellarmini rectissimo, sed ex suo distorto & deprauatissimo sensu, fit, vt non nisi monstra gignat. Nam disputator fuci & fallaciæ expers ita argumentum instituisset. Cuius auctoritate, mediatè vel immediatè, omnes Ecclesiæ orthodoxæ fundatæ & institutæ sunt; is est caput & princeps Ecclesiæ. Sed Romani Pontificis auctoritate, mediatè vel immediatè, omnes aliæ Ecclesiæ fundatæ sunt ac institutæ; ergo Romanus Pontifex est caput & princeps Ecclesiæ. Vel hunc in modum. Oportet in Ecclesia esse aliquē cuius auctoritate Euangelium in vniuerso orbe propagetur; sed hic non est alius præter Romanum Pontificem, &c.

Obseruandum est autem diligenter, Bellarminum suo in argumento expressè restrictionē istam ponere, vt dicat, *post Apostolorum tempora.* VIX *inueniri, Ecclesiam per alios esse propagatam, quàm per eos, quos in opus Dei miserant Romani Pontifices.* Quocirca frustra batuit Sibrandus, cum hic ex Nicephoro refert, *Simonem zelotem percurrisse Africam. Matthæum prædicasse in Æthiopia; similiter Matthiam; Iacobum & Paulum in Hispania. Crescentem à Paulo missum in Galliam. Marcum prædicasse in Ægypto. Eunuchum in Æthiopia.* Inanem quoque operam sumit, & verba miserè perdit VVitackerus, quando maiore adhuc inani loquentia nobis denarrat, vbi quisque Apostolorum, & multi ex Apostolicis discipulis Euangelicam doctrinam prædicarint. Num hæc feriunt Bellarminum, qui loquitur de temporibus, quæ Apostolicam ætatem subsecuta sunt? At hæc omnia, quorū meminit Sibrandus, VVitackerus, Apostolicis temporibus gesta sunt: Et exempla de Simone, Iacobo & Paulo Innocentij sententiam tangunt; at quomodo sine noxa tangant, prius explicatum dedimus.

Nec prætereundus est Sibrandi stupor, qui cum legisset S. Kilianum à Conone Papa missum ad conuersionem Franconum, per *Francones* intelligit Gallos, & extra omne propositum probat ante Cononem & Kilianum temporibus Irenæi & Tertulliani, fuisse in Gallia Ecclesias; quasi verò S. Kilianus ad Gallofrancos, seu Occidentales Francos missus sit, non ad Germanofrancos seu Orientales Francos, quorum ditio hodie etiam *Franconia* audit. Vel sola rerum à S. Kiliano gestarum inspectio hunc Sibrandi stuporem discutere potuisset; si Sanctorum vitas tam libenter inspiceret, quàm Caluini Institutiones.

Danæus mentitur I. hoc esse Bellarmini argumentum: *Ecclesia Dei est propaganda, ergo Romanus Pontifex est caput Ecclesiæ.* Mentitur II. argumentū Bellarmini, *esse fallaciam à non consequente.* Quanquam, si de argumento quod Danæus finxit, sermo sit, non grauatè concedam, id esse stoliditatis Danæanæ non obscurū specimen. Mentitur III. Bellarminum *argumentari à falso præsupposito.* Mentitur IV. *Hoc falsum præsuppositum in eo consistere, quòd possit Romanus Pontifex ius in alienæ diœceses vsurpare.* In alienas diœceses nullum ius vsurpare potest; cum omnis diœcesis sit Pontificis, vt summi & vniuersalis pastoris. Mentitur V. Bellarminum *infamare Deum suum Romanum.* Deus Bellarmini est is, qui cælis & terris ab æterno imperat; non ille, qui, vt Vicarius, Ecclesiæ Dei præsidet. Mentitur VI. Bellarminum *facere ex Pontifice inuasorem & vsurpatorem rei alienæ.* Qua ratione quæso? Iunius quoque, vt Sibrandus, cum capitis sui vmbris digladiatur, non aduertens, vel si aduertit, dissimulans; Bellarminum non loqui de temporibus Apostolicis, sed de illis, quæ hæc tempora sunt subsecuta, vt antea monuimus.

Octauam rationem sumit Bellarminus ab vnitate fidei, quæ conseruari nequit, nisi sit vnus summus iudex, in cuius sententia omnes acquiescere debeant. Occurrit Sutliuius. *In lege naturæ & Moysis fine tali iudice vnitatem fidei conseruatam fuisse; ergo & iam conseruari posse.* Sed de lege Mosis mentitur, vt fusè probatum tomo primo libro tertio, & alibi sæpe. In lege naturæ nil mirum nō fuisse talem iudicem, quandoquidem fideles necdum in vnam quasi reipublicæ formam coaluerant. Quàm verò angustis finibus tunc circumscribebatur fidelium numerus? Quàm lentè fides crescebat & propagabatur? Quàm modica erat cælestium rerum cognitio, & apud quam paucos? Reliqua quæ Sutliuius attexit, conuicia sunt, digna illo, qui à Beza *planas calumnia-*

lumniator audiit. Mentitur & criminatur impudenter, à Pontificibus *introductas esse Hæreses Angelicorum, Simonianorum, Carpocratianorum, Armenorum, Collyridianorum, Pelagianorum: & alias infinitas.* Eia, Sutliui, an non iam leuior est tuus stomachus, postquam tot mendaciorum retrimenta tam largiter euomuisti? Concilium generale inter Caluinistas & Lutheranos; imo inter solos Caluinistas, tum sperare poteris, quando flumina in caput alta suum relabentur, conuerso cursus ordine; Et quando Caluinistæ Belgici, Gallici, & Germanici absque nauigio ad primatem Cantuariensem peruenire poterunt. Et hic libro suo primo & insectationibus in nonum caput Bellarmini finem imponit Sutliuius; qui capiti quarto huius sui eiusdem libri hunc dedit titulum: *Monarchiam Pontificis Romani, quam Bellarminus probat, nihil ferè habere cum bene instituto Monarchiæ commune aut simile.* Sed nil adfert responso egens; nam mera ructat conuicia, hausta ex cœnosis Balæi, Apiarij, & id genus aliorum balatronum lacunis. Nil ingenuo disputatore dignum inuenias, licet vt inuenias non vnam, sed plures lacernas accendas.

Danæus nodum hunc vsitato sibi gladio secat; *Argumentum Bellarmini esse à dicto simpliciter ad dictum secundum quid.* Parum pensi habet Danæus, quam *fallaciam* nominet, dummodo vnam nominet, iam satis superque responsum existimat; mirumq; mihi accidit, quomodo hic non potius nominauerit *Ignorantiam Elenchi*, vel *petitionem principij*, quia æquè multum his in aciem eductis promouisset, & forsan plus.

Dum porro Danæus *fallaciis* suis tam impigrè contra Bellarminum rem gerit; non segnius instat à tergo Iunius cum illis suis grauis & leuis armaturæ militibus; quorum nomina; *Æquiuocatio: Negatur. Inconsequens. Falsum. Dissimile. Nihil ad rem. Figuratè dictum, Metaphoricè dictum; non analogicè. Non sequitur. Apage nouitates istas*; vt præteream aliorum fortissimorum velitum nomina, quibus hoc caput oppugnat.

Syllogista Sawbrandus sic syllogizat: *Quod omnes Christianos in vnitate fidei conseruat, illud est in Ecclesia necessarium. Sed Monarchia Papæ Romani omnes in vnitate fidei conseruat. Ergò Monarchia Papæ Romani est in Ecclesia necessaria. Respondeo*, inquit Caluinista, *Minorem esse falsam*: Imò verissima est, quidquid contra restites, vt probatum lib. 3. Tomi prioris; neque vnquam in æternum sectarij inter se consentient; quandiu vnum caput respuent, à cuius nutu omnes dependeant.

Addit Sibrandus hunc quoque syllogismũ: *Summus in Ecclesia Iudex conseruat omnes in fidei vnitate. Sed Papa est summus in Ecclesia Iudex. Ergò Papa conseruat omnes in fidei vnitate.* Exagitat deinde syllogismum Sibrandus quasi *petentem principium*. Exagita, quantum lubet; & vti lubet, nihil ad Bellarminum; quia syllogismus iste non prodiit ex Bellarminiana, sed ex Sibrandica officina. Cętera, quæ Caluinista in Pontifices despuit, pura puta sunt conuicia ex ganeonum lustris & gurgustiis petita: vt *Gregorium VII occidisse sex Papas, vt Papa fieret, & coniecisse Deum suum panaceum* (ita impius blasphemat) *in ignem, vt fisceret euentum pugnæ contra Henricum susceptæ. Leonem decimum fuisse risorem omnis religionis*: & alia huius fæcis, quibus Hæretici clamatores se, & alios iucundè pascunt.

VVitackerus admodum hîc est lepidus. Loquacissimè & garrulitate plusquam iuuenili, ne dicam, puerili, nobis persuadere nititur, *non opus esse omnimoda fidei vnitate*; sufficere, si Christiani *de rebus vniuersis*, hoc est, de præcipuis & generalioribus capitibus, *quæ sunt fidei, idem planè sentiant.* Vbi nescio, quæ aura, nisi *Machiauellica*, vel saltem *Semimachiauellica* VVitackeri pectus afflauit. Nam qui Christi spiritu agitur, is certissimo credit; omnia, quæ fides proponit; firmiter, explicitè vel implicitè, credi debere; neque quemquam scientem volentemque contumaciter deflectere posse, etiam à minimo fidei decreto, si quod est minimum; absque hæreseos nota, æternæque salutis iactura. Quod verò ait VVitackerus; *in his generalioribus & necessarijs capitibus posse seruari vnitatem fidei absq; vno supremo Ecclesiastico Monarcha*; assentirer, nisi me remoraretur implacabilis illa Lutheranorum & Caluinianorum circa Eucharistiam Christique personam dissensio. Quod si VVitackerus hæc duo dogmata numerat in adiaphoris, de quibus diuersa & aduersa sentire liceat, nihil superest, quàm vt cum Trinitariis quoque dexteram iungat. & articulum de Trinitate non pro summo & necessario reputet.

Posthæc soluit Bellarminus argumenta sectariorum, quibus probare conantur, Ecclesiæ regimen non esse Monarchicum. Solutiones allatrat Danæus imposturis, criminationibus, mendaciis, *Fallaciis à non cõsequente; à dicto secundũ quid*; Et id genus aliis missilibus, quæ Danæus ex pharetra sua copiosè depromere solet. Nil opus in his diutius immorari. Quis enim vel obiter Danæanum librum inspiciens, auctoris vanitatem ignorare potest?

Easdem solutiones arrosere suis dentibus, Sutliuius, Iunius, Sibrandus, VVitackerus, quorum ineptias & cauillationes dispulimus iam initio huius capitis. Nam si quæ insciticæ VVitackerianæ in hoc capite non sunt repercussæ; repercutientur alibi; Et quid necesse est, nugas, quoties reponuntur, operosè refellere; cum pleræque tam leues sint, vt sponte sua euolent. Quid enim difficultatis in his consecutionibus? *Vnicuique nostrum data est gratia pro mensura donationis Christi*, ergo in Ecclesia non est vnus aliquis Monarcha, qui plenitudinem potestatis habeat; quia vnicuique data est sua portio. Respondeo, consequentiam cum sua probatione esse futilem: Nam & Petrus & successor Petri, Romanus

Ponti-

Pontifex gratiam & accepit & accipit pro mensura donationis Christi: Mensura autem huius donationis est illa; *Tibi dabo claues* regni cælorum, &c. *Quodcunq; solueris*, &c. *Quodcunq; ligaueris*. Et quamuis hæc gratia seu potestatis concessio sit quædam plenitudo respectu subditorum; Est tamen certis mensuræ terminis circumscripta ratione Christi, qui Pontificis potestatem eam esse voluit, quæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem necessaria esset.

Eiusdem roboris est hæc obiectio: Ait Apostolus: *Vnum corpus, vnus spiritus, vna spes vocationis, vnus Dominus*; Vbi nil de vno capite & Monarcha apparet. Quomodo nil? An putas tu corpus illud vnum, cuius Apostolus meminit, qua visibile, destitutum esse visibili capite? Nec aliud habuit VVitackerus, quod ad hoc Bellarmini responsum responderet, præter hanc calumniam: *Nisi Bellarminus omnium confidentissimus esset Theologorum, nunquam ista ad Papatum comprobandum torqueret.*

Iam quid persequar illas stipulas? Aliquando Ecclesia esset acephala. (Quid mirum, loquendo de visibili capite; vacante sede D. Petri? An non haud pridem Synagoga itidem Anglicana Acephala fuit, mortua Regina, capite illius cœtus?) Vnus homo non potest totam Ecclesiam gubernare. (Cur non per delectos & subordinatos Ministros?) *Christus dixit: Regnum meum non est de hoc mundo.* (At quis nescit, Christum locutum de regno politico & temporali, non de Ecclesiastico & spirituali?) *Christus non ascendisset in cælum, si Ecclesiæ vtile vel necessarium fuisset habere caput visibile, sed mansisset in terra.* (Et quantum temporis est, ex quo VVitackerus, vel Baccalaureus eius Allenson, per diuinam reuelationem hoc cognouerunt? Neque enim aliunde tanti arcani certiores effici potuerunt.) *Omnia vestra sunt 2. Cor. 3 siue Paulus siue Apollo, siue Cephas. Ergo nullus est in Ecclesia Monarcha.* VVitackerus dicit; *hoc argumentum tam esse acutum, vt eius aciem* (plumbeam, opinor) *Bellarminus reformidarit.* Et quis non trepidet, cum plumbeo pugione punctim petitur? Etiam Cephas, etiam successor Cephæ, summus Pontifex, est fidelium; quia communi fidelium vtilitati seruit: nec alia eius instituendi causa fuit, quàm publicum Ecclesiæ emolumentum, & Sanctorum consummatio.

Etiam sequens VVitackerianum telum tam est acutum, vt aciem eius toto pectore perhorrescam. *Paulus scribens ad Corinthios non monuit Cephan esse Ecclesiæ Monarcham; Ergo*, &c. Quis horum missilium vim vsque adeo penetrabilem sufferat?

Nec omittenda hæc argutia. *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos: Ergo Petrus non fuit cæteris maior, sed par.* Acutè prorsus collectum. Finio. Quis enim modus sit, si præterea persequi velim, quæ VVitackerus ex patrum testimoniis vndique ex hac controuersia comportatis, aduersus Ecclesiasticam Monarchiam pari sagacitate disserit? cui, si adhuc superstes foret, suaderem, vt suo sodali Sarauiæ, se in disciplinam traderet, gratiâ discendi cum alia, tum discrimen Episcopi à Presbytero, iure diuino constitutum. Sed quia VVitackero consilium hoc nimis est serum; bonum factum Baccalaureus *Allenson* fecerit, si id sibi amplectendum existimet. Certè VVitackerus vel suo, vel Baccalaurei sui vitio, vbique *Puritanum* redolet; Fortè quia desperauerat, se Episcopatum aliquem ex illis viginti quatuor, in quos Caluiniana Anglia, teste Sarauia, diuisa est; adepturum.

CAPVT X.

Proponitur tertia quæstio, & probatur Petri Monarchia ex loco Euangelij Matth. 16.

POSTQVAM antegressis capitibus demonstrauerat Bellarminus, Ecclesiasticum Regimen præcipuè esse Monarchicum, aptissimo ordine descendit ad illam quæstionem; *Fuerint ne Apostolus Petrus Ecclesiæ totius caput & princeps loco Christi.* Affirmantem partem doctissimè & copiosissimè explicat & tuetur, primùm ex illo Christi ad Petrum dicto Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, &c. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Vbi singula ad rem pertinentia huius promissimo momenta, accuratissimè, & optima methodo expendit. Qua accuratione, copia, varietate & insigni argumentorum dispositione commoti sectarij in rabiem propemodum vertuntur, præsertim Danæus & Sutliuius, quorum ille in totum hoc caput tot fermè conuicia & mendacia eructauit, quot verba. Enumeremus pauca ex multis, vt lector videat, quibus iaculis istæ ex inferis emissæ cohortes immotam Petri cathedram, & inconcussam Bellarmini pro ea disputationem appetant.

Principio an non furiosi hominis est hæc oratio? *Quidquid Bellarminus pro suo Ioue Capitolino tonare, intonare, detonare, retonare conatus sit, totum illud fumus & strepitus verborum fuit, non fulgur, non lux, non fulmen.* Et istud primum sit hoc loco à Danæo prognatum mendacium. O si & vltimum in toto opere. Sed irritum est votum. Nam vt in continui diuisione nunquam venitur ad vltimam partem; sic nec in libris Danæi ad vltimum mendacium.

II. Mend. *Hunc errorem* (de primatu Pontificis fortissimè defendendo) *fuisse totum fectæ istius* (societatis nostræ) *pernicioßissimæ fundamentum:* Remoue Caluinista, si potes, verborum calumnias, iisque remotis, ausculta parumper. Confirmandæ societatis causam habuit Pontifex tum primatus Petri & successorum eius, tum

vniuer-

vniuersim totius Catholicæ fidei defensionem. Quia enim indies nouæ exoriebantur sectæ, non abs re fore visum est; si ad veteranos in Ecclesia Catholica milites, qui strenuè aduersus Christi & Petri hostes dimicabant, recens etiam iste manipulus adiiceretur, vt aucto exercitu fortius impressioni hostili resisteretur.

III. Mend. *Hanc sectam* (societatem nostram) *primum in Hispania soboleſcere cœpiſſe*. Nam Lutetia primordia & quasi incunabula societatis vidit, non Hispania.

IV. *Iam tunc hanc sectam, sub ipsa scilicet exordia, à Pontificibus Romanis, à Monarchis aliis omnibus fuisse damnatam, repudiatam, reiectam.* Mendacia hæc refellit abundè Historia de vita B. P. N. Ignatij, tam illa, quæ à Ribadeneira, tam illa, quæ à Maffeio scripta.

V. Mend. *Iesuitas facere ex Christo sectarium.* Imo vos *sectarium* facitis, quia Caluinisticæ impietatis auctorem, atqi adeo *Archicaluinistam* facitis.

VI. *In voto & in dogmate Iesuitas habere hos: Pontificem esse caput totius Ecclesiæ & supra concilia.* De voto non tantum ineptus, sed & mendax es: Nam quale votum hoc esset: *Voueo Pontificem Roman. esse caput totius Ecclesiæ, & supra concilia.* Si verò ita concipiatur. Voueo me crediturum firmiter, Pontificem Romanum esse caput totius Ecclesiæ & supra concilia; nihilominus mentitur Caluinista; quia in formula votorum nostrorum hæc vouendi ratio non continetur, vt notum omnibus, quibus formula illa nota est.

VII. Mend. *Iesuitas hac vouisse, vt aliquam commendationem apud Pontifices nanciscantur.* vt mendax est de voto, ita & vanidicus de fine voti.

VIII. Mend. *Alios Monachos liberum esse credere, Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ.* Nemini hoc liberum est, qui in Catholicorum grege numerari velit.

IX. Mend. *Sorbonam damnare eos, qui dicunt, Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ.* Minimè verò; quia licet schola illa eam sequeretur opinionem; quæ generale concilium Pontifici anteponit; non tamen abnueret, iure diuino Pontificem Rom. Ecclesiæ totius caput esse. Neque etiam damnaret illos, qui credunt Pontificem supra concilium esse; tametsi ab illis dissentiret; sed aliud est dissentire; aliud damnare.

X. Mend. *Ab omnibus bonis & piis viris damnari eos, qui credunt, Pontificem Rom. totius Ecclesiæ caput esse; & supra ipsa concilia generalia eminere.*

XI. Mend. *Iesuitas tribus religionis votis addidisse hoc quartum: Romani Pontificis velut summi totius Ecclesiæ capitis & supra concilia agnitionem, fidem, & defensionem.* Inaudiit videlicet aliquid Danæus de quarto voto *obedientiæ* circa missiones à summo Pontifice iniunctas, impigrè & absque recusatione suscipiendas, id nunc vel ex insciția vel ex malitia distorquet ac depranat.

XII. Mend. *Nisi Pontificiæ tyrannidi defensores nos præberemus, fore vt ab omnib. monachis dilaniaremur.*

XIII. Mend. *Nos Monachis cane peius & angue exosos esse.*

XIV. Mend. *Bellarminum in ipso statim ingressu falli & fallere turpissimè.*

XV. Mend. *Bellarminum plures interrogationes in vnam confundere.*

XVI. Mend. *Bellarminum hoc loco ita argumentari. Petrus à Christo Ecclesiarum caput constitutus est, ergo Papa Romanus est caput omnium Ecclesiarum.* Nihil hoc loco Bellarminus de hac consequentia. In solo Antecedente, seu eo, quod Antecedens asserit, probando, occupatus est.

His luculentissimis mendaciis præsuppositis, rem ipsam aggreditur Danæus, nouisque pseudologiis Bellarmini disputationem lancinat & lacerat; de quibus postea.

AEquè propemodum vanus & mendax est Sutliuius qui mentitur lib. 2. cap. 1. *Bellarminum vbiq, diligentiam suam iactare.* Vnde hanc generalem iactantiam colligit Caluinista? Quia Bellarminus initio huius decimi capitis ita loquitur: *Explicatum est hactenus & satis diligenter, nisi fallor, probatum, Monarchiam esse optimum regimen, & eiusmodi regimen in Ecclesia Christi esse debere.* Propter hæc verissima pariter & modestissima verba, perpetui thrasonismi arguitur Bellarminus, sed à thrasone, gloriarum plenissimo, qui si vel centesimam eruditionis Bellarminianæ partem possideret, pauonis instar, se circumspectaret, cum in hac sua mendicitate, & curtissima supellectile passim se insolentissimè efferat; qui, boni ominis causſa, mentitur; Bellarminum ex loco Matthæi, *nihil ædificare nisi nugas meras, & longos logos; & clare errante sententiam Christi distorquere.* Mox occlamat; *Petro nihil hoc loco datum; sed tantummodo promissum.* An non hoc ipsum monet Bellarminus? An non idem apertè verba futuri temporis indicant? *Ædificabo, tibi dabo*, &c. Sed cum Deus fidelis sit, vtique id quod Petro hoc loco pollicitus est, alicubi reipsa dedit. Et vbi dedit, nisi Ioan. 21. cum soli Petro præcepit: *Pasce oues meas*, &c. Nam quod dicit Sutliuius, *illud, quod Petro Matth. 16. promissum est, postea omnibus Apostolis ex æquo exhibitum esse; Ioan. 20.* id asserit quidem Sutliuius, sed sine probatione. Itaque nihil hîc addo: quia hæc nænia sæpius nobis ab hoc, aliisque Nouatoribus recinetur.

Ait Sutliuius: *Omnem vim argumentationis Bellarminianæ fundatam esse super metaphoras; at symbolicam Theologiam non esse argumentatiuam, testibus scholasticis. Quocirca ex hoc loco non posse euinci Petro totius Ecclesiæ Monarchiam donatam esse.* Submurmurat etiam VVitackerus nescio quid de metaphoris. Simili insciția argumentum quoddam Bellarmini eludere & effugere volebat Sutliuius capite superiore. Nam quidquid sit de illo dicto; *Theologiam symbolicam non esse argumentatiuam, vel; ex sensu mystico seu spiritali non posse duci argumentum;* quando argumentum exstruimus ex aliquo scripturarum loco metaphoris constante, non ar-

gumentamur ex ſenſu myſtico, ſymbolico, ſeu ſpirituali, ſed ex ſenſu litterali; nam metaphoræ ad ſenſum litteralem ſpectant, vt notum eſt. Itaque licet Matth. 16. voces *Petra, ædificandi, clauium, ſoluendi & ligandi* metaphoricè vſurpentur; ſenſum tamen litteralem, non ſpiritalem efficiunt; Eumq; non abſtruſum & abditum; ſed planum & obuium; quia niſi quis ſponte velit cæcutire; liquet vnde & à quibus hæc nomina ſint ſumpta, & ad quid ſignificandum loco illo Matth. 16. tranſlata. Itaque nihil ad rem facit S. Auguſtinus à Sutliuio citatus; neque enim iſte locus eſt vnus ex illis, quos implicitarum figurarum inuoluera, obſcuros & ad intelligentiam difficiles dubioſque reddunt. VVitackerus nominat promiſsionem Petro factam *metaphoricam*. Non reprehenderem, niſi ſub hac phraſi malignā mentem celaret; quæ eſt; promiſsionem hanc eſſe *incertam*; quòd conſtet metaphoricis vocabulis: perinde ac ſi omnis metaphorica locutio incerta eſſet: cum ſæpe euidentia & perſpicuitate ſua propriam quoque orationem vincat.

Obiicit Sutliuius: *Si ex ſimilitudine fundamenti, & clauium argumentari licet; poſſemus nos ex hoc loco colligere, Petrum non habuiſſe ſummam poteſtatem. nam, claues dantur à patre familias œconomo in domo: & ianitor in vrbe claues cuſtodit: quorum tamen non eſt ſumma in domo, & ciuitate poteſtas.* Reſpondeo, Chriſtum S. Petro non dediſſe qualicunque modo claues; ſed independenter à quocunq; homine; & cum poteſtatis plenitudine: *Quodcunq; ligaueris ſuper terram, &c. Quodcunq; ſolueris ſuper terram, &c.* Sine vlla exceptione aut reſtrictione. Dedit ergo illi claues, vt ſummo Oeconomo, & vt ſummo ianitori. Itaque dupliciter datis clauibus inſtitui poteſt Oeconomus & ianitor; primò, abſolutè, & cum poteſtatis plenitudine. Deinde reſtrictè & præfinitè. Priore modo, non poſteriore, datis clauibus, inſtitutus eſt S. Petrus Oeconomus & ianitor cæli.

In ædificio, inquit Sutliuius, *non poteſt niſi vnum eſſe fundamentum, & hoc ſubducto fundamento, ruit ædificium. At Petro mortuo manet Eccleſia, & ipſe adhuc viuente Chriſto erat, & perpetuò erit Eccleſiæ fundamentum.* Reſpondeo, cum metaphoricè aliquid alicui tribuitur, non eſſe neceſſe, vt omnia, quæ rei, à qua petitur metaphora, conueniunt, inueniantur in re metaphoricè ſignificata; prout ad ſimilem cauillationem capite ſuperiore reſpondimus; ſed ſufficere, vt vtrobique ſit aliqua ſimilitudo vel conuenientia. Itaque vt in ædificio quopiam *materiali*, illud dicitur fundamentum, quo totum ædificium nititur & ſuſtentatur; ſic & in ſpiritali Eccleſiæ ædificio id dicitur fundamentum, cuius auctoritate Eccleſia tota fulcitur, conſeruatur, & quaſi portatur. Iam quòd materialis ædificij vnum duntaxat eſt fundamentum (quamquam & ipſum materiale fundamentum in primarium & ſecundarium diuidere, nihil vetat) ſpiritalis autem ædificij duo vel plura; id nobis non officit; quia ſatis eſt, vt ſit conuenientia in hoc, quod vtrinque fundamentum totam fabricæ molem ſuſtentat; ſibique incumbentem geſtat.

Quid, quòd ipſi ſectarij, velint nolint, in myſtico Eccleſiæ ædificio plura fundamenta ſtatuere coguntur, contra morem, qui in externis iſtis ædificiis obſeruatur, vbi, vt aiunt, vnius eſt vnū ſolummodo fundamentum. Nam quin Deus, vt Deus, ſit fundamentum Eccleſiæ, non, vt opinor, inficias ibunt. Et tamen, præter hoc fundamentum, ſtatuunt etiam Chriſtum, vt homo eſt, pro Eccleſiæ fundamento. nec ſolum Chriſtum; ſed & Apoſtolos ac Prophetas. En quot vnius ædificij fundamenta Nouatores ponunt. Cur non & hic intonat Sutliuius? *In ædificio non poteſt, niſi vnum fundamentum eſſe.* Quomodo ergo Eccleſiæ fundamentum Deus, Chriſtus, vt homo; Apoſtoli, Prophetæ? Quomodo etiam ciuitas illa ſuperna, de qua Apocal. 21. habet *duodecim fundamenta*; cum ſit vna ciuitas? Quomodo itidem non ruit Eccleſia, mortuis Apoſtolis & Prophetis, cum ſubtracto fundamento, ruere ſoleat, ædificium, vt argumentatur Sutliuius?

Diſcat igitur Caluiniſta, non eſſe neceſſe, vt omnimoda vtrobique, hoc eſt, in vtroque fundamento, materiali & ſpirituali, reperiatur ſimilitudo, ſufficit, ſi aliqua: Nam vt ſubtracto fundamento ædificium corporale ſubſiſtere nequeat, vel ad exiguum temporis ſpatium, id tamen in ſpiritali Eccleſiæ ædificio non vſuuenit; quandoquidem primarium fundamentum, nempe Deus & Chriſtus, perpetim manet; quo fit, vt & Eccleſia ſubſiſtat, quamuis ſubtracto ſecundario fundamento, ad aliquod temporis ſpatium, donec aliud in eius locum ſubſtituatur; quanquam ſi fundamento hoc diu careat Eccleſia, id non niſi graui cum iactura fiat; Et ſi nullum penitus aliud fundamentum in prioris locum ſufficeretur; non poſſet Eccleſia de potentia Dei ordinaria ſalua perſtare; quandoquidem ita à Chriſto inſtituta eſt, vt portæ inferi contra eam præualere nequeant, non niſi vt hoc viſibili fundamento nititur.

Inſtat Sutliuius: *Euertetur Pontificum Romanorum ex hac ſimilitudine primatus. Nam, ſi fundamentum fundamento ſuccedere non poſſit, tum Pontifices Romani in fundamenti ratione Petro ſuccedere non debent, nec poſſunt.* Reſpondeo, vt in materiali ædificio fundamentū fundamento ſuccedere nequeat, poſſe tamen in ſpirituali; neque oportere, vt vtrinque ſit omnimoda ſimilitudo.

Ait Sutliuius. *Chriſtum nō dicere, ſe ſuper Petrum, ſed, ſuper Petram ædificaturum Eccleſiam ſuam.* An non probat Bellarminus, eundem dici *Petrum Petram*? Cur non refutaſti, ſi probationes diſplicebant? Obſtrepis. *Ad rem non facit, quòd Syriacè Cephas & Petrum & Petram ſignificat; hanc enim ambiguitatem ſuſtulit Spiritus ſanctus, qui ſuper Petram dixit Eccleſiam fundatam eſſe, & non ſuper Petrum: & Petram, & Petrum*

trum disertè distinguit. Quid si Interpres Græcus ex Hebræo, hoc est, Syriaco, (isto enim sermone nō improbabiliter credunt nonnulli Euangelium à S. Matthæo conscriptum fuisse) non sustulit, sed fecit, si qua est, ambiguitatem? Nam Syriacè dixit Christus; *Tu es Cephas, & super hunc Cepham ædificabo*, &c. vtrobique eadem voculâ positâ. Cum suas ob caussas Græcus Interpres primo loco posuerit *masculinum*; secundo, *fœmininū* vocabulum eodem tamen penitus sensu, vt demonstrat Bellarminus.

Oggerit Sutliuius. *Petrus propriè, & secundum primariam verbi significationem loquendo, dici non potest Ecclesiæ fundamentum.* Quis dicit Petrum propriè dici Ecclesiæ *fundamentum*, referendo proprietatem ad vocem fundamentum? Fundamentum propriè dicitur, de eo, quod externa hæc & sub aspectum cadentia ædificia fundat & sustentet. Metaphoricè transfertur ad spiritualia. Quid insuper de primaria significatione nugaris? Si primariam vocas *propriam*; fatemur, nec Petrum, nec Christum, nec Deum, primaria, hoc est, propria significatione fundamentum esse, sed metaphorica: si in ipsa metaphorica fundamenti significatione vnam statuis primariam; aliam, secundariam; tum rursus fatemur; Petrum, respectu Christi, non esse fundamentum Ecclesiæ secundum primariam fundamenti rationem; nam hęc præcellentia Christo competit; sed secundum secundariam: Christus enim est primarium fundamentum; Petrus & successores, secundarium. Quæ de fundamento Christo & pro hoc fundamento, dicta Patrum Sutliuius obiectat, soluuntur à Bellarmino, hoc & sequenti capite. Sutliuius solutiones Bellarmini immoto vultu dissimulat, & ita se gerit, quasi ad hæc obiecta nihil à Bellarmino vel aliis fuerit responsum.

Sibrandus auspicatur suum librum secundū ab hoc syllogismo ex Bellarmini disputatione confecto, vt quidem ipse arbitratur. *Quem Christus dixit Ecclesiæ fundamentum fore, illi promisit Monarchiam per vniuersam Ecclesiam. Sed Petrus est ille, quem dixit Ecclesiæ fundamentum fore. Ergo Petrus est ille, cui promisit Monarchiam per vniuersam Ecclesiam.* Vt hunc syllogismum à se exstructum rursus demoliatur, multa præmittit Sibrandus. Primò, *esse argumentum figuratum*, ex figura autem nihil certi colligi posse. Sed hanc insciti am castigauimus paulò antea in Sutliuio, scilicet ex sensu litterali, tametsi metaphorico, nihil certi concludi potest. Quæ Theologia, quæ Philosophia hoc docet? Secundò præmittit, *fundamentum dici propriè & impropriè. Propriè, super quod ædificium fundatur. Ecclesiæ igitur fundamentum propriè acceptum esse solum Christum.* Obserua hic Sibrandicam ignorantiam. Fatetur fundamentū de Christo & aliis figuratè, hoc est, tropicè & metaphoricè dici, & tamen simul affirmat de Christo propriè dici. Num quod de aliquo metaphoricè dicitur, propriè de eo dicitur? *Impropriè*, inquit, *est fundamentum, quo res aliqua*

A *quouis modo nititur; ob hanc caussam etiam illud fundamentum Ecclesiæ dicitur, quod Ecclesiam quouis modo sustentat; vel quod in ea ædificanda occupatum est.*

His positis, respondet, *Maiorem esse falsam; fundamenti enim vocabulum, hac posteriore impropria, non illa priore & propria notione vsurpari.* Verum à quo? A Sibrando. Qua de caussa? Quia ei ita libuit. Si aliter libuisset, aliter *fundamentum* acciperetur. Sed, omissis Sibrandicis gerris, Bellarminus euidenter ostendit, Petrum non communi & lata illa, sed peculiari & stricta ratione dici *Petram*, hoc est, fundamentum, cui Ecclesia inædificata sit. Cur ad probationes Bellarmini obmutuit Sibrandus? Cur non vel extrema manu tangere tentauit?

B Si, inquit Sibrandus, *accipiatur fundamentum in prima significatione, tum Minor est falsa. Solus enim Christus hoc modo fundamentum dici potest. 1. Cor. 3.* Falsa esset; si tuæ suppositiones, absque vlla vlteriore disquisitione, reciperentur. Sed quia friuolæ sunt, & stramentitiæ, non est, quod eas moremur. Nam præter duas notiones fundamenti metaphoricè sumpti, allatas à Sibrando, datur media inter duas illas extremas; nempe, vt quis sit *fundamentum* non primarium, vt est Christus, neque etiam vulgare solummodo & commune omnibus, quorum ope, opera & doctrina Ecclesia aliquo modo nititur ac sustentatur; sed peculiare, infra tamen Christum; licet supra modum illum communem; cuius ratio in hoc consistit; vt omnes, ipsi etiā Apostoli, ab eo dependeant: ipsum autem fundamentum à quocunque alio homine in hac militante Ecclesia sit liberum ac independens. Et hoc modo Petrum fuisse, & successorem Petri hodie esse fundamentum Ecclesiæ affirmamus; nec affirmamus tantum, sed & probamus, & hac notione sumi debet fundamentū in Maiore syllogismi Sibrandici: & sic sua quoque constat Minori veritas.

C

Obiicit Sibrandus: *Christus non dicit; Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam.* &c. Respondeo, illum idem dicere, sed aliis verbis. Occinit. Non esse *idem Petrum & Petram.* At nihil probat. Probationem postulo, vel euersionem eorum, quibus Bellarminus ostendit, eundem dici Petrū & Petram. Ad testimonium S. Augustini ex serm. 13. de verbis Domini respondet hic Bellarminus. Sibrandus responsionem intactam præterit. Quo consilio, nisi quia quod contra hisceret, non inueniebat?

D

Sed en argumentum ex insolubilium numero. *Apostolus disertè dicit, non posse aliud fundamentum poni, quam Christum 1. Cor. 3. Sed posse aliud fundamentum poni quàm Christum; vt Petrum, Papam; & nō posse aliud fundamentum poni, quàm Christum, sunt contradictoria.* Quis vel ex cælo Angelus ab hac contradictione nos eripiet? nisi forsan succurrat ipse Apostolus; qui fideles, hoc est, Ecclesiam, *supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum* ædificatos affirmat Eph. 2. Et tamē *fundamentum* aliud nemo

ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesvs. Si ergo Apostolus sine vlla contradictione potuit alia Ecclesiæ fundamenta ponere, præter illud 1. Cor. 3. quia hîc de primario, alibi autem de secundariis fundamentis locutus est; cur in Christum nos iniurioſi essemus, si præter primarium illud fundamentum, quod est Christus, agnoscerемus & veneraremur aliud, quod respectu quidem Christi est secundarium; comparatione autē aliorum minus principalium; primarium?

Ait Sibrandus: *Super Christum ædificare Ecclesiam, nihil aliud est, quàm eam Christo per fidem inferere, sed dicere eam Petro & Papæ per fidem inferi, impium est; ergo dicere eam super Petrum vel Papam ædificari impium est.* Si hoc argumentum quidquam ponderis habet, tum paululum mutatum efficiet; neque supra alios Apostolos Ecclesiam ædificatam esse; quia impium est dicere, si non desipit Sibrandus; Ecclesiam esse ædificatam super Petrum, ergo impium etiam erit dicere; esse ædificatam supra cæteros Apostolos, *cum ædificari Ecclesiam super Petrum* & alios Apostolos, nil aliud sit, *quàm inferi Petro aliisq; Apostolis per fidem*, vt quidem Sibrandus affirmat: Et si hoc, Savvbrando iudice, impium est, in Petro, cur non & in reliquis Apostolis, imo & Prophetis? Nam & supra hos testatur S. Paulus fideles esse ædificatos. Impius ergo erit S. Paulus, qui Ecclesiam Apostolis & Prophetis in ædificatam dicit, cum hoc nil aliud sit, si non delirat Sibrandicum acumen, *quàm Apostolis & Prophetis per fidem inferi*; quod Sibrandus impium reputat.

Cupit Caluinista scire, quid inter has duas propositiones intersit. *Christus ædificat Ecclesiam super Petrum: Et Petrus ædificat Ecclesiam super Christum. Sanè posterior hæc propositio*, inquit Sibrandus, *ipsis etiam aduersariis testibus vera est.* Omnino vera est; quia Christus ædificat Ecclesiam super Petrum, tanquam super fundamentum secundarium. Et Petrus ædificat Ecclesiam super Christum, tanquam fundamentum primarium. Imo Christus ædificando Ecclesiā super Petrum tanquā super fundamentū secundarium, pariter ædificat Ecclesiam super seipsum, tanquā super fundamentum primarium; & Petrus ædificando Ecclesiam super Christum, tanquam super fundamentum primariū, ædificat eam super seipsum, tanquam super fundamentum secundarium.

Danæus clamat, *super fidem Petri ædificatam esse Ecclesiam*. Hoc, quo sensu verum sit, quo falsum; fusè hic explicat Bellarminus. Oggerit Danæus: *Petrum non pro se solo; sed & pro aliis Apostolis audiisse illud: Tu es Petrus, & super hanc Petram*, &c. At reclamant singulæ propemodū totius orationis apices. Si Christus dixisset Danæo: *Tu es Danæus, & super hunc Danæum ædificabo Ecclesiam Genevensem: Et tibi, Danæe, dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram*, &c. an vllum ex symmystis in potestatis consortium admitteret? An vllus ex Synergis tam duro vultu esset, qui se in hanc potestatis plenitudinem intrudere auderet?

Incredibile dictu est, quàm mihi arrideant illa Danæi verba: *Christus vsu est fœminino genere* (dicens, *super hanc Petram*) *quod Petro masculo conuenire non potest.* Sibrandus bene mereri volens de suo in Caluini Euangelio adiutore, hanc subtilissimam cogitationem Danæi, mox hac syllogistica veste indueret. *Fœmininum non potest conuenire masculo. Petra est fœmininum; & Petrus masculinum. ergo Petra non potest conuenire masculo Petro.* Quo nos vertemus, vt stultitiæ huius acumen declinemus? quod non absimile huic. *Fœmininum non potest conuenire masculo. Manus est fœmininum; Danæus, masculinum; ergo manus non potest conuenire masculo Danæo. Neutrum non potest conuenire masculo; Brachium est neutrum; Danæus masculinum; ergo brachium non potest conuenire masculo Danæo.* Quàm acutè omnia Danæus. Appellauit olim Christus Apostolos *lucem* mundi. *Vos estis lux mundi.* Ipse Christus nominatur *lux vera.* An non aduolabit Danæus, clamitabitque; *non ita. Apostoli sunt generis masculini: lux, fœminini: non igitur lux affirmari potest de Apostolis; neq; etiam de Christo, quia & Christus masculus est; lux, fœmininum quiddam.*

Iunius carptim agit, veteri instituto. Vt probet Bellarminus per *hanc Petram*, intelligi ipsum *Petrum*, ait; hoc colligi ex pronomine demonstratiuo *Hanc*, quia demonstrat aliquam Petram, de qua paulò antè Dominus sit locutus: Proximè autem Dominus *Petrum* vocauerat *Petram*. Syriacè enim loquebatur, & Syriacâ linguâ Petrus dicitur Cephas, vt habemus Ioan. 1. Cephas autem Petram significat omnium consensu.

Ad quæ Iunius. *Negamus assumptionem istam: nam Simonem filium Ionæ, (vt liber quidem habet Canonicus) Petrum, non autem Petram vocauerat: id est, vt Grammaticè loquar, ex appellatiuo nomine fecerat proprium, quod ipsi inderet.* Quem petis aut feris Iuni? An Bellarminum? Certè non: quia nunquam negauit Simonem filium Ionæ vocatum esse *Cepham*; sed ex hoc loco euincere vult, Cepham significare Petram, atque adeo Matth. 16. *Petrum & Petram* vnum idemque esse, cum Christus Syriacè loquens vtrobiq; eodem *Cephæ* vocabulo fuerit vsus: dicens; *Tu es Cephas, & super hunc Cepham ædificabo Ecclesiam meam*; prout etiam in hodierna versione Syriaca vtrobique idem est *Cephæ* vocabulum: Et quamuis Christus ex appellatiuo fecerit proprium Ioan. 1. id tamen Bellarmini proposito non obstat; quia Matth. 16. Christus in vtroque loco vsurpat vocem *Cephæ* pro nomine proprio, non pro appellatiuo, tametsi supposito appellatiuo. Res exēplo clarior euadet. *Christus*, absolutè loquendo, est nomen appellatiuum; significat enim *vnctum*; hoc appellatiuum factum est *proprium*, quia ad Redemptorem nostrū translatum est. Si quis iam dicat. *Tu es Christus, & super*

te Chri-

te Christum, iactabo omnes curas meas: an non vtrobique Christi vocabulũ pro nomine proprio vsurpat? Eadem est ratio vocabuli *Cepha* in nostro proposito. Quapropter fumos venditat Iunius; cum dicit, Bellarminum *aequiuocatione fallere, quod vnam eandemq; vocem vno tantum modo accipi iubeat propter vnitatem illius terminationis*. Non præcisè propter *vnitatem terminationis* vno duntaxat modo, nempe pro proprio nomine accipit Bellarminus vocem *Cepha*, sed quia omnes circumstantiæ suadent, vt vna eademque ratione vtrobique accipiat. Germanis *Cephas* seu *Petra* dicitur ein Fels. Si quem igitur, cui hoc nomen obtigisset, alloquerer hunc in modum: Du bist ein Fels/vnd auff disen Felsen wil ich all mein Hoffnung setzen. An non vt priore, sic & posteriore loco nomen Fels pro nomine proprio vsurparem?

In secundo membro, inquit Iunius, *non loquitur Christus de Petro, quem proximè nominauerat, sed de Petra ab qua dictus est Petrus, id est, de doctrina fidei, quam confitebatur Petrus*. Audio dicentẽ, & solenni coccysmo regerentem, quod iam à Bellarmino profligatum est. at cupio audire probantem. Num pro oraculo nobis obtrudes, quidquid somnias? Illis obtrude, quos libra & ære mercatus es.

Ridet Anacletum quòd dixerit apud Gratianum d. 22. C. *sacrosancta* Cephas significare *caput*. Riserunt iam pridem, sed eorum risum eruditè pridem compescuit Turrianus noster lib. 2. contra Magdeburgenses cap. 3.

Ait Bellarminus illud: super *hanc Petram* nõ posse alio referri, nisi ad Petrum; quia Christus Syriacè loquens dixit: *Tu es Cepha, & super hoc Cepha*, seu *super hunc Cepham*, &c. quasi diceret: *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*.. Oggerit Iunius suum illud *Negamus*. Quam ob rem? quia cum vertit; *Tu es Petra, mentitur Bellarminus exemplar Græcum, cuius semper inde à principio authentica fuit auctoritas in Ecclesia Dei*. At exemplar Græcum minimè repugnat, quo minus Latinè illa, σὺ εἶ πέτρος, sic reddamus: *Tu es Petra*. An non enim πέτρος significat Petram? Nam quod Iunius ex Varino ait, *Petrum Attico esse Petram, nec verisimile videri. Euangelistam vel Interpretem eius Atticismo vti voluisse, inane effugium est*: Græcè enim doctis notissimum est, vocem πέτρος, idem simpliciter esse, quod λᾶας & λίθος apud Homerum, Xenophontem, Callimachum, alios. nec præcipuus huius temporis lexicographus, Iunij in Caluini schola commilito, quidquam de hoc Atticismo admonuit. Et vt verus Atticismus esset, num tamen adeo insolens censeri deberet, si vocabulo Attico Interpres semel vsus esset?

Obiicit Iunius. *Si* Cepha *in hoc posteriore membro nomen esset proprium sermone Syro, nunquam fuisset Euangelista pronomen demonstratiuum*, hanc, *ei præfixurus*: *quod Hebræis, Chaldæis, & Syris est vitiosissimum: nec Grammatica solùm, sed vario naturalis abiicit*. Iterum dictat Iunius ex tripode suo leges, quibus vt absque discussione subscribamus, *basilicè* edicit. Nam quod apud Latinos & Græcos vsitatum est; vt aliquando maioris emphaseos & energiæ gratia, nomini proprio præfigatur pronomen demonstratiuum; id neque apud alios vitiosum est; nec rationi naturali contrarium. Nam si quis dicat: *Hunc ego Petrum, hunc Paulum, hunc Ioannem pectam, proq; meritis excipiam*: num eo sermone vtitur, quem ratio naturalis respuit? Iesvs proculdubio nomen est proprium; Et tamen Act. 1. præponitur pronomen demonstratiuum, non tantum in Latino & Græco, sed & in textu Syro: quem Tremelius, Iunij intimus sodalis, vertit: *Hic Ieschua, qui assumptus est è vobis*.

Ait Bellarminus, Interpretem Græcum noluisse primo loco ponere vocem *Petra*, quod cómodius censeret nomen masculinum, quàm fœmininum viro tribuere; Et postea noluisse dicere, δὲ τῇ πέτρᾳ, sed δὲ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, vt vitaret ambiguitatem. Vociferatur Iunius. *Quàm malè sibi constat, qui aberrat à veritate?* (vel Caluiniana gens satis superque id testatum facit.) *Atqui prius negabat ambiguum esse, cum redderet verba Christi; tu es Cepha*, & super hoc Cepha, &c. *vel, tu es Petra, & super hanc Petram: nec Græcè magis ambiguum esse potest, si idem quod Cepha significent πέτρος, & πέτρα promiscuè. Ita se explicaturus implicat artifex: contra enim ex varietate vocis Matthæus indicauit significationis discrimen*. Solers es cauillandi artifex. Vbi dixit Bellarminus, non esse ambiguum illud: *Tu es Cepha, & super hoc Cepha*, &c. vel, *Tu es Petra, & super hanc Petram?* Neque ambiguum esse dixit; neque non ambiguum, quia nullum de ambiguitate verbum fecit. Non igitur malè secum Bellarminus concinit, vt iste criminatur.

Porro per *Petrum* & *Petram*, verbis illis; *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, &c. idem non significari, decem argumentis euincere nititur VVitackerus. *Petrus non rupem, sed duntaxat lapidem significat, at Ecclesia non in lapide vno, tanquam in suo proprioque fundamento, sed in altissima firmissimaq; rupe consistit*. Respondeo I. VVitackerum cogitare debuisse, Christum hæc verba non protulisse Græcè, sed Syriacè; neque etiam ab Euangelista Græcè, sed Hebraicè seu Syriacè, scriptis comprehensa esse. Syriacè autem vtrobique ponitur vocabulum *Cephas*. vt iam sæpè dictum; At *Cepha* seu *Cephas*, teste ipso VVitackero, *Petram, rupem, cautem, scopulum* significat. Interpres ergo, qui in Græcam linguam transtulit, iure censetur, vt *Petram*, sic & *Petrum* accepisse pro rupe.

II. Oppono VVitackero symmystam suum Iunium, qui fatetur, & ex Varino docet, *Petrum*, Atticè pro *Petra*, rupe, caute, seu scopulo accipi; vt antea vidimus. Nil mirum ergo, si & interpres eadem notione vocabulum *Petri* vsurpauit.

III. Si Petrus & Petra non significant idem, Matth 16. sequitur, Græcum Interpretem malè reddidisse textum originalem S. Matthæi; quando pro vocabulo *Cepha* priori loco posuit nomen Petrus, cum, vt vult VVitackerus, Petrus nó significet omnino idem, quod Syriacum *Cepha*, & Græcum πέτρα, sed FERE *Idem* inquit VVitackerus. At quis mentis compos credat, Interpretem S. Matthæi minus exploratum habuisse, quid *Cepha* & *Petrus* significent; quàm istum ex Anglia logodædalum Caluini discipulum?

IV. Respondeo, etiam *Petram* apud Græcos significare interdum lapidem seu saxum, vt notat ipse VVitackerus ex Hesiodo, qui dicit: πέτρας ἐκ χερσὶν ἔχοντες; quo indicat, inquit VVitackerus, illis lapides, *non rupes, in manibus fuisse*. Si igitur quis VVitackeri instar, cauillari velit; dicere poterit, non tantum primo loco per nomen *Petri* non intelligi *rupem*; sed nec secundo loco per nomen *Petræ*; quandoquidem *Petra* etiam lapidem significat, & quidem vnum *lapidem*. Non concedit autem vllo modo VVitackerus, suam Ecclesiam ædificatam esse *super lapidem*, sed *firmissimæ altissimaque rupi innixam tradit*. Quapropter futile etiam est, quod ait VVitackerus; Simonem à Christo appellatum *Petrum*; non *Petram*; nam *Cepha* seu *Cephas* ab eo cognominatus est; quod æquè rupem significat ac lapidem. At Spiritus sanctus Ioan. 1. vocabulum *Cephas* interpretatus est per vocabulum *Petri*, non *Petræ*, inquit VVitackerus; *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: significauit ergo Spiritus sanctus, Simonem, non fore *petram* seu *rupem*; Sed Petrum, hoc est, *saxum* seu *lapidem*: Ioannemque meritò secutus Interpres Matthæi non vertit; *Tu es Petra*; sed; *Tu es Petrus*. Quanto conatu quantas nugas agit VVitackerus. Quasi verò non æquè promptum sit dicere; Euangelistam & Interpretem Matthæi vocem *Petrus* accepisse pro petra; vsurpasse autem masculinum, quando sermo ad ipsum Simonem filium Barionæ dirigebatur, quòd in virum virile nomen aptius quadret, quam fœminium, quando ipse compellatur, vel per impositionem nouum nomen sortitur.

V. Respondeo ad VVitackeri argumentum; siue Petrus significet petram, siue lapidem, siue vtrumque, siue saxum, siue rupem, siue cautem, siue quid aliud durum, solidum, firmum, parum interesse. Nam oratio Christi est metaphorica; qua Ecclesiæ inconcussam immobilitatem & constantiam indicare voluit. Indicatur autem ista immobilitas quocunque ex prædictis nomine significetur. Nam vt id ratione fundamenti immotum est, quod *petræ, rupi, cauti, scopulo* inædificatum est; sic itidem immotum est, quod saxo seu lapidi, tanquam fundamento, incumbit. Et puerilis prorsus est VVitackeri cogitatio, vel potius phantasia, vnum *lapidem* seu *saxum*, non posse esse fundamentum ædificij, quia imaginatur sibi lapidem duntaxat *manualem*, vt sic loquar, qui scilicet manu vibrari & iaci potest: quasi vero nequeat esse vel vnum saxum, vel vnus lapis tam vastus, qui fabricam quampiam sustentare potis sit. vt omittam hîc non attendendum ad corporalem magnitudinem seu vastitatem lapidis vel saxi, quia ædificium Ecclesiæ spirituale est, non materiale; sed ad soliditatem & firmitatem, à qua Christus, de spirituli Ecclesiæ structura loquens, metaphoram sumpsit. Itaque licet verum esset Antecedens huius argumentationis: *Vnus lapis, seu saxum vnum, non potest esse fundamentum integrum ædificij materialis, ergo nec vnus lapis spiritualis; hoc est, vnus homo immota soliditate à Deo donatus potest esse fundamentum spiritalis ædificij Ecclesiæ*; hæc tamen consequentia nullius ponderis foret; quia in lapide metaphorico & spirituli, non attenditur quantitas seu moles corporalis; sed virtus, soliditas, & immota firmitas. Et si rudis ac indolata VVitackeri de lapide somniatio valeret, tum celebertimum illud Isaiæ oraculum euanesceret. *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem; lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Qui lapis *fundamentalis*, quis alius est, nisi Christus Dominus? Quæ alia Sion, nisi Christiana Ecclesia? Vides ergo *vnum lapidem* posse esse Ecclesiæ fundamentum; Et quidem integrum & adæquatum; neque enim Baccalaureum VVitackerianum tam impudentem fore arbitror, vt Christo eiusdem generis, ordinis ac dignitatis fundamentum in sustentanda Sione attribuat; quasi lapis iste probatus & pretiosus tam latè se non extendat; vt toti ædificio solus, suo in genere, sustentando sufficiat. Si igitur hic vnus lapis potest esse fundamentum Ecclesiæ, & quidem primarium; cur Petrus; qui, interprete VVitackero, interpretatur *lapis*, non posset esse fundamentum eiusdem Ecclesiæ secundarium? Vbi nunc ergo sunt tot ac tanti illi VVitackerianæ logodiarrhœæ thrasonismi de Petro & petra, de rupe & lapide?

II. VVitackeri argumentum. *Si Petrum Christus aut fecisset, aut designasset petram Ecclesiæ; dixisset Euangelista; non ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, sed, ἐπὶ πέτρῳ, quandoquidem de singulari petra locutus fuisset.* Respondeo I. Euangelistam non scripsisse Græcè, sed Hebraicè, seu Syriacè: nec Christum Græcè locutum, sed Syriacè. II. Respondeo, obseruationem illam grammaticam de articulo, non esse perpetuam, præsertim, quando ex adiunctis circumstantiis satis liquet, ad vnum certum & singularem, id quod dicitur, dirigi; vt quidem in proposito accidit. Nullus enim ex circumstantibus dubitauit; quin Christus verbis illis: *Tu es Petrus*; Petrum Apostolum allo-

quere-

queretur, ac designaret. Sed faciamus Græcè dici; σὺ εἶ ὁ πέτρος; an ideo VVitackerus concederet, Petrum esse *petram*? An non statim recurreret ad deliramenta sua toties iterata? *Petrum non esse petram, sed lapidem.* Addo, mox declarari satis, de qua petra prius sermo fuerit; cum dicitur, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, quę verba alium non denotant, nisi illum, de quo immediatè affirmatum fuerat; *Tu es Petrus.*

III. VVitackeri argumentum: *Vetus Interpres aliter sensit; quando transtulit. Tu es Petrus, & super hanc petram.* Hoc argumentum soluit Bellarminus. Solutionem intactam relinquit VVitackerus. Qua de caussa? Argumento huic appendit VVitackerus hanc appendicem. *Petrus Latinè, nec petram, nec lapidem significat, sed est proprium nomen viri, derivatum à petra.* Hic iterum meminisse debebat VVitackerus, nec Christum Latinè locutum; nec Matthæum Latinè scripsisse, nec eius Græcum Interpretem: sed nostrum vulgatum; qui quod in Græco reperit, fideliter transtulit. Cum ergo *Petrus* sit nomen origine non Latinum, sed Græcum, & ex Græcia in Latium traductum; non tam quærendum est, quid apud Latinos significet, quàm quid apud Græcos, vt & quid *Cepha* apud Syros Petrum autem apud Græcos significare petram adeo dilucidum est, vt id Bezę in capite 16. Matthæi hanc confessionem expresserit: *Dominus Syriacè loquens, nulla vsus est annominatione, sed vtrobique dixit,* Cepha, *quemadmodum & vernaculum nomen* Pierre *tam de proprio, quàm de appellativo dicitur. In Græco quoque sermone Petrus & petra non re,* (Nota VVitackere, & tu Baccalauree Allenson) *sed terminatione tantùm differunt.* His certè verbis Beza primo vestro argumento omnes neruos, immò ipsum iugulum incidit.

IV. VVitackeri argumentum: *Christus κατηγορικῶς & κατηφατικῶς* absolutè & simpliciter, *loquitur in præsenti,* σὺ εἶ, Tu es Petrus, *non in futuro,* Tu eris. *At illum non nunc fecit petram, aut testatus est esse petram, quemadmodum placet Iesuitæ. Quare cum Simon Ionæ filius iam Petrus fuerit, sed nondum petra, sequitur Petrum alium esse à petra, & iam ante illi inditum Petri nomen fuerat. quemadmodum ex Marco, capite tertio constat. Illum nunc Christus agnoscit πέτρον, fuisse nunc τὸν πέτρον negat Iesuita.*

Respondeo, vim & neruum huius argumenti esse mendacium. Vbi enim dixit Bellarminus, *Petrum non fuisse petram*; quando Christus dixit; *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Monstra, oro, locum. Petrus vtique iam tunc petra erat, quia *Petrus & petra non re, sed sola terminatione differunt,* vt paulò antea dicebat Beza. Dices. *Ecclesia nondum erat ædificata super Petrum, ergo Petrus necdum erat petra, quando Christus verba illa protulit.* Respondeo, negando consequentiam: quia nil impedit, quo minus *petra* seu *super*, cui ædificium superstruitur, prius sit, quàm ipsum ædificium: nil ergo insuetum censeri debet, si & hic *petra* prius fuit, quàm ei ædificium Ecclesiæ imponeretur. Nec refert, quòd petra hæc, passionis tempore, concussa est: quia petræ huic non est concessa omnimoda immobilitas, & illabefacta constantia, nisi postquam Ecclesia ei inædificata est; quod post passionem & resurrectionem Domini accidit.

Quintum VVitackeri argumentum: *Petra Ecclesiæ verbis illis: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, significata, Est vna numero,* nam ταύτῃ HANC *vnam numero remi nduci. At Pontificij, quando dicunt, Petrum esse factum Ecclesiæ petram, non vnum Petrum intelligunt, sed vniversos Petri successores, quod cum ταύτῃ τῇ πέτρᾳ conflare nequit; nam vnius rei eiusdemque numero, nulla cogitari successio potest, quia non eadem res sibi succedit.*

Respondeo, etiam hoc argumentum niti mendacio. Nam vocabulo illo demonstratiuo, HANC, non aliam petram significatam dicimus, præter illam vnam numero, de qua Dominus in eadem periodo dixerat; *Tu es Petrus, &c.* quæ petra vtique vna numero est. Neque ad successores Petri ideo præcisè totam illam promissionem Matth. 16. Petro factam pertinere dicimus, quòd Christus Petro dixerit: *Super hanc petram ædificabo, &c.* quia verba hæc vera esse possent, licet quidquid ibi Petro promissum est, soli Petro, non autem successoribus eius promissum fuisset; sed alias rationes habemus, de quibus Bellarminus lib. 2. cap. 12. & sequentibus, cur potestatem & immobilem soliditatem Petro promissam, ad successores quoque Petri spectare credamus.

Deinde falsum est, quod VVitackerus tanquam certum sumit, vocabulum demonstratiuum HÆC, vel HANC, demonstrare tantummodo vnum numero indiuiduum, seu vnam numero naturam indiuidualem; quia etiam demonstrare solet ac potest vnum specie, vnumque genere; & vnum aggregatione seu successione, continuatione, & virtute, vt cum dico, apprehenso quopiam flore: *Hic flos etiam in horto meo creuit.* certè non hic idem numero, sed specie. *Super hunc Danubium ædificabo pontem*; certè non super hunc, nisi continuatione. *Sequenti anno hoc tempore egrediar.* Quomodo hoc tempore, nisi successione? Itaque licet quis affirmaret; demonstratiuum illud *hanc*, in Petro demonstrasse quoq; Petri successores, prout quasi virtute; & habitudine quadam ad illum; aliquo modo in Petro erant; nihil tamen contra naturam pronominis demonstratiui assereret. Genes. 2. dixit Deus Adamo. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Si quis post hanc diuinam asseuerationem dixisset; Hic homo morietur simul ac de vetita arbore quidquam gustauerit; certè non solum & vnicum Adamum demonstrasset, sed omnes etiam illius posteros, & successores, qui in illo virtualiter continebantur: quandoquidem certum

est commination em illam Christi non ad solum & vnicum præcisè Adamum, sed ad illum, vt erat velut seminarium totius humani generis pertinuisse. Idem, si hic accidisse arbitreris, nihil à vero alienum senties.

Sextum VVitackeri argumentum: *Petrus non super se, sed super Christum Ecclesiam per labores suos ædificauit; ergo non Petrus, sed Christus est petra & fundamentum Ecclesiæ.* Respondeo ad Antecedens, Petrum super se & super Christum ædificasse Ecclesiam: super se, vt super fundamentum secundarium; super Christum, vt super fundamentum primarium. De quo iam supra fusius.

Septimum VVitackeri argumentum: *Sequeretur Petrum iam non esse Ecclesiæ militantis fundamentum.* Esto, eo sensu, quo Petrus in his terris degens, fundamentum fuerat; & hodie est Paulus V. legitimus Petri successor. Obiicit VVitackerus: *Mortuo Petro Ecclesia statim corruisset; quia ædificium collabitur, subtracto fundamento.* Respondeo, hoc non sequi: nã licet id fiat in ædificiis corporalibus, non est tamen necesse, vt contingat in structura spirituali, qualis est Ecclesia, quę ex institutoris & primi conditoris arbitrio dependet, qui Ecclesiam ita architectatus, vt etiam sine visibili capite, saltem aliquandiu, subsistere queat. De quo iam alibi plura.

Octauum VVitackeri argumentum petit, cur Interpres Latinus verterit; *Tu es Petrus*; non, *Tu es petra*; si *Petrus* & *petra* idem. Iam respondit Bellarminus, id ea caussa factũ, quod Interpreti visum fuerit commodius fore, vt Græcè loquens viro masculinum nomen tribueret; tametsi videbat, eôdem redire, licet vertisset: *Tu es petra, & super hãc petram, &c.* cum *Petrus* & *petra* re non differant, sed sola terminatione, vt ipse Beza docet. Recinit VVitackerus, *in metaphoris etiã fœminina viris tribui.* Quis negat? Neq; enim Interpres ideo abstinuit à fœminino vocabulo, quòd Petro tribui nequiret, sed quia arbitrabatur orationem fore commodiorem, si primo loco masculinam voculam vsurparet.

Nonum VVitackeri argumentum: *Si per πέτραν, intellexisset ipsam πέτρον, in altero loco dixisset: καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ. At habet, ἐπὶ τῇ πέτρᾳ.*

Respondeo I. hoc non sequi, quia *petra* & *Petrus* re non differunt, sed sola terminatione, vt dicit Beza, & quidem verè. II. Respondet Bellarminus, id factum ad explicandam metaphoram & vitandæ ambiguitatis gratia. Obstrepit VVitackerus, *nullam futuram fuisse ambiguitatem, licet dixisset ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ.* Sed Caluinista affirmat tãtùm; nihil probat: nam metaphora, qua Christus est vsus, lõgè dilucidius explanatur per *petra* vocabulum, quàm per nomen *Petri*, cum illud longè sit communius & tritius; quia fieri potest, vt licet duo vocabula idem significent, alterum tamen altero sit clarius & notius; nam *vinum* & *temetum* idem significant; obscurius tamen est hoc quàm illud. Et si dixisset *ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ* dubium fuisset, num super Petrum præcisè, vt hominem priuatum, hoc nomine appellatum, an verò, vt supra rupem immobilem ac inconcussam, Ecclesiam ædificare constituisset: quam dubitationem sustulit, posito *petræ* vocabulo.

X. VVitackeri argumentum: *Si Petrus fuisset petra & fundamentum Ecclesiæ, continuo Ecclesia corruisset: Petrus enim statim in articulos de morte & resurrectione Christi impegit, atque corruit:* eique Dominus ait; *vade post me Satana, scandalum es mihi, &c.* Sed multiplices nugas agit VVitackerus. Nam licet tunc Petrus corruisset, quod falsum est; Ecclesia non corruisset, quia Petro nondum inædificata fuerat. Num ruente petra ruit & ædificium, quod petræ labenti nondum est impositum? Hactenus de VVitackerianorum argumentorum denario. Nunc *plus vltra.*

Per *petram* intelligendum esse ipsum Petrum Apostolum, probat post hæc Bellarminus ex Patribus. Danæus facillimè à Patrum auctoritate sese expedit: *Non obstant,* inquit, *Patrum dicta varia hîc detorta à Bellarmino. Est enim hoc genus argumenti fallacia à non causa, pro causa: Dixit hic Augustinus, Athanasius, &c. Ergo, hoc est fidei articulus. Malè colligitur. Nec enim fides nostra hominum placitis, & dictis, sed solo Dei verbo scripto nititur, &c.* Optima responsio, in qua libenter conquiesceret, quisquis Danæo non dissimilis. At dissimilis è vestigio ingeret Danæo illud Caluini in Refutatione Protheseon Gentilis: *Tibi verò non adeo facilè erit solo virulentæ tuæ linguæ flatu, totum sanctorum librorum euertere.* Patres, Doctores nostri sunt, & sacrarum literarum sinceri Interpretes; quibus, qui Danæos & similes cœlestium mysteriorum non tam tractatores, quàm temeratores anteponit; is verè miser est ac miserabilis.

Sutliuius intonat, *nil opus fuisse tot testimoniis accumulatis Patrum, testimoniis, se & suos non negare, super Petrum aliquo modo fundatam Ecclesiam; eo scilicet, qua super alios Apostolos ædificata sit.* Verùm testimonia Patrum plus euincunt; nempe, modo quodam peculiari super Petrum exstructam esse Ecclesiam, quo nõ sit exstructa super cæteros Apostolos.

Citat Bellarminus Concilium Chalcedonense, in cuius Actione tertia nominatur S. Petrus *petra & crepido* Ecclesiæ Catholicæ. Sutliuius dicit, *se nihil huius in illa Synodo reperire potuisse.* Fortè non quæsiuit. Fortè oculis vel vagis vel reclantibus quæsiuit, quid igitur mirum, si nil reperit? Quando quærenda sunt D. Petri successorum elogia, plerumque caligant Sectarij, etiam in medio meridie. Quis enim nescit in Act. 3. Synodi Chalcedonensis exstare hæc verba. *Tertissimus & omni laude dignus B. Petrus Apostolus, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Cauillatur VVitackerus; Synodum dicere: *Petrus est*; non, *fuit.* Et tamen Petrus tunc non erat petra Ecclesiæ, sed Leo. Imò *erat*, sed in Leone, successore suo. Sutliuius paratum habet aliud pharmacũ, nempe, Synodum nil aliud voluisse, *quàm*

Petrum

Petrum esse fundamentum, quod commune sit cum aliis Apostolis, & nullam tribuat Petro Monarchiam. Idem responsum dat Iunius. Idem generatim respondet VVitackerus ad omnia Patrum testimonia. At Patres huius Concilij loqui de fundamento, quod peculiari quadam ratione Petro, non autem aliis Apostolis congruat; cùm inde pateat quòd aliorum Apostolorum nemini hoc elogium in illa synodo tribuatur, sed vt proprium Petro, magna cum emphasi proferatur, tum quia Act. 1. Romanam *Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum* pronunciant; quod nunquam fecissent, si Petrus non alia quadam ratione, quàm cæteri Apostoli fundamentum Ecclesiæ fuisset.

Affirmant ibidem iidem Patres *nunquam licuisse congregare Concilium, & nunquam quoque congregatum esse, sine auctoritate Sedis Apostolicæ.* Vnde hæc prærogatiua Sedi Apostolicæ; si Petrus non nisi communi ratione fundamentum Ecclesiæ fuit?

Obiicit Iunius: *Non exponitur in illa synodo locus Matth. 16.* Vt non exponatur, at eo alluditur; nam quia Matth. 16. Petrus dicitur *petra*, cui inædificanda sit Ecclesia, ideo Patres Chalcedonenses Petrum nominant *petram & crepidinem* Catholicæ fidei. Quo ipso exponitur etiam locus Matth. 16. quia Patres illi, tot numero, tanti sanctitate, per *petram* Matth. 16. non Christum, non fidem, vel professionem fidei simpliciter spectatam, sed Petrum Apostolum intellexerunt: quod probare Bellarminus instituit.

Ait Iunius: *Eo ipso quod petra & crepido dicitur, non ergo petra fundamentalis est.* Qua de causa, quæso? An petra non potest esse fundamentum? An *crepido* ad fundamentum inepta est? Imò nihil magis fundamentale, seu accommodatius ad firmum fundamentum censetur, quam *petra & crepido.*

Inculcat tandem Iunius *homonymias* seu *æquivocationes: Christum vniuocè esse petram, reliquos participatione gratiæ.* An non concedit apertè Bellarminus, Christum esse petram Ecclesiæ primariam: Petrum tantummodo secundariam, respectu Christi; tametsi peculiari ratione, non illa communi, qua cæteri, *siue respectu officij, siue beneficij*, vt loquitur Iunius?

Profert secundò Bellarminus S. Ambrosij versus à S. Augustino itidem citatos: *Hoc, ipsa petra Ecclesia, canente, culpam diluit.* Occurrit Sutliuius, *petræ nomen vsurpari hic lata notione, quæ etiam cæteris Apostolis quadrat.* Fallit & fallitur hæreticus: nam S. Augustinus non ignorabat Petrum esse *petram* & fundamentum, eo modo, quo reliquis Apostolis, & Prophetis petræ nomen quadrare potest; optimè enim exploratum habebat locum illum Apostoli; *superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; pertinere itidem ad Petrum; sed ambigebat; num peculiari ratione & propria, Petrus Matth. 16. *petra* nomen adeptus esset, & pro affirmatiua parte laudat hos S. Ambrosij versus, in quibus ferebatur & canebatur sententia illa, Petrum esse Ecclesiæ petram Domini ore Matth. 16. celebratam, super quam Ecclesia sit ædificata. Et quamuis S. Augustinus huius sententiæ non fuerit omnino certus, lectori tamen liberum relinquit; vt vel hanc, vel illam, quæ per *petram*, Christum ipsum intelligit, amplectatur. Vbi noua prorsus & audacissima crisi Sutliuius, affirmare non veretur: verba hæc sancti Augustini lib. 1. Retract. cap. 21. *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. esse glossema; & repugnare contextui.* Viditne vllum vetustum Codicem, qui his verbis careat? Aut qua tandem ratione contextui aduersantur? O frontem Caluinisticam, quàm omnis pudor & rubor funditus tibi deperiit? Quid firmum fixumue manebit, nisi huic Criticæ temeritati frænum iniiciatur, & fibula imponatur? Qua vehementer etiam eget, Iunij effrenis licentia, qui, vt Ambrosium & Augustinum nobis eripiat, inaudito commento fingit, in illo sancti Ambrosij Hymno, *petræ* nomine intelligi ipsum Christum, & verba sic construi & exponi debere. *Hoc*, nempe gallo gallinaceo canente, *ipsa petra Ecclesia; Christum: diluit culpam Petri. Aut* (si mauis) *ipsa petra Christus, diluit Ecclesiæ culpam, id est, piorum mane inuocantium nomen eius.* Quod inanissimum figmentum aduersatur primùm directè S. Augustino, qui certò credidit, beatissimum Ambrosium *petræ* nomine, eo in versiculo intellexisse Petrum Apostolum. Secundò aduersatur omnium illorum sensui, quorum ore hymnus ille decantabatur, erant autem isti non pauci; nam vt ait sanctus Augustinus, hic *sensus*, nempe petram esse Petrum Apostolum, *cantatur ore multorum, in versibus beatissimi Ambrosij, &c.* Tertiò aduersatur omnium illorum sensui & consensui, qui hactenus hymnum illum S. Ambrosij in laudibus matutinis vel priuatim recitarunt, vel publicè decantarunt. Omnes enim per *petram* intellexerunt Apostolum Petrum. Quartò aduersatur menti & sensui S. Ambrosij, cuius S. Augustinus, & illi innumeri, quibus hucusque hymnus ille in vsu fuit, longè callentiores fuerunt, quàm Caluinianus iste præco. Quintò aduersatur contextui: Nam S. Ambrosius vocabulo *diluendi* alludit ad largas & amaras illas lacrymas, quas Petrus profudit; verbum igitur *diluit*, ad Petrum pertinet, non ad Christum; nam Petrus fleuit amarè, non Christus: fletuque illo contractam negationis culpam diluit, ergo & epithetum illud: *Ipsa petra Ecclesiæ*, ad Petrum, non ad Christum pertinet.

Nec fauet somnio Iuniano inuocatio Christi, quæ paulò pòst subiicitur: IESV *labantes respice, & nos videndo corrige, si respicis, lapsi stabunt, fletuque culpa soluitur.* Nemo enim non videt hanc apostrophen ad Christum dirigi. Sed num ideo & illa? *Hoc, ipsa petra Ecclesia, etc.* Imò versiculus ille: *Fletuque culpa soluitur*, satis indicat; vt fletu culpa Petri soluta est, sic & fletu dilutâ esse; & vt à Petro, diuinam

gratiæ

gratiæ beneficio, per fletum soluta est; nec ab eodem per fletum dilutam esse: atque adeo illud: *Hoc, ipsa petra Ecclesia, canente; culpam diluit*; ad Petrum pertinere; quia illud *diluit*, ad lacrymas Petri respicit.

Ait Bellarminus: Testari S. Augustinum iam suo tempore cœptum cani ex versib' Ambrosij, Petrum esse *petram*, super quam Dominus Ecclesiam ædificauit. *Non sic Augustinus*, inquit Iunius, *sed hoc tantùm dicit: qui sensus etiam cantatur, ore multorum in versibus beati Ambrosij*, (imò *beatissimi* textus habet) *id est, quo sensu non dixit Ambrosius, sed accipiunt multi illa hymni Ambrosiani verba*. En diabolicã clarissima quæq; obscurandi temeritatem. An non dicit S. Augustinus, cani in versibus Ambrosij Petrum esse illam petram, super quam sit ædificata Ecclesia? Audiamus S. Augustinum: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo, tanquam in petra, fundata sit Ecclesia, qui sensus* (nempe in Petro, tanquam in petra, fundatam esse Ecclesiam) *etiam cantatur ore multorũ in versibus beatissimi Ambrosij, &c.* Quid euidentius, quàm S. Augustinum dicere; in illo hymno cani, Petrum esse *petram*, super quã Dominus Ecclesiam ædificauit? Quid à vero alienius, quàm Augustinum scribere, huic versiculo hunc sensum fuisse affictum præter mentem & intentionem S. Ambrosij? An non ipsemet vidit hunc intellectum versiculo illo Ambrosiano substerni, & quidem ex primi Auctoris sentẽtia? neq; dixit S. Augustinus: *Vulgus cantantium in hunc sensum accipit versiculum Ambrosianum, verùm contra Ambrosij exspectationem & voluntatem*: Sed absolutè affirmat, sensum illum cantari ore multorum in versibus *beatissimi* Ambrosij: Et cur ait, *ore multorum*; nisi quia iam tunc in multis Ecclesiis hymnus ille concinebatur? Scripserunt nonnulli ex Iureconsultis libros de *singularibus intellectibus* seu nouis legum sensibus & interpretationibus. Dolendum est Iunium, industriam suam ad hoc argumentum non conuertisse. omnes profectò fictione *singularium intellectuum* longissimè post se reliquisset.

Tertiò profert Bellarminus Origenem homil. 5. in Exodum, vbi vocat Petrum, *magnum Ecclesiæ fundamentum, & petram solidissimam, super quam Christus fundauit Ecclesiam, &c.* Respondet Sutliuius & cum illo VVitackerus, *Origenem etiam alios Apostolos, quin & quibusuis Christi discipulis, petræ nomen largiri*; sed alia notione, quàm cum Petro singulariter tribuitur, de quo iam supra. Addit Caluinista *Origenem disertè refellere eorum sententiam, qui Petrum existimant singulariter fuisse Ecclesiæ fundamentum*. Idem respondet Iunius. Sed debebant isti attẽdere, quid hoc ipso capite ad Origenis testimonium respondeat Bellarminus, nempe, Origenem Tract. 1. in Matthæum non explicasse locum illum, *Tu es Petrus, &c.* literaliter, sed allegoricè, seu in sensu accommodatitio, vt fusè ostendit Bellarminus. Cur nihil contrà mutiunt Iunius & Sutliuius? Nam quod ille rursus *vniuoca & æquiuoca* ingeminat, Christumque vniuocè *petram*, Petrum & reliquos Apostolos, imò omnes fideles *æquiuocè* petras facit, id non multum abit à febrili delirio, certè à fumo imperitorum oculis obtenebrandis sparso, nihil discrepat, de quo iam supra.

Sibrandus hunc syllogismum nectit, & quasi Bellarminianum proponit: *Quidquid dixit Origenes, hoc est verum. sed Petrum esse illam petram, super quam Christus ædificauit Ecclesiam suam, dixit Origenes. Ergo Petrus est illa petra, supra quam vniuersa Ecclesia ædificata est.* Sed de hoc sycophantico syllogizandi vel potius calumniandi modo, sæpe dictum est Tomo superiore: vbi Sibrandus vsq; ad nauseam eo vsus est. Testimonium Origenis eodem prorsus pacto, quo Iunius & Sutliuius, eludere conatur, Sibrandus; sed iam accepit responsum in Iunio & Sutliuio. Nam quod præterea loquaciter mentitur, *fuisse multos Papas contra quos portæ inferi præualuerint*: id criminatoris iure facit; vt & eius, qui furore in Pontifices ebrius, nil potius ducit, quàm maledictis eos, quos pessimè odit, vbique proscindere.

Quartò citat Bellarminus S. Athanasium, in epist. ad Felicem Papam, scriptam nomine Synodi Alexandrinę, & exstat Tomo 1. Conc. in Act. Felicis II. vbi dicit: *Tu es Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt confirmatæ.* Iunius, Sutliuius, Sibrandus, VVitackerus, reuocant in dubium fidem huius epistolæ. Sed vt liquidò exploratum non sit, num hæc epistola ab Athanasio & Synodo Alexandrina processerit; attamen contrarium necdum est ab vllo demonstratum: nam quod Sutliuius obiicit, *hanc epistolam summas tribuere laudes Felici, qui, viuente Liberio, ab Arianis in sedem Romanam intrusus fuerit*; id parum efficit; nam licet Felicis ingressus fuerit vitiosus; postea tamen, quando Liberius cum Arianis communicare cœpit, pro legitimo Pontifice agnitus & palam habitus est, vt suo loco videbimus. Nec obstat, quòd hæc epistola ait, *appellationes vndique ad Episcopum Romanum fieri debere*; quia hac mente fuisse S. Athanasium, reipsa docuit, quãdo toties Romanæ sedis opem contra hostes suos implorauit, & per appellationem ad summum Pontificem aduersariorum machinationes declinauit. Nec contrarium in Nicæno & Africano sexto Concilio sancitum est; vt fingit Sutliuius: de quo infra; loco proprio.

Obiicit Sutliuius: hanc epistolam dicere, *Romæ primò Euangelium prædicatum fuisse; hoc autem ab Athanasio dictum esse, ab omni verisimilitudine abhorrere*. Sed Sutliuius detorsit aliquo modo epistolæ verba, vt haberet ansam texendæ calumniæ: Ait enim, sancitum esse iam olim, vt causæ Episcoporum Romam deferrentur, quò huius Ecclesiæ iudicio discuterentur, *indéque sumerent normam, vnde Ecclesia sumpsere prædicationis exordium*: quia quæcunque Ecclesiæ siue tempore Apostolorum, siue postea fundatæ sunt, non nisi depen-

denter

denter à summo Ecclesiæ pastore Petro, eiusque successoribus fundatæ sunt.

Suspicatur insuper Sutliuius hanc epistolam primitus latinè scriptam ob illam annominationem: *Ipsa* (Ecclesia Romana) *est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur.* En allusionem in his voculis Latinis: *Vertex, vertuntur.* Quasi verò nullus Interpres vlla vnquam paronomasia vsus fuerit, quæ in textu primogenio, quem vertebat, nõ exstiterit. Reuocet Caluinista in memoriam, quid multi de *sebino & prino* apud Danielem sentiant: Quid si Græcè scriptum fuit: ἐν κορυφῇ κορυφῶται: si notione aliquantulum noua, quid tum? Semper hoc ius fuit Ecclesiasticis scriptoribus.

Accusat quoque Sutliuius epistolam, quasi verba Christi peruerterit; Nõ enim dixisse Christum; *Tu es Petrus, & super fundamentum tuum, &c.* Sed, *tu es Petrus, & super hanc petram, &c. hoc autem minimè facturum fuisse Athanasium.* Respondeo, Auctorem huius epistolæ non voluisse verbatim reddere verba Christi, sed sensum. In quo nihil prorsus criminis.

Iunius quiritatur, *Bellarminum mutilare verba epistolæ.* Qua de caussa? Quia non recitauit antecedentia, quæ sequẽtibus nihil derogant; siue ea legamus, vt editiones præ se ferunt; siue, vt corrigenda censuit Surius; quem Iunius suauiter ridet, *vt clauum clauo pellere doctum.* Absit vt in Surio, de Ecclesia Dei optimè merito, vel vnica guttula criticæ illius audaciæ fuerit, qua Iunius omni ex parte exundat.

Obiicit Iunius: *Non dicit super te, sed super fundamentum tuum, id est, non facit Petrum fundamentum, sed Christum, vel doctrinam Petri & Apostolorum, &c.* Hic iterum luculentum temeritatis suæ specimẽ suppeditat nobis Iunius; Nam tota illa epistola fermè nil aliud agit, quàm vt ostendat Pontificem Romanum, esse caput, principem & fundamẽtum omnium Ecclesiarum. Et illa ad Felicem verba, quæ Caluinista eludere molitur, apertissimè ad Pontificem pertinent. *Tu es enim Petrus,* inquit epistola, alloquens Felicem; *& super fundamentum tuum,* hoc est, super te, qui Petrus es, & petra, *Ecclesia columna, & tibi sunt confirmata,* hoc est, tibi, vt Petro, seu petræ, hoc est, rupi & fundamẽto innituntur. Nec illa verba: *Significamus Deo placita paternitati vestræ, &c.* quæ à Iunio valde vrgentur, adeo perspicua sunt, vt in Athanasium, vel alios conuenire nequeant. Non enim hoc volunt, Athanasium, & alios Romæ ordinatos fuisse Episcopos; sed eos approbationem cum externo honoris insigni, nempe stola, à sancta Romana Ecclesia accepisse. Hinc concidit & illud, quod quidam arbitrantur, his verbis ipsum Felicem Episcopos Aegyptios, de sua ordinatione certiores facere.

Quintò profert Bellarminus S. Basilium, qui ait: *Petrus propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit.* Respondet Sutlius, *hoc testimonium aduersari Bellarmino, non enim vt Monarcham Ecclesiæ, sed propter alias caussas, nempe propter fidei excellentiam, accepisse hanc dignitatem.* Ita ferme etiam VVitackerus. Acutum sanè responsum. Quasi dicamus Petrum vt Monarcham, fundamentum Ecclesiæ constitutum esse; & non potius hoc ipso, quòd fundamentum, & petra Ecclesiæ constitutus est; factum quoque esse Monarcham Ecclesiæ: *Impropriè,* inquit Sutliuius, *fundamentum dictus est Petrus. Nam etiamsi petra sit, inquit Basilius serm. de pœnitentia, non tamen vt Christus petra, sed vt Petrus, petra.* Idem respondent Sibrandus & Iunius, Frustra, nam Petrus non est primarium fundamentum, si cum Christo comparetur, sed Christus: & hoc voluit S. Basilius: nec tamen sequitur, ideo non esse fundamentum secundarium, quamuis peculiari quadã ratione, quæ reliquis Apostolis non quadret: Nam quòd Sutliuius, Petrum impropriè fundamentũ nominat, nihil est; quia & Christus impropriè fundamẽtum est, metaphoricè nimirum, cum nemo ignoret, fundamentum propriè & absq; tropo in materialibus duntaxat ædificiis reperiri.

Affirmat Origenes Tract. 1. in Matth. omnes fideles esse *Christos, lucem mundi, & petras.* Ex quo cudit Sibrandus hanc argumentationem. Vt *Petrus est Christus & lux mundi, ita est & petra; sed Petrus ita est Christus & lux mundi, vt singuli Apostoli. At singuli Apostoli licet sint petra, tamen non sunt ipsum fundamentum Ecclesiæ, ergo nec Petrus:* Falsum igitur erit illud de fidelibus, hoc est, Ecclesia, *superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, &c.* & illud: *Fundamenta eius* (Ecclesiæ) *in montibus sanctis,* id est, vt exponit S. Augustinus, *in Apostolis & Prophetis.*

Vt ad formã argumenti respondeam, si qua tamen forma constat, negari potest Maior. Vt enim Petrus eadem cum cæteris Apostolis ratione *Christi & lucis* nomina & elogia participet; negamus tamen illum nõ alia ratione esse petram, propter illud: *Tu es Petrus & super hanc petram, &c.* Deinde, negare licebit Minorem; quia princeps, caput, fundamentum & petra Ecclesiæ proculdubio magis peculiari ratione *lucis* mũdi & Christus nominabitur, quàm cæteri, cum sit communis doctor Ecclesiæ & iudex, qui exortas controuersias infallibili certitudine diiudicare, definire, totumq; fidelium cœtum salutaris doctrinæ vnguento perfundere potest.

Instat Sibrandus: *Quilibet Apostolus dicitur lux, non quod ipse hominem illuminet, sed quòd Deus eius ministerio ad illuminandos homines vtatur, ergo quilibet etiam Apostolus dicitur petra, non quòd ipse Ecclesiam sustentet, sed quòd Deus eius ministerio ad Ecclesiam sustentandam vtatur.* Mira & mirè implexa inuolucra. Apostolus dicitur *lux, non quòd* ipse *hominem illuminet:* Et dicitur lux, *quòd ipse hominem illuminet;* quia si vt minister & instrumentum Dei homines illuminat; vtique illuminat; nam & id quòd vt instrumentum illuminat, certè illuminat. Et quis tã tardo sit ingenio, qui nesciat nomen *lucis*

Aposto-

Apostolis præcipuè datum à Spiritu illuminatione, qua totum terrarum orbem illustraturi erant? Mirabilis est iste gryphus. *Apostoli dicuntur petra*; hoc est, *fundamentum Ecclesiæ, non quòd ipsi Ecclesiam fundent ac sustentent.* Et: *Apostoli dicuntur petra & fundamentum Ecclesiæ, quia sustentant Ecclesiam*; nam quòd ministerialiter seu ministri instar, Ecclesiam fundat & sustentat, id vtique Ecclesiam fundat & sustentat. Vsq; adeo argutus est Sibrandus, vt vbique antilogiis sese illaqueat.

Sextò citat Bellarminus S. Gregorium Nazianzenum, qui ait: *Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet.* Respondent Iunius, Sibrandus, Sutliuius: Nazianzenum petræ nomen sumere impropriè, prout omnibus Apostolis commune est. Sed falluntur: nam *petræ* nomen peculiari quadam ratione Petro hic tribui, argumento est, quòd Nazianzenus ait: *Petrum esse talem petram, cuius fidei etiam Ecclesiæ fundamenta concredita sint*; hoc est, quo tanquam primario, post Christum, fundamento & basi, ipsi etiam Apostoli, Doctores, & alij, quibus Ecclesia nititur, sustententur ac fulciantur. Nam quod Sutliuius ait; Nazianzenum dicere: *solum Christum dici petram*; mendacium est; quia Nazianzenus non vtitur hac particula exclusiua: Et vt maximè vteretur, excluderet fundamentum eiusdem cum Christo modi & generis, non aliud sub Christo.

Syllogista Sibrandus symmystis suis argutior, insolubilem nobis nodum nectit ex hoc Nazianzeni dicto: *Illud, quod alicui concreditum est, & is, cui illud concreditum est, non sunt idem. At fundamentum Ecclesiæ est id, quod Petro concreditum est; & Petrus est ille, cui hoc fundamentum concreditum est, ergo Petrus non est ipsum fundamentum.* Scitissimè. Sincerius tamen egisset Sibrandus, si vocabulo *fundamenti* in plurali cum Nazianzeno vti voluisset; sic enim magis apparuisset, Nazianzenum loqui de fundamentis, à petra seu fundamento; quod Petrus appellatur, distinctis. Sed quia *fundamenti* nomen numero singulari in syllogismum suum intulit, Respondeo ad Minorem, fundamentum Ecclesiæ esse id, quod Petro concreditum; non illud, quod ipsemet Petrus est; sed diuersum, quod ex Apostolis, aliisque constat: Ad conclusionem dico; Petrum non esse illud ipsum fundamentum, quod sibi concreditum habet; sed esse aliud excellentius fundamentum; cui omnia alia minoris ordinis fundamenta sint commissa. VVitackerus respondet, Nazianzenum hoc dixisse, *quod in confessione Petri ædificata sit Ecclesia*, sed quàm hæc responsio verbis Nazianzeni quadret, inspectio eorum abundè docet.

Septimò citat Bellarminus S. Epiphanium, qui ait: *Dominum constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.* Respondent Sutliuius & Sibrandus nomen petræ impropriè vsurpari à S. Epiphanio. Vnde hoc probant? Quia hæresi 69. dicit Epiphanius, *Christum dici columnam, quia est fundamentum veritatis; & lapidem, quia est fundamentum salutis, ergo petræ nomen impropriè tantum tribuitur Petro.* Iam supra dixi; si consideremus vnde nomina hæc translata sint, nec Christo, nec Petro vocabula *petræ, lapidis, fundamenti* propriè tribuuntur, quia propriè de re materiali enunciantur; si autē postea in metaphorica significatione persistendo; dicere libeat, nomina hæc Christo propriè tribui; quia tribuuntur ei primario; Petro impropriè, quia tribuuntur ei secundariò respectu Christi, lis erit de solo nomine; consensus in re. Si verò per illud *impropriè*, intelligant Caluinistæ communem illam rationem, qua omnes Apostoli dicuntur *petra* & *fundamentum* Ecclesiæ; negamus hoc sensu *petræ* nomen S. Petro ab Epiphanio tributum: nec contrarium probant Sectarij, quamuis summa contentione id asserant. VVitackerus dicit Petrum dici ab Epiphanio *petram*, propter fidem. At hoc nobis non aduersatur, si loquamur, vt debemus de Petri fide, & Petri non vt priuati, sed vt pastoris Ecclesiæ. Sic enim fides Petri verè est fundamentum Ecclesiæ, vt rectè notat Bellarminus.

Octauò citat Bellarminus S. Chrysostomum dicentem: *Dominus ait; tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* Alibi vocat *basin Ecclesiæ*. Oggannit Sutliuius, & cum illo Sibrandus & VVitackerus: *Petrum vocari basin Ecclesiæ, & Ecclesiam dici super Petrum ædificatam; propter fidei confessionem & fortitudinem.* Hoc nobis satis est, dummodo sectarij in hac sua sententia persistant: nam & fides Petri rectè dicitur fundamentum Ecclesiæ, vt iam ex Bellarmino notabamus. Addit Sibrandus; Chrysostomum dicere, *Ecclesiam super Petrum ædificatam esse, quòd Petrus eam super Christum ædificauerit.* Vbinam hoc Chrysostomus? Num homil. 55. in Matthæum, quam citas? Hic nihil aliud reperio, quàm hoc. *Super hanc petram, id est, in hac fide & confessione, ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc nil contra nos. Loquitur enim S. Chrysostomus de fide & confessione Petri, in qua nunquam defectura ædificauit suam Ecclesiam; quod idem est ac dicere: Ecclesiam esse super Petrum ædificatam.

Iunius cauillatur, Ecclesiam esse ædificatam super Petrum, ex Chrysostomi sententia, *non vt super fundamentum, sed vt super columnam.* Ingeniosa distinctio *columnæ* & *fundamenti*. Quasi columna & fundamentum hic non æquiualeant; idq; intelligamus, cuius auctoritate Ecclesię ædificium sustentatur, siue postea *columnam* siue *fundamentum* appellare libeat. VVitackerus de basi multa garrit, sed omnia extra propositum.

Nonò citat Bellarminus S. Cyrillum Alexandrinum, Psellum, Theophylactum, Euthymium: qui vocant *Petrum fundamentum & petram Ecclesiæ. At non excludunt reliquos Apostolos*, inquit Sutliuius, cum Sawbrando & VVitackero. Imò excludunt ab hac peculiari & propria ratione, qua fundamentum & petra Petro competunt; vt manifestè patet ex illorum verbis, quę Bellarminus recitat.

Iunius clamat: *Ex allegoriis nihil probari.* Non quæritur, quid ex allegoriis probari queat, sed quid Psellus de Petro senserit, sensit autem eum esse Apostolorum Principem, super quē Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam ædificaturum promiserit. Hunc verò animi sui sensum explicuit occasione eius, quod in Canticis scriptum est; *Crura eius sicut columnæ marmoreæ*: quod siue rectè, siue perperam ad Petrum retulerit; ipse certè planum testatumq; fecit, iudicio suo, Petrum esse Apostolorum Principem & Ecclesiæ fundamentum. VVitackerus Psellum vocat *obscurum*. Scilicet si Caluinista fuisset, sole lucidior fuisset.

Post Græcos patres producit Bellarminus Latinos, & inprimis Tertullianum, secundò Cyprianum, tertiò Hilarium. Sutliuius, Sibrandus, Iunius, VVitackerus, perstant in sua imaginatione; *Petrum dici petram & fundamentum Ecclesiæ communi cum cæteris Apostolis ratione.* Sed testimonia Patrum in medio sunt; inspiciantur, & ex inspectione vanitas istorum diffugiet. Clarissimum S. Hilarij dictum in cap. 16. Matth. *ô in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum*, &c. *ô beatus cœli ianitor*, hoc quasi loliginis succo aspergit Iunius *Hæc disputator accipit æquiuocè, quæ de petra, non autem de Petro enunciantur.* Imò & de Petro, quia enunciantur, de illa Petra, quæ audiit: *Et super hanc petram ædificabo*, &c. Hæc autem petra, non est alia, quàm ipse Petrus: quia pro *petra* habet S. Hilarius illum, quem paulò post sic affatur. *O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium, præiudicata auctoritas sit in cælo.*

Quartò citat Bellarminus S. Ambrosium, qui dicit, Petrum dici petram, quòd *tanquam Saxum immobile totius operis Christiani compagem molēq; cōtineat.* Obicit Sutliuius: *Ambrosium alibi explicare sententiam suam*: nam in lib. de Incarnatione eum docere; *non carnem Petri, sed fidem Ecclesiæ fundamentum esse.* At fidem non absolutè; sed fidem Petri; quod idem est ac dicere, super Petrum ædificatam esse Ecclesiam, vt concedit ipse Bellarminus. *Dices. Bellarminus reprehendit in Erasmo, quod fidem dixerit Ecclesiæ fundamentum. Cum illud ipsum ipsémet nunc affirmet.* Verùm Erasmus non Petri fidem, sed fidem absolutè sumptam pro fundamento statuit; in quo reprehensionem meruit; & hoc ad marginem Hilarij in cap. 16. Matth. ineptè prorsus alleuit: vbi nullum de *Fide* verbū exstat, vt ostendit Bellarminus.

Oggerit Sutliuius, & cum illo Sibrandus vsque ad nauseā. Ambrosio alibi omnes *Christianos esse Petras.* Non abnuimus; sed nō illa peculiari ratione, qua Petrus est *Petra.* VVitackerus dicit, in Ambrosio nihil esse, *quod nō sit cōmune cæteris Apostolis.* Sed dicit tantū. Vbi probationes? Semper etiam hoc miscet VVitackerus. *Ambrosium & alios patres* nihil de successoribus Petri dicere; cū hic de solo Petro, non de successoribus eius disputetur. Iunius clamat sermonem illu quadragesimum septimū, ex quo testimoniū Bellarminus petiit, *non esse Ambrosij*, sed Maximi: id pridem animaduertisse doctos, & stylū clamare. Hoc scilicet restabat, vt Crisis opitularetur rebus desperatis. Sit sermo ille S. Maximi. An ideo pondus testimonij eneruabitur? An non & Maximus est auctoritatis suo nomini non imparis in Ecclesia Dei? Nam quod Iunius Bellarminum accusat, quasi seu Ambrosij seu Maximi *verba mutauerit*, calumnia est; nam illud in *actionibus*, pro *in nationibus*, erratum Typographicum est, non Bellarmini deprauatio.

Quintò, in medium prodit S. Hieronymus qui ait: Secundum metaphoram *Petræ*, rectè dicitur ei (Petro) ædificabo Ecclesiam meam super te. Idem de sede Petri loquens *super hanc Petrā*, inquit, *ædificatam Ecclesiam scio.* Respondet Sutliuius; hoc contra Bellarminum facit, *nam si sedes Petri sit Ecclesiæ fundamentum, tum non Petrus.* Similiter, vt si diceret; si fides Petri est Ecclesiæ fundamentum; non ergo ipse Petrus. Quasi verò, qui sedem, hoc est, officium, auctoritatem, & potestatem Petri, Ecclesiæ fundamentum statuit, nō ipsum Petrum pro Ecclesiæ fundamento habeat. Si dicam; doctrinam & eruditionem Magistri, esse fundamentum scholæ, an excludo ipsum Magistrum, in quo doctrina illa inest?

Quocirca ineptit hic VVitackerus, cum verbosè contendit, distingui hæc: *Ecclesiam esse ædificatam super Petrum: super cathedram Petri, super Petrā, super doctrinam, confessionem & fidem Petri*; formaliter scilicet, quà *fides Petri*, non vt priuati hominis, sed vt publici & vniuersalis pastoris: Nam omnibus istis locutionibus vnum idemque reipsa significatur. Friuola est & illa VVittackeri obiectiuncula. Hieronymus dicit; *Ego nullum primum, nisi Christum sequor*, ergo Hieronymus non habuit Romanam sedem *pro Petra Ecclesiæ, quia alioqui tutò, potuisset, imo ne, essario debuisset* dicere, *se Damasum sequi.* Sed VVitackerus oculos & mentem aduertere debebat ad particulā illam, Primum. Ait enim se, *nullum primum*, nempe, vt fidei suæ auctorem & inceptorem sequi, nisi Christum: nam quod Damasum, vt fidei Christianæ summum Antistitem, doctorem & interpretem sequatur, tota Epistola illa 57. vt & quæ subiungitur, 58. singulis propemodum syllabis clamat.

Iunius hic iterum vt & VVitackerus, Bellarminū corruptelæ postulat: quòd pro vocabulo, *illam*, posuerit, *Hanc.* Qualis corruptela: cum idem prorsus significetur; siue dixerit S. Hieronymus: *Super illam Petram*: *siue, super hanc petram, Ecclesiam ædificatam scio*; quia manifestissimè per *illam*, seu per *hanc* Petram, Petri sedem intelligit: nam quòd Iunius solitâ audaciâ dicit, per *Petram* intelligi Christum, non Petrum aut Cathedram eius, vanissimum commentum est. Sic enim loquitur S. Hieronymus Damasum compellans:

beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior: super illam Petram, nempe super Cathedram Petri, *ædificatam Ecclesiam scio.*

Obiicit Sibrandus cum Sutliuio: *Hieronymũ lib. 1. contra Iouinianum* dicere; *Ecclesiam ex æquo super Apostolos ædificatam esse; & omnes claues regni cælorum accepisse.* Eandem obiectionem ingerit VVitackerus. Respondeo, hoc intelligendũ de Apostolis præcisè, quà Apostoli sunt: sic enim pares sunt, cum hac tamen paritate iungitur quædam imparitas, quatenus vnus reliquorum omnium caput constitutus est, vt schismatis tolleretur occasio, vt in eodem opere contra Iouinianum D. Hieronymus loquitur. An non & membra corporis præcisè qua membra, sunt inter se æqualia? Et tamen caput vtique præstantius est, quàm pes aut manus.

Sextò citatur S. Augustinus, qui in Psalmo contra partẽ Donati. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: ipsa est Petra, quã non vincũt inferorum portæ.* Et serm. 15. de Sanctis dicit, *Petrũ a Christo fundamẽtũ Ecclesiæ nuncupatum; supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.* Respondẽt Sibrandus & Sutliuius: Augustinum hanc sententiam retractasse lib. 1. Retract. cap. 21. Mentiuntur; nam in illo ipso loco Retractationum liberum relinquit S. Augustinus lectori, vt eligat, quam volet, opinionem. *At hoc de electione assumentum est*; inquiũt Caluinistæ. Quo auctore? Qua fide? Num veterum codicum suffragio? Minimè verò; sed auctoritate nescio cuius Simonis Gulartij ex Caluinianis castris ignobilis lixæ, quem tanti pẽdimus, quanti Sibrandum & Sutliuium: qui rursus oggannit; Augustinum Serm. 13. de verbis Domini reprehendere illos, *qui super homines ædificare volebant Ecclesiam; dicentes; Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ* Meritò istos reprehendit S. Augustinus, sed num similes illis, qui Ecclesiam super Petrum ædificatam prædicant? Certè non homines, sed Christus, super Petrum ædificauit Ecclesiam suam Itaq; quod Christus fecit, hoc, vt rectè factum profitemur & laudamus. Quod verò Corinthij illi agebant, qui ex imprudentia & nimio erga suos doctores amore, alterum alteri præponendo, lites serebant, & charitatem scindebant, id minimè approbamus.

Iunius ab insita sibi temeritate nil recedens, priorem S. Augustini locum sic interpretatur. *Numerate inde ab eo tempore, quo Petrus in Ecclesia sedit, & Apostoli, nimirum synecdochicõs vnà comprehensi.* Quod sæpius testatus sum, id denuo testor, me vix vidisse sectarium proiectioris audaciæ in Patrum dictis deprauandis, & peruersarum interpretationum nebula obscurandis, quàm sit iste Iunius. Quid enim sententiæ S. Augustini magis aduersatur, quàm hæc eius fictio? Ait S. Augustinus Donatistas alloquens: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri*, hoc est, numerate seriem Pontificum Romanorum ducto exordio à Petro. *Et in ordine illo Patrum* (Pontificum Romanorum) *quis cui successit, videte.* Hæc mens S. Augustini, hic apertissimus sensus. Iste tamen proiecta frõte. *Numerate sacerdotes ab eo tempore, quo Petrus in Ecclesia sedit; & quo sederunt in Ecclesia Apostoli*: Cum de reliquis Apostolis S. Augustinus nullum penitus verbum faciat; & impossibile sit numerare sacerdotes, qui in Ecclesia post Apostolos vixerunt, nisi ad certam sedem seu Cathedram deueniatur. Et quis veterũ vnquam per *sedem Petri* aliud intellexit, quàm Cathedram Romanã: ad cuius successionem, vt alibi tã Donatistas quàm alios Hæreticos, ita & hic eosdem Donatistas S. Augustinus ablegauit, communi patrum exẽplo, qui contumaciam simul & nouitatem hæreticorum ex successionis serie, præsertim Ecclesiæ Romanæ, reuincere & redarguere consueuerant.

VVitackerus in Criticum transformatus, mutaret libenter *Ipsa*, in *Ipse*, vt ad *Petrum* referatur, non ad *sedem Petri*. At quid lucri inde reportabit? An non etiam tunc conficietur, Petrum esse illam Petram, super quam ædificata est Ecclesia? Quàm verò hoc ad VVitackeri palatum, eo sensu, qui verus est, non eo, quem cum gregalibus suis comminiscitur VVitackerus? qui etiam cauillatur per *sedem Petri* non posse intelligi *successionem Episcoporum seu sacerdotum*: Quasi quisquam sit, qui præcisè per *Petri sedem* successionẽ intelligat; & non potius per integra D. Augustini verba: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede*, hoc est, numerate sacerdotes, qui sedem Petri tenuerunt? An hæc non indicant successionem? Nec quisquam dicit, ipsam successionem Episcoporum in sede Petri, dici *Petram*: sed ipsam *Petri sedẽ*, in qua ista successio, *Petram* nominamus. Sed tenebrionibus tenebris omnia inuoluere, nulla penitus est religio.

Obstrepit Iunius. *Duplicem fallaciam struit Bellarminus.* (Tu, Caluinista, duplicem Pseudologiam.) *Vnam, amphiboliæ, cum sedem Petri pro Ecclesia Romana hic accipit* (Atqui pro hac Ecclesia accipiendam esse, luce dilucidius est ex S. Augustini oratione & intentione; quidquid tu, Caluiniane Cace, fumi, contra hanc lucem euomas.) *Secundam, figuræ dictionũ, cum locutionem istam, ab ipsa sede Petri perinde accipit, ac si in ipsa sede Augustinus dixisset.* Sed mentitur Iunius. Nam Bellarminus non alio sensu D. Augustini verba accipit, quàm eo, quem præ se ferunt; qui est iste; *Numerate sacerdotes, ab ipsa Petri sede*, id est, illos, qui ab exordio sedis illius sibi mutuò successerunt.

Vltimò profert Bellarminus S. Maximum, S. Paulinum, S. Leonem. S. Gregorium. Sutliuius & Sibrãdus chordâ eâdem perpetim oberrantes respondent, Petrum dici *Petram & fundamentum* communi cum cæteris Apostolis ratione. Sed verba Patrum hanc interpretationem nõ admittunt, vt patebit consideranti. Garrit etiam Sutliuius nescio quid de firmitate, & soliditate fidei, seu confessionis, quam Petrus edidit.

Sed

Sed iam vidimus, hæc & similia nil aliud esse, quàm vulpina hæreticorum diuerticula; quandoquidem eôdem sensus recidit, siue super *Petrum* siue super *fidem & confessionem* Petri Ecclesiã ædificatam profiteamur, vt Bellarminus apertè fatetur.

Iunius præter suas *æquiuocationes*, quibus vbique rem gerit, & communem illam *Petræ* rationem, toties ingeminatam; vix quidquam adducit; nisi magni pendendum quis censeat, quod S. Leonem conuiciis incesit, eumque in causã Petri & sua nimis *hyperbolicum* fuisse dicit, insigni sanæ documento obseruantiæ in sanctos Patres, qua istorum pectora flagrant.

Postquam Bellarminus probauit, Petram Matth. 16. esse ipsum Petrum Apostolum, demõstrare aggreditur, *Petri* nomine non intelligi omnes fideles, vt volebat Erasmus, qui opinionem suam stabilire conabatur ex Origene Tract. 1. in Matthæum. Respondet Bellarminus: Origenem allegoricè locum illum: *Tu es Petrus*; explanasse, non literaliter. Vociferatur Iunius. *Imò anagogicè, siue analogicè, ac non allegoricè.* Imò allegoricè, quidquid tu contrà musites. Sed sumendo allegoriam latè pro sensu spiritali seu mystico, sic enim & Bellarminus sumpsit: Nec aliter suum *Anagogicum* vel *analogicum* sensum accipere hoc loco potest Iunius, cum clarum sit, expositionẽ Origenis non esse *anagogicam*, strictè sumendo *Anagogen*: exploratumque item in scholis Theologicis habeatur, sensum *analogicum* non esse propriam speciem sensus literalis vel mystici seu spiritualis, sed affectionem vtriusque.

Mox relabitur Iunius ad veterem illam næniam, *Petrum Origeni esse Petram communi omnibus Apostolis ratione.* Sed vbique defit probatio. Ait Bellarminus, si omnes fideles sunt ista Petra, de qua Matth. 16. super quam fundatur Ecclesia, omnes erunt fundamentum. Clamat Iunius, *Negatur ista consequentia.* Mox iterum insulsè declamitat de fundamento propriè & impropriè dicto. At siue hoc, siue illo modo sumas *fundamentum*, non euades, quò minus concedere debeas, omnes fideles esse fundamentum; quia fundamentum est illud, quo ædificium fundatur, neque hanc notionem & Etymologiam nominis quisquam sanæ mentis inficiari potest; si ergo omnes fideles fundant Ecclesiam, vbi erunt reliquæ partes huius ædificij, vt parietes, & tectum?

Sutliuius ait, non esse absurdum, vt vniuersi fideles sint fundamentum, hoc enim non obstare, quo minus subeant vicem aliarum quoque in hoc ædificio partium: nam nostro iudicio, Petrũ, & Romanos Pontifices super Christum fundari, & tamen *fundamentum* & *Petram* dici. At dispar est ratio, & quidem admodum dispar: nam respectu primarij fundamenti, quod Christus est; scimus, omnes simpliciter homines esse spiritualis huius ædificij partes, quandoquidem, omnes fundãtur in Christo, vt in suo primario fundamento. At inter has ipsas partes vna est, quæ respectu cæteratum proximum à Christo, hoc est, secundarium fundamentum est, propria sibi & peculiari ratione, cum cæteris non communi. Hoc respectu negamus, Petrum vel Pontificem Romanum, quà talis est, esse ædificij huius partem; prout pars à fundamento distinguitur, & fundamento innititur; neque enim Petri legitimus successor, quà talis, alio fundamento in hac spiritali domo nititur, quàm Christo, primario fundamento, tametsi vt homo priuatus rectè etiam pars huius ædificij dici queat, & niti quoque seipso, vt Pontifex, hoc est, vt fundamentum Ecclesiæ est. Si igitur omnes fideles promiscuè essent Ecclesiæ fundamenta, eo modo, quo Petrus, vel etiã generali illa, qua cæteri Apostoli, pastores & doctores, fundamenta Ecclesiæ nominantur, profectò nulli huius ædificij parietes, relinquerentur, nullumq; tectum: Nam vbi omnes ex æquo sunt fundamenta, aliæ partes locũ nullum inueniunt. Nec quidquam occurrit ipsi etiam VVitackero, quid adhæc responderet; præter maledicta & conuicia.

Ingentibus contumeliis lacerat Sutliuius Bellarminum; quòd hic dixit: sensum proprium, & immediatum, & literalem loci illius; *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. esse hunc, vt per petram intelligatur Petrus: Vociferatur Sutliuius. *Mirum, ni præ studio erga suum Pontificem insanniat Bellarminus. Quis enim vnquam, præter ipsum, dixit; hæc verba litteraliter esse accipienda & propriè?* Litteraliter hæc verba esse accipienda, omnes illi concordi voce dixerunt, & etiamnum dicunt, quibus perspectum est, sensum metaphoricum ad sensum literalem pertinere: seu, sensus litteralis veram speciem esse. Si hoc à suo *VVitgiffio* non didicit Sutliuius, Minerual, si quod persoluit, reposcat licet. Propriè item illa verba accipiuntur, non respectu ad metaphoram; sic enim sensus metaphoricus non est proprius; sed respectu ad generalem illam fundamẽti rationẽ, qua cæteri Apostoli, Prophetæ, pastores & doctores Ecclesiæ fundamenta appellantur. An non ipsi Caluinistæ Iunius, Sibrandus, Sutliuius, in ipso metaphorico *Petræ* & *fundamenti* significato, propriũ sensum statuunt, cum toties clamitant; Christũ propriè esse *Petram* & *fundamentum* Ecclesiæ; impropriè Petrum? Si ipsis *sine insania* metaphoricum sensum certo respectu nominare licet proprium, cur tanto piaculo se obstringere censendus est Bellarminus, quando idem facit?

Ait Bellarminus: non posse dici Ecclesiam esse ædificatam super fidem absolutè, & sine relatione ad Petrum. Respondet Sutliuius; *Quasi verò non satis sit nobis Ecclesiam esse fundatam super fidem aut confessionem Petri cum respectu ad Christum, vt omnis eneruetur argumenti Bellarminiani vis & efficacia.* Si *fidem Petri* nominas, eam ergo fidem non absolutè, sed cũ relatione ad Petrum consideras. Qua

cõsideratione, annon fatetur palam Bellarminus idem esse dicere *super Petrum*, & *super Petri fidem*; Ecclesiam esse fundatam, cum Petrus ratione indefectibilis suæ fidei sit petra firmissima, totam Ecclesiam sustentans: quæ Petri nunquam defectura fides Deum seu Christum sine dubio respicit?

Contrà argumentatur Sutliuius. *Petrus per se subsistit, Fides Petri supra Christum recumbit. Ergo non est idem dicere; Ecclesiam esse ædificatam super Petrum, & super fidem Petri.* Perinde ac si quis diceret, *non esse idem; scholam esse ædificatam super magistrum*; hoc est, niti auctoritate & doctrina Magistri; & *scholam esse ædificatam super doctrinam Magistri*; quia Magister per se subsistit; doctrina in obiecta sua fertur, & in iis quasi recumbit. Subtilis prorsus & Sutliuio non indigna obiectio; qui videtur sibi imaginari, *fidem Petri* sic supra Christum recumbere, quemadmodum S. Ioannes in vltima cœna supra pectus Domini recubuit: quasi verò fides aliter in Christum tendat, quam vt in auctorem, & vt omnis actus intellectus in obiectum suum, tanquam in terminum, ferri solet.

VVitackerus hîc, præter morem, subtilis est: nam per *fidem* & *confessionem* Petri, intelligit *Christum*, & hoc suo inaudito intellectu Caluinum & Lutherum in concordiam redigit. Si fides & cõfessio Petri est Christus, quia aliquando *fides* accipitur pro obiecto fidei, seu pro eo, quod creditur; vt dicit VVitackerus, sequitur, cuiuscunque etiam alterius fidelis fidem & confessionem, esse *Christum*; quia credit & confitetur Christum, quẽ Petrus credidit & confessus est. At bono stomacho eum esse oportet, qui sibi persuadeat actum tendentem in obiectum, & ipsum obiectum nõ differre, sed vnum idemque esse. Post hanc inscitiam fit VVitackerus Battus, & ea, quæ supra de Petro & petra ineptè garriuerat, ineptius nũc reponit. Quæ non tango, tacta iam satis supra.

Oggrunnit Sutliuius: nunquam asserunt Patres, Petrum obtinuisse, *vt esset Petra, propter meritum fidei, vel, esse fundamentum Ecclesiæ respectu Petri, vt mentitur Bellarminus.* Video tibi non satis esse mẽtiri absolutè & sine iniuria alterius; nisi mentiendo alium eiusdem culpæ insimules. Quid? An nõ dicunt patres, Petrum *promeruisse*, vt esset petra & Princeps Ecclesiæ; An non vidisti hæc apud Bellarminum ex S. Hilario verba; *supereminentem beatæ fidei suæ confessione locum promeruit.* Quid est Petrum beatæ fidei suæ confessione promereri *supereminentem locum*, nisi promereri, vt sit princeps, caput, & fundamentum Ecclesiæ? Illud alterum de *fundamento Ecclesiæ* respectu Petri, æquè friuolum est figmentum, quandoquidem Patres apertè dicunt; Petrum esse petram, basin & fundamentum Ecclesiæ, vt iam vidimus, visuri illud sæpius.

Tandem verbosum hoc suum caput coronat Sutliuius Battologica & tautologica coronide; & quæ iam crebrò absque probatione nobis decantarat; iterum omnis probationis expertia insulsè ingerit, *scilicet vt spissum posit componere librum.*

Nec Iunius suis in excerptis carpit aliquid, quod singulari refutatione egeat, nisi quis exspectat, vt quoties Iunius illa sua ingeminat: *Negatur consequens: hoc dicitur propriè, hoc impropriè, hoc κατὰ συνεσιν; hoc analogicè; hoc essentialiter, hoc communi ratione; hoc peculiari; hoc non simpliciter: hoc κατὰ τι: hoc negamus, vtrunque negamus*; ego semper ineptiæ Iunianæ lectorem commonefaciam, quasi ignotum sit, Iunium non alia, quàm huiusmodi nauci & retusa spicula in Bellarminum vibrare. *Apage nugas istas nugacissimas*, clamat ipsemet Iunius sub finem huius capitis: Silere tamen nequeo, quàm Iunius sit acer vindex honoris Augustiniani. Dixerat Bellarminus sententiam S. Augustini natam fuisse ex Hebræi sermonis ignorantia, quòd putarit *Cephan*, hoc est, *Petrum*, non idem esse cum *Petra*, sed denominatiuum *Petra*, quasi *Petrinum* vel *Petreium*. Hic Augustini causidicus ex schola Caluini fidelissimus. *Hac reprehensione Augustinus quidem in speciem petitur; at reuera Matthæus Euangelista configitur, qui Græcè scripsit* (quo argumẽto id probas?) *aut quisquis fuit interpres ipsi.* Hæc omnia mendaciis securè deputa; quia siue Matthæus scripserit Hebraica veteri, siue Syriaca lingua; siue Græca; & siue Apostolus, siue vir Apostolicus hoc Euangelium in Græcam *linguã* transtulerit, nullam penitus vel illi vel huic litem mouet Bellarminus; quia Matthæus, si scripsit Syriacè, *Cephan* vtrobique eodem significatu, nempe pro petra sumpsit, & Græcus *Petrum* & *petram* pro eodem posuit. Quia idem est: Tu es *Petrus & super hanc petram*, &c. cum his: *Tu es Petrus, & super hunc Petrum*, &c. *Tu es petra, & super hanc petram*, &c. Tota quæstio est de S. Augustino; quem ait Bellarminus, vim nominis *Cephæ* non satis assecutum, quia existimauit non esse *petram* vel *saxum*, sed denominatiuum *Petræ* vel *saxi*; atque adeo sensum hunc esse; Tu es *Cephas*, seu *Petrus*, hoc est, *Petrinus* seu *saxeus* & *super hanc petram*, &c. Quod secus habet, vt ostendit Bellarminus.

Exsurgit & VVitackerus pro defensione S. Augustini contra Bellarminum. Scilicet his defensoribus, hoc est, summis Patrum contemptoribus egent sancti Patres. Quàm enim VVitackerus sit reuerens Patrum, docent hæc eius in sanctum Epiphanium conuicia. *Quàm de illis testimoniis* (allatis ab Aërio hæretico) *ineptè ac pueriliter Epiphanius responderit, omnes videre possunt, &c. Miror tantum Theologum, qui sibi sumpsit, vt omnes hæreticos refutaret, non vidisse quàm turpiter hallucinaretur.* Similia reuerentiæ specimina passim reperies in VVitackero.

Postquam Sibrandus lib. 2. de Pontificibus tribus primis capitibus, hoc caput decimum

Bellar-

Bellarmini futiliter oppugnauit, subiungit deinceps duo alia capita quartũ videlicet & quintum, quorum illo probare nititur; *Petrum non esse fundamentum Ecclesiæ*; hoc autem; *Christum esse vniuersæ Ecclesiæ fundamentum*. Sutliuius primo capite libri sui secundi idem argumentum verbosè tractat, & longè adhuc loquaciùs seu VVitackerus, seu VVitackerianus Baccalaureus. Sed omnia corruunt partim ex dictis, partim ex dicendis, partim hac distinctione adhibita: Christum esse primarium Ecclesiæ fundamentum; Petrum secundarium, sed tamen proximum infra Christum, (tametsi VVitackerus, audita hac distinctione, ringitur) Reliquos Apostolos, doctores & Pastores Ecclesiæ fundamenta esse, sed generali quadam ratione; quatenus omnis ille, cuius B doctrina & auctoritate Ecclesiæ ædificium sustẽtatur, fundamentum dici potest. Nec necesse est, vt istos Battologos & Tautologos βαττολογοῦντας & ταυτολογοῦντας, quocunque amentiæ impetu, abripiuntur, perpetim insequamur. Mirificè porrò excellunt duo isti Caluiniani Sibrandus & Sutliuius in eiusdem rei loquacissimis iterationibus, vt quis eorum nænias decies & sæpius regestas vix sine stomachi euersione legere queat.

CAPVT XI.

Quid sit super petram ædificari Ecclesiam Matth. 16.

IN frustillis Iunij ad hoc caput, nihil inuenio, quod non per se euanescat. Indignatur, vt & VVitackerus, quòd Bellarminus dixit, aduersarios parum laborare quid sit super petram ædificari Ecclesiam. *Contumeliosè dictum*, inquit Iunius. *nam reuera magis & religiosius de ædificatione laborant, qui eam nouerunt Christo imponi oportere, quàm ij, qui Petro.* Quasi verò, qui Petro eam impositam credunt, Christum excludant; & cum super Petrum ædificant, non pariter super Christum ædificent; illi autem, qui se super Christum ædificare ferunt; excluso Petro, non potius super suum cerebrum, quàm super Christum, fabricam, quam moliuntur, ædificent.

Danæus arbitratur hoc & septemdecim capita, quæ sequuntur, *sine damno suo & suorum prætermitti potuisse*. In quo me adstipulatorem habet; quin & hoc addo, totam de Pontifice Controuersiam, sine vllo Caluinistarum detrimento potuisse vel non nasci, vel natam mox interire. Sed nosse debet Danæus, Bellarminum non eo fine ad scribendum mentem appulisse, vt hæresi prosit, sed vt obsit; magno eorum bono, qui hæreseos labe infecti sunt: quemadmodum & Medicus non commentatur de morbis, vt morbis prosit, sed vt iis, qui morbis distinentur, opem ferat.

A Mentitur Danæus, *Bellarminum vi veritatis adactum; fateri, etiam reliquos Apostolos esse Ecclesiæ fundamenta, & quidem eodem dunt axat modo, quo Petrus est fundamentum Ecclesiæ.* Inspiciatur solummodo Bellarminus in hoc capite, è vestigio in fumum abibit Danæana vaniloquentia. Obiicit, Petrum & reliquos Apostolos tantùm fuisse *ministerialia fundamenta; ergo paria*: Idem occentat ad nauseam vsque VVitackerus. Respondeo, consequentiam nullius esse pretij: quia est similis huic. *Hic vel ille Rex varios habet ministros; ergo omnes inter se sunt pares.* Num necesse est, vt ministri omnes in Aulis Principum inter se sint æquales? Par igitur erit cocus Aulicus præfecto Aulico. Et lanio, Cãcellario: quia omnes sunt ministri Aulæ.

VVitackerus suam Logodædaliam hîc egregiè exercet. Quam si ex liberrimo, in quo exultat campo, limite quopiam circumscribere velis, offerent se tibi hæ vel similes morologiæ. *Fundamenti est sustinere, & ab interitu vindicare: solus Christus hoc potest, ergo solus Christus est fundamentum Ecclesiæ. II. Causa efficiens ædificationis non est fundamentum, quia fundamentum est quiddam internum & pars ædificij, causa verò efficiens est aliquid externum, neque vlla pars ædificij; sed Petrus est causa efficiens ædificij Ecclesiæ; ergo non est fundamentum.* Tu Maiori VVittackeriaquæ, hoc est, deliræ & anili, subiunge. *Sed Christus est causa efficiens ædificij Ecclesiæ. Apostoli sunt causa efficiens ædificij Ecclesiæ.* Quã C Minorem VVitackerus reiicere nõ poterit. Tum infer hanc conclusionem. *Ergo Christus non est fundamentum Ecclesiæ. Ergo & Apostoli non sunt fundamentum Ecclesiæ.* Et tamen VVitackerus, ad rauim vsque clamitat; *Christum esse fundamentum Ecclesiæ, & quidem* vnicum: cui vnico fundamento cogitur postea adiungere aliud, nempe Prophetas & Apostolos, supra quos Ecclesiam ædificatam esse S. Paulus apertè tradit. His & huius generis aliis fumis perquam crassis illudit VVitackerus simplicium oculis. An non enim crassissimus fumus est? *Architectus ædificij non est fundamentum ædificij. Petrus est architectus ædificij Ecclesiæ; ergo Petrus non est fundamentum ædificij Ecclesiæ.* Si quidquam momenti in hoc informi delirio inest, euincet nec Christum, nec Apostolos suo D quodam modo esse Ecclesiæ fundamenta, vt iam antea dictum est. Quæ VVitackerus contra Patrum testimonia deblaterat, alibi partim profligata sunt, partim adhuc profligabuntur.

CAPVT XII.

Quis sit ille, cui dicitur, Tibi dabo claues Matth. 16.

DANAEVS circa hoc itidem caput nil nisi Danæus est. Præloquij loco Mentitur. I. *Bellarminum actum agere.* II. *Bellarminum conari tenebras minus oculatis effundere.* III. *Bellarminum pro parabolica significatione, ponere debuisse: anagogicam & metonymicam, aut symbolicam*: nam parabolicam *esse ineptissimam.* An igitur ineptissimæ erũt tot parabolicæ significationes & repræsentationes, quibus sacra scriptura frequẽtissimè vtitur? *Quis vnquam vel fando audiuit*, clamat Danæus, *esse parabolam, cùm quidpiam procuratorio alterius nomine gerimus; velut, cùm quis sui Principis nomine legatus claues vrbis alicuius accipit. Nocturnæ te Intemperiæ, Bellarmine, agebant, cũ hæc scriberes, & hoc parabolam appellares.* Mænades, opinor, te, Caluinista, exagitabãt, quãdo istas criminationes in chartam exspuebas: Non dicit Bellarminus, esse parabolam, cum quis *procuratorio* nomine claues ciuitatis accipit; quis enim tam cœcus est, qui non videat; actionem illam esse rem veram? Sed in hoc ait parabolicam significationem latere, quòd procurator ille vel legatus nihil potestatis pro se accipit, sed pro illo, cuius personam gerit. nam vt rectè dicit Bellarminus, tunc vnum per aliud parabolicè significatur, quando res verè gesta, nulla proponitur, sed aliquid verisimile fingitur ad aliud significandum: quod hic fit; nam licet illa externa clauium traditio sit res quædam vera & realis; nulla tamen hîc res verè gesta est ratione potestatis in ordine ad procuratorem seu legatum; quia nihil potestatis ei confertur; sed tota illa actio *parabolicè* significat & repræsentat, eam potestatem, quam is accipit, cuius personam procurator sustinet. Hæc si effrenis Danæi mens considerasset; forsan in tantas lœdorias non erupisset.

Iunius oggerit; diuisionem in significationem seu repræsentationem historicam & parabolicam non esse sufficientem. *Nam tertium præter eas genus esse repræsentationis*, quòd fit ἐν μέρει, *siue partiariè: Cum quis & suam priuatam personam gerit, & personam communitatis; suoque priuato nomine; quatenus communitatis pars est, partialiter; & nomine item communitatis, vel potius communitas per ipsum aliquid communiter* accipit: Et hunc suum significationis & repræsentationis modum contendit Iunius obseruatum in traditione clauium Petro facta. Verùm vt iste, quem adfert, repræsentationis modus, locum alicubi habere possit, & reipsa itidem habeat; attamẽ in præsenti locum nec habet, nec habere potest; vt multis rationibus ostendit Bellarminus, quas Iunius arrosit quidem, sed non eросit, vt postea videbimus. Et meritò à Bellarmino prætermissus est: cum

A sectarij plerunque dicant, Petrum, vt singularis homo est, nihil accepisse; sed præcisè vt gerebat personam Ecclesiæ, atque adeo eo pacto se se habuisse, vt se habet procurator, vel legatus, qui accipiendo claues ciuitatis, nihil pro se; sed totam potestatem pro Domino suo accipit.

Sed Iunius, cæteris acutior, animaduertit id, quod toti communitati traditur vel traditum creditur, pertinere ad singulas partes communitatis, etiam sigillatim sumptas: quo fit, vt Petrus non plus potestatis acceperit, quàm quilibet alius Fidelis, qui communitatis illius, hoc est, Ecclesiæ, pars est, ex deliratione Iunij, non ex veritatis sensu. Sed de his postea.

B

Ait Bellarminus, Petrum non parabolicè, sed historicè personam Ecclesiæ gessisse, ita nimirum vt ipse verè, principaliter & immediatè claues acceperit, & simul eas accipiendo significauerit, vniuersam Ecclesiam suo quodam modo deinceps accepturam: atque adeo illud; *Tibi dabo*; personam Petri designare: quod copiosè Bellarminus demonstrat. Respondet Sutliuius, *argumentum pro plenitudine potestatis Petro concessæ ductum ex his verbis*; Tibi dabo claues regni cælorum, &c. *multis nominibus esse vitiosum.* I. *quia hic nihil Petro datum est, sed promissum duntaxat.* An non hoc palam affirmat Bellarminus? Promissum est hic aliquid Petro. Sed quid? Plenitudo clauium, seu potestatis. An Christum tu mendacem existimas, qui quod tam asseueranter pollicitus est, non persoluerit?

C

Secundò dicit Sutliuius, nullas hic promissas esse Petro claues, quas non acceperint etiam alij Apostoli Matth. 18. & Ioann. 20. Sed dicit tantum, non probat. Claues sortiti sunt & reliqui Apostoli, & hoc asserũt Patres: Sed plenitudinem clauium & independentiam à quocunque homine, solus Petrus: neque vllus veterum hanc Petri prærogatiuam cum cæteris Apostolis communem facit.

D

Tertiò obiicit Battus Sutliuianus: *nihil hic Petro datum aut promissum, quod non etiam reliquorum Apostolorum commune fuerit.* An non satis tibi erat hoc semel absque probatione asseruisse? Quid opus erat hac inani repetitione? Bacchatur in illos Auctores, qui docent, solum Petrum immediatè à Christo, reliquos Apostolos à Petro potestatem accepisse. *Si id ita esset*, inquit, *sequeretur reliquos Apostolos non fuisse Christi, sed Petri Apostolos.* Nihil minus sequitur, quia Turrecremata, de cuius opinione Bellarminus infra cap. 23. non dicit reliquos Apostolos à Petro accepisse, *Apostolicam potestatem*, sed *Episcopalem consecrationem*: Nam potestatẽ & functionẽ Apostolicam acceperunt Apostoli immediatè ab ipso Christo, vt notum est ex historia Euangelica. Deinde

licet

licet Apostoli, etiam Apostolicam functionem & potestatem à Petro accepissent, sequela tamen Sutliuij futilis foret; quia Petrus constituendo Apostolos, eisque Apostolicam potestatem impertiendo; Christi, non suos Apostolos fecisset, Sicuti iam Episcopi, quando sacerdotibus conferunt potestatem Ecclesiasticam; non suos, sed Christi seruos faciunt.

Obiicit Sutliuius. *Si soli Petro clauium summa potestas data fuisset, tanquam Petri, & non vt Ecclesiæ & Apostolorum personam gerenti, tum mortuo Petro, vis omnis clauium intercidisset.* Respondeo, hoc non sequi, nam vt postea probabit Bellarminus; traditio clauium regni *cælorum*, ad Petrum & omnes successores eius spectat. Gessit autem Petrus aliquo modo personam Ecclesiæ, vt antea dictum. sed non eo modo, quem Hæretici somniant.

Oggrunnit Sutliuius. *Si per claues intelligeretur summa potestas, tunc omnes sacerdotes essent summi Pontifices; & Apostoli, quibus certũ est, datas fuisse claues, omnes æquales fuissent Petro.* Respondeo, hoc nõ sequi; non enim dicimus claues in sacris litteris vbiq; significare summã potestatem, sed illas claues, quæ Petro promissæ sunt Matth. 16. summæ potestatis indices esse dicimus. Istæ nec dantur sacerdotibus, nec reliquis Apostolis vnquam fuerunt datæ.

Cauillatur deniq; Sutliuius: *hinc confici, non Reges; sed Ianitores & clauium custodes; summos esse Reipũblicarum moderatores.* Ecclesiæ summus moderator fuit Petrus, & nunc est successor Petri, clauiger summus, & supremus cœli ianitor. Nihil hoc præiudicat politicis Regibus & principibus; quorum gubernationem Ecclesiastica Monarchia minimè euertit.

Cæterum Petro immediatè & principaliter claues regni cælorum collatas esse, ostendit primò Bellarminus ex circumstantiis orationis Christi. Ex pronomine, inquam, *Tibi.* Ex nomine primo Petri; *Beatus es Simon.* Ex nomine Patris sui. *Bar Iona. Filius Ionæ.* Ex nomine recens impositio: *Tu es Petrus*, &c. Sutliuius varia hic nugatur, & multifariam criminatur, omnia sursum deorsumque vertens ac miscens: & ea opponit Bellarmini argumento, quæ ipsemet Bellarminus refellit. Refutationes dissimulat, ne garriendi occasio præcidatur, vt; *Petrum nomine omnium claues regni cælorum accepisse. Petrum loco omnium Apostolorum ad Christi quæstionem respondisse. Petrum gessisse personam seu figuram Ecclesiæ;* & id genus alia, ad quæ Bellarminus sigillatim & accuratè respondet. nam Petrus pro se, pro sua persona, & vt infra ostendetur, pro suis duntaxat successoribus claues regni cælorum accepit: Quia dictum est, illi; *Tibi dabo claues regni cælorum; tibi*, qui me confessus es, ex reuelatione cælesti; *tibi* Petro, *tibi* Simoni, *tibi* filio Ionæ, nec nomine aliorum vel Ecclesiæ, aliter has claues hoc est, plenitudinem clauium & summam potestatem accepit; quàm quatenus erat, vel futurus erat caput Ecclesiæ; nam & ciuitas aliquo modo accipit, quod princeps ciuitatis accipit. Item quatenus acceptam potestatem cum Ecclesia, hoc est, cum reliquis Ecclesiæ Ministris partialiter communicare debebat; nam ipsa plenitudo potestatis cum nullo alio communicari potest; imò neque Apostolis à Christo communicata est, tametsi iurisdictionem in totũ terrarum orbem à Christo acceperint; quia non acceperunt independenter à Petro, nec cum priuilegio eam transmittendi ad posteros. Nomine item omnium Apostolorum respondit, non ex eorum commissione; vel delegatione, vel, vt eorum præco; sed vt eorum os, & caput ac princeps futurus.

Hoc nihil aliud est, inquit Sutliuius, *quàm somnium nobis suum narrare; ostendat enim, monarcham fuisse, & solùm accepisse claues, vt eas aliis communicaret. ostendat, inquam, Petrum aliis Apostolis eas communicasse. hic certamen cernitur, in hoc cardine causa vertitur. Hic specimen sui ingenij ostendere potest, quid ergò cessat?* Quàm animosè. Quasi verò Bellarminus hoc nõ accuratissimè ostenderit. At tu hanc ostensionem non vides. Quid mirum? Oculis cares. Si ipse Petrus ex beatorum sedibus descenderet, & hanc veritatem tibi sanctè affirmaret, argumentisque comprobaret, nescio num ei fidem habiturus esses. Monarcha. & Princeps Ecclesiæ nondum quidem reipsa erat S. Petrus, quando hanc confessionem edidit; sed iam diuino decreto & designatione Christi talis erat. Hinc cùm Patres aiunt eum respondisse nomine aliorum, vt principem, & vt caput aliorum; ad id respiciunt, quod iam diuino decreto sancitum, & paulò post reipsa perficiendum erat. Si tibi modus iste loquendi Patrum non arridet; dic Petrũ nomine aliorum respondisse; quatenus alij Apostoli responsum Petri per approbationem quodãmodo fecerunt suum: sic enim os eorum aliqua ratione factus est, quemadmodum quiuis os aliorum dici potest, qui loquitur, quæ alij suffragio suo tacitè vel apertè confirmant. Et sanè non iniuriâ miraretur quis, cur, si præclara illa confessio non tantùm per approbationẽ, sed aliquo propiore & magis proprio modo ad omnes Apostolos pertinuit; Christus orationem totam ad Petrum direxerit, & quidem in singulari: *Beatus es Simon, Bar Iona; quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Cur non dixit? *Beati estis vos Apostoli, quia caro & sanguis hoc vobis non reuelauit.* Item. *Et ego dico tibi; quia tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. Cur non dixit? *Et ego dico vobis: quia vos estis Apostoli, & super hos Apostolos ædificabo Ecclesiam meam.* Item. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Cur non? *& vobis dabo claues regni cælorum.* Item, *quodcũq; ligaueris*, &c. *quodcunq; solueris.* Cur non? *quodcunque ligaueritis*, &c. *quodcunque solueritis*, &c. nam vt confessio ad omnes spectauit, prout spectauit, si non mentiuntur sectarij; sic & merces confessionis ad

omnes spectare deberet. Et si ad omnes spectasset, Christus non vnicũ Petrum allocutus fuisset.

Perquam ridiculi verò sunt aduersarij cum ex singularibus vocabulis pluralia nobis cudũt: cum, inquam, illis: *Beatus es Simon Bar Iona.* est idem, quod: *Beati estis vos Apostoli*: & *tibi*: idem, quod *vobis*, & *tu*, idem quod *vos*: & Petrus, idem, quod *cæteri Apostoli.* Et duo illa verba: *ligaueris, solueris*: idem, *quod ligaueritis, solueritis*, &c. Egregij profecto sunt isti non modò numerorum, sed & rerum transformatores. Mentitur autem Sutliuius. Cum ait; *Postea displicere Bellarmino, quòd dixit: Petrum nomine omnium respondisse.* Vbi hoc displicet Bellarmino? Vbi hoc reuocat? Mentitur iterum, cum ita loqui Bellarminum fingit: *Petrum nomine omnium respondisse, ipsum enim nescientibus reliquis quid dicturus esset, pro reliquis respondisse.* Non sunt hæc Bellarmini verba, sed Sutliuiana mendacia, vt & hoc, quod subnectit. *Bellarminum hac in re non tantum litigare cum Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino, sed & secum*: Sed impositam sibi à Beza calumniatoris personam, hic quoque Sutliuius strenuè agit: nam reliquos Apostolos nescisse, quid Petrus responsurus esset, donec responsum reipsa audierunt, inde liquet; quia Christus manifestè testatur, responsum hoc Petro à cælesti patre fuisse reuelatum. Petro, inquã, & quidem soli: *quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Qua igitur ratione scire potuerunt, quid Petrus responsurus esset, antequam responderet, cum probabile sit, hanc reuelationem eo ipso tempore Petro fuisse factã, quando CHRISTVS discipulos interrogauit: Quem dicunt homines esse filium hominis?

Ait Bellarminus. Si Petrus nomine omnium, videlicet vt præco, aut vt commissarius, respondisset; tunc hoc fecisset, vel quòd cæteri hãc prouinciam illi demandassent, vel quòd sciret, quid illi responsuri essent: neutrum dici posse ostendit Bellarminus. VVitackerus audacter affirmat, *Apostolos Petro respondendi partes mandasse.* Vbi hoc scriptum? Profer testimonium. Sutliuius hæc regerit. *Quasi verò nihil aliorum nomine agamus, quod non illi mandant, aut nos acturos esse sciant; & non sit in Iure etiam* actio negotiorum gestorum. *cum sponte aliorum negotia suscipimus, quæ nec mandantur, nec sciuntur.* Luculenter ostendit, hoc ex Iuris scientia exemplo, quam considerate & pensiculatè omnia sua Sutliuius in chartam referat, nam actio *negotiorum gestorum* dicitur apud Iureconsultos illa, *quæ alicui datur ex quasi contractu*, vt si quis negotia mea sine mandato meo gessit; vt si cum absens essem, vineam meam coluit. Huic ego, licet nullus inter me & illum contractus intercesserit, teneor tamen actione negotiorum gestorum, si quid expendit, sumptusue fecit. Num & Apostoli cæteri obstringebantur Petro actione *negotiorum gestorum*; aut Petro talis actio aduersus alios Apostolos competebat? Sed ob quæ, oro, negotia, à Petro pro Apostolis sine eorum mandato gesta? Mirum nî ob tantã Iuris cognitionem *Decano* huic prima saltem laurea in ea facultate decernatur.

Fortè per actionem negotiorum gestorum intelligere voluit, (Si ineptè, quid tum? Non semel in vita sua ineptiit Sutliuius) Petrum spõte sua, absque vllo mandato, suam & cæterorum causam egisse apud Christum, seu suo & aliorum nomine confessionem illam edidisse. At vnde huic suæ assertioni fidem conciliabit? An inde, quòd Christus omnes interrogauit, quid de se sentirent homines? De interrogatione res est liquida. Liquet etiam hoc: nil valere hanc VVitackerianam & Sutliuianam cõsequentiam. *Interrogauit Christus omnes; ergo Petrus loco omnium respondit*, eo sensu, quem Hæretici ex Euangelio exsculpere volunt. Nam Petrus pro sua persona cælesti lumine diuinitus derepente collustratus in eximiam illam confessionem prorupit. Vnde & tota promissio ad personam Petri in numero singulari dirigitur; quod minimè factũ fuisset; si promissa illa ex æquo ad omnes Apostolos, atq; adeo ad totã Ecclesiã immediatè pertinuissent.

At Petrus gerebat figuram & typum Ecclesiæ, vt patres testantur. Non abnuimus. Quid inferes? *ergo non ipse principaliter & immediatè accepit claues, sed Ecclesia.* Negatur consequentia. Perinde est, ac si quis dicat: Aaron summus sacerdos gerebat typum Christi; ergo non ipse, sed Christus principaliter & immediatè summum Pontificatum Aaronicũ accepit. Non valet consequẽtia; quia Aaron non *parabolicè*, sed *historicè* gerebat figuram Christi: vt & Petrus Ecclesiæ; hæc autem significatio seu repræsentatio consistit in re aliqua verè gesta, tametsi rem aliam gerendam præmonstrante & præfigurante; neque sunt hæc elabendi rimæ, vt calumniatur Sutliuius, sed veritatis declaratio, & stultitiæ Sutliuianæ detectio, quando ita desipit. *Petrus gerebat typum Ecclesiæ; ergo promissa illa, Tu es Petrus, &c. & tibi dabo claues regni cælorum, non sunt Petri propria: Sed eius cuius gerebat typum.* Similis est hæc collectio huic: Aaron fuit typus Christi; ergo Pontificatus ille legalis nõ fuit proprius Aaronis, sed Christi: Salomon Rex pacificus, fuit figura Christi Regis, ergo Regnum illud temporale & politicum non fuit proprium Salomonis, sed Christi. Pulchrè & argutè.

Ridiculus est autem VVitackerus, cum Christum hoc modo cum Petro loquentem inducit. *Fuisti, & es natura filius Ionæ, carnali ingenio præditus, sed nunc mutatus es in alium hominem, postquam patrũ mei munere me Dei filium agnouisti, atque in me credis. Iam ergo non Simon, sed Petrus, propter fidei stabilitatem, solo nomine, sed rei significatione non solum: Et tibi dabo claues, non tamen soli tibi.* Egregiam paraphrasin, quæ rem sectariis transactam daret, Si os VVitackeri, os Christi esset. Quis risum

conti-

contineat, quando tam bellum promissionis Christi Interpretem audit? & quidem, quò vanitas sit plausibilior, oratione Christo affictâ?

Ait Bellarminus, Petrum immediatè & principaliter accepisse claues. Obiicit Sutliuius: *Si per*, Principaliter, *intelligat propriè; tum falsum est; quod dicit: Si per*, Principaliter, *intelligat personaliter, tum non negamus eum eas accepisse; sed hoc contra nos non facit.* Respondeo, neutrum per hunc terminum *Principaliter* significari: Tametsi enim Petrus claues & propriè & personaliter, hoc est, ipse pro & in persona sua accepit; tamen cum dicimus, eum claues *Principaliter* accepisse, nil aliud volumus, quàm potestatis illius traditionem primariò & per se ad Petrum & in Petro, tanquam in vltimo suo termino, fuisse terminatam; neque alios aliter respexisse, nisi vt has claues, seu hanc potestatem Petro traditam aliquo modo participaturi erant.

Sibrandus omnia inconditis syllogismis inuoluit. I. *Cuicunque sunt claues cælorum immediatè à Christo datæ, ille est monarcha in vniuersa Ecclesia: sed Petrus est ille, cui illæ immediatè à Christo datæ sunt. Ergò Petrus est monarcha in vniuersa Ecclesia.* Respondeo, inquit Caluinista, *Maiorem non esse vniuersaliter veram: claues enim dantur Domino & seruo.* Si Caluinianus iste *syllogista* aliquid ad *Maiorem* adiecisset, quod necessario adiici debet, vt Bellarminianæmenti conformis fiat, nempe hoc; *cuicunque sunt claues cælorum immediatè à Christo datæ*, eo modo, qui Matth. 16. describitur, ille est Monarcha, &c. tum vera esset Maior; & vera itidem cum eadem additione Minor, veruſque totus syllogismus, quem hunc in modum Sauubrandus formasset, si disputator, non cauillator esset. Quocirca cum phantasmatis suis batuit postea Sibrandus, quando verbosè probat, aliis etiam datas esse claues regni cælorum; Quis negat? Sed num plenitudo clauiũ & independentia à quocunque alio homine in hac militante Ecclesia? Pergit syllogista noster.

II. *Cui Christus claues dabit, ille est Monarcha, sed dabit eas Petro, ergo Petrus est Monarcha.* Multa blaterat de hoc syllogismo: qui constabit si Maiorem ita formes: Cui Christus claues Matth. 16. *promissas* dabit, ille erit Monarcha.

III. *Qui pascit oues Christi, ille est Monarcha, sed Petrus pascit oues Christi, ergo Petrus est Monarcha. Hoc argumentum*, inquit Caluinista, *nihil facit ad rem, non enim quæstio est, cui Christus omnes suas oues pascendas commiserit, sed cui claues dederit.* Si argumẽtum hoc non est ad rem; cur tu illud hoc loco ex mera nequitia obtrudis? Nã Bellarminus cap. 12. in cuius defensione versamur, non disputat de hoc Christi mandato; *Pasce oues meas*, &c. sed infra cap. 14. Cur tu ex sua quasi statione reuulsum, huc importune rapis? Quanquã, vt hoc hic obiter dicam, Monarcha est, quisquis pascit omnes oues Christi, eo pacto, quo id Ioan. 21. Petro demandatum est.

IV. *Quod Petrus suo, & Apostolorum nomine accepit, hoc non accepit singulariter. Sed promissionem clauium accepit suo, & omnium Apostolorum nomine: Ergo non accepit singulariter.* Respondeo, Minorem esse falsam, eo sensu, quem Hæretici animo suo informant; Falsitas patet ex iis, quæ prius contra Sutliuium diximus. Neq; asseritur à sanctis patribus in sensu hæreticorum.

Ait, vel saltem innuit Bellarminus; Reliquos Apostolos non sciuisse quid Petrus responsurus esset. Occinit Sauubrandus, hoc esse falsum; iam enim sæpe talem cõfessionem in Collegio Apostolorum fuisse factam. Sed vbi? Quando? Monstra, sodes, locum. Negat, soli Petro factam reuelationem. At nos Christo credimus: qui Petro signatè & definitè dicit: *Non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus.*

Occinit Sibrandus, *multos antea similem confessionem de Christo edidisse, vt centurionem* Matth. 8. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, &c. de quo Dominus: *Non inueni tantam fidem in Israël.* Item Matth. 11. *Gratias tibi ago, quia hæc reuelasti parulis*, &c. Et mulier Chananæa Matth. 15. *Etiam Domine, nam & catelli*, &c. Ad quam Saluator, *O mulier magna est fides tua.*

Respondeo, si hæ confessiones fuêre similes illi, quam Petrus edidit, cur Petro tam larga & ampla merces ob confessionem suam est decreta, non autem aliis? Cur Petrus tantis laudibus ob hanc confessionem euectus, qua palam confessus est, Christum esse filium naturalem Dei, atq; adeo Deum de Deo? Num hoc confessus est Centurio verbis illis? *Domine non sum dignus*, &c. Num & mulier Chananæa illis? *Etiam Domine, nã & catelli*, &c. An non hæc de Christo, tanquam de Propheta duntaxat eximio, & miraculorum patratore admirando, pronunciarunt, non cognita eius diuinitate? & tamen verè affirmare licuit Christo de Centurione; se non inuenisse tãtam fidem in Israël: Et de Chananæa; magnam esse fidẽ eius: quia ex Israëlitis nullus dum Christo dixerat; ipsum absentem absenti ægro, per vnicum verbulum, salutem & incolumitatem conferre posse: quod fuit argumentum magnæ in Christum fidei, qua gentilis ille Centurio imbutus erat; & in Chananæa constantia illa & perseuerantia in petendo, ingentem fidem arguebat; qua sibi firmiter persuaserat, Christũ, posse filiæ suæ à Dæmonio vexatæ mederi.

Illud: *Reuelasti ea parulis*; siue referatur ad Apostolos, siue ad eos, qui Apostolis prædicantibus, Christo crediderant, non significat, explicitè illis reuelatam fuisse diuinitatem Christi, sicuti postea Petro reuelata est; sed reuelatum illis fuisse futuræ & mox introducendæ nouæ legis statum, nouumque legislatorem Christum generali quadam ratione & notione.

Obstre-

Obstrepit Sibrandus. *Cum Christus à Ioanne baptizaretur, pater palam è cælo confessus est, Christum esse filium suum, Matth. 3.* Non agimus de confessione cælestis patris, cui vtique quis filius suus esset, optimè exploratum fuit, sed agimus de cõfessione publica S. Petri, quærimusque, num similis quæpiam ex cælesti reuelatione hanc antecesserit? Ait Sibrandus. *Multos ex cælesti illo testimonio scire potuisse, Christum esse filium Dei naturalem.* Sed num Apostoli id scire poterant, qui quando Christus à Ioanne baptizatus est, nondum ad Apostolatum vocati fuerant? Num & illi ipsi, qui intererant, quando hoc testimonium de cælo intonuit, aliter quam de naturali filio Dei id accipere & explicare non poterant?

Loquacissimè postea nugatur Sibrandus de Apostolorum æqualitate; prorsus tautologicè & battologicè; quia iam eadem insulsè oggesserat; & quidem non semel: Breuiter dico, quod iam sæpius dictum: Aequales fuerunt, præcisè, quà Apostoli; inæquales, quatenus vnus caput omnium constitutus est, vt schismatis tolleretur occasio: Sicuti omnes Regis Ministri, præcisè quà ministri, æquales sunt: inæquales, quatenus hic præfectus Aulæ; ille stabuli; hic rei penuariæ, &c. In Anglicana Caluini synagoga omnes Episcopi æquales sunt, quà præcisè Episcopi; inæquales; quà vnus nempe Cantuariensis, Primas; reliqui infrà hunc Primatem. Inæquales, quatenus alij Episcopi; alij Archiepiscopi.

Post varios nugacissimarum gerrarum anfractus hunc affingit Bellarmino syllogismum: *Ex quo orta est sacerdotalis vnitas, ille est Monarcha. Sed Roma est illud, ex quo sacerdotalis vnitas orta est. Ergo Petrus est Monarcha totius Ecclesiæ.* Vide & ride sycophanticum huius Caluinistæ ingenium: qui eos syllogismos Bellarmino affingit, quos vix somniãs fabricaret. Et tamen in his vanissimi sui cerebri ludibriis demoliendis mira cum iucunditate occupatur Sibrandus. Sed destruat, prout volet, non nostra argumenta, sed inania sua figmenta destruit: nam si quis ex iis, quæ Bellarminus de sententia quadam Cypriani disserit, syllogismum conficere vellet; sic rem institueret. *Ille, à quo vnitas Ecclesiæ desumitur, est Monarcha. Sed à Petro & à successore Petri vnitas Ecclesiæ desumitur, ergo Petrus & successor Petri est Monarcha.* Huic syllogismo quid deest? Ad cuius normam suum quoq; enormem emendauit nonnihil Sibrandus, cum infrà hunc syllogismum procudit. *A quo vnitatis origo est, (*in Ecclesia videlicet*) ille est Monarcha; sed illa est à Petro. (*Adde, & à successore*) ergo Petrus est Monarcha.* Nihil habeo, quod hic culpem. Sibrandus iterum, more ebrij vel lymphati, multa tautologicè & battologicè garrit, quæ omnia ventis in auras diffianda committo.

Tam autem syllogismorum auidus est Sibrãdus, vt etiam ex solutionibus, quas Bellarminus adhibet ad hæreticorum obiecta, Syllogismos architectetur. Ex qua cupidine natus est & iste. *Radix, & Matrix Ecclesiarum est monarcha. Sed Roma est radix, & matrix Ecclesiarum. Ergò Papa est monarcha.* Agnoscis, opinor, me etiam tacente, improbitatem Caluinisticam cum in aliis, tum in hoc, quod terminos mutat; & loco *Romæ* in Minore positæ, ponit in conclusione; *Papam*: insigni sycophantiæ documento. *Si quis ducat; Ecclesia, quæ est radix & matrix omnium Ecclesiarum, illa tenet Monarchiam seu principatum inter omnes: Romana Ecclesia est radix & matrix omnium Ecclesiarum, ergo Romana Ecclesia tenet monarchiam seu Principatum inter omnes*: iam disputatoris laudem & nomen, exuta cauillatoris & conuiciatoris appellatione, promerebitur.

Sed en non syllogismum sed coccysmum. *Quod omnes Apostoli acceperunt, hoc solus Petrus non accepit. Sed omnes Apostoli claues acceperunt. Ergò non solus Petrus.* Et è vestigio eundem coccysmum totidem verbis repetit. Quid huic Batto facias? Quis non videt, Minorem esse falsam, si intelligatur de clauibus prout Matth. 16. describuntur, & Petro promittuntur? has enim, præter Petrum, nullus Apostolus accepit.

Sed ecce tertio eundem coccysmum cuculus noster iterat, tametsi nonnihil variatum. *Quod tota Ecclesia accepit, hoc nõ accepit solus Petrus. Sed claues accepit tota Ecclesia. Ergò, non solus Petrus.* Totam Ecclesiam accepisse claues Matth. 16. Petro promissas, verum non est, nisi certo quodam *sensu*, de quo iam actum supra.

Ex eo, quod S. Hilarius dicit; Petrum fidei suæ confessione supereminentem promeruisse locum; hunc syllogismum nectit Sibrandus: *Qui præeminentem locum habet, ille vel solus, vel peculiari modo accepit claues. Sed Petrus habet præeminentem locum. Ergo Petrus vel solus, vel peculiari modo, accepit claues. Hoc argumentum est ridiculum,* inquit Caluinista: Tuo vitio ridiculum est; non nostro. Tu formator & *plasmator* eius es. cur non finxisti belliùs & concinnius? *Respondeo*, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam.* Cur non fecisti veram? Nam S. Hilarius vocat locum, quem Petri confessio promeruit, *supereminentem*: hoc est, reliquorum Apostolorum locis eminentiorem. Si igitur Maior sic reformetur: *Qui propter confessionem fidei supereminentem, hoc est cæteris eminentiorem locum promeruit, ille solus & peculiari modo claues accepit*: vtique vera erit maior, licet Caluinista frendeat, & tabescat.

Danæus præter mendacia & conuicia sibi propria nil adfert proprium, quod iam in Sutliuio & Sibrando non sit profligatum. Nec aliquid noui in VVitackero reperies, præter nouam loquacitatem. Obseruanda tamen sigillatim venit scurilitas illa simul & mendacitas Danæi, cum ait, *Bellarminum dicere, mortuo Pontifice, claues reuolare in cælum, & sistere se in manibus Christi*: Non ita loquitur Bellarminus; sed hunc in

modum;

modum; mortuo Pontifice, claues non perire; nec tamen remanere formaliter in Ecclesia, nisi quatenus communicatæ sunt inferioribus ministris; sed manere in manibus Christi. Hæc sunt Bellarmini verba. Quæ si Danæus intacta reliquisset; occasionem huius suæ sycophantiæ texendæ non habuisset: *Mirè claues, quæ volent: & sapientes, quæ melius, quàm Bellarminus Magister in suo Israël, suum verum autorem Christum agnoscant, & ad eum redeant. Exclamare libet; Agnoscit bos, & asinus possessorem suum, & claues suum autorem, verùm Bellarminus Frat. cum non agnoscit. Ha, Monache assentator, & secta Hesuitarum peccatrix, aggrauata iniquitate, semen malignum, ait Isaias cap. 1.* Hactenus ὁμοιόζυγον Danæus.

Nec quidquam aliud supererat, quàm vt contumelias suas exornaret citatione Isaiæ, quasi vatem hunc criminationum suarum suffragatorem, imò Autorem haberet. Etiam VVitackerus, vel, si mauis, VVitackerianus Baccalaureus, scurriliter prorsus & Lucianeo ritu scurratur de his clauibus. Audi partem leuitatis Caluinisticæ, ne dicam, mimicæ. *Manent claues in manibus Christi. Ita Christus Papæ personam gerit: Sed Papa se Christi personam gerere ait. Sic ista in circulum commeant. Petrus, Christo: Petro Papa: Papa Christus: Christo Papa succedit. Sed quomodo sunt in manibus Christi? Num his vtitur Christus, an non? Si vtitur, id non minus benè faciet, quàm, Papa; & sic nihil opus erit Papa, &c. Si Christus non vtitur illis clauibus, ergo sunt in Christi manibus otiosæ. & verendum, ne rubiginis aliquid contrahant, &c. Insulsum Iesuitæ commentum fuit, Christum scilicet à Papa moriente claues suscipere, easque, vt depositum quoddam seruare, donec Romæ in Conclaui Cardinales de nouo Papa consenserint.* Igitur ad nouum Papam, quomodo claues deferuntur? *Dantur illi, inquit, à Christo. Quomodo? Quis Christum vidit vnquam claues Papæ dantem? &c. Si tradit, subinde tradit nouo Pontifici, nisi dicemus tum Christum Gregorio XIII. claues tradidisse, quando eas Petro tradidit, &c.* Hæc & similia si histrio effunderet, explauderentur. Nunc à Regio professore profecta, tantùm non adorantur à Caluinistis.

Nec multò modestior est Sutliuius; qui clamitat, *Christum non dedisse Ecclesiæ, quod ipse ab eadem repetiturus esset; vt hic miserè delirans Iebusita somniat.* Vbi dixit Bellarminus, *Ecclesiæ aliquid à Christo datum*, quod ab illa repetiturus esset? imò ne à Pontifice quidem claues vnquam repetit; sed cum lege communi & necessitate in Pontifice manere nequeant, quando moritur; ait Bellarminus, eas manere in manibus Christi; postea, electo nouo Pontifice, neque adferri ab eo claues, neque illi dari ab Ecclesia, sed à Christo, non noua traditione, sed antiqua institutione.

Vociferatur Sutliuius, *Christum in Petri persona Apostoli potestatem dedisse, quæ non modò in viuentibus Pontificibus Romanis, sed etiam illis sublatis semper exerceri possit à Christi Ecclesia: Pontifices nihil habere à Christo, nec à Petro, sed quidquid habent, hoc à Cardinalibus carissimè mercari, & turpissimè postea vendere, &c.* Quæ ex mimorũ & sannionum Topicis à Sutliuio petita sunt: ad quæ meritò etiam remittuntur.

Iunius vix aliud crepat, præter illa sua solẽnia: *Inconsequens. Antecedens falsum: propositio æquiuoca, Æquiuocatione fallit. Æquiuocè. Falsum. Negatur distinctio: Falsa distinctio Fallit figurâ dictionis & homonymiâ. Inconsequens à parte ad totum affirmatiuè.* Hæc & similia tela spargit Iunius forti dextera in Bellarminum, quorum penetrabili efficacitati, quis murus, licet aheneus, non cedat? præsertim si intermisceantur conuicia: ex quorum numero est illud in S. Leonem toto Catholico mundo decantatissimum & celebratissimum Pontificem; *Leo expandens suas fimbrias & phylacteria ambitiosum fuisse in similitudine honoris, ait quandam discretionem potestatis; nõ ergo fuit inordinata, seu potestatis æqualitas. Quid plura? Consulatur Decretum & Decretales, nunquã id Pontifices Romani dabunt ipsis aut inter se, aut apud alios esse potestate pares.* Et cur non, si præcisè spectemus Episcopos, secundum rationem communem Episcopatus? Quemadmodum omnes eiusdem Reipublicæ ciues, præcisè, quà tales, pares inter se sunt honore, consortio, & potestate; & tamen cum hac paritate copulatur imparitas ex aliis respectibus, & ex dissimilitudine officiorũ nata. Plus enim potestatis habet consul aut prætor in Republica, longeq; dignior & maior censetur, quàm alius ex simplicium ciuium cœtu.

Dicta nonnulla S. Cypriani, pro primatu S. Petri & Ecclesiæ Romanæ, quæ Bellarminus citat, vt soli Petro claues traditas fuisse probet, deprauat Iunius, vt audacissimè, ita & insulsissimè contra expressum textum & sensum S. Cypriani. Vice omnium hic vnicũ specimẽ exhibebo. Lib. 4. Epist. 8. ad Cornelium vocat B. Cyprianus cathedram Petri, *Catholicæ Ecclesiæ matricem & radicem.* Vbi Iunius: *Matricem & radicem vocat Cyprianus germanam (vt ita dicamus) Catholicæ Ecclesiæ stirpem in priuata quadã Ecclesia, adnata παρεφυάδι, siue fruticationi hæreticarum, aut schismaticarum oppositam. Tũ enim, exempli causa, Romæ Orthodoxi Cornelium Episcopum, Nouatiani Fortunatum instituerant contra Cornelium.* Itaque Ecclesia orthodoxa loci dicebatur *matrix, seu radix; schismatica verò παρεφυὰς, à παρεφύσημα fruticatio adnata. Sic orthodoxa Romana Ecclesia matrix non aliarum Ecclesiarum respectu, sed schismatica, illius Nouatianæ, quæ Romæ erat, dicebatur.*

Hactenus Iunius; quæ omnia nil aliud sunt, quàm offuciæ & nebulæ; quibus lucis iste osor, veritatis lucem exstinguere nititur; non enim ait S. Cyprianus, Ecclesiam Romanam esse *matricem, & radicem sui ipsius*; sed, eam esse *matricem & radicem Catholicæ Ecclesiæ*; totius nimirum & vbiq; terrarum diffusæ. Nihil enim *matrix* aut *radix* appellatur comparatione sui ipsius, sed respectu alterius, quod inde procedit & exsurgit. Cum ergo sanctus Cyprianus Ecclesiam nominet

matri-

matricem & radicem, & insuper diserte explicet; cuius rei *matrix & radix* fuerit, nimirum Catholicæ Ecclesiæ, insignis profectò impudentiæ argumẽtum est, mentem S. Cypriani ad id detorquere, cuius S. Cypriano nunquam in mentẽ venit. Quàm absurdum, dicere; Romanã Ecclesiam dici *matricem* respectu schismaticæ Nouatianæ, quæ tunc Romæ erat? Peperitne Romana Ecclesia *schismaticam* illam, ceu mater filiam, vt respectu eius dici possit matrix? Cedo, num dicit S. Cyprianus, Romanã Ecclesiam esse *matricem*, schismaticæ Nouatianæ? An non expressè dicit; esse *matricem Catholicæ Ecclesiæ*? Et tamen audet Caluinianus iste Prædicans, non solùm hunc S. Cypriani locum peruersissimè peruertere, sed & similes, à Bellarmino ex Epistola ad Iubaianum prolatos; quos mentitur Caluinista de quauis Ecclesia particulari orthodoxa dici posse. Quo nihil à Cypriani sensu alienius, vt intelliget quisquis vel ipsam Epistolam S. Cypriani, vel testimonia inde à Bellarmino exscripta, perpenderit.

Pari artificio peruertit Iunius clarissimum illum locum ex Epist. 55. B. Cypriani, vbi contra Hæreticos. *Possit ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismatico & profano literas ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum: tanquam si diceret*, inquit Iunius, *ipsa Romana Ecclesia fermè auctor fuit istius conuentionis inter omnes Ecclesias, vt rixæ amouerentur: & nunc eam literis, & sermone appellare audent, vt labefactent per eam, si pote, sanctum hoc vnionis, & conuentionale institutum ordinis & pacis publicæ causa, inter omnes iam olim receptum. Hic verò nouus interpres, vnitatem sacerdotalem, exponit vnitatem sacerdotij, cui omnes subsint: quod Cypriano μηδ' ὅναρ in mentem venerat.*

Quàm cæca est hæresis, quàm incogitans & præceps. Conatur tenebras offundere clarissimo S. Cypriani testimonio; & tamen hoc tam imperitè præstat, vt quidquid fumi sparsum est; id Cypriani locum ne attingat quidem. Nam primò vocat S. Cyprianus Ecclesiam Romanam, *Petri Cathedram*. II. *Ecclesiam principalem*. Cur nisi, quia Romanus Pontifex cæterorum caput est & princeps? III. Palam testatur; *perfidiam* ad hanc Ecclesiam non habere accessum; hoc est, fidem eius nec defecisse, nec deficere posse. IV. Hinc ortam esse vnitatem sacerdotalem. Hoc est, propter communionem cum hac principali Ecclesia, omnes sacerdotes, hoc est, omnes Episcopos & ministros Ecclesiæ censeri vnum; atque adeo dulci vnitatis & concordiæ vinculo colligari: nam res participatione vnius, vnum fiunt, vt docent Philosophi. Si sacerdotalis vnitas ab hoc vno capite nascitur, ergo & vnitas gregis, hoc est, Ecclesiæ; quia cum quo pastores particulares vniuntur, cum eodem vniuntur etiã greges particulares, qui à pastoribus illis pascuntur & reguntur. Hæc omnia, cum annotatiunculârum suarum præstigiis Iunius obtenebrare vellet; minimè assecutus est, quod voluit: Sed ea effutiuit, quibus à proposito nihil alienius fingi potuisset: nam siue conuentum fuerit inter Romanum Pontificem, & Episcopos Africanos, vt caussa decideretur, vbi crimen admissum erat; siue non; de hoc enim alibi dispicietur; integra & intacta manent primatus elogia, quæ S. Cyprianus sonora voce, in Romanam Ecclesiam confert.

Mentitur autem Iunius, quando dicit; Bellarminum, *per vnitatem sacerdotalem*, intelligere *vnitatem sacerdotij, cui omnes subsint, quod Cypriano μηδ' ὅναρ in mentem venerat*, inquit Iunius. Quid mirum? Quia mendacium hoc nondum in capite tuo fabricaueras: nam Bellarminus apertè per *vnitatem sacerdotalem*, intelligit vnitatem, qua Ministri Ecclesiæ inter se deuincti sunt; & hanc dicit à Petri cathedra, & ab Ecclesia principali exortã esse.

Inter cæteras obiectiones, quas sectarij producunt, vt probent soli Petro non esse datas claues, proferunt etiam illud Christi ad Apostolos Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram*, &c. Ex quo colligi videtur, omnes Apostolos æqualiter claues regni cælorum accepisse. Respondet Bellarminus, varias esse huius loci expositiones, aliter enim exponere Origenẽ, aliter Theophylactum, aliter Caietanum, eorum tamẽ interpretationes minus propè ad veritatem accedere.

Vociferatur Sutliuius, Bellarminum *satis audacter pro imperio suo Iebusitico*, horum explanationes *reiicere: nec tamen aliquid melius adferre*. Vbique sedulam dat operam Sutliuius, vt planum nobis faciat, Bezam non fuisse mentitum, quando ei *petulantis calumniatoris & conuitiatoris* testimonium dedit. Testimonium hoc verissimum est; & vt verissimum omnibus appareat, ipse Sutliuius impigrè elaborat. Quæso, mõstra vel vnicũ verbulum, in referendis horum Autorum sententiis à Bellarmino adhibitum, quod audaciã oleat, vel animum irreuerentem & insrunitum erga scriptores illos indicet? Vix risum cohibere queo, cum Caluinistas in medium prodire cõspicor, vt honorem sanctorum patrum & Ecclesiasticorum scriptorum sartum tectum præstent, cum nihil impudentius & petulantius aduersus sanctos patres Caluinistico spiritu excogitari queat.

Ait Bellarminus loco illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. non dari omnem potestatem clauium, sed tantùm potestatem ordinis ad remittẽda peccata, & hoc certum esse. Oggannit Sutliuius. *Vnde hoc scit?* Facilis respõsio. Ex ipso sacro cõtextu hoc scit: quia potestas eo loco concessa, determinatur expressè ad peccata. Obiicit. *Licet potestas illa determineter ad peccata, erit tamen amplissima, cum non solùm pœnitentia, sed etiam leges & cẽsuræ circa peccata versentur.*

Amplis-

Amplissima erit, sed vno duntaxat in genere, cuius finibus ipse Dominus hanc potestatem circumscripsit, nempe in genere remittendi vel retinendi peccata; non autem in genere legum & censurarum, & cæteræ Iurisdictionis Ecclesiasticæ: nam remittere peccata non est ferre leges; nec retinere peccata est excommunicationis vel alterius censuræ pœna aliquem afficere; sed est præcisè per Sacramenta pœnitentiæ & baptismi à peccatis liberare, vel peccatorem, in eo statu, in quo versatur, relinquere.

Instat Caluinista: *Christus misit discipulos, sicut ipse à Patre suo missus fuerat; vt Ioan. 20. scriptum est, sed Christus à Patre missus est potestate amplissima præditus, ergo, &c.* Respondeo, si Sutliuius hoc argumentum nimis vrgere velit, tum eum non modò omnes Apostolos & Ministros Ecclesiæ inter se omnino pares effecturum; sed & pares Christo. Si hoc absurditate non vacat, dicendum erit, illud *sicut*; vt alibi, ità & hic non significare omnimodam similitudinem, sed aliqualem proportionem in hoc nimirum sitam, quòd sicut Christus à cœlesti suo Patre legitimè, ad salutem hominum procurandam missus est, sic & suos Apostolos legitimè mittat ad salutem hominum procurandam; cuius procurandæ duo modi exprimuntur & concedûtur apud S. Ioannem, nempe remissio & retentio peccatorum; nam & hæc nil aliud spectat nisi vtilitatem vel eius, cui peccata retinentur, vel aliorum quibus seueritatis exempla multum emolumenti adferre solent: tametsi rectè dicit Bellarminus verbis illis: *Sicut misit me Pater, &c.* Apostolis etiam iurisdictionis clauem esse datam, vt iam videbimus.

Ait Bellarminus Matth. 18. nullam esse Apostolis datam potestatem, sed tantùm promissam; datam autem post Resurrectionem: Ioannis 20. cum Dominus ad Apostolos dixit: *Pax vobis, sicut misit me Pater, &c.* his enim verbis eis potestatem seu clauem Iurisdictionis attribuisse, & fecisse eos quasi legatos, & nomine suo gubernatores Ecclesiæ: sequentibus autem verbis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* dedisse Apostolis potestatem ordinis, &c. In vltima cœna factos sacerdotes; post resurrectionem, etiam Episcopos. Hæc & id genus alia Sutliuio bilem concitarunt, nec tamen, præter calumnias, quid quam contrà adfert. Vitio item vertit Sutliuius Bellarmino, quod dicit *ligare* esse maius, quàm præcisè retinere peccata; quodque preter claues Ordinis & Iurisdictionis, nullas alias agnoscat. Subiungit postea Calumniator: *Quæ omnia sunt adeò noua, & veteribus Patribus inaudita, vt nullum pro se testem ex illo numero citare possit: adeóque absurda, vt si aliquod horum nouorum dogmatum negauerit, non habeat aduersarium quò progrediatur.* Inania verba audis, & nihil præterea, quam inanilogiam mox reponit, cum quærit; *quis dixerit Bellarmino*; Matth. 18. *Apostolis nil esse concessum, sed tantummodo promissum.* Rationes ex ipsis sacris litteris, desumptæ, & circumstantiæ non paucæ Bellarmino dixerunt, nihil Matt. 18. datum Apostolis, sed tantummodo promissum, Cur non refelliſti? nisi forte conuiciari, sit refutare.

Quid enim aliud sunt hæc tua, nisi conuicia & mendacia? *Quæ à Bellarmino adferuntur pro confirmatione suæ sententiæ, figmenta sunt hominum somniantium potius, quàm solidæ demonstrationes Theologicè disputantium, neq; enim verisimile est eos, qui ad Apostolatum vocati sunt, alia opus habuisse ordinatione; aut summos Apostolos, præter officium Apostolatus, suscepisse munus Episcopatus, quod Apostolatu minus est.* Quocunque te vertas, Apostoli ante vltimam cœnam non fuêre sacerdotes, vbi enim vnquam sacræ literæ vel obscurissimè insinuant, Apostolos corporis & sanguinis Christi conficiendi potestatem accepisse antequam Eucharistia institueretur? Quocirca non potuerunt esse sacerdotes, licet iam essent Apostoli: si non sacerdotes, ergo nec Episcopi, cum ordo Episcopatus necessariò ordinem sacerdotij præsupponat. Et quamuis Apostolatus, qualis maximè fuit post Resurrectionem, Apostolis iam in Sacerdotes & Episcopos consecratis simpliciter maior & excellêtior sit ob multas prærogatiuas, quàm simplex Sacerdotium, vel Episcopatus; antè tamen nouissimam cœnam & resurrectionem maior & excellentior non erat, nisi secundum quid, quatenus scilicet illi discipuli, qui Apostolorum nomen tulerant, Christo cæteris familiarius inhærebant; ab eoque immediatè potestatem prædicandi, infirmos curandi, mortuos excitandi, & Dæmones expellendi acceperant. Neque vnquam legimus, Apostolis ante resurrectionem datam potestatem clauium remittendi vel retinendi peccata, quæ potestas in illos quadrare nequibat, quando necdum sacerdotes erant.

Nouum est, inquit Sutliuius, *claues quas Christus coniunxit, separare.* Quis separat? Certè non Bellarminus: cui religio esset, separare, quas Christus coniunxisset. Si autem separat, quas Christus non coniunxit, nihil piaculi admittit: sed piaculo vestro, qui omnia in vnum conflare studetis, resistit, & quidem iure optimo.

Absurdum est, inquit Sutliuius, *existimare, Petrum, constitui ordinarium pastorem, per verba illa*, pasce oues meas; *& non reliquos Apostolos per illa verba*, prædicate Euangelium *cùm non alia ratione pascantur oues Christi, quàm per prædicationem Euangelij.* Non alia ratione pasci oues, quàm *prædicatione verbi Dei*, falsum est. Multæ enim sunt aliæ pascendi rationes, inter quas Sacramentorum administratio. Petrum vocat Bellarminus præfectum & pastorem ordinarium, quia ei in plenitudine clauium, hoc est, potestatis, successum est, & succedetur vsque ad finem mundi. Reliquos Apostolos nominat legatos, & quasi extraordinarios Pastores, quia potestatis illius, quã post Petrum, plenam acceperant, nullum successorem, reliquerunt: nam quod Sutliuius ista *meras effucias & nugas.*

verò, quàm fatua sunt illa: *redditio similitudinis non est in cubatione; sed in similitudine Ioannis ad Petrum.* Similitudo in hoc consistit; sicut Ioannes super pectus Domini recumbens fuit typus Ecclesiæ triumphantis: sic Petrus claues accipiens, fuit typus Ecclesiæ militantis; sed Ioannes verè & historicè fuit typus Ecclesiæ triumphantis; ergo & Petrus verè & historicè fuit typus Ecclesiæ militantis.

Ait Caluinista: *Augustinum concedere Petro inter Christi discipulos primatum & Apostolatus principatum: non tamen concedere, eum esse reliquorum Apostolorum principem, vt moderatorem, & Rectorem & Pastorem ordinarium.* At quid aliud est, *primatum tenere*, quàm *primatem* esse? Et quid aliud, *primatem esse*, quàm aliorum Principem, Rectorem, & Gubernatoré esse? An Caluinianus primas Cantuariensis non est Princeps, Rector & Gubernator reliquorum eiusdem regni Pseudoepiscoporum? An non ideo, quia primas est? Quid insuper est *principatum Apostolatus* tenere, quàm Apostolorum principem esse. Et quid est esse Apostolorum principem, nisi esse eorundem Rectorem & Gubernatorem?

Clamat Sultliuius, *falsum esse omnes præsules à Petro habuisse claues; nam Apostolos immediatè claues à Petro accepisse.* Quid opus hac monitione? An non ipsemet Bellarminus, Apostolos diserte excipit? nam quod addit Caluinista, Bellarminum dicere; Petrum accepisse claues, vt toti sanctæ Ecclesiæ, hoc est, vniuersis fidelibus communicarentur, id effrons est Caluinistæ mendacium: Apertè enim non semel dicit Bellarminus, Petrum accipiendo claues gessisse figuram Ecclesiæ, hoc est, totius cœtus Ecclesiasticorum ministrorum, quibus pro officio cuiusque claues à Petro communicandæ erant: nam quòd præterea addit Bellarminus de illa locutione S. Augustini: *Petrum, quando accepit claues, fuisse figuram totius Ecclesiæ sanctæ, id est, omnium iustorum & viuorum membrorum corporis Christi*; minimè vel ipse, vel S. Augustinus significare vult, omnibus iustis & viuis Ecclesiæ membris claues communicari eo modo, quo communicantur Ecclesiæ ministris, sed nemini peccata remitti, quantumuis baptizetur vel reconcilietur, nisi ad eum extendatur charitas Ecclesiæ, & fiat membrum viuum columbæ, ac proinde particeps orationum aliorum iustorum.

Ex his ruit etiam Polylogia VVitackeri, & quidquid testimoniorum malè intellectorũ de Apostolorum æqualitate ex Patribus comportauit ac corrasit, & logodædalia sua in immensum dilatauit. Ad omnia iam responsum est. Quid opus coccysmis?

CAPVT XIII.

Quid intelligatur per claues Matthæi 16.

DVAS statim in exordio *fallacias* reperit fallacissimus Danæus non in hoc capite; sed occasione huius capitis in suo cerebro. Alteram, *à petitione principij*: alteram, *à non consequente*; vnà cum vno mendacio; quod est; Bellarminum ita hic argumentari: *Petro datæ sunt claues, hoc est, summa potestas; ergo & Romanis Pontificibus, Petri successoribus*: non infert hoc loco hanc conclusionem Bellarminus; sed solùm disquirit, quid per *claues* Matth. 16. intelligatur: postea suo tempore & loco, hæc, quæ de Petro disputata sunt, ad Romanum Pontificem accommodabuntur. Sed est hoc in more Nouatoribus positum, vt cum aliorum, tum Bellarmini ordinatissimam disputationem interfecent, miscent, turbent; in quo artificio mirificè excellit Sibrandus, nam & capite superiore, cum Bellarminus, nil aliud probare instituisset, quàm Petro *pro & in sua* persona principaliter & immediatè datas esse claues; Sibrandus varios syllogismos nectere cœpit, in quibus perpetuò *Monarchiam & principatum* inculcauit; quasi Bellarminus eo loci probare instituisset, Petro *in* & pro *sua* persona immediatè & principaliter datam fuisse Monarchiam totius Ecclesiæ. Hic scilicet est illorum in nostris refellendis candor, hæc sinceritas.

Sutliuius lib. 2. cap. 4. Battum strenuè agit: & quæ iam sæpius dixerat, iterũ reponit. I. Claues, de quibus Matt. 16. *datas omnibus Apostolis.* II. Quod confirmat isto mendacio. *Hoc dicere Origenem, Hieronymum, Hilarium.* III. *Id antea absq; ostensum.* Vbi? IV. *Istas claues de quibus Matth. 16. secundum plenitudinem suam & amplitudinem non solum Apostolis, sed & inferioribus prælatis datas esse.* V. *Hoc affirmare Basilium, Chrysostomum, Hieronymum.* VI. *Idem docere scholasticos Theologos, & in his Lombardum.*

Ex his mendaciis colligit Sutliuius aliud: nempe, per *claues* Matt. 16. *non posse intelligi summam potestatem in omnem Ecclesiam*, vt docet hic Bellarminus, qui sententiam suam probat primò ex ipsa clauium metaphora; qua in scriptura principatus denotari solet, vt patet Isaiæ 22. de Sobna & Eliacim. Item Isaiæ 9. Apoc. 3.

Respondet Sutliuius: *Argumentum à metaphoris, & similitudinibus, nisi vbi Scriptura similitudines illas probant, nihil habere firmitatis.* Subsumo ego; sed has metaphoras & similitudines clauium pro principatu & summa potestate probant sacræ Scripturæ, quia illas vsurpant; vt allatis exemplis ostendit Bellarminus: ergo argumentum à metaphora & similitudine clauium à Bellarmino formatum, solidum est ac firmum.

Ait Sutliuius: *Dat Christus Petro claues. Hinc, si quis colligeret, Christum se, aut sua omnia Petro dedere, vt solent victa vrbes, quæ tradunt claues, nonne is planè delirarit?*

varet similiter etiam est hæc clauis metaphora. vtiq; deliraret, si crederet, Christũ, vt à Petro deuictũ, Petro dedisse claues. Non deliraret autẽ, si diceret, traditasse Petro claues, præcisè vt suprem̃ę potestatis insigne, ita vt similitudo vtrinq; sit non in tradente, sed in re tradita.

Obserua autem inconsideratam huius Caluinistæ stultitiam. Non fert, vt Bellarminus pro Ecclesiasticæ potestatis plenitudine argumentetur ex metaphora clauis, & tamen ipsimet Sectarij, ex metaphora clauium, quam Scriptura vsurpat, argumentãtur, vt inde suę synagogę ministris potestatem asserant. Scilicet, quando ipsi à *metaphoris* argumentationem instituunt, solida prodibunt argumenta; infirma verò, quàm primùm nos vel eminus aliquam metaphoram ad aliquid concludendum assumpserimus.

Respondet secundò Sutliuius; *Nusquam in catalogo summorum sacerdotum populi Dei, aliqui huius nominis reperiuntur Pontifices circa ista saltem tempora. Nihil de eis Iosephus, nihil Nicephorus, qui tamen successionem Pontificum Iudaeorum diligenter describit, scripsisse videtur. Ex vebis verò Scripturæ colligere licet, eos non fuisse summos Pontifices. Sobnam enim hunc, non Pontificem, sed thesaurarium, aut scribam fuisse dicit: eiusdem etiam loci eius successorem Eliachim fuisse probabile est. Vatablus Eliachim, aulæ regiæ exvetbũ Propheta præfectum fuisse putat* Eadem occinunt Iunius, Savvbrandus: &, post multa in Pontifices conuicia, VVitackerus. Sed hæc omnia refutauimus iam Tomo 1. lib. 1. cap. 12. Vbi actum de Auctoritate libri Iudith. Quo lectorem remitto.

Respondet tertiò Sutliuius: *Non fuisse in summo Pontifice veteris Testamenti summam Ecclesiæ administrationẽ.* Hoc facilius à Caluinista dicitur, quàm probatur. Vide quæ dicta Tom. 1. lib. 3. de summe controuersiarum iudice.

Vt Bellarminus illustriorem reddat locum Isaiæ 22. de claue domus Dauid ablata à Sobna & tradita Eliachim, filio Helciæ, citat illum ex eodem Propheta cap. 9. *Factus est principatus eius super humerum eius.* Oggannit Sutliuius: *Non fit hic mentionem alicuius clauis.* Esto, at alluditur ad morem, quo in traditione potestatis claues humeris imponi solebant, vt ait Bellarminus, & clarè colligitur ex Isaiæ 22. *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius.*

Obicit Sutliuius: *Per clauem Dauid intelligi potestatem regiam.* At regiam sacerdotalem, & spiritalem; quæ etiam Petro per claues data. Neque Eliacim, filius Helciæ regiam potestatem politicam per claues accepit Isai 22 sed sacerdotalem. Clamat Sutliuius: *Christum longè alia ratione habuisse claues, quam sacerdotes.* Quis abnuit? Quid opus probare, de quò nemo ambigit?

Danæus oggerit: *Per claues intelligi potestatem; sed non summam*, multaque Scripturæ loca agglomerat; vbi *clauis* restrictius vel laxius sumitur. Fumos vendit, quia non quæritur, quomodo clauis alibi accipiatur; sed quomodo Matth. 16. in illo Christi promisso: *Et tibi dabo claues regni cælorum.*

Iunius clamat: *Per clauem denotari non summam potestatẽ, sed ministerialem.* Idem occinit Sutliuius. At nihil vetat eandem potestatem dici *summam & ministerialem*: hoc quidem, respectu Christi, cuius Petrus, vt & successor Petri, minister est: illud, respectu reliquorum omnium, qui sunt de Ecclesia, qui omnes huic potestati subduntur, vnde etiam iure optimo, illorum respectu, *summa* nominatur.

Sibrandus lib. 2. cap. 9. lepidissimas consequentias ex capitis sui officina nobis depromit. I. *Claues Sobnæ ademptæ, & Eliacim datæ Esai. 22. significant Monarchiam in Ecclesia. Ergo & claues Petro datæ significant Monarchiam in Ecclesia.* Si formasset Sibrandus Antecedens hoc modo: *Claues Sobnæ ademptæ, & Eliacim datæ significant Ecclesiasticum principatum, &c.* luculentius fuisset, & ad approbationem concinnius. Sed maneat Antecedens, vt à genitore suo Sibrando conceptum & editum est; nihil moror: verum est, non falsum; vt somniat Caluinista: & nugæ sunt, quæ de Sobna & Eliacim blaterat, quęque exscripsit Sutliuius, dignus tali magistro discipulus, ineptus inepto, rudis rudi, sed de his, vt dixi, fusè actum est Tomo 1.

II. *Claues Christo datæ significant Monarchiam. Reuelat. 3* Qui habet clauem Dauid. *Ergo & claues Petro datæ significant Monarchiam.* Negat Caluinista consequentiam: *non enim*, inquit, *dantur Christo & Petro claues eodem modo.* Quis eodem modo tradi ait Christo diuinitus datæ sunt independenter ab omni homine; Petro dependenter à Christo. Christo, vt Domino; Petro, vt Domini Vicario. Et tamen vterque Monarchiam habet, tam Dominus quàm vicarius: Sicut & Prorex, cui Rex independenter à quocunq; alio homine potestatẽ dedit Monarchiam habet; & ipse Rex Monarchiam habet; sed ille, dependentem à Rege; hic simpliciter independentem à quocunq; alio superiore.

Probat Bellarminus etiam ex communi more per claues significari potestatem. Quando enim vrbes deduntur alicui principi, offerunt ei *claues* in signum subiectionis, & ei, qui instituitur œconomus in domo, claues tradi solent. Hinc nascitur Sibrando hæc cauillatio: *Claues ab vrbe sese deditæ principi oblatæ, significant summũ imperium. Ergo & claues Petro datæ significant summum imperium.* Respondet Sibrandus, consequentiam esse falsam: *quia vrbs claues offerens, submittit se eius imperio, cui claues offert. Christus verò dans claues Petro, non submittit se eius imperio, sed ostendit se esse Dominum eius. Nulla igitur est similitudo inter vrbem per clauium missionem se Regi dedentem, & Christum Petro claues dantem.* Imò verò maxima est similitudo in hoc: quod vt principi per claues summa in vrbem potestas datur; sic & Petro per claues summa in omnes potestas data est: licet in hoc sit dissimilitudo, quod princeps, qui claues accipit, in ipsos etiam dantes accipiat potestatem, non autem Petrus in Christum cla-

ues

ues regni cœlorum sibi largientem: sed hoc non obstat, quo minus per claues potestas, & aliquãdo etiam summa potestas, significetur; non enim necesse est, vt in similibus omnia sint similia. Si Caluinista simile similius desideratiaccipiat Regem tradentem proregi claues alicuius regni. Hac traditione omnes regni illius incolas proregi subiicit, excepto seipso; idem & hîc factum cogita à Christo respectu Petri.

Sutliuius oggerit: *Vrbes victæ nullam habent potestatem se dandi.* Bellarminus non loquitur de vrbibus victis; sed de vrbibus, quæ deduntur; siue dedantur sponte, siue coacte. Nam vrbium simpliciter vi, absq; conditionibus, occupatarum, dominium & potestatẽ victor, etiam absq; clauium oblatione sibi vendicare potest. Quanquã victos quoq; constat crebro victoribus occurrisse cum clauibus misericordiæ obtinendæ gratia.

Ait Sutliuius: *Ciuitates nõ semper dedi summo principi.* Quid hoc ad rẽ? faciamus dedi summo principi: quia exempla fingi & refingi possunt, donec ad propositum quadrent. Addit Caluinista. *Principes non existimare se aliquid adeptos ex illa traditione clauium.* Mentitur Caluinista, & quotidianę experientiæ aduersatur; nam omnes principes quãdo claues alicuius ciuitatis se obtinuisse vident; Dominos se ciuitatis illius factos credunt. Et loquor de casu, quo seriò, non *dicis* solummodo & honoris caussa, claues adipiscuntur.

Danæus mentitur, Bellarminũ ex hac humana consuetudine sic argumẽtari: *Clauium traditio potestatis concessionem significat, ergo suprema & summa.* Criminatio hæc est, non argumentatio. Satis est Bellarmino, per clauium traditionem significari traditionem potestatis: quę vtrum summa sit, an infra summam, ex circumstãtiis iudicari debet.

Ex œconomi exemplo cudit Sibrandus hanc consequẽtiam: *Claues œconomo datæ significant summum imperium. Ergo & claues Petro datæ significant summum imperium.* Respondet Caluinista, *Antecedens esse falsum.* At tuum est, non Bellarmini: nam Bellarminus *œconomi* exemplo, nil aliud efficere instituit, quàm per traditionem clauium significari potestatem traditam, quę vtrum summa sit, an certis terminis circumscripta, ex circumstantiis diiudicari debet.

Ridiculum est autẽ, quod obiectat Sutliuius, *claues œconomi, esse materiales; claues Ecclesiæ, spirituales:* Quid tum? An ideo inter illas nulla est significationis similitudo & proportio, nulla conuenientia? Etiam verbum Dei est spiritale: & semen corporale. Et tamẽ *semen est verbum Dei.* Gratia est spiritualis; & aquæ olim ex petra largiter manantes potumque sitienti populo præbentes erant corporales; ergo nulla erat inter has & illam proportio, nulla similitudo?

Sibrandus calumniatur: *Primum Bellarmini* à clauibus petitum argumẽtum ad hanc formam reduci debere. *Aliqua clauis significat imperiũ. Aliqua clauis est Petro data. Ergo Papa Romanus est Monarcha.*

A Vide & detestare Diabolicam sycophantandi pruriginem; qua Caluinianus iste, totus quantus quantus, infectus est à vertice vsque ad pedum plantas. *Huius syllogismi vanitatem ipsi pueri rident,* inquit asyllogisticus Caluinista. Et multò magis vanissimum syllogismi huius fabrum.

Secundò per claues Matth. 16. significari summam potestatem, probat Bellarminus ex illo: *Quodcunq; ligaueris, etc.* Nam in scripturis ligare dicitur, qui præcipit, & qui punit. De præceptis loquitur Dominus Matth. 23. *Alligant,* inquit, *onera grauia, & importabilia in humeros hominum, &c.* De pœnis. Matt. 18. *Quæcunq; alligaueritis super terrã, &c.* Hic enim etiam Caluino teste loquitur Domin' de censura excommunicationis. Ligat enim Ecclesia eos, quos punit pœna excõmunicationis.

B Respondet Sutliuius, hoc argumentũ nõ magis, quam funem ex arena ligare. Qua de causa, ô calumniator? *Quia, vt ligare quandoq; significaret* præcipere & punire; *non tamen propterea per ligandi potestatem summa Ecclesiæ regẽdæ potestas designaretur. nam, multi præcipiunt, & puniunt, quibus tamen summa non competit potestas.* Respõdeo, Sutliuius animaduertere debebat; Christum Petro dixisse, sine vlla exceptione vel limitatione: *Quodcunq; ligaueris, etc. Quodcunque solueris, &c.* significauit ergo se Petro summam & absolutam, ligandi & soluendi potestatem concessurũ. Nec obstat, quòd etiam Matt. 18. generatim Apostolis dixit: *Quæcunq; alligaueritis super terrã,* quia potestas hîc Apostolis ꝓmissa, &

C Ioan. 20. data non erat independens à Petro, nec ratione successionis ordinaria, vt iã sæpius dictũ.

Occlamat Sulpitius: *Falsum est ligare Matth. 18. idem significare, quod punire, & præcipere, aut quod alligare. nam, omnes sacerdotes habent potestatem ligandi, & soluendi; qui tamen nõ habent potestatem leges condendi, aut puniendi; neq; possunt onera grauia super humeros aliorum alligare, licet libenter hoc faciant, & liberos populos ligare miserè discupiant.* Ita petulans Bezæ calumniator: qui nullam maledicẽdi occasionem præteruolare sinit: nam primò Bellarminus nõ dicit hoc adæquatè ex c. 18. Matth. colligi; sed generatim ait; in scripturis ligare esse *præcipere & punire.* De præceptis probat ex illo: Matt. 23. *Alligant onera grauia & importabilia, &c.* id est, grauia & intoleranda ferũt & edunt præcepta. De pœnis probat

D ex c. 18. Mat. *Quæcunq; alligaueritis;* vbi ipsemet Caluinus fatetur de pœna excommunicationis sermonem esse. Est autẽ perquam ridiculum, quod negat *ligare & alligare* locis citatis idẽ significare: nimirũ, *vinculum aliquod alicui imponere;* nam Matt. 16. & 18. idem omnino est verbum. ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον. etc. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, Matt. 23. sic habet Græcus cõtextus. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα. Quid est δεσμεῖν, nisi δέω vel δέσω, *vincire, ligare, alligare.* Vel pueros consulat Sutliuius, vt tandem tam pueriliter calumniari desinat.

Quod autem multi sunt, qui habent potestatem ligãdi & soluendi, non autem puniendi vel

leges condendi; non obſtat; quia habent nõ abſolutam, ſed certis finibus circumſcriptam, & ad ſolam remiſsionem vel retẽtionem peccatorum redactam ligandi poteſtatem. Quanquã quiuis etiã confeſſarius ſuo modo ligandi, hoc eſt, præcepta ferẽdi poteſtate pollet; Tenetur enim pœnitens ſalutaribus confeſſarij monitis morẽ gerere; & pœnã impoſitã perſoluere, ex particulari lege à ſpirituali patre ſibi indicta. *Liberos populos aniẽ à ſacerdotibus ligari*; criminatio eſt Sutliuiana: Nullus enim vnquã vſq; adeo arctis legibus obſtrictus fuit in Catholica Eccleſia, quàm arctis obligantur Angli à Pſeudoepiſcopis Anglicanis; vbi velint nolint, ſub crimine læſæ maieſtatis obligantur credere & publicè profiteri ac tueri, regem, & nuper reginam, ſupremum Anglicanæ Eccleſiæ caput & gubernatorem eſſe. Taceo, alia onera prorſus *intolerabilia & importabilia*, quibus iſti falſi Doctores ſubditorum ceruices penitus opprimunt; quod etiam ex conciliabulo Londinenſi non pridem celebrato liquet.

Cupit ſibi Sutliuius oſtendi, vbi Petro ſit exhibitum; quod Matt. 16. fuit promiſſum. Procliuis reſponſio. Ioan. 21. *Paſce oues meas*. Num acquieſcis? Et vt ſcriptũ non eſſet, vbi Chriſtus promiſſa exſoluiſſet; nefas tamen foret dubitare, cum Deus non ſit ceu homo, vt mentiri poſsit.

Danæus hoc argumento Bellarmini argumẽtum eneruare tentat: *Poteſtatem ligãdi accepit Petrus tantum miniſterialiter, ergo non ſummam: quia poteſtas miniſterialis non poteſt eſſe ſumma*: Reſpondeo, conſequentiam cum ſua probatione meritò cenſeri inanẽ: quia etiam miniſterialis poteſtas ſumma eſt, ſi ſit indiſcriminatim in omnes ſubditos, nemine excepto; licet à maiore quopiã dependeat; eiq; ſubordinetur, quemadmodũ poteſtas Pontificis dependet à Chriſto, eiq; ſubordinatur. Nã ſi hæc ſubordinatio & dependentia impediret, quò minus poteſtas aliqua nominaretur & cenſeretur ſumma, tum ne ipſa quidẽ poteſtas Chriſti ſumma eſſet; quia dependet à Deo eiq; ſubiicitur. Imò nulla eſſet ſumma poteſtas, cum omnis poteſtas infra diuinam à diuina dependeat.

Sibrandus coniicit Bellarmini argumentũ in hunc ſyllogiſmum: *Quo quidlibet ligatur, & ſoluitur, id eſt ſumma poteſtas. Sed claui Petri quidlibet ligatur & ſoluitur. Ergo claui Petri eſt ſumma poteſtas*. Reſpõdet Caluiniſta: *Minorem eſſe falſam*: At certè falſa non eſt, niſi falſum ſit & illud: *Quodcunq; ligaueris, &c.* Illud Sibrandus nunquã perſuadebit Sutliuio, vel alteri eiuſdẽ ſortis Anglicano Caluiniſtę. *Humanis legibus conſcientias adſtringi non poſſe*. Contrarium & verbo & exemplo docent Angli; etiam illi, qui vltimo ſynedrio Londinenſi præſentes fuêre.

Poſt multiplicẽ argumẽtorum profluentiam, impudenter mentitur Sibrandus, Bellarmini argumentum ita reconcinnari & reformari debere: *Clauibus Eccleſiæ tantùm peccata ligantur, & ſoluuntur, eæq; ſunt omnibus Apoſtolis ex æquo data. Ergo Papa eſt Monarcha in Eccleſia*. Quis non videat hunc

A Caluiniſtam omnem pudorẽ prodegiſſe: & verecundiam in poſtremis ducere? Cuius rei euidens ſignum eſt hæc itidem criminatio, cum ait Bellarm. ex illo c. 23. Matt. *alligant onera grauia*, tale argumentum formate. *Chriſtus reprehendit eos, qui populum humanis legibus ligant. Ergo Papa homines humanis legibus ligare, & ab iiſdẽ abſoluere poteſt. Vel; Quod Chriſtus prohibet, hoc Papæ licet. Chriſtus prohibet, conſcientias humanis legibus ligari. Ergo Papæ licet conſcientias humanis legibus ligare*. Quis huic Sectario vel micam ingenuitatis ſupereſſe credat in tam proiecta & effrenata mentiendi petulantia?

VVitackerus admodum ingeniosè Bellarminum premit. *Idem verbum ligandi vſurpauit Chriſtus*. Matth. 16. & 18. *Ergo Petro, nil amplius, quam ceteris*
B *Apoſtolis dedit*. Ex hactenus dictis ſatis eluceſcit, quàm ſit arguta hæc collectio.

Profert ad extremũ Bellarminus, ꝓ ſe S. Chryſoſt. & S. Greg. Magnũ, quorũ ille hom. 55. exponens promiſsionẽ Petro factã, dicit, *Petro cõmiſſum vniuerſum orbem terrarũ, & ipſum factũ paſtorem, caputq; Eccleſiæ*. Vociferatur Sutliuius, Bellarminũ Chryſoſtomi verba deſcribentẽ *falſi crimine ſe adſtringere*; non enim hoc dicere Chryſoſtomũ, ſed, *Petrum vniuerſo orbi præpoſitum, & paſtorem Eccleſiæ futuræ conſtitutũ*. Quid, obſecro, hæc verba differunt à Bellarmini verbis, ſi ſenſum ſpectes? Neq; enim Bellarminus verba Chryſoſtomi, ſed ſentẽtiam reddere voluit. An nõ ea in homilia ſæpius nominat S. Chryſoſtomus Petrum *os, verticem* ſeu *coryphæum*
C *& caput Apoſtolorum, & Eccleſiæ paſtorem*; Eccleſiæ, inquam, non huius vel illius; ſed *indeterminatè*; totius ergo: neque enim huius potius, quàm illius Eccleſiæ paſtorem conſtituit, qui nullam prorſus Eccleſiam ſpeciatim expreſsit.

Ait Sutliuius: *Teſtimonium Chryſoſtomi à propoſita quæſtione alienũ eſſe*; hic enim agi de ſignificatione clauium, de quibus ne *gry* quidẽ Chryſoſtomus. Itáne verò? Ne *gry* quidẽ Chryſoſtomus de ſignificatione clauium? An non dicit; Petrum verbis illis: *Tibi dabo claues, &c.* deſignatum paſtorem & caput Eccleſiæ? An paſtorẽ & caput Eccleſię conſtitui, non eſt idem, quod claues regni cœlorum omnia ſoluendi & ligandi, hoc eſt, ſummam poteſtatem Eccleſiæ gubernandę & adminiſtrandę
D accipere? An nihil facit ad indagationem, quid per claues ſignificetur; quod præterea ait Chryſoſtomus, per *claues* Petro promiſſas, denotari *magnam poteſtatem, & doni magnitudinem ineffabilem*? Quæ eſt hæc *ineffabilis magnitudo doni*, niſi ſuprema Eccleſiaſtici regiminis poteſtas, quam accepit Petrus? qui firmitate ſua *immobilis adamantis naturã ſuperet, terrarum orbe reluctante*, vt inquit S. Chryſoſtomus; qui dũ ibi dicit: *Petrum à Chriſto vniuerſo orbi fuiſſe præpoſitum*; an non indicat, per *claues illas* plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis deſignari?

Addit Sutliuius: *Chryſoſtomum nihil tribuere Petro, quod non itidem aliorum Apoſtolorum ſit commune*. Mentitur Caluiniſta. Nam Petrum vocat in hac homilia Chryſoſtomus *os, caput, verticem* ſeu *coryphæum*.

phæum Apostolorum. Num simile quid de vllo alio Apostolo pronunciat? Num quis alius ex Apostolorum cœtu est *os, vertex, coryphæus* seu *antesignanus & caput* aliorum Apostolorum?

Similia propemodum cauillatur Sibrandus circa hoc S. Chrysostomi testimonium, cuius cauillationes, exscripsit, vt solet, Sutliui': nisi quod Sibrandus consecutiunculam nectit: *Petro vniuersum orbis est commissum, ergo claues significant Monarchiam*; adde, cauillationum vitandarum gratia; *claues Petro Matth. 16. promissæ*. Quo addito, ruet, quidquid hic Sibrandus fatuatur.

S. Gregorius dicit; Petro totius Ecclesiæ curam fuisse commissam. Occurrit Sutliuius: *Nihil hoc ad claues*. Imò, velis, nolis; quia S. Gregorius dicit, illis verbis: *Tibi dabo claues regni cælorum*; Petro totius Ecclesiæ curam fuisse commissam. Manifestè ergo indicat S. Gregorius, iudicio suo, claues Matth. 16. nil aliud significare, quàm supremam Petri in vniuersa Ecclesia potestatem; ideo etiam eundem Petrum, omnium Apostolorum principẽ eodem loco nominat. Quocirca mentitur Sutliuius, quando dicit, *nihil Petro tribui à Gregorio, quod non itidem reliquorum Apostolorum sit commune*. Cui, obsecro, Apostolo, præter Petrum, competit, vt sit omnium Apostolorũ Princeps?

Sibrandus denuo consequẽtiam architectatur. *Petro totius Ecclesiæ cura commissa est; ergo claues Monarchiam significant*. Respondet ipse Sawbrandus: *Nullam partem consequentiæ esse in Antecedente*. Cuius vitio, nisi tuo? Nam si consequentiam formasses, prout oportebat, in hunc videlicet modum: *Ergo claues Matt. 16. Petro promissæ, Monarchiam significant*; iam pars aliqua consequẽtis esset in Antecedẽte: atq; adeo cauillatio tua nunquam nata fuisset.

Adhibet Sibrandus secundam solutionem, neque se, neque ingenio suo indignam: nempe; *Gregorium in hac caussa non debere audiri, vtpotè in propria*. Item, *Gregorium esse fabulatorem*. Simili propè inuerecundia vtitur Danæus: *Ista corruptis iam Ecclesiæ temporibus à Patribus prolata fuisse, & cum malè locus Matth. 18. intelligeretur, quare perperam illa à patribus dici*. Ergone iam tempore D. Chrysostomi & S. Gregorij Ecclesiæ status corruptus erat; & locus ille Matth. 18. vel potius 16. malè intelligebatur? Quàm dolendum est; S. Chrysostomo & S. Gregorio Caluinianum lumen non æquè feliciter, ac Danæo illuxisse; qui mentitur, Bellarminum sic argumentari. *Hoc dixit Gregorius Magnus: ergo est fidei articulus, irrefragabiliter admittendus*. Non est hæc Bellarmini argumẽtatio, sed Danæi fictio. Nos sic argumẽtaremur, si argumentari liberet. Gregorius Magnus & ante illum Chrysostomus; vterq; & eruditione & sanctitate clarissimus: dicunt Petro, vt Apostolorum capiti & principi, totius Ecclesiæ curã fuisse commissam; & per claues Petro promissas denotari summam Ecclesiæ gubernandæ potestatem; Danæus, Sutliuius, Sibrãdus, & cæteri Nouatores nuperi & indocti id negant: illis ergo potius, quã his habenda est fides.

A Postquam Sibrandus de Petri clauibus strenuè delirauerat, omnino mihi persuaseram, deliriorum fore finem. Deceptus sum. Iam enim vsque ad finem libri sui secundi de integro delirare & cap. 10. verbosissimè probare incipit, *claues non esse Monarchiam*, sic loquitur cauillator, hoc est, per claues non designari supremam Ecclesiastici regiminis potestatem Petro traditam. Nec quidquam adfert, præter istos coccysmos; *claues omnibus Apostolis esse concessas: omnes Apostolos æqualiter claues accepisse. Hoc scripturam, hoc Patres, hoc Ecclesiastica monumenta testari*. Capite vltimo longissimos exorditur Sibrandus logos, de hac quæstione, quid *claues* Ecclesiæ significent. Vbi Caluiniano spiritu instinctus, otiosissimè de satisfactione
B Christi *per fidem apprehendenda*, deque modo quo Christus, & quo Minister peccata remittit, declamitat; Et post insanam vociferationem, insilit in Bellarminum, quẽ contradictionis arguit. Qua de caussa? Quia capite præcedente disputans cõtra Caietanum dixit; *tum demum cælum hominibus aperiri, cum soluuntur à peccatis*. Ex quo colligit Sibrandus, etiam, ex sententia Bellarmini, non latius quid esse; *ligare & soluere, quàm remittere & retinere peccata: Et tamen capite decimo tertio agens contra Caluinum hoc inficiatur*. En insolubilem antilogiæ nodum. Quem quis soluet, si non Sibrandus bipenni sua suppetiatum accurrat? Omniũ enim cõmodissimè dissoluetur hic fanaticus & *phantasticus* nodus ab eo, qui eum nexuit, hoc est, ab
C ipso Sibrando: At quia fortè nolet phasma suum demoliri, demoliamur nos illud: Et quidem sola eius in lucem extractione, quod fiet si formâ Dialecticâ, Sibrando tantopere amatâ, amiciatur in hunc modum. *Bellarminus scribit tum demum hominibus cælum aperiri, quando soluuntur à peccatis; Contradicit igitur sibi, quando postea dicit; aliquid amplius esse ligare & soluere, quàm remittere & retinere peccata*. Quis tam cœcus est, qui non videat has duas propositiones sibi contradictoriè opponi: *Cælum hominibus tunc aperitur, quando à peccatis soluuntur*: Et; *ligare & soluere amplius quid est, quàm remittere & retinere peccata?* Ego hactenus persuasus eram ad contradictionem necessariò requiri, vt altera propositio sit negatiua; negetq; directe
D id, quod altera affirmauit; nunc experior, etiam ex duabus affirmatiuis enunciationibus in schola Sibrandica contradictionem procudi, nouo videlicet & antehac inusitato artificio. Non mirum. Indies redditur mundus ingeniosior & artificiosior; & Sibrandus mendacior, vt cum ait Bellarminum, oppugnando sententiam Caluini de clauibus, *oppugnare non Caluinum, sed Augustinum, Hilarium, & ipsum Christum*: hoc dictum si nomine genuino sit afficiendum; effrons mendacium appellabitur; vt & hoc, quod Caluinista dicit; *negare Bellarminum, Petro Matth. 16. claues fuisse promissas*; non inficiatur hoc, vt fingit iste figulus; sed hoc coniunctum negat. *Claues Petro esse promissas Matth. 16. & datas Ioan. 20.* hoc, inquam,

coniunctum negat, non autem solam priorem coniuncti huius partem: vt perfidè calumniatur Caluinista. quia claues soli Petro Matth. 16. promissę, datæ sunt ei Io. 21. verbis illis; *Pasce oues meas.*

Dices; *Bellarminus capite superiore fatetur claues Apostolis promissas, datas esse Ioan. 20. & 21.* Respondeo, Bellarminum loqui de clauibus quæ Matth. 18. vniuersis Apostolis promissæ fuerant, & de clauibus, soli Petro promissis Matth. 16. Illas datas ait Ioan. 20. has Ioan. 21. Vbi hîc vlla contradictio? Et tamen audacissimus Nouator illustrissimo & eruditissimo Bellarmino his verbis proiectissimè inequitare audet. *In omnibus ferè argumentis vel petit Bellarminus principium, vel adigitur ad principiorum negationem, vel semetipsum contradictoriè implicat.* Cætera, quæ Sibrandus deblaterat, nihil aliud sunt, quàm χαῦν λῆρος, & fabulamenta, qualia ne ab ebrio quidem exspectes.

Non possum tacitus hoc loco præterire, acutissimum VVitackeri acumen, vnum scilicet ex illis; quibus ait, se *Pontificiam clauem perdere velle. Si Christus Petro Papalem potestatem promisit, tum dedit.* Vtique. Et quidem Ioan. 21. cum Petro dixit; *Pasce oues meas.* Quærit VVitackerus: *Nunc solùm dedit, an non?* Respondeo, nunc solum, id est, soli Petro, summam potestatẽ tribuisse. Subdit VVitackerus. *Si nunquam, nisi nunc; quando igitur data est Apostolis potestas summa?* Respõdeo, cæteris Apostolis nusquam eiusmodi simpliciter potestatem datam esse, qualis data est Petro verbis illis: *Pasce oues meas.* Acceperunt quidem Apostoli Ioan. 20. potestatem summam ratione *vniuersalitatis & obiecti*; at non respectu *independentiæ & successionis.*

Pergit VVitackerus. *Si prius dedit Apostolis summam potestatem, quando illis claues commisit, tum aut omnes facti Papæ sunt, aut potestas clauium Papalis non est.* VVitackeriana, hoc est, futilis obiectio; & vtroque membro claudicans: *Nam omnes non sunt facti Papæ*, quia non acceperunt potestatem respectu etiam independentiæ & successionis simpliciter summam, vt antea dictum; & potestas clauium summa tam quoad independentiam, quàm quoad successionem, verè *Papalis* est; quã tantum abest, vt plumbeo suo pugione VVitackerus euertat, vt ne tangat quidem: nam quòd subiungit; *Constãter à Bellarmino defendi, cæteris Apostolis summã potestatẽ esse concessam*; mentitur, si velit, vt reuera vult Caluinista Bellarminum docere, reliquis Apostolis parẽ quoad omnia cum Petro potestatem concessam esse; & summam, ea, vt sic loquar, *summitate*; qua potestas Petri summa fuit. Cætera in Sutliuio & aliis iam sunt profligata.

CAPVT XIV.

Soli Petro dictum esse à Christo: Pasce oues meas. Ioan. 21.

DANAEVS post varia conuicia, Iunius item & Sutliuius clamant, nil opus fuisse huius rei probatione, se enim non negare, soli Petro dictum esse: A *Pasce oues meas*; quæstionem totam in eo versari, *num verbis istis soli Petro Monarchia & vniuersalis in totam Ecclesiam potestas concessa fuerit.* Verum, vt hoc alterum Bellarminus duobus sequentibus capitibus demonstraret, meritò præmisit tractationem huius quæstionis, nùm ad solũ Petrum verba illa pertineant; præsertim, cum non omnes sectarij cum tribus istis Caluinianis consentiant, ita vt liberè & disertè fateantur, hæc verba soli Petro fuisse dicta; sed velint, ea etiam ad cæteros Apostolos, seu ad Ecclesiam spectare; quemadmodum & illa Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. in quorum numero censetur ipse Caluinus, vt docet Bellarminus, vt & VVitackerus, cui singulare est plurale; *Pasce*, scilicet, *Pascite.* Et vt B prædicti Caluinistæ non errent in hoc, quòd ad solum Petrum illud; *Pasce oues meas*; pertinere existimant; errant tamen, quando tradunt, & VVitackerus cum illis, hæc verba nullam aliam ob caussam Petro dicta; nisi *vt triplicis negationis probrum trina confessione elueret*, profitendo palam suum erga Christum amorem. Est enim hæc vna quidem caussa, cur Christus vna interrogatione sua, & vno ad eam Petri responso contentus non fuerit, sed triplici vti & triplicem responsionem à Petro audire voluerit; sed non est hæc sola & vnica caussa, vt isti contendunt; sed & alia, eaque potissima, vt scilicet Christus promissum Matth. 16. Petro factum exsolueret.

Nec sancti Patres, quos Caluinistæ citant; C contrarium docent: Verè enim dicunt; *Petrum trina interrogatione & confessione trinam compensasse negationem.* Item, *trina negationi redditam trinam confessionem*: Præterea, *Petrum ter confessum esse per amorem, qui ter negauerat per timorem*: hæc, inquam, & si quæ alia huius generis ex Patribus proferuntur, verè affirmantur; sed interim Patres non excludunt id, quod in tota hac actione erat præcipuum, nempe collationem summæ & vniuersalis potestatis factam soli Petro, vt postea ostendet Bellarminus.

Falsum est autem, quod Iunius & Danæus absque vlla probatione, quasi pro comperto, sumunt, *Petrum negatione Christi excidisse ab Apostolatu; in eundemq; restitutum esse Ioan. 21.* Hoc figmentum D videntur isti hausisse à Donatistis, VViclephistis, & id genus aliis, qui peccato mortifero ipsum officium seu Ministerium Ecclesiasticum amitti censebant.

Deinde, si, vt isti somniant, Petrus per negationem Apostolatum seu discipulatum amiserat. cur vbique ante triplicem confessionem Ioan. 21. factam numeratur Petrus inter discipulos? Ioan. 20. *Cum ergo serò esset die illo, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati*, &c. An non in his erat quoque Petrus? Ibid. *Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.* An non cum his & Petrus? An non cum aliis audiit Petrus ista? *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, &c. *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Num hæc Petro cum aliis dixisset

Chri-

Christus, si Petrus nec Apostolus, nec discipulus amplius fuisset; sed hanc dignitatem postea demum recuperasset? Quid, quòd statim à Resurrectione iusserunt Angeli, vt bonus exoptatusque de Christo excitato nuncius ad Petrum perferretur? *Dicite discipulis eius, & Petro.*

Accusat Danæus Bellarminum malæ fidei propter Caluinum, quem ait, *non negasse; soli Petro illa verba:* Pasce oues meas; *dicta fuisse, hoc ei à Bellarmino affingi.* Audi ergo ipsa Caluini verba lib. 4. Instit. cap. 6. §. 3. *Hinc colligere licet, aut illa Christi voce, nihil præ aliis datum Petro:* (ergo non soli Petro dictũ fuerat; *Pasce oues meas*; si hoc mandato nil peculiare acceperat) *aut Petrum, ius, quod acceperat, cum aliis ex æquo communicasse:* si communicauit ex æquo cum aliis; vt vult Caluinus; intellexit ergo ad se solum non pertinere illud; *Pasce oues meas*; ergo & ad alios. Non ergo fecit Bellarminus Caluino iniuriam, quando ei hanc sententiam attribuit.

VVitackerus hîc artem Danæanam & Sawbrandicam factitat, & argumenta Bellarmini peruersissimè peruertit. Nam toto hoc capite nil aliud ostendere vult Bellarminus, quàm soli Petro dictum esse; *Pasce oues meas.* Huc omnia sua argumenta dirigit; siue ex nominibus Petri, siue aliunde petita. Quid VVitackerus? Mentitur, Bellarminum ita argumentari. *Vocat Christus Petrum, Simonem Ioannis, cum ei claues promisit, & oues pascendas commisit: Ergo ei principatum hic verbis tradidit. Hoc est nugari in re seria*, inquit VVitackerus, vel, quod creditu procliuius, VVitackerianus Baccalaureus. Imò hoc est mentiri in re seria. Nam ex hac cõpellatione nil aliud collegit Bellarminus, quàm soli Petro dictum esse: *Pasce oues meas.*

Calumniosior adhuc est illa cauillatio, vel si hoc nomen nimis mite; mendaciloquentia; hoc delirium esse Bellarmini: *Solus Petrus ter negauit Christum, ergo princeps Ecclesiæ solus Petrus est.* Suspicor VVitackerianum Baccalaureum non pauca ex Sutliuio & Sawbrando, & in his etiam hoc vanissimum commentum in VVitackerianas laceras & dispersas schedas transtulisse. Etsi à dicacitate & vanitate VVitackeri nihil huius generis alienum censeri debet; qui *pasce oues meas*; ad solum Petrum non pertinere, subtilissimè probat hunc in modum. *Omnes presbyteri iubentur pascere oues Christi; 1. Petri 5. Idem mandatum acceperunt omnes Apostoli; ergo soli Petro non est hæc cura demandata.* Idem asserunt sancti Patres. Respondeo, omnes iussos esse pascere oues; sed sub Petro, pastore supremo. Hoc verba Christi, hoc Patrum testimonia volunt; nil aliud. Qua vnica obseruatiuncula collabitur tota VVitackeriana garrulitas; qua & auditores in schola olim proculdubio obtudit, & nunc lectores suos obtundit: nisi Polylogiæ huius vanitas ab Editore Baccalaureo profluxerit.

CAPVT XV.

Quid significet PASCE, *Ioan. 21.*

IANIVS, vetustissimo suo more, à maledictis hoc caput auspicatur, & maledictis terminat, ne finis sit dispar exordio. Vocat Bellarminum *hominem communi sensu destitutum*; qui ex verbo, *Pasce*, Petri Monarchiam, *& imperium in totam Ecclesiam stabilire velit*, cum *pascere* sit verbum generale; *& nil aliud significet, quàm suppeditare alimentum.* Similia ferè Iunius. At Bellarminus non ita crudè & nudè ex verbo, *pasce*, argumentatur, vt fingunt sectarij; sed simul iungit eas mandati huius circumstantias & conditiones, vt planè & dilucidè appareat, verbum *pascendi* eo loco non significare qualemcunque pascendi actionem & functionem, sed cum summa potestate copulatam; vt rationes, quas Bellarminus adducit, manifestè euincunt. VVitackerus intonat: *Pascere, etiã alia cõpetere.* Fateor, sed sub cura & nutu Petri. *Etiam aliorum esse quibus pabulum procurare.* Non abnuo: sed ductu & auspiciis Petri, tanquam supremi procuratoris.

Suauiter ridet Sutliuius Bellarminum ob ista verba: *Non propriè dicitur pascere alium, qui cibum quacunq; ratione ministrat, sed qui procurat ac prouidet alteri cibum, quod certè præpositi & gubernatoris est. Falsum est*, inquit Sutliuius; *cur enim non pascunt, qui cibũ dant?* Non negat Bellarminus pascere, qui quomodocunque cibum præbent; sed negat propriè dici *pascere.* Dic, Caluinista, quis proprie pascit Regis aut Principis alicuius Aulicos? Cocus an Rex? Rex an dispensator? An non propriè Rex, cuius sumptibus & impensis cibus paratur?

Ait Caluinista *Bellarmini dictum esse ridiculum: nam si pascunt illi, qui cibos tantum procurãt, multò magis, qui cibos distribuunt, & esurientibus frangunt panem.*

Iterum quæro; quis pascit magis propriè aulicos? Num Rex, qui sua impensa & auctoritate cibos comparat, an procurator, per quem cõparat; an cocus, qui cibos præparat; an Minister, qui cibos paratos in mensam infert? Etiam cõmuni loquendi consuetudine testari solent famuli, *se ali à suo hero*; nec panem pistoris; vel cibos coci, sed panẽ & cibum Domini sui se manducare profitentur. Signum igitur est, eos propriè à Dominis pasci & ali; ipsosque Dominos propriè dici *pascere. Panem à Christo fidelibus fractum intercipi à Pontifice*; Petulantis calumniatoris conuicium est; qui ait; verbis illis Christi à Bellarmino citatis Lucæ 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator ac prudens, &c. causam Bellarmini euerti. Ostendunt enim*, inquit, *Oeconomos & dispensatores pascere familiam, etiamsi summam non habeant potestatem.* Nihil hîc de summa potestate ex solo *pascendi* verbo extundenda Bellarminus; sed hoc solũ; *pascere* propriè esse eius, qui super familiam constitutus est, siue qui præest, & necessaria ad victum cum

auctoritate parat. Et hunc in finem adduxit dictum illud Christi de dispensatore super familiam constituto; *vt det illi in tempore tritici mensuram*: Nam summam pascendi potestatem demonstrat ex toto illo: *Pasce oues meas*; per oues enim intelligi vniuersam Ecclesiam, sequenti capite docet.

Nec obstant illa Bellarmini verba: Nobis difficile non erit, ex hac ipsa voce *pasce*; demonstrare summam potestatem illi attribui; cui dicitur: *Pasce oues meas*. nam non vult ex ipso vocabulo, *pasce*, seorsim sumpto summam potestatem posse euinci, sed ex illo cum sequentibus duabus voculis iuncto.

Mox Sutliuius iterum dentes stringit in Pontificem: *Eum nec fidelem, nec prudentem dispensatorem esse*. Fortè ideo, quia non dat gregi suo Caluinianas siliquas, sed probatæ notæ triticum. Obiicit. *Pontifex est Oeconomus, Minister & seruus; ergo non est Monarcha*, Ecclesiasticus scilicet. Quid responderet Sutliuius, si quis hoc argumentum ad auctorem suum hunc in modum remitteret? Rex Britanniæ est Oeconomus, Minister & seruus Dei; ergo non est Monarcha Britanniæ. Dicet, opinor, Monarchiæ in homines non aduersari subiectionem & seruitutem respectu Dei. Idem ergo sibi à nobis dictum existimet, quod attinet ad Pontificem, qui licet, respectu Dei, sit dispensator, seruus, minister; respectu tamen Ecclesiæ, Monarcha est; cum ipse omnia in Ecclesia independenter ab vllo homine, tanquam à superiore, gubernet. An non & Vicerex respectu Regis, famulus est? Et tamen comparatione subditorum, Princeps est.

Verbum ποιμαίνειν, quo vsus est S. Ioannes, idem esse, quod, *pasce regendo & præsidendo*, probat Bellarminus, etiam ex Homero, qui Regem vocat ποιμένα λαῶν, *pastorem populorum*: At quis nescit Reges pascere regendo & præsidendo? Respondet Sutliuius, *ridiculè verborum scripturæ interpretationem peti ex poëtarum scriptis*. Vnde vis vt Græcorum verborum genuinam notitiam petamus, si non ab illis, qui Græcæ linguæ summam peritiam habent? Si de Anglicani cuiusdam vocabuli significatione lis nasceretur; an non meritissimo recurreretur ad eum scriptorem, qui, omnium iudicio, Anglicani idiomatis callentissimus esset? *At in scripturis vocabula non significant idem, quod extra scripturas*. Ridiculum caput. Quasi verò scriptura significationes nominum mutare soleat. An non *panis* æquè panis est, in scriptura; ac in Virgilio vel M. Tullio? Si quis contenderet, ἄρτον in Græca oratione Dominica, non esse id, quod *panem* nominamus; aliusque ex Homero obiiceret; ἄρτον apud Homerum prorsus esse illud, quod à Latinis dicitur *panis*: cerebrosus autem ille regereret: Ridiculum esse ex Homero docere velle, quid in Græca oratione Dominica vox ἄρτος significet; an non omnium irrisui & ludibrio se exponeret?

A Occinit Sutliuius. *Etiamsi Matth. 2. & Apocalyp. 19. ποιμαίνειν sit regere; necesse tamen non esse, vt eandem notionem subiectam habeat Ioan. 21.* Cur necesse non est, quando omnes circumstantiæ clamant; ποιμαίνειν etiam apud Ioannem esse *regere & præsidere*? quandoquidem verus ποιμὴν & *pastor* gregem non tantum pascit suppeditando cibum; sed & regendo, ducendo, dirigendo, defendendo, castigando.

Apud Matthæum & in Apocalypsi loquitur Spiritus sanctus de regno Christi, inquit Sutliuius, *hic autem loquitur Christus de Petri ministerio & officio pastorali, quod à regno & dominatu longè abesse debet*. Quid? An non & Ecclesia militans dicitur in scripturis regnum, idque frequentissimè? An non & ipsi fideles generatim, *regale sacerdotium*. 1. Petri 2. Nunquam legisti illud? *Fecisti nos Deo nostro regnum*. An hoc de Ecclesia militante intelligi nequit, licet ad triumphantem præcipuè spectet? Nunquam legisti in Euangeliis? *Simile est regnum cælorum decem virginibus*, &c. An talia loca non explicantur de præsenti regno Ecclesiæ? Et quamuis hoc pastorale & regale Petri officium, sit respectu Dei ministerium; est tamen absolutum officium ratione subditorum, obiturque regendo & præsidendo, non tantum alimenta præbendo, absque aliis pastori congruis actionibus. Etiam hic peruertit VVitackerus Bellarmini argumentationem: quia hic nihil aliud probare instituit, quàm *pascere* esse itidem regere & præsidere. Non autem ita argumentatur. *Pascit, ergo est summus Pastor*: nam de hoc cap. seq. videbitur.

Citat Bellarminus S. Chrysostomum S. Augustinum, & S. Gregorium, qui per verbum *pasce*, Ioan. 21. præfecturam & potestatem regendi significatam tradunt. Obstrepit Sutliuius: *Chrysostomum non tantum de Petro loqui, sed etiam de omnium Pastorum & Episcoporum officio*. Sed Caluinista nihil ad rem respondet; non enim hic quæritur; Vtrùm verbum illud: *Pasce*, Ioan. 21. dictum sit soli Petro; nam hoc iam capite antegresso probatum & definitum est: sed quid verbum *pasce*, significet; num *pascendi* officium coniunctum cum præfectura & regimine; an *pascendi* officium simplex, omnique gubernatione & præsidentia destitutum? Significare pascendi functionem cum regimine hoc capite docet Bellarminus: cui nil officit, quod idem verbum, *pasce*, vt aliis itidem Pastoribus tribuitur; significet præfecturam, ex Chrysostomi sententia; quia nemo Catholicorum abnuit, etiam alios, præter Petrum, & eius successores, esse pastores cum præfectura; sed pastores sub cura pastoris supremi; & præfectos supremo præfecto subditos. Hæreticis, præsertim Sutliuio, Sibrando, & aliis, contra quos agimus, solenne est; turbare, quæ Bellarminus aptissima methodo connexuit. Soli Petro dicta esse, illa verba: *Pasce oues meas*, capite superiore docuit. In illis verbum, *pasce*, significare præfecturam & regimen, & pastionem cum auctoritate præsi-

dendi,

dendi, ducendi, defendendi, castigandi, hoc capite probat Bellarminus. Sequenti capite ostendet: Illud pasce oues meas; significare potestatem summam & absolutam. Quid Hæreticus, Sutliuius, VVitackerus, & alij? *Significat quidem verbum*, pasce, *potestatem; at non summam. Significat præfecturam; sed non supremam. Patres fatentur per verbum pasce; indicari munus regendi. An ideo summum? Pastores nominantur à patribus rectores. An ideo supremi?* Hæc responsa quid aliud sunt, quàm ludibria, elusiones & illusiones, cum hîc minimè quæratur, num *pasce* summam potestatem & præfecturam; Sed num potestatem & præfecturam significet. Et tamen totam suam vaniloquentiam huic imposturæ & sycophantiæ inædificat. At nisi Nouatores omnia miscerent, sæpè fraudibus & imposturis texendis occasionem & materiam non reperirent.

Sibrandus lib. 3. de Pontifice cap. 1. hoc syllogismo, tanquam Bellarminiano, nos beat. *Cui dictum est*; pasce oues meas; *ille est Monarcha per vniuersam Ecclesiam. Sed soli Petro dictum est*, pasce oues meas. *Ergò solus Petrus est Monarcha per vniuersam Ecclesiam.* Respondet Caluinista, *Maiorem esse falsam.* Falsam non esse, liquebit capite sequenti, vbi à Bellarmino fusè probatur. Nec quidquam Sibrandus ad falsitatem eius demonstrandam adducit; nisi illas nænias: Ideo Petro ter dictum; *Pasce oues meas; quod ter Dominum negasset.* Ad hoc iam supra respondimus. Postea diffundit se Caluinista in nugas nugacissimas; *vt Petrum ab aliis Apostolis non fuisse pro Monarcha agnitum: Petrum ad Samaritanos fuisse missum; omnibus Apostolis præceptum datũ pascendi oues Christi:* Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; vt alia huius generis nugamenta transiliam, quorum pars sponte sua concidit; pars suis locis refelletur; pars ex dictis ruit.

Mox vt battologicam suam disputationem concinniorem reddat, calumnias in Pontificem Romanum plenis faucibus eructat, veritus, opinor, fore, vt pro legitimo Caluinista non reputaretur, nisi id conuiciandi impotentiâ planum testatumque redderet. Seriò dicam, me vix credere posse, Sibrandum ad scriptionem contra Bellarminum sobrium vnquam accessisse. Ita vbique desipit ac delirat: & inaniloquentia sua omnia sursum deorsumque versat & reuersat; & sæpius iam dicta, iterum iterumque recinit: vel certe, si sobrius talia chartis illeuit; aut insigniter ignorantem; aut egregiè improbum esse oportet; qui his futelis & hac omnium rerum inuersione, veritatem ex aperta luce in Caluinianam caliginem retrudere cogitet.

CAPVT XVI.

Quod verbis illis: Joan. 21. OVES MEAS, vniuersa Ecclesia significata sit.

NOTAT Bellarminus, Christum bis dixisse: *Pasce Agnos meos.* Et semel; *pasce oues meas.* tametsi enim in Græco textu semel tantum est; *pasce Agnos*: Et bis; *pasce oues* videri tamen textum Græcum librariorum culpa corruptum, qui in secundo loco scripserint ΠΟΙΜΑΝΑ, cum scribere debuissent ΠΟΙΜΑΝΑ, facile autem vnum Iota potuisse excidere. Ad quæ Danæus: *Mirus es artifex, Bellarmine, qui, vt tuam in lingua Græca peritiam, (quæ certè perquam exigua est) ostentares, etiam Græcum sacræ scripturæ textum corrumpere veritus non es: tam es religiosus; & absq; vllius Codicis noui, vel veteris fide* ΠΟΙΜΑΝΑ, *pro* ΠΟΙΜΑΝ *nobis substituere ausus es.* Tu verò Danæe mirus es calumniandi & mentiendi opifex, qui vt nobis tuam in Sycophantandi palæstra exercitationem, (quæ certè perquam eximia est) *ostentares*, luculentissimè mentiri voluisti, à Bellarmino sacrum contextum corrumpi: nam secundo loco legendum esse ΠΟΙΜΑΝΑ, non ΠΟΙΜΑΝ, probat Bellarminus ex Ambrosio, & S. Maximo; Et ex nostra vulgata translatione Latina; & ex omnibus Latinis codicibus, qui secundo loco constanter habent *Agnos*; quo indicatur ab omnibus istis in Græco lectum fuisse ΠΟΙΜΑΝΑ, non ΠΟΙΜΑΝ, neque enim noster Interpres & sancti Patres tam imperiti fuerunt, vt secundo loco verterent & legerent, *Agnos*, si Græcus textus ΠΟΙΜΑΝ, non ΠΟΙΜΑΝΑ repræsentasset.

Accedit, quòd & versio ex Syro Guidonis Fabricij *Agnos* habet, licet Caluinianus Tremelius aliter reddiderit; nimirum; *Pasce mihi greges meos.* Quo fit, vt parum etiam moremur VVitackeri & Chamieri contra hæc ΠΟΙΜΑΝΑ vociferationes & fulgurationes. Securè quiescunt, sub eorum, quos dixi, auctoritate; vt proinde insilientium luporum impressionem minimè reformident.

Addit calumniator Danæus; *Vt ingenium istius* (Bellarmini) *omnes norint, etiam in suos ipsos Episcopos contumelioſus est, qui eos ouibus fœminis, quam Agnis masculis comparare malit; nimirum quòd meminisset, mulierem, & meretricem appellari in Apocal. c. 17. horum Episcoporum caput: & eum, qui in sacra scriptura nominatur Agnus Ioan. 1. v. 29. Apoc. 5. v. 6. 8 esse Christum Dominum, cui nihil simile habent isti Bellarminiani Episcopi, licet cornutas mitras habeant.*

Dixerat Bellarminus, per *Agnos* bis repetitos posse intelligi Iudæos & Gentiles; perque *Oues* tertio loco positas Episcopos, qui sunt veluti matres Agnorum: Itaque Petro à Christo curam commissam Agnorum, hoc est, populi Iudaici, & Agnorum, seu ouiculorum, hoc est, populi

genti-

gentilis, & ouium, hoc est, eorum, qui Agnos istos pepererunt in Christo, qui sunt Apostoli & Episcopi. Hinc scurrilitatis suæ sumpsit Danæus occasionem: quia enim Bellarminus Episcopos per oues significatos scribit: *fœminis eos contumeliosè comparat; cum eos potius per masculos agnos significatos dicere debuerit; hoc enim Episcopis fuisset admodum honorificum.* At si Bellarminus ideò contumeliosus est in Episcopos; contumeliosus itidem fuerit Christus in vniuersos Christianos, quos sæpe, præsertim Ioan. 10. *Ouium* nomine designat. Cur hoc, si *Ouis* hominem muliebris fractique animi denotat?

Sed Danæus calumniam istam proferre voluit, vt haberet ansam aliquid dicendi de meretrice Babylonica, omnium Caluinistarum auia: qui biliosè admodum stomachatur, quòd se inconsulto, Bellarminus ausus fuit disquirere & disputare, quid Christus per *Agnos, oues,* & *ouiculas* indicare voluerit. *Hoc,* inquit, *est nodum in scirpo quærere, & in lente vnguentum.* Sutliuius quoque horribili voce intonat. *Hoc mysterium nihil aliud est, quàm delirantis lebusita somnium, & male fundatum ipsius commentum.* Etiam Iunius: *futiles inceptas, allegorias crepat.* Chamierus lib. 3. de Pontifice *distinctionem ridiculam* nominat: *quæ nulli veterum in mentem venerit.* Similia VVitackerus. Ita isti, quãdo non est, quod solidè respondeant, rem conuiciis transigere, & lectoris animum alio auertere stolidè contendunt: quasi verò Christus frustra & absque vllo Mysterio gradatione illa ab *Agnis* ad *oues* vsus fuerit; & huiusmodi explicare sit *delirare*, vt calumniatur VVitackerus: præsertim cum id fit sanctorum Patrum exemplo & auspiciis. Iunius & Sutliuius digerere nequeunt, quod Bellarminus ait; verbis illis; *Pasce oues meas*; ipsos etiam Apostolos fuisse Petro, tanquam pastori, commendatos. *Hoc nullus dixit Patrum*, clamat Sutliuius, *nec ex aliquo indicio colligi potest.* Iunius gartit nescio quid *de fallacia à non distributo.* An non Bellarminus expresè dicit, & probat ratione & auctoritate; per illud: *Oues meas*; vniuersè omnes omnino oues Christi, esse intelligendas; nulla penitus excepta? An non est hoc vocabula illa: *Oues meas*; satis distributè & amplè vsurpare? *At solus Deus vniuersè potest omnes oues pascere.* Nimirum, vt summus & ab omnibus simpliciter independens Pastor, qui pascit omnes oues, quæ sunt, fuerunt, & erunt: at & Pontifex, iussu & nutu Dei, hoc potest; sed vt Dei Vicarius; & qui officij sui aliquando rationem Deo reddet. Nec omnes omnium temporum oues Dei, sed eas, quæ sunt suo tempore & Pontificatu, pascit.

Obiiciunt; *Etiam alios Apostolos accepisse curam pascendi oues Christi.* Num vniuersas vniuerse, nulla excepta?

Citat Bellarminus S. Leonem dicentem; Petrum à Christo præpositum esse omnibus gentibus, omnibus Patribus, & omnibus Apostolis. Iunius. *Leo ad scripturam non satis attenderat: negamus itaq; illius dictum.* Scilicet tu attentior es, ad scripturam, quàm S. Leo. Attentior vtique, sed attentione Caluiniana, veritati non eruendæ, sed obruendæ nata.

Argumentatur etiam Bellarminus ex particula MEAS. Cum enim hæc vocula absque vlla restrictione addatur ad nomen *Oues*, manifestè indicatur, eas omnes oues Petro commendari, ad quas extenditur pronomen MEAS, certum est autem illud MEAS extendi ad omnes simpliciter, &c. ergo, &c.

Iunius. *Maior est aquinoca. Nam omnes oues, si vniuersè accipis, negatur.* Atqui tam certum est, Petro commendari omnes illas oues, ad quas vocabulum *Meas* extenditur, quàm certum est, duo esse *paria*; tria, *imparia*: quia Christus generatim dixit Petro; pasce oues meas: apertissimum igitur est, Christum Petro commendasse omnes illas oues; ad quas pertinet pronomen MEAS. Si quis Dominus diceret absolutè & indeterminatè famulo suo. *Pasce oues meas*: an non omnes illas ei pascendas committeret, ad quas vocabulum *Meas* extenderetur? Si quis absque vlla tacita vel expressa restrictione Iunio diceret: *commendo tibi filios meos*; An non commendaret omnes, quos illud, MEOS, respiceret? Par ratio in proposito. Si Iunius intelligeret, quid diceret potius *Minorem* negasset, quàm Maiorem *æquinocationis* accusasset. Et tamen huic suæ insipientiæ subnectit hanc expostulationem. *Quis nostrum hunc disputatorem docuit; ex propositionibus indefinitis, quæ quidem contingentes sunt, vniuersè concludere? κᾶς.* Vere logi tui nil sunt nisi κᾶς. Nam dictum illud Christi; Pasce oues meas; sensu vniuersale est; licet verbis sit indefinitum. Itaque sicut ex hac propositione: *Homo est animal*; rectè infero: *ergo omnis homo est animal*; quia antecedens est vniuersale sensu; sic ex hoc: *Pasce oues meas*, rectè colligitur: ergo omnes; propter rationem, quam reddit Bellarminus. Etiam Chamierus occinit: *Propositionem Christi, esse indefinitam; indefinitam autem propositionem non semper æquipollere vniuersali*, probat aliquot exemplis scripturæ: Superfluè prorsus: quia nemo hoc negat, sufficit nobis dictũ Christi hoc loco esse reipsa *vniuersale*, vt Bellarminus hîc clarè probat; licet, si verba spectemus, sit indefinitum.

Sutliuius clamitat: *Hæc nihil aliud sunt, quàm nugamenta*; Tua videlicet responsa; Ais; & tecum Chamierus: *Apostolis mandatum datur docendi omnes gentes*; (sed sub Petro.) *Vnde & ouile ipsis commissum est.* (Sed sub Pastore supremo Petro.) *Non tamen pastores intelliguntur vocabulo ouium; vbi de docendis & pascendis ouibus est sermo, relatio enim manifestam infert distinctionem.* Respondeo, etiamsi in aliis locis, vbi in communi pluribus committitur potestas docendi & pascendj; vt in illo: *docete omnes gentes*, &c. ipsi Doctores & Pastores formaliter, qua tales, non includantur in eorum numero, quos iubentur

bentur docere & pascere: posse tamen ipsos doctores & pastores alibi, includi in corũ, qui docendi & pascendi sunt numero; si scilicet, præter pastores inferioris ordinis; constituatur aliquis vniuersalis, cui omnium ouium, hoc est, fidelium cura committatur. Quod Ioannis 21. factum affirmamus; vbi ipsi pastores & doctores respectu Petri, pastoris supremi, vocabulo *ouium* comprehensi sunt, vt Bellarminus demonstrat. Itaque hîc solus Petrus opponitur ouibus, & ab illis distinguitur. Cæteri quamuis alio intuitu pastores & doctores; ad Petrum tamen relati, oues sunt, sub cura & tutela Petri.

Obiicit Sutliuius. *Cum ex Metaphora pendeat omnis huius argumentationis vis, non est ea extendenda vltra scripturæ limites.* Quis vltra extendit? Certè B non Bellarminus, qui longius verba hæc non extendit, quàm ipsa extendi velint; & apertissimus eorum sensus permittat.

Probat Bellarminus etiam ex communibus loquendi formulis illud MEAS, additum ad vocem OVES, significare omnes oues Christi, nulla excepta: nam qui dicit; *Relinquo mea bona filiis meis*: sine dubio nihil ex suis bonis, nec vllum ex suis filiis excludit. Respondet Iunius. *Testator ipse communiter relinquens liberis, facit vt communis sit, indiuisaq; hæreditas, quam si diuisisset, non fuisset vnius tota hæreditas, id est, vniuscuiusq;.* Bellarminus non attulit hoc exemplum alio consilio, quàm vt ostenderet; voculas MEA & MEIS ad omnia bona, & ad omnes filios testatoris pertinere; ergo C & in proposito; cum dictum est Petro; *Pasce oues meas*; illud MEAS facere; vt mandatum illud ad omnes omnino Christi oues extendatur. Si quo ad alia, est in exemplo testatoris & Petri dissimilitudo, ea nihil ad rem; nam Petrus solus fuit; cui dictum: *Pasce oues meas.* Quare solus hanc pascendi omnes Christi oues prouinciam iniit. Si quis testator; ita testamentum conciperet: *Relinque filio meo bona mea.* An excluderetur vlla bonorum pars, quæ filio illi, non cederet?

Ait Iunius. *Euerti istam prærogatiuam Petri ex quo docetur, indiuisam & communem in solidum fuisse administrationem Apostolorum Christi.* Quis docuit hanc administrationem verbis illis: *Pasce oues meas*; significatam; fuisse indiuisam & communem omnium Apostolorum? Bellarminus hoc non docuit, nec vt doceret, testatoris exemplum attulit, vt antea visum; nec Iunius docuit, neq; vnquam docere poterit; tametsi non semel inaniter hoc asseuerauit; iterumque asseuerat hoc casso syllogismo. *Si Petrus prærogatiuam habet, non sunt communia omnia.* Concedo Maiorem: *At communia sunt omnia*; Nego Minorem.

Sibrandus lib. 3. de Pontifice cap. 3. & 4. more suo, prorsus stulteſcit, vt non sanæ, sed emotæ mentis hominem loqui, credere merito queas. Omnes vniuersim oues Petro fuisse commissas, probat Bellarminus etiam hoc argumento. Vel commendauit Christus Petro oues suas omnes, A vel nullas, vel aliquas certas & definitas, vel aliquas indefinitas; nihil horum dici potest, præter primum, vt ostendit Bellarminus. Respondet Sibrandus, *Petro fuisse commendatas omnes oues Christi, quæ ab homine pasci debuerunt; Apostolos verò ab homine pasci non debuisse.* Cur non debuerunt? An non & ipsi oues Christi fuêre? Si Christus Petro dixisset; *Pasce oues meas*; præter Apostolos; probabilitatem aliquam Sibrandica cauillatio haberet; qua nunc destituitur, quando restrictio illa non est à Christo, sed à Sibrando cõtra mentem Christi. Ait Caluinista. *Apostolos non esse vlla in re edoctos vel instructos à Petro; ergo Apostolos non comprehendi sub illis verbis*: Pasce oues meas. Respondeo, etiamsi antecedens esset verum, consequentiam tamen nihil valere. quia pastoris non tantum est pascere docendo, sed & regendo, mittendo, dirigendo, & præsidendo; quo pacto Petrus cæteros Apostolos pascere potuit. Deinde, illud præceptum: *Pasce oues meas*; omnibus scilicet pastorali officio competentibus modis, intelligitur cum cõditione; si scilicet oues egeant actuali pastione pastoris; si quæ oues ita sunt solertes & benè institutæ, vt actuali Petri cura & directione non egeant, sed ipsę sibi omnia necessaria procurare queant, tum nõ opus habent, vt ius suum summus pastor actu in eas exerceat; sufficit, vt sub generali summi pastoris cura pascantur, & iniussæ omnia faciant; quæ aliæ oues agunt iussæ.

Adiungit Sibrandus, argumentum Bellarmini *etiam ex hoc capite infirmum esse, quod petatur ex allegoria.* Mirum dictu, quàm isti vbique cum allegoria sua delirent. Est quidem locutio illa: *Pasce oues meas*; metaphorica; sed plana & expedita; quia constat euidenter omnibus, exceptis iis, qui sponte oculos occludunt, vnde & ad quid hæc metaphora à Christo Domino sit sumpta. Num ex sensu metaphorico, qui & ipse literalis est, firmum argumentum duci nequit? Quis vnquam allegoricum sensum Theologicè sumptũ miscuit cum metaphorico, præter istos, qui iis de rebus disceptant, quas non intelligunt; vel præ malitia intelligere nolunt, vel præ stupiditate non possunt?

Postea cap. 4. verbosè incipit probare Sibrandus; *Petrum non fuisse pastorem Apostolorum*; & D citat multa Patrum testimonia, perperam intellecta. Si totam Sibrandi vaniloquentiam in cõpendium redigere velis, hæc exibit Epitome. *Deus, non Petrum vocauit Apostolos; Deus non Petrum instituit, & prædicatum misit Apostolos: ergo Petrus non fuit pastor Apostolorum.* Quasi vero Deus aliter vocauerit, vel docuerit, vel prædicatum miserit Apostolos, quàm vt erant oues Christi Petro post resurrectionem Christi committendæ. An à Deo vocari, doceri, instituí, mitti, nemo potest; qui ita vocatur, docetur, instituitur, mittitur, vt vel iam reipsa subsit, vel aliquando subiiciendus sit Petro, tanquam supremo pastori, vt omnia ab illo dependenter agat?

Ait Bellarminus; Petro omnes simpliciter Christi oues commissas esse, tradi ab omnibus priscis patribus; Sutliuius, Beza teste, petulans calumniator; *impudenter dicit Bellarminus, hanc esse sententiam omnium Patrum: neq; enim vnus eorum Apostolos Petro, tanquam oues, commissos fuisse dicit.* At Patres dicunt, *Ouile & omnes oues Christi Petro fuisse cõmendatas*; in quibus vtique erant & Apostoli. An non Apostoli erant oues Christi? Ait Sutliuius; *Patres quidem dicere; Petro commissas esse oues Christi, sed non negare, quin eadem reliquis Apostolis commissa fuerint.* Commissæ fuerunt, sed non eo modo, & ea amplitudine ac prærogatiua, qua Petro. Prius dicunt Patres; non hoc posterius. Addo: cum soli Petro hæc verba; *Pasce oues meas*; dicta tradunt, satis perspicuè negant, potestatem, quæ illis verbis Petro tradita est, cum cæteris non fuisse communem. Imò quidam, vt Theophylactus, disertè dicunt, soli Petro eam potestatem traditam, non alij aut aliis. Et Patres expresè Petrum *Apostolorum principem & Coryphæum* vocant, ergo etiam *pastorem*, vt hic de pastore agitur. Vide Bellarminum infra cap. 24.

Caput hoc claudit petulans calumniator Sutliuius insigni calumniarum in Pontifices Romanos centone. nempe ex loco Ioannis eorũ causam funditus euerti; *Eos enim non pascere, sed mactare & perdere Christi oues, nec esse Christi amoris Vicarios, aut Ecclesiæ pastores, aut Petri successores, sed potius mactatores gregis, & filios eius, qui homicida fuit ab initio, & germanos Antichristos.* O Beza, non possum facere, quin laudem tuum iudicium, cum hunc Caluinistam non solum iudicasti; sed & palam nominasti *petulantem calumniatorem & conuiciatorem.* Verè talis est. Et vt alia documenta deforent; an istud, quod hoc loco dat, non satis luculentum esset?

Pergit Iunius frustillatim Bellarmini argumenta vellicare. Testimonium S. Leonis à Bellarmino adductum, quia nimis apertum erat, hoc conuicio reiicit. *Hoc Christus nunquam dixit.* (imò, velis nolis, Matth. 16. & Ioan. 21. dixit; Petrum omnium simpliciter esse præpositum) *Leo si dixit, rugientis horret vocem Ecclesia*: scribe; *Caluiniana Synagoga.* Nam vera Ecclesia sancti Leonis vocem non aliter accipit ac vocem eius, qui Christi in terris vicem gessit; quique & sanctitate & eruditione inter omnes suæ ætatis facilè primas tenuit.

Vitio vertit Iunius Bellarmino, quod non exscripserit, ea, quę Theophylactus sententiæ à Bellarmino citatæ subnectit. Quæ illa? Hæc nimirum, quibus Theophylactus causam reddit, cur soli Petro, non alteri curam & præfecturam vniuersalem ouilis sui commiserit; *quòd* videlicet *eximius inter omnes, & totius Apostolici chori os esset; vtq; intelligeret, probrum tripliciis negationis iam expunctum esse.* Hæc Theophylacti verba adeo non lædunt Bellarmini causam, vt eam vel maximè adiuuent; nam quid est esse *os totius Apostolici cœtus*, nisi esse Apostolorum præcipuum? Cum ergo Theophylactus dicit, Petro vniuersi ouilis Dominici curam commissam, & non alteri, quòd os, hoc est, caput Apostolorum esset; Vtique hoc ipsum quod Bellarminus demonstratum cupit, asserit. Nam quòd de trina negatione adiungitur, non obstat; quandoquidem hæc quidem causa fuit, vt triplicem amoris professionem Christus à Petro exigeret; verum nec sola, nec potissima causa fuit; sed illa, vt totius gregis sui curam Petro, tanquam supremo Pastori, crederet, ad hoc enim tam excelsum munus, voluit Redemptor, vt Petrus trina dilectionis protestatione viam sibi sterneret.

Danæo Minerual debet Bellarminus; quia Bellarminum docet, quomodo Petrus fuerit Apostolus circumcisionis, Paulus autem præputij. Audi Danæum docentem. *Quod laborat Bellarminus, vt Pauli locum Galat. 2. v. 7. explicet, fis eum iuuo, & eo æstu, in quo sudat, libero: nempe id, quod Paulus scripsit, datam sibi præputij, Petro verò circumcisionis curam, intelligendum esse, non exclusiuè, & negatiuè, quasi hæc cura soli à Christo in eam partem mandata sit Petro, vel Paulo; sed principaliter, & potissimum duntaxat, vt præcipuè circumcisionis prouinciam susciperet Petrus; Paulus autem præputij.* An non hoc ipsum Bellarminus expresè & disertè docet? An non tota Bellarmini responsio huc dirigitur; & in hoc ipso, quod Danæus, tanquam nouum & inauditum, producit, tota consistit? Quantæ solertiæ, quanti acuminis est, ex Bellarmino exscribere, quibus Bellarminum abs te instrui, & abomni æstu expediri, thrasonico vultu iactes.

Cætera, quæ Danæus annectit furiosæ sunt insaniæ, & amentes in Bellarminum debacchationes; Ex quibus vna; *Mirum est Bellarminum vel tam ignorantem esse, qui ista nesciat; vel tam impudentem, qui negare, si sciat, audeat & velit. Sed vbi, sic peccat iste, quia & mentem & ventrem suo Romano Pontifici iampridem addixit; sed & linguam. Quid non negare Monachus audeat?* Hæc nimirum sunt robora & firmamenta, quibus Danæus in omnibus propemodum pagellis Bellarminum oppugnat.

Multa solent Nouatores argumenta consarcinare ex Epistola ad Galatas, quæ hic accuratè à Bellarmino dissoluuntur. Illud: *Dexteram mihi dederunt Societatis*: ait Bellarminus, significare quidem; Petrum & Paulum socios fuisse in officio prædicandi, sed non prohibere, vt intelligamus Petrum fuisse maiorem Paulo in officio gubernandi. Nam & scripturam lib. 1. Reg. cap. 23. dicere: *Iuit Saul & socij eius*: Et tamen eandē scripturam Saulem; Regem; cæteros autem, seruos eius facere. Iunius vrget vocabulũ κοινωνίας, quo vsus Apostolus; *eo enim communionem prædicationis & gubernationis designari.* Sed, vt ita esset, num ideo significaret omnimodam æqualitatem gubernationis? ita vt in potestate gubernandi Petrus & Paulus penitus æquales statui debeant? Non negamus fuisse inter Petrum & Paulum κοινωνίαν

siue cõmunionem potestatis gubernatricis, seu regiminis; sed negamus, hanc communionem fuisse in vtroque parem; aut hanc paritatem ex vocula κοινωνίας, pro qua Interpres noster, *Societatem* vertit, extundi posse. Planè enim à vero abhorret, quod Iunius dicit, *κοινωνίας, vbicunq; simpliciter de hominibus enunciatur, æqualitatem communionis notare solere.* Quo nil vanius. Nam omnes eiusdem ciuitatis ciues, & omnes eiusdem regni incolæ κοινωνίας habent ciuitatis & regni; An ideo omnibus par est gubernandi potestas in ciuitate vel regno? Omnes fideles κοινωνίας habent in Ecclesia; omnes Caluiniani in Caluiniana Synagoga. An ideo omnes in Ecclesia & item in Caluiniana Synagoga pari potestate gubernatrice pollent? Pari vanitate admodum vrget VVitackerus δεξιὰς κοινωνίας, dextram communionis seu societatis; quasi oporteat omnes simpliciter esse pares, qui dexteras societatis iungunt ad Euangelij prædicationem. Potuisset VVitackero hanc phantasiam eximere domestica Angliæ consuetudo; In qua *primas* Cantuariensis dextras vtique cum reliquis Pseudoepiscopis iunxit. Nec tamen patietur se cæteris parem fieri vel haberi. Nam primas non esset, nisi reliquis maior esset.

Ad illud ex 1. Regum, clamat Iunius: *Falsum, nam scriptura vbiq; dicit: Saulem & viros, seu homines eius. Consulantur Hebræa verba.* At tanta nõ est apud nos Iunij auctoritas, vt eius intuitu, auctoritatẽ veteris Interpretis nostri in postremis ducamus. Benignior est VVitackerus, qui dicit, se nolle de versione nostri Interpretis cum Bellarmino contendere. Habemus benignitati gratiam.

Ait Bellarminus; verba illa S. Pauli; *Mea nihil refert, quales fuerint, qui aliquid videntur esse*: iudicio libri Smalcaldici, *prolata esse ad contemptionem Petri & Ioannis*, Iunius. *Bona verba, quæso; nam nihil exstat eiusmodi.* At si legas Tractatum illum Smalcaldicum *de potestate & primatu Papæ*, ipsi libro Concordiæ insertum; facilè intelliges verum à Bellarmino scribi, & Smalcaldicos satis insinuare, omnia illa à S. Paulo scripta in Petri, Ioannis aliorumque *contemptionem.*

Reprehendit Bellarminus Smalcaldicos, quod hæc verba Apostolo tribuerint; *Qui videbantur esse aliquid nulla mihi mandata dederunt*: neque enim exstant in Paulo. *Scelus permagnum scilicet*, inquit ironicè Iunius: *quòd illi generale verbum, & vniuersalem negationem, ad eam speciem, quæ agitur, retulerint: Dicit enim Paulus; Nihil præterea mihi adiecerunt, ergo ne mandatum quidem.* Aliud est, Iuni, explicare & paraphrasticè reddere verba S. Pauli, quod licet, dummodo sensus verus constet; aliud, citare verba, tanquam verba Pauli, quæ in Paulo non reperiuntur. Posterius hoc fecerunt Smalcaldici; Expresè enim allegant verba illa, tanquam Paulina; *Qui videbantur esse aliquid, nulla mihi mandata dederunt*: Cum tamen nusquam in Paulo exstent. Quocirca meritò dicit Bellarminus, istos metuere debuisse plagas, quæ adiicientibus ad Dei verbum decretæ sunt. Porro Iunij explicatio vana est; non enim dicit S. Paulus, nihil penitus sibi esse collatum, seu adiectum, seu iniunctum ab iis, *qui videbantur esse aliquid*; sed se nihil doctrinæ ab Apostolis cæteris accepisse, cum à Christo de omnibus diligenter instructus fuerit.

CAPVT XVII.

Explicatur prima prærogatiua sancti Petri ex mutatione nominis.

POSTQVAM Bellarminus copiosè & eruditè explicauit ac defendit, quæ ad promissionem & institutionem primatus Petri pertinebant; nunc eandem rem ex prærogatiuis beato Petro concessis probare & confirmare aggreditur. Obseruandum autem est, vt cauillationes & Sycophantiæ Prædicantium clarius elucescant, & melius declinentur, non adferri hæc priuilegia, quasi ex singulis seorsim & absque respectu ad alia, vel etiam ad principalia testimonia de promissione & institutione primatus Petro concessi, necessarium argumentum exstrui queat; sed quòd si non necessaria, saltem admodum probabilis inde argumentatio duci possit; si prærogatiuæ istæ sumantur coniunctim; vel cum habitudine ad principalia testimonia, quæ de primatu in scripturis exstant. Quanquam non inficior ipsas etiam prærogatiuas singulas verisimilem probationem nobis suppeditare; si sumantur non præcisè & abstractè ab omnibus conditionibus & circumstantiis antegressis, vel comitantibus, vel consequentibus, sed vt his omnibus affectæ sunt.

Illud insuper ima mente reponatur, quod alibi monitum, & ab Aristotele sæpius monetur, non esse parem vbique certitudinem, robur, & efficacitatem in omnibus argumentis requirendam: sed sufficere; vt nonnulla non plus, quàm verisimilitudinem veritati, quæ probanda suscipitur, afferant. Nam vt fatuum est in quacunque materia eandem argumentorum certitudinem & euidentiam quærere, sic æquè stultum est, parem vim ab omnibus probationibus; in eadem materia; postulare.

Quod S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. cap. 14. scripsit de exercitu hominum; idem & de exercitu, vt sic loquar, argumentorum vsurpari potest. *Numquid, quia in exercitu fortissimus quisq; eligendus est, idcirco non assumentur & infirmiores, cum omnes fortes esse non possint? Si exercitus viribus tantum constaret, & non etiam numero militum; abiicerentur imbecilliores; nunc, & secundarum, & tertiarum virium gradus assumitur, vt turba & numero exercitus compleatur.*

His obseruatis, audiamus, quid Prædicantes de his Petri prærogatiuis, & de accuratissimo labore, quo eas Bellarminus explanat & tuetur, prædicare incipiant. Danæus clamat, Bellarmi-

num *has prærogatiuas inutili labore & prolixissimo verbiu collegisse*. Inutilis & nimium prolixus labor est Caluinianis, quorum causæ priuilegia ista Petro concessa nihil emolumenti pariunt: præsertim accuratissimè & dilucidissimè ante omniũ oculos posita & expositа. sic, vt & à cæcutiente videri queant. Nimis hic labor Caluinianis est prolixus, quia nimis molestus, addo & damnosus. Caluinismi enim vanitatem luculenter patefacit & redarguit.

Ait Danæus; *Bellarminum voluisse esse prolixum, vt Caluinistas tædio tot & tam inepta legendi afficeret, & mole tam crassi voluminis obtereret, si posset.* Nihil in hac disputatione de prerogatiuis Petri, ineptum; nisi apud ineptos sectarios, quibus quidquid pro gloria cælitum, præsertim S. Petri, differitur, ineptum est; eam solum ob causam, quia fouendæ & amplificandæ hæresi aptum non est. Nec vllum libro suo Bellarminus obterere propositum habuit, nisi hæresin, cui per has & id genus alias exactas & elaboratas disputationes gula eliditur. Hinc tantæ Prædicantium vociferationes & debacchationes.

Si tu, Danæe, legere nolebas Bellarmini disputationem, cur legisti? Quis te ad lectionem compulit? nec quidquã causæ dicere potes, cur de prolixitate conqueraris, quandoquidem tam firmis es humeris & lacertis, vt tibi *quinin labor, quamuis alioqui grauis, reddatur leuis ac facilis*, quod tu ipse de te hîc profiteris, me non dissentiente, si loquaris de labore mentiendi & calumniandi, qui tibi tam facilis est; quam loqui & ridere.

Ais. *Licet Bellarmino hæ prærogatiuæ concedantur, haud tamen inde sequi, primatum Ecclesiæ competere Petro.* Negamus hoc non sequi, præsertim si prærogatiuæ istæ considerentur coniunctim inter se; & cum habitudine ad principalia testimonia de promissione & institutione primatus.

Instas. *Non sequitur: quod si quis subditus à principe suo præclara aliqua, multaq; priuilegia acceperit: idem vicarius, & totius regni caput sit. Alia enim est prærogatiua, alia capitis ratio. Nec multæ prærogatiuæ regem, aut caput faciunt; sed sola primaria illa dignitas, & autoritas, quæ alicui ex se, & à se competit, velut fonti reliquarum in eodem regno potestatum.* VVitackerus quoque verbosissimè declamitat, non valere hanc consequentiam. *Petrus habuit multa priuilegia; ergo fuit princeps Apostolorum.* Idem oggerit Chamierus.

Respondeo; præcisè ex ipsis priuilegiis, qua talia, non colligi primatum, alioqui omnis, qui priuilegiũ in regno vel ciuitate impetraret; primatum obtineret; colligi tamen inde, si sint eius generis priuilegia, quæ vel primatum dandum, vel datum partim apertè indicent; partim tacitè insinuent; præsertim, suppositis eidem personæ factis de primatu promissionibus, ab eo, qui suo in regno non voluerit visibili specie perpetim præsens esse, sed illud per constitutum ad id Vicarium gubernare & administrare. His & similibus circumstantiis cõcurrentibus, rectè primatum ex prærogatiuis quoq; tali personæ concessis confirmamus & stabilimus; & huius generis sunt prærogatiuæ, quas Petro Deus largitus est, de quibus in præsenti Bellarminus disputat.

Addit Danæus. *Priuilegia & prærogatiuæ alicui ab alio concessæ illius subiectionem arguunt; & in eo longè esse inferiorẽ summo gradum ostendunt & probant.* Quis negat, Petrum & Petri successores subiici Christo, & inferiorem Christo gradum tenere? At num ideo, quia Christo subiiciuntur, non erunt Monarchæ respectu hominum in Ecclesia militante degentium? Etiam Rex politicus Christo subditur; & tamen nemo abnuit, eum in suo regno Monarcham esse. Tandem in totam hanc de Petri prærogatiuis disputationem duas catapultas vibrat Danæus; quarum alteram; *Ignorationem Elenchi*: alteram; *A non consequente* indigitat. Iam ergo tota tantæ machinæ structura funditus concidit, & fragore suo omnia longè lateq; compleuit. Quàm fortis bellator Danæus, qui, duplici emisso missili, rem tantam transactam dare potuit.

Nec minor est virtus Sutliuij, qui & ipse instructus ex hoplotheca Sibrandica non dissimilibus armis dimicat. *Argumenta*, inquit, *à prærogatiuis ducta, sunt inepta, insulsa, stulta* (Prædicantium encomia audis) *& risu potius, quàm accurata aliqua responsione refellenda.* Adiunge igitur tibi aliquem Democritum, qui tibi in ridendo suppetias ferat; si fortè præ nimio risu periculum tibi impendet, ne crepes. Et vt nobis gustum aliquem præbeat, quàm argumentationes ex prærogatiuis sint ridiculariæ, hunc syllogismum apponit ex culina Sibrandica. *Cui nomen mutatur, illi Christus Monarchiam per vniuersam Ecclesiam confirmauit. Simoni nomen mutatur. Ergo est ei Monarchia per vniuersam Ecclesiam confirmata.*

Respondeo, inquit Sibrandus, & ex illo Sutliuius, *Maiorem non esse veram.* Vestra culpa non est vera; quare non fecistis veram? Bellarminus hunc syllogismum non cudit, nec ex doctrina eius cudi potest, si quis verum *syllogismum*, non sycophãtam agere velit. Nam vt initiò dixi, istæ prærogatiuæ non *nudè & crudè* inspici debent, vt quidem ab istis sannionibus inspiciuntur & proponuntur, sed cum mutua ad se inuicem habitudine, cum singularum circumstantiis, & cum respectu ad potissima de primatu testimonia. Itaque si hoc vel simili modo argumentũ instituas; *Christus Petro indidit nomen, quod saxum, seu rupem significat; ergo hoc non fecit sine ratione; ergo ideo; quia olim ei dicturus erat: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, præsertim cum mutatio nominum nunquam à Deo, nisi grauem ob causam, fiat; iam non cauillationem Sibrandicam vel Sutliuianam, vel VVitackerianam, vel Cha-

mieria-

mierianam, sed argumentum viro graui dignum efficies.

Iunius negat, *mutationem nominis esse prærogatiuam Petri.* Sapientior ergo est suis Symmistis, qui hoc liberaliter concedunt. Addit. *Non factam nominis mutationem, sed cognominis seu agnominis impositionem, vt ostenditur verbo ἐπέθηκε, superposuit,* Marci 3. id est, ἐπίκλησιν ἔθηκε. At nos ad primam huius nominis impositionem prouocamus, quę exstat Ioan. 1. σὺ εἶ σίμων ὁ υἱὸς ἰωνᾶ, σὺ κληθήσῃ κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος. *Tu es Simon filius Ionæ; Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Vocaberis Petrus, inquit Christus; Et ita ferè semper postea vocatus est, vt rectè monet Bellarminus. Deinde ἐπιθεῖναι non tantum est *superimponere*; sed & *imponere*; hinc Marci tertio ipsemet Beza verbo, *imposuit*, sua in versione, vsus est. Dices: *Apud S. Marcum verbum ἐπέθηκε de Petro & filiis Zebedæi Iacobo & Ioanne, quos vocauit Boanerges, vsurpari. Si ergo hoc potius sit cognomen, quam proprium nomen, vt fatetur Bellarminus, etiam Petri appellationem potius fore cognomen, quàm proprium nomen.* Respondeo, hoc non sequi; nam *Petrus* semper *Petri* nomen postea retinuit; & vix vnquam nisi hoc nomine in sacris litteris appellatus fuit; At Iacobus & Ioannes nusquam postea ab Euangelistis nominantur *Boanerges.* Ex quo patet, fuisse tantum cognomentum, non proprium nomen: Et vt Petri nomen fuisset tantum cognomentum Simonis; attamen prærogatiua non euanescceret. Quæri enim nihilosecius posset; cur Deus, Simoni, filio Ionæ; *Petri* cognomentum tribuerit; & cur hoc cognomen ita inualuerit, vt plerumque in scripturis Apostolus iste non vocetur Simon, sed Petrus; vel Simon Petrus? An non eam ob caussam, quia Christus Petro aliquãdo dicturus erat, & iam de facto dixit? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quamuis enim prius dixisset Christus: *beatus es Simon Bariona*; postea tamen hoc nomen non repetiuit Christus; neque enim ita promissionem instituit; *& ego dico tibi, quia tu es Simon Bar Iona; & super hunc Simonem, &c. Sed; quia tu es Petrus, & super hanc petram,* &c. Nec refert, quòd, vt Prædicantes oggerunt, Petrus postea aliquando *Simonis* nomine est appellatus: id enim non arguit. Petri nomen non fuisse proprium; quia potest quis plura propria nomina habere, vt docet quotidianus vsus, & nunc hoc, nunc illo, & interdum vtroque nominari. Nec verum est, quod Iunius dicit; *Petrum hoc nomen adeptum, vt distingueretur à Simone Cananæo.* Nam quando Petro Christus dixit, Ioan. 1. *Tu vocaberis Cephas*, Simon ille nondum ad Apostolatum vocatus fuerat, & per nomen Cananæi, satis distinguebatur iste Simon à Simone alio; sicut is, qui vocatur Ioannes Baptista, satis distinguitur à quocunque alio, qui simplex duntaxat Ioannis nomen obtinet. Falsum est & illud, quod Iunius innuit; Simonem istum à Christo nominatum *Cananæum*, siue, vt Iunius mauult, *Kannaiten* siue *Kannaniten*; & *Thaddæum, siue Iudam, Lebbæum*: nihil de hoc scriptura; imò cum ad Apostolatum Simon ille veniisset, iam Cananæi appellationem nactum fuisse, satis apertè indicatur Lucæ 6. Vbi ista, σίμωνα, ὃν καὶ ὠνόμασε πέτρον. *Simonem, quem & Petrum nominauit.* καὶ σίμωνα τὸν καλούμενον ζηλωτήν: *Simonem, qui vocatur zelotes*; vbi insinuatur, iam antea vulgo hoc nomine affici solitum, nec illud à Christo adeptum fuisse.

Sutliuius, cum Chamiero & VVitackero obiicit illud Act. 10. *Accersi Simonem, ὃς ἐπικαλεῖται πέτρος, qui cognominatur Petrus.* Vnde apparet Petri nomen non fuisse proprium, sed cognomen. At notum est compositum sæpe idem esse quod simplex, vt ἐπίκλησιν idē quod κλῆσιν, & ἐπιγαλεῖσθαι quod καλεῖσθαι, præsertim cum Euangelista Ioannes, vbi primam hanc impositionem describit, verbo simplici vsus fuerit, σὺ κληθήσῃ, *Tu vocaberis*, &c. & Lucas, ὃν ὠνόμασεν, &c. *quem nominauit Petrũ*, &c. Deinde Petri nomen licet proprium, dici potest *cognomen*, quia ad proprium accessit. Ad extremum, licet *Petrus* cognomentum, non proprium nomen fuisset, quid lucri Nouatores inde facerent? qui, præcipuè VVitackerus & Chamierus, Optatum Mileuitanũ, & hoc antiquiorem Anacletũ valde suauiter rident, quod dixerint, *Cephas Græcè significare caput.* Sed hunc petulantem risum iam supra satis castigauimus. Nec responso dignor conuicia, quibus VVitackerus propter Optatum, insectatur Bellarminũ. Optati verba clara sunt. Ipsa per se VVitackerianas nebulas dissiciunt.

Illud omnibus leporibus lepidius est, cum Danæus tali argumento Bellarminum aggreditur. *Omnes pij & verè in Christum credentes, sunt Petri & Petræ; quia petram Christum habent 1. Cor. 10. v. 4. Ergo Petri nomen non est proprium nomen Petri. Antecedens constat ex 1. Petri 2. v. 5.* Deliramentum hoc est simile huic. Multi alij vocantur *Ioannes*; multi, *Martini*; multi, *Lamberti*; ergo Ioannes non est proprium nomen Caluini; nec Martinus Lutheri; nec Lambertus, Danæi. Deinde loco nominato D. Petri non appellantur fideles πέτροι aut πέτραι, sed λίθοι ζῶντες, *lapides viui.* Si dicas, eôdem recidere, non refragabor; tantummodo Caluinistam cogitare volo, Lithum Misenum Heidelbergensem Caluinianum ægrè passurum, vt *Lithi* nomen Danæus sibi vendicet. Illud quoque secum reputet: nomina, quæ omnibus simpliciter conueniunt, non censeri propria, nam & *ouis* omnibus verè credentibus competit, nec tamen vllum fore tam excordem credo, qui asserat, proprium nomen singulorum Christianorum esse vocabulum *ouis*: nam vt quid proprium sit, necessariò aliquatenus restringi, & ad certos limites coarctari debet: quod non fit in vocabulo *ouis*, & id genus aliis.

Citat Bellarminus S. Leonem, qui asserit, Petrum factum petram à petra Christo; & funda-

mentum à fundamento Christo. Danæus vociferatur, *Leonis testimonium esse nihili.* Applica ad responsum Danæi; & assentiar. *Nemo*, inquit, *est iudex ferendus in propria ratione caussæ.* Oportebit igitur, vt S. Leo quærat iudices Geneuæ aut VViteberge, si Pontificiam suam dignitatem, successionem à S. Petro; & doctrinam suam tueri velit. Sed qualesnam isti iudices? VVitackerus vociferatur: *Quod ad Leonem attinet, eum obruenda potius lapidibus blasphemia erat.*

Sibrandus clamitat, S. Leonem *rugire.* Rugit, sed vt Leo ille de tribu Iuda, non vt ille; qui *circumiens, quærit quem deuoret.* Ex cuius dicto, inquit Sibrandus, *infero hunc in modum. Quæ sunt Christi propria, illa sunt Petro communicata; sed esse essentialem filium Dei, & redemptorem mundi sunt Christo propria; ergo cum Petro communicata. An non est hoc Christum de loco suo deturbare,* inquit Sibrandus, *& Petrum in locum suum constituere, & ex Papa Deum facere, imò supra Deum euehere?* An non est hoc insigniter delirare? Nam S. Leo non dicit ea, quæ sunt propria Christi vel Dei esse communicata cum Petro *essentialiter*, seu vt S. Bernardus loquitur, *substantiuè*; sed per participationem. Exempli caussa esse dicitur proprium Dei essentialiter; illud tamen per participationem habent etiam aliæ creaturæ; nõ quòd ipsum *esse* diuinum in se habeant; sed quia illud in suo effectu participant. Eodem prorsus sensu dixit S. Leo, Christum voluisse, vt quod ipse erat; *Petrus* itidem esset; non per essentiam; sed per effectum & communionem. Et tamen fanaticus iste Caluinista S. Leoni inequitat, & quærit; *qua fronte Leo ausus fuerit, Petrum Ecclesiæ fundamentum constituere, cum nemo aliud fundamentum ponere possit, præter iam positum, quod est Christus* IESVS. O singularem Caluinistæ huius impudentiam, qui tanto Patri tam proteruè & flagitiosè insultare audet, non vllo S. Leonis merito; sed ex sola improbitate & nequitia. VVitackerus post petulantissimam in S. Leonem inuectiuam ex odio & inscitia profectam; sic Bellarminum affatur. *Aut defende tuum Leonem, aut define posthac nos talium Leonum vocibus terrere.* Iam defensus est, & quidem facilè. Quid enim pronius, quàm impudentiam & calumniam à tanto patre depellere?

CAPVT XVIII.

Explicatur secunda prærogatiua ex modo, quo ab Euangelistis Apostoli numerantur.

SECVNDA Petri prærogatiua est, quod ferè semper in enumeratione Apostolorum siue omnium, siue quorundam, primo loco nominatur Petrus. Hinc Sibrandus hunc texit syllogismum planè Sycophanticum; *Qui semper primo loco ponitur, ille est Monarcha, sed Petrus semper primo loco ponitur. Ergo Petrus est Monarcha. Bone Deus*, exclamat Sibrandus, *quibus conuiciis nos exciperent Iesuitæ, si nostra dogmata talibus nugis defenderemus; Ego tamen iis non conuicior, sed seriò ago Deo gratias, Papæ tyrannidem talibus quisquiliis fundatam esse.* Ego verò Ecclesiæ Catholicæ gratulandum censeo, quòd res eo iam adducta sit; vt non nisi Sycophantiis, fallaciis & impostoris appeti queat: nam syllogismus, quem Sibrandus cudit, Bellarmino nunquam in mentem venit; absurdior enim est vel primo intuitu, quàm vt ab eruditissimo Cardinali proficisci potuerit. Nam si quis candidè ageret, is ex doctrina Bellarmini hunc in modum argumentationem instituet. Petrus ferè semper primo loco ponitur in Catalogo Apostolorum vel omnium vel aliquorum; & quando vltimo loco nominatur, id fit, quia instituitur gradatio à minoribus ad maiores, vt ostendit Bellarminus; quodque primo loco ponitur non contingit, vel propter insignia priuata dona, quibus cæteris antecelluerit, vel propter ætatem, vel propterea, quòd primus ad Apostolatum vocatus fuerit; ergo hoc factum est eam ob caussam, quòd esset aliorum Apostolorum dux & princeps. Item, Petrus non tantum ponitur primo loco; sed & à S. Matthæo expressè nominatur *primus*; non ratione ætatis, nec vocationis, nec priuatarum dotium, ergo ratione dignitatis. Quid in his argumentationibus non est verisimile? Quid à ratione abhorrens, præsertim cum vtriusque Antecedentis partes Bellarminus accuratè confirmet? Ex quibus ruit etiam vanitas VVitackeri & Chamieri.

Obstrepunt Sutliuius, Sibrandus, Danæus, Chamierus, VVitackerus, *non semper nominari primo loco Petrum; id liquere ex cap. 2. ad Galat vbi dicitur; Iacobus, Cephas, & Ioannes.* An non hunc ipsum locum attulit & explicauit Bellarminus? Sed videtur Sutliuio & VVitackero perquam absurdum, quod Bellarminus dicit; non esse certum, num hoc ordine ipse Paulus Apostolos illos enumerauerit; Ambrosium enim, Hieronymum, Augustinum in textu & in commentario Petrum primo loco nominare; idemque facere in suo commentario D. Chrysostomum. Respondet Sutliuius, *nihil magis esse absurdum, quàm codices originales ad scripta Interpretum, tanquam regulam ad opus inflectere.* Non abnuo, id esse absurdum, si id fiat temerè, si verò considerate & cum ratione fiat, omni absurditate vacat; vt hic factum; vbi meritò suspicamur, ordinem fuisse mutatum, quandoquidem tanti Patres primo, non secundo loco *Cephan* seu *Petrum* collocant. VVitackerus & Chamierus *valde prædicant vulgatam lectionem; & consensum omnium Codicum.* Nec BELLARMINVS contra nititur. Tantum monet, quid suspicionis Patres illi moueant.

Obiicit Sutliuius: *Patres in expositionibus & numeris non semper sequi ordinem Scripturæ.* Vnde tibi compertum eos, hic non esse ordinem Scripturæ secutos, cum non tantùm in commentariis, sed & in ipso textu primo loco Cepham constituant?

Sed en validissimum à Sutliuij manu arietem contra Bellarminum. *In Scripturis noui Testamenti collocantur epistolæ Petri post epistolas Pauli & Iacobi; ergo non est verum Petrum semper vel plerumque primo loco nominari.* Forsan aliquid virium in hoc argumento inesset, si ordo ille epistolarum ab aliquo Apostolo aut Euangelista esset. Deinde Lutherus iam huic argumento pennas incidit: nam epistolam D. Iacobi, epistolis S. Petri in suis Bibliis postposuit. Ad hæc Sutliuium animaduertere oportebat, Bellarmino sermonem esse, vbi vel omnium Apostolorum, vel aliquorum catalogus texitur. Ordinem autem illum epistolarum Apostolicarum esse vel complecti catalogum Apostolorum; quis vnquam dixit aut sensit?

Oggerit Sutliuius, & cum illo VVitackerus: *Aliquem in enumeratione Apostolorum debere primo loco nominari.* Ita est; sed cur semper, aut ferè semper Petrus? Num hoc casu factum? Ait, *inter socios, collegas & senatores vnum semper esse primum, qui tamen reliquis non præsit: Inter tres illos adolescentes, qui in ignem Babylonicum iniecti fuerunt, Sidrach primum numerari; nec tamen eum sociis præfuisse.* Respondeo, fieri quidem posse, vt quis primo loco nominetur & numeretur, & verè etiam primus sit, nec tamen cæteris cum potestate præsit, vt contingit in catalogis eorum, qui in Academiis Doctorum & Magistrorum titulo insigniuntur; hic tamen primum esse & *primi* appellationem habere; eiusmodi primatum denotare, qui cum præeminentia potestatis coniunctus sit, planum redditur, si hæc prærogatiua non seorsim, sed vna cum aliis, quæ circa Petrum euenerunt, consideretur; præsertim cum principalibus illis locis, vbi Petro primatus cum potestate & auctoritate vel est promissus, vel reipsa exhibitus.

Citat Bellarminus sanctum Epiphanium hæresi 51. quæ est *Alogerum*, dicentem: *Andream fuisse natu grandiorem Petro.* Iunius impudenter in sanctum Epiphanium inuehitur, eumque per ludibrium appellitat *bonum senem, qui contra Alogos scribens, & à veritate, & à traditionibus non parum aberrauerit.* Nec tamen vllum errorem adduxit Iunius, quo criminationem suam aliqua verisimilitudine vestiret, & vt in chronologia S. Epiphanius nonnihil titubasset, num ideo hoc Caluinianæ linguæ spiculo verberandus erat? Negat deinde Iunius, Epiphanium dicere; *Andream fuisse Petro seniorem: nam verba Epiphanij esse ambigua; referri posse vel ad ætatem, vel ad staturam.* μικροτέρου τῷ πέτρῳ τῷ χρόνῳ τῆς ἡλικίας, Si ad ætatem quoque referri possunt, cur ergo reprehendis Bellarminum, qui fecit, quod fieri potuit, hoc est, ad ætatem retulit? Quàm verò fatuum est, interpretari illa verba *de statura corporis?* Quæso, quid intererat siue Petrus Andream, siue Andreas Petrum quantitate corporis excederet? An non hæc fatuitas dilucidè refellitur ex eo; quòd sanctus Epiphanius adiecit; τῷ χρόνῳ τῆς ἡλικίας, *Petrum fuisse Andrea minorem.* An χρόνῳ τῆς ἡλικίας, tempus ætatis, significat *staturam* seu *magnitudinem corporis?*

Ait Bellarminus: Hieronymum contra Iouinianum lib. 1. cap. 14. non dicere; Petrum fuisse omnibus Apostolis seniorem. *Falsum*, clamat Iunius. Sed falsò: nam sanctus Hieronymus tantùm dicit: *Petrum fuisse seniorem Ioanne.* Quærens enim cur supra Petrum, qui maritus fuerat, non supra Ioannem, virginitatis gloria & integritate præcellentem, Ecclesia fundata fuerit, subiungit: *Ætati delatum est, quia Petrus senior erat; ne adhuc adolescens, ac penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur.* Bellarminum infrà libro secundo capite nono dicere; *Petrum omnibus Apostolis seniorem fuisse*; Iunianum est mendacium, & quidem admodum effrons; quia hoc non asserit ex sua, sed ex Veleni Hæretici sententia, cuius obiectionem quandam recitat, & postea confutat.

Ait Bellarminus, Apostolum in illo 1. Corinth. 1. *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi*; ascendisse & Petrum, propter dignitatem, proximum sub Christo posuisse Sutliuius. *Absurdum est Paulo dignitate præponi Apollo, quod tamen futurum esset; si Bellarmini progressionem admitteremus.* Nil absurdi, si Paulus ex humilitate & modestia Apollo digniore loco reposuit. Quod autem nonnullis in locis Petrus vltimo loco nominatur, vt Marci 16. *Dicite discipulis eius & Petro*, & 1. Corinth. 9. *Sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* id primatui non officit; nam vltimus nominatur, non vt vltimus, sed vt cæterorum dux & caput: Cæteris enim tacitè tantùm nominatis, Petri, tanquam præcipui & omnium coryphæi, expressa mentio instituitur.

Damnant Iunius & Sutliuius Bellarminum, *quasi Græcæ linguæ imperitum*, quod ex Ignatio ad Smyrnenses dicat; *Christum post Resurrectionem venisse ad eos, qui circa Petrum erant*: nam apud Græcos, εἰ περὶ πέτρον; idem esse, quod ὁ πέτρος; ἡ περὶ πλάτωνα, idem quod ὁ πλάτων. Calumniator est, quisquis hæc, quæ Græcarum literarum tyronibus nota sunt, Bellarmino Græcè & Hebraicè peritissimo ignota esse arbitratur. Nec *fictam*, sed veram *ignorantiam* linguæ Græcæ prodit; qui locutionem illam semper hoc duntaxat modo accipi putat; quia certum est vsurpari eâ etiam significatione, quam expressit ex S. Ignatio Bellarminus, & sine dubio ante illum aliquis Interpretum, præsertim apud illos scriptores, quibus veritas magis est cordi, quàm Atticismi. Et certè

apud S. Ignatium ita accipiendam esse illam periphrasin manifestè apparet ex ipsa apparitione, qua se Christus discipulis post Resurrectionem manifestauit: neque enim Luc. 24. quando dixit: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet:* soli Petro se conspicuum exhibuit; sed omnibus, qui cum Petro congregati erant.

Danæus totam hanc prærogatiuam prosternit duabus balistis: quarum altera est; *A non consequente, seu; A figura dictionis.* quia perinde est; siue hanc, siue illam, siue aliam quamcunque nominet, dummodo *Fallaciam* nominet. Iam enim omnia ruunt, vbi *Fallaciæ* arietem admouet.

Altera Danæi balista: *Fallacia ab æquiuocatione vocis, primus.* Malè sit istis *Fallaciis*, quæ Bellarmini disputationes adeo inoluerunt, vt Danæus nuspiam pedem figere possit, quin figat in *Fallaciam*: non quoquam oculos coniicere, quin in *Fallaciam* coniiciat. Cur omnia videntur Danæo fallacia? Num quia ipse ex fallaciis consutus est? Ita, opinor; nam verum est illud: *Quidquid recipitur secundum recipientis dispositionem recipitur.*

CAPVT XIX.

Explicantur quatuor aliæ prærogatiuæ ex Euangelio sancti Matthæi.

SOLVS Petrus vnà cum Domino ambulat super aquas Matthæi 14. Hac prærogatiua primatum Petri significatum fuisse docet S. Bernardus à Bellarmino citatus. Sibrandus summa cauillandi libidine hoc sycophanticum portentum, quasi ex Bellarmini sensu in medium producit. *Qui ambulat super aquas, ille est Monarcha: Sed Petrus ambulat super aquas, ergo Petrus est Monarcha.* Nunquam hoc monstrum vlli erudito in mentem venit; Sycophantia Sibrandica est; quam, vt & alias huic gemellas, ex eodem fonte profectas, non dubito ipsis perspicatioribus Caluinistis despicatui esse: longè enim alia hinc exstruenda esset argumentatio; si quis potius argumentari, quàm criminari vellet. Eiusdem farinæ est hæc VVitackeriana: *Petrus natauit in aquis, & ambulauit super aquas; ergo est Apostolorum princeps.* Huic suo delirio mox apponit hoc in S. Bernardum conuicium: *Lepidum allegoriæ commentum, de quo nullus pater somniauit ante Bernardum.*

Danæus vociferatur factum Petri non fuisse prærogatiuam, *sed temeritatem*; & *Petrum fermè sua temeritate periisse.* Sed bonum validumque patronum habet S. Petrus, nempe Christum; qui temeritatis Petrum nunquam accusauit, præsertim cum in mare, non nisi iubente Domino, se demiserit. Timorem & fluctuationem animi tantos inter fluctus Christus obiecit: Temeritatem nunquam obiecit.

Iunius ait, *Petrum fuisse præcipitem.* Certè si animo præceps, vel potius in profundum impietatis Caluinisticæ præcipitatus non fuisses, nunquam hoc conuicio sanctissimum & Christi amore inflammatissimum Apostolum percussisses. Obiectat Iunius: *Hoc argumentum esse allegoricum.* Idem & Sibrandus. Quid tum? An nihil ne probabiliter quidem colligi potest ex allegoriis; præsertim accedente auctoritate sanctorum Patrum, vt hic sancti Bernardi? nam VVitackeri impudentiam facilè aspernamur: clamitantis; *Nisi maiore argumentum auctoritate quàm Bernardi, nitatur, qui seculo Antichristiano vixit, facile contemnitur.* Nihil enim facilius VVitackero, quàm sanctos Patres contemnere. Nec moderatius furit in S. Bernardum Chamierus. Ait Sibrandus; *Bernardum fuisse virum magnum*, dignum meliore sæculo. Atqui si iam vitam ageret, Lutheranos & Caluinianos non aliter acciperet, quàm olim Henricum & Henricianos, & alios quosdam veteris doctrinæ Nouatores. Sutliuius compendiosius se expedit, *nullam Bernardi habendam rationem, quippe qui gratiam Romani Pontificis aucupari voluerit.* Caluiniana responsio; vt & illa Sibrandi: *Hæc talia Bernardi esse tegenda, non propalanda.* Tecta videlicet cupiunt, quidquid ad primatum stabiliendum facit; & si quid vel in speciem ex sancto Bernardo contra primatum atripere queunt: id vbique inculcant, & in omnibus non modò pulpitis, sed & in tectis prædicant & diuulgant & tunc Bernardus *vir diuinus, & Dei spiritu plenus* audit.

Quarta prærogatiua est illa peculiaris reuelatio de diuinitate Christi facta soli Petro Matt. 16. Hinc hanc sycophantiam texit Sibrandus: *Cuicunque Pater reuelauit Iesum esse filium Dei, ille est Monarcha: sed soli Petro reuelauit Iesum esse filium Dei, ergo solus Petrus est Monarcha.* Dicamus nos: *Omnis ille, qui talem syllogismum Bellarmino affingit, vel quasi ex Bellarmini doctrina collectum proponit; effrons calumniator est; Sibrandus hoc facit, ergo Sibrandus est effrons calumniator.* An non tam verus & iustus est hic syllogismus, quam falsus & calumniosus ille Sibrandicus? Breuitatis caussa non formo argumentationes ex singulis Petri prærogatiuis; quia plus eruditi lectoris iudicio defero, quàm vt arbitrer, eum per se nô animaduertere, quomodo quæ extra argumentationis formam Bellarminus differit, Dialectica veste amicienda sint, si quis candidè rem gerere instituat.

Sutliuius cum suo Sibrando, Chamiero & VVitackero clamat: *Etiam alii Apostoli idem fuisse reuelatum.* Sed postea; Non Matth. 16. Iunius oggerit: *Bellarminum esse contumeliosum in reliquos Apostolos, quod dicat soli Petro Christi naturalem diuinitatem fuisse reuelatam Matth. 16.* Vbi probatio Iunii? *In sermone*, inquis, *Christi, non est vlla particula exclusiua.*

An

An non sat *particula exclusiua*, quando ad vnum tantummodo sermo dirigitur? *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis tibi hoc non reuelauit, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* Omnia singulariter. Omnia ad vnum. Quî magis vnum alloqui potuisset Christus, nisi vtendo verbis iis, quibus vsus est? *At Ioan. 6. Petrus eandem confessionem fecit nomine omnium discipulorum, quam fecit Matth 16.* Sed Iunius probare debebat, non affirmare, esse eandem. Certè confessioni Ioan. 6. Christus magnificam illam & peculiarem mercedem non reposuit, quam reposuit Confessioni factæ Matth. 16. quæ posterior fuit, vt patet ex illis, qui quæ à singulis Euangelistis scripta sunt; ex temporis ordine disposuerunt: nam eo modo Petrus Christum appellauit *filium Dei*, quo omnes Sancti vocantur *filij Dei*. Idemque iudicium esto de confessione Nathanaëlis. Ioan. 1. quod Bellarminus rectè monuit. Quanquam & excellentiore modo tam Petrus, apud Ioannem, quàm Nathanaël, Christum Dei filium nominare poterat; videlicet vt Messiam promissum. Etiamsi eum, naturalem Dei filium esse, ignorarent. Ex quibus euanescunt etiam VVitackerianæ & Chamerianæ logodiarrhoeæ.

Occinit Sutliuius cum VVitackero: *Ioanni Baptistæ, & Deiparæ Virgini vera Christi diuinitas prius quàm Petro patefacta fuit.* Sed Caluinista animaduertere debebat, à Bellarmino comparari Petrum non cum aliis quibuscunque sed cum Apostolis. Hinc quando dicit; *soli Petro* hanc reuelationem factam; mox exponit, quo sensu vocula *soli* accipiat; eum ait; *Petrum primum omnium Apostolorum à Deo edoctum cognouisse summa mysteria nostræ fidei.*

Citat Bellarminus multos sanctos Patres idem testificantes. Vociferatur Sibrandus, Bellarminum, *pudenda Patrum detexisse: se nil respondere velle; manifestis scripturis Patres debere cedere.* Scripturis nemo non libenter cedit; sed num ideo Scripturis cedet, si phantasiis Sibrandicis cedat? Num ideo Patres pudore digna tradiderunt, quia non tradiderunt, quæ ad Sibrandicam saliuam faciant?

Quinta prærogatiua continetur illis verbis: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Matthæi 16. Syllogista Sibrandus, nec admodum dissimiliter VVitackerus: *Contra quemcunq; non præualent portæ inferorum; ille est Monarcha; sed contra Petrum non præualent portæ inferorum, ergo Petrus est Monarcha. Respondeo, esse quatuor terminos*, inquit Caluinista. Atqui eodem iure, quo quatuor terminos in hoc tuo monstro posuisti, poteras ponere terminos quinque, vel plures, quandoquidem tibi nil aliud propositum est, quàm sycophantari, à quo scopo non aberras, quocunque tandem pacto informes tuos syllogismos formes. Nam si quis argumentationem ita instituat: *Contra quem in definitionibus ex cathedra non præualent portæ inferorum, ille est Monarcha: Sed contra Petrum in definitionibus ex cathedra non præualent portæ inferorum, ergo Petrus est Monarcha*; iam cauillatio & sycophantia in legitimam argumentationem abierit. Conuicia in Pontifices, ad Sibrandum redire iubemus.

Petulans calumniator Bezæ Sutliuius obstrepit: *Etiam veteres Prophetas Ecclesiæ & regni Christi stabilitatem non ignorasse.* Num Bellarminus prærogatiuam Petri in hoc constituit, quòd stabilitatem Ecclesiæ agnouerit; & non in hoc, quòd Ecclesia super Petrum ædificata, tam stabilis & immota futura esset, vt portæ inferi aduersus eam minimè præualere possent? Ad testimonium illud S. Augustini: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, ipsa est petra*; respondet Sutliuius; *Augustinum intelligere doctrinam Petri.* Sensus igitur erit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa doctrina Petri.* Sed quis hic sensus insensatus? VVitackerus nil nisi verba fundit. Chamierus clamosè probat; illud: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; pertinere ad Ecclesiam: Quis negat? Sed ad Ecclesiam supra petram & Petrum fundatam; à petra enim perpetuam suam firmitatem accipit.

Verùm vt hæreticorum cauillamenta fortius retundantur, iuuat audire, quid S. Chrysostomus in cap. 16. Matthæi de Confessione Petri scribat: *Quid Christus? Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi. Atqui nisi propriè sic Petrus intellexisset, & ab ipso Patre natum crederet, non fuisset reuelationis opus illa confessio, nec aliqua beatificatione digna, si vnum ex multis Dei filiis illum putasset. Etenim, iam pridem post tempestatem, qui erant in nauigio, verè filium Dei es tu, dixerunt; & quanuis verè dixerint, beatificati tamen ab eo non sunt. Non enim ita, vt Petrus, sed vnum ex multis verè filium æstimabant, præcipuum quidem magisq; dilectum, non tamen ex Patris substantia natum. Nathanaël quoque dicebat, Ioan. 1. Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israël; nec solùm beatificatus non est, verùm etiam, quasi multò inferiora, quàm oporteat, cogitaret, sic à Christo erat redargutus. Subiunxit enim; quoniam tibi dixi, quia vidi te sub ficu, credidisti; maiora his videbis. Ea igitur de re Petrus beatificatur, quia Christum Patris propriè filium confessus est, qua etiam de causa nihil tale de illis dictum est, quale de hoc dicitur, quia Pater reuelauit tibi, &c.*

Quid igitur Christus? Tu es Simon filius Ionæ; tu vocaberis Cephas. Nam, quia Patrem meum prædicasti, ego etiam illum nomine, qui te genuit: ac si diceret, quemadmodum tu Ionæ filius es, sic ego Patris mei filius sum. Nam aliter superuacaneum omnino, atque superfluum esset, dicere, tu es filius Ionæ. Verùm, quia ille dixit; tu es filius Dei; vt sic se esse filium Dei ostendat, sicut ille Ionæ filius, eiusdem videlicet substantiæ cum Patre, idcirco illud adiecit; Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.

Sexta prærogatiua est Matth. 17. vbi Dominus iubet solui tributum pro se & Petro. Sibrandus. *Quicunque ex Christi imperio soluit tributum, ille est Monarcha. Sed Petrus ex Christi imperio soluit tributum*

tum, ergo Petrus est Monarcha. Vix risum contineo, cum hæc scribo, inquit Sibrandus. Et ego vix bilem, quando hæc tua vsque adeo sycophantica, propè dixeram, *diabolica* figmenta lego. Quis enim primo statim aspectu non cernit, qualis tibi mens, quàm amens; qualis frons, quàm effrons? An non sancti Patres à Bellarmino citati hac tributi solutione Petri principatum significatum diserte tradunt? Nec absimiles sunt calumniæ VVitackeri & Chamieri, quas hîc Bellarmino affingunt, quas tamẽ Patrũ auctoritas & circumstantiæ huius tributi depensi, facilè dispellunt.

Danæus & Sutliuius obstrepunt, *soluere tributum esse potius subiectionis, quàm dominationis argumentum*. Respondeo; id verum esse vbi tributum soluitur de iure; non de facto duntaxat, prout Christus pro se & Petro; solui voluit. Deinde si quæcunque tributi pensio indicium est subiectionis; sequitur; Christum publicanis illis fuisse subiectum, quia æquè pro se ac pro Petro tributum pendi voluit. At quis hoc dicat vel ferat? Criminationes Sibrandi in Pontifices, quas pleno sacco effundit, susque deque habemus.

Chamierus valdè vt opportunè; ita & subtiliter explicat, quid sit *capite censeri*. Nimirum ante Chamierum nemo id intellexerat. Nunc id intelligimus beneficio Chamieri; præsertim, addito hoc mendacio: *Auctorem quæstionum veteris & noui Testamenti, qui habetur Tom. 4. operum S. Augustini, falsò à Bellarmino citari*. Sed auctor vel obiter inspectus fidem asseret Bellarmino, contra criminationem Caluinisticam: *Sicut in Saluatore*, inquit ille Auctor, *erant omnes causſa magisterij: ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici*. Quod postea fusè ostendit. In quem Auctorem qui licet non sit Augustinus, vetus tamen & doctus est, furiosissimè bacchatur VVitackerus, *mendicabulum & sædum mancipium Threicijs notis compunctum, & perforatis auriculis circumforaneum* illum nominitans; non aliam ob causſam, quàm quia Petri primatum ex pensione huius tributi collegit. Aureus scriptor audisset, si cum VVitackero & Chamiero asseruisset, ideo pro Christo & Petro didrachma persolutum, quod Capharnaum dicatur ciuitas Christi Marci 2. & Petrus ibidem domum habuerit; neque aliquid altioris mysterij ex hoc facto eruisset. Chrysostomus etiam *pius Pater*, inquit VVitackerus, *toto hic errat cælo*. Id videlicet restabat, vt aculeum infixum melle tegeres.

CAPVT XX.

Explicantur tres aliæ prærogatiuæ ex Euangelio S. Lucæ.

SEPTIMAM prærogatiuam ait Bellarminus positam, in duobus miraculis à Christo editis in piscatione Petri Lucæ 5. & Ioan. 21. Sibrandus, more suo sycophanticè. *Qui miraculosè cepit multos pisces, illi Christus totius Ecclesiæ Monarchiam confirmauit: sed Petrus cepit multos pisces miraculosè: ergo Petrus est ille, cui Christus totius Ecclesiæ Monarchiam confirmauit*. Monstra huiusmodi recitasse vel indicasse, est refutasse: maximè si lector ipsum Bellarminum legat; & cum criminationibus huius Caluiniani agyrtæ componat. Derepentè omnia, nebularum instar, vertentur in nihilum. Iunius, & VVitackerus clamant: *hoc argumentũ esse allegoricum. Ex allegoriis nihil probari*. Nihil, ne probabiliter quidem, potissimum, accedente sanctorum Patrum auctoritate? Nec ipsa inscitia hoc affirmauerit. Danæus vix paucis verbis factis, hinc seproripit. Vocat *nugas nugerrimas, & vnguentum in lente*, quidquid Bellarminus hic doctissimè ex Patribus disserit; additque mendacium; septimam prærogatiuam *esse miraculum à Petro factum*. Quasi miracula, quę in gemina Petri piscatione acciderunt, fuerint miracula Petri, non Christi. Sutliuius intonat. *Ex principatu super piscatores malè probari principatum super totam Ecclesiam*. Cur malè? Nam si in vtraque illa piscatione Petrus semper primus & princeps inter omnes fuit; & si priore ille militans Ecclesia adumbrata est, vt Patres docent; & in ea Petrus, eorundem testimonio, primatum tenuit, omnino sequitur; eo ipso ænigmate indicatum fuisse, Petrum in militante etiam Ecclesia primas habiturum. Sed en subtilissimas Sutliuij subtilitates: *Petrus bis tantum legitur insse piscatum: ergo non est perpetuus Ecclesiæ Rector partim in se, partim in successoribus*. Item: *Hæc miracula fuerunt extraordinaria; ergo non potest inde colligi ordinaria Petri in Ecclesiam potestas*. Quales næniæ. Quasi verò re extraordinaria non possit significari res ordinaria. An transitus per mare rubrum, & arca Noë non erant res extraordinariæ? Et tamen significarunt baptismũ, rem in Ecclesia ordinariam. Et transitus per mare rubrum semel tantum accidit; & arca Noë semel duntaxat homines saluauit; & tamen baptismi ordinariè in Ecclesia duraturi, mortaliumque animos ab ingenita labe expiaturi, figuram ac typum gesserunt.

Obiicit Sibrandus: *Si Petrus in vtraque piscatione principatum tenuit; secunda autem piscatio Ecclesiæ triumphantis typus fuit, sequitur Petrum Ecclesiæ quoque triumphantis principem esse: Sed hoc est absurdum*. Respondeo, negando sequelam, quia cum quid typicè & figuratè dicitur, accommodatè ad rerum naturas vel institutionem accipi debet, institutio autem primatus Petri hoc exigit, vt ipse sit princeps militantis Ecclesiæ, non triumphantis; & satis est, quòd in illa secunda piscatione; militantis Ecclesiæ symbolo, significatum fuit, Petri opera & ministerio pisces, hoc est, homines, ad littus, seu ad quietum æternæ felicitatis portum perduci. Chamierus nullam prorsus hîc prærogatiuam Petri agnoscit. Et hanc consequentiam Catholicis scriptoribus affingit: *Dixit Petrus: Vado piscari: Reliqui statim: Et nos tecum: ergo Petrus est Apo-*

stolorum

stolorum princeps. Hem, subdit Caluinista, *hæccine verba sunt, quæ Petrum significant principem?* At nemo ex his præcisè verbis principatum colligit; Sed ex his, & ex tota facti historia.

Octaua Petri prærogatiua Lucæ 22. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, &c. ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Sibrandus. *Argumentum hoc duobus modis formari potest. Dominus orauit pro Petro, ergo Petrus est Monarcha*: Vel, *Petrus confirmauit fratres suos, ergo est Monarcha.* Sibrandus, prout fert eius ingenium, strenuè sycophantatur, ergo est calumniator: siue priore, siue posteriore, siue alio simili modo argumentum formet: nam sinceri pectoris homo longè aliam argumentationem ex hoc loco texeret; hanc nimirum, vel aliam non disparem. Pro quo Dominus peculiariter orauit, vt fides eius nunquam deficiat; is est, vel certè futurus erat, Ecclesiæ Monarcha: testibus Græcis & Latinis Patribus, nominatim Theophylacto & S. Leone, quos citat Bellarminus; ergo Petrus est, vel certè futurus erat Monarcha Ecclesiæ. Item, qui non quomodocunque, sed peculiari modo iubetur omnes vniuersim fratres, nemine excepto, confirmare, pascendo, regendo, præsidendo, docendo, ille est Monarcha Ecclesiæ, Petrus est talis, ergo, &c.

Obiicit Sutliuius ex suo Savvbrando. Christum etiam pro aliis orasse: Sed num eo modo & ritu, quo pro Petro, vt fides eius tam in ipso, quàm in successorib' perpetuò incorrupta perseueret? Oggannit. Etiam ab aliis Apostolis confirmatos fuisse fratres. Sed num ea ratione & auctoritate, & potestatis præeminentia, qua à Petro; peculiari Ecclesiæ fundamento? citat Bellarminus Theophylactum dicentẽ ex persona Christi; *quia te habeo, vt principem discipulorum, &c. confirma ceteros: hoc enim te decet, qui posti me Ecclesia petra es, & fundamentum.*

Occinit Sutliuius: *Ex verbis istis non colligit Theophylactus. Petrum esse principem Apostolorum, sed quia princeps erat & petra & fundamentum, propterea debere eum fratres confirmare.* Fateris ergo Petrum, ex sententia Theophylacti, esse *principem, petram & fundamentum.* Quæro, cuius sit princeps, petra, fundamentum, si non Ecclesiæ? Si Ecclesiæ, ergo etiam Apostolorum, quia & isti sunt de Ecclesia. Deinde Bellarminus nihil dicit de collectione aliqua; sed hoc tantùm, Dominum verbis illis: *Ego autem rogaui pro te, etc. apertissimè ostendisse Petrum fore principem & caput suorum fratrum.* An non hoc ipsum palam affirmat Theophylactus? An inepta esset collectio, si ex hoc loco sic cõcluderem? Christus peculiari modo orauit pro fide Petri, vt non deficiat; & peculiari ratione iussit, vt fratres confirmet, & quidem omnes, nullo excluso; ergo Petrus vel tunc erat, vel certè postea futurus erat caput & princeps Ecclesiæ.

Ad testimonium S. Leonis respondet idem Sutliuius: *Leonem non ideo dicere, Petrum esse principem Apostolorum, quia pro eo Christus orabat: sed contra, ideo Christum pro eo oraſſe, quia princeps esset.* Sed iste tricatur, vbi tricis nihil opus. Nam siue hoc, siue illud dicas; ex dictis S. Leonis manifestè liquet, verbis illis Christi, principatum S. Petri ostensum & indicatum fuisse, quod Bellarmino satis est: qui neutrum eorum, quæ Sutliuius comminiscitur, asseruit. Siue enim Christus orauerit pro Petro, quia princeps erat; & siue Petrus sit princeps, quia Christus pro eo rogauit; semper verũ manet, verbis Christi; & testimoniis Theophylacti & S. Leonis primatum Petri nobis proponi. Nec sollicitos nos habet VVitackeri impudentia, qui vultu & ore duro isthæc. *Quod ex Theophylacto & Leone affertur, facilè contemnitur: nam alter recentiorum temporum fuit; alter, Pontifex Romanus, doctus, fatetur, sed immodicè superbus.* En frontem Caluinisticam. Chamierus nullam hic agnoscit prærogatiuam. Multa exscribit ex Theophylacto. Sed id quod præcipuum est, leui brachio tangit, imò contemptim reiicit. *Nos quærimus*, inquit, *quid Christus dixerit, non quid hic aut ille assuerit de suo.* Et tamen paulò antea verbosissimè quæsierat, quid Theophylactus de hac Christi oratione sentiret.

Vide autem & obstupesce incredibilem Danæi impudentiam: qui de hac prærogatiua hæc in chartam eiectare non erubuit: *Octauam prærogatiuam facit, infidelitatem Petri, quòd Christum esset abnegaturus. Ineptè: quasi vitium nostrum inter nostras prærogatiuas, quæ sunt honoris, recenseri possit, aut debeat. Deliras hic profectò Bellarmine, vt antea.* Quid cum hoc mendaciorum & calumniarum loquacissimo Caluinista incipias? Siccine Bellarminus Petri infidelitatem pro prærogatiua adfert? An infidelitas Petri est; peculiaris oratio Christi pro Petro? An infidelitas Petri est; nunquam defectura fides Petri? An infidelitas Petri est; munus confirmandi fratres in fide & sana doctrina? Et tamen Caluinianus iste *Vaniloquiorum*, post tam atrocia mendacia, etiam Bellarmino insultare, & delirij postulare audet.

Nona prærogatiua: *Quòd Christus resurgens, primùm omnium ex Apostolis Petro se videndum præbuit.*

Vociferatur Danæus: *Hoc falsum est. nam iis duobus virũ apparuit Christus primùm, qui Hierosolymã Emauntẽ proficiscebantur, vt ordo & series historiæ à Luca diligenter obseruata demonstrat.* Lucæ 24. v. 13. 34. Caluinista obseruare debebat Bellarminum dicere: Ex Apostolis Christum Petro primùm apparuisse: at duo illi discipuli non erant Apostoli: quia alter fuit Cleophas; alter, vt multi existimant, ipsemet Lucas: nec Apostolus esse potuit; quia S. Lucas ait: *Surgentes* (duo illi discipuli) *eadem hora regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant dicentes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Ex quibus verbis apparet; apparitionem Petro factam, præcessisse illam, quæ facta fuit discipulis in Emaus abeuntibus. Adhæc Danæo oppono symmystam eius

Chamie-

Chamierum; qui dicit: *verisimile esse Petro ex vita primò apparuisse Christum à mortuis resurgentem.*

Addit Danæus: *Hinc primatum Petri velle concludere; esse fallacias. A non consequente, & ab ignoratione Elenchi. Cur non & ab æquiuocatione; & à figura dictionis & à diuisione rerum coniunctarum, & à dicto secundum quid ad dictum simpliciter,* Et à Danæana stoliditate ad sycophantiam Sibrandi; qui ex noua prærogatiua hoc monstrum conficit: *Cuicunque Christus post resurrectionem primùm visus est, ille est Monarcha. Sed Petrus est ille, cui Christus primũ visus est. Ergo Petrus est Monarcha. Respondeo,* inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam:* Cur non feciſti veram? *Apparitio enim Christi non est caussa Monarchiæ.* Quis dicit esse causſam Monarchiæ? A Bellarmino certè nõ profertur, vt causſa, sed vt probabile indicium & signum, datæ, vel potius paulò post resurrectionem dandæ Petro Monarchiæ. Oggrunnit Sutliuius cum Savvbrando, & VVitackero, & Chamiero. *Christum apparuisse Magdalenæ ante Petrum: primatum igitur Magdalenæ assignandum fore.* Calumnia hæc ruetisi aduertas, Bellarminum dicere; *Ex Apostolis* Christum Petro primum apparuisse.

CAPVT XXI.

Explicantur aliæ duæ prærogatiuæ ex Euangelio S. Ioannis.

DECIMA prærogatiua est, quòd Petrus primus fuit, cui Christus lauit pedes. Vndecima, quod soli Petro mortem prædixit, & mortem crucis. Oggannit Sibrandus, & ex illo Sutliuius. *Lotionem pedum non esse causſam Monarchiæ; alioqui omnes fore Monarchas, quibus Christus pedes lauit.* Nec adfertur à Bellarmino, tanquam causſa, sed vt verisimile signum Monarchiæ Petro promissæ & post resurrectionem tradendæ. VVitackerus & Chamierus clamitant. Non valere hanc consequentiam. *Christus Petro primùm lauit pedes: ergo Petrus est Ecclesiæ princeps.* Valet, vt probabile, non vt necessarium argumentum. Iunius dicit; *Petro, vt ætate & ordine primo,* & hoc æquum fuisse; *Primùm pedes fuisse lotos.* Nec probat Chrysostomum & Theophylactum, opinantes, Iudæ primùm lotos pedes. Quanquam Chamierus strenuè pro Iuda pugnat. *Hoc,* inquit Iunius, *leuis coniectura magis, quàm opinio est.* Sed quod ad ætatem attinet, iam supra ex S. Epiphanio vidimus, Andream fuisse natu grandiorem Petro. Primum fuisse ordine non qualicunque, sed dignitatis & præfecturæ, &, vt primo in tali ordine, Christum Petro pedes primùm lauisse, verisimile prorsus sit, si factum hoc non solitariè sumptum, sed cum aliis iunctum, & vt sanctorum Patrum auctoritate munitum est, accipiatur; vt à Bellarmino accipitur.

Vndecimam prærogatiuã non vidit Sibrandus. Forsan dormitabat, quando hoc XXI. caput legebat. Iunius & VVitackerus aiunt: *Non sequi: Christus prædixit primo mortem, ergo dedit illi aliquam prærogatiuam: alioquin,* inquit, *& prærogatiuam duo latrones illi habuerint, qui ad Christi latera pependerunt, vt nihil de aliis dicam.* Prærogatiua Petri fuit; quòd soli ex Apostolis mors prædicta; nec qualiscunque mors, sed mors crucis; nec qualitercunque: sed cum his & illis circumstantiis, quas Bellarminus accuratè expendit; Et quis neget insignem prorsus saltem dextri latronis prærogatiuam fuisse, quod cum Christo crucifixus est? Forsan enim salutem non obtinuisset, nisi ei hoc priuilegium cum Christo crucem subeundi cœlitus concessum fuisset.

Sutliuius & Chamierus clamant. *Non valere hanc consequentiam. Christus prædixit Petro mortem, ergo Ecclesiæ principatus est Petro delatus.* Sed cuius est imago & superscriptio; quam hæc consequentia præfert? Certè Sutliuij & Chamieri, non Bellarmini; qui hanc prerogatiuam non attulit, vt causſam principatus Ecclesiastici Petro concessi, sed vt probabile indicium.

Obiicit Sutliuius cum VVitackero: *Etiam filiis Zebedæi fuisse à Christo prædictam mortem; cum Matthæi 20. dixit; eos suum bibituros calicem.* Sed num speciatim & determinatè genus mortis his prædictum fuit? Num mors similis morti Redemptoris nostri? An cum aliis adiunctis, quæ Bellarminus in prædictione Petro facta rectè considerat?

Has duas prærogatiuas Danæus vix aspicere potest. Itaque totus stomachabundus vociferatur: *Hæ nugæ sunt, quas pers. qui penè meipsum pudet.* (vtinam puderet te mentiri & calumniari, magna nos leuares molestiâ) *quia bonas horas in rebus solidis collocare viros bonos & pios decet.* Non ergo tu vir bonus & pius, qui potissimam vitæ tuæ partem in mendaciis & calumniis iaculandis collocasti.

CAPVT XXII.

Explicantur aliæ nouem prærogatiuæ ex Actis Apostolorum, & ex epistola ad Galatas.

VNDECIMA prærogatiua est Act. 1. vbi Petrus, tanquam paterfamilias, colligit in vnum, cœtum discipulorum, & vnum eligendum esse docet in locum Iudæ. Syllogista Sibrandus. *Quicunque Apostolos, tanquam patres familias in vnum conuocat, & vnum in locum Iudæ eligendum esse docet, ille est Monarcha. Sed Petrus, ergo.* Respondet: *Minorem esse falsam. Petrũ enim nõ conuocasse Apostolos, Apostolos enim perdurasse concorditer in oratione & deprecatione cum vxoribus, & Maria Matre Iesu, & cum ipsius fratribus.* Act. 1. v. 14. Vbi obserua Sibrandum tribuere Apostolis vxores; forsan eam ob causſam, vt ardentiores preces conciperent, & eò melius mẽtes suas ad Spiritus sancti aduentum præpararent. Asimilem fermè in morem fatuatur hîc Chamierus.

Sed.

Sed, vt ad rem ipsam veniamus; non vult Bellarminus, discipulos à Petro in vnam domum collectos & conuocatos fuisse, quasi ante hanc collectionem & conuocationem non fuerint in vna domo; sed vult, eos, qui vna in domo habitabant, Petri iussu & auctoritate, in vnum locum fuisse conuocatos, vt de aliquo in Iudæ ministerium substituendo disputarent: nam licet aliqui vna in domo habitent, non est tamen necesse, vt vno in loco eiusdem domus habitent; sed in diuersis degere queunt, præsertim si domus sit ampla & laxa, qualem illam fuisse oportet, in qua centum & viginti discipuli & discipulæ morabantur. Calumniantur ergo Sibrandus & Chamierus, quando ita rem proponunt, quasi Bellarminus velit, discipulos ad electionem noui Apostoli ex diuersis ædibus & sedibus à Petro conuocatos fuisse. Minimè hæc Bellarmini mens est: sed ea in domo, in qua degebant, fuisse conuocatos & collectos in vnum locum nutu & auctoritate Petri, tanquam patris familias, hoc est, tanquam præcipui & capitis: nam quòd Iunius garrit de primatu ætatis, iam sæpè reiectum est.

Sed en alium syllogismum, & quidem meliorem & vetustionem, si non mentitur Sibrandus: *Quicunque condiscipulis suis vltro congregatis suadet in Apostata, vel demortui locum deligendum esse alium, ille est Monarcha. Sed Petrus hoc suis condiscipulis suasit. Ergo Petrus est Monarcha. Maior,* inquit Caluinista, *ita est falsa, vt non existimem ipsum aduersarium, quantumuis pro Papæ Monarchia satagentem, eam asserturum esse.* Quare assereret Bellarminus hanc Maiorem, cum sit Sawbrandica, hoc est, inanissima & ex Caluinistico cerebro fraudulenter exsculpta? Neque enim dixit Bellarminus, discipulos, vltrò & iniussu Petri, fuisse collectos, & Petrum in hoc conuentu nil aliud, quàm suasoris munus obiisse: imò contrarium palam asseruit. Neque hoc Sibrandicum figmentum vllo modo ex capite primo Actuum colligitur, sed cõtrarium: Et nisi Sibrandus solenne suum cauillandi institutum teneret, ex hac Petri prærogatiua longè aliter argumentationem instituisset.

Similia fermè nugatur Sutliuius; sua ex Sibrando, dignus Magistro discipulus, excerpere solitus.

Testimonia Chrysostomi & Oecumenij ita eludit Sibrandus, & cum illo Sutliuius, VVitackerus, Chamierus: *Petrum dici principem, non quòd fuerit Monarcha; sed quòd præcipuus inter Apostolos, & in toto illo cœtu.* At hæretici non se extricant. Nam quid est esse præcipuum auctoritate, & dignitate, quàm esse Monarcham? Obiiciunt Chamierus & VVitackerus, Oecumenium dicere, Petrum *nihil egisse ἀρχικῶς, & cum imperio.* At hoc humilitatis argumentum est, non defectus potestatis.

Danæus clamat istas nouem prærogatiuas, *quæ recensentur, non esse prærogatiuas Petri; omnes enim esse Petro cum cæteris Apostolis communes.* Fidem faceret Danæus, si aliquid probaret; sed quia tantum garrit, parum garritu eius mouemur.

Decima tertia prærogatiua. Actor. 2. Petrus omnium primus post acceptum Spiritum sanctum, Euangelium promulgat. Sibrandus. *Quicunque primùm promulgauit Iudæis Euangelium, ille est Monarcha. Sed Petrus. ergo. Respondeo,* inquit Caluinista, *Maiorem non tantùm falsam, sed & ridiculam esse.* Tuo vitio ridicula est; non Bellarmini: non enim est hæc Maior à Bellarmino, sed ex fanatico tuo sinciput: vt & hæc, quam subnectis rationis expers ratio. *Si Petrus propterea Monarcha est, quia Hierosolymis docuit, tum quicunque in aliquo loco primùm docuit, ille istius loci Monarcha est.* Somnia tua aliis videlicet somniis demoliris. Nihil horum Bellarminus docuit: nec hanc vel alias Petri prærogatiuas attulit, tanquam causas Monarchiæ Petro concessæ, sed vt probabilia indicia & πιθανὰ: quale fuit, quod Petrus ante omnes post acceptum Spiritum sanctum intrepidè ad Euangelij promulgationem prosiliit: neque enim hoc frustra vel temerè factum credet, quisquis tunc ab Apostolis nil frustra aut temerè factum esse cogitauerit. Quapropter aërem verberat Sibrandus, cum clamitat, etiam ante Christi passionem Euangelium annunciatum. Nec ignorat hoc Bellarminus; nec diffitetur, sed Caluinista aduertere debebat, Bellarminum disertè loqui de prima publica Euangelij promulgatione post acceptum Spiritum sanctum. Nec aliud quàm Sibrandus adducit Sutliuius. Chamierus & VVitackerus negant, vel saltem incertum esse dicunt; num Petrus primus Euangelium promulgarit; *nam ante orationem, quam Petrus ad populum habuit, Lucam afferre Apostolos locutos esse linguis, prout spiritus dabat eis loqui: nec credibile esse, eos aliud, quam Euangelium locutos esse.* Respondeo, prærogatiuam intelligi debere de publica & vniuersali promulgatione Euangelij, quæ ad omnes vniuersim facta: qualis sola est illa Petri: *qui stans cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis:* nimirum cæteris omnibus conticescentibus.

Decima quarta prærogatiua Act. 3. vbi primum miraculum in testimonium fidei fit à Petro. Syllogista Sibrandus. *Qui primum miraculum in testimonium fidei fecit, ille est Monarcha. Sed Petrus. Ergo. Respondeo.* inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam. Miraculum enim siue primum, siue secundum non est caussa Monarchiæ.* Antiquum obtinet Sibrandus, & vt vereor, perpetim obtinebit. Cauillatur & criminatur: & mentem scopumq; Bellarmini nunquam attingit. Nunquam enim dixit, nunquam scripsit, nunquam somniauit Bellarminus patrationem miraculi siue primi, siue secundi esse *caussam Monarchiæ.* Itaque cum hoc Sibrandus oppugnat, laruas suas oppugnat. Quoties dictum; has prærogatiuas non adduci, vt caussas principatus Ecclesiastici Petro concessi, sed vt probabiles indices? nam caussa principatus hu-

ius est diuina voluntas, institutio, & tantæ potestatis Petro facta largitio. Bone Deus, quis tandem sycophantandi modus erit?

Citat Bellarminus Ambrosium serm. 69. dicentem: meritò Petrum primum miraculum edidisse in pedum confirmatione, vt ostenderet se fundamentum esse totius Ecclesiæ. Clamat Sibrandus & cum illo Sutliuius: Ambrosium nihil huius dicere: *Bellarminum falsarium esse.* Quàm rigidi exactores isti Caluinistæ, qui has minucias persequantur: & inde falsi crimẽ concludant: nam licet sermo, quem Bellarminus citat in quibusdam editionibus sit 68. in aliis tamen est 69. nominatim in Basileensi, quæ in forma quarti prodiit, anno M. D. VI.

Oggerit Sutliuius: vt hoc dixisset Ambrosius, *nihil tamen lucri inde ad causſam pontificiam accederet.* Mentitur. An non causſam nostram, hoc est, ipsam veritatem, iuuat & fulcit, quod Ambrosius Petrum *totius Ecclesiæ fundamentum* appellat? Regerit Iunius. *Hoc esse dictum κατ' ἐνέργειαν:* Ego verò sentio, hoc à Iunio responderi non σολοικῶς, ἀλλὰ ψευδολογικῶς; vt & illud, quod de ratione fundamenti cum cæteris Apostolis communi adfert. Nimis hæc solutio & elusio communis iam est, nimisque triuialis.

Chamierus & VVitackerus negant inprimis, *miraculum hoc à Petro patratum fuisse primum: præcessisse alia*; si postules Scripturam; loco eius adferunt Theophylactum & Oecumenium. Quod mirum in hominibus, qui perpetuò Scripturam iactant, & sine Scriptura nil aut agi aut agere volunt. At certè quidquid isti moliantur, ex S. Luca nullum nobis isti ostẽdent miraculum, quod ita publicè & notoriè, vel dicatur, vel insinuetur factum circa personam quampiam ęgram & miserabilem, ante persanationem claudi illius, de quo Actor. 3. quodque vniuersim omnes adeo vehementer affecerit atque commouerit. Nec Theophylactus & Oecumenius aliud volunt, quàm Lucam exordiri voluisse à primo miraculo omnium illustrissimo; quale est hoc à sancto Petro factum: imò Oecumenius disertè dicit, Lucam incœpisse à miraculo, ἀφ' οὗ πάντες ἐκινήθησαν. *Quo omnes permoti fuerunt.* Mox insiliunt duo isti Caluiniani in sanctũ Ambrosium. Vt id Chamierus impudentius possit, negat Ambrosium esse Ambrosium. *quia pueriliter argumentatur. Nihil eius consequentia ineptius.* VVitackerus. *Non esse credendum, quantumuis Ambrosius tale aliquid affirmaret: qui se hoc loco sanè mirificum scripturæ Interpretem præbet. Optandum esset non fuisse Patres tam ridiculis atque ineptissimis allegoriis deditos. Ambrosius neophytus fuit, & parum in Scripturis exercitatus, &c.* Ita Caluinistæ sanctos Patres tractant, cum quid gustui eorum minus acceptum tradunt.

Decima quinta prærogatiua est Actor. 5. vbi Petrus tanquam summus & diuinus iudex agnouit & damnauit hypocrisin & fraudem Ananiæ & Saphiræ, & eos verbo suo occidit. Sibrandus. *Qui tanquam summus iudex hypocritam damnat & occidit, ille est Monarcha. Sed Petrus. Ergo. Respondeo.* inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam: nam non qui summus in aliqua Republica iudex est. Monarcha est.* Etsi autem hic syllogismus non est Bellarmini, sed Sawbrandi, ac proinde non valde curandus, Maior tamen vera est, quidquid contrà Sibrandus musitet: si, vt debet, intelligatur de Iudice summo indepẽdente, talis enim Iudex verè Monarcha est. Sutliuius hic obmutuit. Vtinam sæpius. Iunius mutit nescio quid *de conclusione vniuersali ex particulari*, nil præter solitum fatuans.

Chamierus & VVitackerus ogganniunt, *hoc Petro fuisse cum cæteris commune. Etiam Paulum Act. 13. Elymam præstigiatorem verbo excæcasse.* Non negamus potestatem miracula faciendi fuisse communem omnibus Apostolis. Nihilominus ex hoc miraculo eiusque adiunctis rectè primatus Petri colligitur. Nam cur solus Petrus Ananiam examinat de pretio agri? cur non alius, vel alij Apostoli, cum pretium in communi ad Apostolorum pedes allatum fuerit? Cur idem Petrus Saphiram solus item examinat? cur ipse omnia pro potestate quasi paterfamilias agit? Neq; enim ad cæteros Apostolos retulit, quid de sacrilegis illis statuendum esset; sed ipse definitiuam sentẽtiam statim protulit.

Decima sexta prærogatiua Act. 9. *Factum est cum Petrus transiret per omnes.* Ex quo loco colligit S. Chrysostomus, Petrum omnes partes obiisse & circuisse, tanquam principem, cui omnium cura vniuersalis incumbit. Sibrandus: *Qui per omnes transit, vt Euangelium vbique annunciet, ille est Monarcha. Sed Petrus per omnes transit, vt Euangelium vbiq; annunciet; ergo Petrus est Monarcha. Respondeo.* inquit Sibrandus, *Maiorem esse falsam, omnes enim Apostoli per omnes transierunt, & Euangelium vbique annunciarunt.* At si ad Maiorem adiiciatur, quod ex diui Chrysostomi sententia adiiciendum est, nempe Petrum transiisse per omnes, vt primum & supremum inspectorem; Maior vera erit, licet Caluinista ringatur.

Sutliuius calumniatur hanc decimam sextam & reliquas vsque ad vigesimam prærogatiuas *prodere summam aduersariorum inopiam, qui etiam à pumice aquam postulent.* Iam sæpe dictum est, Sutliuium non frustra à Beza omnium Caluinistarum, post Caluinum, Antesignano, *petulantem calumniatorem* dictum esse: nam hæc talia pro primatu Petri non adferuntur, nisi vt signa verisimilia: eoque magis verisimilia, quo magis Patrum auctoritate fulciuntur. Chamierus & VVitackerus dicunt; *hoc fuisse Petro cum reliquis Apostolis commune. Transire per omnes commune fuit.* At transire instar simpliciter supremi ducis, commune non fuit: quia hoc Petro proprium fuit. Obit Diœcesin Episcopus, obit & Episcopi legatus: sed diuersa ratione, vt notum est.

Decima septima prærogatiua est Act. 10. vbi Petrus omnium primus incipit prędicare gentilibus.

libus. Sibrandus: *Qui Euangelium omnium primus gentilibus prædicauit, ille est Monarcha. Sed Petrus, ergo.* Qui Bellarmini verba & sensa de industria peruertit & deprauat, ille est sycophanta. Sed Sibrandus. ergo.

Vociferatur Danæus: *Bellarminum esse iniuriosum in Philippum Euangelistam & Paulum, qui, vt suum Petrum exornet, alienas, hoc est, Philippi virtutes ei applicet, & B. Pauli.* Similia Sutliuius, Chamierus, VVitackerus. Hanc calumniam satis superque ipse Bellarminus repulit. Nec fortasse Danæus quidquam hac de re obiicere potuisset, nisi quid obiiceret ex ipso Bellarmino didicisset, dissimulata responsione Bellarmini; nam nisi dissimulasset, materiam calumniandi non habuisset.

Obiicit Sutliuius: *Christum primum prædicasse Euangelium.* At Bellarminus loquitur de prædicatione post aduentum Spiritus sancti: nec Petrum cum Christo, sed cum ceteris Apostolis & discipulis confert. In illud Act. 10. *Macta & manduca:* dentes valde acuunt & exerunt Chamierus, &c. quos citius frangent, quàm argumentationem allegoricam ex illo loco petitam.

Decima octaua prærogatiua Act. 12. vbi pro Petro in carcere constituto *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia.* Sibrandus: *Pro quocunque Ecclesia precatur, ille est Monarcha. Sed Petrus est ille pro quo Ecclesia precatur, ergo est Monarcha.* Respondeo, *Maiorem esse falsam,* inquit Caluinista: *Ecclesia enim orat pro omnibus.* Tu tibi imputa, si falsa est Maior; non Bellarmino, ex cuius doctrina & officina Maior ista non processit, cui si quis vellet verisimilitudinem appingere, hunc in modum concipienda foret. Pro quo Ecclesia non quomodocunque, sed singulari cura & studio & absque vlla intermissione preces fudit, eum caput & principem Ecclesiæ fuisse probabiliter ex hoc ipso Ecclesiæ facto colligimus; sed Petrus est talis, ergo, &c. ex quo etiam Chamierus & VVitackerus ad suas cauillationes responsum habent.

Danæus vociferatur: *Nugatorium est, quod negat pro Stephano & Iacobo preces in Ecclesia, quantum, & vt illa tunc potuit, conceptas fuisse.* Mentitur Danæus. Neq; enim negat Bellarminus pro his ab Ecclesia preces fusas; sed dicit, non legi, ita sine intermissione pro illis ab Ecclesia oratum. Si alicubi id Danæus legit, monstret locum, & silebimus. Clamat Iunius & Chamierus: Non valere hanc consequentiam: *Non legitur in Scripturis, ergo non est factum.* Et tamen hæreticis nihil est familiarius quàm hic argumentandi modus, imò hac argumẽtatione omnes traditiones non scriptas demolitum eunt. Et Bellarminus meritò hac forma concludendi hic vtitur; quia probabile est, Scripturam id fuisse indicaturam, si iisdem circumstantiis pro aliis oratum fuisset, quibus pro Petro. Neque vt obiicit Iunius, Scriptura idcirco *in odiosam & vitiosam repetitionem* incurrisset: quia pauculis verbis id significare potuisset.

Decimanona est Act. 15. vbi Petrus in Concilio primus loquitur, & sententiam eius Iacobus, omnesque alij sequuntur. Sibrandus: *Quicunque primus in Concilio loquitur, & cuius sententiam reliqui sequuntur, ille est Monarcha. Sed Petrus in Concilio primus locutus est, & eius sententiam reliqui secuti sunt. Ergo Petrus est Monarcha. Respondeo, Maiorem esse falsam,* inquit Sibrandus. Iterum quæro, cur non feceris veram? Nam id penes te erat. Maior enim non est Bellarmini, vt à te effingitur & proponitur: Si addas: Quicunque primus in Concilio loquitur vt omnium moderator & director absolutus & independens, ille est Monarcha; iam Maior, velis nolis, vera erit; & quidquid ex Caluini schola, ad Minorem itidem veram, dices; non nisi mendacia dices. Ait Sutliuius: *falsum esse, quòd Petrus primus in Concilio fuerit locutus.* Sed mentitur, more suo. Vide quæ de hoc Concilio fusè disputata sunt Tom. 1. Defens. lib. 3. Ex quibus etiam Chamieriana & VVitackeriana nugamenta ruunt.

Vicesima prærogatiua est Gal. 2. vbi Paulus: *Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum:* Quod Patres à Bellarmino citati interpretantur ideo factum quod Petrus esset primus & præcipuus inter Apostolos. Sibrandus hanc prærogatiuam induit hoc syllogismo: *Cuius videndi gratia Paulus Hierosolymam profectus est, ille est Monarcha, sed Petrus est ille, ergo &c. Respondeo,* inquit Caluinista, *Maiorem non tantùm falsam, sed & ridiculam esse.* At tuo scelere & improbitate, ô Caluinista, qui de industria falsas & ridiculas propositiones fabricas, vt habeas amplam & copiosam mentiendi & criminandi materiem. Reforma tuam Maiorem, si vis, vt desinat esse *falsa & ridicula*; addito vno vel altero vocabulo, hunc in modum: *Cuius, vt primi & præcipui, videndi gratia Paulus Hierosolymam profectus est, ille est Monarcha. Petrus est talis; testibus sanctis Patribus, quos Bellarminus adducit, ergo, &c.*

Iunius paucis hinc se liberat: *Negat hanc Pauli ad Petrum profectionem esse prærogatiuam Petri.* At credo equidem, si Beza vel Sadeel à lacu Lemmanno Heidelbergam in Germaniam, vel Leidam in Holandiam profecti fuissent videre Iunium; Iunius & Iuniani Symmystæ id pro maxima prærogatiua Iunij & pro summo honore reputassent. Et nulla erit Petri prærogatiua, quòd tantus Apostolus eius visitandi, adeundi, & consilij eius exquirendi gratia tantum viæ susciperе & emetiri voluit? Ait Iunius: *Paulum venisse ad Petrum, vt ad maiorem ætate, vocationis tempore, & vsu, & notitia Ecclesiæ.* Fumi. Nam multi alij erant Hierosolymis maiores Paulo quoad hæc omnia & singula, & tamen solius Petri videndi gratia proficiscitur Paulus Hierosolymam. Quæ causa huius rei? Fortè dicet Iunius: *Paulum non propter solum Petrum, sed & propter alios videndos Hierosoly-*

mam abiisse. At nihil de hoc Paulus. Solum Petrum nominat, cuius videndi gratia Hierosolymam petierit. Solus Petrus Paulo eundi Hierosolymam causſa fuit. Clamat VVitackerus: & cum illo Chamierus. *Etiam pares à paribus inuisi: imò aliquando minores à maioribus. Nam Elisabeth visitatam esse à B. Virgine, quæ sine dubio maior fuit, quàm illa.* Non ignoramus hoc; sed negamus hanc visitationem fuisse ex hoc genere. Omnes circumstantiæ contrarium docent. Nec Patres aliud tradunt: quorum tamen obiectu imperitos terrere conatur Chamierus.

Ait Bellarminus; illo monito: *Macta & manduca.* Actor. 10. significatum esse; Petrum esse caput, nam capitis est manducare, & per manducationem traiicere cibum in stomachum, & illum sibi incorporare. Sutliuius. *Ineptissimè à Bellarmino hinc concluditur, Petrum esse caput Ecclesiæ, nam nihil hinc probatur, quàm Petrum habere os, vt possit comedere.* Mox vt probet Bezam nõ esse mentitum, quando eum *petulantiæ calumniatorii*, inuidendo elogio, cohonestauit; conuiciis infectatur Pontifices Romanos, quasi gregem Christi mactent & deuorent. At missis hisce triuialibus, & in Hæreticorum circulis nusquam non obuiis contumeliis. Respondeo ad obiectionem; si hinc rectè concluditur, Petrum habere *os*; rectè, opinor, inde etiam inferetur, Petrum habere *caput*; quia os sine capite difficulter Sutliuius inueniet, nisi fallor: cumque à sanctis Patribus Apostolus Petrus sæpenumero nominetur *os & caput* Apostolorum & Ecclesiæ; à vero alienum videri non debet, Petro Actor. 10. tanquam ori & capiti dictum esse: *Macta & manduca*, hoc est, tu Petre, tanquam os & caput Ecclesiæ infideles conuerte, & effice membra Ecclesiæ. Nil hic ineptiæ, nisi apud ineptos, qui omnia ineptæ suæ naturæ conuenienter apprehendunt & concipiunt.

CAPVT XXIII.

Proponuntur aliæ prærogatiuæ ex variis Auctoribus.

DANAEVS generatim hoc fert iudicium de octo sequentibus prærogatiuis: *Octo fabellas iam hic narrat Bellarminus, quas Petri prærogatiuas insultè vocat.* Non mirum reiici ab istis prærogatiuas Petri extra Scripturam; cum vix agnoscant illas, quæ in Scriptura expressè traduntur: easque, quantum mentiendo & criminando assequi qveunt; extenuent tenebrisque inuoluant & obscurent. *Fabellas* intonat Hæreticus, ideo solùm, quia odio Monarchiæ Petri inflammatus, credere renuit, quæ à grauissimis Auctoribus prodita sunt. Et cur Bellarminus non vocaret prærogatiuas, facta & beneficia quædam rara & eximia, quæ circa Petrum vel diuinitus acciderunt, vel ei cœlesti munere obuenerunt? Dic, oro, quid est *prærogatiua?* An non aliquid alicui præ aliis & supra alios concessum?

Etiam Sutliuius criminatur, *aut omnes, aut plurimas ex his prærogatiuis confictas esse*, Iudicio nimirum eorum, quorum fides & professio, nil aliud est, quàm *figmentum*. Occinunt Danæus & Sutliuius: *Etiamsi istæ prærogatiuæ essent veræ, non tamen secuturum, Petrum esse Ecclesiæ Monarcham.* Respondeo, non sequi inde necessariò demonstratiuè; attamen verisimiliter, præsertim, si, vt par est, prærogatiuæ istæ non considerentur solitariè, sed iunctim cum aliis; nec absque debitis adiunctis, quæ circa singulas occurrunt.

Igitur vicesima prærogatiua est, quòd Christus suis manibus solum Petrum baptizauit. Sibrandus antiquum obtinens: *Quem Christus baptizauit, ille est Monarcha. Sed Petrus est ille, &c. ergo.* Quem Dæmon miserit, vt omnia Bellarmini dicta, quamuis rectissima, peruertat & inuertat; ille est calumniator. Sibrandus est talis. ergo. Nam si bona fide differere velles; dicere oporteret. *Christus solum Petrum baptizauit; credibile est ergo, hoc esse factum propter Petri præeminentiam & principatum in Ecclesia.*

Probat Bellarminus hanc prærogatiuam ex Euthymio, & Nicephoro, & isti ex Euodio, successore Petri in Episcopatu Antiocheno. Occlamant consona voce Iunius, Danæus, Sutliuius, Sibrandus; hanc prærogatiuam aduersari Euangelio, ac proinde censendam commentitiam; nam IESVS *non baptizabat ipse, sed discipuli eius*, vt dicitur Ioan. 4. Respondeo, hoc intelligendum de ordinario baptizandi munere: nam ordinariè non baptizabat ipse, sed discipuli eius. Hinc autem non obstat, quo minus extraordinarie ex singulari dignatione Petrum & sanctissimam Deiparam baptizauerit. Addunt Caluinistæ. *Petrum ex discipulis fuisse Ioannis; & ab Ioanne baptizatum non obscurè colligi ex Ioan. 1. Actor. 1.* Vt id ita esset, an ideo Petrus non est postea baptizatus à Christo baptismate Christi? An non hunc baptismum recipiebant illi, qui prius Ioannis baptismate tincti fuerant? An baptismus Ioannis & Christi idem? Scio, quid Hæretici sentiant & respondeant. Sed nunc non est his locus.

Ait Iunius: *Librum Euodij esse suppositititium, & suppositititiam historiam.* Scilicet Iunius intererat, quando & epistola illa & historia Euodio supponebantur. VVitackero Nicephorus vapulare cogitur, quia ingrata canit. *Nuper prodiit*, inquit, *& plenus est fabularum. Et hoc caput vnde ista sunt desumpta, egregiè mendaciis est refertum.* Similia Chamierus.

Sutliuius obstrepit; Bellarminum non inspexisse locum, neque enim aliquid de Virginis Deiparæ baptismo scribere Nicephorum. At Bellarminus non tantùm Nicephorum testem laudauit, sed & Euthymium, qui in cap. 3. Ioannis: in illa verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &*

spiritu,

ſpiritu, &c. hæc habet: *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quòd Chriſtus Petrum ac Virginem matrem baptizauerit; Petrum verò reliquos omnes Apoſtolos.* Quod ergo ex Euodio de Petro refert Nicephorus, hoc ex eodem de Petro & Deipara commemorat Euthymius; neque enim credibile eſt Euodium ab Euthymio inter illos *quoſdam* Apoſtolorum temporibus proximos non fuiſſe comprehenſum. Et quod Euodius apud Nicephorũ dicit Chriſtum ſuis *tantummodo* manibus baptizaſſe Petrum, particula illa excluſiua, minimè excludit D. Virginem, ſed cæteros Apoſtolos & diſcipulos Chriſti. Mentitur autem Sutliuius, quando dicit; ſententiam illam de baptiſmo Deiparæ & ſancti Petri refutari ab Euthymio. Nullum vel minimum verbulum quod refutationem reſipiat, inuenitur apud Euthymium.

Oggannit Sutliuius: Euodium non vocari à *Nicephoro Petri, ſed Apoſtolorum ſucceſſorem.* At Apoſtolorum ſucceſſor non dicitur alio titulo, niſi quia Petro in Antiochena cathedra ſucceſſit: neque enim omnibus Apoſtolis ſucceſſit; neque nonnullis, ſed ſoli Petro. An Pontifices Romani Clemens, Linus, Cletus, ſimiles, non poterant dici ſucceſſores Apoſtolorum, licet propriè loquendo ſoli Petro in cathedra ſuccederent? Chamierus hoc telum vibrat. *Auguſtinus non meminit baptiſmi Petro per Chriſtum collati. ergo* fabuloſum eſt ergo, quod ex Euodio affertur. Quis non metuit huius teli vim omni gladio ancipiti penetrabiliorem?

Viceſima ſecunda prærogatiua eſt, quòd ſolus Petrus à Chriſto Epiſcopus ordinatus fuerit: cæteri autem à Petro Epiſcopalem conſecrationem acceperint. Danæus hic prorſus eſt mirificus, vt & Chamierus. Negant: *Petrum fuiſſe Epiſcopum*: probant. *Quia fuit Apoſtolus, ergo non Epiſcopus.* Idem aſſerit Danæus de aliis Apoſtolis, quos omnes Epiſcopali dignitate ſtolidè priuat, & inſuper hanc inſipientiam adiicit. *Epiſcopus vni tantum Diœceſi præeſt; at Apoſtoli toti mundo præfuerunt; & in omnes gentes poteſtatem acceperunt.* Quàm ineptè omnia. Num eſſe *Apoſtolum* & eſſe *Epiſcopum* ita ſibi mutuò aduerſantur, vt in vnam perſonam conuenire nequeant? poteſt quidem Epiſcopatus eſſe ſine Apoſtolatu; ſicut reipſa iam eſt in noſtris Epiſcopis; & ipſe Apoſtolatus ſubſiſtere poteſt ſine Epiſcopatu, imò & ſine ſacerdotio: nam Lucæ 6. elegit Chriſtus duodecim diſcipulos, quos & Apoſtolos nominauit, antequam eos ſacerdotes faceret, nedum Epiſcopos, nam vt rectè docet hic Bellarminus ad Apoſtolatum propriè pertinet ius prædicandi, cum ampliſima quadam iuriſdictione delegata, qualis etiam in non Epiſcopis eſſe poteſt: at cum hac functione & poteſtate coniungi poteſt Epiſcopalis dignitas & ordo, neque enim amplitudinem illam poteſtatis Apoſtolicæ ad certos limites reſtringit & coarctat, cum Epiſcopatus ex natura ſua non ſit ita comparatus, vt vnius tantùm diœceſeos finibus circumſcribatur. Nam Petrus non modò vt Apoſtolus; ſed & vt Epiſcopus in vniuerſam Eccleſiã ius & arbitrium habuit: habentque eiuſdem ſucceſſores non vt Apoſtoli; ſed vt Epiſcopi. Per delegationem quoque poſſet ſummus Epiſcopus cuicunque Epiſcopo eam iuriſdictionem in omnes Eccleſias concedere, qua Apoſtoli fuerunt prædita; ita vt liberè vbiuis gentium prædicare, & Eccleſiaſtica munia exercere liceret, & tamen talis verè eſſet Epiſcopus.

Si hæc Danæi ſtultitia aliquid concluderet, concluderet quiddam, quod Sutliuius & alij Caluinopapiſtę Anglicani haud libenter concedent, nempe Archiepiſcopum Cantuarienſem & Eboracenſem non eſſe *Epiſcopos*; probatur, quia is eſt Epiſcopus, *qui vni tantum Eccleſiæ præeſt*; At Cantuarienſis præeſt omnibus Angliæ Eccleſiis, vtpote *primas* totius Angliæ, vt ab ipſo Sutliuio nominatur; & Eboracenſis ſub ſuo dominatu non modò plures Eccleſias, ſed & plures Diœceſes habet. Imo Caluinianis quoque & Lutheranis Superintendentibus Generalibus grandis per hæc ſecuris impingitur: quia non vni, ſed pluribus Eccleſiis præſunt: non ſunt ergo Epiſcopi: & tamen hoc titulo ſæpè admodum ſuauiter ſibi blandiuntur.

Mentitur autem profligatiſsimè Danæus, cùm dicit, Bellarminum negare: *Paulum immediatè à Chriſto fuiſſe ordinatum Apoſtolum: ſed per manuum impoſitionem Miniſtrorum Eccleſiæ*: Nunquam hoc dixit, nunquam ſomniauit Bellarminus. Quid ergo dixit? Diſertiſsimè, Paulum de cœlo vocatum & Apoſtolum à Deo factum immediatè. Sed Epiſcopum non eſſe ordinatum, niſi per impoſitionem manuum Eccleſiæ: vt patet Actor. 13. Et audet tamen impudens Caluiniſta Bellarmino affingere, quaſi dicat, factum eſſe Apoſtolum ab hominibus, perinde ac ſi Apoſtolum & Epiſcopum fieri ſit vnum ac idem. Nec contentus hoc tam immani mẽdacio aliud adiungit; nempe, *Bellarminum affirmare omnes Apoſtolos fuiſſe à Chriſto ordinatos Epiſcopos æquè ac Petrum.* Vbi hoc Bellarminus in hoc capite, in quo ex profeſſo docet ſolum Petrum à Chriſto conſecrationem Epiſcopalem ſeu benedictionem Epiſcopalem accepiſſe; reliquos omnes à Petro?

Sibrandus fuſiſsimè quaſi in immenſum omnium ineptiarũ pelagus hic ſe diffundit. Et pro fundamento totius phlyariæ & vaniloquentiæ ſuæ ponit hunc ſyllogiſmum: *Quem Chriſtus conſtituit Epiſcopum, ille eſt Monarcha: ſed ſolus Petrus eſt ille, quem Chriſtus conſtituit Epiſcopum, ergo ſolus Petrus eſt Monarcha.* Mox loquaciſsimè ſignificationes vocis *Epiſcopi* diſtinguere incipit, & ſi hac notione accipiatur, Maiorem, ſi illa, Minorem: Si hac & illa; tunc & hanc & illam negare incipit, tam verbosè, inſulsè & inſcitè, vt mirer tantam vanitatem à lectoribus non conſpui.

Etiam Iunius clamitat: vocem *Episcopi* esse æquiuocam; & planè extra propositum de eius significatis nugari ingreditur: & summa vafricie Bellarmini verba ita truncat, & decurtat, quasi velit; Apostolos non fuisse immediatè à Christo ordinatos Apostolos: Idem scelus patrare non horret Sutliuius; cum Bellarminus expressè contrarium scribat, tantumque id contendat à solo Christo Petrum Episcopum ordinatum; reliquos autem Apostolos à Petro. Accipimus porro hoc loco Episcopi vocabulum pro primario suo significato, quod notissimum est, ipsis etiam ex media plebe idiotis, qui audito Episcopi nomine, certum quendam gradum & ordinem Ecclesiasticum supra sacerdotium eminentem concipiunt, cuius sit sacerdotes ordinare, & alia nonnulla præstare, quæ ab iis, qui sacerdotio duntaxat initiati sunt, præstari nequeunt. Hac notione. hocque sensu ait Bellarminus, solum Petrum à Christo ordinatum Episcopum.

Et vt ad syllogismum reuertar, est is non Bellarminianus, sed Savvbrandicus: nam si quis ex hac prærogatiua legitimam argumentationis formam nectere cogitaret, is rem hac vel simili ratione aggrederetur. Christus solum Petrum ex Apostolis immediatè & per se ordinauit & consecrauit Episcopum; cæteros autem Apostolos per Petrum; ergo probabile est hoc factum, quod Petrus à Christo caput, princeps & Monarcha Ecclesiæ constitutus esset. Quid vitij in hac collectione?

Ait Sibrandus, *omnes Apostolos fuisse à Christo ordinatos Episcopos* sumendo hoc vocabulum *in secunda notione*. Ego verò Sibrandicas *notiones* & nominum impositiones, nihil penitus moror, quia nouæ sunt, & ex Caluiniano genio effictæ; vel si non nouæ; nil tamen ad rem pertinentes, sed huc importunè intrusæ, vt Sibrandus nebulas oculis offundat, ne veritatis lucem aspiciant. Nam quo significatu nomen *Episcopi* absolutè positum accipi soleat; ex communi Ecclesiæ vsu; ne pueris quidem ignotum est, nedum eruditis viris. Quis vnquam audiuit Episcopum dici eum; *qui non ex propria auctoritate, nec ex propria virtute, sed auctoritate & virtute Christi Ecclesiis præest?* An non quilibet parochus & quilibet pastor præest Ecclesiæ auctoritate & virtute Christi? An ideo quilibet parochus & quilibet pastor est Episcopus? Fortè apud Caluinistas *Puritanos*; at certè non apud Anglos *Caluinopapistas*, in quorum castris ipse etiam Sutliuius meret & meruit, cum viueret, VVitackerus.

Illud item lepidum; Apostolos esse Episcopos, quod *vbique locorum & temporum Ecclesiis præsint*. Pulchrè. *Vbique temporum*, pro, *perpetuò*. Sed num hoc itidem tempore præsunt Apostoli Ecclesiæ tanquam ordinarij præsides & antistites? An hoc precisè Episcopum constituit; habere iurisdictionem & potestatem vbique Euangelium docendi ac promulgandi?

Probat Sibrandus, etiam Iudam fuisse Episcopum. quia scriptum est Actor. 1. *Episcopatum eius accipiat alter*. Cur non aperuisti oculos, vt videres, quid ad hanc obiectiunculam Bellarminus respondeat? An non dicit; *Episcopatum* hîc accipi vel latè pro præfectura & functione qualicunque: vel pro Episcopatu propriè dicto, non quem Iudas habuerit, sed quem habiturus fuerit; si suo in gradu perstitisset. Sed en Sibrandicum acumen. *Petri Episcopatus vel attingit vniuersam Ecclesiam, vel particularem aliquam*. Respondeo, vniuersam, & quidem ipsos etiam Apostolos, & independenter à quocunque homine, & ordinariè, respectu successionis. Obiicit. *Si vniuersam, hoc habet cum omnibus Apostolis commune*. Respondeo; non modò Apostolatum, sed & Episcopatum aliorum Apostolorum fuisse in vniuersam Ecclesiam, verùm dependenter ab Episcopali potestate Petri; cui omnes simpliciter oues commissæ fuerunt, ne ipsis quidem Apostolis exceptis: quorum generalis potestas in eo etiam à potestate Episcopali Petri discrepabat, quòd non esset ordinaria ratione successionis, sed extraordinaria. Itaque potestas Episcopalis Petri secundum particulares suas rationes considerata, minimè communis fuit reliquis Apostolis.

Vide, inquit Sibrandus, Bellarminum alloquens, *quò te tua φλυαρία adigat*. Tu, Christiane lector, vide, quò ineptiarum & ridicularum absurditatum hunc Caluinistam cauillandi prurigo impellat. Nam sic fatuari pergit. *Petrus fuit à Christo constitutus Apostolus; ergo hoc ipso præcisè potuit ordinare Ecclesiæ Episcopos*. Quoties Bellarminus iam dixit; aliud esse, Apostolum; aliud; Episcopum? Nam Petrus & alij fuerunt Apostoli, antequam essent Sacerdotes & Episcopi. An Episcopum ordinare & consecrare potest non Episcopus?

Ais. *Petrus & reliqui fuerunt eiusdem Domini serui; ergo omnes inter se simpliciter pares erant*. Perinde ac si diceres: *Vicerex & coquus aulicus, sunt eiusdem Regis famuli, sunt ergo simpliciter inter se pares*.

Ait Sibrandus: *Non Romanam, sed Hierosolymitanam Ecclesiam esse matrem Ecclesiarum*; testem q; laudat longe grauissimum, cuius auctoritatē nemo defugiat, Polydorum Virgilium. Sed vt Hierosolymitana Ecclesia dici possit mater omnium Ecclesiarum, quatenus *de Sion exiuit lex & verbum Domini de Hierusalem*, alio tamen sensu dicitur Ecclesia Romana mater omnium Ecclesiarum, quod omnes Episcopi, atque adeo ipse etiam Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, consecrationem suam & dignitatem Episcopalem à Petro immediatè vel mediatè acceperint: vt hic ostendit Bellarminus. Reliqua Sibrandicæ phlyariæ & deliri loquacitatis specimina persequi, piget tædetq; adeo sunt stulta & bruta; vt quod alibi monuimus, dubitare cogar, an iste Caluinianus sit mētis compos.

Anacleti Epiſtolam à Bellarmino citatam repudiant Iunius & cæteri. Sed eam iam dudum neruosè defendit à Centuriatorum criminationibus Turrianus in Opere contra Magdeburgenſes. Reiicit quoque Sibrandus & ex illo Sutliuius, Epiſtolam Innocentij I. ad Concilium Carthaginenſe; quæ eſt 91. inter Epiſtolas S. Auguſtini. Reiicit & aliam ad Concilium Mileuitanum, quæ eſt 93. inter Auguſtinianas. Idem facit Chamierus. Reiectionis auctorem profert Eraſmum, grauem illum & graphicum criticum: cuius obeliſcis & aſteriſcis niſi obuiam itum fuiſſet, magna pars veterum librorum in capitis periculum incidiſſet.

Tandem clamitat Sibrandus, Anacletum, Innocentium & Iulium Pontifices Romanos, erraſſe. AEquè impudenter de illis pronunciat Chamierus. Expedita reſponſio; errant nimirũ omnes, qui aliquid ſcribunt, quod erronum palato non ſapiat. Vide verò, quàm ridiculè probet Sutliuius, Paulum Act. 13. non fuiſſe ordinatum Epiſcopum: *Paulus nulli loco erat adſtrictus: ergo non eſt ordinatus Epiſcopus.* Stultitiam hanc ſumpſit à Savvbrando, quam ſupra refelli. II. *Paulus vocat ſe Apoſtolum, nõ Epiſcopum, ergo non fuit Epiſcopus.* Quaſi verò poſt ordinationem illam Act. 13. Epiſcopatus in ipſo Apoſtolatu non fuerit incluſus, dumque ſibi Apoſtoli nomen tribuit; non pariter Epiſcopi nomen implicitè ſibi tribuerit.

Fatuitates Chamieri & VVitackeri ſeorſim perſequi, quid attinet, cum Sutliuianis & Sibrãdicis ſint pariſimæ, & prorſus gemellæ? Vt ſileã mendacium Chamieri cum ait; Leonẽ & Chryſoſtomum *falsò à Bellarmino* citari; & ſemper eadem chorda oberrant, *Apoſtolos non fuiſſe Epiſcopos.*

Viceſimatertia prærogatiua eſt, quòd Petrus primum Hæreſiarcham & principem, Simonem Magum primus detexit, Act. 8. & poſtea damnauit, & planè exſtinxit. Sibrandus. *Qui Simonem Magum ſuperauit, ille eſt Monarcha: Sed Petrus ſuperauit Simonem Magum. Ergo eſt Monarcha.* Reſpondeo, *Maiorem eſſe falſam,* inquit Caluiniſta. Cur non feciſti veram? Nam id penes te erat; & poteras, niſi calumniandi ardor te in præceps ageret. Maior non eſt Bellarmini, nó vllius eruditi, ſed inepti & inſulſi criminatoris Sibrandi; qui poſtea, ſolenni ſuo inſtituto, hoc ſuum ſomnium aliis ſomniis deſtruit; Et Bellarminum inceſsit, quaſi dixerit; *Certamen S. Petri cum Simone Mago, fuiſſe cauſſam Monarchiæ.* Non cauſſa fuit, ſed veriſimile indicium Monarchiæ à Deo acceptæ; neq; enim credibile eſt, fruſtra accidiſſe, vt Petrus Hæreticorum omnium progeneratorem, primò patefaceret, & poſtea funditus, inſigni miraculo, deleret.

Danæus totam hanc hiſtoriam vel negat, vel in dubium reuocat. *Nihil de illa Tacitus, nihil Plinius, nihil Suetonius; nihil in Actibus Apoſtolicis Lucas, ergo fabula eſt.* Vide improbitatem Sectarij. Tot Chriſtianis ſcriptoribus, quos Bellarminus teſtes huius hiſtoriæ adducit, fidem abrogat; præferens eis Hiſtoricos à Chriſtiana religione alienos, qui res Chriſtianas de induſtria ſæpè ſuppreſſerunt, vel luculentis fictionibus & mendaciis reſperſerunt. Si quis Ethnicorum hanc hiſtoriam attigiſſet, Danæus, non plus fidei, quàm modo, adhibuiſſet, vt & Sibrandus, qui itidem hanc hiſtoriã fabulis annumerat: (& eodem valdè propendet Chamierus, cum VVitackero) nulla alia de cauſſa, quam quia Petri gloriam nimium illuſtrat. Nam quòd in Actibus Apoſtolicis nulla eius habetur mentio, non obſtat, cum S. Lucæ, in poſteriore operis parte res geſtas Pauli potiſsimũ exſequi propoſitũ fuerit; vt taceam, librũ Actuum Apoſtolorum Anno Domini LXI. ab Auctore ſuo Luca fuiſſe abſolutum; volatum verò Simonis Magi; & deiectionem eius contigiſſe, Anno Redemptoris LXVIII. vt docet in Annalibus Illuſtriſs. Card. Baronius; qui oſtendit, Ethnicos quoq; ſcriptores, vt Dionẽ cognomento Chryſoſtomum & Suetonium huius hiſtoriæ meminiſſe; vt proinde Danæus nihil cauſſæ dicere poſſit, cur iam aſſentiri nolit, cum ideo tantummodo aſſenſum cohibuerit, quod nulla huius hiſtoriæ in Ethnicorũ monumẽtis memoria exſtaret; vt ipſe quidem ſibi perſuadebat. VVitackerus multa nugatur de diſſenſione Hiſtoricorum in referenda hac Hiſtoria. At nulla eſt diſſenſio in principali facto; ſed tantum in adiunctis facti circumſtantiis.

Viceſimaquarta prærogatiua eſt, quod Petrus Romæ ſedem ſuam, diuino iuſſu, collocauit. Sibrandus more ſuo, ſycophanticè. *Quicunq; diuino iuſſu Romæ ſedem collocat, ille eſt Monarcha. Sed Petrus diuino iuſſu Romæ ſedem collocat, ergo Petrus eſt Monarcha.* Vt hactenus in viginti quatuor & pluribus ſyllogiſmis Sibrandus mendax fuit & impoſtor; ſic & nunc à ſeipſo non deſciſcit. Nec aliud addo; quia iam manifeſta eſt omnium huiuſcemodi ſyllogiſmorum vanitas & improbitas.

Sutliuius ait; *Certum eſſe, Petrum non fixi Romæ ſedem, iuſſu diuino.* Vnde hoc tibi certum? Ex commentariis, opinor, Caluini, & ſimilium; vel ex tua phantaſia. Ais. *Apoſtolos non eſſe miſſos ad vnam ciuitatem, ſed in vniuerſum mundum.* At & ex vna Roma vniuerſum mundum Petrus docere & regere poterat. Nam & Imperatores Romæ reſidebant, ſedemque Imperij ibi fixerant, & tamen inde toti mundo leges dabãt. Citat Bellarminus S. Leonem. Clamant Sutliuius, & Chamierus, Leonem non dicere, *Petrum ex mandato Dei ſe Romam contulliſſe.* S. Leo dicit, Petrum ad arcem Romani Imperij *deſtinatum eſſe.* A quo, quæſo, ſi non ab ipſo Deo? Quis S. Petrum deſtinauit Romã, niſi Deus? Quid quòd S. Leo ſerm. citato expreſsè dicit; *Petrum diuinis præordinationibus veniſſe Romam.* VVitackerus paucis ſe à Leone expedit. *Fuit vir quidem doctus & pius, ſed ſuperbus magis, quàm doctus aut pius.* En ardelionis iudicium atq; effatum. Citat Bellarminus etiam S. Maximum. Oggannit Sutliuius.

liuius. *Maximũ nil dicere de mandato.* At dicit; Deum ibi principes regni collocasse, vbi mũdus caput habebat imperij. Et quomodo ibi principes regni sui collocauit, nisi per mandatum, vt ipsi eo in loco sedem figerent?

Vicesimaquinta prærogatiua est, quòd sub finem vitæ Petri, Christus ipsi Petro apparere, & roganti; *quo vadis?* respondere dignatus sit: *Venio Romam iterum crucifigi.* Sibrandus syllogismum prioribus gemellum hinc nobis extundit. Sutliuius occlamat; *Incertum esse, num hoc sit verum.* Nec mouetur tot testibus & testimoniis, quibus hîc Bellarminus ad hanc rem confirmandam vtitur. Etiam Iunio & Sibrando, videtur hæc narratio *fabulosa*, Chamierus quoque & VVitackerus Historiæ fidem obliquè arrodunt. At quid moramur fabulones istos AEsopicos? quibus omnia fabulosa, præter Caluinianas & Lutheranas fabulas? Dicit S. Athanasius, S. Petrũ, audita Christi de crucifixione sententia, *cum gaudio Romam venisse.* Hinc infert Iunius: *Petrum ergo tum demũ Romam peruenisse, non vt esset Episcopus, sed vt Martyrio coronaretur.* Simile quid nugatur Chamierus. Acutè profectò; quasi quis eò, vnde discesserat, non possit dici *venire*, quando redit. An non omnes Auctores, qui huius historiæ meminerunt, Petrum antea Romę fuisse, & Româ exisse, concorditer scribunt?

CAPVT XXIV.

Tres vltimæ prærogatiuæ in medium afferuntur.

VICESIMASEXTA prærogatiua est, quòd solæ illæ Ecclesiæ semper sunt habitæ Patriarchales, & primæ, quas Petrus fundauerat. Dănæus impudenter mentitur, Bellaminum dicere; *tres tantum à Nicæna Synodo prima Patriarchales sedes constitutas fuisse; contrarium enim constare ex Canone VI. vbi etiam Hierosolymitana sedes inter Patriarchales numeretur*; nam Bellarminus nequaquam dicit, has tres sedes in Concilio demum Nicæno esse Patriarchales effectas, sed semper pro Patriarchalibus esse habitas; & hoc liquere ex Can. 6. Nicæni Concilij. Nec verum est, tribus prædictis Patriarchalibus sedibus additam quartam Hierosolymitanã in Concilio Nicæno; quia Nicænum Concilium nil aliud decreuit, quàm vt Episcopo Hierosolymitano suus seruaretur honor, qui Patriarchalis erat, non re, sed nomine; non potestate, sed honore, vt declarat Bellarminus.

Vociferatur Sutliuius: *Romanam Ecclesiam non habitam Patriarchalem & primam propter Petrum, sed quod vrbs illa sedes & domicilium Imperij esset*; Citatq; Concilium Constantinopolitanum primum, & Chalcedonense, Can. V. & XXVIII. Sed Canonibus istis iam pridem laruam detraxerunt cum alij; tũ illustrissimus Annaliũ scriptor Baronius ad Annum Redemptoris CCCC. LI. & CCC. LXXXI. Quo Lectorem remitto. Et ipse Bellarminus satis perspicuè ostendit, nobilitatẽ & claritatem vrbium non fuisse per se præcisè causſam sedium Patriarchalium. Quocirca falsum item est; quod ait Sutliuius, Ecclesiam Alexandrinam fuisse Patriarchalem non propter Petrũ, sed propter vrbis amplitudinem & opulentiã. Vnde Caluinistæ constat Petrum nunquam venisse Alexandriam? Nam rem secus se habere testatur Nicephorus, à Bellarmino citatus. Et vt eò non venisset, neq; ipse per se Cathedram illam instituisset; eo tamen per Marcum, suum discipulum, venit; perque eundem peculiari nutu & voluntate sedem illam instituit.

Oggerunt Iunius, Sutliuius, Danęus, Sibrandus, Petrum non fundasse Ecclesiam Antiochenam, sed Paulum & alios, *nec credibile esse Alexandriæ & Romæ Ecclesiam non fuisse, donec instituisset Petrus, & pios omnes Dei seruos illic cessauisse, donec Petrus accurrisset.* Sed isti obseruare debebant, Petrum dici fundasse illas Ecclesias non absolutè, quatenus in iis concionatus est vel primus vel post alios; sed quatenus in iis sedes Episcopales erexit; erectasque abs se tenuit, & possedit, vel omnes; vel certè Alexandrinam per dilectum suum discipulum Marcum; cui de sede, ea in vrbe, suo nomine, instituenda mandatum dederat. Itaque licet aliqui alij ante Petrum Romæ, Antiochiæ, & Alexandriæ Euangelium annunciarint, parum refert: nam semper verum est, à nullo alio Cathedram Episcopalem in his locis, nisi à Petro erectam, & primò, nõ nisi à Petro possessam & insessam, idq; vel immediatè; vel respectu Alexandrinæ Ecclesiæ, mediatè per Marcum.

Ex quibus ruunt, quæ vaniloqui Prædicantes verbosè deblaterant: nam quòd Sutliuius ait; etiam alias sedes habitas & factas Patriarchales, quæ tamen non fuerint à Petro fundatæ; id nihil est; nam hoc partim in Concilio, partim post Concilium Nicænum accidit; Bellarminus autẽ loquitur, de tempore ante Concilium Nicænum. Occinit Sibrandus: Et cum illo Sutliuius. *Si dignitas Petri esset causſa, cur Romana, Antiochena, & Alexandrina sedes habeantur Patriarchales; sequeretur plurimas alias Ecclesias esse & fuisse Patriarchales, cum multas alias Ecclesias Petrus partim per se, partim per discipulos suos fundauerit: imo omnes Ecclesiæ essent Patriarchales; cum omnes Apostoli sint à Petro ordinati Episcopi. vt contendit Bellarminus, totaq; Episcopalis dignitas à primo, vt ab origine, descendat.* Respondeo, negando sequelam. Nam ante Nicænum Concilium non ideo hęc vel illa Ecclesia habita est Patriarchalis, quòd in ea Petrus vel primus vel post alios Euangelium prædicasset; vel discipulos ad eam, prædicationis gratia, misisset; sed quia ipse sedem & Cathedram, ea in vrbe, constituisset; nec constituisset tantum, sed & tenuisset & rexisset; quod nequaquam de omnibus locis, vbicunq; Petrus Euangelium prædicauit, verè asseri potest; sed

tan-

tantum de Roma, Antiochia, & Alexandria, cuius sedem vel per se ipsum instituit & rexit; vel certè per Marcum, quem peculiari ratione in huius sedis erectione & gubernatione Vicarium suum esse voluerit; nec alij discipuli Petri, in erigendis & regendis Cathedris Episcopalibus peculiari quadã ratione fuere Vicarij Petri, quemadmodum Marcus Alexandriæ in erectione & rectione istius Cathedræ.

Audi verò insignem Sibrandi φλυαρίαν & stultitiam. *Si propterea Antiochia cessit Alexandrinæ, quòd successor Petri Alexandriæ fuit Euangelista; eius verò successor in Ecclesia Antiochena non fuit Euangelista; tum etiam Romana Ecclesia debet Alexandrinæ cedere; nam successor Petri in Romana Ecclesia, siue is fuerit Linus, siue Cletus, siue Clemens, non fuit Euangelista. Aut igitur ista caussa est falsa, aut Romana debet etiam Alexandrinæ cedere, vt fecit Antiochena.* Sed iste, prisco suo ritu, peruertit & deprauat mentem & verba Bellarmini; Non enim dixit; ideo Alexandrinam sedem præponi Antiochenæ; quòd in ea Euangelistam successorem Petrus habuerit; in Antiochena verò Euodium; qui nec Apostolus nec Euangelista fuerit; sed quia Petrus Alexandrinam Cathedram per Marcum Euangelistam, tanquam suum Vicarium, administrauit; Antiochenam autem per Euodium, qui proculdubio dignitate Minor erat, quàm Marcus.

Deinde licet Bellarminus dixisset, Alexandrinam sedem præponi Antiochenæ, quòd Petrus in illa successorem habuerit Euangelistam; in hac, nequaquam: non sequeretur tamen. Romanam Ecclesiam postponi debere Antiochenæ; tum quia Petrus hanc per se vsque ad mortem suam tenuit, gubernauit, & præterea sanguine suo obsignauit; & totam Apostolicæ potestatis plenitudinem, ad successores, perpetua serie transituram, in Romana, non autem in Alexandrina sede reliquit. Vnde licet in Romana sede S. Petrus nullum reliquerit successorem Euangelistam, id tamen primatui eius non officit propter iam dictas caussas.

Obiicit Sibrandus. *Si Petrus tantam dignitatem contulit Ecclesiis à se plantatis.* (Rectius, Cathedris à se erectis, possessis & insessis) *tum vel parem vel proximam dignitatem Paulus, Ioannes & Iacobus Ecclesiis à se plantatis contulerunt.* Respondeo, parem nõ contulisse: nam Petrus princeps erat omnium. Quare non mirũ, si ex principatu eius, singularis quoq; prærogatiua ad Cathedras à Petro, omniũ coryphæo, erectas & gubernatas redũdauit.;

Obiicit Sibrandus. *Si dignitas sedis pendet à dignitate præsidentis, tum nulla est Hierosolymitanâ dignior; illam enim fundauit Christus, & eandem omnes Apostoli gubernarunt, priusquam dispergerentur.* Respondeo, si hæc obiectio valeret, sequeretur, omnes sedes & Cathedras Ecclesiarum esse pares, quia omnes fundantur, eriguntur & gubernantur à Christo, tanquam à simpliciter supremo totius Ecclesiæ capite. Deinde, quando de fundatione & erectione Ecclesiarum & sedium Episcopalium disputamus; loquimur de ea, quæ, Christo in cælos assumpto, variis in locis facta est ab Apostolis, deque Cathedris, quas ipsi Apostoli, vel Apostolorum discipuli tenuerunt & insederunt. Probet Sibrandus, si potest; vllum ex Apostolis, præter Iacobum, tenuisse & rexisse Ecclesiam Hierosolymitanam, tanquam loci illius Episcopum particularem, & cui in specie Cathedra illa commissa esset. Mitto dicere; propositionem istam; *dignitatem sedis pendere à dignitate præsidentis*; generatim sumptam, nec esse Bellarmini, nec veram: quia Cathedra seruat suam dignitatem & auctoritatem, qualiscunque sit, qui eam tenet. Si dixisset; *Cathedræ dignitatem nasci ex dignitate instituentis, quisq; eam primus tenuit*; aliquid, quod admitti posset, assereret.

Pergit stultescere Sibrandus. *Si dignitas sedis pendet à dignitate præsidentis, tum Iudæi iusta ratione sedem primatus ponerent in deserto, ibi enim Moses summus doctor & princeps Prophetarum ministerio suo functus est; sed hoc non; ergo nec illud.* Fumos video, & nebulas. Nam vbicunque statuas Cathedram Moysis, id nihil ad rem facit; quia scimus tres istas sedes Romanam, Alexandrinam & Antiochenam non in deserto, sed in prædictis vrbibus, iisque amplissimis à Petro erectas & collocatas esse. Nec Moyses suam Cathedram in deserto posuit, nisi pro eo tempore, quo populus in solitudine morabatur; collocandam postea in eo loco, quem Dominus Deus electurus erat; & ad quem, tanquam ad iudicij locum, omnis populus, dubitatione exorta, ascendere iubebatur.

Arguit etiam Sibrandus Bellarminum contradictionis; natæ tamen non in Bellarmini, sed in Sibrandi capite. *Bellarminus dicit Petri dignitatem esse solam caussam istius numeri Patriarchalium sedium,* inquit Sibrandus, *& mox addit; magnitudinem & nobilitatem Vrbium etiam aliquam rationem fuisse, ob quam Petrus has sedes Patriarchales fecerit.* An non grandem hic antilogiam cernis? Sibrandus more suo calumniatur. Nam Bellarminus dicit; nõ esse negandum, quin Petrus in sedibus eligendis habuerit etiam rationẽ magnitudinis Vrbium: Propriam tamen & immediatam, veram & solã caussam honoris & potestatis harum sedium fuisse primatum & dignitatem Petri. Vbi hic vlla contradictio? Vrbium magnitudo fuit Petro motiuum, vt sedes illarum vrbium faceret Patriarchales. At tota dignitas & præeminentia sediũ illarum nõ fuit à magnitudine vrbium, vt à caussa efficiente; sed à primatu & dignitate Petri. Quemadmodum magnitudo & excellentia vrbis mouet principem, vt Academiã in ea erigat & constituat; erectionis tamen caussa, propria & immediata, in genere caussæ efficientis, est sola principis voluntas & auctoritas, licet caussa impellens sit etiam vrbis magnitudo & celebritas.

Obiicit Sibrandus, & cum illo Charnierus. *Tempore Petri, Patriarcha nomen non fuisse in vsu; Eccle-*

sias

sias ergo illas non esse factas à Petro Patriarchales. Probat Antecedens: *Quia Lucas non vsurpauit Patriarcha nomen; neq; quisquam qui eo tempore vixerit.* Respondeo, negando Antecedens. Ad probationem dico, eam ne cassa quidem nuce dignam esse; Vnde enim compertum neminem, qui tempore D. Lucæ vixerit, hac voce fuisse vsum? Num omnes nouit Sibrandus? Num audiuit, quibus singuli quique vocabulis vsi fuerint? Apud Anacletum certè nomen *Patriarchæ* exstat. Sed ad Anacleti vocabulum aures claudunt Chamierus & Sibrandus. Forsan & ad hanc D. Augustini regulam; instituta Ecclesiæ, quorum origo nesciatur, verè ad Apostolicam traditionem referri. Si valet in Christianorum rebus, cur non & in nominibus? Neque enim hæretici ostendere possunt Patriarchæ nomen primis tribus sæculis, atque adeo etiam æuo Apostolico non fuisse in vsu; & vt non fuisset in vsu, aliquod tamen nomen synonymum vel æquipollens, vsitatum fuisset; quo principatus harum trium sedium, & supra alias præeminentia, significaretur.

Ait Bellarminus ex S. Gregorio; sedem Romanam, Alexandrinam & Antiochenam esse vnius Petri sedem, & vnam. Hinc iterum nascitur Sibrandica contradictio. Nam Bellarminus ante dixit; *contra Petri sedem non posse præualere portas inferorum; sed portæ inferorum iam longo tempore præualuerunt contra Ecclesias orientales; aut igitur errat Gregorius, cum dicit, Antiochenam, Alexandrinam & Romanam esse vnam vnius Petri sedem, aut errat Bellarminus; dum dicit; contra Petri sedem non posse portas inferorum præualere.*

Respondeo, quando dicimus, contra Sedem Petri non posse præualere portas inferorum, id intelligendum de illa sede, cui plenitudinem suę potestatis vniuersalis immobiliter Petrus annexuit; & ipse per se ad mortem vsque tenuit. At soli Romanæ sedi, eam immobiliter annexuit, non Alexandrinæ, non Antiochenæ. Et solam Romanam sedem ad mortem vsque per se ipsum tenuit: ergo contra solam Romanam sedem portæ inferorum non potuerunt aut posthac poterunt præualere; contra alias verò præualuerunt, licet sint eiusdem auctoris & institutoris, cuius est Romana sedes.

Inuehitur Sibrandus in Bellarminum, quòd dixerit, Caluinum scripsisse, *Synodum Nicenam in constituendis Patriarcharum sedibus solum habuisse rationem nobilissimarum & regiarum vrbium.* Oggerit Sibrandus. *Caluinum non facere vllam mentionem Concilij Nicæni* lib. 4. Instit. cap. 7. §. 14. Si Sibrandus sequentè paragraphum legisset, reperisset, quod apud Caluinum exstare mendacitet negat. An non sunt hęc verba Caluini in S. Leonem debacchantis? *Ait, inuiolabile esse oportere, quod semel sanciuit Nicæna Synodus. Quasi verò periclietur fides Christiana, si vna Ecclesia alteri præferatur, aut quasi in alium finem distinctæ illic* (in Concilio Nicæno) *essent Patriarchiæ, quàm politiæ causſa.* Chamierus fusè probare nititur plures olim fuisse Patriarchales sedes, & ex lib. 5. cap. 8. Socratis prolixum de hoc locum adscribit. Ex quo nil aliud euincitur, quàm alios Episcopos & Episcopatus, dici *Patriarchas & Patriarchatus* notione ampla & lata, non presâ illa & strictâ.

Iunius præter conuicia in S. Leonem, Gelasium, & generatim in Pontificem, nihil quod refutatione egeat, adducit. Ad quæstionem Bellarmini, cur Treueris & Mediolani non fuerint constitutę sedes Patriarchales, si tantum propter Imperij sedem Roma facta fuit sedes Patriarchalis; Respondet Iunius, *disputatorem confundere tempora, & causſas reticere ad rem pertinentes: nam quod de Treuiris & Mediolano dicit, iam pridem defisse.* Sed vt desierint esse Imperatorum & Imperij sedes ac Regiæ, Imperatorum tamen sedes ac Regiæ fuerunt. Cur igitur tunc non factæ sunt sedes Patriarchales? Cur illis negata est prærogatiua, quam, si isti nō mentiuntur, habuit Roma, quòd esset Imperij sedes, & Antiochia & Alexandria *propter commoditatem publici ordinis?* vt ait Iunius. An nullæ aliæ ciuitates conducebant ad *commoditatem publici ordinis*, præter Antiochiam & Alexandriam?

Iunius subtilissimè ex ipso Concilio Nicæno colligit, *non Petri primatum fuisse causſam, cur tres illæ sedes fuerint Patriarchales & principales; sed veterem consuetudinem.* τὰ ἀρχαῖα ἔθη, τὸ σύνηθες. Vt cætera sileamus, de quibus alibi dicetur; statim quæri potest, quæ causſa huius antiquæ consuetudinis? Vnde tandem mos iste manauit, vt solummodo olim tres istæ Episcopales sedes pro Patriarchalibus haberentur? An non hic necesse erit ad principatum & primariam Petri dignitatem ascendere, vt hactenus à Bellarmino optimè est probatum?

Vicesimaseptima prærogatiua est festum Cathedræ Petri. Sibrandus non attingit hanc prærogatiuam, metuens fortasis ne digitos adureret. Danæus clamat: Festum Cathedræ non pertinere ad Romanam, sed ad Antiochenam Ecclesiam. At Danæus in libris Ritualibus non valde versatus, nescisse duplex Cathedræ Petri festum celebrari; alterum, Cathedræ Romæ erectæ die 18. Ianuarij: alterum, Cathedræ erectæ Antiochiæ 22. Februarij. Citat Bellarminus sermonem 15. de Sanctis beati Augustini. Occurrat Sutliuius (VVitackerus, Chamierus) *Sermonem hunc non esse Augustini.* ἀντὶ ὄφεως. Credatur ergo. Si aliquid dixisset, quod ad Hæreticum stomachū faceret, iam Augustinianus sermo esset. Vide Baronium & Notat. Martyrol. Rom. ad 18. diem Ianuarij.

Citat Bellarminus Martyrologium Bedæ. Obmurmurat Sutliuius. *Martyrologium hoc variis adiectionibus esse corruptum:* Et hoc *fateri ipsos Papistas.* Qui nam isti Papistæ? Quæ nam ista assumenta & additamenta? Chamiero Beda est recentior, quàm vt fidem mereatur. Et tamen post

sexcen-

ſexcentos annos Caluinus nondũ æquabit ætate Bedam. Et tamen Caluino de antiquiſsimis rebus fabulanti Chamierus aſſenſum præbet.

Citat Bellarminus Optatum Mileuitanum. Oggannit Sutliuius, Opratum loqui *de doctrina Petri, non de materiali ſede.* Neque nos de ſede materiali loquimur, ſed de inſtitutione Epiſcopalis poteſtatis, iuriſdictionis & functionis factæ à Petro Romæ & Antiochiæ. De Optato quid Chamierus? Vide frontem Nouatoris. *Optatus audacius, quàm verius aſſeruit, vnicam eſſe Cathedram in Eccleſia conſtitutam, nempe Petri, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisq; defenderent.* Mentitur, refutari hoc à Tertulliano in præſcript. qui *plures Cathedras Apoſtolicas* nominat. Num hoc neſciuit Optatus? Plures ſunt; ſed vna origine; vna relatione ad vnam. Vna communione cum vna. Vnam nempe Petri, conſtituit, cum qua reliquæ omnes vnirentur, vt vnitas cuſtodiretur. Nec aliter ex Feſto Cathedræ probat Bellarminus Monarchiam Petri, quàm vt ex ſigno & indicio probabili.

Viceſimaoctaua prærogatiua Petri eſt, quòd in literis *Formatæ*, antiqui poſt nomen Patris & Filij, & Spiritus ſancti; nomen Apoſtolorum principis adiungebant, per litteram Græcam π. Iunius impudenter hoc negat; aitque, *Atticum Epiſcopum illuſiſſe cum ſuis Formatis; illud q, π ſignificaſſe πρὸς, quod eſt, à* vel *ab. Propterea proximè additum eſſe nomen eius qui ſcripſerat Epiſtolam. π. ſ. πρὸς ἀτλιξῦ, ab Attico.* Quo commento nihil magis commentitium. Inprimis enim Atticum illum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cuius hac de re ad finem Concilij Chalcedonenſis exſtat ſententia, melius quàm Iunium ſciuiſſe, quid π illud in *Formatis* ſignificet; quis inficias eat? cum *Formatas* dare & accipere conſueuerit; nec praxin & communem Eccleſiæ conſuetudinem hac in re ignorare potuerit, quodque π denotet Petrum Apoſtolum, præter Atticum, docet Iuo p. 6. cap. 433. Burchardus lib. 2. cap. 227. Anſelmus lib. 6. cap. 121. Gratianus Diſt. 73. & alij. Et Epiſcopi quoque in Occidente hanc à Nicæna Synodo traditam Formatarum formam ſecuti ſunt; exemplum exſtat apud Gratianum & Burchardũ. Indigniſsima autem res eſt, vt Iuniano potius figmento fidem habeamus, quàm tot veterum teſtimoniis, præſertim cum probabile ſit, poſt litteram π proximè non fuiſſe ſubiectam primam litteram eius, qui ſcripſit Epiſtolam, ſed vocem ἀμὰ, vt oſtendit Cardinalis Baronius ad Annum Redemptoris CCC. XXV. Chamierus totus in eo eſt, vt fidem Attico detrahat. Sed dum hoc conatur, ipſe ſibi & frontem & fidem detrahit.

Sibrandus vt hanc totam de Petri prærogatiuis tractationem à ſycophanticis ſutelis auſpicatus fuerat; ita eandem hoc non abſimili ſyllogiſmo terminat. *Decimus nomine prima littera in fine formatarum literarum ſcripta eſt, ille eſt monarcha per vniuerſam Eccleſiam. Sed prima litera de nomine Petri, ſcripta eſt in fine formatarum literarum. Ergò, Petrus eſt monarcha per vniuerſam Eccleſiam. Reſpondeo, Maiorem eſſe falſam,* inquit Caluiniſta. Falſa eſt, quia tua eſt; non Bellarmini; nam vt alias Petri prærogatiuas Bellarminus non adduxit, niſi vt probabilia primatus Petri indicia, ſic & hanc poſtremam alio fine non attulit; Et vt in aliis eludendis & traducendis Sibrandus impoſtorem egit; ita & in hac.

Sutliuius & VVitackerus occlamant. Etiamſi Petri nomen *Formatis adiunctum fuerit, non tamen hinc Petri principatum euinci.* Non neceſſariò, fateor. Probabiliter nego. Nam quæ alia cauſſa, cur prima littera nominis Petri, poſt primas litteras Græcas, *Patris, Filij, & Spiritus ſancti* adiiceretur; niſi quia Petrus Apoſtolorum princeps erat; & qui cum Petri Cathedra communione *Formatarum* iungeretur; Catholicam fidem colere cenſeretur? Quomodo autem acciderit, vt hæc de *Formatis* ſanctio edita, vt ait Atticus, in Concilio Nicæno, non exſtiterit palam inter Canones Nicænos, demonſtrat Baronius loco ſupra citato.

CAPVT XXV.

Confirmatur primatus Petri teſtimoniis Patrum Græcorum & Latinorum.

DANAEO caput hoc *nimia longitudine*, vt ipſe arbitratur, moleſtiſsimum accidit. Itaque citiſsimè hinc ſe alio proripit; Et duabus *Fallaciis* totam rem abſoluit: quarum prima, *A non cauſſa. Patres dixerunt Petrum habuiſſe primatum in Eccleſiam, ergo eſt verum.* Danæus negat conſequentiam. Nec vel hilum moratus Patres. *Cuius, obſecro, pudoris eſt,* inquit Caluinus ad Nonam protheſin Valentini Gentilis, *obſcurum pædagogum verbulo vno iudicium ferre de cunctis Eccleſiæ ſcriptoribus? Probet ergo; vel neminem ſanum mouebit eius temeritas.* Nil aptius iam reperio, quod impudentiæ Danæi reponam. Ex qua inuerecunda fronte proceſsit & hoc effrons in Patres conuicium. *Si aliqui Patres tale quidpiam* (primatum) *Petro tribuerunt, iam errore iſtius poteſtatis faſcinati, ſic, ſed perperam, ſenſerunt & ſcripſerunt. Quare fides illis minimè eſt habenda.* (nempe vt Danæo omnibus Danais mendaciori fidem habeamus.) *Dictum enim Chriſti Matth. 16. Tu es Petrus, &c. Peſsimè de Petri perſona ſunt interpretati.* Peſsimè, quia non *Caluiniſticè.* En duram Caluiniſtarum faciem. Priſcis fidem abrogant; vt ſibi arrogent & ſe ſupra illos efferant.

Altera Danæi Fallacia eſt *Æquiuocatio.* Quidquid in hoc capite legit illud totum *Æquiuocum* reputat. *Æquiuocus* eſt ei primatus. *Æquiuocum* caput. *Æquiuocus* paſtor; *Æquiuocus* præpoſitus: Cur? niſi quia Danæo non *vniuocum*, ſed *Æquiuocum* caput fuit.

In

In racemationibus Iunianis ad hoc caput vix quidquam inuenias; præter, *Negatur. Negamus. Falsum. Æquiuoca, & falsa conclusio, synecdochicè, συνεκδοχικῶς. Petrus est caput Apostolorum ratione ætatis. Caput autem Ecclesiæ communiter cum aliis Apostolis. Habet primatum, sed communem cum aliis Apostolis.* Primas fuit, *ordine singulari. Pastor ouium, vocatione communi.* His & aliis suis inanissimis responsis ac glossematis putat Iunius, se & suos omnia Patrum testimonia declinare & euitare posse. Sed grauiora sunt, quàm vt vsque adeo ludicris cauillatiunculis labefactentur aut prosternantur.

Sutliuius, vt palam faciat, se meritò à Beza *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* appellatum esse; hic immaniter linguàm in calumnias soluit. I. *Nihil esse cur nobi isti Iebusitæ Patres istos iactent.* II. *Bellarmini de patribus istis & eorum scriptis dicta, nil aliud esse, quàm vanã futilis Monachi somniantis delirationem.* III. *In omnium Patrum scriptis nusquam reperiri, vbi Petrus nominetur vnicus* (hoc est, supremus) *Ecclesiæ moderator.* IV. *Nusquam reperiri, vbi talis ei primatus concedatur, qualem somniat Bellarminus; vel Pontifices eius nomine sibi vendicant*; vt taceam alia *Bezani* huius *calumniatoris* conuicia, & mendacia, quæ plenis faucibus hic vbertim eructat. Accedamus ad ipsos Patres.

Primo loco ponitur Origenes, qui dicit, Petro summam rerum de pascendis ouibus fuisse traditam, & super ipsum, velut terram, fundatam Ecclesiam. Sibrandus postquam lib. 3. de Papa cap. 6. insulsissimè & indoctissimè varia de Monarcha ad fastidium vsque & suum & alienum deblaterauerat, ex dicto Origenis hunc struit syllogismum. *Cui summa de pascendis ouibus tradita est, ille est Monarcha. Sed Petro tradita est summa de pascendis ouibus. Ergò, Petrus est Monarcha. Respondeo. Maiorem esse falsam.* inquit Caluinista, *non enim Monarcha, sed Pastor est, cui summa de pascendis ouibus credita est.* At quidquid nugeris, *Maior* vera est. Et nomine *Monarchæ*, quod tu vbique inculcas, vt aptiorem sycophantandi & *caluendi* occasionem habeas; nihil aliud intelligi debet, nisi Monarcha Ecclesiasticus, hoc est, summus Pastor. Ait Sibrandus & ex illo Sutliuius, *Etiam reliquis Apostolis, datam summam rerum de pascendis ouibus.* Idem & Iunius occinit. At num ea latitudine & prærogatiua qua Petro?

Secundum locum tenet Eusebius, qui in Chronico Petrum vocat *Primum Christianorum Pontificem.* Sibrandus hunc sycophanticum syllogismum nobis procudit. *Quicunq; ab aliquo Patre Christianorum Pontifex dicitur, ille est Monarcha. Sed Petrus ab aliquo Patre Christianorum Pontifex dicitur. Ergò Petrus est Monarcha.* Vide & detestare Diabolicam Caluinistæ huius calumniandi pruriginem. Omittit vocabulum PRIMVS, in quo tota vis est posita; Et hoc omisso, ex suo cerebro syllogismum extundit, quem vbi extudit, pari vanitate deinceps destruit. Sutliuius & Chamierus dubitant, *num locus Chronici Eusebiani vacet mendo.* Dubium hoc eripiet Burdo, qui verba hæc expunxit; quia nimis erant pro primatu Petri illustria. Nec facilè passus est illo in Chronico aliquid remanere, quod vel Petri principatum, vel prisca Catholicæ Ecclesiæ instituta stabiliret. Obiicit Sutliuius: *Etiam reliquos Apostolos posse vocari Christianorum Pontifices.* Non inficiamur. Sed num quisquam ex illis absolutè dictus est *primus Christianorum Pontifex*, sicuti Petrus?

Ait Bellarminus: Eundem Petrum vocari ab Eusebio lib. 2. Hist. Ecclesiast. cap. 14. *Omnium Apostolorum probatissimum & maximum, primorum principem, & ducem ac magistrum militiæ Dei.* Sutliuius mentitur, Bellarminum hic probasse, *se esse mendacij magistrum, & falsarium, hæc enim non exstare apud Eusebium.* Similis fermè est querela Iunij. Legant isti Eusebium ex versione Ruffini loco à Bellarmino nominato; si non inuenerint, quæ Bellarminus protulit, haud grauatè feremus, vt culpa, qua Bellarminum adspergunt, in ipso hæreat; si vero singula repererint, vt certè reperient, si oculos aperire velint, calumnias & mendacia sua resorbeant, & in illud ipsum gurgustium, ex quo profluxerunt, recondant. Nec Græca vsque adeo diuersa sunt, vt versionem Ruffini non ferant. Nam Græcus Eusebius nominat S. Petrum *προτεθὲν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν λοιπῶν ἀπάντων. κορυφαῖον, καὶ ὑπερβαλόντα τῷ θείῳ ζήλῳ.* An non hæc ipsa eum reddunt sensum, quem Ruffinus expressit?

Iunius κορυφαῖον interpretatur, *principem in dicendo, vel principem sermonum*, ratus se hac rima elabi posse: Sed vt concederemus Petrum ab Eusebio *principem in dicendo* fuisse nominatum, quo sensu etiam *os Apostolorum* à sanctis Patribus appellari solet; id tamen non obstaret; quia os & princeps Apostolorum in dicendo non aliam ob caussam fuit; nisi quia absolutè princeps Apostolorum fuit. Ait Iunius; illa Eusebij de Petro; *qui tanquam generosus quidam dux militiæ Dei armis diuinis septus, &c. posse etiam aliis Apostolis tribui*: Sed non quæritur, quid aliis Apostolis tribui possit; sed quid Petro sigillatim tribuerit Eusebius.

Tertius ex SS. Patrum cœtu profertur S. Basilius qui dicit, Petrum cæteris discipulis fuisse prælatum, & claues regni cælorum accepisse. Sibrandus. *Qui cæteris prælatus est, ille est Monarcha; Talis est Petrus, ergo, &c. Respondeo*, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam*, sed fide solita: Omittit enim illud, *Discipulis*; quod præcipuum est. Quo addito; euanescit tota Sibrandica sycophantia; neque enim ideo Petrus Monarcha est; seu summam & absolutam potestatem accepit, quia prælatus est; sed quia cæteris discipulis, ex sententia D. Basilij, prælatus est. Si enim cæteris discipulis prælatus est; ergo & Apostolis, quia & hi sunt inter discipulos. Et si his prælatus fuit, multo magis reliquis fidelibus. Et hoc etiam notare debuisset Sutliuius, qui ex suo Sibrando obiectat;

Basi-

Basilium in Asceticis affirmare, *omnes Apostolos ex aequo ligare & soluere*. Sibrandus hoc *ad omnes Pastores & Doctores* pro sua liberalitate, extendit. Quod accipe de Apostolis præcisè; quà Apostoli; non qua vnus maior reliquis.

Nazianzenus quarto loco collocatur. Hic affirmat, Apostolos, tametsi per se magnos, habuisse vnum præpositum, nempe S. Petrum. Respondet Sibrandus, & ex illo Sutliuius, *Petrum nec dominatu, nec potestate, cæteris fuisse prælatum, sed ordine*. Idem fermè Iunius. At ordo iste, nudus & potestatis exsors ordo non fuit, sed cum imperio; nam si propter solum ordinem voluisset facere primum, cur non fecit & secundum, cur nō tertium, cur non deinceps quemlibet suo loco & ordine posuit, vt fieri solet, cum in Academiis conficiuntur Catalogi eorum, qui Philosophiæ vel Theologiæ laurea insigniri debent. An nominato primo, solius ordinis caussa, vt isti somniant; non potuissent reliqui Apostoli quærere, quis proximus à primo esse debeat, quis tertius, quis quartus, atque adeo de loco disceptare? Verum quia in hoc primatu non solius ordinis, sed & potestatis ratio habita est, facilè intellectum est, inter cæteros Apostolos omnimodam æqualitatem intercedere.

Accedit, quòd Nazianzenus ait; Petrum à Christo appellatum esse Petram; neque hoc alios Apostolos ęgrè tulisse. Ergo Nazianzenus, agnouit *Petræ* nomen competere aliquo modo Petro, quo non competat cæteris Apostolis. Nam si & illis eo modo competiuisset, non laudasset eos à modestia quòd tam tranquillo animo sint passi, se Petro postponi. Dicit præterea Nazianzenus *Ecclesiæ* fundamenta Petro fuisse concredita: & hoc similiter Apostolos pacato animo tulisse. Intellexerunt ergo, ex Nazianzeni sententia, fundamenta Ecclesiæ Petro modo magis peculiari fuisse concredita, quàm sibi.

Quintum locum tenet S. Epiphanius, qui dicit, Petrum electum, vt ducem Apostolorum. Et Petro creditum esse ouile Christi. Respondet Sawbrandus, & ex illo fidissimus eius discipulus Sutliuius: *Etiam alijs Apostolis creditū ouile Christi*. Num eadem ratione, qua Petro? Aiunt. *Non sequi. Petrum fuisse ducem seu principem, ergo Monarchā*. At sequitur, si dicas; *Petrus fuit summus dux & princeps, ergo Monarcha*. Nam si Apostolorum Dux & Princeps fuit; Monarcha ergo fuit; quia nullum supra se ducem & principem habuit.

Oggannit Sutliuius. *Ordinum ductores, licet nullam habeant in manipulares suos potestatem; propter præcedentiam tamen dici duces*. Respondeo, talem ducem, qui solo nomine, &, vt vocant, *præcedentiâ*, dux esset; non fuisse S. Petrum, inde ostenditur, quia ipse in hac militante Ecclesia solus constitutus est dux exercitus Dei. At nullus, qui solus est dux sine superiore vllo, dux est solo nomine, & solo antecessionis iure, sed potestate ac iurisdictione: ergo & Petrus dux fuit potestate ac iurisdictione; quandoquidem suo in genere solus fuit, nec vllum in militante Ecclesia supra se habuit.

Sextus est Cyrillus Hierosolymitanus, qui Petrum vocat principem Apostolorum. *Excellentissimum*. Hic iterum consona voce clamant Sibrandus, Sutliuius, Iunius; *principis* vocabulum *non denotare potestatem; sed perinde esse, ac tum Aristotelem principem Philosophorum; Ciceronem, principem oratorum, nominamus*. More suo, cauillantur & sycophantantur; quia quando Patres vocant Petrum *primum, Ducem, præpositum, principem*, conuenienter id faciunt ad Euangelica oracula; quæ docent, Petrum ita constitutum esse principem, vt simul etiam claues, hoc est, potestatem acceperit; nec quascunque claues, seu quamcunque potestatem, sed clauium plenitudinem. *Quodcunque solueris*, &c. *Quodcunq, ligaueris*, &c. *Quodcunque*. Sine vlla exceptione. Ex hac obseruatione omnes Hæreticorum nęniæ contra Patrum testimonia dissolui ac dissipari possunt.

Septimus est Cyrillus Alexandrinus, cui Petrus est *caput & cæterorum primus*. Et in Thesauro amplissimum Petri Monarchiæ idem S. Cyrillus testimonium dedit; teste S. Thoma in Opusculo contra Græcos. Ad primum respondent Sutliuius & Sawbrandus, *caput & primi* nomen accipi pro *ordine*, non pro *potestate*. Respondeo, hoc dici non posse; quia huic *primo*, & huic *capiti* dictum est: *Et tibi dabo claues*, hoc est, potestatem regni cælorum: Et quia promissum, & per consequens datum est ei ius soluendi & ligandi. Ergo Petrus est caput & cæterorum primus cum clauibus, hoc est, cum potestate, imò & cum potestatis plenitudine. Caluinistæ S. Thomam rident, quod hæc talia ex Thesauro Cyrilli proferat, quæ ipsi non reperiunt. Sed non est, quòd ridendo auctoritatem D. Thomæ deterere & eleuare cogitent; nemo prudens erit, qui tantum virum impostura potius, quàm istos impostores nequitiæ arguere velit.

Octauus est Chrysostomus; qui dicit; Petrum Ecclesiæ futuræ pastorem cōstitutum esse. Respondent, *etiam alios Apostolos & Episcopos esse Ecclesiæ pastores*. An cum illo priuilegio, ad quod alluſit Chrysostomus? Et tibi dabo claues regni cælorum. Et, *Quodcunq, solueris*, &c. *Quodcunq, ligaueris*, &c. Nominat idem Chrysostomus Petrum *pastorem & caput Ecclesiæ*. Hinc nascitur Sawbrando iste syllogismus. *Quicunq, dicitur Ecclesiæ caput, ille est Monarcha. Sed Petrus. ergo*. Multa nugatur Caluinista de voce *capitis*. Res expedita est. Quicunque dicitur Ecclesiæ caput, eo, quod illi dictum sit: *Tibi dabo claues regni cælorum*; &, *Quodcunq, solueris*, &c. *Quodcūq, ligaueris*, &c. ille est Monarcha Ecclesiæ. Vociferentur Caluinistæ, quantum collubet, insanis suis clamoribus hanc Monarchiam nunquam disturbabunt.

Ait S. Chrysostomus, Petrum vniuerso orbi fuisse præpositum. Occinit Sibrandus. *Non sequi*,

eum fuisse Monarcham. Quid tandem ex vllo antecedente sequetur; si hoc non sequitur? Si Petrus vniuerso mundo præpositus fuit; in vniuersum ergo mundum potestatem habuit; ergo Monarcha fuit; sed Ecclesiasticus; de quo solo nobis hîc est sermo. Nec Hieremias vni Hebræorum genti præpositus fuit, vt Pastor & Pontifex ordinarius, sed vt Propheta & Doctor extraordinarius. Quocirca nil valet cauillus; *Hieremiã vni genti fuisse præpositum, nec tamen Monarcham dici posse.*

Nonus est Euthymius, qui dicit, *Petrum super Apostolos præsidentiam accepisse.* Respõdent Sutliuius & Magister eius Sibrandus: *Non denotari per hanc præsidentiam potestatem, & imperium.* Num præsidentia cum clauibus, non denotat potestatem & imperium? Neque enim Euthymius de alia præsidentia locutus est, nisi de illa, quæ Petro Matt. 16. per Metaphorã *clauium, solutionis & ligationis* promissa est. Sic cum idẽ Euthymius vocat Petrum *totius orbis Magistrum*; minimè satis est occlamare; *alios itidem Apostolos fuisse totius orbis Magistros*; non enim fuêre tales, eo modo, quo Petrus, cum plenitudine absoluta & independente clauium siue potestatis. Nec vllus Ecclesiæ doctor præcisè, quà doctor, talis Magister totius mundi fuit; quidquid hic ineptus Sibrandus declamitet ac deliret.

Decimus est Theophylactus, cui Petrus est *princeps discipulorum*: Et post Christum; *Petra & fundamentum Ecclesiæ.* Respondent Sutliuius & Savvbrandus. *Hæc etiam aliis Apostolis conuenire.* Dicant, obsecro, quis vnquam ex Patrum numero, aliquem, præter Petrum, nominauit *discipulorum principem?* Quis vllum, præter Petrum nominauit *Petram* & *fundamentum* Ecclesiæ peculiari illa ratione, quæ Matth. 16. exstat?

Decimus est Oecumenius, qui ait, Petro præsidentiam discipulorum fuisse commissam. Oggerunt iterum: *Hanc Petro fuisse cum aliis communẽ.* Quomodo communis, si Petrus præsidebat reliquis discipulis? Forsan temporariam vel *hebdomadariam* præsidentiã isti sibi imaginantur, qualis est in Geneuensi Synagoga, quam non semel falsè irridet Sarauia Caluinista, in suo commentario de gradibus ministrorum Ecclesiæ contra Bezam. Addunt: *Esse præsidentiam sine imperio & potestate.* Quomodo absq; potestate, si cum *clauibus*? quia Oecumenius locutus est de illius præsidentia; cui dictum est: *Et tibi dabo claues regni cælorum,* &c.

Vndecimus est Hugo AEtherianus; qui & ipse primatui Petri illustre testimonium perhibet. Savvbrandus dicit; *Hugonem sibi esse incogniti.* Credo, & hunc & alios plerosq; Caluiniano huic esse incognitos. Sutliuius ait, *Hugonem vixisse iam corrupto sæculo.* O infelicem, qui non vixerit hoc tempore, quo omnẽ à nostro sæculo corruptionem lacus Lemannus, Oceanus Britannicus & Albis VVitebergensis abluit. VVitackerus clamat, Hugonem & Bernardum vixisse, *Antichristo iam in solio constituto, & propterea non esse admittendos.* Irrefragabilis responsio. Chamierus dicit, *Hugonem non fuisse Græcum.* At inter Græcos diutissimè vixit, Græcè doctissimus. De eius ætate stultè delirat Caluinista. Paucis, sub Emmanuele Comneno floruit.

Primus ex Patribus Latinis est S. Cyprianus, qui scribit, Petrum noluisse dicere, cum à Paulo reprehenderetur, se habere primatũ, & sibi obediendum esse; idque modestiæ caussa. Sibrandus. *Quicunq; ab aliquo Patre primatum habere dicitur, ille est Monarcha. Sed Petrus. ergo.* Adde ad Maiorem: *Quicunq; ab aliquo Patre primatum Ecclesiæ cum plenitudine clauium habere dicitur*: iuxta illud; *Tibi dabo claues regni cælorum,* &c. ille est Monarcha; iam vera erit; Et euanescent omnes nebulæ Sibrandicæ; qualis est ista: *Ambrosius & Augustinus dicunt: Etiam Esau habuisse primatum.* O calumniatorem. Num habuit Esau primatum Ecclesiæ, an natiuitatis? Sutliuius clamitat; *Petrum, ex sententia Cypriani insolenter & arroganter facturum fuisse, si primatum & summam potestatem sibi arrogasset.* Vtique arroganter fecisset, si primatum sibi *arrogasset*; neque enim quisquam aliquid sibi, nisi *arroganter, arrogare* potest; sed si eam, quam habebat potestatem, Pauli reprehensioni opposuisset, num, Cypriani aut Augustini iudicio, insolenter egisset? Num quod iuris erat, insolentiæ deputatum fuisset, iudice Cypriano? Et sanè arguta est hæc Sutliuij consequentia. *Petrus non vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret, se primatum tenere; ergo si dixisset, se primatum tenere, ab arrogante & insolente vendicatione & vsurpatione defendi non posset.* Quasi verò cum vsus & opportunitas id efflagitat, non possit quis, absq; vlla insolentia & arrogantia, eâ se defendere dignitate, qua præditus est. Laudatur itaq; à S. Cypriano S. Petrus non tantum ideò, quòd nihil arroganter sibi vendicarit; sed & tacitè à modestia, quòd quæ verè poterat obiectioni opponere, reticuerit; & reprehendenti se, Paulo nihil, defensionis suæ gratiâ, obmoliendum censuerit.

Profert Bellarminus alia quoque ex Cypriano testimonia. Ad quæ Sutliuius nil nisi conuicia & mendacia, vt I. *Cyprianum à Bellarmino esse corruptum.* Vbi? Quomodo? Quando? II. Mentitur, *se auditurum fuisse Cyprianum, si quid pro primatu Petri affirmasset.* Crediderim equidem, si hodie Cyprianus ex cælo ad nos reuerteretur, & quid scripserit de primatu Petri huic Caluinistæ, digito intento ostenderet; & quid etiamnum de primatu Petri sentiat; eum plus fidei Cypriano non adhibiturum, quàm Bellarmino. Miratur Sutliuius qua fronte Bellarminus ausus fuerit producere Cyprianum, pro Petri primatu. Ego miror, qua fronte miretur hoc Caluinianus iste, quia grandis culpæ accusari potuisset; si luculentissimum hunc primatus Petri assertorem & vindicẽ præteriisset. III. Mentitur Sutliuius, Cyprianum in Epistola ad Iubaianum *non loqui de Petro,*

sed de vna fide Catholica. Et Bellarminum impudentiæ arguit, homo pudentiæ Caluinianæ speculum. Sed ex antecedentibus & consequentibus, manifestè liquet; S. Cyprianum per illud; *Nos vnius Ecclesiæ caput, & radicem tenemus*; Nihil aliud intelligere, quàm Cathedram Petri, & cum ea communionem.

Obiicit Caluinista. *A Cypriano etiam alios Apostolos dici Ecclesiæ præpositos.* Num instar Petri, qui audierint illud? *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Ait, *Cyprianum digladiatum esse cum Stephano Pontifice Romano; hoc verò minimè fuisse factutum, si consuisset, ei in omnes Ecclesias potestatem concessam esse.* Respondeo, in tota hac cum Stephano contentione ne minimum quidē verbulum apparet, quo S. Cyprianus Romani Pontificis primatum in dubium vocauerit, vel negarit; sed quidquid litis id fuit, id ex priuato quodam & inordinato affectu erga priuatam de rebaptizatione hæreticorum opinionem processit; quem falce Martyrij in tanto viro fuisse purgatum & resectum arbitratur S. Augustinus non vno loco. Lege Bellarminum infra lib. 4. cap. 7.

Secundus est S. Maximus, qui Petro totius Ecclesiæ gubernacula tradita dicit. Occinit Sutliuius. *Aliis itidem fuisse tradita.* Num vt Petro cum potestatis plenitudine & independentia?

Tertius est Optatus, cui Petrus est omnium Apostolorum *caput.* Sutliuius putat, *hoc Petro cōmune cum cæteris.* Inspiciantur reliqua apud Bellarminum, & mox liquebit, quàm sit vanum hoc effugium. Adde. Si Petrus est omnium Apostolorum caput, non magis fieri potest, vt hoc ei sit cum cæteris Apostolis commune; quàm fieri potest, vt esse caput capiti humano cum reliquis corporis humani membris sit commune.

Sibrandus dicit, *se non nosse Optatum.* Magnum oportet esse Sibrandi in Ecclesiasticis monumētis peritiam, qui tam obuium Auctorem nō nouerit. Ridet Sibrandus, & vna cum illo Sutliuius, Optatum, quod vocem *Cephæ* dixerit idem esse quod *caput* à Græca dictione κεφαλή. sed de hoc Hæretico risu iam alibi diximus. Putant Sectarij hac vnica, eaque prorsus puerili sua exceptiuncula totam Optati auctoritatem prostratum iri.

Quartus est S. Ambrosius; qui Petrum omnibus prælatum dicit. Respondet Sutliuius, *id intelligendum de ætate* (falsum, non enim Andreæ fratre suo senior fuit, & forsan nec aliis nonnullis) *& virtute & ordine.* At non sine clauibus; imò nō sine clauium seu potestatis plenitudine; quia illi dictum est; *Et tibi dabo claues regni cælorum. At omnes Apostoli Spiritum sanctum acceperunt.* Quid tum? An ideo omnes simpliciter pares? Etiam alij, præter Apostolos, Spiritum sanctum acceperunt. Num ideo pares erant Apostolis? Vocat idem Ambrosius Petrum, *Vicarium amoris Christi erga nos.* Respōsat Sutliuius. Etiā alios *esse Vicarios amoris Christi erga nos.* Num tales, quibus dictum sit? *Tibi dabo claues regni cælorum.* Et, *Pasce oues meas,* &c.

Asserit Ambrosius primatum Petro concessum, non Andreæ. Occurrit Sutliuius; *hoc intelligi de primatu ordinis.* Num nudi & solius ordinis sine potestate & clauibus? Vnde ergo, & cui illud? *Et tibi dabo claues regni cælorum,* &c.

Quintus est D. Hieronymus, qui dicit; inter duodecim vnum esse electum, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Respondet Sutliuius, *hoc ætati delatū fuisse, quia Petrus senior erat.* Senior nimirum Ioanne, cum quo Petrum ibi cōparat. Ob quemcunque verò respectum Christus Petrum caput constituerit; vt schismatibus præcideretur occasio; parum refert; sufficit nobis, Petrum à Christo *caput* constitutum esse. *Caput,* inquit Sutliuius, *non semper magistratum significat.* At hic significat. Nam S. Hieronymus loquitur de illo capite, cui dictum est: *Et tibi dabo claues regni cælorum.*

Sextus est S. Augustinus; qui dicit, Petrum habuisse primatum. Sutliuius consuetum coccysmum ex Sibrando ingerit. *Sine summa potestate.* Sed Augustinus, vt & alij, loquuntur de primatu, qui Matth. 16. describitur, qui potestate, & quidem summa, non caret, quia clauibus & plenitudine clauium nō caret. Mentitur Sutliuius, *Augustinum per Cathedram Petri; intelligere doctrinam & honorem Petri.* Minimè verò, sed sedem seu potestatem, dignitatem & functionem Episcopalem Petri intelligit, quæ Romæ fundata, inde in totum terrarum orbem se extendit; vt patet ex testimoniis, quæ Bellarminus profert.

Septimus est S. Leo; qui ait, sanctum Petrum, omnibus Apostolis, & cunctis Ecclesiis esse præpositum. Sawbrandus & cum illo Sutliuius dicunt; *Leonem non esse audiendum in propria causa.* Et audiemus Caluinianos istos in causa sua, hoc est, in Caluinismi propugnatione & propagatione? Scilicet, Leo causam agebat, suam; non cōmunem Ecclesiæ, quando Petri principatum asseruit. Num Imperator ageret causam suam, si contra rebelles assereret, antecessores suos inter omnes Christianos principes semper primas tenuisse? An non exploderetur, qui diceret, Imperatorem in sua causa non esse audiendum? Etiam Iunius clamat *Leonem, magnum & plus satis feruentem sua auctoritatis asserterem fuisse.* Nec docuit, nec asseruit aliud Leo, quam quòd diuinitus & à maioribus suis acceperat. Si feruenter, quid ni? Tantum enim negotium non debet geri tepidè, multò minus frigidè.

Octauus est S. Prosper, qui Romam vocat *sedem Petri.* Et *caput mundi* propter pastoralem honorem. Respondet Sibrandus, *Etiam Bethleemum vocari à Prudentio caput orbis.* At non ob pastoralem honorem, & quòd, *quidquid non possidet armis, religione teneat;* Sed quia ibi natus Christus. Respondet secundò Sibrandus; *Sedem Petri, esse caput; non dominatu, sed ordine.* Imò potestate, velis nolis:

quia huic capiti dictum est; *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Sutliuius dicit, Prosperum non loqui de Petro, *sed de vrbe Roma, quæ facta sit sedes Petri.* An non loquitur de Petro, qui de sede Petri loquitur? Vocat Prosper Romam caput mundi. Cur, nisi quia caput totius mundi, quoad imperium Ecclesiasticum, in ea sedem obtinet? Certè olim Roma aliam ob caussam non dicebatur caput mundi, nisi quia sedes erat Imperij & eorum, qui mundo iura dabant. Mendacium Sutliuianum est, *Prosperum non plus tribuere Romæ, quàm Chrysostomum Antiochiæ.* Monstra, sodes, locum, vbi Chrysostomus vocet Antiochiam *caput mundi*, idque ob pastoralem honorem, & quod Antiochia religione, hoc est, iurisdictione Ecclesiastica, teneat, *quidquid non possidet armis.*

Nonus est Arator, qui ait, Petro omnes oues Christi commissas, omnesq; cura eius, tanquam summi Pastoris, pasci. Respondent Sibrandus & Sutliuius, *Etiam aliis Apostolis commissas oues Christi.* Num ea, qua Petro, ratione?

Decimus est Gregorius Magnus, qui Petro totius Ecclesiæ curam commissam, & principatum traditum scribit. Sutliuius rursus confugit *ad commissionem & principatum sine potestate.* Sed obstant illa; *Tibi dabo claues regni cælorum.* Et *Pasce*, id est, rege; guberna oues meas.

Vndecimus est venerabilis Beda; qui dicit, Petrum cunctæ Ecclesiæ prælatum esse; eumque specialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepisse. Savvbrandus nec Bedam, nec, qui sequitur, Bernardum, tangit, ne contaminetur. Sutliuius criminator, Bedam *in tenebris & Ecclesia nocte vixisse, & in Monasterio, quod tunc superstitionum & errorum scbola esse cœpit, enutritum esse.* De Bernardo idem fert iudicium, *eum* videlicet *tenebris Ægyptiacis oppressum, tyrannidem sub Pontificatu Romano latentem non planè agnouisse.* Et his conuiciis arbitratur Sutliuius satis superque Bedæ & Bernardi auctoritatem à sua secta se amolitum esse. At nemo non videt, quàm sit ridiculum, quando noctuæ aquilas; & talpæ, lynces cæcitatis accusant. O fortunatum Bedam, qui teterrima hæc Caluiniana tempora non viderit in sua Britannia. O terque quaterque felicem Bernardum, qui spiritu Caluiniano non caluerit. Eum haud in Ecclesia Dei teneret locum quem tenet, sed cum Petro Bruis & Petrobrusianis, cum Henrico & Henricianis, æternâ sui nominis ignominiâ, numeraretur. Thrasonismos, quibus Sutliuius hoc caput iactabundè claudit, tacitus prætereo, quia insignem stoliditatem & stupiditatem Caluinistæ huius resipiunt. Supersedebo his recensendis, ne vel pueris ludibrium debeat. Nec aliquid vel Chamierus vel VVitackerus adfert, quod iam non sit refutatum. Nisi quòd hoc loco paulò deterius & nequius mutant & mutilant tam Patrum, quàm Bellarmini verba; & ea tantum Patrum dicta excerpunt, quæ ad calumniam struendam ipsis videbantur opportuniora.

CAPVT XXVI.

Diluitur argumentum ex comparatione Petri cum Jacobo.

SIBRANDVS, & cum illo Sutliuius, loquacissimè hic deblaterant de officio Petri Apostoli, & de omnium Apostolorum inter se æqualitate. Sed quia omnia iam vel dissipata sunt, vel suis locis dissipabuntur, non est quod cum Caluinianis istis Battis diutius hic nos detineri sinamus. Sutliuius neque hoc, neque duo sequentia huius libri capita tangit. Tangit Sibrandus. Quomodo, postea liquebit.

Danæus cito hinc recedit. *Comparatio*, inquit, *inter Iacobum & Petrum, nihil pro primatu Petri in collegas & Episcopos concludit.* Num Bellarminus hanc comparationem attulit; vt inde Petri primatum colligat? Nihil minus; sed quia sectarij tam sunt effrontes, vt audeant, institutâ collatione, inter Petrum & Iacobum; hunc illi præferre, ideo Bellarminus vaniloquentiam eorum dispellere coactus est. *Non sequeretur*, inquit Danæus, *etsi præferretur Petrus Iacobo, idcirco alijs omnibus, & ipsi Apostolorum cœtui præferri & præesse.* Neque hoc euincere voluit Bellarminus, sed istud duntaxat; Lutherum & alios grauiter decipi, cum institura inter Petrum & Iacobum comparatione, hunc illi anteferunt. Sufficit Bellarmino, Iacobum non anteponi Petro; vtrum postea Petrus Iacobo & reliquis Apostolis antehabendus sit, alia est quæstio, quæ hoc libro iam satis perspicuè & copiosè definita est.

Primum Lutheri argumentum erat; *Christum fuisse Episcopum Hierosolymæ, non Romæ, dignioremergo esse Iacobum, qui in Cathedra Hierosolymitana Christo successerit; vel certè Vicarium eius fuerit, quam Petrum, Episcopum Romanum.* Respondet Bellarminus, Christum non fuisse vllius particularis, sed totius Ecclesiæ Episcopum, cui nemo succedat, cum semper viuat. Clamat Sibrandus. *Hoc nihil esse ad rem:* Probat. *Quia Christus Hierosolymis docuit, ibiq; martyrio functus est; ergo fuit particularis Episcopus Hierosolymorum.* Argutè. Eademque argutiâ dicere poteris. *Christus docuit in deserto, fuit ergo particularis Episcopus deserti. Docuit in mari ex nauigio in quod ascenderat; est ergo particularis Episcopus maris.*

Pergit fatuari Sibrandus. *Si ideo Papa Romanus est Monarcha, quòd Petrus Romæ docuit, & occisus est; multo magis Episcopus Hierosolymorum est Monarcha, nam ibi Christus & docuit & occisus est.* Quis dixit Papam Romanum ideo esse Monarcham Ecclesiæ, quia Petrus Romæ docuit, & occisus est?

Ede,

Ede, quæso, nomen eius, qui hoc delirium procudit. Audi Caluinista. Papa Romanus ideo est Monarcha Ecclesiæ, quia in Cathedra Romana succedit ei, cui dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, &c. *Et pasce oues meas*, &c. Qui quidem Romæ docuit & crucifixus est; sed non ideo princeps Ecclesiæ fuit, quia Romæ docuit, & pro Christi nomine Martyrium subiit; sed quia à Christo claues regni cœlorum, & generalem totius dominici ouilis curam suscepit.

Ait Sibrandus. *Vt Christus non vnius vrbis, sed totius orbis Pontifex est, ita Petrus non vnius Vrbis, sed totius orbis Apostolus est*: Est quidem S. Petrus totius orbis Apostolus & Episcopus; sed simul etiam est particularis Episcopus Romanæ Vrbis & Diœceseos; at Christus nec est, nec fuit vllius particularis Ecclesiæ, qua particularis, institutus Pontifex, sed totius Ecclesiæ; particularium autem, non nisi vt in tota continentur.

Iterum mentitur Caluinianus Battus, Pontificios dicere, *Romanam sedem habere Monarchalem dignitatem, quòd Petrus istic docuit, & occisus est.* Non est hæc caussa, vt supra dictum; sed quia Petrus, princeps & Monarcha Ecclesiæ, Romanam sedem fundauit, in eamque, diuina ordinatione, potestatis suæ plenitudinem contulit, vt Episcopus illius, non tantum sit Diœceseos illius Romanis finibus circumscriptæ, particularis Antistes, sed & totius Ecclesiæ vniuersalis Episcopus.

Ait Bellarminus: Christum non habere successorem; cum semper viuat. Obiiciunt Sibrandus & Iunius; *Eadem ratione non habere Vicarium, quia semper vivit.* Respondeo, hoc non sequi; quia habere successorem, denotat cessationem à munere; neque enim succeditur, nisi ei, qui ab officio desistit. Quare enim successum est Petro, & hodie posterior Pontifex succedit priori, nisi quia, vt Apostolus loquitur, morte *prohibentur permanere*: at Christus *sempiternum habet sacerdotium*; hoc est, semper manet sacerdos & Pontifex, non ergo succeditur ei. De Vicario est alia ratio. Nam & viuens & in officio perseuerans Vicarium constituere solet; vel quia abest peregrè, vel quia ipse solus non sufficit omnibus peragendis; vel alias legitimas ob caussas. Iam verò, licet Christus solus, absque vllo Vicario, Ecclesiam gubernare possit; quia tamen, specie externâ & conspicuâ, à nobis abest; consultum iudicauit, præficere Ecclesiæ visibilem Vicarium, qui vice sua Ecclesiam gubernaret modo hominibus vsitato, qui est, vt regantur à rectore, quem audire & videre queant.

Vocauit Lutherus Iacobum Apostolum *Vicarium Christi.* Hoc digerere nequit Iunius. Emplastro dicti duritiem mollit. *Lutherum id non affirmatè, sed ex Pontificiorum hypothesi protulisse.* Num aliud asseruit Bellarminus? qui ait, decuisse, vt generalis Vicarius Christi alibi potiùs, quàm Hierosolymis habitaret, nam vt per Christum lex & sacerdotium vetus mutata fuere; sic par fuisse, vt & locus mutaretur. *Hic penè tot sunt errores*, inquit Sawbrandus, *quot verba.* Primus error; quia Bellarminus arbitratur, *Papam esse generalem Vicarium Christi* Qui sanè est grauissimus error: Et hunc errorem exornat Sibrandus hoc mendacio. Neminem vnquam Papistarum probare potuisse, *Papam esse Vicarium generalem Christi.* De Petro iam id probauit Bellarminus, & cum illo innumeri alij; de Papa postea videbitur.

II. Error est; quia Bellarminus dicit, *Vicarium generalem Christi debere potius alibi, quàm Hierosolymis habitare.* Hoc scriptura non affirmat, debet ergo reiici. Quis non det victas manus tam inuictis rationibus? ex quibus est & ista. Si est Vicarius per vniuersum orbem; ergo non debet affixus esse vni loco. Perinde ac si dixisset olim. Si Senatus vel Imperator Romanus, est Dominus totius orbis, non debet Romæ, certa & definita in vrbe sedem suam collocare; sed hinc inde per totum orbem sine stabili sede vagari.

Vocat Bellarminus Papam, *Vicarium summi sacerdotis.* Nunc eundem nominat *summum sacerdotem*; & hic sit tertius Bellarmini error; *nam si Petrus est Vicarius summi sacerdotis, non est summus sacerdos, quia nemo est Vicarius sui ipsius.* O vanitatem & ruditatem incredibilem. Quasi non vtrumque verum esse queat, diuerso respectu; & vnumquodque in suo genere. Rex etiam politicus Monarcha est & Minister. *Si est Monarcha, non erit Minister*; inquit Sibrandus, *nemo enim est Minister sui ipsius.* Sed vt Rex minister est comparatione Dei, cuius vices gerit; & Monarcha respectu hominum, quibus iura dat & præsidet; sic Papa est Vicarius & Minister respectu Christi, cui ministrat, & cuius vices gerit; & summus sacerdos est in suo genere; nimirum, ratione militantis Ecclesiæ & inter sacerdotes, visibiliter in hoc Ecclesiæ visibili cœtu militantes. An non Vicarius Regis siue *Vicerex* respectu subditorum est summus, licet collatus cum Rege, sit Vicarius & Minister?

Ait Bellarminus, forsan ideo etiam euersam esse paulò pòst Hierosolymam, vt significaretur totam Ecclesiæ Hierarchiam fore nouam. Oggrunnit Sibrandus. *Si euersa est Hierosolyma, tum Antichristus non potest in templo Hierosolymæ habitare, vt somniant Papistæ.* Potest; quia reædificata est; Et restitui potest etiam templum Hierosolymitanum, de quo lib. 3. Est autem putidum Caluinistæ huius mendacium vllum ex Catholicis docere; *Antichristum habitaturum in eo ipso templo Hierosolymitano, quod à Tito destructum est.* An non per Ecthlipsin, vniuersum ex fronte pudorem extriuit, qui tam flagitiosè mentiri non erubescit? qui mox nobis hunc syllogismum apponit; factum, vt ait, ex Eusebio, vel potius Ruffino lib. 2.

Hist. Ecclesiast. cap. 1. *Apostolorum Episcopus est eximius inter Apostolos: Iacobus est Apostolorum Episcopus. ergo.* Delirium dices, & meritò, non syllogismum. Verba Eusebij ex Ruffini versione sunt ista. *Petrus, Iacobus, & Ioannes, post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam; sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt.* Respondet Bellarminus, locum sine dubio apud Ruffinum esse corruptum. Et probat hoc aliquot argumentis. *At nos non citamus*, inquit Sibrandus, *ex Eusebio, sed ex Ruffino.* At Bellarminus ostendit ipsum Ruffini textum esse corruptum. Non dicit, Græcum Eusebij textum vitiatum esse; sed Ruffini. An non in Græcis, quæ Bellarminus adducit, vocatur Iacobus ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων, non ἀπόστολος? Obiicit Sibrandus. *Methodium idem dicere* apud Marianum Scotum. Sed ex deprauato Ruffini Codice; cuius vitium apertè demonstrat Bellarminus.

Dicit S. Chrysostomus, Apostolos concessisse Iacobo *solium*. Respondet Bellarminus, hoc accipiendum de solio particularis Episcopatus Hierosolymitani. Sibrandus mentitur, *Bellarminum ad Chrysostomi testimonium respondere; Iacobum fuisse vnius vrbis Episcopum, Petrum totius orbis.* Nihil huius hoc loco Bellarminus, vt patebit legenti. Citat Bellarminus Chrysostomum Homil. vlt. in Ioan. in illud: *Sequere me*, &c. dicentem. *Si quis percunctaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit; Responderem, hunc Petrum totius orbis magistrum constituisse.* Vociferatur Iunius. *Falsò adductus locus.* Sic enim Chrysostomus de Iacobo respondens ait; *Responderem, hunc totius orbis Magistrum præfecisse, id est, quòd hunc Christus, qui totius orbis Magister est, non Petrus, Hierosolymorum Ecclesiæ præfecerit.* Iunius antiquum carpendi & temerè quiduis affirmandi morem obtinet; nam si verba Latina spectes; sensum, quem adfert Bellarminus, longè commodius ferunt; quàm quem comminiscitur Iunius: Si enim Chrysostomus voluisset denotare Christum; minimè illa periphrasi vsus fuisset; sed absolutè, & absque vlla circuitione nominasset *Christum*: Nec dubito Bellarminum in aliquo Codice Petri nomen expressum reperisse. At si Græca spectemus, tunc penitus concidit figmentum Iunianum; quæ ita habent. εἰ δέ τις, πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαχε τῶν Ἱεροσολύμων; ἐκεῖνο ἂν ἀποκριναίμην, ὅτι τοῦτον ὁ τῶν ὅλων, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον. *Si quis quærat: Quomodo igitur Iacobus adeptus est thronum Hierosolymitanum*; (Si, vt in præcedentibus dixerat Chrysostomus, Christus tanti faciebat Petrum, & tanto amoris affectu in eum ferebatur; quem Chrysostomus etiam declaratum ait, illis ad Petrum verbis: *Sequere me.* ἐπιτύχων πάλιν τὸ καλλιστεῖον αὐτοῖς καὶ τὸ σφόδρα σφῶν αὐτὸν οἰκεῖον διακεῖσθαι. *Quibus verbis iterum curam & affectionis magnitudinem Dominus erga Petrum ostendit.* Si, inquam, hæc ita se habent,) *cur Iacobus factus est Hierosolymorum Episcopus*, (non Petrus?) *Responderem*, inquit Chrysostomus, *Petrum non huius* (Hierosolymitani) *throni, sed totius orbis Magistrum ordinatum esse*; à Christo videlicet; Quod est longè quiddam magnificentius & amplius, quàm esse throni Hierosolymitani Antistitem. Hunc esse legitimum & genuinum Chrysostomi sensum fatebitur, quisquis Græca verba perpenderit & intellexerit.

Ait Bellarminus, Lutherum non bene legisse Nicænum Concilium in Canone de sedibus Patriarchalibus. Occurrit Iunius. *Lutherum bene legisse, sed Bellarminum malè referre: Hoc enim voluisse Lutherum, si ex successione Iacobi non est primatus Hierosolymis, sed ex traditione & consuetudine: non ex diuino, sed ex humano instituto; ergo eandem rationem in successione Petri obtinere.* Nugatur iste καὶ παρομολογεῖ. prout mos eius est. Verba Lutheri in extremo libro de potestate Papæ sunt ista. *Concilium Nicænum Episcopo Hierosolymitano, non Romano, tribuit honoris primatum, dicens ibidem: Et vt Episcopo Hierosolymorum antiquitus tradita honoris prærogatiua seruetur, manente nihilominus & Metropolitani ipsius prouinciæ dignitate.* Vbi Lutherus imperitissimè per prærogatiuam honoris intelligit *primatum*, cum tantum absit, vt primatus Episcopo Hierosolymitano supra Romanum, Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas fuerit delatus; vt etiam expressè sub iurisdictione & potestate sui Metropolitani, nempe Archiepiscopi Cæsariensis, relictus fuerit, concessa ei solummodo honoraria quadam sessione post Patriarchas, sine vlla Patriarchali iurisdictione, vt optimè docet Bellarminus. Hinc apparet, quàm Iunius sit solers Lutheri eiusque assertorum explanator & vindex.

CAPVT XXVII.

De comparatione Petri cum Paulo.

PRIMVM sectariorum argumentum ex hac comparatione ductum coniicit Sibrandus in hunc syllogismũ. *Qui ex omnibus Apostolis solus per antonomasiam Apostolus dicitur, ille est eximius inter Apostolos, & reliquis præfertur. Sed Paulus. Ergo. Aduersarius respondet*, inquit Sibrandus, *Paulum per antonomasiam dici Apostolum, quòd plura scripserit, quàm cæteri.* Recinit Sibrandus. *Hoc falsum est. Nam ex Patribus plurimos libros scripsit Origenes, & similiter Augustinus, & tamen neuter per antonomasiam dicitur Pater.* Multa alia in hanc sententiam de Galeno, Liuio, Ouidio insulsus Caluinista blatit; quæ prorsus nihil ad rem; quia in *Antonomasia* spectanda est loquentium consuetudo, quæ in Apostolo Paulo obtinuit, vt absolutè dicatur *Apostolus* ob multitudinem scriptorum,

ptorum, quibus omnes alios Apostolos numero superat. In cæteris extra hanc tribum scriptoribus, quos Caluinista nominat, vsus non obtinuit, vt ob monumentorum multitudinem & varietatem per antonomasiam commune nomen fecerint suum.

Secundò respondet Bellarminus, ad Apostolum, propriè, qua est Apostolus, pertinere, vt plantet fidem. Paulum autem in pluribus locis plantasse fidem, quàm quenquam alium. Et hinc Apostolum per antonomasiam dici: *At hoc volumus*, inquit Sibrandus, *Paulus enim, & Petrus, cæteríque Apostoli nullum aliud munus habuerunt, quàm Apostolicum. Ergo si Paulus excelluit in eo, quod proprium est Apostoli; & si illud, quod propriè ad Apostolum, vt ad Apostolum pertinet, magis fecit, quàm quisquam ex cæteris: Item, si munus Apostolicum excellentissimè impleuit, necessariò sequitur eum esse eximium inter omnes Apostolos, & reliquis omnibus præferendum*, quoad laborem, non quoad primatum. Aliud est primatus in potestate, iurisdictione, & præsidentia; aliud, primatus, vt sic loquar, in labore. Sæpe fit, vt gregarius miles, vel vnus ex ducibus non simpliciter supremis, plus laboris exhauriat & subeat, quàm ipse supremus Imperator. Num propterea ille supremo Imperatori simpliciter anteponitur, vel etiam æquatur?

At Paulus dicit: *Iudico me nihilo inferiorem esse summis Apostolis. Sed si Petrus esset totius Ecclesiæ & omnium Apostolorum Monarcha, tunc Paulus esset eo inferior.* Respondeo, quando Paulus dixit; se non esse inferiorem summis Apostolis, eum locutum de laboribus in Euangelio promulgando susceptis & exhaustis, in quibus profectò inferior non fuit ipsis summis Apostolis. Nec his inferior fuit gratia & vocatione ad Apostolatum, & aliis cœlestibus donis; excepto primatu, in quo vtique Petro inferior fuit.

Vrget Sibrandus illud, *Nihilo*: hoc est, *in nulla re*. Non simpliciter in nulla, sed in nulla, quæ ad laborem, studium & conatum Euangelij propagandi & diffundendi pertinet. Mentitur Sawbrandus, concedi à Bellarmino, *Paulum esse præstantiorem Petro, quoad munus Apostolicum*. Bellarminus non ita nudè & crudè loquitur, sed dicit, *Paulum excelluisse in eo, quod est proprium Apostoli*, item *Paulum munus Apostolicum excellentissimè adimpleuisse*. Quod longè aliter tinnit, quàm dicere; Paulum, quoad munus Apostolicum fuisse præstantiorem Petro. An non & miles & dux inferior in eo, quod militis & ducis est, excellere, militisque officia & ducis excellentissimè adimplere potest? An ideo præstantior est summo duce?

Ait Sibrandus: *Petrus & Paulus, cæteríque Apostoli non habuerunt aliud munus, quàm Apostolicum, & in eo Paulus omnes superauit; ergo si ex omnibus Apostolis quisquam alius præferri debet, tum Paulus Petro præferri debet.* In munere non excelluit omnes; sed cæteris par fuit; Petro minor, quoad plenitudinem A & independentiam potestatis; nam Petro etiam in Apostolos potestas constitit, non Paulo: sed executione Apostolici muneris collati cum labore Euangelium amplificandi, reliquos omnes superauit.

Alterum Sectariorum argumentum petitur à picturis & sigillis, quibus diplomata Pontificum obsignantur, in quibus apparent imagines Petri & Pauli; huius à dextris; illius à sinistris. *ergo habuerunt Paulum pro honoratiore; Dextra enim honoratior est, quàm læua*, inquit Sawbrandus: qui hic futilissimè & inanissimè delirat; neque enim tam inficetus vitilitigator disputare dicendus est. Bellarminus multis modis ad hoc argumentum respondet. Primò dicit, iam antea satis ostensum, B Petrum esse auctoritate maiorem Paulo. Oggannit Sibrandus. *Se ostendisse istam ostensionem non esse ostensionem*, sed inanem Sophisticam. Vbi hoc ostendisti, ô batte, quo vix quidquam insulsius ex Caluini ganeis exstitit? Ais. *Nunc à Bellarmino asseri, Petrum esse maiorem Paulo auctoritate: cum antea contenderit, Petrum esse Pauli & aliorum Apostolorum Monarcham.* Num hæc sunt contradictoria? In capite Sibrandi: non reipsa. Nam cum Petrum Paulo maiorem nominat, non loquitur Bellarminus de auctoritate qualicunque, sed coniuncta cum potestate & iurisdictione summa & independente. Hac auctoritate, qui Petrum Paulo maiorem affirmat, is vtique nil aliud affirmat, quàm Petrum fuisse Monar- C cham Pauli & aliorum Apostolorum, atq; adeo totius Ecclesiæ.

Ait Bellarminus. Etiamsi Paulus fuisset maior Petro, id nil detrimenti allaturum primatui Pontificis Romani; diceretur enim, Papam succedere Paulo; cum & ipse Paulus Romanam Ecclesiam fundarit & gubernarit. In hæc, quæ non absolutè, sed ex hypothesi differuntur, furiosè bacchatur Sibrandus: *Hoc implicat contradictionem.* Nego, posita hypothesi, quam ponit Bellarminus, vt ostendat Hæreticorum importunitatem & improbitatem nihil efficere, licet concederemus Paulum fuisse Petro maiorem. *Hos eodem capite*, inquit Sibrandus, *& multò alios, dicit Bellarminus, Pauli munus esse extraordinarium; at si est extraordinarium non admittit successorem.* D Extraordinarium est in rei veritate, respectu successionis, quia Paulo in amplitudine potestatis Apostolicæ non est successum: non esset extraordinarium, sed ordinarium; si id, quod hypothesis ponit, non hypotheticum, sed absolutum & categoricum esset. At Sibrandus ita hic fatuatur & blaterat, & Bellarminum oppugnat, quasi, quæ ex hypothesi disputat; disputet absolutè, nullaque penitus facta suppositione. Quocirca quidquid verborum hîc profundit, id nihil est aliud, quàm stulta φλυαρία, permista cum βωμολοχίᾳ ob contumelias, quas scurriliter in Pontifices Romanos eiaculatur: & ob Pseudologias, quas pleno sacco spargit, in quibus familiam ducit ista:

Bellarminum affirmare, Paulum omnibus nominibus esse maiorem Petro. O frontem stigmate decorandam: & tamen hoc suum figmentum tam seriò refellit, vt non videatur digladiari cum suis phantasmatis, sed cum alienis.

Respondet præterea Bellarminus, Paulum non semper ad dexteram conspici; sed & aliquando ad sinistram: & fortasse priscos consultò hoc fecisse, vt ex duobus summis Apostolis modò vnum, modò alterum anteponerent: vt significarent, hos Apostolos, vel pares esse inter se, vel ignorari, vter alteri præstet. Obiicit Sibrandus: *Si Petrus & Paulus fuêre pares, non ergo Petrus fuit Monarcha Pauli.* Respondeo, dici aliquando à Patribus pares merito, gloria, passione, non clauibus, hoc est, potestate & iurisdictione.

Respondet denique ad hoc argumentum Bellarminus; non semper dexteram fuisse honoratiorem: & probat hoc multis testimoniis. Quod itidem iam olim fecit Antonius Nebrissensis, citatus à Bellarmino, & Lipsius in Electis. Quapropter aërem verberat Sibrandus, cum hic contendit, *dextram fuisse honoratiorem.* Num semper? Num omni tempore & apud omnes gentes? Hoc tibi, Caluinista, demonstrandum erat. Probat Bellarminus & alij, locum sinistrum fuisse honoratiorem ex illo Ouidij.

Et medius iuuenum non indignantibus illis,
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

Interior autem dicebatur, qui erat ad sinistram teste Seruio in illud: *Radit iter læuum interior, &c.* Clamat Savvbrandus. *Hoc pro nobis est.* Scilicet. *Interior enim honoratior. Sed ille ad dextram.* Hoc à te probari debet, non absque probatione asseri. *Interior & exterior sunt contraria.* Omnino. At *exterior* est ad læuam. Imo ad dextram, velis nolis. Nam *interior ire* dicitur, qui alteri it ad læuam, seu vt Seruius loquitur, qui alteri it *sinisterior.* Necessarium igitur est, vt exterior huic interiori sit ad dexteram: neque enim fieri potest, vt quis eat mihi ad læuam, cui ego ad dexteram non gradiar. Et prorsus stultè arbitratur Sibrandus, exteriorem comitem, *ad læuam secum euntis incedere.* Et tamen hanc suam insipientiam semel effutiisse non contentus absque vlla probatione garrit, *latus tegere nil aliud esse, quàm ad læuam ire*; cum qui latus tegere dicebatur, semper esset ad dexteram, vt ostendunt auctores citati, licet is, cuius latus tegeretur, tanquam honoratior esset ad sinistram tegentis.

Nec quidquam iuuat Sibrandum Suetonius, qui ait; Claudium Imperatorem Aulo Plautio latus texisse: nam nil aliud vult, quàm Claudium ad dexteram Plautij iuisse; vel paululum præiuisse: Plautium autem honoris caussa interiorem fuisse; hoc est, Claudio iuisse ad sinistram. Nec obstat Eutropius: qui dicit, Claudium Plautio triumphanti læuum incessisse. Læuus ei incessit, quia honoris caussa læuo latere suo dextrum Plautij latus texit; & hinc honestatus est Plautius, quod Claudiò ad læuam iret. Hæc mens Eutropij, quam syllogista vel potius Alogista Sibrandicus ne vidit quidem, tantum abest, vt attigerit.

Iunius nihili facit hoc suorum argumentum, pro quo, symmysta Iunij, Sibrandus vsque adeo delirat. *Imaginarium*, inquit, *est argumentum* (eo minus caussæ nostræ officit) *non enim à prisca illa & Apostolica Ecclesia sunt imagines.* Tu dicis. Vbi probatio? Danæus contra sentit: & ex argumento, ex picturis & sigillis sumpto liquere existimat, primitiuam Ecclesiam *omnibus modis Paulum antetulisse Petro.* Et tamen tam ipse, quàm cæteri Sectarij perpetuò vociferantur, iudicio *primitiuæ Ecclesiæ omnes Apostolos fuisse æquales.* Quomodo igitur maior Paulus Petro, si primitiua omnes duxit pares? Quomodo item primitiua Ecclesia his imaginibus sensum suum testari potuit, cum, vt Iunius ait, Ecclesia primitiua imaginibus caruerit; cumque non semper Paulus dextram teneat, sed & aliquando sinistram? Si mysticam huius rei caussam & explicationē desideras lege epistolam hac de re Petri Damiani, quæ est ordine decimasexta, Tomo primo lib. 2. epistol.

CAPVT XXVIII.

Refellitur obiectio ex quindecim peccatis S. Petri à Magdeburgensibus concinnata.

SECTARII vix attingūt hoc caput, nisi quod Iunius fragmenta quædam inde defringit & distringit, vt & VVitackerus. Danæus hanc totam litem ablegat ad Illyricum & Centuriatores: Ipse partes suas renuit interponere.

Primum peccatum apud Magdeburgenses est, in illis Petri. *Domine si tu es, iube me venire ad te.* Ait Bellarminus; nullum in hac postulatione esse Petri peccatum, sed potius singularem fidem. Iunius. *De curiositate nihil dicam.* Laudo. Quidquid diceres; falsum, & in S. Petrum contumeliosum esset. quem, cum *curiositatis* Christus non accusarit, quis tu es, qui eum hac labe adspergas? Quod etiam VVitackero responsum volo: qui hîc auersus tela iacit, & cum videri vult Petri honorem quàm maximè tueri, eum quam maximè insectatur.

Ait Iunius. Verba Petri præ se ferre *infirmitatem. Domine si tu es.* Certè nullam præ se ferunt, sed potius summam animi magnitudinem. Nam quòd hypotheticè dixit: *Domine, si tu es*: quid mirum, si in nocturnis tenebris, & tanta omnium trepidatione, Dominum non statim agnouit;

tametsi

tametsi eius audita vòce? nam & spectra alienam vocem reddere ac imitari queunt.

Obiicit Iunius: *Christum reprehendisse diffidentiam Petri verbis illis:* Modicæ fidei, quare dubitasti? Sed diffidentiam naturalem, & culpæ expertem: nam de Christo non diffidisse Petrum, satis docet imploratum Christi auxilium. Neque enim diffidentiæ, sed potius summæ fiduciæ, erga Christum argumentum præbent illa verba: *Domine, saluum me fac.* Lege Maldonatum in caput 14. Matthæi, qui eleganter hæreticorum criminationes, quas occasione huius facti in Petrum iaciunt, refutat.

Ait Bellarminus: miracula Dei non cooperari peccatis nostris. Obstrepit Iunius. *Etsi non cooperantur vti alendis atque confirmandis, at curandis tamen atque emendandis, aut etiam reuincendis ea cooperari certum est.* Respondeo, hîc nulla prorsus curatione, nulla emendatione, nulla reuictione opus erat, quia quidquid Petrus fecerat, id absque vlla peccati culpa fecerat. Nec Christum mendacem facit S. Maximus à Bellarmino citatus, vt calumniatur Iunius; quia illud, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* non est reprehensio diffidentiæ, sed correctio quædam naturalis formidinis, ex vento nimis valido in Petri animo exortæ.

Probat Bellarminus auctoritate S. Hieronymi in caput decimumsextum Matthæi, Petrum non peccasse, quando Christo de sua passione varia prædicenti dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ait enim sanctus Hieronymus, sibi nunquam hunc errorem Apostolicum & de pietatis affectu venientem, *incentiuum Diaboli visum iri.* & in caput decimumquartum dixerat idem sanctus Hieronymus; Petrum *errasse in sensu, non in affectu.* Iunius. *Rectè distinguit Hieronymus sensum & motum. Sensus est fidei, erravit Petrus in sensu, ergo erravit in fide.* At Petrum in fide non errasse, iudicio sancti Hieronymi, inde planum euadit, quia dicit, se nunquam crediturum, hunc Apostoli errorem esse *incentiuum Diaboli.* At si fuisset error fidei, fuisset vtique *incentiuum Diaboli*; quis enim dicere ausit; errorem in fide non proficisci ab incentore Diabolo?

Obiicies. dixit Petrus aliquid, quod erat contra fidem. *Non erit tibi hoc*, id est, non patieris, non morieris. Quod falsum erat: & contra articulum de passione & morte Christi: Verè enim passurus & moriturus erat Christus. Respondeo, summum sequi, Petrum aliquid contra fidem materialiter sensisse; absque vlla contumacia, peruicacia & malitia; sed ex nimia erga Christum amoris abundantia; & hinc nullam culpam contraxisse, præsertim eo tempore, quo isti articuli necdum ita declarati & propositi fuerant, vt ab omnibus explicitè & formaliter credi deberent. Et hunc inculpatum errorem, nominat sanctus Hieronymus *errorem in sensu,* eumque negat ex Dæmonis *incentiuo* exstitisse, quia tales errores ex humana infirmitate, vel aliis ex causis prorsus inculpatis progigni queunt.

Obiicit Sibrandus; alios quosdam ex Patribus affirmare, *Petrum peccasse, citátque Origenem, Chrysostomum, Augustinum contra Faustum libro decimosexto, capite decimoseptimo.* Vt hoc ita sit, interim tamen sanctus Hieronymus ab omni culpa hoc factum Petri excusat. Nec vllus ex sanctorum Patrum numero feruorem Petri indigitauit cum Centuriatoribus & VVitackero: *Horrendum lapsum, quo Petrus æternam damnationem meruisset, nisi fuisset retractus.*

Ait Bellarminus; Petrum non peccasse, quando Matthæi decimoseptimo dixit: *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula. &c.* nam erat quodammodo extra se, & nesciebat quid diceret, vt patet ex capite nono Marci. At in illo excessu peccare non poterat. *Falsum*, clamat Iunius. *Nam exterreri timore* (quod ait Marcus) *vitiosæ infirmitatis fuit.* Cur vitiosæ infirmitatis? An exterreri euentu vel spectaculo insolito, peccatum est? Peccarunt ergo, pastores illi tempore Natalis Christi, qui, viso Angelo, & claritate Dei circumdati; *timuerunt timore magno* Lucæ secundo, vt innumera huius generis exempla omittam. Num peccato se obstringit, qui ad insolita tonitrua & fulmina exterretur, & timore percellitur? Sed esto, timor vitiosus sit; num ideo peccatum erit? Num omne, quod in homine vitiosum est; statim peccati rationem induit?

Obiicit Iunius. *Petri votum fuisse inordinatum; ergo peccatum; quia peccatum nil aliud est, quàm ἀνομία & ἀταξία.* Adde, votum inordinatum voluntarium, esse peccatum. At hoc Petri non erat voluntarium, etiamsi esset minus ordinatum: *Nesciebat* enim *quid diceret.* nam quòd VVitackerus, illa verba, *nesciebat, quid diceret*: ita explicat: *credebat se debere loqui: ergo inconsultè & impudenter loqui maluit, quàm tacere.* Quanta hæc Caluinistę huius impudentia & nequitia? Laudat Iunius Chrysostomum, qui fatetur, *Petrum imprudenter ad hoc hortatum.* Sed materialiter tantum, non formaliter: nam vt quis formaliter imprudentiam committat, oportet, vt nouerit, quid agat.

Cætera, quæ Iunius circa Petri lapsus plerosque à Centuriatoribus confictos, vel supra verum exaggeratos vellicat, & stylì sui volsellis lancinat, quisquiliæ sunt, & nugamenta, nec vllius teruncij æstimanda.

Octauum Petri lapsum constituunt Centuriatores in illo: *Etiamsi oportuerit me mori tecum; non te negabo.* Quod Chrysostomus *multo amori, & multæ voluptati adscribit.* Sibrandus. *Hoc cum stupore legi.* Credo equidem: cum stupore non tantum hoc legisti, sed & omnia quæ legisti, præsertim Bellarmini scripta. Quid enim te stupore plenius?

Planè

Plane iudico, inquit Sibrandus, *aduersarium hæc, reluctante conscientia, conscripsisse.* Certè non: quia nihil attulit, nisi quod in Chrysostomo palam extat. Aut nega, si potes (quanquam quid non potes, quando mentiendum & conuiciandum est) Chrysostomum scribere, intrepidum & præsidens illud Petri promissum processisse, *διὰ πολλῆς ἀγάπης καὶ πολλῆς ἡδονῆς, ex multo amore, & multa voluptate.*

Mentitur Sibrandus, *Bellarminum nil posse respondere ad factum Pauli, Petrum reprehendentis: Et tantum conuicijs agere.* Legatur ipse Bellarminus, & è vestigio in auras commentum hoc euanescet. Mentitur & Iunius, cum ait, *Bellarminum immemorem sui circa reprehensionem illam, postea concedere, aliquid culpæ cum Petri facto coniunctum fuisse.* Num negauit hoc initio Bellarminus? Certè nunquam: sed tantum dixit; Sectarios imitari Marcionem & Iulianum, qui Petrum grauissimi criminis ob illam simulationem reum peragebant; cum quibus minimè deinceps se conformat Bellarminus; cum expresè scribat; peccatum illud Petri; sine dubio, aut veniale, aut leuissimum, aut solum materialiter peccatum fuisse, hoc est, erratum quoddam, sed absque vlla culpa Petri. Nec adducit Bellarminus Tertullianum libro quinto contra Marcionem, aut Cyrillum contra Iulianum, quasi Petrum penitus ab omni culpa excusent; sed vt testes impudentiæ Marcionis & Iuliani; & cognationis eius, quæ hodiernis Nouatoribus cum hoc & illo intercedit.

Sed en acumen Iunij. Peccauit *Petrus saltem materialiter, Bellarmino teste: peccauit igitur.* Sed materialiter. At materiale peccatum sine formali non imputatur ad culpam.

Negationem, qua Petrus Christum abnegauit, fuisse grauissimum peccatum, nusquam negauit Bellarminus, vt innuit hic Sibrandus; qui hanc coronidem libro suo tertio de Papa Romano imponit: *Cum igitur Petrus tam sæpè & tam fædè peccauerit, sequitur eum cæterùm Apostolis, qui se illis peccatis non contaminarunt, præferri non debere.* Quantò verius dixeris: *Cum Sibrandus gregalesque eius tot mendacia & conuicia iam exspuerint; & in sequentibus quoque libris effusuri sint; sequitur eos non esse audiendos, sed vt Philosophos fustas & Pseudotheologos ab omnibus piis repudiandos & execrandos esse*: nam quæcunque isti sancto Petro obiiciunt, excepta vna negatione; aut peccata non fuerunt, aut grauia non fuerunt, sed venialia: quibus si maiora Caluinistæ non patrarent, quàm felices forent. Et quæ nam est hæc consequentia? *Petrus aliquando peccauit, ergo non est princeps Apostolorum?* Num principatus Ecclesiæ consistit in *impeccantia*, vt diuus Hieronymus cõtra Pelagianos appellat id, quod Græci *ἀναμαρτησίαν* nuncupant.

Sequitur etiam, inquit Sibrandus, *Petrum immobile Ecclesiæ fundamentum non fuisse, & eam ob causam non potuisse Ecclesiæ Monarcham esse.* Quasi verò esse petram & fundamentum Ecclesiæ, in hoc sit positum; vt quis peccare nequeat, tanquam homo infirmitati humanæ obnoxius. Num dixit Christus Petro? *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ita vt in posterum, ne minimum quidem peccatum fis inturus?*

Accedit, quod ex quindecim peccatis, quæ Centuriatores sancto Petro obiiciunt, tredecim collatum reipsa Petro, primatum Ecclesiasticum antecesserint: nam Principatus iste Petro datus est Ioannis vicesimo primo verbis illis: *Pasce oues meas.* Non ergo Monarchiæ necdum acceptæ fraudi esse potuerunt. Post primatum Petro reipsa à Christo tributum duo duntaxat repererunt, quæ criminis loco sancto Petro occinerent. Alterum illud, Ioannis vicesimo primo: *His autem quid?* Alterum ad Galatas secundo: *Vbi Paulus Petrum reprehendit.* Num duo hæc, licet aliquid peccati annexum habuissent, immobilitatem Ecclesiastici fundamenti labefactassent & concussissent?

Quocirca futilis est & iste Sibrandicus syllogismus: *Quod peccato mutari potest, illud vniuersæ Ecclesiæ fundamentum immobile esse non potest. Sed Petrus. ergo.* Similia deliramenta eudit Lutherus in suo libro contra Ambrosium Catherinum. Respondendum est, immobilitatem & immutabilitatem petræ & fundamenti Ecclesiastici non in hoc constare; vt supremus Ecclesiæ pastor peccare nequeat; sed vt nil contra fidem ex cathedra docere, tradere & definire queat, qualiscunque sit vita & moribus quoad priuatam suam personam; Neque sensus promissi illius: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; est iste: Nunquam futurum est, vt supremus Ecclesiæ pastor, quoad suam priuatam personam, peccato aliquo se obstringat, atque adeo victas det manus inferorum portis, quod maximè fit per peccatum mortale; sed nunquam futurum, vt portæ inferi Petrum & Petri successores eò impellant, vt errorem quempiam ex cathedra definiant, & Ecclesiæ amplectendum proponant. Et quæ nam est hæc Sibrandi inuerecundia, qui ex his Centuriatorum commentitiis peccatis Petro maximam partem affictis; primatum Petri labefactare & subruere conetur, Illyrici vestigia secutus?

Danæus Sibrandi in castris Caluini commilito, palam fatetur, hæc peccata seu vera seu falsa, primatui non officere: *Hoc solùm dicam*, inquit Danæus, *quod ad rhombum, quem tractat vterque, nihil ista peccata vel confessa, vel negata pertineant. Nam neque idcirco Petro in Ecclesiam primatus denegari propter ea peccata debet, si illi à Christo Domino datus, & concessus probaretur, neque idcirco Petro in Ecclesiam primatus competit, licet hæc peccata nunquam commiserit, si ista autoritas in eum à Christo translata tributáque non fuerit.* Vides igitur, Sibrande; iudicio Danæi, symmystæ tui, ex his peccatis, etiamsi vera Petri

peccata,

peccata, non Illyrici mendacia forent; nihil præiudicij creari Monarchiæ Petri.

Mentitur tamen Danæus, quando dicit, *Bellarminum hoc caput eo conſilio cæterùs adiungere voluiſſe; vt inde primatum Petri euinceret.* Nullo modo; quia non aliud in hoc huius libri extremo capite ſpectauit, quàm vt Illyrici & ſociorum in ſanctum Petrum impietatem, lœdorias & pſeudologias redargueret: planumque faceret, iſtos, vt alibi; ita & hic, primatum Petri vix aliis argumentis oppugnare, quàm ſycophantiis & criminationibus.

De Danæana generali primi libri cenſura.

STENDI iam non ſemel, quales ſint iſtæ Cenſuræ, nimirum anacephalæoſes quædam & compendia omnium conuiciorum, mendaciorum, calumniarum, technarum, impoſturarum, & id genus aliorum ornamentorum, quibus Danæus inſcitiæ & impudentiæ ſuæ rapſodias inſignire ſolet. Similem prorſus Cenſuram huic primo libro ſubtexuit; in qua, quidquid propemodum intueris, id aut mendacium eſt, aut ſcurrile conuicium, aut vtrumque. Vt I. Bellarminum non pugnare pro focis & aris, ſed pro *porcis & haris.* II. *Pro re omnium ſordidiſſima.* III. *Pro tulina Papæ & ſua.* IV. *Pro ventre.* V. *Pro abdomine.* VI. *Pro lumbrico, quem petit.* VII. *Pro pingui & vili omaſo.* VIII. *Quem pro Deo ſuo habet.* Num Theologum an ſcurram de triuio audis? Mentitur, Bellarminum *fraudulento conſilio tam copioſè de Romano Pontifice diſputaſſe.* Gloriatur, quòd *tam paucis tam prolixam diſputationem refellere potuerit.* Si mentiri & calumniari eſt refellere; fatcor, refellendi munus egregiè à te eſſe obitum. Tametſi tam largè & prolixè calumniatus & mentitus es, vt nihil cauſſæ ſit, cur de breuitate glorieris. Paucis pagellis reſpondiſti. Sed has paucas pagellas innumeris lœdoriis & pſeudologiis referſiſti; in quibus numera & hanc; *in libro Bellarmini multiplicem contradictionem ineſſe.* Ego, tametſi poſt accuratam inueſtigationem; nihil antilogiæ inuenio. Quocunque oculos coniicio, mendaciloquentiam tuam conſpicio: ita vt tua verba vſurpare cogar. *Sed tu Domine IESV, vſque quo hæc pateris, & ſilest*

FINIS LIBRI PRIMI.

DEFENSIO LIBRI SECVNDI DE PONTIFICE ROMANO, REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT I.

Proponitur quæstio: an B. Petrus Romæ fuerit, ibidemq; Episcopus existens mortuus sit.

QVATVOR quæstiones tractãdas proponit Bellarminus. I. *An Petrus fuerit Romæ.* II. *An mortuus Romæ.* III. *An fuerit Episcopus Romæ.* IV. *An Episcopatum semel susceptum nunquam mutauerit.* Vociferantur Danæus & Sibrandus: *Primas quæstiones nihil ad rem facere.* An non ipse Bellarminus fatetur, ad primatum Pontificis Romani demonstrandum non requiri absolutè primæ & secundæ quæstionis decisionem affirmatiuam? Requiri quidem tertiam, sed non sufficere. Quartã requiri & sufficere. Cur igitur alias discutiendas suscepit? Ideo; vt Hæreticorum effrontem frontem durumq́ vultum contunderet, qui testatissima & exploratissima vel in dubium vocant, vel penitus pernegant. Nec Theologi munus est; necessaria simpliciter solũmodo explicare & tueri; sed & ea, quæ simpliciter necessariis vel ornamentum, vel fulcimentum adferunt; cuiusmodi sunt tres priores quæstiones à Bellarmino propositæ: quorum accurata & enucleata tractatio mirificè hæreticam impudentiam patefacit; quę eò processit, vt nihil sit tam clarum & perspicuum, quod, si conatibus suis obstare animaduertat, inficiari erubescat.

CAPVT II.

Petrum fuisse Romæ.

HOC probat I. Bellarminus ex illo B. Petri: *Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta*; nam Petrum hanc epistolam ex vrbe Romana dedisse, & per Babylonem *Romam* intellexisse, ostendit plurimis veterum testimoniis.

Danæus vix aspicere potest hoc caput. Adeò malè affectum caput habet. Ingeminat *nugas nugarissimas*. Danæanas nimirum, *Sibrandicas, Sutliuianas, Iunianas, VVitaskerianas, Chamerianas*. Mentitur, Bellarminum ita argumentari: *Petrus meminit Babylonis, ergo Petrus fuit Romæ.* Non ita, sed in hunc modum. *Petrus significat se scripsisse epistolam priorem ex Babylone, quo nomine vetustissimi scriptores Romam intelligunt, & huic intellectui fauent alia multa τεκμήρια & indicia, ergo Petrus fuit Romæ.*

Clamat Danæus: *Petrum potuisse momentum solummodo Romæ esse.* Non quæritur, quandiu Romæ fuerit. Postea videbimus, sed hoc duntaxat; vtrum S. Petrus Romæ fuerit. Et posito Petrum vnico duntaxat momento Romæ fuisse; an ideo verum erit, *Petrum non fuisse Romæ*; aut falsum; *Petrum fuisse Romæ?*

Sibrandus ne vnum quidem pilum de sycophantico suo corio mutauit. Mentitur, hoc esse argumentum Bellarmini: *Roma in scripturis est Babylon: Petrus scribit ex Babylone: Ergo Petrus scribit ex Roma. Dignum argumentum tanto Iesuita.* Digna cauillatio tanto Caluinista. *Maior*, inquis, *non est vniuersaliter vera.* Tua est, non Bellarmini. Quid nobis cum tuis impostoris & dolis? Nam Bellarmini argumentum est, quod paulò antea proposuimus. *Babylon in eo loco D. Petri est Roma, testibus grauissimis & antiquissimis Patribus; ergo Petrus Romæ fuit.* Et tamen semel sycophantiam texuisse non contentus denuo hanc nectit: *Omnis Babylon in scriptura est Roma. Petrus scripsit ex eo loco, qui est Babylon. Ergo scripsit ex eo loco, qui est Roma.* Has sycophantias enumerasse, est refutasse. Quis enim, etiam ex doctioribus Caluinistis, in animum inducet credere, Bellarminum, virum longè doctissimum & accuratissimum, talia syllogismorum monstra vel excluisse, vel, vt excluderentur, occasionem dedisse?

Ait Bellarminus à Ioanne in Apocalypsi Romam passim vocari Babylonem. Iunius, Sutliuius, & alij id facilè concedunt, dummodo nomine *Babylonis* non intelligatur Roma in epistola S. Petri. Hoc ferre nolunt. Qua de caussa? Quia Petrum fuisse Romæ nec ad Lutheranum, nec ad Caluinianum stomachum facit. Hęc scilicet vnica est caussa. Aliam non reperio. Vbi Babylon Hæreticis seruit, vt infectentur Romam & Romanam Ecclesiam, tametsi iniustissimè: ibi Babylon

bylon est Roma, at in epistola D. Petri nihil minus conducit sectariis, quàm vt Babylonem fateantur esse Romam. Itaque vbiuis terrarum potius Babylonem condunt, quàm vt Romam Babylonem esse concedant.

Iunius more suo clamitat: Babylonem *in Apocalypsi typicè & figuratè pro Roma poni; apud sanctum Petrum, propriè*. Si caussam quæras: nullam aliam dabit, nisi hanc; *sic volo, sic iubeo, sic censeo*. Cur, obsecro, S. Petrus non potuit eodem modo, quo Ioannes, per *Babylonem* intelligere *Romam*? Videtur enim apud Christianos commune fuisse, vt Roma diceretur, *Babylon*, propter confusionem omnium gentium, quæ ad illam vrbem confluebant, & varietatem idololatriæ, quæ in illa exercebatur; & nos vulgò, etiam hodie, *Babylonis* nomine vti consueuimus, vbi confusionem & variarum rerum quasi quoddam chaos significare volumus.

Ait Bellarminus: per Babylonem in Apocalypsi non intelligi Ecclesiam; sed vrbem Romanam; qualis erat tempore Ioannis, & sub aliquot consequentibus Imperatoribus. Iunius contendit, intelligenda illa oracula de ipsa Romana Ecclesia, non qualis fuerit tempore S. Ioannis, sed qualis venturis sæculis futura erat: hoc enim exigere rationem prophetiæ, vtpote quæ sit de futuris. Quasi verò Prophetæ non solcant etiam deplorare ea, quæ in præsenti fiunt; aut quasi in illo orationis contextu, nulla contineatur prædictio de futuro tyrannici illius imperij casu: deque iis, quæ Romæ à vera pietate, & à Christi Vicario iterum sub finem mundi defecturæ, euentura sunt. De qua re legatur Ribera noster in capita 14. 17. & 18. Apocal.

Iunius dicit: *Duplicem tantùm legi in Scripturis Babylonem propriè dictam, Chaldaicam & Ægyptiam; nam Babylonis Phœniciæ nullam in Scripturis esse mentionem; quæ Typicè dicitur Babylon, eam Romam esse.* Sed ostendat nobis iste locum Scripturæ vbi illi ciuitati, quæ hodie *Cairũ* nominatur, Babylonis nomen tribuatur. Si locum Petri proferat, proferet id, de quo est quæstio; & præterea cum suo symmysta Sutliuio non concordabit: qui vult, *epistolam hanc ex Babylone Assyriorum datam esse*, cuius rei hanc reddit rationem: *quia nusquam Spiritus sanctus de aliqua vrbe acerbè loquitur, nulla reddita eius ratione. Quocirca credibile non est, Petrum, Romam Babylonis contumelioso nomine afficere voluisse non reddita caussa huiusmodi appellationis.* Nugatur Sutliuius. Vt enim verum esset, quod affirmat; hic tamen causæ nil erat, cur rationem redderet: quare Romam Babylonem nuncuparet; omnibus enim constabat nominis appellatio, nimirum quòd vt illa vetus Assyriorum Babylon non tantum caput Imperij, sed & idololatriæ magistra & sæuissima Hebræorum persecutrix & exagitatrix erat; sic & Roma omnium errorum & nationũ quasi quædam colluuies & Christianorum expultrix & interfectrix esset.

A Non improbabiliter porrò suspicatur Illustrissimus Cardinalis Baronius, ad annum Christi XLV. Petrum ideo Romam proprio nomine non expressisse, quòd Hierosolymis ex carcere euasisset, nec ab omnibus sciri vellet, vbi degeret: ne à Rege Iudęorum Agrippa, per Claudium Imperatorem denuo in vincula compingeretur; nam Claudium fuisse perquam studiosum gratificandi Agrippæ, Iosephus Auctor est. Accedit, quòd à consuetudine Apostolorum non abludit, rebus typicas & figuratas appellationes imponere. Id maximè liquet ex Apocalypsi; & S. Paulus 2. Tim. 4. ait se liberatum *de ore Leonis*, id est, Neronis. Adde, quòd temporibus Claudij nulla fuit Ecclesia in Babylone Assyriorum collecta;
B quia iam antea, sub Caij imperio, omnes Iudæi, qui agebant in Babylone, & apud Assyrios, fuerant expulsi, & ad extremum trucidati. Vt ex Iosepho liquet lib. 18. Antiquit. cap. 12.

Babylon apud Ægyptios, obscurus planè erat locus, inquit Baronius, *nec ciuitatis, nec oppidi dignus nomine, Castellum à Strabone li. 17. & ab aliis nominatur. sic nempe dictum, quod à quibusdam Babyloniis fuisset erectum, locus natura munitus. At dicere velle, Petrum de hac in Ægypto posita intellexisse, insignis sanè fatuitas, & nimium absurda res esset; quandoquidem cùm multa alia hac opinari prohibeant, quodammodo id potissimum vetat, quod nullam reperiri constet in Babylone, quæ est in Ægypto, Ecclesiam collectam: cùm multa enim Concilia edita reperiantur cum adiectione nominum Episcoporum Ægyptio-*
C *rum, in nullo horum, nec in aliis scriptorum monumentis alicubi reperiuntur nominatus Episcopus Babyloniæ in Ægypto.* Ita Baronius.

Ait Sutliuius: *Cum Petrus ad dispersos per Asiam Iudæos scribat, verisimilius est, eum Babylone, quàm Romæ literas dedisse: quia si Romæ scripsisset, non videtur tantùm longinquas Ecclesias Asiæ, neglectis propinquis Ecclesiis Europæ, nominaturus: Babylone autem in vrbe maxima præsidentem, rectè conueniebat, eum ad Asiaticos scribere tacitis Europæis.* Grauissima profectò ratio, & digna, cui tot priscos scriptores, & Patres posthabeamus. Quasi verò ex vrbe Romana ad dispersos per Asiam Iudęos, atq; adeo ad Ecclesias longinquas, æquè commodè scribere non potuerit, ac ex Babylone Assyriorum. Nec sequitur, eum
D viciniores Ecclesias neglexisse, tũ quia has quoq; sua epistola vti non prohibuit; licet nominatim iis, qui in Ponto, Galatia, &c. dispersi degebant, inscripta esset: tum quia viciniores Ecclesiæ instrui, ac regi, & solatio quopiam, si eo quandoq; egebant, recreari poterãt per legatos & nuncios ad eas à Petro missos. An non & ipse S. Paulus ex vrbe Romana ad remotiores Ecclesias epistolas quasdam dedit? Nec ideo tamen viciniores Ecclesias neglexisse censetur.

Non sequitur, inquit Sutliuius, *Romæ datam fuisse epistolam, licet per Babylonem Romam intelligamus, nam tantum salutat Iudæos dispersos verbis Ecclesiæ in Babylonia, & non dicit epistolam Babylone datam fuisse.* Quàm inanis cauillatio. Si Petrus aliunde, quàm Roma

epistolam dedisset; cur, obsecro, Romæ, sub Babylonis nomine meminisset: maximè si scripsisset ex Babylone Assyriorum & Aegyptiorum? An non enim intempestiuum prorsus videri potuisset, inferere literis salutationem Ecclesiæ tot tantisq; terrarum spatiis ab vtraq; Babylone distantis? Quàm lepidum foret, si Sutliuius Lôdino vel Oxonio ad Caluinistas per Germaniam scribês, in fine subderet: *Salutat vos Ecclesia quæ est Calcutij aut Malacæ collecta.* Et quomodo Petrus in Assyria vel Aegypto commorans, sciebat, hanc esse mentem Ecclesiæ Romanæ, vt si ad dispersionem Iudæorum literas daret, suo nomine salutem adscriberet? An hoc petiuerat à Petro Romana Ecclesia per literas? An per reuelationê sancti Spiritus hoc didicerat? Gerræ Sutliuianæ.

Deinde communis consuetudo habet, vt salutê nunciemus ab iis, qui nobiscum versantur; & si quando salutem dicimus nomine eorum, à quibus absumus, id fit, vel quia per literas hoc à nobis postularunt; vel quia cum nobiscum morarentur, id vt faceremus, rogarunt. & hoc ipsum postea solemus in literis exprimere. At nihil horum in epistola S. Petri apparet. Quocirca manifestum est; eum, illis ad quos scribebat, salutem nunciare ab illa Ecclesia, in qua Petrus tunc viuebat. Ruit igitur Sutliuiana cauillatio. VVitackerus perquam argutus & facetus est, hoc suo argumento. *Roma nunquam vocatur à Paulo Babylon: ergo nec à Petro.* Perinde ac si quis diceret. Nero nûquam vocatur Leo à Petro; ergo nec à Paulo.

Vt vlterius progrediamur, *Babylonem* apud S. Petrum esse Romam, docet etiam Papias apud Eusebium lib. 2. c. 14. edit. Christophors. Aduolat Sibrandus cum hac sua sycophantia. *Quidquid dicit Papias, hoc est verũ. Sed Papias dicit Petrum appellasse Romã tropicè Babylona. Ergo. Roma est Babylon. Respondeo. Maiorem esse falsam,* inquit Caluinista. Et mox errores Papiæ percensere insistit, vt ostendat, non esse verum, omne illud, quod Papias dixit; quasi hoc agatur, vt verum esse demonstremus, quid quid Papias dixit; & non sufficiat in præsenti, hoc verum esse; quod testatur, Petrum Roma primã epistolam dedisse. Sed de hoc Sibrandico syllogismorum genere abundè dictum est Tomo 1. qui è vestigio similem cauillum subiicit. *Quidquid dicit Hieronymus, id est verum. Sed Hieronymus dicit Petrum per Babylonem figuratè significare Romam. Ergo Babylon, de qua apud Petrum mentio fit, est Roma.* Nihil testimoniorum extra sacras literas ab vllo vnquam proferetur, quod hac cauillandi arte eludere non sit futurum procliue.

Vix sanior est hic syllogismus: *Babylon Apocalyptica est Roma. Babylon Petri est Apocalyptica Babylõ. Ergo Babylon Petri est Roma. Respondeo, minorem esse falsam,* inquit Caluinista. At veram esse grauissimorum & vetustissimorũ Patrum testificatione compertum est, qui docent; vt à Ioanne in Apocalypsi, ita à Petro in epistola priore Romam typicè Babylonis nomine affectam.

Clamat etiam Iunius. *Non quidquid Papias aut Hieronymus dixit, propterea verum esse.* Nec nos contendimus; omne illud, quod duo isti dixerunt verum esse; satis nobis est, verũ esse id, cuius probandi gratia à Bellarmino citãtur. Nec dicimus, aliquid verum esse, quia à Papia vel Hieronymo dictum est; nam veritas propositionis non est à dicente, sed à re, seu obiecto. Hinc quod aiunt, à Petro Babylonis nomine intellectam Romam, verum est, non quia id ipsi affirmant; sed quia verè Petrus nomine *Babylonis* Romam intellexit; Patresque non alio fine adducimus, quàm vt huius intellectus testes. Multa etiam concionatur VVitackerus de Papiæ erroribus: vt eleuet fidem eius. Frustra est. Erràuerit alibi? Num ideo & hic?

Sutliuius oggerit: *Papiam non dicere, Petrum illam epistolam Romæ scripsisse. sed tantum quædam de Marco narrare.* Audiamus igitur Eusebium ex Ruffini versione lib. 2. c. 15. *Cuiq; dat simile testimonium etiam Hierapolites Episcopus nomine Papias, qui & hoc dicit, quòd Petrus in prima epistola sua, quam de Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babylonem nominarit; &c.* An non hæc apud Eusebium à Ruffino translatum reperiuntur? An nõ hæc Eusebius de Papia, & ex sensu Papiæ percensét? Non nego, in translatione Christophorsoni hæc ita reddi & verti; vt quæ de figurata Babylone dicũtur videri possint Eusebij, non Papiæ; sed Bellarminus Ruffini interpretationem secutus est, cum qua Græcus textus probè concinit, vt fatebitur, qui conferre voluerit. At Sutliuius nil morarur vel Papiã vel Eusebium. Et nos morabimur Sutliuium vel similem de grege Caluini supercilioſum veterum contemptorem?

Quomodo, inquit Sutliuius, *potuit Petrus per Babylonẽ intelligere Romam, cum Petrus nil prius de illa vrbe locutus fuerit, vel leuissimè significauerit?* Quasi verò necesse sit, vt de eo, cuius nomine aliis salutem in literis nunciamus, prius verba facta fuerint. An non plurimorum nomine Apostolus Paulus in epist. ad Rom. Col. & ad alios, iis, ad quos scribebat, salutem dicit; quorum tamé prius in epistola ne leuiter quidem meminerat? An non hoc ipsum quotidiano vsu contingit? An ad nullum vnquã symmystam suum literas dedit Sutliuius, cum hac clausula: *Salutat te tota familia mea:* licet nullum prius verbum de sua familia fecisset?

Nec minus festiuum est istud. *Cur Petrus, relicto sensu literali ad allegoriam confugeret?* Non video, in quo Petrus sensum literalem reliquerit, & ad allegoricum confugerit. Nomen proprium Romę omisit; & tropicum seu metaphoricum posuit. An nomen tropicum non significat literaliter? si vitiosum arbitraris, tropica verba & dicendi genera sectari, tum necesse erit vt magnam bibliorum partem trunces, reseces ac deseces; quia nusquam non sunt obuiæ tropicæ loquendi formulæ. Quæso, cur S. Paulus Neronem denotare volens tropicum potius *Leonis* nomen elegit, quàm proprium?

Arguit

Arguit Iunius Bellarminum *inconstantiæ*, quia per Babylonem in Apocalypsi dixit non intelligi *Romanam Ecclesiam*; sed *Romanam vrbem* (ethnicam nimirum, & Christianorum hostem) postea eo nomine intelligit *Romanæ vrbis Imperium*. Quanta, bone Deus inconstantia & contradictio! Quasi verò *vrbs imperans & vrbis imperium*, non sint vnum & idem. An non qui vrbi imperanti ruinam vaticinatur, imperio quoq; vrbis interitū prædicit? Sit Babylon, vrbs Romana, Ethnica, orbis Domina. An ideo in antilogiam impinget, qui postea ipsum vrbis imperium Babylonem nominabit; vel Babylonis nomine significatum asseret?

Similes contradictiones sunt & istæ, quas Iunius nō ex Bellarmino, sed ex malè sano cerebro suo collegit. *Suadet Hieronymus Marcellæ, vt Roma migret Hierosolymam, Bellarminus de corporali migratione verba fieri negat.* Impudens mendacium. Numquā dixit Bellarminus, Marcellam nō fuisse à Hieronymo monitam ad *corporalem migrationem*: quia tā hebes non est Bellarminus, vt & verba & mentem Hieronymi in epist. ad Marcel. non potuerit assequi. At prius dixit Bellarminus, illud: *exite de ea populo meus*; intelligi de migratione cordis, non corporis. Ita est; hoc dixit; sed ex sententia S. Augustini id dixit: nec vnquam negauit; Hieronymum dictum hoc accommodasse in epistola ad Marcellam ad corporalem migrationem.

Addit Iunius: *Ioannem de futura conditione Romæ adfirmat Bellarminus agere; hic negat.* Vbi negat? Nam eo loco, quem tu vellicas, nil aliud dicit Bellarminus, præter hoc: *Quibus verbis docet* (Hieronymus) *non contra Ecclesiam Romanam, sed contra gentilitatem Romanam Ioannem esse locutum.* An his verbis affirmat Bellarminus, Ioannem nil agere *de futura conditione Romæ*?

Ait Iunius. *Pòst adfert* (Hieronymus) *signa conditionem illam futuram præcedētia*; *hic* (Bellarminus) *prætersilit.* Quid opus erat totum Hieronymi locum exscribere; cum ex Hieronymo certum sit & exploratum, Ioannem nō loqui de Romana Ecclesia; sed de Romana vrbe Ethnica, neq; Hieronymus vnquā somniauerit, tantum abest, vt scripserit, Ecclesiam Romanam vel esse vel fore *habitationem Dæmonum*, deq; ea, fidelibus quantocyus exeundum esse? Verum quidem est, Hieronymū in epist. ad Marcellam, ea, quę Ioannes de Ethnica Roma dixit, accommodare etiam ad Romanam vrbem, qualis erat suo tempore, quando ethnicismus prope totus erat exstinctus; sed hoc fecit non in sensu proprio, sed accommodatitiō; & Romanam vrbem propter incolarum frequētiam & varietatem; & propter vitia quæ frequentem variarum nationum concursum, opesq; ac diuitias amplas comitari solent, *Babylonem* Apocalypticam esse dixit: eo fermè modo, quo hodie viri religiosi Christianos monere solent, vt, mundo relicto, vitā suam Deo in religioso statu consecrent; & ex Babylone, tanquam ex Dæmonum, omniumq; flagitiorum domicilio, fugiant, seq; in tutum religionis portum recipiant; illud itidem non rarò ingeminātes; *exite de ea populo meus; & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius, ne accipiatis.* Num ideo, quando *mundus*, etiam is, qui Christi nomen profitetur; *Babylon* appellatur, & illis elogiis exornatur, quibus Ioannes in Apocalypsi Romam Ethnicam exornat; aliquid de Christianæ religionis, aut Ecclesiæ dignitate detrahitur, aut ipsa Ecclesia & professio Christiana *Babylonis* nomine dehonestatur? Par ratio in proposito. Quia enim sciebat S. Hieronymus, in tāta hominum frequētia, in tanta pompa, opulentia & luxu, in tanta interpellatorum multitudine, arduum esse; Deo penitus sese tradere & addicere: hortari non destitit Marcellam, vt Hierosolymā migraret, relicta Roma, adductis ad persuasionem iis, quę Ioannes propriè de Roma Ethnica dixerat & scripserat; accommodatisq; ad Romam, qualis erat illo tempore; erat enim, vt magnis vrbibus cōtingere solet, irrequieta, variarū nationum accursu & discursu turbida & turbulenta; moribus ob luxum & opes, apud multos & in multis laxa & dissoluta. Quod indicat D. Hieronymus verbis illis: *Ipsa ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre, salutari & salutare, laudare, & detrahere, vel audire: vel proloqui, & tantam frequentiam hominum saltem inuitum videre, &c.*

Secundum Bellarmini argumentum est tale: certum est Romæ fuisse Christianos, & quidem multos, antequam Paulus eo veniret. Quæritur ergo: Quis istos ad Christi sacra reduxerit, si non Apostol' Petrus, qui primus omnium Romanis prædicauit? Quod multis veterum testimoniis confirmat Bellarminus. Sutliuius calumniatur, hoc argumentū *claudicare*. Sibrandus, *tam ineptum esse, vt non posit in formam syllogisticā cogi.* Danæus, *esse fallaciam à non consequente.* Ita omnia conuiciis in officina sectariorum perstrepunt. Meretur tamē gratias Sibrandus, quòd hoc argumentum non redegit in informem suam & deformē formam syllogisticam. Saltem vno monstro minus liber eius continet. At si Petrus Romanis Euangelium primus nō annunciauit, qs ergo primus id fecit? Respondet Iunius & VVitackerus, *id fecisse aliquem seruum Dei, qui nobis sit anonymus.* Sutliuius, itemq; VVitackerus dicūt: *Multos ante Paulum fuisse Romæ Christi discipulos, à quibus Romanos conuersos fuisse probabile sit.* Qui nam illi? Ede & edic nomina. *Paulus in epistola ad Romanos salutat Aquilam, Andronicum, alios*, inquit Sutliuius. Nota narras. Sed quis hos ipsos ad Christianam fidem traduxit? Aut vnde probas; primos Romanos non à Petro, sed ab his fuisse ad fidem conuersos; si aliqui ex illis, quos Paulus salutat, sunt ex discipulorum Christi numero, qui fidem in Iudæa receperunt?

Ait Iunius. *Fuisse Romanos & Iudæos & proselytos Hierosolymis solenni illo Pentecostes die Act. 2. coeg, Christo nomen dedisse; quos ab eo tempore non sit credibile fuisse otiosos, cum Romam ad suos reuertissent.* Tria millia ad Petri primam concionē Christo nomen dedisse,

scribit S. Lucas. Ex his Romanos Iudæos vel proselytos fuisse, non dicit S. Lucas, quia fieri potest vt ex Romanis nullus planè concionem Petri ad mentem & assensum salutarē admitteret. Faciamus tamen admisisse. Nū ideo sequitur, eos Romæ alios ad fidē conuertisse, ante Petri aduentū?

Obiiciunt Sutliuius & Iunius: *Clementem in recognitionibus, & Dorotheum in synopsi scribere, Barnabā primum omnium Romanis prædicasse.* Respondet Bellarminus, recognitiones Clementis esse apocryphas: & synopsin illā scatere narrationibus confictis. Valde stomachantur Sutliuius, Danæus & Sibrandus ob hoc responsum: cum tamē certum sit recognitiones semper in Ecclesia Dei apocryphis annumeratas esse; & historici errores in illa synopsi tam sint perspicui, vt nulla ratione excusari queant. Isti audacissimè repudiant integros Patrum commentarios, & hactenus ab omnibus probatos; & quidquid in veterum lucubrationibus illis nō arridet, id obeliscis suis confodiunt: & Bellarminus capitali crimine ob reiectas *Recognitiones & Dorotheanam synopsin* sese obstringit. Cuius occasione fatuum hunc syllogismum architectatur Sibrandus: *Qui quædam vana habet, eius auctoritas pro principio Christianorum dogmatū allegari non potest. Sed Clemens & Dorotheus habent quædam vana. Ergo eorum auctoritas pro principiis Christianorum dogmatum allegari non potest. Si ista Maior est vera,* inquit Caluinista, *vt revera est, tū vna litura omnes tuas disputationes inducis: omnes enim disputationes tuas ex suppositiis Patrum libris, & ex Patribus, qui sæpe erraverunt, id est, multa falsa reliquis dogmatis asseruerunt, extruis.* Sibrandus antiquum obtinet. Mentitur & calumniatur egregiè. Nam nihil hîc agit Bellarminus de principiis Christianorum dogmatum. Nō dicit, alicuius Patris auctoritatem pro principio Christianorum dogmatum allegari posse; hoc videlicet sensu, quasi ipsa huius vel illius Patris auctoritas, sit Christianorum dogmatū principium. Nō dicit Bellarminus, *Petrum fuisse Romæ*, esse principium Christianorum dogmatū: quia iam cap. 1. apertè confessus est; Petrū posse esse vel fuisse Romanum Pontificem, & Papam eius successorem; licet Romam Petrus nunquā vidisset.

Mentitur Sibrandus; hoc caput: *Petrum fuisse Romæ*; obtrudi à Bellarmino tanquā *pro Christiano dogmate*; hoc est, pro *articulo fidei*. Nihil horum Bellarminus: Omnia hęc commenta sunt Sibrandica. Vt & illud; *Auctorem, qui aliqua vana, vel aliquid vani complectitur; non posse allegari.* Imò potest; sed qua verus, vel probabilis; non qua vanus & fide indignus.

Ait Bellarminus: nullum fuisse ausum prædicare gentilibus antequam Petrus cœlesti visione admoneretur Act. 10. & 11. ab illo autem tempore Barnabam semper mansisse cum Paulo, vsque ad peractum Concilium Hierosolymitanū, &c. Occlamat Sutliuius, *hoc nullam mereri fidem: Christum enim ad Patrem ascendentem Apostolis diserte præcepisse, vt gentibus omnibus Euangelium prædicarent. Quis autem Christi mandato munitus non se tutū putaret?* Respondeo, rem ita se habere, vt dicit Bellarminus, patet ex disceptatione & contentione excitata contra Petrum Act. 11. *eò quòd introiisset ad viros præputium habentes: & manducasset cū illis. Et illi etiam, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsq; Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis*, vt in eodem c. 11. Act. refertur. Itaq; præceptum illud de Euangelio vniuersis gentibus annunciando, non statim impleri debuit; sed vbi Iudæi hac tāta gratia & cœlesti visitatione sese reddidissent indignos. Hinc Paulus & Barnabas dixerunt Iudæis Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus.* Sub Tiberio Romę fuisse Christianos; idq; compertum haberi ex Suetonio, Sutliuianum & VVitackerianum est mendacium, vt ostendit Bellarminus. Non magis id colligitur ex Tertulliano, vt idem Bellarminus demonstrat. Nam quòd senatus noluit Christum in Deorum numerum recipere; quod prius à populis cœptus fuisset coli, quàm senatus ea de re decretum edidisset, non ideo sequitur, eum etiam sub Tiberio Romę fuisse cultum.

Oggannit Sutliuius. Tertullianū dicere: *Christum vbique fuisse cultum; ergo & Romæ.* Exstatne illud *vbiq;* apud Tertullianum, an de tuo id inferfisti? Quàm *vbiq;* tui similis es, Sutliui? Quomodo accipiendum sit decretum senatus de Christianis vrbe pellendis, docet Bellarminus, nec Sutliuius quidquam contra adfert, nisi Battologias. Obiicit. *Tiberio Imperante penetrauit religio Christiana in Britanniam, teste Gilda, de Britanniæ excidio, ergo & Romam.* Hîc iterum Sutliuius, nil aliud est, quàm Sutliuius; non enim dicit Gildas, in Britanniam tempore Tiberij, venisse religionem Christianā; sed, tempore Tiberij Christum *præfulgidum sui lumen & radios* doctrinæ suæ *vniuerso orbi* ostendisse; non quòd tunc ad vniuersum orbē radij illi manauerint, sed quia ad vniuersum orbem, temporis progressione, manaturi erant.

Probat Bellarminus Patrum testimoniis Petrum fuisse Romæ. Primus est Irenæus, qui dicit, Ecclesiam Romanam *à Petro & Paulo fundatam.* Respondet Sibrandus. *Hæc auctoritas aduersarium non iuuat: sequeretur enim Petrum & Paulū esse fundatores Romanæ Ecclesiæ; sed Ecclesia Romana fuit fundata priusquam Paulus ad eos scriberet, vel ad eos veniret; ergo vel falsum est, quòd dicit, Paulum fundasse Romanam Ecclesiam, vel fundare non est primum Ecclesiæ fundamentum iacere, sed Ecclesiam iam fundatam struere, id est, eam augere & confirmare.* Respondeo, non tantum illum, qui prima fundamenta iacit, sed & illum, qui ad primitus iacta fundamenta insigne & commemorabile incrementum addit, rectè dici *fundatorē*; vt habet etiam communis loquentium vsus, in templorum, collegiorum, & piorum domiciliorum fundationibus, vbi sæpe

duos

duos vel plures fundatores, etiam post primum, nominari & celebrari audimus. Quid mirum igitur, si idem & hic fiat? præsertim cum postea Petrus & Paulus, collatis operis, Romanam Ecclesiam mirificè amplificarint, licet Petrus primus in fundamento illius Ecclesiæ ponendo laborare incepisset.

Dicit Bellarminus ex Irenæo; Petrum & Paulum fundasse Romanam Ecclesiam; sed addit: primo Petrum; postea Petrum & Paulum id fecisse. Sutliuius mentitur; *Bellarminum hæc ita referre, quasi omnia sint Irenæi verba.* Quod falsissimum est; nam posteriora illa addidit Bellarminus, vt Irenæi mentem explicaret.

Secundum locum tenet Eusebius, qui lib. 2. cap. 14. de Petro dicit; *eum salutaris prædicationis verbo, primum in vrbe Româ, Euangelij sui claues ianuam regni cœlestis aperuisse.* Sibrandus: *Hoc verbum* PRIMVS *non est apud Eusebium.* Vociferatur & Sutliuius Bellarminum peruersè ex Græco vertisse Eusebium, imò deprauasse: addit insuper: *mentiri Iebusitam*; vt petulantem Bezæ calumniatorem facile agnoscere possis. Sed nil est, quòd nos hęc Sectariorum conuicia terreant. Inspiciant versionem Ruffinianam Eusebij, & si vocabulum PRIMVS non repererint, tum Bellarmino diem dicant. Et quamuis in Græco textu non sit dictio πρῶτον, omnes tamen eius syllabę ita comparatæ sunt, vt tantùm non clament, vocabulũ hoc subintelligi debere; & Petrum *primum* fuisse, qui ex oriente in occidentem salutarem Christianæ doctrinæ thesaurum detulerit. nam πλὼ πολυτίμητον ἐμπορίας τῦ νοητῦ φωτὸς ἐξ ἀνατολῆς τοῖς ἐπὶ δύσιν οἰκοῦσιν, *pretiosæ merces intelligibilis luminis ex oriente iis, qui in occidente habitabant, attulit.* nimirum, vt rem nouam, & antea non possessam: Nam si occidens antea hanc doctrinam susceperat; non erat cur Petrum tantopere prædicaret ob cœlestem doctrinam in occidentem importatam.

Addit Sutliuius: *Eusebium nil, præter auditum, loqui.* Mirum, ni ab eo exigas, vt visa narret. An nulli fidem habes, nisi qui à se visa in literas refert? Simili cauillatione eludere conatur tam iste, quàm Sibrandus aliorum Patrum testimonia; nominatim Irenæi: quem aiunt scripsisse, *quæ ex fama acceperit.* Sed ex fama vera; & ex traditione certa. Vnde isti sua accipiunt, quæ contra vetustissimos auctores deblaterant? An non ex fama in hæreticorum conuenticulis sparsa, eaq; longè mendacissima?

Ad Arnobium respõdet Sutliuius, eum non dicere, *Petrum Romæ primum Euangelium prædicasse.* Sed Caluinianus iste attendere debebat, Bellarminum etiam hoc in isto capite efficere velle; Petrum Romę fuisse. Id quod disertissimè affirmat Arnobius. Addit Sutliuius; *Arnobium non alia narrare, quàm quæ ab aliis acceperit.* Quid tum? An non satius narrare vera ab aliis accepta, quod facit Arnobius; quàm mendacia à Caluinistis accepta, quod facit Sutliuius?

Ad Epiphanij testimonium eodem modo respondet Sutliuius: nimirum, *hinc non probari Petrum fuisse primum, qui Romæ Euangelium prædicarit.* Quasi hoc Bellarmino ex professo probandum fuerit; non potius illud, quod titulus capitis præ se fert, *Petrum fuisse Romæ.* Quod ex S. Epiphanij testimonio manifestissimũ relinquitur. Sibrandus tanti Patris testimonium reiicit: hac solùm de causa, quòd Epiphanius dicat; Petrum & Paulum fuisse primos, qui Romę fidem Christianam annunciarint: *Hoc*, inquit Sawbrandus, *de Paulo verum non est: nam multi fuerunt Christiani Romæ, priusquam Paulus eò veniret.* Non vidit insulsus Caluinista, Paulum, tanquam primum annumerari primo, nempe S. Petro, propter excellẽtiam tum Pauli, tum operis & operæ præstantiam, quam ad exædificationem Ecclesiæ Romanæ contulit. Quòd Sutliuius dicit: *Epiphanium de Petro veterem traditionem literis prodere*; nobis non officit; nam si, *Petrum Romæ primum prædicasse*; vetus traditio erat iam tempore B. Epiphanij, eò certiores sumus hanc traditionem ab omni falsitate remotam esse; cum qui propius à temporibus Apostolicis aberant, longè certius & melius hanc rem scire potuerint, quàm illi, qui nuper ex lacu Lemanno infausto sidere exstiterunt.

Epiphanium sequuntur S. Chrysostomus & Orosius; qui Petrum Romæ fuisse disertis verbis asserunt. Occinit Sutliuius, ex suo Sawbrando. Chrysostomum non dicere, *Petrum fuisse primum, qui Romæ prædicauerit.* At dicit Petrum Romæ fuisse. Hoc nobis satis est. Inspice titulum huius capitis. Plus non cupit Bellarminus hoc capite euincere.

Ad testimonium S. Leonis respondet Sutliuius, eum dicere, *Petrum fuisse destinatum ad arcem Romani imperij*; sed nullos huius destinationis testes producere. Quos cupis, vt producat testes? Num Bezam, Caluinum, Zwinglium, Lutherum? Mirum, nî isti à testibus incipiant exigere testes contra omnem iudicij formam. De tempore, quo Petrus Romam venit, hic non quæritur, vt mẽtitur Sutliuius; sed infra suo loco quæretur.

Theodosij Imp. auctoritatem à Bellarmino productam, sic eludit petulans calumniator Bezę: eum non dicere, Petrum fuisse *primum, vel summum, vel medium, & vtrum descripto an aliter Romanos docuerit.* Quid est cauillari, vel potius sycophantari, si hoc non est? Nam Imperator haud aliter intellexit Romanos à Petro institutos esse, quàm præsentes à præsente; quod ipsomet Sutliuio fatente, traditio vetus habebat: nam per scripta non magis instituit Romanos, quàm vniuersum orbem, cum nullam epistolam nominatim & speciatim ad Romanos dederit. Itaq; doctrinam fidei Apostolus Petrus Romanis coram, viua voce, & vt S. Ioannes in sua epistola loquitur, *ore ad os* tradidit; & per consequens, illis præsentem fuisse oportet.

Adducit Bellarminus etiã Sibyllæ Erythreæ oraculum quo prædixit, Deum Romanam vrbem sibi subiecturum non in gladio, sed in hamo piscatoris. Respondet Sutliuius, *non solum Petrum, fuisse piscatorem hominum, sed & alios, nec solum ex piscatorum numero ad Apostolatum venisse.* Est hoc quidem ita; sed tamen vt vaticinium Sibyllinum de alio potius, quàm de Petro accipiamus, causæ nihil est, imò cur de Petro accipiamus, causæ multum est; accedente nimirum ad Sibyllę testimonium totius antiquitatis consensu, & veterum assertione, quæ nobis, commentarij instar, versus Sibyllę declarat, nec solus Antoninus, hoc Sibyllinum testimonium adducit. Quare frustra est Sutliuius, cum, Antonini contemptu, Sibyllinæ auctoritatis vim eleuare studet.

Tertium argumentum sumit Bellarminus ex historia de Euangelio Marci. Scribunt enim constanter grauissimi Auctores, Marcum Romæ scripsisse Euangelium, prout ibidem Petrum prædicantem audierat; citatque Eusebium id ex Papia & Clemente Alexandrino asserentem. Item Irenæum, Hieronymum, Damasum, Isidorum, Adonem: *Hoc loco*, inquit petulans calumniator Bezæ, *facit Bellarminus quod Monachum & Iebusitam decet, incerta enim certis admiscet, & audacter mentitur,* (Sutliuius, puta) *Non enim ita erat Marcus Petri discipulus, quin Pauli etiam similiter esset, vt ex Actor. 12. & 2. Timoth. 4. probatur.* Bellarminus hoc loco aliud non dicit, quàm Marcum fuisse discipulum Petri. Vtrum discipulus quoque Pauli fuerit, nec ait, nec negat; quia nullum verbum hac de re dicit. *At Sutliuius id affirmat.* Sed vt ei fidem habeamus, necesse erit vt demonstret nobis duo: primum est, Marcum illum, de quo Act. 12. & 13. esse vnum & eundem cum illo Marco, de quo Paulus ad Colossenses, *salutat vos Aristarchus, concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ. Et ad Philemonem: salutat te Marcus Aristarchus.* & 2. Tim. 4. *Marcum assume.* At Sutliuio arduum nõ erit ex Annalibus Illustriss. Cardinalis Baronij anno Christi X LV. hunc nodum dissoluere; & ad quæstionem istam affirmatiuum responsum dare, prout facit celeberrimus Ecclesiasticæ historiæ conditor Baronius. At hoc nodo dissoluto restat longè difficilior: vtrum iste Marcus sit vnus & idem cum Marco, scriptore Euangelij, quod in Ecclesia nomine Marci legitur. Et esse hos duos Marcos distinctos & planè diuersos perspicuè ostendit loc. cit. Baronius & Lorinus noster in c. 12. Act. & ipsemet hîc Bellarminus, quorum rationes cum Sutliuius labefactauerit tum redeat, & nugas suas iterum venum exponat. VVitackerus rem paucis transigit. Omnes Marcos in vnum conflat. iuxta illud. *Quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura.*

Pergit Sutliuius: *Non dicit Eusebius, Marcum aut Petrum Romæ audiuisse, aut ibi Euangelium scripsisse; sed Romanorum rogatu scripsisse.* Calumniatur Sutliuius Lege cap. 15. lib. 2. hist. Ecclesiast. ex versione Rufini, & euidenter intelliges; Eusebium nil aliud velle, quàm quòd ei Bellarminus tribuit. Audi verba Eusebij. *Sermo veritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur* (vbi, nisi Romæ, quo Petrum venisse Euangelicæ lucis inferendæ gratia, immediatè antea exposuerat Eusebius) *vniuersorum* (Romanorum) *mentes placido illustrauit auditu, &c. Vnde neque auditio eius sola sufficit, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorarunt.* (vbi exorarunt, nisi Romæ? qua in vrbe morabatur Marcus cum suo Magistro:) *vti, ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturæ traderet, &c. Nec prius ab obsecrando desistunt, quàm quæ orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur Euangelium.* Et vbi, nisi Romæ, desiderio Romanorum Marcus satisfecit? Scilicet Tusculum aut Tibur secesserat, & ex vrbe tumultus vitandi causa recesserat. Nec aliud ex Græco textu, aliisue Eusebianeis translationibus colligitur.

Necdum cauillandi finis. Eandem, quam semel ingressus est, viam tenet ac terit. *Hieronymus non dicit Marcum audiuisse Romæ Petrum concionantem.* Verbis totidem id non dicit; sed sensu & reipsa id dicit; quia idem quod Eusebius, imò & ex Eusebio, dicit; deque Petro Romæ commorante & discipulo eius Marco ibidem degente; & Euangelium, Romanorum rogatu, conscribente; agit. Idem prorsus, Damasus, Isidorus, Ado; & tamen Caluinista mentiri audet, *istos non habere, quæ Bellarminus dicit.* Et honoris causa adiungit cõuicium; *eos obsoletas fabulas narrare.* Quid aliud exspectaremus à fabulatore Sutliuio? qui de Tertulliano. *Nihil scripsit lib. 4. contra Marcionem, vnde Petrum vel Romæ fuisse intelligamus, tantum abest, vt Petrum Romæ concionantem à Marco auditum dicat.* Num hoc Tertullianum scripsisse Bellarminus affirmat? Quæso, pudeat te tandem tuæ vanitatis & impudentiæ vel paululum. Certè Bellarminus ex Tertulliano li. 4. contra Marcionem, nil aliud euincere voluit, quàm Marci Euangelium Petro adscribi, eò quòd Marcus, Petri Interpres ac discipulus fuerit. An non asserit hoc Tertullianus lib. 4. cap. 5?

Ex erratoTypographico in citatione Irenæi struit Sutliuius hanc calumniam. *Irenæum lib. 2. cap. 1. nec Petri nec Marci meminisse.* Atqui si inspexisses cap. 1 lib. 3. & Marci & Petri mentionem inueniisses: & expresè hoc Petrum; & Paulum Romæ *Euangelizasse & Ecclesiam fundasse* Fuit igitur Petrus Romæ, Irenæi testimonio; quod tu præfractè & inuerecundè abnuis.

Obiicit Sutliuius: *Historia, quam Eusebius, & alij referunt, documento est, Petrum non fuisse Romæ eo tempore; nam si Petrum Romæ præsentem audire potuissent, quorsum attinuit Marcum rogare, vt quæ ipse à Petro audiuisset, scriberet? Si magistri adeundi copia erat, quid ei ministrum eius adirent?* Causa rogandi fuit, vt perpetuam eorum, quæ Petrus prædicauerat, commonitionem haberent, quò domi foriq; in huiusmodi verbi

medita-

meditationibus permanerent, vt ait Eusebius. Nam doctrina solummodò audita, facilè in obliuionem venit: Scripta, repeti, relegi, & in memoriam reduci, & ab interitu vindicari potest. A discipulo potius quàm ab ipso Petro eos scriptionem postulasse, non mirum, vtpote, qui viderent, Petrum negotiis magis arduis distentum, quam vt hoc obsequium ab illo decenter postulare possent.

Iunius notat, Irenæum affirmare, Euangelium demum à Marco cõscriptum post excessum, hoc est, post Martyrium, Petri & Pauli. *Et hoc melius Irenæum, qui orientem & occidentem viderit, nouisse potuisse, quàm Papiam aut Clementem, qui ex longinquo solum auditu perceperant.* Respondeo, non satis liquere; num verba illa; *Post excessum*: sint ab Irenæi manu; an ab alia. Nec desunt caussæ dubitandi; vt videre est in Notationibus Feuardentij ad illud Irenæi caput. Et vt germana verba essent, in hoc tamen cardo non vertitur; vtrũ Marcus, Petro superstite, an iam vita functo, Euangelium litteris consignarit; sed num Petrus aliquando Romæ fuerit. Fuisse, manifestè affirmat Irenæus.

Quartò, Petrum fuisse Romæ probat Bellarminus ex celebri cõflictu Petri cum Simone Mago. Respondet Sutliuius, *multa etiam de Paulo & Thecla & aliis Apostolis & sanctis narrari fabulosa, quibus nemo necessariò teneatur credere.* At tu nondum probasti, neque etiam vnquam probaturus es, hanc de Petro & Simone Mago historiam, esse similem narratiunculis de Paulo & Thecla; nam grauissimorum & antiquissimorum Auctorum auctoritate nititur, vt docet Bellarminus libro superiore cap. 23. quos omnes hanc historiam ex solo Recognitionũ libro, *fabularum planissimo*, sumpsisse, vt dicit Sutliuius; mendacium Caluinianum est. *At omnes narrant audita, nullus visa.* Quid si visa narrarent? Num fidem haberes? Vix credo. *Quis credat testibus de auditu deponentibus?* Plerisque ergo Historicis fidem adimas oportet; quia plerique audita non visa in litteras retulerunt. Etiam ipsum S. Lucam cum sua Euangelica historia hinc facessere iubebis; quia non scripsit, quæ vidit; sed quæ ab aliis audiuit. Num tu, cõtra hanc & alias Historias declamitans, visa an audita nobis decantas? Num vidisti, *Petrum non fuisse Romæ?* Num vidisti, *Simonem Magum à Petro Romæ non fuisse superatum.* An non audita tantum tuis apponis, & apud tuos deponis? & quidem nuper tantum audita, à nuperis sectariis. Et tamen, fidem & assensum à nobis postulas? Quo iure? Quis credat *testi de auditu deponenti?* Agnoscis, opinor, tua verba. VVitackerus hoc argumentum omisit. Laudo consilium. Vtinam plura omisisset. Minus logodædaliæ, non minus veritatis haberemus.

CAPVT III.

S. Petrum Romæ esse mortuum.

SI Romæ mortuus est; vtique eum Romæ fuisse oportet. Mortuum esse Romę testantur l. eorum sepulchra. Occinit Iunius. *Esse argumentum à cõsequente non necessario, nam neq; necesse esse ibi mortuum esse hominem, vbi sepultus est, neq; ibi, vbi dicitur sepultum esse.* Hanc obiectionem repulit Bellarminus primis statim verbis. Nam si Romæ Petrus & Paulus mortui non sunt, quis eorum corpora Romã detulit? Vnde, quando, & quibus testibus detulit? Itaque licet fieri possit, & reipsa itidem sæpe fiat, vt ibi sit alicuius sepulchrũ, vbi non est mortuus; constare tamen solet; vbi sit mortuus, & vnde translatus; & quando; & quibus auctoribus & testibus. At nihil horum de Petro & Paulo constat; sed omnes, exceptis Nouatoribus, disertè tradunt, Apostolos istos non tantum Romę fuisse tumulatos, sed & in eadem vrbe pro Christo interfectos. Ex quibus quoq; ad nænias suas responsum habent Sutliuius & Savvbrandus; qui hic de Reliquiis ex Admonitione Caluini de Reliquiis petulantissimè scurrãtur. Nec modestior est Danæus, qui ait, *nullam esse hanc consecutionem, Petrus Romæ mortuus & sepultus est; ergo Romani Pontifices habent ius in vniuersam Ecclesiam.* Quis hanc cõsequentiam formauit? Etiam VVitackerus variè hic tergiuersatur & sycophantatur: *Omnia hæc nisi fide humana, si non valdè negare, Petrum Romæ mortuum.* (negat ergo, sed non *valde*.) Non sequi: *Petrus Romæ mortuus est; ergo fuit Vicarius Christi*; multoq; minus; *ergo iam Papa est Vicarius Christi.* O impostorem. Quasi Bellarminus aliud hoc capite agat, quàm Petrum Romæ esse mortuum. Plus hic probare non cupit. Quæ, præter hoc, Hæretici assuunt; fraudes sunt & impostvræ.

Citat Bellarminus Eusebium lib. 2. cap. 25. vbi scribit, Petrum & Paulum Romæ Martyrio functos ibidemque insignia & splendidissima eorum monumẽta exstare. Sutliuius nominat Bellarminum, *falsarium*; non enim quidquã *de splendidissimis monumentis Eusebium dicere*: Desiderat quoque fidem eius Iunius. *Splendida monumenta*, inquit, *splendida fabulæ.* At si isti versionem Ruffini consuluissent, verbatim reperissent, quæ Bellarminus adducit; Solet enim plerumq; translatione Ruffiniana vti. Nec Græca aduersantur. καὶ μετὰ τοῦτό τι πλὴν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἀνεσκολοπίσθαι κατὰ τὸν αὐτὸν τοῦτον καιρὸν εἰρήκασιν. Quæ sic reddidit Christophorsonus. *Quin etiam insignis ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in cœmiterijs Romæ ad hoc vsq; tempus manet, huius rei gestæ fidem facit.* Vbi interpres ἐπίφημα accipit pro *inscriptione*. Iunius pro *allocutione, hoc est, oratione ad populum*, vt ait. Ineptè prorsus. Quis vnquam audiuit, ἐπίφημα Petri & Pauli, significare *concionẽ ad populum*? Aptius

& verius dixeris; inuocationem Petri & Pauli. Inuocabantur enim in cœmiteriis & cryptis duo isti Apostoli, tanquam præcipui Ecclesiæ patroni.

Ait Bellarminus; ante VViclephi sectã, semper fuisse creditum, B. Petrum Romę fuisse, & ibidem mortuum. Sutliuius & Iunius aiunt, *persuasionem istam fuisse falsam. Plebem credulam facilè in huiusmodi errores induci.* At non sola plebs, sed omnes simpliciter tam indocti, quam docti hoc persuasum habuerunt. An credibile est tot ac tantos, id est, vniuersum Christianum orbem, fuisse deceptos, & non decipi Nouatores, quando brachia contra hunc tantum consensum tendunt?

Ait Bellarminus; Petrum crucifixum esse capite deorsum verso. Non sic *Eusebius, Hieronymus, Orosius*, inquit Iunius. De Hieronymo mentitur; nam in libro de viris illustribus ita scribit, *in Petro. A quo* (Nerone) *& affixus Cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum, quod sic crucifigeretur vt Dominus suus.* Obstrepit Iunius, *propriè loquendo aliud esse ἀνασκολοπισθῆναι, infigi palo*; quod Petro factum scribit Eusebius; *aliud*; σταυρωθῆναι. Quis tam imperitus est, qui nesciat hæc duo plerunque ab Auctoribus pro vno eodemque mortis genere vsurpari? Et quis vnquam ex Christianorum numero exstitit; qui S. Petrum palo affixum & infixum crederet, eo modo, quo Turcæ hodie fontes solent plectere?

Ait Bellarminus, Petrum tandem post deuictum publicè Simonem Martyrio affectum. *Quomodo hoc?* quærit Iunius. *Nam Simon secundo anno aut tertio Claudij deictus est. Petrus passus Neronis duodecimo, aut sequente.* Multa sumis pro concessis, quæ tamen probatione egent; vt Simonem Magum secundo aut tertio anno Claudij à S. Petro deuictum. Imò duodecimo Anno Neronis deuictus est, vt docebunt te accuratissimi Annales Baroniani. Ex quibus & hoc disces, Neronem ex deuicto Simone Mago, occasionem arripuisse, perimendi primarios duos Apostolos.

Romæ Petrum esse mortuum probat quoq; Bellarminus ex Patribus. Sutliuius generatim ita mentitur. *Nonnulli pro Bellarmino nihil loquuntur.* (Verum id esset, si tu non mentireris) *Reliqui, quæ fama incerta acceperant, narrant.* (imò quæ fama certissima, & totius orbis Christiani consensu testatissima acceperant; litteris ad posteritatis memoriam commendarunt.) Mentitur iterum, Ignatium *in causſa Bellarmini esse mutum.* Si tu hîc fuisses mutus, careremus mendacio, quod vaniloquentia tua effudit. Videat Lector Bellarminum, & iudicet, an S. Ignatius causſæ Bellarmini nil momenti adferat.

Danæus clamat, *se & suos nil ledi hic Patrum testimonijs; oportuisse enim Patres hæc ex vera quapiam historia confirmare, quæ de obitu Petri tradebant; non ex plebis incertis rumusculis colligere, quemadmodum fecerunt.* Fungi simus, si hæc sectariorum effugia & diuerticula cõtra tot præstantissimos Doctores & Patres admittamus. Quid immotũ perstabit; si talibus cauillatiunculis tot Patrum consensionem & testificationem labefactari existimemus?

Sibrandus iterum accurrit cum illo suo sycophantico telo. *Quidquid dicit Ignatius hoc est verũ*, Nil opus omnia vera esse, quæ dicit. Satis est in præsenti, verum esse, quod Petrum & Paulum Romæ Martyrio functos esse innuit.

Secundò profertur Dionysius Corinthius apud Eusebium lib. 2. cap. 25. vbi, præter cætera, dicit: *Ambo in hac vrbe simul docentes, etiam Martyrio pariter, vno eodemq; tempore coronati sunt.* Sutliuius. *Plures aliter sentiunt.* Non quærimus, quid alij sentiant, sed quid sentiat Dionysius Corinthius de loco Martyrij S. Petri. An non apertè sentit, Petrum Romæ esse passum? Nam vtrum simul cum Petro, vnoq; & eodem die Paulus Martyrio coronatus fuerit; nihil ad propositam quæstionem facit. Sufficit nobis, Petrum Romæ mortuũ, testimonio huius Dionysij. Quanq; mendacium est, *Plures aliter sentire*; hoc est, diuersis diebus & annis passos esse asserere; vt intelliges ex iis, quæ scribit Baronius ad Annum Domini LXVIII. Mendacium etiam Sutliuianum est *Romanam Ecclesiam natalitia Petri & Pauli alio atq; alio die celebrare.* Hoc mendacium refellitur oratione illa, qua Ecclesia in festo Petri & Pauli vtitur: *Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri & Pauli Martyrio consecrasti, &c.*

Non minus impudens est hoc loco Sibrandus. Negat Dionysium dicere, *Romæ Petrum esse mortuum.* Clamat, Bellarminum, *Dionysij verba depranasse; & quæ profert, non esse Dionysij, sed Eusebij.* Lector inspiciat versionem Eusebianam Ruffini, & omnis clamor in fumum abibit.

Tertius testis est Caius apud Eusebium, qui ait, Romæ exstare trophæa Martyrij Apostolorũ Petri & Pauli. Vociferatur Sutliuius, *Bellarmino ingentem laborem suscipiendum fore, si velit ostendere, omnia Martyrum, quæ ostenduntur, monumenta esse vera.* Hoc hîc nõ agitur, sed quid Caius senserit de loco Martyrij Petri & Pauli. Sibrandus intonat, *nec Petrum, nec Paulum à Caio nominari.* At iis notis describuntur, vt stipitem esse oporteat, qui eum de Petro & Paulo loqui non videat. Mentitur deinde Sibrandus, Eusebium dicere; *hunc Caium post Zepherinum Romanum Episcopum factum esse. At Damasum & Platinam non Caium, sed Calixtum post Zepherinum numerare.* Eusebius nil aliud dicit, quam Caium vixisse temporibus Zepherini Episcopi Romani.

Quarto loco ponitur Egesippus. Sibrandus clamat, *libros eius esse suppositicios: Ex suppositicio nihil probari posse.* Vt non sint libri de Excidio Hierosolymitano veteris illius Egesippi, at sunt alterius iunioris, qui tempore Cõstantini vixit. Nec tam liquet hos commentarios non esse antiqui illius Egesippi, quàm media nocte solem non lucere. Nam quod *Constantinopoleos* meminit; quid refert?

fert? An hoc & id genus alia non potuerunt inseri & assui à posteriore aliqua manu?

Egesippum sequitur Origenes, inquit Sibrandus. Mentitur. Nam Bellarminus Eusebium & Theodoretum interponit quos iste præteruolat. Quid Origenes? *Petrus ad vltimum in vrbe Romæ commoratus, ibi & crucifixus est, deorsum capite demisso, quod ipse ita fieri precatus est*, &c. *Quæ si vera sunt*, inquit Sibrādus, *sequitur Petrum circa finē vitæ Romam venisse. Sed hoc non admittunt aduersarij.* Non agitur hic, quando Petrus Romā venerit; sed num Romæ mortuus fuerit. An non palam hoc affirmat Origenes? Ex cuius tamen verbis non colligitur, eum sub finem demum vitę Romam venisse; quia Eusebius, vel potius Origenes apud Eusebium, non dicit; *sub finem vitæ*; sed, ὃς καὶ ἐπὶ τέλει τὸ ῥόμῃ γενόμενος, ἀνεσκολοπίσθη. *qui tandem Romæ constitutus, in crucem actus est*; vel, si omnino hic de fine vitæ sermonem esse quis contendat: sensus erit; qui ad finem vitæ proiectus, Romæque degens, crucifixus est. Sutliuius paucis se expedit ab Egesippo, Origene, Eusebio, & omnibus aliis testibus: *Eos communem famam secutos esse.* At famam veram, & totius Christiani orbis consensione subnixam & corroboratam. *Nos*, inquit Sutliuius, *certa & indubitata testimonia flagitamus.* Ea tamen lege, vt nulla habeantur certa, nisi quæ ex VVirtebergensi aut Geneuensi officina sint deprompta.

Ex Latinis primus est Tertullianus; qui lib. de præscript. de Roma: *Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur; vbi, Paulus Ioannis exitu coronatur. Vtrumq; falsum*, clamat Sibrandus. Iam ergo non cum Bellarmino, sed cum ipso Tertulliano digladiaris. Dic, cur falsum, quod Tertullianus asserit? *Quia Christus capite sursum verso suspensus est; Petrus verò pedibus sursum versis suspensus est*, vt volunt *Papistæ*. Si hæc est Papistarum sententia; Papistas igitur fuisse oportet S. Hieronymum, Origenē, & totum Christianum mundū, qui hoc schemate Petrum in Crucem actum fuisse constanter asseuerant. Deinde, an ideo Petrus non est *exæquatus passioni Dominicæ*, quia ipse capite deorsum, Christus sursum versus cruci affixus est? An exæquatio non consistit in hoc, quod vterque sit crucifixus: licet situ & positu corporis dispari? An diuersitas situs & crucis quoque tollit exæquationem supplicij, saltem generatim spectati?

Quod ad Paulum attinet, vide & ride stultitiam Sibrandicam. Vt falsitatis arguat, quod Tertullianus dicit; *Paulum Ioannis exitu fuisse coronatum*; sic fatuatur. *Paulus vltimo anno Neronis occisus est. Ioannes imperante Nerua occisus est. Vixit igitur, cum Paulus pateretur; ac proinde non rectè dicit Tertullianus, Paulum Ioannis exitu coronatum esse.* At Tertullianus loquitur de Ioanne Baptista; qui capite ab Herode plexus est: cuius exitu seu passione Paulus quoque coronatus est; quia & Paulus decollatus est. Iste insulsissimè de Ioanne Euangelista hoc interpretatur; quem & imperitè sub Nerua occisum dicit; cum inter omnes constet; A Ioannem Euangelistam non finiisse vitam Martyrio; Et ait sub Nerua interfectum, quem sub Traiano principe adhuc superstitem fuisse antiquorum testimoniis certo liquet.

Reliquas Latinorum auctoritates transiliunt, Sibrandus & Sutliuius; *quòd sint euo posteriores.* Non ergo sat antiquus istis Lactantius, non Ambrosius, non Hieronymus, non Augustinus, non Sulpicius, non Maximus, non Prudentius; non alij. Omnes postremis istis Nouatoribus *posteriores sunt.* nec audiendi, vt audiamus istos *postremissimos*, nudiustertius infelici sidere natos.

Post exposita testimonia eorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt; retundit Bellarminus impudentiam Veleni; circa illam B historiam Christi; *Venio Romam iterum crucifigi.* Iunius cum VVitackero fert suppetias. Sed miseras, & commiseratione dignas, & de apparitionibus subtiliter disputare inceptat. Summa huc redit; *Christum ἀντιτυπώτατον*, & in persona propria nunquam in terris apparuisse. Et ita spicula Bellarmini à Veleno non amolitur, sed idē prorsus, quod ipse Velenus, affirmat. Nec potest aliter, si fidelis Caluinista esse velit.

CAPVT IV.

Petrum Romæ vsq; ad mortem Episcopum fuisse.

C SVTLIVS à mendacio auspicatur; nempe, *Bellarminū probare velle, Petrum vsq; ad mortem fuisse Romanum Episcopum, vt probet, illum fuisse Romæ.* Non est hic finis Bellarmini. Iam probauit Petrum fuisse Romæ. Iam hoc euicit; nec sequeretur etiam necessariò. *Petrus fuit Episcopus Romæ; ergo fuit Romæ*; vt ipse Bellarminus agnoscit; quandoquidem potest quis eius loci Episcopus esse, ad quem nunquam venerit. Instituit ergo Bellarminus in hoc capite illud probare, quod titulus præ se fert; quia probatio huius rei ad futurā de successore Petri controuersiam necessaria est.

Primum argumentum sumitur à dignitate Romanæ Ecclesiæ, quæ semper habita est prima & præcipua inter omnes alias. Cur hoc, nisi quia D in ea princeps Apostolorū sedit? Respondet Sutliuius; *id factū, quod Romæ esset caput Imperij.* Sed hoc iam libro primo euersum est; vbi & de Concilio Chalcedonensi dictum. Respondet secundò, *Petrum fuisse totius mundi Episcopum, non alicuius particularis sedis.* Etiā hoc iam alibi expeditum est; nam & Romanæ particularis; & simul totius Ecclesiæ Episcopus vniuersalis fuit. Neque hæc duo sibi mutuo aduersantur.

Sibrandus hunc syllogismum non ex Bellarmini sensu, sed ex suo cerebro architectatur. *Quæ Ecclesia semper omnium consensu prima, & præcipua omniū cæterarū est habita, in ea Petrus fuit Episcopus. Sed Ecclesia Romana semper omniū cōsensu prima, & præcipua omniū Ecclesiarū est habita. Ergo Ecclesia Romana est ea,*

in qua Petrus fuit Episcopus. Mox in conuicia & mendacia se diffundit Sibrandus. *Respondeo*, inquit, *mirum esse aduersarij in argumentis excogitandis acumẽ. Ante disputauit Romanam Ecclesiam esse omnium primam; quia Petrus ibi fuit Episcopus. Nunc docet, Petrum fuisse Romanæ Ecclesiæ proprium Pastorem & Episcopum; quia Romana Ecclesia est omnium prima, & præcipua habita. Equidem regandi essent Iesuitæ, vt nobis nouum organum cuderent. Aristotelis enim organum ad has subtilitates non sufficit.* Hæc calumniator Caluinista. Nam quod libro primo Bellarminus docuit; hoc & nunc docet; nempe, Ecclesiam Romanam inter omnes primatum semper tenuisse; Et hoc aliam ob caussam non accidisse, nisi quòd Pastor eius fuerit S. Petrus, Apostolorum princeps; neque vnquam dixit; Petrum ideo Romanæ Ecclesiæ datum Episcopum, quòd Romana Ecclesia prima esset; sed ideo primam esse dixit; quia Petrus Apostolorum primus eam fundauit, & vt Episcopus rexit. Itaque principatum non habuit nisi à Petro; neque vnquam Bellarmino in mentem venit dicere, propterea Petrum Ecclesiæ Romanæ fuisse præpositum, quod ea Ecclesia omnium præcipua esset.

Post syllogismum ineptum contexit Sibrandus has consequentias. *Petrus fuit Romæ Episcopus; ergo Roma est omnium prima.* Hanc consecutionem amplectimur, vt & sequentem; si rectè intelligatur. *Roma est omnium prima; ergo Petrus fuit istic Episcopus.*

Danæus omnia per *Fallacias* suas conficit. Ait, primum argumentum Bellarmini esse *Fallaciam à non caussa seu à falsa caussa pro vera substituta; nec potuisse fieri vt qui totius mundi esset Episcopus; particularis Romanus Episcopus esset.* Perinde ac si diceret; fieri non potuisse, vt Augustus fuerit particularis Dominus Romæ, cum fuerit Dominus totius Romani Imperij. Conuicia transeo, quia nil nouum, si conuicietur Danæus.

Secundò idem inde probat Bellarminus; quia aduersarij dicere nequeunt, vbi Petrus sederit ab eo tempore, quo reliquit Antiochiam. Sibrandus hanc Bellarmini rationem ad istam formam redigit; *Aduersarij non possunt dicere vbi nam sederit Petrus ab eo tempore, quo Antiochiam reliquit. Ergo Petrus fuit Romæ Episcopus vsq; ad mortem. Ad hoc argumentum*, inquit Caluinista, *nil aliud dico, quàm vt aduersarius cogitet, quibus sannis & scommatibus nos Iesuitæ essent excepturi, si talibus argumentis nostra dogmata adstrueremus.* Meritò, Sibrande, omnibus sannis exciperis & exploderis, qui talia syllogismorum & consequentiarum monstra procudis, quibus informiora vix vlla sæcula tulerunt. Cur omittis; in quo totius rationis neruus consistit? Illud nimirum, si Petrus non fuit Episcopus Romæ, dicant Aduersarij, vbi, post relictam Antiochiam, Episcopus fuerit. Mox immensæ loquacitatis phlyariam & inanissimam Battologiam subiungit Sibrandus, quam absit, vt vllum, cui faueo; legere iubeam. Hostibus imprecor, vt legant, si maximum malum accipere velint.

Vociferatur Sutliuius, *falsam sibi & suis à Bellarmino sententiam tribui: Petrum non fuisse alicuius loci particularis Episcopum; fuisse totius mundi vniuersalem Apostolum, nec vllius loci Episcopum; imò nec Episcopum.* Vnde ergo in Ecclesia Episcopi, si Petrus non fuit Episcopus? Nam si hic non fuit Episcopus, multò minus alij Apostoli. Quis ergo primus in Ecclesia Episcopus fuit? Quis primum Episcopum creauit?

Petrum Romæ vsque ad mortem fuisse Episcopum, probat Bellarminus testimonio & consensu omnium veterum, quibus ne Caluinum quidem refragari posse dicit, si constare sibi velit. *Quasi verò*, inquit Savvbrandus, *statim credat Caluinus Petrum Romæ fuisse, qui de ea re pugnare recusat.* Scilicet populus curat, quid Caluinus credat, aut non credat: Et veritas perjclitabitur, nisi Caluinus assensum præbeat. Si Caluinus propter veterum consensionem pugnare non vult, Petrum fuisse Romæ; nec igitur pugnabit, Petrum Romæ fuisse Episcopum, cum iidem veteres hoc ipsum contestentur; Cumque Caluinus super hac re pugnare cum quoquam nolit; Cur cum Bellarmino de hac quæstione pertinacissimè digladiantur discipuli Caluiniani, Sibrandus & Sutliuius?

Ad testimonia sanctorum Patrum nil aliud reponit Sibrandus, nisi suum illud sycophanticum argumentandi genus. *Quidquid dicit Eusebius id verum est. Quidquid dicit Epiphanius, id verum est.* Addit & hoc non absimile portentum. *Quicunque locum ab aliquo Patre vocatur Petri Cathedra, in eo fuit Petrus ad mortem Episcopus. Sed Roma vocatur Petri Cathedra. Ergò Roma est ille locus, in quo Petrus ad mortem Episcopum egit.* Syllogismus iste non est à Bellarmino constructus, sed à Sibrando malitiosissimè confictus. Ex cuius tota de Patrum auctoritate phlyaria, ne salis quidem micam expresseris, omnia vel ebrij, vel Hungarica febri occupati videntur deliria.

Primus testis est Irenæus lib. 3. cap. 3. qui in Catalogo Romanorum Episcoporum primo loco ponit Petrum & Paulum. Sutliuius vociferatur; *hoc esse mendacium; nam ita ab Irenæo texi Romanorum Episcoporum Catalogum, vt Petrum & Paulum extra illum relinquantur; primum enim esse Linum.* Iterum agnosco Sutliuium verè à Beza nominatum *petulantem calumniatorem*; id etiam hoc loco planum testatumque reddit; Nam Irenæus non dicit, primum Romanum Episcopum fuisse Linum, sed ita loquitur. *Fundantes igitur & instituentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt*, per successionem scilicet, quia in eorum locum successit. Quæro autem, in quo successerint Linus, & alij Petro? An non in Episcopatu? An non cap. 3. lib. 3. ex professo egit Irenæus de successionibus Episcoporum ductis ab Apostolis, tanquam à prima sua origine? Et quia videbat longum esse ire per singulas

gulas Ecclesias, vel per singularum Ecclesiarum ab Apostolis successiones; Romanam delegit propter *potentiorem*, vt inquit, *principalitatem*. Et Episcoporum, qui eam rexerunt; seriem texit, repetito exordio, à Petro & Paulo; Nec extra catalogum Episcoporum relinquuntur ab Irenæo Petrus & Paulus; sed vt capita & fundamenta illius catalogi, primo loco percensentur. Nec Linus aliter primus est, nisi vt primorum successor, seu primus à Petro. Quapropter magna Sutliuij vanitas est, cum tam apertum Irenæi testimonium suis nebulis, ne appareat, implicare conatur.

Et ex his in nebulam quoque dispergitur, Chamieri inaniloquentia; qui ex verbis Irenæi, etiam nolentibus nobis, persuadere conatur, S. Petrum non fuisse Episcopum Romanum: quia Irenæus dicit, Clementem post Petrum fuisse tertium Episcopum. *Ergo excluſit Petrum à numero Episcoporum*: nam si Petrus includeretur; Clemens non tertius; sed quartus foret, cum inter Petrum & ipsum interiiciantur Linus & Cletus, seu, vt Irenæus appellat, Anacletus. Idem Irenæus dicit, Eleutherum fuisse duodecimum à Petro Romæ Episcopum. *Ergo Petrus non pertinet ad hunc censum; aliàs non duodecimus, sed decimustertius esset.* Respondeo, hæc omnia friuola esse; nam ista loquendi formula denotatur ordo & numerus primo institutori succedentium, ad quem ordinem & numerum primus institutor non pertinet, cum ipse nemini succedat, licet pertineat ad numerum & ordinem Episcoporum, si absolutè considerentur.

Itaque cum Irenæus dixit; Clementem esse tertium: Eleutherum, duodecimum; Hyginum; octauum; non intelligit absolutè Clementem fuisse tertium Romanum Episcopum, aut Hyginum octauum; sed cum hoc addito: *Post Petrum*; siue, *à Petro*. Vt ergo, si dicam; Augustus fuit primus à Iulio Cæsare, seu post Cæsarem Imperator; Tiberius, secundus; Cæsarem nequaquam à numero Imperatorum, sed tantummodo à numero successorum excludo; vt & tunc: si ad imitationem Irenæi ita loquar: *Fundans igitur Iulius Cæsar & instituens Romanum Imperium; illud Augusto administrandum reliquit*: Sic & in proposito nostro apud Irenæum à numero Episcoporum Romanorum non excluditur Petrus, sed tantum à numero successorum; quem in sua computatione Irenæus sequitur. Est autem vanissima illa Chamieri obseruatio, *Eusebium quoties eum, à quo seriem incipit, non censet fuisse Episcopum: tum excludere à numero; quoties verò censet fuisse Episcopum; tum includere*. Nimirum, quod Chamierus vellet factum; id somniat esse factum.

Secundò profertur Tertullianus. Accusat Sutliuius Bellarminum corruptelæ: non enim dicere Tertullianum: *Vt primus ille Episcopus, aliquis ex Apostolis, vel Apostolicis virus fuerit*; sed; *vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis virum*, &c. *auctorem habuerit*. Immane crimen: cum sensus idem sit, siue hoc, siue illo modo Tertulliani verba proferas; hoc enim vult; Ecclesiarum sinceritatem explorandam esse ex Catalogo Episcoporum; ita vt si resolutio fiat, primus Episcopus inueniatur vel Apostolum, vel virum Apostolicum habuisse auctorem & antecessorem; hoc est, vt primus ille Episcopus, (non primus successione; sed primus institutione) fuerit vel Apostolus vel vir Apostolicus. Aliud est esse primum Episcopum institutione; aliud, primum successione, sicut Petrus Romæ primus fuit institutione & fundatione Romani Episcopatus: Linus, iuxta Irenæum, vel Clemens iuxta Tertullianum, primus successione.

Subdit Tertullianus. *Sicut Romanorum* (Ecclesia) *Clementem à Petro ordinatum edit*. Ista, inquit Sutliuius, *sententiam nostram confirmant*. (Admodum scilicet.) *Ostendunt enim Apostolos, Episcopos in Ecclesiis à se fundatis instituisse; & non fuisse ipsos Episcopos*. Quomodo ipsi non fuerunt Episcopi ex Tertulliani sententia, cum necesse sit, vt successione primus Episcopus alicuius Ecclesiæ, habuerit auctorem & antecessorem Apostolum, vel virum Apostolicum? An Episcopi antecessor, non est Episcopus? Atqui Romæ Lini vel Clementis antecessor fuit Petrus; Polycarpi Smyrnæ Ioannes: fuit igitur & Petrus; Episcopus; & Ioannes; Episcopus, quia vterque successorum in Episcopatu antecessor fuit; Nec nominat Tertullianus tantummodo *Auctorem*; sed *Auctorem & Antecessorem*; non disiunctim, sed copulatim; licet non inficiemur, Apostolos fuisse quarundam particularium Cathedrarum Episcopos, quas postea, instituto successore, dereliquerint, & alio commigrarint; sed hoc Petrum cum Romana Ecclesia non fecisse, Tertulliano censore & iudice, inde liquet, quia paulò pòst scribit Tertullianus, Petrum Romæ esse crucifixum. Mansit ergo Romæ vsque ad finem vitæ; neq; aliam sedem, nisi Romanam, tenuit. Quod verò Tertullianus dicit *primum Episcopum* alicuius loci debere habere auctorem (& *antecessorem*; quod vocabulum dissimulat Sutliuius, quia sibi eius non conducit,) id intelligitur de primo Episcopo in successione, non de simpliciter primo & successionis illius capite. Ex his etiam ad suas nænias responsum petat Chamierus, qui dicit Petrum fuisse Lini in Episcopatu antecessorem; Et tamen negat Petrum fuisse Episcopum. Perinde ac si diceret: Caluinum fuisse Bezæ in schola & Synagoga Geneuensi antecessorẽ, & tamen Caluinum professorem & concionatorem fuisse abnueret? Dic, oro, quid est successor? Quid antecessor?

Insimulat Sutliuius Bellarminum imperitiæ, quòd putet, *Clementem Petro in Romana sede non potuisse succedere, nisi Petrus fuerit Romanus Episcopus: Nam Episcopos esse successores Apostolorum tot confessione ipsorum aduersariorum*. At veritas eius; quod Bellarminus

larminus asserit, tam est perspicua, vt longiore probatione non egeat: Nam vt is, qui in Cathedra Doctorali alicui succedit, non modò, quoad suam personam, censetur *Doctor*, sed & in eadem Cathedra antecessorem Doctorem habuisse existimatur; ita, qui alteri in Episcopali Cathedra succedit; vtique non ipse solum Episcopus est; sed & Episcopum antecessorem in eadem Cathedra habuit, aliâs enim non esset successor sed potius incœptor. Si igitur Linus & Clemens successerunt Petro, tanquam Episcopi, in Cathedra Romana, & si Petrus eorum antecessor in eadem Cathedra fuit, vt Tertullianus nominat; necessariò dicendum est; Petrum quoque Romanæ Cathedræ fuisse Episcopum. Dic, quæso, Sutliui, an in nunc Pseudocathedra, tametsi olim sanctissima, Cantuariensi, VVittgifto tuo, tanquam Episcopus succedere potuisset is, qui hodie eam Cathedram tenet, si VVittgifftus Cathedram illam non tenuisset & insedisset, vt Episcopus? An vllus tibi in tuo Decanatu succederet, si tu Decanus non esses; atque adeo in Decanatu non antecederes? Sunt porro Episcopi successores Apostolorum nō in amplitudine & plenitudine potestatis Apostolicæ (excepto successore S. Petri,) sed in functione & auctoritate Episcopali & principali, qua cæteris in Ecclesia supereminent.

Tertium locum obtinet S. Cyprianus, qui frequentissimè sedem Romanam, Petri Cathedram vocat. Respondet Sutliuius, vocari *Cathedram Petri, vel quòd ibi docuerit Petrus, vel quia Cyprianus putarit, doctrinam Petri à Romanis Episcopis esse receptam.* Respondeo, Petrus Hierosolymis quoque & alibi docuit; nec tamen sedes Hierosolymitana, vel aliarum ciuitatum (excepta Antiochia) Cathedra Petri nominatur, & si Cathedra Petri ibi fuisset, vbi doctrina Petri recepta fuisset, etiam Carthagine in Africa Cathedra Petri fuisset, quia Carthagine doctrina Petri recepta fuit. Quis verò vnquam audiuit Carthagine fuisse Cathedram Petri?

Præterea S. Cyprianus vocat Cathedram Petri, *sacerdotalem*; vnde *vnitas sacerdotalis exorta est*; item; *locum Petri, & gradum Cathedræ sacerdotalis.* Ergo S. Petrus, iudicio Beati Cypriani, tenuit illam Cathedram non modò tanquam fundator, vt nugatur Chamierus; vel solummodo vt Doctor, sed & vt sacerdos; ergo vt summus sacerdos.

Ait Sutliuius. *Non omnes qui Cathedras habent, esse Episcopos.* Ita est. At certum est, omnes, qui Cathedram sacerdotalem habuerunt; in qua, qui vt successores, sedent, Episcopi & sunt & nominantur; Episcopos fuisse. Talis est beatus Petrus, qui eam Cathedram tenuit; cuius possessores, & in ea successores, omnes & sunt & nominantur Episcopi: fuit ergo & ipse Episcopus; alioqui non esset antecessor Episcoporum. An non appellat S. Cyprianus Cornelium Episcopum, fa-

A ctumque Episcopum, cum *locum Fabiani.* (quis locus? Episcopalis locus Fabiani) id est, *cum locum Petri* (quis locus? vtique Episcopalis locus Petri) *& gradum Cathedræ sacerdotalis vacaret.* Nam quod Chamierus dicit, Patres, cum Petrum *Episcopum* vel *sacerdotem* vocant, hæc nomina vsurpare κατ' ἐξοχήν, id quam sit κατ' ἐξοχήν, quis non videat?

Quarto loco producitur Eusebius in Chronico. Dubitat Sutliuius, vtrum Chronicon Eusebij sit Eusebij. Suadeo, ne dubites Sutliui, alioqui tuus in castris Caluini commilito Burdo, commentator & illustrator Chronici Eusebiani, calces tibi suas tam grauiter illidet, vt dubitationem istam magno redemptam optaturus sis.

Ais. Vocati ab Eusebio *primum Christianorum*
B *Pontificem; non Romanorum.* Sed animaduertere debebas, quod proximè sequitur; Petrum *Romæ viginti quinq; annis eiusdem vrbis Episcopum perseuerasse.* Fuit ergò Pontifex & Episcopus Romanorum. Sed en aliud Sutliuio paratum subsidium, ad quod etiam Chamierus se recipit. Hoc, quod de Petro dicitur, *assumentum est.* Malè sit istis assumentis; malè & Burdoni, qui cum expunxisset illa verba; *Christianorum primus Pontifex*, reliqua nō iusserit in spongiam incumbere; sed retinuerit, cum alioqui satis audacter ex Chronico illo eliminarit, quidquid ad Caluinianum palatum minus facere videbatur.

Obiicit Sutliuius; Eusebium lib. 3. Hist. cap. 2.
C *Nominare Linum primum Romæ Episcopum; qui non minus Paulo, quàm Petro successerit.* Eusebium dicere, *Linum non minus Paulo quàm Petro successisse*; mendacium Sutliuianum est. Nil enim aliud Eusebius quàm hoc: *Post Pauli & Petri martyrium primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortitò capit.* Primus fuit Linus successione; non primus absolutè, fundatione seu institutione; nam hæc laus est Petri & consortis eius Pauli. De aduentu Petri in vrbem, & eius in vrbe mansione, postea cap. sequenti. Linus & Cletus, viuente Petro, Episcopatu vrbis Romanæ functi sunt, teste Ruffino præfat. in Recognit. Clementis; verùm vt Vicarij & suffraganei Petri.

Quintus Pater est S. Epiphanius; qui Episcoporum Romanæ vrbis hunc dicit esse ordinem:
D *Petrus & Paulus, Linus, Cletus, &c. Epiphanius pro nobis fuit*, ait Sutliuius: Præclarè scilicet: quia Epiphanius affirmat Petrum fuisse Romanum Episcopum. Sutliuius hoc directè & præfractè negat. En Epiphanij cum Sutliuio, & huius cum illo vnanimem consensionem. Negat Sutliuius vllum Apostolum fuisse Episcopum; S. Epiphanius Petrum & Paulum expressè pro Episcopis habet. An non igitur iure gloriatur Sutliuius de conuenientia, quæ inter ipsum & S. Epiphanium intercedit?

Sextus Pater est S. Athanasius; in Epistola ad solitariam vitam agentes. Sutliuius audacissimè affirmat hanc Epistolam *esse spuriam.* Nec aliud adfert argumentum, *quàm olim non esse editam inter*

opera Athanasiana. Quasi verò posteriorum diligentia non indies plura ex tenebris monumenta veterum eaque legitima & genuina, eruere soleat. Quàm pauca olim exstabant Chrysostomi, & Tertulliani, vt hos duos è plurimis numerem. Quàm multa hodie in apertum prolata sunt? Quid ergo Athanasius? Sedem Liberij Pontificis Romani vocat *Apostolicam.* Respondet Sutliuius; *hinc non sequi, Petrum fuisse Romæ Episcopum; nam & alias Ecclesias ab Apostolis fundatas dici Apostolicas.* Sequitur, si iungas, quod in eadem Epistola subiungitur; de traditionibus, quas *beatus & magnus Petrus Romanis reliquit.* Si sedes Romana non est à Petro Apostolica, iudicio Athanasij, dicat, à quo Apostolo Apostolicæ nomen sortita fuerit. Si item Liberius Apostolicam sedem tenuit, exponat Sutliuius, cuius Apostoli in ea sede successor fuerit, si non Petri?

Septimum locum habet Dorotheus in Synopsi, vbi Linus, inquit, post Coryphæũ Petrum, Romæ Episcopus fuit. Etiam hoc pro Sutlinio facit; adeo nihil proferre potest Bellarminus, quod Sutliuij causam non promoueat; qui dicit; *Petrum à Dorotheo eximi ex numero Romanorum Episcoporum.* Quomodo eximitur, cùm Linum post Petrum vrbis Romanæ Episcopum fuisse asserat? Si quis dicat; *Bezam post Caluinum fuisse Caluinistarum antesignanum*; num is negat, Caluinum fuisse Caluinistarum coryphæum? Si dicam; *Post Henricum VIII. Eduardum fuisse Regem Angliæ*; num Henricum ex Regum syllabo abrado? Nec dicit Dorotheus, Linum fuisse *primum* Romæ Episcopum, vt Caluinista mentitur; & vt id diceret, nihil nobis præiudicaret; quia intelligeremus, fuisse primum post Petrum; primum in successione, non in institutione.

Octauò profertur Sozomenus, qui Romanam Ecclesiam appellat *Petri sedem.* Occurrit Sutliuius. *hoc ideo factum, quòd creditum sit, Petrum quandoq; Romæ docuisse; vel Ecclesiam Romanam à Petro primum ordinatam fuisse.* Caluinista soli tenebras inducere nititur. Nam Ecclesiam Romanam hoc nomen fuisse adeptam, quòd Petrus, vt Episcopus, eam rexerit, inde planum fit; quòd qui in Ecclesia Romana, Episcopi fuerunt, Petri sedem & Cathedram, formaliter qua tales, hoc est, qua Episcopi, tenere & possidere ab omnibus ferebantur; signum est ergo, per *sedem Petri*, intelligi sedem Episcopalem; & non præcisè doctoralem. Nec rectè dices; dictam, *Petri sedem*, sola institutione; hoc est, quod à Petro solummodo instituta & erecta fuerit, non insessa & possessa: nam Episcopi Romani nominantur successores Petri in illa sede. Ergo Petrus, etiam vt Episcopus, sedem à se erectam rexit; alioqui non haberet in illa sede successores.

Nonus est S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus qui affirmat *Petrum Romæ in suis successoribus sedere. Impropriè locutus est*; clamat Sutliuius. Cur *impropriè*, nisi quia ad Caluinistarum gustum insipidè? Facit idem Caluinista eundem sanctissimum virum, *adulatorem*, quasi hoc dederit auribus Gregorij Magni, ad quem scribebat. Metiens, opinor, candidam Eulogij mentem ex sua atra & liuida, se flectere, prout flat ventus, consueta. Obiicit Sutliuius: *Petro succedere omnes illos, qui oues Christi pascunt. Et hoc docere Chrysostomum lib. 2. de sacerd.* At generali quadam successionis ratione, non peculiari & propria; in qua Petro non succedi, nisi ab Episcopis Romanis, liquidò perspectum habuit Chrysostomus.

Decimus sequitur Optatus, qui dicit; *in vrbe Roma Petro primum Cathedram Episcopalem fuisse collatam.* Sutliuius ait, *Optatum loqui de Cathedra Episcopali, quapropter Episcopos succedentes facta fuerit Episcopalis.* Quis non videt cauillationis huius inanitatem? Nam ipsi Petro primùm & primò dicit collatam esse in vrbe Roma Cathedram Episcopalem, ergo tunc, quando Petro collata est, Episcopalis erat, & Petrus Episcopus. Neque enim dicit Optatus, postea per successores Episcopalem euasisse. *Cui successit Linus*, inquit Optatus, *Lino successit Clemens*, &c. Si Linus successit vt Episcopus Petro, ergo Petrus etiam Episcopus fuit; quia alioqui Linus vt Episcopus, ei non successisset.

Vndecimus Pater est S. Ambrosius; qui vocat S. Petrum sacerdotem Romanæ Ecclesiæ. Respondet Sutliuius, *Ambrosium vsurpare sacerdotis nomen generali notione.* Sed effugium hoc nimis est *frigidum*: Ambrosius enim peculiare aliquid illo elogio B. Petro tribuere voluit; Quid autem peculiare ei tribuisset, si eum *sacerdotem* Romanæ Ecclesiæ nominasset, ea significatione, qua omnes Christiani Romæ degentes, *sacerdotes*, imò & Romanæ Ecclesiæ sacerdotes dici poterant, iuxta illud: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*, &c. Neque etiam credibile est; Ambrosium nil aliud voluisse, quàm Petrum fuisse *sacerdotem* etiam proprie dictum, Ecclesiæ Romanæ, sed vnum è multis; nam quem Apostolorum principem à Domino constitutum nouerat, hunc vtique & pro principe sacerdotum Romanæ Ecclesiæ, atque adeo omnium Ecclesiarum, habebat.

Post hos profert Bellarminus Hieronymum & Augustinum, quorum ille dicit; Petrum Cathedram sacerdotalẽ Romæ tenuisse; & alter, ait, in Cathedra Romanæ Ecclesiæ Petrum sedisse. Respondet Sutliuius; *Cathedram etiam doctoribus conuenire.* Sed Hieronymus Cathedram Petri vocat *sacerdotalem*; ergo pro Episcopali eam habuit, non præcisè pro doctorali. Secundò respondet Caluinista. *Cathedram quoq; competere Apostolis.* At, velis, nolis, omnes Apostoli fuêre post resurrectionem Domini *Episcopi.* Et hoc ipso, quòd Cathedram Apostolicam fuisse concedis; necesse est concedere, fuisse Episcopalem: Omnis enim Apostolus, Episcopus; Etsi non omnis Episco-

pus Apostolus; & omnis Cathedra Apostolica, A simul est Episcopalis, tametsi non omnis Episcopalis est propriè & strictè Apostolica; nisi quatenus ad Apostolicam reduci potest. Et hoc diligenter observandum est propter cauillationes Sutliuij, qui Cathedram Apostolicam negat esse Episcopalem, vt eo promptius testimonia patrum eludere & effugere queat.

Scribit S. Hieronymus in libro de viris illustribus Petrum 25. *annis Romæ Cathedram sacerdotalem tenuisse.* Sutliuius inuerecunda fronte: *Hoc Hieronymi esse non videtur.* Quis vnquam dubitauit, quin hoc esset à manu & calamo Hieronymi? Vidistine vllum vetus exemplar, quod hisce verbis careat? Quanta impudentia tam clara & testata tam proiectè & flagitiosè inficiari? B *Vt esset Hieronymi*, inquit Caluinista, *non tamen propterea sequitur, eum existimasse, Apostolum in Episcopum mutatum fuisse.* Non opus vlla mutatione, vbi vtrumque simul consistere potest; vt hîc potest. Nam Petrus absque vlla mutatione Apostolatus Episcopus simul & Apostolus fuit.

Ad Prudentium & Prosperum, respondet Sutliuius, eos per *sedem Petri* intellexisse *sedem Apostolicam.* Sit ita. Quid infert? *Ergo non Episcopalem.* Hanc consequentiam, quando probatam dabis?

Sulpicius dicit, Petrum Romæ Episcopatum gessisse. Mentitur Sutliuius, *Sulpicium impropriè loqui.* Quibus tandem vocabulis vti debent scriptores, vt istis loquantur propriè?

Testimonium Petri Rauennatis Episcopi olet Sutliuio *falsitatem & fraudem sectæ Pontificiæ.* Qua de causa? Quia nimis magnificè de Petri Sede & successoribus loquitur. Si quid abiectè & contemptim de ea effudisset; iam locum honoratissimum in Catalogo *testium veritatis Lutheranæ & Caluinianæ* Petrus ille teneret. Putat Sutliuius, *ridiculum esse, Petrum nunc viuere.* Cur ridiculum; si viuere dicatur in successoribus? Nam quòd addit Caluinista *de oraculis, tanquam ex tripode Apollinis, fundi solitis*; calumnia est; & mendacium illud, *Synodum Chalcedonensem tribuisse sedi Constantinopolitanæ parem cum Romana sede honorem*, nam, vt iam alibi dictum, hoc non à Synodo, sed à factiosis quibusdam factum est. Ait; *Etiamsi viueret adhuc Petrus, tamen non sequeretur ex hoc testimonio, eum fuisse Episcopum.* Quomodo hoc non sequitur, si viuit in successoribus Episcopis? Neque enim Petrus ille Rauennæ Episcopus aliter viuere dixit Petrum, quàm in successoribus. An Episcopus non fuit, cuius successores sunt Episcopi?

Theodoretus dicit, Petri & Pauli sedem à Deo claram insignemque fuisse redditam. Oggannit Sutliuius. *Ambos non potuisse esse vnius vrbis Episcopos.* Non est quæstio, vtrum & quomodo duo possint esse vnius ciuitatis Episcopi; sed quid Theodoretus de Petro sentiat; qui adeo Petrum Romanæ vrbis Episcopum fuisse agnoscit; vt *sedem* eius nominet quoque sedem Pauli. Mirum autem est Sutliuium hîc Theodoreto occludere aures; qui supra ambabus manibus amplexus fuerat Epiphanium; eò quod in Catalogo Romanorum Episcoporum Petro Paulum adiunxisset.

Alij, qui à Bellarmino citantur, vt Isidorus, Beda, Freculphus, Ado, *errarunt* omnes. Ita iudicat erro Sutliuius. *Vel ausi non fuerunt promere, quod sentiebant*; quia duplex corde Sutliuius, *bilingues*, hoc est, sibi similes, facit.

VVitackerus patrum dicta sic diluit, *ea non habere auctoritatem, nisi humanam.* Scilicet in re historica diuinam à patribus exspectare debemus auctoritatem. Dicit secundo VVitackerus; *testimonia patrum esse dissona.* Numquid in puncto principali, quod est; Petrum fuisse Romanum Episcopum?

Post hos adducit Bellarminus testimonia variorum Pontificum. Sutliuius duo respondet. *Pontifices in sua causa, non esse audiendos.* At nos existimamus multò minus Sutliuium in sua, hoc est, in Caluiniana causa, *audiendum esse*; quia prior, in qua testimonium dicunt Pontifices, est causa Dei; hæc, in qua testatur Sutliuius, causa Diaboli. Si quis nunc negaret, Augustum fuisse Romanum Imperatorem; & alius id confirmaret testimoniis Imperatorum, qui Augusto successerunt; an meritò diceretur, Imperatores illos in propria causa non esse audiendos? Cum in tali casu, non suam, sed publicam Imperij causam agant: quemadmodum & Pontifices hac testificatione non tam suæ, quàm Petri, Apostolorum principis, & communi Ecclesiæ causæ testimonium perhibent. Nec mouet Sutliuium, quod Pontifices isti fuêre *sanctissimi*: ait enim, *etiam sanctos homines in causa sua sibi fauere consueuisse.* Si sancti sua in causa sibi fauent; quanto magis sibi fauebunt in causa sua Caluiniani, qui ne micam quidem sanctitatis habent. Quanto igitur satius erit illis abrogare fidem, quàm priscis Pontificibus? Addit Sutliuius, & cum illo Iunius; *Multa esse edita nomine veterum Pontificum; quæ tamen illorum non* D *sint.* Nisi isti spurij essent, non vbique spurios libros ac commentarios somniarent. Spurium videlicet est, quidquid spuriis istis opponitur.

Citat Bellarminus Clementem lib. 7. Constitut. Apostolicarum cap. 46. vbi dicit, Petrum imminente morte sibi reliquisse Pontificatum. *Falsum*, clamat Iunius. *Verba eius hæc sunt. Romanæ Ecclesiæ Linus Claudiâ primus à Paulo ordinatur, Clemens pòst eius* (Lini) *mortem à me Petro secundus ordinatur. Hîc nec Petrus, nec Paulus Episcopus Romanus dicitur*, inquit Iunius; qui illud *Claudiâ*, beneficio criticæ virgulæ mutat in; *sub Claudio*; *ita vt Linus fuerit primus Episcopus sub Claudio; deinde Clemens secundus à Lino.* Nil opus istis; legendum

enim.

enim, vt habet Græcus textus,& Editio Turriani: *Linum, Claudiæ filium, Romanorum Episcopum primum à Paulo ordinatum; post mortem verò Lini Clementem, quem ego Petrus secundum ordinaui.* Quidquid sit de his, proposito Bellarmini satis est, Clementem affirmare,se à Petro ordinatum Episcopum Romæ; qui vtique hoc non aliter intelligit, quàm se à Petro ordinatum Episcopum, tanquam Petri successorem. Fuit ergo & Petrus Romanus Episcopus,alioquin Clemens nó potuisset esse successor Petri; quia successor supponit antecessorem.

Adducit ad extremum Bellarminus testimonia Conciliorum. Aduolat Sutliuius cum his mendaciis: *Conciliorum acta & Canones de Petri Episcopatu nihil habere. Si aliquis homo priuatus in Concilio aliquid ineptè scripserit aut locutus sit, aut si alieno nomine edita sint scripta aliquot subditicia, & in Conciliorum commentarijs irrepserint, se & suos non obligari, vt fidem adhibeant.* Quibus verbis hoc indicat; se nulla religione teneri, quo minus liberè, imò & effrenatè, repudiet, quidquid hæresi suæ hæreticisque placitis aduersetur. Etiamsi totius antiquitatis testimonio firmetur ac corroboretur. Quæ sanè temeritas intolerabilis est, viamque aperit, planam & expeditam reiiciendi, clausis oculis, omnia, quæ quoquo modo præconceptæ opinationi reluctantur. Ait Caluinista, Petrum in *Concilio Sardicensi non votari Episcopum, sed Apostolum.* Iam dixi, quemlibet Apostolum,post Christi resurrectionem, fuisse Episcopum; ita vt qui Apostolum vel sedem Apostolicam nominat; hoc ipso Episcopum & sedem Episcopalem nominet. Deinde Concilium Sardicense meminit Iulij Romani Episcopi, tanquam successoris S. Petri; Et qui, *si honoretur, ipsa Petri memoria honoretur.* Quomodo Iulius Petri in Episcopatu successor erat; si Petrus non fuit Romanus Pontifex?

Negat Sutliuius, in Cõcilio Ephesino Tom. 2. cap. 16. Cælestinum Episcopum Romanum dictum esse *ordinarium successorem & Vicarium B. Petri Apostolorum principis. Hæc vel ipsum Bellarminum confinxisse, vel ab alio falsario in Conciliorum Codices relata esse.* Bone Deus, quo non progreditur hæretica petulantia & peruicacia? Quid non audet? Inspiciatur Concilium Ephesinum; si non comparuerint verba, quæ Bellarminus citauit, sit Sutliuius vir verax; & tota vita sua ab omni mendacio liber. At si hæc verba, loco per Bellarminum indicato comparuerint; quid aliud restabit, quàm vt Bezam laudemus, qui Sutliuium iam pridem *calumniatorem & conuiciatorem petulantem* indigitauit?

Addit Sutliuius. *Etiamsi Cælestinus fuisset Petri successor, non sequeretur tamen, Petrum Episcopatu functum esse.* Imò sequeretur,ringaris licet; quia successor, qua talis, succedit antecessori suo in eodem officio. Si igitur Cælestinus vt Episcopus, seu in Episcopali munere successit Petro, necessariò colligitur. Petrum quoque Episcopum fuisse. Si dicam: *Hunc vel illum successisse VVitackero in Cathedra Doctorali*; an non ipsum etiam VVitackerum Doctorem fuisse affirmo hoc ipso; quod ei Doctorem successisse aio?

Ad Concilium Chalcedonense respondet Sutliuius, acclamationem illam: *Petrus per Leonem locutus est*, Act. 2. *potius studium certorum hominum, quàm Concilij iudicium declarare.* Sed Acta Concilij contrarium euidenter testantur. Oggannit. *Non ideo sequi, Petrum fuisse Episcopum.* Imò sequitur,quia si Leo. Episcopus Romanus, fuit successor Petri, vt Concilium affirmat; hoc ipso, quòd ait,Petrum per Leonem locutum, & Leonem Petri dignitate præditum esse; (non enim aliter, per Leonem, nisi vt per successorem Petrus locutus est, neque Leo aliter Petri dignitate præditus fuit, nisi vt successor Petri) necesse est, ipsum quoque Petrum fuisse Episcopum, quandoquidem nemo, nisi Episcopus, successorem in Episcopali munere habere potest.

In Concilio Generali quinto dicitur,in Romana Ecclesia esse Apostolorum successionem. Sutliuius. *Verba hæc ostendunt Petro successum fuisse velut Apostolo, & non tanquam Episcopo.* Verba hæc ostendunt, Sutliuium antiquum obtinere, & vbique cauillatorem & calumniatorem agere. Nunquam enim in mentem venit illis, qui dixerunt; *in Romana Ecclesia esse Apostolorum*, nimirum Petri & Pauli successionem, Episcopatum Petri, ab Apostolatu eius,vel hunc ab illo separare. Quid enim stultius,quàm dicere; Apostolorum principem non fuisse Episcopum; neque ei vt Episcopo succedi?

In sexto Concilio asserit quidam ex Patrum numero, Agathonis Romani Episcopi literas, non aliter amplectendas esse, quàm vt à Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum. Occurrit Sutliuius; *vnum solummodo hoc asserere.* At ex sensu etiam cæterorum; nemo enim contradixit, nemo hanc assertionem, vt nimiam, reprehendit; Et vnus iste facilè omnibus Caluinistis auctoritate sua præponderat. Iterum occinit, *non ideo sequi Petrum fuisse Episcopum Romanum.* Imò sequitur, quia Agatho Episcopus Romanus non fuit aliter *os Petri*; nisi vt successor Petri in Episcopatu. Hactenus de cauillationibus & leuissimis elusionibus, vel potius illusionibus Sutliuij.

CAPVT V.

Soluitur primum argumentum Hæreticorum.

HOc & aliquot sequentibus capitibus incipit Bellarminus dissoluere argumenta, quibus sectarij, præcipuè Vlricus Velenus, Petri Romam aduentum, & eius Romanum Episcopatum oppugnant. Edidit iste Velenus, Minhonienſis, vt se nominat, statim sub exordia Lutheranismi, nempe Anno Domini M. D. XX. integrum Tractatum, quo probare nititur, Petrum neque Romam vnquam venisse, neque Romæ passum esse; Et præfationi suæ hos Iuuenalis versus præfixit.

Aude aliquid brevibus gyaris & carcere dignum:
Si vis esse aliquid; probitas laudatur & alget.

Quod diuinitus accidisse arbitror; nam factum huius sectarij & *gyaris & carcere* dignissimum fuit.

Negat Ioannes Roffensis, vir & sanctitate & eruditione clarissimus, se vllum vnquam Hæretici vllius fœtum impudentiorem vidisse. Quid enim à pudore & honestate desertius & alienius est, quàm inficiari id, quod totus Christianus orbis, ante istos Nouatores exortos, consona mente sensit, & concordi voce docuit? videlicet, Petrum fuisse Romæ, Romæ Episcopatum gessisse; & Martyrium subiisse. *Neq; mireris lector*, inquit beatus Martyr Roffensis, in præfatione, quam Refutationi Veleniani libri præposuit; *cum hæc res adeo manifesta fuerit, quòd quisquam tam impudens repertus sit, qui tam audacissimè tueri contrarium nihil erubescit: Nam tanta iam est Lutheranorum insania malitiaq;, vt nihil adeo veritatis sit expers, quod ipsi non audeant asserere, modò potestati Romani Pontificis aduersetur.*

Nescio num fallar, sæpe suspicatus sum Velenum istum esse commentitium, & sub larua eius latere Melanchthonem, vel ipsum Lutherum: Vix enim credibile est, si Velenus iste vnquam fuisset natus, post hoc tam præclarum audaciæ, insciticę & perfrictæ frontis specimen, ab eiusdem farinæ scriptionibus cessaturum fuisse. Nunc cum simul apparuerit & disparuerit, suspicari cogor, alium histrionem sub hoc nomine hanc fabulam egisse. Verùm vtcunque hæc res se habeat, vix monstrum hoc Velenianum in auras prodierat, statimque generosâ dexterâ Episcopi Roffensis confectum concidit; Edito in Velenũ commentario, quem inscripsit: *Conuulsionem calumniarum Veleni.* qui exstat inter Opera Roffensis Herbipoli simul excusa M. D. XCVII. Eundem vanissimum librum egregiè hîc refellit Bellarminus, quamuis nunquã viso Roffensis libro, vt ipse testatur in fine capitis vndecimi. Nunc videamus, quid sectarij, præsertim Iunius, iis reponat, quæ Bellarminus dissoluendis Velenianis argumentis adducit.

A Primum Velem argumentum; idque multiforme. *Auctores non consentiunt de aduentu Petri Romam. ergo,* &c. Secundò, *non consentiunt, in Petri successoribus numerandis.* Tertiò, *multi ex Cleto & Anacleto vnum faciunt.* Ad primum respondet Bellarminus; Etiam de tempore multorum aliorum dissensionem inter scriptores esse; neque tamen propterea illa in dubium vocari, vel penitus negari posse; ex quorum numero est ætas Christi & passio Domini; & alia huius generis infinita, quorum nonnulla recenset Bellarminus. Respõdent Iunius, Danæus, & VVitackerus, *auctoritate diuina constare, Christum pro nobis esse natum, passum, crucifixum; eamq; ob causſam firma fide credi debere, licet de tempore disceptetur. At Petrum venisse Romam, humana solummodo auctoritate tradi; ac proinde non esse necesse, vt verum sit, præsertim, si posthæc dissensiones de tempore intercurrant.* Respondeo, exempla ex diuinis litteris ideò proferri, vt ostendatur, discrepantiam de tempore rei factæ præcisè spectatam, non esse argumentum falsitatis, vt volebat Velenus; nec Bellarminus ignorauit, esse aliquam differentiam inter rem factam, quæ testificatione diuinarum litterarum nititur; & inter illam, quæ humana auctoritate firmatur. Attamen, si aliquid, quod communi omnium mortalium consensu fulcitur, ideò reicere tentemus, quòd sola humana auctoritate nitatur, vel quia de tempore, quo euenit; inter scriptores non conuenit; tunc de omni simpliciter historia humana actũ est; humanæ enim historiæ fundamentum & basis est humana auctoritas; Et præterea vix quidquam memorabilius in antiquitatis memoria occurrit; circa quod non sit aliqua disceptatio vel sententiarum varietas, siue tempus, siue modum, siue alias circumstantias consideres. Num hanc ob causſam omnia inficiabimur? Quid igitur saluum remanebit? Itaque licet in præsenti quoque argumento non omnes concordent de tempore, quo Petrus Romam venit; omnes tamen in eo consentiunt, eum Romam venisse. Omnes, inquam; nullus enim vnquam ante Marsilium Paduanum, & VViclephum exstitit; qui de hoc in scriptis suis dubitaret, tantum abest, vt quis palam inficiatus fuerit. Accedit, D quod probatissimi Auctores in id conspirant Petrum venisse Romam Anno secundo Claudij Imperatoris.

Occlamat Sutliuius lib. 2. cap. 9. *Testibus inter se pugnantibus & dissentientibus non creditur; at de tempore aduentus Petri ad vrbem maxima est inter aduersarios dissensio. ergo,* &c. Idem telum imbelli quidem manu, sed ore loquaci spargit VVitackerus. Respondeo, si in hoc qualicunque testium dissensu de tempore aduentus Petri Romam, ad neutram partem iudicium tuum vis aggregare, pendeas sanè medius inter vtramque partem; non impedio; At num idcirco negabis Petrum venisse Romam? Certè de hoc nulla penitus est inter Auctores dissensio. Ab omnibus concor-

diter

diter affirmatur. Accipe ergo, de quo inter omnes conuenit, & relinque ea, de quibus non conuenit; si quidem ita lubet.

Deinde testibus inter se de facto ipso conspirantibus, tantumque de tempore, quo factum accidisse dicitur, digladiantibus; Iudex non simpliciter omnem fidem abiudicat, sed omnia diligenter & pensiculatè considerat & expendit; & postea id, quod verisimilius apparet, eligit. Idem & hic faciendum, prout fecit Bellarminus; alioqui quid tandem credet Sutliuius? De initio & fine 70. Hebdomadum apud Danielem, de ingressu Iacob in AEgyptũ, de egressu filiorum ex AEgypto, de Annis mundi; de centenis aliis integris voluminibus inter viros eruditos decertatur; Num Sutliuius maxima illa sua vsus; *Testibus inter se pugnantibus non est habenda fides*; nullam sententiam eliget ex his, quæ versantur inter Doctores de 70. Hebdomadibus apud Danielem? qui vt rursus nobis fidem faciat, se iustè à Beza vocatum *petulantem calumniatorem & conuiciatorem*, venenatam suam linguam stringit in celeberrimum Cardinalem Baronium, Ecclesiasticæ Historiæ inexstinctum lumen, eumque *mendacissimum & fabulosissimum* impuro ore nominat; sed maior est Baronij gloria, quàm vt ab huiusmodi tenebrionum conuiciis obtenebrari queat.

Mox mentitur Caluinista, Eusebium lib. 3. cap. 1. dicere; *Petrum, non nisi sub finem vitæ Romam venisse*. Quod mendacium iam supra tetigimus & refellimus in Sibrando. Ait Bellarminus, inter bonos Auctores, nullam esse discordiam de aduentu Petri Romam. Quærit Sutliuius. *Vtrum Damasus non sit bonus Auctor?* Omnino bonus est. Num negat iste Petrum venisse Romam Anno secundo Claudij? An non hoc perspicuè deducit ex Damaso Bellarminus? Quærit Caluinista, *An nõ bonus Auctor Baronius*. Nõ modò bonus, sed & optimus. Quid ille? An non ait, Petrum venisse Romam anno secundo Claudij Tom. 1. Annalium ad Christi annum XLIV. Nega, si audes. Dices. Baronius vult Petrum esse passum Anno XIII. Neronis, non XIV. Hic non quæritur, quo Anno Neronis passus sit S. Petrus, sed in quem Claudij annum aduentus Petri Romam inciderit. In hoc consentit cum Baronio Bellarminus. Quamuis nec de anno passionis discrepat, sed tantum, quid alij sentiant, obiter exponit; Quærit Sutliuius, *an Fasciculus temporum, seu VVernerus, & Auctor passionalis non sint boni Auctores?* Boni, sed nullo modo cum illis comparandi, qui Petrum secundo Claudij anno Romam venisse tradunt.

Obserua hic acutissimum Sibrandi acumen. *Petrus anno secundo Claudij tenebatur circa Pascha seu dies Azymorum Hierosolymis in carcere ab Herode, ergo falsum est, quòd illo anno venerit Romam*: Perinde ac si intra octo vel nouem menses, à liberatione ex vinculis, qui de secundo Claudij anno supererant, non potuerit Romam peruenire.

Obstrepit Sibrandus. *Quo tempore Petrus Hierosolymis fuit in carcere, Roma non fuit.* Vtique. At num toto secundo anno Claudij in carcere fuit? Nonne ipsis Azymorum diebus liber inde euasit?

Ad secundum de immediatis successoribus Petri, copiosè & optimè respondet Bellarminus. Danæus contra nil adfert, nisi conuicia, vt & Sutliuius, qui dicit, Bellarminum *lauare laterem*: mirum, nî AEthiopem, præsertim si lauaret Sutliuium. Vociferatur, *diuersas Auctorum circa hanc successionem sententias non posse conciliari*. Sed tu Bellarminum lege, & Caluinianos clamores susque deque habe.

Iunius nullum hic operæpretium facit, nisi quod Anacletum transformat in *Anencletum*; qualem in Catalogo Pontificum nemo veterum vnquam agnouit. Vt autem Iunianos fumos, quos hîc efflat, dispellas; consule præter Bellarminum, etiam Tomum primum Annalium Baronij ad Annum Domini LXIX. vbi de his accuratissimè disserit; Eademque opera dispelles, quæ hîc VVitackerus de Lino, Cleto, & Clemente vanissimè declamitat.

CAPVT VI.

Soluitur secundum argumentum Veleni.

SECVNDA Veleni persuasio est ista. *Petrus non potuit Romã venire ante XVIII. annum à passione Domini; Interfuit enim Concilio Hierosolymitano, quod celebratum est Anno XVIII. à passione Domini.* Hæc obiectio Veleni, seu, vt ipse vocat, persuasio, friuola est; rediit enim Roma in Iudæam IX. Anno Claudij, hoc est, decimo octauo post passionem Christi, expulsus Româ cum reliquis Iudæis à Claudio. Quo Anno Concilium Hierosolymitanum habitum est. Lege Bellarminum & Baronium ad Annum Christi LI.

Nec video, quid aliud Sutliuius contra adferat, *Quàm Onuphrium longè aliter putare tempora aduentus Petri in vrbem Romam.* Existimat enim ille Petrum non sedisse Antiochiæ priusquam proficisceretur Romam, sed postquam Româ redierat & Concilio Hierosolymitano interfuerat. Hanc opinionem, vt nouam & inauditam, refellit non modò hîc Bellarminus, sed & Baronius ad Annum Christi XXXIX. Quid hæc diuersa Onuphrij sententia, ad rem, de qua disceptatur? Quæstio nobis est cum Veleno & sectariis, num Petrus fuerit Romæ. Hoc Onuphrius non negat: Quod aliam computandi rationem iniit, ignoscendum est viro docto; ridenduſque indoctus Sibrandus: cuius insulsissimas nuga-

tiones, si in vnum tascem comportare velis; hæc exibit deliratio. *Bellarminus dicit, Petrum post Christi passionem quinque annis mansisse in Iudæa, & septem annis sedisse Antiochiæ. & postea venisse Romam Anno duodecimo à passione Christi, quia quinque & septem sunt duodecim*, inquit Sibrandus; *at Onuphrius dicit Petrum anno decimo post passionem venisse Romam, ergo Petrus non venit Romam*; hoc enim concludere debet Sibrandus, si quidquam ad rem concludere velit. Nam quæstio est, *vtrum Petrus vnquam venerit Romam.* Quidquid discrepantiæ sit de tempore & circumstantiis, id ipsi aduentui, quem omnes Orthodoxi confitentur, non præiudicat. Deinde disputatio inter Bellarminum & Onuphrium non est, quoto anno, à Christo passo, Romam venerit Petrus; sed vtrum post Romanam Cathedram, fundarit & erexerit Cathedram Antiochenam. Tametsi autem *quinque & septem* faciunt annos duodecim; si integrè numerentur, vt non modò Arithmeticis, sed & cujuis rustico notum est; attamen si ab Anno XXXIV. quo Christus passus est, vsque ad Annum Christi XLIV. qui est secundus Claudij, numerum annorum inire velis, anno trigesimo quarto separatim & pro integro mansionis Petri in Iudæa computato; & anno septimo Cathedræ Antiochenæ non completè accepto; sed & eo respectu, quo profectionem Romanam continet; non nisi vndecim annos inuenies; quia septimus Cathedræ Antiochenæ ipsam Petri in vrbem Romanam migrationem complectitur.

Sed en aliud Sibrandicum acumen: *Anno XVIII. à passione Domini, quando Concilium Hierosolymitanum est habitum, Petrus non fuit Romæ, sed Hierosolymis, ergo falsum est eum vnquam Romam venisse; vel Anno secundo Claudij Romam venisse.* Subtilissima profecto hæc est subtilitas, qua tamen etiam VVitackerus vtitur, vt & aliis plerisque Savvbrandicis. Ait Bellarminus; Petrum ex vrbe Romana Hierosolymam rediisse. *Hoc implicat contradictionem*, clamat Savvbrandus; quia implicat, vt quis ex loco ad quem se contulit, redeat in illum locum, vbi aliquando fuit.

Videamus fortiora argumenta pro implicatione Sibrandica. *Dixit Bellarminus, non esse probabile, S. Petrum non sedisse Romæ, nisi post reditum ab Vrbe Roma; at si ante Concilium iuit Romam; & post hoc Concilium Antiochiæ reprehensus est à Paulo, sequitur vel Bellarminum errare, dum negat, Petrum post suum ad Vrbem aduentum sedisse Antiochiæ, vel errare, dum concedit eum Roma Antiochiam, vbi à Paulo reprehensus est, venisse.* Neutrum sequitur, ô Caluinista; Nam Petrus, postquam Romæ fuerat, & Roma reuenerat, & Concilio Hierosolymitano interfuerat, Anno Christi L I. Claudij Imp. IX. Eodem anno Antiochiam venit, ibidemque à Paulo reprehensus est: sed non venit Antiochiam, vt iam Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus specialis; sed vt Episcopus Romanus, iam enim Romæ Cathedram fixerat. Quocirca tota Sibrandi hisce de rebus loquacitas, nihil est nisi inaniloquentia longè inanissima. quæ tota huius consequentiæ ambitu concludi potest. *Petrus venit Antiochiam, postquam fuerat Romæ; ergo sedit in Cathedra Antiochena tanquam Episcopus; postquam sedem Romæ fixerat.* Si Onuphrius suam opinionem aliis firmamentis non fulciuisset, næ ridiculus fuisset; sed longè eruditior erat, quàm, vt ad has ineptias Sibrandicas descenderet.

At Sibrandus pugnat pro Onuphrio, qui si viueret, talemque hyperaspistem se nactum cerneret, proculdubio pudefieret; & nescio quo propugnatorem suum ablegaret. *Apostolus Paulus*, inquit Sibrandus, *stat pro Onuphrio, quia testatur Petrum post Concilium Hierosolymitanum fuisse Antiochiæ: ergo ex Paulo constat, Petrum post Romanam Cathedram, erexisse & tenuisse Antiochenam.* O consequentiam dignam mastigophoro. Nil aliud sequitur; quàm Petrum, postquam Romæ fuerat, venisse Antiochiam. An hoc idem est, quod Antiochiæ post reditum ex vrbe Romana sedisse, seu Episcopum Antiochenum fuisse?

Iunius cum suo, *Negatur, Negamus. &, Non sequitur*; rem strenuè gerit; mentiturque; *Petrum sub finem vitæ demum* venisse Romam, & hoc liquere ex lib. 3. Eccleiast. Histor. cap. 1. Mentitur præterea, illud quod Bellarminus ait, Petrum ferè septem annos sedisse Antiochiæ; falsitatis ab ipso Eusebio redargui. Vbi? Num in Chronico? At hic nihil exstat de tempore, quo Petrus Antiochiæ sedit. Nec si in eo reperirentur verba, quæ hic adducit Iunius; *Sic etiam septimo pòst anno dicitur Romam profecisse*: quidquam Bellarmino incommodarent: nam illud *septimo pòst anno*; acciperetur non de completo, sed incompleto sedis Antiochenæ Anno. Iunius fatuè id accipit; *quasi septimo pòst anno*, idem sit, quod, *Post completum annum septimum*: cum nil aliud designet, quàm Petrum postea septimo Anno sedis Antiochenæ, Romam profectum esse. In Danæo, vt ferè vbique, ita & ad hoc caput, præter mendacia & conuicia, nihil reperio; nec VVitackerus aliud affert, quàm delirationes, ex variis opinationibus stolidè connexas & contextas. Vide Baronium Anno Christi XLIV. & Anno LXVIII. Omnesque VVitackerianæ nebulæ confestim euanescent.

CAPVT

CAPVT VII.

Soluuntur alia quinq; argumenta.

TERTIAM & quartam persuasionem, & ad eas responsa, præterfiliunt sectarij. Quinta est; *Paulus ad Romanos scribens multos iubet salutari*, cap. vlt. *At in hiis non comparet Petrus, ergo Petrus non fuit Romæ.* Respondet Bellarminus hoc non sequi. Nam Apostolus scribens ad Ephesios, non iubet salutari Ioannem, & scribens ad Hebræos, Iacobo non mandat salutem dici. Et tamen nemo affirmauerit Ioannem non fuisse Ephesiorum, & Iacobum Hierosolymorum Episcopum.

Respondent Sutliuius & Iunius, *esse diuersam rationem; nam in epistolis ad Ephesios & Hebræos neminem nominatim salutari: sic causse nihil fuisse, cur nominatim Ioannes aut Iacobus saluere iuberentur. At in epistola ad Romanos multorum nomina exprimi, quibus Paulus salutem nunciatam volebat.* Sed hoc nihil est. Nam si omissio Petri, signum est, Petrum nec Romæ vnquam vixisse, nec Romanum Episcopum fuisse; etiam omissio Ioannis & Iacobi indicium erit, neque illum fuisse Ephesi; neque hunc Hierosolymæ Episcopum; licet neminem speciatim in duabus illis epistolis expresserit: nam quis credat, præteriturum fuisse, si præteritio vlla ratione in eam partem iure rapi potuisset, in quam nunc iniustè rapitur à sectariis; præsertim cum facillimum fuerit in calce epistolæ ad Hebræos; postquam dixerat: *Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos:* adiicere: *Et Iacobum,* vestrum Episcopum seu Pastorem.

Deinde licet S. Paulus in epistola ad Romanos nullum speciatim, vel etiam generatim, salutari iussisset, hæretici tamen nostri hoc argumentum texuissent: *Si Petrus vixisset Romæ, vel Romanus Episcopus fuisset; tum Paulus in epistola ad Romanos eum salutandum curasset: sed non modò nullos alios, sed neque ipsum Petrum salutat; euidens ergo est, Petrum Romam non vidisse, multoq; minus Romanum Episcopatum administrasse.* Ita semper sectariis cauillandi & calumniandi materies parata est.

Iunius respondet de Ioanne, *cum necdum Ephesi subsistisset, quando ad eos scripsit Paulus.* Sed hęc prorsus sunt inania. Nam epistola ad Ephesios scripta est à Paulo anno Christi LIX. & Ioannes in Asiam venit anno Redemptoris XLIV. vt accuratè demonstrat Baronius Annali primo. Nullam igitur probabilitatis speciem habet, quod ait Iunius: *Epistolam ad Ephesios prius scriptam, quàm Ioannes Ephesi subsederit.* Addit & hoc: *Iacobum Episcopum Hierosolymitanum prius Martyrio functum, quàm Paulus epistolam ad Hebræos exararet.* Hic iterum Iunius, pro auctoritate sua, impunè hallucinatur: Nam epistola ad Hebræos, doctissimorum virorum iudicio, scripta est, anno Christi LX. Iacobus autem Martyrio affectus anno Redemptoris LXIII. Lege Baronium.

A Secundò respondet Bellarminus, ideo nullam à Paulo ad Romanos scribente factam Petri mentionem, quia epistolam esse scriptã eo tempore, quo Petrus Roma reuersus in Syria degebat: nempe anno XI. vel XII. Claudij. Respondet Sutliuius *non esse credibile Petrum toties à grege suo abfuisse.* Quoties verò abfuit? Certè prima vice nũc abfuit, quando videlicet cum cæteris Iudæis à Claudio ex vrbe pulsus in Syriam & Iudæam reuenit. Mentitur Caluinista, *Bellarminum nullam causam huius tam longinquæ peregrinationis adferre,* An non adfert vbiq; decretum Claudij de Iudæis ex vrbe eliciendis? Oggannit Sutliuius: *Peracto Concilio Hierosolymitano, Petrum Romam rediisse dicunt.* At non statim finito concilio; quia concilium illud B celebratum est anno IX. Claudij. Christi anno LI. sed post Claudij mortem, quæ incidit in annum Domini LVI. siue postea Petrus primo Neronis anno, siue secundo redierit? Quapropter futile est, quod hic Sutliuius de duplici aduentu Petri in Syriam ex vrbe Roma deblaterat.

Nec ista eneruantur per eorum sententiam, inter quos & Baronius ad annum Christi LVIII. qui arbitrantur, epistolam ad Romanos datam anno Neronis secundo, quando Petrus iam Romam ex Syria reuerterat; non enim semper Romæ remansit, sed occidentales Ecclesias peragrauit, atque adeo ad ipsos vsque Britannos penetrauit, vt pluribus ostendit Cardinalis Baronius: nec ideo gregem Romanum neglexit; C quia in officio Episcopali coadiutores sibi adsciuerat, Linum, Cletum, Clementem. Occasione igitur diuturnioris huiusmodi absentiæ contingere potuit, vt Petrus in Catalogo eorum, qui salutabantur, omitteretur. Quãquam procliue est creditu, vt notat Baronius, & ante illum beatus Martyr Roffensis in proprio libro contra Velenum, Paulum separatas ad Petrum dedisse literas, & hinc in publicis nomen eius suppressisse, præsertim cum alioqui ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Thessalonicenses, aliosq; scribens, eorum Episcopos nominatim non soleat exprimere. Ridet hæc omnia VVitackerus, dignus profecto, qui non tantùm rideatur, sed & exsibiletur, adeo ineptè circa hanc quintam Veleni persuasionem versatur. D

Sexta Veleni persuasio: *Quia Paulus Rom. 16 iubet salutari Narcissum, quem Ambrosius dicit fuisse presbyterum. At Presbyter & Episcopus olim iidem erant; signum est ergo, hunc Narcissum, non Petrum fuisse Romæ Episcopum, quando Paulus ad Romanos scribebat.* Respondet Bellarminus, nullo modo fuisse Romanum Episcopum, idq; probat, ex illis, qui Romanorum Episcoporum Catalogos contexuerunt. Iunius clamat: *Episcopum primò & primariò idem esse, quòd est presbyter; secundariò verò & κατ' ἐξοχὴν vnum ex toto presbyterio delectum, & institutum humano ordine, qui Episcopus dicebatur διαπρυσίως. Velenum loqui de Episcopo prima notione, Bellarminum transuolare ad secũdam.* Iunius, more suo, multa dicendo nihil dicit.

Falsum enim est, Episcopum & Presbyterum vnum eundemque vnquam fuisse vel iure diuino esse, si ordinem & gradum ipsum spectes, non sola nomina. Quapropter cum Velenus ex eo, quod Narcissus iste à sancto Ambrosio appellatur Presbyter Romanus; colligat, eum fuisse Episcopum Romanum, imperitè colligit, & à Bellarmino peritè redarguitur; & in eo sensu redarguitur, quem Velenus intuens falsò asseuerat, Presbyterum & Episcopum vnum eundemque esse.

Ait Cornelius apud Eusebium, Romæ vnum fuisse Episcopum: quadraginta autè & sex Presbyteros. Ex quo apparet, Episcopum & Presbyteros fuisse diuersos. Obstrepit Iunius: *Hæc de posteriore seculo dicuntur, quo vnus presbyter alii prælatus est, ordinis humani caussa: & dictus Episcopus διαχρηματικῶς.* Fabulæ. Episcopus semper gradu & ordine distinctus fuit in Ecclesia à presbytero; vt in libro de Clericis perspicuè Bellarminus demonstrat.

VVitackerus castigat hîc Velenum; negatq; Narcissum *ab Apostolo salutari, aut Presbyterum seu Episcopum Romanum fuisse. Apostolum enim salutare τὸν ἐκ τῶν Ναρκίσσου, id est, quosdam ex familiaribus & contubernalibus Narcissi: Narcissum enim fuisse Claudij locupletissimum libertum, eundemq; nequissimum.* Hæc canat VVitackerus suo Veleno. Nihil enim ad nos. Errat tamen Caluinista, cum hunc Narcissum, Claudij libertum facit: nam res secus habet, vt te docebit Baronius anno Christi LVIII. In sextæ ergo Velenianæ persuasionis locum substituit VVitackerus istam: *Paulus in epistola ad Romanos pastores multos nominatim recenset, nec dolet Episcopum deesse; ergo non necesse fuit Petrum Ecclesiæ Romanæ Episcopum fieri.* Num vllum ex omnibus, quos salutauit; salutauit vt Episcopum Romanum? Vt doleret Episcopum deesse, caussæ nihil erat; quia Romanis non deerat Petrus Episcopus; siue tum Romæ fuerit, siue non. neque enim Romanus Episcopus non est Episcopus Romæ, si vel necessitatis vel negotiorum caussa, sit aliquando extra Romam.

Septimam persuasionem ducit Velenus ex fœdere inter Petrum & Paulum, *vt ille Iudæorum; hic gentium esset Apostolus; non est igitur credibile Petrum venisse Romam, vt ethnicis Euangelium nunciaret.* Respondet Bellarminus, conuentionem illam fuisse temporariam duntaxat, neq; necessitatis, sed commoditatis caussa introductam, ita vt Petrus principaliter Iudæis: Paulus principaliter Ethnicis prædicaret. *Hoc contra Bellarminum facit*, si Sutliuio credimus. Qua ratione? *Quia non est credibile, Petrum iturum fuisse Romam*, hoc est, *ad arcem omnis gentilitatis, si ipse principaliter Iudæis conuertendis destinatus fuisset: potius enim in Iudæa, terra Iudæorum natiua, remanere debuisset.* Respondeo, etiam Romæ fuisse innumeros Iudæos, quibus ad fidem conuertendis Petrus principaliter operam nauare poterat, gentibus interim non exclusis. Adde, quod fœdus hoc inter Petrum & Paulum post Concilium demùm Hierosolymitanum, hoc est, postquam Petrus iam Romæ fuerat, sedemq; ibi fixerat, initum est; nec alio fine initum, quàm, vt eo faciliùs Iudæi & gentes in vnum corpus coalescerent: salua vtriusque Apostoli prærogatiua, & potestate, absolutè vniuersis, Euangelium liberè annunciandi.

Obiicit Sutliuius ex suo Veleno, *nullos Iudæos fuisse Romæ ad fidem conuersos, quando Paulus Romam venit, id patere ex cap. vlt. Act. vbi mirantur Iudæi doctrinæ Christianæ nouitatem, & rogant Paulum, vt explicet, quid ipse de hac secta sentiat.* Respondeo; Sutliuius refellere debebat ea, quæ Bellarminus ad hanc obiectionem respondet. An non euidenter ex epistola ad Romanos probat, Romæ fuisse ex Christianos Iudæis ad Christum conuersos, antequam Paulus veniret Romam, idq; licet asseramus epistolam ad Romanos fuisse scriptam, viuente adhuc Claudio? An non ostendit, admirationem illam super doctrina Christi non fuisse omnium Romæ degentium Iudæorum, sed eorum duntaxat, qui Christo sua nomina necdum tradiderant? *Hæc temerè affirmantur*, inquit Sutliuius. Si de tuis loqueris, assentior, si de Bellarminianis, dissentio. Cur hîc temeritas? *Quia cum Lucas plurimos Iudæorum conuenisse dicat, nullis tamen eorum testimonium perhibet, quasi in Christum ante aduentum Pauli credidisset.* At nec dicit S. Lucas nullum ex iis, qui Paulum Romæ adierant, fuisse Christianum: imo illos ipsos Iudæorum primores, quos Paulus ad se, Romam veniens, vocauerat; & cum quibus, altero congressu, plures ad Paulum confluxerant, Euangelij prædicationem, prius quàm Paulus Romam aduenire, audiuisse, tametsi fidem non fuissent complexi, patet ex eorum verbis: *Nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur.* Ergo & Romæ contradicebatur, ergo ibi prædicabatur & prædicata prius fuerat, quàm Paulus in vrbem veniret. Præterea S. Lucas dicit; Iudæos à Paulo abeuntes, *multam inter se habuisse quæstionem*: quod credibile, non tantùm accidisse propter illos, qui tunc, prædicante Paulo, Christianam fidem amplectebantur, sed & propter alios iam antea conuersos: qui, vt fit, cum suis contribulibus de Christiana religione disputauerint; eisque veritatem persuadere studuerint.

Quærendum est ex Sutliuio, vnde exploratum habeat, *nullum ex Iudæis ad Christiana sacra ante aduentum Pauli traductis, Paulum adisse*: Nam proculdubio ex reuelatione cœlesti hoc accepit Caluinista, alioquin tam temerè id non asseueraret: qui etiam mentitur, Paulum in epistola ad Romanos capite vltimo, *nullum nominare Iudæum, qui vrbi Romæ ciuis vel inquilinus esset.* Impudens commentum, & dignum seuerius plecti. Et tamen nominat Priscam & Aquilam, quos stabiles inquilinos Romanæ vrbis fuisse, vt & alios pleroſque, quos in illa epistola salutari iubet, nemo

iure

iure dubitauerit; nam & antequam expellerentur, à Claudio, sedem stabilem ea in vrbe habuerant.

Mentitur insuper Caluinista, *ad solos illos, qui ex gentibus crediderant, epistolam ad Romanos scriptam.* Quo nihil ipsius epistolæ verbis, scopo & intentioni magis est aduersum: vt liquidò apparet ex toto propemodum epistolæ decursu.

Sibrandus & Danæus hîc non disputant, sed planissimè delirant: præcipuè Sibrandus qui eadem ter, quater, quinquies repetit, ingerit, regerit, & quidem tanta stoliditate, vt seriò statuam, quod & alibi testatus sum, Sibrandum non esse mentis compotem. Omnia eius nugacissima nugamenta huc recidunt: *Bellarminus dixit hoc anno Petrum venisse Romam; Onuphrius alio anno; aliis, alio. Bellarminus negat Petrum sedisse Antiochiæ, postquam Romæ sederat; Onuphrius affirmat: ergo Petrus nunquam fuit Romæ.* Quæ nam hæc stultitia, & matæologia? Præsertim cum omnes auctores, quos Sibrandus ex Bellarmino producit (neq; enim eos absque Bellarmino nouisset) elata & sonora voce testentur; *Petrum fuisse Romæ.* VVitackerus clamat, *Petrum, absq; manifesta violatione pacti cum Paulo initi non potuisse Romam proficisci & gentibus Euangelium annunciare.* Respondeo, vt hoc nobis Caluinista persuadeat, oportebit, vt vel ipse, vel Baccalaureus eius *Alleson* tabulas fœderis proferat, in quibus diserte caueatur, ne Petrus vnquam se Romam conferat, doctrinaq; Christi Ethnicos erudiat. Hoc ni fecerit, frustra VVitackerus verba fundit; quia ea perdit, & ventis discerpenda tradit.

CAPVT VIII.

Soluuntur alia octo argumenta.

PERSVASIONEM octauam vsque ad decimam quintam inclusiuè, sumit Velenus ex Actibus Apostolorum, ex epistolis, quas Paulus ex vrbe scripsit ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Hebræos, ad Timotheum, ad Philemonem, & ex epistolis Pauli ad Senecam; & huius ad illum: in quibus omnibus altum est de Petro silentium: minimè futurum, si Petrus Romæ degisset; aut Episcopus Romanus fuisset.

Respondet Bellarminus, nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negatiuè. Iunius: *Hæc non sunt argumenta ab auctoritate negatiuè, sed potius ab vniuersalibus Pauli propositionibus, affirmantibus, negantibusq;, & signo vniuersali coniunctis;* Omnes, soli, nemo. Iunius impostorem agit: nõ enim dicit Bellarminus argumenta, quæ sumit Velenus ex illo Philipp. 2. *omnes quærunt, quæ sua sunt*, & ex similibus; *esse ab auctoritate negatiuè*; nam ad ista loca separatim dat responsum; sed hanc argumentationem Veleni, quamque ex Veleno sublegit Sutliuius: *Paulus ex Romana vrbe scribens ad Galatas & alios; & similiter idem Paulus scribens ad Senecam, & hic ad illum; non meminit Petri; vt Romæ degentis, vel, vt Romani Episcopi; ergo Petrus non vixit Romæ*: hanc, inquam, argumentationem dicit Bellarminus, esse ab *auctoritate negatiuè*; ac proinde nil concludere; non autem illam, de qua Iunius. Oggerit Sutliuius, & cum illo VVitackerus: *Hoc argumentum ab auctoritate negatiuè validè valere. Ex Scripturis non probatur, ergo non est dogma fidei.* In qua schola valet hæc ab auctoritate negatiua collectio, nisi in ea, quam Caluinus & Lutherus instituerunt? Hac argumentandi forma vti Paulum & sanctos Patres, Sutliuianũ mendacium est. Vt vt aliquando ob certas circumstantias argumentatio ab *auctoritate negatiuè aliquid efficaciæ habeat*, hic tamen nihil habet; eo quod totius antiquitatis consensio & traditio de Petro secus sentiat; licet sacræ literæ de aduentu eius Romam sileant.

Obiicit Sutliuius: *Non tantùm negatiuè argumentamur ab auctoritate, sed etiam à minore ad maius: nam si nominat Apostolus homines obscuros, multò magis nominare debuit Apostolum tam clarum.* Non sequitur; nam & hodie multi Episcopi ex vrbe ad longè disitos mittunt epistolas, & aliorum nomine eos salutant; nec tamen salutant nomine summi Pontificis Pauli V. qui gradu & dignitate longè clarior & sublimior est, quàm alij, quorum nomina in literis exprimuntur. Itaq; quàm stultus esset, si quis, post mille quingentos annos, reperta aliqua epistola, ab Episcopo vel Cardinali hoc tempore scripta; contenderet Paulum V. non fuisse Romæ, eò quod Episcopus vel Cardinalis ille, obscuriores suis in literis nominet, præterito illo, qui est commune lumen omnium; tam fatui sunt Nouatores nostri, cum simili propemodum ratione ex litteris Paulinis ratiocinantur. Nec illud obstat, quod Paulus in epistola ad Galatas aliquoties *Cephæ* seu *Petri* mentionem facit, nec tamen indicat, eum tunc fuisse Romæ, cum epistolam ad Galatas ex Romana vrbe scripserit, anno tertio Neronis, vt vult probabilior sententia: licet Baronius alibi scriptam & aliunde missam existimet. Fortè enim ideo de Petri Romana tunc commemoratione nullam fecit mentionem; quod Galatis ignotum non esset, vbi Petrus degeret: vel quod fortè Petrus tunc Roma abesset; occupatus in Ecclesiis occidentalibus obeundis, ordinandis & visitandis.

At Paulus ad Philippenses ex ipsa vrbe de iis, qui Romæ erant, scribit: *Omnes, quæ sua sunt quærunt, ergo Petrus tunc non erat Romæ; quia Petrus non quærebat, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Futilis obiectio. Quasi non sit compertissimum vniuersales locutiones aliquando cum restrictione & exceptione accipiendas esse. Et inprimis Hæretici, velint nolint, hîc ab hac nota vniuersali excipere debent ipsum S. Paulum, qui nõ quærebat sua, & similiter Timotheum, quem paulò ante dixerat apud se fuisse. Occinit Sutliuius: *non constare certò, an eo tempore cum Timotheo Paulus fuerit:* At satis certò constat ex omnibus propè aliquot periodo-

rum

rum illius capituli apicibus, ita vt incertum esse nequeat, nisi apud illos, quibus nihil est certum, præter id, quod ipsi volunt; rudique sua imaginatione concipiunt. Ait Sutliuius. Timotheum *ab ipso Paulo excipi.* Vbi? An dicit: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, præter Timotheum? At iis laudibus ornat Timotheum, quæ exceptionem hanc indicant.* Esto, quando ita vis. Vides ergo illam voculam Omnes, non absolutè denotare omnes, sed exceptionem admittere. Si igitur Paulus exceptus est; si Timotheus exceptus, quid ni & Petrum exceptum credamus, qui in religione Christiana sincerè propaganda, Timotheo certè non cesserit? Quid ni & alios multos ab hac Paulina censura eximamus?

Obiiciunt & illud Coloss. vlt. *Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei; ergo Petrus tunc non erat Romæ.* Respondet Bellarminus, Paulum loqui de domesticis, qui ei ministrare consueuerant. Obstrepit Sutliuius, *absurdum esse putare, ipsum loqui de Domesticis suis, cum aperte loquatur de adiutoribus in regno Dei.* At de Domesticis adiutoribus. Hoc tibi expugnandum est, si quod operæ pretium facere cogites. Quis enim credat, nullos alios fuisse Romæ Pauli in Euangelio adiutores, in tanta & tam florente Ecclesia?

Probat Bellarminus explicationem suam ex illo 2. Timoth. 4. *Lucas est mecum solus.* Vbi certum, eum loqui de domesticis & ministris, nam præter Lucam, innumeri alij Christiani Romæ cum Paulo erant; at non domestici & ministri. Oggrunnit Sutliuius: *Ista multum discrepare; nam ibi de priuatis, hic de publicis adiutoribus Paulum loqui.* De publicis in publico fidei negotio adiutoribus loquitur, attamen domesticis; nam duo hęc probè simul consistere possunt. Esse domesticum; & tamen pariter publicum adiutorem in fide palam propaganda. Item, esse domesticum ministrum, & adiutorem publicum in Euangelij promulgatione.

Ait Sutliuius: *Quis non credat potius Apostolo dicenti; Aristarchum, Marcum, & Iustum solos se in regno Dei adiuuisse, quàm Bellarmino affirmanti, multos, præter illos, regnum Dei promouisse?* Si dictum Bellarmini repugnat Apostolo, iure Apostolus præfertur Bellarmino: Si verò cum Apostolo consonat; nō est, quod Caluinista dissidium fingat. Consonat autem, quia Apostolus de solis domesticis adiutoribus loquitur; nec de omnibus domesticis, sed de illis solum, quorum industria eximiè supra cæteros in regno Dei amplificando enituisset; & qui Apostolo singulari fuissent solatio: *Qui mihi,* inquit, *fuerunt solatio.* Nam in eadem epistola ait: *Salutat vos Lucas medicus charissimus: & Demas;* quorum vterque erat Pauli domesticus: & sine dubio adiutor in regno Dei promouendo, vt & Epaphras, quem ibidem vocat *Seruum Iesu Christi.*

Obiiciunt & illud 2. Tim. 4. *Nemo mihi adstitit, sed omnes me dereliquerunt.* Respondet Bellarminus, Apostolum nō loqui, nisi de illis, qui eum apud Cæsarem potuerint iuuare. Sed Petrus non potuit iuuare, quippe qui Neroni æquè inuisus esset ac Paulus. Obstrepit Sutliuius: *Hoc esse contra Apostoli mentem: qui expressè dicat, se ab omnibus fuisse derelictum.* Hic iterum nullam vult agnoscere sub vniuersali vocabulo exceptionem: Et tamen ipsemet Caluinista fatetur, Lucam adfuisse Paulo. Ait Sutliuius: *Paulum loqui de illis, qui in Ecclesia Romana maximè splendebant.* Sed ait tantùm, nihil probat. Nam Paulum loqui de quibusdam nobilibus Romanis, qui pro se Cæsarem adire potuerint, metu autem tyranni id omiserint; Bellarminus tradit. At hoc non sit probabile Sutliuio. *Quid enim Paulo negotij cum Aulicis?* Nihil Bellarminus de Aulicis, sed de quibusdam duntaxat *nobilibus Romanis.* Quanquam & in Aula Neronis fuisse Christianos, qui Paulo adsistere potuissent, nisi formidine absterriti fuissent, meritò dubitari nequit.

Addit præterea Bellarminus, Petrum sæpius ab vrbe abfuisse; & forsan eo etiam tempore, quo primam defensionem Paulus instituit. Obiicit Sutliuius. *Hinc sequi, eum non sedisse Romæ XXV. annos.* Cur hoc? An vt quis cathedram Romanam tenere dicatur, necesse est, vt perpetuò in vrbe maneat? Quot annis tenuit Carolus V. regna Hispaniæ, & tamen potissimam vitæ partem extra Hispaniam consumpsit, & quidam olim Romani Imperatores extra Romam plerumque agebant.

Oggerit Caluinista: *Si Linus & Cletus erant etiam Romani Episcopi, ergo tres simul erant Romæ Episcopi.* Respondeo, duos istos viuentis Petri fuisse vicarios & suffraganeos, Petro, summo Episcopo, subiectos. Occinit, *hoc de Lino & Cleto aduersari Baronio.* Mentiri Caluinistam docebit te lectio Baronij anno Christi LIX. Num. XLIII.

Ad calcem huius capitis præterire nequeo acutissimas demonstrationes Basileensis Rulli, quibus in disputatione *de Regimine Ecclesiæ* Tomo 1. Sylloges Thesium Theologicarum probat Petrum nunquam fuisse Romæ; quæ apodixes eò pluris æstimari debent, quòd Rullo cum VVitackero propemodum sint communes.

I. Demonstratio. *Petrus non fuit Romæ, quando Hierosolymis in carcere Herodiano vinctus tenebatur: ergo nunquam fuit Romæ.* Quid euidentius Antecedente? ex quo sine dubio non nisi euidens conclusio deducitur. Quid enim ex claro aliud sequeretur, quàm clarum?

II. *Petrus non fuit Romæ, quando fuit Hierosolymis in Concilio Hierosolymitano: ergo Petrus nunquam fuit Romæ.* Aequè euidens est huius consequentię antecedens ac prioris. Nec differt ab ista. Rullus non fuit Basileę, quando, vt ipse scribit in epistola ad Bezam, præludia professionis suæ fecit Geneuæ *in enarratione Malachiæ Prophetæ: ergo nunquam fuit Basileæ.* Conclusum fortissimè.

III. Pe-

III. *Petrus non fuit Romæ, quando poſt Concilium Hieroſolymitanum fuit Antiochiæ; nec tunc etiam Romæ fuit, cum Antiochiæ à Paulo reprehenſus eſt; ergo nunquam fuit Romæ.* Dicas tu. *Rullus non fuit Genevæ, quando cum Verpio in Moravia habitavit; vt cum Hebræa lingua Euangelium Caluini melius imbiberet; ergo nunquam fuit Genevæ.*

IV. Petrus poſtquam Antiochia diſceſsit, Babylonem Aſſyriorum petiit, & ibi Eccleſiam rexit; *ergo nunquâ fuit Romæ.* Antecedens huius conſequentiæ obſcurius eſt, & luce eget; quàm forſan ei accendet Rullus ex fine epiſtolæ primæ S. Petri. Sed quo minus id fieri poſsit, obſtant, quæ de hac Babylone ſupra capite 2. diſputata ſunt.

V. *Petrus non fuit Romæ, quando Paulus dedit epiſtolam ad Romanos; nec quando ipſe Paulus Romam venit vinctus; nec quando ex carcere Romano ſcripſit epiſtolam ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Timotheum ſecundam, ad Philemonem, ergo Petrus nullo vnquam tempore fuit Romæ,* inquit Rullus. Antecedens patet; *quia in nulla ex dictis epiſtolis aut ſalutat Petrum; aut alius Petri nomine ſalutem nunciat; aut Petri, tanquam Romæ tum degentis mentionem vllam facit: imò quædam dicit, quæ ſatis indicant, Petrum non fuiſſe Romæ.* Verumenimuerò quantum roboris ſit in hac Rullica demonſtratione ex dictis & dicendis ſatis liquet ampliusque liquebit.

VI. *Petrus non eſt crucifixus Romæ, ſed Hieroſolymis, ergo nunquam fuit Romæ.* De hoc Antecedente. vide cap. 10.

VII. *Si Petrus præſens Romanos docuiſſet, fruſtra Paulus eos inſtituendi & præſens & abſens curam ſuſcepiſſet; aut dicendum foret, Petrum negligenter eo in munere fuiſſe verſatum: aut Paulum πολυπραγμονήτως morbo laborâſſe.* Reſpondeo, nihil horum ſequi: quia ager Romanus ſatis ſpatioſus & amplus erat; qui etiam ſtrenuiſsimis ac valentiſsimis colonis ſufficeret. Si induſtria & opera Pauli nauata Eccleſiæ Romanæ argumentum eſt, Petrum non fuiſſe Romæ; argumentum itidem erit eadem Pauli indefeſſa ſedulitas, Ioannē Apoſtolum nunquam fuiſſe Epheſi in Aſia, nam ſi Epheſi fuit, aut officio ſuo indiligenter Ioannes functus eſt; aut Paulus πολυπραγμονήτως laborauit, qui Epheſios & coram, & abſens per epiſtolam in doctrina Chriſti inſtituerit. Si hæc obiectio nil efficit contra aduentum Ioannis Epheſum: nil itidem prior illa efficiet contra aduentum Petri Romam.

VIII. *Ex epiſtolis S. Petri non liquet, Petrum fuiſſe Romæ: ergo nunquam fuit Romæ.* Egregiam ſanè apodixin. Et tamen Rullus mirificè, ob tantum ſibi inditum & inſitum acumen ſeſe circumſpectat & vt omnes ſibi ſupra vulgus longiſsimè euecto de via decedant, poſtulat.

CAPVT IX. X. XI.

His tribus capitibus ſoluit Bellarminus poſtrema Veleni argumenta. Sed quia Sectarij nihil contra adferunt, aut ſi quid adferunt, ſola conuicia & mendacia adferunt, nō eſt quod immoremur. Nam quis non rideat Sutliuium ita deſipientem? *In tota ſcriptura nihil exſtat de profectione Petri Romam: nullum in ſacris literis exſtat mandatum, quo Petrus iuſſus fuerit ire Romam: ergo Petrus nunquam venit Romam.* Dicamus nos. In tota ſcriptura ne vnus quidem apex reperitur, qui Thomā & Bartholomæum, ad Indos, & Matthæum ad Aethiopes veniſſe affirmet. Ergo falſum eſt, quod veterum traditio de hoc tradit. Et tamen quantula eſt hæc traditio ſi cōparetur cum illa de aduentu Petri Romam, eiusque in Romana vrbe Epiſcopatu?

Quanta item hæc Sutliuij fatuitas. *Petrus ſcripſit duas epiſtolas, & in neutra mentionem Romæ fecit. ergo Petrus non fuit Romæ.* Etiamſi Antecedens verum eſſet, conſequentia nil haberet roboris: Deinde falſum eſt, nullam in illis epiſtolis Romæ mentionem reperiri. Nam in priore, ſub typico Babylonis nomine *Romam* deſignat: vt ſuo loco viſum. Nec abſimilis eſt inſipientia: *Petrus ſcripſit ad aduenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, &c. Sed ad hos ſolos non ſcripſiſſet; ſi Romæ, tanquam generalis omnium Pontifex, præſediſſet.* Quaſi verò etiam vniuerſalis Pontifex non poſsit ad particulares aliquas Eccleſias literas dare. Quid ſi hodie Paulus V. ſcriberet ad Eccleſias Indicas & Iaponicas; an ideo Romanus & generalis totius Eccleſiæ Pontifex non eſſet? Sed de his ſatis: præter Bellarminum & Martyrem Roſſenſem legat lector Franciſcum Agricolam, qui proprium librum de hoc argumento euulgauit, collectis diligenter veterum Græcorum & Latinorum teſtimoniis; ſolutisq; hæreticorum obiectionibus. Quod ante ipſum diligenter quoque præſtitit Iodocus Coccius in ſuo Theſauro Tom. 1. lib. 7. art. 5.

Decimam, ſeptimam perſuaſionem Veleni: *Petrum & Paulum non Romæ, ſed Hieroſolymis occiſos eſſe*; hoc cauterio notat VVitackerus. *Velenus putat hoc argumentum eſſe irrefragabile. Sed mihi aliter videtur.* Nam quod adfert ex Matthæo 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. nihil in ſe virium habet. Nec Chryſoſtomi, Hieronymi, Lyrani teſtimonia id euincunt. Quod ergo Velenus putat, neceſſarium eſſe, vt Petrus Hieroſolymis moreretur; in hoc illi non aſſentior.* Hæc VVitackerus ſolito ſapientius.

Sunt qui tradant Marſilium quoq; Paduanum in Defenſore pacis negaſſe, Petrum fuiſſe Romæ. Dubitare quis poſſet, num ita eſſet: Nam Marſilius in ſecunda parte Defenſoris ca. 18. rationem reddens, cur Romani Epiſcopi & Sacerdotes, cæteris ſemper prælati fuerint, etiam hanc adducit: *quia beatus Apoſtolorum ſenior* (Petrus) *meritis perfectior & reuerentior, ibidem* (Romæ) *tanquam Epiſco-*

pus sedisse legitur. Attamen cap. 16. eiusdem secundæ partis planè cum Veleno sensisse videtur: tametsi ita lubricus est, vt quid tandem firmiter tenuerit, difficile sit assequi. Ait I. *Per Scripturam non posse conuinci Petrum fuisse Romanum Episcopum.* II. *Ex Scriptura conuinci posse, Petrum nunquam fuisse Romæ*; & totum eius argumentum est ab auctoritate negatiuè. *Lucas in Actibus, & Paulus in suis epistolis nunquam Petri Romæ versati meminerunt; ergo nunquam fuit Romæ*; de cuius argumenti vanitate suo loco fusè actum est. III. Deserit Marsilius hoc ζήτημα, & probare incipit, *quod Petrus non prius venerit Romam, quàm Paulus & Lucas.* Et hoc probat ex primo congressu Iudæorum cum Paulo Romæ, vbi de doctrina Christiana loquuntur, tanquam de secta noua, & cuius fundamenta nondum teneant. Sed & hoc argumentum iam supra profligatum est.

Dicat Marsilius; si nulli erant Romæ Christiani, Paulo Romam veniente; qui nam fuerunt illi, qui Paulo occurrerunt vsque ad *Appÿ forum* & *ad tres Tabernas.* An non erant fratres, hoc est, Christiani? Ait Marsilius: *Si Petrus fuisset Romæ, quando Paulus eo venit, & cum Iudæis ad se vocatis disputauit, citasset Petrum, tanquam oculatum Resurrectionis & aliorum miraculorum Christi testem. At hoc non fecit.* Respondeo; quid si tunc Petrus Roma alio se contulerat; neque enim perpetuò in vrbe mansit? Quid si Paulus Petrum testem citauit? Non enim sequitur. *Nihil de hoc Lucas, ergo non est factum.* Quid si ideo non citauit; quia sciebat Petro ęquè parum fidei habituros ac sibi? Sic nostri Hæretici mirari solent, *cur Petrus cum aliis fratribus Paulo Romam venienti non obuiam processerit.* Quid si processit, & generali fratrum nomine à Luca comprehensus est? Quid si Roma aberat, Paulo veniente, profectus alio visitandarum Ecclesiarum gratia?

Occinit Marsilius. *Non esse credibile, Paulum, integro*, quo Romæ mansit, *biennio, cum Petro nunquam familiariter collocutum.* Quis affirmat toto illo biennio Petrum & Paulum nunquam conuenisse? At Lucas id literis consignasset, si accidisset. Non sequitur; neque enim Lucæ propositum fuit, omnia, quæ acciderant, scribere.

Ait Marsilius: *Paulum facere mentionem Petri, aliis in locis minus celebribus inuenti, vt Antiochiæ Gal. 2. Quanto minus ergo taciturus fuisse videtur, si eum Romæ in omnium vrbium Regina reperisset?* At hoc nihil est: Nam cur eius Antiochiæ inuenti meminerit ad Galatas; causam habuit, disceptationem illam memorabilem, quæ sibi cum Petro intercesserit. Cur mentionem eius omiserit in epistolis, quas anno secundo, tertio & quarto Neronis Romæ ad varios dedit; causa superius iam est reddita; vel enim Roma Petrus tunc aberat in Ecclesiarum visitatione occupatus; vel, vt aliis videtur, toto illo biennio, quo Paulus Romæ fuit in vinculis, Petrus Romam non reuerterat post expulsionem sub Claudio: Vel vt maximè Petrus Romæ fuerit, Paulo tamen meritò videri potuit, causę nihil esse, cur eius suis in epistolis mentionem faceret; cum ipsi Petro liberrima esset scribendi ad quosuis, & per literas salutandi potestas, isque etiam sit mos apud subditos, vt superiorum nomina vel omnino literis non inserant, vel non nisi parcè. Vrgent aduersarij: *Si Petrus reuisset Romam anno secundo Claudij, videtur rem tam insignem Lucas non fuisse silentio transmissurum in Actibus.* Ad hanc obiectionem bene respondet Franciscus Agricola ex Baronianis Annalibus, hunc in modum: I. *S. Lucas in libro isto, quem de Actis Apostolorum edidit, non scripsit omnia, quæ Apostoli fecerunt; sed tantùm, aut saltem potissimùm, quomodo, completo duodenario Apostolorum numero, & accepto postea Spiritu sancto in die Pentecostes, Apostoli sanctam Ecclesiam vlteriùs ædificare, & propagare exorsi sint; & quale fuerit exordium, atq; incrementum nascentis Ecclesiæ; qualis etiam illius in Hierusalem maximè, & Iudæa deinceps progressus. Alioqui omnium & vniuersos Actus Apostolorum, aut etiam horum trium tantum doctrinæ & vitæ seriem describere, S. Lucæ propositum non fuit; sed præcipua duntaxat quædam, & quæ ipse præsens vidit, aut personaliter cognouit, suóque proposito potissimum seruire censuit, delibasse videtur.*

II. *De S. Petro nihil serè scripsit vlteriùs, quàm quæ in Hierusalem, & Iudæa, seu Palæstina gesserat, & maioris momenti visa fuerunt.*

III. *De profectione eius Antiochiam, & quidnam Antiochiæ inter ipsum, & S. Paulũ contigerit, de quo S. Paulus Galat. 2. scribit, nullam facit mentionem.*

IV. *Nec S. Pauli omnes Actus, aut passiones commemorat; quia, quæ S. Paulus 2. Cor. 11. & 12. de se, suóq; actibus ipsemet recenset, pro maiore parte non attingit; sed potiora tantum, & ea scriptis committere voluisse videtur, quibus ipse, vt individuus ad tempus comes illius, ipsemet interfuit: & quomodo tandem prima vice Romam captiuus peruenerit, & duobus annis ibidem in publica custodia permanserit. Quomodo autem postmodum liberatus iterum fuerit, & dimissus; quidue deinde aut fecerit, aut passus fuerit, & vbi demum, quáue occasione mortuus, vel occisus sit, aliis scribendum reliquit.*

V. *Nullam quoque facit mentionem, quando aut quomodo ab inuicem diuisi sint SS. Apostoli, & in totum orbem quaquaversum secundum dictamen, & imperium Spiritus sancti dispersi: neque etiam, an, & quo tempore S. Ioannes in Asiam fuerit profectus. Non ergo sequitur: S. Lucas non scripsit, S. Petrum Romam fuisse profectum: ergo S. Petrus Romam profectus non est, aut Romæ nunquam fuit; quia alioquin & similiter sequeretur, S. Petrum nec Antiochiæ vnquam fuisse; nec vnquam, vel vspiam pro Dei gloria mortem oppetiisse: nec SS. Apostolos ab inuicem diuisos, in singulas, certasq; orbis partes profectos ad prædicandum Euangelium, vt iussi erant: nec S. Ioannem Euangelistam Asiam vidisse vnquam: aut vera esse, quæ S. Paulus de actibus, & passionibus, atque etiam reuelationibus suis, tam distinctè, seriosq; recenset: neque eundem Romæ, aut alibi gladio occisum fuisse: quia; nec ista, nec plura alia (quæ tamen apud Catholicos, sicut etiam*

ipsosmet Nouatores pro certis, testatisq; habentur) S. Lucas scribendo commemorat.

Vt ad Marsilium redeam, historiam de aduentu Petri Romam, & maximè, quod Paulum præuenerit, pro fabula habet, & Paulum potius quàm Petrum, Romæ *specialem & determinatum* Episcopum fuisse affirmat, *cum de Paulo ex sacris literis constet, eum Romæ functiones Episcopales exercuisse; non item de Petro. Et Petrum potius fuisse specialem Antiochiæ Episcopum.* Addit tamen; *Romæ non contradico*, hoc est, non nego Petrum fuisse Romanum Episcopum (& tamen antea negauerat, tanta est istorum constantia) *sed vero similiter teneo ipsum in hoc non præuenisse Paulum, sed potius è conuerso.* Sed valeant iam istæ siue Marsilianæ, siue Velenianæ, somniationes. Nos ad alia gradum feramus.

CAPVT XII.

Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia probatur ex diuino iure & ratione successionis.

CAPVT hoc Danæo nimis est prolixum, Sutliuius miserè illud discerpit, ne appareat ordinatissima simul & efficacissima disputationis Bellarminianæ series. Sibrādus ineptissimis suis syllogismis, Battologiis & Tautologiis omnia defœdat. Danæus non vnum futuro conuiciorum suorum ædificio mendacium substernit, vt solidius consistat. I. *Bellarminum absque probatione præsupponere regimen Ecclesiæ esse Monarchicum.* II. *Hoc regimen datum esse Petro Apostolo.* An non vtrumque copiosissimè & omniū argumentorū instructissimo apparatu demonstrauit Bellarminus toto libro primo? Quomodo igitur nunc hæc duo absque probatione sumit & præsupponit Bellarminus? III. Mendacium, *Bellarminum in tota hac disputatione omittere, vtrum solus Pontifex ius Monarchicum: velut Petri successor, habeat.* An non toto hoc capite, & omnib' aliis, quotquot in hoc libro subsequuntur hoc vnum, omnibus ingenij viribus, agit, vt ostendat, ius istud Monarchicum soli Romano Pontifici, tanquam legitimo Petri successori, competere?

Calumniatur Danæus, Quintuplicem *Fallaciam* à Bellarmino committi in ipso disputationis exordio. *Quatuor à petitione principij. Vnam, à non consequente.* Ego nullam hîc Bellarmini *Fallaciam*, sed quintuplex mendacium Danæi deprehendo. Vident igitur pij Lectores (vtar enim verbis Danæanis) quid de reliqua parte huius disputationis Danæanæ sperare debeant, *cum in ipso illius Frontispicio', capite, & primo aditu minimum octo mendacia cernant.*

Primum Bellarmini argumentum est tale. Debet Petro iure diuino aliquis succedere. At

A hic non est alius, quàm Pontifex Romanus, igitur ille succedit. Danæus vt aptiorem mentiendi occasionem habeat, sic proponit Bellarmini argumentum. *Petrus successorem habuit, ergo Romanum Pontificem. Nego consequentiam*, inquit Danæus. At Bellarminus non ita nudè argumētum in aciem extrusit, sed aliter vestitum, vt ex vtriusque collatione apparet. Ait Danæus. *Bellarminum frustra laborare, dum multū probare nititur, Petrum habuisse successores. Nos enim id concedimus*, inquit Danæus, *neque de eo, quod conceditur, litigandum est.* Num conceditis vos Caluinistæ, Petrum habere successorem vel successores in Monarchia Ecclesiastica, eosq; solos, Romanos Episcopos, quod ex professo demonstrare instituit Bellarminus?

B Sutliuius audito Bellarmini argumento vociferatur. *Homo lepidus, qui licet nullum pro Pontificis sui iuris diuinum proferat, gloriatur tamen se ex iure diuino rem confecturum.* Quid? An nullum ius diuinum profert Bellarminus pro eius probatione, quod in Maiore sua assumpserat; diuino iure debere aliquem Petro succedere? An non vidisti sex rationes, quibus hoc adstruit, omnes iure diuino fundatas, vel ex illo immediatè sumptas? An calumniandi prurigo, cui largiter hic indulges, oculos tibi occluserat, ne videres, quid probationum Bellarminus adferret?

Chamierus impudenter hunc syllogismum affingit Bellarmino: *Quicunque alicui succedit, idem ius habet, quod habuit is, cui successum est. At Episcopus Romanus successit Petro; ergo idem ius habet, quod habuit Petrus, & ex vi consequentis, est œcumenicus Pontifex.* C Hunc syllogismum è vestigio exagitare occipit Chamierus; quasi cum Bellarmino decertans, cum sua deliria oppugnet. Nam Maior nec est Bellarminiana, nec vera.

VVitackerus mentitur, Bellarmini argumentum *petere principium, quia sumit hæc duo tanquam concessa* (imò tanquam abundantissimè probata) *Petrum fuisse Monarcham & caput totius Ecclesiæ, & Petrum fuisse Episcopum Romanum.* Vtrumque demonstrauit Bellarminus copiosissimè. Itaque vtrumque meritò hîc supponit, & alia hæreticis parum iucunda, inde concludit.

Apud Iunium: nihil hic frequentius occurrit, quàm D NEGAMVS, NEGATVR. FALSVM. INCONSEQVENS, & similia, quibus si orbaretur Iunius, ex prælio cogeretur inglorius abire. Sibrādus omnia pseudologiis & cenologiis miscet; & rationes, quibus probat Bellarminus maiorē suam, nempe iure diuino debere aliquē Petro in Monarchia Ecclesiastica succedere, coniicit in syllogismos insulsissimos; & per summam malitiam longè aliud inde colligit, quam id, cuius gratia à Bellarmino adductæ fuerant: nam alio fine eas non adduxerat, quàm vt probaret supradictam argumenti sui maiorem. Nam oportere Petro aliquem succedere in Monarchia Ecclesiæ probat primo ex fine Pontificatus: Pontifex enim & Pontificatus sunt propter Ecclesiam,

quæ nunc æquè eget vno generali paſtore, ac tempore Apoſtolorum, imò magis, cum latius nunc pateat; Non igitur Monarchiam Eccleſiaſticam cum Petro intermori debuiſſe: ſed manere donec ipſa Eccleſia manet.

Hanc optimam & validiſsimã maioris probationem Sibrandus his ſycophantiis, ſutelis & impoſturis penitus obruit; & in longè diuerſum venenatiſsimo ſuo calamo transformat: *Quidquid eſt propter Eccleſiam, hoc durat, quamdiu Eccleſia durat.* Hæc Maior vniuerſalis non eſt à Bellarmino; ſed à Sibrandico cerebro. *Sed Pontifex eſt propter Eccleſiam.* Hic agnoſco propoſitionem Bellarminianam. *Ergo Pontifex durat quamdiu Eccleſia durat.*

Huic primæ fraudulentiæ è veſtigio ſubnectit iſtam haud paulò minorem. *Pontifex durat quamdiu Eccleſia durat.* (Candidus diſputator diceret, & ſupra etiam in concluſione ex Bellarmini mente dixiſſet: *Pontificem durare debere, quamdiu durat Eccleſia*; & rationem, quam reddit Bellarminus, adiunxiſſet.) *Ergo Petrus durat, quamdiu Eccleſia durat. Sed Petrus non durat in ſua perſona; ergo in ſucceſſoribus. Illi autem ſunt Papæ Romani.* Mentiris, impoſtor, Iſta non eſt Minor probationis Bellarminianæ, nec in hac prima vel alia quacunque probatione Maioris ponitur, & ſi poneretur, vitioſiſsimè poneretur. Tu cur omnia turbas, niſi quia turbo es; & turbinis inſtar, per mendaciorum & calumniarum campum volitas. Nam Papam Romanum eſſe hunc, qui Petro iure diuino ſuccedit, poſtea planum faciet Bellarminus, nunc ſufficit ei poſitæ Maioris probatio. Aequè vana eſt concluſio, quam Caluiniſta ex præmiſsis infert: *Ergo Papa ſucceſſit Petro in Monarchia totius Eccleſiæ.* Eſt quidem abſolutè concluſio vera; ſed falſiſsimum, quod eam Bellarminus immediatè deducat ex prima probatione Maioris, qua nihil aliud efficere cupit; quàm aliquem Petro in Monarchia Eccleſiaſtica ſuccedere, idque ex Iuris diuini præſcripto. At quis ille ſit, poſtea in probatione Minoris apparebit.

Mox aggreditur Sibrandus ad demolitionem ſuorum phantaſmatum, quæ nihil ad nos; quia quidquid falſitatis continent, id à Savvbrando ſuxerunt; qui ſtolidiſsimè & extra omne propoſitum hic veteres ſuos coccyſmos repetit. Pontificis ſummi, nempe Chriſti, *ſeruum non poſſe eſſe Pontificem. Petrum nunquam vocari in ſcriptura Pontificem.* Et centena talia prorſus ἄτοπα. & ab eo, quod agendum eſt, abhorrentia; tametſi non aliena à Sibrando, qui, inſtar ebrij, abſque vlla connexione, quidquid id buccam venit, vbique deblaterare conſueuit.

Sutliuius cum Chamiero clamat; non ſequi: *Petrus fuit Pontifex propter Eccleſiam, ergo iam quoque durat Pontificatus eius in ſucceſſoribus; nam & Apoſtolos inſtitutos fuiſſe propter Eccleſiam, nec tamen iam durare Apoſtolos.* Reſpondeo, eſſe diſparem rationem: quia, vt vnus eſſet vniuerſalis paſtor, non modò A temporibus Apoſtolorum neceſſarium erat, ſed & iam, & quidem multò magis, neceſſarium eſt; vt ratio à Bellarmino allata, & aliæ itidem enincunt; at vt eſſent perpetuò in Eccleſia Apoſtoli *formaliter* cum iis prærogatiuis, quibus inſigniti fuerunt illi duodecim, quos ex cæteris ad hanc dignitatem, Chriſtus ſelegit, id neceſſarium non eſt ad Eccleſiæ præſtitutum finem; ſufficit, quòd alterius ordinis & generis miniſtri nunquam Eccleſiæ deſunt, tametſi & Apoſtolatus durat inadæquatè in Epiſcopis: in ſucceſſore autem Petri multò amplius, nempe etiam quoad poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudinem independentem, ſemperque vſque ad finem ſeculi ad ſucceſſores Petri pleno iure tranſituram. VVitackerus contra hanc primam probationem nihil adfert, niſi verboſiſsimam tautologiam, *Petrum non fuiſſe Monarcham Eccleſiæ.*

Secundam probationem Maioris illius: *Aliquem iure diuino debere Petro ſuccedere*, petit Bellarminus ab vnitate Eccleſiæ, nam Eccleſia ſemper eſt vna; debet ergo ſemper habere vnum Rectorem & Principem, ſi tempore Apoſtolorum habuit vnum ſupremum Rectorem ac Principem; vt ſanè habuit.

Sibrandus iterum artem calumniandi, quam ſolam didicit, & optimè nouit, ſtrenuè hîc facitat, hoc efformato mõſtro. *Quod eſt vnum, hoc debet ab vno gubernari. Eccleſia Chriſti eſt vna. Ergo Papa ſucceſſit Petro in Monarchia totius Eccleſiæ.* Quis non penitis medullis tantam deteſtetur improbitatem? Nam nec Maior eſt Bellarmini, multoque minus ineptiſsimè illata concluſio: ſed omnia ſunt Sibrandica figmenta, tam ipſe informis ſyllogiſmus, tam quidquid poſtea huius portenti deſtruendi gratia ad nauſeam vſq; nugatur. Vbi fides, vbi candor, vbi integritas apud iſtos, qui tam claro Euangelij lumine à planta pedis vſq; ad verticem ſunt colluſtrati, quibus fraudulentiores *bouinatores*, vt veteres loquebantur, vix terra tulit?

Bellarminus ſua in ratione non loquitur de quacunq; vnitate Eccleſiæ, ſed de illa quam habuit initiò; Petro adhuc ſuperſtite: Vnitas eius tunc fuit Monarchica propter vnum Monarcham Petrum, ergo & iam Monarchica eſſe debet; neque enim decuit, vt mutaretur forma Eccleſiæ, quę eſt eius quaſi anima: ſuccedit ergo Petro aliquis, cuius reſpectu, hæc Monarchica Eccleſiaſtici regiminis forma conſeruetur.

Sutliuius cum ſuo VVitackero obſtrepit: *Vnitatem Eccleſiæ ſumi ab vno Chriſto, vna fide, vnóque charitatis vinculo, non à rebus externis.* At velis nolis externa Eccleſiæ vnitas ſumitur quoque ab vno capite & principe: ſicut vnitas regni, ab vno Rege viuo & viſibili, & vnitas corporis ab vno capite. Cum ergo Eccleſia regnum ſit & corpus, & quidem viſibile, ſequitur eius vnitatem à viſibili quoque principe & capite rectè peti.

Danæus mentitur, Bellarminum ita argumẽtari: *Successor Petri vnus esse debet, ergo ille est Romanus Pontifex.* Impudens mendacium; nam per secundam rationem ab vnitate Ecclesiæ, ductam, nihil aliud vult Bellarminus concludere, quàm aliquem iure diuino debere Petro succedere. Itaq; quidquid postea Danæus contra delirat, contra suum deliramentum delirat.

Sutliuius oggerit: *In secunda Bellarmini ratione, non comparere ius diuinum.* At supponitur, & quidem adeo perspicuè, vt intelligatur ab omni illo, qui non sit prorsus bardo capite. Nam si iure, seu instituto diuino, Ecclesiæ regimen est, & erit Monarchicum, quoad mundus stabit, sequitur profectò, iure & instituto diuino aliquem Petro in Monarchia Ecclesiastica succedere; quia nulla B est Monarchia absque Monarcha.

Chamierus distinguit perquam acutè formã Regiminis in *summam & subalternam.* Per summam, intelligere videtur simplicem: per subalternam; mixtam seu compositam. Illa mutata, dicit *mutari formam Reipublicæ:* hac mutata, negat mutari. Sed num hac sua distinctione elidit argumentum Bellarmini? probauit is antea regimen primitiuæ Ecclesiæ fuisse Monarchicum. Si hæc forma mutata est; mutata est igitur etiam vnitas Ecclesiæ, teste ipso Chamiero; qui fatetur ad mutationem formæ simplicis, seu, vt ipse vocat, *summæ*, mutari ipsam Rempublicam. Nec verum est absolutè; non mutari vnitatem Reipublicæ, si mutetur forma mixta, seu, vt Chamierus vocat, *subalternæ.* Nam si forma prius fuerit Aristocratica, admixta Democratiæ; & postea transeat in Democratiam; quamuis nonnihil cum Aristocratia temperatam; mutatur profectò vnitas Reipublicæ æquè, ac si ex simplici & pura Aristocratia transiisset in simplicem & puram Democratiam.

Tertiam probationem pro sæpius nominata Maiore petit Bellarminus ex illo; *pasce oues meas*, nam hoc pastoris officium Petro eo loco commissum est perpetuum & ordinarium, quandoquidem ipsum ouile est perpetuum. ergo iam quoq; iure diuino succedit aliquis Petro in hoc pastorali officio. Sibrandus solenni sua consuetudine diuertit argumentum ad hanc calumniam. *Christus dixit Petro: Pasce oues meas. Ergo Papa successit Petro in Monarchia.* Quid tandem est calumniari, si hoc non est?

Sutliuius cum Chamiero respondet; *non sequi ex loco illo; Petro soli commissam curam ouilis Dominici.* Non dicimus soli hanc curam commissam *quomodocunque*; sed soli, vt supremo pastori. VVitackerus hîc iterum laxat linguæ suæ habenas: Quasi de hoc loco: *Pasce oues meas*; non esset satis superque disputatum lib. 1. Quarta ratio sumitur ex eodem loco: *Pasce oues meas, &c.* quam cæteri Hæretici intactam transiliunt. VVitackerus nonnihil arrodit: cupidius Chamierus, clamitans, Christum alio modo Ecclesiæ prouidere A potuisse, *quàm dando successores Petro.* Potuit alio modo prouidere. Quis neget? At reipsa alio modo prouidisse, quando probabit Chamierus? Negat Ecclesiæ tam bene consultum fuisse per Alexandrum VI. quàm olim per Petrum. Fumos vendit Caluinista. Et nebulas imperitorum oculis spargit: nam si infallibilitatem cathedræ & definitionis spectes, vt par est: æquè prouidit Deus Ecclesiæ per Alexãdrum VI. ac per Petrum: quia illud: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; officio non moribus vllius priuatæ personæ à Christo promissum & præstitum est.

Quinta ratio pro Maioris supra allatæ probatione est ab vnitate corporis. Sibrandus iterum calumniosissimè. *Quod est vnum corpus, id habet vnum caput. Ecclesia est vnum corpus: Ergo Papa successit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ.* Nulla me dubitatio tenet nec inter Caluinistas deesse vel defore, qui Sibrandicas impostura detestentur vel detestaturi sint, adeo sunt enormes, & supra omnem modum crassæ: vix bruto, nedum homine dignæ.

Sutliuius occinit: *infirmam esse omnem argumentationem ex allegoriis & metaphoris.* Infirmè igitur argumentatus est Apostolus 1. Cor. 12. vbi ab vnitate corporis, cuius omnes membra sumus, argumentatur ad vnitatem & concordiam, quæ inter membra vnius corporis esse debet. Infirmè argumentatus est, vbi à seminibus & id genus aliis, argumenta ducit ad persuadendam communem corporum Resurrectionem. Infirmè argumentatus est Christus, qui toties à rebus metaphoricis & parabolicis argumẽta texuit, quin & integras conciones instituit. Quis autem dixit, præter ineptos istos, à metaphoris seu sensu metaphorico non nisi infirmum argumentum duci? Mendacium est hoc asserere S. Thomam 1. part. quæst. 1. art. 10. De sensu spiritali, qui quadruplex est id asseri solet, neque id absolutè, sed cum debito temperamento, vt alibi visum.

Obiicit Sutliuius: *Ecclesiam esse vnum corpus mysticum, non naturale.* Quid tum? Debet ergo etiam vnum caput mysticum habere. Quodnam hoc vnum caput mysticum, nisi vnus Rector & Monarcha?

Chamierus inuenit hîc horribilem contradictionem. Nam Bellarminus dicit, non posse inueniri caput Ecclesiæ, cui competat illud Pauli 1. Corinth. 12. *Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij*: præter Petrum. Ergo fœdè sibi contradicit; quando mox subiungit: *nec debet moriente Petro corpus Ecclesiæ manere sine capite; oportet igitur aliquem Petro succedere*; quia esse vnum, & esse plura talia capita; haud simul consistunt. Dic tu; *vno tempore.* Sed an non diuerso? Tempore Pauli solus Petrus erat illud Ecclesiæ caput; quod pedibus dicere non poterat: *Vos mihi non estis necessarij*: at, mortuo Petro, aliud successit. Quid hîc antilogiæ?

Sexta Bellarmini ratio pro maioris probatione sumitur ex vsu veteris Testamenti, in quo erat successio summorum sacerdotum. Accurrit Sibrandus cum hoc syllogismo: *Quod fit in figura, hoc etiam fieri debet in eo, cuius figura est. Sed sacerdotium veteris Testamenti fuit figura sacerdotij noui Testamenti. Ergo, quod factum est in sacerdotio veteris Testamenti; hoc etiam fieri debet in sacerdotio noui Testamenti. Atq; hinc deduxit: Quod factum est in sacerdotio veteris Testamenti, hoc etiam fieri debet in sacerdotio noui Testamenti. Sed, in sacerdotio veteris Testamenti erat successio summorum Pontificum. Ergo etiam in sacerdotio noui Testamenti debet esse successio summorum Pontificum; hoc est, Papa successit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ. Respondeo*, inquit Caluinista, *Maiorem prioris syllogismi esse falsam.* Tua culpa falsa est; non Bellarmini. Nunquam enim asseruit Bellarminus, quod in figura factum est; idem numero debere etiam fieri in eo, cuius figura est; sufficit, vt fiat idem specie, vel aliquid eius simile. Ruunt itaq; præcipiti casu, quidquid hîc contra Maiorem illam suam Sibrandus loquacissimè despuit.

Alter syllogismus, quoad postremam suam caudam, Sausbrandicum, & quidem immane mendacium, non Bellarmini assertum complectitur: neque enim ex sexta ratione intulit: *Papam Romanum esse successorem Petri*; Sed aliquem debere succedere Petro, summo sacerdoti, vt figuratum figuræ eò exactius respondeat.

Sutliuius obiectat: *Non omnia in veteri Testamento fuisse figurata.* At Apostolus contra affirmat; *omnia in figura eis contigisse.* Omnia, inquam, ad politiam & Ecclesiam illam pertinentia. Cui igitur fidem habebimus? Num Paulo, an Sutliuio? *At in veteri Testamẽto erat vnum duntaxat numero templum. Nunc sunt plura templa; ergo templum illud nõ fuit Christianorum templorum typus.* Respondeo, templum illud fuisse figuram Ecclesiæ Catholicæ: Vt ergo illud vnum erat; ita & Ecclesiam Catholicam vnam fore præsignificabat. Deinde falsum est vnum reipsa non posse esse figuram plurium, vel vice versa, plura non posse esse typum vnius; nam omnia sacrificia veteris Testamenti, quæ complura erant, typum gerebant vnici illius sacrificij in cruce peragendi. Et vnus transitus populi Israëlitici per mare rubrum, & vna Arca Noë, & vnum sacrificium Melchisedecis, typus fuit baptismi & sacrificij sæpius in Ecclesia repetendi. Quid mirum ergo, si & vnum templum priscæ legis, repræsentauit plura Christianorum templa, præsertim cum eas repræsentauerit, non vt plura, sed vt habitudine & relatione vnum, quatenus omnia ad vnum sacrificium, & ad vnius veri Dei cultum destinata sunt?

Mentitur deinde Sutliuius: *Romanos Pontifices se fecere successores Christi.* Mendacium: Christo non succeditur; quia manet sacerdos in æternum, & perpetuum habet sacerdotium. Sed, *successores Petri* sese profitentur. Petro enim succeditur, quia Petrus, quoad personam suam, non habet perpetuum sacerdotium, sed in successoribus suis est & manet sacerdos in æternum.

His aceruatim subiungit Sutliuius mendacia non sine thrasonismis. Vt I. *Se omnes copias, quas Bellarminus pro Monarchia Petri attulit*, iam pridem *fudisse, dissipasse, deleuisse.* Quàm inuictus miles Sutliuius. Cur non omnium Britannorum expeditionibus interest? *Funderet, dissiparet, deleret*, quidquid hostium obuiam se ferret. II. Mendacium, Bellarminum *nec legem vllam, aut verbum vnum ex scripturis, quod pro Pontifice faciat, proferre potuisse.* III. Mendacium. *Nec vllam rationem, quæ in scripturis fundamentum haberet.* Lectori iudicium in his defero, vt & in iis, quæ proximè subiicit Sutliuius; ex quibus luculenter apparet, quàm verè Beza Sutliuium; Caluinianus Caluinianum; *petulantem calumniatorem & conuiciatorem appellauerit.* Cæterum de argumento Typico Bellarmini à veteri sacerdotio ad nouum ita Iunius blaterat, vt non immeritò insipientiæ typus formalis videri queat. Etiam VVitackerus denarrat nobis multas differentias inter sacerdotes legis antiquæ & nouæ. Et post prolixam & fastidij plenam polylogiam; dicit; summum Pontificem fuisse typum Christi; non Petri; aut si & Petri, non magis huius, quàm Ioannis, Iacobi, &c. Et hæc omnia non probat; sed pro auctoritate ex cathedra regia pronunciat. Nec sanius quidquam adducit Chamierus.

Postquam probauit Bellarminus Maiorem suam, nempe iure diuino in Ecclesiastica Monarchia aliquem debere succedere Petro; ad Minorem probandam se conuertit; quæ est; *Sed ille, qui Petro succedit, alius non est, quàm Romanus Pontifex.* Primum argumentum sumit Bellarminus ex consensu totius orbis: quia nullus vnquam Episcopus exstitit, qui Petri successor habitus fuerit præter Romanum & Antiochenum. At hic non successit in Pontificatu totius Ecclesiæ; vt ostendit Bellarminus.

Savvbrandus clamat, hoc argumentum adeo esse futile, *vt syllogisticè colligi nequeat.* A te, fateor, qui nil nisi mendacia & conuicia colligere didicisti, non syllogisticè: sed prorsus asyllogisticè; ita vt nec pes, nec caput, nec principium, nec medium, nec finis collectionis cohæreat.

Sutliuius calumniatur, *tot esse huius argumenti peccata, vt nulla Pontificis Romani indulgentia eis medendis sufficiat.* Iterum te, Beza, laudare cogor. Probè iudicasti, quando Sutliuium *petulantem calumniatorem* nominasti. Ait: *Im nullum diuinum proferri, quo Romanus Pontifex declaretur successor Petri in Monarchia.* Idem criminatur Sibrandus. An non ius diuinum illud: *Pasce oues meas!* An non ius diuinum? *Tibi dabo claues regni cælorum.* Quæ ad successores Petri æquè ac ad ipsum Petrum pertinere, Bellarminus inuictè monstrat, vt alia huius sententiæ firmamenta silens præteream.

Obiicit Sutliuius ex suo promptuario Savvbrandico. *Etiam alios Episcopos Petro succedere.* Num

peculiari

peculiari, propria, & determinata successione in plenitudine & independentia potestatis? Num hoc affirmant auctores, quos iste, vt meridianam lucem inumbret, producit? Nam quòd omnes Episcopos Apostolis, atque adeo Petro succedere dicunt, id non nisi de generali quadam successionis ratione intelligendum est, non de speciali; vt per se patet, neque enim Episcopi ea potestate valent, qua valuerunt Apostoli.

Obiicit Sutliuius: *Si Antiochenus Episcopus esset quoque Petri successor; tum Pontifex Romanus non esset Petri successor in solidum; quia hæreditas, quæ ad plures deriuatur, non vni soli cedit.* Respondeo, argumentum procederet; si Episcopus Antiochenus aliquid de plenitudine potestatis, qua Petrus præditus erat, decerpsisset, & portionem residuam Romano præsuli reliquisset. Nunc secus res habet, nam Petrus integram suam potestatem Romam secum detulit, & successori suo in Romana cathedra transcripsit: Antiocheno autem potestatem Episcopalem certis finibus circumscriptam reliquit, eamque subiunctam & subordinatam potestati summi præsulis.

Ait Sutliuius: *Episcopum Antiochenum esse primogenitum Petri successorem; primogenitorum autem iura & priuilegia solere esse maiora, quàm aliorum.* Respondeo, id non esse necessarium in primogenitis metaphoricis, quales Episcopi successores, respectu Antecessorum, quibus liberum est, vt cui volent, vel quibus à Deo iubentur, potestatem suam relinquant. Reliqua, quę Sutliuius lib. 3. de Pontifice cap. 6, contra hoc duodecimum caput euomit, nil sunt nisi conuicia, dignissima illius ore & calamo, quem Beza *petulantem calumniatorem* nominat. VVitackerus mentitur, Bellarminum dicere: *Episcopum Antiochenum non esse Petri successorem.* Non ita loquitur Bellarminus; sed non esse Petri successorem *in Pontificatu totius Ecclesiæ*, quia Petrus viuens reliquit Antiochenam Ecclesiam. Obiicit VVitackerus. *Petrum etiam, adhuc viuentem, reliquisse cathedram Romanam, suffecto sibi Lino.* Vbi probatio? Ait, *se prius probasse.* Quando? Vbi?

Occasione eius, quod Bellarminus differit de Episcopo Antiocheno, deque Petri cathedra ex Syria Romam translata, insipidissimè rursus Sibrandus fabulari incipit de aduentu Petri Romam; deque opinione Onuphrij de sede Antiochena, & num Petrus Romę fuerit mortuus. Quæ omnia nil aliud sunt, quàm confusi & indigesti huius Caluinistæ iterata nulloque penitus filo connexa somnia.

Danæus mentitur Bellarminum hoc argumentum formare. *Petrus est mortuus Romæ: ergo Romanus Pontifex est solus successor Petri.* Simili vanitate affingit Sawbrandus eidem Bellarmino hanc consequentiam. *Romanus Pontifex succedit Petro in vrbe Roma morienti, ergo succedit ei in tota ipsius dignitate & potestate.* Antecedens non ita nudè & præcisè proponit Bellarminus, vt per se cuiuis intelligenti notum esse potest. Eiusdem farinæ sunt & hæc duo Sibrandica plasmata: *Qui succedit Petro, ille succedit ei in Apostolatu; sed Papa. ergo.* Nihil Bellarminus de successione in Apostolatu; non ignarus haud defore, quod in hac successione hæretici cauillentur; sed tota disputatio est de successione in Episcopatu; vt exceptiunculis & cauillatiunculis præcludatur via. Neque iste syllogismus est Bellarminianus, sed Sibrandicus. *Qui, Domino iubente, Romam venit, ille sedem suam Romæ fixit: Sed Petrus Domino iubente Romam venit: ergo sedem suam Romæ fixit. Maior est inepta.* inquit Sibrandus; credo, quia ab inepto fabro, hoc est, à Sawbrando prodiit.

Ait Bellarminus, non esse improbabile; Dominum apertè iussisse, vt Petrus Romæ sedem figeret. Occlamat Sibrandus: *Hoc implicat contradictionem: Ante enim negauit ex institutione Christi Petrum Romæ sedem fixisse. At si Christus hoc apertè iussit, tum est ex Christi institutione.* Si hoc Bellarminus, tanquam omnino certum & exploratum affirmaret, haud rectè postea alterum subiiceret. At quia neutrum est planè perspicuum, potest secundum absque vlla repugnantia vel antilogia cum priore asseuerari, tanquam non improbabile cum probabili, vel probabiliore. Et quicunque hoc reprehendit, is planum facit, se vel sycophantam, vel in huiusmodi rerum abditarum discussionibus planè hospitem esse.

Dicit Bellarminus. Quamuis *fortè* non sit de iure diuino, Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, Petro succedere in præfecturam totius Ecclesiæ; tamen si quis absolutè petat, an iure diuino Romanus Pontifex pastor sit & caput totius Ecclesiæ, omnino esse id asserendum. Sibrandus: *Huius fundamenti duæ sunt propositiones. Vna, Papa Romanus iure diuino non succedit Petro in Pontificatu & Monarchia totius Ecclesiæ.* Hæc propositio ita concepta non est Bellarmini; quia omittitur particula Fortè, quæ propositionem modificat & restringit. Omittitur insuper illud: *Quia Pontifex Romanus est.* Vel, *Qua Pontifex Romanus est.* Et quare tam hoc, quàm illud omittitur, nisi quia Sibrandus lectoribus suis illudere gestit? Nego itaque prædictam propositionem esse Bellarmini, vel ex Bellarmini fundamento deduci posse.

Subiungit Sibrandus: *Altera propositio est: Papa Romanus.* (Non ita Bellarminus; sed, *Pontifex Romanus*) *iure diuino est caput & Monarcha totius Ecclesiæ. Prior,* inquit Sibrandus, *contradicit primo fundamento:* quod erat; *non esse improbabile, Dominum apertè iussisse, vt Petrus Romæ sedem Episcopalem figeret.* Contradicit, sed intra latitudinem probabilitatis; quæ contradictio non excludit ab intellectu assensum vtriusque partis. Nam assentiri possum huic: *Probabile est Deum apertè iussisse, vt Petrus Romæ sedem figeret. atque adeo Episcopum Romanum, quia & qua talis, diuino iure esse successorem sancti Petri.* Nihilominus hoc assensu non obstante, assen-

sum præbere queo etiam huic: *Probabile est Christum non iussisse, vt Petrus Romæ sedem figeret, atque adeo Episcopum Romanum, quia & qua talis, non esse, iure diuino successorem sancti Petri*: nam licet prior sit affirmatiua; posterior, negatiua; in ratione tamen probabilitatis sibi mutuò non contradicunt; sed conspirant; hinc & absque contradictione vtrique assensum & patrocinium præstare possum: nec propterea aliquis secum pugnat, quando duas huius generis propositiones problematicè, vel sub ratione probabilitatis tuetur. An tu, Caluinista, omnia problemata ex eruditorum scholis tolles: & quam primum audies, aliquem vtramque partem propter probabiles rationes amplecti, antilogias & dimicationem contra seipsum intonabis?

Posterior propositio, inquit Sibrandus, *pugnat cum priore: dicit enim in priore; Papam, qua talem* (mentiris, non ita loquitur Bellarminus, sed hoc modo: Tametsi Fortè, non sit de iure diuino, Romanum Pontificem, quia Pontifex Romanus est, Petro succedere in præfecturam totius orbis) *iure diuino non succedere Petro in Monarchia totius Ecclesiæ*. In altera verò dicit; *Papam, qua talem*, (mentiris, non ita loquitur; sed, *Pontificem Romanum*, absque vlla reduplicatione) *iure diuino esse Monarcham totius Ecclesiæ*. Hanc posteriorem prout à Bellarmino, non vt ab impostore, Sibrandico, proponitur, pugnare cum priore imperitum est mendacium: nam vt Pontifex Romanus iure diuino sit caput totius Ecclesiæ, satis est ipsam successionem esse iuris diuini, etiamsi *fortè* Iuris diuini non sit, Romanum Pontificem, qua Romanus est, esse totius Ecclesiæ caput. Quocirca tota verbositas, qua sic Caluinista diffluit, si quem hominum tangit, non Bellarminum, sed Sibrandum tangit.

Ex tertia obseruatione Bellarmini duas itidem propositiones nobis Sibrandus proponit. Prima est: *Papa, qua talis, non succedit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ*. Hic iterum Caluinista *bouinatur*, vt prisce dicam. Nam Bellarminus non ita laxè, sed presse loquitur. Licet Fortè non sit de Iure diuino Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro succedere. Vbi cernis denuo omissum illud *Fortè*. Simili prorsus fraude supprimit istud FORTE Danæus. Quod Bellarminus adhibuit; quia non ignorat, doctissimos & celeberrimos Theologos absolutè sentire, Pontificem Romanum, quatenus est Pontifex Romanus, etiam vt sic, succedere Petro in vniuersali totius Ecclesiæ Episcopatu; & ita nominatim cum Cano, Driedone & Turrecremata docet noster Gregorius de Valentia libro septimo Analyseos capite 12. quorum sententia mihi itidem absque vlla exceptione simpliciter placet.

Aliena propositio est, inquit Sawbrandus, *Papam qua talem*, (Iterum mutat terminos; dicendum: Romanum Pontificem, vt Romanum) *succedere Petro in Monarchia totius Ecclesiæ, ad fidem Catholicam pertinere, licet fortè non sit de iure diuino*. Hic inanissimo verborum tinnitu explanare incipit, quid sit *Ius*, quid *fides Catholica*, idque tam peritè vt Vlpiani discipulum in Iure, & Aquinatis in Theologia credere possis, si credere fas est. At finamus istum fabulari ad fastidium vsque: quid enim aliud ageret Caluinianus fabulator? Bellarminus rectè ostendit, aliud esse aliquid esse de fide, & aliud; esse de iure diuino; nam Paulum Apostolum habere penulam: & Tobiam, canem; non fuit de iure diuino, & tamen fide Catholica credendum est. Sic & in Pontificis Romani qua talis successione, res se haberet, quamuis de iure diuino non esset, Pontificem Romanum formaliter, vt Romanus est, Petro in regimine vniuersalis Ecclesiæ succedere.

Vociferatur Danæus, Bellarminum *fidem historicam imperitissimè confundere cum vera fide*. Miseros illos, qui cum Danæo in Caluini schola, non sunt facti vt bilingues; ita & *bifidi* vel *bifideles*: Nos, Danæe, cum priscæ fidei hominibus vnam fidem Catholicam agnoscimus & profitemur, qua firmiter credimus quæcunque in bibliis continentur, maxima æquè ac minima; & minima æquè ac maxima.

Sibrandus occinit: *Non contineri in scriptura Romanum Pontificem, quà talem, succedere Petro; non ergò pertinere ad fidem Catholicam*. Quàm securè obiicit, quod Bellarminus disertè refellit: An non legisti ista apud Bellarminum? Etsi hoc non habeatur expresse in Scripturis; haberi tamen in Scripturis, aliquem succedere Petro. Hunc autem esse Romanum Pontificem, constare ex traditione seu verbo non scripto, & ex Conciliorum Patrumque declaratione; ac proinde Catholica fide credendum esse.

Simili prorsus fraude tractat VVitackerus tertiam Bellarmini obseruationem. Sic enim illam proponit: *Tertia obseruatio est, Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro succedere, non est de iure diuino, sed de fide tamen est, &c.* Bellarminus ita loquitur: Licet FORTE, non sit de iure diuino, &c. Cur tu præterfilis istud FORTE, nisi quia cum Sutliuio, Savvbrando, & Danæo eiusdem es speciei? Quæris: *Si non succedit Romanus Pontifex, qua Romanus, Petro ex iure diuino, quo igitur iure succedit?* Respondent Auctores, qui hanc sententiam sequuntur, *iure Ecclesiastico*. Accingere contrà, si quid spiculorum tua in pharetra reliquum habes. Quæ non dico, quòd hanc sententiam amplectar; sicut nec Bellarminus absolutè amplectitur; propterea addidit voculam FORTE: Sed vt ostendam; non deesse auctoribus huius opinionis, quo laqueos VVitackeri euadant. Vide Gregorium de Valentia lib. 7. Analyseos cap. 12.

Postre-

Postrema Bellarmini obseruatio est, Romanum Episcopatum & Ecclesiæ vniuersæ præfecturam non esse duas sedes, neque duos Episcopatus, nisi in potentia: quod pluribus deinceps exponit. Sibrandus. *Hoc fundamentum non tantum falsum, sed etiam monstrosum est.* Et addit; Bellarminum esse relegandum ad *postpredicamenta Aristotelis, vt dicunt, commune & proprium non posse actu idem esse.* Vbi in *postpredicamentis* agatur de proprio & communi, equidem nescio. Nam caput primum est de *oppositis*. Alterum *de priori*. Tertium, de *simul*. Quartum, *de motu*. Quintum & vltimum *de Habere*. De communi & proprio nihil inuenio. Forsan Sibrandus non citat Aristotelica *postpredicamenta*, sed Caluinistica, quæ mihi ignota esse fateor.

Absurdum accidit Sibrando istud: *Episcopatus Romanus, hoc est, vnius vrbis Episcopatus proprius, & præfectura totius Ecclesiæ, hoc est, Episcopatus toti orbi communis, sunt actu vnus Episcopatus.* Si absurdum hoc est, tibi culpam adscribe, quia tu huius absurditatis pater es. Neque enim dixit Bellarminus, Episcopatum Romanæ Ecclesiæ, esse communem toti orbi; quia extra Episcopatum Romanum, non est Episcopatus Romanus; sed Bononiensis, Mediolanensis, Moguntinus, Augustanus, Aichstadianus, alij. Sed hoc dicit Bellarminus, Romano Episcopatui præfecturam & iurisdictionem in totum orbem annexum esse; atque adeo eum Episcopatum, qui est proprius Romanæ diœceseos, porrigere sese extra suos terminos in totum terrarum orbem, & ad vniuersos simpliciter fideles, potestate quadam præeminentiæ. Qua in re, quid, quæso, repugnantiæ? Somniat etiam VVitackerus hic ἀναπόκρισις, sed VVitackerianas, hoc est, ex febrilibus phantasmatis conflatas.

Nota autem fraudulentam Danæi imperitiam; qui ex quatuor obseruationibus, quas Bellarminus adducit, vt hæc quæstio de Romano Pontifice, Petri successore, dilucidior euadat, cõsequentias ineptissimas fabricat, easque Bellarmino sycophanticè affingit. Exempli gratia. Bellarminus dicit; Ex traditione Apostolica, ex testificatione Conciliorum generalium, Pontificum & Patrum constare. Pontificem Romanum, etiam qua talem, esse successorem Petri; ac proinde hoc fide Catholica credendum esse: Mox Danæus aduolat, & Bellarminum hoc modo argumentari mentitur. *Generalia Concilia, & Patrum consensus ostendunt, Romanum Pontificem Petro successisse in primatu; ergo verum est.* Istud argumentum non format Bellarminus hoc loco; vt nec alia, quæ inuerecunde hîc Danæus commiscitur; qui suorum symmystarũ ritu, miserabiliter discerpit & lancinat, quæ Bellarminus aptissimo ordine ingeniosissimè connexuerat.

His peractis aggreditur Bellarminus ad solutiones argumentorum, quæ contra successionem Romani Pontificis in primatu Petri obiiciunt sectarij, & ante hos Nilus Thessalonicensis Episcopus, schismaticus. Ex his obiectionibus, & aliis, quas infrà Bellarminus refutat, consarcinauit Sutliuius verbosissima aliquot capita, quibus ita sese iactat & effert, quasi nemo ante illum has obiectiones in medium attulerit, cum omnes partim ex Bellarmino, partim ex Magistris suis Caluinianis sublegerit, si fatetur; furatus autem fuerit, si diffitetur.

Igitur libro tertio de Pontifice cap. 1. arripit Sutliuius argumentum, quod apud Bellarminum hîc secundum locum obtinet, probatque, Papam non succedere Petro, *quia Papa non est Apostolus; ergo non successit Petro in Apostolica potestate.* Respondet Bellarminus, tria esse in Apostolatu, primò, vt qui Apostolus est, sit immediatus verbi Ministet, ita vt ab ipso Deo doctus sit, & sacros libros scribere possit; Et hoc fatemur non conuenire in Romanum Pontificem. *At si hoc ita sit;* Occlamat Sutliuius, *tum fateatur Pontificem Romanum in Apostolico munere Petro non succedere, necesse est.* An non palam fatetur Bellarminus, Pontificem Romanum, quoad hanc Apostolici muneris prærogatiuam & excellentiam, Petro non succedere?

Secundo ait Bellarminus, in Apostolatu contineri, vt qui Apostolus est, Ecclesias constituat, fidemque propaget iis in locis, vbi nunquam fuit; & in hoc Pontificem Romanum succedere Petro. Oggerit Sutliuius: *hoc etiam aliis competere.* At num independenter; vt Romano Pontifici? Num ea auctoritate, qua Romano Pontifici? Tertiò, vt qui Apostolus est, habeat summam in Ecclesias potestatem: Et hoc itidem Pontifici competere. Iunius occinit; *Nihil horum in Pontifice Romano reperiri.* Asseuerationem Iunianam audio. Vbi eius probatio?

Ait Bellarminus. Romanum Pontificem nõ debuisse creari ab Apostolis totius Ecclesiæ Pontifex, siue Apostolicus Põtifex, cum id ipse Christus fecerit. Obstrepit Sutliuius. *Hoc pugnat cum superiore responsione.* (Tuo iudicio, at curuo) *Vbi fassus est, non esse Pontificem Romanum immediatum Verbi Ministrum à Christo institutum.* Non ita præcisè loquitur Bellarminus; sed; non esse ita immediatum verbi Ministrum vt ab ipso Deo, immediatè scilicet, doctus sit, & sacros seu Canonicos libros scribere possit. Quod longè aliter tinnit, quàm id, quod Sutliuius fabulatur nam Bellarmino nunquam in mentem venit negare, summum Pontificatum à Christo institutum; & quemlibet Pontificem à Deo eligi & instituti.

Dicit Bellarminus; Ab omnibus Patribus semper sedem Petri appellatam esse Apostolicam. *Nec hoc verum est,* inquit Sutliuius. At verum esse infra plurimis testimoniis monstrabit Bellarminus. *Non aliter,* inquit Caluinista, *appellant, Apostolicam, quàm quia Petrum Romæ docuisse existimarunt, & non quia Pontifici Romano tribuebant Apostoli-*

cum officium. Imò & propter hoc, velis nolis. Nam vt successionem à Petro, tanquã à prima origine, in illa sede agnouerunt, sic eidem ius Ecclesias constituendi, ordinandi, fidem vbique liberè prædicandi, vno verbo, plenitudinem in totam Ecclesiam libentes volentesque attribuerunt; & propterea per antonomasiam sedem Petri, *Apostolicam sedem* nominarunt.

Ait Bellarminus, dignitatem Romani Pontificis vocari in Concilio Chalcedonensi Act. 1. *Apostolatum.* Et sedem eius *Apostolicam* Actione 16. Occlamat Sutliuius. *Fortè Bellarminus habet alia Acta Concilij Chalcedonensis, quàm nos.* Non habet alia; sed ea, quæ palam exstant. An in his non reperisti, quæ Bellarminus citat? Fortè nunquam quæsiuisti. Dicis *Apostolatum*, & vocabulum *Apostolicam* accipi illis locis latè & largè. At pressius & peculiari quapiam ratione, aliis non competente, sumi, docet summa existimatio de sede Apostolica, & S. Leone, qui tunc Cathedram Petri tenebat, cuius Patres Synodi Chalcedonensis non semel in illo cœtu manifesta documenta dederunt.

Vt Sutliuius animum nonnihil refocillet exspatiatur in mendacia & cõuicia aduersus quosdam Pontifices, nominatim Syluestrum II. Gregorium VI. & Gregorium VII. Sed sinamus *petulantem* Bezæ *calumniatorem calumniari*: nil dubitantes, omnia & huius & aliorum Nouatorum contra sedem Apostolicam maledicta, in benedictiones conuersum iri.

Tertia obiectio *Petrus fuit Doctor totius orbis; At Papa tantum Romanæ vrbis Episcopus appellatur.* Respondet Bellarminus, hoc esse falsum; id, omissis cæteris, apparere ex Concilio Chalced. Act. 3. vbi vocat Leo *vniuersalis Ecclesiæ Papa.* Sutliuius etiminatur; *Potestatem Papalem non esse metiendam ex orientalium assentatione; nec aliunde tantam potestatem haberi posse, quàm ex Christi mandato.* En frontem Sutliuianam. En reuerentiam in Orientales orthodoxos, eosque tanti nominis & auctoritatis? Num isti potestatem in vniuersam Ecclesiam per illam suam nomenclationem Leoni dederunt, & non potius à Christo datam honorifica illa appellatione agnouerunt & palam prædicarunt?

Obiicit Caluinista. Etiam Constantinopolitanum Patriarcham dici *Oecumenicum & vniuersalem.* Quo iure? Num assensu & comprobatione Concilij Chalcedonensis aut alterius legitimè celebrati?

Iunius acutissimè hic delirat. Ait, *nomen vniuersalis Pastoris seu Doctoris etiam aliis tribui.* Iterum quæro, num iure? Num suffragio Oecumenici Concilij? Num ea notione, qua Romano Pontifici? *Cum vniuersalis dicitur*, inquit Iunius, *aut est καθολικὸς Græcè, aut οἰκουμενικὸς. Si dicebatur καθολικὸς, fermè dicebatur respectu doctrinæ Orthodoxæ*; (non tantum respectu huius, sed & intuitu Catholicæ, hoc est, vniuersalis & quoquo versum sese porrigentis potestatis) *vt qui doctrinam καθολικὴν Ecclesiæ Catholicæ, non μερικὴν, siue particularem hæreticorum coleret.* vanissimum figmentum; Sic enim quiuis orthodoxus Episcopus suo in titulo nominari potuisset *Catholicus*, hoc est, *vniuersalis.* At huiusmodi appellatio in Ecclesia Catholica, inaudita est; signum igitur est, veteres hoc titulo *vniuersalis*, seu *Catholici*, si quando Græci hoc vocabulo vsi sunt pro *Oecumenico*; longè aliud significasse, quàm velit Iunius; qui subiungit, vocem οἰκουμενικὸς, fuisse communem omnibus Patriarchis, non respectu dominatus, sed ordinis. At nullum vnquam proferet exemplum, quo probet, vllum Patriarcham, præter Romanum, *Oecumenicum* seu *vniuersalem* appellatum esse, antequam Constantinopolitanorum ambitio in apertum prorumperet, & sibi vni omnia arroganter vendicare studeret. Nam quòd multa exempla congerit ex Nouellis Iustiniani; ex codice Iustinianeo, & ex quinta Synodo, vbi Patriarchæ Constantinopolitano *Oecumenici* titulus tribuitur, parum moueor, quia iam tum fastus Constantinopolitanus cristas aduersus sedem Petri erigere cœperat, vt notum ex Historiis. Nec peritos antiquitatis fugit, Actis quintæ & sextæ Synodi multa à posterioribus Græcis schismaticis inserta; inter quæ forsan & *Oecumenici* appellatio. Multumque, vt arbitror, sudabit Iunius, donec perspicuè probet, titulum illum Epistolæ Adriani, summi Pontificis, ad Tarasium Episcopum Constantinopolitanum. *Dilecto fratri Tarasio, Oecumenico seu Generali Patriarchæ, Adrianus*, &c. Esse ab ipsa Adriani, non ab aliqua falsaria manu, vt in ipsis etiam Conciliorum Tomis annotatum esse Iunius agnoscit.

Quarta obiectio est. *Petrus Antiochiæ & Alexandriæ Episcopos ordinauit; at id Papæ Romano non permittitur.* Respondet Bellarminus; olim permissum fuisse. Probat. nam Maximus Episcopus Antiochenus ideo à Concilio Chalcedonensi receptus fuit, quia confirmatus fuerat à Leone Pontifice Romano. Occurrit Sutliuius; *aliud esse ordinare, aliud confirmare.* Dic Caluinista. Vtrum maius est; eligere Episcopum, an confirmare; & electionem, si res ita ferat, irritam facere? Certè nemo videns non videt, hoc posterius longè maius esse. Si igitur Leo habuit potestatem confirmandi Episcopum Antiochenum; isque Episcopus à Chalcedonensi Concilio receptus non fuisset, nisi electioni eius, Leonis Pontificis Romani auctoritas, robur addidisset, dilucidè profectò apparet, Leoni potestatem supremam in Episcopum Antiochenum, eiusque Ecclesiam constitisse.

Iunius clamat, *Falsum esse, quod Bellarminus asserit.* At nil aliud peto, nisi vt Concilium Chalcedonense Act. 7. legatur. Si Lector non repererit, quæ Bellarminus citat; tum Iunio credat; Bellarmino fidem abroget. Cum enim Domnus antecessor | Maximi adhuc viueret, nunquam

Maxi-

Maximus in Synodum admissus fuisset, nisi Patres Episcopatum eius à S. Leone confirmatum sciuissent; cuius confirmationis meminerunt actione illa septima S. Leonis Vicarij Paschasinus & Lucentius.

Ait Bellarminus ab Agapeto Pontifice Anthimum Constantinopolitanum depositum, & in locum eius Menam substitutum, citatque, Liberatum & Zonaram. Respondet Sutliuius, *Liberatum dicere, id factum principis auctoritate & rogatu.* Mentitur. Nihil Liberatus de auctoritate principis seu Imperatoris, quod ad Anthimi depositionem attinet. Imò, petentibus principibus, Imperatore videlicet, & Imperatrice, vt Agapetus Anthimum, in communionem reciperet, constanter renuit, *nisi se libello probaret orthodoxum, & ad suam Cathedram reuerteretur.* Quod ad Menæ substitutionem attinet, scribit Liberatus, principis *fauore* id factum: nam quia Imperator Menam surrogari cupiebat, voluntati eius gratificari volens Pontifex, Menam ordinauit, *consecrans eum manu sua in Basilica sanctæ Mariæ*; vt testatur Liberatus; nam ex Trapezunte Constantinopolim translatus fuerat.

Ad Zonaram respondet Sutliuius, eum dicere, *hoc factum, auctoritate Cleri Constantinopolitani.* Impudenter mentitur. Id vt videas, audi Zonaram, Interprete Lutherano VVolphio. *Nonnulli è primoribus sacerdotibus Agapeto Papæ Romano, in Imperatricis gratiam, sunt refragati, ab eadem quoq; largitionibus corrupti, quos tamen ille, qui veritatem defenderet, (hoc est Agapetus) omnes superauit. Itaq; Anthimus throno est eiectus Imperatore sanctissimum Papam & veritatem reuerito.* Impudentius adhuc agit Iunius, qui de his à Liberato vel Zonara quidquam scriptum negat. Quod euidens est induratæ frontis argumentum, nec aliter nisi vtriusque Auctoris inspectione conuellendum; tametsi verba Zonaræ à nobis recitata hanc tantam vanitatem satis superque retlarguunt.

Circa argumenta aduersariorum, quæ Bellarminus proponit & soluit; Sibrandus planè stulteſcit. Quædam enim lib. 5. de Papa cap. 3. iterum obiicit, quamuis à Bellarmino soluta. Ex solutionibus Bellarmini syllogismos & consecutiones sibi consuetas conficit tanta fatuitate, vt vix quidquam anilius excogitari posse videatur. Vt autem cominus intuearis, quàm inconsideratus & præceps sit iste Sibrandus, en tibi depositionem Anthimi à sede Constantinopolitana tribuit Pôtifici Leoni: hæc enim sunt Savvbrandi sine mente verba. *Zonaras non dicit Anthimum à Leone, sed ab Imperatore propter petitionem & constantiam Leonis damnatum esse.* Vbi non simplex, sed multiplex latet mendacium, præter transformationem *Agapeti* in *Leonem*.

CAPVT XIII.

Idem probatur ex Conciliis.

ROMANVM Pontificem S. Petro in primatu Ecclesiastico succedere, probat Bellarminus primo ex Concilij Nicæni Canone sexto, circa cuius lectionem, & explicationem quatuor refert sententias, ex quibus tres priores refellit; quartam approbat, Canon est iste. *Mos antiquus perduret in Ægypto vel Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus, horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Ait Bellarminus, idque probat ex Nicolao I. in Epist. ad Michaëlem Imp. Constantinop. Concilium Nicænum nihil statuisse circa Romanam Ecclesiam, quia potestas eius est à Deo, non ab hominibus, sed tantum ex forma Romanæ Ecclesiæ constituisse statum aliarum Ecclesiarum.

Danæus mentitur. I. *Romani Pontificis in alios Episcopos primatum manifestè euerti per Nicænum Concilium.* Vbi hæc manifesta euersio? Non in Concilio, opinor, sed in cerebro Danæano. Mentitur II. *Bellarminum pro vero Canone substituere falsum.* Ab hac calumnia liberabitur Bellarminus, si quis conferre velit Canonem, prout profertur à Bellarmino cum eo, qui in Tomis Conciliorum exstat, & cum ipso etiam Græco textu, prout hic à Iunio recitatur.

Sibrandus ex Ruffino probat aliquid circa Romanam Ecclesiam in Concilio Nicæno decretum fuisse; nempe, vt Episcopus Romanus *suburbicariarum* Ecclesiarum curam haberet. At Ruffinum in huius Canonis expositione à vero aberrasse, euidenter monstrat Bellarminus; Cur argumenta eius non refellit Sibrandus? Nec vllum verbum de Ecclesiis suburbanis, seu suburbicariis in Canone reperitur. De suo ergo eas exstruxit Ruffinus.

Sutliuius cum VVitackero mentitur I. *Bellarminum iure diuino destitutum confugere ad portum Conciliorum.* Nam iure diuino Bellarminum non destitui, superiore capite visum est.

II. Mentitur, *Synodum Nicænam non dare Romano Pontifici ampliorem potestatem, quàm cuiuis alteri Patriarchæ.*

III. Mentitur, *Romanum Pontificem decreto Concilij Nicæni penitus exclusi ab aliorum Patriarcharum diœcesibus.* Nec pro suo mendacio alios testes adfert, quàm Nilum & Balsamonem, vix meliores & fide digniores Sutliuio; & præterea Ruffinum, quem in huius Canonis expositione erasse, planissimum facit Bellarminus.

Mentitur IV. Sutliuius, Bellarminum, *in Canonis Nicæni interpretatione discordare ab omnibus, qui ante ipsum pro Pontificia causa scripserint*: eodem enim modo Canonem hunc interpretatur Turrianus lib. 3. contra Magdeburgenses cap. 3. vt alios taceam.

V. Mend. Bellarminum, *repugnante conscientia, scripsisse: hunc esse Canonis sensum; Alexandrinum Episcopum debere gubernare Ægyptum, Libyam, Pentapolim, quia Romanus Pontifex ita consueuit*, id est, quia Romanus Pontifex ante omnem Conciliorum definitionem consueuit permittere Alexandrino Episcopo regimen AEgypti, Libyæ, & Pentapoleos: siue consueuit per Alexandrinum Episcopum illas prouincias gubernare: Cur hanc Canonis explicationem non potuisset Bellarminus optimâ conscientiâ producere; cum sit verissima, & verbis Canonis conuenientissima? Iubet enim vt Patriarcha Alexandrinus, præditarum regionum curam gerat; & causſam reddit, cur id fieri debeat: ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ὁμοίως τοῦτο σύνηθες ἐστι. *Cùm hoc etiam Romano Episcopo consuetum sit*; siue consonum & consentaneum; hoc est, cum, vt ita fiat, Romanus quoque Pontifex velit.

VI. Mentitur Sutliuius *aduersarios pro suo Pontifice nihil habere ex scriptura, nihil ex patribus, nihil ex Actis Ecclesiæ.* Addit: *Nicolao Pontifici non multum fidei habendum.* Scilicet tibi habebimus fidem; Et Nicolao, tanto & tam excellenti Pontifici, fidem abrogabimus. Suspicatur Caluinista fortè alium, sub nomine Nicolai, causſam Pontificis agere voluisse. Vana est suspicio; Quis enim ad hunc vsque diem inficiatus est, Epistolam illam ad Michaëlem esse Nicolai, hoc nomine primi? De quo hic VVitackerus honorificentissimè. *Nicolaus in illa Epistola merum Antichristum agit. Imperatorem Græcum ludit inanissimis ratiunculis ad suum primatum confirmandum.*

Ait Sutliuius; *Si Patriarcha Alexandrinus à Papa gubernationem illarum prouinciarum habuisset, ridiculum fuisset, eam à Concilio petere.* Quasi verò Concilia non soleant quoq; decreta Pontificum decretis suis corroborare, & priuilegia à sede Petri collata, sua itidem auctoritate munire; si in dubium vocentur. Commoda autem occasio patribus visa est, si in Nicæno Concilio iura antiqua Alexandrino Patriarchæ, & aliis confirmarentur; vt eo efficacius ambitiosorum machinamentis obuiam iretur; præsertim, cum quidquid in hac re actum, id, præsentibus & consentientibus Apostolicæ sedis legatis, actum fuerit.

Dicit Bellarminus, in libris vulgaribus deesse initium huius Canonis, quod est tale. *Ecclesia Romana semper habuit primatum*; Citatque Concilium Chalcedonense, vbi hoc exordio à sedis Apostolicæ legato Canon ille prolatus est. Iunius ait, esse *glossema & παρέγλωσσον cuiusquam Auctoris, in exemplari Romano præfixum Canoni.* Qui fit, quòd Concilij Chalcedonensis patres hoc non aduerterunt; neque contra citationem Canonis factam à legato Apostolico exceperunt? Forsan vsque adeo docti non erant ac Iunius, vt tam accuratè nossent, quid παρέγλωσσον esset. Lectus quidem postea est idem Canon à Græcis ex alio codice; sine illo: *Quòd Ecclesia Romana semper primatum habuit*; nemo tamen citationem à legatis Apostolicæ sedis allatam, falsitatis coarguit.

Quocirca mentitur Sutliuius, cum dicit, *Concilium Chalcedonense contra Paschasini instrumenta pronunciasse, idq; certò constare.* Videatur Concilium, & certò constabit, qua fronte & mente Sutliuius isthæc asseueret, qui dicit; *Paschasinum fuisse testem domesticum, cui nemo credere teneatur.* Non Paschasinus, sed Synodus Nicæna per Paschasinum pro primatu Romani Pontificis testimonium dixit. Si Paschasino fidem abrogat Caluinista, quia domesticus Leonis, hoc est, legatus fuit; oportet, vt nulli legato vlla vnquam habeatur fides, quia semper Sutliuianam regulam obiicere licebit: *Domestico testibus non esse habendam fidem.*

Sibrandus admodũ subtiliter odoratur verba illa: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*; non pertinere ad Canonem; licet ita à Paschasino lecta fuerint. *Quia illa particula* Quòd *notat hæc verba non esse principium illius decreti*, inquit Sibrandus: *neque hoc videtur aduersarius ignorasse: nam in recitatione verborum Paschasini eam vocem reseciut.* Acuta obseruatio, cui nihil deest, nisi quòd non conuenit cum Actis Chalcedonensibus: Iussa enim vtraq; pars à iudicibus Canones proferre. *Paschasinus Vicarius sedis Apostolicæ recitauit:* TRECENTORVM DECEM ET OCTO SANCTORVM PATRVM CANON SEXTVS: *Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum; teneat autem & Ægyptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem*, &c. vbi liquido apparet; Illud: *Quod Ecclesia Romana*, &c. esse Canonis principium, quandoquidem statim subiicitur his verbis: *Canon sextus.* Nec obstat vocula *quod*; omissa à Bellarmino, quia παρέλκει & superflua est, solenni Græciæ vsu. id maximè videre licet in libello, cuius inscriptio: *Origines Constantinopolitanæ*; in quo frequentissimè, ὅτι occurrit, nec tamen ad sensum verborum pertinet.

Deinde licet verba illa essent tantum titulus Canonis, non pars; causſæ nostræ seruiret; quia inde manifestum euaderet, Canonem hunc Nicænum longè aliter intellectũ olim fuisse, quàm eum hodie sectarij intelligant, vel Ruffinus aut Balsamõ olim intellexerint. Nam si vel obscurè primatui Romani Pontificis officere visus fuisset, Paschasinus haud tam constanter hunc Canonem in illa Synodo vrsisset, & Græcanicæ ambitioni opposuisset; nec fretus hoc Canone vsq; adeo intrepidè toti illi illegitimæ Græcorum actioni reclamasset; suamque reclamationem Actis Synodalibus ad posteritatis memoriam inseri iussisset.

Reprehendit Iunius Bellarminũ, quasi ignorauerit, quid sint apud Ruffinum *suburbana* Ecclesiæ: Non enim significare illas; quæ sunt in *suburbio*, sed *quæ vbi subsunt, prout iurisdictiones Constantinus, translato Imperio, distinxerat pro suburbanitate diœceseon ad metropoles suas pertinentium*: *sic enim*

dice-

dicebat suburbanitatem Tullius Accusat. 2. in Verrem; & *bene latinè Ruffinus eum imitatus hac sua interpretatione.* Quàm bono nunc loco est Ruffinus apud Iunium. Ex qua tamen gratia paulò post excidet. Nam in notis ad caput sequens hunc Panegyricum cecinit Iunius Ruffino. *Ruffinus litterarum priscarum pestis fuit, qui nec veritate, nec fide in vertendis auctoribus vsus est, vt Hieronymus ostendit, & boni omnes norunt.* Item. *Ruffinus dente magis, quàm naso valuit; atq; haud scio, an non etiam dum alios libero dente rodere & truncare voluit, ipse nasum sibi abstulerit.* Et tamen hîc, quia aliquid ad gustum Iunij dicit, fidissimus est & planè latinus Nicæni Canonis Interpres. Deinde quacunque notione vocem, *suburbanum*, seu *suburbicarium* Ruffinus vsurpauerit; parum refert; quia in Nicæno Canone nec expressè, nec tacitè exstat, sed eam de suo addidit Ruffinus. Nec M. Tullius iuuat Iunium; Nam *suburbanitate* pro *propinquitate* vtitur. *Quemadmodum propinquis vos vestris prædiis maximè delectamini*, inquit, *sic populo Romano iucunda suburbanitas est huius prouinciæ* (Siciliæ) vbi *suburbanitas* pro *propinquitate* manifestè ponitur. Si ergo Ruffinus suburbani vocem sensu Ciceroniano vsurpauit, vt vult Iunius, dicere oportebit; Nicænam Synodum iussisse, vt Romanus Pontifex Ecclesiarum *suburbanarum*, id est, vicinarum, curam habeat. Quis verò credat, Alexandrino Patriarchæ amplissimas, plurimas & remotissimas Ecclesias, & Antiocheno totum orientem committi, Romanum autem Patriarcham, eumque præcipuum ad vicinitatis angustias coarctari?

Adhæc falsum est Constantinum diœceses Ecclesiarum distinxisse; nullum vnquam testem pro hoc suo commento Iunius proferet. Falsum item, vt iam vidimus, Ciceronem eo sensu *suburbanitatis* vocem vsurpasse, quem comminiscitur Iunius: nempe, pro ciuitate seu prouincia, quæ vrbi subest; nam hac ratione AEgyptus quoque & Africa potuisset dici *suburbana*; quia & illa & hæc vrbi suberat; & *suburbanitas* nil aliud esset, quàm subiectio; quod Ciceronis menti penitus aduersatur. Accedit; quod inauditum est; Ecclesiam; respectu metropoleos, vocari *suburbanam*. Et quæ nam erant illæ suburbanæ Ecclesiæ, quæ ad Romanam, vt ad Metropolim pertinebant, ex diuisione Constantini? Nominet illas Iunius. Vide autem & detestare extremam Sibrandi impudentiam, qui dicit, argumentum Bellarmini ex Concilio Nicæno in hunc modũ formari debere. *Papæ Romano suburbicarum Ecclesiarum cura commissa est in Nicæno Concilio. Ergo Nicæni Patres statuerunt eum debere Petro in Monarchia totius Ecclesiæ succedere.*

VVitackerus extra propositi argumenti limites verbosè de numero Canonum Nicænorum declamitat, & ex Sadeele nos docet; quid ἐνωδὴ, *quandoquidem* significet, & multa alia mysteria hucusque incognita pandit; pro quibus agat gratias, si quis eum gratias mereri existimat. Ego inanem & clamosam loquacitatem non dignor gratiis.

Secundo loco profert Bellarminus secundũ Concilium generale, cuius Patres in Epist. ad Damasum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. dicunt se conuenisse Constantinopolim ex mandato litterarum Pontificiarum per Imperatorem ad se missarum. Sutliuius hic mera crepat conuicia. *Non possum*, inquit, *non mirari, cum summam hominis impudentiam, qui tot simul mendacia dixit, tum stultitiam, qui tam multa nihil ad propositum facientia testimonia corrasit.* Laudo iterum, Beza, tuum iudicium & factum, quando Sutliuium petulantem calumniatorem & conuiciatorem esse iudicasti, & nominasti. Verè talis est; qui vociferatur; *Falsum est illas litteras ad solum Damasum esse scriptas, vt Bellarminus significat.* vbi hoc significat? Et quî significare hoc potuit, cum ex Theodoreto manifestissimum sit, hanc Epistolam ad Damasum & plures alios Episcopos missam fuisse? Ostende, obsecro, vel vnicum verbulum, quod innuat, Bellarminum dicere voluisse, hanc Epistolam ad solum Damasum fuisse scriptam.

Secundò dicit Sutliuius ex suo Savvbrando adstipulante VVitackero, *Falsum esse quòd Patres illi fateantur, se ex mandato Pontificis conuenisse.* Clamat & Iunius. *Nusquam hoc illi. Quid iuuat βαττάζειν; sed contra se conuenisse narrant mandato Imperatoris Theodosij.* Nihil est, cur horum clamores moremur; nam hæc sunt verba Epistolæ, vbi Patres se excusant, cur Romam proficisci nequeant. *Propterea quòd Constantinopoli, mandato litterarum superiore Anno à vestra reuerentia, post Concilium Aquileiense, ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsq; faciendum nos præparauimus.* An non disertè fatentur se Constantinopolim ad Concilium conuenisse vocatu Damasi? *At littera ista*, inquit Sutliuius, *non loquuntur de solo Damaso, sed & de aliis Episcopis, quibus inscripta sunt.* Certè nisi Episcopi Constantinopoli congregati rationem habuissent Damasi imperantis & ad Concilium orientales euocantis, non magni fecissent aliorum occidentalium præsulum mandatum. Potuissent enim dicere, nec immeritò, illorum non esse Concilia indicere; & Episcopos conuocare; nec se huiusmodi mandato obsequi debere, cum non magis sit penes occidentales, quàm penes orientales locum & tempus Conciliis præstituere. Nihil horum Patres illi, idque propter Damasum, penes quem sciebant ius & arbitrium celebrandi Concilia residere. Nec Theodosius aliter hanc Synodum indixit & collegit, nisi nutu & voluntate Damasi Romani Pontificis, & Patrum Concilij Romani, qui hac de re litteras ad Imperatorem dederant. Sibrandus hoc monstrum hic peperit. *Qui conuocat Synodos, ille successit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ; sed Imperator conuocat Synodos, ergo.* Quid cum vultu tam effronte incipis? Ait Bellarminus, Patres Concilij Constantinopolitani fateri,

Roma-

quæ nunc æquè eget vno generali paſtore, ac tempore Apoſtolorum, imò magis, cum latius nunc pateat; Non igitur Monarchiam Eccleſiaſticam cum Petro intermori debuiſſe: ſed manere donec ipſa Eccleſia manet.

Hanc optimam & validiſsimã maioris probationem Sibrandus his ſycophantiis, futelis & impoſturis penitus obruit; & in longè diuerſum venenatiſsimo ſuo calamo transformat: *Quidquid eſt propter Eccleſiam, hoc durat, quamdiu Eccleſia durat.* Hæc Maior vniuerſalis non eſt à Bellarmino; ſed à Sibrandico cerebro. *Sed Pontifex eſt propter Eccleſiam.* Hic agnoſco propoſitionem Bellarminianam. *Ergo Pontifex durat quamdiu Eccleſia durat.*

Huic primæ fraudulentiæ è veſtigio ſubnectit iſtam haud paulò minorem. *Pontifex durat quamdiu Eccleſia durat.* (Candidus diſputator diceret, & ſupra etiam in concluſione ex Bellarmini mente dixiſſet: *Pontificem durare debere quamdiu durat Eccleſia*; & rationem, quam reddit Bellarminus, adiunxiſſet.) *Ergo Petrus durat, quamdiu Eccleſia durat. Sed Petrus non durat in ſua perſona; ergo in ſucceſſoribus. Illi autem ſunt Papæ Romani.* Mentiris, impoſtor, Iſta non eſt Minor probationis Bellarminianæ, nec in hac prima vel alia quacunque probatione Maioris ponitur, & ſi poneretur, vitioſiſsimè poneretur. Tu cur omnia turbas, niſi quia turbo es; & turbinis inſtar, per mendaciorum & calumniarum campum volitas. Nam Papam Romanum eſſe hunc, qui Petro iure diuino ſuccedit, poſtea planum faciet Bellarminus, nunc ſufficit ei poſitæ Maioris probatio. Aequè vana eſt concluſio, quam Caluiniſta ex præmiſsis infert: *Ergo Papa ſucceſſit Petro in Monarchia totius Eccleſiæ.* Eſt quidem abſolutè concluſio vera; ſed falſiſsimum, quod eam Bellarminus immediatè deducat ex prima probatione Maioris, qua nihil aliud efficere cupit; quàm aliquem Petro in Monarchia Eccleſiaſtica ſuccedere, idque ex Iuris diuini præſcripto. At quis ille ſit, poſtea in probatione Minoris apparebit.

Mox aggreditur Sibrandus ad demolitionem ſuorum phantaſmatum, quæ nihil ad nos; quia quidquid falſitatis continent, id à Savvbrando ſuxerunt; qui ſtolidiſsimè & extra omne propoſitum hic veteres ſuos coccyſmos repetit. Pontificis ſummi, nempe Chriſti, *ſeruum non poſſe eſſe Pontificem. Petrum nunquam vocari in ſcriptura Pontificem.* Et centena talia prorſus ἄτοπα. & ab eo, quod agendum eſt, abhorrentia; tametſi non aliena à Sibrando, qui, inſtar ebrij, abſque vlla connexione, quidquid id buccam venit, vbique deblaterare conſueuit.

Sutliuius cum Chamiero clamat; non ſequi: *Petrus fuit Pontifex propter Eccleſiam, ergo iam quoque durat Pontificatus eius in ſucceſſoribus; nam & Apoſtolos inſtitutos fuiſſe propter Eccleſiam, nec tamen iam durare Apoſtolos.* Reſpondeo, eſſe diſparem rationem: quia, vt vnus eſſet vniuerſalis paſtor, non modò A temporibus Apoſtolorum neceſſarium erat, ſed & iam, & quidem multò magis, neceſſarium eſt; vt ratio à Bellarmino allata, & aliæ itidem euincunt; at vt eſſent perpetuò in Eccleſia Apoſtoli *formaliter* cum iis prærogatiuis, quibus inſigniti fuerunt illi duodecim, quos ex cæteris ad hanc dignitatem, Chriſtus ſelegit, id neceſſarium non eſt ad Eccleſiæ præſtitutum finem; ſufficit, quòd alterius ordinis & generis miniſtri nunquam Eccleſiæ deſunt, tametſi & Apoſtolatus durat inadæquatè in Epiſcopis; in ſucceſſore autem Petri multò amplius, nempe etiam quoad poteſtatis Eccleſiaſticæ plenitudinem independentem, ſemperque vſque ad finem ſeculi ad ſucceſſores Petri pleno iure tranſituram. VVitackerus contra hanc primam probationem nihil adfert, niſi verboſiſsimam tautologiam, *Petrum non fuiſſe Monarcham Eccleſiæ.* B

Secundam probationem Maioris illius: *Aliquem iure diuino debere Petro ſuccedere*, petit Bellarminus ab vnitate Eccleſiæ, nam Eccleſia ſemper eſt vna; debet ergo ſemper habere vnum Rectorem & Principem, ſi tempore Apoſtolorum habuit vnum ſupremum Rectorem ac Principem; vt ſanè habuit.

Sibrandus iterum artem calumniandi, quam ſolam didicit, & optimè nouit, ſtrenuè hic facitat, hoc efformato mõſtro. *Quod eſt vnum, hoc debet ab vno gubernari. Eccleſia Chriſti eſt vna. Ergo Papa ſucceſſit Petro in Monarchia totius Eccleſiæ.* Quis non penitis medullis tantam deteſtetur improbitatem? Nam nec Maior eſt Bellarmini, multoque minus ineptiſsimè illata concluſio: ſed omnia ſunt Sibrandica figmenta, tam ipſe informis ſyllogiſmus, tam quidquid poſtea huius portenti deſtruendi gratia ad nauſeam vſq; nugatur. Vbi fides, vbi candor, vbi integritas apud iſtos, qui tam claro Euangelij lumine à planta pedis vſq; ad verticem ſunt colluſtrati, quibus fraudulentiores *bouinatores*, vt veteres loquebantur, vix terra tulit? C

Bellarminus ſua in ratione non loquitur de quacunq; vnitate Eccleſiæ, ſed de illa quam habuit initiò; Petro adhuc ſuperſtite: Vnitas eius tunc fuit Monarchica propter vnum Monarcham Petrum, ergo & iam Monarchica eſſe debet; neque enim decuit, vt mutaretur forma Eccleſiæ, quę eſt eius quaſi anima: ſuccedit ergo Petro aliquis, cuius reſpectu, hæc Monarchica Eccleſiaſtici regiminis forma conſeruetur. D

Sutliuius cum ſuo VVitackero obſtrepit: *Vnitatem Eccleſiæ ſumi ab vno Chriſto, vna fide, vnoque charitatis vinculo, non à rebus externis.* At velis nolis externa Eccleſiæ vnitas ſumitur quoque ab vno capite & principe: ſicut vnitas regni, ab vno Rege viuo & viſibili, & vnitas corporis ab vno capite. Cum ergo Eccleſia regnum ſit & corpus, & quidem viſibile, ſequitur eius vnitatem à viſibili quoque principe & capite rectè peti.

Danæus mentitur, Bellarminum ita argumẽtari: *Succeſſor Petri vnus eſſe debet, ergo ille eſt Romanus Pontifex.* Impudens mendacium; nam per ſecundam rationem ab vnitate Eccleſiæ, ductam, nihil aliud vult Bellarminus concludere, quàm aliquem iure diuino deberePetro ſuccedere. Itaq; quidquid poſtea Danæus contra delirat, contra ſuum deliramentum delirat.

Sutliuius oggerit: *In ſecunda Bellarmini ratione, non comparere ius diuinum.* At ſupponitur, & quidem adeo perſpicuè, vt intelligatur ab omni illo, qui non ſit prorſus bardo capite. Nam ſi iure, ſeu inſtituto diuino, Eccleſiæ regimen eſt, & erit Monarchicum, quoad mundus ſtabit, ſequitur profectò, iure & inſtituto diuino aliquem Petro in Monarchia Eccleſiaſtica ſuccedere; quia nulla B eſt Monarchia abſque Monarcha.

Chamierus diſtinguit perquam acutè formã Regiminis in *ſummam & ſubalternam.* Per ſummam, intelligere videtur ſimplicem: per ſubalternam; mixtam ſeu compoſitam. Illa mutata, dicit *mutari formam Reipublicæ:* hac mutata, negat mutari. Sed num hac ſua diſtinctione elidit argumentum Bellarmini? probauit is antea regimen primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe Monarchicum. Si hæc forma mutata eſt; mutata eſt igitur etiam vnitas Eccleſiæ, teſte ipſo Chamiero; qui fatetur ad mutationem formæ ſimplicis, ſeu, vt ipſe vocat, *ſummæ*, mutari ipſam Rempublicam. Nec verum eſt abſolutè; non mutari vnitatem Reipublicæ, ſi mutetur forma mixta, ſeu, vt Chamierus vocat, *ſubalternæ.* Nam ſi forma prius fuerit Ariſtocratica, admixta Democratia; & poſtea tranſeat in Democratiam; quamuis nonnihil cum Ariſtocratia temperatam; mutatur profectò vnitas Reipublicæ æquè, ac ſi ex ſimplici & pura Ariſtocratia tranſiiſſet in ſimplicem & puram Democratiam.

Tertiam probationem pro ſæpius nominata Maiore petit Bellarminus ex illo; *paſce oues meas*, nam hoc paſtoris officium Petro eo loco commiſſum eſt perpetuum & ordinarium, quandoquidem ipſum ouile eſt perpetuum. ergo iam quoq; iure diuino ſuccedit aliquis Petro in hoc paſtorali officio. Sibrandus ſolenni ſua conſuetudine diuertit argumentum ad hanc calumniam. *Chriſtus dixit Petro: Paſce oues meas. Ergo Papa ſucceſſit Petro in Monarchia.* Quid tandem eſt calumniari, ſi hoc non eſt?

Sutliuius cum Chamiero reſponſat; *non ſequi ex loco illo; Petro ſoli commiſſam curam ouilis Dominici.* Non dicimus ſoli hanc curam commiſſam *quomodocunque*; ſed ſoli, vt ſupremo paſtori. VVitackerus hîc iterum laxat linguæ ſuæ habenas: Quaſi de hoc loco: *Paſce oues meas*; non eſſet ſatis ſuperque diſputatum lib. 1. Quarta ratio ſumitur ex eodem loco: *Paſce oues meas, &c.* quam cæteri Hæretici intactam tranſiliunt. VVitackerus nonnihil arrodit: cupidius Chamierus, clamitans, Chriſtum alio modo Eccleſiæ prouidere potuiſſe, *quàm dando ſucceſſores Petro.* Potuit alio modo prouidere. Quis neget? At reipſa alio modo prouidiſſe, quando probabit Chamierus? Negat Eccleſiæ tam bene conſultum fuiſſe per Alexandrum VI. quàm olim per Petrum. Fumos vendit Caluiniſta. Et nebulas imperitorum oculis ſpargit: nam ſi infallibilitatem cathedræ & definitionis ſpectes, vt par eſt: æquè prouidit Deus Eccleſiæ per Alexãdrum VI. ac per Petrum: quia illud: *Et porta inferi non præualebunt aduerſus eam*; officio non moribus vllius priuatæ perſonæ à Chriſto promiſſum & præſtitum eſt.

Quinta ratio pro Maioris ſupra allatæ probatione eſt ab vnitate corporis. Sibrandus iterum calumnioſiſsimè. *Quod eſt vnum corpus, id habet* B *vnum caput. Eccleſia eſt vnum corpus: Ergo Papa ſucceſſit Petro in Monarchia totius Eccleſiæ.* Nulla me dubitatio tenet nec inter Caluiniſtas deeſſe vel defore, qui Sibrandicas impoſturas deteſtentur vel deteſtaturi ſint, adeo ſunt enormes, & ſupra omnem modum craſſæ: vix bruto, nedum homine dignæ.

Sutliuius occinit: *infirmam eſſe omnem argumentationem ex allegoriis & metaphoris.* Infirmè igitur argumentatus eſt Apoſtolus 1. Cor. 12. vbi ab vnitate corporis, cuius omnes membra ſumus, argumentatur ad vnitatem & concordiam, quæ inter membra vnius corporis eſſe debet. Infirmè argumentatus eſt, vbi à ſeminibus & id genus aliis, argumenta ducit ad perſuadendam com- C munem corporum Reſurrectionem. Infirmè argumentatus eſt Chriſtus, qui toties à rebus metaphoricis & parabolicis argumẽta texuit, quin & integras conciones inſtituit. Quis autem dixit, præter ineptos iſtos, à metaphoris ſeu ſenſu metaphorico non niſi infirmum argumentum duci? Mendacium eſt hoc aſſerere S. Thomam 1. part. quæſt. 1. art. 10. De ſenſu ſpiritali, qui quadruplex eſt id aſſeri ſolet, neque id abſolutè, ſed eum debito temperamento, vt alibi viſum.

Obiicit Sutliuius: *Eccleſiam eſſe vnum corpus myſticum, non naturale.* Quid tum? Debet ergo etiam vnum caput myſticum habere. Quodnam hoc vnum caput myſticum, niſi vnus Rector & Mo- D narcha?

Chamierus inuenit hîc horribilem contradictionem. Nam Bellarminus dicit, non poſſe inueniri caput Eccleſiæ, cui competat illud Pauli 1. Corinth. 12. *Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij*: præter Petrum. Ergo fœdè ſibi contradicit; quando mox ſubiungit: *nec debet moriente Petro corpus Eccleſia manere ſine capite; oportet igitur aliquem Petro ſuccedere*; quia eſſe vnum, & eſſe plura talia capita; haud ſimul conſiſtunt. Dic tu; *vno tempore.* Sed an non diuerſo? Tempore Pauli ſolus Petrus erat illud Eccleſiæ caput; quod pedibus dicere non poterat: *Vos mihi non eſtis neceſſarij*: at, mortuo Petro, aliud ſucceſſit. Quid hîc antilogiæ?

Sexta Bellarmini ratio pro maioris probatione sumitur ex vsu veteris Testamenti, in quo erat successio summorum sacerdotum. Accurrit Sibrandus cum hoc syllogismo: *Quod fit in figura, hoc etiam fieri debet in eo, cuius figura est. Sed sacerdotium veteris Testamenti fuit figura sacerdotij noui Testamenti. Ergo, quod factum est in sacerdotio veteris Testamenti; hoc etiam fieri debet in sacerdotio noui Testamenti.* Atq; hinc deduxit: *Quod factum est in sacerdotio veteris Testamenti, hoc etiam fieri debet in sacerdotio noui Testamenti. Sed, in sacerdotio veteris Testamenti erat successio summorum Pontificum. Ergo etiam in sacerdotio noui Testamenti debet esse successio summorum Pontificum; hoc est, Papa successit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ.* Respondeo, inquit Caluinista, *Maiorem prioris syllogismi esse falsam.* Tua culpa falsa est; non Bellarmini. Nunquam enim asseruit Bellarminus, quod in figura factum est; idem numero debere etiam fieri in eo, cuius figura est; sufficit, vt fiat idem specie, vel aliquid eius simile. Ruunt itaq; præcipiti casu, quidquid hic contra Maiorem illam suam Sibrandus loquacissimè despuit.

Alter syllogismus, quoad postremam suam caudam, Sausbrandicum, & quidem immane mendacium, non Bellarmini assertum complectitur: neque enim ex sexta ratione intulit: *Papam Romanum esse successorem Petri*; Sed aliquem debere succedere Petro, summo sacerdoti, vt figuratum figuræ eò exactius respondeat.

Sutliuius obiectat: *Non omnia in veteri Testamento fuisse figurata.* At Apostolus contra affirmat; *omnia in figura eis contigisse.* Omnia, inquam, ad politiam & Ecclesiam illam pertinentia. Cui igitur fidem habebimus? Num Paulo, an Sutliuio? *At in veteris Testamẽto erat vnum duntaxat numero templum. Nunc sunt plura templa; ergo templum illud nõ fuit Christianorum templorum typus.* Respondeo, templum illud fuisse figuram Ecclesiæ Catholicæ: Vt ergo illud vnum erat; ita & Ecclesiam Catholicam vnam fore præsignificabat. Deinde falsum est vnum reipsa non posse esse figuram plurium, vel vice versa, plura non posse esse typum vnius; nam omnia sacrificia veteris Testamenti, quæ complura erant, typum gerebant vnici illius sacrificij in cruce peragendi. Et vnus transitus populi Israëlitici per mare rubrum, & vna Arca Noë, & vnum sacrificium Melchisedecis, typus fuit baptismi & sacrificij sæpius in Ecclesia repetendi. Quid mirum ergo, si & vnum templum priscæ legis, repræsentauit plura Christianorum templa, præsertim cum eas repræsentauerit, non vt plura, sed vt habitudine & relatione vnum, quatenus omnia ad vnum sacrificium, & ad vnius veri Dei cultum destinata sunt?

Mentitur deinde Sutliuius: *Romanos Pontifices se facere successores Christi.* Mendacium: Christo non succeditur; quia manet sacerdos in æternum, & perpetuum habet sacerdotium. Sed, *successores Petri* sese profitentur. Petro enim succeditur, quia Petrus, quoad personam suam, non habet perpetuum sacerdotium, sed in successoribus suis est & manet sacerdos in æternum.

His aceruatim subiungit Sutliuius mendacia non sine thrasonismis. Vt I. *Se omnes copias, quas Bellarminus pro Monarchia Petri attulit*, iam pridem *fudisse, dissipasse, deleuisse.* Quàm inuictus miles Sutliuius. Cur non omnium Britannorum expeditionibus interest? *Funderet, dissiparet, deleret*, quidquid hostium obuiam se ferret. II. Mendacium, Bellarminum *nec legem vllam, aut verbum vnum ex scripturis, quod pro Pontifice faciat, proferre potuisse.* III. Mendacium. *Nec vllam rationem, quæ in scripturis fundamentum haberet.* Lectori iudiciu m in his defero, vt & in iis, quæ proximè subiicit Sutliuius; ex quibus luculenter apparet, quàm verè Beza Sutliuium; Caluinianus Caluinianum; *petulantem calumniatorem & conuiciatorem appellauerit.* Cæterum de argumento Typico Bellarmini à veteri sacerdotio ad nouum ita Iunius blaterat, vt non immeritò insipientiæ typus formalis videri queat. Etiam VVitackerus denarrat nobis multas differentias inter sacerdotes legis antiquæ & nouæ. Et post prolixam & fastidij plenam polylogiam; dicit; summum Pontificem fuisse typum Christi; non Petri; aut si & Petri, non magis huius, quàm Ioannis, Iacobi, &c. Et hæc omnia non probat; sed pro auctoritate ex cathedra regia pronunciat. Nec sanius quidquam adducit Chamierus.

Postquam probauit Bellarminus Maiorem suam, nempe iure diuino in Ecclesiastica Monarchia aliquem debere succedere Petro; ad Minorem probandam se conuertit; quæ est; *Sed ù, qui Petro succedit, alius non est, quàm Romanus Pontifex.* Primum argumentum sumit Bellarminus ex consensu totius orbis: quia nullus vnquam Episcopus exstitit, qui Petri successor habitus fuerit præter Romanum & Antiochenum. At hic non successit in Pontificatu totius Ecclesiæ; vt ostendit Bellarminus.

Sawbrandus clamat, hoc argumentum adeo esse futile, *vt syllogisticè colligi nequeat.* A te, fateor, qui nil nisi mendacia & conuicia colligere didicisti, non syllogisticè: sed prorsus asyllogisticè; ita vt nec pes, nec caput, nec principium, nec medium, nec finis collectionis cohæreat.

Sutliuius calumniatur, *tot esse huius argumenti peccata, vt nulla Pontificis Romani indulgentia ei medendo sufficiat.* Iterum te, Beza, laudare cogor. Probè iudicasti, quando Sutliuium *petulantem calumniatorem* nominasti. Ait: *Ius nullum diuinum proferri, quo Romanus Pontifex declaretur successor Petri in Monarchia.* Idem criminatur Sibrandus. An non ius diuinum illud: *Pasce oues meas?* An non ius diuinum? *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Quæ ad successores Petri æquè ac ad ipsum Petrum pertinere, Bellarminus inuictè monstrat, vt alia huius sententiæ firmamenta silens præteream.

Obiicit Sutliuius ex suo promptuario Sawbrandico. *Etiam alios Episcopos Petro succedere.* Num

peculiari

peculiari, propria, & determinata succesſione in plenitudine & independentia poteſtatis? Num hoc affirmant auctores, quos iſte, vt meridianam lucem inumbret, producit? Nam quòd omnes Epiſcopos Apoſtolis, atque adeo Petro ſuccedere dicunt, id non niſi de generali quadam ſucceſſionis ratione intelligendum eſt, non de ſpeciali; vt per ſe patet, neque enim Epiſcopi ea poteſtate valent, qua valuerunt Apoſtoli.

Obiicit Sutliuius: *Si Antiochenus Epiſcopus eſſet quoque Petri ſucceſſor; tum Pontifex Romanus non eſſet Petri ſucceſſor in ſolidum; quia hæreditas, quæ ad plures deriuatur, non vni ſoli cedit.* Reſpondeo, argumentum procederet; ſi Epiſcopus Antiochenus aliquid de plenitudine poteſtatis, qua Petrus præditus erat, decerpſiſſet, & portionem reſiduam Romano præſuli reliquiſſet. Nunc ſecus res habet, nam Petrus integram ſuam poteſtatem Romam ſecum detulit, & ſucceſſori ſuo in Romana cathedra tranſcripſit: Antiocheno autem poteſtatem Epiſcopalem certis finibus circumſcriptam reliquit, eamque ſubiunctam & ſubordinatam poteſtati ſummi præſulis.

Ait Sutliuius: *Epiſcopum Antiochenum eſſe primogenitum Petri ſucceſſorem; primogenitorum autem iura & priuilegia ſolere eſſe maiora, quam aliorum.* Reſpondeo, id non eſſe neceſſarium in primogenitis metaphoricis, quales Epiſcopi ſucceſſores, reſpectu Anteceſſorum, quibus liberum eſt, vt cui volent, vel quibus à Deo inbentur, poteſtatem ſuam relinquant. Reliqua, quę Sutliuius lib. 3. de Pontifice cap. 6, contra hoc duodecimum caput euomit, nil ſunt niſi conuicia, digniſsima illius ore & calamo, quem Beza *petulantem calumniatorem* nominat. VVitackerus mentitur, Bellarminum dicere: *Epiſcopum Antiochenum non eſſe Petri ſucceſſorem.* Non ita loquitur Bellarminus; ſed non eſſe Petri ſucceſſorem *in Pontificatu totius Eccleſiæ*, quia Petrus viuens reliquit Antiochenam Eccleſiam. Obiicit VVitackerus. *Petrum etiam, adhuc viuentem, reliquiſſe cathedram Romanam, ſuffecto ſibi Lino.* Vbi probatio? Ait, *ſe prius probaſſe.* Quando? Vbi?

Occaſione eius, quod Bellarminus differit de Epiſcopo Antiocheno, deque Petri cathedra ex Syria Romam tranſlata, inſipidiſsimè rurſus Sibrandus fabulari incipit de aduentu Petri Romam; deque opinione Onuphrij de ſede Antiochena, & num Petrus Romę fuerit mortuus. Quæ omnia nil aliud ſunt, quàm confuſi & indigeſti huius Caluiniſtæ iterata nulloque penitus filo connexa ſomnia.

Danæus mentitur Bellarminum hoc argumentum formare. *Petrus eſt mortuus Romæ: ergo Romanus Pontifex eſt ſolus ſucceſſor Petri.* Simili vanitate affingit Sawbrandus eidem Bellarmino hanc conſequentiam. *Romanus Pontifex ſuccedit Petro in vrbe Roma morienti, ergo ſuccedit ei in tota ipſius dignitate & poteſtate.* Antecedens non ita nudè & præcisè proponit Bellarminus, vt per ſe cuiuis intelligenti notum eſſe poteſt. Eiuſdem farinæ ſunt & hæc duo Sibrandica plaſmata: *Qui ſuccedit Petro, ille ſuccedit ei in Apoſtolatu; ſed Papa. ergo.* Nihil Bellarminus de ſucceſſione in Apoſtolatu; non ignarus haud defore, quod in hac ſucceſſione hæretici cauillentur; ſed tota diſputatio eſt de ſucceſſione in Epiſcopatu; vt exceptiunculis & cauillatiunculis præcludatur via. Neque iſte ſyllogiſmus eſt Bellarminianus, ſed Sibrandicus. *Qui, Domino iubente, Romam venit, ille ſedem ſuam Romæ fixit: Sed Petrus Domino iubente Romam venit: ergo ſedem ſuam Romæ fixit. Maior eſt inepta,* inquit Sibrandus; credo, quia ab inepto fabro, hoc eſt, à Sawbrando prodiit.

Ait Bellarminus, non eſſe improbabile; Dominum apertè iuſsiſſe, vt Petrus Romæ ſedem figeret. Occlamat Sibrandus: *Hoc implicat contradictionem: Ante enim negauit ex inſtitutione Chriſti Petrum Romæ ſedem fixiſſe. At ſi Chriſtus hoc apertè iuſſit, tum eſt ex Chriſti inſtitutione.* Si hoc Bellarminus, tanquam omnino certum & exploratum affirmaret, haud rectè poſtea alterum ſubiiceret. At quia neutrum eſt planè perſpicuum, poteſt ſecundum abſque vlla repugnantia vel antilogia cum priore aſſeuerari, tanquam non improbabile cum probabili, vel probabiliore. Et quicunque hoc reprehendit, is planum facit, ſe vel ſycophantam, vel in huiuſmodi rerum abditarum diſcuſsionibus planè hoſpitem eſſe.

Dicit Bellarminus. Quamuis *fortè* non ſit de iure diuino, Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex eſt, Petro ſuccedere in præfecturam totius Eccleſiæ; tamen ſi quis abſolutè petat, an iure diuino Romanus Pontifex paſtor ſit & caput totius Eccleſiæ, omnino eſſe id aſſerendum. Sibrandus: *Huius fundamenti duæ ſunt propoſitiones. Vna, Papa Romanus iure diuino non ſuccedit Petro in Pontificatu & Monarchia totius Eccleſiæ.* Hæc propoſitio ita concepta non eſt Bellarmini; quia omittitur particula Fortè, quæ propoſitionem modificat & reſtringit. Omittitur inſuper illud: *Quia Pontifex Romanus eſt.* Vel, *Qua Pontifex Romanus eſt.* Et quare tam hoc, quàm illud omittitur, niſi quia Sibrandus lectoribus ſuis illudere geſtit? Nego itaque prædictam propoſitionem eſſe Bellarmini, vel ex Bellarmini fundamento deduci poſſe.

Subiungit Sibrandus: *Altera propoſitio eſt: Papa Romanus.* (Non ita Bellarminus; ſed, *Pontifex Romanus*) *iure diuino eſt caput & Monarcha totius Eccleſiæ. Prior,* inquit Sibrandus, *contradicit primo fundamento:* quod erat; *non eſſe improbabile, Dominum apertè iuſſiſſe, vt Petrus Romæ ſedem Epiſcopalem figeret.* Contradicit, ſed intra latitudinem probabilitatis; quæ contradictio non excludit ab intellectu aſſenſum vtriuſque partis. Nam aſſentiri poſſum huic: *Probabile eſt Deum apertè iuſſiſſe, vt Petrus Romæ ſedem figeret, atque adeo Epiſcopum Romanum, quia & qua talis, diuino iure eſſe ſucceſſorem ſancti Petri.* Nihilominus hoc aſſenſu non obſtante, aſſen-

sum præbere queo etiam huic: *Probabile est Christum non iussisse, vt Petrus Romæ sedem figeret, atque ideo Episcopum Romanum, quia & qua talis, non esse, iure diuino successorem sancti Petri*: nam licet prior sit affirmatiua; posterior, negatiua; in ratione tamen probabilitatis sibi mutuò non contradicunt; sed conspirant; hinc & absque contradictione vtrique assensum & patrocinium præstare possum: nec propterea aliquis secum pugnat, quando duas huius generis propositiones problematicè, vel sub ratione probabilitatis tuetur. An tu, Caluinista, omnia problemata ex eruditorum scholis tolles: & quam primum audies, aliquem vtramque partem propter probabiles rationes amplecti, antilogias & dimicationem contra seipsum intonabis?

Posterior propositio, inquit Sibrandus, *pugnat cum priore: dicit enim in priore; Papam, qua talem* (mentiris, non ita loquitur Bellarminus, sed hoc modo: Tametsi Fortè, non sit de iure diuino, Romanum Pontificem, quia Pontifex Romanus est, Petro succedere in præfecturam totius orbis) *iure diuino non succedere Petro in Monarchia totius Ecclesiæ*. In altera verò dicit; *Papam, qua talem*, (mentiris, non ita loquitur; sed, *Pontificem Romanum*, absque vlla reduplicatione) *iure diuino esse Monarcham totius Ecclesiæ*. Hanc posteriorem prout à Bellarmino, non vt ab impostore, Sibrandico, proponitur, pugnare cum priore imperitum est mendacium: nam vt Pontifex Romanus iure diuino sit caput totius Ecclesiæ, satis est ipsam successionem esse iuris diuini, etiamsi *fortè* Iuris diuini non sit, Romanum Pontificem, qua Romanus est, esse totius Ecclesiæ caput. Quocirca tota verbositas, qua sic Caluinista diffluit, si quem hominum tangit, non Bellarminum, sed Sibrandum tangit.

Ex tertia obseruatione Bellarmini duas itidem propositiones nobis Sibrandus proponit. Prima est: *Papa, qua talis, non succedit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ*. Hic iterum Caluinista *bouinatur*, vt priscè dicam. Nam Bellarminus non ita laxè, sed presse loquitur. Licet Fortè non sit de Iure diuino Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro succedere. Vbi cernis denuo omissum illud *Fortè*. Simili prorsus fraude supprimit istud FORTE Danæus. Quod Bellarminus adhibuit; quia non ignorat, doctissimos & celeberrimos Theologos absolutè sentire, Pontificem Romanum, quatenus est Pontifex Romanus, etiam vt sic, succedere Petro in vniuersali totius Ecclesiæ Episcopatu; & ita nominatim cum Cano, Driedone & Turrecremata docet noster Gregorius de Valentia libro septimo Analyseos capite 12. quorum sententia mihi itidem absque vlla exceptione simpliciter placet.

Aliena propositio est, inquit Sawbrandus, *Papam qua talem*, (Iterum mutat terminos; dicendum: Romanum Pontificem, vt Romanum) *succedere Petro in Monarchia totius Ecclesiæ, ad fidem Catholicam pertinere, licet fortè non sit de iure diuino*. Hic inanissimo verborum tinnitu explanare incipit, quid sit *Ius*, quid *fides Catholica*, idque tam peritè vt Vlpiani discipulum in Iure, & Aquinatis in Theologia credere possis, si credere fas est. At finamus istum fabulari ad fastidium vsque: quid enim aliud ageret Caluinianus fabulator? Bellarminus rectè ostendit, aliud esse aliquid esse de fide, & aliud; esse de iure diuino; nam Paulum Apostolum habere penulam: & Tobiam, canem; non fuit de iure diuino, & tamen fide Catholica credendum est. Sic & in Pontificis Romani qua talis successione, res se haberet, quamuis de iure diuino non esset, Pontificem Romanum formaliter, vt Romanus est, Petro in regimine vniuersalis Ecclesiæ succedere.

Vociferatur Danæus, Bellarminum *fidem historicam imperitissimè confundere cum vera fide*. Miseros illos, qui cum Danæo in Caluini schola, non sunt facti vt bilingues; ita & *bifidi* vel *bifideles*: Nos, Danæe, cum priscæ fidei hominibus vnam fidem Catholicam agnoscimus & profitemur, qua firmiter credimus quæcunque in bibliis continentur, maxima æquè ac minima; & minima æquè ac maxima.

Sibrandus occinit: *Non contineri in scriptura Romanum Pontificem, quà talem, succedere Petro; non ergò pertinere ad fidem Catholicam*. Quàm secure obiicit, quod Bellarminus disertè refellit: An non legisti ista apud Bellarminum? Etsi hoc non habeatur expressè in Scripturis; haberi tamen in Scripturis, aliquem succedere Petro. Hunc autem esse Romanum Pontificem, constare ex traditione seu verbo non scripto, & ex Conciliorum Patrumque declaratione; ac proinde Catholica fide credendum esse.

Simili prorsus fraude tractat VVitackerus tertiam Bellarmini obseruationem. Sic enim illam proponit: *Tertia obseruatio est, Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro succedere, non est de iure diuino, sed de fide tamen est, &c.* Bellarminus ita loquitur: Licet FORTE, non sit de iure diuino, &c. Cur tu præterfilis istud FORTE, nisi quia cum Sutliuio, Savvbrando, & Danæo eiusdem es speciei? Quæris: *Si non succedit Romanus Pontifex, qua Romanus, Petro ex iure diuino, quo igitur iure succedit?* Respondent Auctores, qui hanc sententiam sequuntur, *iure Ecclesiastico*. Accingere contrà, si quid spiculorum tua in pharetra reliquum habes. Quæ non dico, quòd hanc sententiam amplectar; sicut nec Bellarminus absolutè amplectitur; propterea addidit voculam FORTE: Sed vt ostendam; non deesse auctoribus huius opinionis, quo laqueos VVitackeri euadant. Vide Gregorium de Valentia lib. 7. Analyseos cap. 12.

Postre-

Postrema Bellarmini obseruatio est, Romanum Episcopatum & Ecclesiæ vniuersæ præfecturam non esse duas sedes, neque duos Episcopatus, nisi in potentia: quod pluribus deinceps exponit. Sibrandus. *Hoc fundamentum non tantum falsum, sed etiam monstrosum est.* Et addit; Bellarminum esse relegandum ad *postpredicamenta Aristotelis, vt discat, commune & proprium non posse actu idem esse.* Vbi in *postpredicamentis* agatur de proprio & communi, equidem nescio. Nam caput primum est de *oppositis.* Alterum *de priori.* Tertium, de *simul.* Quartum, *de motu.* Quintum & vltimum *de Habere.* De communi & proprio nihil inuenio. Forsan Sibrandus non citat Aristotelica *postpredicamenta*, sed Caluinistica, quæ mihi ignota esse fateor.

Absurdum accidit Sibrando istud: *Episcopatus Romanus, hoc est, vnius vrbis Episcopatus proprius, & præfectura totius Ecclesiæ, hoc est, Episcopatus toti orbi communis, sunt actu vnus Episcopatus.* Si absurdum hoc est, tibi culpam adscribe, quia tu huius absurditatis pater es. Neque enim dixit Bellarminus, Episcopatum Romanæ Ecclesiæ, esse communem toti orbi; quia extra Episcopatum Romanum, non est Episcopatus Romanus; sed Bononiensis, Mediolanensis, Moguntinus, Augustanus, Aichstadianus, alij. Sed hoc dicit Bellarminus, Romano Episcopatui præfecturam & iurisdictionem in totum orbem annexum esse; atque adeo eum Episcopatum, qui est proprius Romanæ diœceseos, porrigere sese extra suos terminos in totum terrarum orbem, & ad vniuersos simpliciter fideles, potestate quadam præeminentiæ. Qua in re, quid, quæso, repugnantiæ? Somniat etiam VVitackerus hîc ἐναντίωσιν, sed VVitackerianas, hoc est, ex febrilibus phantasmatis conflatas.

Nota autem fraudulentam Danæi imperitiam; qui ex quatuôr obseruationibus, quas Bellarminus adducit, vt hæc quæstio de Romano Pontifice, Petri successore, dilucidior euadat, cõsequentias ineptissimas fabricat, easque Bellarmino sycophanticè affingit. Exempli gratia. Bellarminus dicit; Ex traditione Apostolica, ex testificatione Conciliorum generalium, Pontificum & Patrum constare, Pontificem Romanum, etiam qua talem, esse successorem Petri; ac proinde hoc fide Catholica credendum esse: Mox Danæus aduolat, & Bellarminum hoc modo argumentari mentitur. *Generalia Concilia, & Patrum consensus ostendunt, Romanum Pontificem Petro successisse in primatu; ergo verum est.* Istud argumentum non format Bellarminus hoc loco; vt nec alia, quæ inuerecunde hîc Danæus comminiscitur; qui suorum symmystarũ ritu, miserabiliter discerpit & lancinat, quæ Bellarminus aptissimo ordine ingeniosissimè connexuerat.

His peractis aggreditur Bellarminus ad solutiones argumentorum, quæ contra successionem Romani Pontificis in primatu Petri obiiciunt sectarij, & ante hos Nilus Thessalonicensis Episcopus, schismaticus. Ex his obiectionibus, & aliis, quas infrà Bellarminus refutat, consarcinauit Sutliuius verbosissimâ aliquot capita, quibus ita sese iactat & effert, quasi nemo ante illum has obiectiones in medium attulerit; cum omnes partim ex Bellarmino, partim ex Magistris suis Caluinianis sublegerit, si fatetur; furatus autem fuerit, si diffitetur.

Igitur libro tertio de Pontifice cap. 1. arripit Sutliuius argumentum, quod apud Bellarminum hîc secundum locum obtinet, probatque, Papam non succedere Petro, *quia Papa non est Apostolus; ergo non succedit Petro in Apostolica potestate.* Respondet Bellarminus, tria esse in Apostolatu, primò, vt qui Apostolus est, sit immediatus verbi Minister, ita vt ab ipso Deo doctus sit, & sacros libros scribere possit; Et hoc fatemur non conuenire in Romanum Pontificem. *At si hoc ita sit;* Occlamat Sutliuius, *tum fatentur Pontificem Romanum in Apostolico munere Petro non succedere, necesse est.* An non palam fatetur Bellarminus, Pontificem Romanum, quoad hanc Apostolici muneris prærogatiuam & excellentiam, Petro non succedere?

Secundo ait Bellarminus, in Apostolatu contineri, vt qui Apostolus est, Ecclesias constituat, fidemque propaget iis in locis, vbi nunquam fuit; & in hoc Pontificem Romanum succedere Petro. Oggerit Sutliuius: *hoc etiam aliis competere.* At num independenter; vt Romano Pontifici? Num ea auctoritate, qua Romano Pontifici? Tertiò, vt qui Apostolus est, habeat summam in Ecclesias potestatem: Et hoc itidem Pontifici competere. Iunius occinit; *Nihil horum in Pontifice Romano reperiri.* Asseuerationem Iunianam audio. Vbi eius probatio?

Ait Bellarminus. Romanum Pontificem nõ debuisse creari ab Apostolis totius Ecclesiæ Pontifex; siue Apostolicus Põtifex. cum id ipse Christus fecerit. Obstrepit Sutliuius. *Hoc pugnat cum superiore responsione.* (Tuo iudicio, at cur non) *Vbi fassus est, non esse Pontificem Romanum immediatum Verbi Ministrum à Christo institutum.* Non ita præcisè loquitur Bellarminus; sed; non esse ita immediatum verbi Ministrum vt ab ipso Deo, immediatè scilicet, doctus sit, & sacros seu Canonicos libros scribere possit. Quod longè aliter tinnit, quàm id, quod Sutliuius fabulatur mam Bellarmino nunquam in mentem venit negare, summum Pontificatum à Christo institutum; & quemlibet Pontificem à Deo eligi & instituti.

Dicit Bellarminus; Ab omnibus Patribus semper sedem Petri appellatam esse Apostolicam. *Nec hoc verum est,* inquit Sutliuius. At verum esse infra plurimis testimoniis monstrabit Bellarminus. *Non aliter,* inquit Caluinista, *appellant, Apostolicam, quàm quia Petrum Romæ docuisse existimarunt, & non quia Pontifici Romano tribuebant Apostoli-*

cum officium. Imò & propter hoc, velis nolis. Nam vt successionem à Petro, tanquã à prima origine, in illa sede agnouerunt, sic eidem ius Ecclesias constituendi, ordinandi, fidem vbique liberè prædicandi, vno verbo, plenitudinem in totam Ecclesiam libentes volentesque attribuerunt; & propterea per antonomasiam sedem Petri, *Apostolicam sedem* nominarunt.

Ait Bellarminus, dignitatem Romani Pontificis vocari in Concilio Chalcedonensi Act. 1. *Apostolatum.* Et sedem eius *Apostolicam* Actione 16. Occlamat Sutliuius. *Fortè Bellarminus habet alia Acta Concilij Chalcedonensis, quàm nos.* Non habet alia; sed ea, quæ palam exstant. An in his non reperisti, quæ Bellarminus citat? Fortè nunquam quæsiuisti. Dicis *Apostolatum*, & vocabulum *Apostolicam* accipi illis locis latè & largè. At pressius & peculiari quapiam ratione, aliis non competente, sumi, docet summa existimatio de sede Apostolica, & S. Leone, qui tunc Cathedram Petri tenebat, cuius Patres Synodi Chalcedonensis non semel in illo cœtu manifesta documenta dederunt.

Vt Sutliuius animum nonnihil refocillet exspatiatur in mendacia & cõuicia aduersus quosdam Pontifices, nominatim Syluestrum II. Gregorium VI. & Gregorium VII. Sed sinamus *petulantem* Bezæ *calumniatorem calumniari*: nil dubitantes, omnia & huius & aliorum Nouatorum contra sedem Apostolicam maledicta, in benedictiones conuersum iri.

Tertia obiectio *Petrus fuit Doctor totius orbis; At Papa tantum Romanæ vrbis Episcopus appellatur.* Respondet Bellarminus, hoc esse falsum; id, omissis cæteris, apparere ex Concilio Chalced. Act. 3. vbi vocat Leo *vniuersalis Ecclesiæ Papa.* Sutliuius criminatur; *Potestatem Papalem non esse metiendam ex orientalium assentatione; nec aliunde tantam potestatem haberi posse, quàm ex Christi mandato.* En frontem Sutliuianam. En reuerentiam in Orientales orthodoxos, eosque tanti nominis & auctoritatis? Num isti potestatem in vniuersam Ecclesiam per illam suam nomenclationem Leoni dederunt, & non potius à Christo datam honorifica illa appellatione agnouerunt & palam prædicarunt?

Obiicit Caluinista. Etiam Constantinopolitanum Patriarcham dici *Oecumenicum & vniuersalem.* Quo iure? Num assensu & comprobatione Concilij Chalcedonensis aut alterius legitimè celebrati?

Iunius acutissimè hic delirat. Ait, *nomen vniuersalis Pastorũ seu Doctorũ etiam aliis tribui.* Iterum quæro, num iure? Num suffragio Oecumenici Concilij? Num ea notione, qua Romano Pontifici? *Cum vniuersalis dicitur*, inquit Iunius, *aut est καθολικὸς Græcè, aut οἰκουμενικὸς. Si dicebatur καθολικὸς, fermè dicebatur respectu doctrinæ Orthodoxæ*; (non tantum respectu huius, sed & intuitu Catholicæ, hoc est, vniuersalis & quoquo versum sese porrigentis potestatis) *vt qui doctrinam καθολικὴν Ecclesiæ Catholicæ, non μερικὴν, siue partialem hæreticorum coleret.* vanissimum figmentum; Sic enim quiuis orthodoxus Episcopus suo in titulo nominari potuisset *Catholicus*, hoc est, *vniuersalis.* At huiusmodi appellatio in Ecclesia Catholica, inaudita est; signum igitur est, veteres hoc titulo *vniuersalis*, seu *Catholici*, si quando Græci hoc vocabulo vsi sunt pro *Oecumenico*; longè aliud significasse, quàm velit Iunius; qui subiungit, vocem *συνοικουμενικὸς*, fuisse communem omnibus Patriarchis, non respectu dominatus, sed ordinis. At nullum vnquam proferet exemplum, quo probet, vllum Patriarcham, præter Romanum, *Oecumenicum*, seu *vniuersalem* appellatum esse, antequam Constantinopolitanorum ambitio in apertum prorumperet, & sibi vni omnia arroganter vendicare studeret. Nam quòd multa exempla congerit ex Nouellis Iustiniani; ex codice Iustinianeo, & ex quinta Synodo, vbi Patriarchæ Constantinopolitano *Oecumenici* titulus tribuitur, parum moueor, quia iam tum fastus Constantinopolitanus cristas aduersus sedem Petri erigere cœperat, vt notum ex Historiis. Nec peritos antiquitatis fugit, Actis quintæ & sextæ Synodi multa à posterioribus Græcis schismaticis inserta; inter quæ forsan & *Oecumenici* appellatio. Multumque, vt arbitror, sudabit Iunius, donec perspicuè probet, titulum illum Epistolæ Adriani, summi Pontificis, ad Tarasium Episcopum Constantinopolitanum. *Dilecto fratri Tarasio, Oecumenico seu Generali Patriarchæ, Adrianus*, &c. Esse ab ipsa Adriani, non ab aliqua falsaria manu, vt in ipsis etiam Conciliorum Tomis annotatum esse Iunius agnoscit.

Quarta obiectio est. *Petrus Antiochiæ & Alexandriæ Episcopos ordinauit; at id Papæ Romano non permittitur.* Respondet Bellarminus; olim permissum fuisse. Probat. nam Maximus Episcopus Antiochenus ideo à Concilio Chalcedonensi receptus fuit, quia confirmatus fuerat à Leone Pontifice Romano. Occurrit Sutliuius; *aliud esse ordinare, aliud confirmare.* Dic Caluinista. Vtrum maius est; eligere Episcopum, an confirmare; & electionem, si res ita ferat, irritam facere? Certè nemo videns non videt, hoc posterius longè maius esse. Si igitur Leo habuit potestatem confirmandi Episcopum Antiochenum; isque Episcopus à Chalcedonensi Concilio receptus non fuisset, nisi electioni eius, Leonis Pontificis Romani auctoritas, robur addidisset, dilucidè profectò apparet, Leoni potestatem supremam in Episcopum Antiochenum, eiusque Ecclesiam constitisse.

Iunius clamat, *Falsum esse, quod Bellarminus asserit.* At nil aliud peto, nisi vt Concilium Chalcedonense Act. 7. legatur. Si Lector non repererit, quæ Bellarminus citat; tum Iunio credat; Bellarmino fidem abroget. Cum enim Domnus antecessor Maximi adhuc viueret, nunquam

Maxi-

Maximus in Synodum admissus fuisset, nisi Patres Episcopatum eius à S. Leone confirmatum sciuissent; cuius confirmationis meminerunt actione illa septima S. Leonis Vicarij Paschasinus & Lucentius.

Ait Bellarminus ab Agapeto Pontifice Anthimum Constantinopolitanum depositum, & in locum eius Menam substitutum, citatque, Liberatum & Zonaram. Respondet Sutliuius, *Liberatum dicere, id factum principis auctoritate & rogatu.* Mentitur. Nihil Liberatus de auctoritate principis seu Imperatoris, quod ad Anthimi depositionem attinet. Imò, petentibus principibus, Imperatore videlicet, & Imperatrice, vt Agapetus Anthimum, in communionem reciperet, constanter renuit, *nisi se libello probaret orthodoxum, & ad suam Cathedram reuerteretur.* Quod ad Menæ substitutionem attinet, scribit Liberatus, principis *fauore* id factum: nam quia Imperator Menam surrogari cupiebat, voluntati eius gratificari volens Pontifex, Menam ordinauit, *consecrans eum manu sua in Basilica sanctæ Mariæ*; vt testatur Liberatus; nam ex Trapezunte Constantinopolim translatus fuerat.

Ad Zonaram respondet Sutliuius, eum dicere, *hoc factum, auctoritate Cleri Constantinopolitani.* Impudenter mentitur. Id vt videas, audi Zonaram, Interprete Lutherano VVolphio. *Nonnulli è primoribus sacerdotibus Agapeto Papæ Romano, in Imperatricis gratiam, sunt refragati, ab eadem quoq; largitionibus corrupti, quos tamen ille, qui veritatem defenderet, (hoc est Agapetus) omnes superauit. Itaq; Anthimus throno est eiectus Imperatore sanctissimum Papam & veritatem reuerito.* Impudentius adhuc agit Iunius, qui de his à Liberato vel Zonara quidquam scriptum negat. Quod euidens est induratæ frontis argumentum, nec aliter nisi vtriusque Auctoris inspectione conuellendum; tametsi verba Zonaræ à nobis recitata hanc tantam vanitatem satis superque redarguunt.

Circa argumenta aduersariorum, quæ Bellarminus proponit & soluit; Sibrandus planè stulteſcit. Quædam enim lib. 5. de Papa cap. 3. iterum obiicit, quamuis à Bellarmino soluta. Ex solutionibus Bellarmini syllogismos & consecutiones sibi consuetas conficit tanta fatuitate, vt vix quidquam anilius excogitari posse videatur. Vt autem cominus intuearis, quàm inconsideratus & præceps sit iste Sibrandus, en tibi depositionem Anthimi à sede Constantinopolitana tribuit Pōtifici Leoni: hæc enim sunt Savvbrandi sine mente verba. *Zonaras non dicit Anthimum à Leone, sed ab Imperatore propter petitionem & constantiam Leonis damnatum esse.* Vbi non simplex, sed multiplex latet mendacium, præter transformationem *Agapeti* in *Leonem*.

CAPVT XIII.

Idem probatur ex Conciliis.

ROMANVM Pontificem S. Petro in primatu Ecclesiastico succedere, probat Bellarminus primo ex Concilij Nicæni Canone sexto, circa cuius lectionem, & explicationem quatuor refert sententias, ex quibus tres priores refellit; quartam approbat, Canon est iste. *Mos antiquus perduret in Ægypto vel Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus, horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Ait Bellarminus, idque probat ex Nicolao I. in Epist. ad Michaëlem Imp. Constantinop. Concilium Nicænum nihil statuisse circa Romanam Ecclesiam, quia potestas eius est à Deo, non ab hominibus, sed tantum ex forma Romanæ Ecclesiæ constituisse statum aliarum Ecclesiarum.

Danæus mentitur. I. *Romani Pontificis in alios Episcopos primatum manifestè euerti per Nicænum Concilium.* Vbi hæc manifesta euersio? Non in Concilio, opinor, sed in cerebro Danæano. Mentitur II. *Bellarminum pro vero Canone substituere falsum.* Ab hac calumnia liberabitur Bellarminus, si quis conferre velit Canonem, prout profertur à Bellarmino cum eo, qui in Tomis Conciliorum exstat, & cum ipso etiam Græco textu, prout hic à Iunio recitatur.

Sibrandus ex Ruffino probat aliquid circa Romanam Ecclesiam in Concilio Nicæno decretum fuisse; nempe, vt Episcopus Romanus *suburbicariarum* Ecclesiarum curam haberet. At Ruffinum in huius Canonis expositione à vero aberrasse, euidenter monstrat Bellarminus; Cur argumenta eius non refellit Sibrandus? Nec vllum verbum de Ecclesiis suburbanis, seu suburbicariis in Canone reperitur. De suo ergo eas exstruxit Ruffinus.

Sutliuius cum VVitackero mentitur I. *Bellarminum iure diuino destitutum confugere ad portum Conciliorum.* Nam iure diuino Bellarminum non destitui, superiore capite visum est.

II. Mentitur, *Synodum Nicænam non dare Romano Pontifici ampliorem potestatem, quàm cuiuis alteri Patriarchæ.*

III. Mentitur, *Romanum Pontificem decreto Concilij Nicæni penitus excludi ab aliorum Patriarcharum dioecesibus.* Nec pro suo mendacio alios testes adfert, quàm Nilum & Balsamonem, vix meliores & fide digniores Sutliuio; & præterea Ruffinum, quem in huius Canonis expositione errasse, planissimum facit Bellarminus.

Mentitur IV. Sutliuius, Bellarminum, *in Canonis Nicæni interpretatione discordare ab omnibus, qui ante ipsum pro Pontificis caussa scripserint*: eodem enim modo Canonem hunc interpretatur Turrianus lib. 3. contra Magdeburgenses cap. 3, vt alios taceam.

Digitized by Google

dicebat suburbanitatem Tullius Accusat. 2. in Verrem; & bene latinè Ruffinus eum imitatus hac sua interpretatione. Quàm bono nunc loco est Ruffinus apud Iunium. Ex qua tamen gratia paulò post excidet. Nam in notis ad caput sequens hunc Panegyricum cecinit Iunius Ruffino. *Ruffinus litterarum priscarum pestis fuit, qui nec veritate, nec fide in vertendis auctoribus vsus est, vt Hieronymus ostendit, & boni omnes norunt.* Item. *Ruffinus dente magis, quàm naso valuit; atq; haud scio, an non etiam dum alios libero dente rodere & truncare voluit, ipse nasum sibi abstulerit.* Et tamen hîc, quia aliquid ad gustum Iunij dicit, fidissimus est & planè latinus Nicæni Canonis Interpres. Deinde quacunque notione vocem, *suburbanum*, seu *suburbicarium* Ruffinus vsurpauerit; parum refert; quia in Nicæno Canone nec expressè, nec tacitè exstat, sed eam de suo addidit Ruffinus. Nec M. Tullius iuuat Iunium; Nam *suburbanitate* pro *propinquitate* vtitur. *Quemadmodum propinquis vos vestris prædiis maximè delectamini,* inquit, *sic populo Romano iucunda suburbanitas est huius prouinciæ* (Siciliæ) vbi *suburbanitas* pro *propinquitate* manifestè ponitur. Si ergo Ruffinus suburbani vocem sensu Ciceroniano vsurpauit, vt vult Iunius, dicere oportebit; Nicænam Synodum iussisse, vt Romanus Pontifex Ecclesiarum *suburbanarum*, id est, vicinarum, curam habeat. Quis verò credat, Alexandrino Patriarchæ amplissimas, plurimas & remotissimas Ecclesias, & Antiocheno totum orientem committi, Romanum autem Patriarcham, eumque præcipuum ad vicinitatis angustias coarctari?

Adhæc falsum est Constantinum diœceses Ecclesiarum distinxisse; nullum vnquam testem pro hoc suo commento Iunius proferet. Falsum item, vt iam vidimus. Ciceronem eo sensu *suburbanitatis* vocem vsurpasse, quem comminiscitur Iunius: nempe, pro ciuitate seu prouincia, quæ vrbi subest; nam hac ratione AEgyptus quoque & Africa potuissent dici *suburbanæ*; quia & illa & hæc vrbi suberat; & *suburbanitas* nil aliud esset, quàm subiectio; quod Ciceronis menti penitus aduersatur. Accedit; quod inauditum est; Ecclesiam; respectu metropoleos, vocari *suburbanam*. Et quæ nam erant illæ suburbanæ Ecclesiæ, quæ ad Romanam, vt ad Metropolim pertinebant, ex diuisione Constantini? Nominet illas Iunius. Vide autem & detestare extremam Sibrandi impudentiam, qui dicit, argumentum Bellarmini ex Concilio Nicæno in hunc modũ formari debere. *Papæ Romano suburbicarum Ecclesiarum cura commissa est in Nicæno Concilio. Ergo Nicæni Patres statuerunt eum debere Petro in Monarchia totius Ecclesiæ succedere.*

VVitackerus extra propositi argumenti limites verbosè de numero Canonum Nicænorum declamitat, & ex Sadeele nos docet; quid *ἐπειδὴ, quandoquidem* significet, & multa alia mysteria hucusque incognita pandit; pro quibus agat gratias, si quis eum gratias mereri existimat. Ego inanem & clamosam loquacitatem non dignor gratiis.

Secundo loco profert Bellarminus secundũ Concilium generale, cuius Patres in Epist. ad Damasum apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. dicunt se conuenisse Constantinopolim ex mandato litterarum Pontificiarum per Imperatorem ad se missarum. Sutliuius hic mera crepat conuicia. *Non possum,* inquit, *non mirari, cum summam hominis impudentiam, qui tot simul mendacia dixit, tum stultitiam, qui tam multa nihil ad propositum facientia testimonia corrasit.* Laudo iterum, Beza, tuum iudicium & factum, quando Sutliuium petulantem calumniatorem & conuiciatorem esse iudicasti, & nominasti. Verè talis est; qui vociferatur; *Falsum est illas litteras ad solum Damasum esse scriptas, vt Bellarminus significat.* vbi hoc significat? Et quî significare hoc potuit, cum ex Theodoreto manifestissimum sit, hanc Epistolam ad Damasum & plures alios Episcopos missam fuisse? Ostende, obsecro, vel vnicum verbulum, quod innuat, Bellarminum dicere voluisse, hanc Epistolam ad solum Damasum fuisse scriptam.

Secundò dicit Sutliuius ex suo Savvbrando adstipulante VVitackero, *Falsum esse quòd Patres illi fateantur, se ex mandato Pontificis conuenisse.* Clamat & Iunius. *Nusquam hoc illi. Quid iuuat βαττολογεῖν; sed contra se conuenisse narrant mandato Imperatoris Theodosij.* Nihil est, cur horum clamores moremur; nam hæc sunt verba Epistolæ, vbi Patres se excusant, cur Romam proficisci nequeant. *Propterea quòd Constantinopoli, mandato litterarum superiore Anno à vestra reuerentia, post Concilium Aquileiense, ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsq; faciendum nos præparauimus.* An non disertè fatentur se Constantinopolim ad Concilium conuenisse vocatu Damasi? *At littera ista,* inquit Sutliuius, *non loquuntur de solo Damaso, sed & de aliis Episcopis, quibus inscripta sunt.* Certè nisi Episcopi Constantinopoli congregati rationem habuissent Damasi imperantis & ad Concilium orientales euocantis, non magni fecissent aliorum occidentalium præsulum mandatum. Potuissent enim dicere, nec immeritò, illorum non esse Concilia indicere; & Episcopos conuocare; nec se huiusmodi mandato obsequi debere, cum non magis sit penes occidentales, quàm penes orientales locum & tempus Conciliis præstituere. Nihil horum Patres illi, idque propter Damasum, penes quem sciebant ius & arbitrium celebrandi Concilia residere. Nec Theodosius aliter hanc Synodum indixit & collegit, nisi nutu & voluntate Damasi Romani Pontificis, & Patrum Concilij Romani, qui hac de re litteras ad Imperatorem dederant. Sibrandus hoc monstrum hic peperit. *Qui conuocat Synodos, ille successit Petro in Monarchia totius Ecclesiæ; sed Imperator conuocat Synodos, ergo.* Quid cum vultu tam effronte incipis? Ait Bellarminus, Patres Concilij Constantinopolitani fateri,

Roma-

Romanam Eccleſiam eſſe caput; ſe autem, membra. *Falſum*, clamat Iunius, vt & VVitackerus. Sutliuius: *neq; capitis vel Eccleſiæ Romanæ mentionem facere videntur.* At faciunt implicitè; quia ſe vocant membra eius Eccleſiæ, in qua Synodus congregata erat, & ad quam Synodum ipſi quoque euocabantur; ſed hæc erat Romana Eccleſia; Romæ enim Concilium illud celebrabatur. Agnouerunt ergo ſe eſſe membra illius Eccleſiæ; &, per conſequens, illam eſſe caput; illa enim Eccleſia caput eſt, quæ membris imperat & mandata edit.

Tertium Concilium, quod profertur, eſt Epheſinum. quod apud Euagrium lib. 1. cap. 4. dicit, ſe Neſtorium deponere mandato Cœleſtini Papæ Romani. Sutliuius petulans calumniator. *Nihil Bellarminus ſine mendacio dicit.* (Tu, lector, Sutliuij nomen ſubſtitue; & abſque mora aſſentiar) *neq; enim fatentur ſe ex mandato Cœleſtini Neſtorium depoſuiſſe, nec vlla eſt mandati mentio apud Euagrium.* Similia canit VVitackerus.

Iunius mentitur, Bellarminum committere *Fallaciam diuiſionis, eò quod omittat illud quod Patres dicunt, ſe etiam ad Neſtorij depoſitionem à ſacris Canonibus compulſos eſſe.* Quid tum? An ideo negant, ſe ad id faciendum compulſos à Cœleſtino, qui ideo iuſſit Neſtoriũ de throno deturbari, quòd ſacri Canones id neceſſariò exigerent? Agnoſcit tamen Iunius Cœleſtini auctoritatem interueniſſe; *non vt mandatum & iuſſum Pontificis*, inquit, *ſed vt ſuffragantem collegæ ſententiam.* Non diſſimiliter fatuatur VVitackerus. Si à Cœleſtino non acceperant mandatum, & ſi voluntatem eius nõ ſunt interpretati, tanquam præceptum, cur dicunt, ſe *neceſſariò compulſos* eſſe ab Epiſtola Cœleſtini, vt damnationis ſententiam in Neſtorium ferrent? An non compulſio mandatum indicat? An compellere non eſt proprium eius, qui legitimè mandat? An ſuffragatio & ſententia Collegæ, præcisè, qua Collega eſt, compellit & neceſſitatem aliquid faciendi adfert? Deinde, cur ſolius Cœleſtini Collegæ ſuffragatio tantum potuit? Cur huius ſolius fit mentio? An non & alij Collegæ in eo conſeſſu erant ſpectatæ dignitatis & probitatis? Nihil de his Concilij Patres; ſed de ſolo Cœleſtino.

Idem Concilium Epheſinum in Epiſtola ad Cœleſtinum ſcribit, ſe cauſſam Ioannis Patriarchæ Alexandrini, quæ magis dubia erat, quàm Neſtorij, non fuiſſe auſum iudicare, ſed reſeruaſſe iudicio ipſius Cœleſtini. VVitackerus intonat *hoc falſum eſſe.* Sutliuius vocat *mendacium*: non abſque inſigni ſuo mendacio: *Nihil* ait *de hoc apud Euagrium exſtare.* Num pro hoc ſecundo capite citat Bellarminus Euagrium? An non expreſsè nominat Epiſtolam Concilij ad Cœleſtinum; quæ reperitur in Concilio Epheſino? An non hoc ipſum fatetur tuus in Caluini caſtris ſynſtratiota Iunius? qui tamen addit; *Iudicium de Ioanne Antiochæno à Concilio reſeruatum fuiſſe Cœleſtino, vt Collega; & vt ordine primo in Patriarcharum Collegio.* Non tantum ordine, ſed & poteſtate ac imperio primo; alioqui quid opus erat hoc iudicium Cœleſtino reſeruare; cum ſi Cœleſtinus ſolo ordine, non imperio & iuriſdictione; primus erat, ipſa Synodus tot Epiſcopis conſtans, cauſſam iſtam facile terminare potuerit?

Quartò producit Bellarminus Concilium Chalcedonenſe, in quo S. Leo vocatur paſsim *vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex.* Sutliuius cum ſuo Sibrando & VVitackero clamat; Etiam alios dici *vniuerſales Epiſcopos.* Num iurè & legitimè? Ait, *hoc Epithetum Leoni non tributum à tota Synodo, ſed ab vno vel alio leui homine.* Reſponſum hoc admodum *leuis hominis eſſe*, docebit te lectio vel inſpectio ipſius Concilij. VVitackerus fatetur Leonem fuiſſe Epiſcopum *vniuerſalis Eccleſiæ.* Ergo, velis nolis, totius mundi. Nam ſi dicerem; Regem Hiſpaniæ eſſe Dominum *vniuerſalis mundi*; an non ſignificarem eum eſſe Dominum totius mundi? Quis vnquam audiuit, Epiſcopum vnius loci, dici vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum? Sibrandus dicit; Idem eſſe *vniuerſale, quod Catholicum.* Leonem ergo dici *vniuerſalem, vel vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum, quòd Catholicus & Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus eſſet.* Sed hoc commentum iam alibi refellimus. Nam ſi hæc eſſet vocabuli illius notio; tum quilibet Epiſcopus Orthodoxus, potuiſſet dici *vniuerſalis* & *œcumenicus*; Sed hoc in Eccleſia Catholica inauditum eſt; neque vlli titulum hunc à Concilio Chalcedonenſi tributum legimus, niſi S. Leoni. Illud lepidum eſt, quod Sibrandus dicit, *Catholicum nominari, qui credit Trinitatem.* Anabaptiſtæ ergo, & plerique veterum & recentiorum ſectarij extra Arij ſcholam Catholici erunt, quia hunc articulum credunt.

Quinto profertur Synodus Conſtantinopolitana quæ Act. 4. per Menam Patriarcham ita loquitur. *Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus; & ipſius communicatores; communicatores habemus; & condemnatos ab ipſa, & nos condemnamus.* Ad quæ calumniator Sutliuius. *Si huiuſmodi argumentis Pontificatus obtineri poſſet, nullus eſt tam minutus Monachus, qui non argumentando fieret Papa.* Certè ſi calumniando quis *Papa* fieri poſſet, iam Sutliuius Papa eſſet; ſi non Romanus, attamen Anglicanus; tam egregiè callet hanc artem. Obiicit. *Hæc verba eſſe ſolius Menæ.* Solius ſunt prolatione; aſſenſu & comprobatione, omnium: nam ex totius Concilij ſenſu protulit ea Menas.

Secundò reſpondet Sutliuius cum VVitackero; nihil hinc ſequi pro Bellarmino; *Sequimur enim*, inquit, *bene monentes, & eis obedimus, etſi nullum eorum in nos imperium agnoſcamus.* Verùm quinta Synodus plus ſignificare voluit: quia dicit ſe Apoſtolicæ ſedi obedire; ergo vt ſuperiori; neq; credibile eſt, Synodum illam pro ſuperiore ſuo non agnouiſſe eam ſedem, quam vocat *Apoſtolicam*, cuius iudicium abſque vlla dilatione in

omni-

omnibus sequendum & amplectendum profitebatur.

Iunius multa garrit de facto Agapeti Anthimum deponentis, & in locum eius Menam subrogantis; cum Bellarminus hic de Agapeto nullum verbum faciat. Factum Agapeti nominat Iunius *extraordinarium & quidem ratione potestatis.* Sed omnes facti illius circumstantiæ, de quibus nonnihil capite superiore; clamant, ab Agapeto, vt ab ordinario iudice Anthimum de throno deiectum, & Menam substitutum; tametsi extraordinarium erat, vt Episcopus Romanus eo in loco nempe Constantinopoli commorans tale quid faceret; & Episcopum Constantinopolitanum suis manibus in ipsa Constantinopolitana vrbe consecraret: Et de hoc extraordinario modo loquitur Agapetus in sua Epistola, quam citat Iunius. Concilium secundum Nicænum; Lateranense & alia conuiciis incessit & sibilis explodit Sutliuius cum VVitackero, & Iunius paucis etiam hinc se expedit.

CAPVT XIV.

Fidem probatur ex testimoniis summorum Pontificum.

DVAS generales responsiones dant hæretici ad hæc summorum Pontificum testimonia. Primò, *neminem in sua causa audiri debere. Ergo nec istos Pontifices, cum de primatu suo testimonium perhibent.* De hoc inani effugio iam alibi quoque actum est; & vt ridiculum foret, si quis Imperatoris in Imperio supremam potestatem & maiestatem, ex antecessorum Imperatorum testimoniis contra aduersarios assereret; dictitare, non esse audiendos Imperatores, quòd suam causam agant; ita ridiculi sunt sectarij, vociferantes, summis Pontificibus de primatu suo testificantibus aures occludendas esse, quòd propriam causam agant; nō enim propriam causam agunt, sed publicā Ecclesiæ, dū illud testimonio suo cōfirmant, quod à Christo in Ecclesia Catholica institutum est. Itaque sicuti Doctor Theologiæ vel Iuris publicam causam, & non suam priuatā tuetur, quando dignitatem doctoralem ab obtrectatorum opprobriis vindicat; sic & Pontifices de primatu Ecclesiæ Romanæ testificantes, non sibi, sed communi causæ Dei & Ecclesiæ testimonium perhibent.

Altera Hæreticorum responsio est, Epistolas horum Pontificum, vt Clementis, Anacleti, &c. *esse suppositicias.* Vetus & iam millies audita nænia: cui pridem occurrit Turrianus in opere suo contra Magdeburgenses.

Dicit Bellarminus, Isidorum collectorē Canonum ducentis annis Carolum Magnum antegressum, meminisse Epistolarum Clementis, Anacleti, & aliorum. Iunius. *Non fuit tot annis antiquior Carolo, sed tantum X C.* Vnus labor adhuc Iunio exantlandus restat; nimirum, vt ostendat; hunc Isidorum esse eundem cum Isidoro Hispalensi Iuniore; tametsi enim non desunt, qui ita sentiant, non desunt tamen, qui contrarium sentiant: eamq; Canonum collectionem vetustiori Isidoro, quem *Mercatorem* indigitant, attribuant. Nec obstant, quòd in ea rhapsodia quædam recentiora apparent; nam à posteris adiecta credibile est; vt plerunque fieri solet in huiusce modi Farraginibus.

Ait Bellarminus, Epistolas Clementis citari in Concilio Vasensi, quod C C C. L. annis Imperium Caroli Magni antecesserit; quippe tempore Leonis Magni Pontificis celebratum. Renititur Iunius, idq; propterea solummodo, quod Theodosij Iunioris Imp. & Dioscori Consulis nomen sit adscriptum. *Non enim videri verisimile, ab Episcopis in Gallia nomen Imperatoris Orientalis & Consulis adiectum fuisse.* Hæc obiectiuncula leuior est, quàm vt antiquitatem huius Concilij labefactet, cum ignotum non sit, occidentales quoque nomina Imperatorum orientalium Actis suis inserere consueuisse. Etiam voces recentiores odoratur Iunius in illo Concilio, *quàm vt ætati Leonis Magni conuenire queant.* Nec fides abroganda Iunio, quia ipse naso valet; dissimilis in hoc Ruffino, quem ait, *dente magis, quam naso valuisse*: perfectéque nouit omnes loquendi formulas, tempore Leonis Magni vsitatas.

Illud festiuum est, quod Sutliuius duos nobis Ruffinos procudit: alterum, *cui contentio cum Hieronymo*; alterum; *qui Recognitiones Clementis & Epistolam ad Iacobum, fratrem Domini verterit.* Non opus conduplicare, ô Caluinista, sufficit vnus Ruffinus. Cui vnquam ante Sutliuium hæc geminatio vel in somno occurrit? Sibrandus solennia illa sua recinit. *Quidquid dicit Anacletus, hoc est verum. Quidquid dicit Clemens, hoc est verum,* &c. Et mox *Maiores* à se sycophanticè confictas strenuè demoliri aggreditur; mendacia mendaciis & conuicia conuiciis accumulans.

In secunda classe Pontificum, quorum testimonia Bellarminus adfert, ponit Adrianum I. Nicolaum I. & alios; quorum testimonia non aliter eludunt sectarij, quàm dicendo, eos fuisse Antichristos. Iunius. *Duriter & odiosè dictum*; si de Nouatoribus loquaris, addas; & *nequiter*, & *mendaciter*; non refragabor. Cur talia tam *dura & odiosa* non erubescitis ô Nouatores, in chartam referre? Ait Iunius: *Aliquos ex his Pontificibus aliter sensisse, quàm verba eorum præ se ferant.* Ostende vnum ex omnibus, quos Bellarminus nominauit, qui sibi & antecessoribus & successoribus in Cathedra Petri, primatum Ecclesiasticum conuenire inficiatus fuerit. *Alios*, inquit Iunius, *hac sua sententia occultè in sinu Antichristum fouisse; donec tandem apertè in lucem ederetur*; Similia ferè Sutliuius; qui hic de Antichristo garriendi ansam adeptus, furiosissimè in Romanos Pontifices de-

bacchatur. Est tane, quod stupeo Pontifices ita gratias agant, ob tam honorificam excusationem, qua purgantur ab ipso: *Non fuerunt ipsimet Antichristi; nec Antichristum ipsi genuerunt; sed solummodo fouerunt & conceperunt, vt ab aliis tandem in lucem edi posset.* Quid honorificentius his tantis Pontificibus accidere potuisset, quàm hæc Iuniana defensio?

Ex Innocentio III. conficit Sibrandus hunc syllogismum. *Qui tantò superat Imperatorem Romanorum, quantò sol superat lunam: ille est Monarcha per vniuersam Ecclesiam. Sed Papa Romanus tantò superat Imperatorem, quantò sol superat Lunam. Ergo Papa est Monarcha per vniuersam Ecclesiam.* E vestigio demolitur Sibrandus ingenti loquacitate hoc suum phantasma. *Suum*; inquam, nam Bellarminus nil aliud dicit; quam Innocentium asserere; primatum Ecclesiasticum Romano Pontifici conuenire. De rationibus, quibus id probat Innocentius, nullum verbum facit. Sed quia ratio quam Innocentius petit à sole & luna, Sibrando ad cauillationes & sycophantias nectendas perquam apposita visa est, eam arripere voluit.

In tertia classe Pontificum primum locum obtinet Iulius I. qui in Epistola ad Orientales affirmat, ad se pertinere officium diiudicandi causas Episcoporum, etiam Orientalium; & hoc ius à B. Petro se accepisse. Post Iulium sequitur Damasus, Syricius, alij. Sutliuius generatim respondet I. *Testimonia horum Pontificum aut esse corrupta, aut nil contra Caluinistas facere, aut plus obesse nobis, quàm prodesse.* In specie mentitur. Epistolam Iulij à Bellarmino citatam, esse *supposititiciam* Quomodo suppositicia, cum exstet apud S. Athanasium in Apologia secunda? An nesciebat S. Athanasius, quid pro se contra Arianos Iulius Pontifex rescripsisset? An finxit Athanasius hanc sub Iulij nomine Epistolam? Cui vnquam hoc de Athanasio suspicari in mentem venit?

Iunius fatetur, illam Epistolam esse Iulij, sed ait; *non solius Iulij nomine, sed communi Romanæ Synodi vel cismarinorum Episcoporum omnium, qui Romam conuenerant, scriptam & missam; & hoc, ipsum Iulium & Athanasium testari.* At licet Iulius, quæ de æquitate caussæ Athanasij scripsit, non scripserit ex suo duntaxat, sed ex asiorum sensu; an ideo verum non est, quod illum de primatu Romani Pontificis scripsisse Bellarminus refert?

Ad testimonia ex Epistolis Damasi, Syricij, Zosimi, Innocentij; Respondet Sutliuius, nec dissentit omnino Iunius, *Epistolas eorum nominibus insignitas, esse spurias, testari hoc stylum.* (Quid testatur stylus? Sutliuium rectè à Beza petulantem calumniatorem nominatum.) *Innocentium virum fuisse bonum & doctum; sed & virorum bonorum & doctorum nomine confingi solere Epistolas nec bonas, nec eruditas.* Bone Deus, quid saluum remanebit, quid integrum, postquam hæc cauillandi & eludendi petulantia & insana temeritas inualuit? Paulò pòst ipse etiam Cicero, de suis ad Familiares, & ad Atticum Epistolis perichitabitur. Ipse Plinius iam circumspicere debebit, ne de suarum epistolarum possessione deturbetur. Quid, quod & Leonis primi Epistolas partim *adulterinas*, partim à *falsariis corruptas* impudentissimè mentitur. Dolendum est, Sutliuium factum esse rabulam Ecclesiasticum, non forensem causidicum; nam caussa cum suis clientibus numquam cecidisset, semper paratum habuisset hoc pharmacum; leges contra se prolatas esse *partim adulterinas*, partim *variis additamentis depranatas*, & propterea dubiæ fidei. Etiam Gelasij Epistolæ *nothis* accensentur. Videtur Sutliuius esse *nothus*; nam vt arquatis omnia apparent lutea; ita fortassis huic videntur omnia *notha*, quia *nothus*. Hinc & Pelagij II. Epistola censetur *notha*: quia Sutliuio notho ita videtur.

Iunius dicit de Leone Magno. *Leporum esse Leoni mortuo insultare.* Lepus igitur Sutliuius; Lepus Sibrandus, qui S. Leoni toties insultant. Lepus & ipse Iunius, qui non semel S. Leoni leuiter & procaciter insultat, nisi forte non sit insultatio, cum hæc effutit: *Leonis fastum clamant ipsius Epistolæ, nobis tacentibus.* Item; *Leo quædam fecit vt insciens cancellorum vocationis suæ, & homo infirmus per ambitiosam πολυπραγμοσύνην, quæ Romani Pontifices occasionibus innumeris facilè abrepti sunt.*

An non *lepus* Iunius, cum mortuo Leoni insultat, quasi Pulcheriæ Augustæ, & Anatolio Patriarchæ Constantinopolitano, *os eleganter fabricauerit*, cum datis ad eos litteris Anatolio suas vices in Concilio Chalcedonensi commisit; & tamen in publicis ad Concilium de ista commissione tacuerit; *Hoc vulpes aut lupa faciat, non Leo*, inquit Iunius. Est igitur S. Leo apud Iunium *vulpes* aut *lupa*. Sed immeritissimò: quandoquidem nihil penitus fraudulenter eo in negotio egit S. Leo, vt ei Iunius mendacissimè imponit; qui præterea hæc verba S. Leonis ad Episcopos Africæ: *Causam Lupicini Episcopi illic audiri*; hoc conuicio flagellat. *Imperiosa voces, non Ecclesiastico homine dignæ, & falsa Concilij Nicæni auctoritate obuelatæ.* Illa item S. Leonis verba serm. 1. de Natali Apostolorum, Romam alloquentis: (*Minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.* Ad quæ Bellarminus; *Quid clarius?*) hoc scommate verberat Iunius. *Verè clara sunt principia tyrannidis. O quàm verè dictum est illud: λέοντα σαίνων μὴ τράφε. Leonis catulum ne nutrias.* Hæc sunt nimirum præcipua sectatiorum responsa ad testimonia Romanorum Pontificum, quæ à quouis scurra, nedum Prædicante, dari possunt: Nec meliora dat VVitackerus, sed his prorsus gemella. Nisi forsan vllius sani iudicio hoc melius censeri queat: *His Pontifices aut scripturas non intellexerunt, aut absurdè admodum interpretati sunt.*

CAPVT XV. & XVI.

His duobus capitibus probat Bellarminus Romani Pontificis primatum probatissimis Græcorum & Latinorum Patrum testimoniis. Ad quæ Prædicantes penitus nihil reponunt, præter mendacia, conuicia, fraudes, imposturas, tergiuersationes. Danæus ait I. *A patribus non posse Romano Pontifici primatum tribui.* Non tribuunt; sed à Deo tributum testantur. Testes sunt primatus, non collatores. II. Dicit, *Plerosq; ex patribus Romano Pontifici esse assentatos*; Et in horum censu ponit Hieronymum, quem ait, postea *prudentiorem factum*, cæteris Episcopis Romanum *parem* fecisse. Vbi? *In Epistola ad Nepotianum & Euagrium.* Tu lege illas Epistolas; & si paritatem hanc repereris, renuncia mihi, vt & ego eam intuear. Etiam S. Prosper *Pontificiæ assentator* est, iudicio Danæi, quem vocat Rhegiensem, id est, *Italicum Episcopum*; ineptè, cum fuerit Episcopus Rhegij in Gallia. Et Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus; quem eadem ineptia nominat Italum, cum fuerit Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, & si nationem spectes, Burgundus potius, quàm Italus, quippe natus Augustæ, quæ est ciuitas in finibus Burgundiæ versus Longobardiam, vt docet Edinerus in exordio Historiæ, quam de rebus gestis Anselmi scripsit. Hugo de S. Victore est Danæo *sententiarius*; quasi in Magistrum sententiarum commentarios scripserit. Quod cæteris Danæanis ineptiis annumera.

Sequentia autem mendaciis; I. *Bernardum Papam summè odisse; Papatum tamen probasse.* Quis huius odij testis? Quod vestigium in scriptis vel Actis Bernardi? II. *Patres malè & perperam* locum Matth. 16. *Tu es Petrus*, &c. *explicasse de persona Petri, reclamantibus viris doctis; & ipsis Pontificibus Romanis & Concilio Chalcedonensi, & ipso Bellarmino*; quę sunt omnia luculenta Danæi mendacia; luculentissimum autem istud; Bellarminum cap. 12. *aperte & sine circuitione palam testari & scribere, primatum Petri nequaquam ex iure diuino ad Romanos Pontifices pertinere & deuolui.* Bellarmini verba sunt hæc. *Tametsi* FORTE *non sit de iure diuino, Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex est, Petro succedere.* Item *licet* FORTE *non sit de iure diuino Romanum Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro succedere*, &c. Quæ longè aliter tinniunt, quàm quæ nobis Danæus apponit. Sed de hoc fusè iam actum est ad cap. 12.

Sunt & hæc mera & Battologica Danæi mendacia. *Primatum Romani Pontificis à solis hominibus ortum: à solis concessum, primum quidem à Constantinopolitanis Imperatoribus, postea à Pipino, Carolo Magno. Quis tam imperitus est historiæ prateriti temporis*, inquit Danæus, *vt hoc ignoret?* nempe Danæum mentiri. *Hoc qui nescit, neq; natare nouit, neq; literas, hoc est, omnium rerum rudis est.* Præsertim si crassissimo filo contextum mendacium, quod à Danæo mox subiicitur, non animaduertat; videlicet, ipsum Bellarminum agnoscere & fateri, *primatum Romani Pontificis non esse, nisi ab hominibus.* Quo quid à vero alienius? VVitackero est Victor Vticensis *Auctor tenuis fidei. Beda, recens est, illo recentior Anselmus*; Anselmo, Hugo; quos ne responso quidem dignatur. *Bernardus vixit ætate admodum superstitiosa, in qua Antichristus vtrumq; cornu erexerat, & fuit multis illius sæculi erroribus infectus.*

Sibrandus, veteri instituto suo, concinnat ex Patrum dictis à Bellarmino prolatis sycophanticos syllogismos, eosdemque postea eodem candore demolitur, quo eos fuerat molitus. Iam notus est Sibrandus, quid opus singulis pagellis sycophantias eius iterare & inculcare?

Iunius, Sutliuius, VVitackerus solitis effugiis vtuntur. Si quis Patrum nominet Romanam Ecclesiam *caput & principē omnium Ecclesiarum*; aiunt; *caput & principem* accipi impropriè. Si quis Romanum Pontificem nominet *primum*; Respondent; *esse primum ordine, non imperio.* Si quis dicat; Romanum Pontificem, etiam longè disitis Ecclesiis iura dedisse & mandata edidisse; Respondet Iunius, *id non factum, nisi intra fines Diœceseos Romanæ Metropolitanæ*, quæ extendebatur, si non mentitur Iunius, vsque ad fines Thracię. Si alicuius Patris testimonio propter claritatem nimium vrgeantur; tum conuiciis in Bellarminum bacchari incipiunt, præcipuè *petulans calumniator & conuiciator* Sutliuius; cuius sunt ista: *De Chrysostomo & Innocentio multa mentitur Bellarminus. Aut impudens est, aut planè delirat Bellarminus. Impudenter istud, vt reliqua omnia. Bellarminus sedet in Cathedra illusorum*; vt alios huius generis in calumniatoris huius horto natos flosculos præteream, quos non dubito ipsis etiam modestioris frontis Caluini sectatoribus displicere. Quanquam quid mirum viperam istam Sutliuianam mordere Bellarminum, cum ipsis Patribus, eorumque monumentis non parcat; si quid euidentius pro primatu Romani Pontificis asserant, quam vt offuciis suis id obnubilare queant. Hinc Epistolæ Chrysostomi ad Innocentium, quibus cōtra aduersarios suos Innocentij opem implorat, *confictæ sunt aut corruptæ.* Si opponas; nemini hoc vnquam in mentem venisse; Respondebit Sutliuius, *sibi hoc in mentem venisse; idq; sufficere: non enim videndum aut curandum, quid veteres senserint, sed quid ipse cum suis sentiat.* Mirum, Sutliuium non dixisse, quod Iunius non semel oggerit; *Chrysostomum non petisse opem ab Innocentio, vt à supremo Pastore, sed vt à collega & fratre.* At cur ab hoc? An nullos alios habebat Chrysostomus in occidente collegas & fratres? Epistolæ Chrysostomi longè aliter & aliud loquuntur; & ni aliter loquerentur, haud à Sutliuio ad Cynosarges ablegarentur.

Thomas Aquinas, inquit Sutliuius, *omnia videtur in gratiam Pontificiũ uberius dicere.* Andreas Colossensis *Pontificii auribus in Concilio Florentino inseruiuit. Theodoreti Epistolæ ad Leonem & Renatum dubiæ sunt fidei. Non sapiunt illorum temporum mores.* (verè dixisset, Non sapere mores Caluinianos & Sutliuianos.) *Habent manifestas falsitatis notas*; iudicio nimirum falsidici Sutliuij. *Acatij ad Simplicium litteræ ex falsariorum officina vnà cum multis aliis eius generis falsis instrumentis prodiisse videntur. Acatius est ignotus & ignobilis Pontificii aduocatus.* Siccine ignotus Acatius Episcopus Constantinopolitanus? Quid tibi ex Ecclesiastica memoria notum, si ignotus iste? *Episcopus* Patarensis adeo *obscuræ notæ homo est, vt nec nomen eius exstet apud aliquem auctorem.* Et tamen exstat apud Liberatum in Breuiario, qui sine dubio est aliquis Auctor. At Sutliuius non deserit se & suam caussam. *Non magnam fidem merentur Liberati narrationes, nec eis aduersarij in omnibus credunt.* Deme vnum vel alterum locum, & nihil erit, quod in illo Breuiario desideretur.

In Epistola Iustiniani ad Ioannem I I. Pontif. Rom. errauit Interpres; nam vertit; Quæ caput est omnium Ecclesiarum: cum Græca sic habeant; *ὡς κεφαλὴν οὖσαν πάντων τῶν ἁγιωτάτων τοῦ Θεοῦ ἱερέων. Quæ caput est omnium sanctissimorum Dei sacerdotum.* At res eôdem redit; nam si Pontifex Romanus est caput omnium sacerdotum, quotquot sunt per vniuersum orbem, erit etiam caput omnium Ecclesiarum; quia alterum ex altero nascitur. Adde, quòd versio hæc non est Bellarmini; sed antiqua, & cum Codice Iustinianeo nato nata. Exstat enim lib. 1. Codicis. Rei suæ melius consuluisset Sutliuius, si solenni illo suo fuisset vsus; *Epistolas Ioannis ad Iustinianum, & huius ad illum, esse commentitias.* Certè Hotomannum hac in re ducem habuisset. Sed contra hunc & similes *negatores* iam pridem Epistolarum illarum auctoritas à viris doctis asserta est: nominatim ab Andrea Fachinæo, clarissimo Iurisconsulto in Controuersiis Iuridicis.

Vitio Typographi excusum est hic in nonnullis editionibus: Hieronymus in Epistolas *ad Agenchiam*, pro, *ad Ageruchiam*. Vbi Sutliuius. *Hieronymus Epistolam ad Agenchiam nullam scripsit de Monogamia: malè ergo Bellarminus locum signauit.* Bene signauit. Sed typographus malè excudit. Qualis cauillandi prurigo ex librarij erratulo insectandi occasionem capere? *Beda historia in falsarios incidisse videtur*: Fateor, in falsarios incidit, quoties in Caluinianos incidit. *Beda vixit eo tempore, quando Episcopi Romani, Imperatorum ignauiâ, magnam supra omnes auctoritatem adepti sunt. Falsum est, quod Bedæ nomine scribitur, Gregorium in toto orbe gessisse Pontificatum; negat enim multis in locis Gregorius se vniuersalem esse totius Ecclesiæ Episcopum.* Prius illud, quod Beda asserit, verum est: Posterius hoc, quod Caluinista affirmat; mendacium Sutliuianum est. *Anselmus vixit in medio Ægypti tenebrio.* At Sutliuius in Euangelico lumine, quod ex caminis Geneuensibus effulsit & refulsit, & omnes vespertiliones & noctuas mirificè exhilarauit, vt iam impune circumuolitare queant. *Hugoni de S. Victore non multum est fidendum, qui se Pontificiũ Romani nutui iam mancipauerat.* Et nos fidemus Sutliuio; qui, quantus quantus est, Caluino, & per Caluinum orco, sese deuouit. *Tempore Bernardi confirmarat iam Pontifex suum dominatum.* Quare non audiendus; nisi cum Caluinianis grata scribere videtur.

CAPVT XVII.

Idem probatur ex Origine & antiquitate primatus.

DANAEVS hic, præter clamores & insaniam, nihil. Sibrandus argumentum Bellarmini hunc in modum formatac deformat lib. 6. de Papa Romano cap. 1. *Si hac Monarchia Papalis non cœpit tempore Christi, cœpit alio tempore, post Christum scilicet. Sed nullum aliud tempus post Christum assignari potest, quo scilicet esse cœperit. ergo cœpit tempore Christi.* Si quis Bellarminum legat, sycophantiam Sibrandicam facilè deprehendet, neque enim de solo tempore agit Bellarminus in suo argumento, sed & de auctore primatus, quem dicit esse Christum, & probat, nullum alium, præter Christum, primatus huius auctorem statui vel nominari posse. Sibrandus de auctore penitus silet, soliusque temporis mentionem facit, ne sibi ipse calumniandi filum præcideret; qui ad suum argumentum respondet; *illud esse ridiculum & falsum*: non enim sequi; *ignoratur eius principium, ergo est à Christo.* Sed hoc tantum; *Ministros Ecclesiæ vel fuisse non satis diligentes in mutationibus Ecclesiastici regiminis annotandis; vel propter Papæ tyrannidem non ausos fuisse omnia annotare, vel mutata esse eorum scripta ab indoctis Monachis, vel denique eorum scripta, in quibus hæc annotata fuerunt, fuisse postea à Papa, eiusq; Monachis oppressa.* Bellarminus, vt antea monebam, non vrget tantum tempus, sed & auctorem. Quamquam si solum quoque tempus vrgeret, an argumentum idcirco viribus careret? Quid enim vitij in hac collectione? Quodcunque tempus post Christum nomines, quo primatus Romani Pontificis inchoatus feratur, semper aliud prius assignari potest, quo primatus iste in Ecclesia floruerit, vsque ad tempus Christi Domini; ergo primatus iste non cœpit nisi tempore Christi Domini. Quid, inquam, vitij in hac collectione, atque adeo in probatione Bellarmini, si candidè & absque sycophantiis formetur? Non enim ita crude argumentatur BELLARMINVS, vt Sibrandus mentitur.

Nesci-

Neſcitur origo huius primatus: ergo incœpit tempore Chriſti.

Poſt hunc impoſtorium ſyllogiſmum diffundit ſe Sibrandus in conuicia aduerſus Pontifices; & multa blaterat de perſecutionibus priſcæ Eccleſiæ; Et vt nugatio eò ſit gratior, carmina interſerit ex Faſtis Baptiſtæ Mantuani, tam appoſitè, ac ſi ex Bucolicis aut Georgicis Maronis Mantuani ſuis nugamentis verſus inſperſiſſet. Tandem poſt ingentem vaniloquentiam exit hic vrceus. *Pontifices Romani vſque ad Conſtantinum Magnum latuerunt in cryptis & ſpeluncis, & variis tormentis excruciati, & tandem crudeliter quoque trucidati ſunt; ergo Pontifices Romani non habuerunt poteſtatem vtriuſque gladij ante Conſtantinum Magnum.* An non eſt hæc inſignis refutatio eorum, quæ Bellarminus diſputat? Quaſi verò hic agat BELLARMINVS de poteſtate temporali ſummi Pontificis? An non quintus liber in hac quæſtione enodanda inſumitur? Et vt primi illi Pontifices temporales principes non fuerint, quod ditionem nullam haberent, cui politicè præeſſent; attamen poteſtatem in res temporales indirectè habuerunt, hoc ipſo, quòd poteſtatem ſpiritualem in totam Eccleſiam vniuerſim habuerunt, prout libro quinto Bellarminus docet: nam hic diſſeritur præcisè de primatu, qui in Eccleſiaſticæ & ſpiritalis poteſtatis plenitudine conſiſtit. De annexis, & conſequentibus, alibi diſquiretur.

Quapropter cum hoc loco Sawbrandus per multas paginas verba fundit de poteſtate Pontificum in Imperatores; & rurſus Imperatorum in Pontifices, nil aliud agit, quàm quòd chartas, & atramentum perdit. Quàm enim ſunt ſtultæ illæ conſecutiones. *Imperatores aliquando eiecerunt Papas in exilium. Ergo Papæ nec habent, nec habuerunt primatum Eccleſiaſticum. Papa non dedit Conſtantino Magno Imperium; Sequitur ergo, quod antea.* Quis ſani capitis eum eſſe credat, qui his deliramentis Bellarminum oppugnat?

Sutliuius circa hoc caput ſtrenuè mentitur & calumniatur. I. Mend. *Poſſe aſſignari tempus poſt Chriſtum, quo Romani Pontificij primatus incœperit: Omnis enim poteſtas*, inquit, *legum ferendarum, & abrogandarum, item ſuprema iudiciorum poteſtas, praterea diſpenſandi, & prouidendi ſummæ facultas, & regnum illud, quod multos annos in Eccleſia DEI exercuerunt Pontifices Romani, nouum, & inauditum erat ante Gregorij VII. tempora. Atque hoc, ne longius abeamus, docet Bullarium Pontificum Romanorum, quod à Gregorij VII. temporibus legum, & conſtitutionum Pontificiarum farraginem incipit: & ius Pontificium in decretalibus comprehenſum, quod omne Gregorio VII. recentius eſt.*

Collectio Canonum in libris qui *Decretum & Decretales* inſcribuntur, eſt quidem Gregorio VII. poſterior: Sed num ideo omnes A ſanctiones, quæ in iis continentur, Gregorio VII. ſunt poſteriores? Quæſo, inſpice, ſi non omnino apertis, ſaltem ſemiapertis oculis, Gratianum; & vide num nulla in eo reperiantur edicta & conſtitutiones Romanorum Pontificum, qui ætate Gregorium VII. anteceſſerint; vel ſi Gratianus tam tibi eſt inuiſus, conſule Epiſtolas S. Leonis & S. Gregorij; vel Acta ſynodalia, & aliorum Pontificum literas in Tomis Conciliorum. Si nullos Canones, diſpenſationes, & id genus alia primatum Romani Pontificis euidenter teſtificantia repereris, tum ad nos redi, & ab impacta tibi mendacij nota, te haud grauatè abſoluemus.

Poſt hoc mendacium mox ſturnatim ália B ſubiungit, quamuis hic à Bellarmino obtrita & validè *profligata*. Ait, *Romanos Pontifices obtinuiſſe primatum ab Imperatoribus, à Iuſtiniano, à Phoca, à decretis Conciliorum; item armis, fraudibus, cenſuris, commentitiis ſcriptis, & inſtrumentis corruptis. Primatum Papalem à Domino diſertè fuiſſe interdictum* Lucæ 22. *Vos autem non ſic. Bellarminum ſe omnibus reddere καταγέλαστον, quando Gelaſij Pontificis Romani teſtimonio primatum Roman. Pontificis ſtabilire nititur. Eſſe inauditum, quòd Gelaſius aſſerit, Eccleſiam Romanam non ſynodicis conſtitutis, ſed Euangelica voce Domini primatum obtinuiſſe. Ridiculum eſſe*, quòd Bellarminus teſti domeſtico, qualis eſt *Gelaſius, credi poſtulet.* Et tamen Sutliuius ſibi, hoſti primatus Romani immaniſsimo, credi cupit. *Bellarminum habere os ferreum, & frontem adamantinam.* Quare? C Quia negat decretum *illud Actione 16. Concilij Chalcedonenſis legitimè factum ſeu conditum.* Reclamaſſe enim Legatos ſedis Apoſtolicæ: Reclamaſſe ipſum S. Leonem. Quid Sutliuius? *Etiamſi reclamauerint, pluris eſſe faciendam plurium ſententiam, quàm Legatorum & Leonis.* Nec moratur; quod in VII. Synodo dicitur, nullum decretum Generalis Concilij eſſe legitimum, quod ſine Romano Pontifice aut eius Legato conditur: nam ſeptimam Synodum fuiſſe *idololatricam.* Si alios teſtes idem aſſerentes producas, in promptu erit Sutliuio illud ſuum: *Eſſe teſtes domeſticos, vel corruptos, vel adulterinos; vel non teſtari id, quòd teſtantur, ſed quiddam longè diuerſum.*

D Impudentiſsimè dicit Caluiniſta Bellarminum *impudenter mentiri*, quando dicit; *Decretum illud in Synodo Chalcedonenſi factum eſſe abſentibus Legatis Apoſtolicis; factum enim eſſe præſentibus & reclamantibus Leonis Legatis.* Legamus ergo, quod in exordio Act. 16. Concilij Chalcedonenſis continetur; & inde iudicium faciamus, quis impudenter mentiatur, Bellarminus, an Sutliuius. *Reſidentibus omnibus ante altaria cancellos ſanctæ martyris Euphemiæ; Paſchaſinus, & Lucentius reuerendiſſimi Epiſcopi, Vicarij ſedis Apoſtolicæ, dixerunt; ſi imperat magnificentia veſtra, habemus quædam referre vobis, &c. Domini totius orbis pro Catholica, & orthodoxa fide decertantes, per quam & augetur eorum & lucet imperium, ſancire dignati ſunt, quatenus vnam fidem*

teneant omnes Ecclesia pro bono pacis. Maior autem eorum tranquillitati cura est, in quibus post hac prouidere dignati sunt, ne qua rursus contentio inter sacerdotes Dei, aut schisma, aut aliquod nascatur scandalum. Hesterna enim die postquam potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones Ecclesiasticos, & disciplinam æstimamus effecta: Poscimus ergo, vt vestra magnificentia relegi hæc præcipiat, vt omnis fraternitas inspiciat, vtrum iusta, an iniusta sint ea, quæ gesta sunt.

An non Legati Apostolicæ sedis hic apertè testantur in absentia iudicum & sua, decretum illud de primatu throni Ecclesiæ Constantinopolitanæ factum esse in præcedente sessione decima quinta? An non hoc ipsum fatetur ibidem Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanus, cum ait; *Rogauimus Dominos Episcopos de Roma, vt communicarent in gestis*; hoc est, vt interessent confessui, quo latus est Canon, qui sedem Constantinopolitanam æquauit Romano throno. *Refutauerunt, dicentes; Non. Sed alia se suscepisse mandata.* Noluerunt ergo interesse, cum *Pseudocanon* ille conderetur, quia iam præsenserant, quid Græcorum ambitio moliretur, & quorsum euasura esset.

AEquè effrons Sutliuij mendaciũ est, quando negat, *S. Leonem huic illegitimo decreto reclamasse.* Ferè vox faucibus & manus ad scribendum immota hæret, cum tantam & vsque adeo proiectam Sutliuij impudentiam video. Nil quod lectorem grauet, postulo. Tantum Epistolas S. Leonis à Bellarmino citatas inspicere dignetur; ni repererit, Leonis Magni validissimam reclamationem, quæ totum & occidentem & orientem complerit, causæ nihil dicam; quo minus ego tam vanus & mendax calumniator habear, quàm vanus & mendax est Sutliuius. Nec dissimilis est Sutliuio VVitackerus in oppugnanda origine primatus Pontificij; in quem verbosissimè declamitat. Nec tamen quidquam noui, præter nouam loquentiam adfert.

Etiam Iunius hîc varia tricatur circa *Pseudocanonem* Chalcedonensem. Vociferatur, non valere hanc consecutionem. *Abfuerunt Vicarij Episcopi Romani, ergo iniqua fuit actio inauditis absentibus q; illis.* Probat non valere consequentiam. *Quia aut sua culpa abfuerunt, aut aliena fraude. Neutrum obstat.* Respondeo, non abfuisse, nisi sua voluntate, quia sciebant, quæ consilia Constantinopolitanæ sedis fautores coquerent. Itaque prudenter fecerunt, quòd sese subduxerunt; cogitabant enim hac sua subductione Græcos ab iniusto suo proposito desituros; quod cum factum non esset; iure optimo Actione XVI. sententiam suam & sedis Apostolicæ super hac re palam exposuerunt, & expositionem suam in Acta publica referri postularunt ad perpetuam posteritatis memoriam.

Ait Iunius, non esse probam hanc consequentiam. *Reclamauerunt Vicarij Romani, ergo actio illegitima.* Proba est; si quid vnquam vel vspiam probum. Nam certum & exploratum semper fuit apud orthodoxos, decreta generalium Conciliorum momentum & robur non habere, absque Romani Pontificis assensu & approbatione, vt suo loco docebit Bellarminus testatissimis probatissimorum Auctorum testimoniis: Et insigniter hic effrons est Iunius, cum negat in sexta Synodo reperiri, quod Bellarminus sextæ Synodo tribuit: sed tantum esse annotationem margini appositã. Non opus multis. Lector tantummodo inspiciat Concilium sub ipsum fermè Actionis septimæ exordium, statimque parebit, quam verax præco sit Iunius: qui & in S. Leonem Magnum virulentos suos aculeos hunc in modum expromit. *Leonis affirmationes nec veræ sunt, nec decentes ipsum: imò, quò plures literis super hac causa appellauit; eò plures adhibuit spectatores & testes ambitionis suæ, quam etiam fraude falsi in Chalcedonensi Concilio promotam voluerat.* En qualem Caluinista iste S. Leoni honorem habeat. Et tamen supra dixerat *leporem esse* mortuum *Leonem* insectati. Iunius non timuit denuo *lepus* fieri, & Leonem terris quidem mortuum, sed in cælo cum Christo regnantem petulantibus conuiciis incessere. Num autem illa; *Romana Ecclesia semper habuit primatum*, sint paratitlon Canonis Nicæni, an pars ipsius Canonis, supra ad caput XIII. vidimus. Et insana prorsus calumnia SYLVII est, hæc verba; *vel à Paschasino S. Leonis Legato, vel ab aliquo alio falsario interpolata esse.*

Iterum mentitur Sutliuius, *Romanum Pontificem habuisse primatum ex decreto Concilij Nicæni.* Num ex decreto instituente; an diuinam institutionem comprobante? Mendacium est Sutliuio cum Iunio commune, Dionysium Alexandrinum apud Dionysium Romanum Pontificem accusatum fuisse, *non vt apud iudicem, sed vt apud collegam, & communem amicum.* An nulli erant toto terrarum orbe Episcopi, collegæ & amici, præter Romanum Pontificem, apud quos accusatio contra Dionysium deponi potuerit? Quid necesse erat, vt tanto spacio dissitus collega adiretur, si non adibatur, vt legitimus & ordinarius iudex?

Mentitur Sutliuius, & quidem inuerecunde, quando dicit: *Primatum Romani Pontificis impudenter & blasphemè à Bellarmino cum diuinitate filij Dei comparari.* Non comparat, ô Caluinista; sed tantùm dicit: Concilia Pontifici Romano primatum non dedisse; sed datum à Christo declarasse, & testimonio suo comprobasse; sicuti Concilia diuinitatem filio Dei non tribuerunt; sed quam ab æterno habuit, contra Hæreticorum perfidiam validè asseruerunt. Quid in hoc impudentiæ? Quid blasphemiæ?

Mentitur iterum Sutliuius, Constantinum

Ma-

Magnum, etiam *spiritalem potestatem Siluestro concessisse*. Quam, quæso? *Ius*, inquit, *ad illum appellandi*. Atqui hoc Constantinus non concesit; sed concessum à Deo declarauit, & omnibus sanctione sua palam proposuit. Annumera & hoc Pseudologiis Sutliuianis, *plures Pontifices, decreta sua confirmasse ius illud, quod sibi Imperatores in electione & confirmatione Pontificum arrogabant, & hoc ipsum ius Gregorium Magnum agnouisse*. Quo quid vanius? Nam quidquid huius profertur, aut commentitium est, aut per vim & extra æquitatis leges vsurpatum: & Gregorius in Psalmos *pœnitentiæ* dicatos scribens, grauissimè in Imperatorem hoc ius sibi arrogantem inuehitur: vt hic quoque Bellarminus docet.

Vociferatur Sutliuius: *Certum esse; Pipinum, Carolum Magnum, & Ludouicum Pium, & Mathildem, multa dedisse Pontificibus Romanis*. At temporalia, nō *spiritualia*: Vrbes & prouincias, non potestatem in vniuersas Christi Ecclesias, quam potestatem Pontifex haberet, licet ne vnum quidem viculum possideret.

De Childerico Francorum Rege per Zachariam Pontificē depositō, Gallicani regni proceribus id efflagitantibus, & Pipino in eius locum substituto, multa hic mentitur Sutliuius, negatque *omnes historicos affirmare, Childericum iustè fuisse depositum*. Scio: quos excipiendos existimet Sutliuius. *Magdeburgenses* scilicet Centuriatores. An hos non excepit Bellarminus? An excipiendo istos, non innuit simul similes eorum similiter excipi debere, vt Carionem, Peucerum, Balæum, & huius classis alios Romani nominis hostes & osores teterrimos?

Ait Sutliuius, *non magni pendendum, quid Romani Pontificii mancipia super hoc facto scriptum reliquerint*. Et nos multò minus morabimur, quid post tot annos Caluini mancipia contra obmurmurent. Factum tenet, vt vulgo dicitur. Neq; id vnquam isti insaniendo infectum efficient; nec laudes propter hanc mutationem in Zachariam Pontificem collatas irritas reddent.

Citat Bellarminus ex Platina decretum de electione Gregorij VII. Obiicit Iunius: *Decretum hoc de electione Gregorij non electionis tempore perscriptum fuisse, vt par est, sed diu post electionem ab ipso curatum esse, cum illegitimum esse clamarent vocationis modum, quo se in Pontificiam dignitatem intruserat, &c. vt hac ementita specie criminationes bonorum eluderet*. Decretum hoc nō exstat tantùm apud Platinam; sed & in *Regesto* epistolarum Gregorij VII. quod ipso electionis die, prout verba eius sonant, factum non esse, quo tandem argumento vel in speciem verisimili, probabit Iunius? Cuius auctoris testimonium proferet? Nam in verbis Iunij, nihil penitus, præter nudam asseuerandi temeritatem, Iunio à natura insitam, inuenio, in verbis, inquam, modò recitatis; nam in sequentibus aliquid rationis adferre conatur, sed in ipso conatu deficit: nimirum, *illud electionis genus, quod præ se ferre voluit in Decreto, ignotum fuisse & inusitatum per illud tempus, vt ne modum quidem perscribendi illius Romanæ Ecclesiæ Actuarij tenuerint*. Necdum quidquam video, præter asseuerationem ab omni probatione desertam: *Possem*, inquis, *ex historiis probare, quod dico, & idoneorum auctorum verba adscribere*. Cur non facis, quod potes? Cur potentiam tuam non exeris? An non hîc tempus erat faciendi id, quod te posse lactitas? Vel vnum, si non plures, historicum nominasses, qui decretum hoc nō ipso electionis die, sed diu pòst conditum testaretur: sed, præter te, & tibi consimiles, nulli, vt opinor, hoc suspicari in mentem venit. Ais: *Ipsum decreti genus & stylus decreti accuratior ab ea nos molestia liberat, adeò narrationibus falsis & manifestè falsis diffluit*. Iterum nulla apparet probatio. Si ex commentario Pseudobennonis confectum esset; tum Iuniano naso gratum odorem halaret: nunc cum laudes Gregorij, quem Iunius odit, complectatur, *manifestè falsis diffluit*.

Sed en rursus se accingit Iunius ad probationem: *Nulla historia docet istiusmodi per illud tempus fuisse electionis modum*. Respondeo; legistine omnes historicos, vt tam audacter id vniuersim affirmare queas? Deinde, quoties, obsecro, occinuisti Bellarmino illud: *argumentum ab auctoritate negatiuè* nil concludere. Tertiò, modus electiònis nil insuetum continet: Nam Episcopi, & ipse etiam Romanus Pontifex, eligebantur olim à Clero; vt docet Bellarminus lib. de Clericis. Hanc electionis formam repræsentat hoc, de quo agimus, decretum.

Improbus est, inquis, *perscriptionis modus: Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, quæ diuerso ordine oportuisset poni*. Efficacissimum argumentū, dignumque, propter quod Decretum de electione Gregorij exterminetur. Primo loco, vt par est, collocantur Cardinales: *Nos sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales*. Tum generatim subiiciuntur CLERICI: tum speciatim exprimuntur Clericorum ordines, gradatione facta ab inferioribus ad superiores. *Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri*. Quid in hoc ordine inusitatum & inauditum? At Iunius fetre nequit eo in Decreto *continentiæ* laudem Gregorio tribui: contrarium testari Historicos: *Etiam Gregorij amantissimos*: Præter Bennonē Pseudocardinalem, infestissimū Gregorij hostem & insectatorē; & paucissimos alios eiusdem farinæ, nullum proferes, qui Gregorium incontinentiæ macula aspergat, & cum Mathilde consuetudinem illicitam habuisse scribat. Sed de Gregorio plura suo loco.

CAPVT XII.

Fidem probatur ex Auctoritate, quam exercuit Romanus Pontifex in alios Episcopos.

ARGVMENTVM Bellarmini proponit hoc modo Danæus: *Pontifex Romanus nonnullos Episcopos instituit, deposuit, restituit. Duos instituit, Maximum, & Anatolium: restituit tres; Athanasium, Paulum, Marcellum. Deposuit octo, vt Nicolaus I. tradit. Ergo habet Pontifex Romanus in singulas Ecclesias Dei, & in singulos Episcopos Primatum, & summum imperium. Respondeo,* inquit Danæus, *multis modis hic à Bellarmino peccari. Primùm, à dicto secundum quid. In paucos Episcopos Romanus Pontifex hoc iure vsus est: ergo idem iuris in omnes habet.* Omnino; quia quo iure istos confirmauit, instituit, deposuit, vel restituit, eodem in alios itidem vti potuisset, si necessitas id efflagitasset: non enim id ideo fecit, quod peculiare quoddam ius in Constantinopolitanam, Antiochenam, Alexandrinam, & similes Ecclesias haberet, quo careret ratione aliarum; sed ex vniuersali & plenaria potestate in vniuersam Ecclesiam fecit; quidquid fecit; quemadmodum si Imperator in Imperio, vel Rex quispiam in suo regno, hunc vel illum principem instituat, confirmet, vel restituat, vel de suo principatu deiiciat; non facit hoc nisi ex plenitudine potestatis, quam in totum Imperium vel Regnum possidet. Itaque bona est hæc consequentia: *Imperator vel Rex hunc illumue suo in principatu confirmauit, inuestiuit, Regalia ei concessit; ergo Imperator vel Rex est supremus in Imperio vel regno Dominus.* Nec necesse est, ad supremam potestatem agnoscendam & colligendam, vt huiusmodi actus sæpius, & erga omnes exerceantur; sufficit vnus vel alter.

Quod diligenter obseruandũ est contra istorum cauillationes præsertim Iunij, qui perpetuò clamitat: *Ex particulari facto vitiosè concludi aliquid vniuersale.* Quæso, an non proba hæc consecutio? Imperator hunc vel illum confirmauit in suo Comitatu vel Ducatu, eumque inuestiuit & Regalibus decorauit; ergo Imperator suprema in Imperio potestate præditus est: idemq; ius confirmandi & Regalia conferendi habet etiam respectu aliorum.

Addit Danæus, fallaciarum feraciſsimus & loquaciſsimus, in argumento Bellarmini esse insuper, *Fallaciam à non consequente*: non enim rectè inferri. *Hoc iure vsus est Romanus Pontifex, ergo hoc ius habet.* Si formetur Antecedens, vt æquitas & veritas postulat, omnino sequetur, quod Danæus sequi abnuit. Quod enim vitium in hac collectione inest? Hoc iure licitè vsus est Romanus Pontifex, ergo habuit hoc ius. Ait Danæus; *non fuisse ius, sed tyrannidem, & meram vsurpationem.* At hoc Danæo & sociis facilius est dictu, quàm probatu.

Sibrandus talem syllogismum fingit: *Qui aliquando Antiochenum, Constantinopolitanum, & quosdam Africæ Episcopos confirmauit, & Archiepiscopis pallium misit, ille habet auctoritatem Episcopos per vniuersum orbem constituendi. Sed Papa Romanus est ille, qui Antiochenum, &c. Ergo Papa habet potestatem constituendi Episcopos per vniuersum orbem. Deinde ex hac conclusione aliud deducit, videlicet: Qui habet potestatem constituendi Episcopos per vniuersum orbem, ille est Monarcha per vniuersam Ecclesiam. Sed Papa. Ergo.*

Sibrandus vbiq; antiquum obtinet. Figmenta capitis sui Bellarmino affingit: eiusque argumenta sycophanticis suis syllogismis inuoluit & implicat, vt vix eorum vis & robur appareat. Respondet autem Caluinista, Maiorem primi sui syllogismi *esse falsam. Vniuersum enim orbem Constantinopoli, Antiochia, & Africa non continetur.* Ad hanc cauillationem iam respondimus: cum enim Romanus Pontifex eam potestatem erga Constantinopolitanam, Antiochenam, & Africanas Ecclesias non exercuerit ex peculiari iure in illas Ecclesias, vnde enim Romano Pontifici hoc peculiare ius, in supra dictas Ecclesias? sequitur eum hoc fecisse ex plenitudine potestatis, qua in omnes totius orbis Ecclesias pollet.

Adiungit Savvbrandus: *Nec Minorem esse valdè firmam: non enim Synodum Chalcedonensem dicere, Maximum Antiochenum fuisse à Leone confirmatum; sed hoc testari Ministros Papæ Paschasinum & Bonifacium; idcirco hoc testimonium non esse magni momenti, quippe domesticum.* Nec Bellarminus dixit: Synodum Chalcedonensem hoc affirmare. Sed ita loquitur: *In Concilio Chalcedonensi Act. 7. legimus, Maximum Antiochenum à S. Leone confirmatum in Episcopatu.* Deinde, Synodus non contradixit huic legatorum Apostolicæ sedis orationi; non omissura illud, si falsum fuisset, quod Legati illi affirmabant; nec ipse Maximus, qui præsens aderat, & quem hæc res propriè tangebat, Legatos falsitatis aut vanitatis arguit. Et quis Apostolicæ sedis Legatos tam inuerecundos fuisse arbitretur, vt tanto in confessu mendacium proloquerentur, cuius redargutio toti Synodo in promptu foret?

Iunius & Sutliuius impudenter negant, *aliquid de hac confirmatione Maximi à Leone facta, reperiri.* In medio est Synodus. Legatur, & euanesceet Caluinistica vanitas; etiam illa Sutliuiana, *hoc de confirmatione Maximi nusquam nisi in lacera scheda repertum esse.* Ad alia confirmationis exempla respondent Sibrandus, Iunius, Sutliuius, ea accipi debere de confirmatione *per assensum & approbationem.* Sed plus euincunt exempla, quæ Bellarminus profert; nam & alij Episcopi electioni alicuius assensum præbere, & suffragio suo eum approbare poterant, & reipsa approbabant; An ideo electum Episcopum dicebantur simpliciter confirmare, eo modo, quo id, de Episcopo Romano asseritur? Etiam hodie Episcopi vicini &

collegæ

collegæ approbant electiones Epiſcoporum aſſenſu ſuo, ſi quando eligitur, qui illis placeat, neque tamen eam ob cauſſam ita electum Epiſcopum confirmare cenſentur, ſicuti eum confirmat ſummus Pontifex: cuius confirmatio ſic comparata eſt, vt, ea non accedente, electio irrita habeatur. Num talis eſt illa confirmatio, quæ fit per nudum aſſenſum? Noluit S. Leo epiſtola 87. ad Epiſcopos Africæ, Donatum Salicinenſem ab Hæreſi Nouatiana conuerſum gregi ſuo præeſſe, niſi libellum fidei ſuæ ad ſedem Apoſtolicam tranſmitteret. Reſpondet Iunius, *hoc non eſſe imperium pro iure & auctoritate mandantis, ſed fraternè conſulentis officium.* Sed hoc fuiſſe mandatum, non ſolam ſuaſionem; apertè indicant ſancti Leonis verba: *ita Dominico volumus gregi præſidere, vt libellum fidei ſuæ ad nos meminerit dirigendum.* En S. Leo nec vult nec patitur eum Epiſcopali munere fungi, niſi libello rationem fidei ſuæ reddat. Eſtne hoc tantummodo *fraternè conſulentis*, vt ineptit Iunius?

Sutliuius dicit, *Leonem noluiſſe ad communionem ſuam Donatum recipere, niſi fidei ſuæ rationem exponeret, bocque meritò à Leone factum.* Non tantum hoc voluit ſanctus Leo; ſed multo plus: quia neque Epiſcopum eum eſſe voluit, niſi ad Apoſtolicam ſedem libellum fidei ſuæ tranſmitteret.

Adfert aliud pharmacum Iunius: *Leonem hoc feciſſe, non vt vniuerſalem primatem, ſed vt Metropolitanum, ad cuius Diœceſin Africa pertineret.* Hæc reſponſio locum non habet, quia ſanctus Leo, eodem iure vſus eſt erga alias Eccleſias, quæ, etiam Iunij iudicio, extra Leonis Metropolin ſitæ erant, vt erga Conſtantinopolitanam & Antiochenam, prout allatis exemplis Bellarminus demonſtrat.

Simili artificio eludere conatur facta & teſtimonia ex ſancto Gregorio; nec illo ſegnior eſt Sutliuius; imò in mentiendo & calumniando multò promptior & largior: cui *lebuſita Bellarminus delirat. Multa mentitur & parum fortiter concludit. Quid Nicolaus primus, aut eius epiſtolæ Auctor ſcripſerit, non multum laboramus*, inquit Sutliuius. *Multa enim ille mendacia dixit* (Sutliuius nimirum) *multáque ineptè ſcripſit,* (iterum ſubaudiatur Sutliuius) *atque hæc omnia, vt diuinos honores Pontifici tribuendos probaret.*

Poſt conuicia in Bellarminum & ſanctiſſimum Pontificem Nicolaum I. mentitur, falſum eſſe, *quòd ſcribat Nicolaus octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Pontificibus Romanis depoſitos fuiſſe.* At Bellarminum vindicat à falſitatis nota epiſtolæ ad Michaëlem Imperatorem Conſtantinopolitanum lectio. Quis verò aſſeret Sutliuium ab hac extrema impudentia? *Gelaſij epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ impudenter conficta eſt, eius enim Auctor, quod Gelaſius facturus non erat, apertè mentitur, vbi dicit, Dioſcorum Alexandrinum auctoritate ſedis Apoſtolicæ fuiſſe damnatum: nam à Concilio Chalcedonenſi damnatum eſſe.* Sed iuſſu & interuentu ſedis Apoſtolicæ, velis nolis, Hæretice: quod ipſa Chalcedonenſis Synodus & tota teſtatur antiquitas.

Mendacij itidem arguit Sutliuius; quod in eadem Gelaſij epiſtola habetur: *Beati Petri ſedes Alexandrinum Petrum, quem ſe tantummodo damnaſſe, non etiam ſoluiſſe nouerat, non recepit.* Cur hoc falſum, ô Caluiniſta? *Quia Petrus iſte erat Athanaſij ſucceſſor, & vt Socrates lib. 4. cap. 17. loquitur, vir valde pius & eximius; Petrus autem Mongus Alexandriæ Epiſcopus non erat.* At Sutliuius manifeſtè oſtendit, omnem ſibi ex vultu abraſum eſſe pudorem; quia epiſtola Gelaſij palam loquitur de illo Petro Alexandrino, cum quo Acacius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, communicauerat; at iſte eſt *Petrus Mongus*, intruſus Epiſcopus Alexandrinus, non ille Petrus, de quo Socrates; & hoc omnibus notum eſt, quibus aliquid veteris hiſtoriæ notum eſt. Et tamen audet effrons iſte propter ſua mendacia epiſtolam Gelaſij mendaciorum poſtulare; quin & ſimpliciter repudiare.

Ait Bellarminus, Flauianum Patriarcham Antiochenum, fuiſſe depoſitum à Damaſo: & hoc Theodoretum ſcribere lib. 5. cap. 23. Mentitur Sutliuius, *duo hic inſignia mendacia à Bellarmino fundi; nam nec Flauianum à Damaſo fuiſſe depoſitum; nec Theodoretum hoc ſcribere.* Non recuſo, quo minus lector Theodoretum ipſum legat, ſed attentius, quàm factum à Sutliuio: & ſi non inuenerit, quod hic Bellarminus recenſet; Bellarminum in cœno gemini mendacij hærere ſinat: ſin autem fidem & integritatem Bellarmino conſtare expertus fuerit, tum Sutliuium *petulantiæ calumniatoris & conuiciatoris* nota notet, vt iam pridem fecit Beza, & quidem iuſtiſsimè. Nam nec Damaſus, nec Syricius, nec Anaſtaſius electionem Flauiani ratam habere voluerunt; ſed irritam & inanem palam pronûciarunt; donec tandem, miſſis Legatis, & Imperatoris interuentu, ſedi Apoſtolicæ ſatisfecit; & pro legitimo paſtore ab omnibus eſt habitus & agnitus.

Obſeruetur autem, non tantùm tunc dici Epiſcopum deponi à ſede Apoſtolica, quando poſt, ſed & quando ante confirmationem electio eius improbatur & reiicitur, vt fecit Damaſus cum Flauiano: & hoc ſenſu ait Bellarminus, *Flauianum à Damaſo depoſitum.* Ride hic inſcitiam & *ἀπροσωπίαν* Sutliuij. Ait: *Etiamſi Damaſus depoſuiſſet Flauianum; haud tamen ſecuturum, Damaſum fuiſſe totius Eccleſiæ præſulem: nam à Dioſcoro poſtea Flauianum fuiſſe depoſitum, & pugnis contuſum, licet Dioſcorus non eſſet Eccleſiæ ſummus moderator.* Vbi vides imperitiſsimè *Flauianum* Antiochenũ; confundi cum *S. Flauiano* Epiſcopo Conſtantinopolitano; multis annis poſteriore; & aduerſus Eutychianos; quorũ partes fouebat Dioſcorus Alexandrinus, pro orthodoxa fide inuicto propugnatore. Si

autem

autem Sutliuius mihi & ipsi veritati non habet fidem, Gelasium loqui de *Petro Monge*; fidem habeat suo symmystæ Iunio, qui ita scribit. *De Petro loquitur, qui μόγγος seu blæsus dictus est.*

Ait Bellarminus, Canones, qui vulgò vocantur Trullani, nullius esse auctoritatis. Iunius contrà pertendit, *eosq; à Concilio sexto, sed continuato conditos asserit.* Accuratior huius rei disquisitio pertinet ad Controuersiam de Conciliis. Interea lege tam quæ hic Bellarminus differit, quàm quæ Baronius scribit Tomo VIII. ad annum Christi DC. XCII. vbi apertissimè dolos & impostura huius conciliabuli patefacit. Libet tamen obiter annotare mendacia, quibus Iunius hic omnia fœdat. Quorum primum & palmarium, *Trullanum Concilium fuisse sexta Synodi partem, & quasi continuationem & absolutionem, seu complementum.* Nam sexta Synodus absoluta est & perfectè completa octodecim sessionibus anno Redemptoris DC. XXCI. Imperij autem Constantini Pogonati anno XIV. Liquet hoc ex Episcoporum subscriptionibus, ex epistolis Imperatoris & Synodi ad Romanum Concilium & Pontificem Agathonem, quibus eum de rebus gestis certiorem faciunt, & confirmationem omnium petunt.

II. Mendacium. *Iustinianum Iuniorem mandasse in principio sui Imperij, vt ex Actis sextæ Synodi Canones excerperentur.*

III. Mendacium. *Et hoc copiosè annotare Gratianum* d. 16. cap. *Placuit*, & seq. Nihil de hoc Gratianus. Adfert quidem ipse Trullanos Canones, tanquam ad sextam Synodum legitimè additos; sed non dicit; eos Canones ex sexta Synodo excerptos, idque mandato Iustiniani, quia reuera non sunt inde excerpti; sed à Græcis iam defectionem à Romana Ecclesia molientibus, & pernicioſum illud schisma, quod postea erupit, parturientib⁹, de nouo compositi. Nemo enim hos canones repudiaret, si ex Actis sextæ Synodi solum modo excerpti essent.

IV. Mendacium. *Iustinianum hoc mandatum dedisse excerpendi Canones ex sexta Synodo, quinto pòst anno, quàm Synodus fuerat habita*, hoc est, in principio sui Imperij. Synodus absoluta est anno DC. XXCI. Iustinianus Imperium iniit DC. XXCV. Quare à fine Concilij vsque ad initium Imperij Iustiniani, non quinque, sed quatuor solummodo anni interponuntur.

V. Mendacium. *Hoc mandatum Iustiniani fuisse impeditum, turbis interuenientibus, cum scilicet expulso Iustiniano, Leontius & Tiberius Abſimarus Imperium inuaserunt.*

VI. Mendacium. *Et hoc liquere ex Theophane, & aliis.* Constat quidem ex Theophane & aliis, Iustinianum, etiam abscisso naso, ex Imperio expulsum; sed Theophanes non dicit: *Iustinianum iussisse, vt ex Synodo sexta Canones excerperentur.* Trullanum quidem seu *Quinisextum* Concilium sub Iustiniano coactum testatur, & adde, si vis, ipsius etiam iussu & nutu, vt dicitur in proœmio ipsius *conciliabuli*; finis tamen minimè is fuit, vt ex Synodo sexta Canones colligerentur; sed vt noui, & ad Græcorum libidinem & ambitionem apti, conderentur.

VII. Mendacium. *Omnia Acta Concilij sexti iacuisse vsq; ad restitutum Iustinianum.* Falsum prorsus. Nam omnes Catholici toto terrarum orbe reuerenter synodum illam receperũt, quàm primum ad eos peruenit. Et Iustinianus Hæreticis potius quàm Catholicis ante suam expulsionem fauit. Deinde longè credibilius est, & vero propius, Trullanum Conciliabulum fuisse celebratum ante expulsionem Iustiniani quàm pòst; nempe anno Christi DC. XCII. Imperij Iustiniani anno VIII. vt demonstrat Baronius. Licet enim Theophanes, & quidã alij velint viginti septem annos interceſsisse inter finem sextæ Synodi & editionem Canonum Trullanorum, hanc tamen temporis supputationem subsistere non posse euidenter ostendit Baronius.

VIII. Iustinianum, *subsidio Regis Bulgarorum in Imperium restitutum, restituisse omnia à se gesta, quæ Leontius & Tiberius Abſimarus euerterant, & instaurationi quoque Synodi, & Canonum perscriptioni operam dedisse pòst annos viginti septem, quàm fuerat primum habita.* Hæc omnia apertam falsitatem continent; neque enim Iustinianus; neque Trullani Patres ideo Canones illos condiderunt, quasi censerent sextam Synodum adhuc suo tempore durare; aut quasi ipsi sextæ Synodi Patres non potuerint, quę animo conceperant, perficere; impediti bellorum tempestatibus; sed quia ipsi arbitrabantur, moribus Christiani populi & disciplinę non satis esse cautum & consultum, nisi ad quintam & sextam Canones adiicerentur; vt manifestum euadit ex proœmio Trullanis Canonibus præfixo: Etsi sua illa in opinione multum fallebantur; licet reuera hoc prætextu consulendi Christianæ disciplinæ, securim Romanæ Ecclesiæ impingere, & fictitij sui Græcanici primatus fundamenta iacere voluerint. Quod si ideo sexta Synodus inabsoluta censeri debet, quia Trullani isti Patres ausi sunt Canones, tanquam appendicis loco ad sextam Synodum adiicere, sequitur quintam quoq; Synodum necdum fuisse absolutam; quia æquè quintam ac sextam Canonibus suis complere tentarunt.

IX. Mendacium. *Hæc omnia*, quę Iunius mentitur, *confirmari ex epistola ipsius Iustiniani ad Ioannem VII. Papam, quæ exstet in fine Synodi sextæ, in qua Imperator petat confirmationem sextæ Synodi.* Fabulę. Reperitur quidem ad finem sextæ Synodi epistola Iustiniani ad Ioannem Papam in antiqua Conciliorum editione; verùm ea ad Synodum sextam minimè pertinet; iam enim pridem sedis Apostolicæ suffragio Synodus sexta comprobata fuerat; sed ad Trullanos Canones iam olim à Sergio Pontifice reiectos: Quia enim Ioannes VII. natione Græcus erat, sperabat Imperator, eum

facilius

Digitized by Google

facilius adductum iri, vt calculo suo hæc decreta firmaret. Sed secus accidit, vt ex Anastasio Bibliothecario docet Baronius an. Christi DCC. V. Habet quidem illa epistola semper in ore sextam Synodum, quasi Canones illi Trullani ex sexta Synodo fuerint excepti, vel menti illius conuenienter facti; sed hæc sextæ Synodi iniecta mentio nil aliud erat, nisi decipula simplicioribus & imperitioribus capiendis & decipiendis instructa: nam vt iam antea dictum est; caussæ nil erat, cur à Romano Pontifice confirmatio sextæ Synodi postularetur; quia pridem confirmata fuerat. De Trullana appendice, quam specioso sextæ Synodi nomine vestiebant, tota quæstio & disceptatio erat.

X. Mendacium. Bellarminum illis suis verbis: Constat sextam Synodum nullos Canones edidisse, &c. sed post annos quinque ab ea Synodo dissoluta, iterum conuenisse nescio quot Episcopos Græcos, &c. quod manifestè colligitur ex principio horum ipsorum Canonum; existimasse; verba illa quæ extant apud Gratianum d. 16. cap. *Habeo librum.* Soluta Synodus est Constantini XIV. anno: *esse principium Canonum Trullanorum.* Minimè verò, neque enim tam imperitus est Bellarminus, vt Trullanos Canones nunquam legerit aut viderit; sed per *principium Canonum Trullanorum* intelligit proœmium, quod Canonibus illis præfigitur, in quo apertissimè asserunt illi Patres nullos penitus à quinta & sexta Synodo Canones fuisse promulgatos, & propterea se id quod neglectum est, supplere velle.

XI. Mendacium. Verba illa: *Soluta Synodus est Constantini XIV. anno*; esse Gratiani, vt rem conciliaret, iudicio suo. Omnia enim, quæ in illo capitulo Gratianus adfert, deprompta sunt ex Actione quarta septimæ Synodi, hoc est ex verbis & sensu Petri Nicomediæ Episcopi & Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani.

XII. Mendacium. Bellarminum testimonio Tharasij probare velle, *Canones istos esse illegitimos.* Hoc non vult Bellarminus, sed istud; sextam Synodum nullos Canones condidisse; verùm quatuor aut quinque annis pòst, ab aliis ad sextam Synodum Canones adiectos fuisse. An non dicit hoc planis & perspicuis verbis Tharasius?

XIII. Mendacium. *Illos ipsos Patres, qui Concilio sexto interfuerant & subscripserant, interfuisse etiam & subscripsisse conciliabulo Trullano.* Impudens commentum; quia nullus Apostolicæ sedis Legatus adfuit. Nullus Patriarcha Latinus. Nullus Latinus Episcopus; & quamuis Balsamon Rauennatem Episcopum interfuisse dicat; commentum tamen id schismatici hominis esse, euidenter demonstrat Baronius ad annum Christi DC. XCII.

XIV. Mendacium. *A Beda vetari Synodum Trullanam erraticam, non ipsos Canones.* Quæso te, si quis sectarius Concilium Tridentinum nominet *erraticum*, an non ipsos etiam *Canones* eo in Concilio sancitos, *erraticos* appellat?

XV. Mendacium. Vocari hanc Synodum *erraticam, quòd soluta fuerit in terrore publico, Bulgaris in agrum Imperij irruentibus, Constantino Pogonato imperium tenente.* Quod inanissimum est commentum. Nihil enim de vlla Bulgarorum irruptione Historicorum monumenta tradunt, quamdiu sexta Synodus durauit. Domesticam quandam in Imperatorem conspirationem in caussa fuisse, cur Actio decima sexta tam diu differretur, docet Baronius ad annum Christi DC. XXCI. De publicis Bulgarorum impressionibus nullum verbum.

XVI. Mendacium. Dici item hanc Synodum *erraticam quòd iterum tumultibus Leontij & Tiberij Abstmarii interrupta fuerit.* Nihil minus: Sexta Synodus pridem terminata fuit: etiam Trullanum conciliabulum prius finem accepit, siue cum Tharasio velis quarto vel quinto anno pòst Synodum sextam, siue cum Baronio decimo celebratum. Et quamuis cum Theophane viginti septem annos interiicias, mendacium tamen Iunianum manebit id, quod est; quia conciliabulum Trullanum nec pars, nec continuatio, nec complementum sextæ Synodi fuit.

XVII. Mendacium. *Sergium Pontificem, non reiecisse Trullanum Concilium, sed quandam Monothelitarum pseudosynodum à Iustiniano in Hæreticorum gratiam restitutam, & absolutam.*

XVIII. Mendacium: *Et hoc scribere Bedam.* Audiamus Bedam. *Hic* (Iustinianus) *beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quia erratica suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluisset, misso Zacharia protospatario suo, iussit Constantinopolim deportari.* Hæc Bedæ verba non possunt de alia Synodo intelligi, quàm de Trullana; Nunquam enim à Sergio petitum fuerat, vt alij Synodo subscriberet, quàm Trullanæ, vt planum itidem fit ex illis, quæ ex aliis auctoribus, maximè ex Anastasio Bibliothecario, de hac re scribit Baronius anno DC. XCII. Deinde, si Beda de Monothelitica quadam Synodo locutus fuisset; an non iure nominasset eam *erraticam*, hoc est, *erroneam*, seu erroribus plenam? Num & hæc Synodus fuisset *erratica* notione Iuniana, hoc est, quòd ob exortos tumultus hinc inde oberrare coacta & interrupta fuerit? Præterea si sextæ Synodi subscriptionem Imperator vtiisset; nulla fuisset mora in Sergio, quia sedes Apostolica iam pridem legitimæ sextæ Synodo sub Agathone celebratæ & absolutæ subscripserat.

XIX. Mendacium Battologicum. *Leontium & Tiberium Abstmarum acta politica & Ecclesiastica Iustiniani irrita fecisse.* De politicis non laboro. De Ecclesiasticis falsa narrat Iunius; quia acta sextæ Synodi non fuere Iustiniani; sed œcumenicæ Ecclesiæ. Hæc siue Leontius & Abstmarus abrogarint, siue secus: non abrogarunt acta Ecclesiastica Iustiniani; & si quæ abrogassent; Concilium Trull. abrogassent; neq; id iniuria, quia verisimile est celebratũ fuisse ante expulsum Iustinianũ.

XX. Men-

XX. Mendacium. Synodum, de qua Beda, vocari *erraticam, quòd postea eam Philippicus, occiso Iustiniano, exstinguere voluerit.* At Beda eam Synodum vocat *erraticam*, cui Sergius noluit subscribere; at hæc non fuit sexta Synodus quam hæreticus Imperator Philippicus oppressum tendebat; hanc enim Sergius toto pectore amplectebatur: sed alia; non ergo ob hunc Philippici impium conatum sexta Synodus nomen *erratica* à Beda tulit. Adde, si ideo Synodus *erratica* dici potest, quia ab Hæreticis impeditur, & vt exstinguatur & opprimatur, summo studio allaboratur, etiam Synodus Chalcedonensis nominari posset *erratica*. Quid enim non tentarunt Eutychiani, vt hanc Synodum exterminarent?

XXI. Mendacium. Si *erraticum* accipiatur pro *errante*, id est, *aberrante à vero, eadem opera & à vero aberrari, & à Latinitate.* Scilicet Iunianus Priscianus Bedæ, aut cuicunque alteri ferulam impinget, si librum plenum erroribus nominet *erraticum*; hoc est, errores serentem, & ab errore in errores prolabentem.

Ait Bellarminus; ad Trullanum Concilium, ne vnum quidem Latinorum fuisse vocatũ. Hinc nascitur Iunio mendacium XXII. *Bellarminum memoria labi. Latines enim Concilio sexto interfuisse.* Bellarminus non loquitur de Concilio sexto, cui Latinos interfuisse optimè perspectum habet; sed agit de conciliabulo Trullano; & huic negat interfuisse vllum Latinum. Nomina si potes, vel vnum. Nam quod Anastasius Bibliothecarius in Sergio anno DCXCII. ita scribit: *Huius temporibus Iustinianus Imperator Concilium in Regia vrbe fieri iussit, in quo & Legati sedis Apostolicæ conuenerant, & decepti subscripserant.* Intelligi debet de Græcis Episcopis, quos Romanus Pontifex ordinariè in oriente Vicarios habebat; vt ex Balsamone in Nomocanonem Photij demonstrat Baronius.

XXIII. Mendacium. Latinos, *etiam secundo conuentui sub Iustiniano perscribendis rebus interfuisse:* Nam conuentus iste aut totus est commẽtitius; aut si vt Theophanes, & cum illo Iunius vult; Synodus Trullana celebrata est vigesimoseptimo anno post absolutam sextam Synodum: vel si, vt aliis placet, ante expulsum Iustinianum celebrata est; per secundum istum conuentum non nisi Synodus Trullana accipi potest; cui Latinos interfuisse, mendacium Iunianum est.

XXIV. Mendacium. *Tertio conuentu, Iustiniano reduce, non acta perscripta aut noua facta esse; sed tantum ex Actis antecedentibus descripta.* Si id ita esset; conuentu igitur secundo, Canones istos oportuisset esse conscriptos. At conuentus iste secundus aut est ipse conuentus Trullanus, aut est in Iunij cerebro natus.

His mendaciis adeo delectatur Iunius, vt ea ad caput 27. maiore ex parte repetenda & nouis locupletanda duxerit. Itaque XXV. Iunij mendacium est, *sub Iustiniano Rhinotmeto abijsdem sextæ Synodi Patribus sextam Synodum esse instauratam, & additis canonibus perfectam.* Non ab iisdem omnino qui Synodo sextæ interfuerant, Concilium Trullanum celebratum esse: euidenter ostendit Bellarminus, & res ipsa clamat. Quot enim Episcopi sextæ Synodi interea mortem oppetierunt, si, vt Iunius arbitratur, post 27. demum annos isti Canones sunt conditi? Quanquam huic malo emplastrum reperit, per *secundum illum suum conuentum*; in quo hos Canones factos, & postea, reduce Iustiniano, tantùm promulgatos fingit. Sed ne sic quidem cuadit; quia conuentus ille secundus, vel totus est commentitius; vel ipsum Trullanum conuenticulum, vt suprà dictum. Nec vllo Synodus sexta complemento egebat; quia omnibus suis numeris absoluta fuit, sessione decima octaua, perfectis omnibus, propter quę Patres illi conuenerant. An non lepidum factum fuisset, si post quinq; vel decem, vel viginti septem annos à Concilio Tridentino absoluto, mortuo iam Pontifice, & multis aliis Episcopis, aliqui tametsi numero non pauco, coiissent, inconsulto summo Pontifice; sola Imperatoris auctoritate suffulti, & Canones ad Concilium Tridentinum adiicere tentassent, suumque factum hoc prætextu tueri voluissent, quod Concilium Tridentinum instaurarint, &, quæ deerant, supplerint? Egregium verò hoc esset supplementum. Nam Synodus sexta æquè fuit perfecta & finita sub Agathone Papa, & Constantino Impetatore; ac Concilium Tridentinum sub Pio IV. & Ferdinãdo Imperatore; nec vllo penitus complemento eguit.

Mendacium XXVI. *Trullanos Patres collegisse illos suos Canones ex Actis quintæ & sextæ Synodi.* Pingue profectò & obesum mendacium. Inspiciantur vtriusque Concilij Acta, etiam vt hodie exstant. Nihil simile his Canonibus in illis reperitur. Nec est probabile, passuros fuisse Græcos, vt intercederent, si in Actis illis vnquam fuissent, quæ Canonibus illis comprehenduntur: cum enim alia multa in Actis vtriusque Synodi corruperint, & ad suas machinationes inflexerint; summo studio in Actis Synodicis conseruassent ea, quæ nunc Trullani Canones exhibent, cum nihil non ad Græcanicæ Ecclesiæ incrementum, & ad Romanæ decrementum complectantur.

Mendacium XXVII. Hoc Trullanum Concilium, *posse dici nouum & vetus.* Nouum personis, respectu quintæ Synodi: vetus, argumento: Imo nuperrimum argumento.

Mendacium XXVIII. *Patres sextæ Synodi eadem tradidisse, quæ postea decreuerunt Trullani, sed discessu tumultuario superueniente, non digessisse in ordinem Canonum.* Hoc mendacium redarguitur ab Actis sextæ Synodi. Nil simile dictum, factum in Concilio sexto: alioqui Romani Pontificis Legati in æternum nunquam subscripsissent. Pacificè Concilio finis est impositus. Nihil periculi à Bulgaris impendit, omnia hæc sunt Iuniani cerebri inania somnia.

XXIX.

XXIX. Mendacium. *Concilio Trullano interfuisse Basilium Episcopum Gortyniæ in Creta; & legi in singulis Actionibus post Theodorum Vicarium Theodori Rauennatis Episcopi.* Non in Trullano Concilio, sed in sexta Synodo horum nomina leguntur. Quid Trullanum conciliabulum ad legitimam sextam Synodum?

XXX. Mendacium. *Istum Basilium fuisse Legatum Pontificis Romani in Trullana Synodo.* Ne in sexta quidem Synodo Romani Episcopi Legatus fuit: tantum abest, vt in Trullano synedrio. Etsi enim hoc de Trullana Synodo affirmet Theodorus Balsamo, notum tamen est, quanta sit huius Schismatici fides, quàm lubrica, & in commentis aduersus Latinos excogitandis expedita. Stupidum valde sedis Apostolicæ Legatum fuisse oportuisset, si Canones illos in tam notabile & commemorabile præiudicium sedis Romanæ conditos, suffragio & subscriptione sua approbasset. Præterea, si in hac Synodo vllus fuit Pontificis Legatus, eoque annuente sancita sunt omnia, cur Sergius & cæteri Pontifices perpetuò reclamarunt? Cur vt aliquando contigit, cum quid perperam à Legatis gestum est; Legatum hunc non mulctauit Sergius, & pœnis debitis affecit?

XXXI. Mendacium. Battologicum & Tautologicum, *non Trullanam, sed aliam quandam Hæreticam Synodum à Sergio esse improbatam.* Quam dura est hæreticorum frons. Quàm nihil non audet aduersus omnium veterum fidem.

XXXII. Mendacium. Hanc Hæreticam Monothelitarum Synodum celebratam esse, cum Iustinianus primùm imperio potiretur. Quo, quæso, anno? Num primo, an secundo? Quis huius Monotheliticæ Synodi non diu post sextam Synodum celebratæ mentionem facit, præter Iunium? Quis Græcus, quis Latinus historicus? Nam quod ais; *Constantinum iam fuisse Papam, quando Trullana Synodus est habita; Sergio iam vita functo,* id quidem verum esset, si vera esset suppositio seu opinio Theophanis, nimirum Trullanam Synodum celebratam fuisse viginti septem annis post absolutam Synodum sextam, Sergio iam ad meliorem vitam translato. Sed cum hæc temporis supputatio falsa sit; non est, quod Iunius suo figmento inde fulcrum quærat.

XXXIII. Mendacium. Othonem Frisingensem libro 5. capite 13. *non loqui de Trullana Synodo, sed de alia quapiam, quam Sergius Papa damnauerit.*

XXXIV. Mendacium. *Idem testari Reginonem & Hermannum Contractum.*

XXXV. Mendacium. *Tarasium & Epiphanium, Act. 4. & 6. Synodi septimæ non loqui de Trullana Synodo; sed de Episcoporum conuentu, qui statim à Constantini Pogonati morte, quasi nouum Imperatorem salutaturi, venerunt, & visa Iustiniani mente, cauere doctrinæ orthodoxæ perscriptione Canonum studuerunt.* Quasi verò

A sexta Synodus, etiam absque Canonibus, satis non cauerit doctrinæ orthodoxæ contra Monothelitas. Quid isti aduersus horum deliramenta attulerunt, quod in sexta Synodo non fuerit discussum, excussum & damnatum, si quidem sanæ doctrinæ aduersum esset? Porro Tarasium loqui de Synodo Trullana, inde planum fit; quia citat Trullanos Canones, eosque non tantum perscriptos, sed & editos affirmat quarto vel quinto post sextam Synodum anno. Quomodo ergo suppressi sunt à Iustiniano, si palam editi à Patribus? Nec vel per somnium Tarasio in mentem venit de tertio conuentu, quem reduce Iustiniano, Iunius comminiscitur.

XXXVI. Mendacium. *Iustinianum hanc per-*
B *scriptionem Canonum Trullanorum, Pseudosynodo sua oppugnasse oppressisseque: postea resipiscentem, cùm secundò ad Imperium venit, perscriptionem, quam oppugnauerat, recognoscendæ edendæq; Auctorem fuisse.* Hæc nil aliud sunt, quàm Iuniana crepitacula. Et tamen mox eadem nobis ingerit & regerit, & Bellarmino insultat, quòd hæc tam abdita non viderit. Accedit, quòd Hermannus Contractus nil aliud dicit, quàm hoc: *Hic* (Iustinianus) *hæresi pollutus Catholicos persequitur, & cum Sarracenis pacem fecit.* Nec quidquam inuenies in Hermanno Canisij, aut Vrstisij, quod Iunio faueat.

XXXVII. Mendacium, & quidem festiuissimum: *Heliam Protopresbyterum legisse ex charta Canonem Trullanum de figura Agni, quod Iustiniano obtur-*
C *bante minime licuerit Canones illos referre in membranas, hoc est, in librum Actorum publicorum Ecclesiæ.* Vanissimum commentum; quia cum Sabas Monachus quæsisset, cur Canon ille ex charta, non ex libro lectus esset; subiecit Tarasius; esse ipsum autographum, in quo Patres subscripserant. Hoc autem chartaceum autographum Patriarcha Constantinopolitanus secum in Nicænam Synodum tulit, vt eò maior fides Canoni haberetur. Si Canones istos licuit scribere & subscribere in charta, licet turbas cieret Iustinianus, vt dicit Iunius, quanquam nullas exciuit; quia Canonum istorum fautor & promotor fuit, cur non per eundem licuisset scribere in membranis, atque adeo in libro? Quid, quòd statim ibidem
D Petrus Metropolita Nicomediæ subiicit: *Quinetiam habeo & alterum codicem sextæ sacræ Synodi Canones continentem.* Ergo Canones illi etiam in libro scripti fuerant.

Ait Bellarminus, Synodum Trullanam non modò sine Romani Pontificis, sed & absque aliorum Patriarcharum auctoritate celebratam fuisse. Hinc cudit Iunius XXXVIII. mendacium. *Alexandriam & Hierosolymam, tunc non habuisse Patriarchas, & hoc testari Zonaram.*

Nihil Zonaras de Synodo Trullana. Tempore sextæ Synodi vrbes illas caruisse Patriarchis scribit. Trullanum Synedrium nõ est *sextum Concilium*, nec *continuatio sexti*; & quoties hoc affirmat Iunius, toties mentitur. Quamuis autem Alexan-

dria & Hierosolyma Patriarchis destituerentur, quando sexta Synodus celebrata est, missi sunt tamen ab illis Ecclesiis Legati & Vicarij, vt patet ex Concilij sexti subscriptionibus. Cur Trullano conciliabulo ne Legati quidem sedis Alexandrinæ & Hierosolymitanæ interfuerunt, siue quarto seu quinto, siue decimo, siue vigesimo septimo anno, post absolutam Synodum sextam, celebratum fuerit? Et quis credat tot annorum spatio Ecclesias illas Patriarchis caruisse?

XXXIX. Mendacium. Patriarcham Antiochenum à Trullano conuentu abfuisse, *quòd Antiochia per illud tempus indefinentibus bellis Arabum fuerit infestata.* Etiam tempore sextæ Synodi infestabatur Antiochia & tota Syria Arabicis bellis; quibus tamen Patriarcha Antiochenus non fuit præpeditus, quò minus ipsemet ad Concilium illud sese contulerit. Et quæ nam sunt istæ Arabum infestationes, cum Iustinianus cum Arabibus terra marique fœdus icerit? Quanquam non nego illud postea ab eo parum fideliter ruptum. Cum autem velit Iunius, Canones Trullanos vigesimo septimo anno post sextam Synodū fuisse promulgatos, oportet, vt doceat, quænam hæ peculiares Arabum infestationes fuerint anno secundo Iustiniani Rhinotmeti in Imperium, profligato Tiberio Absimaro, restituti: ita vt & Patriarchis & Vicariis seu Legatis omne iter Constantinopolim intercluserint. Multò minus has tantas Arabum impressiones inueniet Iunius anno secundo vel tertio, quando Iustinianus primùm Imperium iniit, quo anno comminiscitur Iunius hos Canones fuisse perscriptos. Nam non diu post adeptum Imperium pacem cum Arabibus fecit.

XL. Mendacium. *Ideo hos Patriarchas abfuisse, quòd Iustinianus impedierit & obturbauerit.* Quis huius impeditionis & obturbationis testis, præter Iunium? Vt obturbasset, quando Canones isti fuerunt *perscripti* (loquor ex fanatico Iunij somnio) at non obturbauit postea, quando Canones isti fuêre publicè propositi anno XXVII. à sexta Synodo absoluta; vt vult Iunius. Cur tunc nullus adfuit Patriarcha, fauête Iustiniano Conuentui; nec quomodocunque fauente, sed ita; vt conuentus illius auctor & auspex esset, teste procœmio, quod Trullanis Canonibus præfigitur?

XLI. Mendacium. *Trullanam Synodum non fuisse Synodum, sed antecedentis solùm Synodi Canonum perscriptionem bis factam.* Fateor, reipsa non fuisse Synodum, sed illegitimum synedrium. At non fuisse Synodum, iudicio Trullanorum Patrum; commentum Iunianum est. Ita enim ipsi Patres præfatione ad Iustinianū. *Inprimis pio & Christi amantissimo Imperatori Iustiniano. sancta & vniuersalis Synodus diuino piæ vestræ potentiæ nutu & decreto congregata, in hac à Deo custodita & regia ciuitate, &c.* In ipso progressu procœmij dicunt; quintam & sextam Synodos vniuersales, nullos condidisse Canones; & propterea *sanctam hanc & diuinitus electam vniuersalem Synodum à Iustiniano congregatam fuisse.* Vbi apertè suam Synodum à Synodo sexta distinguunt.

XLII. Mendacium. *Patres Trullanos non approbare in Canone suo secundo totam Synodum sub Cypriano habitam; sed tantum aliquid eius: hæc enim esse verba secundi Canonis Trullani: Præterea verò & à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit, Archiepiscopus & Martyr, & Synodo, quæ sub eo fuit, emissum Canonem, qui in prædictorum præsulum locis & solum; secundum traditam eis consuetudinem, seruatus est.* Vbi mentitur Iunius, *Trullanos de vno duntaxat Canone loqui.* Quis ille vnus, dic, obsecro, Iuni, quem Trullani approbarunt, & ab omnibus recipiendum sanxerunt? Cur nominatim non expresserunt? Quantò procliuius fuisset dicere: Trullanos legislatores per *Canonem* à Cypriano, à collegis & à Synodo *emissum* intellexisse, quidquid per octoginta septem sententias seu pronunciata à Cypriano & collegis de baptismo Hæreticorum decretum fuerat.

XLIII. Mendacium. Etiam Adrianum Papam, nominare Trullanos *Canonas diuinè & legaliter prædicatos.*

XLIV. Mendacium. *Et hos ideo, vt eos Canonibus suppositis à Pseudosynodo Iustinianea opponeret.* Mera figmenta. Nam illa verba in epistola Adriani ad Tarasium, non sunt verba Adriani, sed recitantur ex Tarasij epistola; quæ tum refellere nihil attinebat, quia negotium Iconoclasticum propius Ecclesiam vrgebat. Et Pseudosynodus illa Iustinianea cum suis Canonibus, distincta à conciliabulo Trullano, nusquam terrarum habita est, nisi in Iunij cerebro.

XLV. Mendacium. Bellarminum mala fide adducere testimonium Nicolai I. ex epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum Imperator. vbi citat quendam Canonem Trullanum, addens, *se didicisse ab Apostolo, etiam Ethnicorum testimoniis vti, quando opus est: quantò magis,* inquit, *Christianorum atque Catholicorum.* Hæc verba quæritur Iunius haud candidè præterita. Quid? An ideo Canones illos Nicolaus probauit, quia vnum ex illis citauit; eorumque conditores, *Christianos* atque adeo *Catholicos* nominauit? Necdum enim Græci in schisma & hæresin apertè eruperant. An non satis, & plusquam satis mendaciorum circa Pseudosynodum Trullanam effudit Iunius? cuius nugacissima commenta ordine enotare & enumerare libuit; vt lector specimen videat eius sinceritatis & integritatis, qua Iunius in veterum monumentis, & Bellarminianis argumentis eludendis vti solet.

CAPVT

CAPVT XIX.

Fidem probatur ex legibus, dispensationibus, & censuris.

SVTLIVVS & Danæus primo statim aspectu caput hoc contumeliis & conuiciis excipiunt: *Ventum est nunc*, inquit ille, *ad legum Pontificiarum laqueos, & dispensationum dedecus, & clauium Ecclesiæ intolerabilem abusum, & c. huius turpitudinis pudet aduersarios, qui paulò sunt verecundiores.*

Danæus exclamat ex Plauto: *Nec fallaciam astutiorem vllus fecit poëta, atque vt hæc est fabricata* à Bellarmino, *sed pessimo & nullo fundamento; Quidquid enim hoc & duobus sequentibus capitibus Bellarminus agit, id meram esse fallaciam, eamq; duplicem.* Vnam, *a non caussa pro caussa*: alteram; *a dicto secundum quid*: Et vt videas, quàm Danæus vbique *Fallaciarum* sit ferax, tertiam fallaciam extra ordinem addit; *A non consequente.* His tribus tam validis arietibus confestim succedunt mendacia; vt Bellarminum hoc modo argumentari: *Romanus Pontifex quasdam leges promulgauit, quasdam dispensationes in nonnullos, & pro nõnullis edidit, ergo habet plenariam leges condendi, dispensandi & censendi de omnibus potestatem.* At disputatio Bellarmini, si ad formam aliquam argumentationis redigenda sit, non ita nudè proponi debet; vt proponitur ab isto criminatore, sed adhibendæ sunt circumstantiæ, quas adhibet *Bellarminus*. Primatum enim Ecclesiasticum haud dubiè obtinet, qui toti Ecclesiæ, si necessitas exigat, leges præscribit, independenter à quocunque alio humano legislatore; & qui non in hac duntaxat, vel illa prouincia; sed vbicunque id vsus postulat, leges præscribit: Et qui dispensat cum quibuscunq; dispensandum fuerit; & censuris notat, quoscunque censuris dignos iudicauerit. Sed hoc fecerunt & faciunt Romani Pontifices: Romani ergo Pontifices primatum in Ecclesia obtinent. Quæso, an, inter cætera, non etiam hinc rectè colligimus, Imperatorem Romanum, inter omnes Principes, tenere primatum, quia fert aliquando leges, quæ totum Imperium obligant; & vbique in Imperio leges præscribit, vbique locorum, inquam, quæ nouis sanctionibus egere videntur: vbiq; etiam leges laxat vel adstringit; pœnas sontibus vbique infligere valet. An non sunt hæc perspicua primatus argumenta?

Videamus ordine, quæ ad hoc caput, & ad testimonia, quæ adferuntur, responsa dent nostri Caluinistæ. Danæus, & Sutliuius obstrepunt. I. *Etiam tyrannos, prædones & latrones ferre leges; leges relaxare, & pœnis afficere; nec tamen sequi, eos id facere legitimè & licitè. Simili igitur ratione in proposito, non rectè concludi, legitimum Romani Pontificis primatum ex legislatione, ex legum relaxatione, & ex censuris.* Respondeo, rectè id inde probari, quia Pontifex nec tyrannus est, nec latro, nec prædo, nisi iudicio tyrannorum, latronum, & prædonum; nec vllus vnquam Catholicorum eum pro tali habuit: nec propterea talis vel est vel erit Romanus Pontifex, quia Hæretici prædones & latrones, vt talem, infamant, & traducunt; quia illorum infamatio & traductio non est tam potens & efficax; vt Ecclesiasticum principem diuinitus constitutum *in prædonem & latronem* transformare queat. Secundò respondet Sutliuius, Pontifices non tuliſſe leges *vbique*. Non tulerunt vbique; satis est, quòd Romæ vel alio certo in loco degentes, eas leges tulerint, quæ omnes vbiq; gentium fideles obligarent: satis etiam est, quod *vbique*, hoc est, non tantùm in hoc, vel illo determinato loco, sed vbicunque necessitas exigebat, leges ferre potuerunt; & reipsa itidem tulerunt.

Addit Sutliuius cum VVitackero, *Episcopos & prouinciales Synodos præscripsisse leges.* Num vbique? Num extra prouinciæ suæ terminos? Addit, *Hoc fecisse etiam Synodos œcumenicas.* Num absq; auctoritate Pontificis Romani? Iunius dicit: *Romanum Pontificem præscripsisse leges, vt Metropolitanum, intra suam Metropolim, non extra.* Ita etiam VVitackerus. At hoc refutatur vel vnico exemplo epistolę sancti Leonis ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum, cuius meminit Bellarminus. Certè Alexandria non erat in metropolitana diœcesi Pontificis Romani, & tamen Dioscoro Episcopo Alexandrino leges præscribit: ergo id non fecit S. Leo, tanquam Metropolitanus; sed vt vniuersalis pastor & primas. Nam perquam ridiculum est, quod VVitackerus dicit: *Leonem nihil præscribere Dioscoro; quia vtitur verbo illo:* Volumus; *Hoc perinde esse, ac si diceret; cupimus, optamus, hortamur.* Quasi non quotidianus vsus legislatorum, etiam ciuilium, vt Regum ac Principum, doceat; verbum VOLVMVS præceptum indicare. In epistola ad Episcopos Campaniæ, Tusciæ, &c. mandat S. Leo, vt omnes constitutiones suorum Antecessorum & sacrorum Canonum diligenter obseruentur; *& hac ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, vt si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.*

Ad hæc testimonia S. Leonis ex duabus eius epistolis desumpta, ita respondent Sibrandus & Sutliuius, vt eorum impudentiam nemo satis detestari possit. Ille ergo lib. 7. de Papa Romano, dicit, *testimonium Leonis esse domesticum, impium, & ridiculum.* En reuerẽtiam Sibrandicam in D. Leonem, sanctissimum & in Ecclesia Dei laudatissimum Pontificem. Si quis summam Romani Imperatoris in Imperio potestatẽ probaret ex constitutione quapiam antiqui Imperatoris; qui iussisset, Imperij & antecessorum suorum leges & sanctiones, scita & edicta inuiolabiliter obseruari; Sibrandus in medium prosiliret, talemque Imperatorem non esse audiendum clamitaret, quippe *domesticum testem*: quasi verò suam vel suorum priuatam caussam agat, cum Imperator,

Imperij & eius, qui Imperij habenas tenet; gloriam & maiestatem asserit, vel aliquid pro bono communi propagâdo & amplificâdo præscribit ac præcipit. Sic & Pontifices quotiescunque vel dicunt vel faciunt quidpiam, quo primatus Ecclesiasticus indicetur, haud id dicunt vel faciunt ob suam suorumque priuatam, sed ob publicam functionis qua funguntur causſam.

Cur verò impium S. Leonis dictum vel testimonium, vel decretum? *Quia hoc decreto leges humanæ diuinis præferuntur*, inquit Sibrandus, *diuinarum enim legũ violatores veniam consequi possunt, quam Leo legum suarum violatoribus negat.* Grauis profectò causſa, cur S. Leonem impietatis arcessat: neque enim mens est S. Leonis Canonum transgressoribus apud Deum vel homines nullam simpliciter veniam concessum iri, vt iste calumniatur, sed nullam concessum iri ad hoc, vt pœnam debitam euadant, & impunitatem transgressionis consequantur. Dicit Sibrandus, Leonis præceptum, *ridiculum esse, eò quòd Papa in alienas prouincias nihil iuris habeat.* In alienas nihil iuris habet: Sed quæ nam illæ alienæ prouinciæ, in quas Pontifici sua non constet auctoritas? Nulla aliena est ab eius cura, cui absolutè & indefinitè dictum: *Pasce oues meas.* Et Iunius Sibrandi symmysta, Leoni, vt Metropolitano, ius in Episcopos per Campaniam, Picenum & Tusciam fuisse fatetur; non ergo vsurpauit Leo ius alienum, respectu horum Episcoporum, tametsi Iunius pro sua in S. Leonem beneuolentia, hanc annotationem ad edictum S. Leonis appingit. *Et hic Metropolitani imperiosi sermo.* Quanquam mandata illa non dedit Leo, vt Metropolitanus, sed vt pastor vniuersalis; vt liquet ex titulo: *Vniuersis Episcopis per Campaniam, &c. & per vniuersas prouincias constitutis.* Ergo præcepta illius epistolæ pertinent ad omnes simpliciter Episcopos totius Ecclesiæ.

Occinit Sutliuius: *Ista Leonis leges non seruabantur ab omnibus.* Vnde hoc compertum Sutliuio? Et vt ab omnibus non fuerint obseruatæ, quid hoc obstat primatui Pontificis Romani? Etiam diuinæ leges à plerisque non obseruantur. An ideò Deus non est primus & summus legislator? Etiam Cæsareæ leges à multis violantur. An ideo non est summus in rebus politicis Iudex Imperator in Imperio? Perquam autem fatuus est Sibrandus, quando hoc argumento Bellarminum vrget: *Constantinopolitanus Episcopus non obseruauit Leonis præcepta. Nec Alexandrinus; ergo neuter fuit Leoni subiectus.* Perinde, ac si dicerem. Nec Sutliuius, nec Sibrandus seruant mandata Dei; ergo neuter illorum est in potestate Dei. Nec minus festiuum est hoc Sibrandicum pronunciatum. *Qui alteri mandat, & non potest mandatum exequi, non habet imperium in eum, cui mandat.* Si hoc verum esset; sequeretur, omnes rebelles potentiores, qui se contra legitimum magistratum efferunt; eo ipso esse liberos, quod suo Domino, à quo compesci nequeunt; rebellant, & mandata eius aspernantur. Num contumacia & perfidia subditorum priuat legitimum possessorem suo iure?

Sutliuius denuo se recipit ad asylum illud impudẽtiæ; epistolas Leonis ad Episcopos Campaniæ, &c. & ad Dioscorum *esse vel confictas, vel corruptas*: Cui mortalium hoc vnquàm in mentem venit? Quis vetus codex huic somnio adstipulatur? Quæ auctoritas? Necdum satis stultitiæ. Etiam inscriptionem corrigit Caluinista. Ferre nequit illud: *Per vniuersas prouincias.* Ait legendum: *Per vicinas prouincias.* Vidistine codicem vetustum, qui, quam cupis, lectionem confirmet? An deprauationis huius tuæ nullum alium habes fundum; quàm cerebrum tuum *Burdonicum?* At Leo meminit Constitutionum Innocentij primi. Omnino. *At huius vel pauca vel nulla exstant genuinæ.* Verum hoc esset, nisi mentireris. Verum esset & illud, nisi mendacium obstaret; *in epistola Leonis ad Dioscorum Alexandrinum, contineri aliena à tempore Leonis.* Quæ hæc *aliena?* Quia dicit; *sacrificium Missæ iterari posse, si tanta sit populi frequentia, quæ vno templo capi nequeat.* Cur hoc sit alienum à tempore S. Leonis, rationem aliam non inuenio, quàm quia à Sutliuiano capite alienum est; cui vt Missa, sic multò magis repetitio Missæ vehementer aduersatur.

Ait Sutliuius: *Dioscorum fuisse Leoni inimicissimum.* At postea; non initio. Quid verò mirum, si Eutychianus oderit orthodoxum Episcopum, omniumque Eutychianorum inuictum debellatorem Leonem?

Hilari siue Hilarij dictum simili fraude nititur declinare: *Acta Concilij Romani, cui præsedit Hilarus, aut esse corrupta, aut malè descripta, & hinc nullam mereri fidem.* Simile quid mentitur VVitakerus. Omnia huic Caluinistæ apparent corrupta, quæ causſa, nisi iudicij summa corruptio? Sibrandus dicit, *esse testimonium domesticum.* Nulli ergo Imperatori de Imperatoriæ dignitatis & maiestatis potentia testificandi, aut aliquid pro auctoritate edicenti Sibrandus fidem habeat oportet; quia *testimonium domesticum* est, aut si non est; neque illud Hilari, vel alterius cuiuscunque Pontificis, testimonij domestici prætextu repudiari poterit. Adiungit impudens Sibrandus: *Non negamus Papas Romanos fuisse satis impudentes ad imperium sibi in alios rapiendum.* Nihil sibi rapuerunt, nihil arrogarunt. Traditam à Christo potestatem defenderunt, & etiamnum contra portas inferi defendunt verbo & opere.

Anastasij Iunioris Papæ verba à Bellarmino citata, dicit Sutliuius, *non habere vim legis.* Nec Bellarminus dicit, *habere vim legis*; satis est, quòd testantur, Pontificem Romanum habere potestatem ferendi leges, & latas ab illo religiosè ab omnibus obseruari debere. Hoc & nihil aliud euincere vult Bellarminus hoc Anastasij Iunioris dicto; quem mentitur Sutliuius vocari à Bellarmino Iuniorem, *ne eum allegari putaremus, qui*

propter

propter hæresin de cœlo tactus est. Siccine primus Anastasius Papa fulmine tactus est? Primus, inquam, Anastasius, qui Pontificatum tenuit anno Christi CCC. XCVIII. O frontem inuerecundam, & audaciam imperitam, nulliusque probri, quamuis aperti, metuentem? Nam Anastasius Imperator Eutychianus, ad quem hoc nomine secundus Anastasius scripsit, fulmine periisse dicitur. Hunc interitum simul cum hæresi impudentissimè transfert Sutliuius ad Anastasium primum, sanctissimum Pontificem. Alij pari fronte ad hunc ipsum secũdum Anastasium Pontificem.

Ait Sutliuius. Anastasium secundum *non fuisse virum optimum.* (Vtinam tu tam bonus esses. Quam felix esses.) *Nec epistolam eius videri genuinam.* (Hoc scilicet perfugium, desperatis omnibus aliis, restabat.) *Eamq; nusquam apud fide dignos Auctores reperiri.* Reperitur in tomis Conciliorum & epistolarum Decretalium. Citatur non tantum à recentioribus, sed & à vetustis Canonum collectoribus. Obiicit Sutliuius. *Eo tempore Imperatores dedisse leges Pontificibus, non ab illis accepisse.* Imò hoc, non illud: velis, nolis; quia etiam inter Gotthos sua sedi Apostolicæ constitit vniuersalis auctoritas, neque vllus Imperator, qui fines suæ potestatis nosset; Romano Pontifici dare leges conatus est. Etiam Iunio & VVitackero olet epistola Anastasij *supposititicium quiddam*, & pleraque negat ille suo in exemplari reperiri. Vnde ergo tibi tam curtum & decurtatum exemplar? Cur non explesti plenioribus & integrioribus?

Ad Gregorij auctoritatem priuilegium insigne Monasterio S. Medardi concedentis, respondet Sutliuius; *aliud esse legem; aliud priuilegium. Etiam priuatos dare posse priuilegium.* Vbi ignorantissimè innuit priuilegium dici, quod à *priuato* concedi queat; cum priuilegium sit exemptio quædam à lege communi; vel facultas aliquid faciendi supra, vel præter legem alioqui ad omnes attinentem: qualem facultatem solus ille concedere potest; qui legum condendarum, restringendarum & relaxandarum potestatem habet. Sed quia ipse Caluinista vidit hoc suum responsum esse ficulnum; aliud dat magis nauci & nihili: nempe *hoc priuilegium videri confictum.* Ita etiam VVitackerus, quod probat duobus firmissimis argumentis, ex quibus primum est: *quia non nititur alio testimonio, nisi Monachorum.* Alterum, *quia contextus ipse detegit falsitatem, nam Gregorius ille minatur se reges, antistites, iudices, & omnes seculares personas honore suo priuaturum, at verus Gregorius nusquam tales edidit minas. Sed Imperatoriis iussionibus se obedientem fore profitetur.* Sutliuio & VVitackero oppono Caluinianũ Iunium, qui agnoscit hoc priuilegium esse legitimum & genuinum. Tantùm mentitur, *non esse Gregorij, sed Regum Clotarij, Sigeberti, Brunichildis, & Theoderici.* Mendacium hoc redarguunt verba, quibus in Decreto illo vtitur S. Gregorius: *Concedimus. Huiusmodi priuilegia auctoritatis nostra decreto indulgemus: Concedimus atque terminamus statuentes nullum Regum vel Antistitum, &c.* Et similia quæ in tota illa priuilegij forma sæpius iterantur. Verum quidem est hoc priuilegium fuisse Monachis illis concessum rogatu & interuentu Regum, volentium ea, quæ Monasterio Medardino liberaliter contulerant; immota perpetim manere; & vt hoc eò facilius assequerentur, Apostolicum priuilegium interponendum curarunt.

Falsum est autem priuilegium hoc solo Monachorum testimonio niti. Nititur enim testimonio S. Gregorij & Regum, & publicis epistolarum S. Gregorij monumẽtis. Quàm verò cautus Sutliuius, qui Monachorum nostrorum testimonia parum firma censet; suorum verò Exmonachorum, vt Lutheri, Buceri, Martyris vel somnia pro firmissimis habet. Nec stylus vel pœnarum comminatio à more S. Gregorij abhorret, qui vt passim ex epistolis seu *Regesto* eius apparet, violatoribus constitutionum Apostolicarũ non modo pœnas minatus est; sed & aliquando reipsa inflixit. Imperatori se subiecit non in spiritualibus, & rebus Ecclesiasticis, sed in politicis, idque non de iure, sed de facto, vel potius ex humilitate, quia ita tunc faciendum suadebant temporum circumstantiæ.

Exemplum dispensationis profert Bellarminus ex epist. 1. Gelasij. Hic iterat suam impudentiam Sutliuius, cui succinit VVitackerus: *Epistolam Gelasij non videri genuinam.* Qui pudorem in postremis habet, is quiduis effutire non erubescit. Ex quo fonte processit & illud: in epist. 31. li. 12. S. Gregorij *nullum esse vestigium vllius dispensationis cum Siculis. Agi de Concilio semel tantum quotannis, non bis celebrando, vt Canones iubent.* Audiamus ergo verba S. Gregorij: *Equidem, quia adhibendum bis in anno Concilium Patrum sit regulis institutum non latet. Sed ne fortè aliqua excusatio sit, semel decreuimus congregari.* An non hic expressè vides decretum de Concilio semel duntaxat quotannis instituendo; atque adeo dispensationem & relaxationem Canonum, qui bis in singulos annos prouinciales Synodos congregari iubent?

Dispensauit idem S. Gregorius cum Anglis circa matrimonia, in gradibus alioqui prohibitis, ineunda. Respondet Sutliuius: *Gregorium nihil concessisse Anglis, cuius faciendi prius non habuerint potestatem.* Credo, si vt nunc, ita & illo seculo in Caluini schola instituti fuissent. Si intra gradus prohibitos absque dispensatione coniugia inire poterant; seque posse probè nouerant, cur à Gregorio Pontifice Romano gratiam Canonum sibi postularunt? Cur ipse Gregorius fecit? An non poterat vno verbo rem totam transigere, & dicere; causæ nihil esse, cur à se talem dispensationem petant: omnibus liberum esse matrimonia iungere, absque vlla legum vel Canonum impedimento? VVitackerus agnoscit Gregorium dispensasse cum Anglis; sed ait, *eum id fe-*

ciſſe ex lege charitatis: At iuncta cum iure, quia legis relaxatio eſt iuris, non ſolius charitatis. Oggrunnit Sutliuius: *Bellarminum debere oſtendere, antiquos Pontifices Romanos leges & pœnas relaxare potuiſſe, ſicut nunc faciunt Romani Pontifices.* An non hoc oſtendit? Nam ſicut hodie Pontifices diſpenſant vt in gradibus prohibitis, in tertio videlicet vel quarto matrimonia interdum contrahi poſsint; ſic & S. Gregorius olim Anglis eandem gratiam fecit. Et ſicut hodie Pontifices Romani variis in materiis, pro neceſsitate perſonarum & temporum, Eccleſiaſticas leges & conſtitutiones temperant & moderantur; ſic & olim factum à Romanis Pontificibus.

Iunius oggerit: *Bellarminum tantummodo adferre exempla legis poſitiuæ & humanæ, in qua à Gregorio & aliis Pontificibus diſpenſatum fuerit.* An exſpectabas, vt Bellarminus produceret exempla legis diuinæ per diſpenſationem relaxatæ? An non diſpenſatio in legibus humanis, primatum Romani Pontificis ſatis oſtendit?

Inter exempla Cenſurarum, quas Pontifices in alios, etiam Imperatores tulerunt, eſt illud Innocentij I. qui excommunicauit Arcadium & Eudoxiam vxorem eius, quòd non permiſiſſent reſtitui Chryſoſtomum in ſuam ſedem, vt ipſe iuſſerat, & citat Nicephorum lib. 13. cap. 34. apud quem exſtat Innocentij epiſtola. Obiicit Sutliuius: *Innocentium non propterea illis abrogaſſe Imperium, nec ſubditos ad rebellionem concitaſſe.* Hoc hîc non agitur; ſed num Innocentius Arcadium communione fidelium priuauerit, atque adeo in longè etiam poſitos, & in aliena Diœceſi conſtitutos Eccleſiaſticam ſuam Iuriſdictionem exercuerit. Secundò à conſueta impudentia ſubſidium petit; *narrationem Nicephori meritò ſuſpectam haberi.* quia nimirum non facit ad Sutliuianam ſaliuam. Si faceret, nil fide dignius foret. Putat improbabile, *Arſacium, inuaſorem throni Conſtantinopolitani, iam mortuum, ab Innocentio communione priuatum.* Etiam VVitackerus clamitat, Eudoxiam prius mortuam; non potuiſſe igitur excommunicari ab Innocentio; ſed ſumit VVitackerus incertum pro certo. Nam de obitu Eudoxiæ non conſentiunt ſcriptores, vt te docebit Baronius anno Chriſti CCCC. IV. Numer. 122. Et multi Eudoxiam Chryſoſtomo ſuperſtitem faciunt. Vtcunq; ſit etiam in mortuos exempla ſeueritatis ſtatui ſolent; viuis ad exemplum & cautelam; ne quid ſimile audeant. Nec veriſimile credit Sutliuius, vita iam functo Chryſoſtomo, excommunicatum fuiſſe Arcadium: *Quid enim hæc pœna opis Chryſoſtomo attuliſſet?* Vt S. Chryſoſtomo iam in cœlos recepto nil profuerit; at prodeſſe potuit Arcadio, vt cenſuræ huius grauitate motus, deteſtabile ſuum ſcelus agnoſceret. Profuit & aliis, ne quid ſimile in Epiſcopos, aliosque Dei ſeruos auderent. Ait Sutliuius: *Non videri probabile tacituros Sozomenum, Theodoretum, Euagrium & Zonaram, Chryſoſtomi res geſtas diligenter perſecutos, ſi quid huiuſmodi accidiſſet.* Simile telum vibrat contra hanc excommunicationem VVitackerus. Hîc iterum mirari cogor imperitiam hiſtoricam Sutliuij. Vbi enim Euagrius Chryſoſtomi res geſtas literis mandauit? cum in hiſtoria ſua initium ſcribendi à Neſtorio, eiusque impietate faciat, palamque profiteatur, finem Sozomeni eſſe ſibi ſcribendi exordium. Sozomenum & Theodoretum non meminiſſe huius epiſtolæ, quid refert? Num nihil vero conſonũ cenſebimus, niſi quod ab omnibus literis conſignatum eſt? Vterq; profectò Auctor teſtatur indigniſsimè tuliſſe Innocentium hanc Chryſoſtomi eiectionẽ, & à communione omnium receſsiſſe, in quibus culpa aliqua huius ſceleris hærere videbatur.

Præter Nicephorum autem meminit huius epiſtolæ Innocentij ad Arcadium Glycas in Annalibus, & Gennadius in Apologia pro Concilio Florentino, & exſtat Græcè in Vaticana Bibliotheca, teſte Baronio ad annũ Chriſti CCCC. VII. & tam Græcè, quàm Latinè euulgata eſt ab ipſis ſectariis Tomo I. Iuris Græcocomani, ad calcem, vbi etiam habetur reſponſoria epiſtola Arcadij ad Innocentium, & alia eiuſdem argumenti Imperatoris Honorij ad Arcadium. Nec Nicephorus Romanæ ſedi tam amicus erat, vt vlla ſuſpicio oriri iuſtè queat, eum hanc epiſtolã confingere, aut ab alio confictam operi ſuo inſerere voluiſſe.

Iunius videtur epiſtolam vt genuinam agnoſcere; ſed conuiciis eius auctoritatem eleuare nititur. I. *Qua poteſtate factum, viderit Innocentius.* Illa factum eſt: *Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Quodcunq; ſoluerit, etc. Quodcunq; ligauerit, &c.* II. *Quid eſt, niſi furere, vti excommunicatione extra diœceſin?* (Non extra; quia nulla diœceſis eſt extra limites illius, cui dictum: *Paſce oues meas*) *& citra citationem.* (At non ſemel, ſed ſæpius monitus fuerat Arcadius, ne vxori nimium indulgeret, ſeque per inſaniam eius aduerſus Ioannem concitari & exaſperari ſineret. Omnia ſurdis auribus dicta) *cognitionemque tum iniuſtè factã* (ſatis ſuperque factum Arcadij cognitum diſcuſſumque fuit. Satis ſuperque iniquitas eius eluxit) *tum cordis ἀμεταμελήτου, impœnitentis* (nec de hoc dubium erat, quandoquidem Arcadius omnia ſana circa Ioannis cauſſam conſilia & monita pertinaciter reſpuebat, & vix ad aures admittebat, certè non ad mentem) *cognoſcere autem de iſtiu Innocentius qui potuit?* Vt ſummus paſtor potuit, & vt is, qui in ſumma Apoſtolicæ cathedræ ſpecula reſidens, omnia, quæ Arcadius iniuſtè patrarat, accuratiſsimè nouerat.) *Audax facinus* (Tuum, Iuni, qui tanti Pontificis laudatiſsimum factum carpere audeas) *& perturbationem hominũ in publica rerum perturbatione oſtendens* (non perturbationem, ſed zelum & ardorem retinendi iuris & æqui) *cum Arcadium Imperatorem & coniugem eius* (alteram Herodiadem, omnis mali originem) *itemque Atticum Conſtantinopolitanum,*

(hallu-

(hallucinaris, non Atticum, sed Arsacium, hic enim proximè D. Chrysostomi thronum inuaserat) *& Theophilum Alexandrinum Patriarchas vna excommunicatione petiuerit.* (Nec iniuriâ, quia tali pœna, ob commissa in Ioannem, dignissimi erant) claudit Iunianas lœdorias in Innocentium hoc scomma. *Salit Pontificibus Romanis supercilium, etiam dormitantibus.* Et tibi etiam nictanti conuicia ex Caluinisticis faucibus in chartas sponte sua effluunt, tanta est eorum in pectore tuo vbertas.

Sibrandus mentitur, *Ex Epistola Innocentij, totaq; causa Chrysostomi validissimè Monarchiam Papæ restatari.* Quia Innocentius dicit, turbas illas propter Chrysostomum excitatas, *à sola Synodo corrigi posse, supplicat etiam Arcadio pro Synodo.* Mendacium est, hæc duo contineri in Epistola Innocentij, quæ exstat apud Nicephorum, de qua in præsenti nobis est sermo. Illud de correctione facienda per Synodum reperitur in Epistola Innocentij ad Clerum Constantinopolitanum, sed non nisi ex hypothesi asseritur; quia enim Innocentij vox & sententia ab Arcadio non audiebatur, neque iam ius, sed iniuria, nec pietas, sed impietas prævalebat, & omnia sursum deorsum vertebat & inuertebat, censuit Innocentius Synodo opus esse; si fortè huius auctoritate moueretur, qui iam Apostolicæ sedis potestatem & iusionem ab improbis seductus in postremis ducebat. Et quamuis Innocentius pro Synodo supplicem libellum Arcadio obtulisset; id primatum Romani Pontificis haud læderet; quia aliud est, quod agimus lege obedientiæ & subiectionis; aliud, quod necessitate & violentia tyrannica compulsi.

Illud iucundum est. *Papa vocat Chrysostomum doctorem vniuersi orbis: ergo ipse Papa non est vniuersi orbis Doctor.* Argutè. perinde ac si vniuersalis Doctor in definiendo, inque decidendis infallibiliter fidei quæstionibus, qualis Papa: & vniuersalis doctor, qui scriptis & institutione sua vniuersum mundum erudit, qualis fuit Chrysostomus, qualis Augustinus, & alij, sint vnus & idem, eiusdemque auctoritatis ac potestatis.

Adiungit calumniator Sibrandus. *Innocentij factum fuisse aut stolidum aut immite. Stolidum; quia Arsacium iam mortuum excommunicauit, cum potius eum de throno deturbare, & Ioannem in eum reducere debuerit. Immite; quia si potuit Ioannem adhuc in viuis degentem excommunicatione sua iuuare, cur id non fecit?* Tota hæc obiectio est stolida & fatua. Nam & mortui excommunicari possunt, viuentibus in exemplum; Et Innocentius Chrysostomo opem tulit, quantam potuit per iniquitatem temporum. Quæ si minus efficax fuit, non defectus potestatis in Innocentio fuit; sed iniustitiæ vis & magnitudo, quæ omnia tum occuparat, & iuri nihil loci reliquerat. Si Regis alicuius subditus, tyranni truculentia in exilium agatur, & miserandum in modum exagitetur; Rex autem ille nihil intentatum relinquat, quo subditum liberet, nec quidquam tamen proficiat; eo quòd iustitiæ omnis aditus sit intercluſus; an ideo Rex ille non est Monarcha sui regni? Nam quòd Innocentius post mortem demum S. Chrysostomi anathematis fulmine Arcadium percusit; id eo accidit, quòd speraret Arcadium absque hoc tam duro remedio ad saniorem mentem reuersurum. Sed quia interea inopina Chrysostomi mors interuenit, accelerata etiam incommodis, quibus dedita opera eum illi affligebant, quorum custodiæ commissus fuerat; iusta indignatione Innocentius exarsit, & immedicabile vulnus ense recidendum censuit.

Ait Sibrandus; *Totum argumentum esse ridiculum; non enim magis elucere primatum Romani Pontificis inde, quod excommunicarit Imperatorem, quàm si quemlibet alium vilissimum homuncionem à communione fidelium segregasset.* Criminatur, more solenni Sibrandus; non enim ita argumentatur Bellarminus. Innocentius excommunicauit Imperatorem, habuit ergo primatum Ecclesiasticum; sed hunc in modum. Innocentius excommunicauit Imperatorem Orientis, qui ad Romani Patriarchæ, præcisè, qua talis, diœcesin seu Metropolim non pertinebat; signum est ergo, quòd Romanus Pontifex habeat etiam potestatem in aliorum Patriarcharum diœceses, atque adeo, quòd ipse primatum Ecclesiæ teneat; nam quis aliorum Patriarcharum vel Episcoporum potuisset Arcadium excommunicare, propter expulsum Chrysostomum? Et si qui alij Episcopi excommunicarunt Imperatores, vt S. Ambrosius Theodosium, id fecerunt in sua Ecclesia vel diœcesi.

Nequeo hic tacitus prætereire quiddam, quod obseruatione cumprimis dignum iudico. Cum Gregorius VII. Pontifex imperterritus & magnanimus, Henricum IV. Imperat. excommunicasset; reclamatum est, ab Henricianæ partis studiosis; *rem esse noui & inauditi exempli; nunquam factum, vt Romanus Pontifex Romanum Imperatorem excommunicauerit.* Quorum querimoniæ ipse Gregorius in Epistola ad Herimannum Episcopum Metensem, quæ exstat in Historia Brunonis de bello Saxonico, hunc in modum satisfacere studuit. *Si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, B. Innocentius Papa, Arcadium Imperatorem, quòd consensit, vt S. Ioannes Chrysostomus à sede sua pelleretur, excommunicauit.* Hoc schismatici tolerare nequierunt; quod exemplo vnius discès, eius nimirum, qui pro Henrico IV. Apologiam euulgauit; qui hoc refutare volens, ita orditur. *Vnde hoc assumptum sit, nos quidem adhuc incertum tenemus.* (Ex ipsa Innocentij Epistola, & ex Arcadij ad illam responso istud desumptũ est) *sed hoc pro certo nouimus, quod nec in gestis Romanorum Pontificum inuenitur, nec in Tripertita Historia, vbi plus quàm alibi legimus de illius depositionis sententia.* Argumentatur Auctor iste, quisquis fu-

ab auctoritate negatiue, eodem prorsus modo, quo Caluinistæ nostri VVitackerus & Sutliuius: vt videas schismaticos & Caluinistas eadem Dialectica vti.

Addit Auctor Henricianæ Apologiæ, *Episcopos* qui damnarunt Chrysostomum, *fuisse Catholicos.* Esto sanè. Quid tum? An qui se Catholicum profitetur, nihil contra ius & fas admittere potest? Oggerit, *illos potius excommunicandos fuisse, quàm Arcadium, qui in relegationem Chrysostomi tantummodo consenserit.* At consensit, si non vt assessor detestandi aduersus Chrysostomum conciliabuli, certè vt auctor & architectus omnium contra Chrysostomi caput machinationum. Absque enim Imperatore fuisset; nihil cæteri in eum moliti fuissent. Nonne Theophilum & Arsacium præcipua tragœdiæ illius capita communione priuauit Innocentius? De quo grauissimis verbis ita loquitur Pontifex. *προσπέμψαι δὲ τῷ εἰρημένῳ Θεοφίλῳ ἀφορισμὸν, καὶ ἀναθεματισμὸν, καὶ τῦ χριστιανισμῦ ἀλλοτρίωσιν. Theophili autem abdicationi adiicio excommunicationem, execrationem, & à Christianismo exclusionem.*

Ait Auctor. *Arcadium multa edidisse decreta pro Catholica fide; eumq; Christianæ religioni magno emolumento fuisse.* Haud imus inficias. In caussa tamen Chrysostomi exerrauit; & gloriam suam maculauit; quam tamen, vt apparet ex Epistola eius ad Innocentium, salutaribus lachrymis eluisse videtur.

Cumulat postea Auctor ille, more suo, testimonia Patrum, vt S. Leonis, ipsius Innocentij, S. Gregorij, quibus omnibus nil aliud euincitur, quàm sacerdotibus enitendum esse; vt pax & concordia Ecclesiam inter & Imperium vigeat; quod nemo abnuit. Sed non inde confit; Imperatores & Reges pœnis Ecclesiasticis plecti non posse, si quid dignum mulcta perpetrent. Erat autem apud schismaticos adeo peruulgatum, & decantatum, Gregorium VII. fuisse primum qui Imperatorem vel Regem à communione excluisset, vt persuasio hæc doctis itidem & orthodoxis scriptoribus errorem obiecerit; inter quos & Onuphrius in vita Gregorij VII. quam Apologiæ pro Gregorio inseruimus, vbi excommunicationes in Arcadium, Leonem Isaurum & similes pro fabulis habet, secutus vestigia schismaticorum, & Auentini, à quibus non semel circumuentus & in fraudem inductus est.

Excommunicauit Gregorius III. Leonem Isaurum Imp. Sutliuius & Iunius plaustra conuiciorum in Gregorium exonerant. Ille, Gregorium rebellionis & impietatis insimulat; hic, factum Gregorij nihil *à gladiatorum ficù differre* criminatur; quòd à perfido Imperatore discesserit, & ad Francos transierit. Culpant isti, quod ipsimet Græci Zonaras, Cedrenus & alij non reprehendunt. Nec nisi à liuido pectore negari potest, factum Gregorij occidenti salutem attulisse, & Græcos illos Imperatores Leonem, eiusque filium Copronymum belluas potius, quàm homines fuisse, testantur Zonaras, Cedrenus, & alij. VVitackerus calumniatur, *hoc exemplum esse recentius, si quærere vetera.* (Tam vetus est hoc exemplum, vt sperem Caluinismum nunquam fore tam veterem.) *Forsan nec verum esse.* (An quia tu falsum esse optas?) *Leonem à Gregorio non esse priuatum Imperio.* Imo verò, occidentali. Tandem vocat VVitackerus Gregorium *proditorem*: Leonem; Imperatorem bonum; Hoc scilicet restabat; vt Diabolus diceretur *bonus*; & S. Michaël Archangelus, *malus.*

Nicolaus primus minatus est Lothario Regi excommunicationem, & Valdradam concubinam eius reipsa excommunicauit. Oggerit Sutliuius. *Lotharium forsan exclusum à communione Nicolai, non enim legi quòd in eum bannum Papalem protulerit.* Dormitauit, opinor, Sutliuius, cum hæc papyro illineret. Non dicit Bellarminus Lotharium à Nicolao excommunicatum, sed comminatione excommunicationis territum, ne vxorem legitimam repudiaret. Et si eum excommunicasset, non modo à sua, sed à totius Ecclesiæ communione eum separasset. Hæc enim est excommunicationis (quam iste calumniose *bannum papalem* vocitat) vis & effectus. Nec refert, quòd scribit Otho Frisingensis, vt Caluinista obiicit; se non legisse quenquam Regum aut Imperatorum ante Gregorium VII. *fuisse excommunicatum*; quia Otho non legerat omnia omnium historicorum monumenta. Certumque est, Henricum IV. non fuisse primum, in quem Apostolica sedes anathematis fulmen coniecerit. VVitackero nimis *recens est exemplum* NICOLAI, & ipse NICOLAVS, *merus Antichristus, qui plus sibi arrogauit, quàm quisquam antea.*

Ad exemplum excommunicationis à Victore Papa in Asiaticas Ecclesias latæ, nil reponunt Sutliuius, Iunius, Sibrandus & VVitackerus, nisi conuicia in Victorem. Sed Victor, qui iam pridem Diabolum ipsum vicit; vicit pariter hæc venenatarum linguarum missilia, quæ, Diaboli instinctu, in eum à sectariis passim iaciuntur. Sibrandus mutat, nouâ metamorphosi, *Blastum* illum, de quo Tertullianus ad finem libelli de præscriptionibus Hæreticorum in *Blasium.*

Ait Bellarminus; Pium Pontificem, ante Victorem decreuisse, vt Pascha celebraretur die Dominico. *Negat id Irenæus*, inquit Iunius, *expressis verbis apud Eusebium lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 26.* Iunium mentiri, docebit te ipsa Eusebij lectio. Tantũ dicit Irenæus apud Eusebiũ; Pium, & alios Romanos Pontifices, à communione Asiaticarum Ecclesiarum non discessisse propter diuersum ritum celebrandi Paschatis; quod verum est; quia licet Pius sanxisset, Pascha non alio, quàm Dominico die peragendum; attamen se-

cus agentes communione non priuauerat, vt postea fecit Victor, ratus obsequium aliter extorqueri non posse, nisi asperiore aliquo medio.

CAPVT XX.

Idem probatur ex Vicariis Papæ.

SVTLIVIVS vix quidquam hîc affert, præter conuicia in legatos & Vicarios Papæ. Iunius clamitat. *Ius exemplorum, non exempla petimus.* Danæus quoque. *Quæritur, vtrum iure Papa miserit legatos in omnes partes Christiani orbis.* Ne dubita, iure misit; iure Vicarios in variis orbis partibus vel temporarios, vel perpetuos constituit. Huius Iuris testis est vniuersus Orthodoxus orbis. Quod enim Sutliuius dicit, *non posse antiquum exemplum produci tempore Leonis Magni*, mendacium est. Nam S. Leo Epist. 84. facit Anastasium Episcopum Thessalonicensem suum Vicarium per orientem, sicut eius prædecessores Vicarij fuerant prædecessorum S. Leonis. Ergo mos constituendi Vicarios non cœpit à Leone, sed ab Antecessoribus ad S. Leonem peruenit.

Obiicit Sutliuius: *Non sequi; Pontifex Romanus mittit suos legatos & constituit Vicarios in variis mundi partibus; ergo primatum habet in Ecclesia; nam & principes ac Reges, imò etiam priuatos, ad varias partes legatos mittere, & Vicarios in rebus agendis constituere.* Similia blaterat Sibrandus: qui & addit; *Vicarios à Papa constitutos, & omnes simpliciter Episcopos, esse Romano Papæ pares, nullum autem Viceregem esse suo Regi parem.*

Sed isti argumenta Bellarmini formant & deformant prout calumniandi libido instigat. Nam Bellarminus non ita argumentum instituit, vt isti comminiscuntur; sed hunc in modum. Qui in variis regionibus constituit Vicarios, vt causas Ecclesiasticas cognoscant, diiudicent, & decidant, exceptis grauioribus, quas constituens sibi reseruat, is est Monarcha in Ecclesia. Pontifex Romanus hoc facit & fecit. ergo, &c. Item; qui Legatos in omnes partes, quarum necessitas id exigere videtur, mittit; vt Ecclesiasticas causas agnoscant, definiant, &c. is primatum habet, Pontifex est talis, &c. Non enim constituit Vicarios eo pacto, quo qui mercimonia tractant, constituunt suos Vicarios. &, vt vocant, *Factores*, variis in vrbibus; sed ad Ecclesiasticarum causarum, cognitionem, diiudicationem & decisionem, & quidem iis in locis, vbi alioqui reperiuntur ordinarij causarum Ecclesiasticarum emergentium iudices & cognitores.

Si quis politicis in negotiis mitteret Londinum in Angliam, aut Antuerpiam in Belgium Legatos cum plena potestate cognoscendi quascunq; lites forenses & politicas; vel si quis hisce in locis alicui hoc fine vices suas demandaret;

A an non rectè colligeremus, tali illis in vrbibus iurisdictionem competere? Cum ergo Pontifex Romanus, qua qua versus, legatos suos destinarit, & Vicarios agnoscendis, vice sua, controuersiis Ecclesiasticis præfecerit; manifestum fit, ei iurisdictionem per omnes Christianorum prouincias conuenire.

Mentitur enim Sutliuius, cum dicit; id, quod S. Leo fecit, *potuisse quemlibet alium Patriarcham, imò & Episcopum facere; nimirum verum suarum procuratorem siue Actorem constituere.* At non hoc tantum fecit Leo; vt iam dictum; sed Vicariis & Legatis potestatem suam tradidit, vt variis in prouinciis lites Ecclesiasticas, tanquam iudices, cum
B potestate & auctoritate iudiciari? cognoscerent, definirent, ac componerent. Num hoc vllis aliis Episcopis licuit?

Mentitur iterum, quando dicit, *Officium horum Vicariorum istud solummodo fuisse, vt darent operam, quo Canones studiosè custodirentur; tales Canonum, quasi custodes, à quibusuis Episcopis constitui & alio amandari posse.* Erat hoc quidem vnum ex officiis Vicariorum & Legatorum; at non tantum, sed præterea transgressores Canonum *iudicialiter*, & cum auctoritate punire poterant, & debitis pœnis coërcere; & omnibus adeuntibus ius dicere. Cuius certè extra suam diœcesim nulli Episcopo vel per se, vel per Vicarium faciendi potestas concessa fuit.

C Rursus perfricto vultu reuocat Sutliuius Epistolas S. Leonis in dubium. Iam alibi diximus; pari, si non meliore iure, in dubium vocari posse Epistolas Ciceronis ad Familiares & ad Atticum. *Plures sunt Epistolæ*, inquit Sutliuius, *in posterioribus editionibus, quàm in prioribus.* Quid tum? An ideo sunt supposititiciæ? Plura longè sunt opera in posterioribus editionibus Tertulliani & S. Augustini, quàm in primis, ergo vel omnia, vel quæ postea ex Bibliothecis eruta prodierunt, spuriis accensenda erunt? Mentitur Caluinista, Leonem, *ne vnum quidem Monachum tumultuantem*, Eutychen videlicet, *compescere potuisse.* Potuit, & compescuit quoque iure quidem, si non statim de facto; quia munierat se Eutyches præsidio
D Imperatoris, & potentissimorum quorumque ex aulicis, sub quorum alis delitescens, Leonis monita & censuras aspernabatur; vt fecit etiam cum alio Leone Lutherus; tectus ope Electoris Saxonis, & aliorum præsertim leuis vulgi. Sed num ideo Rex quispiam non est in suo Regno Monarcha, quia vnum vel plures rebelles reipsa coërcere, & à nefariis conatibus cohibere non potest? Num sceleratorum rebellio & inobedientia, & omnis præscriptionis contemptio adimit vel minuit Regi plenum illud ius, quo in suo regno pollet? Idem & de Ecclesiastico Monarcha cogita.

Commisit S. Leo Epist. 87. vices suas Potentio Episcopo in regionibus Africæ. Respondet

Sutli-

Sutliuius; *Leonem non imperium, sed vicem curæ suæ Potentio dedisse.* Quid hæc cura aliud, quàm potestas & iurisdictio Ecclesiastica? *At Leo dedit illi tantum curam inquirendi?* Sed inquirendi cum auctoritate, & more iudicis. Nam & iudicis est inquirere. Nec quiuis Episcopus talem potestatem habet, vt mentitur Sutliuius. Nullus enim extra suam diœcesin mittere potest Legatos vel Vicarios, qui iuridicè in res ab Episcopis gestas inquirant, & post inquisitionē legitimam vniuersa acta ad se referant, vt fecit Potentius à S. Leone constitutus.

Pontifex Romanus, inquit Sutliuius, *impedire non potest, quo minus nos aliquos Romam mittamus, qui quid ibi occulti consilij capiatur, quidque mali machinetur, inquirant.* At vt clancularij exploratores, & proditores; non vt legitimi & publici inquisitores, qui totam suam Inquisitionem ad Canonum præscriptionem conforment: Num tales sunt vestri Inquisitores, quos Romam allegatis? An non sunt similes illis, quos aliquando Turcæ ad Christianorum castra & oppida clanculum submittunt?

Iunius dicit Leonem commisisse vices suas Potentio, *ad fraternam communicationem cum Afris vt res cum illis communicatas & compertas referre posset, ad Ecclesiarum inter se conformationem; hæc fraterni officij, non superiorū auctoritatis esse.* Hos fumos dispellunt omnia propemodum S. Leonis verba; Ex quibus liquidò eluceſcit, eum Potentio ita suas vices demandasse, vt cum auctoritate & iudicialiter in acta Africanorū Episcoporum inquirere, & post inquisitionē cuncta ad se, vt ad iudicem, referre posset; Et hoc *pro sollicitudine, quam vniuersæ Ecclesiæ ex diuina institutione debemus*, inquit S. Leo. An non postea S. Leo, rebus verè cognitis, vt iudex, sententiam pronunciauit contra illa, quæ perperam facta fuerant, vt & contra illos, qui perperam factorum causa & auctores fuerant? VVitakerus breuiter à Leone se expedit. Infigit illi suos Caluinianos dentes, metuens, opinor, ne prius ab illo mordeatur. *Leo, vt homo superbus, nimium sibi sumpsit.* Quid amplius à VVitakero exspectemus?

Cœlestinus nullam tribuit Cyrillo auctoritatem, inquit Sutliuius, *sed tantum vices suas & suffragium in Synodo Ephesina; hoc autem omnes Episcopi, qui Synodo interesse non possunt, facere solent.* Idem responsum dat Iunius. Accipio, quod dant, commiserit Cœlestinus Cyrillo vices suas, & ius ferendi suffragij. An non hoc ipso ei auctoritatem quoque suam impertiit, ita vt Cyrillus in Synodo agere posset, quidquid ipse Cœlestinus, si præsens fuisset, agere potuisset? Si Imperator aut Rex alicui suas vices in comitiis plenè committat; an non dat ei agendi ea, quæ agi debent, ius & auctoritatem? & quidem non vulgare ius, sed suum, hoc est, summum?

In Gelasiū Pontificē rursus furiosè Sutliuius insilit. Dubitat, num eius sit Epistola ad Episcopos Dardaniæ. Paulò post dubitabit, num sol meridie luceat, & luna in plenilunio. Ait, eum *multa ineptè, multa arroganter, multa falsè scripsisse.* Iunius, *eundem ambitionis* insimulat. Omnia ineptè, arroganter & falsò. Quid enim arrogantius, quàm se suumque peruersum iudicium tanto Pontifici, quem omnis antiquitas venerata est, anteferre, & anteferendo ad insaniam vsque maledicta ructare?

Ait Sutliuius, in Epistola Gelasij *nullam vel leuem suspicionem esse, quòd Acacius Episcopus Constantinopolitanus constitutus fuerit Romani Episcopi Vicarius:* Et Bellarminum impudenter acculat *malæ fidei* quasi verba, quæ citat; in Epistola Gelasij non reperiantur. Admonerem Sutliuium, vt vel paulum erubesceret, nisi iam funditus depudu isset. An non sunt hæc Gelasij de Acatio verba, quorum partem recitat Bellarminus? *Cur tanto tempore, cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre maturauit?* An non sunt hæc ipsissima Gelasij verba?

Mentitur Sutliuius, narrationem Epistolæ Gelasianæ redargui à Zonara in Basilisco & à Cedreno. At apud Zonaram nihil penitus est, nisi Acacium Patriarcham Constantinopolitanum, Basilisci impulsu, Synodum Chalcedonensem condemnasse: Nec plus, legitur apud Cedrenum, vbi de Basilisco agit. Num aduersatur hoc narrationi, quæ in Epistola Gelasij continetur? Nec quidquam eorum, quæ Cedrenus commemorat, post Imperium à Zenone recuperatum, repugnat iis, quæ Epistola Gelasiana complectitur.

Est & illud mendacium Sutliuianum, & quidem geminum, si non tergeminum, non Gelasium, *sed Felicem Papam ab Imperatore & Acacio Constantinopolitano postulasse.* (Quis hoc Gelasio attribuit?) *vt ipsi, non Pontificii Romani* (hæc non sunt verba Cedreni, sed fictitia Sutliuij glossemata) *sed suâ auctoritate* (neque hæc apud Cedrenum inuenies) *Petrum Mongum Alexandria eiicerent.* Nam Felix absolutè illis mandauit, tanquam superior, vt inuasorem illum de throno Alexandrino deturbarent. Quod cum non modò non fecissent, sed & insuper Legatos sedis Apostolicæ minis & muneribus in præceps egissent; Felix absque mora sententiam excommunicationis in Acacium protulit. Quid verò illa sibi volunt? *Cum Petro Mongo communicauit Episcopus Alexandrinus.* Quis Episcopus Alexandrinus? Num Acacius? At hic Constantinopolitanus fuit. Num Timotheus Aelurus? At is ante Mongum mortuus est. Et quid mirum fuisset, si lupus cum lupo communicasset? Num voluit dicere Acacium communicasse cum Mongo? Ita credo. Sed mentiendi præceps libido, non permisit, vt quod scribere debebat, scriberet.

Hormisdæ etiam ad Salustium literæ videntur Sutliuio *commentitiæ*, non nouâ, sed veteri impuden-

pudentia; quæ certè in hoc Caluiniano prorsus est intoleranda; quando tam proiectè & profligatè vel apertè reiicit, vel in dubitationem ea vocat, de quorum genuina sinceritate nemo antehac quæstionem mouit.

Obiicit Sutliuius: *Hormisdam Salustio suas duntaxat vices demandasse; hoc posse quemlibet Episcopum.* In Synodo; esto; extra; negatur. Inauditum est enim, vt Episcopus quispiam extra suam diœcesin alteri mandet vices suas eo fine, vt Ecclesiasticas causas cognoscat, diiudicet ac definiat. Quomodo enim iis in locis, in quæ nullam habet iurisdictionem, iudices constituet; qui suo nomine ius dicant & vnicuique quod suum est, tribuant? Hormisdam & Gelasium tanto supercilio despicit VVitackerus, vt eos ne dignetur quidem responso suo.

Iustinianus Nouella 131. scribit, *Episcopum primæ Iustinianæ loci quibusdam præesse debere, tanquam Vicarium Romani Pontificis, quoniam ita Vigilius Papa constituisset. Quis non miretur impudentiam Bellarmini* clamat Sutliuius; *non enim à Pontifice, sed ab Imperatore potestatem & terminos iurisdictionis accepit, vt nos Nouella Iustiniani docet.* Præ admiratione Sutliuianæ inuerecundiæ & mendaciloquentiæ vix suppetit; quod dicam. Certè Pseudologiis tam manifestis omnem sibi fidem adimit. Nam initio statim prædictæ Nouellæ exstant hæc verba, ad quæ Bellarminus respexit, de Episcopo primæ Iustinianæ. *In prouinciis ipsi subiectis, locum teneat Apostolicæ sedis Romanæ secundum ea, quæ sanctus Papa Vigilius constituit.* Dic, Caluinista, an non ita scripsit & dixit Iustinianus? Et tamen, ô duram frontem, negare audes.

Iunius quoque nebulis suis hoc Iustiniani testimonium obnubilare tentat. Ait, Iustinianum velle, *vt per tempus & extra ordinem Archiepiscopus Iustinianæ certarum prouinciarum iurisdictionem obtineat, non vt sit Romani Pontificis Vicarius, sed vt ad tempus extraq; ordinem eo loco habeatur, quo Romanus Episcopus.* Non dissimiliter VVitackerus. Fabulæ & gerræ. Nihil horum iubet Iustinianus; sed vt Episcopus primæ Iustinianæ locum teneat Episcopi Romani, prout non ipse Iustinianus, sed Vigilius Pontifex constituit; non enim suam, sed Vigilij Pontificis constitutionem hac in re vrget Imperator. Quid soli tenebras inducere niteris Caluinista? De S. Gregorio Magno impudenter affirmat Iunius, *eum transcendisse repagula auctoritatis suæ.* Et tu septa omnis pudentiæ & reuerentiæ. Sutliuius, præter Coccysmos & Battologismos, nihil amplius adfert.

Nec melior Sutliuio est
VVitackerus.

CAPVT XXI.

Idem probatur ex Iure appellationum.

DANAEVS dicit, hoc caput laborare duobus vitiis; *nempe fallacia à non causa, & à dicto secundum quid.* Longè ergo sanius est, quàm caput Danæi, quod innumeris *fallaciis* prægrauatum est. Air; non sequi: *Nonnulli ad sedem Romanam prouocarunt, ergo ex omnibus Ecclesiis ad eam prouocatio pertinet.* Omnino sequitur; quia quo iure aliqui, insidiis hostium pressi, ad hanc Ecclesiam prouocarunt, eodem poterant & alij, si hoc iure eis vti collibuisset; Et Canones, præsertim Concilij Sardicensis, cuiuis ad sedem Apostolicam appellandi potestatem faciunt. Ad Canones Sardicenses respondet Sutliuius: *Nos tabulas diuinas, aut saltem Apostolicas exspectabamus, ipse autem non modò nullum diuinum profert testimonium, sed nec humanum quidem, quod sit authenticum.* Similia garrit VVitackerus. Protulit Bellarminus Sardicenses Canones, tanquam diuini iuris interpretes & explanatores. Ipsum diuinum ius, quo ius appellationum nititur, allatum & explicatum est libro primo copiosissimè; illud, inquam, ius; *Et tibi dabo claues regni cælorum, &c. quodcunq; solueris, &c. quodcunq; ligaueris, &c. Pasce oues meas.* Hoc diuinum illud ius est, quo *appellationum* ius fundatur, & tanquam basi quadam sustentatur.

Postea verbosè declamitat Sutliuius contra auctoritatem Concilij Sardicensis & Canonum, quos condidit. Sed nugamenta eius examinandi non est hic locus. Lector hoc obiter attendat; duo fuisse Sardicensia Concilia; vnum Catholicorum Oecumenicum, de quo agimus, alterum, Arianorum; illud semper Orthodoxis in pretio & veneratione fuit; hoc, vt merebatur, explosum & repudiatum. Cumque hæc duo concilia à nonnullis non fuerint distincta, inde factum est, vt permiscerentur, & legitimum cum illegitimo reiiceretur. Lege Baronium Anno Christi CCC. XLVII. & Notas ad Concilium Sardicense Tomo 1. Conciliorum nouæ edit. Colonienſis. Exscripsit autem Sutliuius nugas suas contra Sardicense Concilium ex suo Subrando, more suo. Cur enim nugator à nugatore, & veterator à veteratore nugas & impostura mutuo accipere non posset?

Etiam Iunius negat fuisse Generale Concilium; Et probat acutissimè. *Quia Canones eius non peruenerunt statim ad omnes Ecclesias.* Hoc argumento facilè probabitur, ne Nicænam quidem Synodum fuisse Oecumenicam; quia Canones eius ad plurimas Ecclesias non peruenerunt, nisi post multos à Concilio celebrato annos. Ait Iunius: dici Oecumenicum, *quia à duobus Imperatoribus institutum.* Quis vnquam audiuit Concilia

vocari

vocari *vniuersalia* vel *Oecumenica* ab Imperatoribus ? Ait ; *debuisse Oecumenicum esse ; at non fuisse.* Quis impediuit ? Num phantasia Iunij ? Ita credo. Nam priscis alia fuit sententia. Sardicensis enim Synodus est Athanasio in principio Apologiæ secundæ *Magna Synodus*, instar Nicænę. Sulpitio lib. 2. Hist. *Concilium ex toto orbe conuocatum.* Augustino Epist. 162. *plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium.* Socrati, lib. 2. cap. 16. *generale Concilium.* Clausula ipsius Concilij. *Vniuersa, quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in vniuerso orbe diffusa custodiat.* Sed de his aliàs.

Ait Iunius. *Hoc de appellationibus ad sedem Romanam tantummodo fuisse decretum pro eo tempore, & prouisionaliter non in perpetuum: quòd fermè nullum iudicium Episcoporum orientalium suspicione vacaret* : mentiturque, hoc testari ipsos Patres in Epistola ad omnes Episcopos, Theodoretum lib. 2. Histor. cap. 8. & Nicephorum lib. 9. cap. 12. & 13. Nihil huius, Auctores isti. Nullum verbum de hac Iuniana *prouisione* faciunt. Ipsi etiam Canones Iunij vanitatem perspicuè redarguunt : Nam *appellandi* ius ad sedem Apostolicam, absque vlla restrictione vel limitatione temporis, locorum, aut personarum, sanciunt. Illud insuper Iunianis mendaciis annumeretur ; *in Synodo prima Constantinopolitana ius hoc appellandi sublatum esse. Can 1. & 2.* Etiamsi daremus Canones illos esse legitimos & genuinos, à mendacij tamen nota liber non esset Iunius, quia in Canonibus illis nihil prorsus de tollendis appellationibus ad Romanam sedem continetur.

Gelasium citatum à Bellarmino lœdoriis & probris tantum non obruunt Sutliuius & Iunius. Ille intonat, *Epistolas commentitias, ridiculas, auctore ridiculo dignas, ab omnibus piis & doctis* (immane mendacium) *explosas. Gelasium esse κεφαλὰν ridiculum caput. Domesticum testem, domesticum testimonium non audiendum.* Iunio *predicat Gelasius Canones arroganter. Verba eius esse ambitionis, non simplicitatis & veritatis.* Etiam S. Leo est Sutliuio *testis domesticus.* Mentitur, *Bellarminum nullos producere posse testes, nisi domesticos ; vel etiam deploratos hæreticos, vt Marcionem, Fortunatum & Felicem.* Iunius occlamat : *Hæc tria non esse exempla appellationis, sed surreptionis.* At nosse debet, ex malo facto elucere probum morem. Quocunque enim animo Marcion ex Ponto, Fortunatus & Felix ex Africa, ad sedem Apostolicam appellarint, inde tamen conspicitur, eos nunquam eò appellaturos fuisse, nisi perspectum habuissent hoc esse supremum tribunal ; ad quod omnibus appellatio libera concederetur.

Mox vibrat Iunius vipereum suum os in Romanos Pontifices : *Romanos enim Pontifices, quoties istas artes* (appellationes dicere debebat) *passi sunt, atque susceperunt, toties discidio Ecclesiæ aperuisse ianuam.* (Non magis quàm Imperator in Imperio aut Rex in suo Regno, admittens appellationes ad se factas) *Et se aut impudentiæ, aut ambitiosæ πολυπραγμοσύνης reos effeciisse, suamq; inquinauisse sedem.* (Nil nisi mendaciorum & conuiciorum crepitacula audio) *hanc turpem esse ambitionis, non certam humilitatis Christianæ viam. Sed Romam semper habuisse celsum supercilium.* Ista videlicet est Iuniana illa loquendi & scribendi modestia, qua præ cæteris excellere videri cupit.

Reliqua appellationum exempla eludunt Iunius & Sutliuius eo fuco, quòd non fuerint propriè appellationes, sed tantum querelæ apud Romanum Pontificem depositæ, vel perfugia ; aliud esse *appellare* : *aliud, perfugere* : *perfugio vti illos, quibus non liceat appellare*, mittitque Iunius Bellarminum ad Iureconsultos, vt discat, quid sit *appellare.* Sed vana sunt hæc effugia ; vana ad Iureconsultos missio, quia *appellationem* vocat Bellarminus, communi more, quoties quis non stat iudicio inferioris iudicis, sed ad superiorem causam denuo discussurum prouocat, etiamsi hoc fiat sine illis Ceremoniis, quæ à Iureconsultis præscribuntur ; nisi fortè S. Athanasius ab orientalibus ad Iulium I. Pontificem ideo legitimè non appellauit, quia litteras, quas *Apostolos* nominant, non attulit, nec ad manum eius à quo appellauit, aureum deposuit. Confugerit S. Athanasius ad Iulium Pontificem. An ideo non vt ad supremum, & qui iudicum suorum Iudex esset ?

Addit præterea Iunius, Flauianum Episcopum Constantinopoleos & Theodoretum *non appellasse* ad Romanos Pontifices, sed *reuisionem postulasse.* Quidquid moliaris, non euades. Nam vt *reuisionem* postularint, at eam postularunt non ab iisdem iudicibus, sed à Romano Pontifice, tanquam à priorum Iudicum suorum iudice.

Obstrepit Sutliuius. *Innocentius primus non potuit subuenire Chrysostomo, quamuis ad se appellasset, signum est ergo, Innocentium non fuisse ea potestate præditum, quæ ad opem Chrysostomo ferendam sufficeret.* Futilis cauillatio. Nam Innocentius Ioannem liberasset, si iuri & æquitati vllus locus relictus fuisset. Sed quia omnia agebantur vi, & vnius mulieris furentis impetu & imperio, quid mirum, si Innocentij conatus & labor Chrysostomo reipsa nihil subsidij attulit, quamuis appellatione ad Innocentium interposita ? An non quotidie hoc accidit, in quouis regno & imperio, vt iniustitia super iustitiam caput attollat, & violentia tyrannica pro iure regnet, & iustissimis ad superiorem appellationibus via intercludatur ?

Excõmunicauerat S. Gregorius Episcopum Iustinianæ primæ, quod iudicasset Episcopum Thebanum, qui ad Apostolicam sedem appellauerat. De hoc viri sanctissimi facto ita censet Iunius post vanissima de tota causa commenta. *Militaris potius, quàm fraterna & Ecclesiastica fuit ratio Gregorij, qui nec sua auctoritate per se recipere debuit,*

atque retrahere iuriſdictionem, vt vocabat, ſuam, nec ad A *præcipitem excommunicationis, velut gladij ſtringendi, vſum tranſuolare.* Dolendum S. Gregorio non obtigiſſe Iunium inſtitutorẽ & præceptorẽ. Quàm cautè & prouidè omnia egiſſet. Quàm ab omni *militari* agendi ratione ſedulò abſtinuiſſet.

Sauubrandus circa hoc caput nil aliud facit, quàm quod ſycophanticos ſyllogiſmos cudit, eoſdemque poſtea ſumma animi voluptate demolitur, vt pueri caſas ex luto à ſe exſtructas. Audi vnum vel alterum ſpeciminis gratia, ſi tamen opus ſpecimine, poſtquam huiuſmodi ſyllogiſmorum portenta modio vel potius trimodio nobis Sibrandus admenſus eſt. *Ad quem Marcion appellauit, ad eum ex qualibet mundi parte appellandum eſt. Sed Papa Romanus eſt ille, ad quem Marcion appella-* B *uit. Ergò Papa eſt ille, ad quem ex qualibet mundi parte appellandum eſt. Quod Felix, Fortunatus, & Baſilides fecerunt, hoc vniuerſus orbis facere debet. Sed illi appellarunt Papam. Ergò, vniuerſus orbis debet ad Papam appellare:* Nec plura de hoc cauillatorio rabula. Trãſeamus ad ſequentia, omiſſa itidem vaniſsima VVitackeri logodædalia & polylogia.

CAPVT XXII.

Soluuntur argumenta Nili de iure Appellationum.

DANAEVS rem magnã paucis gerit: nempe, *ſolutiones Bellarmini datas ad obiectiones Nili, nihil valere.* Sic affirmat Danæus. Qui non è veſtigio aſſentietur, is caueat, ne à cœna Caluiniana arceatur. Docet deinde Bellarminum, conciliũ Chalcedonenſe fuiſſe poſteriusSardicenſi: eademque opera eundem docere potuiſſet. Dauidem fuiſſe poſteriorẽ tribus Patriarchis, Abrahamo, Iſaaco & Iacobo.

Iunius *æquiuocationes* crepat, & in Nicolaum I. Pontificem impetum facit, quia in Canone Concilij Chalcedonenſis per ἐξαρχον, quem Interpres vertit *primatem diœceſeos*, intelligit Pontificem Romanum. Hic intellectus ſtomachum mouit Iunio. Quis ergo ἐξαρχος ex Iunij ſententia? *Princeps ſententiæ in confeſſu dicendæ, tralatione ſumpta à re Muſica; in qua exarchus appellatur cantilenæ vel modulationis princeps.* Vaniſsimum ſomnium: nuſquam enim hoc ſenſu accipitur nomen Exarchi in Eccleſiaſticis monumentis. Græcis, etiam hodiernis, eſt Exarchus, vt ex Curopalata lib. de officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ patet, quaſi Epiſcopi, Archiepiſcopi vel Patriarchæ vicarius, vel, vt à nonnullis vocatur, *Officialis* ſeu *Fiſcalis*. In Canone ſexto Sardicenſi accipitur *Exarchus* Diœceſeos pro Metropolitano. In Canonem nonum Chalcedonenſem hæc notat Balſamon. *Prouinciæ Exarchus eſt, vt mihi quidem videtur, non vniuſcuiſque prouinciæ Metropolitanus, ſed Metropolitanus diœceſeos. Diœceſis autem eſt, quæ multas ſub ſe* C *habet prouincias. Hoc autem Exarchorum priuilegium non eſt amplius in vſu. Etſi enim dicuntur Exarchi quidã ex Metropolitanis, ſed tamen alios Metropolitanos, qui ſunt in diœceſibus, non habent ſubiectos. Eſt ergo verisimile alios fuiſſe, qui tunc erant, Exarchos diœceſeon, vel eſſe quidem adhuc ipſos, ſed quæ eis data ſunt à Canonibus priuilegia, exoleuiſſe.* Hæc Balſamon, quæ recitare volui, non quod probem aliam interpretationem, quàm illam Nicolai primi, per primatem diœceſeos Romanum Pontificem intelligentis, de quo vide etiam Turrian. lib. 3. contra Magdeburg. cap. 4. ſed vt deliramentum Iunij de *Exarcho* validius contunderetur, cum eius nullum penitus veſtigium vel in Canonibus, vel in Canonum Interpretibus appareat. Et tamen mox de hoc abs ſe creato & excogitato *Exarcho* ſeu *Principe* dicendæ ſententiæ ſuauiſsimè iterum nugatur; & quomodo in ſynodali conuentu adeundus & rogandus ſit, nobis declarat.

Verùm quidquid ſit de vera *Exarchi* notione, rectè oſtendit Bellarminus ex S. Leone Canones iſtos non fuiſſe à ſede Apoſtolica approbatos; ac proinde, nihil cauſſæ ſuppetere, cur anxiè de eorum vero intellectu laboremus. Ad quę Iunius ironicè. *Nempe ex Pauli præcepto* 1. Cor. 14. *Spiritus prophetarũ ſingulorũ prophetis aliis ſubiecti ſunt. Leonis verò vnguibus Prophetæ omnes ad Spiritum ipſius retrahuntur; Romana ſcilicet pietate, fide, charitate, humilitate, modeſtia. Nonne iſta ſedes ſuperbiæ eſt?* Nonne iſte Spiritus calumniæ eſt; qui tam petulanter in tantum Pontificem incurrit & deſæuit? Quid enim S. Leo fecit, quàm quod facere ex officio Apoſtolico facere debuit?

CAPVT XXIII.

Soluitur argumentum primum Lutheranorum.

CONTRA appellationes ad Romanã ſedem producunt ſectarij teſtimonia quædam S. Cypriani. Sed ea nobis non officere, euidenter demonſtrat Bellarminus: Etiam exemplo Baſilidis apud S. Cyprianum, qui damnatus in Hiſpania appellauerat Romam ad Stephanum Papam; de quo S. Cyprianus; *nec enim tam culpandus eſt ille,* (Stephanus) *cui negligenter obreptum eſt, quàm hic* (Baſilides) *execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* At Stephanus valdè culpandus fuiſſet, quòd appellationem non reiecisſet, licet iuſtam cauſſam Baſilides habuiſſet, ſi ei non licuiſſet appellationes admittere.

Negatur, clamat Iunius. Quid negas? Num Cyprianũ ſcribere id, quod Bellarminus ex Cypriano recitat? Num negas quod de Stephano Bellarminus ſubiicit? *Exemplum falſum eſt*, inquit Iunius. *Non enim appellauit Baſilides, ſed ex Africa & Hiſpania cedens ſeſe in Eccleſiam inſinuare ſtuduit, circũuentione ſubreptitia.* Dixi iam cap. 21. appellationẽ

in hac disputatione non accipi solummodo A
stricte, vt à Iureconsultis describitur, sed & latè pro perfugio ad superiorem iudicem, qui acta priora rescindere, & decreta refigere possit; siue quis tali perfugio vtatur candidè, siue dolosè. Quo pacto Basiliden ad sedem Apostolicam appellasse, planè exploratum est; eluescit autem consuetudo ad Romanum Pontificem appellandi, etiam ex obreptionibus & vulpinis vafrorum hominum prouocationibus: haud enim ab aliis subselliis ad Romanum tribunal confugissent, nisi id solenni more fuisset receptum.

Sibrandus coniicit dicta S. Cypriani in hunc Syllogismum: *Vbi crimen admissum est, ibi vniuscuiusque causa audiri debet. Sed horum Episcoporum crimen admissum est in Africa. Ergo eorũ causa in Africa audiri debet.* B
Sed Sibrandus animaduertere debebat, quid ad ita Maiorẽ Bellarminus respõdeat; nempe, causam primùm esse iudicandam ibi, vbi crimẽ admissum est: At primũ iudiciũ non tollit potestatẽ appellandi. Attendere etiam debebat ad alia, quæ hic disserit Bellarminus, vt mentem S. Cypriani dilucidè ob oculos ponat. Sed Sibrandus totus in eo est, vt mentiatur & cauilletur. Ex qua sua ad cauillationes & mendacia attentione attribuit quoque Bellarmino hæc consequentiarum monstra. *Cyprianus appellationes omnino non sustulit, ergo concessit, vt Afri Papam appellarent. Cyprianus concessit aliquas appellationes, ergo concessit eas, quæ fiunt ad Papam. Pueri in scholis discunt ex partis particularibus nihil sequi.* Mirum, ni pueri in cunis videant Sibrandum insulsum calumniatorem esse, & sua deliria Bellarmino affricare; Ex quorum numero est etiam istud. *Debet vniuscuiusque causa ex decreto Concilij illic audiri, vbi est crimen admissum. Horum causa iam audita est, & manifestè crimina eorum detecta sunt. Cur igitur Romam appellant, nisi vt imponãt Pontifici, aut Episcopos vexent, qui eos iudicarunt? Ergo non debent Romam appellare. In hoc argumento,* inquit Sibrandus, *nullum membrum conclusionis est in antecedente.* Cuius culpa? An non tua, qui portenti huius es progenitor? *Conclusio est negatiua,* inquit, *cũ totum antecedens sit affirmatiuum.* Hoc itidem inscitiæ tuæ asigna; quia penes te erat conclusionem affirmatiuam facere. Cur non feciſti? *Credibile est,* inquis, *Bellarmino hoc per nimiam festinationem excidisse.* Credibile est te hæc omnia per nimiam sycophantandi cupidinem chartis illinere voluisse. Nihil Bellarmino cũ fœdo illo tuo monstro. Ex lumbis tuis prodiit. Tuum plasma est & phasma, Ais. *Quare non benignè interpretaretur puerilem lapsum contra virum doctum?* Habemus benignitati gratias ingentes; qua tamẽ nihil opus; quia puerilis iste lapsus, nil aliud est, quàm tuum scelus qui comminiscaris absq; rubore, cuius vel principem tuum, cui stylo & calamo militas, puderet.

CAPVT XXIV.

Soluntur alia tria argumenta.

PRIMA obiectio in hoc capite contra appellationes sumitur ex Epistola Damaso attributa, vbi dicit, sibi iudicandi formam competere non posse post Concilii Capuensis iudicium. Respondet Bellarminus, *Damasum non dicere, se non posse iudicare; sed non conuenire, vt iudicet:* neque enim par esse, *vt quando prouinciale concilium aliquid statuit, ipse sine causa aliter iudicet.*

Oggannit Sauubrandus. *Hoc nihil aliud est, quã effugium petere.* Qua de causa, mi Caluinista? Quia *conuenit*, est vox æquiuoca. *Competit*, non potest hic æquiuocè intelligi. (At Damasus non vtitur voce, *conuenit*; sed illa altera; *Competit.*) *Competens enim iudex est is, ad quem istud iudicium pertinet: & cõtrà; incompetens iudex, ad quem istud iudicium non pertinet.* Quàm argutè ex vocabulo *competit* argutatur noster Sibrandus? Ex quo quærere libet; si dicam; *hoc vel illud mihi non competit*; an non sit prorsus idem ac istud: *Hoc vel illud mihi non conuenit*, hoc est, non me decet. Ergo cum Damasus dixit; *post Capuensis synodi decisionem sibi formam iudicandi competere non posse*; vtique nil aliud dicere voluit, quàm sibi tale iudicium conuenire nõ posse; quandoquidem non decet, vt quæ rectè ac legitimè constituta & definita esse euidenter constat; ea denuo in disceptationem trahantur. C

Arguit Sibrandus Bellarminum contradictionis, sed Sibrandicæ, nõ Bellarminianæ. Qua de causa? Quia hic dicit, *non conuenire, vt Papa sine causa aliter iudicet, quàm in synodo prouinciali iudicatũ fuit:* Et tamen antea scripserat Bellarminus, *ex omnibus mundi partibus appellationes ad Papam fieri posse.* Quanta & quàm enormis antilogia? Quis eam tantis laqueis explicabit Bellarminum? Audi Caluinista; & hoc & illud verum est, interque se amicè conspirant: nam licet ex toto mundo ad Pontificem appellare liceat, nunquam tamẽ debet Pontifex *sine legitima causa* aliter iudicare, quàm in primo vel secundo iudicio iudicatum sit; & si facit, malè facit. An non quotidie videmus, etiam in politicis negotiis, eum, ad quem appellatum est, eodem prorsus modo iudicare, quo is, à quo appellatum est, iudicauerat; quia scilicet iustè iudicauerat? D

Addit Sibrandus. *Papam valde flagellari responso Bellarmini; illum enim sæpè absque causa aliter iudicasse, quàm primò iudicatum fuerat, id liquere exemplo Basilidis, Felicis & aliorum.* At nosse debet, Stephanum Papam à Basilide fuisse deceptum. Quis iudex tam sagax est, qui de particularibus gestis iudicans, aliquando non impingat? Si Basilides fraudulenter non egisset, nunquam aliter Stephanus iudicasset, quàm ab Episcopis Hispanis & Africanis iudicatum fuerat. Nam quod de Felice Sibrandus adiungit, id memoriæ eius non

admo-

admodum firmæ adscribi debet; neque enim cũ Basilide Felix depositus fuit, sed Martialis, substituto in prioris locum Sabino, in huius; Felice. Nec constat vtrum Martialis quoq; ad Stephanum Papam se contulerit. Videatur Baronius ad Annum Christi CCCLVIII.

Obiicit Caluinus Canonem XXII. concilij Mileuitani, in quo statuitur, vt si qui Afri *prouocare* seu *appellare* velint, nõ appellent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum, non autem ad loca transmarina. Respõdet Bellarminus, Canonem istum non loqui de appellationibus Episcoporum, sed clericorum inferioris ordinis: *Negamus distinctionem*, clamat Iunius. *Nam de Episcopis actum fuerat proximè Can. 21. & continenter subiicitur de presbyteris*, &c. *Consequentia docet commune interdictum esse omnium promiscuè, quod iis verbis subiicitur*: NE AD TRANSMARINA APPELLETVR.

Iunius iterũ audacissimè id affirmat, quod secus se habere sola vtriusque canonis inspectio manifestat: nam in canone 21. nullum penitus verbulum continetur de appellationibus, vel de Episcoporum appellationibus, sed tantũ de eo, quid agere debeat Episcopus, qui per vim ex sede sua depulsus est. Et canon 22. nec verbis nec sensu à vigesimo primo pendet, vt indicat etiam hoc Canonis vigesimi secundi principium. *Item placuit, vt Presbyteri, Diaconi*, &c. Quocirca prorsus Caluinianum commentum est, cũ vltima verba huius Canonis Iunius extra Canonis septa ad Canonem 21. rapit, inuito & reluctante vtroque Canone.

Mox iterum nugatur & mentitur Iunius de Canonibus concilij Sardicensis, Episcopis ad sedem Romanam appellationem concedentibus; quasi duntaxat *prouisionales, & temporarij* fuerint: Et immemor, nugamentorum ad cap. 21. effusorum, eò nos remittit hinc, vbi Bellarminus agit de Canone 17. Concilij Sardicensis, qui clericis minoribus largitur ius appellandi à suo Episcopo ad Episcopos vicinos: cum capite 21. non de hoc Canone, sed de quarto & septimo ad Episcopos pertinente, Bellarminus egerit; & hos etiam Iunius, non autem Canonem XVII. *prouisionalibus* suis cauillis ad cap. 21. cauillatus fuerit.

Iterum ingerit suum mendacium, Canonem 22. Mileuitanum spectare *communiter* ad Presbyteros & Episcopos. An non sufficiebat semel mẽtitum esse? Negat impudenter Augustinum dicere Epist. 162. *Episcopis Africanis fas esse appellare vltra mare*, licet hoc Presbyteris & minoribus Clericis non liceat. nam S. Augustinus vitio vertit Donatistis, quòd Cæcilianum Episcopum Carthaginensem & collegas eius absentes damnarint; causamque huius suæ reprehensionis hanc subiungit. *Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferiorũ ordinis Clericis, sed de collegis agebatur, qui possunt aliorũ collegarum iudicio, præsertim Apostolicarũ Ecclesiarum, causam suam integram reseruare.* An non disertè fatetur hîc S. Augustinus, Episcopos vltra mare appellare posse?

Mendacium est Episcopos Afros in Epistola ad Cælestinum Papam simpliciter prohibere *appellationes* ex Africa Romam. Mendacium insuper est, *patres Africanos in eadem Epistola ad Cælestinũ affirmare, in causa Apiarij Presbyteri imprudenter & temerè à Pontifice factum esse.* Legatur Bellarminus cap. seq. Et Baron. ad annũ Christi CDXLIX. vbi accuratissimè & copiosissimè de toto hoc negotio scribit.

Caluinum sic argumentantẽ fingit Iunius. *Iudex ordinarius non iudicat ex delegatione: Pontifex Romanus ex delegatione iudicauit in causa Cæciliani; non fuit igitur ordinarius Iudex.* Minor probatur, *quia imperator Constantinus iussit, vt Melchiades Pontifex causam Cæciliani cognosceret; ergo ex delegatione tantùm cognouit.* Respondeo, Minorem esse falsam. Ad probationẽ, nego consequentiam; non enim omnis iussio delegationem denotat: nam & is; qui inferior est, & incompetens iudex; si causa quæpiam ad se indebitè deferatur, iubere potest, vt à competente iudice, ad quem propriè spectat, cognoscatur & diiudicetur, quod in hac Donatistica controuersia euenit.

Ait Bellarminus, Pontificem permisisse secũ sedere alios ab Imperatore assignatos iudices, vt satisfaceret Donatistis, quibus Romanus Pontifex suspectus erat. *Negatur*, clamat Iunius. *Sic enim dicit Augustinus Epist. 162.* Iudicãte Melchiade tunc Romanæ Vrbis Episcopo, cũ Collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator. *Nam voce illa* QVOS, *Melchiadẽ & collegas notat.* Imò *solos collegas*, quidquid triceris, Grammatice: quod innuit verbum *miserat*. Nam Constantinus Episcopos istos Donatistarum & Cæciliani causam cognituros Romam miserat. Melchiadem eò mittere non oportebat, quia iam Romæ erat.

Dicit Bellarminus: Constantinum post Melchiadis & Arelatense iudicium, inuitum Donatistarum controuersiam cognouisse. *Hæc non planè cum veritate consentiunt*, inquit Iunius, *non enim passurus fuisset Romanus Episcopus causam aliò traduci, si fuisset ordinarius iudex illius.* At vt pateretur, cõtumacissima Donatistarum peruicacia faciebat. An non hodie itidem aliquando contingit; vt propter litigatorum obstinatissimam ceruicem iudex ordinarius permittere debeat, vt causæ cognitio deferatur ad eum, ad quem alioqui nõ spectat? *Via ista fuisset insolens. Negamus igitur.* Insolens fuit; sed, vt iniretur, insolentia insolentissimorum sectariorum Pontificem & Imperatorẽ coẽgit. Tibi quidem promptum est quiduis negare: Quia tibi perinde est siue cum ratione, siue sine ratione neges. Videatur S. Augustinus, & confestim diffugiet in auras negationis tuæ temeritas.

CAPVT XXV.

Soluitur argumentum vltimum.

OBIICIVNT Nouatores factum Zosimi, qui ab Africanis per legatos postularat, vt tres Canones Concilij Nicæni executioni mandarent. Vnũ, de appellationibus Episcoporum ad Romanũ Pontificem. Alterum, de appellationibus Presbyterorum, & minorum Clericorum, ad vicinos Episcopos. Tertium, de non eundo ad comitatũ, hoc est, ne Afri Episcopi irent ad aulam Imperatoris. Hic mirificè triumphant vniuersi sectarij, & Zosimum mille conuiciis lacerant, quasi Canones Sardicen. pro *Nicenis* supposuerit, & postea in *manifestaria fraude & impostura deprehensus fuerit*. Addunt, *Africanos Patres Romano Pontifici ius appellationis ex Africa admittendi, simpliciter denegasse*.

Sed has & similes Hæreticorum nebulas veritatis & historiæ luce clarissimè dispellunt duo seculi nostri splendidissima lumina Card. Bellarminus hic, & Card. Baronius Anno Christi CCCC. XLIX. Porro præter Hæreticos illos cõtra quos ordinariè in hac controuersia pugnamus, allatrauit extra ordinem hoc caput Hotomannus in Appendice ad *Brutum suum Fulmẽ*, vbi dicit se capitis huius refutationem *, speciminis loco premittere, donec plenior totius Controuersiæ de Pontifice cuersus subsequatur*. Sed præter inane hoc promissum, vel potius friuolas minacias nihil quod sciam, in publicum venit: Hotomanno ex hac luce subtracto, & ad loca, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror, deuocato, ni, sub extremũ vitę articulum, resipuit, mentẽq; saniorem induit, q'de tã insano sectario vix nobis polliceri possumus.

Negat Caluinista iure diuino concessas esse appellationes ad summum Pontificem. Probat 1. *Quia de hoc iure nullum penitus in diuinis literis testimonium aut vestigium inuenitur*; nec in iis inuenitur *Appellationis in causis Ecclesiasticis, aut prouocationis, aut Rescindendæ sententiæ vocabulũ, ergo*, &c. Cõfirmatur, *quia Christus omnes suos pares iure, dignitate, potestate esse voluit, neque cuiquam eorum iurisdictionem siue audientiam alterius audientia maiorem aut superiorem attribuit*: ex quo sequitur euidentissima conclusio, *pari in parẽ nullũ esse imperium, nullam iurisdictionẽ, nullã alterius retractandæ aut rescindẽdæ sententiæ potestatẽ*.

Respondeo, non esse necessarium vt vocabula *appellationis* seu *prouocationis* & *rescindendæ sententiæ* in causis, Ecclesiasticis in scriptura exstent: sufficit in ea rẽ exstare. Nam nec *Trinitatis*, nec *Triadis*, nec *Homousij*, nec *Consubstantialis* nomina in scriptura reperiuntur, nec tamen idcirco reiiciuntur: quia satis est rem his vocibus significatã in scriptura contineri: quemadmodum & ius *appellandi* continetur in illis: *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. *Quodcunque solueris*, &c. *Quodcunque ligaueris*, &c. *Pasce oues meas*. Ad cõfirmationẽ Respondeo, Hotomannum prius debuisse confutare Bellarmini probationes, quibus libro primo copiosissimè ostendit, Petrum cæteris Apostolis fuisse maiorem, atque adeo falsum esse, quod Hæretici contendunt; omnes Apostolos esse vel fuisse dignitate & potestate pares. Nunc tam securè nobis ista sua, & suorum placita reponit, acingerit, quasi Bellarminus nullo verbulo ea tetigerit vel redarguerit. Negamus ergo has de Apostolorum omnimoda paritate cantilenas & næniasab Hæreticis millies decãtatas, nunquam vel tenuissima probatiuncula comprobatas. At Petrus dicit vniuersim 1. Petri 5. *Pascite vestros greges, non dominantes clero, sed alij se alijs submisse subiicientes*. Quid hoc obstat primatui Petri? Quis abnuit quemlibet particularem pastorẽ oues sibi commissas fideliter & sedulò pascere debere; absque fastu, & violento dominatu; cum modestia & humilitate tam respectu ouium, quàm respectu aliorum pastorum? Hoc certè ipsi etiam Petro & successoribus eius faciendum fuit, & etiamnum est; vt licet dignitate & potestate sint supra omnes; humilitatis tamen affectione, sint infra omnes. *Rectorem te posuerunt?* inquit Sapiens Eccles. 32. *Esto in illis, quasi vnus ex ipsis*. Et tamen non ideo nõ est rector & superãor.

Obiicit Hotomannus & quidem admodum festiuè. *Act. 2. vbi Spiritus sanctus linguarum ignearum forma in Apostolorum capita descendisse dicitur, nulla fit mentio linguæ alicuius cæteris amplioris & insignioris, qua capitis Petri, quasi Principis & Coryphæi insisteret; ergo Petrus par cæteris Apostolis fuit*. Hoc argumento pluscquam forsan velit, efficere poterit sectatlus, nẽpe, non modò Apostolos fuisse pares inter se; sed etiam pares dignitate & potestate fuisse cæteris discipulis, imò & mulieribus; discipulosque & mulieres illis, quandoquidem non super solos Apostolos, sed super omnes, qui simul congregati erant, Spiritus sanctus ignitæ linguæ formã descendit. Deinde, si quis negaret, super Petrum nõ descendisse illustriorem linguæ figuram; qua ratione eum refutaret Hotomannus, nisi stramentitio illo telo? *Non est scriptum, ergo non factum*. Sed nil opus huc venire; quia visibilis ille descensus non accidit eo fine, vt declararet, quis inter Apostolos esset reliquis maior & eminẽtior, sed alias ob causas; quia iam antea Christi lingua primum inter Apostolos designauerat illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam*, &c. *Et tibi dabo claues regni cælorũ*, &c. *Pasce oues meas*. Hic Spiritus sancti, & cælestis linguæ, vt sic nominem, *descensus*, in solo Petro recubuit, soliq; insedit. Iam quod Act. 11. S. Petrus rationem reddit, quòd introierit ad viros *præputium habentes*, nil eius primatui derogat. Nam & Rex & Imperator, & quilibet superior, cum necessitas exigere videtur; factorum suorum rationem subditis quoq; reddunt; vt ostendant, nihil à se perperã vel temerè commissum.

In Apocalypsi, inquit Caluinista, *cælestis Hierusalẽ duodecim columnis fundata dicitur. Hoc est, duodecim Apostolis, nõ aliqua columna memoratu cæteris stabilior*

& firmior, sed omnes pares, & æquales fuisse significantur. Ad hoc argumentũ respondebunt Sutliuius & Sibrandus, Hotomanni Concaluinistæ, *illud esse allegoricũ, ac proinde nullius momenti, Ex allegoriis enim nihil colligi.* Quibus quo pacto satisfaciendum sit, viderit Hotomannus, vel aliquis Hotomãnianus. Ego enim hoc responso nõ vtar; tantũ dico, Apocalyp. 21. nihil penitus exstare de omnimoda paritate & æqualitate duodecim fundamẽtorũ, hoc est, duodecim Apostolorũ Agni: Sed tantũ hoc ibi legi. *& murum ciuitatis habens fundamẽta duodecim; & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorũ Agni.* Quæ optimè subsistunt, licet dicamus, vnũ ex his fundamentis fuisse cæteris excellentius & maius. Deinde non est hîc sermo, vtrum fundamenta cælestis Hierusalẽ sint inter se paria: sed quæritur de fundamentis Ecclesiæ militantis. Et inter hęc dicim', vnũ præeminere cęteris firmitate, immobilitate, soliditate: illud videlicet de quo Mat. 16. *Tu es P. & super hãc Petrã ædificabo Ecclesiã*, &c.

Paulum se simpliciter exæquare S. Petro, mendaciũ est Hotomãnicũ. Et illud inepta collectio. *Paulus reprehendit Petrum, ergo Paulus fuit Petro par potestate, dignitate, officio.* Par ei fuit præcise, quoad officiũ Apostolicũ: Impar quatenus & ipse Paul. vnus erat de grege Christi, & sic sub Petro; quia oẽs oues Christi erant sub Petro, ex vi illius: *Pasce oues meas.* At de his copiosè iã lib. 1. disputatũ est.

Ne *primæ sedis* Episcopus vocetur *princeps sacerdotum*, vel *summus sacerdos*, sed tãtũ *primæ sedis Episcopus*; id factũ est, humilitatis & Christianæ submissionis intuitu, nõ vt qdquã primatui primę sedis derogaretur: vt taceam cõcilium hoc Carthaginẽse fuisse particulare: Et Canonẽ hunc tulisse, vt coërceret ambitionẽ eorũ, qui in Africa primas sedes tenebant.

Secũdò probat Hotomãnus suam sentẽtiã ex Cõciliis, *quæ vnicuique Episcopo & Archiepiscopo prouinciã assignãt; & prohibent, ne quis in fines alterius irruat: ergo iisdẽ finib. etiã Rom. Pont. circũscribitur.* Cõcesso antecedẽte, negatur consequẽtia. Quam probat Hoto. I. *ex Cõcilio Nicæni Canone sexto.* Sed hunc Canonẽ primatui Pont. Rom. atq; adeo Iuri vndequaq; ad sedem Apostolicam *appellandi* nil officere, ostensum est iam supra ad cap. XIII.

Secundò profert Concilij Constãtinopolit. I. Canonẽ secundũ, *in quo Episcopis certi diœceseon limites pfiniuntur ac præstituũtur.* At in toto Canone nullum penitus est verbum de Rom. Pont. quasi & ipsi nefas sit extra Episcopalem seu Patriarchalẽ diœcesin suam aliquid agere; vel ex alienis diœcesibus ad se confugientes admittere.

Tertiò profert Hoto. Can. XV. Concilij Antiocheni sub Cõstantio Imperatore; vbi sancitur, *vt si quis Episco. ab omnibus prouinciæ Episco. damnatus fuerit, ũ ne amplius ab aliis iudicetur, sed illius prouinciæ Episcoporum firma maneat sententia.* Sed meminisse debebat Hotom. Synodũ hanc fuisse Arianor. & Cano. 15. directè contra & propter Athanasiũ conditum, vt scilicet illi aditum ad orthodoxos Episc. præcluderent, quasi nefas summũ cõmissurus esset, si quæ alia Syn. dãnatũ ab Antiochenis Athanas. absoluere tentaret. Vide Baroniũ ad Annũ Redẽp. CCCXLI. Et Notas Seuerini Binij ad Concil. Antiochenum in nupera edit. Colon. Tom 1. Conciliorum.

Quartò profert Hotom. Cõcilij Mileuit. Can. 22. Verùm de hoc Canone iã dictum est cap. superiore. Notetur tantùm hic impudentia Hoto. qui furiosè bacchatur in Papã, quasi ad Canonẽ Mileu. adiecerit illam exceptionẽ: *nisi fortè Rom. sedẽ appellauerit.* 2. q. 6. c. *Placuit.* Iã respõdit Bellar. hoc esse additamẽtum Gratiani; nec necessariũ: quãdoquidẽ absq; eo auctoritas Rõ. Pontif. inuiolata cõstat. Neq; Gratianus attulit dicta verba, vt partem Canonis, sed vt explicationem: quod & alibi facere consueuit.

Tertium Hoto. argumentum. *Constantinopolit. Ecclesia ita fuit Rõ. Eccles. per decreta Conciliorũ & Imperatorũ exæquata, vt ei nulla in re cederet.* Ex mox profert Can. 3. Concilij Cõstantinop. primi, & Can. 28. Concilij Chalced. & Constitutionẽ Zenonis Cod. *de sacrosanctis Eccles.* L. *Determinus.* & Leg. 24. Cod. eod. vbi à Iustiniano affirmatur, Eccles. Cõstantinopolitanã esse omnium aliarum caput.

Respõdeo I. Primatum Eccles. nec à Conciliis nec ab Imperatorum rescriptis dari posse. Si igitur à Christo datus nõ est Eccles. Cõstãtinopolitanæ, sicuti reuera datus nõ est; fieri non potest, vt obtineatur beneficio & munificẽtia Cõciliorum vel principum. Secundo dico Canones citatos nullius esse Auctoritatis, quippe obreptitiè cõditos, neq; vnq̃ à sede Apostolica receptos vel approbatos. Vide notas Binij ad Cõcilium Cõstãtinopolitanum & Chalcedonẽse, & Baronium ad Annum Christi 381. & 452. Zenonis Imperatoris Hæretici cõstitutioni meritò anteponim' illud: *Tu es Petrus, & super hanc petrã*, &c. *Et; tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Idẽ respõdeo ad legẽ Iustiniani, non enim ipsius, sed Christi fuit cõstituere & decernere, quæ nã Ecclesia sit omniũ aliarũ caput. Quãq̃ Nouella 131. aliter edicit Iustinianus. *Sancimus, vt sanctissimus veteris Roma Papa primus omnium sacerdotũ sit.* (ergo & Eccles. eius prima, adq; adeo caput est) *beatissimus verò Archiepiscopus Constantinopoleos secundum locum post sanctam Apostolicam veteris Romæ sedem obtineat, cæterisque omnibus præferatur.*

Quartũ Hotomanni argumentũ. *Vetus iuris regula est, vbi de consuetudine ambigitur, vt ea potissimũ valeat, de qua contradicto iudicio disceptatũ est. Atqui Episcopus Romanus illam appellationum, & rescindendarum sententiarum potestatẽ sibi vindicans, à generali Carthaginẽsi Cõcilio (in quo B. Augustinus interfuit), re per quinquennium quæsita, & deliberata, summo Patrum omnium consensu condemnatus est. Quare, non licet Episcopo Romano sibi ius vllũ ex illa dãnata cõsuetudine arrogare.*

Respõdeo, Minorẽ esse falsam: quã probat Caluinista aliquot Pseudologiis & inscitiis, vt, *Concilium Carthaginense sextum in quo disceptatũ est, de iure appellandi ad Rom. sedẽ, fuisse generale seu Oecumenicũ.*

Nemò vnquã ꝓ œcumenico agnouit. *Celebratum esse Anno Dom. 485.* cum celebratũ sit Anno 419. vt patet apud Baroniũ. Impudens mendaciũ est, *Legatos Rom. Pon. tertium Canonẽ Concilij Sardicensis mutilum & contaminatũ produxisse*: nã inprimis Legati Apostolici non legerũt ex cõmonitorio suo Canonem tertium Sardicensem, sed septimũ: nihil penitus mutilatũ aut corruptũ, vt fatebitur qsqs Canonẽ illũ, prout à Legatis recitatus est contulerit cum illo, qui exstat in ipso Concilio Sardicensi: Hotomãnus verò imperitè tertiũ Canonẽ à Legatis ꝓlatum & deprauatũ dicit; & ignorãtiã suam egregiè patefacit: dum ex Græco, vt iactat, Canonẽ sic reddit: *Si quis Episcop. in aliqua caussa condemnatus fuerit, & existimet se non malã, sed bonã causſam habere, vt iterũ iudicium renouetur* SI VOBIS VIDETVR, *propter charitatem honoremus memoriam Petri Apostoli, vt scribatur ab iis, qui iudicarunt, Episcopo Romano, vt per vicinos Episcopos illius Prouinciæ, si iudicium retractari oporteat, retractetur; & ipse iudices det.*

Vbi ineptissimè Hotomannus Græca, *εἰ δοκεῖ ὑμῶν τῇ ἀγάπῃ*, *si videtur vestræ charitati*; sic inuertit & peruertit, *εἰ δοκεῖ ὑμῖν, τῇ ἀγάπῃ πάτερ τὸ ἀποφθὰν τὸν μνήμην τιμήσωμεν*, cum illud *τῇ ἀγάπῃ* pertineat ad priora, nec *ὑμῖν* sed *ὑμῶν* legendum sit, vt apparet quoq; ex tribus latinis versionibus Concilij Sardicensis, quæ Tomo I. Conciliorum exstant. Et tamen Hotomannus inuerecundè insultat Rõ. Episcopo, quod verba illa; *propter charitatem honoremus memoriam Petri Apostoli, & ad Iulium Romanum Episcopũ scribatur*: Silentio prætetierit; cum in Cõmonitorio, non tertius, sed septimus Canon citatus & recitatus fuerit. Vnde iterũ mẽtitur Hotomannus, quando dicit; Episcopum Romanũ *caput* decurtatum his verbis misisse. *Si Episcopus accusatus fuerit*, &c. Nulla hìc est decurtatio, sed ꝙ in septimo Canone continebatur, hoc Commonitorio Legatorum insertum, & inde palam lectum fuit. Ipse potius Hotomannus sceleratè Cõmonitorij fidem deprauat & decurtat. Non enim ita habet commonitoriũ, vt refert Hotomãnus, sed aliter, vt intelliget, qui Hotomanni textum conferre voluerit cum textu Commonitorij, prout exstat in Concilio Carthaginensi VI. cap. 1.

Simili mendacio affirmat Hotomannus eadem verba: *Propter charitatem honoremus Petri Apostoli memoriam*, &c. esse omissa in Decreto *Gratiano. 6. q. 4. c. Osius.* Recitat quidẽ Gratianus Canonem tertium, vel, vt alij numerant, quartum, at nihil penitus prætetiit; sed vt Canon se habet, ita in Collectionem suam eũ retulit: nam illud, *εἰ δοκεῖ ὑμῶν τῇ ἀγάπῃ*, ita apud Gratianum redditur: *Si vobis placet.* Quid hic culpæ, Caluinista?

Obiicit Calumniator. *Si ius appellationũ ad Papã pertinuisset, non illum parasitastrum Osium apposuisset, qui priuilegium illud precibus eblanditur, sed directis verbis illud sibi vindicasset.* At prudentem & cordatũ lectorem parum mouebunt hæc conuicia. Neq; enim Hosius Papæ *parasitus* fuit, vt omnes norũt, neq; aliud à Concilio petiit, quàm vt id, quod Romano Episcopo per se & ex iure diuino competebat, omniũ cõsensu firmaretur, quò ius illud à Deo concessum omnib. liquidius innotesceret.

Narrat deinceps Hotomannus, quomodo Patres Africani Legatos miserint Constantinopolim, Antiochiam & Alexandriam, vt vera & genuina Concilij Nicæni exemplaria ab Episcopis illarum sedium inquirerent: *cumq;*, vt ait Caluinista, *per annos quinque perpetuos nihil eiusmodi perueſtigari potuisset, tum de Concilij sententia litteræ ad Episcopum Romanum hu verbis scriptæ sunt, quibus os ipsius acriter, vt decuit, verberatum est*: & mox satis multa ex Epistola Patrum Africanorum ad Cælestinũ Pontificem exscribit; inter cætera etiam hæc:

Præfato igitur debita salutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in cõmunionem vltra velitis excipere: quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè aduertet venerabilitas tua. Nã. fide inferioribus Clericis, vel laicis videtur ibi præcaueri; quanto magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua prouincia à communione suspensi, à tua sanctitate vti festinatò, vel præpropere, vel indebitè videantur communioni restitui. Hæc ipsi, quibus vides, inquit Illustriss. Card. Baronius, eos nõ prohibere appellationes ad Romanam sedem, sed tantùm admonere ipsum Romanum Pontificem, ne (vt aiunt) facilius quã par est, nec festinatò, vel præpropere, aut indebitè agat: nam maturum quidem exposcũt iudicium, non autem recusant.

Ostendit deinde copiosè Baronius, etiam eo tempore, quo hæc de Canonibus Nicænis controuersia in Africa vigebat, ad sedem Apostolicã appellatum fuisse, idq; ex Augustino Epist. 261. edit. Plant. vbi de appellatione Antonij Fussalẽsis Episcopi agitur. Adeat, qui volet ipsum Baronium, & ipsam itidem Africanorum ad Cælestinum epistolam, nec inuenient, vbi Africani os Cęlestino duriter verberent, verberaturi proculdubio si inter Patres illos fuissent Hotomanni, Illyrici, Iunij, Sauubrandi.

Respondet post hæc Bellarminus ad argumenta sectariorum contra ius appellandi, cuius solutiones Caluiniano suo dente arrodit Hotomannus, de quo deinde plura. Nunc videamus quid mentiatur Iunius. Dixerat Illyricus, concilio Carthaginẽsi cum Augustino interfuisse Prosperum & Orosium alios q; insignes viros. Respõdet Bellarminus, neutrum nominari in eo Concilio, nec potuisse interesse cum tunc non essent Episcopi, nec Africani, & Conciliũ ex solis Africæ Episcopis constiterit. Iunius impudenter ait, *ex Epistolis Hieronymi & Augustini liquere, Orosium huic Concilio interfuisse.* Fuisse Orosium in Africa colligitur ex his Epistolis. Interfuisse Concilio Carthaginensi, tam parum inde colligitur, quàm Iunium aut Hotomannum interfuisse. *De Prosbero*, inquit Iunius, *colligit hoc Illyricus ex cap. 30. partis tertiæ de promissionibus*, Sed ex hoc capite XXX. nõ magis colligitur Prosperum interfuisse Concilio

Car-

Carthaginensi, quàm ex Aeneide Virgilij, vel ex libris Ouidij de *Tristibus* & de *Ponto*.

Primum hæreticorum argumentũ est. *Si Papa iure diuino est summus Iudex, cur ex Canonibus Nicæna Synodi ius suum probare voluit: Cur non potius ex sacris litteris?* Respondet Bellarminus, iure diuino ad summum Pontificem semper appellari potuisse; dubitatum tamen fuisse, an expediret ea potestate vti, & omnibus in locis. Oggerit Hotomannus; *vtrunque falsum esse, nunquam enim iure diuino vlla ex altera diœcesi appellare licuisse,* (Tu quidem hoc dicis, sed vbi probatio?) *neq; in Concilio Carthaginensi dubitatum esse, an omni tempore id facere expediret.* Imò de hoc, aliisque circumstantiis appellationum disceptatum est, non de ipso iure appellandi, vt euidẽter ostendit Baronius; & liquet ex ipsa epistola Africanorum ad Cælestinũ Papam; neq; enim scribunt, quod scribere poterãt, si res secus se habuisset, vt isto iure appellationes admittendi, vtpote sibi non competente, sese abdicet: vt intra fines suos se contineat, nec falcem suã in alienã messem mittat; sed tantũ rogãt, vt appellationibus modus & moderatio imponatur: Nec verum est, Patres Africanos cõcorditer, promptè, & expeditè respõdisse, *se in nullius Synodis Actis legisse potestatẽ illam Episcopo Romano tributã fuisse*: Nã nõ nisi de Cõcilio Nicæno quæstio erat.

Ait Bellarminus. Si passim omnibus appellationes concederẽtur; futurum, vt multi effugerent iudicia legitima, & Episcopi, qui primò iudicarũt, immeritò vexarẽtur, &c. Occinit Hotomãnus: *Negatorem hũc non patiemur aut leues, aut falsas causas Patribus Carthaginensibus affingere, sed eas ipsas, quas in Epistola ad Roman. Pontificem scripta protulerunt, exponemus.* Prima est, *quod Nicæna Synodus cuiuis Episcopo & Metropolitano in suæ solũmodo prouincie Clericos iurisdictionem dederit.* Saluo tamen iure Episcopi Romani, tanquam omnium supremi. Secunda causa, *quia absurdũ esset existimare Spiritus sancti gratiam, & rectè iudicandi prudentiam, omnibus, præter Episcopum Romanum sacerdotibus & Episcopis denegatam esse.* Respondeo, hac ratione euerti omnem appellationem ab inferioribus ad superiorem Iudicẽ. Quid enim? An credibile est, si quis appellet ad Imperatoris tribunal, iudicãdi dexteritate magis pollere Imperatorem, quàm eos, qui rẽ antea discusserunt & iudicarunt? An nescis veritatem, quo sæpius ad examen vocatur, eò ordinariè dilucidiorem reddi; & appellationis naturam hanc esse, vt æquè inferiorum iudicũ iudicia confirmare, ac infirmare queat? Certè si quis hanc rationem, & aliquot ex sequentibus absq; vllo temperamento accipiat, dicere necesse erit, neq; in Politicis quidem negotiis ad Imperatorem ex Africa appellare licuisse, quia absurdũ esset existimare, rectè iudicandi prudentiã & solertiam, omnibus, præter Romanum Imp. iudicibus denegatam esse. Itaque his rationibus, quas Hotomannus ex Epistola Africanorum ad Cælestinum excerpit, noluerũt Patres illi ius appellationum euertere; sed temperamentũ, modũ, & cautelã adhiberi postulabãt; neq; id immeritò.

Tertia ratio. *Quod cũ satis sit bis appellare, facultas est volentibus appellare à sententia sui Episcopi, prouocare ad Synodum prouincialem, & rursus ab hac ad Synodum vniuersalem.* Verùm vt Concilia Prouincialia sæpius & facilius etiam cogantur; rarò tamen & admodum difficulter coguntur generalia. Quid ergo interea fiet? Num causæ per integra secula indiscussæ pendebunt? Quid si discussio causæ, vt plerunque fit, moram tantã non ferat? *Quarta ratio est, quòd cum in sententiis retractandis testium præsentia, & depositio requiratur, iniquissimum esset, testes ex quamuis longinquis, atq; etiã transmarinis regionibus vsq; Romam euocari: præsertim aut senio, aut valetudine, aut aliis causis, quæ innumerabiles esse possunt, impeditos.* Respondeo, si hæc ratio appellationes Ecclesiasticas ad Romanum Pontificẽ tollit; tollet quoque appellationes Politicas ex Africa fieri solitas ad Imperatorem: Quia etiã in politicis sententiis retractandis, requitur testium præsentia & depositio. Quocirca iniquissimũ esset testes, ex quamuis longinquis atq; etiam transmarinis regionibus vsq; Romam, vel Cõstantinopolim, vel ad alium locum, vbi Imperator degit, euocari: præsertim aut senio, aut valetudine, aut aliis causis impeditos. Si propter has, & id genus alias difficultates, non interdicuntur vel penitus exterminantur appellationes in cõtrouersiis ciuilibus; cur id fieri sineremus in causis Ecclesiasticis? Quod si hæc & similes difficultates nil aliud euincunt, quàm in appellationibus politicis & faciendis & recipiendis modum teneri debere, certè plus non efficient, in Ecclesiasticis appellationibus, quàm vt ne quid temerè & præcipitanter fiat: & Africani expressè à Cælestino petierunt; *ne in sua prouincia communione suspensos, ipse vel festinatò, vel præpropere, vel indebitè communioni restituat. Presbyterorum* itidem. *& sequentium Clericorũ improba refugia repellat.* Vocant *improba refugia*; quãdo scilicet temerè & indebitè *appellationes* interponuntur, eo potius consilio, vt iustitia eludatur, quàm vt æquitati consulatur.

Quinta ratio est, *quod ista ratione & αὐτοκρατεία videretur fumosus mundi fastus in Ecclesiam Christianam introduci.* Respondeo, Hotomannus se non continere potuit, quo minus & mentẽ & verba Africanorum falsaret. Non enim dicunt; *ex appellationibus typhũ & fastum mundi in Ecclesiam inductum iri*; sed aiunt, hoc futurum, si Pontifex *executores Clericos, quibuscunque petentibus* (seu *Potentibus*) mittat, & quidẽ *cum apparitura* seu forensi satellitio, vt eò efficacius sententia sedis Apostolicæ executioni mãdetur: de quo S. Augustinus Epist. 261. edit. Plant. ad Cælestinum Papam in causa Antonij Fussalensis Episcopi, qui ad sedẽ Apostolicam appellauerat, & suam in sedem restitui cupiebat, inuitis & toto pectore reluctantib. Fussalensibus, quos fama terruerat, fore, vt iubente Episcopo Romano, cum militari manu, in

ſedē ſuā Antonius reduceretur. *Accipe nūc*, inquit S. Auguſt. *quæ poſt eius ſanctæ memoriæ viri* (Bonifacij Papæ) *in Africa litteras geſta ſunt, & ſubueni hominibus opem tuam in Chriſti miſericordia multò auidiùs, quā ille poſcentibus, à cuius inquietudine deſiderant liberari. Iudicia quippe illiꝰ, & publicas poteſtates, & militares impetus, tanquā executuros Apoſtolicæ ſedis ſententiā, ſiue ipſe, ſiue rumores celeberrimi comminantur; vt miſeri homines Chriſtiani Catholici grauiora formident à Catholico Epiſcopo, quàm cùm eſſent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non finas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui Chriſtianorum præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominētur inter fratres.* Hunc igitur ſententiæ exequendæ modum, de quo S. Auguſtinus; deprecantur Patres Africani, quòd ſecularem quendam faſtum redolere videretur: tāetſi, abſolutè loquendo, minimè illicitum ſit à refractariis, & cedere nolentibus, obſequium, etiam in Eccleſiaſticis negotiis, vi vel intentata vel illata extorquere: ipſo S. Auguſtino teſte cū alibi tum Epiſt. 48. ad Vincentium.

Ait Bellarminus. Si nulla concedatur appellatio, datum iri occaſionem particularibus Epiſcopis, vt facilè & temerè iudicent, & tyrannicè populos opprimant, &c. Reſpondet Hotomannus, *hū incommodū ſatis eſſe proſpectum per poteſtatem appellandi ab Epiſcopis ad Concilia prouincialia, & à prouincialibus ad generalia.* Reſpondeo; iā antea viſum eſt, id abſolutè ſatis non eſſe, cum generalia Cōcilia rariſsimè congregentur; indignumq; itidē ſit, vt propter quamcunque appellationem omnes Epiſcopi vnius prouinciæ ſemper interturbentur, vel vnum in locum euocentur.

Quomodo Theodorus Balſamon citatus ab Hotomanno Canonē Sardicenſem interpretetur, parū moramur; quia infenſiſsimus Romani Pontificis hoſtis fuit; & quidquid in Canonib. ad ſedis Romanæ dignitatem & primatum pertinēs reperitur, id vel occultis cuniculis labefactare, vel tenebroſis ſuis gloſſematis obnubilare ſedulo ſtuduit. Quanquam Hotomanus hic proſsus *Caluiniſticè*, hoc eſt, perfidè Balſamonem citat, quaſi Canonem Sardicenſem, aliter, quā Bellarminus accipiat: Et ea ſolūmodo Balſamonis verba adducit, quæ aliò ſpectant, omiſsis illis, quæ ad ius appellandi ad Romanum Pontificem pertinent. Canonis tertij verba ſunt iſthæc, inter cætera, ex verſione Herueti. *Hoc autem etiam ſimiliter prouidendum eſt, vt, ſi in aliqua prouincia Epiſcoporum quiſpiam, aduerſus fratrem ſuum, & coēpiſcopum negotiū habeat, neuter eorum ex alia prouincia cognitores euocet.*

In quem Canonis locum Balſamon. *Præterea ſubiunxit Canon aliud quoq; caput, & dixit: Si autē Epiſcopus habet aliquod negotium, ſeu cauſam aliquam, cum ſuo coēpiſcopo, quis debet cauſam iudicare? ſtatuit ergò eos à prouincialibus Epiſcopis iudicandos, nec vllum eorū, qui iudicio contendunt, ex alia prouincia accerſere cognitorē Epiſcopum. Prouinciales enim ignorantiæ, vel iniuſtitiæ condemnat.* Vult ergo Balſamon, & quidem conuenienter Canoni, ſi quis Epiſcopus cū ſuo collega litis aliquid habeat; vt cauſſa cognoſcatur ab Epiſcopis eiuſdem prouinciæ, neq; iudices ex alia prouincia adſciſcātur: ne Epiſcopi eius prouinciæ, in qua lis nata & contracta eſt, exiſtimari videantur vel iniuſti vel inidonei, ad cauſamillā cognoſcendam & definiendam: Et eſt ſermo de primo iudicio.

Poſt ſupradicta verba, ſubiungit Canon de poteſtate appellādi ad ſedē Apoſtolicam: *Si quis autem Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus fuerit, &c.* Vbi Balſamon: *Tanquam autem dixiſſet quiſpiam, ſi quis eorum condemnatus ſe grauari exiſtimet, & appellet, eius appellatio ad nihil redibit, cùm non poſſint alij Prouinciales ad cognitionem euocari; vt vult iam dicta diſtinctio: adiecit, non eſſe repellendum, qui prouincialium iudicium prouocat; ſed debere prouinciales propter honorē ſedis Apoſtolicæ, quæ ad eos delata ſunt, Papæ Romano relinquere. Erat autem eo tempore Iulius eius Epiſcopus, & in eius poteſtate poſita eſt appellatio: vt, ſi rem quidem eſſe dignā cognoſcat quæ ſecundò examinetur, ſtatuat à propinquis Epiſcopis renouari iudicium, & de præcedente ſententia cognoſci. Si autem inuenerit cauſam rectè fuiſſe iudicatam, & ſecunda inquiſitione opus non habere, decernat ea, quæ prius iudicata ſunt, firma, & immutabilia permanere. Et in hū quidem conſiſtit Canon.*

Quid? An non hic euidenter & diſertis verbis agnoſcit Balſamon ius appellandi ad Romanum Pontificem, & hoc, conceſſu & permiſſu tertij Canonis Sardicenſis? Oggannit Hotomannus: *Et Synodum & Balſamonem non obſcurè ſignificare decretum illud & perſonale & temporale fuiſſe, neq, Iulij per id tempus Epiſcopi perſonam, neq, tempus ipſius Epiſcopatus exceſſiſſe.* Hanc non eſſe mentem Canonis, patet, tū ex ipſo ſeu tertio ſeu quarto Canone, & luculentiſsimè ex Canone ſeptimo; qui Epiſcopis abſolutè, nullius Pontificis expreſſo nomine, cōcedit ius ad ſedem Apoſtolicam appellandi; quāquā & tertius Canon aliā non ob cauſſam Iuliū Pontificem nominauit, quàm quia eo tempore, quo Canon condebatur, Petri ſedem tenebat, nō autem idcirco, quòd ius appellandi ad illius duntaxat perſonam reſtrictum fuerit.

Plurimum itidem Hotomānum à ſenſu Balſamonis abire liquet tum ex Cōmētario ad Canonem quintum (vtor hic ea Canonū diſtinctione, quæ eſt in editione Herueti) tum ex illis, quæ cōmentatur ad Canonē tertium, vbi indefinitè de Papa, & non de ſolo Iulio, ſic ſcribit. *Eſſe autem in poteſtate Papæ, vt ſeruetur, vel non ſeruetur appellatio, eſt propriū in Eccleſiaſticis. Leges enim præter certas paucas cauſas ſtatuunt omnē appellationem non ſolùm ſemel, ſed etiam bis eſſe euocandam. Quæ autem de Papa definita ſunt, aſſumenda ſunt etiā ad Patriarcham Conſtātinopolitanū, quòd ū ſimiliter, ac Papa à diuerſis canonib. ſit honoratus.* En tantum abeſt, vt Balſamon crediderit, hūc Canonē tantūmodo ad tēpus & perſonā Iulij reſtrictā fuiſſe; vt eū etiā ad ſuū Conſtātinopolitanū Patriarcham extendat: tametſi immeritò; qa tēpore Sardicēſis Concilij vixdū alicuius nominis

minis & notæ erat Patriarcha Cõstãtinopolitan⁹.

Subiungit Hotomannus, Balsamonẽ dicere, *hoc decretum Concilij Sardicensis pugnare cum Canone XV. Antiochena Synodi.* Iam supra diximus Synodum hanc fuisse Episcoporum Arianorum, & Canonem hunc Sycophanticè in fraudẽ S. Athanasij fuisse factum, quia sperabant fore vt, à nullo alio condemnatus Athanasius absolueretur, si à Synodo Antiochena id vetitum fuisset.

Deinde, cur dissimulat Hotomannus Balsamonis responsum? Cum enim hanc quæstionem de Canone Sardicensi & illo alio Antiocheno mouisset, suddit Balsamon. *Quidam dicebant quidem, non fuisse hic concordes Episcopos, sed in varias sententias diuisos: & ideo locum habere appellationem. Alij autem dicebant, quòd quia præsens canon est antiquior, debent, quæ in eo continentur, magis seruari. Hoc ergo mihi quoque placet, vt, quod sit vel in primis legitimum, lege enim cautum est, vt non semel, sed bis pronocet is, qui sibi iniuriam fieri putat.* Existimat ergo Balsamõ Canonem Sardicensem esse obseruandum, relicto illo Antiocheno. Cur hoc dissimulat Hotomannus? Et obseruandum est Balsamonẽ arbitrari, Canonem Sardicensem antiquiorem esse illo Antiocheno, cum tamen Concilium Antiochenum celebratum sit Anno Christi CCCXLI. Sardicense Anno CCCXLVII.

Post hæc dicit Hotomannus, se ex libro IX. Nicephori historiam Concilij Sardicensis texere velle. At profecto non historiam, sed mendaciorum & conuiciorum farraginem consuit: Et Nicephoro ea attribuit, de quibus ipse nunquam cogitauit: vt, *Hosium Iulio Episcopo Romano supparasitatum esse. Iulium arrogantia & ambitione tumidum, in eam confidentiam veniss e, vt sacerdotes omnes cuiusuis criminis damnatos, in communionem recipere, & in suas sedes restituere auderet. Sardicæ, partim Iulij artibus & machinationibus, partim Hosij proteruitate & peruicacia tantam inter illos exortam seditionem fuisse, vt alij alios exercerẽtur, & Orientales Iulium ipsum sacerdotio suo exauctoratum ab Ecclesiarum suarum communione arcerent. A Nicephoro ita vbiq; Hosium depingi, vt eum Iulij parasitastrum & palpatorẽ agnoscere queas.* Hæc & id genus alia, nihil aliud sunt, quàm pura puta mendacia, ex intima familiaritate, quam Hotomannus cum Arianis contraxit, profecta: quia quidquid turbarum exstitit, id factione Arianorum exstitit, ipso Nicephoro teste; qui Athanasium, eiusque studiosos, exterminatos planeq; perditos tõtis viribus cupiebant; eamque ob caussam quiduis etiam contra ipsum Iulium Romanum Pontificem mollebantur, & tamen Caluinista noster Iulium, & alios orthodoxos Episcopos accusat, & Arianos, mortaliũ nocẽtissimos, à culpa concitatæ seditionis liberat.

Dicit Bellarminus: Pontificem in Concilio Carthaginensi protulisse ius Concilij Nicæni de appellationibus, vt ostenderet, expedire Ecclesiæ appellationes ad sedem Apostolicam, quandoquidem tantæ auctoritatis Synodus Nicæna idẽ sensserat. Respondet Hotomannus; *Si quod ius diuinum habuisset; vtiq, id protulisset Papa, quia nihil certius & firmius pro sua caussa proferre potuisset.* Protulit Synodum Nicænam, vt diuini Iuris interpretẽ: nam ius diuinum continetur in illis: *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. *Quodcunque solueris*, &c. *Quodcunque ligaueris*, &c. *Pasce oues meas.* Quod ius Patres Africanos nõ fugit. Sed quia fortassis defuturi nõ erant, qui hoc ius, secus quã oportebat, interpretarentur, Synodum Nicænam, tanquã irrefutabilẽ huius iuris testẽ in mediũ proferre voluit.

Porro Patres Africanos simpliciter iudicasse, non expedire Ecclesiæ appellationes ad Sedem Apostolicam, easque absolutè, & præcisè *impediisse, vetuisse, & prohibuisse*, quod denuo affirmat Hotomannus, mendacium est; & tamdiu mendacium erit, quamdiu affirmabitur.

Valde indignatur, Patrum reuerentissimus Hotomannus: Bellarminũ asseruisse, *Patres Africanos ex ignorantia fuisse deceptos, quandoquidem hi in Epistola ad Cælestinum reperunt, in nulla Synodo, & in nulla Patrum definitione, se inuenisse illos canones.* Ex quo apparet, inquit Bellarminus, eos nõ habuisse Canones Sardicensis Concilij, in quibus tres illi Canones disertè continentur. Oggerit Hotomannus; *satisne attendit, Bellarmine, quid voluerint, quid secuti sint, quid verbis significarint? nempe se postulatum illud Osij, de B. Petri memoria in illis appellationibus ad Iulium Romanum Episcopum deferendis, non probare: Sed Antiochenæ Synodo malle obtemperare, quæ veterem illarum Ecclesiarum consuetudinem confirmarat.* Satis probè attendo, te insigniter mentiri: quia nullã vnquam suis in Epistolis mentionem Sardicensis Concilij fecerunt; & multo minus Antiocheni: cuius Canones multo minus habebãt, si Sardicensis Synodi Canonibus carebant, & si habuissent, repudiassent, quandoquidem Canones Antiochenos, præsertim XV. ab Arianis cõditos fuisse haud ignorassent. Imò de solo Concilio Nicæno perpetim illis quæstio & controuersia erat: quia enim in eius exemplaribus, Cõstantinopoli & Alexandria missis, Canones à Zosimo allegatos non reperiebant; caussæ nihil esse censebant, cur amplius Canonib. illis vrgerẽtur.

Obiicit Hotomannus, Canonem IX. Concilij Chalcedonensis. Sed de hoc Canone iam actum est cum Bellarmino ad cap. 22. Sardicensibus nil penit⁹ repugnat. Fatetur Caluinista Magdeburgenses *agnouisse Sardicensem Synodum pro œcumenica; sed addit; eos non dissimulasse, Sardicenses Canones ab aliis Conciliis fuisse abrogatos.* Num ideo verũ, quod dicunt, quia iudicium suum curuũ & obstipum palam patefecerunt?

In Latino textu Concilij VI. Carthaginensis mẽtio fit Concilij Sardicensis. Dicit Bellarmin⁹, ea in cõtextum irrepsisse ex margine. *Ego quoq, nõ pugno*, inquit Hotomannus, *quo minus illa verba ex margine sumpta sint, quando neq, in Græco exemplari ea reperio, neq, ab Herueto translata sunt.* Bonum factũ, quod semel cum Bellarmino cõcordas. At haud

constan-

constanter; nam statim mentiris *Patres Africanos, summo consensu, Concilio Sardicensi fidem atq; auctoritatem abrogasse, & Antiocheni Concilij contrariam illi Cõcilio sententiam amplexos esse.* Pura puta mendacia, vt supra notatum.

Scribit Bellarminus, legatos sedis Apostolicæ recitasse ex commonitorio suo Canones illos; tanquam Synodi Nicænæ Canones; & Augustinum eosdem, tanquam ex Nicæna Synodo à Legatis recitatos agnouisse verbis illis: *Et hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiore inquisitione Cõcilij Nicæni.* Hotomannus impudenter mentitur, Augustinũ hæc sua verba non retulisse ad Canonem de appellationibus, qui tanquam Nicænus ex Commonitorio lectus fuerat; *sed restrictè ad alterum caput, quod ibi Daniel Scriba recitarat de appellatione ad vicinos Episcopos prouinciales,* his verbis: *Qui iectus est, habeat potestatem appellandi ad finitimos,* &c. Non possum satis admirari frontem Hotomannicam, omnis ruboris adeo expertem, vt ea, quæ lucem meridianam claritate superant, inficiari audeat. Tam enim dilucidum est S. Augustinũ illa sua verba retulisse ad Canonem proximè & immediatè antea ex Commonitorio recitatum, quàm clarum est Alypium, Tagastensem Episcopum, quando cap. 4. dixit; *Exemplaria Nicænæ Synodi conquirenda & inspicienda esse;* hoc intellexisse de Canone, qui paulò antea ex Commonitorio, tanquam Canon Nicænus lectus fuerat. Id declarat etiam particula demonstratiua, *Hoc.* Hoc nos *seruaturos profitemur.* Idem euincit protestatio adiuncta: *Salua diligentiore inquisitione Concilij Nicæni.* Nam his verbis indicat S. Augustinus; se & suos obseruaturos id, quod ex Commonitorio lectũ fuerat, donec ex orientalib. Concilij Nicæni exẽplaribus cognosceret, num id, quod lectum erat, fuerit à Nicæna Synodo constitutum.

In eundẽ sensum accipit hæc Augustini verba Balsamon in Commentariis ad Synodũ Carthaginensem. *Dixit Augustinus,* inquit Balsamon, *debere hunc Canonem seruari, salua quidem diligentiore inquisitione Nicænæ synodi.* Locutus est ergo Augustinus de Canone, qui proximè antea recitatus fuerat nomine Concilij Nicæni. Nec Canon ille decimus quartus Concilij Sardicensis apud Balsamonẽ agit de appellationibus ad Episcopũ Romanũ; sed de appellationibus Presbyterorũ & minorum Clericorum ad Episcopos vicinos. Sed quia Hotomannus omnem ad Pontificẽ Romanum aditum omnib. occlusum optabat, ideo suspicans, Bellarmini hanc esse mentẽ, quasi Augustinus tolerare voluerit appellationes ad sedẽ Romanam, donec de Nicæni Concilij decreto certior adferretur nuncius, occurrendum fuco & mendacio quopiam censuit; quasi Augustinus ne ad tempus quidẽ appellationes ad sedẽ Romanam ferre voluerit. Nec tamen hic quidquã aliud probare voluit Bellarminus, quàm S. Augustini testimonio cõstare, Canones illos ex Cõmonitorio lectos esse, tanquã Canones Nicænæ Synodi. Nam si vt Sardicensis Concilij Canones propositi fuissent, haud adiũxisset Augustinus illam clausulam: *Salua diligentiore inquisitione Concilij Nicæni.* Ex quo perspicuè apparet, mentionẽ Concilij Sardicensis, quæ est in Cõcilio Carthaginensi VI. supposititiam & ex ora libri in contextum importatam esse.

Repetit deinde Hotomannus suum mendacium de Antiocheno Concilio, quod Sardicensi contradixerit. Quomodo contradixit, cũ Antiochenum aliquot annis prius celebratum fuerit? Et vt cõtradixisset; num particulare Arianorum conciliabulum œcumenico Sardicensi anteponendum esset?

Ait Bellarminus, non exstare omnes Canones Concilij Nicæni: hinc fieri posse, vt tres isti Canones, quos Zosimus Papa, vt Nicænos citauit, & Africanæ Synodo proposuit, verè fuerint Canones à Nicæna Synodo sanciti. Occinit Hotomannus; ridiculam esse hanc conclusionem: *Non omnes exstant Nicæni Concilij Canones, ergo probabile est tres illos Canones ab Episcopis Romanis missos partem Nicæni Concilij fuisse.* Verùm hanc consequentiam non esse ridiculam, sed admodum verisimilem, docet in primis ipse communis sensus. Qua enim de caussa voluissent Romani Pontifices, nõ vnus, sed tres, ordine sibi succedẽtes, ea falsariorũ fraude vti, quæ ab omnibus deprehendi & reprehẽdi nullo negotio potuisset: citatis Canonibus, tanquã Nicænis, si Nicæni aut reuera nõ fuissẽt; aut pro Nicænis ab omnib. habiti nõ fuisẽt?

Si neges, inquit Illustrissimus Cardinalis Baronius Anno Redemptoris CDXIX, *ea de appellationibus statuta fuisse in Nicæno Concilio; vnde negationem hanc probare valeas? Num illud vnum satis esse potest argumentum, quod codices Africani, & aliqui Ecclesiarũ Orientalium illis carent?* Ego contra, *Romanæ Ecclesiæ codices illos habuisse, testificatione Zosimi, asseram. Modò æquâ lance perpende, quibusnam codicibus maior adhibenda sit fides; simul considerans, quæ longo tempore sit passa naufragia Ecclesia Africana, factione Donatistarum, qui cum Arianis fœdus inierant; quorũ nequitiâ, & illud quoq; factum esse iam diximus, vt ipsum Concilium Sardicense, idemque Oecumenicum, cui & cũ Primate, Episcopo Carthaginensi, triginta Episcopi Africani interfuerunt, posterũ Africanis penitus incertum fuerit, vt omninò perierit, imò & nomen ipsum, malè apud eos audiens, resplueretur, tanquã conciliabulum hæreticorum. Conuerte rursus oculos ad Orientis Ecclesias, & quibus per plurimos annos fluctibus iactata fuerunt, considera, Arianis Episcopis præsidentibus, expulsis penitus Catholicæ cõmunionis Episcopis; quibus omnibus malis caruisse Romanam Ecclesiam constat:*

Ex quibus planè iure argumentari liceat, fideliores habendos esse codices in Romana Ecclesia archiuo diligenti custodia asseruatos, quàm quoslibet alios diuersarum prouinciarum. Haud enim recens est eiusmodi argumentatio, sed iam vetus, à maioribus vsurpata, & solidâ fide recepta, cum contigit in disceptationem venire fidem codicum Romanorum, & Orientalium, quando ex integritate Romanæ Ecclesiæ chartarum fuit perspicuè

demon-

perspicuè, ipsas sacrosanctas Synodus œcumenicas apud Orientales ab hæreticis esse corruptas, labefactatas, ac penitus in falsum sensum mutatas, & depravatas: quas & ex Romanis codicibus oportuit in pristinum veritatis candorem restituisse. Facit de his omnibus certam fidem S. Gregorius Papa (lib. 5. Epist. 14.) quem consulas. Si igitur ea de Conciliis Ephesino, & Chalcedonensi acciderunt, cùm Ecclesiæ Orientales, à Catholicis regerentur Episcopis; quid censendum est, cùm Ariani, in quorum manibus erant omnium Ecclesiarum codices, & omnes vbique locorum constructæ bibliothecæ, Orientalibus præerant Ecclesiis? num quis negabit talia accidere potuisse, imò & accidisse, non facilius existimabit? Vide etiam Baronium Anno partæ salutis CCCXLVII.

Probat Bellarminus multis exemplis, non omnes Canones Concilij Nicæni exstare; ac proinde fieri posse, vt tres Canones citati à Zosimo Papa, exisserint inter Nicænos. Hotomannus nil nisi conuicia reponit; quæ ad auctorem reuerti iubemus. Primus Canon qui excidit, est ille de Paschate, dominico die celebrando; sed iste non exstat inter illos viginti apud Ruffinum. Sibrandus vociferatur, *hoc esse falsum*; nam vltimo Canone apud Ruffinum agi de Paschate. Sed mentitur; nam Ruffinus nil aliud dicit; quàm *Patres Nicænos de obseruatione Paschæ antiquum Canonem, per quẽ de reliquo nulla varietas oriretur, Ecclesiis tradidisse.* Quis autem Canon ille fuerit, & qua verborum forma conceptus, Ruffinus non docet.

Iunius inaudito commento diuidit Canones in *simplices & compositos*, & hunc de Paschali festo Nicænum ait fuisse *compositum*; Canonem nimirum astronomicum, qualis Hippolyti, Dionysij Exigui, Isaaci Argyri, Nicephori Gregoræ & aliorum. Non abnuo, Nicænæ Synodi iussu compositum fuisse Cyclum, seu, vt vocat D. Ambrosius Epist. 83. ad Episcopos Aemyliæ, *circulũ*, quẽ Enneadecaterida nuncupauerunt, sed hunc Cyclum minimè designant scriptores; quando dicunt, in Concilio Nicæno editum esse Canonẽ de Paschate celebrando, sed Canonis nomẽ vsurpant prout in argumento, vt sic loquar, Synodico, trita iam consuetudine, vsurpari solet, nimirum pro decreto seu sanctione celebrandi Paschatis, non qualibet die, sed proxima Dominica post Lunam XIV. primi mensis obseruato diligenter eum ad finem Cyclo supradicto. Hoc decretum, seu hunc Concilij Nicæni Canonem non exstare inter Canones à Ruffino enumeratos, rectè asserit Bellarminus; aut si inter illos exstat; monstrent eum nobis Caluinistæ, & è vestigio adquiescemus.

Secundus Canon, qui inter Nicænos à Ruffino recensitos non comparet, est ille, teste S. Ambrosio Epist. 82. ne bigamus in Clerum adsciscatur. Sibrandus hic obmutuit. Iunius ogganit: Non dicere Ambrosium, *aut statutum fuisse: aut Canonem, sed indefinitè: Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse, hoc est, fuisse ab illis propositum, sed conclusum & determinatum fuisse non dicit.* Hanc fatuam cauillationem disiicient verba S. Ambrosij cælibatum & continentiam Clericorum commendantis. *Prius cognoscamus non solùm hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicæni tractatus addidisse, neq; Clericum quenquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.* An non sonant hæc verba statutum seu Canonem: An non dicit S. Ambrosius Patres *Nicæni tractatus*, hoc est, conuentus hoc addidisse, nullum bigamum debere esse Clericum? Sed Caluinista noster imperitè illud, *Tractatus* existimauit esse *accusatiuum* numeri pluralis, cum sit *genitiuus* singularis, & vt hoc suum somnium probabilius reddat, *Nicæni* vertit in *Nicæno*: prorsus Caluinisticè.

Tertius Canon, de quo nil apud Ruffinum; est ille de libro Iudith, vel potius de numero librorum Canonicorũ: Ex D. Hieronymo præfat. in librum Iudith. Hic mussant Sibrandus & Iunius, se iam in prima Controuersia de hoc egisse. Verùm nos iisdem iam in defensione eiusdem primæ controuersiæ abundè respondimus.

Quartus Canon est apud S. Augustinum Epist. 110. qui dicit, in Concilio Nicæno prohibitum, ne duo Episcopi simul sedeant in eadem Ecclesia, contra quem Canonẽ se imprudenter egisse, dolenter refert. Iunius. *Non dicit Augustinus singularem de ea re fuisse Canonem.* At dicit hoc prohibitum fuisse in Concilio Nicæno, ergo condito statuto seu Canone; siue in illo Canone plura fuerint simul vetita, siue hoc duntaxat caput.

Obiicit Iunius, vt & Sibrandus; esse hunc Canonem decimum numero apud Ruffinum. Fateor, exstant apud Ruffinum ista. *Et ne in vna ciuitate duo sint Episcopi.* Sed non hoc tantũ à Concilio Nicæno vetitũ videtur, sed & istud: ne quis Episcopo sibi designet successorem, qui pari dignitate & iure cum antecessore adhuc superstite gaudeat: hoc enim interdictum fuisse in Nicæno Concilio testatur D. Augustinus. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre & Episcopo meo Valerio, Episcopus ordinatus sum & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam.*

Quintus Canon non exstans apud Ruffinum, est; non licere, nisi ieiunis offerre Eucharistiam; hoc enim in Concilio Nicæno statutum esse testatur Concilium Africanum cap. 14. & prius Concilium Carthaginense III. Canone 29. *Fabulæ*, clamat Iunius. *Aliud agebat Bellarminus, cũ ista scriberet. Primum enim non est Canon, sed res inter Canones indita.* Mira distinctio. Quid est *res inter Canones indita?* Si in Concilio Nicæno prohibitũ est, ne sacrificium corporis & sanguinis Christi à non ieiunis offeratur; lege ergo lata hoc prohibitum est; siue eadem lex complexu suo plura comprehenderet, siue non. Quid enim est *lex synodalis*, nisi Canon? Mentitur deinde, *nihil eorum dici in Concilio Africano, quæ Bellarminus citat.* Quocirca verba illa Honorati & Vrbani Episcoporũ, quæ in Concilio Carthaginẽsi III. leguntur cap. 48. & in Concilio Africano cap. 14. *De fide enim*

Nicæni tractatus audiuimus; Verũ & de sacrificiũ inhibendis post prandium, vt à ieiunis, sicut dignũ est offerantur, & tunc & nunc confirmatum est, consuetis technis & cauillatoriis glossematis peruertit; affirmans; illam voculam *Tunc*, non pertinere ad Nicænam synodum, *sed ad principium Carthaginensis Concilij, de quo principio, cum sermonem illum ingrederẽtur, dixerãt: Iam dudum cum apud sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus.* &c. Si ergo vocula illa *Tunc*, pertinet ad principium Concilij Carthaginensis, oportet in principio Concilij Carthaginensis aliquid constitutum esse & confirmatum de sacrificio altaris non nisi à ieiunis offerendo: sed nihil penitus est hac de re in principio Concilij illius, quod verum esse testabitur synodi inspectio; sed in Canone demũ vigesimo octauo id decernitur.

Deinde, si illud *Tunc*, non spectaret ad Concilium Nicænum, de quo proximè antea facta erat mentio, sed ad principium Concilij Carthaginensis, vel etiam ad Canonẽ 28. quæro, quorsum spectet altera vocula, *Nunc*, qua iidem Episcopi vtuntur? Certè præsens quippiã designat. Quodnam ergo est istud præsens; præter Concilium Carthaginense III. in quo Episcopi illi Honoratus & Vrbanus præsentes erant; & ea, quæ attulimus, loquebantur; ita vt sensus sit; *Tunc*, nempe in Concilio Nicæno, & *Nunc*, nimirum in Concilio Carthaginensi, confirmatum esse *de sacrificiis post prandium inhibendis*.

At quia Iunius hæc eadem in Concilio Africano sub Bonifacio & Cælestino Rom. Pontificibus legerat, stultè sibi persuasit, ea tum primum ab Episcopis illis Honorato & Vrbano esse dicta; eosque per voculam *Tunc*, allusisse ad Concilium Carthaginense sub Siricio Papa; per voculã verò *Nũc* ad Africanũ. In quo insigniter hallucinatur cum putat ea, quæ in Africano de hac & aliis nõnullis rebus sanciuntur, & ab Episcopis disseruntur, ex Carthaginensi desumpta, & huic Africano inserta. Cæterum, quia in ipso Canone 14. Concilij Africani, & in Canone 28. Concilij Carthaginensis non fit mentio Concilij Nicæni, sed solum in oratione Honorati & Vrbani, ex quorum testimonio liquet, Canonem illum esse factum ad normam Canonis Nicæni; hinc nata est Sibrando commoda mentiendi occasio, *nihil de hoc, in Africano Canone haberi*: qui si verba ipsorum Episcoporum legisset; forsan mẽdaciloquentiæ suæ hîc fibulam imposuisset.

Sextus Canon, de quo nihil Ruffinus, est ille, *de litteris Formatis*, nam Atticus testatur sub finem Concilij Chalcedonensis; in Concilio Nicæno determinatam fuisse rationem scribendarum formatarum. Oggerit Iunius, *Atticum non dicere, fuisse Canonem, multa enim agi in Synodis & definiri solere, quæ nec sint Canones, nec in Canonibus perscribantur.* Nugas agit Iunius, & diuerticula cauillatoria, veteri instituto, quærit: nam Atticus dicit, à Nicæna synodo *constitutũ esse*, vt ea, quam A ibi recitat, *Formatarum* litterarum ratio teneretur. Constituit igitur Synodus Nicæna certam illam *Formatarum* rationem. Si constitutionem istam nolis appellare *Canonem*, appelles *sanctionẽ, definitionem, legem, præscriptionem, mandatum, præceptum*; non laboro, dummodo fatearis, plura à Cõcilio Nicæno fuisse decreta & sancita, quàm Ruffinus enumeret.

Addit Iunius. *Epistolam illam non esse Concilij Chalcedonensis.* Nec Bellarminus affirmauit, esse: quæ quod apud Iunium parum auctoritatis obtinet, id ei est commune cum multis aliis veterũ monumentis, quibus omnibus Iunius velvnicũ Caluini Epistolium, quamuis delirum, antepo- B nit. Etiam in dictione Epistolæ desiderat Iunius *antiquum illum Atticismum, & stylum veritatis.* Si Caluinismũ saperet; iam *Atticismum* & *stylum veritatis* saperet. Quid Epistolæ Ecclesiasticę cũ *Atticismo*? An quia Atticus eius Auctor est, ideo *Atticismum* olere debet? sed de litteris Formatis plura diximus lib. 1. cap. 24.

Septimus Canon est, quem Lutherus, & alij sectarij obiiciunt ex Socrate lib. 1. cap. 8. in quo dicunt, *permissas coniuges sacerdotibus.* Iste Canon non inuenitur in illis viginti Ruffinianis. Iunius intonat. *Falsum: Non Canonem adducunt illi, sed rem gestæ historiam, de quo futurum fuisset Canon, si interdictum fuisset sacerdotibus, vxorum consortio. Res manst, vt ante, libera. Quorsum ergo Canon?* Iterum fumos C vendit Iunius: nã si, vt sectarij volunt. Patres Nicæni permiserunt sacerdotibus vxores, oportet igitur huius permissionis decretum à Patribus promulgatum fuisse. Deinde, quidquid hic dicit Bellarminus, id non dicit ex sua, sed ex aduersariorum sententia. An non illi disertè asseuerant, Canonem à Nicænâ Synodo conditum fuisse, de vxoribus presbyterorum ordini permittendis? Audiamus Centuriatores Cent. 4. cap. 9. *Meminit & Canonum de rerum Ecclesiasticarum administratione à Synodo præscriptorum Sozomenus. lib. 1. cap. 23. quorum nec ipse aliquem annotat, nisi quod eius* CANONIS, *quẽ Paphnutius Cõfessor solus obtinuit, de vsu scilicet coniugij sacerdotum, meminit, qui tamen inter Canones Concilij Nicæni, quos ita Ruffinus vocat & recenset, non* D *habetur.* Hæc Centuriatores. Doceat Iunius prius suos rectè loqui de *Canonibus*, si secus loquendum est, quàm loquuntur, & tum ad nos gradum faciat. De Paphnutio legatur Bellarminus lib. de Clericis cap. 20. Post hæc vix quidquã adfert Iunius, nisi solennia illa sua: *Negamus: Negatur. Inconsequens. Fallit æquiuocatione.*

Epistolas Bonifacij secundi ad Eulalium Alexandrinum Episcopum, & alterius Eulalij Episcopi Carthaginensis ad eundem Bonifaciũ de separatione Carthaginensium à communione Ecclesiæ Romanæ per centum annos, commentitias esse, ostendit non modò Bellarminus hîc, sed & Baronius Anno Redemptoris CDXIX. Num. XCII. & seqq.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Idem probatur ex eo, quod summus Pontifex à nemine iudicatur.

DANAEVS capiti huic ictu vno caput amputat. *Iam*, inquit, *illud refutauimus*. Vbi, quæso? Mentitur, *id assumi, quod in tota hac disputatione probandum est*. Probandum est, Romanum Pontificem habere primatum in tota Ecclesia. Hoc Bellarminus nõ assumit; sed per alia notiora hactenus probauit, & iam quoque probat hoc medio; quia à nemine iudicari potest; vt argumentum tale existat, si quis ad syllogismi formam reuocare velit. *Qui à nullo in Ecclesia iudicari potest, ille habet primatum in Ecclesia; Pontifex Romanus à nullo in Ecclesia iudicari potest; ergo Pontifex Romanus habet primatum in Ecclesia.* Maiorem probat Bellarminus testimoniis Conciliorum, Pontificum, Imperatorum, Patrum. Quomodo igitur id, quod probandum est assumit?

Savvbrandus iterum pingit tragelaphos & chimæras, & ex testimoniis quibus Bellarminus assertionem suam probat, syllogismos prorsus sycophanticos exstruit. Exempli caussa: *Quidquid statuit Concilium Sinuessanũ, illud est verum; Quidquid dicit Synodus Romana, illud est verum. Quidquid statutũ est à Synodo Romana, illud est verum. Quidquid dicit Gelasius, hoc est verum.* Nec hoc semel, sed bis ingeritur. Istos syllogismos ex suo cerebro exsculptos, mox, more suo, multis mendaciorum & sycophantiarũ cohortibus stipatus demolitur Savvbrandus, & in prima acie semper collocat illum *Triarium: Maior non est necessariò vera.* At cuius est ista Maior, nisi calumniatoris Sibrandi?

Deinde, præter alia, prorsus sycophantica, ne dicam Diabolica, commenta, etiam ista Bellarmino per summam impostúram affingit. *Deus dedit sacerdotibus potestatem iudicandi de Imperatore. Ergò Papa non potest à quoquam iudicari. Imperator iudicatur à sacerdotibus. Ergò Papa non potest à quoquam iudicari. Sacerdotes non possunt ab hominibus iudicari. Ergò solus Papa non potest à quoquam iudicari. Laici nõ debent iudices iudicare. Ergò Papa non potest à quoquam iudicari.* Hæc & id genus alia portentosa figmenta, quæ non modò in Bellarmini, sed nec in vllius eruditi mentem cadere possunt, an nõ dum Bellarmino affingit, frontẽ ita perfricuit & attriuit, vt parum pensi habeat, quodnã de hac tanta calumniandi libidine lectores iudicium sint prolaturi?

Sutliuius quoq; post multa mendacia & contumelias in Bellarminum, ad testimonia à Bellarmino adducta respondere conatur, sed in ipso conatu ad sibi consuetas lædorias & pseudologias relabitur. Producitur I. Sinuessanum Concilium; cuius Patres dicunt; primam sedẽ à nemine iudicari. Oggrunnit Sutliuius, *hoc non dicunt Patres huius Concilij, sed tantum Helciades nescio quis.* At vnus dixit hoc ex omnium sensu & assensu; quia iam antea *Synodus vniuersa* dixerat Marcellino Papæ. *Tu eris Iudex; ex te enim damnaberis, & ex te iustificaberis, tu enim Iudex, tu reus.* Secundò oggrunnit Sutliuius: *Hîs verbis nullam habendam fidem: nam exemplaria istius Synodi valde esse depravata, vt vix verum sensum elici queat; Et hoc testari eum, qui hæc Acta edidit.* Obscura sunt alicubi, non diffiteor; at non vbique; & minimè omnium, hoc, de quo agimus, loco; Quid enim planius & clarius hisce verbis? *Nemo vnquam iudicavit Pontificem*, &c. *quoniam prima sedes non iudicabitur à quoq;.* Mentitur deinde, Synodum Sinuessanam *iudicasse Marcellinum.* Nullo modo, quia contrarium expressè passim testantur illi Patres; sed postquam ipse ore suo se iudicauit & condemnauit; damnationi ab ipso factæ subscripserunt.

Iunius clamat, Bellarminum committere *Fallaciam à dicto secundum quid; nam Episcopos in caussa tam plana maluisse, vt de se ipse Marcellinus ferret sententiam pro dictamine cõscientiæ, quàm vt ipsi dicerent.* Has nebulas discutit illud. *Nemo vnquam iudicavit Pontificem.* Qua de caussa, nisi quia id illicitum erat? Neq; hanc Iunianam rationem reddunt illi Patres, cur Marcellinum iudicare noluerint; sed longè aliam; istam videlicet: *Quoniam prima sedes non iudicabitur à quoq;.* Ex quibus euanescit etiam ille Iunianus fucus. *Episcopos istos pertinuisse ad diœcesin Metropolitanam Romani Pontificis; hinc ex veneratione erga Metropolitanum à iudicio abstinuisse.* Nihil huius Patres: sed; *prima sedes non iudicabitur à quoquam.*

Secundò profert Bellarminus Concilium Romanum sub Sylvestro, cuius Canon vltimus ita habet: *Neq; ab Augusto, neq; à Regibus, neq; ab omni Clero, neq; à populo iudicabitur prima sedes.* Iunius & Sutliuius oggerunt, *Acta commentitia nullam habendam fidem.* Esse autem cõmentitia probat Sutliuius I. *quia Sylvester mortuus est ante exitum Synodi Nicænæ; qui tamen in hac Romana Synodo dicitur confirmasse Acta Nicæna Synodi.* At Sutliuius falsum sumit, cum ait, *hanc Romanam Synodum esse celebratam post Nicænum Concilium.* Celebrata est enim Anno Christi CCC. XXIV. Nicæna autem Synodus Anno sequenti, nimirum CCC. XXV. vt ostendit Baronius. Nec in Concilio Romano dicitur, Romanũ post Nicænum celebratum fuisse; sed in *Epilogo*, sic vocat Auctor, vel potius in *summario*, ad Concilium instar partis non pertinente, sed ab alio quopiam præfixo, id asseritur; sed falsò, vt ex vltimo Canone perspicuè probat Baronius. Mendacium porrò Sutliuianum est Sylvestrum Pontificem ante finem Concilij Nicæni esse mortuum; Nam Synodus Nicæna acta & peracta est Anno Christi CCC. XXV; Anno XII. Pontificatus Sylvestri, Imperij Constantini XX. Ab hoc tempore superstes fuit Sylvester vsq; ad annum Christi CCC. XXXV. Constantini autem Imp. XXX. quo Sylvester vita functus ad cœlestem beatitudinem migrauit, quæ omnia ex accuratissima Baronij Chronologia liquent.

Mendacium insuper est illud, quod dicit Sutliuius, colligi *ex Sozomeno lib. 2. Et ex Tripartita Historia.* Mendacium item, *Bedam hoc testari.* Vbi? In quo libro? Certè in libro de sex ætatibus hoc nō asserit. Obstrepit Sutliuius. *Acta illius Concilij esse valde corrupta; & hoc fateri Conciliorum collectorem.* Quidquid sit de hoc, Canon vigesimus planum & expeditum & cuiuis promptum sensum exhibet. Quid facilius intellectu his verbis: *Nemo enim iudicabit primā sedem, quoniam omnes sedes, à prima sede iustitiam desiderant temperari. Neq; ab Augusto, &c.*

Occinit Sutliuius; *aliud esse primam sedem*: aliud, *Pontificem*; & mox vomit conuicia, inter cætera etiam hoc; Pontificem Romanum *aliquando plus non sapere, quàm sedem ligneam, aut truncum siculneum.* Missis calumniis, admodum probo distinctionem Sutliuij inter *Pontificem* & *sedem primam*; quia perinde facit, ac si diceret; aliud esse; supremum Magistratum in Anglia; & aliud, Regem; aliud, supremum tribunal; aliud, supremū iudicem. Quis nescit hæc metonymicè vsurpari pro Rege seu principe & iudice, qui magistratu illo fungitur, aut ius ex supremo tribunali dicit?

Iunius homo totus teres atq; rotundus, accusat *barbariem styli in Romana Synodo.* Nec placent illi, quæ Can. 1. *de lepra & baptismo Constantini*, & id genus aliis Nasoni huic Caluiniano parum iucundis narrantur. Huic molestiæ medebitur Tomus tertius Baronianus, qui res Cōstantini enucleatissimè persequitur. Tantum se docilē præbeat Caluinista; non deerit, quod discat. Si Canon vigesimus ita fuisset conceptus; *prima sedes aquè iudicari potest ac alia quæcunq;*; Iunius Romanam Synodum nunquam *syluescentis barbariei* postulasset, sed inter elegantissima antiquitatis monumenta collocasset.

Tertiò profert Bellarminus Synodum Romanam sub Sixto II. in qua cap. 5. legimus. *Non licet in Pontificem sententiam dicere.* Sixtumque, qui accusabatur, respondisse; *Etsi in meo arbitrio sit, iudicer an non iudicer, tamen non abscondatur veritas.* Respondet Sutliuius, *dictum prius esse cuiusdam Maximi; posterius ipsius Sixti.* Ita est; sed vtrumque cum assensu & approbatione Concilij & ex communi de Pont. Rom. prærogatiua sententia prolatū est; nec quisquā, etiam ex aduersariis Sixti, contradixit.

Ait Sutliuius & cum eo Iunius, *in hoc casu ex speciali priuilegio Imperatoris factum esse; vt Sixtus non iudicaretur.* Nihil Maximus de speciali Imperatoris priuilegio, sed absolutè & vniuersim; *Non licet aduersus Pontificem dare sententiam.* Similiter ipse Sixtus absolutè, absque vllo respectu ad aliquod peculiare Imperatoris priuilegium: *Etsi in meo arbitrio sit*, &c. Nota autē impudens Sutliuij mendacium dicentis, Sixtum; *in eadem Synodo fuisse iudicatum, & à quodam Episcopo excommunicatum.* Vt mendaciū hoc tam enorme deprehendatur, sola Concilij inspectio sufficit. Occlamat Sutliuius, *Exemplaria Concilij esse depravata, vt vix sensu inueniri queat.* At non hoc, de quo agimus, loco: nam sensum tam planum & facilē præfert, vt Caluiniani isti fulgore eius perstricti, tenebras offundere properent; in quibus etiam istæ: *Domestico testibus nil credendum. Exemplaria huius Synodi esse ex domo & scriniis aduersariorum deprompta.*

Quartum testimonium est ex Synodo Chalcedonensi, quæ Dioscorum Alexandrinum summopere detestata est, quod eo audaciæ prorumperit, vt S. Leonem Romanum Pontificem excommunicaret. Respondent Sutliuius & Iunius; *meritò Synodum Chalcedonensem factum hoc execratā esse; Leonem enim à Dioscoro iniustè anathemate percussum fuisse.* Vtique iniustè, quia sine caussa vlla; & vt caussa subfuisset, facinus tamen hoc Synodus Chalcedonensis nunquam probasset, *quia prima sedes à nemine iudicatur*; Ergo nec ab Episcopo Alexandrino.

Iunius litem intendit Bellarmino, quòd dicat, Dioscorum præcipuè esse damnatū, ob sententiam excommunicationis in primam sedem latam; nam *Patres non vti illo vocabulo, præcipuè*: sed isto: *Insuper.* Quàm Seuerus verborum pensiculator Iunius. Neutrius Epistolæ verba retulit Bellarminus, sed sensum. Sensum autem illorum Patrum hunc esse, quòd Dioscorū *præcipuè* damnarint, propter illam temeritatem in Romani Pontificis excommunicatione commissam; manifestum euadit etiam ex his Concilij ad Valentinianum & Martianum verbis: *Sed quoniam super alias suas nequitias, & aduersus ipsam sedem Apostolicam latrauit, & excommunicationis litteras aduersus sanctissimum & beatissimū Papam Leonē facere conatus est, &c. decenter ab vniuersali Concilio, sacerdotio est nudatus, &c.*

Quintum testimoniū est ex Concilio quinto sub Symmacho, vbi recipitur liber Ennodij Diaconi, in quo, præter alia, habetur; Romanæ sedis præsulē non posse ab vllo homine iudicari. Sutliuius dicit: *Ennodium non mereri magnam fidem.* Profectò centuplo maiorem, quā Sutliuius, Iunius dicit, *se dictum Ennodij videre; sed non ius dicti.* Hoc eam ob caussam accidit, quia Iunius iniustos & nullius iuris capaces oculos habuit; qui mox transformat Ennodium in Rhetorem *sæculorum, pro corrupta ratione illius sæculi ita iudicantem; cuius dictum alij, quorum id intererat, probarint.* Quis hac respondendi lege non vicerit, si hoc est respondere, non insanire?

Sextum testimonium est ex Concilio Romano sub Adriano II. vbi dicitur, nusq; legi, de Pontifice Romano quenq; iudicasse; legitimo videlicet iudicio. Respondet Sutliuius *non esse magnam huius Concilij, temerè & arroganter se iactantis, auctoritatem*; videlicet apud Sutliuium & alios ex Caluini foro agyrtas; qui *temerè & arroganter* sese toti antiquitati anteferunt. Respondet secundò, *Esse verba Adriani, non Concilij.* Hadrianus quidē ea verba protulit; sed vtrumque Concilium tam illud sub Hadriano II. quàm octauū vniuersale Adriani dictum calculo suo comprobauit.

Ad

Ad illud Concilij VIII. Can. 21. *Non licere vlli terreno principi iudicare Patriarchas, & inprimis Romanum*: ſalſas ſannas Iunius exſerens, ſic reſpondet. *Ita eſt. Venuſinus fuit qui dicebat*: Vt vineta egomet cædam mea. *Hoc Romani neſciunt; qui omnia vertunt in rem ſuam.* Meminiſſe oportebat Iunium, hunc Canonem non Romæ, ſed Conſtantinopoli, non in Romano, ſed in Conſtantinopolitano Cõcilio eſſe conditum; in quo plures, imò pleriq; Græci, Romanæ gloriæ non ſatis æqui; vt proinde nulla ſit ſuſpicio, eos, præter ius & morem, Romanæ Eccleſiæ aliquid concedere voluiſſe. Sutliuius facilius ſe expedit: *Synodum hanc eſſe celebratam in mediis Eccleſiæ tenebris*; necdum enim Caluinianũ iubar mundo illuxerat; *Exemplaria eius eſſe corrupta*, iudicio nimirum tuo corruptionis pleniſsimo; *Originalia nullibi haberi.* Si tamen tu, qui vbiq; fuiſti, & omnium Bibliothecarum angulos excuſsiſti, nõ mentiris, vt profectò mentiris; exſtat enim iam hoc Concilium integrũ & perfectum, lingua Græca & Latina, ſtudio Raderi noſtri.

Ait Bellarminus, in Cõcilio Mileuitano Can. 19. grauiſsimè puniri Clericos, qui ab Imperatore iudicari volunt. Si ergo Imperator Clericos iudicare non poterat, quanto minus Pontificẽ? Sutliuius mentitur. Synodum Mileuitanam *nihil non contra Bellarminũ teſtari.* Vbi ſunt hæc tam larga & lata in Bellarminũ teſtimonia? Iunius tanquam alter Chremes clamitat. *Hem argutias. Agitur de Clerico Eccleſiaſticam cognitionẽ ſubdolè declinante; in eum pœna ſtatuitur.* Canon Concilij Mileuitani caret omni reſtrictione, & generatim ei pœnam decernit, qui ad Imperatoris iudicium prouocat, quocunque fine id faciat. Obiicit Iunius. Quid ſi argumentemur in hunc modum? *Clericus ab Imperatore non eſt iudicandus, ergo à nemine; negabit, ſcio, diſputator.* Quis non negaret? At quod dicis Bellarminum aſsimili modo argumentari de Pontifice: *Pontifex ab Imperatore non eſt iudicandus, ergo à nemine*; id tuum eſt mendacium; nam hac auctoritate Concilij Mileuitani nil aliud vult efficere Bellarminus, quàm Pontificem nõ poſſe iudicari ab Imperatore, vt delirabat Marſilius de Padua: Vtrum autem ab alio quopiam iudicari queat, id præcedentibus teſtimoniis viſum eſt, quæ palam aſſerunt, Pontificem à nemine iudicari poſſe; intelliges iuſtè ac legitimè.

Idem probat Bellarminus Pontificum teſtimoniis. Ad Gelaſij teſtimonium hanc reddit cauillationẽ Sutliuius; *Gelaſium non loqui de ſolo Pontifice, ſed de omnibus ſacerdotibus.* Id vt ita eſſet, an propterea vim teſtimonij æneruaret? Si nullus ſacerdos Imperatoris iudicio ſubiicitur, ergo nec Pontifex. Oggrunnit Caluiniſta; *Paſtores non eſſe temerè ab ouibus reprehendendos; & hoc ſolummodo velle Gregorium Magnum; poſſe, maturè & deliberatè*; Ea ſcilicet maturitate & deliberatione, qua mox ipſe Sutliuius aduerſus Nicolaum primum ſanctiſsimum & laudatiſsimum Pontificẽ vtitur in hæc verba. *Nicolaum primum nõ adeo, credo, erat inſulſum, vt Epiſtolam illam ad Michaëlem, quæ ſub eius nomine circumfertur, ſcriberet; nihil enim aliud continet, quã fatilem contra Imperatorem inuectiuam, & putidas ſedis Romanæ laudes.* En maturitatem & grauitatem, qua Sutliuius vtitur in reprehenſione Nicolaj primi. Quam hac quoq; clauſula obſignat. *Quid nos de Nicolai ſententia laboremus, qui Pontifici Romano etiam diuinos adſcribit honores?* Os quod mentitur, Sutliui, occidit animam.

Simili impudentia graſſatur Sutliuius vt & Iunius, in Innocentium III. Bonifacium VIII. & Ioannẽ XXII. Et vt inuerecundam Sutliuij frontem, ſimul & rudiſsimam inſcitiam melius intelligeremus; in dubium vocat; num Innocentius III. ſcripſerit ad Græcorum Imperatorem eam Epiſtolam, ex qua deſumptũ eſt cap. *Solita*, extra de *Maiorit. & obed. quia*, inquit, *ſcribit ad Græcorũ Imperatorem Conſtantinum, cum tamen nullus eius nominis tempore Innocentij vixerit.* Vbi abſq; temeritate ſuſpicari licet ex vocabulo *Conſtant.* hoc eſt; *Conſtantinopolitanum*; procudiſſe Caluiniſtam; *Conſtantinum*; nam nemo hiſtoriæ peritus dixit; Innocentium ſcripſiſſe ad Græcorum Imperatorẽ *Conſtantinum*; ſed, Conſtantinopolitanum; qui tum erat *Alexium Comnenum Angelum*, ad quem exſtant quoq; Innocentii litteræ de ſubſidio terræ ſanctæ ferendo. Omitto calumnias, quas Sutliuius plenis faucibus crepat, vt confirmet ſe verè à Beza *petulantem calumniatorẽ & conuiciatorẽ* eſſe dictũ.

Profert quoq; Bellarminus Imperatorum teſtimonia. Iunius reſpondet, *Pleraq; Imperatorũ dicta eſſe particularia, ad perſonas, non ad ordinẽ ipſum promiſcuè pertinentia; ex particulari autem non valere argumentationem.* Hanc reſponſionem eſſe nauci ac nihili, intelliges, ſi dicta Imperatorum à Bellarmino adducta, legere & perpendere velis; vniuerſim namq; pronunciant, Imperatores nõ eſſe iudices Epiſcoporum, non huius vel illius tantũ, ex ſpeciali prærogatiua, ſed generatim quorumcunq;: Sutliuius & hîc & ſupra ſemper ingeminat; *nihil in ſpecie de Romano Pontifice dici: Et licet Imperatores non poſsint Epiſcopos iudicare, eſſe tamen alios eorum iudices, nimirum Synodos.* Sed ſectarius attendere debebat, ad hanc Bellarmini collectionem: Nullus Epiſcopus ab Imperatore iudicari poteſt; ergo nec Romanus, quia & ipſe vtiq; eſt Epiſcopus. *Ergo Romanus Pontifex non plus habet, quàm cæteri Epiſcopi*, inquit Sutliuius. Quoad hoc plus non habet, ſed quoad alia; quia ipſe non ſolum nõ poteſt ab Imperatore iudicari, ſed nec ab vllo Eccleſiaſtico iudice; in quo ab omnibus aliis Epiſcopis diſcrepat. Quod autem Baſilius Imperator in oratione Concilio VIII. ſubnexa, nil ſpeciatim dicit de Pontifice Romano, nõ obſtat, ſatis eſt, quòd diſertè docet, *Epiſcopos à Laicis non poſſe iudicari*; ex quo ſequitur, nec Romanũ Epiſcopum à Laicis iudicari poſſe.

Sutliuius denuo inſilit in Nicolaum primum, *teſtem nec locupletem, nec fide dignũ appellitans*; Et poſt conuicia mentiri audet, *nihil aſſeri à Nicolao, quod*

Bellarmini vel Pontificum causſam iuuet. Hoc Sutliuianum mendacium refellitur vel à ſolis contumeliis, quibus Sutliuius Nicolaum paſsim afficit; aliunde enim non proueniunt, quàm quod ſpiritus Caluinianus ferre nequit, Nicolaum tam ſtrenuè pro Pontificis dignitate pugnaſſe.

Patrum teſtimonia ſimilibus ſutelis elidere & effugere nititur Sutliuius, & mox vt ſycophanticæ ſuæ artis ſpecimen propalam præbeat, conuiciis in Pontifices fulminat, conuiciis, inquam, ex triuiis & compitis. Cui Hugo de S. Victore *tenebris Pontificiæ Hæreſeos occæcatus, verum videre non potuit*: Idem fermè Iunius. Et verum vident hæ talpæ ex Anglia & Holandia? Canon ille apud Gratianum. *Si Papa*, diſt. 40. & id genus alia, *ſunt aſſentatorum Papæ deliramenta.* Nec modeſtior Iunius. Et tamen Canon hic deſumptus eſt ex Bonifacio, ſanctiſsimo Martyre; & Germaniæ Apoſtolo. Iunius criminatur, *Bernardū tẽpori dediſſe ſupra quã ferat veritas.* Caluiniana ſcilicet, quæ Pſeudologiæ ſoror eſt. Mentitur inſuper, Gregorium Nazianzenum, cuius luculentiſsimum teſtimonium Bellarminus produxit, loqui ſolummodo *de ſingularibus & priuatis hominum quorumuis iudiciis*; nec velle; *Imperatorem Epiſcopo ſubiectum eſſe.* Legantur verba à Bellarmino citata; fumique Iuniani derepente in nihilum recident.

CAPVT XXVII.

Soluuntur argumenta Nili.

IVNIVS hic, vt & alibi paſsim, ſtrenuum *negatorem* agit; Et in hiſtoria vel potius vaniloquentia de Synodo Trullana ſe latiſsimè diffundit. Quæ omnia iam ad caput 18. huius libri refutata ſunt & profligata. Danæus mentitur, Bellarminum dicere; *Pontificem non ſubiici legibus Chriſti.* Secundò mentitur, Bellarminum negare *in Canone Trullano ſcriptum eſſe, quod Nilus in quarta ſua obiectione obiicit.* Non negat hoc Bellarminus, ſed ait; Synodum illam cum ſuis Canonibus nullius eſſe auctoritatis, de quo alibi. Eiuſdem farinæ multa alia effundit Danæus mendacia intermixtis vilitudinis gratia horrificis in Bellarminum lædoriis ac contumeliis, quas enotare nil opus. Cui enim bono? cum Danæi mendaciloquus & calumnioſus genius cuiuis, qui chartas eius euoluit, ſit notiſsimus.

CAPVT XXVIII.

Soluuntur obiectiones Caluini.

ARGVMENTATVR Caluinus ex facto S. Gregorij, qui Imperatorem *Sereniſsimum ſuum Dominum*; & ſe *ſeruum Imperatoris* nominare cõſueuit; quod argumento eſt, Gregorium Imperatori fuiſſe ſubiectum, & ab illo iudicari potuiſſe; Cur enim non poſſet ſeruus iudicari à Domino?

A Hanc obiectionem copioſè refellit hîc Bellarminus, & nuper ad eius diſſolutionem nonnulla adiecit in Recognitione operum ſuorum; quæ legiſſe iuuabit. Fusè itidem hac ipſa de re ſcripſi lib. 3. Conſiderationum ad Theologos Venetos cap. 1. Nec Hæretici quidquam adferunt, quod refutatione egeat; niſi forte diſsimulandum nõ eſt inſigne Danæi mendacium, cum dicit; ipſum Bellarminum fateri, plures *Pontifices ab Imperatoribus fuiſſe depoſitos.* Num legitimè? Num iure?

B Dicit Bellarminus S. Gregorium ita humiliter cum Imperatore non ſine cauſſa locutum; quia eo tempore Imperator dominium temporale in vrbem Romanã obtinebat, & Gregorius eius ope & amicitia vehementer indigebat, vt tam ipſe, quàm bona temporalia Eccleſiæ ſuæ, & populus Romanus à Longobardorum gladiis & furore defenderentur. Vociferatur Iunius: *Perfidioſa reſponſionis genus*; cur *perfidioſa*? An ſi neceſsitas vel violentia cogat, non poteſt is, qui alteri ſubiectus non eſt, eum appellare ſuum *Dominum*, & ſe profiteri *ſeruum*, idque maioris mali effugiendi intuitu, quod à S. Gregorio factum eſt; qui Romanã Eccleſiam in ſummum diſcrimen conieciſſet, ſi ius ſuum perſequi, nec à Chriſtiana humilitate rebus afflictis remedium poſtulare voluiſſet; quandoquidem Mauricius Imperator admodum tyrannicè Romanam Eccleſiam diuexabat; vt oſtendi loco ſupra citato. Ait Iunius.

C *Si quia eget, Imperatorem agnoſcit Pontifex, quid faciat, vbi non egebit?* Iure ſuo vtetur, & ſe, ſuosque à moleſtia & oppreſsione liberatos meritò gaudebit: Et Deo laudes gratesque lætus canet hunc vel ſimilem in modum. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius proiecit in mare.*

CAPVT XXIX.

Soluuntur nouem alia argumenta.

PRIMVM argumentum eſt. *Chriſtum fuiſſe ſubiectum Pilato, & aliis, multo magis ergo Pontificem debere ſubiectum eſſe Imperatori.* Reſponſio eſt, Chriſtum fuiſſe Pilato ſubiectum non de iure, ſed de facto, quia voluit, & permiſit, vt Pilatus in ſe ſuaque poteſtate & iuriſdictione vteretur. Danæus hoc concedit de Chriſto; eò quòd ſit Deus & homo.

D *At quid dicemus*, inquit, *de Petro, qui non eſt Deus & homo? Similiter de Paulo, deq; aliis? An & iſti ab omni iuriſdictione humana eximentur?* Quid de his ſentiendum ſit, poſtea docebit Bellarminus. Nunc ſufficit, Danæum confiteri, Chriſtum de facto duntaxat ſubiectum fuiſſe Pilato & aliis. Iunius contrà contendit; Chriſtum, Pilato & aliis non de facto ſolum, ſed & de iure fuiſſe ſubiectum: Probat; *quia Chriſtus factus ex muliere, factus eſt ſub lege.* (At voluntariè, non neceſsario.) *Lex autem hominem ordini humano iubet ſubiici.* Hominem, qui tantum homo, nõ ſimul Deus & homo, qualis Chriſtus;

Digitized by Google

ſtus; nec cuicunq; legi iubet lex hominẽ quemcunque ſubiici, ſed ei, quæ ſtatui & officio eius non aduerſatur; quod dico propter eos, qui ſunt ſupremi & abſoluti principes, quos lex non ſubiicit humanis legibus, niſi quoad directionem, non autem quoad correctionem.

Addit Iunius. *Chriſtus fuit ſubiectus, non qua filius Dei, ſed qua filius hominis eſt, & facto & iure naturæ aſſumptæ.* Videtur dicere velle, Chriſtum ſecundũ naturam humanam fuiſſe de iure ſubiectum Pilato, & aliis; Sed hæc ſententia parum reuerens videtur in Chriſtum; qui, etiam ſecundum naturam humanam, omnibus hominibus maior & ſuperior fuit, quippe naturalis filius Dei, etiam ſecundum naturam humanam. Si omnibus maior & ſuperior naturâ ſuâ fuit, quomodo de iure alicui ſubdi potuit? At non mirum hunc Caluiniſtam Chriſtum qua homo eſt, ſubiicere hominibus, cum eundem, qua Deus eſt, ſubiectum fuiſſe blaſphemet: huc enim tendunt hæc eius verba: *Secundum deitatem voluntate ſubiecit ſeſe: cum humanitatem aſſumpſit.* Num deitas cuiquam mortalium, etiam voluntariè, ſubiici poteſt? Deitas, inquam, quæ omnibus ſupereminet; & quam infra creaturam conſtitui, tam eſt impoſsibile, & magis, quàm impoſsibile eſt binarium eſſe imparem. *Secundum humanitatem & natura & voluntate fuit ſubiectus Chriſtus.* Neque hac, neque illa, & quiſquis hoc affirmat, is de maieſtate Chriſti parum honorificè ſentit. Sed hac de re copioſius actum eſt lib. 2. Conſiderationum ad Venetos cap. 7.

Secundum argumentũ ex facto Pauli Act. 25. *qui ad Cæſarem appellauit, tanquam ad legitimum ſuum magiſtratum.* Reſponſio eſt, Paulum appellaſſe ad Cæſarem, non tanquam ad ſuum iudicem de iure, ſed tanquam ad ſuperiorem præſidis Iudææ & Iudæorum, à quibus iniuriam patiebatur, non enim potuit aliter liberare ſe ab iniuſto illo iudicio, & periculo iniuſtiſsimæ mortis, niſi recurrendo ad ipſorum principem & iudicem. Quod ipſe etiam ſignificauit his verbis Act. 28. *Coactus ſum appellare Cæſarem*, vt rectè explicat Bellarminus in Recognitione, vbi etiam retractat & reuocat aliam ad hoc argumentum ſolutionem, quam ex Pighio hîc attulerat. Subiectus igitur fuit S. Paulus Imperatori de facto, non de iure. Vide, quæ hac de re dicta ſunt in opere Conſiderationum lib. 2. cap. 6.

Tertium argumentum ſumitur ex illo S. Pauli Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus*, &c. Et ex illo 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ*, &c. Reſponſio eſt, Apoſtolum iubere, vt quilibet ſuo magiſtratui obtemperet; Politicus, Politico; Eccleſiaſticus, Eccleſiaſtico. Negat Iunius agi his locis, *etiam de ſpiritualibus.* Sed particula vniuerſalis; *Omnis*, & ipſa vtriuſque Apoſtolicæ ſententiæ generalitas contrarium manifeſtè docet; vt oſtendit hîc Bellarminus, & fusè etiam à nobis monſtratum eſt in Conſiderationibus ad Venetos lib. 2. cap. 4. Obiicit Iunius. *Quibus in rebus quis præeſt, in eis alios omnes obſequi oportet, præeſt autẽ in rebus temporalibus princeps, auctoritate cogente, neceſſe igitur eſt, vt omnes ei obſequantur.* Reſpondeo, Maiorem non eſſe veram, niſi de ſubditis; nemo enim iis in rebus, in quibus præeſt, neceſſariò obedire alteri debet, niſi ſit ſubditus; at Eccleſiaſtici non ſunt ſubditi principum politicorum; non obligantur ergo illis obtemperare in iis, in quibus præſunt; ita vt ad obſequium pœnis vel inuiti cogi poſsint.

Argumentum quartum eſt de Abiathar ſummo Pontifice, quem Rex Salomon depoſuit. Inter cætera reſpondet Bellarminus, Abiathar fuiſſe depoſitum à Salomone, non vt à Rege, ordinaria poteſtate; ſed vt à Propheta, extraordinaria commiſsione Dei. Obſtrepit Iunius; *vt Prophetam feciſſe negatur.* Quid nobis cum tuo *negatur?* Proba ſi potes, à Salomone ſacerdotem illum fuiſſe ſua de dignitate deiectum, vt à magiſtratu & Rege, ordinariâ illâ poteſtate, qua Salomon, vt talis, pollebat? Nam Salomonem feciſſe hoc, vt exſecutorem diuinæ iuſtitiæ, non imus inficias; hoc abnuimus, feciſſe vt ordinarium exſecutorem diuinæ iuſtitiæ. Nam & Helias Baaliticos ſacrificulos peremit; at non vt ordinarius, ſed vt extraordinarius diuinæ iuſtitiæ adminiſter. Sed hac de re copioſe actum eſt lib. 2. Conſid. ad Venetos, cap. 3.

Quintum argumentum. *Chriſtiani Imperatores ſæpe iudicauerunt & depoſuerunt Romanos Pontifices.* Reſponſio eſt; hæc quidem fuiſſe facta, ſed non legitimè. Iunius & Danæus clamant, *iure omnia iſta facta.* Sed nil probant. Vide, quæ dicta lib. 2. Conſid. cap. 8. De Gregorio ſexto eiuſque depoſitione, lege Baronium Tom. XI. ad Annũ Chriſti M. XLVI. De Ioanne XII. & Othone conſule eundem Baronium Tom. X. Anno Chriſti DCCCC. LXIII.

Sextum argumentum. *Ipſi Pontifices fatentur ſe Imperatoribus ſubiectos*; vt aliquot allatis exemplis oſtendit Bellarminus; nominatim huc pertinet Canon *Adrianus* apud Gratianum d. 63. & Canon, *In Synodo* ead. diſtinct. Sed præter reſponſionem, quam hic adducit Bellarminus, nõ eſt omittenda illa, quam nuper attulit in Recognitione, nimirum Canones illos eſſe ſuppoſititios, & à Sigeberto ſchiſmatici Henrici IV. fautore confictos, & à Gratiano incautè in Decretum illatos; vt perſpicuè probat Baronius Tom. 9. ad annum CHRISTI DCC. LXXIV. Nec improbabile eſt eundem Sigebertum fuiſſe Auctorem illius alterius Canonis *in Synodo*: qui Leoni VIII. Pſeudopontifici tribuitur, concedenti eadem priuilegia Othoni Imp. quæ Adrianus Carolo Magno. Sed hæc omnia eſſe vana commenta accuratè demonſtrat Baronius loc. cit. & Tom. 10. Anno Chriſti DCCCC. LXIV.

Quem lector adeat.

CAPVT XXX.

Soluitur vltimum argumentum & tractatur quæstio, an Papa Hæreticus deponi possit.

NIHIL hic Iunius, præter paucula annotatiuncularum suarum frustilla. Danæus planè insanit & furit; cuius ad hoc caput stultiloquentiam si in mortario contundas, ne micam quidem salis extundes. Sequitur Bellarminus eorum sententiam, qui docent, Papam hæreticum manifestum per se desinere esse Papam & caput Ecclesiæ, nec ab Ecclesia deponi, sed potius iam depositū declarari, iudicari & puniri. Et copiosè contra Caietanum disputat, qui arbitrabatur, Papam manifestum Hæreticum, non ipso facto deponi; & ex dignitate sua excidere, sed per Ecclesiæ demū sententiam & iudicium de gradu suo deiici.

Danæus cum nec Bellarmini, nec Caietani sententiā, & sententiæ fundamenta & firmamenta intelligat, thrasonicè tamen iactat, *sibi, si vellet, omnium Bellarmini aduersus Caietanum rationum refutationem promptam ac procluem futuram.* Cui assentirer, si ei tam facilis esset solida & legitima refutatio, quam facilis ei est mentiendi & calumniandi prurigo. Nec verbum addo. Quo enim fine vel commodo in notissimis & insulsissimis Danæi lœdoriis, inscitiis & pseudologiis immorarer?

Sibrandus hoc syllogismo nos beat. *Qui potest hæreticus fieri, & propter hæresin deponi, ille potest ab alio iudicari. Papa potest hæreticus fieri, & propter hæresin deponi, ergo Papa potest ab aliquo iudicari.* Minorem negaret Pighius absolutè. Caietanus diceret, in hoc casu Pontificē iudicari posse; at non in alio. Bellarminus quoque negabit minorem, si verbum *deponi* accipiatur strictè, non enim Ecclesia deponit Papam manifestum hæreticum; sed iam ipso facto & lapsu in manifestam hæresin, depositum declarat; & sic non Papam, sed eum, qui fuit Papa, iudicat & punit; & hæc omnia procedunt ex eorum sententia; qui Papam, vt priuatū doctorem in hæresin incidere posse arbitrantur.

CAPVT XXXI.

Fidem primatus probatur ex nominibus, quæ Romano Pontifici tribui solent.

DANAEVSà conuiciis auspicatur, & in conuicia definit: nisi fortè conuicium non contineant hæc prima eius verba: *Hoc capite se stultitia sua superauit Bellarminus.* Sutliuius oggannit, *non esse magni pendenda nomina, plerunq; imponi temerè. Et plerasq; à Bellarmino enumerata ab assentatoribus. Papæ tributa fuisse.* Assentatores ergo Papæ fuisse oportet grauissimos & vetustissimos Ecclesiæ doctores; & integras itidem Synodos. Creditu longè facilius est, Sutliuium esse calumniatorem Papæ, quam istos assentatores.

Primum nomen est *Papa*. Occurrunt communi cursu Sutliuius, Savvbrandus, Danæus, Iunius; *hoc nomen etiam alijs olim datum fuisse.* An per antonomasiā & per excellentiā, sine vlla alia additione, aut circumstantia? Nam quòd Sutliuius ex suo Savvbrando obiicit, etiam Cyprianū absolutè dictum *Papam*, quia Proconsul in passione eius quærit, vtrum is sit, *quem Christiani Papam suum vocant*; id non obstat; quia apud suos duntaxat diœcesanos & subditos hoc nomen habebat Cyprianus, non vbiq; & in tota Ecclesia; vt Romanus Pontifex; qui in Concilio Chalcedonensi Act. 16. absque vllo adiuncto appellatur *Papa. Beatissimus & Apostolicus vir Papa hoc nobis mandauit.* Oggrunnit Sutliuius. *Hæc verba non esse Concilij Chalcedonensis, sed Bonifacij*, quem, honoris caussa, nominat *mancipium Pontificis.* Nec Bellarminus dixit; verba illa esse Cōcilij Chalcedonensis, sed legi in Concilio Chalcedonensi; quæ à quocunque prolata sint, satis indicant, *Papæ* nomen absolutè & absque vlla adiectione positum, ab omnibus, vbique, pro Romano Pontifice vsurpari consueuisse; neq; enim Patres Concilij Chalcedonensis interrogarunt, quāuis ex diuersis prouinciis congregati, quid Papæ nomine absolutè posito significaretur; sed statim, audito *Papæ* nomine, intellexerunt, quid Bonifacius ille sibi vellet, & quem vocabulo Papæ designaret: neque enim aliter ferè vsurpabatur, quam hodie. Quis autem hac ætate, etiam ex Hæreticis; *Papæ* nomine audito, non informat animo & cogitatione Romanum Pontificem?

Mentitur Iunius, quando dicit, etiam Episcopum Constantinopolitanum vocari *Papam Romanum* apud Gratianum 24 q. 2. *fanè profertur.* Si Iunius Capitulum hoc attentius inspexisset, forsan hac falsitate supersedisset. Accipe verba Capituli. *Romanorum etiam Ecclesia ante annos paucos Dioscorum, qui fuit Papa eiusdem Ecclesiæ, & post mortē anathematizauit, cum nec in fide peccasset. Et hoc sciunt omnes, qui degunt Romæ, & maximè, qui in dignitatibus existunt.* &c. Vbi Iunius per Romam imperitè accipit Constantinopolim; quæ nunquā absolutè dicebatur *Roma*, sed cum addito; vt & hodie; *Romanoua*, nam hæc de veteri Roma accipi debere, docet itidem hæc Annotatio Gregoriana, ad Capitulum illud adiecta; *In antiquis Pontificalibus* in vita Bonifacij Secundi hæc leguntur. *Hic* (Bonifacius) *cū Dioscoro ordinatus est sub contentione: Dioscorus in Basilica Constantiniana: Bonifacius verò in Basilica Iulij. Fuit itaq; dissensio in clero, & populo, & senatu dies 28. donec defunctus est Dioscorus. 5. idus Octobris. Ipse itaq; diebus Bonifacius zelo ductus, cum grandi amaritudine, coacta Synodo, sub vinculo anathematis chirographo damnauit Dioscorum, & reconciliauit clerum: quem chirographum in Ecclesiæ archiuo reclusit*

Fuit

Fuit ergo Dioſcorus iſte non legitimus Papa, ſed *Antipapa*: de quo vide Anaſtaſium in vita Bonifacij II. & Baronium Tomo VII. anno Chriſti D. XXX.

Ait Bellarminus, ſolum Romanum Pontificem dici totius Eccleſiæ Papam, & hoc conſtare ex Act. 16. Concilij Chalcedonenſis. Occinit cum Iunio Sutliuius: *Leo à nullo dictus eſt totius Eccleſiæ Papa in Synodo Chalcedonenſi, præterquam ab ipſius Legato, qui Domino illuſtres affingit titulos, vt ſuffragetur ſibi.* Verum eſt, Lucentius ſedis Apoſtolicę Legatus hunc titulum Leoni tribuit. Sed num quiſquã ex toto illo Patrum cœtu contradixit? Num quiſquam titulum illum, vt Leoni indebitum, exhorruit? Nec certè ambitio Græcorum, quę in illa ſeſſione aduerſus ſedem Apoſtolicam ſatis perſpicuè ſe exeruerat, irrepercuſſum abire ſiuiſſet tam honorificam appellationem, niſi pro decente & debita habita fuiſſet.

Ex Breuiario Liberati cap. 22. profert Bellarminus Patareni Epiſcopi ad Iuſtinianum Imperatorem ſententiam, *nullum videlicet eſſe Papam ſuper Eccleſiam mundi totius, niſi Romanum Pontificem.* Iunius & Sutliuius accuſant Bellarminum malæ fidei: hæc enim nec eſſe verba, nec ſenſum illius Epiſcopi apud *Liberatum*. Verba ſunt iſta: *Multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe vnum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius. Senſus eſt*, inquit Iunius, *in toto mundo vllaque mundi Eccleſia, non eſſe Epiſcopum ſeu Papam Siluerio parem, hunc virum eſſe incomparabilem.* Hæc vanitas, niſi fallor, non eget multa refutatione; ſponte ſua corruit, inſpectis diligenter Liberati verbis; quæ hunc planum & apertum ſenſum (quidquid fumi Iunianus Cacus adſpuat) præ ſe ferunt. *Multos eſſe Reges* in orbe terrarum; *& non eſſe vnum totius orbis Regem*, ſicut ille (Siluerius, de hoc enim agitur) *vnus eſt Papa ſuper totius mundi Eccleſiam*; ita vt vnus ſit in tota Eccleſia & totius Eccleſiæ Papa, ſine vllo conſorte; cum in toto terrarum orbe non ſit vnus Rex vniuerſalis, abſque ſocio.

Obiicit Sutliuius. Liberatum non dicere; *nullum eſſe Papam ſuper Eccleſiam mundi totius, niſi Pontificem Romanum: ſed*; non eſſe vnum (ſcilicet Regem) *ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam totius mundi. Multum autem intereſſe: Inter nullum eſſe, & ſimilem non eſſe: Inter Regem mundi, & Papam Eccleſiæ.* Verba dat Hæreticus, ſenſus eſt ille, quem antea indicauimus: ex quo rectè etiam deducitur ſenſus, quem adfert Bellarminus: Nam Pontifex Romanus eſt *Papa ſuper Eccleſiam totius mundi*; eo modo, quo nullus Rex eſt Dominus totius mundi; ſed nullus Rex vnus vel ſolus eſt Dominus totius mundi, ergo ſolus & vnus Romanus Pontifex eſt Papa ſuper Eccleſiam totius orbis; & per conſequens, nullus alius eſt talis, præter Romanum Pontificem, vt dicit Bellarminus.

Sutliuius animaduertens parum in ſuo commento momenti ineſſe, aliò confugit, nempe, *narrationem iſtam nihil auctoritatis mereri; neque enim ex vnius Græculi aſſentatiuncula de totius Eccleſiæ imperio iudicium fieri debere.* Et hæc eſt ſolidiſsima ad Liberati locum reſponſio; ſcilicet Patarenus Epiſcopus exſuli Syluerio, & ab omni propemodum ope derelicto, adulabatur, & quidem abſenti, & apud Imperatorem, cuius nutu Syluerius in exilium actus fuerat.

Tertiò dicit Bellarminus, Romanum Pontificem à toto mundo & à Conciliis generalibus appellari *Patrem & Papam*. Reſpondet Sutliuius, *hoc non eſſe verum*. ſed refellitur etiam ſuorum Caluiniſtarum conſuetudine, qui nullum alium orthodoxę Eccleſię Epiſcopum nominant Papam, niſi Romanum Pontificem. At, *hoc non colligi ex epiſtola illa ad Concilium Conſtantinopolitanum apud Theodoretum lib. 5. cap. 10.* Neque eum in finem citauit Bellarminus hanc epiſtolam, ſed vt oſtenderet à Pontifice Romano neminem vocari *Patrem* vel *Papam*; verùm *filios* vel *fratres*.

Iunius clamat: *Romanum Pontificem non vocari ab omnibus Conciliis Papam: Non enim hoc nomine affici à Synodo Antiochena contra Paulum Samoſatenum habita; non à Nicæna.* Nec Bellarminus dicit, ab omnibus ita appellari, quia non omnia fecerunt Romani Pontificis mentionem. Quanquam de Nicæna Synodo falſum aſſerit Iunius: nam epiſtola Concilij ad Sylueſtrum Romanum Pontificem, ita habet. *Beatiſſimo Papæ vrbis Romæ cum omni reuerentia colendo, &c.* Occlamat Iunius; non abſolutè vocari *Papam*, ſed *Papam vrbis Romæ*. Quid tum? An ideo verum non eſt, Romanum Pontificem à Concilio Nicæno appellatum fuiſſe *Papam*?

Secundum nomen eſt *Pater Patrum*; quod Stephanus Archiepiſcopus Carthaginenſis Damaſo Papæ tribuit in epiſtola ad eundem. Reſpondet Sutliuius, *hoc nomen olim etiam ſceleratiſſimis Imperatoribus datum fuiſſe, vt Neroni, Caligulæ.* Num iure & vere? Dic, num tibi Damaſus Nero aut Caligula, vel alius ex horum monſtrorum cœtu? Iunius dicit, *epiſtolã Stephani eſſe ſuppoſititiam*, ſuccinit Sutliuius, *manifeſtas falſitatis notas in ea reperiri.* Hoc ſcilicet reſtabat, nodum, quem ſoluere nequeas, diſſecare. Quis ante iſtos hanc epiſtolam in dubium vocauit? Et vt vocaſſet, num ſomnia ſua venditans, tolerãdus eſſet? Sutliuium hæc maximè verba pungunt: *Antiquis regulis conſtitutum eſt, vt quidquid horum, quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis, ageretur pronunciis, non prius tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ veſtræ ſedis fuiſſet deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuiſſet pronunciatum, firmaretur, &c.* Hæc, inquam, verba, admodum pungunt Sutliuium. Quocirca expungantur, & alia, quæ mollius hunc Caluiniſticum puſionem tangant, inſerantur.

Iunius probat ex Actis Synodi quintæ Conſtantinopolitanę, etiam Epiſcopo Conſtantinopolitano nomen *Patris Patrum* fuiſſe tributum. Hic diuinet, qui poteſt, ecquam Synodum Conſtantinopolitanã nomine *quintæ* deſignet. Quintam Oecumenicam intelligere non poteſt, tum

quia nihil eorum, quæ Iunius citat, in ea reperitur; tum quia non fuit quintum Conſtantinopolitanum, ſed ſecundum. Neque Synodum vniuerſalem octauam vocabulo quintæ Conſtantinopolitanæ accipere poteſt; quia hæc Synodus fuit quarta Conſtantinopolitana, non quinta; & præterea in ea non comparent, quę Iunius de *Patre Patrum* citat. Vbi ergo hæc Conſtantinopolitana quinta Synodus?

Tertium nomen eſt *Pontifex Chriſtianorum* apud Euſebium in Chronico anno XLIV. Reſpondent Sutliuius & Iunius; *hoc de Petro dict.* Non abnuo, ſed inde infero, etiam de Romano Pontifice, Petri ſucceſſore, dici, quandoquidem omnia de ſucceſſore Petri dicuntur, quæ ei ratione ſummi Pontificatus competebant. Addunt Caluiniſtæ. Etiam alios Epiſcopos nominari *Chriſtianorum Pontifices.* At num indefinitè omnium Chriſtianorum?

Quartum nomen eſt *ſummus Pontifex.* Liquet hoc ex epiſtola Stephani Carthaginenſis ad Damaſum; & ex aliis à Bellarmino citatis. Reſpondet Sutliuius, *hoc nomen rarò à veteribus Romano Pontifici datum.* Non quæritur, quoties; ſed, an datum fuerit. De epiſtola Stephani iterum hæſitat; non hæſitaturus, ſi in ea aliquid contra Romanum Pontificem inueniſſet. In Concilio Carthaginẽſi prohibitum fuiſſe, ne Pontifex Romanus, diceretur *ſummus Pontifex*, vel *ſummus Sacerdos*, mendacium eſt; quia Canon ille primatibus Africanis ſolummodo latus eſt: neq; potuerunt iis, qui extra ſuos fines & iuriſdictionem degebant, leges præſcribere.

In Synodo ſexta nominatus eſt Agatho Papa: *Sanctiſſimus Pater noſter & ſummus Papa. Æquiuocè*, intonat Iunius: *nam ſummus aut ſimpliciter dicitur, aut ſecundum quid. Abſolutè ſummus eſſe non poteſt, niſi vnus Chriſtus.* Audi Caluiniſta. Summus eſt; ſed in ſuo gradu, ordine & genere, nempe in militante Eccleſia, in qua ſuperiorem non habet. Et quoties Romanus Pontifex ſummus dicitur, reſpectu Eccleſiæ militantis, vel potius intuitu miniſtrorum in Eccleſia militante Deo famulantium, talis appellatur: quo pacto Rex in ſuo regno *ſummus* appellatur. Et tamẽ comparatione ad Chriſtum non eſt ſummus, ſed ſubditus.

Obiicit Iunius, etiam alios Sacerdotes, dici interdum *ſummos*, citatq; aliquot Canones, nominatim illum, Diſt. 18. *Si Epiſcopus.* At hìc forſan operæ pretium feciſſet Iunius, ſi ſuam illam toties inculcatam & inculcandam *Æquiuocationem*, vel ſaltem *analogicam* ſignificationem attuliſſet: nam certum eſt Epiſcopos non abſolutè & ſimpliciter in Eccleſia militãte nuncupari ſummos, ſed tantum collatione ad inferiores gradu & ordine Sacerdotes inſtituta.

Quintum nomen eſt *princeps Sacerdotum*; id confirmat Bellarminus ex Valentiniano Imperatore, & S. Proſpero, qui Romanum Pontificem aiunt, *Sacerdotij principatum tenere.* Oggerit Sutliuius, *omnes Patriarchas & Epiſcopos habere principatum Sacerdotij.* Num ſimpliciter & abſque vlla reſtrictione? Addit; Valentinianum *non eſſe optimum loquendi magiſtrum.* Tu doce Imperatorem loqui, ille viciſsim docebit te ſapere. Obiicit: *Valentinianum plus obeſſe Bellarmino, quàm prodeſſe*: quia dicit, principatum Sacerdotij ſuper omnes, Romano Pontifici ab antiquitate collatam eſſe: ergo non habet illum à Chriſto. Reſpondeo, negando conſequẽtiam; habuit enim ab antiquitate, non vt à collatrice ſeu largitrice, ſed vt ab approbatrice, & teſte eius principatus, quem à Chriſto acceperat. Proſperum ſignificare, *Romano Pontifici propter amplitudinem vrbis primatum fuiſſe tributum*, Sutliuianis Pſeudologiis accenſet; vt & illa Battologiis, quæ hic de interdicto Carthaginenſi iterum deblaterat. Iunius oggrunnit, Papam dici *principem Sacerdotum, non auctoritate alicuius poteſtate, ſed ordine & fide.* Hoc delirium iam ſæpè refutatum eſt. Canones Concilij III. Carthaginenſis *approbatos eſſe à ſexta Synodo*; mendacium eſt. Trullanum conciliabulum eos approbauit: cuius decreta Gratianus perperã ſextæ Synodo adſcribit. Nec omnia, quæ in volumen ſuum Gratianus retulit, canonizata ſunt; ſæpius enim a vero deflexit, vt notum eſt. Hinc licet in collectionem ſuam retulerit Canonem 26. Concilij Carthaginenſis, ne primas dicatur *princeps Sacerdotum*, aut *ſummus Sacerdos*, non ideo tamen Canonem vlterius extendere potuit, quàm primitus porrigebatur. Spectabat autem ad primates duntaxat Africæ, vt euidenter hic demonſtrat Bellarminus. Contra quem clamat quidem Iunius, ſed, licet multum nitendo, nec hilum proficit.

Sextum nomen eſt *Chriſti Vicarius.* Probat id Bellarminus ex Bernardo, & ex Concilio Lugdunenſi: *Nos*, inquit Sutliuius, *meliores auctores quærimus.* Mirum, ni Caluinum aut Bezam.

Septimum nomen eſt *caput Eccleſiæ.* Mentitur Sutliuius primò, *antiquitus hoc nomen non eſſe Pontifici Romano tributum.* An non ſat antiquum Concilium Chalcedonenſe citatũ à Bellarmino? Mentitur ſecundò, *non aliter appellationem hanc tribui Romano Pontifici, quàm alijs Epiſcopis.* Hoc mendacium iam ſæpe profligatum eſt. Nec obſtat; *Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ*; vt iam ſæpe dictum: quia ille eſt caput inuiſibile, Papa, viſibile; & caput ſub capite. Quomodo intelligendum ſit illud S. Gregorij; *Petrum eſſe primum Eccleſiæ membrum*; explicat hic Bellarminus contra Caluinum.

Mentitur tertiò Sutliuius, Bellarminum falsò citare Concilium Chalcedonenſe, non enim dicere; *ſicut Eccleſiæ caput*; ſed, *ſicut membris caput.* Dormitans, opinor, vel nictans Bellarminũ hoc loco legebas. An non profert hæc ex Concilio Chalcedonenſi? *Quibus tu velut membris caput præeras.* Vbi hic vocabulum *Eccleſiæ*?

Iunius clamitat: *Patres Chalcedonenſes, nil aliud velle, quàm Leonem Synodo Romanæ præſedisſe, vt caput membris.* Num aliud dixit Bellarminus? Et quam-

uis

uis ipse Chalcedonensi Synodo non præsederit in se, præsedit tamen, vt caput membris, per Legatos suos. Act. 16. eiusdem Concilij dicitur Ecclesia Romana *caput omnium Ecclesiarum*. Iunius hoc conuicium reponit; *non esse verba Concilij*, sed Paschasini, *hominis Siculi*, qui, vt Legatus, *tenui tibicine vocis suæ fulciebat auctoritatem mandatorii sui*. At num quis ex toto Concilio ad hoc elogium, vt ad falsum & indebitum reclamauit?

Octauum nomen est *Fundamentum*. S. Hieronymus. *Super hanc petram ædificatam Ecclesiam scio*. Vbi Damasum *petram Ecclesiæ* vocat. Iunius. *Negamus hoc dixisse, aut sibi voluisse Hieronymum. De Christo enim loquitur*. Probat hoc Iunius ex illis S. Hieronymi verbis: *Ego nullum primũ, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*. Non dicit, *super hanc*; de propinquiore, *Petro*: Sed, *super illam*: de Christo. Quid est nugacem & blateronem esse, si hoc non est? An nõ manifestissimum est illud: *super illam*: iungi cum proximè antecedente: BEATITVDINI TVÆ, id est, *cathedræ Petri, super illam petram*; nempe super Beatitudinem tuam, hoc est, super cathedram Petri, cui communione consocior, *ædificatam Ecclesiam scio*. Quid tam perspicuum ab vllo vnquam proferetur, cui Caluinianus iste Nycticorax non nitatur offundere tenebras? Ad eundem ferè modum delirat Sutliuius circa S. Hieronymi dictum.

Nonum nomen est, *Pastor ouilis Dominici*: Sic Ambrosius ad Siricium Papam. Respondet Sutliuius, *hoc esse cõmune omnibus piis Episcopis encomium*. At num sine restrictione & limitatione? Calumniatur, fuisse *multos Romanos Episcopos, qui nullam curam Dominici ouilis gesserint*. Sed condonandum est hoc conuicium cum infinitis aliis *petulãti calumniatori & conuitiatori* Bezæ.

Decimum nomen est, *Rector domus Dei. Etiam hoc commune est omnibus Episcopis*, inquit Sutliuius. Num eadem ratione & amplitudine, qua competit Romano Pontifici? Si Rex dicatur Rector Regni, idemq; postea titulus aliis tribuatur, qui in gubernatione Regni Regem adiuuant, quis, nisi imperitus, inde concludet, eadem ratione hoc elogium aliis dari, qua Regi?

Vndecimum nomen est, *Custos vineæ*. Respondet Sutliuius: *eandem laudem aliis competere*. Iterum quæro, num eadem amplitudine & latitudine?

Duodecimum est, *Pater & Doctor omnium Christianorum*. Citatque Bellarminus Concilium Florentinum & Lateranense sub Innocentio III. Iunius impudenter. *Quid moramur hæc testimonia de cæcutiente & cæco planè sæculo deprompta? Negamus in eis veritatem esse*. Et vnde nam veritas in te immigrauit? An ex Caluini schola? Tu Cæcilius cum sis, lynces cœcitatis accusas? Etiam Sutliuius *meliores auctores desiderat*: cui licet vetustissimos dares, aut eorum auctoritatem inficiando simpliciter declinaret, aut cauillationculis consuetis eluderet. Argutum est illud: *Si Pontifex Romanus sit Pater & Doctor omnium Christianorum, nullum alium fore Christianorum Patrem & Doctorem*; particularem videlicet; perinde ac si diceret; si in exercitu sit vniuersalis quispiam dux; nullos fore particulares duces, quorum quilibet particularibus turmis sit præfectus. Item si Deus sit Pater omnium, non fore in mundo vllum alium, cui Patris nomen competat.

Decimum tertium nomen est, *sponsus Ecclesiæ*, citatque Bellarminus Concilium Lugdunense. Criminatur Sutliuius; *nullam esse huius conciliabuli auctoritatem*. Nulla foret, *si conciliabulum* esset. Sed quia Concilium est, auctoritas eius tanta est, quanta esse debet, si non apud heterodoxos; at apud orthodoxos. Calumniantur Iunius & Sutliuius, *vnius sponsæ non posse esse plures sponsos, vel etiam vnum sponsum, & Vicarium sponsi, vel tot Vicarios, quot sunt vel fuerunt & erunt Pontifices Romani*. Vbi nostri isti Gastrones & Physcones mentem à rebus corporeis supra sensum attollere non valentes; vociferantur id, quod absurdissimum foret in rebus hisce externis, fore etiam absurdum in rebus spiritalibus. Nec quidquam respõdent ad id, quod ad hanc ipsam Crassorum rudem phantasiam amoliendam Bellarminus adfert.

Decimum quartum est, *Apostolicæ Sedis præsul*. Sutliuius duo dat responsa; præter conuicia; primum est; etiam alias sedes *fuisse dictas Apostolicas*; vt Antiochenam, &c. Alterum est; *si quid peculiare Romanæ sedi hoc in genere tributum fuerit, id ab assentatoribus processisse*. Primum respõsum etiam dat Iunius. Sed nil valet. Tametsi enim non negamus, alias itidem Sedes aliquando dictas Apostolicas, nulla tamen hoc nomen tulit per antonomasiam, & κατ' ἐξοχὴν, nemo enim, audito absque vlla restrictione, Apostolicæ sedis vocabulo, aliam mente informat, quam sedem Romanam. Quod Prædicãtibus non est ignotum. Sed quia seductores sunt, & manere volunt, cõtra stimulum calcitrare, hoc est, contra conscientiam veritatem inobscurare coguntur, effuso plerumque denso corruscorum nimbo, vt facit hic Sutliuius: qui criminationes nobis vbiq; ipso horreo admetitur.

Decimum quintum nomen est *Episcopus vniuersalis*: de quo iam sæpe dictum. Et hic libri secundi finis esto. Generalem Danæi censuram prætermitto; quia veritatis vacua est; minimè mendaciorum & conuiciorum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DEFENSIO LIBRI TERTII DE SVMMO PONTIFICE,

REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT I.

Proponitur disputatio de Antichristo.

AMETSI Nouatores in omnibus controuersiis, quæ nobis cum ipsis intercedunt; petulantia, mendaciis, conuiciis & contumeliis insigniter instructi in aciem prodeunt, in hac tamen de Antichristo disceptatione, seipsos, longissimo interuallo superant, & vt quod volunt, obtineant; nempe, Romanum Pontificem esse Antichristum, nullius eos pseudologiæ, nullius lœdoriæ, nullius probri, nullius antilogiæ, nulliuśque deprauationis & corruptelæ pudet, ita vt cum alibi scribas, hic furiosas Mænadas agere videantur.

Nos semel institutum iter tenebimus, & mendacia ac calumnias perditorum hominum proviribus redarguemus. Et vt à voce ordiamur, significat *Antichristus* quemlibet Christi aduersarium, siue Christo aduersetur, Christi & Christiani nomine amictus, siue vtrumque nomen respuat & aspernetur. *Non Iudæi solum & Turcæ, aliíque Ethnici*, inquit Caluinianus Stephanus in suo Thesauro, *censendi sunt Antichristorum nomine, sed ij etiam, qui Christianorum quidem nomen profitentur, reipsa tamen hostes Christi sunt, dum eius doctrinam variis commentis adulterant, &c.* Imperitè ergo Robertus Abbatus Anglus Caluinista, cap. 2. eius libri, quem inscripsit: *Demonstrationem Antichristi*; (Rectius indigitasset, *Demonstrationem imperitiæ Abbaticæ*) generalem notionem Antichristi assignaturus, dicit; ex Ioanne liquere; *Antichristum non significare hostes extraneos, sed domesticos hæreticos; non quemcunque aduersarium, sed illum duntaxat, qui sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, superextollitur supra Christum.* Non aliter Gabriel Pouelus & ipse Caluinista Anglus, lib. 1. de Antichristo c. 1. Latius, ô Caluinistæ, patet vsus huius nominis, quod vel ex symmystis suis Sawbrando, Sutliuio, Danæo, aliísque discere poterant, nisi iudicio istorum Nero, & alij immanissimi Christianorum persecutores non fuerint Antichristi, hoc est, aduersarij Christi.

Verum quidem est, S. Ioannem, verbis illis epist. 1. cap. 2. *Nunc Antichristi multi facti sunt*; loqui de hæreticis, qui specioso Christi nomine velati Christum oppugnabant; vt colligitur ex sequentibus: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*, minimè tamen hoc loco S. Ioannes totam latitudinẽ significati generalis, quod vocabulo *Antichristi* substernitur, comprehendit aut comprehendere voluit: cuius rei testes Abbato ipsos Caluinistas defero.

Reprehendit Bellarminus Musculum, qui suis in Locis communibus scripsit Antichristum significare *Vicarium Christi*; vocem enim illam ἀντὶ idem esse, quod *vice*, vnde ἀντίχριστος, *vice Christi*. Negat Bellarminus præpositionem ἀντὶ hoc sensu sumi posse in dictione ἀντίχριστος. Danæus insultans Bellarmino, *non videt*, inquit, *homo acutus, Musculum per deridiculum ἀντίχριστον appellasse Christi Vicarium, vt facilius ex iis titulis, quos sibi Romanus iste Pontifex assumit, demonstraret, eum verum esse Antichristum.* Sed credibile est Danæum nec Musculum legisse, nec, quæ ex illo Bellarminus refert, intellexisse: nam Musculus non ioci gratia, sed seriò & *medullitus* dicit ac sentit, *Antichristum* significare Vicarium Christi; cumque Pontifex Romanus se *Vicarium Christi* nominet; inde colligit, subtiliter nimirum, vt solent Musculi, Papam Romanum esse ipsissimum Antichristum.

Sutliuius clamat, falli eos, qui existimant, *Musculum, vel alios velle, Papam ideo tantùm esse Antichristum, quia Vicarius sit Christi, sed quia dum Christi se Vicarium dicit, reuera Christo aduersatur.* Gratulandum est Musculo, qui mentis suæ tam bonos nactus est Interpretes. Quanquam nec Bellarminus abnuit, Musculum in illo suo *Vicariatu* inclusisse ἀντίθεσιν, siue contrarietatem.

Melius præ omnibus aliis de Musculo meretur Abbatus, qui verbosè contendit, illud ἀντὶ idem aliquando esse, quod *vice* seu *loco*; & Antichristum hominem *loco* vel *vice Christi*, seu *Vicarium Christi*: & ex Lexicis varia adducit exempla, vt doceat, ἀντὶ aliquãdo hac notione vsurpari. Sed causse nihil erat, cur chartam & operam hac in re

Abbatus perderet; nam quæ ipse non nisi ex Lexicis nouit, ea Bellarmino etiam absque Lexicorum promptuario perspecta erant: nam Bellarminus nunquam negauit ἀντὶ, interdum idem esse, quod *vice* seu *loco*, ita vt substitutionem vnius in locum alterius denotet, siue in compositione, siue extra, vt Lucæ 11. μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; *num pro pisce, hoc est, loco & vice piscis, serpentem ei dabit?* & ἀντίτυπος est casus pro casu *substituto*, sed negat, hanc vocalem in compositione significare substitutionem cum subordinatione vnius ad alterum; vt significat vocabulum *Vicarius*. & significare etiam deberet ἀνυπόστατος, si Vicarium significaret: nam licet serpens in locum piscis, & scorpio in locum ouj, & casus in locum alterius casus, &, quod Abbati exemplum est; *pilula*, quam *Gallam* vocant, in locum glandis substituatur, id tamen fit, sine mutua alterius ab altero dependentia & subordinatione; nam quòd Abbatus dicit, ἀντιφάντης & ἀντικαισία, significare *Vicarium Ducis & Regis*, hoc probari cupimus, non nudis verbis asseri: neque enim eam auctoritatem Abbatus apud nos obtinuit, vt asseueranti solùm fidem habeamus. Aequalitatem hæc talia denotant, vt rectè notat Bellarminus.

VVitackerus obiicit auctoritatem Budæi; dicentis, ἀντιφάντης esse *vicarium ducis*. An non ipsemet Bellarminus ad istud respondet? Videlicet, Budæum hoc non dicere; sed tantùm; ἀντιφάντης significare *propratorem*. *Propratorem* autem & *proconsulem* Latinis non significare Vicarium prætoris vel consulis; sed eum, qui in prouincia aliqua idem est, quod *prætor* aut *consul* in vrbe. Neque enim proconsules in proconsularibus prouinciis apud Romanos, consulum Vicarij erant. Obiicit VVitackerus Thesaurum Stephani; cui ἀντικαισὰρ est *prorex*. Sed Stephanus hic vel dormitauit; vel *proregis* nomine, non Vicarium, sed eum, qui idem est, quod Rex suo in regno, intellexit. Quo pacto Dux Moschorum est ἀντικαισὰρ, quia quod Rex est in suo Regno, hoc ipse est in suo principatu.

Ait Bellarminus; ex ipso nomine *Antichristi* planum reddi, Pontificem Romanum, non esse Antichristum, cum enim significet hostem & æmulum Christi; & Romanus Pontifex se Christi famulum, Christoque subiectum in omnibus fateatur; non autem Christum se vllo modo dicat, neq; illi se parem faciat, manifestum est, eum non esse *Antichristum*.

Occurrunt Caluinistæ Iunius, Sutliuius, Abbatus, VVitackerus, alij: *Pontificem hæc verbis fateri; non re; hypocriticè, non candidè & ex animo. Facta, aliud testari; os, aliud loqui. Proditoribus & hostibus solenne esse; vt aliud in corde teneant; aliud labijs proferant.* Sed bilingues isti; & vt sic loquar, *bicordes*, alios ex suo sensu, & animo æstimant; & quod ipsis innatum & agnatum est, Pontifici Romano affingunt; vt hoc loco taceam, Antichristum tam fore peruersum & sceleratum; vt ne per simulationē qui-

A dem, Dei vel Christi famulum se esse professurus sit, quandoquidem manifestè & luce palam *extollet se super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*. vt ait Apostolus: neque ex ore eius vlla vox humilitatis vel subiectionis audietur, quia, vt Daniel vaticinatus est; ca. 7. Antichristus *est os loquens grandia*.

Mentitur Abbatus, *Papam aliquo modo se facere & nominare Christum, cum se nominat sponsum & caput Ecclesiæ*. Ex quo sequitur; etiam Regem Angliæ (& olim Reginam) facere & nominare se *Christum*, quia se vocat, & ab aliis vocatur *caput Anglicanæ Ecclesiæ*. Si, saluo Christi iure, & illæsa eius dignitate, vestra quidem opinione, Rex hunc titulum vsurpat, & sibi tribui sinit; mirum foret, si à Pon-

B tifice vsurpari non posset, nisi Christo de sede deturbato, & in ordinem communem redacto. Audi Caluinista. Pontifex Ecclesiæ caput est; sed sub Christo, & caput Vicarium seu vices Christi sustinens; hinc ipse non est Christus; quia Vicarius Christi, non est ipse Christus, sicut nec Vicarius Episcopi, est ipse Episcopus.

Sibrandus insulsissimè hic blaterat, *Pontificem se facere Deum; haberi & nominari à suis Deum; diuinis honoribus affici*: & centena talia, ex scurrarum scriniis hausta, quæ risu, quam responso digniora quiuis prudens iudicauerit, de quibus infrà, vbi Sectarij hæc talia nobis confertis modiis vsque ad nauseam admetientur. Mentitur autem Sutliuius li. 5. cap. 26. cum ait, Bellarminum existimare, *æmulum significare aduersarium solùm, qui*

C *cum aliquo de dignitate certat*. Et mox, absque vlla caussa, probare ingreditur, id, quod nemo nescit aut abnuit, nempe, *æmulum* etiam in *bonam partem* accipi. Quis hoc negat? Vbi Bellarminus id asseruit, quod tu ei sycophanticè imponis?

CAPVT II.

Antichristum certum quendam hominem futurum.

ANtichristi nomē bifariam accipi, generatim & speciatim, nō diffitentur Sectarij. Generatim quidem pro

D quouis Christi aduersario & oppugnatore. Etsi Pouelus & Abbatus frustra hāc generalem notionem restringunt. Quis speciatim & propriè sit Antichristus, controuertitur inter nos & Nouatores; Nos enim credimus & docemus, Antichristum fore vnum quendam hominem. Hæretici contendunt, Antichristum propriè dictum non esse singularem personam, sed singularem thronum, siue regnum tyrannicum, ac sedem Apostaticam eorum, qui Ecclesiæ præsident.

Ad quæ Iunius. *Falsum hoc omnē dicere; Antichristus non est thronus aut regnum; aut sedes propriè; sed persona singularis est, quæ vnā, eademq; tempore vnica est numero, tempore autem diuersa, vel successu temporis*

vna est secundùm naturam speciei, & secundùm institutum, subrogatione singulari, quam repræsentationem iuris recentiores Iureconsulti vocant: quemadmodum in regno ordinario, rex vnus semper est numero, sed repræsentatione varians. Hæc Iunius: qui sibi Antichristum ad arbitrium suum fingit & refingit, vt plastes statuam, & figulus, ollam. Si aliis dissentaneè; manum non verterit; quia in hoc fingendi campo, cuilibet æqua est quiduis formandi & efformandi potestas. Qua, quæso, fronte negat, in officina hæreticorum Antichristum propriè dictum esse *integrum Regnum?* An non vidit hæc Centuriatorum apud Bellarminum verba: *Docent Apostoli. Antichristum non fore vnam tantùm personam, sed integrum regnum, per falsos Doctores in templo Dei, id est in Ecclesia Dei, præsidentem in vrbe magna, id est, Romana ciuitate, opera Diaboli & fraude ac deceptione comparatum.* VVitackerus. Nostra sententia est *Antichristianissimum esse quoddam regnum Christi regno inimicum.*

Antichristus, inquit Pouelus, *propriè dictus, est regnum, quod Christi regno contrarium est; cuius caput per κατ' ἐξοχὴν membri magnum Antichristum dicimus. Sic enim Scriptura sacra, quando de Antichristo verba facit, nunc regnum totum, corpusq; designat; vt cùm Paulus ait: nisi venerit defectio prius, &c. nunc peragitur mysterium iniquitatis. Quod etiam significatur per bestiam illam truculentam, & per Babylonem, item per aquas multas.*

Antichristum propriè dictum, esse certum, vnum & singularem hominem probat Bellarminus ex illo Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum recipietis*, quæ verba de vero Antichristo interpretantur Patres à Bellarmino citati, & ratio etiam ex ipso textu deprompta euincit, vt ostendit Bellarminus.

Iunius hic ineptè concionatur de indiuiduo vago, quasi vox *alius* sit vox *indiuidui vagi*. Vel Dialecticæ tirones interrogasset, quo nam signo *indiuiduum vagum* signari & affici soleat, facilè ab hoc tam crasso errore liberatus fuisset. *Quidam homo* dicitur indiuiduum *vagum*, non; *hic homo*; aut *Socrates*. Nec dixit Christus: *Quidam alius*; sed absolutè; *alius*, quod certum, determinatum, & vnum singularem hominem denotat: & vt dixisset Christus: *Quidam alius veniet*, quem obuiis vlnis excepturi & accepturi estis; non tamen plures; sed vnum certum & singularem hominem significasset sibi notum; licet auditoribus determinatè notus non fuisset. Nam & ego vnum, non plures designarem, si de quopiam Prædicante mihi iam noto affirmarem: *Quidam alius exsurget, qui Leidensibus Scholasticis longè gratior erit, quàm fuit Iunius.* Nec Patres, cum de Antichristo loquuntur, signum indiuidui *vagi* vsurpant: sed disertis verbis vnum & singularem hominem futurum pronunciant.

Reperit tamen & hic, effugium Iunius: *Vnus*, inquit, *est pro vno tempore; non vnus, sed plures pro diuersis temporibus: vnus numero, sed repræsentatione multiplex. Vnus est secundum naturam speciei; non absolutè vnus numero.* Quæ omnia alieniſsima sunt à mente sanctorum Patrum, qui, vt in progressu disputationis magis elucescet; docent, ita Antichristum fore vel esse vnum, vt & antecessore & successore careat. Quapropter originem eius, genus, ortum, acta, tempus vitæ, & finem iis circumstantiis circumscribunt, quæ non nisi in vnum singularem hominem, nec in vllum alium, qui vel antecesserit, vel successerit, conuenire possunt.

Ait Iunius: *Cum quid exempli caussa; de vno dicitur, eo neutiquam excludi plures.* Fateor, id ita esse; cum exempli caussa aliquid de aliquo dicitur, neque enim si Iunium, *impostorem* vel *seductorem*, exempli caussa vocitem, ab hac laude Sutliuium, Pouelum, Abbatum, Sawbrandum, Danæum, Mortonum excluſos volo; sed nego, Patres ea, quæ dixerunt de Antichristo, tanquam de vno & singulari homine, dixisse de illo *exempli caussa*; sed dixerunt ea, quia nulli alij, nisi tali certo & determinato homini competebant. Nam si ego dicam fuisse Caluinianum Prædicantem, qui *ipse vitam suam conscripserit; quam postea Merula publicarit, quiq; integrum biennium Athenæ fuerit, & quatuor vxores habuerit*; an non Iunium, eumque solum & vnicum hac oratione mea denoto? Par ratio Patrum in hoc nostro argumento.

Adfert & hoc effugium; *Patres, cum de Antichristo loquuntur, vt de vno singulari homine, per syllepsin vel enallagen intelligere plures; & numerum singularem pro plurali ponere*; quod effugium aptissimũ est ad quiduis multiplicandum. Nam Scriptura prædicat *vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum.* Si cerebrosus quis hanc Iunianam viam ingredi velit, nil facilius erit, quam dicere; scripturam singulari munere pro plurali vsam, ac proinde *plures fides, plura baptismata, & plures Deos esse*: nam scripturam sic de vnitate fidei, baptismatis & Dei agere, vt plures non neget. Quis verò sanæ mentis has sacrarum literarum deprauationes ferat? Atqui Iuniana glossemata, quæ Scripturæ & Patrum de vno Antichristo dictis allinit, his prorsus sunt simillima.

Danæus vociferatur, probationem Bellarmini esse *Fallaciam à non consequente, neq; enim Christum se cum vnico duntaxat homine comparare. Sed cum omnibus, qui Ecclesiam deceperunt, Pseudoprophetis.* Oratio Christi clara est. *Alius*, dicit; non *alij. Alius*, hucusque vnum designauit, & adhuc vnum apud intelligentes significat. Si Danæo tam validæ vires, vt significata & numeros nominum mutare & inuertere queat; id nihil ad nos, qui vetera sectamur, non noua cudimus.

Sibrandus clamitat: *Crediderim aduersarium somniasse, cum hæc scriberet.* Ego crediderim, Sibrandum spiritu calumniatorio fuisse afflatũ, quando hæc in chartas exspuebat. *Christus indefinitè locutus est*, inquit Sibrandus. Vbi hæc, vt sic dicam, *indefinitio?* Num *alius* est nomen indefinitum? *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Quis iste

alius

alium, nisi homo vnicus & singularis, Christo probè cognitus, cupidè à Iudæis recipiendus? Mentitur Sibrandus, hanc Christi locutionem similem esse illi Matth. 24. *Videte, ne quis vos seducat. Vt enim illic in singulari numero dixit:* Si alius venerit: ita hîc in eodem numero præcepisse; *Ne quis vos seducat.* At cœcum esse oportet, qui discrimen non animaduertat inter hæc duo vocabula; *Alius*; &, *Ne quis*, præsertim adiunctis aliis, vt par est, vtriusq; orationis circumstantiis: nam illud, *ne quis*, non vnum, sed plures designare, præter communem sensum, & notitiam, quam omnes formant, audita hac oratione: *Videte ne quis vos seducat*; docet quoq; explicatio, quam Christus statim subiunxit: *Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus*: Vbi clarè declarat, quid sub illo vocabulo; *Ne quis*, complexus fuerit, nempe, plures Pseudoprophetas, non vnum. At in nostro proposito singulari voci *alius*, non subditur vox pluralis; sed singularis; *illum recipietis*: non dicit; *illos*. Nec refert, quod Nonnus in paraphrasi ita vertit; εἴ *τε ἄλλος ἵκοιτο, &c. si quis alius venerit*: non enim propterea oratio redditur indefinita; nec ideo ad plures, quàm ad illum vnum refertur, quem Christus hæc loquens designabat, quemque ipse Nonnus hîc appellat ψεῦδον, ψευδόνυμον ἄνδρα καὶ ἀντίθεον, *spurium, falsidicum & Deo contrarium virum.*

Mentitur Sibrandus, *Bellarminum citatos à se Patres aut non aspexisse, aut deprauasse*: nam illos non vti ista voce; *Vno*. Nec Bellarminus dixit Patres, vti hac voce *vno*, in *actu*, vt loquuntur Dialectici, *signato*; sed in *actu exercito*: nam ita scribunt & loquuntur Patres, locum illum Ioannis interpretantes, vt eorum dicta non nisi de vno accipi queant; stultusque sit, qui cum his sectariis Patrum verba & sensa aliò torquere nitatur. Num idcirco de vno quodam Caluinista non loquor; si dicam; *Præter Sutlinium & Poucum in Anglia, allatrauit quoque alius quidam in Frisia Bellarminianam disputationem de Antichristo*: quia non vtor vocula *vno*? Hactenus de ineptiis & pseudologiis Sibrandi circa primum locum: quas nouis quibusdam mendaciis auctas diligenter exscripsit Sutliuius.

Quærit Abbatus, *quid locus ille Ioannis ad Antichristum faciat?* Multum mi Caluinista, multum, ex illo enim eluescit, Antichristum esse vnum numero hominem, sine antecessore vel successore, quod vos perfidè inficiamini. Ais: *Tu nomina quidem apponis quorundam, qui de Antichristo illum exponunt, sed non mouemur nuda nominum auctoritate sine momento rationum.* En quam abiectè & contemptim loquitur vilissimus iste Caluini catulus de sanctissimis, doctissimis & antiquissimis Patribus: Vocat eos *nomina*, & quidem *nuda nomina*. Nomina sunt, sed illustrissima & decantatissima. Quid enim illustrius Chrysostomo, Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & Theodoreto, quos hic Bellarminus citat? Licet autem Sectarij vbique cornua aduersus sanctos Patres tollant; si quid doceant, quod eorum gustui minus iucundum accidat; in hac tamen de Antichristo disputatione, longè petulantius & impudentius eos excipiunt, vt intelliges ex his flosculis, quos ex animaduersionibus Iunij ad hûc tertium librum collegit Martinus Becanus noster in libro de Antichristo reformato.

1. *Patres à vero vt plurimum aberrarunt. pag. 402.*
2. *Hæ sanctorum Patrum coniecturæ.*
3. *Hæ meræ coniecturæ, & probabilitate carentes. pag. 422.*
4. *Hæc non testimonia, sunt veritatis, aut probabilitatis: sed puri puti* ψιχαμοὶ, *opiniones, & suspitiones vanæ, quibus boni Patres plus satis indulserunt. pag. 425.*
5. *In hoc argumento communem errorem minimè stabilit sanctorum Patrum auctoritas. pag 432.*
6. *Hæc non diuinorum Prophetarum effata sunt; sed diuinationes falsa errantium. pag. 435.*
7. *Patrum testimonia in hoc casu fidem non obligant.*
8. *Negamus horum auctoritatẽ in hoc genere magnam esse, cum bona Patrum ipsorum venia. pag. 439.*
9. *Quam infirma sit Patrum autoritas in hoc argumento, aliquoties ostendimus.*
10. *De interpretationibus Patrum in obscuro hîc palpantium iam satis dictum. pag. 440.*
11. *Nos auctoritati diuinæ, ac non opinionibus humanis credimus. ibidem.*
12. *Coniecturæ veterum non probant in hoc argumento. pag. 446.*
13. *Totam hanc interpretationem negamus, quamuis auctoribus multis olim, & hoc quoque tempore placuerit. pag. 403.*
14. *Sed aliter exponit Hieronymus, inquies. Nouimus id quidem: sed alienam esse à Danielis mente affirmamus interpretationem illius. Nec maiorem coniecturarum, quæ ex aliis Patribus adferuntur, auctoritatem oportet esse. pag. 441.*
15. *Negamus de Antichristo propriè, & historicè Danielem agere: de Antiocho affirmamus cum bona Patrum sanctorum venia. pag. 449.*

Hæc, & similia de antiquis Patribus Nouator Caluinista; in quem optimè conueniat illud D. Augustini lib. 1. contra Iulianum cap. 2. *I nunc, & sanctæ Ecclesiæ tot, tantosq; Doctores, qui vita optimè gesta, debellatisq; suorum temporum erroribus, gloriosissimè de hoc seculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, tanquam securus insulta.*

His Iunij in Patres conuiciis, adiungamus ea, quæ alij quoque Sectarij circa & propter hoc de Antichristo argumentum in sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores euomuerunt.

Conuicia Abbati in sanctos Patres.

Fol. 27. *Quod illi* (Patres) *dum non attenderunt, & omnia omnino in Antichristo locum habere iudicarunt, quædam finxerunt de prælijs & regnis Antichristi, quæ*

mirum est à tantis virîs tanta negligentia vel cogitari primùm, vel postea confirmari potuisse.

Fol. 53. *Quæ ille* (Satan) *dum opinione sanctitatis & antiquæ traditionis prætextu, tanquam serpentina quadam lubricitate, in Ecclesiam insinuavit; fefellit nonnunquam viros bonos, qui dum posteriores prioribus, & suîs quique magistris, plus tribuunt, quàm par est, & titillatoriis quorundam glossematis arcana scripturæ mysteria nimis ingeniosè rimantium alliciuntur, stipulis interdum & quisquiliis Ecclesiasticam addunt auctoritatem, & faciem veræ religionis, quasi puluere quodam inspersam, posteris relinquunt.*

Cap. 6. fol. 69. vbi agit de Helia & Enoch: *Fauet Bellarmino veterum quorundam scriptorum* (sanctorum Patrum) *credula nimium simplicitas & negligentia. Quorum tamen auctoritas & maximè dissidentium inter se & opiniones suas destruentium* (mentitur, nec dissident hic inter se, nec opiniones suas destruunt) *auctoritati scripturarum & manifestæ veritati præponderare non debet.* (At præponderare debet Sectariorum summæ leuitati.) *Meritò in illis* (sanctis Patribus) *aliquantulam assentiendi temeritatem improbamus.*

Cap. 9. *De Patrum testimoniis non laboramus, quos constat, dum incertis coniecturis se duci patiuntur, seductos esse, & multa de Antichristo scripsisse, quæ cum sacris Scripturis non conuenire certissimum est.*

Cap. 1. fol. 7. *Si oculos vel paululum aperuissent homines, & suam quamcunque iudicandi facultatem adhibuissent, resciissent optimè, multa, quæ ab antiquissimis scriptoribus in Antichristo asseruntur, de tam infirmis, tam nullis argumentis esse profecta, vt illa constare posset non nisi ab impostoribus & hæreticis inuenta esse, aut certè non nisi per summam negligentiam tantis ingeniis obrepere potuisse. Quin & qui alioqui perspicaces, & nasuti videntur, hic, tanquam vanis oculis, plerumque cæcutiunt, & cum Homero dormitant, & ipsi sibi non constant, & alij aliorum sententias prorsus euertunt.*

Ibid. pag. 6. *Origenis illæ speculationes, & allegoriæ, quanta ingenia, cum quanto fidei dispendio fascinarunt: quasi in illo vno Spiritus sanctus vim omnem, & opes suas, explicuisset; & frustra deinceps cuiquã alteri in sacris Scripturis enarrandis elaborandum esset.* Cyprianus, *dum* Tertullianum *subinde Magistrum appellitat, & iudicio illius plus nititur, quàm suo, ab illo fragmenta quædam* Montani *transscribit; & sanctimonijs, & cæremonijs ab illo confictis plus æquo benignus est.*

Ibid. fol. 7. Hieronymum *fefellit traditio illa, quòd Antichristus è Iudæa futurus esset; qui tamen, quod apud reliquos consectaneum erat, & coniunctum; sessurum illum Hierosolymis in templo Iudæorum, improbauit, & in Ecclesia sessurum interpretatus est: quod si attentè cogitasset, & illud quoque alterum de Iudæorum Antichristo protinus abnuisset. Sed in eo plus, & negligentius erratum est, quod Antichristi regnum tribus annis, & dimidio præcisè determinant, &c.*

Ibid. fol. 4. *Enimuerò apud antiquos superstitio illa plus satis inualuit; qua piaculum esse credebatur, ab illorum instituto, & sententia recedere, qui prius in Ecclesia celebres fuissent, qui quidem, quò propius aberant à prima fidei propagine, eò liquidius & accepisse vera, & sensisse videri possent; & tamen dum toti ab vberibus Ecclesiæ non pendent, & incauta credulitate fucata sapientiæ specie plus æquo monẽtur, pro vero fidei lacte fuxerunt interdum errorem, & multa tradiderunt, quæ ne Pontificiis ipsis, maximis errorum veterum propugnatoribus, satis probata sunt. Atque hæc magna corruptelæ occasio fuit, dum, quæ initiò à magnis viris temerè dictata sunt, eorum auctoritate tanquam pronunciata Catholica vel suscepta prorsus apud posteros, vel certè haud facilè improbata sunt.*

Conuicia Sibrandi.

Lib. 9. cap. 10. *Hippolytum non iudico dignum esse, ad quem respondeam.* Reliqua suis locis annotabuntur. Nam inter discipulos eius Regis, qui *impudens* seu *robustus facie* apud Danielem dicitur, non postremus est Savvbrandus; *κυνὸς ὄμματ' ἔχων.*

Conuicia Sutliuij in SS. Patres.

Cap. 27. lib. 5. *Vt aliquid haberent Patres, quod pro Bellarmini sententia faceret, non tamen existimare debemus, eos Prophetas fuisse, vt omnia viderent.* Rem miram & inauditam; Talpæ & talpæ vident, quod lynces & aquilæ non viderunt. Quæ hæc tam noua rerum vicissitudo?

Ibid. *Patres de hoc mysterio non modò diuersa, sed & contraria sentiunt.*

Ibid. *Dicimus Patres de Antichristi Sede, Regno, & eius duratione parum prospexisse.*

Ibid. *Patres, qui vixerunt ante tempora reuelati Antichristi, diuinare non poterant, quid futurum esset, qui autem post eius reuelationem vixerunt, nescierunt quid fingerent, vt à Pontifice Romano, suspicionem hanc, quòd ipse esset Antichristus, abstergerent.*

Cap. 28. *Ioannes Damascenus, Beda & Richardus recentiores sunt, & somnia hæc sua fortasse ex Monachorum antris acceperant.*

Ibid. *Patres, vt sæpe admonuimus, interpretes erant, & non Prophetæ; coniecturas tantùm suas posuerunt, &c.*

Ibid. *Hieronymus multa comminiscitur de prælio Antichristi parum probabilia.*

Cap. 29. *Patres, velut longè distantes, parum viderunt, & de rebus futuris diuinantes, incerta pro certis pronunciarunt. Beda, Anselmus, Rupertus, Haymo, funo è puteo abyssi ascendente prapediti, falsa pro veris amplexi sunt.*

Cap. 32. *Patres in hac causa leuissimi, vt plurimùm, coniecturis ducti, longè à vero aberrarũt, quod nec aduersarius* (Bellarminus) *negat.* Hoc scilicet supererat, vt impudenti calumniæ mendacium impudens adiungeres.

Cap. 33. *Vt aliquid haberent Patres in rem Bellarmini, tamen, vt sæpe admonuimus, non erant illi Prophetæ, vt de rebus futuris certò diuinare possent: & nonnunquam ingenuè fatentur ignorantiam suam. Atq; vt non fatentur; omnes tamen vident; multum eorum plerosque in hoc argumento hallucinatos esse: quod & aduersarij verum esse agnoscunt.*

Ibid. *Res futuras Patres longè diſtantes aſpexerunt; & multa opinati ſunt, & multum à ſcopo aberrarunt. nihil ſanè minus cohaeret, quàm quod Antichriſtum Iudaei & Chriſtiani fictis miſſum dicant: & tamen fingant eum idola demoliturum, cùm nec Iudaei, nec Chriſtiani gentium idola colant, vt neceſſe ſit ipſum ea demoliri.*

Conuicia Danaei in S. Patres.

Danæus ca. 14. fol. 394. *Patres, qui iſtius Prophetiæ de Antichriſto implementum nondum viderant, illam non intellexerunt: ac proinde eorum dicta nequaquam ipſi rerum euentui ſunt praeferenda. Nam amicus quidem Plato; ſed magis amica veritas, inquit ille.*

Fol. 359. *Teſtimonia Patrum, quae Bellarminus citat, nullius ſunt momenti; ſunt enim partim eorum leues coniecturae tantùm; partim nullo ſacrae Scripturae fundamento nituntur, & ab ipſa experientia confutantur.*

Cap. 3. *Quòd variae de hoc Antichriſti aduentu & illius tempore fuerunt Patrum ſententiae, ex eo accidit, quòd notas & ſigna aduentus Antichriſti à ſacra Scriptura praedicta, omnia non obſeruarunt; ſed quaedam praetermiſerunt, alij ea ne attenderunt quidem.*

Cap. 8. *Quod ad Patres, quos citat hic Bellarminus, illi neque nobis nocent, neque Bellarminum iuuant. Id enim, quod ait iſte* (Bellarminus) *ſenſerunt quidem: ſed communi & iam recepta ſeculi ſui opinione, quae à Iudaeorum Rabbinis profecta eſt, decepti, &c.*

Cap. 9. *Quod ad nonnullos, & quidem paucos Patres, quos ſuae ſententiae teſtes producit Bellarminus, illi nos nequaquam laedunt, quia errore ſui ſeculi vulgari decepti ſic ſenſerunt, cum Apocalypſis locos propheticos non intelligerent; quia nondum ſuum implementum habuerant.* At nunc Danæo cap. 8. ex rerum euentu omnia liquent: Quia *tempus, tempora & dimidium temporis*; referenda ſunt ad fratres *VValdenſes*, inquit Danæus. *Tempus* ſignificat centum annos; *tempora* ducentos: dimidium temporis, quinquaginta: qui ſimul iuncti faciant trecentos, quinquaginta annos, quibus *fratres VValdenſes paſsi ſunt perſecutionem à Papa Romano; à quo anno Domini M. C. L X I. in tenebras & latebras ſunt compulſi ex quibus emerſerunt anno M. D. L X V I I.* quo Lutherus Euangelizare cœpit. Conficiuntur autem ab illo tempore vſque ad Lutherum anni C C C. L. Nullus Aeſopus hoc Caluiniano fabuloſior: nullus Mythologus μυθολογώτερος. Adde quod ab anno M. C. L X I. vſqi ad annum Chriſti M. D. X V I I. non colliguntur anni trecenti quinquaginta; ſed anni trecenti quinquaginta octo. At Danæus prudenter iubet numerum minorem, hoc eſt, octo detrahi; quibus ex quinquaginta ablatis, nemo eſt, qui non videat, quinquaginta ſolummodo remanere. Nec immeritò hoc facit Danæus; quia Arithmeticae ſpecies non eſt tantùm additio, ſed & ſubtractio. Cur igitur Danæo non liceret tantum de numero annorum detrahere, quantum ſtabiliendo ſuo commento, detrahendum eſſe videbat? Si *tempus* mutare licuit in centum annos; & *tempora* in ducentos, & *dimidium temporis* in annos quinquaginta, iniquus ſanè rerum æſtimator foret; qui prædictam octonarij numeri ſubtractionem Danæo crimini dare vellet.

Sic non rigidè ad calculos reuocandum eſt, quod ait, Huſſum & Hieronymum Pragenſem fuiſſe illos Prophetas, qui per quadraginta duos menſes concionati ſunt. Et quamuis Huſſus longè diutius, quàm per triennium & ſemeſtre peſtiferam ſuam doctrinam in Bohemia ſparſit, vt patet ex eius Operibus & ex hiſtoria Vitæ, quæ præfigitur, id tamen Danæo non officit; quia quinquaginta duobus menſibus pro ſuo figmẽto eget, non pluribus. Cur nõ liceret abiicere ſuperfluos? Quærere tamen libet ex Danæo an in his duabus *oliuis & candelabris* euenerint ea, quæ Ioannes capite vndecimo, euentura duobus illis teſtibus occiſis vaticinatur; nominatim hoc: *Et corpora eorum iacebant in plateis ciuitatis magnae, etc. Et videbunt de tribubus & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium; & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.* Certè hoc in Huſſo & Pragenſi perfici non potuit, quia in cineres & fauillas redacti ſunt, non intra, ſed extra ciuitatem, qui locus adhuc viſentibus monſtratur: multoque minus conuenit in illos, quod ſequitur: *Et poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitae à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus adſcendit ſuper eos, qui viderunt eos.* Nullus hucuſque viſus vel auditus eſt, qui dixerit, ſe vidiſſe Huſſum & Pragenſem reſuſcitatos; & vitali ſpiritu denuo informatos. Nec quiſquam inſuper exſtitit, qui viderit illos aſcendentes in cœlum; vt de duobus illis teſtibus S. Ioannes ſcribit. Nec quidquam ſcitur Conſtantiæ de terræ motu illo ingenti, hunc aſcenſum ſubſecuto, quo *decima pars ciuitatis ceciderit, & ſeptem millia hominum* interierint. Si hæc & ſimilia exuſtis geminis illis Nouatoribus euenisſe nouit Danæus, prodat monumenta & teſtimonia, abſque quorum robore vanum reputamus, quidquid de his ſuis *candelabris* pyra in alta lucentibus garrit. Reuertamur ad propoſitum.

Ait Bellarminus; Chriſtum verbis illis apud S. Ioannem opponere ſibi alium hominem, hoc eſt, perſonam, perſonæ: non regnum regno; nec ſectam ſectæ. Sicut ergo Chriſtus vnus & ſingularis homo fuit, ita & Antichriſtum vnum & ſingularem hominem fore. Abbatus: *Quis tandem conſtabit hic perſonam perſonae, hoc eſt, vnum vni opponi debere?* (ex ipſa orationis ſerie, & ex primo vocabulorum adſpectu id conſtat) *Chriſtus quidem vnus eſt: at* ALIVS *à Chriſto infinitam habet ſignificationem, & poterit hunc, & illum, & alterum notare, & diſtributiuè omnem, qui Chriſto aduerſus eſt.* Sed huic latitudini & diffuſioni vocis *alius*, obſtant circumſtantiæ orationis, qua Chriſtus vſus eſt; loquitur enim non de quocunque *alio*; ſed de illo *alio*, quem Iudæi pro *Meſſia* recepturi ſunt: vt rectè dicit Bellarminus; tametſi ſplendidè mentitur

Sibrandus, (& ex illo Sutliuius, licet impudentius) cum innuit, Bellarminum attuliſſe hæc verba; *pro Meſsia*; quaſi eſſent verba Euangeliſtæ. Non ſunt Euangeliſtæ verba, quod Bellarminum non fugiebat; ſunt tamen ex Euangeliſtæ ſenſu: nam Chriſtus de illo *alio* loquitur, quem Iudæi recepturi ſunt eo modo, quo Chriſtum recipere debebant. Sed Chriſtum recipere debebant pro Meſsia; iſto enim fine venit ad Iudæos, vt ab illis pro Meſsia & Saluatore reciperetur; ergo *alium*, de quo Chriſtus loquitur, recipient pro Meſsia. Ex quo ſequitur illum *alium*, de quo loquitur Chriſtus, eſſe vnum quendam & ſingularem hominem; tum quia verus Meſsias eſt vnus & ſingularis, ante quem, & poſt quem nullus; tum quia Iudæi non niſi vnum & ſingularem hominem, tanquam Meſsiam ſuum præſtolantur & recipient. Maior ſyllogiſmi huius manifeſta eſt ex oratione Chriſti: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me*; nimirum tanquam Meſsiam & Saluatorem veſtrum: Si alius venerit in nomine ſuo, eum recipietis, eo ſcilicet modo, quo me recipere debebatis, nimirum, vt Meſsiam & Seruatorem veſtrum.

Ait Abbatus: *Dici quidem numero ſingulari* ALIVM, *pluraliter tamen intelligi poſſe*: probat ex capite quarto Ioannis, vbi Chriſtus dicit: *alius eſt, qui ſeminat, & alius, qui metit*: & mox, mutato numero, ſubiungit: *alij laborauerunt, & vos in eorum labores introiſtis*. Ex quo planum fit, vocem, *alius* licet ſingularem, *pro ore loco pro plurali vſurpari*. Reſpondeo, vt hoc in iſto loco & aliis, quæ Abbatus adfert, ita eſſet, locum tamen habere nequit in ſæpe iam nominata Chriſti ſententia, propter circumſtantias, quæ omnes clamant, vocem; *alius*, ſingulariter poſitam; ſingulariter quoque accipiendam eſſe, vt iam ante oſtenſum. Non abnuimus, vocem ſingularis numeri aliquando ſumi pro pluribus, vt ſi dicam: *Homo eſt animal rationale: prædicans eſt cornu & tubicen beſtiæ loquentis grandia*: Nam priore locutione omnia indiuidua humanæ ſpeciei complector: poſteriore, omnes Prædicantes: ſed longè alia eſt ratio huius vocis *alius* in loco, de quo diſceptamus.

Porro Bellarminum fateri; *alium iſtum*, apud Ioannem accipi pro multis, mendaciis Abbaticis annumeretur. Vbi enim hoc Bellarminus? Tu citas caput primum, in quo non procul à fine ſic ſcribit Bellarminus, Matthæi viceſimo quarto, Antichriſtus dicitur affirmaturus ſeipſum eſſe Chriſtum: *Multi*, inquit Chriſtus, *venient in nomine meo, dicentes; ego ſum Chriſtus. Quod ſi de Antichriſto exponendum ſit; Multi venient in nomine meo, &c. certè Antichriſtus non vnus & ſingularis, ſed alius & alius in multitudinem vſq; intelligendus eſt.* Reſpondeo; quod Matthæi vigeſimo quarto de Pſeudoprophetis dicitur, id Antichriſto cum cæteris, qui propriè & ſtrictè loquendo non ſunt *Antichriſti*; eſſe commune; Nam multi, & in his ipſe etiam Antichriſtus, venient, dicentes: *Ego ſum Chriſtus*: Itaque hic locus Matthæi vigeſimo quarto de Antichriſto, etiam preſsè ſumpto, exponi debet; at non de ſolo Antichriſto, ſed & de cæteris Pſeudoprophetis, in quos *Antichriſti* nomen non niſi latè & generatim acceptum conuenit. Verum inepta prorſus eſt hæc argumentandi forma: *Matthæi vigeſimo quarto dicit Chriſtus, Multos venturos in nomine ſuo, qui dicant; ſe eſſe Chriſtum; ergo vox* alius *Ioannis quinto, non ſignificat vnum certum & ſingularem hominem ſed collectionem multorum hominum*; quemadmodum vox *Multi* Matthæi viceſimo quarto. Quaſi verò nihil ſingulariter de vno Pſeudopropheta & ſeductore enunciari queat, & omnia talia loca trahi debeant ad ea, quæ de multitudine impoſtorum & ſeductorum in communi aliquid complectuntur; qualis eſt ille Matthæi viceſimo quarto, qui non de ſolo Antichriſto, ſeu de complexione quapiam & collectione Antichriſti propriè dicti agit, vt Nouatoribus placet; ſed de Pſeudoprophetis in communi: inter quos vnus & ipſe propriè dictus Antichriſtus.

Perpendit Bellarminus illud, quod Chriſtus dicit: *Si alius venerit in nomine ſuo; illum recipietis*; quia omnes falſi Prophetæ venerunt in nomine alterius; at hic loquitur Chriſtus de vno, qui veniet in nomine *ſuo*, id eſt, qui non agnoſcet Deum aliquem, ſed extollet ſe *ſuper omne, quod dicitur Deus*. Ex hoc colligit Sawbrandus, & cum illo fidus eius aſſentator Sutliuius: Antichriſtum non eſſe falſum Prophetam: condito hoc ſyllogiſmo prorſus incondito: *Omnes falſi Prophetæ in nomine alterius, non in ſuo veniunt: Antichriſtus in ſuo, non in alterius nomine veniet; ergo Antichriſtus non erit falſus Propheta*. Sed nihil promptius eſt, quàm negare Maiorem; quæ nunquam à Bellarmino aſſerta eſt: quia non eſt vſus futuro, *venient*; ſed præterito; *venerunt*. Cum quo conſiſtit, poſſe alium exiſtere, qui non in alterius nomine, ſed in *ſuo* veniat; & tamen Pſeudopropheta ſit. Itaque negatur Maior. Si Sawbrandus non eſſet cauillator & calumniator, Maiorem hunc in modum formaſſet; *omnes alij falſi Prophetæ venerunt hactenus in nomine alterius, non in nomine ſuo*, opponit enim Bellarminus Antichriſtum aliis falſis Prophetis: non quòd ipſe non ſit falſus Propheta; ſed quia ceteris Prophetis falſis falſior eſt, & eminentior. Hunc in modum formata Maior, conuenientior fuiſſet Bellarmini ſenſui. Nihilominus tamen ſyllogiſmus prorſus informis maneret, & concluſio ex præmiſsis nequaquam legitimè inferretur: nam ſi concluſionem obtinere velis: hæc Maior ſtatui debebit. *Qui non venit in nomine alterius, ſed in nomine ſuo, ille non eſt Pſeudopropheta; Antichriſtus non veniet in nomine ſuo, ſed alterius; ergo Antichriſtus*

non

non erit Pseudopropheta. Forma quidem syllogismi hoc modo constabit. Sed quis concedet Maiorem? Hic iterum calumniarum suarum & mendaciorum hortum egregiè ex Sibrandico stagno rigauit Sutliuius. Et tamen vbique silet per quem in mentiendi arte profecerit.

Accusat Abbatus Bellarminum, quasi cum falsis Prophetis Christum coniunxerit: *Quia omnes alij falsi Prophetæ, excepto Antichristo, in nomine alterius venerunt*, teste Bellarmino; at Christus etiam venit in nomine alterius; nempe Patris sui: *Ego veni in nomine Patris mei*, ait ipse Dominus; *ergo Bellarminus facit Christum parem Pseudoprophetis.* Et hîc syllogisticus Sibrandus indissolubili syllogismo Bellarminum irretire & implicare potuisset, si id ei in mentem venisset. Quid enim procliuius fuisset; quàm ex Bellarmini verbis has pedicas texere? *Omnes, qui in nomine alterius veniunt, sunt Pseudoprophetæ. Christus in nomine alterius, nempe Patris sui, venit, ergo, &c.* Quo se vertisset Bellarminus, si Sawbrandus hoc reticulo, tanquam sagax retiarius, eum cepisset? Sed ex nassa hac tam Sawbrandica, quàm Abbatica euadere, procliue est; nam bifariam potest quis in nomine *alterius* venire; nimirum mendaciter & veraciter; Christus venit in nomine alterius *veraciter*, verè enim à Patre missus fuerat. Verè se à Patre missum profitebatur. At Pseudoprophetæ veniunt in nomine alterius *mendaciter*: Dicunt enim se à Deo missos; cum sint missi à Diabolo. Dicunt se Dei causam agere, cum agant causam Cacodæmonis.

Probat Abbatus etiam alios Pseudoprophetas in nomine *suo* venire; *quia veniunt non missi; veniunt sui auspicio, arbitrio suo, sine vllo Dei mandato.* Respondeo, id absolutè loquendo ita esse, nec inficias it Bellarminus; consistit tamen discrimen allatum à Bellarmino; nam licet reuera in suo nomine Pseudoprophetæ veniant; semper tamen prætexunt nomen & auctoritatem alterius, vt citius auditoribus fidem faciant, & plus existimationis sibi concilient. At Antichristus ita in nomine suo veniet, vt cuiusuis alterius nomen & auctoritatem sit reiecturus & apertè repudiaturus; neque ab vllo se missum affirmabit; sed se super omnes Deos, imò & supra verum Deum efferet; neque vllum à quo missus sit, agnoscet & prædicabit, vt faciunt alij Pseudoprophetæ. Quapropter meritissimo in *suo* nomine κατ' ἐξοχὴν venturus dicitur: quia nullus fuit vel erit, qui suæ impudentiæ & impietati non præstruat alterius nomen, solus Antichristus eò effrontis audaciæ prorumpet, vt se omnia esse, & sibi omnia deberi prædicet.

Obiicit Abbatus: *Antichristus dicet, se esse Christum.* Matthæi vigesimo quarto: *Ergo fatebitur se venire in nomine alterius.* Præsertim cum Christus ibidem dicat: *Multi venient in nomine meo, dicentes, ego sum Christus, ergo etiam Antichristus veniet in nomine Christi.* Respondeo; venire in nomine Christi duplicem habere sensum; primus est, vt quis veniat, tanquam missus à Christo, & legatus eius, tanquam superioris: Alter est, vt quis Christi nomen sibi arroget, nec Christum vel Deum se superiorem agnoscat. Priore modo veniunt alij Pseudoprophetæ in nomine Christi. Posteriore modo veniet in nomine Christi Antichristus: nam Christi nomen, dignitatem, quin & Dei ipsius eminentiam, sibi vsurpabit: nec cuiusquam Legatum se profitebitur. Et quamuis etiam vel fuissent vel futuri essent; qui reuera, non tantùm repræsentatione, se pro Christo mendaciter vel venditassent, vel venditarent; omnium tamen impietatem longè transcendet Antichristus, qui, sancto Paulo teste, etiam supra Deum, & omne quod colitur, sese flagitiosè extollet. Similia prorsus Abbato blaterat Pouelus libro primo capite decimo, vt probabile sit hunc iuniorem nugatorem à seniore nugatore Abbato nugas suas mutuatum esse. Nec VVitackerus aliquid adducit, quod ex dictis non maneat refutatum.

Obseruetur autem, opinionem de Antichristo, quod sit vnus quidam & singularis homo, adeo altis veri radicibus niti, vt ne ex Zanckij quidem, tametsi Caluino addictissimi, pectore expungi poterit. Ita enim de illo VVitackerus, postquam suorum de Antichristo opinionem commemorauerat. *Videtur Zanchius diuersum aliquid statuere, illum insignem Antichristum, de quo Scriptura loquitur, fore certum hominem: Non negat ille Papam esse Antichristum; & regnum Papæ esse Antichristi regnum: sed tamen probabile esse ait; ante finem seculi futurum esse quendam egregium impostorem & tyrannum, qui alios omnes malitia & potentia superabit: quique miracula editurus sit. Propter hanc opinionem fuit ille à quibusdam vellicatus.* (quia scilicet Zanckij opinio parum videbatur Caluinistica) Tandem subiungit VVitackerus: *Relinquamus Zanchio suam opinionem, de qua viderit ipse, nos omnes Papas Antichristos esse dicimus.* An ideo melior tua opinio, quàm Zanckij, quia tu meliorem esse asseris?

Secundus locus, quo Bellarminus probat Antichristum esse vnum certum & singularem hominem, est ille 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* Infrà: *Tunc reuelabitur ille iniquus, &c.* In Græco textu præfigitur semper articulus ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος. docet autem sanctus Epiphanius, & in confesso est apud Græcè doctos, articulum nomini præpositum, significare rem certam, definitam, & singularem. Sibrandus: *Hos, salua pace Epiphanij, non est verum.* At Sibrando Caluinistæ oppono

Caluinistam Iunium; qui, *concedimus*, inquit, *Epiphanio totum; & nihil Bellarmino.* Rectè ergo, iudicio Iunij, sentit sanctus Epiphanius. Nec obstant exempla quæ contrà adfert Sibrandus, & cum illo VVitackerus: vbi nomen ab articulo non restringitur ad rem singularem & indiuiduam, vt Lucæ 4. οὐκ οἶδα ἄρτον μόνον ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, quia vt Grãmatici docent, & de hoc exemplo nominatim fatetur ipsemet Abbatus, articulus aliquando redundat, & nullam ad indiuiduum contrahendi vim habet: quod de loco prædicto D. Pauli dici nequit. Quis enim tã crassę sit naris, qui non aduertat; aliter tinnire si dicam: ὑπὸ παντὸς δὲ ὁ ἄνθρωπος, ὁ ἥλιος, ὁ ἄνεμος, ὁ ἀντικείμενος, quàm, si omisso articulo, dicam; ὑπὸ παντὸς δὲ ἄνθρωπος, ἥλιος, ἄνεμος, ἀντικείμενος. Abbatus diem dicit Bellarmino quasi parum candidè Epiphanij locum adduxerit: nam hæc esse Epiphanij verba: *Vbi articulus additus est in vno aliquo determinato & manifestissimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Bellarminum autem improbè hæc, & manifesta fraude peruertere. & quod apud Epiphanium est; certum & determinatum; in indiuiduum & singulare* mutare. Calumniatur Abbatus, more consueto. nam Bellarminus non dicit illud, quod ab Epiphanio nominatur ἓν τι ὡρισμένον καὶ διαπεφασμένον, *vnum quiddam definitum & apertissimum*; esse indiuiduum vel singulare; sed, addito articulo, indiuiduum & singulare effici: nam ἐὰν ἄνθρωπος, βασιλεύς, inquit sanctus Epiphanius, ἄνθρωπος μὲν ἐστιν ἁπλῶς, ἀλλ' ὁ πολλοὺς τὸν ἀριθμὸν ὑπερέχων ἐδείκνυεν· βασιλέα γὰρ λέγομεν καὶ τετρώνων καὶ μύριον, &c. ἐὰν δὲ μετὰ προσθήκης τοῦ ἄρθρου ἄνθρωπος ὁ βασιλεύς, ἀναμφιβόλως δεῖ τὸ σημαινόμενον. *Si dicamus*, Rex, *nomen quidem indicauimus, sed non perspicuè certum & determinatum ostendimus. nam & Persarum & Medorum Regem, &c. nominamus; at si cum articuli adiunctione dicam.* Hic Rex, *iam omnis ambiguitas tollitur; nam per articulum demonstratur ille Rex, qui quæritur; de quo sermo instituitur, qui cognoscitur, vel qui alicui imperat,* hoc est, certus, definitus, & singularis. An hanc S. Epiphanij doctrinam candidè & sincerè non proposuit Bellarminus?

Delabitur Abbatus in opinionem, vel potius phantasiam, Iunij, nempe τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας, τὸν ἀντικείμενον, τὸν ἄνεμον significare *certum & singularem hominem pro vno tempore, sed repræsentatione, & ad continuationem ordinis variantem; seu, certam hominum sibi mutuò succedentium seriem*, de quo somnio iam supra diximus. Sed vt Abbatus Bellarminum penitus constringat, & omnem elabendi rimam præcludat, obiicit illum Apostoli locum, Hebr. 9. vbi dicitur, μόνος ὁ ἀρχιερεὺς, *solus Pontifex* in tabernaculum secundum semel quotannis ingredi, & ibidem ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς, *quemadmodum Pontifex, &c.* Vbi certum est, *non vnum aliquem è Pontificibus, sed totam Pontificum seriem & successionem denotari*, inquit Abbatus. *Quid ni ergo* ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας *non vnum aliquem hominem & singularem, sed certum hominum seriem designet in eadem cathedra pestilentia sibi mutuò succedentium?* Fateor, prędictis epistolæ ad Hebræos locis, τὸν ἀρχιερέα accipi pro vno singulari cum respectu & ordine ad successores, neque enim eiusmodi est hæc de articulo regula, vt nullam patiatur exceptionem: sed nego; idem dicendum de loco diui Pauli & similibus; non enim frustra toties iterauit Apostolus articulum: ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱὸς, ὁ ἀντικείμενος; quæ repetitio certum & singularem hominem denotat. Deinde obstant alia Scripturæ loca, de quibus in progressu huius disputationis; quæ euidenter docent, Antichristum ita singularem & determinatum hominem, vt antecessore & successore careat. Quapropter loca, quæ apud sanctum Paulum de Antichristo reperiuntur, explicanda sunt conuenienter illis, quæ Antichristum, tanquam vnum & singularem hominem, cuius regnum omni successione destituatur, nobis depingunt ac repræsentant: neque enim Scripturæ cum Scripturis pugnant. Porro, quidquid Sutliuius de articulo Græco, & de loco Epiphanij nugatur, id totum furatus est ex suo Savvbrando, qui docilem hunc suum discipulum insigniter mentiri & conuiciari docuit. Et VVitackerus etiam sanctum Epiphanium Græcam linguam docet. At quis credat hunc Anglum Græcè doctiorem esse, quàm fuit S. Epiphanius: cui hæc lingua forsan fuit vernacula?

Tertius locus, ex quo Bellarminus probat Antichristum esse vnum & singularem hominem est 1. Ioannis 2. *Audistis* ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, *quia Antichristus venit*, (per enallagen, pro *veniet*; quæ temporum mutatio Prophetis perquam solennis est) καὶ νῦν ἀντίχριστοι, *& nunc Antichristi multi facti sunt.* Vbi rursus vides Antichristo propriè dicto prægigi articulum ὁ, non itẽ *Antichristis* latè sumptis. Iunius & Abbatus concedũt significari vnum & singularem hominem, *at pro vno tempore, non exclusa habitudine ad successores.* Hoc iam refutatum est. Obiicit Abbatus: *Si loco citato Articulus* ὁ *est indicium Ioannem loqui de vno tantum & simpliciter singulari homine, tum etiam illum locum,* 1. Ioannis 2. *Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam* IESVS *non est* CHRISTVS, οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος. *Hic est Antichristus, intelligendum tantummodo esse de vno & singulari homine*; Similiter & illum in epistola secunda eiusdem sancti Ioannis: *Quoniam multi seductores exierunt in mundum; qui non confitentur* IESVM CHRISTVM *venisse in carnem*; *Hic est seductor & Antichristus*; οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος, nec tamen hoc dici posse, *quandoquidem sanctus Ioannes hic loquitur de hæreticis & impostoribus variis, qui iam suo tempore emerserant: articulum igitur vocabulo Antichristi præfixum, non esse notam vnici & singularis hominis.* Respondeo, Abbatus causæ nihil habet dicere; cur prædictis locis *Antichristus* non accipiatur strictè & propriè pro

vno & singulari homine, vt Græcus articulus indicat: nam licet verbis antegressis sermo sit de pluribus Pseudoprophetis; postea tamen ad illum insignem & eximium descendit. Hic, inquiens, qui negat Iesum Christum, & qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem; est *Antichristus* ille nefarius & sceleratus; non personâ, sed repræsentatione & præcursu: Omnes enim impostores sunt ὁ πλάνος & ὁ ἀντίχριστος, magnus ille seductor & Antichristus, qui aliquando exsistet, sed sunt *ille* non in persona, sed in repræsentatione. Quo responso corruunt, & in fumum abeunt omnia conuicia, quæ Abbatus plenis buccis hîc in Bellarminum eructat. Illa VVitackeri subtiliora sunt, quàm vt à vulgo capi possint. *Fatemur Antichristum vnam personam esse; sed non vnum hominem.* (Quasi verò vna persona latius pateat, quàm vnus homo.) *Etsi verò multæ Paparum legiones, multæ myriades fuerint, tamen hi omnes vnam tantum personam efficiunt.* Credat hoc Baccalaureus Allensonius vel Pouelus; non ego. Myriadem hominum esse vnam personam tam est credibile, quàm quinque esse paria; quatuor, imparia.

Sibrandus acutissimo hoc telo Bellarminum impetit. 1. Ioan. 4. dicitur, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, ὃ ἀκηκόατε, ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. *Et hic est Antichristus*; siue, vt Græca ad verbum habent: *Et hoc est Antichristi, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est. Si hîc per τοῦ ἀντιχρίστου certa aliqua singularis & vna numero persona notatur, tum sequitur, aliquem hominem esse, qui ab Apostolorum tempore vsq; ad finem sæculi sit victurus, iam tum enim eum fuisse docet Ioannes, & in vltimo sæculo eum fore docent Papistæ.* Quanta est Savvbrandi vaniloquentia, quanta iactantia; qui nugacissimas gerras tanquam insolubilia argumenta venditat? Nam licet in illo; τοῦτό ἐστι τοῦ ἀντιχρίστου intelligamus Antichristum propriè dictum; non sequitur tamen, illum iam in persona sua tempore S. Ioannis venisse; quia verbum præsens, Prophetico more, pro futuro ponitur. Nec obstant sequentia; *& nunc iam in mundo est*; Erat enim ætate illa Antichristus iam in mundo; non in sua persona, sed in suis prodromis & anteambulonibus; & licet quis præsens verbum ἔρχεται pro præsenti excipiat; nil nobis officiet; nam, vt iam dixi, Antichristus propriè dictus venit, quando hanc Epistolam S. Ioannes scripsit; sed venit non in se; sed in suis præcursoribus & administris. Si autem Antichristus propriè dictus in sua persona venit tempore S. Ioannis, vt vult Savvbrandus, si insuper Romanus Pontifex est ipsissimus Antichristus; sequitur Petrum, vel Linum, vel Cletum, vel Clementem, vel omnes simul, fuisse Antichristos; quia isti tempore S. Ioannis fuerunt Pontifices Romani. Etiam hic misit Sutliuius furaces suas & tagaces manus in chartas Savvbrandicas; quæ nisi opem tulissent, forsan obmutuisset.

A Quartus locus, quo probatur Antichristum esse vnum & singularem hominem, sumitur ex cap. 7. & 11. Danielis; vbi Antichristus nõ vocatur vnum regnum, sed vnus quidam Rex, &c. Mentitur Abbatus, hoc argumentum; *vt cætera, esse otiosum, & causse debilitatem prodere; nam apud Danielem per quatuor Reges; non quatuor homines Reges, sed quatuor Regum series indicari*; & eodem modo, per vnum REGEM, non vnum hominem Regem; sed totam Regum in vno principatu successionem denotari. Idem oggerit Sutliuius. Quidquid sit de quatuor Regibus seu Regnis; Regem certè illum; qui & est & dicitur Antichristus, esse vnicum & singularem hominem, sine vlla successorum serie, patet ex vaticiniis Danielis, quæ clarissima sunt, nisi quis de industria B lucem fugere, & in tenebras sese abdere velit. Dicitur enim Antichristus *cornu paruulum* in medio *decem cornuum*, hoc est, decem Regum, progenitùm. Dicitur hoc idem *paruulum cornu* tria alia cornua, hoc est, tres Reges, penitus deleuisse, exstinxisse; & septem alia cornua, hoc est, septem alios Reges sub iugum suum misisse. An non hoc totum de illo vno & singulari cornu *paruulo*, hoc est, de Antichristi vna persona asseritur?

Eiusdem generis sunt quæ in eodem capite subduntur. *Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, &c. & de cornibus decem, quæ habebat in capite: & de alio* (cornu paruulo, de quo supra) *quod ortum fuerat, ante quod ceciderunt tria cornua.* Infra. *Porro cornua decem ipsius regni* (quarti, Romani) *decem Reges erunt: Et alius consurget* (quis iste alius nisi vnus numero Antichristus?) *post eos, & ipse potentior erit prioribus. & tres Reges humiliabit; & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, &c. & iudicium sedebit, &c.* Quid euidentius, quàm Danielem loqui de vno solo certo & definito indiuiduo, absque vllo respectu ad successorem vnum vel plures; præsertim, cum vt infra videbimus, tyrannidem eius tribus duntaxat annis & dimidiato definiat?

Docent Patres, & cum illis Caluinus; Antiochum Epiphanem fuisse typum Antichristi; & D quæ Daniel ad litteram de Antiocho vaticinatur; figuratè ad Antichristum pertinere. Hinc infert Bellarminus. Antiochus fuit vna singularis persona; ergo & Antichristus vna & singularis persona erit. Respondent Savvbrandus & ex illo discipulus eius Sutliuius, dignum patellæ operculum, & patellæ digna operculo, & Abbatus, consequentiam non valere; *nam vnum in indiuiduo typum; posse esse figuram plurium numero distinctorum figuratorum; Melchisedecem enim non modò solius Christi, sed & aliorum sacerdotum figuram gessisse; & innocentem Abel totam Dei ciuitatem in terra peregrinantem præfigurasse.* Sed consecutio Bellarmini robore suo non caret; si quis eam non præcisè, consideret, vt sectarij faciunt, quo calumniandi occasionem habeant; sed copulatam cum illis,

Caluiniſtam Iunium; qui, *concedimus*, inquit, *Epiphanio totum; & nihil Bellarmino.* Rectè ergo, iudicio Iunij, ſentit ſanctus Epiphanius. Nec obſtant exempla quæ contrà adfert Sibrandus, & cum illo VVitackerus: vbi nomen ab articulo non reſtringitur ad rem ſingularem & indiuiduam, vt Lucæ 4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, quia vt Grãmatici docent, & de hoc exemplo nominatim fatetur ipſemet Abbatus, articulus aliquando redundat, & nullam ad indiuiduum contrahendi vim habet: quod de loco prædicto D. Pauli dici nequit. Quis enim tã craſſę ſit naris, qui non aduertat; aliter tinnire ſi dicam: ἀπεκλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱὸς, ὁ ἄνομος, ὁ ἀντικείμενος, quàm, ſi omiſſo articulo, dicam; ἀποκαλυφθῇ ἄνθρωπος, υἱὸς, ἄνομος, ἀντικείμενος. Abbatus diem dicit Bellarmino quaſi parum candidè Epiphanij locum adduxerit: nam hæc eſſe Epiphanij verba: *Vbi articulus additus eſt in vno aliquo determinato & manifeſtiſſimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Bellarminum autem improbè hac, & manifeſta fraude peruertere, & quod apud Epiphanium eſt; certum & determinatum; in indiuiduum & ſingulare* mutare. Calumniatur Abbatus, more conſueto. nam Bellarminus non dicit illud, quod ab Epiphanio nominatur ἓν τι ὡρισμένον καὶ διαφανέστατον, *vnum quiddam definitum & apertiſſimum*; eſſe indiuiduum vel ſingulare; ſed, addito articulo, indiuiduum & ſingulare efficit: nam ἐὰν ἄνομον, βασιλεύς, inquit ſanctus Epiphanius, ἀνομία μὲν ἐσημάναμεν, ἀλλ' ὁ πλανηθεὶς τὸν ἐκζήτουν ἐδηλώσαμεν, βασιλέα γὰρ λέγομεν καὶ σαφῶς ἓν μόνον, &c. ἐὰν δὲ μετὰ προσθήκης τοῦ ἄρθρου ἄνομον ὁ βασιλεύς, ἀναμφιλόγως ἔστι τὸ σημαινόμενον. *Si dicamus*, Rex, *nomen quidem indicauimus, ſed non perſpicuè certum & determinatum oſtendimus, nam & Perſarum & Medorum Regem, &c. nominamus; at ſi cum articuli adiunctione dicam*, HIC REX, *iam omnis ambiguitas tollitur; nam per articulum demonſtratur ille Rex, qui quæritur; de quo ſermo inſtituitur, qui cognoſcitur, vel qui alicui imperat*, hoc eſt, certus, definitus, & ſingularis. An hanc S. Epiphanij doctrinam candidè & ſincerè non propoſuit Bellarminus?

Delabitur Abbatus in opinionem, vel potius phantaſiam, Iunij, nempe τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας, τὸν ἀντικείμενον, τὸν ἄνομον ſignificare *certum & ſingularem hominem pro vno tempore, ſed repræſentatione, & ad continuationem ordinis variantem; ſeu, certam hominum ſibi mutuò ſuccedentium ſeriem*, de quo ſomnio iam ſupra diximus. Sed vt Abbatus Bellarminum penitus conſtringat, & omnem elabendi rimam præcludat, obiicit illum Apoſtoli locum, Hebr. 9. vbi dicitur, μόνος ὁ ἀρχιερεὺς, *ſolus Pontifex* in tabernaculum ſecundum ſemel quotannis ingredi, & ibidem ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς, *quemadmodum Pontifex*, &c. Vbi certum eſt, *non vnum aliquem è Pontificibus, ſed totam Pontificum ſeriem & ſucceſſionem* denotari, inquit Abbatus. *Quid ni ergo ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας non vnum aliquem hominem & ſingularem, ſed certum hominum ſeriem deſignet in eadem cathedra peſtilentiæ ſibi mutuò ſuccedentium?* Fateor, prędictis epiſtolæ ad Hebræos locis, τὸν ἀρχιερέα accipi pro vno ſingulari cum reſpectu & ordine ad ſucceſſores, neque enim eiuſmodi eſt hæc de articulo regula, vt nullam patiatur exceptionem: ſed nego; idem dicendum de loco diui Pauli & ſimilibus; non enim fruſtra toties iterauit Apoſtolus articulum: ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱὸς, ὁ ἀντικείμενος; quæ repetitio certum & ſingularem hominem denotat. Deinde obſtant alia Scripturæ loca, de quibus in progreſſu huius diſputationis; quæ euidenter docent, Antichriſtum ita ſingularem & determinatum hominem, vt anteceſſore & ſucceſſore careat. Quapropter loca, quæ apud ſanctum Paulum de Antichriſto reperiuntur, explicanda ſunt conuenienter illis, quæ Antichriſtum, tanquam vnum & ſingularem hominem, cuius regnum omni ſucceſſione deſtituatur, nobis depingunt ac repræſentant: neque enim Scripturæ cum Scripturis pugnant. Porro, quidquid Sutliuius de articulo Græco, & de loco Epiphanij nugatur, id totum furatus eſt ex ſuo Savvbrando, qui docilem hunc ſuum diſcipulum inſigniter mentiri & conuiciari docuit. Et VVitackerus etiam ſanctum Epiphanium Græcam linguam docet. At quis credat hunc Anglum Græcè doctiorem eſſe, quàm fuit S. Epiphanius: cui hæc lingua forſan fuit vernacula?

Tertius locus, ex quo Bellarminus probat Antichriſtum eſſe vnum & ſingularem hominem eſt 1. Ioannis 2. *Audiſtis* ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, *quia Antichriſtus venit*, (per enallagen, pro *veniet*; quæ temporum mutatio Prophetis perquam ſolennis eſt) καὶ νῦν ἀντίχριστοι, *& nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Vbi rurſus vides Antichriſto propriè dicto præfigi articulum ὁ, non itè *Antichriſti* latè ſumptis. Iunius & Abbatus concedũt ſignificari vnum & ſingularem hominem, *at pro vno tempore, non excluſa habitudine ad ſucceſſores.* Hoc iam refutatum eſt. Obiicit Abbatus: *Si loco citato Articulus ὁ eſt indicium Ioannem loqui de vno tantum & ſimpliciter ſingulari homine, tum etiam illum locum*, 1. Ioannis 2. *Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam* IESVS *non eſt* CHRISTVS, οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος. *Hic eſt Antichriſtus, intelligendum tantummodo eſſe de vno & ſingulari homine*; Similiter & illum in epiſtola ſecunda eiuſdem ſancti Ioannis: *Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum; qui non confitentur* IESVM CHRISTVM *veniſſe in carnem; Hic eſt ſeductor & Antichriſtus*; οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος, nec tamen hoc dici poſſe, *quandoquidem ſanctus Ioannes hic loquitur de hæreticis & impoſtoribus variis, qui iam ſuo tempore emerſerant: articulum igitur vocabulo Antichriſti præfixum, non eſſe notam vnici & ſingularis hominis.* Reſpondeo, Abbatus cauſſæ nihil habet dicere; cur prædictis locis *Antichriſtus* non accipiatur ſtrictè & propriè pro

vno & singulari homine, vt Græcus articulus indicat: nam licet verbis antegressis sermo sit de pluribus Pseudoprophetis, postea tamen ad illum insignem & eximium descendit. Hic, inquiens, qui negat Iesum Christum, & qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem; est *Antichristus* ille nefarius & sceleratus; non personâ, sed repræsentatione & præcursu: Omnes enim impostores sunt ὁ πλάνος & ὁ ἀντίχριστος, magnus ille seductor & Antichristus, qui aliquando existet, sed sunt *ille* non in persona, sed in repræsentatione. Quo responso corruunt, & in fumum abeunt omnia conuicia, quæ Abbatus plenis buccis hîc in Bellarminum eructat. Illa VVitackeri subtiliora sunt, quàm vt à vulgo capi possint. *Fatemur Antichristum vnam personam esse; sed non vnum hominem.* (Quasi verò vna persona latius pateat, quàm vnus homo.) *Etsi verò multæ Paparum legiones, multæ myriades fuerint, tamen hi omnes vnam tantum personam efficiunt.* Credat hoc Baccalaureus Allensonius vel Pouelus; non ego. Myriadem hominum esse vnam personam tam est credibile, quàm quinque esse paria; quatuor, imparia.

Sibrandus acutissimo hoc telo Bellarminum impetit. 1. Ioan. 4. dicitur, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, ὃ ἀκηκόατε, ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. *Et hic est Antichristus*; siue, vt Græca ad verbum habent: *Et hoc est Antichristi, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est. Si hic per τοῦ ἀντιχρίστου certa aliqua singularis & vna numero persona notatur, tum sequitur, aliquem hominem esse, qui ab Apostolorum tempore vsq; ad finem seculi sit victurus, iam tum enim eum fuisse docet Ioannes, & in vltimo seculo eum fore docent Papistæ.* Quanta est Sawbrandi vaniloquentia, quanta iactantia; qui nugacissimas gerras tanquam insolubilia argumenta venditat? Nam licet in illo; τοῦτό ἐστι τοῦ ἀντιχρίστου intelligamus Antichristum propriè dictum; non sequitur tamen, illum iam in persona sua tempore S. Ioannis venisse; quia verbum præsens, Prophetico more, pro futuro ponitur. Nec obstant sequentia; *& nunc iam in mundo est*; Erat enim ætate illa Antichristus iam in mundo; non in sua persona, sed in suis prodromis & anteambulonibus; & licet quis præsens verbum ἔρχεται pro præsenti excipiat; nil nobis officiet; nam, vt iam dixi, Antichristus propriè dictus venit, quando hanc Epistolam S. Ioannes scripsit; sed venit non in se; sed in suis præcursoribus & administris. Si autem Antichristus propriè dictus in sua persona venit tempore S. Ioannis, vt vult Sawbrandus, si insuper Romanus Pontifex est ipsissimus Antichristus; sequitur Petrum, vel Linum, vel Cletum, vel Clementem, vel omnes simul, fuisse Antichristos; quia isti tempore S. Ioannis fuerunt Pontifices Romani. Etiam hic misit Sutliuius furaces suas & tagaces manus in chartas Sawbrandicas; quæ nisi opem tulissent, forsan obmutuisset.

A Quartus locus, quo probatur Antichristum esse vnum & singularem hominem, sumitur ex cap. 7. & 11. Danielis; vbi Antichristus nõ vocatur vnum regnum, sed vnus quidam Rex, &c. Mentitur Abbatus, hoc argumentum; *vt cætera, esse otiosum, & caussa debilitatem prodere; nam apud Danielem per quatuor Reges; non quatuor homines Reges, sed quatuor Regum series indicari*; & eodem modo, per vnum REGEM, non vnum hominem Regem; sed totam Regum in vno principatu successionem denotari. Idem oggerit Sutliuius. Quidquid sit de quatuor Regibus seu Regnis; Regem certè illum; qui & est & dicitur Antichristus, esse vnicum & singularem hominem, sine vlla successorum serie, patet ex vaticiniis Danielis, quæ clarissima sunt, nisi quis de industria B lucem fugere, & in tenebras sese abdere velit. Dicitur enim Antichristus *cornu paruulum* in medio *decem cornuum*, hoc est, decem Regum, progenitum. Dicitur hoc idem *paruulum cornu* tria alia cornua, hoc est, tres Reges, penitus deleuisse, exstinxisse; & septem alia cornua, hoc est, septem alios Reges sub iugum suum misisse. An non hoc totum de illo vno & singulari cornu *paruulo*, hoc est, de Antichristi vna persona asseritur?

Eiusdem generis sunt quæ in eodem capite subduntur. *Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, &c. & de cornibus decem, quæ habebat in capite: & de alio* (cornu paruulo, de quo supra) *quod ortum fuerat, ante quod ceciderunt tria cornua.* Infra. *Porro cornua decem ipsius regni* (quarti, Romani) *decem Reges erunt: Et alius consurget* (quis iste alius nisi vnus numero Antichristus?) *post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit; & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, &c. & iudicium sedebit, &c.* Quid euidentius, quàm Danielem loqui de vno solo certo & definito indiuiduo, absque vllo respectu ad successorem vnum vel plures; præsertim, cum vt infra videbimus, tyrannidem eius tribus duntaxat annis & dimidiato definiat?

Docent Patres, & cum illis Caluinus; Antiochum Epiphanem fuisse typum Antichristi; & D quæ Daniel ad litteram de Antiocho vaticinatur; figuratè ad Antichristum pertinere. Hinc infert Bellarminus. Antiochus fuit vna singularis persona; ergo & Antichristus vna & singularis persona erit. Respondent Sawbrandus & ex illo discipulus eius Sutliuius, dignum patella operculum, & patella digna operculo, & Abbatus, consequentiam non valere; *nam vnum in indiuiduo typum; posse esse figuram plurium numero distinctorum figuratorum; Melchisedecem enim non modò solius Christi, sed & aliorum sacerdotum figuram gessisse; & innocentem Abel totam Dei ciuitatem in terra peregrinantem præfigurasse.* Sed consecutio Bellarmini robore suo non caret; si quis eam non præcisè, consideret, vt sectarij faciunt, quo calumniandi occasionem habeant; sed copulatam cum illis,

quæ de hoc cornu paruulo è medio decem aliorum cornuum enato Propheta Daniel canit. nam vt typus multorum typus esse possit; attamen vnius itidem figuram gerere potest. Et *vnitas numerica* Antichristi adeo euidenter ex hoc loco colligitur, vt VVitackerus non satis æquo animo ferat, hæc à Caluino, Beza, & Oecolampadio referri ad Antichristum; mauult, vt Antiocho Epiphani accõmodentur. Qua de causa? Certè non ex amore, sed ex odio in Papam, qui VVitackero est Antichristus, velit, nolit. Et quia huic persuasioni Daniel fortiter obstat; conatur Caluinista, verba & mentem eius alio deriuare; prudenti sanè consilio; Ex quo etiam processit Satyra seu inuectiua, qua hîc in Papam sæuissimè debacchatur.

Non placet Abbato absolutè, quod Patres aiunt, *Antiochum fuisse typum Antichristi.* Ipse in hac assertione varia desiderat, & magister suorum magistrorũ factus eos docet, à quibus doceri, magno in lucro reputare debebat, si saperet. Sed suos doceat. Patres hac institutione non egent.

Quintò idem probat Bellarminus ex cap. 13. & 17. Apocalyps. vbi Ioannes ferè eodem modo, quo Daniel de Antichristo loquitur; vt ex collatione vtriusque constat, & Patres docent. Savvbrandus, & ex illo Sutliuius, respondent, Ioannem *tempus certum pro incerto posuisse.* Verum de hoc suo loco dispiciemus. Addunt. *Iam tempore Ioannis ortum fuisse Antichristum.* At non in se; sed in suis anteambulonibus.

Citat deinde Bellarminus in eandem sententiam sanctos Patres. Hinc natus est informis iste Sibrandicus syllogismus: *Nos debemus Prophetias scripturarum interpretari, vt aliqui Patres interpretati sunt: sed quidam Patres Prophetias scripturarum de Antichristo interpretati sunt de vna quadam, & singulari persona. Ergo Antichristus est vna quædam, & singularis persona.* Mox accingit se Savvbrandus ad destructionem huius fanatici syllogismi, & varia de Maiore, nec minus insulsa de Minore blaterat. Sed versetatque reuersetsua phantasmata prout volet, impedimento non erimus. Nostra sententia est, Prophetarum oracula conuenienter sanctis Patribus Ecclesiasticam traditionem secutis interpretanda esse; & quidquid his aduersatur, repudiandum.

Ad locum illum S. Pauli; *Mysterium iam operatur iniquitatis*; obiectum à Beza, quo significari videtur, Antichristum iam tempore S. Pauli cœpisse in mundo versari. Respondet Bellarminus, Antichristum tempore Apostolorum cœpisse in mundo versari, non in se, sed in suis præcursoribus. Iunius. *Negatur responsio. Nam & Antichristus in sua persona necdum reuelata grassari cœpit, & in suis præcursoribus atq; administris. Exstitit ergo iam tempore D. Pauli Antichristus in sua persona: tametsi necdum manifestata & notificata.* Cum autẽ tempore D. Pauli nemo alius Pontifex Romanus fuerit; præter S. Petrum; Pontifex autem Romanus in persona sua sit Antichristus, sequitur; S. Petrum in persona sua fuisse Antichristum; & per illum iam tum *iniquitatis mysterium* sese exerere cœpisse, quamuis hic Antichristus sua in persona necdum agnosceretur. Quæ verò hæc in sanctissimum Apostolum Petrum impietas? Quæ blasphemia? Cui Iunius etiam hanc addit: *Sicut enim Christus est, venit, egit ab origine mundi mysteriũ pietatis in persona sua, & seruorum suorum operans, licet nondum in carne patefactus; ita Antichristus, postea quam in cælum Christus assumptus fuit, mox venit, & operatus est mysterium iniquitatis in persona sua, administrorumq; suorum.* Ex Iunij ergo doctrina sequitur, personã Antichristi statim post Ascensionem Christi exortam fuisse; Quæro; quis tunc Antichristi personam gesit? seu, quis tum Antichristus in persona fuit? Respondet Iunius, *hoc nescire.* Si nescis, quare affirmas personam Antichristi tum exstitisse? *Latuit,* inquis, *hæc persona, quia nondum reuelata fuit.* Vnde ergò tibi nota est? *Ex reuelatione,* inquies. Ex quâ? Husi, opinor, Lutheri, Caluini, & similium tenebrionum. Neque enim S. Paulus, & S. Ioannes aiunt, sua ætate Antichristum propria in persona exstitisse. Mirum dictu; personaAntichristi tempore Pauli fuit; & postea ad Romanos Pontifices migrauit, ita vt ipsi sua in persona sint ipsissimus Antichristus; & tamen isti indicare nequeunt, in qua, vel quibus personis, persona Antichristi iam tempore D. Pauli exsistens, ad Pontifices Romanos peruenerit. Dicunt sectarij, *Antichristum non significare vnum certum & singularem hominem, sed plures successiuè in eadem pestilentia Cathedra sibi mutuo succedentes;* Si hoc ita est, cupio vt texant Catalogum omnium Antichristorum à S. Paulo vsque ad nostra tempora, & vnumquemque nominatim designent, quemadmodum nos à S. Petro vsque ad hodiernum Papam Paulum V. omnes Romanos Pontifices numerare & nominare solemus.

Ait Bellarminus, per *mysterium iniquitatis* intelligi persecutionem spititalem Simonis Magi, & temporalem Neronis. Iunius, *Mysterium iniquitatis non est tyrannorum, sed hæreticorum & pseudochristianorum opus, nam mysterium est; in tyrannide autem nihil mysterij est.* Affirmationem audio nudam ab omni probatione. Cur sæuissima & truculentissima persecutio à Nerone excitata, dici non posset *mysterium*, cum fuerit signum & figura persecutionis, quam aliquando immanissimus Antichristus in Ecclesia excitabit? An illud *mysterij* nomen non meretur, quod per ænigma aliquid in Ecclesia, labentibus annis gerendum significat?

Dicit Bellarminus; omnes Interpretes per *mysterium iniquitatis* intelligere vel persecutionem Neronis, vel hæreticos. Iunius. *Interpretatio Bellarmini his ipsis auctoribus euertitur.* (Verum dic res, nisi mentireris, sed en mendacij lepidam rationem.) *Bellarminus copulatiuã facit, & vtrumq; affirmat*

simul

simul; illi verò vnum duntaxat membrum copulatiuæ adferunt, dissidentibus ipsorum interpretationibus. Audite rem mirificam. Hæc propositio: *Mysterium iniquitatis significat vel persecutionem Neronis, vel Hæreticos*; est apud Iunium *copulatiua*. Opus habet Iunius, vt ad rudimenta Grammaticæ & Dialecticæ redeat; quo discat, quæ nam sint *coniunctiones* vel *propositiones* copulatiuæ, quæ disiunctiuæ. Et quamuis aliqui *mysterium iniquitatis* accipiant pro Neronis persecutione; alij pro hæreticis; potest tamen & hæc sententia cum illa; & illa cum hac probè consistere; nec Patres, qui priorem amplectuntur, damnant posteriorem; nec qui hanc tradunt, reiiciunt priorem; quia consonant inter se, & amice conspirant.

Iterum negat Iunius, asseri à suis, *Antichristum esse propriè sedem Romani Pontificis. Si qui hoc dicunt*, inquit, *sensu aut sermone errant.* Atqui Magdeburgenses, Pouelus, & alij, id palam dicunt; vt supra visum. Mox crepat Iunius *Fallacias homonymiæ & Elenchi*, admixtis solennibus illis: *Falsum. Negantur omnia. Quæ sequuntur, nihili sunt*; & alia huius generis. Sutliuius mentitur, *Ioannem Apostolum docere, Antichristum iam suo tempore in propria persona venisse; & Patres non repugnare Ioanni.* Vbi hoc S. Ioannes, ô Caluinista?

Ait Bellarminus Matth. 17. dici Heliam iam venisse, non in se, sed in suo simili, nempe in Ioanne Baptista. Negator Iunius. *Simile negamus esse.* Qua de caussa? Quia sensus horum verborum Christi: Helias quidem venturus est, & restituet omnia; *non est iste, quem verba præ se ferunt*; quemque omnes auditis hisce verbis animo informant: Sed iste Iunianus; *Helias, antequam olim veniret; venturus erat, in veteri videlicet testamento, & restituturus omnia.* An nõ est hæc egregia verborum Christi interpretatio, & digna, quæ *cælte* scribatur, vel sculpatur in silice?

Secundum argumentum Bezæ erat ex Daniele cap. 7. vbi Propheta singularibus nominibus bestiarum, *Vrsi, Leonis, Pardi, non intelligit singulares Reges, sed singula regna; ergo & Apostolus 2. Thess. 2. per hominem peccati*, &c. non intelligit vnum *singularem hominem, sed quasi corpus quoddam multorum.* Respondet Bellarminus, falsum esse, quod Daniel per singulas bestias semper singula regna intelligat; nam capite octauo intelligit per *arietem*, Darium, Regem Persarum; & per *hircum* Alexandrum Magnum. Iunius *Beza non semper in Danielle singulis bestiis singula regna significari affirmauit, quod hic illi impingit dictum.* Iunius nimia Bezæ sui defendendi cupidine, non metuit in Bellarminum iniuriosus esse: Nam Bellarminus Bezæ nihil aliud attribuit, quàm quod Beza ex cap. 7. Danielis attulerat. Et quia Beza innuere videbatur, id apud Danielem perpetuum esse, vt per singulares bestias, intelligantur singula regna; non singuli Reges; ideo huic tacitæ insinuationi occurrit, & ex capite octauo Danielis demonstrauit; *singulas bestias aliquando Danieli esse singulos Reges.*

Tertia obiectio est Caluini, qui vrget vocem; *Apostasia* seu *defectionis* apud Apostolum 2. Thess. 2. quæ significat generalem quandam defectionem, (cuius caput Antichristus) *quæ tam cito, & sub vno Rege minimè perfici potest: non est igitur Antichristus vnus & singularis homo, sed plures in eadem improbitatis Cathedra sibi mutuò succedentes.* Respondet Bellarminus, per *Apostasiam* apud S. Paulum rectissimè intelligi posse ipsum *Antichristum*; & probat hoc ex Græcis Interpretibus, & duplici ratione. Impudenter mentitur Iunius, *ne vnum quidem ex Patribus hanc expositionem tradere.* Citat Bellarminus Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum & Oecumenium in 2. ad Thess. Et præterea S. Augustinum lib. 20. de ciuit. Dei cap. 19. Audiamus singulos testimonio suo inuerecundum Caluiniani huius os contundentes. S. Chrysostomus. *Quid est, quod defectionem hic vocat? Antichristum ipsum vocat defectionem, tanquam plurimos perditurum & abducturum.* Theodoretus. *Defectionem ipsum vocauit Antichristum, à reipsa ei nomine impositio.* Theophylactus. *Non aderit aduentus Domini, nisi venerit defectio, id est, Antichristus. Defectionem enim ipsum vocauit*, &c. Oecumenius. *Defectionem ipsum dicit Antichristum.* S. Augustinus pro *Apostasia* seu defectione legit in concreto *refugam*: *quoniam nisi venerit refuga primum*, &c. Et hoc nomine ipsum Antichristum intelligit, quòd à Domino Deo refugiturus sit. Inunc Iuni, & mentire, *nullius Patris sensum ita fuisse hebetem, vt affirmaret*; per *Apostasiam* seu defectionem ipsum Antichristum intelligi debere.

Oggerit Iunius; *duo illa manifesto differunt; Apostasia, quæ factum est multorum; & homo peccati, qui caput est Apostasiæ.* At Auctores huius sententiæ negabunt hæc duo discriminari. Tu qua ratione probabis contrarium? Nulla, sed sola asseuerandi auctoritate omnia transigere conaberis.

Adfert Bellarminus alias quoque interpretationes. Vbi Iunius. *Sequẽtes si ponuntur modi, hunc euertunt modum interpretationis.* Non est necesse; quia probabile non euertit probabile; & vnius eiusdemque loci plures possunt assignari sensus, & quidem veri; Et Bellarminus meritò plures expositiones attulit, vt pluribus modis argumentum Caluini dissolueret, quod vt insolubile Hæresiarcha ille venditabat. Quid hic Sutliuius? Vix quidquam præter calumnias. Mentitur Bellarminum, *seipsum loquacitate sua impedire*: Et Caluinianam sententiam confirmare. Quo pacto? Audi Battum Anglicanum mirificè batuentem, vel potius fatuantem, *Si rectissimè dicatur*, inquit, *Antichristi Apostasia, & ita exponant Patres, tum rectè nos dicimus, & rectè Patres exposuerunt, per Apostasiã Antichristum designari.* Si hæc vestra est sententia, conuenitis igitur cum Bellarmino in hac prima expositione vocabuli *Apostasiæ.* Cur ergo eam paulò antea allatrauit Iunius? Cur tu itidem

& alij quoque Caluinistæ, in hanc expositionem dentes stringitis, si tantopere vobis fauet? Sed quàm pro vobis faciat, cernitis ipsimet, opinor, quanquã admodum cœci estis. Ait enim: *Quoniam nisi venerit discessio primum, &c.* hoc est, nisi Antichristus venerit; Ergo, cum hanc Epistolam Apostolus scriberet, nondum venerat Antichristus; Et tamen Iunius, Sibrandus, alij, iam tum eum venisse dictitant; & quidem in propria sua persona; quia *mysterium iniquitatis* iam tum operabatur; tametsi addunt, eum tunc nondum fuisse *reuelatum*. Valde igitur hæc expositio cum Caluinistica sententia congruit; vsque adeo vt Rullus Basileensis in verboso suo in Danielem Commentario ad cap. 11. S. Augustinum acerbè perstringat; quod *refugam* verterit, vbi nos *defectionem* seu *Apostasiam* legimus. *deq; Antichristo interatus fuerit; & ansam communi errori dederit accipiendi hunc Pauli locum de vno quodam certo, definito & singulari homine.*

Reddit Bellarminus ex patribus duas causas, cur Antichristus in abstracto possit dici *Apostasia* seu *defectio*; tum quia plurimis ad defectionem auctor & incentor erit; tum quia insignis & eximius ex omnium quotquot fuerunt, numero, Apostata erit. Sutliuius mentitur, *Bellarminum hæc adferre vt nouam rimam effugiendi inueniat.* Attulit has duas rationes, non vt nouas loci Paulini explicationes, sed vt caussam redderet, cur absurdum videri non debeat, Antichristum in *abstracto* nominari *defectionem* seu *Apostasiam*. Vulgaris enim mos etiam habet, vt si quis siue in vitio, siue in virtute insigniter excellat, nomen virtutis illius vel vitij in *abstracto* sortiatur. Mentitur Sutliuius, Augustinum, & Chrysostomum nihil de hac expositione tradere. Iam ex supradictis patescit figmenti huius inanitas. Mentitur iterum, absurdam esse interpretationem, *quæ per Apostasiam vnum hominem intelligit; cum Apostasia, nisi per plures fieri, & nisi in pluribus intelligi non possit.* Absurdi ergo erunt Patres, qui, vt supra vidimus, per Apostasiam Antichristum, insignem Apostatam intelligunt. At quid audio? Num Apostasia, non nisi per plures fieri, & sine pluribus intelligi nequit? Si solus Lutherus, vel solus Caluinus ab orthodoxa fide desciuisset; absque vllis sectatoribus, an ob defectum sectatorum neque hic, neque ille in Apostasiam incidisset, atque adeo Apostata fuisset? An vnius à recto tramite exerratio, non est Apostasia? An vnus non Apostata? Quanquam hæc Apostasia seu defectio, hoc est, iste *Apostata & desertor*, solus non erit, sed innumeras turbas secum in perniciem rapiet.

Secundò respondet Bellarminus, per *Apostasiam* posse accipi defectionem à Romano Imperio, vt multi Latinorum exponunt. Oggrunnit Sutliuius: *defectionem à fide, & defectionem, à Romano Imperio, inter se non pugnare, sed posse simul consistere.* Nec Bellarminus dixit hæc duo inter se pugnare: nam sine vllo incommodo potest vtraque defectio nomine *Apostasiæ* apud S. Paulum intelligi.

Tertiò respondet Bellarminus; Caluinum rem factam non habiturum, licet per *defectionem* intelligamus recessionem à fide; nõ enim oportere, vt talis Apostasia multorum sæculorum fuerit; maximam enim, & præ aliis omnibus notabilem defectionem contingere posse breui tempore; & reipsa talem tempore Antichristi futuram. Occinit Sutliuius. *Quasi verò non omnibus sæculis aliqui à fide discedant* (quasi verò hoc Bellarminus ignorauerit aut negauerit.) *Et quasi mysterium iniquitatis paulatim & pluribus sæculis non operetur* (sed in suis præcursoribus & anteambulonibus, necdum maxima illa & generali defectione secuta, qualis erit, cum Antichristus rerum potietur.) *& verisimile sit tribus annis & dimidio tantam rerum conuersionem fore.* Quasi verò ingens incendium breuissimo temporis spatio excitari nequeat, si flamma in materiem, aptam, & admodum idoneam incidat; & seduli item administri adsint, qui flammam, vt vlterius serpat, indesinenter promoueant, vt contingat tempore Antichristi, Dæmonibus & improbis hominibus omnem suam industriam eò conferentibus, vt hæc defectio in immensum augescat.

Obstrepit Sutliuius; *Augustinum non dicere; hanc Apostasiam vno momento, aut vno sæculo perfectum iri.* Quæ tibi spectra fingis Caluinista? Num Bellarminus hoc S. Augustino attribuit? Nam nec in momento peragetur hæc defectio, nec integro sæculo egebit; sed satis erunt ad eius complementum tres anni cum dimidio; Interea ad hanc generalem defectionem disponitur mundus per vos Caluinistas, Lutheristas, & alios nefarios Antichristi prodromos, vt cum ipse venerit, omnia venenis suis diffundendis parata reperiat; & mora nulla tantæ defectioni obsistat.

Quartò respondet Bellarminus, licet concederemus, Apostolum loqui de Apostasia multorum sæculorum, eam tamen non necessariò ad vnum corpus, & ad vnum Antichristi regnum pertinere; nec postulare vnum caput, sed esse dispositionem ad regnum Antichristi. Respondet Sutliuius: *hoc Patres refellunt.* (Qui? Vbi?) *& illis, quæ ante dicta sunt à Bellarmino aduersatur.* (Scilicet probabile probabili aduersatur, ita vt alterum non ferat alterum. Scilicet is, qui eidem argumento plures & diuersas, easque omnes verisimiles responsiones adhibet; priores per posteriores euertit & labefactat) *pugnat deniq; cum Apostoli sententia* (cum tua phantasia) *ipse enim hæc duo coniungit, defectionem & hominem peccati* (etiam hæc quarta Bellarmini solutio duo ista coniungit, sicut coniungi solet dispositio cum forma, ad quam introducendam disponit) *ita, vt omnes intelligere possint, hanc defectionem ipsum esse Antichristi regnum.* Aiendo haud labefactabis hanc quartam responsionem. Necesse erit, si quid efficere

cogi-

cogitas, vt solidum quoddam argumentum depromas. Quid verba in auras effundis?

Rullus vociferatur quoque *hanc responsionem cum scripturis pugnare*: Probat. *Quia scriptura non dicit Antichristum post hanc Apostasiam demum venturum esse, sed detectum iri. ergo erit in ipsa Apostasia. Detegi enim non potest, qui prius non est.* Respondeo, persistendo in hac quarta Bellarminiana solutione, falsum esse, quod Rullus pro comperto sumit; nam si defectio, cuius S. Paulus meminit, significat dispositionem ad regnum Antichristi, omnino dicere oportebit, dispositionem hanc esse priorem Antichristo & regno eius; etiam tempore, & quidē longo tempore; nec obstat, quod S. Paulus post hanc defectionem dicit, *Antichristum detectum seu reuelatum iri*; quasi indicans, eum quidem antea in ipsa defectione exstitisse, sed agnitum non fuisse; quia detectio illa & reuelatio, nihil aliud est, quam Antichristi & regni eius formaliter qua talis, generatio, & impietatis, ac tyrannidis, qua in omnes debacchabitur inchoatio; nam res simul & fieri & reuelari potest; simul, inquam, tempore; licet esse naturâ prius sit, quam reuelari. Tametsi autem dubitandum nō est, eum hominem, qui Antichristus erit, post natiuitatem ex vtero materno paulatim, instar aliorum, ad virilem ætatem progressurum, & incrementa pedetentim sumpturum, atque adeo dispositioni ad tyrannicum suum regnum aliquandiu coexstiturum; tamen formaliter Antichristus non vocabitur, nisi cum tyrannicum illud suum regnum palam occupiet; & tunc introducetur formaliter Antichristi quasi forma, vt ita loquar, ad quam omnis antegressa defectio viam muniebat.

Quintò respondet Bellarminus, etiamsi concederetur, generalem defectionem à fide, & multis iam annis durantem, esse regnum Antichristi; non tamen continuo sequeretur, Papam esse Antichristum, quia adhuc quæstio restaret, quinam à vera fide desciuissent, nosne Papistæ; an Caluinistæ, Lutheristæ & id genus alij. Et hanc responsionem adfert Bellarminus non absolutè, sed ex hypothesi; nam & eâ datâ, argumentum Caluini nihil concludit. Quod noto ob imperitam cauillationem Sutliuij, qua hic luci tenebras aspergere nititur, cum ait, Bellarminum *non meminisse de quare agatur.* (optimè meminit. Caluini argumentum soluere debuit: An non hoc præstitit, quinque allatis solutionibus, quarum quamcunq; amplectendam existimaueris, Caluini obiectio corruet.) *hoc enim loco quæritur, vtrum Antichristus sit singularis persona.* (Istud iam quæsitum & inuentum est; in præsenti nihil aliud quæritur, quàm solutio argumenti, quod Caluinus adduxit. Allata est quintuplex solutio. An non sufficit?) *Ipse autem concedit, Antichristi regnum esse generalem Apostasiam multorum annorum.* (Mentiris, non concedit hoc Bellarminus absolutè; sed loquitur ex hypothesi; nempe; dato, etsi non concesso, defectionem à fide esse diuturni temporis, & multorum annorum, non tamen continuò sequi, Papam esse Antichristum & caput huius regni Apostatici; quia adhuc discutiendum & dispiciendum esset, vtri defecissent, nosne, an vos, & penes quos hoc caput Apostaticum resideret. Sutliuius, Iunius, Rullus admodum iniquis auribus accipiunt, quod Bellarminus dicit, eos à vera fide desciuisse. Rullus agit Deo gratias, quòd cum suis *dignus sit habitus pro nomine Christi contumeliam pati.* Sed non est cur frontem isti corrugent, cum *defectores* & *Apostatæ* audiunt; nam æquum est, vt quod esse non erubescunt; ab illo itidem haud grauatè appellationem sortiantur. Nec opus VVitackeri nugas seorsim excutere; quia nil adducit, cui iam non sit satisfactum, cum symmystas eius confutauimus.

CAPVT III.

Ostenditur Antichristum nondum venisse.

RECENSET hoc capite Bellarminus varias opiniones de tempore Antichristi. Iunius solennia sua promit. *Negatur*, & hoc sæpius. *Æquiuocatio; illudit verbis. Nihil ad rem. Coniectura mera. Falsum.*

Ait Bellarminus, de tempore aduentus Antichristi tam hæreticos, quam nonnullos Catholicos erasse, sed cum hoc discrimine, quod Catholici scientes Antichristum non venturum nisi in fine mundi, quæ est veritas; errauerunt tamen in eo, quòd existimarunt, mundi finem propinquiorem esse, quam reuera sit: Hæretici autem in eo errant, quòd arbitrantur Antichristum venturum diu ante mundi finem, & reipsa iam venisse. Sutliuius hic largiter vomit mendacia. I. *Nullum vnquam hæreticum grauius erasse, quā ipsum Bellarminum.* II. Mend. *Patres, qui existimarunt Antichristi instare reuelationem, non erasse; neq; hoc Bellarminum docere posse.* Non cupit hoc docere Bellarminus; sed deceptos esse illos, qui improbitate & nequitia suorum temporum moti, censuerunt iam mundi finem instare, & per cōsequens, Antichristi ortum & regnum propinquum esse. Deceptos fuisse quod ad propinquitatem finis mundi attinet, exitus euidenter monstrauit; cum mundus longè diutius stet, quàm ipsi sibi persuadebant. III. Mend. *Bellarminum conari patribus omnem fidem abrogare.* Pingue profectò mendacium. IV. Mend. *Bellarminum potius contra Patres, quàm contra Caluinistas pugnare.* Simile priori commentum. V. Mend. *A Bellarmino confirmari sententiam sectariorum, qui dicunt, Patres de Antichristi sede, regno, & eius duratione parum prospexisse.* Nihil hic Bellarminus de sede, regno & duratione Antichristi; sed de solo tempore aduentus. De quo Patres *parum prospexisse*, calumnia est hæretica; omnes enim viderunt & docuerunt. Antichri-

stum

ſtum ſub finem mundi venturum; ſed tantum in eo aliqui à veritate auij abierunt, quòd finem mundi viciniorem arbitrati ſunt, quàm reuera erat. Deteſtare autem effrons & *infrunitum* hoc Sutliuij mendacium. *Noſtrorum deinde hominum recitat opiniones Bellarminus, quas valde cupit diſcrepantes videri, ſed noſtri omnes præclarè ſibi conſentiunt, & vna voce aſſerunt, Antichriſtum veniſſe.* Eſt hic quidem generalis inter vos de præterito conſenſus; ſed ſi ex vobis quæram; ſi venit Antichriſtus, dicite ergo, quando venerit; denotate certum tempus. Num hic conſentietis? Quæram ex illis, inquit noſter Martinus Becanus in lib. de Reformato Antichriſto, ſi Antichriſtus venit, quo tempore venerit? Audi nouum concentum.

1. *Venit tempore Apoſtolorum.* Ita Franciſcus Iunius ad cap. 4. Bellarmini. Beza in 2. ad Theſſ. 2. Sibrandus, Sutliuius.

2. *Venit poſt annum Chriſti DC. tempore Phocæ Imperatoris.* Ita Lutherus in ſupputatione temporum. Et Iconius in ſuo duplici Elencho.

3. *Venit anno Chriſti DCC. LXIII.* Ita Henricus Bullingerus in Præfatione homiliarum in Apocalypſin.

4. *Venit anno Chriſti M. CC. poſt tempora D. Bernardi.* Ita VVolffgangus Muſculus in locis, titulo de Eccleſia cap. 12.

5. Natus eſt tempore Apoſtolorum: cœpit regnare tempore Phocæ Imperatoris: reuelatus eſt tempore Lutheri: deſtruetur in fine mundi. Ita Gabriel Pouelus lib. 1. c. 1. §. 8.

6. *Conceptus eſt anno CCCC. formatus, & nutritus in vtero matris circa annum D. natus anno DC. circa tempore Phocæ Imperatoris.* Ita Illyricus cent. 6. cap. 1. in principio.

En egregiam inter ſectarios de tempore determinato aduentus Antichriſti conſenſionem & harmoniam. Quod verò Sutliuius Caluiniſta Illyricum & Chytræum Lutheriſtas *ſuos* appellitat, id equidem non tolerarent, ſi adhuc ſuperſtites eſſent; vt nec Lutherus, quem quoque in *ſuis* numerat. Si te inuaſit cupido cognoſcendi, quàm Lutherus ſit tuus, lege libros, quos cõtra *Sacramentarios* ſcripſit; & haud inuitus eum ex tuorum albo expunges.

Mentitur & dicit Sutliuius, fronte ad omnem prorſus impudentiam indurata; Illyricum, Chytræum, Bullingerum, Muſculum, *ea de Antichriſti tempore non ſcribere, quæ ei Bellarminus attribuit. Imò Bullingerum & Muſculum locis à Bellarmino citatis nihil huius penitus dicere, nec vllum verbum de origine Antichriſti facere*; Et vt fraus ſit tectior ac fraudulentior, non exprimit Sutliuius, quem Muſculum Bellarminus alleget; (quia duo ſunt, & vterque *Locos communes* edidit,) num Andream Lutheranum; an VVolffgangum Zvvinglianum, cum tamen Bellarminus non Andream, ſed VVolffgangum citet; cuius proprium nomen omiſit Sutliuius, vt ſi fortè Lector in locos communes Andreæ Muſculi tit. *de Eccleſia* incidat, & nihil huius, quod à Bellarmino adducitur, inueniat, (ſicùt reuera nihil inuenitur *in locis communibus* Andreæ Muſculi) Lector Bellarminum è veſtigio malæ fidei & impoſturę condemnet.

Quod ad alios attinet, præſertim ad Bullingerum, ſi in verboſiſsima illa præfatione, quam inanibus ſuis & ſtramentitiis Homiliis in Apocalypſin Bullingerus præfixit, non repetiuntur propemodum ad verbum, quæ Bellarminus refert; cauſſæ nihil erit, cur Bellarminus non habeatur mendax, & ego cum illo; Sutliuius autem verax; ſin ſecus accidet; ius faſque poſtulabit, vt Sutliuius, ea in exiſtimatione apud omnes maneat, quæ tantæ mendaciloquentiæ & calumniandi impotentiæ optimo iure debetur.

Quanquam, vt & hoc obiter, excuſandi Sutliuij cauſſa, annotem, pleraque mendaciorum, quæ nobis propinauit, non ex ſuo primitus, ſed ex Sibrandi penu deprompſit: Nam niſi Sawbrandum expilaſſet, & in *vitula* eius araſſet, ſæpè Mutium & Silium egiſſet, licet alioqui fœcunditate ad mentiendum & calumniandum non deſtituatur. Sibrandus totum hoc tertium caput hac conſequentia ſycophantica comprehendit: *Non conſtat, quo tempore Antichriſtus venerit, ergo nunquam venit.* Non ita argumentatur Bellarminus; abſit; quia apud illum, & omnes communiter orthodoxos certum eſt, Antichriſtum nondum veniſſe; ſed varias ſententias ſolummodo percenſet, vt poſtea eò planius & dilucidius veritatem confirmare queat.

Lutheti ſententiam de Aduentu Antichriſti affirmat Sutliuius *ſtare adhuc inuictam, ſemperq; ſaturam.* Et tamen non aduertit homo ſui impos, ſi Lutheri ſententia ſtet, ſuam, & ſui Magiſtri Sawbrandi, Iunij, & aliorum opinationem ſtare non poſſe, quia Lutherus ponit aduentum Antichriſti cum gladio ſpiritali poſt annum Domini DC. At Sutliuius cum ſuis Antichriſtum proprie dictum, & in propria ſua perſona iam tempore Apoſtolorum veniſſe dictitat & ſcriptitat. Sed odium veritatis & Romani Pontificis non raro cogit Sutliuium, vt ipſe etiam ſua vineta cædat, & crura propria ſecet. VVitackerus longiſſimis verborum ambagibus nil noui dicit; niſi fortè nouas quaſdam lœdorias & pſeudologias excipiendas exiſtimes.

CAPVT IV.

Explicatur prima demõſtratio quòd nondum venerit Antichriſtus.

DANAEVS fortiſsimè contra hoc caput dimicat. En eius ineuitabiles fariſſas. *Sex totis ſequentibus capitibus nihil Bellarmino ineptius & nugacius; nugas enim nugerrimas agit* (Danæus) *& nuſquam maiores,*

adeoq;

adeo ſ. iam ſeipſum ſtultitia ſuperat (Danæus) Quid eſt conuiciari, ſi hoc eſt aduerſarium refellere?

Primum argumentum, quo Bellarminus probat Antichriſtum necdum veniſſe, eſt illud; quia ante Antichriſti aduentum debet Euangelium prædicari in vniuerſo mundo, & omnibus nationibus, vt patet ex illo Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*: idemque affirmant ſancti Patres, quos magno numero Bellarminus citat; ſed hoc nondum eſt factum, ergo nondum venit Antichriſtus. Iunius & Sutliuius negant prædicationem in vniuerſo orbe, *eſſe ſignum aduentus Chriſti*. Probant. I. *Quia Chriſtus dicit, generalem prædicationem Euangelij præceſſuram aduentum ſuum; non aduentum Antichriſti.* Vbi, obſecro, hoc de ſuo præcisè aduentu Chriſtus, excluſo Antichriſti aduentu? Vbi aſſerit, ſuum, duntaxat, non Antichriſti aduentum, antegreſſuram vniuerſalem Euangelij prædicationem? Monſtra, ſodes, locum. Quid, quod vt alia ſcripturæ loca non teſtarentur, ex anteambulonibus aduentus Chriſti; vnum itidem eſſe ipſum Antichriſtum; tamen id ſatis apertè colligeretur ex illa ipſa diſputatione, quam Matth. 24. Chriſtus de ſuo aduentu inſtituit; *Erit enim tunc tribulatio magna*, inquit Chriſtus, *qualis non fuit ab initio mundi vſq; modò, neq; fiet; & niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Quæ hæc tanta tribulatio vniuerſalem Euangelij prædicationem mox ſubſecutura; niſi illa, quæ per ſummum Chriſti aduerſarium, Antichriſtum, aliquando venturum excitabitur? Vt ſancti etiam Patres exponunt; quia, vt ſuperioris memoriæ omnes ætates percurras, non inuenies vllam, qua vſq; adeo generalis & truculenta perſecutio, qualis à Chriſto depingitur; in Chriſti ſeruos deſæuierit.

Probat ſecundò Sutliuius ſuam ſententiam, vel potius pſeudologiam ex Patribus, qui *aſſerunt, prædicationem Euangelij præceſſuram conſummationem ſæculi, & non aduentum Antichriſti, ita diſertè*, inquit Sutliuius; *aſſerit Hilarius, ita Cyrillus, ita Theodoretus, & reliqui omnes, præter vnum Damaſcenum.* Vbi tot mendacia, quot verba; nullus enim iſtorum, nulluſq; omnino ex ſanctorum Patrum cœtu id affirmat; Aiunt quidem prædicationem Euangelij generalem, eſſe argumentũ aduentus Chriſti, ſed quòd *diſertè*, vt Caluinianus iſte ferreo vultu blaterat, aſſeuerent; *hanc prædicationem non eſſe ſignum aduentus Antichriſti*, id purum putum eſt petulantis huius calumniatoris (ſic Beza Sutliuiũ vocat,) mẽdacium; quibus & hoc annumera; *Antichriſtum non antea palam dominaturum, quàm Euangelium palam prædicari deſierit*; nam Antichriſtus ſub primordia ſuæ tyrannidis publicam profeſſionem & prædicationem Euangelij, & *ingeſacrificium* inueniet, & omnia hæc ex publico tollet, & in latebras immanitate ſua coget. Accipio tamẽ, quod dat Sutliuius, & inde aduerſus Hæreticos hoc argumentum formo, ſi minus comptum eſt, facilè patiar, vt à Savvbrando huius artis peritiſſimo, concinnius comatur.

Antichriſtus palam antea non dominabitur, ẽ. Euangelium prædicari deſierit. Hoc eſt Sutliuij aſſertum, quod ego ſuppono, & nomine *Euangelij* illud ipſum intelligo, quod Sutliuius intelligit, nempe Caluinianum & Lutheranum. Iam ex hac materia hunc ſyllogiſmum exſtruo. *Omnis, qui prius palam dominatur, quàm Euangelium palam prædicari deſinat; ille non eſt Antichriſtus*; Hæc maior nititur fundamento & aſſerto Sutliuij, proinde à Sutliuio & Sutliuianis negari nequit. Sequitur Minor. *Sed Papa Romanus palam prius dominatur, quàm Euangelium palam prædicari deſierit, ergo Papa non eſt Antichriſtus.* Minor eſt euidens, ſiue intelligatur de Euangelio vero & orthodoxo; ſiue de Pſeudoeuangelio Caluiniano & Lutherano. An non enim palam regnat Papa? An non Catholicum, Lutheranum & Caluinianum Euangelium, Papa palam dominante, palã prædicatur? Si Savvbrando, & expilatori eius Sutliuio hic ſyllogiſmus ex Sutliuiano fundamento fabrefactus, nõ arridet; accipiant hanc conſequentiam. *Adhuc palam prædicatur Euangelium, etiam Lutheranũ & Caluinianum, ergo Antichriſtus nondum palam regnat.* Antecedens conſtat quotidianâ experientiâ. Probatur conſecutio. Quia vt dicit Sutliuius, *Antichriſtus antea palam non dominabitur; quam Euangelium deſierit palam prædicari; cum ergo nondum deſierit palam prædicari Euangelium, ſequitur Antichriſtum necdum palam dominari*; Et per conſequens *Papam non eſſe Antichriſtum, quia Papa palam dominatur.*

Citat Bellarminus ſanctos Patres. Hic iterum laudare cogor vel inuitus iudicium Bezæ; qui Sutliuium *petulantem calumniatorem* ex tripode Geneuenſi pronunciauit. Optime, ô Beza. En tibi petulantis calumniatoris luculentiſſimum ſpecimen. *Niſi Bellarminus frontem planè perfricuiſſet*, ait Sutliuius, *nunquam Patres in hac cauſſa citaſſet.* Et poſt hanc adeo atrocem criminationem, regerit nobis ſuum mendacium ſupra iam effuſum: *Omnes Patres, excepto Damaſceno, dicere, prædicationẽ præceſſuram aut conſummationem ſæculi, aut deſolationem Hieruſalem, & non aduentum Antichriſti.* Supra iam hoc tam immane mendacium digna nota notaui. Audiamus loco omnium Theodoretum in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſ. *Cum didiciſſet diuinus Apoſtolus, dixiſſe Dominum; oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus, & tunc finem futurum: videret autem adhuc vigere cultum idolorum; dixit, ſequens doctrinam Domini, fore, vt prius euertatur ſuperſtitio & impium Dæmonum cultus; & tunc appareat veritatis aduerſarius*; hoc eſt, Antichriſtus.

Savvbrandus, omnia, more ſuo, inuertit: Et duas probationes, quòd Euangelium ante Antichriſti aduentum in vniuerſo orbe annunciandũ ſit, in vnam conflat; ſimiliter & Patres, quos Bellarminus pro hac, & pro illa diſtinctè citat, ipſe commiſcet; & miſcendo ex ornatiſſima Bellar-

erant, qui de industria auditum à prædicatione Euangelij auertent; ideo falsum erit illud vaticinium? *Omnes gentes seruient ei.* Et: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2.

Ait Bellarminus, multas gentes ante annum Christi DCCC. non audisse Euangelij prædicationem, vt Morauos, VVandalos, Polonos. Quærit Sutliuius. *Quis hoc Bellarmino reuelauerit?* Respõdeo. Historiam, quæ est testis temporum, & veritatis index; & ipsarum gentium consensionem; & hodiernam quoq; experientiam; nam hac nostra tempestate ad eas gentes Euangelium peruenit, quarum in omni antiquitatis memoria vix exstat vllum vestigium, nedum testimonium aliquod, eas aliquando fide Christi fuisse imbutas.

Ait Bellarminus, etiam tempore D. Bernardi, ipsomet teste, fuisse gentes, quæ Euangelium non audierint, Sutliuius arguit Bellarminum *mendacij, non enim ita loqui Bernardum*: sed hoc modo: fuisse gentes. *quæ non erant conuersæ ad Euangelij prædicationem; Multum autem interesse inter hæc duo, non audiri & non conuerti ex auditu verbi Dei.* Iterum facit Sutliuius, quod solet. Proiectè mentitur; hæc enim non sunt S. Bernardi verba, & multo minus sensa; vt manifestè patet ex lib. 3. Considerat quem Bellarminus citat, non allato textu, sed sensu D. Bernardi; qui apertissimè alius non est, quàm quem Bellarminus profert; nempe, sua ætate fuisse gentes, quæ Euangelium non audierint; idcirco dicit, Eugenij, summi Pontificis esse, prædicatores ad eas destinare, vt, audita Euangelij prædicatione, ad Christum conuertantur. Antequam autem Sutliuium hic missum facio, obseruetur fraudulentissimum eius contra Bellarminum scribendi genus: nam quando caput aliquod exagitandum suscipit, ordinè Bellarminianum membratim miserabiliter discerpit; & nunc ex medio, nunc ex fine; nunc ex principio vnum vel alterum resectum frustillum cauillatur & criminatur; nunc ex vna probatione duas vel tres facit. Mox plures in vnam conflat; & argumenta seu Patrum testimonia pro diuersis conclusionibus seu sententiis adducta, ita cõmemorat, quasi Bellarminus ea pro vna eademque assertione stabilienda protulerit. Vno verbo, nulla fides, nulla sinceritas, nullus candor in hoc sectario inest: qui hanc artem didicit à suo Sawbrando, quem vbique expilat; expilatumq; effrenatissimis & iniuriosissimis cõuiciis & mendacissimis in Bellarminum calumniis adauget.

Abbatus, Sutliuij popularis; hastas non nisi *amentatas* omnes (rectius dixeris *amentes*) & mortiferas se intorquere arbitratur, cum tamẽ *arundinea* tantummodo tela vibret, & plumbeos pugiones iactet. Ait; *Omnia, quæ Matth. 24. dicuntur à Christo de fine & consummatione, & illis, quæ finem et consummationem antegredientur; pertinere duntaxat ad destructionem Hierosolymorum factam à Tito & Romanis*: citatque Chrysostomum Hom. 76. in Matth. & Hilarium Can. 25. in eundem Matth.

Respondeo, duos istos Patres, vt & Theophylactum, minimè inficiari, ea, quæ de fine & consummatione dicuntur, posse etiam de fine mundi accipi; nam vt rectè dicit S. Hieronymus in cap. 24. Matth. *tripliciter locus hic differendus est, aut de tempore obsidionis Romanæ, aut de consummatione mundi, aut de hæreticorum contra Ecclesiam pugna, & istiusmodi Antichristis, qui sub opinione falsæ scientiæ contra Christum dimicant.* Qui postremus sensus planè mysticus est, & duos priores litterales supponit. Et quid tu S. Hilarium nobis obiectas, aut perperam à Bellarmino adductum criminaris? An non S. Hilarius illa: *Cum ergo videritis abominationem desolationis*, &c. & sequentia, de Antichristo, tanquam indicio iam iam venturi Christi, explicat? Accipe eius verba, & erubesce, si quid tibi ruboris reliquum. *Sequitur deinde & iudicium aduentus futuri* (quando nimirum Christus ad iudicium veniet) *cum abominationem desolationis stantem in loco sancto videbunt; tunc claritatis reditum intelligendum. Et de hoc quidem, beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem: de Antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quòd aduersus Deum veniens honorẽ sibi Dei vindicet. Desolationis autem abominatio; quia belli, & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit: atq; ob id, à Iudæis susceptus loco sanctificationis infistet, vt vbi Sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.*

Idem sanctus Pater explicans illud: *Ab arbore autem fici discite parabolam*; sic scribit Can. 26 *Ramus igitur ficus Antichristus esse intelligitur; Zaboli filius; peccatis portio, legis assertor. Qui, cum tenere fieri cœperit, atq; frondescere; tunc proxima esse æstas, id est, dies iudicij sentietur. Frondescere autem quadam peccatorum exultantium viriditate nosci tur. Et erit enim tunc flos criminosorũ, & honor facinorosorum, & gratia prophanorũ; quibus tamen æstus, id est, calor æterni ignis in proximo est.* Si Antichristus proximè antecedet aduentum Christi ad supremum iudicium, quomodo iam tempore Apostolorum exstitit, & supra mille annos, vel saltem multas annorũ centurias in Ecclesia palã tyrannidẽ suam exercuit, vt Caluinistæ tradunt? Sed quid mirum; Bellarminum in citatione Hilarij abs te accusari; quando eo inuerecundiæ processisti, vt dicere audeas, à Bellarmino *S. Hieronymum perperam fuisse allegatum*; cum hæc sint eius clarissima verba. *Signum Dominici aduentus est Euangelium toto orbe prædicari.*

Fortasse iubebis, vt legam sequentia. Obsequar libenter. *Quod aut iam completum, aut in breui cernimus esse complendum, non enim puto aliquã remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret.* Iam legi; & video, S. Hieronymũ nihil dicere de tempore Apostolorum, sed de suo; at sectarij contendunt, iam tempore Apostolorum in toto mundo simpliciter Euangelium fuisse prædicatum. Secundò, D. Hieronymus etiam de sua ætate nõ loquitur ab-

solutè, sed disiunctim; nam illud aut *completum*, aut breui *complendum* scribit. Tertiò S. Hieronymus loquitur de mundo tunc noto, vt & alij Patres, eumque nomine totius seu vniuersi mundi designant: conuenienter phrasi sacrarum litterarum, vt Lucæ 2. *Exiit edictum, vt describeretur, vniuersus orbis.* Num *vniuersus* simpliciter, quantus, quantus? Nemo sanus hoc asserat. Quarto, loquitur S. Hieronymus de generali quadã Christi & Christianæ religionis cognitione, accepta ex communi fama; non de sufficiente Euangelij prædicatione & propositione; quæ testimonium sit omnibus gentibus, ita vt sint inexcusabiles. Talis autem prædicatio aduentum Christi antegredi debet. Hinc ipse S. Hieronymus post superiora verba, *statim subiunxit: Et quamquam non habuerit* (quælibet gens) *prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus, opinionem fidei non potest ignorare.* In eandem sententiam exponendi sunt alij Patres, si qui vel Apostolorum tempore, vel paulò post Euangelium in toto mundo prædicatum fuisse scribunt: nominatim S. Ambrosius, (si tamen ille) in cap. 10. Epist. ad Rom. citatus ab Abbato; & Eusebius lib. 2. Hist. Eccles. cap. 3.

Quibus animaduersis, corruunt cõuicia, quæ Abbatus in Bellarminum explodit. Corruit insuper Abbatica inscitia; cum, nominatis quibusdam regionibus, & quidem ex Theodoreto lib. 9. de curandis Græcanicis affectionibus, & ex Tertulliano lib. contra Iudæos, inde infert; *ergo simpliciter in omnibus totius mundi partibus tempore Apostolorum Euangelium annunciatum fuit.* Dic, quæso, quis veterum scriptorum vnquam dixit aut scripsit, æuo Apostolico prædicationem Euangelij peruenisse in Iaponiam, in Mexicum, in Peru, in Insulas Philippinas, & alias plurimas regiones, quæ ad solem occiduum longissimè & latissimè protenduntur?

Nec refert, quod Tertullianus dicit, sua tempestate in Christum credidisse, *abditas multas gentes, prouincias & insulas multas nobis ignotas.* An ideo omnes, quæ Tertulliano ignotæ erant, & per totum huius mundi ambitum, omnesque eius angulos sparguntur? Nec iuuat te, quod ais; *Indicos scriptores testari, quædam Christianæ religionis monumenta apud Indos reperta.* Sed apud quosdam, non omnes: præcipuè verò Orientales, quorum nonnullis S. Thomam, S. Bartholomæum & S. Mathæum Euangelicã doctrinam tradidisse, compertum est. At quid de Indis occidentalibus? quid de Iaponibus? quid de Chinis? quid de Brasileensibus? quid de aliis vastissimis regnis dicemus, quæ partim iam patefacta sunt, partim quotidie felicibus auspiciis patefiunt, vbi nec vola nec vestigium vllius Christianitatis olim introductæ, & postea obrutæ: Et si quid nostris rebus aliquando videtur simile, fortuitò simile est, non instituto fidei.

VVitackerus nil peculiare adfert, præter peculiarem *logodædaliam*, & peculiaria in S. Augustinum conuicia: *Malus hic interpres est Augustinus. Augustini expositio non est admittenda, quia violenta est, & planè detorta.*

A

B

C

D

CAPVT V.

Explicatur secunda demonstratio.

QVæ sumitur ex omnimoda desolatione Imperij Romani, proximè Antichristum antecedente. Quam cum nondum accidisse videamus; rectè colligimus, Antichristum necdum venisse; & per consequens, Papam Antichristum non esse. Probat autem Bellarminus variis rationibus perfectam Romani Imperij destructionem, aduentũ Antichristi præire debere. Sutliuius solenni sua consuetudine hoc caput penitus inuertit, eiusq; omnia membra loco mouet ac laxat, & velut alter congrio *exossat & exdorsuat.* Et mox elata voce vociferatur, nil opus tam multis probationibus, se & suos non negare, *defectionem* seu *interitum Romani Imperij esse signum Antichristi; non nati & aduenientis; sed reuelati: At iam Romanum Imperium esse euersum; iam Romam seruire; Imperatorem, qui dicitur Romanorum, Germanum esse, non Romanum; eundemq; non Romanis imperare, sed Germanis, nec succedere Imperatoribus Romanis, sed Francis.* Hæc & plura huius generis in Imperatoriam maiestatem contumeliosissima & iniuriosissima, despumat furibundus Sutliuius; Ad quæ iam Bellarminus respondit, cuius responsa inferius tuebimur, cum Battologia Sutliuiana nobis regeretur.

Abbatus verbosissimè blaterat de lenta Ecclesiæ corruptela, quæ pedetentim & per gradus ad hanc summitatem adscenderit; in cuius tota loquacitate, omnium sectariorum ore trita, vix micam salis inuenias. Illud tamen probo, quòd ait; *Carolum Magnum à Papa Romano Imperatorem creatum, & Imperium à Græcis ad Francos ab eodem fuisse translatum.* Ita est, Abbate, quidquid contra vociferentur symmystæ tui; tametsi Danæus hic tecum facit; & *Ioue iudicat æquo.* Tu persta in hac sententia; cuius non est, quod te vnquam pœniteat.

Post multam variamq; verborum profluentiam, arrepit tandẽ paulò propius ad rem, & mentiri incipit mendacium illud cæteris itidem Nouatoribus commune; *inclinationem & imminutionem Romani Imperij, non autem omnimodam eius exstinctionem esse venturi Antichristi argumentum:* & huic suę pseudologiæ patronum adsciscit Tertullianum, quãuis manibus pedibusq; reluctantẽ; & quod planè ridiculum, etiam S. Thomam; qua de causa? quia ipse in Commentario 2. Epist. ad Thessalonicenses, *defectionem*, de qua S. Paulus, accipit non tantum de gentium discessione ab Imperio temporali; sed & à spirituali, hoc est, à fide recta & orthodoxa; nam imperium ait D. Thomas nõ cessasse, *sed commutatum esse de temporali in spirituale.* Hoc S. Thomæ dictum cupidissimè arripit Abbatus,

zed by Google

batus, plenusque lætitiis incedit, quasi iam, testimonio quoque D. Thomæ, conclusum sit, *Papam esse Antichristum*: Cum tamen D. Thomas nihil aliud dicere velit; quàm vbi olim temporale Imperium vigebat, ibi nunc vigere Imperium spirituale; & vti olim Roma erat sedes Imperij temporalis; ita nunc esse Imperij spiritualis domicilium; & illam vrbem, quæ olim politicè toti mundo ius dicebat, nunc itidem spiritaliter vniuerso orbi ius dicere; neque aliter temporale Imperium in spirituale commutatum S. Thomas intellexit, nisi quatenus spiritale in eodem loco, Romæ videlicet, in locum Imperij temporalis successit; nam S. Thomas optimè norat, temporale Romanum Imperium adhuc durare, tametsi extra Romam. Quapropter nil nisi vanissima conuicia sunt, quæ in S. Thomam Abbatus eructat; vt cum ei *læsum cerebrum* esse affirmat. Nisi *læso cerebro* esses; hanc lœdoriam in tantum doctorem nunquã exspuisses. Item cum ex dicto eius colligit, *iam Antichristum venisse, quia iam defecit Romanũ Imperium*. Num plenè funditus, & omnimode? Num hoc asserit D. Thomas? Loquere, os durũ. Loqueris tu quidem. Sed quid? Nil præter conuicia & mendacia. *Vide*, inquis, *quàm duris cornibus arietat suum Pontificem*. Tu vide, quàm duro vultu mentitur & calumniatur Abbatus. Nihil S. Thomas contra Pontificem. Nec vspiã scribit cessasse penitus Romanũ Imperium sed Romæ temporale orbis Imperium in spirituale commutatum tradit. Mox insulsissimè in S. Thomã declamitat, & ei affingit, de quibus nec somnians cogitauit; *vt Pontificem tenere Romanum Imperium, sed in spiritale commutatum*. Item, *Romanum Pontificẽ Imperium tenere, at sine nomine Romani Imperatorii. Et hoc proprium esse Antichristi*; idemq; testari Bellarminum. Quæ omnia nil aliud sunt, quàm Abbatica somnia & deliria.

Ait Bellarminus; Romanum Imperium ante aduentum Antichristi in decem Reges diuisum iri, quorum nullus sit aut dicatur Rex Romanorum: & probat hoc ex Irenæo; Irenæus autem ex Daniele & Apocalypsi. Abbatus ferre nequit illud: *Dicatur*; quod non sine fraude interiectum criminatur. *Iam olim Imperiũ Romanum in decẽ regna diuisum esse*. Num Imperium penitus exstinctum, cuius nec nomen, nec rei aliquid superet? Et quę nam, cedo, sunt illa decem regna, in quæ occumbens Romanum Imperium desiit? Cur tu decẽ regna semper blatis, reticens decẽ Reges? Quia vel vnus Rex decẽ regna possidere potest; at decem Reges totidẽ regna flagitant. Daniel & Ioannes decem Reges per *decem cornua* intelligunt; ex quorum medio *cornu* illud paruulum, hoc est, Antichristus enascetur. Dic, Caluinista, si Papa est Antichristus, qui nam sunt illi decem Reges, ex quorum medio exstitit Papa, hoc est, Antichristus? Item si decem cornua sunt decem regna, in quæ Romanum Imperium desiit; & Papa est Antichristus, tres Reges ex decẽ exstinguens; septem autem alios sibi subiugans; necesse erit, vt nomina omnium istorum Regum nobis edas; vt inde coniicere queamus, num verè, an per calumniam Romanum Pontificem Antichristi titulo insignias. Nam quæ præterea de Imperatore & Imperio Romano phreneticus Caluinista detonat, ea non stylo, sed ferro vindicari digna sunt; adeo in Imperatoriam Maiestatem iniuriosa sunt & extremè probrosa; vt satis mirari nequeam, tales chartas hominum perditorum quæ summum Christianitatis principem & magistratum tam petulanter lacerant & traducunt, in Imperio tolerari, imo & excudi.

Conuiciis in Imperatorem & Imperium ãdiungit contumelias in Pontificem, ex sectariorum infamibus monumentis, ex Hospiniano, inquam, Illyrico, Baleo, & id genus aliis cælo tertæque inuisis & abominandis capitibus. Et si qui ex orthodoxis asperius aliquid olim in sedis Apostolicæ præsidem effutiuerunt, id humanæ infirmitati clementer est condonandum. Loco vnius vel alterius, qui sinistro affectu abrepti, os latius & liberius, quàm fas exigebat; aperuerunt; nos semper centum, ducentos, trecentos numerabimus, quibus Pontificis Romani auctoritas sacrosancta fuit.

Sutliuius hoc loco nil aliud est, quàm quod eum esse iam pridem Beza publicè pronunciauit. *Petulans* nimirum *calumniator & conuiciator est*. Id vt videas, en desperatam eius petulantiam & conuiciandi pruriginem. *Nescio vtrum Bellarminum maiorem stultitiam, an impudentiam ostenderit. Stultum erat falsum asserere: illud verò impudentiæ signum euidentissimum est, testes adhibere, qui vel nihil deponunt ad propositum, vel contra producentem loquuntur, quod tamen Bellarminus fecit*. Et quæ nam causa tantum bilis huic Caluinistæ excusit? Audi. *Irenæus quartum regnum dicit diuidendum esse inter decem Reges, sed vtrum eorum aliquis dicendus sit Rex Romanorum, aut secus; ne gry quidem habet*. Sutliuius ab ingenio suo ne latum quidem vnguem recedit; insignem enim hîc quoque impostorem agit; nam Bellarminus ex Irenæo nil aliud probare instituit, quàm Romanum Imperium in decem Reges diuisum iri; ex quorum medio Antichristus sit exoriturus. iste enim per *cornu paruulum* denotatur. Cætera Bellarminus ipsemet ex Prophetia Danielis & Ioannis colligit ac deducit, neque eorum testem laudat Irenæum, tametsi Irenæo planè sunt consentanea, vt & aliis Patribus.

Per tibias ceratas statuæ apud Danielem cap. 2. dicit Bellarminus designari Imperium Romanum, quod longo tempore geminum fuit; vt sunt tibiæ in homine, alterum scilicet in Oriente; alterum in Occidente, ex quo Imperio bipartito, orti vel potius orituri sint, decem Reges, sicut ex duabus tibiis oriuntur decem digiti. Occlamat Sutliuius: *Esse argumentum ex allegoria, ac proinde nihil concludere*. Mirum dictu; quando Sutliuius & alij sectarij contra Papam argumentan-

tur ex visionibus Danielis & Ioannis Apostoli, A tum iudicio suo, solidissimè & firmissimè conclusionem nectunt; neque vllus vspiam defectus in argumentatione apparet; at quamprimum Catholici ex typis & figuris veteris testamenti aliquid vel deducunt vel concludunt; è vestigio vociferantur sectarij, *Argumentationem ex allegoriis pendere & viribus carere*; quod absolutè non est verum, vt iam alibi non semel monuimus; & tunc minimè omnium verum habet; quando ipsa scriptura est quasi allegoriarum suarum interpres, & explanatrix eorum, quæ per illas ænigmaticè insinuantur & adumbrantur, vt fit in visionibus de Antichristo apud Danielem & Ioannem.

Sed en eximiam Sutliuij cauillationem. *Quoniam decem Reges ex duabus tibiis enasci debuerunt, & vna tibia, hoc est, imperium orientale funditus interiit,* B *sequitur iam non decem; sed quinq; solummodo Reges, ex vna tibia, quæ supererit, enascituros. Sicut ex vna tibia quinq; duntaxat nascuntur digiti.* Sed hæc cauillatio longè leuior est, quàm pluma; nam Reges isti etiam ex cineribus ruderibusque Imperij Romani exsistent; itaque licet vna tibia, hoc est, Imperium orientale penitus conciderit; supersunt tamen prouinciæ & regna, quæ ad hoc Imperium pertinebant, quemadmodum in occidente etiam superfunt prouinciæ, quæ olim ad occidentale Imperium spectabant. Ex his igitur, & ex reliquis, quæ sub finem mundi reipsa adhuc de iure Romani Imperij erunt; exsistent decem C illi Reges; regnumque Romanum tam quoad partes reipsa superstites, quàm quoad illas, quæ iam olim ab hoc corpore abruptæ & abscissæ fuerunt, inter se dispartientur, dispartitumque moderabuntur.

Occinit Sutliuius. *Tibia illa designabant Imperium Romanum non Imperatores; hinc potius inferre debuit Bellarminus, decem Reges non fore Romanum Imperium; non autem hoc: neminem ex illis decem Regibus Romanum Imperatorem appellatum iri.* Quæso te, Sutliui, ne perdas operam; discipulos vel symmystas tuos argumentari; & quid ex quouis colligere debeant, doce; Bellarminus tua institutione non eget. Quod ipse concluſit, rectè concluſum est: nam si *tibiæ* illæ designabant Imperium, D igitur & Imperatorem; nam Imperium & Imperator sunt *relatiua*, & se mutuo ponunt ac tollunt; quemadmodum Rex item & regnum. Et si rectè concludo; nullius ex his decem Regibus Imperium fore Imperium Romanum; sicut nullus digitus est tibia; rectè itidem concludo, nullum ex his decem Regibus fore vel etiam appellatum iri Imperatorē Romanum; quia decem isti Reges & nomen Romæ & rem nomini subiectam odio habebunt & exterminabunt, vt patet ex cap. 17. Apocalyps.

Oggannit Sutliuius. *Hinc non sequi, nullū eorum habiturum nomen Imperatoris, nam victores gentium victarum se Reges appellare solere.* Non semper, ô bone; nam Vespasianus & Titus debellarunt, & sub iugum miserunt Iudæos, neq; tamen se Reges aut Imperatores Iudæorum nominarunt; & si quis eos hoc nomine affeciſſet, nescio quam gratiam ab illis iniisset. Oderant enim Iudæos, tanquam gentem detestabilem, dignamq; stirpitus excindi. Sic & in proposito, decem isti Reges mulierē illam *septicipiti* & *decicorni* bestiæ insidentem, totis viribus perditum ibunt; *nam hi odient fornicariam*, inquit S. Ioannes, *& desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni consumabunt.* Et quisquam vsque adeo fatuus erit, qui arbitretur quenquam ex his decem Regibus inditurum sibi nomen à Roma; ab vrbe penitus inuisa; vastata, ad desolationem redacta & concremata?

Iunius, vt se ex omnibus salebris quàm citissime expediat; abnuit, per *tibias statua* apud Danielem cap. 2. & per *bestiam* innominatam cap. 7. intelligi Monarchiam Romanam. Quid ergo? *Regnum Seleucidarum*, inquit. Et hoc se demonstrasse ait, suis in Danielem commentariis. Eandem sententiam cupidè amplectitur Rullus Basileensis in cap. 7. Danielis, & alij sectarij, ideo, nisi me coniectura fallit, quia conformior est impio Porphyrio, quam sanctis Patribus. Quæ causſa Rullum impulit, vt etiam quartum regnū de quo cap. 2. Danielis, interpretaretur de *regno Lagidarum & Seleucidarum*; non de Romano. Sed nunc non est hanc sententiam examinandi locus.

Sauvbrandus Bellarminum hoc argumento premit; *Si horum regnorum successio erit ad finem mundi, tum omnia hæc regna ante aduentum Antichristi, qui ante finem mundi veniet, non tollentur, sed saltem vnum ex iis superstes manebit vsq; ad finem mundi; contradictio enim est: Regnum continuabitur vsq; ad finem mundi; & prorsus tolletur & abolebitur antequam mundi finis veniet.* Quàm futilis vitilitigator Sibrandus. Quis dicit quartum regnum, hoc est, *Romanum*, duraturum vsque ad finem mundi præcisè & mathematicè loquendo? An non toto hoc capite Bellarminus id vnum ostendere conatur, Romanum Imperium tandem cessaturum, & ante finem mundi decem Reges, & post hos Antichristum ipsum regnaturum? Et licet quis diceret; Imperium Romanum duraturum vsq; ad mundi finem; nequaquam id intelligeret, vsque ad vltimum durationis momentum; sed *moraliter* loqueretur, & nullam aliam Monarchiam subsecuturam indicaret; fine mundi paulò pòst adfuturo, hoc est, statim post decem illorum Regum, ipsiusque Antichristi Imperium.

Displicet Sibrando, quòd Bellarminus per *decem digitos* vtriusque tibiæ intelligit decem Reges, quorum nullus sit Rex Romanorum. Mentitur, hoc aduersari Danieli; qui cap. 2. v. 42. dicit, *digitos pedum seu tibiarum ex parte ferreos, ex parte fictiles fore*; quod hoc regnum ex parte sit futurū solidum, ex parte contritum. Quis tam validus

& potens erit, qui Bellarmini explicationē cum sententia Danielis conciliet? Enitamur tamen in concordiam redigere. Digiti tibiarum partim *ferrei*, partim *fictiles* sunt, quia ex decem Regibus, qui Romanum Imperium vastabunt & euertent, alij erunt maiores, alij minores, alij potentiores, alij infirmiores. Illi ferro assimilantur, isti testæ. Hinc etiam capite 7. vbi iidem decem Reges per decem cornua significantur; dicitur futurum, vt tres Reges ex decem, *per cornu paruulum* inde enatum, *humilientur*, & prorsus exterminentur tanquā imbecilliores, & vt sic loquar, ex testa compositi. At Daniel dixit: *Regnum illud*, inquit Sibrandus, *signum est ergo vnum ex decem illis regnis fore Romanum regnum.* At capite secundo, quod citat Sibrandus, non comparet vox, ILLVD; sed absolutè dicitur: *Ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum*; vbi per *regnum* non vnum simplex, sed decuplex illud, quod ex Romano orietur, cui decem Reges præsidebunt, intelligi debet: & hoc partim conteretur, quia Antichristus tres Reges penitus exstinguet, partimque stabit; septem enim alios Reges sibi subiiciet: sic tamen, vt funditus non deleantur, quemadmodum tres alij Reges. Non ignoro, afferri posse alias probabiles huius loci expositiones, vt videre est apud Pererium in caput 2. Danielis, sed quæcunque ex veterum penu, non ex Nouatorum scriniis adferatur; huic, quam Bellarminus sequitur, quæ per *digitos pedum tibiæ*, intelligit decem illos Reges, de quibus cap. 7. suus itidem verisimilitudinis locus relinquetur.

Pergit fatuari, prorsus instar ebrij, Sibrandus. Si hoc de Romano Imperio intelligendum est, tum sequitur, *verba non esse propriè intelligenda.* (Iure quæras, quid per demonstratiuum illud HOC, Sibrandus intelligat; num tibiam statuæ? Num digitos decem tibiæ? Num id, quod de Romani Imperij diuisione & desitione in decem Reges, afferitur? Equidem hoc vltimum intelligere videtur Sibrandus.) *regnum enim Romanorum est in plura regna diuisum, quàm in decem.* Falsum: nam Romanorum regnum adhuc durat. Sunt quidem plura, quàm decem regna, olim ad Romanum Imperium pertinentia; nunc ab aliis Regibus occupata; sed Daniel non loquitur nisi de ea Romani Imperij diuisione, quæ simul cum interitu illius coniuncta erit: hæc enim non erit, nisi in decem Reges. *Præterea Romanum regnum & regna*, inquit Sibrandus, *in quæ diuisum est, non differunt toto genere, quemadmodum tibiæ & digiti, omnia enim regna siue illud, siue hoc sit, genere vnum sunt: sed digiti & tibiæ non sunt genere vnum.* Cuius stomachus tam firmus sit, qui hisce vanissimis nugamentis non euertatur? Num Bellarminus dixit; regnum Romanum, & regna, in quæ tandem sub finem mundi cum proprio exitio Romanum Imperium definet; non conuenire in generali conceptu regni? An quia communionem & conuenientiam quandam in hac communi ratione habent; ideo vnum ex illis Romani Imperij seu Regni nomen feret; vnusque ex decem illis Regibus, Rex seu Imperator Romanus appellabitur? Quæ verò ruditas est; & quàm spissa insscitia, dicere, *tibiam & digitos tibiæ* toto genere discrepare? Quæso te, an non conueniunt in genere *substantiæ & corporis?* An non vt tibia hominis; sic & digitus tibiæ humanæ est substantia & corpus?

Obiicit Savvbrandus. Bellarminum *de suo addidisse, nullum ex decem illis Regibus, Romanum Regem appellatum iri.* Num dixit Bellarminus, hoc totidem verbis exstare apud Danielem vel Ioannem in Apocalypsi? Quomodo *de suo* hoc addidit, cum illud ex Danielis, & præcipuè ex S. Ioannis mente, perspicuè deduxerit? Ait Sibrandus. *Hoc implicare contradictionem*; Sed Sibrandicam, hoc est, fanaticam: Nam Bellarminus nunquam scripsit successionem Romani Imperij duraturam præcisè, vsque ad vltimum mundi durantis finem; vt iste mentitur; quia vbique docet; Imperium Romanum aliquandiu ante finem mundi penitus abolitum & exstinctum iri.

Sed en planè Savvbrandicum argumentum: *Decem regna, in quæ Romanum Imperium diuidendum est, sunt regna; sed nullus digitus tibiæ est tibia; ergo decem illa regna non possunt significari per decem digitos vtriusque tibiæ.* Perinde ac si diceret. Decem Reges, qui Romanum Imperium tandem occupabunt, & delebunt, vt habetur cap. 7. Danielis, sunt reges & homines; sed nullum *cornu*, quod ex capite enascitur, est caput; ergo Reges illi decem non possunt significari per decem cornua: nec *cornu* illud *paruulum*, quod è medio decem cornuum exstitit, poterit significare Antichristum, quia paruulum illud *cornu*, non est caput. Nil præter solitum subtilis est Sibrandus; antiquum obtinet. Periclitabitur Scotus, ne *subtilis Doctoris* titulum amittat, nisi Sibrandus à tantis subtilitatibus desistat: qui vociferatur; Bellarminum *de suo* addidisse; decem cornua significare *decem vltimos Reges: Item nullum ex illis fore Romanorum Regem.* Bellarminus hæc probauit, & multis rationibus in hac de Antichristo disceptatione confirmauit; nihil ergo *de suo* adiecit. Nihil, quod Danieli & Ioanni consentaneum non esset, protulit.

Mox acutissima subtilitate nos beat Sibrandus: *Bestia & cornua non sunt genere vnum.* An non sunt vnum in genere substantiæ & corporis? Si de proximo & immediato genere loquitur, verum quidem est; bestiam & cornu non esse eiusdem proximi generis; quia bestia est *animal*; cornu non est *animal*; sed quid hoc contra Bellarminum? Nam quòd Caluinista subiicit: *omnia regna per bestiam & cornua significata; esse genere vnum*: id similiter Bellarminum non ferit: nam licet genere, etiam proximo & immediato, si ita lubet, conueniant; non est tamen necesse, vt vnum ex illis decem sit & nominetur regnum Romanum; quia hæc appellatio non est *generis*, sed *speciei*: nec qui regnum Romanum nominat, genus regni

nominat, sed speciem. Et si propterea vnum ex illis decem regnis appellandum esset regnum Romanum; quia cum regno Romano in genere *regni* conuenit; omnia illa decem regna, nominari deberent Romana, & omnes illi decem Reges; Romani Reges; quia omnibus est conuenientia in generali ratione Regni & Regis: imo & hodie omnia regna essent Romana; & omnes Reges; Reges & Imperatores Romani: omnibus enim intercedit communio in communi conceptu Regni & Regis.

Etiam bestiam Apocalypticam exagitat Sibrandus suis acuminibus plusquam plumbeis. Nam Apocal. 17. legimus: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, &c. Mulier notat Antichristum*, inquit Sibrandus: *Bestia; Romanum Imperium. At mulier insidebit bestiæ; ergo Romanum Imperium ante mulieris aduentum non est destruendum: cui enim mulier insidet, id vt adhuc existat, necesse est.* Sed quid mulier bestiæ insidens significet, longè melius nobis exponet S. Ioannes, qui extremis verbis cap. 17. *Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Ergo mulier illa non est Antichristus, vt Caluinista absque probatione, & contra expressum S. Ioannis textum sumit; sed est Roma Imperatrix, dans iura gentibus & Regibus: postea agit S. Ioannes de decem *bestiæ cornibus*, hoc est, ipso Interprete, de *decem Regibus*, qui post bestiam, hoc est, Romanum Imperium exsurgent, in perniciem & interitum eius: Ait enim S. Ioannes: *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient, &c.* Nec refert, quod capite 13. plerique, & in his etiam Ribera noster, in illud caput; per *bestiam de mari ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, &c.* intelligunt Antichristum; neque enim si hoc loco *bestiæ* vocabulo Antichristus designatur, necesse est, vt capite etiam decimoseptimo eadem significatio vocabulo *bestiæ* substernatur; prophetias enim conuenienter adiunctis circumstantiis interpretari debemus: præsertim si ipsæ sacræ litteræ apertè indicent; diuersimodè pro conditione rerum subiectarum accipiendas esse. At Sibrandus, omnia, *bestiæ* instar, miscet, quæcunque in Apocalypsi de variis *bestiis* legit; & in tota eius de his *bestiis* vaniloquentia vix aliquid rationis supra *bestiam* apparet. Nec sanè peritius de his *bestiis* Apocalypticis scribit Sutliuius; nisi fortè hoc singulari peritiæ adscribi debet, quòd Bellarminum hic immanissimis conuiciis proscindit, & ita furit, quasi non homo, sed bestia esset.

Omnimodam Romani Imperij defectionem & exstinctionem antegressuram Antichristi aduentum, probat etiam Bellarminus ex illo 2. Thess. 2. *Et nunc quid detineat scitis, &c.* Vbi Iunius nihil minus quàm de Romano Imperio sermonem esse arbitratur: *nam Antichristi remorã esse simplicitatem Euangelij & ministrorum, qua tunc doctrina Christiana prædicabatur; hæ stante non potuisse in aper-*

A *tum progredi Antichristum, neque manifestari, licet iam tum natus esset; sed commodum tempus exspectasse, donec, sublata illa simplicitate patentem inueniret sua tyrannidi introducendæ & stabiliendæ aditum.* Sed hæc, vt & alia pleraque, suo ex capite exsculpsit Iunius, nec sanctis Patribus, nec, quod caput est, ipsi sancto Paulo consentiunt; qui, vt magnum quiddam; per epistolam indicare non vult, quod nam sit illud retinaculum, aduentum Antichristi & mundi finẽ impediens; si aliud non fuisset, quàm cessatio & exterminatio simplicitatis vsq; adeo à Iunio deprædicatæ; cur litteris id committere ausus non fuisset? Hæc tamen, quæ Iunius admodum *simpliciter* de simplicitate Euangelij scribit, adeo placuerunt Pouelo, vt ea per furtum in

B suum lib. 1. cap. 12. transferre voluerit: & quidem verbatim nulla penitus Iunij mentione facta. Num hoc iustum est & æquum?

Citat Bellarminus Patres, qui impedimentum illud interpretantur, Superstitem Romani Imperij statum. Iunius dicit; *hos esse Patrum coniecturas*: Subrandus semel atque iterum contemptim; *coniecturulas*. Ipsi scilicet demonstrationes adferunt, contenti essemus si vel *demonstratiunculas* adducerent. Sutliuius mentitur, *Patres non negare; etiam post aduentum Antichristi, aliquam Romani Imperij vmbram superfuturam*: Legãtur Patres à Bellarmino citati; & mox in auras diffugiet Sutliuiana vanitas. Nam quod hodiernum in Germania dominans Romanum Imperium, tantummodo

C *imaginem & vmbram* Romani Imperij nominitat; iterum meretur, honorarium illud, quod merentur, qui in summam maiestatem scelerate delinquunt. ô qualis vmbra foret, quàm potens & quàm cunctis hostibus formidabilis, si per hæresin dulce pacis & vnitatis vinculum solutum non esset.

Oggrunnit Sutliuius: *Imperator non possidet Romam; ergo non est Rex Romanus.* Negatur consequentia, nam vt rectè Bellarminus ait, Romanum Imperium sine vrbe Roma bene consistere potest. An non olim Imperatores orientis dicebantur Romani Imperatores, licet Romam alius Imperator in occidente teneret; vel, exactis Imperatoribus Gotthorum Reges?

D Æquè impudens & infrunitus est Pouelus, qui lib. 1. capite 12. non erubuit hæc in grauissimam Romani Imperij contumeliam eructare: *Nec obstat, quòd Imperatores Germani, Reges dicantur Romanorum: non enim quid homines temerè loquantur, sed quid verum sit, spectandum est. Sunt quidem hæc, quæ Imperatori supersunt, quasi quædam præclari ædificij rudera, aut vix rudera; sed tamen nonnulla Imperij simulacra, quæ ad finem vsque mundi permanebunt.* Hæc effrons ille Caluinista; qui ab antecessoribus suis Sutliuio, Iunio, Danæo, & aliis edoctus circa hoc signum venturi Antichristi ex defectione Romani Imperij sumptum, nil præter horrenda conuicia & mendacia, promit. Ex quibus vnum in hac sententia Apocalypseos decimo septimo:

Bestia erat. & non est, & tamen est; significari Imperium Romanum, quod olim floruit, postea mutatum, imminutum & valde afflictum fuit; vt videretur non esse; *& tamen est*; inquit Ioannes; quia post hanc tantam inclinationem & imminutionem imago quædam eius remanet: At per *bestiam* hoc loco non intelligi Romanum Imperium, sed Diabolum, liquet cum ex accurata inspectione & consideratione sacri textus; tum ex Interpretibus; nam per *bestiam* intelligunt Diabolum, cui ethnica Roma olim quasi insedit; & hæc bestia, hoc est, Diabolus *fuit*, id est, regnauit olim in mundo ante aduentum Christi; & *nunc non est*, quia à Christo eiectus ac deiectus est: & hæc ipsa bestia, ascensura est sub finem mundi de abysso, in seipsa & in Antichristo, membrorum suorum potentissimo; & iterum tyrannide sua immaniter grassabitur, & *in interitum ibit*, hoc est, tyrannicè debacchari desinet, cum occidetur Antichristus, quia iam finis rerum omnium aderit: *Et mirabuntur inhabitantes terram, &c. videntes bestiam*, (Diabolum sæuientem in Antichristo) *quæ erat* (olim) *& non est*, nimirum ante Antichristi aduentum; tunc tamen, iterum erit, hoc est, regnabit & iterum luculenter in Ecclesiam desæuiet; *soluetur enim tunc Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes*, (ministerio scilicet Antichristi) vt dicitur cap. 20. Apocalyps. Nam in Græcò dicitur: admiratas gentes *cum viderent θηρίον, ὅ, ἦν καὶ οὐκ ἔστι, καίπερ ὄν. bestiam, quæ erat, & non est, tametsi est.*

Quanta autem & quam atrox in Deum & Romanum Imperium Christianum iniuria est; comparare illud *bestiæ*, quæ ex *abysso*, hoc est, ex inferno prodiit, & ea quæ de Romano Imperio Ethnico, cum Christianos persequeretur & trucidaret, Ioannes scripsit, transferre ad Romanum Imperium Christianum, etiam amplum illud & florens, cuiusmodi erat sub Constantino Magno, & aliis nonnullis Imperatoribus Christiana religione imbutis. Num & tunc æquè ac sub Nerone, mulier, hoc est, *ciuitas magna* Roma, & imperialis potestas, bestiæ, hoc est, *septicipiti & decicorni* Diabolo insidebat? Romanum Imperium ad Christianam religionem traductum *sacrum* audire cœpit; & hodie ipsi etiam Sectarij Germani, vocant, das heilig Römisch Reich/ Nec scio, qua patientia tolerare queant, Nouatores Germani; iniurias, quas Pouelus, & similes Romano Imperio irrogant.

Simile mendacium est; capite decimotertio per *bestiam è mari ascendentem* intelligi absolutè Imperium Romanum; quia vel solummodo Imperium Romanum Ethnicum hac bestia denotatur; vel quod probabilius videtur, ipse Antichristus; Mendaciis insuper accense, quod ait, illud in eodem capite; *Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem, & plaga eius curata est*; intelligi de Imperio Romano; quia vel accipiendum est de Antichristo, vt docet hîc Bellarminus, A multorum Interpretum testimoniis, vel de Rege aliquo ex septem illis, quos Antichristus sibi subiugabit, & in tyrannide sua propaganda strenuos adiutores habebit. Quod si locus hîc de Imperio Romano accipitur, quæro ex Caluinistis, quomodo plaga propemodum mortifera, quam Romanum Imperium accepit, curata sit; cum Pouelus, nihil amplius rei in Romano Imperio, sed *solum & nudum* nomen agnoscat. Sic enim libro primo capite duodecimo mentitur: *Manet quidem adhuc Romani Imperij nomen, & qui in Imperio collocantur, Cæsares atque Augusti salutantur: Et præter* REM, *nihil ad iustum Imperium deest.* Si Romanum Imperium talem plagam accepit, vt rei nihil retinuerit; solumque nomen supersit; quomodo est curata plaga eius? B An plaga illius hominis dici posset curata, cui ex plaga nihil penitus de homine, sed solum nudumque hominis vocabulum relinqueretur? Aliud Poueli mendacium est; per mulierem *bestiæ coccineæ* Apocalyp. 17. insidentem intelligi Antichristum; nam ipsemet Ioannes per hanc mulierem denotari ait *ciuitatem Magnam*, hoc est, Romam, *quæ habet Regnum super Reges terræ.*

CAPVT VI.

Explicatur tertia demonstratio.

C TERTIA demonstratio sumitur ex aduentu Henoch & Heliæ, qui adhuc viuunt, & ad hoc viuunt, vt venienti Antichristo se opponant, &c. sed isti duo necdum venerunt. Danæus labefactare conatur hoc caput validissimis nonnullis arietibus; vt, totum hoc de aduentu Heliæ & Henoch, *esse somnium Rabbinorum & delirantium Monachorum; esse fabulas, & mera ægrorum hominum somnia.* Delirantes igitur Monachos & ægri capitis plurimos doctissimos & sanctissimos Patres fuisse oportuit, qui hoc vnanimi consensu docuerunt, & posteris tradiderunt.

Iunius vocat *fabulam imaginariam.* Somniat & Sutliuius *somnia*, simulque inter somniandum D *commenta* spuit. Nec segnior est Abbatus in euomendis lœdoriis; *omnia ista sannis & sibilis explodenda* dictitans, acriterque in Bellarminum insurgens, quòd hac in re priscos Patres sequi maluerit, quàm hodiernos Nouatores.

Primũ testimonium pro futuro aduentu Heliæ sub finem mundi, sumit Bellarminus ex ca. 4. Malachiæ; vbi legimus: *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequã veniat dies Domini magnus & horribilis.* Sectarij Sutliuius, Iunius, Abbatus, Savvbrandus, Danęus consona voce clamant; hoc vaticinium pertinere ad Ioannem Baptistam; ipso Christo Interprete Matt. 11. & 17. Nam priore loco ita loquitur Christus de Ioanne Baptista: *Ipse*

eſt Helias, qui venturus eſt. Poſteriore hunc in modũ: *Et interrogauerunt eum diſcipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt: quòd Eliam primùm oporteat venire? At ille reſpondens ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia, dico autem vobis, quia Elias iam venit, &c. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.* Reſpõdet Bellarminus; Prophetiam Malachiæ ad literã non niſi de Helia accipi poſſe; quia Propheta agit de ſecundo Chriſti aduentu, non de primo, cuius præcurſor Baptiſta fuit. Occurrit Sibrandicus expilator Sutliuius; *in contextu non eſſe; dies horribilis*; ſed, *reuerendus & glorioſus.* Et hanc vocis Hebræę iſto loco vſurpatę ſignificationem eſſe. At Sutliuio, eiusque magiſtro Sibrando oppono Iunium, qui fatetur, vocem Hebræam non modò *reuerendum, ſed & terribilem ac formidabilem* ſignificare. Nil ergo à linguæ Hebrææ alienum fecit noſter Interpres, quando vocem Hebræam hac poſteriore notione accepit & latinè reddidit; præſertim, cum omnes propemodum capitis illius apices clament; Prophetam de ſecundo Chriſti aduentu vaticinari.

Nec obſtant dicta Chriſti. Nam Ioannes erat Helias venturus. erat, inquam, non in perſona, ſed ſpiritu, zelo, ardore, officio & functione: Quo fit, vt Chriſtus verè dixerit; *iam veniſſe Heliam*; at non Heliam in perſona, ſed Heliam ſpiritu & officio. Hinc Angelus aiebat Lucæ 1. *Ipſe* (Baptiſta) *præcedet ante illum* (Chriſtum) *ſpiritu & virtute Heliæ.* Et quid euidentius de futuro Chriſti aduẽtu dici poterat, *quàm* illud: *Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia, &c.* Ridiculũ enim prorſus eſt, quod Abbatus, per eum, qui *vẽturus* eſt; intelligit illum, qui iam *venit*; vt ſenſus ſit; Helias quidem *venturus eſt*; id eſt, *iam venit*; & *reſtituet omnia.* hoc eſt, *iam reſtituit omnia.* Probat hoc ſuum ſomnium ex illo Mat. 11: vbi diſcipuli Ioannis mittuntur ad Chriſtum ſciſcitaturi: *Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus?* Quo in loco *venturus* dicitur, qui iam venerat. Sed Abbatus animaduertere debebat, aliud eſſe, quærere ex aliquo, qui reipſa iam venit; ſed tamen aduentus eius liquidò necdum omnibus exploratus eſt; & aliud determinatè affirmare & pronunciare, aliquem eſſe venturum & reſtituturum omnia. Prius fecerunt diſcipuli Ioannis; non poſterius, nam ſenſus quęſtionis illius erat iſte, Tunc, quẽ veniſſe iam videmus, ille ipſe es, qui iuxta Prophetarum vaticinia vẽturus eſt, vt mundum ſaluet, & ex Diaboli virtute liberet? At Chriſtus de Helia nihil per interrogationem quærit; ſed categoricè enunciat; *Helias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* nã ſi hæc perſuaſio Scribarum de aduentu Heliæ in propria perſona à vero abhorruiſſet; profectò Chriſtus planis verbis eam diſcipulis, tanquam falſam propoſuiſſet & expoſuiſſet, ne & ipſi pariter in eundem errorem abriperentur; Nihil horum fecit Chriſtus.

Quocirca cauſſæ nihil eſt, cur Abbatus tanto ſtudio hanc de Helia opinionem grauare velit inuidia, quaſi ex Iudæorum promptuariis deprompta fuerit; neque enim omnia, quæ veteres Iudæi ſibi perſuadebant, falſa erant, & minimè omnium hæc de Helia exiſtimatio, nec refert, quòd S. Hieronymo commentar. in Malachiam non arriſerit; at arriſit in cap. 11. & 12 Matth. nam quòd Iunius occlãmitat; *hoc eſſe falſum*; falſum committit, dum Bellarminum falſi arguit; nam in c. 11. hanc noſtram & communem ſententiam commemorat S. Hieronymus, neq; eam vel vno verbulo confutat. Et in cap. 17. interpretans illa Chriſti verba: *Helias quidem venturus eſt, &c.* diſertè hanc ſententiam adſtruit, ita ſcribens: *Ipſe qui venturus eſt, in ſecundo Saluatoris aduentu iuxta corporis ſidem,* (hoc eſt, in propria perſona) *nunc per Ioannem venit in virtute & ſpiritu.*

Obiicit Abbatus, *hanc communem de Helia exiſtimationem tribui etiam Hæreticis.* Non hanc noſtrã, ô bone; ſed longè aliam; de qua ipſe D. Hieronymus ad cap. 11. Matth. *Elias ergo Ioannes dicitur, non ſecundum ſtultos Philoſophos, & quoſdam Hæreticos, qui μετεμψύχωσιν introducunt; ſed quod iuxta aliud teſtimonium Euangelij, venerit in ſpiritu & virtute Heliæ, &c.*

Oggerit Abbatus multos ex Interpretibus locum Malachiæ explicare de Ioanne Baptiſta, & nominat ex commẽtario Riberæ in Malachiam, Ariam Montanum, Paulum Burgenſem; Hentenium, Vatablum. Sed nos his recentioribus opponimus illos Patres complures, quos ibidem citat & ſequitur Ribera noſter, quorum tum propter vetuſtatem, tum ob ſanctitatem maior eſt, quàm recentium iſtorum auctoritas. Deinde iſti ipſi allegoricum ſenſum, non litteralem adducunt. Per allegoriam autem Ioanni nomen Heliæ tributum, & quæ de Helia cap. 4. Malachiæ prænunciantur, ad Ioannem ab Angelo Lucæ 1. allegoricè tranſlata eſſe; haud inficias imus; ſed quæſtio eſt de ſenſu literali.

Accedit, quòd illi Doctores, qui vnius loci plures literales ſenſus agnoſcunt & ſtatuunt; dicent, locum Malachiæ, abſq; vllo incommodo, & ad Heliam, & ad Ioannem literaliter accommodari poſſe. Deniq; non valet hæc conſecutio: *Hic vel ille auctor probat hanc vel illam expoſitionem; ergo reiicit aliam vel alias,* quia fieri poteſt, vt vtramq;, vel omnes, ſi ſint plures, pro veriſimilibus habeat, præſertim ſi nullum indicium præbeat, ſe aliam vel alias repudiare.

Adducit quoq; Abbatus ex Ribera Rupertum, qui nil *audet definire de Helia; quia Doctorum alij,* inquit Rupertus, *quibus omnes ferè conſentimus,* credunt eum ad literam venturũ, &c. *alij verò nequaquã, quibus vir illuſtris B. Hieronymus conſentire videtur.* Hîc inſultat Abbatus Bellarmino, & percõtatur, *vbi iam* ſit cãdor Bellarmini, *qui quod apud ſuos partim negatum, partim controuerſum eſſe videt, perinde tamen viget, ac ſi veterum omnium & nouorũ vno conſenſu, vna voce conclamatum eſſet.* Nunquã dixit aut innuit Bellarminus neminem veterum aut recẽtiorum

aliter

aliter Malachiæ locum explanasse: sed hoc asserit, & rectè, communem veterum consensum, & fidelium sensum, hunc locum de vero Helia accepisse; quam communem consensionem non impedit vnius vel alterius ex priscis dissensio; & multò minus recentiorum in diuersa abitio; & minimè omnium Nouatorum contradictio.

Valdè vrget Abbatus illud Matth. 11. *Omnes enim Prophetæ & lex, vsque ad Ioannem prophetauerunt: & si vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus est.* Quid hinc post ingentem verborum strepitum exundet Hæreticus; nisi Ioannem esse Heliam allegoricè ob spiritum & virtutem Heliæ; vt interpretatus est Angelus Lucæ 1. Nam commentarium Abbaticum: quem huic loco adhibet, reiicimus tanquam commentitium & nugatorium.

Pòst nugarum quisquilias, aperit Abbatus os in conuicia, vocatq; Bellarminum *veteratorem & perfidum*: quia Matt. 17. omisit voculam *primùm*: cum legendum sit; *Elias quidem venturus est primùm*: nam & Græcè est, ἸΗΛΙΑΣ μὲν ἐρχεται πρῶτον. En dignum crimen propter quod tam diris probris Bellarminus vapulet. Atqui nosse debes, Caluinista, Bellarminum vulgatam editionem secutum, in cuius contextu apud Matthæum non apparet vox *primum*, ne in Bibliis quidem iussu Clementis VIII. recognitis & editis, licet olim in nonnullis editionibus ad marginē notaretur. Quid piaculi conscisceit, qui Scripturæ sententias allegat, prout in vulgata editione extant? Addamus tamen dictionem, *primùm*, quando ita efflagitas. Quid inde? *Oro te, Bellarmine*, inquis, *vt nobis expedias*; *vocula illa* PRIMVM, *quò tandem referri debeat.* Facilis responsio. Refertur eodem, quo in ipsa Apostolorum quæstione Christo proposita. *Quid ergo scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?* Hic vocula *primùm*, hunc sensum reddit; Eliam prius venturū, quàm veniat Dominus, idē ergo significabit in Christi dicto, si addatur; *Elias quidem venturus est primùm*, id est, priusquam Christus veniat, non primo, sed secundo aduentu ad iudicium: Quia Elias non primi, sed secundi Christi aduentus præcursor erit: non humilis illius, sed glorioſi & illustris; quem iam adesse rati discipuli, postquam Christum in monte Thabor tanta gloria & maiestate fulsisse viderant; quærunt: *Si iam venisti in gloria:* (transformationē enim illam in monte Thabor secundum eius aduentum arbitrabantur esse) *quomodo præcursor tuus non apparet? maximè quia Eliam viderant recessisse. Quando autem adiiciunt: Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire: Primùm dicendo, ostendunt; quòd nisi Elias venerit, non sit secundum scripturas Saluatoris aduentus* (nempe illustris ille ac glorioſus) Ita S. Hieronymus. Habet ergo Abbatus, quò vox *primùm* pertineat, & quid significet; simulque omnes eius nęnię & ineptiæ corruunt.

Vehementer inculcat Abbatus illud Marci cap. 9. *Elias venit, &c. sicut scriptum est de eo.* hinc ait conuincii id, quod de Elia scriptum est, non alio debere, *quàm ad Ioannem Baptistam, accommodari*; allegoricè, non literaliter: nam per allegoriam ea ad Ioannem transferri posse, nemo abnuit: & quis abnueret, Christo id testante & explanante? Quanquam nil opus dicere; Christum apud sanctum Marcum verbis illis: *sicut de eo scriptum est*; alluisse ad ea, quæ Malachias cap. 4. literaliter de Elia Thesbite vaticinatur; sed cum ad alias de Ioanne scripturas, tum ad illam Malachiæ cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* respicere potuit; quod oraculum certum est ad Ioannem literali sensu pertinere.

Porro si vaticinium Malachiæ ad nullum, nisi ad Ioannem Baptistam accommodari potest, vt dicit Abbatus, quomodo S. Hieronymus Commentario in Malachiam illud transtulit; *ad omnem prophetarum chorum*; & Bibliander citatus à Bellarmino, ad omnes *ministros fideles*, quos tempore Antichristi Deus excitat; quales iudicio Bibliandri fuēre Lutherus & Zvvinglius? Ad quos tamē hoc oraculum non pertinere, vel ex hoc vno satis apertè monstrat Bellarminus; quia Malachias dicit ab Helia conuertendos esse Iudæos, & propter Iudæos præcipuè mittendum, vt patet ex illo: *Mittam vobis.* Et ex Ecclesiastico. *Restituere tribus Iacob.* At Lutherus & Zvvinglius nullum Iudæorum conuerterunt. Hic Iunius bilem tenere nequiit; & *perturbato Bellarmino* tantam in Lutherum & Zvvinglium iniuriam *condonandam* censet. Parum abest, quin & ego in Bellarminum stomacher. Nam Zvvinglius conuertit Leonem Iudam, origine Iudæum; & Zvvinglianum ex illo effecit; non tamen immediatè, quia iste Leo prius ex Iudæo Christianus Catholicus, imò & sacerdos factus fuerat; postea à Zvvinglio nō conuersus sed euersus. An non & Iunij socius indiuiduus Emmanuel Tremelius stirpe Iudæus fuit; & post modum Caluinianus? at neq; hic immediatè ex Iudæo ad Caluinum transiit, sed ad Catholicam Ecclesiam, & dein ad monasticam professionem; & tandem per defectionem ad Caluinismum. Ex Lutheranis plures arbitror factos esse Iudæos, quàm ex Iudæis Lutheranos, Lutherus enim in colloquiis sympoſiacis expressè dicit; *in Morauia complures à Iudæis circumcisos, & nouo nomine Sabbatarios* appellatos; quæ secta adeo inualuit, vt Lutherus coactus fuerit separatum librum contra *Sabbatarios* scribere.

Ait Bellarminus; Christum Matth. 17. loqui de illo Helia verbis illis: *Helias quidē venturus est, etc.* de quo Apostoli interrogauerant; sed certum est Apostolos interrogasse de vero Helia Prophetā Thesbite; ergo, &c. *Non sequitur*, inquit Abbatus, *quod concludit. Quia Christus corrigit suo responso Apostolorum quæstionem. & de Helia persuasionem.* Hæc tua, Abbate, responsio *auctoritatem desiderat, neque enim probare aliquam possumus, quæ de tuo tantùm insano cerebro absq; testimonio & ratione deprompta est*: Agnoscis, opinor, tua verba, quæ grata accident, eo ipso, quia tua sunt.

Aggre-

Aggrederis Bellarminum syllogismo, oppidò quam valente. Elias ille est à Malachia promissus, de quo Christus ait; *Elias venturus est; Venisse autem ostendit Christus Eliam illum, qui à Malachia promissus est: venit ergo Elias ille, de quo ait; Elias venturus est.* Respondeo ad Minorem; eam esse falsam, si intelligatur de Elia secundum se & in propria persona; Veram, si accipiatur de Elia in exemplo & repræsentatione, qualis Elias Ioannes Baptista, qui in spiritu & virtute Heliæ præparauit viam aduenienti Domino: eodemque modo conclusio distingui debet; nam Helias, de quo Christus dicit; *Elias venturus est; venit*; at non in se, sed in sua imagine; nimirum, in Ioanne Baptista. De Elia, qui venturus est: asserit Christus: *ille restituet omnia*, hoc est, Iudæos & Hæreticos, & fortè multos Catholicos ab Antichristo deceptos reducet in viam. At hoc non fecit Ioannes. Abbatus conatur probare Ioanni hoc conuenire. At vltra conatum non progreditur probatio. Cum conatu & incipit & desinit. Et certè res per se clara est, vsque adeo generalem hominum qui errauerant, ad Deum conuersionem Ioanni Baptistæ non posse tribui, perspicuè liquet. Hinc & Angelus Lucæ 1. cum restrictione ait: *Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum; Multos*, inquit, at minimè vniuersim: vt de Helia; *Ille restituet omnia. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam.* Quod ipse quidem insigniter præstitit, sed non eo euentu & effectu, vt in eum competat illud elogium. OMNIA RESTITVET: & quomodo hoc in eum competeret, cum quando Christus id pronunciauit, Ioannes cursum iam absoluerit, & ab Herode decollatus fuerit? Verbosissimè probare nititur Abbatus per *diem magnum & horribilem Domini* apud Malachiam, non intelligi secundum Christi aduentum: sed euersionem Hierosolymitanam, qua tota gens interiit, & sedibus suis exacta est: nam iuxta Scripturæ phrasin; *diem Domini* appellari omnem illum, *qui vltioni & vindictæ constitutus est.* Sed huic commento obstant cùm clarissima capitis quarti verba, vt & extrema capitis tertij, tum communis Interpretum consensio. Nec opus pluribus in re aperta.

Secundum Scripturæ testimonium, ex quo probat Bellarminus, Eliam sub finem mundi rediturum, est Ecclesiast. 48. *Qui receptus es in turbine ignis, &c. qui inscriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Et de Henoch cap. 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Ogganniunt Danæus, Sibrandus & alij, *Ecclesiasticum esse apocryphum.* Hæc calumnia iam in primo Tomo depulsa est. Cauillatur Sutliuius, Ecclesiasticum non dicere, *Heliam & Henoch simul venturos, & hoc tamen Papistas contendere.* Vt ex hoc præcisè loco id non constaret, constat tamen ex capite 11. Apocalypseos, de quo postea. Secundò cauillatur, non dicere Ecclesiasticum, *eos vel iterum in terram redituros, vel cum Antichristo pugnaturos.* At dicit Ecclesiasticus, ita Heliam rediturum, *vt conciliet cor patris ad filium, & restituat tribus Iacob.* Hoc vbi præstabit, nisi in his terris? Dicit insuper, Henoch ita reuersurum, vt det gentibus pœnitentiam, docendo nimirum & veritatem annunciando. Hoc qui fiet, nisi in his terrarum sedibus?

Tertiò cauillatur Sutliuius, non dicere Ecclesiasticum, Henoch venturum, vt det gentibus pœnitentiam; sed; *translatus est in exemplum pœnitentiæ; nempe, vt homines à peccatis resipiscerent, dum viderent in gloriam trãslatos, qui se à sceleratis segregassent.* Pulchrum glossema, cui nil deest, nisi veritas & auctoritas. Nam quod ad Latinam versionem attinet, absit, vt illam vlli nouitiæ posthabeamus. Rectè vertit noster illud Μετανοίας εἰς ὑπόδειγμα μετανοίας. quia sensum reddidit, non verba appendit. Exemplum pœnitentiæ, quod gentibus daturus est Henoch, consistere in doctrina & institutione, manifestum euadit ex Apocalypsi, de cuius testimonio postea, & ex his habet itidem responsum Abbatus ad calumnias, quas turgidis faucibus in Bellarminum euomit, ob hunc Ecclesiastici de Henoch locum.

Tertius locus est ille Matt. 17. Helias quidem venturus est & restituet omnia. De quo iam satis dictum. Quartus Apocal. cap. 11. *Dabo duobus testibus meis & prophetabunt dies mille ducentos sexaginta.* Hæc intelligenda esse de singularibus personis Helia & Henoch, patet ex eo, quod ibidem dicit Ioannes, eos interficiendos ab Antichristo, & corpora eorum per tres dies mansura insepulta in platea Hierusalem, & post tres dies resurrecturos & in cœlum ascensuros. Sutliuius ex Subrando suo clamitat, *nec Heliæ, nec Henoch nomen exstare Apocalypseos cap. 11. Et verum illud, quod eo loci scribitur, in quosuis pios doctores competere posse.* Ita etiam Pouelus lib. 1 cap. 11. & alij. Respondeo, per duos illos testes in Apocalypsi intelligendos esse Heliam & Enoch, conuincitur ex aliis Scripturæ locis, de quibus antea, & ex vnanimi consensu Interpretum. Lege Riberam ad cap. 11. Apoc. Alterum de quibuslibet piis doctoribus commentum, hoc argumento ex ipsis Apocalypseos verbis exstructo eruditè refellit Becanus noster in lib. de Antichristo *Reformato.* Duo Prophetæ venturi sunt eodem tempore, quo Antichristus; qui habebunt potestatem claudendi cœlum, ne pluat, & conuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga: & cum prophetauerint diebus 1260. mouebit Antichristus contra illos bellum, & occidet eos; & corpora eorum iacebunt Hierosolymæ, vbi Christus crucifixus est; & post tres dies, & dimidium, resurgent: &, vnà cum corporibus ascendent in cœlum. &c. Atqui isti duo Prophetę nondum venerunt. Ergo nec Antichristus. Maior secundum omnes partes sumpta est.

ex Apoc. c. 11. Minor patet. quia, à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque, nulli duo aſsignari poſſunt, quibus omnia ſupra dicta conueniant.

Franciſcus Iunius Caluiniſta in cap. 6. Bellarmini reſpondet, multos pios viros à tempore Bonifacij VIII. exſtitiſſe, quibus omnia iſta cõueniant, non ſecundũ literam; ſed, ſecundũ ſenſum Propheticum, quo vaticinium Ioannis impleri oporteat. Videamus, an ita ſit. Et primùm quæro, quinam illi fuerint, qui habuerunt poteſtatem claudendi cęlum, ne plueret, conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terrã omni plaga? Et, quis ſit ille ſenſus Propheticus, quo iſta accipienda ſint? Legimus Eliam Thesbyten, antequã igneo curru tolleretur è terra, clauſiſſe cælum, ne plueret annos tres, & menſes ſex. Legimus Moſen in Aegypto conuertiſſe aquas in ſanguinem, & percuſsiſſe terram omni plaga coram Pharaone, ſed omnia hæc ſecundum literã acciderunt. Qui autem ſunt, qui ſecundum ſenſum Propheticum iſta fecerunt? Et, quid eſt, *claudere cælum, ne pluat*, ſecundum ſenſum Propheticum? An, eſt idem, quod efficere, ne per modũ pluuiæ, gratia Dei deſcendat de cælo? At boni viri hoc non faciunt, quando conantur alios ad veram fidem conuertere. Tunc enim maximè opus eſt diuina gratia de cælo diſtillante. An è cõtrario, eſt idem, quod efficere, ne vindicta Dei deſcendat de cælo? At, ſi hoc fecerunt duo illi Prophetæ, de quibus loquitur Ioannes, in Apocalypſi; quomodo dicuntur aquas conuertiſſe in ſanguinem? & percuſsiſſe terram omni plaga? An non hæc vindicta de cælo eſt? Iterum quæro: qui nam illi fuerint, quos Antichriſtus bello vicit, & occidit? aut, quo ſenſu intelligendum id ſit? Nam ſi, *bellum, occiſio, victoria*, non ſecundum literam; ſed, ſecundum ſenſum Propheticum accipienda ſunt, vt vult Caluiniſta; ſequitur ſanctos illos Prophetas, qui à Deo miſsi ſunt, non corporaliter, ſed ſpiritualiter ab Antichriſto victos, & occiſos eſſe. Atqui hoc planè abſurdum eſt. Tertiò quæro, quando factus ſit ille terræmotus, quo decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt ſeptem hominum millia, Prophetis in cœlum aſcendentibus? Et, quo ſenſu impletum hoc ſit? Hæc & ſimilia explicanda erant à Franciſco Iunio, ſi volebat communem Patrum expoſitionem deſerere, & argumenti noſtri vim effugere. Hæc Becanus noſter.

Abbatus loquacitate & inanitate pleniſsimam hic inſtituit capitis vndecimi Apocalypſ. paraphraſin & explicationem, ad veram & ſolidam vt arbitratur, arcanorum illorum intelligentiam. Sed qui verum capitis illius intellectũ noſſe deſiderat, non Caluinianum fabulatorem, ſed veteres & nouos orthodoxos expoſitores adeat: quid enim adferat Caluinianus præter capitis ſui vel ſuorum ſymmyſtarum malè cohærentia ſomnia, & febrilia deliria? Nã quod vnus vel alter ex priſcorum numero alterum teſtem fore credidit *Hieremiam*; alius *Moyſen*; nil penitus communi conſenſui officit, quia vnius vel alterius diſſentientis non eſt habenda ratio in tanta aliorum ſuffragatorum concordia.

Pouelus tam ſubtiliter ſe gerit in huius Bellarminianæ demoſtrationis refutatione; vt niſi ſciré in Anglia progenitum, crederem in Arcadia natum. Audi & admirare acumen. *Duo teſtes Apocalyptici occidentur; ſed Helias & Henoch non poſſunt occidi, ergo Helias & Henoch non ſunt duo illi teſtes.* Maior eſt certa. Minor probatur. *Quia Helias & Henoch iam habent corpora glorioſa & ſpiritalia, quæ conſtat à morte & mortalitate ſic eſſe vindicata, vt impoſsibile ſit vlli morti aut ſupplicio ea poſſe eſſe obnoxia.* Quis Caluiniſtę huic cõceſsit, corpora Heliæ & Enoch iam ad gloriam & incorruptionem illam eſſe euecta, ad quam euehentur beatorum corpora poſt generalem omnium Reſurrectionem? Cui veterum vel etiam recentiorum Auctorum, qui probę ſint notæ, hoc ſomnium in mentem venit? Et tamen totam vanitatis ſuæ molem huic baſi inædificat Pouelus: qui pari acumine probat per *Hieroſolymam* cap. XI. Apocalypſ. non poſſe intelligi illam ciuitatem, quam hoc nomen ſignificat; ſed Romam: quia Hieroſolyma Palæſtinæ non poteſt vocari *Sodoma & Aegyptus*, quæ appellationes tribuuntur Apocalypticæ Hieroſolymæ, *quia nomine Sodomæ non ſignificatur vrbs, ſed regio multis pagis & oppidis conſtans, vt & voce Aegypti, regnum multis vrbibus et pagis ampliſsimum.* Hæc cum Pouelus num. 12. ſcripſiſſet, ſtatim Num. 15. per contradictionem id euertit; vbi contendit, *Romã eſſe Sodomam.* Si Sodoma non poteſt ſignificare vnam ciuitatem, quomodo ſignificat Romam? An Roma non eſt vna ciuitas? Num. 16. vult Romam eſſe *Aegyptum* Apocalypticam? Et tamẽ Nũ. 12. dixerat Aegypti nomine non poſſe denotari vnam ciuitatem? An Roma non eſt vna ciuitas? Perquam feſtiuum autẽ eſt; quod Pouelo Chriſtus Romæ eſt crucifixus: Nam illud: *vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*; interpretatur de Roma; ibi enim Dominum *ſpiritaliter crucifixum eſſe, & adhuc crucifigi.* Eodem iure poterat locum Apocalypſeos explicare de Londino, vel Oxonio, vel Cantabrigia, vel Geneua, vel VViteberga. Nam & in his locis ſcelera perpetrãtur nec modica, nec pauca; omnes autem, qui ſcelera & flagitia perpetrat, iterum ſpiritaliter Chriſtum quaſi crucifigit, & oſtentui habet, vt loquitur Apoſtolus ad Hebræos.

Deinde vbi proprius & litteralis ſenſus, iſq; cõmodus ſuppetit, vt hic accidit, neceſſe nõ eſt, vt, eo relicto, confugiamus ad myſticos aut improprios ſenſus. Nam quòd Pouelus dicit, Hieroſolymam *non reædificatum iri ſub Antichriſti tempora*; Reſpondeo, nihil opus reædificatione; quia adhuc ſupereſt, & vt vaſtaretur; an non ab Antichriſto denuo exſtrui poſſet? Illud, fateor, me hactenus neſciuiſſe, quod nũc ex Danæo didici,

Conſtantiam ad lacum *Acrontanum eſſe Sodomam*, de qua Apocalyp. 11. & duas oliuas Huſſum & Hieron. Pragenſem.

Poſt quatuor ſcripturæ loca probat Bellarminus aduentum Heliæ & Henoch ex Patribus; nam de Helia id aſſerunt Hilarius, Hieronymus, Origenes, Chryſoſtomus, & alij. Sutliuius cum ſuo Subrando mentitur, *Hilarium nihil de Helia dicere.* Tu inſpice Canonem 20. Hilarij in Matthæũ, imo & 17. & Sutliuij mendacium ſtatim deprehendes: & ſi mendacij es oſor, deteſtaberis. De S. Hieronymo cauillatur Sutliuius. I. *eum narrare traditionem Iudæorum.* Non hoc tantum, ſed & ſuam ſententiam. Secundò, *eum nihil dicere de Henoch.* Nec Bellarminus citauit hic S. Hieronymum pro Henoch, ſed pro ſolo Helia. Tertiò, eum nõ dicere, *Heliam cum Antichriſto pugnaturum, & ab illo occiſſum iri*: De hoc non quæritur, ſed, num, iudicio S. Hieronymi. Helias aduentum Antichriſti ſit antegreſſurus. Hæc quæſtio eſt. Affirmat D. Hieronymus: qui proculdubio ſciuit Heliam alio fine non venturum, quàm vt improbis Antichriſti conatibus pro virili obuiam eat. Henoch & Heliam ab Antichriſto interfectum iri, & hoc cap. 11. Apocalyp. ſignificari; docet S. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam, *De Henoch & Helia*, inquit, *quos Apocalypſis venturos & morituros refert, nõ eſt huius temporis diſputatio.* Nam quod in hac Epiſtola ſententiam de aduentu Henoch & Heliæ S. Hieronymus Iudaicis fabulis accẽſeat, Sutliuianum & Abbaticum mendacium eſt; non enim hunc aduentum Iudaicis commentis adſcribit, ſed carnalem expoſitionem eorum; quæ in Apocalypſi de gloria nouæ Hieruſalem, deque regno Chriſti & mille annis legimus.

Ad Origenem reſpondet Sutliuius, eum quidem dicere, *Chriſtum non reprobare, quæ à ſcribis tradita fuerant de Helia, ſed nec dicere, eum traditionẽ hanc probare.* At ſi Chriſtus hanc traditionem, iudicio Origenis, non improbauit; certè nec Origenes improbauit; neque enim ſupra magiſtrum ſuum hac in re proprium ſenſum extollere voluit.

Inſtat Sutliuius. *Origenes non dicit, Heliam & Henoch prædicaturos contra Antichriſtum, & ab eo occiſos iri* (parce, Sutliui, Priſciano; *occiſum iri* ſcribere iubet) Nõ quęritur hoc in præſẽti; Quid tricaris? Quid aliena immiſces? Bellarminus Orignẽ hîc pro ſolo Helia citauit. Dee Henoch nullum verbũ, vt nec de aliis. Sufficit nobis, Origenem probare eorum ſententiam, qui docent, Heliam in propria perſona ſecundũ Chriſti aduentum antegreſſurum. Cætera aliunde conficienda ſunt.

Sibrandus diſcipuli ſui Sutliuij inuerecundam frontem longè tranſcendit. Ait enim, ne *gry quidem exſtare apud Origenem de aduentu Heliæ.* ô durum vultum. De aliis nonnullis patribus, quos Bellarminus teſtes produxit, ſic ſcribit Sutliuius: *Chryſoſtomus nihil habet de Eliæ pugna cũ Antichriſto, aut de eius perſecutione, neque vel Theophylactus, vel Zigabenus huius aduentus Eliæ meminerunt, vbi ex ponunt 17. cap. Matthæi. Falſum eſt ergo, quod dicit Bellarminus*; omnes huius loci interpretes de Elia ea ſentire, *quæ ipſe credit*: Sutliuianæ mendaciloquẽtiæ oppono inprimis Sibrandum, qui iſta. *Ad Chryſoſtomum dico, illum opinari quidem, Eliam in ſecũdo aduentu rediturum eſſe: Sed quid hoc ad rem?* Multum, ô Subrande, multum. Quia ſi ſecundi aduentus præcurſor erit, contradicitis ergo vos ſectarij Chryſoſtomo, cum id peruicaciter abnuitis. *At non dicit Chryſoſtomus*, inquit Sibrandus, *Heliam Antichriſti tempore venturum, aut cum Antichriſto pugnaturum*, aut ab eo occidendũ eſſe; aut in hoc ſæculo vitam recepturum. Strophas video ac ſutelas, & nihil præterea. Vnica quæſtio & quæſtionis probatio hoc loco eſt, Heliã in propria perſona fore præcurſorem Chriſti. Quod tam clarè aſſerit S. Chryſoſtomus Homil. 58. in Matthęum, vt vix ipſe Bellarminus id euidentius adſtruat. Reliqua quæ Chryſoſtomus non dicit, aliunde nobis liquent; partim ex ipſo etiã Chryſoſtomo, neque enim credibile eſt, vllam aliam ob cauſſam venturum Heliam, quàm vt Antichriſtianæ tyrannidi reſiſtat, & ſeductos in viam reuocet; iuxta Malachiæ vaticinium, & Chriſti Domini de Helia aſſertum: *Ipſe enim reſtituet omnia.* Quæ nam reſtituet, niſi quæ ab Antichriſto, Chriſti aduerſario, deſtructa fuerant? Idẽ prorſus cum Chryſoſtomo docent Theophylactus & Euthymius in cap. 17. Matthæi.

Obiicit Sutliuius, Lactantium lib. 7. cap. 17. ne *gry* quidem loqui de Helia. vbi vides Sutliuiũ ſuo Magiſtro Subrando ſurripuiſſe ſuũ *Gry*, quod ipſe de Chryſoſtomo protulerat. Sauubrandus quoque occinit: *Lactantium, ne nominare quidem Eliam & Enochum.* Iterum obliuiſcitur Sibrandus; Bellarminum Lactantij teſtimonium non propter Henoch, ſed propter ſolum Heliam protuliſſe. De quo nihil dicere Lactantium, mendacium eſt Sauubrandicum & Sutliuianum; nam licet Heliæ nomen non exprimat; iis tamen coloribus depingit; vt eum non alium in animo, & calamo habuiſſe, quàm Heliam, & ad loca Malachiæ, & Chriſti de Helia reſpexiſſe, faſſurus ſit, quiſquis Lactantium vel per tranſennam inſpexerit. Aequè planum ac dilucidum eſt, Lactantium ibidem loqui de Antichriſto, licet hoc nomine non vtatur; ſed Regem ex Syria malo ſpiritu progenitum appellet. Mira prorſus, mira eſt ſectariorum peruerſitas, qui nobis oculos effodere volunt, & aures penitus occludere, ne quid veteres ſcriptores pro nobis contra ipſorum nouitatem aſſeuerantes videamus & audiamus. Similis planè improbitas eſt, cum Sutliuius dicit; ſententiam Bellarmini ab Auguſtino prorſus euerti Tract. 4. in Ioann. vbi Auguſtinum dicere dicit: *Prophetiam de Elia in Ioanne completam eſſe.* Sed vterque, hoc eſt, tam Sibrandus, quàm Sibrandi expilator & rapax harpago Sutliuius, turpiter mentitur; nam verba prædicta, quæ tanquam

Augu-

Augustini citant, & diuerso charactere inprimẽda curárunt, non sunt Augustini, sed per summã fraudem ab his impostoribus S. Augustino adscribuntur. Et quia de Heliæ reditu ante secundum aduentum Christi eo ipso in loco luculentissimè S. Augustinus disserit, & os sectariis penitus oppilat; ideo non grauabor disputationẽ eius super hac re adscribere, vt omnes videant; qua conscientia Nouatores isti sanctos Patres tractent, & quàm nihil pensi habeant, licet mendacissimè Patribus aliam sententiam affingant. Ita ergo S. Augustinus. *In Ioanne Dominus* IESVS *Christus* (Matth. 11.) *præfigurare voluit futurum aduentum suum, & hoc dicere,* (quando dixit, Ioannes ipse est Elias) *quia in Spiritu Eliæ erat Ioannes. Et, quod erat Ioannes ad primum aduentum; hoc erat Elias ad secundum aduentum. Quomodo duo aduentus iudicij; sic duo præcones. Iudex quidem ipse: præcones autem duo, non duo iudices. Oportebat autem Iudicem primò venire iudicandum. Misit ante se primum præconem; vocauit illum Eliam: quia, hoc erit in secundo aduentu Elias; quod in primo Ioannes. Iamq; intendat charitas vestra, quàm verum dicam. Quando conceptus est Ioannes, vel potius, quando natus, Spiritus sanctus hoc de illo homine impleto prophetauit: Et erit, inquit, præcursor altissimi, in Spiritu & virtute Eliæ. Non ergò Elias sed in Spiritu, & virtute Eliæ. Quid est in Spiritu, & virtute Eliæ? In eodem Spiritu vice Eliæ. Quare vice Eliæ? quia, quod Elias secundo, hoc Ioannes in primo aduentu fuit. Rectè ergò modò Ioannes propriè respondit: Nam Dominus figuratè; Elias ipse est Ioannes: iste autem, vt dixi, propriè: non sum ego Elias.* (Io. 1.) *si figuram præcursionis aduertas, Ioannes ipse est Elias: quod enim ille ad primum aduentum hoc ille ad secundum erit. Si proprietatem personæ interroges: Ioannes, Ioannes. Elias Elias est. Dominus ergò ad præfigurationem rectè, ipse est Elias: Ioannes autem rectè ad proprietatem: non sum Elias.* Et infrà.

Nunquid tu Elias es? Iam, si diceret, Elias sum; ergo iam in secundo aduentu aduenies Dominus iudicaret, non adhuc in primo iudicaretur. tanquam dicens; venturus es adhuc & Elias: non sum, inquit, Elias. sed obserua te humilem, ante quem venit Ioannes: ne sentiatu excelsum, ante quem venturus est Elias. Nam & Dominus ita compleuit. Ipse est Ioannes Baptista, qui venturus est. Ipsa præfiguratione venit iste, qua proprietate vẽturus est Elias. Tunc Elias per proprietatem Elias erit; nunc per similitudinem Ioannes Elias erat. Modò Ioannes per proprietatem Ioannes est; tunc per similitudinem Elias Ioannes erit. Ambo præcones sibi dederunt similitudines suas, & tenuerunt proprietates suas: Vnus autem Dominus iudex, siue illo præcone præcedente, siue illo.

Idem S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 29. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magnus, & illustris:* (Mal. 4.) *qui conuertet cor Patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum; ne fortè veniens percutiam terram penitus. Per hunc Eliam magnum, mirabilemque Prophetam, exposita sibi lege, vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusq; fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicij Saluatoris non immeritò speratur esse venturus: qui etiã nunc viuere non immeritò creditur. Curru namq; igneo* (4. Reg. 2.) *raptus est de rebus humanis; quod euidentissimè sancta scriptura testatur. Cùm venerit ergò exponendo legem spiritaliter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt; conuertet cor Patris ad filium.* Mirer, si vlla gutta sanguinis in eo supersit, qui tam perspicua & dilucida tenebris suis inobscurare, & in alium, vel alienum sensum rapere tentet. Hactenus de patribus, qui Heliam ante secundum aduentum Christi rediturum tradunt.

Vtrunque simul, nempe Heliam & Henoch, reuersurum, docent multi, qui scribunt in Apocalypsin, vt Beda, Richardus, Arethas, qui addit; hoc inuariabiliter à tota Ecclesia credi. Mentitur Sutliuius. *Bellarminum de prædicatione & pugna Enoch cum Antichristo nullum testimonium ex prisci pro se habere.* An non sat priscus Beda, & Arethas? An non sat vetusta ipsa Ecclesiæ perpetua traditio? An non optima ratio illa, quæ ex translatione Enochi, & ex eo, quod adhuc viuit, sumitur? Nã quidquid Sutliuius, Abbatus & similes contrà mussent; primaria huius translationis & vitæ tã diuturnæ causa est, vt gentibus sub finem mundi det pœnitentiam, docendo, concionando, exhortando, importunè & opportunè instando. An non sat priscus Damascenus? Sed vide quo conuicio Damascenum & alios effrons Caluinista feriat: *Ioannes Damascenus, Beda, & Richardus de S. Victore recentiores sunt: & somnia hæc sua fortasse ex monachorum antrũ acceperant. nos autem testes incorruptos, & antiquæ fidei Patres exhiberi postulamus.* An nõ sat priscus Hyppolytus Martyr? At neque hic beatus Martyr à Sutliuianæ linguæ vipereis iaculis immunis est. *Illa oratio de consummatione seculi,* inquit, Hippolyti *nomine edita, nec ipsius esse videtur, nec alicuius viri docti, & multas nugas* continet, si credimus nugatori Sutliuio. Sed Hieronymi testimonio constat, Hippolytum scripsisse de Antichristo, quam eius lucubrationem, vt non credamus esse eam, quæ hodie sub eius nomine de cõsummatione sęculi legitur, causse nihil suppetit. Nec quidquam rationis attulit Sutliuius, cuius gratia necesse sit, ab hac sententia discedere, & ad Sutliuianam transire.

Citat Bellarminus lib. 14. Mor. S. Gregorij, cap. 11. vel. 12. Vociferatur ex suo Sauubrando Sutliuius, Gregorium lib. 21. Moralium, *nullam penitus Heliæ & Henoch mentionem facere.* Non adduxit Bellarminus lib. 21. si quæ editio hunc numerũ repræsentat; erratum typographicum cõtinet. Cur Sauubrandus cum suo discipulo & fure non inspexit lib. 14. Moralium cap. 12. An nõ repetissent hæc verba in illud Iob. 18. *In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror. Tanta enim tunc contra nos iniquitate effrenabitur, etiam electorum corda non parùo pauore ferientur. Vnde scriptum est; ita, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Quod videlicet dicitur, non, quia electi casuri sunt, sed*

magnis terroribus trepidaturi. Turcæ verò contra eum certamen inſtituæ, & nouiſſimi electi habere narrantur, & primi, quia, & hi ſcilicet, qui in fine mundi electi reperiuntur. in morte carnis proſternendi ſunt: & illi etiam, qui à prioribus mundi partibus proceſſerunt, Enoch ſcilicet, & Elias ad medium reuocabuntur, & crudelitatis eius ſeuitiam in ſua adhuc mortali carne paſſuri ſunt. Hæc S. Gregorius lib 14. Mor. cap. 11. Edit. Rom.

Allegat quoque Bellarminus S. Gregorium lib 9. Mor. cap. 4. Cauillatur Sutliuius cum ſuo Saubrando, *Gregorium hoc loco nullam Enochi mentionem facere*, Mentiuntur; licet enim S. Gregorius nomen Henochi non exprimat, iis tamen notis eũ circumſcribit, quæ non niſi in Henoch cadunt. *Hunc eſt*, inquit S. Gregorius, *quod duo illi prædicatores eximij dilata morte ſubtracti ſunt* (qui nam, oro, iſti duo præter Heliam, quem expreſsè nominat, & Henoch?) *vt ad Prædicationis vſum in fine reuocentur*: ergo vt prædicando contra Antichriſtum dimicent; neque enim pro Antichriſto, ſed contra illum agent.

Mentitur Sutliuius, Patres, quando dicunt, Heliam & Henoch non eſſe mortuos, loqui ſolùmodo de morte illa, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore; non autem de alia quadam morte, quã nuper ſuo ex cerebro Sutliuius extudit. Quæſo te, quid eſt mori, propriè loquendo? An nõ animam à corpore ſeiungi? Eſtne alia mors propriè dicta; quàm illa, quæ conſiſtit in ſeparatione animæ & corporis? At *Henoch dicitur eſſe in Paradiſo, quo nulli iterum morituro aditus patet.* Quidquid Paradiſi vocabulo ſignificetur; pro certo habendũ eſt, quod S. Auguſtinus tradit, lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 6. vbi iſta; *Enoch, & Helias in Adam mortui, mortuũ, propaginem in carne geſtantes, quod debitum vt ſoluant, creduntur etiam rediturі ad hanc vitã, & quod tam diu dilatum eſt, morituri, nunc tamen in alia vita viuunt.*

Porro ſi qui patres indicare videntur illos iam gloria cæleſti & beata illa viſione Dei frui, impropriè loquuntur; & tali locutione indicare volunt, tranquillum, quietum noſtroque longè feliciorem ſtatum illum; in quo nunc vitam degunt. *Iam itaque aliquid melius habet*, inquit de Helia S. Auguſtinus loc. cit. & idem ſentiendum eſt de Enoch, *quàm in hac vita poſſet, quamuis nondũ habeat, quod ex hac vita rectè geſta in fine habiturus eſt: pro nobis enim meliora prouiderunt, ne ſine nobis perfecti perficerentur.*

CAPVT VII.

Explicatur quarta demonſtratio.

TEMPORE Antichriſti excitabitur perſecutio generalis omnium grauiſsima, immaniſsima & notiſsima: ceſſabuntq; omnia publica veræ religionis exercitia, & ipſum iuge ſacrificium; ſed horum nihildum vel fieri vel factum eſſe videmus, nondum ergo venit Antichriſtus. Hic Caluiniſtæ, præſertim Abbatus, Sutliuius, Pouelus, & Rullus Baſileenſis ad cap. 11. Danielis omnia maledicentiæ ſuæ frena laxant; & verboſiſsimè de ſuæ Synagogæ perſecutionibus præteritis & præſentibus declamitant. Quidquid noſtra ætate cõtra Caluiniſtas & Lutheriſtas, rebelles, ſeditioſos, integraq; regna & florentiſsimas prouincias à legitimo ſuo Magiſtratu auertentes, actum eſt; id totum perſecutioni Antichriſti adſcribunt. Vbicunque fœdifragus aliquis Monachus, vel nupturiens Monialis, vel ſacerdos Apoſtata, vel alius cerebroſus & inflexibilis ceruicis Nouator debitas pœnas dedit; Antichriſti id culpa & tyrannide factum; interpretantur. Quandocunque Reges & Principes furori armatæ multitudinis arma oppoſuerunt, & vim iniuſtiſsimam vi iuſtiſsima repulerunt, nil niſi perſecutionem Antichriſtianã ingeminant. Antichriſtus defenſionis huius Auctor fuit. Quidquid in Belgio, quidquid in Gallia, quidqd in Germania, quidquid alibi aduerſus Caluiniſtas vel Lutheriſtas geſtum eſt, ſiue vniuerſim erga omnes; ſiue particulatim erga hunc vel illum; id ad tribulationem illam pertinet ſcilicet, de qua Chriſtus Mat. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neq; erit.*

Quæres. Cum Antichriſtus, ex iſtorum ſententia, iam ante aliquot Annorum centurias nõ modò venerit, ſed & reuelatus fuerit; & vt iſti dictitant, tyrannide ſua Eccleſiam grauiſsimè & atrociſsimè afflixerit & attriuerit; quomodo Caluinianam & Lutheranam ſynagogas ſua efferata immanitate exagitare & perſequi potuerit Antichriſtus; cum nondum exſtiterint. Negant Abbatus, Rullus *& alij, non exſtitiſſe.* Vbi ergo erant iſtę Eccleſiæ ante Lutherum & Caluinũ? *In Anglia*, inquit Abbatus, *in Lollardis & VViclephiſtis.* In Gallia & Arragonia, in *VValdenſibus & Albigenſib.* In Bohemia, in *Huſsitis, Picarditis*, & id genus aliis, quos Pontifex Rom. dirè exagitauit, proſcripſit, & ex conſortio humano expellere, ſummis viribus ſtuduit. Itane ſeriò ſentis, ô Abbate? Seriòne ſcribis, Lutheranos ac Caluinianos tuos eſſe *Lollardos* ſeu *Lollardiſtas* ſiue *VViclephiſtas*? ſciſne quos articulos Lollardi tui defenderint? Num eorundem patrocinium vos Lutheriſtæ & Caluiniſtæ ſuſcipitis? Non te ablegabo ad Concilium Conſtantienſe, ne dicas; VViclepho & ſectatoribus falsò dogmata iſta attribui; Ad popularem tuũ Thomam VValſinghamum Hiſtoricũ Anglum, te ire iubeo, qui in Richardo ſecundo, Angliæ Rege, VViclephiſtarum & *Lollardorum* immania placita non vno loco deſcribit; inter quæ & iſtud: *Deus debet obedire diabolo.* Num idem Lutheranis & Caluinianis eſt animus? Si VValſinghamus Abbato, Pouelo & ſymmyſtis minus ſatisfecerint, conſulant per me licet Orthuinũ Gratium in Faſciculo *rerum fugiendarum & expetẽdarum*, qui multà, nec paſsim nota aut vulgata, de VViclephica impietate ex ſuo illo, quem

reper

reperit Codice, eruit. Nec dedignabuntur Gratium adire, quādoquidem sectariorum alioqui solet esse penus, cum maledictis Papam, præsertim Gregorium VII. incessere cogitant.

Si Husitę, Piccarditæ, VValdenses, & quidqd huiusmodi excrementorū in Bohemia vel fuit, vel hac etiam ætate supereſt; cum Lutheranis & Caluinianis concordant, eorumque Synagoga est Caluinianorum & Lutheranorum Synagoga, quî fit, quod hodie Husitæ & Picarditæ Lutheranos & Caluinianos detestantur, neq; vllo modo pro membris Ecclesiæ suæ agnoscunt? Mira est hæc profectò fraternitas. Mira mirabiliū fratrum concordia.

Idem de Albigensibus dico; *qui corporum Resurrectionem cum Saducæis negabant, animam cum corpore pariter exstinctam. Baptismum prorsus abiiciebant veluti inutilem & superfluum. Animarum transmigrationem, etiam in bruta, statuebant: duo principia cum Manichæis introducebant, bonum & malum: Deū & Diabolū.* Nū horū portentorum patronos Lutherani & Caluinistæ sese profitétur? VValdensiū articulos fusè exscripsit Illyricus in Catalogo Testium, & Caluinianus editor Historicorum Bohemorum: in quibus apparet & iste. *Quoduis iuramentum esse illicitum.* Non arbitror eò perfectionis adhuc ascendisse Lutheranos & Caluinianos, vt nullam ob causſam iuramentum concedi posse ferant. Biblia non magis curabant, vel reuerebantur Albigenses, quàm hodie Schuuenckfeldiani & Enthusiastæ, qui omnia interno Spiritus ductu & instinctu transigunt. Quam dissimiles in hoc Lutherani & Caluiniani Albigensibus; quorum Ecclesia si fuit Lutherana; certè non fuit Caluiniana; & si Caluiniana; certè non Lutherana; quia Synagogæ Lutherana & Caluiniana ingenti discrimine secernuntur; & se mutuò non minus damnant, lacerant, & contumeliis proscindunt, quàm duæ illæ coram Salomone litigantes meretrices.

Est autem perquam ridiculum, quòd Rullus, (ex cuius insanis & imperitis clamoribus totum propemodum librum suum de Antichristo Pouelus contexuit, nullis habitis Magistro suo gratiis; more furino, qui est furto subducta pro propriis venditare, nobis proponit Catalogos Imperatorum, Regum, Principum, & virorum, vt ait, doctrina & probitate præstantium, in quos, velut in electa Ecclesiæ Lutheranæ & Caluinianæ membra Antichristus, hoc est, Papa Romanus, tyrannidem suam exprompserit, inter quos ex latinis Imperatoribus sunt, Fridericus I. Fridericus II. Otho IV. Henricus IV. Henricus VII. Ludouicus Bauarus. qui tantum abest, vt Caluiniani vel Lutherani cēseri queant, vt arbitrer, nullum ex illis fuisse, qui si suo tempore sectarij nostri exstitissent, legem in *Gazaros* & similes latam in eos laturus non fuisset, vel iam latam ad eos extensurus. *Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnoldistas* (quis non videt solos Caluinistas & Lutheristas deesse?) *Circumcisos*, & omnes Hæreticos vtriusque sexus quocunque nomine censeantur (ergo & Caluinistas & Lutheristas) *perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, censentes, vt omnia bona talium confiscentur*, &c. Idem dico de Regibus Galliæ quos nominat, non sine mendaciis; vt Carolomannum *coactum à Zacharia Papa, cucullum induisse.* Nam Philippicum, Leonem Isauricum, Copronymum, similes, non inuidemus sectariis; quanquam falsum est, eos vllam ab Antichristo persecutionem passos, cum ipsi, vt Antichristiani prodromi, Ecclesiam & omnes orthodoxos grauissimè afflixerint, & dirissimè exagitarint.

Qualè verò illud Pseudologiæ portentum, Constantinum Imp. Irenę filium, à matre regno, & oculis, & vita priuatum esse, quòd imagines ex templis remouisset? Nihil minus; nam Constantinus imaginum religiosus cultor fuit; vt constat ex Zonara & Cedreno, qui longè aliam huius excœcationis rationem reddunt, vt videre est apud ipsos.

Illud non improbo; quod Rullus præclarū suum & suorum genus refert ad Vigilantium, ad Petrum VValdonem, ad VViclephū, ad Hussum & Hieronymum Pragensem, ad Marsilium de Padua: quanquā video, quin & certò exploratū habeo, nullum ex his fuisse Caluinistam aut Lutheristam per omnia. Nam vt quis Caluinista sit, oportet, vt omnia, quæ Caluinismus tradit, amplectatur. Si enim nonnulla tantum acceptet, cætera repudiet; non magis Lutheranus, quàm Caluinista erit; nam & Lutherani quædam communia cum Caluinistis habēt; & hi cum illis nec propterea tamen aut Caluinistæ, Lutherani; aut Lutherani, Caluinistæ, audire volunt. Quid, quòd & orthodoxi quædam, vt vnum Deum & trinum, cum sectariis cōmunia habent? An ideò ad illorum gregem pertinent? Pari modo, licet nonnulli, superioris memoriæ, dogmata nonnulla Caluinianis & Lutheranis affinia propugnarint; non ideo sequitur, si quid aduersi sustinuerunt, sustinuisse eos, vt Lutheranos vel Caluinianos; multoq; minus, quòd, quæ passi sunt, ab Antichristo passi sint: nam seductores & impostores nec persequitur, nec persequetur Antichristus; sed quàm diligentissimè fouet ac fouebit.

Quàm verò effrontes sunt sectarij, cum de suis suorūq; persecutionibus, si ita vocare fas est, quiritantur, cum quæ ob scelera sua iustissimè patiuntur, ne millesimam quidem partem eorū adæquent, quibus orthodoxos per summam iniuriam summè afflixerunt, & plurimis in locis ita attriuerunt, vt nullum eorum supersit vestigium: Turcicis planè, & plusquam Turcicis in Catholicos, præsertim sacerdotes & Monachos, totumq; Ecclesiasticum ordinem editis crudelissimæ & prorsus abominandæ sæuitiæ exemplis? Tot millibus templorum & Monasteriorū

euersis; tot florentissimis prouinciis in potestatem redactis; & legitimo quandoque principi ereptis; tot cædibus patratis. Sed hæc omnia ludus tantummodo sunt & iocus, iudicio sectariorum. Vilis res Papista. Quid tum, licet talis hostia frequens ad Antichristi aras, cadat? Hoc nimirum professio eorum efflagitat. Sed vt verbis compendium faciam, si quæ malorum & ærumnarum perpessio, quibus nunc conflictamur, argumentum Antichristi efferre quam Catholici à Nouatoribus perferunt, ab Antichristo proficisci censeri deberet; non vice versa. Quanquam fatemur non esse ab Antichristo, sed ab Antichristi præcursoribus: quorum immanissimam truculentiam, & facinora plusquam Diabolica in Catholicos hoc sæculo edita, loquuntur huius temporis historiarum monumẽta, loquenturque, quandiu hæc rerum vniuersitas hoc in statu persistet: & nisi omnem frõtem exuissent, ne quidem hiscerent de suis persecutionibus, quæ & iustissimæ sunt, & particulares; certisq; prouinciarum finibus circumscriptæ, nec eius generis, qualis illa futura est sub Antichristo, generalis & per totum terrarum orbem diffusa. Satis de his. Quid Danæus cœperat ab hoc conuicio: *proficit in peius, atque iam magis, quàm antea delirat Bellarminus*, &c. Finiit hoc ipsum caput hac Sycophantica calumnia. *Quid igitur vis Bellarmine? Quæ te furia agitant?* Iunge medium cum fine & principio; & videbis quàm sit sibi vbique similis Danæus. Quàm ab ingenio suo non recedat; ita, vt nusquam sibi magis, quàm in calumniandi & conuiciandi arte constet.

Rullus in cap. 12. Danielis coniicit doctrinam huius capitis in aliquot Syllogismos. Ex quibus vnus est iste. *Cum venerit Antichristus, cessabunt omnes religionis cæremoniæ publicæ, & sacrificia. At qui nondum cessant; nondum ergo venit Antichristus.* Respondet Rullus. *Maiorem esse falsam.* Cur falsa Maior? *Quia sacrificia Christianorum sunt corpora ipsorum, preces, laudes Dei, cor contritum & humiliatum, & iustitia. Hæc sacrificia sub Antichristo nequaquam cessabunt.* Loquitur Bellarminus de sacrificio propriè dicto, non de illis, quæ per analogiam quãdam hoc nomen sortiuntur. Etsi & hæc maxima ex parte, ex publico vsu tollentur; nemini enim licebit impunè quidquam, quod ad obsequium & cultum Christi pertineat, agere. Clam & in abditis recessibus, ne ipsum quidem iuge sacrificium penitus desinet. Nam vt olim sæuissimis persecutionum procellis sub Ethnicorum Imperio debacchantibus mysterium hoc peragebatur in Cryptis, locisque subterraneis, & ab omni aliorum consortio remotis; sic &, Antichristo Ecclesiam deuastante, continget.

Nam quod Rullus dicit; *non cessaturum publicum baptismi vsum*; falsum est: baptizabuntur quidem Christianorum filij, sed occultè; vt & olim factum; & nunc etiam fit, vbi Hæresis religioni Catholicæ sua sacra peragendi omnem facultatem ademit.

Clamat Rullus. *Danielem non loqui de Antichristo, sed de Antiocho. Christum Matth. 24. nil prædixisse de Antichristo, sed de excidio Hierosolymitano. Hieronymũ affectui suo plus nimiũ indulsisse, quando in explicatione cap. 12. vitio vertit Porphyrio, quòd versũ vndecimũ & duodecimũ de Antiocho acceperit.* Sed hęc omnia nil aliud sunt, quàm friuola inaniloquentia; vt & alia, quæ verbosissimus præco subiicit de sacrificio Missæ, de imaginibus, de statua S. Petri Romæ in Vaticano, quæ olim fuerit effigies Iouis: & id genus aliis nugamentis, quouis Theologo indignis; quouis scurra dignissimis. Ingẽti logodiarrhœa probare tentat, se & suos nõ esse Antichristi præcursores. At licet os tuum & tuorum hoc loquatur; facta tamen tua & tuorum aliud testantur. Nec diutius in Rullica phlyaria immorabor, quia calumniæ nugaces sponte sua, nemine impellente, ruunt.

CAPVT VIII.

Explicatur quinta demonstratio.

ANTICHRISTVS non regnabit nisi tres annos cum dimidio: At Papa iã regnauit spiritaliter in Eccles. plusquam M. D. annis, non est igitur Papa Antichristus. Maiorem probat Bellarminus ex cap. 7. & 12. Danielis. Et ex cap. 12. Apocalyps. Hoc tempus Imperij Antichristi vocauerat Bellarminus suprà cap. 4. *signum sequens Antichristum*, quandoquidem post tres annos & dimidium suæ tyrannidis interibit. Occlamat Sutliuius. *Antea dixit Bellarminus, interitum Antichristi esse quintum signum, quod Antichristus non venerit.* Quid calũniaris, Criminator? Non dixit hoc Bellarminus, sed interitum Antichristi post tres annos & dimidium, esse signum, non venturi Antichristi, sed præteriti; non enim numerat Bellarminus hoc signum inter antecedentia vel comitantia, sed inter subsequentia aduentum Antichristi; ex quo tanquam ex certo indicio colligetur aliquando; Antichristum fuisse; & iam colligimus negatiuè, nondum scilicet fuisse, & venisse Antichristum, quandoquidem is, quem Nouatores sceleratè vt Antichristum infamant, nempe Papa, longè diutius, quàm per triennium & medium annum in Ecclesia regnat. Quod non modò verum est de Pontificibus simul & collectiuè sumptis, sed & de multis separatim consideratis, qui sedem Petri vltra prædictum tempus tenuerunt.

Ex quibus etiam collabitur alia quædam Sutliuij criminatio, nimirum, *non nisi post aduentũ Antichristi, beneficio huius signi, colligi posse, Antichristum venisse.* Colligetur quidem hoc vbi exitus ipse ve-

ritatem comprobauerit: interim tamen ex hoc signo aduentum Christi & tyrannidem eius secuturo, negatiuè rectissimè concluditur, Antichristum necdū veniſſe aut exstitisse, quia Papa longè diuturnius Imperium habet, quàm sit illud, quod sacræ litteræ Antichristo præfiniunt: certo igitur hoc argumento est. Papam non esse Antichristum, & per consequens, Antichristum nondum veniſſe.

Abbatus horribiliter hîc vociferatur, *Antichristi Imperio longius tempus necessario præstitui debere, fieri non posse, vt intra triennium & dimidiatum annum Antichristus tantas res gerat; & totum quasi mundum sub iugum suum mittat, nisi dicere velimus, eum Pegaso vectum per varias orbis prouincias circumuolitaturum.* Sed nescit iste, quàm breui tempore maximum & latissimè diffusum incendium excitari queat, præsertim, vbi materies subiecta multis annis ad flammam concipiendam præparata est, & vbi res summa vi, cui nemo resistere queat, geritur, vt hic certè geretur, ipsis quodammodo inferis ad propagandum Antichristi regnum effusis; & plerisq; etiam, qui tunc viuent, ad defectionem pronis; mundo iam ad vniuersalem apostasiam per tot Antichristi præcursores, Hæreticos præsertim, Mahometanos & Iudæos; dispositio, ita vt sturnatim mortales in perniciem ruituri sint: cui malo fideles, qui tunc erunt, & suo in gradu perstabunt, medelam ferre non poterunt, quia vel immaniter trucidabūtur, vel in latebras & speluncas compellentur.

Ad probationem ex cap. 7. & 12. Danielis respondet Abbatus, Sutliuius, Sibrandus, Danæus, & alij; *loca illa ad litteram intelligi de Antiocho Epiphane: iniustè facere Bellarminum, qui hæc per vim ad Antichristum rapiat.* Sed patrum expositio ac sententia meritò sectariorum vociferationibus antefertur. Non negamus cap. 11. Danielis contineri quædam Antiocho illustri competentia; sed addimus; multa in eodem capite legi; quæ in Antiochum, ad litteram non quadrent; sed in Antichristum: & Danielem ita oracula sua fudisse; vt modò de Antiocho, modò de Antichristo vaticinaretur, prout copiosè docet ex antiquis patribus Pererius noster lib. 14. in Danielem. certè quidem nonnullas Danielis prædictiones de nouissimis temporibus, & iis, quæ tum contingent, accipiendas esse manifestissimum euadit ex cap. 12. vbi initio statim. *In tempore autem illo, consurget Michael princeps Magnus, qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud,* &c. mox de Resurrectione corporum loquitur. Et cum Daniel interrogasset; ecquando talium *mirabilium* futurus esset finis, responsum tulit: quia *in tēpus, & tempora, & dimidium temporis*: idem capite septimo iisdem prope verbis audiit Daniel, cum interrogasset, quandiu regnaturus esset Rex ille per *cornu paruulum* significatus: responsum enim est: *tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

Non est ergo, quod Hæretici *sperent*, se ea exceptione hanc de annis Antichristi probationem euasuros, quòd Daniel agat de Antiocho Epiphane, nō de Antichristo. Deinde, vt de Antiocho Epiphane ad litteram vbiq; ageret, (quod tamen secus habet) non sequeretur, eum non agere de Antichristo, quia plures sensus litterales eidem loco subiici possunt, vt vidimus Tom. 1. lib. 3. Ad hæc, etiamsi ea, quæ partim cap. 11. partim cap. 12. Danielis continentur, allegoricè solummodo spectarent ad Antichristum repræsentatum in Antiocho, tâquam in suo typo, an ideo nullum argumentum firmum ex oraculis Danielis de natura, moribus, ingenio, imperio, & annis Imperij Antichristi sumi posset? maximè si ex ipso prophetiæ contextu, & ex Interpretum consensu, satis perspicuè constet, cuius *figurati* typus ille fuerit figura; & cuius significati, signum: vt in proposito nostro accidit.

Præterea intolerabilis prorsus est Hæreticorum petulantia & inuerecundia, qui, cum semper clamitent, ex *allegoriis* non posse duci efficax argumentum, simulque tradant ea, quæ Daniel cap. 7. 11. & 12. canit, *ad litteram de Antiocho Epiphane intelligi debere; neque vni loco plures sensus litterales substerni*: hîc tamen doctrinæ suæ obliti, omnia, quæ, ipsorum iudicio, de solo Antiocho Daniel scripsit; ad Romanum Pontificem allegoricè accommodant; vt liquet ex Rulli commentario in cap. 7. 11. & 12. Danielis. & ex libro primo de Antichristo Poueli Angli, qui Rullum furtiuis manibus expilauit; & conuiciorum suorum centonem ex Rullicis maledictis & lædoriis cōsarcinauit; & hæc omnia, quæ ab Antiocho, tanquam à typo, ad Papam, tanquam ad eum, cuius Antiochus typus fuerit; transferunt, tā certa esse asseuerant, quàm quæ certissima; nec quēquam rem tam dilucidam & *soli lucē*, vt iactitant, *euidentiorem*. in dubium reuocare volunt. *Deum sanctè testor*, inquit Pouelus, *in primo libri sui limine, me tam certò scire Pontificem Romanum esse magnum illum Antichristum. & Pontificiam Ecclesiam Antichristi Synagogam, quàm Deum ipsum esse in cœlo, creatorem visibilium*; Et IESVM *Christum verum illum Messiam, patribus olim promissum*. Vnde huic nouello Caluinistæ tanta plerophoria & certitudo fanatica? Potissimùm profectò ex allegorica accommodatione eorum, quæ Daniel de Antiocho scripsit; ad Pontificem Romanum: quam accommodationem, à quo didicit, nisi à Rullo, & hic à Caluino, Beza, Zvvinglio, Luthero; & isti, à quo, nisi à Diabolo, horum conuiciatorum proseminatore? nullus enim veterum Interpretum hoc tradidit. At cum Bellarminus, & alij orthodoxi doctores, ex Daniele monstrare conantur, sectarios mentiri & calumniari, quando Pontificem Romanum, Antichristum

tanta contentione pronunciant; & notas, quibus Daniel Antiochum, vt ipsi volunt, ad litteram depingit; in Pontificem Romanũ non cõuenire: sed in alium quempiam, qui sub finem mundi sit venturus; tum consona vociferatione exclamant: *Hæc omnia esse allegorica; ex allegoriis firmum argumentum peti non posse. Daniel non agit de Antichristo*, ait Iunius. *etsi in eum modum exponitur ἀλληγορικῶς*. Et tamen ex iis, quæ de solo Antiocho, iudicio sectariorum, vaticinatur Daniel; monstrare nituntur isti, Papam esse Antichristum à Daniele descriptum. *Ex disparatis quid probes?* inquit Iunius. Nimirum *disparata* non sunt, quando ea Hæretici aduersus Papam intorquent: è vestigio disparata fiunt; si Catholici inde efficere aggrediantur, Papam non esse Antichristum.

Obiiciunt Sutliuius & Abbatus. *errare Bellarminum toto cœlo in computatione temporis regni Antichristi, nam quod Daniel dicit cap. 12. post ablatum iuge sacrificium abominationem desolationis duraturam mille ducentos nonaginta dies; id propriè ad profanationem templi factã ab Antiochi pertinere.* Malè factum à Sutliuio, & Abbato, quòd huius sui asserti non attulerunt vllum fulcimentum, nisi suam auctoritatem, quæ apud nos perquam modica est, nec ad fidem faciendam satis valens. Et vt illud ad litteram intelligeretur de profanatione templi per Antiochum facta; consequentia tamen hæc proba non esset; meo quidem animo; *ergo de solo Antiocho locus ille intelligitur.* Vel: *ergo de Antichristo locus ille accipi nequit.* Nam, vt sæpe dictum, vnius & eiusdem loci possunt plures litterales sensus assignari. Sed vbi error in computu Bellarmini, quem exprobrant Sutliuius & Abbatus? *Quia dies mille ducenti nonaginta; non conficiunt tres annos & dimidium, sed vno mense amplius.* Et hic ingentes dat turbas Abbatus, quasi Bellarminus *ipse seipsum funditus euertat, sibique negotium esse putet cum insulsis & stupidis hominibus, quibus neque ingenium, neque animus sit ad fraudes Bellarminianas diudicandas*: Et tandem in hanc contumeliosissimam orationem erumpit: *Os impudens, an tu nobis tanquam certissimum opponis, regnum Antichristi non nisi tres annos & sex menses duraturum, & postea ex Daniele vnum mensem addisci?* Pone irã Caluinista, & motos compone fluctus. An non ipsemet Bellarminus de triginta diebus, seu vno mẽse supra triẽnium & sex menses, monuit? An non futuræ criminationi tuę prouidus occurrit? Cur ergo dicit Bellarminus, regnum Antichristi tantummodo duraturum triennio & sex mensibus, si adhuc addendus vnus mensis? Ideo, quia iam vsus obtinuit, vt tempus Regni Antichristi computemus ab exordio vsq; ad necem Heliæ & Enoch, quod triennio & sex mensibus circumscribitur, hoc est, mensibus quadraginta duobus, teste S. Ioanne in Apocalypsi. vltra quod temporis spatium regnabit adhuc Antichristus vno mense: qui pertinet quidem ad Imperium Antichristi, sed numerari plerunque non solet; quia loquentium consuetudo numerum Ioannis exprimit; & quia occisis Helia & Henoch iam vicinus est Antichristus interitui cum tota sua potentia & tyrannide: quod autem parum distat, nihil distare videtur: Ex hac obseruatione in aërem dissipantur omnes Abbaticæ calumniæ, quibus ob hanc computationem Bellarminum impotenter incessit.

In fumum quoque diffluunt omnes criminationes Rulli, quas in cap. 12. Danielis effutiuit, vbi Bellarminum nominat, *hominem Spiritu vertiginis laborantem*, & impudenter mentitur, *à Bellarmino Danielem & Ioannem inter se committi; & Danielem ipsum secum pugnare*, si Bellarminus audiatur: Bellarminum, *non explicare Danielem, sed implicare, & inconstantiæ arguere, quasi Antichristi regno tribueret nunc dies MCCLX. nunc dies MCCXC. Bellarminum sibi ipsi aduersari, quando dixit, Antichristum regnaturum dies MCCXC. cum paulò antea asseruisset: eum regnaturum dies MCCLX.* Hæc omnia manifesta sunt læsi in Rullo sincipitis & occipitis argumenta, vt ex dictis liquet.

Nam quòd Sutliuius dicit; *Eliam & Henoch non nisi post aduentum Antichristi prædicaturos; hinc etiam ex parte principij elucere diutius regnaturum Antichristum, quàm tres annos cum medio*; id friuolum est; & nullo argumento fundatum; Quamprimũ enim Antichristus formaliter incipiet esse Antichristus, hoc est, persecutor & tyrannus; absq; mora duo isti præcones aderunt, & nefariis conatibus sese viriliter opponent.

Ait Sutliuius, *per menses quadraginta duos nunc sæpè longius tempus accipiendum esse.* Probationem desidero: Vbi illa? *Poni numerum certum pro incerto.* At hanc euasionis rimam obstruxit ipse Bellarminus, quia repugnat communi antiquitatis consensui. Adde, inquit Becanus noster libro de Antichristo Reformato, tunc solùm poni certum numerum pro incerto, quando ponitur aliquis plenus, & perfectus numerus, vt decem, centum, mille; non autem, quando parui, & magni permisti sunt, vt concedit Iunius Caluinista in cap. 8. Bellarmini. Quorsum enim numerorũ varietas, & permistio, si tempus incertum designatur? Denique, si scriptura, semel tantum, aut vno modo meminisset illius numeri, posset aliquis putare, certum pro incerto positum esse. At non semel; sed sæpe illius meminit; neque vno, sed variis modis eundem expressit. Et quidem ter, sub hac forma: *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Bis verò sub hac: *mensibus quadraginta duobus.* Semel denique sub hac: *diebus mille, ducentis, sexaginta.* Omnes autem istæ formæ designant tres annos, cum dimidio. Primam vide Dan. 7. 25. & Dan. 12. 7. & Apoc. 12. 14. Secundam vide Apoc. 11. 2. & Apoc. 13. 5. Tertiam vide Apoc. 11. 3.

Obstre-

Obstrepit Sutliuius. *Christum ad suã Ecclesiam cõstituendã & colligendam nõ tantũ tribus annis & medio. Sed longè pluribus egisse, donec per Apostolos & viros Apostolicos fides Christiana in mundum introduceretur, non est ergo credibile, Antichristum tempore tam breui Christianam religionem oppressurum esse.* Quasi verò non sit longè pronius & facilius destruere, quàm exstruere; demoliri, quam moliri, corruere, quã resurgere; Quot annos consumpsit Salomon in ædificatione templi; quod tamẽ breui tempore, à Babyloniis euersum est. Vnico momento potest quis sanitatem amittere, quam nec integri anni curâ recuperet. Nec oportet, vt ipse Antichristus omnes prouincias obeat; sufficiet, vt obeat per suos administros, quorum ingens erit vbique prouentus.

Obiicit Sutliuius. *Satan mille tantum annis ligatus dicitur Apocalypſ. 20. quos ſi vel à Conſtantini regno, vel à ceſſatione perſecutionum computauerit, iam pridem eos exiſſe conſtat: Multos ergo iam annos Antichriſtus regnaſſe videtur.* Respondeo, dicto Apocalypseos loco certum mille annorum interuallũ poni pro incerto, vt copiosè ex sanctis patribus docet Ribera in cap. 20. Apocalypſ. Paulò enim antea diximus; certum numerum plenum & perfectum, ac solitariè positum accipi in scripturis pro *incerto*, non autem tunc, cum maiores & minores numeri permiscentur.

Dices *myſterium iniquitatis iam tempore Apoſtoli operabatur 2. Theſſ. 2.* Respondemus, operatum esse non in se, sed in suis præcursoribus; in hæreticis & Ethnicis, præsertim in Nerone, tyranno truculentissimo. *Dices: non videtur Antichriſtus tribus annis cum medio res tantas gerere poſſe*; sed de hoc iam supra satis diximus.

Nunc furere incipit Sutliuius nõ scribere: Et in medio furoris sui paroxysmo Bellarminum *Monachum lunaticum & mathematices prorsus ignarum appellitat; eundemque in annorum Antichriſti computatione penitus deliraſſe, & tanquam peregrinum in rebus Mathematicorum temerè per loca incognita oberraſſe* criminatur. Metuebat, opinor, Sutliuius, ne si calumniarum parum ferax esset; Beza à nobis falsi redargueretur, quando istum Caluinistam *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* nominauit. Vt autem vberem sycophantandi materiem habeat, somnia sibi de anni Hebræi magnitudine fingit; & ex febrilibus illis suis somniis Bellarminum confutare nititur. Quæ sanè facilis esset refellendi ratio, si quis eam viri eruditi; & non potius fungi esse arbitraretur. Adscribamus Bellarmini verba: Hebræi vtebantur annis, & mensibus lunaribus, etsi eos reuocarent ad solares; addendo sexto quoque anno vnam lunationem. Tres autem anni lunares cum medio, faciunt rectissimè 42. menses, siue 1260. dies, siquidem annus Lunaris plenus, ac perfectus, constat ex duodecim mensibus, quorum quilibet habet 30. dies, vt Augustinus docet lib. 15. de ciuitate Dei cap. 14. Hæc Bellarminus, conuenienter sententiæ D. Augustini.

Oggerit Sutliuius. *Hebræi vtebantur menſibus inæqualibus, quorum vnus triginta; alius viginti nouem habuit dies.* Respondeo, totam quæstionem esse, quid senserit S. Augustinus, quem Bellarminus sequitur. Sensit autem annum lunarem plenum & perfectum constare ex duodecim æqualibus mensibus, quorum quilibet triginta dies contineat, ita vt dies emergant 360. quibus adduntur dies quinq; & quadrans diei, si annus lunaris reducatur ad solarem, constantem diebus 365 & quadrante. Vnde quarto quoque anno bissextilis. At si menses lunares modo prædicto inæqualiter sumantur, conficerent dies 354. vel 355. & additis quinque forent dies 360. qui non constituunt integrũ annum solarem: sed lunarẽ: vt apertè asserit Bellarminus. Quare licet aliqui vsi sint mensib. inæqualibus, vulgo tamẽ menses *Cani*, qui viginti nouẽ diebus constabãt, adiecto vno die supplebantur & supputabantur, & mensibus plenis æquabantur. De plenis verò loquitur S. Augustinus: cuius verba lubet adscribere. *Tantus menſis, quantus & nunc eſt, quem luna cæpta & finita concludit: tantus annus, quantus & nunc eſt; quem duodecim menſes lunares, additis propter curſum ſolarem quinque diebus & quadrante conſummant.* Ad quæ D. Augustini verba non malè Lodouicus Viues. *Iudæi vulgò triginta diebus lunarem menſem claudant, quem plenum vocant.* Neque quidquam contra hoc Viuis dictum adducit Sutliuius, præter clamores & inscitiam; qua sibi ruditer persuadet, Hebræos nunquam esse vsos mensibus plenis, perfectis; ac æqualibus; sed solum inæqualibus; neque etiam annis lunaribus plenis ac perfectis; sed tantum imperfectis, qui 354. diebus solummodo constarent.

Concoquere nequit Sutliuius, quod Bellarminus dicit: Hebræos annos lunares plenos & perfectos, cõstãtes scilicet diebus 360. reuocasse ad solares, addita sexto quoq; anno vna lunatione, hoc est, vno mense. Clamat, *id tertio quoque anno factum*, citatque nescio quem Lalamantium. Sed Hæreticus nec Bellarminum nec S. Augustinum intellexit, quia vterque loquitur de adæquatione mensium & annorum lunarium perfectorum & plenorum, cum mensibus & annis solaribus: quæ exæquatio dupliciter fieri potuit; primo, quotannis; adiiciendo anno & mensibus lunaribus plenis & perfectis, dies quinque & quadrante, vt monet S. Augustinus. Secundò, addendo integram lunationem, seu mensem integrum: Ex quinque autem residuis diebus, non nisi sexto anno cõficiebatur integra lunatio. Nã sexies quinque dies, sunt dies triginta: & sex quadrãtes sesquidiẽ cõficiũt. Quocirca hæc additio lunationis, non nisi sexto anno fieri potuit. Si

alij aliter de hac interiectione scribunt; id fit quia menses & annos lunares aliter considerant.

Occinit Sutliuius: *Neminem hominum vel Angelorum scire aduentum Christi ad iudicium. At si Antichristus*, tres duntaxat annos & dimidiatum regnaturus *sit, & quadragesimo quinto die post interitum Antichristi Christus ad iudicium venturus; tum certò & liquidò sciri posse diem illũ extremum, & consummationem seculi: at hoc aduersari dicto Christi Marci 13. vbi affirmat, hunc diem & Angelis & hominibus ignotum esse.* Respondeo, nunc esse ignotum diem illum & aduentum Saluatoris, & de hoc præsenti tempore dictum Christi accipi debere; non fore tamen amplius incognitum, vbi Antichristus in mundum venerit; Nam sacræ literæ iam nobis patefecerunt, quantum temporis inter huius aduentum & finem sæculi intercedat.

Obiicit Sutliuius Danielis 7. verbis illis: *In tempus, tempora, & dimidium temporis*; non definiri tempus Regni Antichristi; *hinc magnam esse præsumptionem eorum, qui hoc tempus certis spatijs circumscribere audeant.* Sed mentitur; Nam tempus apud Danielem significat annum; tẽpora duos annos: dimidium temporis, medium annum. interprete ipso S. Ioanne in Apocalypsi, qui hoc tempus quadraginta duobus mensibus: Item mille ducentis & sexaginta diebus: denique tribus annis cum medio definit. Accedit communis sanctorum patrum consensus & auctoritas. Nam quod iterum garrit Caluinista. *De numero certo pro incerto posito*; Nugas agit; Mentitur autem, quando dicit, *per mille ducentos & nonaginta dies*, qui extant apud Danielem cap. 12. *Euerti funditus Bellarmini sententiã*; nam quomodo Daniel cũ S. Ioanne consentiat, supra contra Abbatum monstrauimus.

Mentitur iterum cap. 12. Apocalyps. *nihil de Antichristo agi.* Mox effundit idem mendacium de capite 11. & 12. legatur Ribera. Semper quidem Draco persecutus est & persequetur Ecclesiam; sed nunquã immanius persequetur quã per Antichristũ: vbi omnes neruos intendet, quò multos à recto tramite auertat, sciens, *quia modicũ tẽpus habet.* Mirum dictu; quando Pouelus, Rullus, & ipse Sutliuius ex supradictis Apocalypseos capitibus argumenta ducunt contra Papam, quasi ipse sit Antichristus; tum Ioannes loquitur de Antichristo; & nisi de hoc loqueretur, Pouelus non paucas suarum thesium expungere deberet. Sed quam primum Catholici doctores ex his ipsis capitibus Apocalypticis ostendere conantur, Papam non esse Antichristum; & mentiri Prædicantes, quando hac calumnia eum onerant, tum Ioannes nihil de Antichristo agit, sed præcisè de diabolo, hoste vt veteri, sic & omnibus sæculis communi. Egregium verò Prædicantium artificium, risuque largo dignum. Prætereo Sutliuianas Battologias & tautologias; quia à Magistro suo Subrando creatus est non Theologiæ, sed Battologiæ & Tautologiæ doctor.

Abbatus apportat nouum ad Apocalypsin commentarium; Danielem non tangit, quia dicit se adquiescere illis, *quæ Tremelius & Iunius in suis ad Danielem notationibus ex Rabbinorum scriniis attulerint*; quæ vaidè scilicet præclara sunt; & impio Porphyrio magis conformia, quàm sanctis Patribus, & Ecclesiasticæ traditioni, ipsiue Danielis menti. Notat 1. *persecutiones à domestico fidei illatas nunquam in scriptura certo tempore definiri; sed illas tantum quæ ab Ethnicis & Idololatris Ecclesiæ inferuntur. Hinc cum Antichristus non pro extraneo, sed pro domestico fese sit venditaturus; credibile non fieri, Ioannem in Apocalypsi certos terminos tyrannidis illius designare voluisse.* Dic Caluinista, Eritne Antichristus domesticus fidei? *Habebitne fideles cõmunione Sacramentorum coniunctos?* Vt tu loqueris: An non dicit Pouelus, eum fore *idololatram*? An idololatra nõ est à fidelium consortio & communione penitus extraneus? An non ipso Nerone magis à Christianorum institutis & religione distabit, qui se supra omnem Deum, & supra omne quod colitur, extollet? Deinde. Antichristus Iudæus erit & circumcisus vt docet Bellarminus cap. 12. Quomodo ergo erit persecutor & exagitator domesticus, seu qui ex fideliũ cœtu aduersus cõtribules suos exsistat? ad hæc vanissima est Abbatica obseruatio, & eo solùm consilio ab isto excogitata, vt vim testimoniorum ex Apocalypsi declinare, & aliò transferre queat; prout etiam transfert, nimirum *ad statum Ecclesiæ primitiuæ, & horribiles illorum temporum mactationes & lanienas.* Quasi verò persecutiones à tyrannis olim excitatę non nisi quadraginta duos menses aut mille ducentos sexaginta dies durauerint, quali duratione definitur persecutio, quam Ioannes in Apocalypsi describit. Numeret Abbatus seu dies seu menses à Nerone vsque ad Maximinum, quem Constantinus Magnus deleuit, & mihi renunciet, quantam eorum summam repererit.

Mox de duplici bestia Apocalyps. 13. v. 1. & 12. *bestiali* propemodum acumine disserit; & pro certo sumit per priorem *bestiam* Romanum Imperatorem Ethnicum & infidelem denotari; per posteriorem; Antichristum. Si quæras, quo Auctore hanc suã opinationem corroboret, respõdebit; *seipso*, suam enim Auctoritatem tanti prætij esse vt omnis auctoritatis defectum abundè compenset. Si postules, vt omnia illa, quæ de prima bestia Apocalyps. 13. memorantur, accommodet ad Ethnicos Imperatores Romanos, præcipuè quadraginta illos duos menses: hîc æstuabit Abbatus, vngueſque rodet, & caput scabet, & ex pedicis, quas sibi nexuit, nunquam se expediet: quia, relicta semel veritate, quæ per primam bestiam,

Anti-

Antichriſtum: per ſecundam, inſignem quempiam Antichriſti adiutorem & promotorem, denotari tradit, nihil ſtabile & firmum, in quo pedes figat, habet: qui argutè profectò colligit, perſecutionem illam cap. 13. deſcriptam, pertinere ad Ethnicos Imperatores; vel ad illas, quæ ab Ethnicis Imperatoribus excitatæ ſunt; quia Apocalypſ. 11. ſcriptum eſt: *Sanctam ciuitatem gentes calcabunt menſibus quadraginta duobus.* En Apoſtolus dicit *gentes*; hoc eſt, *gentiles. Ergo hic non ſignificatur Antichriſtus; nec Antichriſti ſectatores, quia iſti nec ſunt gentes, nec gentiles.* Quaſi verò Turcæ, Tartari, Iudæi, ipſi Ethnici, & omnes, quotquot Antichriſto adhæreſcent; dici nõ poſſent *gentes*; & ipſe Antichriſtus, *gentilis*, propter ſummam impietatem, verique Dei, imò & fictitiorum Deorum, quos mortales eo vſque coluerant, contemptum ac neglectum.

Foxi ſomnium tu tibi retine. Nobis nihil negotij cum ſomniatorum deliriis. Videtur Foxus inuidiſſe Zvvinglio ſuum ſomniũ de Euchariſtia, & illuſtrationem per ſomniũ, operâ *phaſmatis* ſeu *ſpectri, quod atrum an album eſſet*, ignorare ſe palam fatebatur. Itaque ne ſolus Zvvinglius ſomniator eſſet, ſomniauit & ipſe; cum de Apocalypticis quadraginta duobus menſibus; deque mille ducentis & ſexaginta diebus, & de *tempore, temporibus, & dimidio temporis* ſollicitè & anxiè cogitaret. *Factum eſt*, Inquit Abbatus, *vt die quodam Dominico expergefactus manè Foxus & de numeris illis cogitabundus, ſubitò ſibi, tanquam intra ſe cum maieſtate quadam reſponſum ſentiret*; QVIN, INEPTE, MENSES ISTOS PER SABBATA NVMERATO, prout Hebdomadæ Danielis per Sabbata computantur. *Teſtem*, inquit Foxus, *Deum appello, verè ita contigiſſe.* Quis non videt totum hoc ex Zvvinglij ſomnio vel efictum, ne, vt dixi, ſolus Zvvinglius ſomniator haberetur, vel ſi accidit, Foxo iam experrecto; inſpirationem hanc non à bono, ſed à malo ſpiritu proceſsiſſe? Quis enim vnquam ſiue dormiens ſiue vigilans audiuit; in ſcriptura, vel etiam extra ſcripturam; vnũ menſem ſignificare *Sabbatum annorum*, hoſt eſt, ſeptem Annos? Item *dies mille ducentos ſexaginta*: Annos ducentos nonaginta quatuor? Seductorem hunc ſpiritum & impoſtorem fuiſſe oportet, qui Foxo hoc perſuaſit. Legimus quidem in ſcriptura: *hebdomadas* ſeu *ſeptimanam Annorum*; at vbi *dies*, vel menſis pro ſeptimana Annorum, hoc eſt, pro ſeptennio accipiatur, nullũ vnquam vel Foxus vel Spiritus ille Foxi, exemplum proferet: quod rectè à Bellarmino cõtra Illyirici inſcitiam notatum eſt, apud quem commentum hoc Foxum legiſſe, veriſimile mihi fit; ſed vt plus auctoritatis figmento conciliaretur, *Deus ex Machina fingendus fuit*, qui vt olim Zvvinglio nictanti; ſic & nunc Foxo ex nictatione iam iam exſuſcitato manum porrigeret.

Fatetur Abbatus, *ſe non inuenire exemplum aut argumentum, quo menſem pro Annorum hebdomade, hoc eſt, pro ſeptem annis interpretetur.* Multo minus inuenies exemplum, aut argumentum, quo probes, *diem* ſignificare *ſeptem annos.* Si ergo nullum ſuppetit pro hoc phantaſmate firmamentum aut fundamentum; quid reſtat, inepte, niſi vt Foxo, cum ſuo diuino inſtinctu, multam ſalutẽ dicas. Inſtinctus ille Diuinus non fuit, ſed *Diabolicus*, verum Illyricianus ſiue Flaccianus. Verte & verſa te in omnes partes, nunquam hanc Foxianam abſurditatem, niſi prorſus ab ea diſcedas; effugies.

Perſecutionem Antichriſti fore breuem, & paucis annis circumſcriptam, probat Bellarminus etiam ex illo Apocalypſ. 12. *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam; ſciens, quod modicum tempus habet.* Et Apocalypſ. 20. *Ligauit eum per mille annos, & poſt hoc oportet ſolui modico tempore.* Quomodo hoc erit verum, ſi Antichriſtus regnabit M. C C. L X. annis? Sutliuius & Abbatus dicunt, *nihil hic agi de Antichriſto*, Antiquum videlicet obtinent. Quando Catholici ex his locis argumentantur contra Hæreticos, tum nil agitur de Antichriſto; ſed quando ſectarij Papam conuiciis inceſſere, & *Antichriſti* dedecore deformare volunt, tunc non tantum duo prædicta loca; ſed fermè omnia, quæ Ioannes cap. 12. & 20. prophetat, Antichriſto, hoc eſt, *Papæ Romano* examuſim quadrant: tunc nec lac lacti ſimilius eſt, quam Papa Antichriſto. Quid cum his hominibus incœptes, quibus in diſſerendo non eſt regula veritas, ſed phantaſia; & quidem ſiniſtris affectibus, potiſsimum odio, miſerabiliter excœcata?

Ait Abbatus, *Dæmonem non eſſe abſolutè ligatum; Eum enim iam quoque in Eccleſiam furere, & omnibus propè ſeculis bacchatum eſſe per Ethnicos, & alios infideles, per Hæreticos, per falſos fratres*; nactuſque campum liberum, latiſsimè in perſecutiones Eccleſiæ illatas digreditur, & ad ipſum quoque Gog & Magog excurrit, de quibus Bellarminus cap. 17. Et poſt hunc tam ſpatioſum excurſum, reuertitur ad *ligatum ſuum Diabolum*; quem ſolumodo vinctum fuiſſe ait eo tempore, *quo naſcebatur, & creſcebat Antichriſtus*; hoc eſt, *vſque ad Conſtantinum magnũ*, hoc enim Imperante, pax Eccleſiæ ab externis hoſtibus eſt reddita, & Eccleſia multis opibus locupletata; quæ duo Abbatus habet pro argumento ſoluti iterum Diaboli, Diabolico prorſus commento; Nam quis ſis tam hebes eſt ac ſtolidus, qui non videat, *Diabolum* potius dici debere ſolutum fuiſſe ſub Nerone, Diocletiano, aliiſque truculentiſsimis tyrannis, quàm ſub Conſtantino, eiuſque ſucceſſoribus, Chriſtianis? Quanquam ſolutio *Diaboli*, de qua in Apocalypſi, minimè eſt illa, qua deſæuiit in Eccleſiam ſub Ethnicorum vel Hæreticorum Imperio; ſed ſub nouiſsimam demum horam continget; tunc enim ita

sæuiet & debacchabitur Satan in fideles, vt respectu antecedentium persecutionum, videri possit quasi fuisse ligatus, & nihil egisse; *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò; neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Quæ hæc abbreuiatio, si tyrannica Antichristi truculentia iam à Constantino Magno per mille quadringentos & amplius annos durauit? Quænam est hæc tanta tribulatio & calamitas, quam patiuntur Caluinistæ & Lutheristæ, cuius similis nec exstitit, neque exstitura est, cum multis in prouinciis ac regnis quietissimè, & in omni rerum abundantia viuant; quorũ, *promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud; Boues eorum crassæ.* &c.

Ridiculum porrò est, quod Abbatus dicit, mille ducentos vel quadringentos annos, *comparatione Dei, esse quasi vnum diem; nec temporum spatia hisce in rebus humano sensu esse metienda.* Verũ quidem est, in oculis Dei, mille annos haberi, instar diei hesternæ, quæ præteriit: Sed in his non habetur ratio Dei; sed hominum, qui ærumnas illas subeunt: nec propter se breuiabit Deus dies illos sæuissimæ persecutionis, de qua Matth. 24. Sed propter electos homines; quos tandiu exagitari & excruciari noluit; quomodo autẽ tantæ persecutioni modum posuisse censeri posset; si eam tot iam annorum cẽturiis desæuire permisisset? Quomodo itẽ diabolus extremæ suæ tyrannidi expromendæ *modicum tempus* habere diceretur, si habuisset mille ducentos, trecentos vel quadringentos annos? Sit hoc temporis spatium breue & modicum respectu interminatæ æternitatis Dei; at modicum non est, si ad Dæmonem, eiusque immanitatẽ referatur. Abbatus nescies vbi nam cõsistat, modò hoc, modò illud blatit. Qui nim suprà dixerat, Dæmonem fuisse solutum, quando à tyrannorum persecutionibus Ecclesia respirauit, variisque opibus insigniter locupletata est; is nunc solutionem istam refert *ad originẽ regni Turcici*; eamque non nisi à trecentis annis repetit. Omnia vanè & inconstanter, pro natura scilicet & conditione falsitatis, cuius duo sunt perspicua indicia, *vanitas & inconstantia.* Nihil horum cum Prophetiis Danielis & Ioannis concordat, nihil concinit vt infra iterum liquebit, cum de Gog & Magog sermo erit.

Ait Bellarminus; Christum tribus duntaxat annis cum medio prædicasse; Par igitur esse, vt Antichristo longius tempus non concedatur. Hoc argumento inuerso putat Abbatus Bellarmini caussam iugulari. Nam *Si Christus intra illud temporis spatium tot miraculis, & tanta persuadendi vi, totque discipulis, tam parum effecit, tamque paucos ad suam disciplinam traduxit; à vero prorsus abhorret, Antichristum triennio & medio anno tantas res perfecturum, & totum orbem sibi subiugaturũ.* Iam supra diximus, longè procliuius esse destruere, quàm exstruere. Christus exstruebat, Antichristus destruet. Quare lentum erat illud negotium; hoc, velox & præproperum. Quæ caussa etiam, cur ordinariè veris prædicatoribus tam tardi & lenti successus respondeant; pseudodoctoribus omnia sint in procliui; nihilque non celeriter transactum reddant. Nimirum, quia illi ædificant: isti ædificia diruunt. Duobus vel tribus annis latius doctrinam suam diffudit Lutherus in Germania; quam S. Bonifacius triplo vel quadruplo pluribus annis; Idemque dico, de Caluino in Anglia, respectu S. Augustini à B. Gregorio eò missi. Quæ caussa tantæ celeritatis in hæresi; & tantæ lentitudinis in vera doctrina? Lutherus & Caluinus demoliebantur, quæ alij struxerant: Hinc nullis remoris nullisque obstaculis retardabantur: at alij ædificabant; hinc illa tarditas. An non vnâ horâ, puluere pyrio seu tormentario disiici & funditus euerti potest palatium, cuius exstructioni biennium vel triennium non sufficiat? Est quidem in se verbum Dei efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, sed hominum durities & corruptio obstat, ne vim suam tam promptè & celeriter exerere possit.

Rullus Basileensis in cap. 12. Danielis conficit ex hac disputatione Bellarmini de tempore & Annis Imperij Antichristi hunc syllogismum. *Antichristus non regnabit nisi tres annos cum medio. At Papa iam spiritaliter longè diutius regnauit, ergo Papa non est Antichristus.* Maior probatur ex cap. 12. Danielis, & cap. 12. Apocalyps. Respondet Rullus, *Maiorem esse falsam. Nam Danielem tantum ostendere, quandiu duratura esset interruptio cultus diuini in templo Hierosolymitano; tempore persecutionis illius, quam Antiochus moturus erat. Antiochum diutius regnasse, quã triennio & semestri: non esse necessarium, vt tempora typi, & significati per typum sibi mutuo respondeant. Regnũ Dauidu & Salomonis fuisse typum Christi; & tamen hoc esse aeternum; illud; temporale.* Quorsum hæc omnia? Quem feriunt? cuius caussam iugulant? Num Bellarminus dixit; *Antichristum tot annos in imperio consumpturum, quot consumpsit Antiochus?* Num dixit, *Antiochum diutius non regnasse, quàm triennium & semestre?* Num dixit; *necesse esse, vt tempora typi & significati per typum ad amussim sibi mutuò respondeant?* An nõ cum sanctis Patribus apertè scribit, non pauca à Daniele cap. 12. cap. 11. cap. 7. & alibi tradi, quæ nullo modo in Antiochum quadrare queãt: Sed necessariò ad litterã de Antichristo exponi debeant, inter quæ & hoc de triennio & semestri. Nam quod hoc temporis interuallũ ad cessationẽ cultus diuini in templo Hierosolymitano sub Antiocho refers, vbi probatio? vbi argumẽtum, quo commentum tuum nonnihil pingas & comas? potior apud nos est sanctorum patrum, & ipsius S. Ioannis in Apocalypsi auctoritas: qui de eadem persecutione, de qua Daniel, loquens; tres annos & dimidium ad vltima mundi tempora, hoc est, ad Antichristi regnum & tyrãnidem refert.

Sed vt Rullus propositum suum facilius obtineret, vulgata versio inuertẽda imò reiicienda

fuit;

fuit; & *dimidium temporis*, apud Danielem cap. 12. v. 7. mutandum in *partem temporis*; ita vt *pars temporis* significet *decem dies: nam desolationem cultus diuini in templo Hierosolymitano duraſſe annos tres, & decem dies.* Sed huic Caluiniſtæ Baſileenſi oppono Baſileenſem olim Profeſſorem, ex Sacramentariorum numero præcipuum, Oecolampadium, qui cap. 12. Danielis vertit: *Quia ad tempus, tempora & dimidium*: & explicat de *media annorum hebdomade*, id eſt, de tribus annis ac dimidio. Ita etiam Caſtalion, quamuis Nouator maximus, præſertim in tranſlatione Bibliorum. Tigurina verſio: *ſeu longo, ſeu breui temporis ſpatio.* Quis neget, vt nouè, ſic & ineptè? Rullus Iunium & Tremelium ſequi voluit; qui Daniel. 7. dimidium temporis reddunt; *particulam temporis.* & cap. 12. *partem temporis*: & per hanc ſeu *particulam*, ſeu *partem* intelligunt *dies decem.* Quæ bonus Rullus ex Notationibus Iunianis & Tremellianis, vt alia pleraque huius fecis, in ſuas chartas tranſcripſit, nulla magiſtrorum ſuorum mentione facta; ne laude inuentionis tam ingenioſæ ipſe apud diſcipulos ſuos priuaretur. Sed valeant iſtæ Caluiniſticæ gerræ & cenologiæ priſcis incognitæ; nuperóque adeo Romani Pontificis odio excogitatæ.

Mentitur poſtea Rullus, Ioannem capite 12. v. 14. *non agere de duratione regni Antichriſti: Sed de Eccleſia Chriſtiana, quæ fuerat Hieroſolymis, conſeruatione, tempore deſtructionis vltimæ Hieroſolymorum.* At Rullus nihil penitus probat: tantum affirmat. Quod vt diſcipulis eius ſufficiat, nobis certè non ſuffi- C cit, qui in diſciplinam eius nec iurauimus, neque vnquam iuraturi ſumus: quibus etiam perſuadeat, ſi poteſt; dies mille ducentos ſexaginta apud S. Ioannem *eſſe annos M. CC. LX.* nam nobis quidé, dum hoc perſuadere conatur, oleum & impenſam perdit: quia omnia iſta Rulli ſomnia ſacris literis apertè repugnant: vt iam ſupra vidimus. Hactenus de quinta Bellarminiana demonſtratione.

CAPVT IX.

Explicatur ſexta demonſtratio.

ANTICHRISTI aduentus erit paulò ante finem mundi. ergo ſi Antichriſtus iam dudum veniſſet, vt aduerſarij dicũt, deberet mundus iam dudum eſſe finitus: at hoc non factum, teſtatur euidens experientia. Sutliuius iterum calumniatur, *iſtud non eſſe ſignum venturi Antichriſti.* Quaſi verò Bellarminus dixiſſet; eſſe ſignum venturi Antichriſti, & non potius antegreſſi ſeu præteriti, ſeu eius, qui iam fuit. Calumniatur iterum, Bellarminum perinde facere; *ac ſi brumam diceret eſſe ſignum æſtatis, aut autumni, quæ non niſi diu pòſt ſequuntur:* nam bruma nec eſt ſignum æſtatis præteritæ, neque etiam futuræ: ſicut dies non eſt ſignum noctis, neque nox ſignum diei. At conſummatio ſæculi paulò poſt aduentum Antichriſti ſecutura, ſignum eſt nõ aduenturi, ſed iam exiguo tempore antea præteriti Antichriſti; Nam Antichriſtus ſub finem mundi veniet, vt hactenus probatum, eiusq; interitum poſt paucos dies excipiet conſummatio ſæculi, vt ſcripturæ hîc à Bellarmino citatæ oſtendunt: perſpicuè igitur hinc colligimus, Antichriſtum non veniſſe ante aliquot annorum centurias; vt contendunt Sectarij.

Sibrandus obſtrepit, *iam a tempore Apoſtolorum veniſſe Antichriſtum.* Quod delirium non ſemel eſt exploſum. Abbatus vetera ſua mendacia recinit. Citat Bellarminus Danielem; apertè vaticinantem cap. 7. ſtatim poſt *paruuli illius cornu*, hoc eſt, Antichriſti, interitionem, indicium extremum iri. Abbatus hîc *nihil iudicij reperire poteſt*; forſan quia ſine iudicio quærit. Nam ſi iudicium adhibuiſſet, iudicium vtique reperiſſet; è veſtigio enim ſubiicit Daniel poſt ſermonem de cornu illo paruulo: *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, &c.* Et verſ. 21. *Aſpiciebam, & ecce cornu illud* (paruulum) *faciebat bellum aduerſus ſanctos, & præualebat eis: donec veniit antiquus dierum, & iudicium dedit ſanctis excelſis, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt ſancti.* Iterum v. 26. poſtquam de Rege illo per cornu paruulum ſignificato egerat; ſubdit Daniel: *Et iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat vſque in finem, &c.* Vbi omnes ſyllabę clamant, ſtatim poſt impium illum Regem, qui ex decem Regibus tres exterminabit, & ſeptem alios ſibi ſubiiciet; ſecuturum nouiſsimum iudicium. Quod etiam ex capite 11. & 12. manifeſtè colligitur. Sed Abbatus cum gregalibus ſuis omnia duro vultu inficiatur, neq; hoc tantum, ſed & Bellarminum criminatur, quaſi Danielem mutilauerit. Qua de cauſſa? Quia Bellarminus integra capita ex Daniele non exſcripſit: contentus indicaſſe nonnulla ad propoſitum ſpectantia, nihilq; ambigens, lectorem cætera ex ipſo Daniele petiturum. Nominatim accuſat; Abbatus, quòd non protulerit illam ſententiam: *Et iudicium ſedebit, vt auferatur potentia & conteratur, & diſpereat vſq; in finem.* Quid hoc tandem ſibi vult, *vſq; in finem?* quærit Abbatus. *Nam ſi iudicij conſeſſus efficiet, vt regni, de quo loquitur, potentia diſpereat vſque in finem, certè conſeſſus iudicij, de fine ipſo, prout tu vis, intelligi non poteſt.* Quanta huius Caluiniſtæ ruditas? Illud, *vſque in finem*: nil aliud ſignificat, quam *in perpetuum*; quod vel ex Lirani commentario diſcere poterat, ſi S. Hieronymum inſpicere non lubebat.

Deinde ſic fatuari videtur Abbatus: *Per iudicium auferetur regnum & poteſtas à Rege illo per cornu paruulum ſignificato; ergo tempore iudicij adhuc viuet; ergo falſum eſt Antichriſtum prius occidendum, quàm iudicium illud inſtituatur.* Inſipiens eſt hæc cogitatio. Nam Antichriſtus, vt & alij omnes; viuet vtique, quando extremum iudicium ſubibit; ſed non ſequitur, tum demum reipſa ab Antichriſto potentiam & tyrannidem auferendam, quia iam per mortem ablata fuerat; ſed auferendam &

conterendam esse, *vsque in perpetuum* per sententiam iudiciariam, publicam & vniuersalem.

Non dissimili stultitia colligit Abbatus ex illis: *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta esset bestia, & periisset corpus eius; & traditum esset ad comburendum igni: aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent, eis vsque ad tempus & tempus.* Sequi ex nostra sententia, *in extremo iudicio, quatuor aliis bestiis*, hoc est, regnis, *metas & terminos durationis præstitutum iri*, hoc cum absurditate plenum sit; infert, *æquè absurdum esse, dicta Danielis loca de extremo iudicio interpretari. Tu*, inquit, *qui cornu illud Antichristum esse dicis, explica, quæso, nobis, qui futurum sit, vt post vltimum iudicium, quod tibi intellectum vis; aliis illis bestiis, quibus potestas ablata est, tempora vitæ constituta sint vsq; ad tempus & tempus?* Quid opus hic Bellarmino? Nodus iste tanto vindice non eget. Nil aliud vult Daniel, quàm se ex confessu iudicij illius intellexisse; regnis etiam potentissimis, certas periodos à Deo præfixas; quibus circumactis terminentur ac desinant, nullumque eorum æternum esse: non autem indicat, in illo demùm iudicio quatuor regnis, per quatuor bestias designatis, metas vitæ & durationis à Deo constitutas fuisse, vt iste delirat.

Pari stupore versatur Abbatus in illo Apocalypseos loco cap. 20. *Post hæc oportet illum solui modico tempore, & vidi sedes: & sederunt super illas, & iudicium datum est eis.* Adfert alium huc spectantem locum Bellarminus ex cap. 12. Danielis: *Beatus, qui exspectat, &c.* Quid Abbatus? Nil præter pseudologias & lœdorias. Negat, *locum Ioannis pertinere ad Antichristum.* An sufficit intrepidè quiduis negare? Nugatur denuo de mille ducentis & nonaginta diebus apud Danielem: quas nugas iam cap. superiore dispulimus. Hic Battologismos suos conuiciis infercit, ex quo genere; *Bellarmini demonstrationibus, non nisi futilem leuitatem, & cerebri vehementer lasi vertiginem contineri.* Ipsum Bellarminum nominat hominem *sacrilegum, excordem, insanum.* An non animaduertis, lector, quàm validis hastis Caluinianus iste Illustrissimum, totoque orbe Christiano celeberrimum Cardinalem oppugnet. Quid est scurrari; si hoc est refutare? Quid factu promptius & facilius, quàm vt vanissimus Nanus giganti maledicat; cum quo si cominus manus consereret, non ictu, sed vel minimo digito prosterneretur.

Ait Bellarminus ab interitu Antichristi, vsque ad nouissimum diem ac iudicium quadraginta quinque duntaxat dies interpositum iri. Vociferatur Rullus in cap. 12. Danielis; Bellarminum repugnare Christo; Matth. 24. *De die autem illo & hora nemo scit, &c.* Respondeo, Christum & hic & alibi loqui de tempore, quod Antichristum vel antecesserit vel adhuc antecedet: quia enim nemo scit, quot anni vsque ad Antichristi aduentum supersint; nemo itidem scit; quando extremus dies sit venturus. At Antichristo iam regnante & sæuiente; constabit de illo die, quia ex scripturis constat; quamdiu Antichristus sit regnaturus; & quantum temporis ab eius exitio vsque ad iudicium intercedat. Collabatur ergo oportet, tota conuiciorum moles, quam ignorantiæ suæ hîc Rullus superstruxit.

Oggannit Rullus. 2. Thessal. 2. dicitur: *Antichristum ab illustri Domini aduentu abolitum iri. non ergo 45. diebus ante aduentum Christi periturum.* Futilis obiectio: nam aduentui Redemptoris iam iam appetenti rectè adscribitur exterminatio & eliminatio Antichristi. An Christi primo in terras aduentui non adscribebatur nostra redemptio, & tyrannidis illius, qua Dæmon humanum genus opprimebat; dissolutio & confractio? Quæ tamen reipsa, non nisi post triginta tres & amplius annos subsecuta est.

Dictum illud Danielis, cap. 12. *Beatus, qui exspectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque:* admodum subtiliter explanat Rullus: Inquit enim: *Illo versu agitur de longe feliciore statu Ecclesiæ Iudaicæ, quàm ante XLV. dies exstiterit, quia tum mortuus fuit Antiochus Epiphanes, &c.* Hæc Rulli sunt somnia, sanctis Patribus, nominatim S. Hieronymo, & Theodoreto in hunc locum aduersantia. At nil moratur Rullus: *Nec nos mouet*, inquit, *expositio Hieronymi & Theodoreti, quia illa doctrina Christi & Apostoli Pauli aduersatur:* nimirum, si tu non mentiris. Si mentiaris, vt equidem firmiter credo, non aduersabitur.

Notaui iam aliquoties ingratam Rulli mentem erga Iunium & Tremelium, quorum notationes etiam hîc expilauit; nec tamen profitetur, per quos in deliramentis suis profecerit. Etiam Oecolampadius huius in cathedra Basileensi Antecessor, longè alia via, quàm Rullus, incedit, in commentario suo ad hunc Danielis locum.

Ne quis autem arbitretur, hos dies mille trecentos trigintaquinque repugnare diebus mille ducentis nonaginta; de quibus immediatè antea; adscribere placet verba Hugonis, Glossatoris non postremi. *Si diebus mille ducentis nonaginta, addantur quadraginta quinque, fient mille trecenti triginta quinque. Itaque post mortem Antichristi dabuntur lapsis quadraginta quinq; dies ad pœnitentiam.* Loquitur ergo Daniel priore loco de diebus, quibus Antichristus regnaturus est. Posteriore loco addit quadraginta illos quinq; dies, qui inter Antichristi interitum & extremum iudicium interponentur.

Obuiis vlnis amplectitur Rullus, quod Bellarminus ait, *Papam iam regnasse supra quingentos annos:* Inde enim euidentissimum argumentum sumi dicit, *Papam esse Antichristum.* Hoc autem sole meridiano clarius argumentum aliud non erit, nisi istud: *Papa regnat iam vtroq; gladio vltra quingentos annos, ergo Papa est Antichristus.* Probatur consequentia, si tamen res adeo lucida alicuius probationis eget *Omnis, qui vtroq; gladio regnat est Anti-*

christus:

Christum: Papa vtroq; gladio regnat; ergo Papa est Antichristus. Quid conclusum vnquam firmius? Quid insolubilius? Accipe validiora. *Christus venit mitis & humilis corde, nec gladio accinctus fuit: ergo Papa est Antichristus; qui gladium spiritualem & temporalem vsurpat:* Et ne de hoc dubites, copiosissimis & densissimis in Romanum Pontificem lœdoriis & pseudologiis id Rullus confirmat, & quasi adamantinis columnis suffulcit: cuius totus commentarius in cap. Dan. 11. & 12. nil propè aliud est, quàm Inuectiua & Satyra vt aculeatissima, sic & mendacissima in Pontificem.

Oggerit etiam has suas quisquilias de quadraginta quinq; diebus Rullus in cap. 7. Daniel. vt & illas de tribus annis cum medio seu dimidio imperij Antichristi. Vbi Bellarmino litem intendit, quòd *medium annum* pro *dimidio* dixerit. Alius forsan diem Rullo dicet, quod *dimidium* pro *dimidiato* posuerit. Permitte aliquid Rulle consuetudini; & alios ne excita; alioqui non modo barbarismos, sed & solœcismos tuos in *robustum faciem tuam* tibi ingerent: neque enim tam concinnus es, vt huius generis flores ex tuo prato decerpi nequeant.

CAPVT X.

De nomine Antichristi.

VOCIFERATVR Danæus: *Pœnè piget pudetq; hæc legere, quæ hic & totis nouem sequentibus capitibus tractat Bellarminus: sunt enim prorsus curiosa, inepta, mataeologiæ plena, denique falsa.* Magnũ operæ pretium feciſſes, si legere supersedisses. Careremus enim non paucis mẽdaciis, cõuiciis, insulsitatibus & absurditatibus, quas vbere prouẽtu fundis; in quibus & ista: *Numerum hominis 666. de quo Apoc. 13.* non esse *numerum nominis*, sed, *numerum hominis; nam prius poni numerum nominis, & postea numerum hominis 666. esse ergo diuersos numeros.* Si sunt diuersi, cur tui symmystæ adeo laborant in nominibus excogitandis & inueniendis; qui numerum 666. efficiant? An non id eam solummodo ob causſam faciunt, vt ostendant Antichristum tale habiturum nomen, ex quo prædictus numerus resultet? Cur ex Irenæo vrgent illud ΛΑΤΕΙΝΟΣ? Cur excogitarunt illud *Romith*, hoc est, *Romanus*, ex quo Hebraicè scripto idem numerus enascitur? An non id eo fine faciunt, vt ostendant; *hominem peccati & filium perditionis*, Antichristum; tali nomine insignitum iri, ex cuius litteris numerus 666. procedat? Hoc ipso autem numerus nominis, est etiam numerus hominis; quia nomen est hominis, ergo & numerus per nomen est numerus hominis.

Numerus nominis, inquit Danæus, *est catalogus & descriptio eorum, qui bestiam adorant.* Vano igitur labore se fatigant Sectarij, præsertim Abbatus, qui ex numero quorundam nominum, ingenti hiatu, ostẽsuros se promittunt, Romanum Pontificem esse Antichristum; cum numerus nominis non sit numerus ex nomine aliquo exortus; sed *catalogus eorum, qui Antichristum adorant.* Quæso, an tantum 666. Antichristo genua flectent; & diuinos honores tribuent? Respondebit Danæus *poni hîc numerum certum pro incerto.* Vt hoc daremus; quomodo expediet illud, quod Ioannes dicit: neminem emendi aut vendendi potestatem habiturum, *nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius:* hoc est, interprete Danæo, Catalogum eorum, qui Antichristum adorant? Necesse igitur erit, vt Catalogum talem secum circumferant. Quantus autem hic Catalogus futurus est, si in eo omnium eorum nomina referenda erunt, qui ad Antichristi partes transibunt, quis talem catalogum conficiet? Humana profectò industria confici nequibit. Quis enim hominũ omnia nomina eorum, qui Antichristum sectabuntur, sciat? Non magis, quàm quis norit nomina omnium eorum, qui Christi disciplinam vel Mahometi sectam complectuntur. Tandem ex quo Calepino eruet Danæus hanc nomenclationem? *Numerus nominis bestiæ*, id est, *Catalogus eorum, qui bestiam adorabunt.*

Aequè subtile est quod addit Danæus: *Numerus hominis* dicitur *numerus numerabilis, cuius notus, vulgaris, non obscurus; qualis est iste:* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *qui etiam rusticis notus est. Et hoc numero anni Antichristi & bestiæ numerari debebunt.* Si numerus hominis, de quo S. Ioannes, est tam expeditus & facilis, cur Ioannes dixit: *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ.* His profectò verbis indicauit, non cuiuis promptum & procliue fore, hunc numerum inire; nam ad hoc nõ quosuis aduocat; sed intelligentes ac solertes: quod & antecedentia verba innuunt. *Hic sapientia est*; significat enim computum huius numeri esse difficilem & abstrusum, nec in lucem eruendum, nisi ab eo, qui doctrina & sapientia polleat.

Danæus tamen omnia elucidare doctus tam facilem hunc numerũ facit, quàm faciles & noti sunt vulgares isti numeri 1. 2. 3. 4. &c. qui iterum clamat; *decipi Bellarminum, existimantem ea, quæ dicit Ioannes; de certo quodam vocabulo, quod numerum 666. exhibeat, intelligendum esse.* Decipiuntur ergo plerique, si non omnes, Caluinistæ & Lutheristæ; qui locum Ioannis non nisi de certi cuiusdam vocabuli numero interpretantur. Cuius est ergo numerus iste 666. si non est numerus certi nominis? *Locus Ioannis*, inquit Danæus, *intelligitur de tempore, quo verus & insignis ille Antichristus manifestabitur, & patefiet apertè mundo. Erit autem annus 666. ab eo, quo hæc scribebat Ioannes, qui annus statuitur annus Domini XCV. qui anni si cum 666. coniungantur efficiunt annos DCC. LXI quo tempore Pipinus Rex Francorum Romanum Pontificem in summam dignitatem extulit.* Respondeo, Danæus sumit pro compertis, quæ probatione egent: nam plerique dicunt, Apocalypsin scriptam anno XIV. Imperij Domitiani, qui est annus Christi XCVII. non XCV. Et Pipinus in Ecclesiam Romanam non modò largus ac munificus fuit anno Domini DCC.

LXI. sed & antegressis annis munificentiæ suæ fontes eidem Ecclesiæ liberalissimè reclusit, vt Tomus Nonus Baronij sigillatim per singulos annos docet. Quod si hæc Danæana explicatio tam certa est, cur in ea cæteri Nouatores non acquiescunt? Cur interrogati de tempore aduentus Antichristi, alius respondet sub *primo*, & alius; sub *sexto*?

Accedit, quod hoc figmentum non concordat cum S. Ioannis textu: Nam *numerum bestiæ*, & *numerum nominis eius*; & *numerum hominis* pro eodem accipit; vt antea dictum. cum enim nominasset *numerum nominis eius*; statim subiecit. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ*; hoc est, nominis bestiæ; seu eius numeri rationem ineat, quem nomen bestiæ reddit: nam ipsa bestia per se numerum non efficit, cum sit vna numero; sed oportet, vt numerum ratione sui nominis efficiat; de quo nominis numero mox subditur: *Numerus enim hominis est*; quia nomen illud, vt sic appellem, *numerale*, est nomen hominis. Et numerus eius seu nominis seu bestiæ sexcenti sexaginta sex. Vbi certè nihil de numero annorum aduentus bestiæ, sed de solo nominis & per nomen hominis numero.

Sutliuius mentitur, hanc de nomine Antichristi disputationem *esse quartum argumentum Bellarmini, quod Pontifex non sit Antichristus*: Mentitur, inquam, quia hæc de nomine particularis disputatio est vnũ quoddam membrum ex illis nouem, in quę Bellarminus primo statim capite totam hanc controuersiam distribuit: tametsi postea sub finem capitis huius ex nomine itidem Antichristi vanitatem Sectariorum redarguit, contendentium, *Pontificem Romanum esse Antichristum*: nam Antichristi nomen erit notissimum post aduentum eius: signum ergo est Antichristum nondum venisse, (& per consequens, *Papam non esse Antichristum*) quandoquidem de nomine eius nec constat, nec conuenit inter auctores.

Oggannit Sutliuius; si Antichristi nomen notissimum esset; *qui factum est, vt nemo hactenus aliquod eius nomen vel dixerit, vel intellexerit?* Non dixit Bellarminus iam esse notissimum; sed fore notissimũ, postquam Antichristus venerit. *At & tunc obscurum erit*, inquit Sutliuius, *quia ille multos astutiũ suis decipiet; quod fieri non posset, si ex ipso nomine liqueret, ipsum esse Antichristum.* Non est necesse, vt hoc ex nomine ipso liqueat. Deinde, vt liqueret, ex solo nomine, ipsum institutis & disciplinæ Christi ex diametro aduersari; an ideo paucos ad suas partes pertraheret? Etiam Mahumetus apertè præ se tulit detestationem Christianæ religionis, & studium summũ eius penitus exstinguendæ. An idcirco paucos sectatores reperit? Etiam nomen Christi, quod est *Iesus*, ignotum erat ante Redemptoris aduentum. Nunc nil eo notius. Vociferatur Sutliuius, *absurdè Antichristum comparari Christo*. Quis comparat? Num dicere quid in Christi nomine contigerit; & in Antichristi nomine euẽturum sit, est comparare cum Antichristo Christum?

Oggrunnit secundo; *Christum venisse saluando generi humano; Antichristum, perdendo. Et propterea nomen eius debuisse esse notum; huius ignotum.* Quasi verò post aduentum, etiam nebulonis & seductoris nomen, absque detrimento finis, quem præfixum habet, nequeat esse cognitissimum. Quid notius nomine Mahumeti? An hæc notitia obstitit sectæ eius, quo minus latissimè propagaretur? Quid notius nominibus Arij, Nestorij, Eutychis, Lutheri, Caluini & reliquarum pestium; & tamen innumeros sectatores reperierunt?

Negat Sutliuius, nomen Christi ante aduentum *fuisse ignotum, omnes enim sciuisse eum* Messiam *vocandum*. Nescio num omnes. Sed sit sanè, Bellarminus non loquitur de nomine *Messiæ*, quod *vnctum* significat, sed de nomine Iesu, quod propriè Saluatorem denotat. Hoc passim ante aduentum Christi fuisse notum, Sutliuianum plasma est; quin ab Angelo demùm de cœlo allatum fuit.

Sibrandus calumniatur, Bellarminum ita argumentari: *Cuius nomen ignotum est, id non est. Sed bestiæ huius nomen ignotum est, ergo bestia hæc nondum est.* Respondet Caluinista: *Maiorem esse falsam, multos enim reipsa existere, vt Angelos, quorum tamen nomina ignota sint.* Antiquum obtinet Sibrandus. Nil aliud dicit Bellarminus, quàm Antichristi nomen fore notissimum, post aduentum eius; signum igitur esse, eum necdum venisse, quandoquidem de nomine eius non conuenit. Nam quod Sibrandus dicit, *characterem & nomen bestiæ sumi pro eodem*; imperitiæ deputa; quia S. Ioannes cap. 13. diserte distinguit characterem à nomine bestiæ, & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet *characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.*

Instat Sibrandus: *Nemo potest emere aut vendere, alioquin ciuiles contractus inire, nisi agnoscat Papam Romanum; ergo Papa est ista bestia.* Ergo hodiernus Papa vocatur Paulus V. & Antecessor eius proximus Leo XI. & huius Antecessor, Clemens VIII. Quis istius Caluinistæ stupor? Quæ mendaciloquentia? An nulli supersunt emptores & venditores, nisi qui Papam Romanum colunt? An non in ipsa Italia Turcæ, Iudæi, Hæretici, Schismatici Græci, liberè emunt & vendunt?

Abbatus de nomine Antichristi nihil dubitat. Id ei certò est ἀνάγραμ; hoc est, *florens & floridus*: & hoc *bellissimè in Papam omni rerum copia florentem & abundantem quadrare affirmat*; præsertim, cum etiam numerum illum 666. examussim reddat. Si hoc est Antichristi, seu Papæ Romani nomen, mirum, Irenæum id nescisse, qui viderat & audierat eos, qui Ioannem Apostolum viderant & audierant; vt testatur ipse Irenæus libro 5. capite 30.

Deinde

Deinde, si hoc est Antichristi nomen, non igitur nomen eius erit λατῖνος, aut τειτὰν, aut aliud numerum 666. efficiens; quia Ioannes de vno solo nomine loquitur. Adhæc, an solus Papa est *Euanthas* seu εὐάνθης, florens opibus omniumque rerum copia? Certè nonnulli ex Nouatoribus huius ætatis longè sunt εὐανθέστεροι, si rerum caducarum affluentiam & prosperitatem spectes: propter quam vsq; adeo cristas erigunt; & cornua omnibus obuertunt, immemores fortunæ blandientis affabilem vultum, in contrarium leui momento mutari posse. Denique ex nomine agnosci solet homo; quis autem Papam Romanum agnoscat, si *Euanthas* audiat, etiam addita Romani appellatione?

Porrò eâdem Caluiniana plerophoria, nouit Abbatus, nomen Antichristi fore τειτὰν, & λατῖνος. Probat de primo, quia *Titan* est *sol*. Vocatur autem Papa in capit. *solita* extra de Maior. & obed. *luminare maius*: quod est sol. *ergo Papa est Antichristus*. An non concluſum argute? Si integrum syllogismum desideras, ecce illum ex Abbatico cæmento: *Omnis, qui vocatur Titan*, hoc est, *sol, ille est Antichristus. Papa vocatur Titan, hoc est, sol. ergo Papa est Antichristus*. Tu subsume; Apollo, *Deus Ethnicus*, vocatur *Titan*, hoc est, sol. ergo Apollo, Deus Ethnicus, est *Antichristus*.

Vlterius: *Rex sortitur nomen à regno; vt Anglus, Gallus, Hispanus à suis quique regnis: ergo etiam is, qui in Latio regnat; debet vocari Latinus; Cum ergo Papa regnet in Latio; appellandus erit Latinus. At Latinus est nomen Antichristi. sequitur ergo. Papam esse Antichristum.* Quid euidentius? Ne in Euclide quidem vllam certiorem & πληροφοριωτέραν demonstrationem repereris. Quam illustrabo hac itidem alia. *Quisquis in Latio regnat, is vocatur Rex Latinus. At Imperatores Romani, iisq; plurimi; & Reges itidem Gothi, Franci & Germani regnarunt in Latio; ergo quilibet eorum vocandus est à Latio, Rex Latinus.* Iam sic: *Qui vocatur Latinus, ille est Antichristus. Quilibet Imperator Romanus, Romæ & in Latio Imperitans, à regno suo vocatus est Latinus; ergo quilibet Imperator Romanus Romæ & in Latio imperitans, est Antichristus.* Si nimis subtilis videor, gratiæ agantur Abbato, qui me sua subtilitate hanc subtilitatẽ docuit. Vix quidquam insulsius est Abbato; & tamen adeo thrasonicè se iactat, quasi luce lucidius demonstrasset, Antichristo nomen Latini inditum iri, & per consequens, alium, præter Papam Romanum, non exspectandum Antichristũ: Etsi ipse seipsum euertit; nam si Antichristi nomen erit *Euanthas*, vel *Titan*, vt antea pro certo affirmarat, non ergo *Latinus* nuncupabitur: aut si hoc nomen feret; ergo nõ dicetur *Euanthas* aut *Titan*: nisi contra Ioannis monitũ, polyonymum faciat; & quidem ita, vt quodlibet nomen exhibeat numerum 666. nec veretur iste thraso illud Irenæi lib. 5. cap. 30. *Quotquot secundum inanem gloriam statuunt nomina, continentia falsum numerum, & quod à se fuerit adinuentum nomen, definierunt esse illius, qui venturus est, non sine damno tales exient: quippe qui & semetipsos, & credentes sibi seduxerunt. Et primum quidem damnum est, excidere à veritate; & quod non sit, arbitrari: post deinde apponenti, vel auferenti de scriptura pœnam non modicam fore, in quam incidere necesse est eum, qui sit talis: subsequetur autem & aliud non quodlibet periculum eos, qui falsò præsumunt scire nomen eius: si enim aliud quidem hi putant, aliud autem ille habens aduenit, facilè seducentur ab eo, quasi necdum adsit ille, quem caueri conuenit. Oportet itaque tales discere, & ad verum recurrere nominis numerum, vt non in Pseudoprophetarum loco deputentur.* Hæc præclarè beatus Martyr Irenæus; qui suspicabatur, non certò pronunciabat, Antichristi nomen fore λατῖνος, quod Latini ætate Irenæi, latissimè regnarent. Hanc coniecturam dicit Bellarminus, hoc tempore non valere amplius, quòd non Latini, sed Turcæ, Hispani & Galli latissimè regnent.

Reclamat Abbatus: *Irenæum, & quos secutus est Auctores, non sine caussa existimasse nomen Antichristi fore* Latinus. Vtique non sine caussa id sibi persuasere: caussas enim habuerunt duas præcipuè; alteram, quia in hoc nomine elucet numerus 666. alteram, non quia Antichristus Latinis, vel in Latio, sede fixa, dominaturus erat; vt vult Caluinista; sed quia imperium maximum & potentissimum, Romano, quoad potentiam haud dissimile, instituturus erat: Neque enim necesse est, vt qui *Latinus* dicitur Latinis & in Latio imperet; sicut hac itidem tempestate Imperator verè dicitur *Romanus* Imperator, licet nec Romæ, nec Romanis imperet.

Ait Bellarminus, nomen *Latinus* non scribi per ει, sed per simplex iota, & tunc non reddere numerum illum 666. Hîc elatis vocibus *dicam* grammaticam Bellarmino scribunt Sibrandus, Abbatus, Sutliuius: nam ι longum olim prolatum fuisse vt diphthongum ει: & hanc eius loco crebrò exaratam non modò in fine vocabulorum: *Captiuei, furei, mendacei*, pro; *captiui, furi, mendaci*. sed & initio & in medio; vt *Regeina, Preimus, Leibertas*, pro; *Regina, primus, libertas*; citantque veteres lapides, nummos, Lipsium de pronunciatione linguæ Latinæ. Quid his anfractibus opus? Nec Bellarminus, nec Irenæus locuti sunt de Latina scriptura huius vocis *Latinus*: (siue enim scribas *Latinus*, siue *Lateinus*, nunquam ex his Latinis characteribus numerum 666. exsculpes) sed de Græca, λατῖνος. Vt ergo I longum quondam apud priscos notatum & pronunciatum fuerit per ει, at hoc isti nunquam dicere poterunt de *iota* longo Græco, nullum enim talis consuetudinis in Græcorum monumentis vestigium exstat. Neque Irenæus, & quos Irenæus sequitur, in nomine λατῖνος vel τειτὰν, illud ει interposuerunt ex communi Græcorum more, sed vt numerum 666. complerent; qui absente littera ε claudicat, quinario destitutus.

Sed en insolubile & ineluctabile Abbati argumentum: *Ecclesia, cui Romanus Pontifex præest,*

appellatur Latina; in sacris vtitur lingua Latina, Pontifex Romanus diplomata sua non nisi Latinè scribit & promulgat, Scripturas non nisi Latinè legi sinit; ergo ipse est ille Latinus de quo Irenæus; & per consequens, Antichristus. Quàm argutus es Abbate, ab heri & nudius tertius, etsi hæc subtilitas est à Subrando, cuius tu hic scrinia expilasti. Mirum, te neruum argumenti omisisse; qui est, in tota Ecclesia Latina Latinas literas doceri & disci. An non hoc perspicuum est argumentum, Romanum Papam esse Irenæi Λατεῖνον? Et quamuis Irenæus expresè dicat, certò non constare de Antichristi nomine; & sanctum Ioannem, id non sine ratione voluisse esse occultum & ignotum; Abbato tamen liquidissimum est: vt & illud; Regnaturum & quidem longissimo tempore, in Latio Antichristum; & ideo dicendum Latinum; cum Irenæus disertè dicat; imperium eius tribus annis & sex mensibus terminatum iri, sedemque eius non Romam aut Latium, sed Hierosolymam fore.

CAPVT XI.

De charactere Antichristi.

SVTLIVIVS & Danæus ad hoc caput maledictis & conuiciis tantum non obruunt Bellarminum. Nil impudentius hoc Caluinistarum pari, qui eum virum, cuius eruditionem ipsi Sectarij admirari coguntur, tam contumeliosè insectantur, ac si stipes, non homo esset, neque primaTheologiæ rudimenta degustasset. Neque puto vllum ex Caluinistis ingenij moderatioris, futurum, qui stomachum ad tantas criminationes plaustratim in tantum virum iactas, tenere queat: quas cur exscriberem; cum potius apud inferos sepultas, quàm in charta prostare oporteat?

Hæretici de charactere Antichristi inter se non conueniunt, quamuis in hoc conspirare videntur, charactérem istum propriè non fore externam quandam notam, his, qui Antichristi doctrinam sectantur, constanter & stabiliter impressam. Ait Bellarminus; hunc characterem fore vnum, non plures; nam Ioannes semper numero singulari characterem nominat. Occinit Sutliuius: Ioannes non tantum characterem ponit, sed nomen bestiæ & numerum nominis eius: vnde videre licet, plura hoc nomine significari. Quæ nam ista plura? Tantùm certè abest, vt Ioannes nomen bestiæ, vel numerum nominis eius per characterem significari scribat, vt nomen bestiæ, & numerum nominis, quemadmodum à se mutuò, sic & à charactere apertè discriminet hisce verbis: Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ (est ergo nomen bestiæ aliquid à charactere diuersum) aut numerum nominis eius: est ergo numerus quoque nominis distinctum quid à charactere.

Ait Sutliuius: Se non negare, characterem esse vnum, nempe vnum communem viuendi modum Papistarum. Vt tu ita sentires; alij tamē Caluini & Lutheri de grege lurcones & ludiones aliter sentiunt; & alios atque adeo plures characteres statuunt, quos cū inter se conciliaueris, & omnes ad tuam sententiam adduxeris, tum fatebimur, vos non plures contra scripturam, sed vnum solummodo characterem ponere.

Porro si communis viuendi ratio Papistarum est character, quo Antichristus suos insignit; & tempore Antichristi, nemini vel emendi vel vendendi copia erit, nisi hoc charactere insignitus fuerit, tum sequitur vel Antichristū necdum venisse; vel S. Ioannem, (quod absit) mentitum esse, quando hoc asseruit? nam Lutheranis & Caluinianis, licet isto charactere, hoc est, communi Papistarum viuendi & agendi ritu, non notatis, libera est in ciuitatibus & prouinciis Papistarum emendi & vendendi facultas; & tamen hæc facultas minimè eis concederetur, si communis viuendi Papistarum ratio character esset iam præsentis & regnantis Antichristi; quia expresse dicit sanctus Ioannes, omnes ab emendo & vendendo repulsum iri, qui charactere illo careant.

Sutliuius & Abbatus confugiunt hîc ad emptionem & venditionem mercium Pontificiarum: ad beneficia, inquam, indulgentias, bullas, peccata, Sacramenta, & animas hominum; quæ omnia mentiuntur apud Pontificios vendi, & emi, neque cuiquam nisi Papistæ ad horum emptionem vel venditionem aditum patere. Calumniantur, veteri more; vt notum est; neque enim hæc talia sunt emptionis vel venditionis materia. Et S. Ioannes ad litteram loquitur de emptione & venditione forensi ac ciuili: & mirari quis posset, sectarios ad allegoricos & mysticos sensus hic perpetim delabi; cum alioqui vix quidquam de spiritali sensu audire velint. Sed nil verentur contra morem suum facere, dummodo Pontifici Romano maledicere & malefacere liceat: quorum commentum inde etiam refellitur; quia character, quem venditores & emptores exhibere debebunt; in manu dextera, aut fronte ferri, & omnibus ostendi poterit; at communis Papistarum viuendi ratio, & id genus alia, non sunt ex eorum numero, quæ in manu aut fronte gestari & ostentari queant, vt per se liquet.

Verum enim verò hîc quoque Sutliuius & Abbatus mutant frontem & manum corporalem in spiritalem & allegoricam; non alia mente, quam vt copiosiorem Romano Pontifici maledicta ingerendi materiem habeant. Si litteralis sensus tam aptè proposito eorum seruiret, & Pontificij ad allegoriam raperent characterem; quibus conuiciorum spiculis nos non derepente incesserent? Nunc vt barbarus Abbatus loquitur; literizat Bellarminus, quando id, quod Ioannes de charactere, fronte & manu dextera scribit; litteraliter accipit: qui acumine prorsus Caluinisti-

co per

co per emptores & venditores apud Ioannem intelligit *Episcopos, sacerdotes & Monachos*; ita vt sensus Ioannis sit; nemini *licet vendere aut emere*, hoc est, nemini licet Episcopum, sacerdotem, vel Monachum esse: An nô est hæc egregia obscurissimæ Apocalypseos illustratio & declaratio? Quod si character Antichristi Episcopum, sacerdotem aut Monachum facit, sequitur; omnes, qui Antichristo adhærescunt, Episcopos, Sacerdotes, aut Monachos esse, quia *faciet omnes pusillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos & seruos habere characterem in dextera manu sua*. &c.

Cæremonias & ritus, in quibus nonnulli Nouatorum Antichristianum characterem constituunt, ex quo genere vnctio chrismatis in baptismo & confirmatione, vnctio sacerdotalis & huius classis similia, *non esse Gregorio VII. vetustiora*, vt affirmat Sutliuius; effrons est mendacium, quod lœdoriis & contumeliis infarcit Caluinista, vt suorum faucibus eò gratius accidat; vtque palam faciat, se verè à Beza *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* nominatum esse. Pouelus oggannit: *etiam errores quosdam esse antiquissimos*. At nondum probasti, ritus, de quibus hic Bellarminus, erroribus accenseri debere.

Ait Bellarminus, Hippolytum Martyrem in Orat. *de consummatione sæculi* dicere; *bestiæ characterem futurum, non vti signo Crucis, sed illud potius execrari & abolere*. Negat Sutliuius Hippolytum *hoc scribere*. Audiamus ergo Hippolytum. *Mox cunctis ciborum penuria accedent atq; adorabunt eum; quibus dabit characterem in dextra manu & fronte; ne quis dextera sua pretiosam illam Crucem pingat in fronte. Ex quo tempore non poterit vllum signare membrorum suorum, sed adhærebit seductori*, &c. Eat nunc Caluinista, & fronte ferrea criminetur, nihil eius, quod citat, apud Hippolytum reperiri.

Pouelus lib. 1. de Antichristo cap. 31. propemodum palmam acuminis Sutliuio & Abbato præripit, nec id adeo mirandum, quia iuuenta adhuc floret & calet; Calor autem extenuat, & spiritus subtiliores efficere solet: cuius subtilitatis aliquot paradigmata cape. *Sacerdotes insigniuntur tonsura in capite; ergo sunt mancipia Antichristi*. Probatur consequentia. *Quia sacerdotalis tonsura est ille ipse character, de quo S. Ioannes cap. 13*. Et quem *pusilli & magni, diuites & pauperes, liberi & serui in Papatu ferunt: omnium enim capita tondentur in formam coronæ*. Et qui hoc nescit, is necdum *Papistas* nouit.

II. *Papistæ dicunt per Sacramenta baptismi, confirmationis & Ordinis imprimi indelebilem characterem. Hic est ipsissimus ille Antichristi character, quem Ioannes in manu dextra vel fronte gestatum iri dicit*. Aspiciat quis frontem aut manum dexteram *Papistæ* vel sacerdotis, & ibi hunc characterem inueniet; si tamen oculis vtatur Pouelianis; nam absque his non est, quod speret abs se hunc characterem visum iri.

III. *Manus sacerdotum inunguntur chrismate; sed iste est character Antichristi. ergo*, &c. Probatur Minor; quia Pouelus hoc affirmat non sine teterrimis & atrocissimis conuiciis ac mendaciis, quæ si ex thesibus eius eximas; perpusillum profectò libelli corpusculum reliquum erit. Cætera nugamentorum Pouelianorum persequi tædet; adeo vana sunt & friuola.

Sawbrandus hunc syllogismum sycophanticum Bellarmino affingit. *De cuius characterе sunt multæ opiniones, illa res nondum existit; sed Antichristus est ille, de cuius characterе sunt multæ opiniones, ergo Antichristus nondum existit. Respondeo*, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam*. Cur non fecisti veram? Atqui id tuo erat in arbitrio; quia tu faber es huius portentosi & flagitiosi syllogismi; nam Bellarmino quidem nunquam in mentem venit.

CAPVT XII.

De generatione Antichristi.

ENVMERAT Bellarminus varias sententias de ortu, natalibus, stirpe & familia Antichristi, quas Nouatores ferè intactas relinquunt. Vltimam & omnium verissimâ tolerare nequeunt, quæ est, Antichristum maximè propter Iudæos venturum, & ab eis, tanquam Messiam, recipiendum; item ex Iudæis parentibus nasciturum, circumcisum iri, & Sabbatum, saltem ad tempus, obseruaturum.

Sawbrandus hunc syllogismum inde construit. *Antichristus veniet propter Iudæos, & ab iis prò Messia recipietur, ex iisdemq; nascetur, circumcidetur, & Iudæorum Sabbatum obseruabit. Sed horum nihil quadrat in Papam; Ergo Papa Romanus non est Antichristus*. Maiorem probat Bellarminus, (vt quidem introducitur à Sawbrando in suam Lugbertiam scenam) ex illo Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei*, &c. Respondet Sibrandus: *Si Christus dixit, Antichristum venturum ad eos, & receptum iri ab iis, quibus ille tum loquebatur, & qui sibi credere noluerunt: tum Antichristus ante mille quingentos annos venit. Omnes enim ij, quibus Christus tum prædicauit, & qui in eum credere noluerunt, ante annos mille quingentos mortui sunt: aut Christus deceptus est, & veritatẽ neq; scinit, neq; dixit. Sed hoc absurdum est. Ergò aut dictum Christi nõ est tantum intelligendum de iis, quos ille tum alloquutus est; aut Antichristus ad eos venit, & ab iis receptus est*.

Quis præterte, qui cauillator & calumniator es, dixit: Christum determinatè & in individuo affirmasse; illos cum quibus lõquebatur, Antichristum; seu eum, qui in nomine suo venturus erat, recepturos fuisse: quis, inquam, præter Lugbertum, hoc dixit vel scripsit? Monstra vel nomina vnum. *Si alius venerit in nomine suo*, inquit Christus, *illum recipietis*; non in persona quidẽ vestra, sed in posteritate vestra: Nam si ego Sawbrandum, Pareum, alioſque, qui nunc viuunt, Prædicantes Lutheranos & Caluinianos alloquens, dicam: *Vos Prædicantes funditus perdetis Germaniam*; ad totam gentem *Prædicanticam* sermonem dirigo;

qui, vt verus sit, satis est, vt de Prædicantium futura sobole verus euadat; quia, vt tota natio Prędicantica vna est successione; sic etiam gens Iudæorum vna erat successione; ac proinde licet præsentes Christus compellaret; minimè tamen quid in se; sed quid in seris nepotibus suis facturi essent, significauit.

Ex quibus Sibrandica criminatio tenues in auras dilabitur; vt & ista, quã Caluinianus mox subnectit. *Posset quis ex hoc loco suspicari, aduersarium videre doctrinam de Antichristo. Dicit enim Antichristum ad eos mittendum, & ab iis recipiendum esse, qui Christo prædicanti tum credere noluerunt. Sed illi nunc non existunt, neq; existent, ante mortuorum resurrectionem. Nam tum primum resuscitabuntur. Ergo Antichristus secundũ aduersarij argutiam, non veniet, nisi post resurrectionem, vt possit ab iis recipi, qui Christo tum credere noluerunt. Vides quorsum te adigat tua argutia?*

Vides quorsum te impellat cauillandi & sycophantandi amentia? Eò nimirum, vt omnes intelligant, nihil in te sinceritatis, & ne guttam quidem ingenui candoris inesse; nam ab illis recipietur Antichristus, qui Christo prædicanti fidem habere detrectarunt; ab illis, inquam, nõ in indiuiduo, sed in specie. Si quis Prophetico spiritu olim collustratus, Germanos quosdam certos & determinatos hunc in modum affatus fuisset: *Vos Germani recipietis Lutherum vel Caluinũ venturum*: an non verum dixisset? & tamen verè de præsentibus, cum quibus locutus esset, Germanis, inq; propria persona hoc non pronunciasset, sed de illis in suis successoribus ac posteris. Eadem est ratio in proposito.

Obiicit Sibrandus: Non esse necesse, *vt quidquid ad Iudæos & de Iudæis Deus dixit, tantum de Iudæis intelligatur.* Nunquam scripsit hoc Bellarminus; nunquam hoc asseruit; vt nec illud; *à solis Iudæis Antichristum receptum iri*; certum enim est, etiam Christianos tam quosdam orthodoxos, quàm sectarios item Sarracenos, & Ethnicos, ad partes Antichristi transituros; attamen sententiã illam Christi: *Ego veni in nomine Patris mei*, &c. pertinere ad solos Iudæos directè & proximè, res ipsa indicat; quia Iudæis peculiariter ingratitudinem & incredulitatem exprobrauit, & quid aliquando suis in successoribus facturi essent, tanquã præcipui Antichristianæ Tragœdiæ choragi, patefecit.

Sibrandus & ex illo simiolus illius Sutliuius, manibus pedibusq; renititur, ne concedere cogatur, Antichristum ortu fore *Iudæũ, circumcisum, Sabbati cultorem*; animaduertit enim pro suo acumine Sawbrandico, omnia sua & suorum symmystarum commenta ruitura; hoc semel concesso. Vociferatur itaq; strenuissimè, cumq; illo vlulatum suum iungit Sutliuius; *hoc non posse vllo apice ex scripturis probari*: additq; Sutliuius, *ne ex Patribus quidem*; licet Bellarminus & hic & alibi plurimos ex sanctorum Patrum cœtu adduxerit. At quidquid adducatur; nõ deest istis elabendi fenestra; nam si scripturam promas, in alienissimũ sensum è vestigio eam detorquent. Si Patrum testimonia proferas; ea vel verborum præstigiis & incantamentis obumbrant; vel si nimis clareant, vultu ferreo repudiant, cuius impudentiæ plura specimina sub exordium huius de Antichristo cõtrouersiæ protulimus; Et hîc in hanc pseudologiam erupit Sutliuius: *Debiles sunt, vt plurimum, Patrum de Antichristo coniectura.*

Arguit Sutliuius Bellarminũ mendacij, quod dixerit, citatis quibusdã Patribus; omnes alios itidem docere; *Antichristum fore Iudæum, nam nihil de hoc inueniri in Chrysostomo, nihil in Tertulliano, Cypriano, Origene.* De Chrysostomo manifestè mentitur Sutliuius. Testẽ do commentariũ in cap. S. Ioannis citatum ab ipso Bellarmino. De aliis sit ita. Non affirment id disertè, at certè nullum dabit Sutliuius, qui negauerit Antichristum fore Iudæum; neq; cum omnes hoc vel illud affirmare dicimus; semper *omnes* præcisè & mathematicè intelligimus; sed *moraliter*, præsertim si aliorũ nemo contradicat. Cur enim qui pãlã affirmant, id non ex cõmuni omnium aliorum non cõtradicentium sensu affirmare censeri possent?

Danæus hîc solennem suum mentiendi & calumniandi morbũ egregiè prodit: quia nil aliud facit, quàm mentiri & calumniari, inter quæ illustria duo Danæani ingenij documenta præ cæteris eminet, quod dicit; Bellarminum affirmare, *Antichristum fortasse ex dæmone & muliere aliqua nasciturum.* Non dixit, non scripsit, non sensit hoc Bellarminus, sed referens & refellens, & erroris etiam nota notans, eorum sententiam, qui volebant, Antichristum nasciturum ex Virgine operâ Dæmonis, sicut Christus natus est ex Virgine virtute sancti Spiritus; ait, non fore errorem, si quis diceret, Antichristum nasciturum ex Diabolo & muliere, eo modo, quo dicuntur quidam nati ex incubis Dæmonibus. Et hoc longè aliter tinnit, quàm quod à Danæo nobis apponitur.

Non dissimile est hoc mendacium; Bellarminum dicere; *Verisimile esse, Antichristum nasciturum ex tribu Dan.* & mox postea illud ipsum confutare. Non refutat hoc; sed tantum affirmat, hanc opinionem non posse certò conuinci ex illis scripturæ testimoniis, quæ pro ea stabilienda adferri solent. Verisimilitudinem huic sententiæ Bellarminus, quantamcunque habet, libenter relinquit.

Ad testimonia Patrum respõdet Danæus, *suos nihil in ledi*; & cur non lædantur, caussam reddit longe mendaciss imam: *nam eos omnes vel errasse, vel leui tantum coniectura ductos, nulloq; scripturæ loco nixos illa scripsisse, affirmat Bellarminus.* Nil horum Bellarminus. Absit, vt de Patribus tale iudicium tulerit. Danæum, Abbatum, & similes histriones talia de Patribus pronunciata decent.

Pouelus valde argutè percurrit omnes Antichristi causs as; & vbi omnes percurrit, nil penitus de ortu vero & physico, de stirpe & familia

Anti-

Antichristi dixit. Orditur à caussa efficiente; quam diuidit in *principalem* & *adiuuantem*: illam, ait esse *Diabolum*. Ergóne Antichristus à Diabolo generabitur? At video, quid velis; Antichristum vocas malitiam & impietatem eius: sed aliquid dictum oportuit de naturali eius ortu & propagine, prout homo quidam est. At huius rei disquisitio minus facit ad Caluinianorum institutum & palatum: nam si hanc disputationem, nimis premere vellent; forsan euidenter viderent, quod videre nolunt; Papam Romanum non esse Antichristum.

Adiuuantes caussa fuerunt, (& sunt) inquit Caluinista I. *Ignari, indocti, superstitiosi, auari, mendaces, & ambitiosi doctores Ecclesiæ, inter quos* Prædicantes Lutherani & Caluiniani *primum locum omni iure tenent*. Nam hos substituendos arbitror in locum *Romanorum Episcoporum*, quos Pouerlinus noster in caussis *adiuuantibus* recensèt, vt falsò, ita & ineptè: nam si Romanus Episcopus est ipsemet Antichristus, quomodo est caussa efficiens etiam minus *principalis*? Num quid potest esse caussa efficiens suiipsius?

Secundò inter caussas adiuuantes collocat *impios aut fascinatos Monarchas*, (hoc est, omnes illos Reges, etiam Britannos, qui sedem Apostolicam reuerenter coluerunt, quos itidem *philtro Babylonica meretricis dementatos* fuisse mentitur. Quàm bene fecisses, Caluinista; si, his regibus omissis, inter caussas *adiuuantes* Antichristi collocasses illos, quibus Lutheranum vel Caluinianum philtrum ita mentem abstulit, vt immanissimè in orthodoxos debacchentur; & omnia veteris religionis monumenta totis viribus euersum tendant; qui certè Antichristo non iam præsenti, sed venturo strenuè inseruiunt, & viam, per quâ liberè incedat, egregiè muniunt. Sed pro fictitio suo Antichristo, non nisi fictitias caussas effectrices Caluinista adducere potuit. qualis & ista; quæ sequitur.

Caussa impellens Antichristum ad eam confusionem, fuerunt libido regnandi more huius mundi; & libertas ac immunitas faciendi, quæ vellet. Nõ fuerunt hæ caussæ; sed erunt aliquando, vna cum aliis, nisi fortè iam fuerunt & sunt in Antichristi prodromis sectariis, quos ad confusionem istam hæreticam præcipuè impellit cupiditas libertatis & immunitatis cuiusdam viuendi & agendi vt lubet, excusso omni legum metu; & dulcedo bonorum Ecclesiasticorum, in quæ rapacibus vngulis inuolarunt; iucunditas item eius imperij; quod iam Luthero & Caluino addicti *summates*, in ipsos Pseudoecclesiasticos suos vsurpant.

Caussa προγυμναστικὴ, fuerunt, inquit Caluinista, *Patrum quorundam & Ecclesiarum erga Antichristum reuerentia*, &c. *Regum & principum priuilegia & largitiones, vrbis Romæ splendor. Iudaismi & Gentilismi Cacozelia.* Verte stylum Caluinista, & mentiri desines. Dic caussas προγυμναστικὰς Antichristi nõ præsentis, sed venturi, esse & fuisse contemptum sedis Apostolicæ; & ademptionem vel infectationem eorum, quæ ab antegressis regibus & principibus in sedem Apostolicam pia & liberali manu munificè collata fuerant: Tumorem insuper & fastuosum eorum supercilium, qui sibi probrosum ducebant, nisi iugum & imperium Pastoris sui excuterent; dicentes, cum illis; *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum*; quibus adde, *Cacozeliam* & prauam imitandi cupidinem eorum, qui clamitarunt 2. Reg. 20. *Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai, reuertere in tabernacula tua Israël.*

Absoluta feliciter caussa efficiente transit Pouelus ad materiam *ex qua* Antichristi. Hactenus arbitrabar eum compositum iri ex materia & forma, instar aliorum hominum; nunc aliam Antichristi compositionem, Caluinista nobis pandit. Nam materia *ex qua* generalis, si Pouelus bene philosophatur, *est externa potentia ministrorũ Ecclesiæ; negligentia in docendo, hominum securitas, Cacozelia Iudaismi & Gentilismi, Ecclesia depranata; & mundanum regnum depranatum*, &c. Mirum dictu, *ignauia in docendo* paulò ante erat *caussa efficiens*, tametsi *adiuuans*, Antichristi; nunc derepente mutata est in materiam *ex qua*. *Gentilismi & Iudaismi Cacozelia* numerabatur inter caussas προγυμναστικὰς; nunc transiit in materiam *ex qua*. Sic antea caussa *adiuuans* erat *insitia doctorum Ecclesiæ*; vt & ambitio, & superstitio, nunc, quod benè vertat, Poueliana metamorphosi transformata sunt in materiam *ex qua*, & quidem specialem. Idem accidit *priuilegiis*. & *Ecclesiarum reuerentiæ*; nam cap. 2. Thes. 6. recensebãtur inter caussas *procatarticas*; At cap. 3. Thes. 2. specialis materiæ *ex qua*, vicè obeunt. Miriticam porrò Antichristi *Poueliani* effigiem esse oportet, si coagmentatur & componitur ex materia, quæ ipsi non inexistit?

Mentitur Pouelus, *Papam Romanum esse Antichristum*. Faciamus ita esse. Quæro, quæ sit materia *ex qua* corpus huius Antichristi cõstat? Quidquid Pouelus nominat, id Papæ extrinsecum est. An ex materia, quæ non insit, vllum fit compositum?

AEquè insipienter fatuatur Pouelus de forma Antichristi, quam bipartitam statuit, *generalem & specialẽ*. Speciali formæ agnoscendæ adfert notas viginti quatuor quarũ nulla in Papã; pleræque in Lutherum & Caluinũ quadrant. Nam Antichristus *maiores suos contemnet*. Quis maiorum maior contemptor quàm Lutherus & Caluinus? *Superbus erit & arrogans*. Quid arrogantius duobus istis Hæresiarchis? *Exlex erit*. & ἄνομος. Quid magis exlex geminis istis seductoribus? *Apostata* erit, imò Apostasiæ vniuersalis caput. Quid Caluino & Luthero ἀποστατικώτερον? *Idololatra erit*. Luthero & Caluino idola sunt proprij cerebri phantasmata; quæ pro verbo diuino imperitis veneranda obtrudunt. *Blasphemus & hæreticus erit*. An non tales isti? *Hypocrita erit*. Nec hoc digma alienum ab Vtrisque. *Sanctus*

multũ

multis variisq; afficiet supplicijs. Idem factum à Caluino & Luthero. Testis Gallia, Anglia, Belgium. *Dominabitur in Ecclesia Dei.* Quis Ἀνωμοίωσις Luthero & Caluino, qui etiam ex suis neminem ferebant, qui fasces non è vestigio submitteret; impatientes non modo superioris, sed & paris. *Christi loco se esse gloriabitur.* Huius gloriationis occurrunt innumera exempla in libris Caluini & Lutheri. Cæteras item Pouelianas notas nullo negotio ad Lutherum & Caluinum accommodare licebit, si quis id facere velit.

Iam si *spiritalem & ciuilem gladiũ habere*, nota est Antichristi; Antichristus igitur erit Rex ille, cui vos Britanni, non modo ciuilem, sed & spiritalem gladium conceditis, tanquam supremo Ecclesiæ Anglicanæ capiti, mirumque prorsus foret, si supremum Ecclesiæ caput iure gladij spiritualis careret.

De caussa finali Antichristi haud dissimiliter delirat Pouelus; nam eos fines adfert, qui eximiè in Lutherum & Caluinum quadrant; vt *Christum eiusq; meritum & gloriam, & cultum obscurare, deformare, labefactare. Regnum Christi spirituale in mundanum transformare. Magistratum opprimere, & disciplinam politicam turbare: In pœnas corporales & æternas abducere omnes illos, qui non habent dilectionem veritatis*; & id genus alia, quæ splendidè in Caluino & Luthero elucent. *Cæterum Deus permisit Diabolo & impijs*, vt benè dicit Pouelus, *vt tam horrendum & blasphemum Antichristi regnum* (operâ Lutheri & Caluini) *instituant, propter suum iustum iudicium, quò puniat contemptum & neglectum veritatis.*

Subiectum Antichristi perquam eruditè partitur Pouelus in *recipiens* & *occupans*. Recipiens, ait esse *corda, animas, corpora hominum, facultates, leges.* Quæ omnia Caluino & Luthero competunt; vt & illud; quod subiectum *occupans* dicit esse, *doctrinam & cultum; res spiritales & corporales, res Ecclesiasticas & politicas, traditiones seu phantasias humanas, Cererem & Bacchum, victum, amictum & Venerem*; nam in his totum Lutheranismi & Caluinismi studium consumitur.

Commemorat deinceps Pouelus cognatos Antichristi; quorum in numero, quod Mahometanos, Ethnicos, Tartaros collocat, laudo. Quod Caluinianos, Lutheranos, aliosque sectarios prætersilit; laudare nequeo. Nam si vlli sunt cognatione cum Antichristo iuncti, isti profecto iuncti sunt. Ne tamen iniuriam facere videar Pouelo, fateor eum *Pseudoeuangelicos* cognatis Antichristi accensuisse. Forsan sub his Caluinianos suos & Lutheranos complexus est; saltem tacitè. Nec illud improbo, quòd Pouelus eidem Albo, *raptores bonorum Ecclesiasticorum* adscribit. Præclarè, ô Caluinista. Sed inde rursus nobis illucescit Caluinistarum & Lutheristarum cum Antichristo cognatio: Nam vbi nam gentium maiores bonorum Ecclesiasticorum raptores inueniemus, quam inter has duas sectas; quæ longè quàm vlla Charybdis voraciores, integros & quidem florentissimos & opulentissimos Episcopatus deglutierunt, & in ventris sui immensum barathrum demiserunt.

Cap. 8. lib. 1. enumerat Pouelus contraria Antichristo. Et quidquid Antichristo aduersari dicit, id Luthero & Caluino itidem ex diametro repugnare videbis, si attendere velis. Aduersantur Antichristo *Pater, Filius, Spiritus sanctus.* Etiam Luthero & Caluino repugnant. Aduersatur Antichristo *Verbum Dei.* Etiam Luthero & Caluino. Aduersantur *pij Doctores.* Etiam Luthero & Caluino. Aduersantur Antichristo *Magistratuum pietas & zelus.* Etiam Luthero & Caluino. Aduersantur Antichristo *parentum & præceptorum, scholarum & Academiarum pietas & zelus.* Etiam Luthero & Caluino. Aduersantur Antichristo *pœnæ diuinæ, priuatæ & publicæ, præteritæ, præsentes, futuræ, non tantum in hac vita, sed & maximè in altera.* Etiam Luthero & Caluino istæ ipsæ pœnæ, eodemque modo aduersantur.

Ex his facilè animaduertit lector, quàm accuratè definiat & depingat Pouelus suum Antichristum, de cuius caussis nihil prorsus ad rem dicit, & id quod dicit; ita dicit, vt non magis in Antichristum, quem finxit, quàm in Lutherum & Caluinum competat.

Nequeo hîc tacitus prætereire furias & furorem eiusdem Poueli; qui contra generationem Antichristi ex tribu Dan has flammas, instar Caci, euomit. *Pudeat vos blasphemos Antichristi assectas, si vlla pietatis scintillula in ipsis* (mentis compos diceret, *In vobis*:) *resideat, absq; scripturæ auctoritate & iudicio rem futurã velle nobis persuadere.* Blasphemus ergo Antichristi assecla est B. Martyr Irenæus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Prosper, Theodoretus, S. Gregorius, Beda, Rupertus, Arethas, Richardus & Anselmus, quos omnes Bellarminus citauit. Neque obstat exceptio, quam contra duo scripturæ testimonia Pouelus ex Bellarmino profert; nam nisi à Bellarmino edoctus fuisset, quid contra dici posset, vtique nescisset. Neque Bellarminus negat ea ad Antichristum accommodari posse; vt factum à prædictis Patribus; neque quidquam clamosus Pouelus producit, quo ostendatur locum illum Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via*, & illum Hier. 8. *Ex Dan audiuimus fremitum equorum eius*: perperam à citatis Patribus de Antichristo acceptum & explicatum esse. Furit quoque Abbatus contra generationem Antichristi ex Iudæorum prosapia; sed furit tantum nec rationis quidquam adducit, quia *furor iracundiam mentem præcipitant.*

CAPVT

CAPVT XIII.

De sede Antichristi.

SECTARII hoc loco omnes neruos intendunt, vt Antichristum Hierosolymis Romam transferant. Sed frustra sunt. Ait Apostolus 2. Thess. 2. sessurum Antichristum in *templo Dei*. Hoc interpretantur Hæretici de vera Ecclesia Christi, in hac enim sessurum, hoc est, regnaturum Antichristum, *& quidem Romæ, tanquam in metropoli & primaria Imperij sui vrbe.* Obiicit Bellarminus; Hinc sequi, nostram Ecclesiam esse Ecclesiam Dei, quandoquidem is, quem ipsi pro Antichristo habent, in nostra sedet ac imperat Ecclesia, non in Caluiniana aut Lutherana Synagoga.

Pouelus lib. 1. cap. 10. dicit, aliam esse *Ecclesiam Romanam*; & aliam; *Papanam. sibi & suis cum hac, non cum illa controuersiam esse.* Vbi concedere videtur, Antichristum sedere in Ecclesia *Papana*, non in *Romana*, stolidè, tum quia inauditum est aliam dici Romanam Ecclesiam præter illam, cui Papa præsidet, hoc est, præter illam, quam Caluinianus iste contumeliosè *Papanam* nominat, tum quia hac sua distinctione non elaberetur; si enim Antichristus sessurus est in templo Dei, hoc est, in Ecclesia *Papana*; *Papana* ergo Ecclesia est templum siue Ecclesia Dei. Et qua fronte asserit, Caluinistis nil controuersiæ cum Romana Ecclesia intercedere; cum, quam tot annis, totis castris, oppugnant, non sit alia Ecclesia, quàm *Romana?*

Occinit deinde *aliud esse, sedere in Ecclesia Dei, quod Antichristus faciet; aliud; esse veram Ecclesiam, quod Antichristus cum sua factione neq; est, neq; erit vnquam.* Friuolum effugium; non enim quæritur, quid sit Antichristus cum suis asseclis, sed vbi sedeat, vel sessurus sit; & num illa Ecclesia, in qua sedet, sit vera Ecclesia. Veram esse Ecclesiam, testatur Apostolus, ex sectariorum interpretatione, quia per templum Dei non intelligit templum Hierosolymitanum; sed Ecclesiam Christianam, & quidem veram, quia Ecclesia Dei non est nisi vera Ecclesia.

Oggrunnit Pouelus; Ecclesiam dici *communiter & singulariter*; item Ecclesiam dici eam, *quæ verè talis est; & eam, quæ solo nomine talis est. Antichristum sessurum in Ecclesia communiter, & quæ solo nomine talis sit; non in Ecclesia singulariter, & quæ reipsa talis sit.* Hæc mera sunt febricitantis Pouelini deliramenta; & vt Sutliuius symmysta huius alicubi loquitur, *Lyræ, Lyra.* Nam Apostolus absolutè, & sine vlla restrictione dicit, sessurum *in templo Dei*; hoc est, in *Ecclesia Dei*; vt exponunt Nouatores: Quis autem est, qui audito hoc vocabulo; *Ecclesia Dei*, non concipiat, animoque informet veram Ecclesiam? quia nullus alius cœtus *Ecclesia Dei* simpliciter appellatur, nisi vera Ecclesia.

A Ex quo refellitur quoque eorum commentum, qui aiunt, Antichristum sessurum in ruinis Ecclesiæ Dei; nam Apostolus non dixit; eum sessurum in *ruinis* seu *ruderibus*, seu *parietinis* templi Dei; sed absolutè; *in templo Dei*; Si ergo templum Dei est vera Ecclesia; sedebit igitur, hoc est, tanquam caput regnabit & dominabitur in vera Ecclesia; Ex quo sequitur, Lutheranorum & Caluinianorum congregationes non esse veram Ecclesiam, quia in iis non sedet, hoc est, tanquam caput, non regnat & dominatur Antichristus; nam verbo *sedendi* indicauit Apostolus imperium & dominationem. Obseruetur autem, Pouelum, quidquid de sessione Antichristi in templo Dei mentitur, verbatim propemodum ex Iunio furatum esse, suppresso Iunij nomine, vt solent fures.

B Abbatus clamitat, se & suos non excessisse ex vera Ecclesia; *Etiamsi excesserint ex corruptelis Papisticis; neq; enim cum excedere ex Gallia, qui pestis vitandæ caussa Parisijs Lugdunum migrat.* Sed facilè, ex ipsis hæreticorum fundamentis & hypothesibus probari potest, Abbatum vna cum suis ex vera Ecclesia excessisse. *Qui iudicio aduersariorum, excedit ex Ecclesia, in qua sedet Antichristus, ille excedit ex vera Ecclesia. Abbatus cum suis excessit ex Ecclesia, in qua sedet Antichristus; vt ipsi passim fatentur, imo & gloriantur; ergo Abbatus cum suis excessit ex vera Ecclesia.* Maior probatur; *nam qui excedit ex Ecclesia in qua sedet Antichristus, ille excedit ex templo Dei; in hoc enim templo*
C *sedet Antichristus; sed hoc templum est vera Ecclesia, quia templum Dei est vera Ecclesia, ergo, &c.*

Danæus mentitur, *Bellarminum concedere, Papam esse Antichristum; & sedere, vbi debet sedere Antichristus.* Os Caluinistæ, vbi Bellarminus hoc concedit? An argumentari ex hypothesi aduersariorum, est concedere, quod aduersarij in illa sua hypothesi ponunt? Si quis terram moueri, & cœlum stare affirmaret; & ego, assumpta hac hypothesi, aduersarium ad aliquid, quod nollet, adigerem, an ideo hypothesin illam concederem?

D Addit Danæus, *templum Dei, in quo sedebit Antichristus*, dici tale κατ' ἐξ., *& aquinoctè.* At hoc non dicunt alij ex sectariis, quos Bellarminus citat, sed absolutè dicunt, per *templum Dei* intelligi veram Ecclesiam. Vera autem Ecclesia non est κατ' ἐξ. & *aquinoctè* Ecclesia; sed simpliciter, propriè & *vniuocè*. Nec dixit Apostolus; Antichristum sessurum in templo Dei κατ' ἐξ., vel *aquinoctè* sumpto; sed simpliciter, *in templo Dei*; quod Nouatores alij, simpliciter de vera Christi Ecclesia accipiunt. Nunc isti tergiuersantur, quia vident inde aliquid, quod auersantur, concludi.

Iunius sua illa solennia hic ad nauseam vsque ingeminat. *Falsum falsum. Negamus, negatur*: Videtur Iunius illud Antichristianum ἀρνοῦμαι, *Nego*, de quo Hippolytus Martyr; in animo, in fronte, in manu, in ore, in calamo, in charta circumtulisse, tanquam characterem bestiæ illius, cui dum

viue-

men opis adferret Nouatoribus Danielis locus. Dicendum enim esset, Danielem non loqui de ædificij materialis desolatione & perpetua vastatione, sed de desolatione, hoc est, perpetua cessatione rituum & sacrificiorum Iudaicorum; quibus sempiterna cessatio indicta est; neque ea vnquam Antichristus in exstructo abs se templo, restituet: neque vsurpabit, multoq; minus frequentabit.

Obiiciunt Sutliuius & Abbatus; *Deum templi reparationem sub Iuliano impediisse, cum Iudæi ingenti conatu illud reficere aggrederentur.* Quid tum? Nondum tempus erat reædificandi templi. Necdum venerat is, cui hoc Deus, iusto suo iudicio, permittet. Illud lepidum est; quod Abbatus timet, *fabros defuturos Antichristo, qui tam breui tempore tantam molem exirent.* Non est quod metuas Caluinista; Si non Lutherani & Caluiniani, certè eorum posteri omnes in cæmentarios & fabros lignarios ac murarios vertentur; vt absque mora suo Regi & *Messiæ* consentaneum palatium & habitaculum exstruatur. Ipse etiam Diabolus operam & operas suas gnauiter iunget.

Oggannit Sutliuius: *Etiamsi ab Antichristo reædificaretur; non posse tamen dici templum Dei aut Christi, sed potius Antichristi seu Diaboli; At Paulum loqui de templo Dei.* Respondeo, etiam illud templum ab Antichristo exstructum rectè vocari ab Apostolo *templum Dei*; quia ædificabitur in loco, vbi olim templum Dei fuit; & quia succedet templo Dei.

Obiicit Sutliuius, Hieronymum Epist. 148. ad Marcellam dicere, *eos fabulis Iudaicis adquieuisse, qui propter hanc sessionem Antichristi in templo Dei putant rursus ædificandam Hierosolymam, & in Templo hostias offerendas.* Sutliuius, more suo, hic sycophantam agit. Nam S. Hieronymus Iudaicas fabulas esse dicit credere templum & Hierosolymam denuo ædificatum iri ad cultum, ritus, cæremonias & sacrificia legalia; cuiusmodi olim in illo templo vsurpabantur & immolabantur, non autem Iudaicis fabulis deputat, asserere, templum restitutum iri, vt in eo Antichristus sedeat; illudque pro scelerum & impietatis suæ domicilio habeat; cum ipse S. Hieronymus q. 11. ad Algasiam hanc sententiam, licet sub disiunctione, tradat.

Dionysium Alexandrinum irrisisse hanc opinionem de instaurando templo Hierosolymitano; & hoc ipsum testari S. Hieronymum lib. 18. in Isaiam *in Prologo*, geminum Sutliuij & Abbati mendacium est; nam Hieronymus nihil aliud dicit, quàm Dionysium irrisisse Chiliastarum *mille annorum fabulam, & aureum atq; gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium seruitutem*, &c. Quapropter Dionysius non illam, quæ sub Antichristo futura est, templi instaurationem irrisit, sed illã, quã vna cum cæteris Iudaicis ritibus in illo suo Chiliastico regno *Millenarij* comminiscebantur.

Iterum mentitur Abbatus, *Patres, & in his Chrysostomum, qui per templum Dei, in quo sessurus est Antichristus, intelligunt templum Hierosolymitanum; id hausisse ex Chiliastica opinione Irenæi & aliorum.* Non est ita; sed hauserunt hoc ex Irenæo & aliis, qui apertè docent, tempore Antichristi, & ante regnũ illud millenarium seu *Chiliasticum*, Hierosolymitanum templum exstiturum; vt in eo sedeat & regnet Antichristus. Vide Irenæum lib. 5. cap. 30. in fine. post ea cap. 32. & seqq. disputare ingreditur de illo temporali mille annorum regno, deque Hierosolymæ & templi instauratione; longè aliâ, vt ipsi arbitrabantur, futurâ Hierosolymâ quàm erat, illa sub Antichristo; quandoquidem auream gemmatamque Hierosolymam sibi imaginabantur. Quid ni & aureum gemmatumque templum? Abbatus dicit templum Dei non esse accipiendum *pro templo aliquo materiali*; sed *metaphoricè pro templo spiritali*; de quo S. Paulus: *Nescitis vos esse templum Dei? Templum Dei sanctum est; quod estis vos.* Item pro *Ecclesia, quæ est domus quædam spiritalis ædificata viuis ex lapidibus*, vt loquitur S. Petrus in 1. Epist. cap. 2. vbi tamen Abbatus se continere non potuit, quo minus mendacium effunderet; cum ait; Ecclesiam *viuis ex lapidibus* constructam nominari à S. Petro *templum Dei*, nam S. Petrus non vtitur *templi* nomine eo loco. Verùm, vt ad obiectionem Abbaticam veniam, respondeo, ita metaphoricos sensus statuendos esse, vt sensui litterali, quando commodè haberi potest, suus relinquatur locus, & honos, & quidem primarius. Cum igitur nihil impediat, quo minus per *templum Dei* intelligamus materiale & externum templi Hierosolymitani ædificium; ineptè ageremus, si litterali & proprio hoc sensu relicto, metaphoras tantummodo sectaremur. Scimus Antichristum sessurum, hoc est, *regnaturum* quoq; in cordibus fidelium, hoc est, quorundam, qui antea fuerunt fideles, & in Ecclesia, quæ est *templum Dei* ex viuis lapidibus exstructum; cum hoc tamen consistit illa sessio & dominatio in templo Hierosolymitano; quæ quidem sessio etiam ad reliquas *domos* spirituales & cultui diuino destinatas extendetur, vt Caluinista ex S. Chrysostomo Hom. 3. in Epist. 2. ad Thess. obiicit; quia Antichristus per suos satellites Christianorum itidem Ecclesias occupabit; hoc tamen non obstat, quo minus id, quod Apostolus scribit de sessione Antichristi in *templo Dei* accipiamus propriè & ad litteram de templo Hierosolymitano.

Dicit Bellarminus, in scriptura noui testamẽti, per *templum Dei* nunquã intelligi *Ecclesias Christianorum*, sed perpetuò templum Hierosolymitanum; & idem asserit de scriptis priscorum Patrum per aliquot sæcula. Sutliuius & Abbatus hoc euertere nituntur, sed stramentitiis calumniarum & conuiciorum hastis; quibus vibra-

tis, tandem addunt; *animos fidelium*. seu *corda* dici ab Apostolo *templum Dei*; Irenæum quoque crebro *corpora nostra* vocare *templum Dei*. Quem hæc feriunt, ô Caluiniſtæ? Bellarminus negat *templum Dei* in ſcripturis accipi pro externis ædificiis diuino cultui apud Chriſtianos dedicatis, quæ Eccleſias nominare cõſueuimus; Hoc cum allato manifeſto exemplo falſitatis conuincere deberetis, Metaphoricam ſignificationem *templi Dei* imperitè aſſertis. Nam quod Abbatus obiicit, illa loca Apocalyp. 3. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei*: & cap. 7. *Seruiunt ei die ac nocte in templo eius*: & cap. 11. *Tunc apertum eſt templum Dei in cœlo*; vt inde redarguat, quod Bellarminus aſſeruit, nugas agit; nam hæc, ipſo Abbato teſte & interprete, *ad Sanctorum cœleſte palatium & ſtatum Eccleſiæ triumphantis referenda ſunt*: At Bellarminus dixit; *Templum Dei* in nouo teſtamento non niſi pro *templo* Hieroſolymitano accipi; ſed aduertere debebat Abbatus, Bellarminum hoc affirmaſſe de propria Templi ſignificatione; non de metaphorica, qualis eſt in illis locis, quæ Abbatus oggerit: nam metaphoricè *templum Dei* aliter in ſcriptis noui teſtamenti vſurpari, optime Bellarmino compertum fuit: Et hinc quoque Iunius ad ſimile mendacium reſponſionem habet.

Addit Iunius; *Forſan id, quod Bellarminus aſſerit negari poſſe*. ex 2. Corinth. 6. *Et quæ conuentio eſt templo Dei cum Templo idolorum?* At Iunius probare debebat *templum Dei* accipi hic propriè, non metaphoricè pro *corde fidelium*; vt Apoſtolus ſtatim manifeſtè declarat. *Vos enim eſtis templum Dei viui. Vt demum*, inquit Iunius, non exſtare nomen *vsitatum de proſeucha* (Oratorio) *Chriſtianorum dictum, tamen non valet argumentatio ab auctoritate negatiuè, hoc modo. Si non vocantur Eccleſiæ Chriſtianorum templa in teſtamento nouo, ergo hic non ita oportet accipi*. Certè hæc argumentatio nec inepta, nec inualida eſt, quidquid tu ineptias; nam ſi *oratoria* & Eccleſiæ Chriſtianorum in ſcriptura noua non vocantur *Templum Dei*; certè neque 2. Theſſ. 2. per *Templum Dei*, in quo ſeſſurus eſt Antichriſtus, intelligi debet, aliud Templum, quàm quod hoc nomine in nouo teſtamento denotari ſolet; nempe Templum Hieroſolymitanum.

Nec opus eſt, vt Iunius argumentum Bellarmini reformare tentet; quia reformando deformabit; *Potius dicendum*. inquit Iunius, *non dicuntur Templa, quia tum Chriſtianis non fuerunt Templa*. At fuerunt *proſeuchæ*, fuerunt *oratoria*; fuerunt certa loca diuino cultui & Sacramentorum adminiſtrationi dicata. Et tamen ſcriptura noui teſtamenti hæc non ſignificat per *Templum Dei*.

Abbatus morosè & operosè probat, Antichriſtum, *etiam in Eccleſiis Chriſtianorum ſeſſurum*. Quaſi hoc certo quodam ſenſu neget Bellarminus. Fatemur hoc. Quoties dicendum? At quamuis hoc cõfiteamur, addimus tamen, propriè & immediatè per templum Dei in quo ſeſ-

A ſurus eſt Antichriſtus 2. Theſſ. 2. non ſignificari, niſi Templum Hieroſolymitanum, tametſi nunc etiam ad *Templa* Chriſtianorũ materialia; & metaphoricè ad ipſam Eccleſiam, prout eſt ſpiritualis *domus Dei*, extendi queat: quia & domicilia ſacra & corda multorum Chriſtianorum occupabit, & in ſeruitutem ſuam rediget. Hoc ipſum apertè ſatis hìc Bellarminus ſcripſit, neque tamen, vt Abbatus criminatur, *à priore ſua ſententia nonnihil receſſit*; quia fixus in eo manet, per *templum Dei* 2. Theſſ. 2. propriè & immediatè non niſi templum Hieroſolymitanum accipi. Et tamen inſultus Battus noſter, in hunc thraſoniſmum erumpit. *Hic te*, Bellarmine, *coerſtrictum habemus: nec habes, quo fugias*. Quàm ventoſus thraſo? An tu ſtupeis tuis, imò ex arena nexis funiculis

B Bellarminum conſtringeres?

Locum Apocalyp. 11. de *magna ciuitate*, quæ vocatur *ſpiritaliter Sodoma & Ægyptus*, vbi & Dominus eorum (Heliæ & Henoch) *crucifixus eſt*; rapiunt ſectarij contra expreſſum textum & animum S. Ioannis ad vrbem Romanam: Nam de Roma Ioannem loqui cap. 11. probat Abbatus inde: quia cap. 11. v. 7. *Et cum conſummauerint teſtimonium ſuum*, (Helias & Henoch) *beſtia, quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos, & cadauera eorum iacebunt in platea ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritaliter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*: & cap. 17. *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam*. de eadem be-

C ſtia agitur; *at certum eſt Apocalyp. 17.* beſtiæ *nomine intelligi Romam, ergo etiam Apocalyp. 11. per beſtiam, quæ Henoch & Heliam interficiet, intelligitur Roma*; *Romæ ergo non Hieroſolymis occidentur duo illi teſtes*; *& per conſequens*; *ea, quæ ibi de ſpiritali Sodoma & Ægypto dicuntur, accipi debent de Roma, non de Hieroſolyma*. Abbatus rem ſe dignam præſtitiſſet, ſi illam ſuam Apocalypſeos explanationem, & inde peruersè hauſtam opinationem aliquo ſcripturę teſtimonio confirmaſſet, neque ſolam ſuam, eamque modicam, ſi non penitus nullam, auctoritatem nobis loco probationis obtruſiſſet: nam capite 17. ipſemet Ioannes explicat, quæ ſit illa mulier; *Eſt enim ciuitas magna*, hoc eſt, Roma, *quæ habet regnum ſuper Reges terræ. Beſtia*, cui inſidet, eſt impe-

D rium illud ſeu regnum Diaboli, quo Roma Ethnica gentes premebat; cui regno Roma, tanquam beſtiæ cuidam, inſidens circumuehebatur. *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet*; inquit S. Ioannes, quia hoc imperium Romæ Ethnicæ exercebatur ex ſeptem montibus, quibus Roma inædificata erat. Nec refert, quod antea dixit S. Ioannes, *mulierẽ hanc* ſeu *Romam ſedere ſuper beſtiam*; nunc autem; ſedere ſuper *ſeptem capita beſtiæ*, hoc eſt, *ſuper ſeptem montes*; Vt enim vtrumque metaphoricum eſt, ita & vtrumque verum eſt; nam & Imperio regnoque illi ſuo Ethnico Roma Ethnica, & ſeptem montibus inſidebat; his, quia exſtructa erat in ſeptem montibus; illi; quia vt eques equi, & auriga

currus;

currus; sic Roma Imperij sui moderabatur habenas. At cap. 11. agit Ioannes de alia quadam bestia *ascendente de abysso*; nec quidquam de vllo eius sessore, nec de vlla muliere, quæ ei insideat, refert; Quocirca dubium non est, quin alia sit bestia, cui cap. 17. mulier, hoc est, Roma Ethnica insidet; alia, quæ cap. 11. ex abysso ascendit.

Hinc ruunt omnia illa, quæ hic verbosè de Roma & contra Romam Abbatus declamitat; qui, relicto clarissimo de Hierosolymis sensu, ad tropicos & mysticos de Roma significatus se conuertit; & Romæ Christum *spiritaliter crucifixum esse, & quotidie crucifigi* vociferatur, quasi verò, vt iam alibi diximus, omnia ista tropicè & figuratè, potiore iure applicari nequeant ad quamlibet Caluinianam vel Lutheranam ciuitatem; præsertim, ad illas, quæ aliis errandi duces fuerunt, vt est Geneua & VViteberga; Quæ verè sunt *bestiæ* ex abysso ascendentes; infestissimo in omnes orthodoxos, & in priscam auitamque doctrinam animo; quam quibuscunque modis possunt, abolitum & exterminatum eunt per suos emissarios.

Nec iuuat Abbatum historia illa Redemptoris Petro occurrentis, aientisque; *se Romam venire, vt iterum crucifigatur*: de qua S. Ambrosius orat. contra Auxentium, vt citat Abbatus. nam vt Christus Romæ, & alibi per scelera, quæ patrantur; & in seruis suis persecutionem, tormenta necemque passis, spiritaliter crucifigi dicatur, at non propterea sequitur; locum illum Apocalyps. 11. litteraliter non esse accipiendum de Hierosolymis; Et ille; *vbi & Dominus eorum crucifixus est*; de propriè dicta, vera & reali crucifixione: nam si ad metaphoricam & mysticam crucifixionem confugiamus, tunc locum illum non magis de Roma, quam de quouis alio Lutherano vel Caluiniano loco interpretari licebit; imò absque vlla comparatione magis de Lutheranis & Caluinianis, quàm de Roma & Romanis accipi poterit: Nam vt Romæ per peccata à nonnullis Christus iterum crucifigatur, at non crucifigitur Romæ per sectas & hæreses; quas infinita vitiorum seges perpetim comitari solet.

Obiicit Iunius. Hierosolyma nusquam vocatur *ciuitas magna, ergo nec Apocalyps. 11. nomine ciuitatis magnæ intelligi debet Hierosolyma*. Respondeo, Antecedens esse falsum; quia Apocalyps. 11. hoc nomine afficitur; id quod omnes textus illius circumstantiæ docent; præcipuè illa; *vbi & Dominus eorum crucifixus est*.

Probat præterea Bellarminus ex cap. 17. Apocalyps Romam non fore sedem Antichristi; quia ibi dicitur, decem Reges, quibus regnantibus, veniet Antichristus, odio habituros purpuratam meretricem, id est, Romam, & eam desolatam facturos, atq; etiam igne crematuros. Quomodo ergo erit sedes Antichristi, si illo ipso tempore debet comburi & euerti? Ad quæ Abbatus:

A *Miror te, Bellarmine, quo es, in citandis scripturis infortunio, à scripturarum testimonio non penitus abhorrere. Itáne, vt te confodias, & iugulum Pontificis tui, quem defendere simulas, tanquàm acutissimo ferro præcidas?* (Verba rerum inania fundit; ludicra hæc sunt crepitacula, oblectandis pusionibus Caluinisticis) *Purpuratam meretricem Romam agnoscit*; (at Romam Ethnicam, seu à fide & sede Apostolica Apostatricem; qualis, vt nonnulli volunt, sub Antichristi aduentum erit) *bestiam, Antichristum*. (Non dixit, Bellarminus, bestiam, cui mulier cap. 17. insidet, esse vel significare Antichristum; sed dixit, esse vel significare Imperium Romanũ Ethnicum; vide supra cap. 5. sub finem. (*At eidem conuenire bestiam & purpuratam meretricem certum est*. At
B certum est te delirare. nam aliud est, *sessor*, aliud, *equus*; aliud *currus*, aliud *auriga*. Aliud est *vrbs imperans*; aliud, *imperium*, quod tenet. Si igitur Apocalyps. 17. mulier insidens bestiæ est Roma, vt interpretatur ipse S. Ioannes sub finem capitis 17. differt ergo à bestia; & hæc à muliere. Et si mulier illa est Antichristus; bestia igitur, cui insidet, non est Antichristus, sed Antichristi vehiculum: Aut si bestia est Antichristus; non igitur mulier; quia inter *vehentem* & *vectum* oportet aliquid discriminis intercedere.

Quàm verò absurdum est dicere per bestiam istam intelligi Antichristum; nam Roma ei non insideret, sed ipse potius insideret Romæ; quia Antichristus nemini subiicietur; sed omnes sibi subiiciet ac subiugabit. Quod si qui fuêre,
C qui mulierem illam & bestiam, cui insidet, & Antichristum; synonyma esse dixerunt, eos certum est, à sensu, quem S. Ioannes proximè & immediatè intenderat, ad alium migrasse, cum S. Ioannes sub finem capitis apertè dicat; mulierem illam esse *ciuitatem magnam*, id est, Romam, quæ habet regnum super Reges terræ.

Occlamat Abbatus. *Bellarminus animaduertere debebat, decem illos Reges, qui meretricem desolatam facient, primo potestatem suam bestiæ traditures, eidem scilicet, vt dictum est, purpuratæ meretrici, id enim dedisse Deum in corda illorum, vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei, quibus impletis, & consummato Dei iudicio, quo ingratum orbem, ob non receptam*
D *veritatis dilectionem, flagellabit. Reges illi, meretricem, cui se ante subdiderant, odio habebunt, & eam iam desolatam igne cremabunt.* Magno Ecclesiæ & Reipublicæ bono fieret, si Abbatus commentaria in Apocalypsin conscriberet, ac conscripta publicaret, Implicatissimos enim illius sensus acutissimè & scitissimè explicaret, ac in omnium conspectu dilucidè poneret; præsertim si quis vlterius non inquireret, sed iis, quæ Abbatus ex cerebro suo apponit, absque vlla contradictione adquiesceret. Rem factam Abbatus vbique haberet; potissimum hoc loco, vbi post tot verba, nihil penitus est, quod cum Ioannis sententiâ concinat: Nam decem illi Reges exorientur post destructum & dissipatum Romanũ Imperium,

vt suis locis abundè ostensum, & planum fit ex Daniele; imò & ex ipso Ioanne cap. 17. vbi dicit: *Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges vnâ horâ accipient post bestiam.* Post bestiam, hoc est, post Imperium Romanum, destructo iam Imperio Romano; decem isti Reges rerum potientur. *Hi vnum consilium habent & virtutem; & potestatem suam bestiæ tradent*; non illi bestiæ, post quam regnabunt; non Romæ imperanti; seu Romano Imperio; hoc enim, decem istis regibus regnantibus, amplius non erit; quia decem illi reges Romanum Imperium euertent; sed alteri cuidam bestiæ, nimirum Antichristo, *suam potestatem tradent*; nam Antichristus tres ex his regibus funditus delebit, & septem alios sibi subiiciet. Postea subdit S. Ioannes: *Et decem cornua*, (hoc est, decem Reges) *quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam*, Romam scilicet; seu Romanam ciuitatem; Et quando nam Romam seu Romanam ciuitatem odio persequentur, nisi tunc, quando regnabunt; regnabunt autem ante Antichristum; prius igitur quàm Antichristus veniat, odio in Romanam ciuitatem flagrabunt. & ex odio *desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt*; & hæc omnia iusto Dei iudicio facient, vt dent regnum suum *bestiæ*, id est, Antichristo, non purpuratæ meretrici, seu Romæ, vt delirat Abbatus; quia hæc iam in cineres redacta erit; tantum abest, vt tunc imperatura sit; vel etiam sedes Antichristi futura.

Instat Abbatus. *Roma vastabitur & incendetur sub finem mundi; sed hoc intelligi non potest de Roma Ethnica; quia Ethnicismus iam pridem Romæ disparuit; ergo intelligi debet de Christiana, seu illa, quæ Christi titulo & nomine gloriatur; ergo Roma erit sedes Antichristi.* Respondeo, de quacunque Roma hoc intelligatur, non sequitur inde vltima, quam Abbatus appendit, conclusio; quia Roma incendetur à decem Regibus ante aduentum Antichristi, vel certè sub ipsa eius primordia, quando decem isti Reges adhuc viribus & potentia florebunt & valebunt, necdum ab Antichristo subacti. Deinde dico, Ioannem loqui de Roma, qualis sub finem mundi futura est, quando eiecto Pontifice, & eiurata Christiana & orthodoxa religione, mater & origo omnis superstitionis & idololatriæ, omniumque scelerum sentina, & chaos quoddam immensum fiet; de quo lege Riberam in cap. 14. Apocalyps. fusè de hac Romanæ vrbis metamorphosi differentem; Ex cuius sententia dici potest; imò debet, mulierem illam sedentem super bestiam, cui capita septem & decem cornua; esse Romam, qualis sub finem mundi erit; &, quæ cap. 17. S. Ioannes vaticinatur ad hanc Romam pertinere.

Ait Bellarminus, secutus quosdam Apocalypseos interpretes; per *meretricem*, quæ sedet super septem montes cap. 17. intelligi posse non Romam, sed vniuersam ciuitatem Diaboli. Oblatrat Pouerlinus. *Mira est Monachorum impudentia, & nostrarum rationum peruertendarum proiecta libido.* Exspectabam solidam aliquam refutationẽ eorum, quæ Bellarminus cum Aretha, Haymone, Beda, Ruperto asserit; sed en nil præter conuicia, audimus; quæ mox iterum largiter nobis admetitur, nempe, *Monachos*, dum vocabulum *meretricis* Romam significare negant, *sophistas agere, & cerebri sui caussaq; imbecillitatem prodere.* Non negat Bellarminus per mulierem illam posse intelligi *Romam*; nam in secunda responsione ad sectariorum argumentum palam hoc fatetur; sed tantũ in prima solutione percenset, quid ad hoc argumentum, quod Hæretici à *meretrice* petunt, responderi possit ex sententia Bedæ, Arethæ, Haimonis, Ruperti, quibus si *cerebrum læsum* fuit, quale, bone Deus, tuum cerebrum erit; qui sanissimus esses, si vel centesimam partem de cerebro Bedæ haberes.

Ait Pouelus. *Meretricem illam magnam cap. 17. non significare propriè Romam, sed aquas multas; & ciuitatem magnam ac rerum Dominam, in qua meretrix illa sedet, & scortando dominatur, Romam propriè significare. Hic saltus Monachũ propositus fuit*; inquit vanissimus thraso, *sed incompositi saltatores, extra chorum, quod dicitur.* Totum hunc inanissimum thrasonismum, & stupidam insultationem in fumum dissipat clausula capitis 17. *Et mulier, quam vidisti*, (*mulier* scilicet *circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso*, &c.) *Est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* En Caluinista; S. Ioannes non dicit: *Mulier illa, hoc est, Antichristus, sedet & dominatur in ciuitate magna; hoc est, Roma seu in Romana vrbe*, vt tu fatuaris; sed; *mulier*, quam vidisti; *Est* ciuitas magna. *Est Roma*; Est typus & figura Romæ. Vbi ergo nunc tuum delirium? vbi iactantia & insultatio tua?

Nunc contra Bedam & alios accingitur; per *mulierem fornicariam* non posse intelligi vniuersam diaboli ciuitatem. *Quia non opus est allegorica significatione, vbi verba propriè accepta commodum sensum gignunt.* Vtinam hoc documentum tibi & tuis curæ & cordi esset. Nam capite vndecimo non transformaretis Hierosolymam in Romam; neq; veram & realem crucifixionem Christi, in spiritalem; neque hic mulierem *coccineæ bestiæ* insidentem conuerteretis in Antichristum, sed id eam significare principaliter fineretis, quod ab ea S. Ioannes significari sub finem capitis apertè dixit.

Secundò oggannit Pouelus: si meretrix illa est vniuersa Diaboli *ciuitas, tum aquæ multæ, super quas sedet, non sunt de Diaboli ciuitate; aquæ enim non sunt ipsa meretrix.* Respondeo, obiectionem hanc non esse ingenij, sed stuporis argumentum: nam meretrix, iuxta hanc interpretationem Bedæ & aliorum, est ciuitas magna Diaboli, hoc est, imperium & regnum eius latissimè diffusum, cui subsunt *aquæ multæ*, hoc est, *populi & gentes & lin-*

gua: in quibus imperium illud quasi residet. Quomodo igitur *aqua multæ*, hoc est, multi impij & conscelerati non sunt de Diaboli ciuitate & imperio? An subditi ciuitatis & regni, non sunt de ciuitate & regno? Num vt aliquis sit de ciuitate & regno, oportet, vt ipse sit ciuitas & ipsum regnum?

Assimilis stuporis indicium est, quæ sequitur, obiectio. *Si meretrix sit vniuersa Diaboli ciuitas, tum Reges, qui cum ea scortati, & incolæ terræ, qui eius scortationis poculo inebriati sunt, non sunt de Diaboli ciuitate; Reges enim illi, & incolæ terræ, non sunt ista meretrix. O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit.* Perinde ac si diceres; si meretrix Apocalyptica est vniuersa Caluini vel Lutheri ciuitas, tum Reges, & principes, qui cum ea scortati; & incolæ terræ, qui eius scortationis poculo inebriati sunt, non sunt de Lutheri vel Caluini ciuitate. Reges enim illi & principes & incolæ terræ non sunt ipsa meretrix, hoc est, secta seu hæresis Lutherana vel Caluiniana.

Accipe, si vis, clarius tuæ absurditatis & insulsitatis speculum. Si Regni Anglicani status est vniuersum Anglicani imperij regnum, tunc sequitur, Pouelum, Sutliuium, Abbatum, Mortonum, Rainoldum, & præsidem Poueli, Thomam Hollandum, non esse de regno Anglicano; quia Pouelus, Sutliuius & alij non sunt regnum Anglicanum. *Sed hæc sunt absurda*, inquit Pouelus, *ergo & illa etiam, ex quibus hæc colliguntur.*

In secunda responsione ad argumentum hæreticorum à meretrice sumptum, concedit Bellarminus, per mulierem bestiæ insidentem intelligi posse Romam, sed Ethnicam. Pouelus hanc concessionem renuit admittere; & ob eam, ne vnico quidem verbulo gratias agere dignatur; cum tamen symmystæ eius in id totis viribus incumbant, vt demonstrent, mulierem illam esse Romam: Pouelus contendit esse ipsum Antichristum *in Vrbe Romana sedentem* contra expressam S. Ioannis mentem, vt supra contra Abbatum notaui; *Et mulier, quam vidisti, est ciuitas magna*, hoc est, explanatore Pouelo, *est Antichristus magnus, quia magna ciuitas, significat magnum Antichristum.* O ineptias Pouelianas. Sed en quam validas machinas admouet Bellarmino, vt quod ab eo, de Roma Ethnica dictum est, demoliatur. *Hæc meretrix* (Poueli progenitrix seu auia) *inebriauit incolas terræ vino suo scortationis. Et cum ea Reges terræ scortati sunt: hoc est; meretrix ista Reges, & incolas terræ sua idololatria polluit, & idololatricos suos cultus in omnes terras, sibi subiectas propagauit. Sed Ethnica Roma non propagauit suas religiones in gentes subactas: permisit enim, vt qualibet gens, quam subegerat, antiquos, & priscos suos cultus retineret: Roma verò sub Papa propagauit suos impios cultus in omnes prouincias; quin etiam, inuitis suas idololatrias obtrusit. Hinc funesta illa bella in India, Gallia, Anglia, Belgio, partim vt gentes ad suas superstitiones adigat, partim verò, vt eas in receptis idolomaniis retineat.* Permisit quidem Roma vt victæ gentes suos ritus idololatricos retinerent; interim tamen suos quoque verbis, exemplis & factis obtrusit. Hinc non iniuria vocatur à S. Leone serm. 1. de Natali Apostolorum Petri & Pauli, *Magistra erroris; quæ licet omnibus fermè dominaretur gentibus, omnibus tamen gentium seruiebat erroribus*, & seruiendo eas sua in idolomania confirmabat; atque adeo potabat de vino scortationis suæ.

Secunda Poueli contra Romam Ethnicam machina. *Reges, qui per cornua significantur, in quos Romanum Imperium diuidendum est*; tradent bestiæ potestatem suam, & vna cum bestia bellū gerent contra agnum. *Hinc apparet, Romam post conuulsionem Imperij, cum agno pugnaturam. Sed Roma longo tempore ante Imperij conuulsionem defit Ethnica esse. Ergo non Romam Ethnicam, sed Papalem & Antichristianam significat meretrix ista.* Hanc insciti am descripsit bonus Pouelus ex Abbato; forsan Abbato non inuito; quo ipso ab infamia furti liberatur. Sed hanc stultitiam satis iam supra deteximus & redarguimus. Tantum obseruetur hîc Poueli constantia. Paulò antea negauerat, per *meretricem* intelligi posse Romam, sed insano clamore vociferabatur, eo nomine accipi debere Antichristum in Romana vrbe dominantem. Nunc probus Pouelus, *Dauidis filius*, eius, opinor, qui Gyraldi VValliam seu Cambriam fatuis suis scholiis deturpauit & defœdauit; sui parum memor, dicit, per *meretricem* intelligendam Romam non Ethnicam, sed *Papalem & Antichristianam*. Vide hæc tanta in iuuenili ætate obliuio, ô Pouele! An ex furore? Perge.

Bestia, quæ è mari ascendit, *Apocalyps. 13.* & habet capita septem, atque cornua decem, *est Ethnica Roma: hæc quidem geret bellum cum sanctis. Sed, post eam* ascendit alia bestia è terra, habens duo cornua similia agni: *verum hæc bestia, non est Ethnica Roma, non enim Cæsar Ethnicus, sed Papa Romanus, se externa specie vt agnum gerit. Hæc bestia posterior*, omnem potestatem prioris bestiæ exercebit. *Sed bellum gerere contra sanctos, & eos vincere, est inter potestates prioris bestiæ. Ergo*, &c. His quæ bellus Pouelus asserit, nihil deest, nisi solida probatio. Nam per bestiam ascendentem è mari, intelligi ipsum Antichristum Apocalyps. 13. verior & certior est interpretum sententia, cui textus omnesque eius circumstantiæ mirè consonant. At sit Roma Ethnica, vt vult Pouelus; quid tum? An ideo per secundam *bestiam*, de qua in eodem capite v. 11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra* intelligitur *Roma Papalis*, vt loquitur Pouelus? Si mentis non esses impos, vidisses quiduis potius per hanc alteram bestiam denotari, quàm Christianam Romam. Sed furor caret oculis. Vide, si potes, Riberam, & dicet tibi, cuius hæc altera bestia sit typus.

Hæc posterior bestia, inquit Pouelus, multa edet signa, & seducet incolas terræ, propter signa, quæ

faciet in conſpectu prioris beſtiæ. *Sed Ethnica Roma, vel Imperatores in ea, nulla ediderunt miracula, quibus ſuas religiones confirmarent. Papa verò Romanus, & eius Monachi ſuas ſuperſtitiones innumeris, licet commentitiis, miraculis aſſeruerunt, & per ea incolas terræ dementarunt.* Iam dixi, per ſecundam beſtiam nec Ethnicam, nec Chriſtianam Romam intelligi Apocalypſ. 13. ſed eximium quendam Antichriſti Pſeudoprophetam & præconem, qui multos offuciis ſuis dementabit, & ad Antichriſti partes falſiloquentia ſua pertrahet. Legatur Ribera.

Pouelus aërem verberat; qui rurſus immemor ſui, ambabus manibus amplectitur, quod *dant Monachi*, nempe *meretricem* intelligi debere, de ea Roma, quæ habet imperium in Reges terræ. Superius hoc ne ad aures quidem admittere volebat; nunc obuiis vlnis id accipit, & inde infert; hanc meretricem, eſſe *Romam Papalem*, quia habet imperium in Reges terræ: Num temporale & politicum? de quali imperio loquebatur Ioannes? Num Reges terræ, quoad politiam & adminiſtrationem ciuilem ſunt ſubditi Papæ, prout Reges olim ſubdebantur Romæ? Num Rex Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, & Imperator Romanus, ſuis in Regnis nihil ſtatuunt & ſanciunt, inconſulto Papa? *qui* vt mentiris, *multò ſæuius imperat Regibus, quam Imperator olim vnquam fecit.* Nimis patulum eſt hoc mendacium, vt & alia, quæ ſubnectis. Non egent oſtenſione, multò minus refutatione. Primo aſpectu euaneſcunt; vt & hoc; *Monachos Loiolanos concedere, per meretricem Apocalypticam poſſe intelligi Romam Chriſtianam.* Mentiris iterum; non concedit hoc Bellarminus; ſed loquitur ex hypotheſi, nihil obtenturos aduerſarios, licet concederemus, per mulierem illam intelligi Romam Chriſtianam; non enim ſequeretur, ideo eam fore Antichriſti ſedem, quandoquidem ante Antichriſti aduentum à decem Regibus deſolabitur & exuretur.

Obiicit Pouelus, *Antichriſtum Romam oppugnaturum, & igne exuſturum eſſe. ſi vel vno apice ex ſcriptura deſumpto, ratum fecerint Monachi, parati ſumus manum dare, eique, vt victoribus, palmam concedere, & coronam, triumphi inſigne, capitibus eorum imponere. Quod cum ex ſcriptura nec fecerint, nec faciant, nec facere conentur: faceſſant nugatores iſti cum ſuis anilibus fabulis, ac deſinant quæſtus ſui cauſa figmentis iſtis Eccleſia Dei imponere.* Dicit quidem hic Bellarminus, Antichriſtum odio habiturum Romam, & cum ea pugnaturum, eamque deſolaturum & incenſurum; ſed loquitur de Antichriſto non in ſe, ſed in decem illis Regibus, qui Antichriſtum immediatè antecedent, & quaſi illius præcurſores erunt; Hinc quod per illos faciet, id ipſe facturus non iniuria iudicatur. Quia verò Pouelus nobis coronam pollicetur, ſi vel apicem de Roma per Antichriſtum exurenda protulerimus, en tibi non vnum duntaxat, ſed plures apices. Apocalypſ. 17. Et decem cornua (Reges decem) quæ *vidiſti in beſtia*, &c. hi odient fornicariam, *& deſolatam facient illam*, &c. *& ipſam igni concremabunt.* Oblatrat Pouerlinus. *Ergo non Antichriſtus, ſed decem Reges hoc facient.* Imo & Antichriſtus; ſed in ſuis anteceſſoribus; & fortè ſub exordium ſui regni, durantibus adhuc decem iſtis Regibus; ipſe etiam per ſe & ſuos manus demoliendæ Romæ admouebit. Si igitur Roma poſt decem illos Reges partim ſubactos, partim penitus exſtinctos, non exiſtet amplius, quomodo Antichriſti ſedes erit?

Affingit Pouelus Monachis hoc argumentum ex rudi & incondito Poueliano cerebro extuſum. *Nemo id poteſt dicere, aut ſtatuere ſedem Antichriſti, quod ab iis oppugnabitur, qui Antichriſtum pro Meſſia adorabunt.* Atqui, *Roma à decem Regibus, qui ſibi diuident Romanum Imperium, oppugnanda dicitur.* Ergo: *Nemo poteſt dicere, aut ſtatuere Romam eſſe ſedem Antichriſti.* Excutiat Lector totum Bellarminum, ſi in illo hunc ſyllogiſmum repererit; non recuſabo, quo minus Pouelum ab amentiæ & furoris nota hic & vbique liberum pronunciet: qui ad plaſma & phantaſma ſuum ea reponit, quæ referre piget; deque decem Regibus Apocalypticis, & toto illo S. Ioannis loco cap. 17. tam ruditer & imperitè blaterat, vt neque Ioannem, neque Danielem vnquam aſpexiſſe videatur, vel ſi contendas aſpexiſſe; contendam ego, ſobrium non aſpexiſſe. Quis enim exiſtimet ſobrij hominis eſſe hunc ſyllogiſmum, inſipientiæ Poueliane luculentum ſymbolum, quo tamen ipſe in nos retorqueri putat, quidquid contra eum Antichriſtum, quem ipſi architectantur, diſſerimus. *Certò certius eſt, eam fore Antichriſti ſedem, quam regna, dum cum Antichriſto ſortantur, & eius vino inebriantur, omnibus coniunctis viribus propugnant; rurſus verò, oculis nimirum à Deo illuminatis, oppugnant. At Reges & regna, dum cum muliere Antichriſtiana ſortantur, & vino fornicationis eius inebriantur, Romam propugnarunt: & rurſus, oculis ipſorum illuminatis, & cordibus conuerſis, eandem oppugnarunt.* Ergo, *Roma eſt ſedes Antichriſti.* Reſpondeo, certo certius eſſe Pouelum deſipere; & tam Maiorem, quàm Minorem fanatici huius ſyllogiſmi falſam eſſe; neque vlla veriſimilitudinis ſpecie ex ſacris litteris, vel vllo probato doctore comi & pecti poſſe: Nuſpiam enim in ſacris litteris proditur, decem illos Reges, qui poſt *beſtiam*, hoc eſt, poſt Romanum Imperium, erunt, Romæ fautores & patronos fore; ſed Ioannes abſolutè dicit: *Hi odient fornicariam, & deſolatam eam reddent*, &c. *& eandem igne comburent.*

Sawbrandus rem totam hoc ſyllogiſmo cõficit. *Antichriſtus habebit ſuam ſedem Hieroſolyma. Papa nunquam habuit ſuam ſedem Hieroſolyma, ergo Papa non eſt Antichriſtus.* quem ſuum ſyllogiſmum mox demolitur Sibrãdus magna animi alacritate; cõgerens, quidquid ſcommatũ & conuiciorũ olim à ſcurris, ſannionibus, Poëtaſtris, Rhetorculis,

ſchiſma-

Schismaticis, aliisque liuido oculo Romam & Romanum Pontificem intuentibus, effusum & effutitum est; quasi huiusmodi rabulæ & osores, aliiq; sinistro affectu excœcati tanti debeant pēdi, vt propter illos, Papa habendus sit Antichristus, & Roma, Antichristi Sedes. Nec cogitant isti, nos vni Pontificis Romani & Romanæ vrbis vituperatori & calumniatori opponere posse decem, viginti, triginta, & quod excurrit laudatores: non diobolares & triobolares, quales plerique ex illis, quos Sibrandus, & alij Sectarij producunt, sed famæ & existimationis præclarissimæ; & qui sua luce omnes illos tenebriones obruant.

CAPVT XIV.

De doctrina Antichristi.

DE doctrina Antichristi furiosissimè detonant & declamitant Prædicantes. Abbatus plurimas pagellas consumit, in quibus omnibus vix quidquam aliud facit, quàm mentiri; quod ei videtur esse *viuere*. *Papistæ defecerunt*, si vera canit iste Batus, *à vera Ecclesia, à doctrina Christi & Apostolorum illorumque, qui his proximè successerunt; Papistæ sanctos impiè colunt & inuocant. & ex illis idola faciunt; veri idololatræ, quia imagines & crucem venerantur; Purgatorium ab Ethnicis mutuati sunt; delectum ciborum, cœlibatum sacerdotum à priscis hæreticis; sacerdotibus concubinas permittunt; non autem vxores; conquiritur de hoc fictitia epist. Hulderici Episcopi Augustani ad Nicolaum I. Pontificem.* Testantur idē conuicia in Gregorium VII. Pont. Max. quæ plenis faucibus eructat Abbatus: item illa, quæ ex libro quinto Annalium Boiorum Auentini in suas chartas transcripsit, & lepidi illi versiculi, ad Calixtum & Innocentium Papas, pro coniugio sacerdotum, quos Abbatus, veluti gemmulas ex Catalogo testium *Veritatis* sublectos, suis nugamentis inseruit; non sine ingenti exaggeratione figitiorum, quæ, vt aiunt, ex cœlibatu nascuntur, hoc est, vt ego interpretor, quæ Lutheristæ & Caluinistæ ipsimet partim patrant; partim fingunt; & ficta innocentibus affingunt. Iam verò, quis fando explicet, quanta monstra comminiscantur Papistę de *Transubstantiatione*; & multis aliis Christianæ religionis mysteriis? Quid, quod nec *meritum & satisfactionem Christi intactam & integram relinquunt*: Sed in officium quoque Mediatoris inuolant; & sanctis illud transcribunt; quos etiam certis functionibus, imò & opificiis præficiunt, & in eorum gratiam *latriam*, *duliam*, & *hyperdulliam* commenti sunt: ita Christum *ex omni parte confodiunt, & crucem eius euacuant, & aduentum in carne abrogant, & perinde omnia in sanctis & cæremoniis suis constituunt, ac si nihil Christus pro genere humano, & Ecclesia sua præstitisset: quin, quod dictu & auditu horribile est, & salem, & panem & aquam exorcizant.*

Ex his igitur & id genus aliis infinitis, quæ Abbatus ex scurrarum & calumniatorum mendacissimis & contumeliosissimis scriptis in Farraginem & malè consutum centonē suum transtulit; liquidò eluescit, quàm Papistæ auij à vero eant. Quis igitur dubitet, *doctrinam Papistarum esse ipsissimam Antichristi doctrinam*; præsertim cum, vt Danæus hic testatur, *idem clarissimè ostendant tot libelli Latinè & Gallicè scripti de hoc argumento.* Qualis ille est, qui inscribitur, *Clypeus fidei, Baculus fidei; collatio fidei, Decades Bullingeri, Parua Confessio Bezæ, Institutio Caluini*, inprimis epistola ad Regem Galliæ, Institutioni præfixa. Miror omissum librum, qui *Apiarium* inscribitur: omnium Prædicantium promptuarium, quando mentiendi & calumniandi campum ingredi cogitant; in eo enim paratā, & quidem copiosissimè paratam materiem inueniunt. His testibus, si vt apti recipiātur, quid non obtinebunt Sectarij? Sed valeant istæ nugarum nugæ; ex Nouatorum tonstrinis, circulis & compitis desumptæ; sexcenties ab orthodoxis scriptoribus repulsæ & profligatæ.

Ex similibus mendaciis & criminationibus contexuit nugiuendus Pouelus totum fermè suum secundum librum de Antichristo, seu Ecclesia Antichristi; nam si tu, quę blaterat, à cap. 6. vsq; ad trigesimum tertium, in formam syllogisticam coniicere velis, semper Maior erit falsa, & Minor insigne ac luculentum mendacium: id vt videas adscribam nonnulla exempla. Toto libro secundo disputat de Antichristiana Ecclesia, eaq; propriè sic dicta; cui verus & propriè dictus, *Antichristus*, iudicio Poueli, præsidet: postea multis capitibus loquacissimè percurrit *sacras literas; orationem Dominicam, symbolum Apostolicum & decalogū*; & quid contra quodlibet caput *Antichristiana*, hoc est, vt ipse ait, *Papana* Ecclesia sentiat; vbi tamen non sensum nostræ & Catholicæ Ecclesię profert, sed pruriginem mentiendi & sycophantandi, prodit, qua Pouelus iste totus à vertice malè sani capitis vsq; ad plantas pedum ardet.

Iam gustus gratia apponamus aliquot insulsitatis & pseudologiæ Pouelianæ exempla: *Omnis Ecclesia, quæ sacræ Scripturæ maiestatem non relinquit sartam tectam; est Antichristi. Papana Ecclesia non relinquit sacræ Scripturæ maiestatem sartam tectam, ergo Papana est Ecclesia Antichristi.* Huius plasmatis Maior est falsa loquendo propriè de Ecclesia Antichristi; nam talis non est nisi illa, cuius sua in persona Antichristus caput, dux & gubernator erit: tametsi non abnuo, latè sumendo Ecclesiam Antichristi, Maiorem concedi posse. Sed, vt iam dixi, Pouelus vt de Antichristo, sic & de Ecclesia Antichristiana strictè & presè loquitur. Quocirca Maior est falsa. Nam quælibet hæreticorum collectio & congregatio maiestatem sacræ Scripturæ violat; nec idcirco est Ecclesia Antichristiana propriè & strictè accepta. Minor porro, nil nisi purum putum mendacium est: Ne minima qui-

dem in re violat Ecclesia Catholica diuinarum litterarum maiestatem & sanctimoniam. Nemo vocat eam *imperfectam & insufficientem* in se, & in suo genere; si quis hac phrasi vsus est, is hoc fecit, habito respectu non præcisè ad scripturam, sed ad totam latitudinem eorum; quæ Christiana religio fidelibus credenda proponit. Nemo vocat scripturam *nasum cereum*, vel *regulâ Lesbiam*, in se; sed comparatione vestri; qui eam fingitis & refingitis, versatis & reuersatis, prout fert vertigo vestri capitis. Nemo vocat Scripturam litteram mortuam, nisi ratione vestri; qui cum eum vestro arbitratu explicetis, contempta Ecclesiasticæ traditionis regula; non vitam, sed mortem inde hauritis; nec ad spiritum eius penetratis, sed in cortice litterarum hæretis; & vestra somnia pro Spiritus sancti sensu substernitis. Nemo dicit, *Scripturam ab Ecclesia habere totam suam auctoritatem in se & in actu primo*; sed quisquis hoc asserit; is hoc aliter non vult intellectũ, quam de auctoritate Scripturę quoad nos; hanc enim habet per testificationem & propositionem Ecclesiæ. Itaq; mendacium Minoris non probat Pouelus, nisi aliis mendaciis; nam quod Scripturam nominamus *obscuram*; quodque *ambiguam*, absque certo & fideli interprete; id non est maledictum, sed benedictum; experientiâ propriâ vniuscuiusq; sani lectoris quotidie comprobatum.

Nec tamen Pouelo suffecerunt hæc mendacia pro stabiliendo Minoris allatæ mendacio; plura promit; vt; *Papanam Ecclesiam violare sacræ Scripturæ Maiestatem, quando prohibet Scripturam alio sensu accipi, quàm eo, quem tenet ac tenuit sancta mater Ecclesia*: Item dum *Laicis promiscuè non permittit sacræ Scripturæ vernaculam lectionem. Dum imagines collocat in templis ad erudiendum populum, tanquam idiotarum libros. Dum Pontifici Romano potestatem tradit definiendi controuersias fidei.* Item, *doctrinam Romani Pontificis* (ex cathedra) *esse regulam fidei infallibilem.* Hæc & id genus alia non sunt in sacras litteras iniuriosa; sed sunt pia & Spiritus sancti sensui conformia sensa & instituta.

Quædam à Pouelo pro confirmatione mendacij in Minore comprehensi, adducta, nil aliud sunt, quàm luculenta mendacia: Vt *Papanam Ecclesiam Apocryphis & humanis scriptis auctoritatem Canonicam & planè diuinam tribuere. Eandem humanas traditiones sacræ Scripturæ agglutinare, vt impleatur; & huic illas præferre. Eandem miserè dilacerare, peruertere & detorquere sacram Scripturam ad fanaticas opiniones, ad Antichristianismum stabiliendum.* Item, *Ecclesiam Papanam nullum authenticum & indubitatum bibliorum exemplar retinere. Ab eadem solam vulgatam editionem Latinam authenticam factam, neglectis & contemptis Hebraicis & Græcis fontibus.* (Nunquàm iussit Ecclesia aut tacitè aut apertè, vt Hebraici & Græci fontes negligantur, multò minus vt contemnantur. An non elegantissimè in Ecclesia Romana typis excusi extant?) Eiusdem farinæ sunt cætera, quę Pouelus garrit. Cuius tota disputatio hoc vitio laborat; quòd omnes eius propemodum partes nullo negotio in Caluinistas & Lutheristas, aliosque Nouatores retorqueri possunt; & quidem ita, vt Minor sit verissima; Maior vera ex sensu Poueli; & bona conclusio ex præscripto Dialecticæ.

Accipe retorsionis specimen: *Illa Ecclesia, quæ sacræ Scripturæ maiestatem intactam non relinquit, est Ecclesia Antichristi; Ecclesia Caluiniana, Lutherana, Schwenckfeldiana, Anabaptistica, non relinquit sacræ Scripturæ Maiestatem intactam; ergo Ecclesia Caluiniana, Lutherana, &c. est Ecclesia Antichristi.* Maior est Poueli. Minor patet: *Quia Caluiniani & Lutherani integros libros de sacræ Scripturæ corpore detruncant & amputant*, vt alia eorum innumera sacrilegia in sacras litteras commissa tacitus prætream.

Consimilem syllogismum cudit Pouelus circa Symboli Apostolici articulos: *Illa Ecclesia, quæ horrendum in modum singula fidei capita adulterat, mutilat, depraua t; aut planè negat & tollit; adeo vt ne vnum quidem fidei articulum sincerè ac solidè teneat ac credat; est Ecclesia Antichristi; Papana Ecclesia hoc facit; ergo Papana Ecclesia est Ecclesia Antichristi.* De Maiore idem dicendum & sentiendum est; quod de Maiore primi syllogismi. Minor est crassum, & probè fartum Poueli mendacium; quod plurimis aliis mendaciis percurrendo singulos Symboli articulos; stabilire nititur.

Annotemus nonnulla. I. Mendacium. Hoc dogma: *Papam esse Vicarium Christi, aduersari primo Symboli articuli; Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Ex quo nascitur hæc consequentia: *Papistæ credunt Papam esse Vicarium Christi; ergo non credunt in vnum Deum, Patrem omnipotentem.* II. Mendacium. Item hoc: *Purgatorium esse.* III. Mendacium. Et hoc: *Imagines esse adorandas*, id est, *colendas.* IV. Mendacium. Et hoc: *Sanctos inuocari debere.* V. Mendacium. Et hoc: *Missam esse sacrificium propitiatorium, &c.* Nimis citò abrupisti filum tuæ mendaciloquentiæ. Qua fronte hæc dogmata primo Symboli articulo repugnare asseruisti; eadem dicere poteras eidem articulo repugnare omnia alia placita, quæ vestro palato non placent. Cur inuidisti nobis oblectationẽ, quam percepissemus ex hisce acutissimis tuis consequentiis: *Papistæ credunt confirmationem, extremam vnctionem; Matrimonium, Ordinem, Pœnitentiam, esse Sacramenta; ergo non credunt in vnum Deum*; vel, ergo *horribiliter primum Symboli articulum dilacerant & discerpunt. Papistæ credunt Lutheristas & Caluinistas esse hæreticos; ergo non credunt in vnum Deum.* Firmiter credo, saltem fide humana, Pouelum esse insulsum & insicitum calumniatorem; ergo grauissimè impingo in illum articulum; *credo in vnum Deum.* O næniolas.

Nos mendacia Poueliana supputare pergamus. VI. Mendacium. *Papanam Ecclesiam in primum articulum delinquere, quando negat, fidem esse fiduciam*

ciam illam, quæ vsque adeo Sectarij sibi blandiuntur, & prurientes aures titillant. VII. Mendacium. *Ecclesiam Papanam ponere in sanctis*, hoc est, *in beatis, fidem.* Vt vnus vel alius id fecerit; Ecclesia certè communi decreto id non fecit, & Pouelus non nisi mendaciter citat Concilium Tridentinum sess. 25. *de inuocatione & veneratione Sanctorum*; & vt quis habitum fidei in beatis remanere diceret; mendacium tamen esset, hanc assertionem primo Symboli articulo repugnare. Sed fortè Pouelus per *fidem*, more suis vsitato, intelligit *fiduciam.* Sed ne sic quidem à mendacio se expediet. VIII. Mendacium. Repugnare primo articulo symboli Ecclesiam *Papanam*, dum docet; *charitatem esse formam fidei.*

IX. Mendacium, & quidem effrons & illustre; *Ecclesiam Papanam docere, Ethnicos potuisse habere fidem iustificantem ex naturali cognitione Dei, & operibus creationis.* Citat Caluinista Andradium explicat. orthod. lib. 3. Sed vt Andradius hoc asseruisset, num ideo talis assertio toti Ecclesiæ tribui deberet? An Andradius fuit tota Ecclesia? An ideo tota Ecclesia id sensisset, quia Andradius ita sensisset? Et tamen hac fallacia vbique in stramentitio suo libro de Antichristo vtitur Pouelus. *Hic vel ille sensit aut scripsit hoc; ergo Ecclesia Papana hoc vel illud sentit aut scribit*: quasi vnus vel alter scriptor sit tota Ecclesia; quamuis plerumque falsò & sycophanticè Auctores allegat, vt & hîc Andradium; qui nil aliud voluit, quàm ex rebus creatis eam cognitionem naturalem vnius Dei hauriri posse; per quam quis, gratia Dei præuentus & adiutus, postea vlterius progredi; & ad supernaturalem quoque Dei cognitionem peruenire queat.

X. Mendacium. *Ecclesiam Papanam statuere, fidem semper esse coniunctam cum dubitatione.* XI. Mendacium. *Fidem tantum versari in propositionibus generalibus, non in particularibus*: nam & hoc particulare factum credit fides: *Christus natus est ex virgine, crucifixus à Pilato. Tertia die resurrexit, &c.* Si velit Pouelus: nostro iudicio; fidem non ita esse comparatam, vt debeat quis credere certò & infallibiliter se esse iustum; se vitam æternam adepturum: rectè quidem de mente nostra sentit; sed mentitur, cum hanc sententiam primo Symboli articulo aduersari dicit.

XII. Mendacium. *Papanam Ecclesiam docere, homines saluari posse generali fide; nihil explicitè credendo.* XIII. Mendacium. Repugnare primo Symboli articulo eum, *qui negat, hominem sola fide, absque operibus, iustificari.* XIV. Mendacium. Repugnare eidem articulo, *picturam, qua Deus pater, vt homo grandæuus, cano capite, promissa barba, & sceptrum in manu tenens, repræsentatur.* XV. Mendacium. In eundem articulum impingere Ecclesiam, *quando Trinitatis imaginem depingit, & populo adorandam*, hoc est, *colendam, proponit.* XVI. Mendacium. Ecclesiam Papanam, *negare solum Deum esse creatorem.* XVII. Mendacium. *Magistrum sententiarum docere potestatem creandi posse communicari creaturæ*; & intelligit, vt causæ principali. XVIII. Mendacium. *Secundum omnes Pontificios sacrificulum in Missa esse creatorem sui creatoris*, & loquitur Caluinista propriè de creatore. XIX. Mendacium. *Ecclesiam Papanam negare, solum Deum esse æternum*: Quidam doctores docent, quamlibet creaturam potuisse esse ab æterno. Num ideo *Papalis* Ecclesia tota hoc docet? Deinde; vt maximè hæc sententia vera esset; tamen non præiudicaret æternitati Dei; quia æternitas Deo competit ex sua natura & intrinsecè; creaturæ, si ab æterno exstitissent; non quadrasset, nisi per participationem & extrinsecè, diuino munere. Adde, quod nemo dicit aliquid, præter Deum, fuisse de facto ab æterno: sed omnes pleno ore confitentur, solum Deum reipsa ab æterno exstitisse.

XX. Mend. prorsus monstrosum & horrificum: Ecclesiam Papanã, *Deum prorsus negare & contemnere.* XXI. Mend. Ab eadem *Deum suis proprietatibus, iustitia & misericordia spoliari.* XXII. Mend. Ecclesiam Papanam variis modis secundum articulum: *Et in Iesum Christum filium eius, &c.* abnegare & adulterare; & primò cum negat Christum esse ἀνθρωπον. Negat certo sensu, de quo lib. 2. de Christo cap. 19. XXIII. Mend. *Papanam Ecclesiam negare, Christum esse vnicum mediatorem.* Et loquitur de mediatore primario & principali. XXIV. Mend. Huic mediatori, qua talis, *in merito & honore adiungi sanctos.* XXV. Mend. *Et associari in multis officij partibus Mariam Virginem.* XXVI. Mend. Papistas negare, *Christum esse perfectum nostrum seruatorẽ.* Adiungitq; Mend. *Eos merita humanorum operum adiungere, vt perfecta sit nostra redemptio, ex parte scilicet Christi.*

XXVII. Mend. Papistas docere, *syllabas & litteras nominis* IESV *secundum se venerandas esse.* Nemo ita sentit; sed venerandum esse hoc nomen, prout Saluatorem nostrum significat, atq; adeo formaliter vt signum ex corde & ore clam & palam profitemur.

Non possum hîc silere, quod in Centenario suo decimo sexto commemorat Ioannes VVolfius pro tempore tunc Lutheranus, forsan nunc Caluinianus: quia isti nunquam in eodem statu permanent. Audiamus verba VVolfianã siue eius, ex quo VVolfius exscripsit. *Hoc tempore anno M. D. XCV. (vt quidam primarius Theologiæ Doctor audiuisse se ex illustri viro retulit) in loco N. quidam mancipij opificij iuuenis, cùm in concione ad mentionem nominis* IESV *(merito enim in nomine* IESV *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: Phil. 2.) Saluatori suo debitum exhibuisset honorem; à concionante propterea vehementer increpatus; &, cùm non pareret, à lictoribus prehensus, ac per triduum in carcerem detrusus fuit.* Hic minister proculdubio Caluinianus fuit; nam Caluini spiritus impatiens est omnis venerationis, quæ sanctissimo huic nomini defertur.

Videamus porro, quid iudicij ferat de hoc Caluiniani Prædicantis facto Lutheranus VVolfius. *Hæc est vltima senecta peruersi huius mundi, & in reprobum dati sensum peruicacia, vt homines impietate, & malitiâ etiam Diabolos superare contendant: atq; minus honoris præstent Deo, Christoq; Redemptori suo, quàm de ipso Satana memorarunt veteres. Nam in vitis Patrum, & Speculo exemplorum reperitur; quòd Diabolus aliquando ingressus templum, & videns quendam ad pronunciationem nominis Iesu non incuruare se, nec aperire caput; alapam ei infregerit, & summam ingratitudinem turpiter exprobrauerit. Interea tamen, si quis eiusmodi concionatorem fortè in platea obuiam haberet, aut compellare vellet, & non aperto, humique demisso capite prolixam ad pedes vsq; deferret ei reuerentiam, an non putas apud eum statim anathematis rem fieret? Cuius ergo spiritus filij sunt istiusmodi Christomastiges, pius lector iudicet. Et videbunt illi tandem, in quem pupugerunt.* Hæc in gratiam Poueli sanctissimo nomini IESV Caluinisticè omnem honorem eripientis omissa non oportuit.

XXVIII. Mend. Ecclesiam Papanã in secundum symboli articulum delinquere, *dum Loiolanos Monachos tolerat & approbat.* Nam quod adiungit, Iesuitas, se *blasphema ore & insolenti iactantia venditare pro Socijs Iesu Christi*, id quo minus XXIX. mendacium numerem causæ nihil habeo dicere. XXX. Mend. Ecclesiam Papanam Euangelicæ doctrinæ *de Christi officio contradicere.* XXXI. Mend. *Prophetiam negare.* XXXII. Mend. *Sacerdotium tollere.* XXXIII. Mend. *Ab Ecclesia negari Prophetiam Christi, cum traditiones & constitutiones humanas verbo Dei agglutinat.* Quis agglutinat? XXXIV. Mend. Ecclesiam sacrificio Christi detrahere; quia asserit, non nisi pro *peccato originali passum esse.* O portentũ mendacij. XXXV. Mend. Docere; *Christum, non nisi solam corporis mortem pertulisse; redundare in iniuriam sacrificij Christi.* An exspectas, vt cum Caluinistis tuis blasphememus, Christum etiam mortem animæ pertulisse; & gehennæ tormenta subiisse? Absit, absit, tanta impietas à Christianorum cordibus. XXXVI. Mendacium. *Sacrificium Missæ derogare sacrificio crucis.* XXXVII. Mend. Dicere; *Sacerdotes nostros esse Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech, cautumeliosum esse in Christum.* XXXVIII. Mend. *Papanam Ecclesiam tollere sacrificium Christi*; & in confirmationem mendacij adiungitur aliud: *Ecclesiam negare, Christum esse mediatorem intercessionis.* XXXIX. Mend. *Ecclesiam Christum regno suo exuere, illudq; Romano Antichristo tradere.*

Tertium articulum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, &c.* à Papana Ecclesia variè itidem contaminari & penitus euerti mentitur Pouelus. XL. Mend. Euerti hunc articulum, dum Ecclesia definit, *Mariam Virginem sine labe peccati originalis conceptam fuisse.* Non definiuit hoc Ecclesia. Mentiris, dum pro hac definitione Concilium Tridentinum citas. Et licet Ecclesia hoc definiuisset; nil in tertium symboli articulum deliquisset. XLI. Mend. *Euerti hunc articulum, quando Christum natum fuisse, sicut & cæteros homines aperto matris vtero negamus.* Imò Caluinistica opinatio & impietas hunc articulum funditus subruit. Quomodo enim Christus ex Maria Virgine natus est, vt habet articulus, si non salua & illæsa virginitate ex Deipara natus est? XLII. Mend. *Per transubstantiationem euerti veritatem incarnationis & humanitatis Christi.*

Quartum articulum, *passus* sub Pontio Pilato, &c. Mentitur Pouelus miserè diuexari & euerti *à Papana Ecclesia.* XLIII. Mend. Negare Ecclesiam, *satisfactionem Christi mereri nomen satisfactionis pro peccatis nostris.* XLIV. Mend. Ecclesiam docere, *Christum tantùm pro originali peccato passum & mortuum esse.* XLV. Mend. Ecclesiam negare, *Christum effectiuè* (quoad fructum & effectum) *esse Agnum occisum ab origine mundi.* XLVI. Mend. Impiè agere Ecclesiam, *dum docet, Christum non nisi corporis solum pœnas & mortem propriè pertulisse.* Etiam in anima tristitiam & afflictionẽ passus est Christus: sed non illam, quam impius Caluinus commentus est. Qui aliam mortem, præter mortem corporis, in Christo statuit, ille blasphemè insanit. XLVII. Mend. Ecclesiam docere, *Christum nobis meruisse suâ passione & morte primam tantùm gratiam*, videlicet, *meritum congrui, vel gratiam gratis datam*, id est, *infusionem charitatis.* Quis non videt istum ex nimia mentiendi impotentia in amentiam versum? Nam quod Gabrielem citat, id nihil est: Eodem iure citare potuisset Nasonem vel Maronem.

XLVIII. Mend. Ab Ecclesia quartum articulum euerti, dum docet: *Christum descendisse ad limbum animas Patrum inde erepturum.* Dic Caluinista: quid significat illud symboli: *Descendit ad inferos*; si non significat descensum Christi ad inferos? XLIX. Mend. Ab Ecclesia euerti hunc articulum, *dum Crucem, in qua mortuus est Christus, quin & quamlibet aliam Crucem, & signum Crucis cultu religioso & planè diuino adorat.* Latet tamen anguis in vocula; *planè diuino*; nam licet auctores, quos citat, crucem cultu latriæ colendam tradant; diuersitatem tamen in modo statuunt; vt omnibus notum est.

Quintum quoque articulum; *Tertia die resurrexit à mortuis*; exagitari & adulterari ab Ecclesia *Papana* calumniatur. L. Mend. Hanc deprauationem in eo consistere, quod Ecclesia affirmat, *Christum ex clauso sepulchro surrexisse non remoto aut cedente, sed penetrato lapide sepulchri:* nam Caluinistæ ita statuunt, Christum, etiam vsque ad hodiernum diem, in sepulchro mansurum fuisse; nisi lapis amotus fuisset, vel resurgenti sponte cessisset. LI. Mend. Ecclesiam negare, *corpus Christi post resurrectionem, non retinuisse naturales corporis proprietates, sed inuisibile & impalpabile factum esse*, citatque mendacissimè Bellarminum Tom. 3. lib. 3. cap. 6. LII. Mend. Ecclesiam hunc articulum adulterare, quando *quotannis simulacrum Christi sepulchro includit, & huic excubitores adhibet sacrificulos & Mona-*

chos.

chos. Sic enim loquitur Pouelus, cui non sufficit mentiri, nisi calumniis mendacia sua farciat. LIII. Mend. In articuli huius fraudem cedere *peregrinationes, ad locum illum, quem Christus sua sepultura nobilitauit.* Itaq; in Poueliana Dialectica hæc consecutio erit proba. S. Hieronymus religionis ergo peregrinatus est Hierosolymam, ad sepulchrum Domini, ergo articulum illum symboli: *Tertia die resurrexit à mortuis:* affecit Hieronymus summâ iniuriâ.

Nec sextus articulus: *Ascendit in cœlum, &c.* inuiolatus manet à *Papana* Ecclesia, si non mentitur Pouelus. LIV. Mend. Corrumpi hunc articulum ab Ecclesia, dum docet, *Christum in cœlos adscendisse, non diuiso vel disrupto, sed penetrato cœlo.* LV. Item *dum docet, carnalem Christi, etiamnum in hac terris præsentiam in Eucharistia.* Calumnia inest in vocabulo *carnalem*; muta in *realem* & *substantialem*; & agnoscemus, quod dicis; tametsi te à mendacio liberare nequeamus, dum hoc dogma articulo de Ascẽsione Christi in cœlum contrarium esse dicis. LVI. Mend. Ecclesiam negare, *Christum ad dexteram Dei, vt vnicum & æternum Mediatorem sedere:* & loquitur Pouelus de principali Mediatore, qualem, præter Christum, neminem agnoscit Catholica Ecclesia. Nam sancti Mediatores nostri sunt, sed sub Christo & per Christum.

Septimus articulus tutus est à deprauationibus Ecclesiæ, sed non à mendaciis Poueli: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* LVII. Mend. Euerti hunc articulum, quando Ecclesia docet, *Christum vnumquemque iudicaturum secundum propria merita.* LVIII. Mend. *Ecclesiam diem aduentus Christi ad iudicium præcisè definire.* Minimè definit; sed id quod iam à scriptura reuelatum est, tradit; quamdiu scilicet mundus duraturus sit post aduentum Antichristi; & quot dies interponendi ab eius interitu vsque ad iudicium. LIX. Mend. Ecclesiam docere, *corpus Christi indies è cœlo descendere, & se sacrificulis in Missa præsens sistere.*

Nec octauus Symboli articulus liber est à Pouelianis mendaciis. LX. Mend. Eum ab Ecclesia peruerti, *dum Spiritum sanctum in specie columbæ pingit.* LXI. Mend. Ecclesiam *Papanam* fingere, *quasi Spiritus sanctus sibi sit affixus; & ideo errare nequeat.* Nihil Ecclesia de affixione. Locutio hæc calumniatorum est, non eorum, quos Ecclesiæ reuerentia tenet. LXII. Mend. *Ecclesiam docere, vt homines de gratia & fauore Dei dubitent.*

Nonus articulus est, Credo, *sanctam Ecclesiam Catholicam. Hunc articulum*, inquit Pouelus, *variis modis conspurcat & abnegat Ecclesia Papana.* LXIII. Mend. Quia negat, *Ecclesiam solummodo constare ex electis*, vt Caluiniani somniant. LXIV. Mend. *Quia seipsam solùm Ecclesiam Catholicam esse affirmat.* Ita est; Num idcirco negat nonum articulum? LXV. Mend. Quia docet, *extra Ecclesiam Papæ neminem saluari posse.* Meritò. Nam qui extra vnam arcâ tempore diluuij fuit, diluuio periit. LXVI. Mend. Quia docet eum cœtum, non esse Ecclesiam, nec partem eius, qui Romanum Pontificem non agnoscit superiorem. Hoc quidem Ecclesia docet; sed hac doctrina corrumpi articulum de Ecclesia, mendacium est Pouelianum. LXVII. Mend. *Quia docet, Pontificem Romanum & Ecclesiam Catholicam esse terminos conuertibiles.* Si hac locutione nil aliud intelligatur, quam Ecclesiam Pontifici Romano adhærescentem, & Ecclesiam Catholicam, inter se conuerti; vera erit; non est enim alia Ecclesia Catholica, nisi quæ Romano Pontifici adhæret, nec alia Romano Pontifici adhæret, præter Catholicam: Poueli autem mendacium est, hoc dicto articulũ *de Ecclesia euerti, vel abnegari*, vel *conspurcari.* LXVIII. Mend. Ecclesiam docere, *maiorem esse Ecclesiæ auctoritatem quàm Dei ipsius in sacra Scriptura loquentis.* LXIX. Mend. Ecclesiam somniare *carnalem & corporalem coniunctionem inter Christum & eius membra.* LXX. Mend. *Ecclesiam impingere in nonum articulum dum excludit eos à communione Sanctorum, qui non agnoscunt Romanum Pontificem esse Vicarium Christi, & caput Ecclesiæ.* Decimum articulum, qui est, (Credo) *remissionem peccatorũ exagitat & adulterat Papana Ecclesia*, inquit Pouelus. LXXI. Mend. Adulterationem huius articuli esse, *inficiari vnumquemque electorum certum esse posse ac debere* (certitudine fidei) *de plena suorum peccatorum remissione.* LXXII. Mend. *Ecclesiam negare, perfectam peccatorum remissionem fieri in hac vita.* Non negat fieri posse; semper fieri negat, non culpa Dei, sed negligẽtia hominum dignos pœnitentiæ fructus nõ facientium. LXXIII. Mend. Adulterationem decimi articuli esse; *statuere & profiteri purgatorium post hanc vitam.* LXXIV. Mend. Item negare, *remissâ culpâ, semper integram pœnam remitti.* LXXV. Mend. Item, *concedere Papanis sacrificulis absolutè iudiciariam peccata remittendi potestatem.* LXXVI. Mend. *Ecclesiam Papanam contra vndecimum articulum, futuram carnis resurrectionem prorsus negare* Probat: Quia Ioannes XXIII. Papa Romanus *futuram carnis resurrectionem negauit.* Sed Ioannes iste non fuit Papa planè certus & indubitatus; & vt fuisset, non sequitur tamen; Ecclesiam totam in eundem errorem incurrisse; quia priuatus error Ioannis fuisset: Ecclesiæ nequaquam imputandus. Rectè etiam monet Bellarminus infrà lib. 4. cap. 14. videri hunc errorem falsò, ex vana scilicet vulgi fama, Ioanni impositum fuisse, cum in Concilio Constantiensi sess. 11. nullis testimoniis cõfirmatus fuerit, vt alij, quorum accusabatur Ioannes. LXXVII. Mend. Ecclesiam negare, quemlibet, *speciali fide credere debere, se resurrecturum.* Nam fides Catholica non tantum docet homines resurrecturos; sed & quemlibet in indiuiduo resurrecturum. Quod autem Ecclesia negat, non quemlibet fide speciali credere debere, se resurrecturum ad vitam æternam, & in consortio beatorum; id non est vndecimi articuli deprauatio; sed contrarium docere, manifesta est Sectariorum deliratio.

LXXVIII. Mend. Ecclesiam *Papanam* contra duodecimum articulum vitã æternam penitus tollere. Probat, *quia eam sustulit Ioannes XXIII.* Sed quod antea de Ioanne respondi, idé & nunc responsum volo. LXXIX. Mend. *Defendere bona opera esse meritoria vitæ æternæ, aduersari duodecimo articulo.* XXC. Mend. Vt & hoc; *hominem iustificatum extidere posse gratia atque damnari.*

XXCI. Mend. *Orationem Dominicam violari per septem horas Canonicas.* XXCII. Mend. *Per preces pro defunctis.* XXCIII. Mend. *Per cultum imaginum.* XXCIV. Mend. *Per recitationem Rosarij certo precum numero constantis.* XXCV. Mend. *Per bullas, excõmunicationes, & exsecrationes Pontificum.* XXCVI. Mend. *Per omissionem illius non necessariæ additiunculæ: Quia tuum est regnum, &c.* XXCVII. Mend. Per B hoc, *quod Ecclesia docet; Iustos posse operibus suis mereri vitam æternam; quia ne frustulum quidem panis mereri possunt,* inquit Pouelus. Certè tu nullum mereris his tot ac tantis vanidicis tuis dictis. Omitto reliquam mendaciloquétiam circa orationis Dominicæ partes effusam.

Maiestatem Sacramentorũ ab Ecclesia conculcari dicit, XXCVIII. Mend. quia docet, *Sacramenta noua legis conferre gratiam ex opere operato.* XXCIX. Mend. *Quia septem Sacramenta statuit, cum sint tantùm duo* in schola Geneuensi, nõ Christi. XC. Mend. Ecclesiam docere, *non esse necessarium, vt infantes, sub concepta aliqua verborum forma baptizentur.* XCI. Mend. *Repugnare baptismo, vt in casu necessitatis mulier baptizet.* XCII. Mend. *Sic* C *baptizatum, si è periculo euadat, denuo pòst à sacerdote baptizari.* Et quid verbis opus? Quidquid propemodum Pouelus hîc spirat & halat; id nil aliud est; nisi iugis quidam & perennis mendaciorum flatus: quem mox similis subsequitur, dum decalogum percurrit, & in quibus ab Ecclesia orthodoxa violetur, vanissimè & mendacissimè percenset. Quocunq; oculum coniicias, in mendacium luculentum coniicias oportet, vt XCIII. Mend. Ecclesiam contra secundum præceptum vti *magia, coniuratione, incantatione, & exorcismis.* Vtitur quidem exorcismis & adiurationibus, vtitur, sed num magicis contra secundum præceptum? *Ecclesiam cultum Dei mutilare, depranare, pro arbitrio mutare.* XCIV. Mend. *Vigere in Papatu Ethnicas superstitiones ac idololatrias; Mariam Virginem;* D *Petrum, Paulum, &c. perinde à Papistis coli ac Iouem, Venerem, Cupidinem, Bacchum à gentibus.* XCV. Mend. *Pontificem Romanum coli pro Deo terreno, & homine plane diuino.* XCVI. Mend. *Papistas attribuere verbo Dei vim magicam contra tertium præceptum.* XCVII. Mend. *Eos contumeliis afficere sacram Scripturam; misere dilacerare & detorquere ad fanaticas & erroneas opiniones stabiliendas.* XCVIII. Mend. *Papam adolescentibus concedere, vt in publicis ganeis libidinibus se contaminent.* XCIX. Mendacium. *Papam omnia & singula sincerioris doctrinæ & fidei Apostolicæ capita depranare.* C. Mendacium. *Pontifices multis mendaciis ementitam suam Hierarchiam, sibi comparasse. Ronifacium, Zosimum, Cœlestinum Canones Nicænæ Synodi falsasse.* A

Nec vltra hanc decadem progredi lubet: quia omnia, quę toto secundo libro Pouelus ingenti vociferatione declamitat, eiusdem prorsus sunt generis. Qui Chiliadas Pouelianorum mendaciorum contexere cupit, hic vberem inueniet materiam. Nihil hoc Caluinista ad mẽtiendum proiectius, ita vt in tanta vanitate & petulantia, velut in lucidissimo speculo, agnoscam, spiritum Antichristi, quo iam nunc Antichristi futuri herus, Diabolus, præcursores Antichristianos afflat. Contunde in mortario totum Poueli librum. Ne guttam quidem ingenij exprimes. Nihil in illo, quod vllũ ingenium, aut vllam ingenuitatis vel modicam vmbram indicet. Vehementer mirarer, reperiri vllum, qui Pouelianas nugas nugacissimas dignaretur legere; nisi scirem, iusto Dei iudicio, euenire illud Prodromis futuri Antichristi; quod Sectatoribus iam præsentis obtinget, Apostolo teste 2. Thess. 2. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio:* (Profectò, qui Pouelo credit, non nisi insulsissimo mendaciorum cumulo credit) *vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Eiusdem planè sortis & notæ sunt, quæ postea Pouelus tribus reliquis capitibus vsque ad finem libri mentitur; vbi & catalogum traditionum, ex Luthero, Kemnitio, Rullo Basileensi, & id genus aliis balatronibus describit: in quo omnes ritus & consuetudines Ecclesiæ, etiam particulares, & particularium locorum enumerantur, quasi à nobis pro diuinis & Apostolicis traditionibus venditarentur; & vt istas traditiones multiplicet; quasdam bis enumerat: nec mirum, quia in illo traditionum syllabo, etiam *Battologiam* posuerat. Cur igitur Batto nostro non liceat semel ponere; *Flagellorum patientiam*; & postea; *patientiam Flagellorum*: quasi verò nullum sit discrimen inter hæc duo in Battologica schola. Habent quoque in hoc Albo stationem suam: *Dies crucis* seu *processiones religiosæ*; subduntur infrà: *Processiones, quæ fiunt in die S. Marci & in Hebdomada Rogationum. Monachi & Moniales* visuntur inter Pouelianas traditiones. Paulò inferius: *Visuntur ordines Monachorum & Monialium.* Nec desunt *Rosaria.* Et tamen iam *sphærulæ precatoriæ* antecesserant. Inuenio & *horas Canonicas*, iam antea his verbis enumeratas: *Horæ canonicæ.* Geminantur quoque *fraternitates*, nisi fortè geminationem tollit, quòd vno loco vocantur *fraternitates*; altero, *variæ Societates.* Bis ponitur, *Agnus Dei.* Bis *asinus palmarũ.* Bis vel ter *Quadragesima.* Semel sub hoc nomine; statim sub hoc. *Quadragesimale ieiunium.* Supra. *Quadragesimale ieiunium.* Supra itidem. *Carnis priuium.* Bis, *pannus quadragesimalis*, his ipsis duabus voculis. Bis, *placentarum benedictio.* Bis, *ciborum discrimina & delectus.* Mox sequitur: *delectus & discrimen ciborum.* Bis, *eleuatio statuæ in die Ascensionis.* Paulò pòst subiicitur; *Statua lignea Christi, quæ eleuatur in die*

ascensio-

ascensionis. Bis, *statuarum adoratio.* Supra *adorationes crucis, imaginum, reliquiarum, statuarum, atq; adeo idolorum.* Ter, *dedicatio altarium, templorum.* Supra, *Altarium consecratio, dedicatio.* Infrà: *Templorum dedicationes.* Bis, *Alba & reliquæ vestes lineæ chorales.* Infrà: *Vestes chorales.* Bis, *unctio extrema.* Infrà; *unctio extrema seu infirmorum.* Bis, *discrimen vestium ad sanctificationem.* Infrà. *Vestes religiosæ, quæ indutæ sanctimoniam singularem adferant.* Bis, *suffitus.* Mox. *Thymiamata & odorata.* Bis, *cœna Domini sub vna tantùm specie.* Paulò pòst: *Communio vnius tantùm speciei.* Bis, *reliquiarum veneraciones.* Infrà, *reliquiarum, Sanctorum veneratio.* Bis, *Lucernæ.* Supra, *Casulæ, candelabra, cerei consecrati, lucernæ.* Bis, *Baptismus campanarum.* Mox, *campanarum baptizationes.* Bis, *Benedictio Episcopalis, sacerdotalis ac etiam Monialium.* Mox, *Benedictio cerei paschalis, ignis, sacerdotum, Monachorum & Monialium.* Bis, *rasura verticis.* Paulò pòst: *Tonsiones & rasuræ verticis.* Bis, *festum corporis Christi.* Suprà, *Circumgestatio & adoratio panis, adeóque Persica pompa.* Bis, *missifici sacerdotes.* Infrà, *Sacrificuli.* Bis, *Angulares Missæ.* Infrà, *Missæ priuatæ, quæ in singulis templorum angulis fiunt.* Bis, *Matutinæ nocturnales & tumultuosæ.* Infrà, *Preces tumultuosæ, quæ matutino tempore cum solenni tumultu fiunt ad sepulchrum Domini.* Bis, *Indulgentiarum nundinationes.* Mox, *Nundinatio indulgentiarum.* Bis, *Chrisma seu unctio infantum in baptismo, & adultorum in confirmatione.* Infrà. *Unctio infantum in baptismo, & adultorum in confirmatione.* Bis, *Sanctorum inuocatio.* Infrà. *Inuocatio Sanctorum.* Quis non videt istum furore & insania fuisse impeditum, vt quid scriberet, vel ex aliis exscriberet, videre nequiret? Non frustra *Battologiam* suo in fictitiarum traditionum Catalogo posuit; vt lector veniam dandam nosset, si Pouelus inani iteratione insignis Battus fieret.

Sub finem libri secundi annexit ex Catalogo Testium *Veritatis* Lutheranæ & Caluinianæ Bullam Luciferi ad prælatos Pontificiæ Ecclesiæ; haud dixerim, quo alio consilio, quàm vt intelligamus, omnia, quæ vtroque suo libro de Antichristo Pouelus exspuit, à Lucifero profecta fuisse. Et vnde nam vsque adeo diræ & tetræ lœdoriæ & pseudologiæ, nisi ab omnis nequitiæ architecto, procederent? Certè Pouelus tanta garrulitate non nostram doctrinam, sed eximiam suam mentiendi libidinem egregiè patefecit.

Nec vel vno hilo meliora sunt, quæ primis quatuor capitibus de Ecclesia, vt loquitur, *Papana* disserit. Omnia, paucis commutatis, verè transferri queunt in synagogam Caluinianam & Lutheranam, quę nunc non nisi mendaciter, Ecclesiæ Catholicæ imponit. Sed hoc fermè proprium est Pouelo, ita vibrare tela, vt è vestigio conuerti & in auctoris caput retorqueri queant. Nunc, omisso Pouelo, ad Bellarminum, & relàquos illius aduersarios reuertamur.

Ait Bellarminus, quatuor potissimum capita doctrinæ Antichristi futura, primum enim negabit Christum. Secundò, se verum Christum esse asseret. Tertiò, affirmabit se Deum esse, & pro vero Deo coli volet. Postremò, se solum Deum esse dicet: quæ omnia probat Bellarminus copiosè ex scripturis; & inde quatuor argumenta sumi affirmat contra illos, qui Papam Antichristum faciunt. Vociferatur vtrinque conuiciis, tanquam fidissimis suis lateronibus, stipatus Sutliuius; *esse longè plura Antichristi dogmata.* Non nescìit hoc Bellarminus; sed capita duntaxat, & quæ ceterorum quasi fontes sunt & scaturigines, percensere voluit. Negat Sutliuius; *Antichristum ex professo abnegaturum Christum, eiusq; doctrinam*; quia Apocal. 13. dicitur Antichristus habiturus, *cornua Agno similia*, hoc est, *finget se Agno & Christo similimum: & duo testamenta vsurpabit.* nec significaretur per *Agnum*, si Christum palam negaturus esset. Sed vt concederemus *bestiam* illam Agno similem; esse typum Antichristi; quod secus est, vt suo loco diximus; an ideo simulatus & fictitius iste Agnus palam Christo, eiusque doctrinæ bellum indicere non posset? An non pleriq; ex Hæreticis, qui Christi diuinitatem apertè oppugnant & pertinacissimè inficiantur, fingunt se *Agnos*, hoc est, miram mansuetudinem, lenitatem & benignitatem præ se ferunt, mellitisque prorsus sermonibus Christum de solio gloriæ suæ deturbare conantur, & olim quoque conati sunt? Quid de Mahometo dico? An non & ipse sub habitu *Agni* innumerabiles decepit; & tamen Christum totamque eius doctrinam absque vllo inuolucro negauit? Nec sine mysterio *Agnus* ille cornutus est: (nam natura non profert Agnos cornigeros) quia ostenditur, Agnum illum ita esse comparatum, vt si quis ficta lenitate & obtentu simulatę sanctimoniæ à Christo auelli se non sinat, cornua confestim obuertat, vimque expromat; & violenter ad obsequium suum compellat.

Nec verum est, *Antichristum cunctas suas iniquitates & impietates, quantum poterit occulturum*, quia potentia & prospero rerum successu elatus, nullius faciem, tanquam potentioris, reformidabit. Nec occultationem hanc indicat, vocabulum illud: *Mysterium*, scriptum in fronte meretricis Apocalypticæ: nam mulier illa non significat Antichristum, vt iam sæpe dictum; & patet ex fine capitis 17. Hinc & *mysterium* in eius fronte scriptum, Antichristum non tangit: Nec innuit illa inscriptio doctrinæ *occultationem*: sed, mulierem illam *septicipiti & decicorni* bestiæ *insidentem* reconditum quid & arcanum denotare. Hinc in eodem capite dixit Angelus Ioanni: *Ego dicam tibi Sacramentum* seu *mysterium mulieris.* Ex hoc tamen quod de occultatione doctrinæ commini scitur Sutliuius, probare licet, Papam non esse Antichristum. *Qui suam doctrinam non occultat, ille non est Antichristus, quia Antichristus doctrinam suam occultabit*, vt inquit Sutliuius. *Pontifex Romanus doctrinam suam non occultat; ergo Pontifex Romanus non*

est *Antichristus*. Minor certa est; quia Pontificis doctrina palam & liberè per omnes mundi partes prædicatur.

Ait Sutliuius: *Antichristum latenter ingressurum in Ecclesiam*. Non erit in Ecclesia, hoc est, in Ecclesia, sicut membrum Ecclesiæ est in Ecclesia, non magis, quàm olim Nero, Diocletianus, alij: sed extra erit; & Ecclesiam crudelissime persequetur: nec occultè hoc faciet; sed apertè, vi & multitudine sectatorum munitus. Verùm hîc etiam suppeditat nobis Caluinista contra Caluinistas argumentum. *Qui latenter non irrepit in Ecclesiam, ille non est Antichristus*. Quia Antichristus latenter irrepet in Ecclesiam, teste Sutliuio. *Papa Romanus non irrepit latenter in Ecclesiam*; nam electio eius ad hoc officium, palam fit, palam promulgatur, & per totum Christianum orbem diuulgatur; *ergo Papa Romanus non est Antichristus*.

Ait Sutliuius: *Antichristus se & suos pro Ecclesia vera venditabit; ergo non negabit palam Christum*. Perinde ac si diceret: *Mahometes palam pro cætu & collectione fidelium & Deo charorum se & suos venditat; ergo Mahometes non negat Christum palam*. Idem fecerunt olim Ariani & hodie Seruetiani & noui Samosateniani; & tamen apertè Christum Deum esse inficiantur.

Instat Sutliuius: *Qui apertè Christum negat, is ex Christianis neminem potest fallere*. Vtinam hoc verum esset. Falsitatis conuicitur à Mahomete, qui Christum apertissimè negans, tot millia Christianorum miserandum in modum seduxit; vt nil dicam de Trinitariis, qui publicè, voce & scriptis Trinitatem negant; & tamen tot ex Christianis Sectatores inueniunt, & superioribus itidem sæculis inuenerunt.

Obiicit Sutliuius: *Antichristus veniet in nomine Christi; quia est vnus ex falsis Prophetis, quos Christus in nomine suo venturos prædixit Matth. 24. ergo non negabit palam Christum*. Respondeo consequentiam nihil valere; non enim tantùm ille Pseudopropheta venit in nomine Christi, qui impietati suæ veri Christi nomen prætendit, vt fecit Lutherus, Caluinus, & similes hæresiarchæ; sed & is, qui se ipsum auditoribus suis pro Christo obtrudet: vt faciet Antichristus, qui se Messiam & Saluatorem mundi venisse gloriabitur, & vanissimè iactabit.

Occinit Sutliuius: *Antichristum non solos Iudæos, sed & Christianos decepturum*. An hoc abnuit Bellarminus? An contrarium dixit, scripsit? tametsi potissimum Iudæos in fraudem inducet, qui ad eum sturnatim aduolabunt, tanquã ad suum tot sæculis tàm auidè exspectatum & desideratum Messiam. Negat Sutliuius cum suo Subrando, *Antichristum fore Iudæum*; negat battologicè, palam negaturum Christum: additq; Sibrandus, etiamsi quis concederet, *Antichristum fore Iudæum, non tamen necessariò sequi, eum negaturum Christum; non enim omnem Iudæum negare Christum, nam Petrum, Ioannem, Iacobum, & multos alios fuisse Iudæos, nec tamen negasse Christũ*. Argutior fuisset cauillatio, si Sawbrandus dixisset; etiam Christum fuisse Iudæum, nec tamen negasse Christum. Qualis calumniator Sibrandus. Quasi sermo sit de quouis Iudæo; etiam ad Christi sacra transgresso. Ostende, Caluinista, quæso te, Iudæum, formaliter, qua Iudæus est, iam post Christi doctrinam in orbem introductam, qui Christum non neget, & quidem palam.

Dicit Bellarminus *indefinitè*, hæreticos occultè negare Christum: cauillatur hoc Sibrandus, quasi Bellarminus, vniuersim asseruisset, omnes hæreticos occultè *solummodo* Christum negare; & Simonem Magum oggerit; *qui Christum palam negarit*. Sed non fuit hæc Bellarmini mens quam ei liuida Sawbrandi mens affingit; neque enim ignorauit quosdam Sectarios clanculum duntaxat Christum inficiari; id si ignorasset, vel Lutherus & Caluinus ei hanc ignorantiam eripere potuissent.

Hanc, vt & alias pleraſque cauillationes, & sycophantias, transcripsit quoque Sutliuius in suas chartas, gnauus Sawbrandicorum scriniorum expilator, vt aliquoties iam monuimus.

Probat Bellarminus ex Patribus, Antichristum palam negaturum Christum. Quid Sutliuius? *Confugit ad Patres, tanquam ad asylum. Sed nullum ille sceleratum & mendacem lebusitam, ad se recipiunt*. Iterum laudo iudicium tuum, ô Beza, quando Sutliuium *petulantem calumniatorem & conuiciatorem* nominasti. Aptissimum moribus eius vocabulum indidisti.

Producit Bellarminus primo loco Hilarium, qui lib. 6. de Trinit. dicit, Diabolum per Arianos conatum esse persuadere hominibus Christum non esse filium Dei naturalem, sed adoptiuum: at per Antichristum conaturum persuadere, ne adoptiuum quidem esse, vt funditus exstinguat nomen veri Christi. Sibrandus: *Non quidquid Hilarius dicit; hoc verum est*. Multò minus verũ est, quidquid dicit Caluinista Subrandus, sufficit nobis in præsenti, verum esse, quod ad præsentem causam affirmat S. Hilarius: cuius dictum falsum nõ fit, quòd falsitatis à Sibrandica fronte impudenter arguatur.

Addit Sibrandus: *Hilarus non habuit spiritum propheticum*. (Vnde hoc liquet Sibrando?) *Qua virtute hoc igitur prædicere potuit?* Nil opus erat ad hoc asserendũ spiritu prophetico; quia ex Scripturis id colligere potuit & reipsa etiam collegit S. Hilarius. Obiicit Sibrandus: *Hilarius ad Maxentium dicit, se in ætatem Antichristi incidisse*. Idem dicit, *suæ ætatis Episcopos, se non gerere vt Christi Episcopos; sed vt Antichristi sacerdotes: aut igitur Hilarius sibi non constat; aut falsum est, quod ait, Antichristum palam negaturum esse Christum esse Iesum, aut denique, Hilarij ætate fuit Antichristus, qui apertè negauerit Iesum esse Christum*. Audio consuetam Sibrando vaniloquentiam. Nihil horum sequitur. S. Hilarius sibi constat; quia lib. 6. de Trinitate propriè & strictè de Antichristo

loqui-

loquitur: Alibi, cum affirmat, se in *ætatem Antichristi* incidisse, &c. loquitur de Antichristo latè & largè, prout quemlibet aduersarium Christi significat, præsertim hæreticos, quorum ingens erat copia ætate Hilarij: qùa Ariani immanissimè in orthodoxos debacchabantur, & infinitis molestiis afficiebant.

Sutliuius negat in Hilario exstare, quæ Bellarminus affert. Notum est, Sutliuianum vultum exduro chalybe formatum esse; ad nullum mendacium, tametsi grandissimum & apertissimum, aliquod ruboris signum edere solet. Bellarminus non verba, sed sententiam sancti Hilarij recitauit; prout exstat sub finem libri sexti de Trinitate hunc in modum. *Loquitur hæc interim (Diabolus) & loquitur planè per aduentus sui Prophetas, ac praenios; ipse ille, qui postea erit in Antichristo locuturus, salutarem fidei confessionem his tentamentis nouis inquietans, vt primùm conscientia vestra, quia ita credimus, intelligentiam fidei naturalis euellat: deinde ipsum illud, quod adoptiuum erit, reliquum nomen excludat.*

Vbi clarè cernis, Diabolum id moliri, ex sententia S. Hilarij, vt primùm per hæreticos de cordibus fidelium auferat *filium Dei naturalem*; & postea per Antichristum, etiam nomen *filij adoptiui*, vt ita nihil penitus de Christo in mentibus hominum remaneat: quod declarant etiam illa, quæ mox S. Hilarius subdit: *Nam cum quibus creatura est Christus, necesse est; vt cum his Antichristus ipse sit Christus; quia & filij proprietatem creatura non habeat, & Dei se ille filium mentiatur: & per hoc à quibus his Dei filius non negatur, ab his tunc Christus ille credatur.*

Ad Augustinũ respondet Sutliuius, eum non loqui *de Antichristo, sed de Diabolo; nullum vestigium exstare apud Augustinum de Antichristi publica abnegatione Christi.* Vbique sui similis est Sutliuius. Loquitur quidem S. Augustinus lib. 20. de ciu. Dei, cap. 8. de Diabolo, at non præcisè; sed de Diabolo sæuituro per Antichristum: Disputat enim eo loco de persecutione trium annorum & medio, quo temporis interuallo Diabolus iterum soluetur; & per Antichristum, eiusque sectatores sæuissimè in eos, qui Christo constanter adhærebunt, debacchabitur: & adeo quidem immaniter, vt publicè Christum confiteri nemini sit futurum integrum. Quocirca quærit S. Augustinus, quid dicendum de infantibus? An non tunc salutari baptismatis vnda sint tingendi? Respondet, tinctũ iri; sed occultè. Cur occultè, nisi quia publicè Christi & Christiani nominis professionem edere; per Antichristi tyrannidem minimè licebit?

Vt luculentissimo testimonio D. Hieronymi tenebras offundat Sutliuius; clamitat; *non omnes, qui gente sunt Iudæi, Christum abnegaturos.* Quasi verò hoc quæratur, & non potius illud; vtrum Antichristus palam sit negaturus Christum: quod S. Hieronymus loco à Bellarmino citato disertè tradit. Repetit Sutliuius suum *coccysmum*; *si Antichristus palam negaret Christum, parum aut nihil apud Christianos proficeret.* Scilicet Mahometus palam abnegans & abiurans Christum parum profecit apud Christianos, hoc est, paucos ex Christianis in suam nassam pellexit.

Ad testimonia S. Gregorij & Sedulij respondet Sutliuius, *Bellarminum probare debuisse, Christum ab Antichristo palam & omnibus modis abrogatum iri. Hoc neutrum ex dictis auctoribus affirmare.* Incredibilis est Sutliuij petulantia; cui nil tam clarũ, quod præstigiis mendaciorum suorum non conetur obfuscare. Nam duo isti auctores dicunt, Antichristum; compulsurum populos, vt *Iudaizent*; & exterioris legis ritum reuocaturum, & omnes cæremonias Iudaicas instauraturum, vt Euangelium Christi soluat. An qui talia palam agit; non palam itidem Christo & Christianæ religioni valedicit? An Christum non negaret, si quis hodie cæremonias Iudaicas reparare tentaret eo consilio, vt Euangelium Christi solueret, ac dissiparet?

Hippolytum ne verbulo quidem dignum arbitratur Sibrandus. At Sutliuius postquam ei alapam impegit; sic mutit: *Hippolytum nil certi affirmare; sed dicere; fortasse* Antichristi characterem fore illud *ἀρνοῦμαι, nego; nego Christum; nego Baptismum, nego signum Crucis.* Respondeo, addere quidem Hippolytum illam voculam, *Fortasse*: quia pro certo affirmare nolebat, Antichristi characterem, de quo Ioannes in Apocalypsi, determinatè fore illud verbum *ἀρνοῦμαι*, sed quòd Antichristus, omnesque eius asseclæ Christum apertè sint negaturi, de eo adeo non dubitauit, vt id non semel in oratione sua *de consummatione sæculi* manifestissimè affirmet.

Obiicit Sibrandus: *Bellarminus dicit, Antichristum aboliturum esse omnia Christi instituta: Sed Gregorius lib. 11. epist. 3. dicit Antichristum diem Dominicum in veneratione haberi velle: sed hæc duo sunt contradictoria: si enim omnia Christi instituta abrogabit, tum non habebit Dominicum diem in veneratione; & contrà, si vult Dominicum diem in veneratione haberi, tum non abrogabit omnia Christi instituta.* Tota hæc Sibrandica vanitas nititur grandi quadam impostura: non enim scribit S. Gregorius Antichristum celebraturum diem Dominicum, more Christianorum, in honorem & memoriam Resurrectionis Christi; sed suæ; eiusque non veræ, sed hypocriticæ & histrionicæ. *Quia enim mori se & resurgere simulat,* inquit S. Gregorius, *haberi in veneratione vult diem Dominicum.* Nulla ergo inter S. Gregorium & Bellarminum est antilogia: quia non retinebit diem Dominicum Christianum; sed eum, quem ipse in Christiani Dominici diei vicem impiè substituet: Qui verbo erit dies Dominicus; re, Antichristianus.

Ait Bellarminus: cessatura omnia publica officia diuina & sacrificia tempore Antichristi: oggerunt Sutliuius & Sawbrandus: *Ecclesiam sine diuinis officiis & Sacramentorum administratione subsistere non posse*; ac proinde. *Etiam sub Antichristo hæc*

ſacra durare & peragi debere; præſertim cum Chriſtus vſque ad finem mundi Eccleſiam ſuam perſeueraturam affirmarit, multosq; reliquum in teſtatus fuerit, qui genua ſua ante beſtiam non ſint curuaturi. Quem hæc ferunt? Nunquam dixit Bellarminus, deſituram omnẽ Sacramentorum adminiſtrationem ſimpliciter, ſed publicam; Nam & olim ſub Ethnicis, & nunc in Anglia, & alibi ſub Caluiniſtarum imperio, Chriſtiani rem diuinam clam, & in priuatis ædibus fecerunt & faciunt; ita & Antichriſto ſæuiente facient. Quod quo pacto futurum ſit, diſcere poſſunt Sutliuius, Abbatus, Pouelus, exemplo orthodoxorum Anglorum, quos Caluiniſtica impietas in cryptas & abdita loca, ſacrorum peragendorum gratia, compegit.

Ait Sibrandus: *Antichriſtus eſt ſimilis Agno* (ſed cornuto, adde hoc, mi corniger) *ergo non abolebit omnia inſtituta.* aliâs potius adumbraretur per Draconem, quàm per *Agnum*. Friuola conſecutio. nam per Agnum repræſentatus eſt; non quòd reuera, ſed quod ſimulatè moribus, hoc eſt, mãſuetudine, benignitate & affabilitate Agnum eſſet expreſſurus: de quo iam ſatis ſupra aduerſus Sutliuium. Poſt varias quiſquiliarum nugas, ſoluit Sibrandus os ſuum in conuicia aduerſus Pontifices. Sed nimis grande eſt inter Pontificem & Sawbrandum interuallum. Prius concidunt hæc talia viperæ linguæ ſpicula, quàm ad Pontificem penetrent. Probat Sibrandus Antichriſtum *non reparaturum cæremonias Iudaicas. Quia ſi reſtitueret*; *Antichriſtus Idololatra foret*; *nam omnis cultus contra verbum Dei, cenſeri debet idololatricus: ſed non erit idololatra ſecundum Papiſtas*; vt fusè hic docet Bellarminus: *ergo non reſtituet Iudaicas cæremonias.* Iterum hîc inſigniter ſe exſerit Sibrandica matæologia & inaniloquentia: Quando enim Catholici cum ſanctis Patribus aſſeuerant, *Antichriſtum non fore idololatram*; loquuntur de Idolis gentium, quæ ſunt *opera manuum hominum*; *quæ os habent, & non loquuntur, oculos & nil vident, aures, & nil audiunt*: hæc enim ab Antichriſto repudiatum iri, teſtantur ſancti Patres: Non autem loquuntur de idololatria latè, prout omnis cultus contra Dei mandatum vel reſtitutus, vel de integro inſtitutus, *Idololatriæ* nomine denotari poteſt: quo ſenſu ipſis etiam Hæreticis idololatræ; & hæreſi idololatriæ appellatio dari poteſt.

Mentitur autem Sibrandus, quoties per conſuetam ſibi battologiam dicit, Dionyſium Alexandrinum apud Hieronymum lib. 18. in Iſaiam riſiſſe illam reſtitutionem Iudaicarum cæremoniarum quæ fiet ſub Antichriſto. non enim hanc riſit; ſed illam quam Chiliaſtæ fingebant in millenario ſuo regno, Antichriſto iam ad inferos detruſo.

Obiicit Sibrandus: *Ioannem non dicere, Antichriſtum palam negaturam Ieſum eſſe Chriſtum; ſed Chriſtum duobus modis negari poſſe, occultè & apertè: illo modo regnaturum Antichriſtum; non iſto.* Sed qui apertè ſe efferet ſupra Deum, & ſupra omne id, quod colitur, quique apertè, abſque vllo Dei vel hominum reſpectu, ſectam ſuam propagabit & propugnabit; ille vtique non niſi apertè etiam Chriſtum repudiabit; cum ſtante honore & regno Chriſti, exſurgere nequeat regnum Antichriſti.

Oggerit Sibrandus: *Ridiculum eſſe, quod Bellarminus dicit*; *Papam publicè confiteri Chriſtum*; *nam hoc ſolo ore fieri*; *non corde: idemq; Dæmones facitare.* At vnde hoc tibi compertum Caluiniſta? An tu cordium & rerum ſcrutator es? *Hoc*, inquis, *colligo ex doctrina Papæ; & ex operibus, quia doctrinam Chriſti perſequitur.* Non Chriſti; ſed Caluini, Lutheri, & id genus aliorum, qui doctrinam Diaboli ſpecioſo Chriſti nomine comunt; ne turpitudo eius appareat. Nam quòd ſubiungis: *Videbis multos Papæ ſe anima & corpore deuouiſſe Diabolo, & promiſiſſe ei ſummam obedientiam, & fidelitatem, vt ipſius beneficio ad Papalem dignitatem adſcenderent*; id ſolenne & ſæpius iam decantatum mendacium eſt: vt & alia, quæ mox pleno gutture Sibrandus euomit; qui nobis etiam occentat næniolas *Prædicanticas*, quibus lacerant precationes quaſdam ad D. Virginem fundi ſolitas partim publicè in & ab Eccleſia; partim priuatim à fidelium deuotione: & inde probat inſulſiſimè, Chriſtum, *eiusq; Maieſtatem à Papiſtis negari.* Hæc tam trita, triuialia & vulgaria ſunt, vt ea vel commemorare pigeat; tantum abeſt, vt refutare libret. Nihil in iis ingenij, nil, quod verum reſipiat; omnia macellum, ſtabulum, tonſtrinam, textrinam, & ſcurrarum ſynedria olent. Hinc enim primitus, inſtinctu Diaboli, exſtiterunt, non aliunde.

Ait Bellarminus; Antichriſtum palam profeſſurum ſe eſſe Chriſtum, *non* eius miniſtrum vel Vicarium. Oggrunnit ex ſuo Sawbrando Sutliuius: *Hoc repugnare Apoſtolo, qui propter occultas Antichriſti fraudes eius iniquitatem vocat myſterium.* Sutliuio oppono Theodoretum, qui in caput ſecundum epiſtolæ ſecundæ ad Theſſalonicenſes, ita ſcribit: *Ego exiſtimo Apoſtolum* (per myſterium iniquitatis) *ſignificare hæreſes, quæ exorta ſunt: per illas enim multi à veritate abducti, præparat Diabolus exitium deceptionis. Eos autem appellauit myſterium iniquitatis, vt qui haberent celatum iniquitatis laqueum: Ipſe enim* (Antichriſtus) *apertè à Deo abducit homines. Quamobrem etiam reuelationem eius aduentum vocauit Apoſtolus. Quod enim clanculum ſemper confirmabat* (per hæreticos) *id palam & apertè prædicabit.* Hæc Theodoretus. Ex cuius ſententia vides *myſterium iniquitatis* dici hæreſes & hæreticos, qui occultè agunt, quod palam Antichriſtus acturus eſt: occultè, inquam, ad negationem Chriſti inducent: quod apertè Antichriſtus efficere conabitur.

Deinde,

Deinde, vt *per myſterium iniquitatis*, ipſum Antichriſtum intelligi concedamus, non tamen ſequitur, eum omnia, etiam poſt aduentum & reuelationem ſuam, occultè acturum: ſed ſua celaturum, atque adeo *myſterium iniquitatis* futurum: quamdiu latebit, nec in ſe, & per ſe apparebit; omnia enim per antecеſſores & prodromos ſuos fraudulenter & per cuniculos efficere nunc molitur: at vbi reuelatus fuerit, hoc eſt, vbi ipſe in ſcenam publicè proceſſerit, laruam ponet, & *myſterium* eſſe deſinet; quia palam ſæuiet, & ſe ſupra omnem Deum, & quod colitur, extollet.

Quocirca iterum mentitur, & quidem Battologicè Sutliuius, cum ait; *Antichriſtum omnia tectè & occultè acturum*. Quomodo omnia *occultè & tectè*, cum potentiſsima regna & reges tyrannidi & impietati ſuæ ſit ſubiecturus, totamque Eccleſiam in latebras, abditosque terræ receſſus compulſurus? Tametſi & hinc liquet, Pontificem iniquè ab iſtis pro Antichriſto traduci: *Nam ille, cui non conuenit proprietas Antichriſti, non eſt Antichriſtus; Papæ non conuenit hæc proprietas Antichriſti, omnia tectè & occultè agere*; quia Papa docet per ſuos apertè; & palam doctrinam ſuam proponit; & quandoque etiam publicè Hæreticos & doctrinæ orthodoxæ pertinaces aduerſarios debitis ſuppliciis mactat: *Ergo Papa non eſt Antichriſtus*. Mentitur rurſus Sutliuius, *repugnare ipſi Bellarmino, quod hic ſcribit, Antichriſtum nominatim dicturum ſe eſſe Chriſtum*: nam ſupra, docuiſſe Bellarminum; *nomen Antichriſti eſſe iam ignotum*. Quomodo ignotum, ſi *Antichriſtus* nominabitur *Chriſtus*? Audi Caluiniſta, Bellarminus ſupra locutus eſt de proprio & ſpeciali Antichriſti nomine; quod reddit numerum *666*. de quo Ioannes in Apocalypſi. At certum eſt hoc nomen *Chriſtus*, non eſſe iſtud nomen, de quo in Apocalypſi, quia ſiue Græcis, ſiue Latinis litteris ſcribas, non reddit prædictum *666*. numerum.

Mentitur denuò, hoc, quod Bellarminus affirmat, *repugnare communi ſententiæ Patrum*. An non pro aſſertione ſua allegat Bellarminus ſanctos Patres? Et inprimis Irenæum dicentem de Antichriſto libro quinto. *Tentabit ſe Chriſtum oſtendere*: factis nimirum & dictis. Quod teſtimonium adeo euidens eſt, vt Sawbrandus coactus fuerit confugere ad illud ſuum: *Non quidquid Irenæus dicit; verum eſt*: qui poſtea addit, & ex illo Sutliuius: Irenæum non dicere; *Antichriſtum hoc facturum palam*: nec dicere; *verbis id tentaturum, poſſe enim id factis fieri; ita vt à nomine Chriſti abſtineatur*. Quid tam clarum erit, quod ſepiæ iſtæ atramento ſuo denigrare non nitantur? Gloriam & maieſtatem Chriſti Antichriſtus affectabit; & nomen detrectabit? Quis Regis dignitatem formaliter, qua talis eſt, ambit, qui nomen Regium reſpuat? Quomodo non palam tentabit ſe oſtendere Chriſtum, ſi palam in templo Dei ſeſſurus eſt; oſtenſurusque ſeipſum, tanquam ſit Deus, vel, vt Græca habent, ὅτι θεός *quia Deus eſt*. Dei nomen palam ſibi vendicabit, & illud *Chriſti*, quaſi nimis inuidioſum defugiet?

Sanctus Ambroſius dicit; Antichriſtum ex Scripturis diſputaturum, hoc eſt, probaturum, ſe eſſe Chriſtum. Vbi iterum aduolant cauillatores Sibrandus & Sutliuius: *Multi cupiunt id videri, quod nominari non ſuſtinerent*: Et hoc ſuum mendacium confirmant alio: *quia Pontifex cupit videri Deus; & tamen palam non appellat ſe Deum*. Omiſſa criminatione, Pontifex Romanus nunquam ex Scripturis diſputare, hoc eſt, probare aggreſſus eſt, ſe eſſe *Deum* vel *Chriſtum*; quod facturum Antichriſtum ſanctus Ambroſius affirmat. Stultum autem eſſet, ex Scripturis aliquid euincere velle; cuius nomen ferre nolit. Quis tam inſipiens fuerit, qui publicis inſtrumentis ſe *Doctoris* gradu inſignitum eſſe demonſtret; & tamen Doctoris titulum abnuat, præſertim ſi ad finem, quem quis ſibi propoſuit, plurimum adiumenti ac emolumenti adferat?

Ad Theodoretum reſpondet Sutliuius: *Theodoretus non Antichriſtum, ſed Diabolum, dicit ſe Chriſtum & Deum nominaturum*. Tam impudens eſt hoc mendacium, vt arbitrer, ipſum Diabolum, lecto Theodoreto, in caput ſecundum epiſtolæ ſecundæ ad Theſſalonicenſes, id non fuiſſe effuſurum. Lector Theodoretum ipſum conſulat; & ſtatuat, num quidquam rei vel diuinæ vel humanæ mendaciloquentiſsimis iſtis impoſtoribus credendum ſit.

Oggannit iterum Sutliuius, Theodoretum non dicere; *Antichriſtum palam ſe nominaturum Chriſtum*. Seſsitans publicè in *templo Dei* ſe Deum & Chriſtum nominabit, teſte Theodoreto: ergo palam hoc faciet. *At non poſſet Chriſtianos fallere; ſi ſe Chriſtum palam nominaret*. Coccyſmum inſulſi Coccygis audio. Tot millia millium ſeduxit Mahometes, qui Chriſtum penitus abnegauit, & abnegandum docuit; & Antichriſtus amabile hoc nomen ſibi vendicans, nullos ex Chriſtianorum numero circumuenire poterit?

Ad Cyrillum Hieroſolymitanum, reſpondet fronte ferrea Sutliuius: *non omnia eſſe vera, quæ exiſtimat Cyrillus. Eum multa malè exiſtimare*. Poſt hanc inuerecúdiam repetit cuculus noſter antiquam ſuam cantilenam de vocula *palam* ſeu *apertè*; ſi ineptè, manum non verterit. Iam pridem depuduit Sutliuius, ſi tamen aliquid natiui pudoris vnquam in illo fuit. Cuius ſuæ impudentiæ inſignum Magiſtrum, Sawbrandum, docilis & ingenioſus diſcipulus, adeptus eſt.

Ait Bellarminus: Antichriſtum palam ſe nominaturum Deum, & vt tanquam Deus colatur; enixè elaboraturum. Probat ex illo 2. Theſſal. 2. *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus*. Hic iterum Sutliuius cum ſuo Subrando impudentiæ frena laxans, negat *Antichriſtum hoc*

palam facturum. Sed perspicua sunt Apostoli verba: Nam in *templo Dei* sessitans pro Deo se venditabit; & ostentabit, ὅτι αὐτὸς θεός, *se Deum esse.* Ergo palam: quia in templo, hoc est, coram cœtu suo & sectatoribus suis hoc faciet.

Obiicit Sutlivius ex Subrandico suo commentario, Chrysostomum & Theophylactum: quorum ille, citante Sutliuio: *Non dixit seipsum esse Deum, sed ostentare tentans: magnifica siquidem opera faciet, & signa patrabit admiranda.* At Sutliuius temperare sibi non potuit, quò minus diui Chrysostomi sententiam deprauaret; omisso eo, quod præcipuum est; tametsi in ipso etiam Sawbrando lectum. Sic enim dicit sanctus Chrysostomus, explicans vim & energiam illius dicti Apostolici de Antichristo: *Ostendens se tanquam sit Deus*; seu, vt vertit Chrysostomi Interpres: *ostentans seipsum esse Deum. Non dixit*, Apostolus scilicet de Antichristo; dicens seipsum esse Deum; sed; *ostentans*, siue *ostentare tentans, seipsum esse Deum.* At Sutliuius præterit & supprimit illud, *dicens*: & solum verbum, *dixit*, ponit; vt qui illud legunt, id ad Antichristum referant, cogitentque; Chrysostomi hanc esse mentem; Antichristum non dicturum seipsum Deum; sed tantummodo *ostentaturum* & *ostensurum, tanquam sit Deus*: cum planè contrarium velit sanctus Chrysostomus: vult enim significare, Apostolum non simplici *dicendi* verbo, sed longè significantiore & ὑπερπομπικῷ vsum: quia Antichristus non quomodocunque sese Deum esse pronunciabit; sed id faciet cum ὑπερβολῇ, iactantia, & ostentatione thrasonica. Qui modus tantum abest, vt verba excludat, vt ea quàm maximè includat; nam thrasonica ostentatio & affectatio gloriæ immensæ non tantum factis, sed & verbis perficitur.

Simili perfidia tractant Sawbrandus & Sutliuius verba Theophylacti: ita scribentis: Lonicero Interprete: *Non ait* (Apostolus) *dicens; verum; conans demonstrare, nam & opera & miracula edet, omnia ad errorem.* At vterque Caluinista Theophylacto hæc assuit & affingit. *Non dixit; dicens se Deum*; sed, *ostendens, id est, tentaturum se Deum asserere*; seu, vt correxit Sawbrandicus corrector Sutliuius: *tentaturum se Deum asseverare.*

Hoc falsi crimine commisso, mentitur Sawbrandus Bellarminum non intellexisse, quid sit *sedere in templo Dei*: & mox, laxatis linguæ habenis, in longissimam de sessione φλυαρίαν exspatiatur; & ex longo illo suo excursu redux, horribiliter mentitur, Bellarminum non inspexisse Græcum Apostoli textum; aliàs non negaturum fuisse ὡς θεὸν in Græco textu haberi. Quæ prorsus est Sawbrandica, hoc est, sycophantica calumnia. Textus Apostoli sic habet. ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, ὡς θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἔστι θεός. Quæ vltima verba sic vertit noster Interpres: *Ostendens se, tanquam sit Deus*; quasi legisset: ὡσεὶ ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὡς θεόν. Monet ergo Bellarminus in Græco non haberi, ὡς θεὸν, seu ὡς θεός, sed ὅτι ἔστι θεός, longè significantius, quàm sit illud alterum. Hoc, quod verissimè à Bellarmino dicitur, Sawbrandus ita interpretatur, quasi Bellarminus simpliciter negauerit, in Apostolo, etiam verbis antecedentibus, reperiri illud, ὡς θεόν. Quod non est ita, quia Bellarminus hoc de vltima solummodo clausula asseruit.

Oggerit Sutliuius: *Absurdè admodum se Deum prædicaret, quem omnes non esse Deum viderent.* An non olim lapides, ligna, sidera & quædam animalia potissimum apud Aegyptios, Deos esse prædicabant, insigni & manifesta stultitia? Et tamen hæc stultitia innumeros sectatores inuenit. Quid ergo mirum, licet ipse etiam Antichristus, Deum se iactans, reperiat, qui fidem adhibeant, præsertim cum fictis miraculis, & rerum mirabilium effectione, & imperij magnitudine, maximam potentiam sibi fit comparaturus? Quid est stultius, huius sortis & conditionis hominem credere Deum; an Anguem Epidaurium; aut Aegyptium Crocodilum?

Ait Bellarminus: Antichristum nullum Deum passurum, nec verum, nec falsum; neque vlla idola. Et probat ex illo; 2. Thessal. 2. *Qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ad quæ Sutliuius cum suo Subrando. Primò, hoc absurdum est: *vt idem se dicat Messiam, & tamen nullum Deum patiatur, nam ipse Messias à Deo vnctus & missus dicitur.* Quid mirum, si impium hoc & ex omni absurditatis & impietatis genere conflatum monstrum multa absurda committat? Verus quidem Messias verè à Deo venit, & vngitur, & secundum eam naturam, qua vnctionem capit, infra Deum est, non æqualis: & talem se etiam palam confitetur, & iam olim confessus est: *Pater maior me est.* Si falsus, & qui solo nomine Messias erit, contrariâ viâ gradiatur, nomenq; factis suis aduersum vsurpet, nihil ab impostorum moribus & natura alienum faciet.

Secundò obstrepit Sutliuius: *Iudæi eum nunquam admitterent, si negaret Deum cœli & terræ creatorem.* Forsan non admitterent, si prorsus nullum Deum statueret; sed quia se verum Deum esse tradet; & hanc suam assertionem confirmabit secundum *operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis in iis, qui pereunt; eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent*; Teste Apostolo, 2. Thess. 2. hinc planam & expeditam habebit Antichristus viâ Iudæis, sua placita persuadêdi, & intimis eorum visceribus instillandi. Accedit, quòd Deus iustissimo suo iudicio, *mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudi-*

centur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Tertiò obiicit Sutliuius. *Nihil minus conuenit, quàm vt qui Christi & Dei cultum abrogabit, idem omnes Deos alienos tollat, & prorsus nouam religionem instituat: lumine enim naturæ Iudæi & gentes intelligunt nouos Deos & nouas rationes Dei colendi non esse recipiendas.* Lumine naturæ omnes intelligunt Sutliuium vna cum suo Savvbrando esse præcellentem tergiuersatorem & cauillatorem. An mirandum est, si inconuenientissima bestia, qualis Antichristus erit, inconuenientiis plurimis sese implicet ac inuoluat? Annon inconuenientissimum erat, vt Lutherus & Caluinus veterem religionis Christianæ cultum & ritum abolerent, suumque nouum in caminis Geneuensibus & in fornacibus VVitebergensibus excoctum mundo obtruderent? Et tamen, hac inconuenientia non obstante, innumeri exstiterunt, qui, prisco ritu relicto, nuperum istum cupidis vlnis exceperint. An non lumen rationis dictabat & monebat; vetera instituta non esse mutanda; sed nouitia ista manibus pedibusque explodenda? Et tamen secus actum est à quam plurimis. Deinde si naturale lumen dictat nouas rationes Dei colendi non esse recipiendas, vt dicit Sutliuius, perperam ergo fecerunt secundum Sutliuium, quotquot vel ex Iudæis vel ex Gentibus, relictis suis colendi Dei rationibus, ad Christianam religionem transierunt: quia malum est contra lumen naturæ aliquid agere. Perperam insuper faciunt, quotquot hodie, relicta Catholicorum colendi Dei ratione, ad Caluinum vel Lutherum migrant; perperam, inquam faciunt, non tantum meo; de quo nullum dubium; sed & Sutliuij iudicio; quia iudicat & ipse hoc esse *contra lumen naturæ*. Ad extremum; An non lumen naturæ indicat esse aliquem Deum? An non multi exstincto hoc naturæ lumine Athei euadunt, præsertim in Caluinistarum schola? Licet igitur, Antichristus, contra lumen naturæ multa sit docturus, dicturus, facturus, instituturus; nihilominus sectatoribus non carebit. An desunt sectatores Mahumeto, & tamen quàm multa exstant in eius lege naturali lumini & legi ex diametro aduersa?

Quartò obiicit Sutliuius. *Apostolus dicit, Antichristum se exaltaturum, supra omne quod colitur; quod satis ostendit, alia fore idola colenda; sed Antichristum, super ea se exaltaturum.* Quæstio est, vtrum aliquod idolum ipse Antichristus sit veneraturus; non autem vtrum tempore Antichristi futura sint aliqua idola, quæ ab aliis colantur; nam hoc posterius nihil est ad rem. Prius huc pertinet. Et quidem Antichristum, nullum σέβασμα, hoc est, *nullum numen* nec verum, nec falsum, atque adeo nulla idola adoraturum. (intellige, palam. nam vtrum clam, aliquem alium sit veneraturus & adoraturus, infra disquiretur) liquet ex loco Apostoli, supra allato: nam si se, (saltem palam) eleuabit *supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, certè nec verum, nec falsum Deum palam colet; quia nemo eum palam colit, supra quem palam se effert; cultus enim est signum subiectionis, potissimum cultus religiosus. Itaque siue tunc futura sint idola, quæ à nonnullis colantur; siue nulla sint futura; id ad controuersiam nostram nihil refert; quia constat ex Apostoli testificatione, Antichristum, saltem palam, nullum Deum, siue verum, siue falsum, nullumque penitus σέβασμα veneraturum.

Quintò obiicit Sutliuius, Christum dicere, *Pseudochristos in nomine Christi venturos; quod planè docet Antichristum, Christum non planè esse negaturum.* Ad hoc iam responsum est, etiam illos, qui se *Christos* nominant, vt faciet Antichristus, *venire in nomine Christi*; non tantum illos, qui Christum Deum esse ore saltem confitentur, eiusque dulce nomen omnibus suis malefactis & impostoris obtendunt; vt fecerunt Lutherus, Caluinus, & similes hæresiarchæ.

Sextam obiectionem petit Sutliuius à meretrice purpurata Apocalyps. 17. quam ait, *esse figuram Antichristi*; quæ poculum habet in manu *plenum abominatione & immunditia fornicationis eius*, & dicitur, *magna mater fornicationum & abominationũ terræ*, &c. *Quæ omnia ostendunt Antichristum idololatriæ & spiritalium fornicationum fore auctorem & fontem.* Sutliuius probare debuisset mulierem illam esse typum & figuram Antichristi; nam S. Ioannes sub finem cap. 17. dicit, Mulierem illam esse *ciuitatem magnam, quæ habet imperium in Reges terræ*, hoc est; Romam Ethnicam, qualis olim fuit, vel qualis sub finem mundi ex quorundam sententia, euasura est.

Deinde, vt maximè mulier illa Antichristi typus esset, nil tamen inde pro se contra nos Sutliuius obineret: nam posset Antichristus esse fons & origo omnium abominationum, & fornicationum spiritualium, atque adeo etiam ipsius externæ & Ethnicæ idololatriæ, & nihilominus supra *omne, quod dicitur Deus, & supra omne, quod colitur, se extollere*; & nulli eorum, quæ subditi sui honorant; honoris aliquid deferre; sed ea, vt se minora & longè inferiora σέβασματα aspernari: Neque enim hæc duo eius naturæ sunt, vt simul stare nequeant; permittere nimirum, & auctorem etiã esse, vt quis quiduis & quoduis σέβασμα, numen seu idolum colat: Et interim omnibus illis sese anteferre, & nulli quidquam cultus & obsequij impendere. Sed nil opus huc confugere; ipse Antichristus verè *magna mater fornicationum & abominationum terræ* appellari potest, hoc ipso, quòd asseclas suos à veri Dei cultu auertet, & ad se, tanquam Messiam & Deum colendum conuertet; cumq; eo spiritualiter fornicabuntur, non modò qui ex fece plebis, sed & Reges ac principes, quos partim coactos, partim volunta-

rios Antichristus sibi subiugabit, deuotosque ac obnoxios reddet.

Tandem obiicit Sutliuius *Deum Maozim*, quê áit Daniel ab Antichristo honoratum iri *auro & argento & lapidibus pretiosis*. Duo dat responsa Bellarminus; primum cum Theodoreto, per Deum *Maozim*, intelligi ipsum Antichristum. quia seipsum venerabitur, hoc est, venerabilem reddet, &, vt verterunt 70. Interpretes, *δοξάσει, glorificabit*, auro, argento, & lapidibus pretiosis, hoc est, immensa opum copia & affluentia, & propter potentiam tam imperij, quàm mirabilium edendorum, Deum *Maozim*, *fortitudinum*, hoc est, *fortissimum* & *robustissimum* sese venditabit. Sutliuius nil aliud contra mussat, *quàm hoc consistere non posse.* (Vbi huius tui asserti probatio?) *nam Spiritum sanctum loqui de alio Deo.* (Iterum probationem flagitabit Theodoretus, & quisquis hanc sententiam defendendam susceperit) *& valde durum esse, vt idem sit cultor, & Deus ille Maozim auro & argento colendus.* Hæc durities non inest in hac sententia, si rectè intelligatur & explicetur; non distortè ac peruersè, vt intelligitur à Sutliuio.

Savvbrandus, strenuus Dei *Maozim* propugnator, hic axiomata seu Maximas ructat. *Is qui colit, & quem colit, non est vnus & idem.* Propriè loquendo, non difiteor. At ex hac sententia probè intellecta, minimè sequitur, eundem esse, qui colit, & qui colitur, vt iam contra tuum expilatorem Sutliuium dixi. Nam Latinum verbum; *venerabitur*; idem erit; quod; *venerabilem se reddet*: vel, ex Hebræo cum 70. Interp. vertendum erit; *δοξάσει, glorificabit se.* Hîc rursus occurrit Savvbrandus: *Diuersi sunt, qui glorificat, & qui glorificatur.* Hoc necessarium non est; quia potest quis, rebus gestis, opibus, potentia, scientia, rerum mirabilium effectione, & id genus aliis, seipsum glorificare, hoc est, glorioſum reddere; vt omnibus notum. Cur ergo id nõ queat Deus *Maozim*, hoc est, Antichristus?

Rullus Basileensis in Commentariis suis, quibus Danielem Prophetam onerauit, clamat; *falsum esse, quod Antichristus futurus sit ipse Deus Maozim. Nam Angelum hoc non prædixisse, sed pronunciasse; in sede seu templo Dei roborum, Antichristum cultorum idolum incognitum maioribus suis.* Forsan aliquid Rullus diceret ac obtineret, si versionem eius & distinctionem Rabbinicam & Massoreticam, quam ex Iunio & Tremelio concinnauit, vel potius, mutatis pauculis, furtiuè sublegit, amplecteremur. Ea est talis, Daniel. cap. 11. v. 38. *Et quod ad Deum* (Maozim) *roborum* seu *summi roborũ* (supple, attinet) *in sede eius honorabit; honorabit, inquam, Deum, quem non agnouerint maiores eius, auro & argento, & lapidibus pretiosis*, &c. Itaque Deus *Maozim* istis non est Deus fictus seu falsus, sed Deus verus. & vt in scholiis ad caput 11. Danielis Iunius explicat, *Deum Israelis*, in cuius Dei *Maozim, roboris*, seu *robustissimi* locum, aiunt isti *Iudaizantes & Rabbinizantes* Caluinistæ, substitutum iri non ab Antichristo, sed ab Antiocho Epiphane, incognitum maioribus suis Deum, hoc est, *Iouem Olympium*, cuius statuam in templo Hierosolymitano Antiochus erexit, vt 2. Macch. cap. 6. scriptum est. Et hunc incognitum Deum, venerabitur Antiochus in loco Dei *Maozim*, hoc est, in templo Hierosolymitano, vt exponunt isti semiiudæi.

Quid pro se transactum non dabunt sectarij, si eis liceat contra omnes veteres Græcos & Latinos tam̃ translatores, quàm commentatores textum, arbitratu suo, interpungere & distinguere; vel, ne penitus videantur pro libidine sua omnia agere, ad placita recentium Iudæorum, capitalium Christiani nominis hostium, omnia conformare, &, vt Rullus facit, vnum *Massoreticum* accentum *Zatéph Katón*, toti vetustati Græcæ pariter & Latinæ anteponere; cuius ignoratione omnes, licet Hebraicè doctissimos, in errorem abduxerit.

Vnum tamen Catholicæ rei non incommodum ex hac noua sectariorum versione & expositione colligere possumus; si Deus *Maozim* est *Deus verus* Israelis: mentiri igitur Nouatores, quando clamitant; *Deum Maozim* esse, vt ipsi blasphemant, *idololatricum Missæ sacrificium*, & *panaceum*, &, vt mortalium scelestissimi loquuntur, *furfuraceum Deum*; hoc est, venerabile Eucharistiæ Sacramentum. quos ipsemet Oecolampadius primi nominis Sacramentarius in caput 11. Danielis his verbis redarguit. *Sunt quidam ignorantes vsum scripturæ* (plerique igitur Hęreticorum ignorant vsum scripturæ, quia plerique id faciunt, quod iamiam Oecolampadius reprehendet.) *& Maozim, Deum panaceum interpretantur; non autem legitur* מעזים *cibus, sed* מעזים *fortitudinis. Proinde nihil illũ probant contra idololatras panis.*

Sed his in præsentia omissis, redeo ad Rullum, qui Bellarminum *Chamaleonte inconstantiorem* calumniosè nominat; quia huic primæ responsioni aliam adiungit, in qua & magis acquiescit; nempe, Diabolum dici Deum *Maozim*; quem Antichristus, Magiæ deditissimus & studiosissimus, non palam, sed occultissimè & in loco abstrusissimo sit veneraturus: Arbitratur præterea Bellarminus, *Maozim* non *ipsum Dei*, sed *præsidij* seu *arcis munitissimæ* nomen esse, in quo Antichristus potissimos suos thesauros sit asseruaturus, & cultum Diabolo adhibiturus. Latrat hic quoque cum suo Subrando & Abbato Sutliuius; sciscitans, *quomodo Antichristus possit colere Diabolum auro, argento, lapidibus pretiosis, & rebus desideratissimis.* Quæso te, an non olim, qui idola, aurea, argentea, lignea, seu ex alia materie confecta colebant, eaque auro, argento, lapidibus pretiosis, & aliis rebus opimis mactabant; Diabolum ipsum auro, argento & id genus aliis honorabant? Quod ergo ab idololatris *mediatè*,

hoc

hoc est, per idola; præstitum fuit Diabolo. hoc Antichristus sine vllo simulacro immediatè exhibebit ipsi Diabolo.

Ferri non potest, inquit Sutliuius, *vt Diabolus dicatur Deus Maozim.* Et tamen Hæretici perpetuo clamitant Papistarum in suo *missatico* cultu Deum, non esse alium, quàm *Maozim*, hoc est, *diabolum.* Deinde an non in Euangelio dicitur Diabolus *princeps huius mundi.* Quid mirum ergo, si & Deus *Maozim* audiat, cuius fortitudo & robur immensum tam graphicè in libro Iob depingitur. Quanquam Bellarminus non dicit *Maozim* esse nomen eius Dei, hoc est, Diaboli, quem colet Antichristus, sed nomen loci, in quo Deum illum suum colet, qui Deus *Maozim*, appellatur, quia in arce illa præcipuè coletur. Nec propterea euertit Bellarminus suam caussam; quia licet Antichristus occultè Diabolum pro Deo suo sit adoraturus, nihilominus tamen verum erit, quod ait Apostolus, eum se eleuaturum supra omnem Deum, & supra omne, quod colitur, nullumque penitus Deum curaturum; nempe palam & in propatulo; etsi, vt magus, in secretis suis & abditis recessibus longè alia aget.

Savvbrandus præter conuicia in Papam nil contra hanc alteram Bellarmini solutionem adfert. At dic tu Rulle, cur inconstantiæ infamiam incurrit, qui plures solutiones eidem difficultati explanandæ adhibet? An hoc signum instabilitatis, non potius indicium eius copiæ, qua vestris impressionibus veritas obuiam ire valet? Tantum enim abest, vt impetum vestrum reformidet, vt ei retundendo non vnius, sed diuersorum generum tela suppetant. Nam quòd hîc dictitas, *Papam adorari, vt Deum; Syluestrum secundum, & Gregorium VII. fuisse Magos*; triuiales sunt calumniæ; ad quarum tinnitum aures nostræ pridem occalluerunt.

Illud lepidum est, & historicæ tuæ peritiæ certum argumentum; Ioannem XXII. quem Platina XXIII. nominat vt inquis, *Diabolum in alea inuocare solitum*, teste Luitprando. Siccine Luitprandus aliquid de Ioanne XXII. vel XXIII. scripsit? Ergo Luitprandus, qui anno Domini Nongentesimo floruit; vsque ad Annum Domini M. CCCC. XV. hoc est, vsque ad Concilium Constantiense vitam protraxit? vel vsque ad Ludouicum Bauarum Imp. si fortè loqueris de isto Ioanne XXII. Video, quid te fefellerit. Ioannem XII. nominare volebas, proeo obrepsit tibi nimio criminandi æstu abrepto, Ioannes XXII. Sed venia danda est; quia calumniatores non sunt sui; sed eius, cuius igne calescunt.

Ais *secundam* BELLARMINI *depravationem esse, quod dicit, Maozim non esse nomen Dei. Quis*, inquis, *dicit esse nomen Dei?* Tui symmystæ hoc dicunt; quia dicunt esse nomen Dei illius, qui à Papistis in *Missa colatur*; quemque ipsi contumeliosissimis nominibus indigitant. Tu assentiris Bellarmino, non esse nomen Dei, sed substantiuum; significans *robora* seu *fortitudines.* Ergo Bellarminus, qui idem prorsus dixit, non est deprauator. Et si hoc asserendo, aliquid deprauauit, quid, quæso, deprauauit, quod tu non pariter depraues, cum idem sentias?

Existimat Bellarminus probabile, *Maozim* esse nomen munitionis seu arcis munitissimæ, & probat hoc ex verbis, quæ Daniel confestim subdit. Rullus hic os suum latissimè in lædorias & contumelias diduxit; & Bellarminum petulanter incessit, quasi *tota eius Theologia nihil aliud, sit, quàm diuinatio & opinatio.* Præteruolemus ista. Quærit Rullus. Cur proprium nomen huius munitionis non expresserit? Quasi verò nõ expresserit; nam ipsum nomen commune *fortitudinis* seu *Roboris* ad munitionem illam pertinere dixit. An non & hodie locis munitis nomina communia & substantiua tribui solent, nominatim illud; *Forteza.* Et variis instrumentis bellicis nomina communia, tanquam propria imponi consueuerunt, vt lippis & tonsoribus notum est. Rullus putat hanc arcem, *Maozim* dictam, *esse Arcem S. Angeli Romæ.* Sed quia hoc *putare* aliunde non proficiscitur, quàm ex hæretico & deliro cerebro, non pluris faciendum est, quã anile somnium, & quàm *spinæ tricæ, & si quid inanius istis.*

Carpit & illud Rullus, quod Bellarminus dicit, Antichristum occultè Deum *Maozim* veneraturum; palam verò nullum: *Imò*, inquit Rullus, *occultè vitiis & flagitiis impensè vacabit, quippe nullum Deum curans; palam autem se Deum colere præ se feret, vt pro sanctissimo patre habeatur.* Hæc omnia effutiuit Rullus odio Pontificis, quem, vt Antichristi nomine infamet, non veretur Apostolo in faciem resistere; licet enim Apostolus dicat; Antichristum in templo Dei sessitantem, hoc est, palam, seipsum pro Deo *ostendentem*, ostentaturum; hoc tamen non moratur RVLLVS, quia immensitas odij, quo in Papam flagrat, aliud affirmare suadet ac impellit.

Exerit Abbatus quoque suos contra Deum *Maozim* lacertos; sed Abbaticos, hoc est, qui grandes quidem ictus minentur; sed debiles inferant. Oggerit nugas Savvbrandicas & Sutliuianas ante profligatas de distinctione cultoris, & eius, qui colitur: Addit, *Bellarminum sine piaculo non posse discedere à vulgata versione*; quæ apud Danielem, *venerabitur*, exhibet. Quasi verò Concilium Tridentinum prohibuerit, ne ex Græca vel Hebræa lectione, editio vulgata declaretur, sensusque eius planior efficiatur. An nefas erit, dicere; *venerabitur* eo loco poni, pro *glorificabit*; seu *Venerabilem se reddet?*

Obiicit Abbatus: Danielem statim subiungere; *Et Deum, quem non cognouerunt Patres eius glorificabit. Num tu ita insanis*, inquit Caluinista, *vt Deum, quem non nouerunt Patres eius, ipsum Antichristum intelligas?* Atqui ita intellexit Theodoretus, & tamen non insaniuit, sed omnibus Abbatis, Sutliuiis, Pouelis infinities doctior fuit. Verè enim Patres & maiores Antichristi nescierunt, hoc est, non coluerunt hunc nouum & insolitum Deum, qui Antichristi vocabulo indigitatur.

Obiicit Battus; de Antichristo in latina versione paulò pòst legi. *Deum, quem ignorauerunt Patres eius, colet auro & argento. &c. Loquitur ergo Propheta de alio, non de ipso Antichristo.* Facilis responsio; *colere* hîc accipitur non presè, sed latiore significatu; vt idem est, quod se colendum seu cultu dignum reddere; vel *glorificare*; Hinc hoc etiam loco reddiderunt 70. Interpr. δοξάσει ἐν χρυσῷ καὶ ἀργυρῷ. *glorificabit in auro & argento.* Nec obstat, quod sequitur; *Et faciet, vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit. Vbi*, inquit Abbatus, *extra omnem controuersiam videmus futurum, vt Antichristus Deum alienum agnoscat, id est, idolo alicui palam reuerentiam & religionem exhibeat.* Nihil Daniel de publico cultu vel expresè, vel tacitè. Glossema Abbaticum est istud, *palam*; ac proinde exsibilandum. Daniel nil aliud dicere vult, quàm Antichristum munitùrum arcem, quæ *Maozim* dicitur, hoc est, quę à fortitudine & robore nomen habet; neque munitùrum solam arcem *Maozim*, sed cum Deo alieno; quem agnoscet; hoc est, sibi ipse etiam quem pro nouo Deo venditat, hac munitione consulet; in ea enim, tanquam in inexpugnabili, omnem spem salutis suæ reponet: vt taceam alias expositiones, quas qui hanc expositionem Theodoreti amplectuntur, facilè inuenirent.

Oppugnat Abbatus etiam alteram Bellarmini solutionem, quæ *Deum Maozim* interpretatur ipsum Diabolum; non enim Diabolo aptari posse illud: *Deus, quem ignorauerunt Patres eius*: nam *Diabolum non ignotum fuisse maioribus Antichristi.* Vt absolutè iis ignotus non fuerit, at ignotus eis fuit sub ratione illa Dei, qua ab Antichristo colitur, licet enim maiores Antichristi Iudæi, præsertim ex tribu Dan, Diabolo diuinos honores aliquando detulerint, id tamen non fecerunt, vt Magi facere solent, immediatè, sed per idola aurea, argentea, lignea, quæ venerabantur, quorum veneratio ad ipsum Diabolum redundabat. At Antichristus Dæmoni absque simulacro, immediatè cultum & obsequium exhibebit, illumque, vt Deum suum honoribus diuinis afficiet.

Stringit quoque Abbatus dentes in Bellarminum, quòd duas solutiones attulerit; sed hæc criminatio Batto cum reliquis communis, iam depulsa est: vt & illa, vtrum *Maozim* sit nomen Dei; an præsidij seu arcis; quod Bellarminus probabilius existimat. Battus ne dubitandum quidem putat esse nomen *Dei*; quia Daniel appellat Deum *Maozim*; ergo *Maozim* est nomen Dei, similiter, ac si diceret; *vallium* vel *montium* vel *gentium* esse nomen Dei; quia in scripturis legimus; *Deus vallium: Deus montium; Dij gentium.*

Quærebat Rullus, quis, quæso, dicit *Maozim esse nomen Dei? Cum sit nomen substantiuum significans robora seu fortitudines.* En, Rulle, Abbatus contendit esse nomen Dei; & Bellarmino hoc probabiliter neganti; conuicia dicit. Quid tu, mi Rulle, de hoc Britannico calumniatore statues? Tui hoc esto arbitrij.

Danæus admodum stomachatur, quod Bellarminus in hac de Deo *Maozim*, & de Paulinis ἐπιλόγοις disceptatione non consuluerit Notas Bezæ in nouum Testamentum, & Thesaurum Græcum Henrici Stephani, & Commentarios Caluini & Iunij in Danielem. O factum malè; nam inde didicisset, *Deum Maozim* esse ipsum verum Deum Israëlis. Et id genus complura alia valde recondita, & digna scitu, non vt approbentur; sed vt refellantur, & tanquam hæreticorum inanissima cõmenta repudientur. Quærat porro quis, quidquid sit de Iunio, cuius libri sunt obscuriores, & ignotiores, vnde constet Danæo, Bellarminum non vidisse tres illos Geneuenses Caluinistas. An non sæpissimè, & singulis propè paginis, citat Caluinum? An non aliquoties Thesaurum Stephani? An non Bezæ Notationes?

Iunius ad hoc XIV. quartum nil adfert, quod peculiari refutatione egeat. Ex dictis omnia cõcidunt. Nisi forsan silentio transmitti non debet illa eius impietas, qua dicit; *Christum subiectũ fuisse Sabbato & Ceremoniis Iudaicis*; Christum, inquam, qui *filium hominis* alicubi ipsius quoque Sabbati *Dominum* appellat. Quo significat *filium hominis* etiam secundum naturam humanam, fuisse Dominum Sabbati; & omnium legalium institutorum, atque adeo exemptum à subiectione: Sed non mirum, Christum secundum humanam naturam subiici à Iunio legalibus cæremoniis, cum eundem secundum diuinam quoque naturam Deo subiiciat, vt non semel vidimus in disputatione de Christo. Quàm verò hæc de subiectione legali probè concinant cum illis oraculis Psalmi: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*: (ergo & super opus legis Mosaicæ;) *Omnia subiecisti sub pedibus eius* ergo & legem Mosaicam; Nouatoribus perpendendum relinquo.

CAPVT

CAPVT XV.

De miraculis Antichristi.

ABBATVS hîc furiosissimè incurrit in miracula, quæ in Sanctorum historiis continentur & recensentur, caque, si non omnia, attamen pleraque, Diabolicis *præstigiis Monachorum, fraudibus ac decipulis adscribit*, tanta conuiciandi & sycophantandi impotentia, vt quo copiosius in hoc argumento versari posset, omnia omnium scurrarum & sannionum scrinia, maledicentiæ & mendaciloquentiæ refertissima, expilarit, & spolia in hunc suum centonem importarit: Sed nos iam pridem huiusmodi maledictis non modò audiendis, sed & fortiter aspernandis assuefacti sumus; gnari, historias non ideo transformari in fabulas quòd à *fabulatoribus* istis inter fabulas referantur.

Mira narrant Caluiniani Angli, & in his VVilhelmus Toocker, Reginæ Elisabethæ Cappellanus (ita enim se nuncupat,) de charismate sanandi strumosos, quo Regina illa valuerit. Nec quemquam hac de re dubitare volunt; & vt ne dubitemus, editis integris libris, pro imperio à nobis exigunt. Et interim, quidquid miraculorum vel olim in Ecclesia Catholica factum, vel hodie fieri scribitur, id isti fermè totum subsannant & perpetim irrident; miranturque, vllum esse, tam læsi cerebri, qui his assentiatur. Sed nos huiusmodi vociferationes susque deque habemus; & vt à mente motis profectas spernimus. Quanto rectius fecisset tam Battus, quàm Sutliuius & alij, si pacate & ordinatè disputationem Bellarmini oppugnassent, absque tragicis istis, vel potius Bacchicis excursionibus & exclamationibus.

Post varia, quæ Bellarminus eruditè de Antichristi miraculis differit, ait Apocalyps. 13. tria Antichristi miracula poni. Danæus clamat: *Antichristum plura miracula quàm tria patraturum. Tria enumerari, cætera non negari; Bellarminum esse bebetem, qui hoc non viderit.* Quomodo non vidit? An non expresè hoc aliquot exemplis sacrarum litterarum statim sub capitis exordium ostendit? nam quòd speciatim tria postea attulit; haud negat, plura ab Antichristo patratum iri; sed quæ & quot Apocalyps. 13. percensentur, exponere voluit.

Abbatus & Sutliuius clamitant, *descensum illum ignis de cœlo, & fictitiam mortem cum fictitia resurrectione, & locutionem illam imaginis bestiæ non litteraliter, sed mystice & spiritaliter accipi debere*: nec hoc alio consilio dicunt, quam vt eò opportuniorem occasionē habeant hæc Pontifici Romano, tanquam Antichristo abs se creato, applicandi. Sed non est, quod sperent Caluinistæ nos à litterali sensu discessuros, propter vlla in nos iacta maledicta, vbicunque commodus, planus & expeditus sensus litteralis se offert; vt hic quidem se offert. nam quod Battus dicit; Bellarminum hîc *imitari Papiam; & quæ mystice intelligi deberent, accipere litteraliter*, id in Abbaticorum mendaciorum syllabum per me inscribas licet.

Obiicit Abbatus. Si hæc, quæ cap. 13. *de miraculis Antichristi narrantur, litteraliter accipi debent*; debent ergo etiam litteraliter accipi, quæ leguntur cap. 11. de Henoch & Helia. *Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunq; voluerint.* Ibidem etiam dicitur; *Et si quis voluerit eos nocere; ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum; sed hæc non possunt intelligi litteraliter.* Quare non, mi Batte? Quid obstat? Quid impedit? Phantasia, opinor, tua; cui obex ponitur, ne hæc ad Pontificem transferat, si vt sonant, exponantur. Videtur Abbato absurdum, *nullam fore pluuiam mensibus quadraginta duobus*, hoc est, tanto tempore, quo Antichristus sæuiens imperabit. At scriptura non dicit, nullam toto illius temporis interuallo fore pluuiam; sed esse in manu duorum istorum testium, vt cælum claudant, si necesse fuerit, *ne pluat in diebus prophetiæ eorum*. Et quod de igne *ex ore eorum exeunte* seu exituro scribitur, nil aliud indicat, quàm nutu & verbo eorum ignem irruiturum in eos, qui illis aliquid nocumenti afferre conabuntur; sicut olim, ad nutum & iussum Heliæ, descendit ignis de cœlo, & deuorauit legatos Regis Achab. Hæc omnia malè tinniunt in auribus Batti; qui & *descensum ignis, & locutionem bestiæ, & simulatam resurrectionem* de Papa interpretatur; cuius interpretationis neruus inciditur, si in litterali sensu persistatur. Vt daremus, miracula ista mystice & spiritaliter accipi debere, vnde exploratum est Caluinistis, ea magis pertinere ad Pontificem, quàm ad Caluinum, Lutherum, & vtriusque sectatores potentiores, quales sunt Reges & principes? Nam quidquid hic Battus insciter & inficitè de Papa deblaterat, id pauculis mutatis commodissimè ad prædictos duos Hæresiarchas, eorumque validiores asseclas tranferri potest.

De duabus bestiis Apocalyps. 13. ita differit Danæus, vt *bestiam* agnoscere queas. Summa est; *bestiam hanc esse Imperium Romanum Ethnicum; & hoc habuisse duo cornua præcipua*, seu *sedes duas; vnam in Italia*, nempe ipsam Romam; *alteram; Constantinopoli, quo translatum est* à Constantino Magno, *cum hoc imperium desiit esse idololatricum*. Mira Danæi audacia, mira confidentia; Ioannes primæ bestiæ disertè attribuit *decem cornua*; Iste octo resectis, duo tantummodo reliqua facit. Ioannes bestiæ, hoc est, Romano Imperio Ethnico, decem cornua tribuit; iste sibi contradicens sua quidem duo cornua Romano Ethnico Imperio primitus adaptat, sed mox se ipsum euertit,

quan-

quando sedem Constantinopolitanam alterum *cornu* fuisse scribit; cum Romanum Imperium Ethnicum, hoc cornu Constantinopolitanum nunquam habuerit; vt ipse Danæus confitetur. Quomodo igitur bestia illa Ethnica *bicornis* fuit, cum alterum cornu tum demum successerit, quando ab Ethnicismo destitit? Subdit Danæus; *Prius cornu huius bestiæ, lethaliter fuisse vulneratum, quando nulli Imperatores in Italia & Romæ erant: sed omnes Constantinopoli.* Hoc vix vnquam contigit: nisi aliquandiu sub Constantino Magno; post conditam Constantinopolim. Mortuo Constantino vnus ex filiis eius in Italia Imperator resedit. Hoc item sublato Constantius sæpius in Italia fuit. Neque imperium occidentale vllam plagam grauiorem accepit; vsque ad vrbem à Gothis captam Anno Domini CCCCC. X. quo tempore in Italia Honorius Imperator erat, vt Theodosius in Oriente. Quomodo ergo hoc alterum cornu bestiæ lethaliter vulneratum est, quando nullus erat in Italia Imperator, cum lethalem hanc plagam acceperit, Honorio Italiæ & occidentis Imperatore; & quod plus est; in Italia residente; & imperij habenas moderante? Lethaliter potius vulneratum est hoc Imperium cum Heruli vrbe & Italia potiti sunt, sub Odoacre Rege suo, exstinctumque occidentale Imperium. Anno CD. LXXVI. Et tamen tunc quoque in Italia Imperator erat, Augustulus. Quomodo igitur Augustulus hoc cornu lethaliter læsum sanauit, cum sub ipso ab Odoacre penitus contritum fuerit?

Secundam bestiam, de qua Apocalyps. 13. dicit Danæus *esse Antichristum, Pontificem Romanum, & exstitisse post Reges seu Imperatores, qui fuerunt vsque ad Augustulum*; quasi ante Augustulum, & sub illo, nullus penitus Papa Romanus exstiterit. Oportet igitur Simplicium fuisse primum ex Pontificum numero Antichristum, cum, si non mentitur Danæus; bestia hæc secunda, *statim post exstinctos in Italia Romanos Imperatores ex terra ascenderit.* Itaque Simplicius Papa vsque ad nonum sedis suæ Annum, imperante videlicet *Nepote & Augustulo*, non fuit Antichristus; sed capta, nono Pontificatus eius anno, vrbe ab Odoacre, mox in bestiam illam Apocalypticam, & Antichristum transformatus fuit. O nugas ne cassa quidem nuce dignas. Et tamen stolido Caluini vulgo, in pretio sunt non secus ac pretiosæ gemmæ.

CAPVT XVI.

De regno & præliis Antichristi.

DE præliis Antichristi scribit Daniel cap. 7. & 11. Sutliuius, & ex parte Abbatus, & Danæus, clamitant, *Omnia ad litteram pertinere ad Antiochum Epiphanem, ing, eo impleta & consummata esse.* Et qua est Sutliuius impudentia, S. Hieronymum pro se citat; cum is euidentissimè affirmet verbis à Bellarmino adductis, præliaturum; & de Regibus decem, quos tunc inueniet, tres superaturum & interfecturum, nempe Regem AEgypti, Regem Libyæ seu Africæ, & Regem AEthiopiæ: Vbi Danæus *Æthiopiam* mutat in *Arabiam*; & Bellarminum insciliæ arguit, qui *Æthiopiam* pro *Arabia* nominet, cum non modò vetus Interpres noster & S. Hieronymus, sed & ipsi Hæretici versores, Iunius, Tremelius, Castalio, Oecolampadius, Rullus, & alij, non *Arabiam*, sed *Æthiopiam* apud Danielem exhibeant. *Absurdum esset*, inquit Sutliuius, *hæc litteraliter de Antichristo intelligere.* Qua de caussa? *Quia tunc regna iterum restituenda essent Regibus Libyæ & Æthiopiæ, & omnia ad idem punctum redire deberent.* Non est necesse, vt omnia in idem punctum relabantur; satis est ad impletionem prophetiæ, vt cum Antichristus imperium suum auspicabitur, decem Reges inueniat, ex quorum numero tres illos Africæ, AEgypti & AEthiopiæ penitus exterminet ac exstinguat, cæteros sibi subiuget.

Citat Bellarminus pro vera sententia Patres. Respondet Sutliuius; *Patres typicè esse locutos; & typicè generatim de decem illis Regibus, ac speciatim de tribus Regibus Libyæ, Ægypti & Æthiopiæ intelligi debere.* Hoc Sutliuij responsum nimis esse typicum, libenter fatebitur, quisquis vel obiter verba S. Hieronymi hîc à Bellarmino recitata inspexerit; qui sanctus Pater testatur, se ea non solum *ex suo*; sed ex omnium scriptorum Ecclesiasticorum sensu protulisse. Deinde, vt Patres illa prælia *typicè* ad Antichristum retulissent, tamen ad verum Antichristum, non ad illum, quem suo ex cerebro nuper extuderunt Hæretici, ea retulissent. Proferat Sutlinius, aut quiuis alius Nouator, vel vnum ex antiquorum cœtu, qui vel minimam significationem dederit, Romanum Pontificem esse Antichristum, de quo Daniel & Ioannes vaticinia ediderunt. Nullum inuenient, licet omnes antiquæ memoriæ angulos excutiant, & scopis quoque euerrant.

Porro cum Sutliuius & gregales eius, quotiescunque Catholici argumentum ex typo vel allegoria petunt, ad rauim vsque vociferari soleant, *ex allegoriis non posse duci firmam & validum argumentum*; mirari subit; qua fronte ipsi contra suum principium ex typis & allegoriis

Danie-

Danielis & Ioannis, nobis persuadere velint; nō alium, quàm Pontificem Romanum esse Antichristum: quam meam admirationem Iam alibi quoque testatus sum. At vt crebrò monui, & res ipsa docet, inter hæreseos solemnia hoc postremum non est; etiam à suis placitis discordare; si discordia ad propositum obtinendum appareat aptior, quàm symphonia & consensio. Certè ex iis, quæ de regno Antichristi & pugnis sanctus Spiritus per Prophetas nobis patefecit, manifestissimè eluceſcit, Romanum Pontificem non esse Antichristum, propterea vsque adeo præfractè & contumaciter ad hanc tantam lucem sectarij restitant, & in tenebras sese abdere tentant: nā ex abiectissima sorte Antichristus ad Iudæorum regnum, tantamque & tam formidabilem Monarchiam ascendet. Num hoc conuenit in Romanum pontificem, cuius in Ecclesia principatus perpetuò viguit, testibus antiquissimis Patribus, hic & alibi à Bellarmino adductis?

Nam quòd Abbatus occlamat, *Patres loqui de præeminentia honoris, non de sceptro potestatis, & prioritatem ordinis notare, non regni Maiestatem*: id vt ita esset, attamen Abbaticam causſam non iuuaret; nā qui præeminentiâ honoris pollet, & *prioritate* ordinis gaudet, is vtique despectus non est; & si vlterius progrediatur, haud ex loco despecto & abiecto ad excelsiorem gloriæ & dignitatis gradū procedit. Multò minus conueniunt Pontifici, quæ Daniel de regibus Aegypti, Libyæ atq; Aethiopiæ deuictis canit.

Occinit insulsus Battus. *Iam pridem Romanum imperium in plures Reges Angliæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, &c. diuisum esse.* At rectè instat Bellarminus, non esse Danieli sermonem de Regibus Angliæ, Galliæ, Germaniæ; sed Aegypti, Libyæ, Aethiopiæ. Obstrepit Abbatus: *Hæ pertinere ad Antiochū, nō ad Antichristum.* Sed potior nobis est SS. Patrum auctoritas, quàm Abbati: quos omnes nemo erroris cum Abbato arguet, nisi qui cum Abbato effrons *Erro* audire velit. Si ad Antichristum non pertinent, cur tu ad commentitium tuum Antichristum accommodas? Tibi licet hæc referre ad Antichristum falsum; & patribus ea, etiam literaliter, ad verum Antichristum referre nefas erit?

Nec obstant SS. Patrum literali expositioni verba illa Daniel. 11. v. 41. *Hæc sola saluabuntur de manu eius, Edom & Moab & principium filiorū Ammon*: hoc, inquit Abbatus, *de Antichristo intelligi nequit, quia ne nomina quidem harum nationum iis in locis sub finem mundi exstabunt*: Respondet S. Hieronymus in cap. 11. Danielis: *Antichristus quoque Idumæos & Moabitas, ac filios Ammon, id est, Arabiam, relinquet in cæstam, quia illuc sancti ad deserta confugient.* Si hæc tibi non placent, Theodoretum audi, qui in prædicta Danielis verba, negat ea cōuenire in Regē Antiochum, quippe qui istis populis à se bello subactis & oppressis, ducem præfecerit Timotheum. Quapropter ad Antichristum ea refert, & duas ponit huius loci interpretationes; vnam historicam propterea illis populis Antichristum nil esse nocituru, quia eo tempore futuri sint scelerati ſsimi, & rebus Antichristi deditissimi. Alteram, mysticam, quam legat, qui vōlet vel in ipso Theodoreto, vel in Peretij commentario. Et vt tempore Antichristi nomina hæc non exstarēt, sufficit tamen exstare incolas in regionib. Idumæorum, Moabitarum & Ammonitārum, licet sub aliis nominibus, vel vno quopiam omnibus communi. Nam Propheta de his vaticinans iis vsus est vocabulis, quibus tum prouinciarum illarum indigenæ appellabantur.

Ait Bellarminus, nusquam legi, Pontificem interfecisse Reges Aegypti, Libyæ, Aethiopiæ. Respondet Battus, apud Danielem haberi tantummodo, Humiliabit: non autem, *Interficiet. Si quid amplius Hieronymus; sine auctore loquitur, ac proinde fides penes ipsum esto.* Hieronymum contra viperæ tuæ linguæ spicula defendit ipse Daniel, qui in eod. cap. 10. vbi verbo *Humiliandi*, vtitur ait; ante paruulum illud cornu, *quod ortum fuerat*, hoc est, ante Antichristum, cecidisse *tria cornua*; hoc est, tres Reges. Quid iste casus denotat, nisi exitium & excidium? Quod ipsum postea Propheta per verbum *Humiliandi* exprimit; nam & is vel maximè humiliatur, qui penitus exstinguitur. Mendacia & conuicia, quæ mox ex impuratis faucibus Caluinista in Papas, quasi in regnorum raptores & prædones eructat; ad auctorem suum conuersis vestigiis reuerti iure optimo iubemus.

Danæus clamitat: *Quæ de vero & insigni illo Antichristo scitu sunt necessaria, illa non in Daniele esse quærenda, sed ex Pauli posteriore ad Thessalonicenses cap. 2. & Ioannis Apocalypsi cap. 12. 13. 14. 17. 18. hæc enim capita de vero Antichristo loqui.* Inanem ergo operam sumunt Abbatus, Sutliuius, Pouelus, & præsertim Rullus, qui Antichristum illum suum nusquam nisi in malè sano ipsorum cerebro exstantem, operosissimè in Danielis Prophetia quæritant. Abstineant ab hoc verè superuacuo labore: nam si, iudicio Danæi, *ne verus quidem Antichristus in Daniele reperitur*, quanto minus inuenietur ille, qui post tot annorum centurias ex Nouatorum officina exstitit.

CAPVT XVII.

De Gog & Magog.

DE his scribitur Apocalyps. 20. Ezech. 38. & 39. Quæritur, quid per *Gog* & *Magog* significetur. Bellarminus varias sententias enumerat: Ipse tria asserit, primum; prælium *Gog* & *Magog*, esse prælium Antichristi contra Ecclesiam. Secundum; probabile esse, per *Gog* significari ipsum Antichristū, per *Magog*; exercitum eius. Tertiò, probabile esse, *Gog* dici à *Magog*, non è conuerso; ita, vt dicatur

Antichristus *Gog*, quia est Princeps gentis, quæ dicitur *Magog*. Danæus hic strennè calumniatur ac mentitur. I. Mend. *Bellarminum simpliciter reiicere sententiã Augustini de Gog & Magog.* II Mend. *Et tamen Bellarminum confiteri, Augustini sententiam ab omnibus patribus probari.* vtrunque impudens est mendacium; non enim sententiam S. Augustini absolutè reiicit, sed tantum quoad hoc, quod per *Gog*, Diabolum intelligit: neceã absolutè ab omnibus patribus probari dicit, sed tantùm, quatenus S. Augustinus *Gog & Magog* ad tempora Antichristi refert. Quòd autem Danæus, modestia Bellarmini in non admittenda parte sententiæ Augustinianæ abutitur ad suam suorunque summam impudentiam & petulantiam in reiiciendis & aspernandis sanctorum patrum placitis, iisque non obscuris & dubiis, sed exploratis certisque; id fronti Danææ, ex qua iam pridè omnis verecundia abrasa est, condonari debet. Non Bellarminum, sed Diabolũ imitatur, quisquis in patres ea exspuit, quę initio huius disputationis ex Danæo, Iunio, Sutliuio, & Abbato excerpsimus & separatim annotauimus, inter quæ extremæ & deploratæ mentis documenta, merito etiam ponitur illud, quod Danæus cap superiore his verbis dedit. *Testimonia patrum ab isto prolata, nihil nos premũt.* &c. *partim enim patres ad veram illorum locorum intelligentiam non attenderunt: partim latius Antiochi Epiphanũ cum Antichristo sub Euangelio & post Christum futuro comparationem extẽderunt, quasi singula quæ de Antiocho illo scripta sunt, ad verbum & ad litteram vero Antichristo conueniant & quadrent.* Impudens in sanctos Patres calumnia. Quis enim patrũ omnia & singula, quæ Daniel de Antiocho vaticinatur, ad Antichristum transtulit? Si quis in hac culpa hæret, non patres, sed Caluinistæ tui in ea hærent, præsertim Rullus, qui suo in commentario, quo Danielis librum fœdauit, omnia fermè & singula, quæ ipse litteraliter de Antiocho interpretatur; ad suum ficticium Antichristum accommodat.

III. Mend. *Bellarmini sententiam de Gog & Magog plane esse nouam.* IV. Mend. *Nullo, saltem vel probabili argumento.* V. Mend. *Esse meram diuinationem.* Mirum verò, quàm vbique & iste & alij sectarij Catholicis insultent, quãdo in rebus obscuris, & quas densæ caliginis nebula inuoluit; verisimilitudine contenti sunt, nec demonstrationes, & quidem luce clariores, crepant, vt vaniſsimè faciunt sectarij: quibus si in hac de *Gog & Magog* quæstione omnes tenebræ sunt dispulsæ; & ipsa veritatis lux, tam dilucidè illuxit; cur inter se non consentiunt? Cur alius in hanc; alius in aliam opinionem abit? Id ita esse, lector intelliget, si Bibliandri stolidam phantasiam hîc à Bellarmino confutatam, conferre velit cum Notationibus Iunianis & Tremelianis ad cap. 38. & 39. Ezechielis, & cum cõmentariis Oecolãpadij in Ezechielem, & lucubrationibus aliorum in Apocalypsin, tum perspicuè deprehendet, quomodo & ipsi inter se, & cũ Bibliandro cõspirent. Et quomodo vnus hoc, alius aliud diuinet ac coniectet.

VI. Mend. *Probari non posse ex hoc Ezechielis loco, verum Antichristum pugnaturum esse contra Ecclesiam, adscitis illis populis Gog & Magog* : Bellarminus per Gog nõ intelligit populos Antichristi subsidiarios, sed ipsum Antichristum.

VII. Mend. *Falsum esse, hos Gog & Magog fore, si non Scythas, saltem homines crudeles & barbaros.* Iterum dico, Bellarminum per *Gog* non intelligere milites seu exercitum Antichristi, sed ipsum Antichristum. Nec absolutè negat Magog fore Scythas, seu ex Scythia oriundos; sed dicit, sibi magis probari; exercitum Antichristi nomen Magog. Scythicæ gentis adeptum esse; propter immanitatem ac crudelitatem.

VIII. Mend. Duo priora mendacia probat Danæus hoc alio: *Quia tota illa prophetia Ezechielis suum implementum totale habuit ante Christi aduentũ, ergo Ezechiel non loquitur de eo, quod post Christi mortẽ demùm futurũ erat.* Idẽ asserit Iunius. Vbi verò Antecedentis probatio, de qua Danæus ne per somnium quidem cogitasse videtur, ratus, opinor, suam assertionem fore nobis instar oraculi falli & fallere nescij. Si prælium illud horrificum, de quo Ezechiel, pugnatum est ante Christi aduentum, edant, quando, & vbi pugnatum sit; quisq; scriptor tam memorabilẽ omnibus sæculis pugnam in litteras miserit?

IX. Mend. *Gog & Magog dici populos fuisse principes & primarios inter Meschibitas & Tubalitas Ezech. 38. v. 2. & cap. 39 v. 1.* Non est ita; Gog quidem dicitur princeps; at non Magog; quia Magog terræ seu regionis, cui Gog imperat, nomen est. Et vt vtrunque nomen principem denotaret; vt arbitratur quoque Ribera noster in cap. 20. Apocalypseos, nil tamen pro se obtineret Danæus; qui hunc in modum argumentari videtur. *Gog significat Principem capitis Mosch, & Thubal; ergo nõ Antichristum.* Negatur consequentia: Quia Prophetæ sub aliena persona & alieno nomine de alio loquĩ & prophetare solent; vt iste ipse Ezechiel sub nomine & schemate Regis Tyri loquitur de gloria & Magnificentia illa, qua Lucifer ante ruinã è cælo clarescebat: Pari modo & hic sub nomine *Principis Mosch & Thubal*, vaticinatur Ezechiel de Antichristo, *eiusque exercitu*, qualescunque demũ sint illi populi Mosoch & Tubal, neque enim de his inter Auctores cõuenit. Et sine dubio ad Antichristum, cum venerit, ferocissimæ quæque gentes aggregabuntur; vt tyrannidi eius immaniter debacchanti subseruiant. Nec obstat, quod de septennio ex Ezechiele Danæus obiectat. Nã nodum hunc iam dissoluit Bellarminus. Nec vnum verbum contra mutit Danæus.

Per *Gog* non posse intelligi ipsum Antichristum, sic probare nititur Iunius. Apocalyps. 20. ita scribitur. *Soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium. At Satanas*

non

non exiturum est. vt seducat Antichristum. Imò vel maximè Diabolus Antichristum seducet. Vt enim nemo maior seductor; sic & nemo magis seductus, quàm Antichristus, erit. Nec obstant illa v. 10. vt Iunius existimat: *& Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & Pseudopropheta cruciabũtur*, &c. nam per bestiã Gog, hoc est, Antichristus, commodè intelligi potest; & per Pseudoprophetam aliquis ex insignioribus eius administris. Si quis cum Francisco Ribera in cap. 20 Apocalyps. & aliis contenderit Gog & Magog esse nomina Regum seu Principum, qui Antichristi partes numerosissimis exercitibus, præ cæteris tuebuntur & promouebunt, cum hoc non pugnabo.

Præterire nequeo calumniam Rulli in cap. 7. Danielis. Bis hic dicit Bellarminus, Hispanos apud Ezechielẽ nomine *Thubal* significatos, fore in exercitu *Gog*, hoc est, Antichristi. Rullus vociferatur, Hispanos *habere causſam, cur grauissimè Bellarmino irascantur*: cũ Rex eorũ vocetur *Catholicus*, ipsi autem vt Antichristi satellites traducantur, putatque Caluinista, *nescienti Bellarmino, vel inuito id excidisse. Hispanos enim iam nunc Antichristo militare*. Quasi verò Bellarminus loquatur de Hispanis, quales hodie sunt, non de illis, quales sub nouissima tempora futuri sunt. Et quasi hoc magis ignominiosum sit Hispanis, quàm aliis gentibus, nam à quatuor angulis terræ cõfluent homines ad exercitum Gog. Et si Bellarminus propterea iniuriosus fuit in Hispanos; iniuriosus in eosdem fuit S. Ioannes, imò & in quatuor partes orbis contumeliosus exstitit.

CAPVT XVIII.

Reuelluntur deliramenta Hæreticorum, quibus non tam probant, quàm impudenter affirmãt, Papam esse Antichristum.

SOLVIT hoc capite Bellarminus argumentum Lutheri ex cap. 8. Danielis, vbi sic scriptum est. *Et post regnum eorum, cum creuerint iniquitates, cõsurget Rex impudẽs facie, & intelligẽs propositiones*, &c. Lutherus hũc Regem vocat *potentem faciebus*, hoc est, *ceremoniis & pompis operum externorum*; Ex cuius insciti simâ garrulitate in lib. contra Catherinum, hoc tandem prodit *argumentulum. Daniel describit quendam Regem facie impudentem*, seu vt ipse, quemadmodum nouè, ita & ineptè vertit; *potentem faciebus. Sed iste non est alius, quàm Papa*: Ergo iã sic. *Papa est ille Rex: ergo Papa est Antichristus*: Probatur consequentia. *Quia Rex ille impudens facie seu potens faciebus, est Antichristus*. Quis non rideat insciti am & ineptiam huius argumenti, licet versionem Lutheri toleraremus? quæ tamen prorsus est indocta, & textui Hebræo, Græco, & Interpretibus, etiam Hæreticis, aduersa: vt ostendit Bellarminus: Et Iunius cum suo Tremelio locũ Danielis quoad sensum vertit vt noster: *Rex impudens & cautus*. Oecolampadius. *Rex fortis facie*: Idẽ in commentario ad hunc locum. *Impudens facie, hoc est, mire audax ad quoduis malum patrandum, ita vt nullo pudore, aut metu à malis cœptis retrahaberetur*. Mox in Lutherum virgulam stringit addita hac cẽsurã. *Lutherus aduersus Catharinum, vt & alia quædam in ista pericope, violentius, neglecto Hebraici idiomatis tropo; sic exponit; potens faciebus, vt opponat potenti armis, quasi Rex sit laruarum, & Hypocrita*, &c. En Iudiciũ Oecolampadij inter Sacramẽtarios vel primi vel ex primis de Lutheri versione. Nec eam Danæus vel Iunius ausi fuerunt defendendam suscipere. Quomodo id Danæus licet audaciss imus, fuisset ausus, cum iam supra palam dixerit, verum & insignem illum Antichristum non esse quærendũ in Daniele, sed in Apocalypsi? Et tamẽ Lutherus eum in Daniele summa vociferatione quæsiuit. Etsi non reperit, nisi illum, quem ad Danielem in sua imaginatione iã antea efformatũ attulerat.

Danæus Lutherum, *virum sanctissimum* nominat, verè ergo Lutherus in Sacramentarios, hoc est, Zvvinglianos & Caluinistas, cõtulit, quidqd scommatum, cõuiciorum & probrorum in eos pleno sacco congessit, quia si vir *sanctus* non mẽtitur; multò minus mentietur vir *sanctissimus*? Iunius, vt se *facie robustum* demonstret, nuptias Lutheri, & alia nonnulla eius plena impudentiæ facta, à Bellarmino hîc obiter tacta tueri nititur. Mirandum non est, si Cynicus Cynico opituletur, illud magis insolens, si Caluinista Luthero: q Sacramẽtarios iis colorib. depinxit; vt per nullius carbonis nigrorem, nigriores reddi queant.

CAPVT XIX.

Refutantur nugæ synodi Smalchaldicæ Lutheranorum.

HIVS libelli, qui etiã *formula* cõcordiæ Lutheranæ insertus est. Auctorẽ fuisse Melanchthonẽ suspicatur Bellarminus. Nec immeritò. Danæus nihil hic præter vetera & noua conuicia ac maledicta. Iunius admodum verbosè nugamentorũ, quib. libellus iste scatet; defensionem suscipit, vt videatur magnam & solidã gratiã à Lutheristis inire voluisse. Multus est in eo, vt demõstret, *Pontificem aliud ore proferre; aliud, corde tenere & tegere. Ore se Deũ negare, Corde profiteri, & diuinum honorem ambire*. Nimirũ Caluinistæ alios ex suo ingenio æstimant.

Illud argutũ simul ac festiuum est argumentũ. *Omnis qui in Templo Dei sedet, ille est Deus. Solius enim Dei est sedere in Templo; Episcoporũ, flaret. Pontifex sedet in Templo Dei; ergo vt Deus*. Non abs re quæras, an nullus vnquam Caluinianus vel Lutheranus Minister in *Templo Dei* sedeat? An forsan ideo non sedent in Templo Dei, etiã tum, quando sedent, quia templa eorũ non sunt Templa Dei, sed spelunca prædonum; vel certè stabula alta ferarum?

Vt ad subtilissimũ Iunij syllogismum veniã. Respondeo, *Maiorem esse falsam*; sumendo *sessionem*, pro iurisdictione, potestate atq; auctoritate, vti sumi debet: Etsi enim Deus suprema potestate in Ecclesia pollet, eã tamen cum ministris Ecclesiæ communicat: & eorum interuentu exercet; quos inter ministros, vnus itidem, & quidẽ præcipuus est Papa; qui ratione acceptæ diuinitus potestatis sedet in templo Dei; non vt Deus, sed vt Vicarius & minister Dei: qualẽ se corde, ore, & opere clam palã profitetur. Contendere autẽ, vt facit hic Iunius, & sectarij passim alibi; Papam & suo & nostro iudicio, *haberi velle & censeri Deum, quòd nonnunquam à nonnullis*, præsertim iuris Canonici Glossographis & Interpretibus, bona & candida mente appellatus est *Deus*; id maligni prorsus pectoris argumentum est; cum neminẽ fugiat, nomen *Dei* metaphoricè tunc vsurpari: Et per tropum etiam hominibus, præsertim virtute vel potestate præcellentibus, tribui solere.

Itaq;, cũ Iunius hoc loco recitat verba Glossæ in Extrauagantem Ioan. XXII. *Cum inter*, &c. *Credere autem Dominum Deum nostrum Papam condentem dicta decretalia & istum, sic non potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censeretur*, &c. idque non alio consilio, quàm vt imperitis fumos vendat; haud aliud occurrit, quã quod Christus respõdit Iudæis Ioan. 10. *Nonne scriptum est in lege vestra; quia ego dixi, Dij estis; si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem pater sanctificauit & misit in mundũ, vos dicitis; quia blasphemas; quia dixi; filius Dei sum.* Si ad quos sermo Dei factus est: Dei nomine affici valent: cur non & is, qui in suo primo Antecessore audiit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Et, *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c.

Cætera, quæ Iunius frustillatim hinc inde carpit, ab anicularũ næniolis non abludunt, nominatim illud, quod nugatur de Cõmunicatione indulgentiarum cũ defunctis *per modum suffragij*. Si eruditorum in cõsessu sententiæ de Iunio exquirantur; omniũ suffragiis ignoratæ cõuincetur, quid locutio illa per *modũ suffragij* significet.

CAPVT XX.

Refelluntur Caluini Mendacia.

DANAEVS & Iunius Caluinum suum non aliter ab accusationibus Bellarmini purgãt, quàm quòd *de rebus notoriis locutum fuerit*; *res notorias non egere amplioris probationis. Rem ipsam loqui; Papam nouas Sacramẽta in Ecclesia instituisse, & quæ à Christo instituta erant, corrupisse & vitiasse: nouos item Deos fecisse*, nimirum, *homines defunctos, & noua salutis æternæ obtinendæ media finxisse, nempe suas indulgentias, merita hominũ, ceremonias à se præceptas*, & id genus alia, quæ nil aliud sunt, quàm notoria Caluini, Danæi, Iunij & similium mendacia satis superque hîc à Bellarmino, & ab aliis alibi refutata ac profligata.

CAPVT XXI.

Refelluntur mendacia Illyrici.

VALDE se diffundũt Danæus & Iunius in defensione Illyrici, hominis omnib. Sacramẽtariis & Caluinistis infestissimi & infensissimi. Nimirum, Danæus & Iunius etiã de hoste bene mereri cupiunt; tanta est eorum charitas, tãta benignitas. Nec vitio eis hoc Apologeticum studium verterem; nisi mendacia mendaciis tueri conarentur. Numeremus solummodo aliqua, eaq; non obscura, sed ab hoc Caluinistarum pari ex scurrarum circulis desumpta.

I. Mend. Danæi. *Tot Christos à Papa & Papistis cõstitui; quot in cælo sanctos pro nobis intercessores constituunt.* II. Mend. *Papam seuerim exigere obseruationem suorum mandatorũ, quàm Christi.* III. Mend. *Et propterea Christo se præferre.* IV. Mend Iunij. *Concilium Constantiense sess. 13. voluisse magis se, decretumq; suum de vna Sacramenti specie sumenda audiri, quàm Christi institutionem.* Num institutionem cum præcepto copulatã? Num præcepit vt nõ aliter, quàm sub gemina specie cõiunctim acciperetur à fidelib⁹? V. Mend. eiusd. Iunij. *Per Imaginum cultũ abrogari secundam Decalogi legem.* VI. Mend. eiusd. *Decretalẽ* Exiit, *de* verborum signif. in sexto, & Extrauag. Ioann. XXII. Cum inter, *determinare contra veritatem scripturæ.* Mirificè etiam propter hanc & similes Glossas paratragœdiat Rullus in cap. XI. Danielis. Sed sinamus amentes furere, quandoquidem ad mentem redire, sponte sua nolunt. VII. Mend. eiusd. *In altera Papam vnum ab altero pronunciari hæreticum.* Legantur istæ Constitutiones, non impedio; dummodo ad lectionem non adferatur oculus Caluinianus, qui nequã est, & nil sincerè aspicere potest: De quib. infra lib. 4. plura dicemus. VIII. Mend. eiusd. *Nos Mediatorij officium Christi propriũ, quà tale, cũ sanctis cõmunicare.* IX. Mẽd. eiusd. *Nos æterni sacerdotij sacrificio perfecto, veræ redẽptioni à Christo factæ aliquid addere.* Nil addimus: sed opera nostra & operam perfecto sacrificio & copiosæ redemptioni adhibemus, & quasi admouemus, vt fructuum illius participes efficiamur.

Reliqua, quæ posthæc Iunius effutit, nihilo meliora aut saniora sunt, si nõ deteriora: nisi fortè ingens scelus reputari non debet; quòd sentẽciã S. Bonifacij, Germanorũ Apostoli, Canone, *Si Papa*, dist. 40. comprehensam; vocat *impiam, horrendam, & Diabolicã*: quodq; magno supercilio de Leone Magno, tãto Pontif. pronunciat: *Negatur Leonis auctoritas. Id quidem effecit Leo, quod hyperbolicè prædicat: sed Concilium Constant. Primum, ambitionem istã antenerterat* (Canon suppositicius est, vt suo loco diximus) *& recusauerũt ambitioni Leonis cedere Chalcedonense; Africana, Carthaginensia.* Nihil hæc Concilia de ambitione Leonis vel alterius Rom. Pon. Assumentum hoc Iunianũ est, qui iã sæpius petulantissimè in S. Leonem incurrit.

Sacram scripturam esse hæreseωn fontem, ait

Danæus, *scriptum exstare in Bulla Leonis X. qua Tridentinum Concilium primùm conuocauit.* Vel hinc apparet, quàm consideratè sua scripserit Danæus? Siccine Leo X. Concilium Tridentinũ indixit, qui multis annis prius, quàm vlla de hoc Concilio congregando cogitatio susciperetur, ex hac vita migrauit? Vbi, cedo, exstat illa Leonis X. Bulla?

Non omittendus Rullus, q & ipse ex hoc capite nonnulla carpit, vt quod Bellarminus dicit contra Illyricum, Papã pro superiore suo agnoscere Deum, eiq; subiici; at Antichristũ aduersus omnem Deum sese eleuaturum; hoc à Papa non fieri. Rullus consueta sibi & symmystis suis mendacia mentitur: *Papam hoc solo ore, præ se ferre; Corde aliter affectũ esse. Papã enim in lege Dei, vel potius contra legem Dei dispensare. Martinum V. cum quadã dispensasse, vt suam sororem germanã matrimonio sibi iũgeret. Et hoc testari Antoninũ parte 3. summæ cap. 11.* quod est Diabolicũ prorsus, omnesq; pudentiæ fines transcẽdens mendaciũ. Non. n. dicit S. Antoninus Papã fecisse potestatẽ, vt frater duceret suam sororem germanam; sed sororẽ eius, quam *carnaliter prius cognouerat*; ex qua copula impedimentũ affinitatis exstiterat, dirimẽs matrimoniũ. Et in hoc impedimento dispensauit Papa; non autẽ vt frater germanã suam duceret, vt iste impudentissimè mentitur, & vt mendacium augeat: ait idem sentire Angelum, & Nicolaum Boërium.

Addit Rullus: *Papã contra legẽ Dei docere, concupiscentiã,* (absq; voluntatis consensu) *non esse peccatũ. Papã contra legem Dei præcipere, ne parentes honorentur:* item *ne laici sub vtraq; specie Eucharistiam sumant. Papã Romanũ seruire iis, qui natura nõ sunt Dij,* hoc est, *sanctis in cælo:* hinc sequi, *ab eo abnegari Deũ patrẽ & filiũ & Spiritũ sanctum Papã Imperium Rom. oppressisse, vt & Ecclesiã in magna Christianitatis parte.* Nugæ nugarũ. Appellat Bellarminũ, *veteratorem*: quòd prosperitatem, qua Daniel prædixit, Antichristũ auctũ iri, *transferat ad prædicationẽ Euangelij Lutherani.* Et cur non transferret, cũ Daniel generatim dicat; prosperè sub manũ Antichristo, (& eadẽ est ratio de Antichristi præcursoribus,) omnia successura, & ad nutum euentura. Quoties Lutherus de hac sua, iudicio suo, prosperitate palam est gloriatus & triũphos egit? Quocirca si prosperè agere nota est Antichristi, eã in Luthero potius quàm in Põtifice reperiem⁹, vt pspicuè Bellar. demõstrat.

Mox repetit Rull. suũ illud mendaciũ; *Papã se supra Christũ efferre, corde saltẽ & opere; si min⁹ verbo:* Vsq; adeo iste sua & suorũ mendacia magni æstimat, vt sæpius illa inculcare iuuet, quo profundius in lectorum præcordia descendant.

Illud Danielis cap. 11. v. 37. de Antichristo: *Et erit in concupiscentiis fœminarum*: arrodit Rullus tãq; malè versum; *addi enim debere negationẽ; nã negationẽ, quæ sequẽti membro additur, pertinere etiã ad hanc antegressam sententiã* ⁂ *more non modo Hebræorũ, sed omniũ etiã linguarum aliarũ, vt sensus sit; & ad concupiscentiã fœminarum, & ad vllum Deũ non attendet; relato hoc;* non attendet: *ad primũ quoq; membrũ.* Suadendũ est sectariis, vt ipsi prius tã de versione huius loci, quàm de expositione inter se concordent. Nã Pellicanus, Zvvinglij discipulus vulgatã versionẽ nobiscũ sequitur, & explanat de Antiocho; tãquam de luxuriosissimo, & qui vsq; ad insaniam amori mulierũ deditus fuerit. Oecolampadius ita vertit. *Et de Deo patrũ suorũ non intelliget, & de desiderabili mulierum; & de vllo Deo non intelliget*; & per *desiderabile mulierũ*, non intelligit amorẽ mulierũ; sed *Deam pulcherrimam Lunã vel Venerẽ*, vt sensus sit; *neq; desiderabilẽ mulierẽ, hoc est, pulcherrimã illam Deã neq; vllũ Deũ curabit.* Subdit Oecolãpadi⁹, Hebræos exponere: quòd Antiochus *non sit curaturus mulieres: Sed mihi magis placet,* inquit, vt de *Idolo* exponas.

Relictis nouatorũ dissensionibus, ꝓbat Bellarminus, versionẽ nostrã absq; *negatione* bonã & ꝓbã esse: quia non est credibile, Spiritum S. per Danielẽ de Rege libidinosissimo dicturũ fuisse, eũ concupiscentia mulierum nõ æstuaturũ. Perculsus hac obiectione Rullus, de alia euadendi rima cogitauit; hoc allato cõmento: *ad Antiochũ, tametsi mulieribus addictissimũ, hoc pertinere,* quia *motus non est amore mulierũ deprecantiũ conturbationẽ religionis, sed in proposito suo perrexit.* Huic Caluinistæ oppono duos Caluinistas Iuniũ & Tremeliũ, qui in Notationib. ad cap. XI. Danielis illud; *neq; ad desideriũ fœminarũ attendet; sic interpretatur: plaue impius & inhumanus erit, vacuus tũ omni numinis reuerentia, tũ omni naturali studio & amore erga suos, qui amor in mulieribus solet esse tenerrimus, vt 2. Schem. c. 26.* sensus ergò est, secundum duos istos Rabbinos, Antiochum caritum omni naturali in suos amore, qui amor potissimùm in mulieribus elucet.

Deinde dicat Rullus, si is quẽ ipse cõminiscitur est Danielis sensus, ad quã nã oraculo suo deprecationẽ mulierum Daniel respexerit: qua Antiochus nil motus fuerit? Nũ ad illã, quæ describitur 1. Macch. 1. v. 26. At nõ tantũ mulieres, sed & omnes alij, ꝓpter mutationẽ religionis & patrios ritus euersos in luctu & squalore fuerũt. Sic enim scriptũ est. *Et factus est plãctus magnus in Israël, & in omni loco eorũ, & ingemuerunt principes, & seniores, & iuuenes, & virgines infirmati sunt, & speciositas mulierum immutata est: omnis maritus sumpsit lamentũ: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant.*

Altera ratio Bellarmini pro versione vulgata, est; quia cum Antichristus sit Iudæorum Messias futurus: & Iudæi, inter cætera bona, vxorũ multitudinẽ à Messia suo exspectent, nõ est credibile Antichristum, cælibatum imperaturum aut laudaturum. Rullus ridet *Messiam Iudæorum.* Sed risum eius vilipendimus. Ait: *Apostolũ prædixisse venturos nouissimis temporibus, qui nuptias damnarent: hoc in Antichristo maximè completũ iri.* Respõdeo, cõpletũ esse & cõpleri in Antichristi prodromis, qualesManichęi, Encratitę, similes, qui nuptias, vt illicitas, spernebant & condemnabant.

Obiicit Rullus, *signum Antichristi esse, quòd Papa ministrũ Ecclesiæ, celibatũ sub pœna excõmunicationis indicit.* Sed longè alius est eorũ sensus, quos Spiri-

tus Christi agit quã eorũ, quos Spiritus Veneris exagitat, in quorum Catalogo est & Rullus; qui mentitur, ex Can. 12. Concil. Carthag. III. elucere, Clericos tunc fuisse vxoratos, mãdat enim, *vt filij vel filiæ Episcoporũ, vel quorũlibet Clericorũ gentilib. vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non iungãtur.* Aduertere debebat Canonem loqui de filiis & filiabus ante Clericatũ & Episcopatũ susceptis.

Iunius impudenter Can. 2. Conc. Carth. secũdi citatum à Bellar. deprauat: Et ꝓ illo: *pudicitiæ custodes etiã ab vxorib. se abstineãt*: substituit: *ab extraneis* cõtra omnẽ librorũ fidẽ, ipsamq; expressam sententiã Canonis, iubentis: *Episc. presb. & Diac. &c. & Dei sacerdotes, nec non & Leuitæ vel qui Sacramentis inseruiunt, continentes esse in omnib. qui possint simpliciter. quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apost. docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus*, inquit Canõ. *Ab vniuersis Episc. dictum est. Omnib. placet, vt Episc. presbyteri & Diac. vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiã ab vxorib. se abstineant.* Quid clarius? Et tamẽ Iunius offuciis suis solem obscurare nititur, & culpã in Aurelium cõfert, q Græcus natione, illud ἀπὸ γυναικῶν reddiderit, *ab vxoribus: aut alium quispiã imperitum.* Nã ab vniuersis, non à solo Aurelio dictũ est, placere vt supradicti Ecclesiæ Ministri ab vxorib. abstineãt: neq; loquebãtur Græce in illo Cõcil. vt nec in primo Carth. Quare locum habere nequit, malè ab illis, illud; ἀπὸ γυναικῶν, acceptum esse. Ab omnib. itẽ dictũ est; placet, *vt in omnib. & ab omnib. pudicitia custodiatur, qui altari deseruiunt.* Ex quo sequitur, per illud *in omnibus*, consuetudinẽ etiã cum vxore ꝓpria, exclusam fuisse. Neq; ideo Canon iste repugnat Canoni III. Conc. Carth. primi, vt fabulatur Iunius; quia Aurel. Epis. verbis illis: *Cũ in præterito Cõc. de continentia & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt: Episc. inquam, presbyt. & Diac.* &c. non alludit ad tertium Can. Conc. primi Carth. vt hallucinatur Iunius, sed ad Canonẽ 37. Conc. Africani celebrati Castino atq; Victore Cõsulib. Anno primo Celestini Pontificis, qui est Christi CDXXIV. qui Canon ita habet. *Præterea, cum de quorundã Clericorũ quamuis erga vxores propriæ, incontinentia referretur, placuit, Episc. & presbyt. & Diac. secundum priora statuta, etiam ab vxorib. continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remouerentur officio.* Ad hũc ergo Cano. respexit Aurelius, nõ ad illum tertiũ Conc. primi Carth. in quo nihil de Episc. Presb. Diaconis respectu suarum vxorum cõstituitur, sed tantùm illis, qui vel quæ Castitatẽ ꝓfitentur ne cũ extraneis & nullo cognationis vinculo sibi colligatis psonis in eadẽ domo degant, præcipitur: Et vel hinc confirmatur, Cone. illud Carth. ꝙ vulgò *secundũ* appellatur, nomine tantùmodo secundũ esse, & reuera post omnia Conc. Carth. celebratũ fuisse; vt plurib. argumẽtis ex Baron. ostẽdit Binni⁹ in Notis ad hãc synodũ Tõ. 1. Cõc.

Nec silentio transmittenda est insignis hallucinatio Iunij, qui Aureliũ Epis. Carth. in Conc. Carth. ea quæ Canone secundò cõtinentur, locutum: ait fuisse natione Græcũ, citatq; Possidium, hoc in vita S. Augustini testantẽ; cum Possidius nõ loquatur de isto Aurel. sed de Valer. Augustini Antecessore & ordinatore, hũc enim, *natura Græcũ, minusq; Latina lingua & literis instructũ fuisse scribit.*

Solent Hæretici obiicere, vt olim Antiochum, ita nunc Papã assectas suos locupletare. Scilicet valde ditauit, ait Bellar. Eckium, Cochlæũ, Rossensẽ, Latomũ, &c. obstrepit Rullus. Nõ seq. *Aliquos Papa non ditauit, ergo nullos, ergo nõ potest eis tribui hæc nota Antichristi: neq; etiã ipsũ Antiochũ omnes opib. auxisse, sed quos cognouit*, hoc est, *quos voluit, quos approbauit, tanquã maximè idoneos suo instituto.* Certè si quos sibi vtiles ac idoneos, more Epiphanis, locupletare voluisset, Doctores à Bellar. enumeratos ditare debuisset, qa fidei Catholicæ, hoc est, vt vos blasphematis, *doctrinæ Antichristi & regno eius*, longè fructuosissimã operã nauarunt, vt omnib. notum. Nã ꝙ Rullus dicit, nullum ex dictis fuisse, *quin ditior fuerit quouis Caluiniano vel Hussitico Ministro, in Gallia & Bohemia*; id vt credã ægrè adducor, quamuis parũ id referat, quia certum est, hos doctores non eã opum vim consecutos, (licet neque optauerint) quã vel Antiochus in sibi valdè obnoxios, rebusq; suis conducibiles contulit; vel etiam Antichristus aliquãdo in suos fidos & strenuos administros cõferet. Eckium sub finem vitæ, *nil nisi pecunias ingeminasse*, Ingolstadiẽsibus, apud quos piè obiit, inauditum est. Accẽseatur hoc infinitis aliis lædoriis & pseudologiis, quas hæretici de hoc inuicto Catholicæ religionis propugnatore commenti sunt.

Ait Rullus: *ipsorum culpa accidisse, si diuitiis nõ circumfluxerint. Papam enim nil dare absq; nũmis, Emenda ab illo opima & lauta beneficia.* At Daniel de munificentia Antiochi & Antichristi in suos vaticinãs, venditionis & emptionis nõ meminit; quæ enim hæc liberalitas esset, si ære parãda foret? Vnde hæretici, huius venditionis nullum in Daniele; sed in solo suo cerebro fundũ & fundamentũ habẽt; sicuti & totius huius suæ de suo Antichristo fabulæ: Nã de hoc Antichristo nil Daniel, nil Ioannes, nihil Christus: sed malè sana istorũ peruicacia, & durę ceruicis incredulitas. Nec ideo Bellarminus ingratũ facit Pontif. erga Eckiũ, Cochl. & alios: quia etsi illis, quos diuitiarũ copiis, quas Antichr. in suos congeret, nõ fuerint cumulati, suppetiit tamen singulis, vnde vitã honestè tolerarẽt: quod cuiuis, qui cęlestẽ potius, quàm temporalem mercedem spectat, abundè sufficit.

Verùm vt ad illud Danielis: *Et erit in concupiscẽtiis fœminarũ*: reuertamur; mirari quis non iniuriâ posset, cur Nouatores lectionẽ nostrã adeo auersentur, & negatiuã illam vrgeant; cum nostra videatur ad eorum institutũ, quod est, *calumniari* longè aptior. Nã si negatiuè vertant: *Nec erit in cõcupiscentiis fœminarũ*; hunc q; in modum explicent: Prohibebit Antichristus matrimonium; interim tamen se quouis libidinis genere cõtaminabit;

ſuoſq; fœdari ſinet, dummodo à coniugio abſtineant: qs non animaduertat, eos ineptire? An nõ eſt, *in concupiſcentiũ fœminarum*, qui vna certa, ſtabili & perenni, cõtemptâ, promiſcuæ Veneri indulgeat; & quæcunq; magis arridet, eam ad cupiditatẽ ſuã explendã deligit? Antichriſtũ, quẽ iſti fingunt, negant fore. *in cõcupiſcentiũ fœminarũ*; & tamen meretricio amore ardentiſsimè flagraturũ. Qua ratione hæc duo cohærent? Nec euadet, qui cũ Melãchthone in cap. 7. Danielis dicet: ſenſum eſſe; *mulieres non futuras in honore*: quia Melãchthõ eò demũ delabitur, vt iſtã contẽptionẽ velit cõſiſtere, in interdicto Matrimonij: quò Pont. ſacerdotes, aliaſq; votiuas perſonas à cõnubio arcet. ſed nũ ideo inhonore nõ ſunt mulieres in Eccleſ. Pontif. &, vt ſectarij volunt, *in regno Antichriſti*, qa voto liberè & ſponte ſua obſtrictis aditus ad matrimonium intercluditur?

CAPVT XXII.

Refelluntur ineptiæ Tilmanni.

INEPTIAS Tilmanni redegit Bellar. ad formã ſyllogiſticã: ridiculã qdem. Sed quid ageret? Non merebãtur meliorem; nec concinniore veſtiri poterant. Iunius valde ſtomachatur, & huiuſmodi ꝓbationũ analyſin, *ſcura potius, quã homine docto dignã*, pũciat. *Bona verba quæſo*; nã tuis te verbis cõpellare lubet. Si excandeſcere iuuat, effunde irã tuã in Heshuſiũ, qinept' eſſe cõſultò voluit; nõ in Bellar qineptiã & inſulſitatẽ hominis lectorib. repreſentauit. Et quã tu analyſin ſomnias? Nõ reſoluit Bella. nugamẽta Tilmãnica, ſed potius ſoluta prius & diſſipata adſtrinxit, & in ordinẽ coẽgit, vt eorũ vanitas dilucidius intuẽtiũ oculis illuceſceret.

CAPVT XXIII.

Refelluntur mendacia Chytræi.

REPELLIT hoc capite Bella. eleganter Anti:heſes, quas mẽdaciis plenas, inſtituit Chytræus inter Doctrinam Chriſti & Pontificiorum, hoc eſt, orthodoxorum: vt inde cõcluderet, Pontif. Roma. Eccleſ. noſtræ *caput eſſe Antichriſtũ*. Legatur Bella. Ego hîc hærere non cogito, tum qa pleraq; ad alias cõtrouerſias ſpectãt; & partim iã ſupra ſparſim hinc inde tacta ſunt; tum qa Danæus & Iunius vix qdquã, qd ſeorſim dilui mereatur, adducunt: nã ſi ex Danæi clamoribus conuicia detrahas, quid reliquũ erit? Niſi fortè cõuiciator dici non debet, cuius hæc eſt oratio de Bella. *Monachus impuriſſimus verè in Suitarũ hara potius, quàm vlla ſacerdotum ara educatus. Qui ſic viuit, vt tu Bella. in cœno illo ſuũ & Rom. aliter, quã tu, loqui nõ poteſt*, &c. *Qua fronte & cõſcientia homo iſte effrons ſcribit, diſciplinã à nobis euertã eſſe. Papa Diabolus eſt quoq;, id eſt, calũniator & perſecutor Chriſti ipſius, & electorũ*, &c. *Sed tibi merẽ tuũ maledicendi relinquo*, inquit Danæus; *Meũ autẽ placidè diſputandi reſeruo*. Mirũ, ni Danæo mutato veteri nomine indatur nouũ? *Placidi*, vel *Placidij*, vel *Mitionis*, vel *Modeſti*. Quid illo placidius, quid modeſtius?

A Qui lœdorias ſuas; hac antilogia decorandas cenſuit. *Quod Chytræus ex cap. 8. & 9. Apocalyps. de hæreſib. & hæreſiarchis ſcribit, ex parte verum eſt, non tamen plenã, meo iudicio. illorum locorum explicationẽ continet: nam non ſolum ſtatum mundi Eccleſ. ſed etiam politicum in his duob. capitib. cõprehenſus eſt.* Quid verò idẽ Danæus ſub finem capitis? *Rerum euentus iam Chytræi interpretationem verißimam eſſe comprobauit, Etſi illa allegorica eſt, non literalis.* Paulò poſt contra allegoricã Bella. explicationem, inſaniens; ſic furit Danæus. *Quòd Bella. multis verbis ſuam illã de locuſtis interpretationem iactat & oſtentat; vno verbo refellitur: locuſtæ enim ſunt fuerunt q, Gotthi populi, eorum q, exercitus ſæuit, vastẽ*, &c. Si hæc expoſitio litteralis
B (demus enim in gratiam Danæi, eſſe literalẽ) euertit expoſitionem allegoricam Bella. qui totũ illud cap. 9 præſertim *Locuſtas* ad Luth. ſcitè applicat; euertet pariter interpretationẽ Chytræi, q per locuſtas *Epiſcopos, ſacerdotes & Monachos* intelligit. Cur enim potiore iure gaudeat allegoria Chytræi, quã Bella. Cur illa cũ ſenſu litterali Dan. eoq; Gotthico ſubſiſtere valeat; hæc non valeat?

Vt artificium Iunij videas, obſerua gloſſas eius ad hiſtoriã Ruffini lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 33. citatam à Bellarmino; vbi hæc Ruffinus de Theodoſio Imperatore expeditionẽ aduerſus Eugenium Tyrannum moliente. *Præparatur ad bellũ non tam armorum telarumq;; quàm ieiuniorum ſubſidiis, nec tam excubiarum vigiliis: quàm obſecrationum pernoctatione munitus, circuibat cum ſacerdotib. & populo omnia*
C *orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus.* Iunius. *nam thecæ vrnæque Martyrum aſſeruabantur in locis ſacris. Vt earum aſpectus pios afficeret*: Cur ergo ad eundem finem nullę ſunt Martyrum thecæ vrnæq; in fanis Caluinianorũ? An qa impij nullo pio ſpectaculo cõmouentur?) *ante eas iacebat Theodoſius*; id eſt, Iunio gloſſatore, *ibidem, vbi illæ erant, in religioſo loco*. Diabolica corruptela & importuna. Quis enim non videt Ruffinum dicere, Theodoſium, cilicio tectũ proſtratumq;, ante ipſas Thecas Martyrũ, hoc eſt, corã thecis, in quib. Martyrum lipſana aſſeruabãtur, ꝓcubuiſſe, nec ꝓcubuiſſe ſolum, ſed & ꝓſtratum
D iacuiſſe, vt ſanctorum beneuolentiã & interceſſionẽ ſibi conciliaret, tanto bello, quod moliebatur, feliciter ſuſcipiendo & perficiendo. Si qs diceret; *Iunius proſtratus iacuit Leidæ ante Principem*: an nõ ſignificaret Iunium ad pedes principis accidiſſe, & ꝓuolutum fuiſſe? An hoc ſoũmodo denotaret, eum ꝓſtratum fuiſſe eo in loco, ſeu ea in vrbe, vbi Princeps verſabatur?

Addit Ruffinus cauſſam cur ante thecas Martyrum proſtratus iacuerit Theodoſius: *Et auxilia ſibi fida ſanctorum interceßione poſcebat.* Iunius. *Bellar. illudit ambiguo*: nam ſenſus eſt *fidelium ſanctorũ ex ſacerdotib. & populo interceßionẽ preteſq; adiungebat ſuis. Quid hoc, amabo te, ad ſanctos mortuos?* Ruffinum ipſe exponit dicens: *Circuibat cum ſacerdotibus & populo.* Quæ hæc, amabo te, cauillandi, & manifeſtiſsima quęque vulpinis technis eludendi improbitas? Nã

licet nemo dubitet Theodoſium viuentiũ quoq; preces & interceſsiones poſtulaſſe; de his tamen nõ loqui Ruffinũ, verba antecedentia clarè edocent; quæ eum ante Martyrum thecas ꝓſtratum fuiſſe teſtantur. Certè nõ vt viuentium, ſed vt eorum, quorum reliquiæ in illis thecis inerant, ſuffragia & opẽ impetraret. Quapropter mox ſubiicit Ruffinus: *Et auxilia ſibi fida ſanctorũ* (ante quorum videlicet thecas proſtratus iacebat) *interceſſione poſcebat.* Nã ſi ſacerdotum duntaxat & populi ſuffragia quærebat, qd opus erat, omnia orationis loca cum ſacerdotib. obire? Etiã ſine hac variorum locorum obitione Imperatori omnẽ ſuã operã polliceri, & reipſa præſtare poterant. Sed hæc etiam clariſsima dicta factaq; offuciis obſcurandi & implicandi ars adeo non eſt noua Iunio; vt ei propemodum ſit peculiaris ac ꝓpria. Et tamen poſt hanc ſuã fallaciſsimã fraudẽ clamitat. à Bellar. cõmitti *pauciũ vocib. fallaciã duplicẽ: diuiſionẽ ſcilicet rerũ cõiunctarũ, & æquiuocationẽ vocis* Sanctorũ. Cætera Iuniana ferè nil aliud ſunt, q̃ *Negamus. Negatur. Aequiuocè. Omnia vera ſunt, ſed æquiuocè. Inconſequẽs, falſa diſtinctio. Non ſequitur. Æquiuocatione fallit. Negatur reſtrictio Fallacia diuiſionis. Germana fabula. Notoriè falſũ.* Et hæ sũt fermè iũctę illæ copię quas Iunius Calu. Chytræo Luther. ſuppetias miſit.

CAPVT XXIV.

Refutantur argumenta Caluini & Illyrici, qui probare conãtur, Papã non eſſe amplius Epiſc. vbi etiã refellitur fabula de Ioanne Papa.

ARGVMENTVM Caluini redigit Danæus ad hanc formã ſyllogiſticam. *Quicunq; nullã muneris Epiſ. partẽ attingit; illo non eſt Epiſcopus: Pontifex Romanus; quicunq; eſt, nullam muneris Epiſcopalis partem attingit; ergo Roma. Pontif. non eſt Epiſc. Huius ſyllogiſmi forma bona eſt.* inquit Danæus, *vtpote in prima figura. Materia eiuſdẽ ſyllogiſmi,* inquit idẽ Danæus, *verißima eſt:* nimirum ſi falſitas Maioris, Minoris & cõcluſionis nõ obſtaret. Nunc & Maior falſa eſt; qa Epiſc. non eſt tantum nomen actus ſeu functionis actualis, alioqui Epiſcopos dormiens, vel equitans, vel cibum ſumens, non eſſet Epiſ. neq; enim dormire, equitare, cibũ ſumere, ſunt *actiones Epiſc.* Sed eſt nomen etiã ordinis, dignitatis & officij, quod in actu primo abſq; vllo ſecundo actu cõſtare poteſt; vt & ſacerdotis appellatio; An nõ enim, q̃ ſemel legitimè ſacerdotio initiatus eſt, ſacerdos manet, licet nullam ſacerdotalẽ functionẽ obeat? Neq; Danæus vllum adducit aut adducere poteſt ſcripturæ locũ; quoprobet, ipſum munus Epiſcopale penitus aboleri, ſi actiones huius officij propriæ nõ ſubſequãtur. Quod verò patres aliquando dicunt, *non omnes Epiſcopos, eſſe Epiſcopos*; quoſdam ſolum vocabulum *Epiſcopi* gerere, vt obiicit Iunius; nobis nil officit; hoc enim loquendi modo, nil aliud indicare volunt, quàm munus Epiſcopi eſſe propter functiones & actiones Epiſcopales; & illos, q̃ hoc munus, vt ille talẽtum ſibi creditum, in terrã quaſi defodiunt, neq; reipſa id præſtant, cuius gratia inſtitutum eſt, ſolo nomine Epiſcopos videri, reſpectu nimirum actionum, ad quas officium Epiſcopale ordinatur; nõ ratione ipſius officij in actu primo.

Deinde etiã Minor Danæi ſyllogiſmi falſiſsima eſt; nã licet Pontif. iam nõ concionetur ipſe, aut baptizet, & huius generis alia faciat, obit tamẽ alias functiones Epiſcopales & Pontificales, quales ſunt regere & gubernare totam Eccleſiam, & in omnes orbis terrarum partes oculos vigilanter coniicere, ne grex Domini aliquid detrimenti capiat. Et quamuis per ſe non concionetur, concionatur tamen & docet, Chriſtianos, per omnes illos, qui in Eccleſia concionandi & docendi munere legitimè funguntur.

Fabulã de Ioanne Papa fœmina, quã hîc Iunius exutã fabulosâ naturâ in veritatem transformare ſtudet, quid refellere attinet, cum id iam pridem abundantiſsimè præſtitum ſit doctiſsimorum hominum opera & induſtria; ex quorũ numero Onuphrius in Addit. ad Platinã, Bellar. hic; Baronius, Tom. 10. Annalium Anno Chriſti DCCCLIII. Florimundus Remundus, Regius cõſiliarius in Parlamẽto Burdegalenſi, cuius librũ de hoc argumẽto ſcriptũ valde cõmẽdat Baron. loco citato, Papyrius Maſonius in libro de Epiſc. Vrbis, Georgius Scherer in ꝓprio de hac Papiſſa Tractatu Germanicè cõſcripto, & poſtea in Italicã quoq; linguã translato. Et Nicolaus Serarius lib. 3. Rerũ Mogũtiacarũ cap. 41. qui ſimul Iunij ineptias, quas hîc contra Bellar. effutiuit, copioſè refutat. ſed quidqd dicatur, quidquid ſcribatur, quidqd teſtimoniorũ, & demõſtrationũ adferatur; ſectarij à ſemel arrepta & firmiſsimè appreheſa falſitate, ſe nullo pacto abduci ſinunt. cõmẽtitiã hãc *Papiſſã* pingunt, ſculpũt, ſcalpũt, celãt, celebrãt, decãtant; clã palã, Germanicè, Latinè, Gallicè, Belgicè, Anglicè: Et quãuis Angelus è cælo deſcendens ab hoc mẽdacio eos auellere tẽtaret, reddito veritati luculẽto & apto teſtimonio, dubito tamen, nũ à tãtopere adamata ſibi falſitate, quã efflictim depereũt, & à *ſtercorea* ſua ſede, quã ipſi architectati ſunt, & colorib. etiã aliquãdo effigiant, abſcederẽt. Tãta eſt mẽdacij vis, vbi ſemel in imas medullas penetrauit.

Hac tam portentoſa fabula & fabulæ imagine ſuũ quoq; mẽdaciorum centonẽ Centenario nono; inſerſit Ioannes VVolffius ſeu *Lupus*, cuius *ſedecim annorum Centenarij*, ſunt totidem; vel potius longè plurium mendaciorũ & calumniarũ Centenarij; citatq; auctores plurimos, quibus velut tibicinibus, hoc commentum fulcire nititur. At quales illi? multi ex illis apertiſsimi & iuratiſsimi Pontif. hoſtes hæretici, Lutheriſtæ & Caluiniſtæ, nudiuſtertius prognati, vt Centuriatores, Georgius Nigrinus, Sutliuius, Achilles Gaſſarus, Fũcius, Balæus, Valerius Anſelmus, quib. adde Cornelium

nelium Agrippam Magũ: & Hussum, &, librũ, qui *Puerperium Ioannis VIII.* inscribitur, Anno 1530. à sectario Anonymo editum: & aliũ de *Pon. Rom. Emissariis.* hoc est, Iesuitis, cui præfixa est imago, parturiẽtis Papæ. His testib. qd nõ euincet Lup?

Alij testes ab eo prolati, nouitij sunt, & aliquot sæculis sæculo illi, quo hæc *Papissa* vixisse fingitur, posthumãt. Ex quo numero Albertus Leander, qui VVolffio annotante, vixit anno 1550. Marcus Guazus in chronico, qui anno 1546. Valẽtinus Müntzer, qui anno 1549. Cœlius Rodiginus, qui anno 1540. Ioannes Lucidus, qui anno 1536. Richardus VVasserburgius, qui anno 1527. Bernardus Girardus, qui 1530. Dominicus Iacobatius, qui similiter anno 1530. Iacob. Curio, qui 1558. Osualdus Crollius 1580. Christianus Massæus qui 1540. Nauclerus, qui 1500. Ioãnes Stella, qui 1503, Onus Ecclesiæ cuius Auctor vixit 1517. Crantzius, qui 1500. Hermanus Aedituus, qui similiter anno 1500. Stephanus Blanck, qui itidem 1500. Volaterranus, qui 1503. Ioannes Henaldus, qui 1518. Liber Romanarũ indulgentiarum anno 1525. Liber Italicus, cui titulus est Historia, *Di Donne famose*, editus Maximiliano I. Imperatore. Ioannes Pierius Valerianus, qui anno 1532. O quam cani testes. Quàm vetustate venerandi? Quam reuerendi grandæuitate? Alij paulò natu grãdiores sunt, quippe quos VVolffius seculo anteriore statuat; ex quibus Baptista Mantuanus, qui vixit 1494. cuius hos versiculos recitat VVolffius.

Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem,
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex & Pontificalis adulter.

Fingit eam, inquit VVolffius, *in ingressu Tartari primo loco, (vt par est Papam locari ante alios qui ibi (*in inferno*) variè cruciantur, pendere cum suo adultero.* Sed heus, VVolffi, an nõ nosti, testibus inter se dissentientibus, fidem non haberi? Tu *Papissam* tuam in orco locas pendulam de Cruce; & vt hoc lectorũ animis profundius insculpas, per picturã repræsentari voluisti. At alius testis, quem paulò post producis, nẽpe Stephanus Blanck Passauianus, palam arguit te mẽdacij, qui ita scribit: *Illa* (Papissa) *parturiebat infantem, & ab Angelo Dei interrogabatur an in æternum perire mallet, vel publicè corã mũdo confundi? Sed illa, ne in æternum pereundum foret, elegit opprobrium confusionis.* Idẽ testatur liber Romanarũ Indulgentiarum à te citatus. Si hoc verum, quomodo tu *Papissam* tuam in styge pensilem facis?

Pergamus enumerare vetustissimos testes VVolffianos. Martinus Minorita, in Chronico, cuius titulus *Flores Temporũ.* Vixit 1486. Ioannes de Marcouille, qui anno 1410. Iacobus de Regis Curia, qui anno 1446. Platina, qui 1460. Schedelius, qui 1494. VVernerus Rolleuuinck, qui 1494. VVilhelmus Iacobus Monachus Ecmondensis, qui 1490. Trithemius, quẽ ponit VVolffius anno 1495. Compilatio Chronologica scripta 1470. Ioannes Marius Belga, qui 1498. Felix Malleolus, qui anno 1444. Laonicus Chalcondyla, qui anno 1459. Sabellicus, qui anno 1495. Sunt qui velint, ea quæ leguntur lib. 6. Hist. Laonici nõ ab Auctore, sed ab Interprete Clusero esse. Aegrè credo. Nã in Bibliotheca Bauarica Monachij, tres exstant historiæ huius Manuscripti Codices, & vnus itidem in Bibliotheca Academiæ Ingolstadiensis, in quib. omnib. hoc de Ioanne Papa fœmina fabulamẽtũ legitur: nec credibile est, interpretẽ, ipsos etiã Græcos codices vitiare potuisse. Nec adeo mirandũ est, si Græculus iste cæteris suis Mythologiis, hoc ex ore vulgi raptum adiicere voluit. Certè ex antiquiorib. Græcis nullus producetur, cui vel per somnium hæc Papissa in mentẽ venerit, multoq; minus, qui probri loco Apostolicæ sedi obiecerit: cũ tamen fanda & infanda in Romanã Cathedrã, totamq; Latinorũ gentẽ Græci exspuerint, & integra volumina cõtra Papã euulgarint; præsertim Nilus ille Archiepiscopus Thessalonicensis, cuius exstant libelli duo *de primatu Papæ*, cũ in Bibliotheca Bauarica plures q̃ quadraginta hoc argumẽto ab eodẽ Nilo cõscripti, asseruentur: in quib. nil de hac *Papiss.*

Aliis VVolffianis testib. paulò superior locus à VVolffio assignatur, inter quos est Petrarcha, q vixit anno 1374. Boccatius, q anno 1375. Ranulphus in Polychronico, qui anno 1373. Occam, qui anno 1320 Antonin. 1457. Postea ponit VVolffius Chronica, & quidem obscurissima, vt Chronicum *Constantiense* scriptũ 1400. Chronicũ *Capidonense*; *Argẽtoratense. Annales Augustanos*, Auctores scilicet clarissimos, & celeberrimos, qui num aliquãdo nati fuerint, vix quisq̃ nouit, nisi tribus VVolffianæ contribulis fuerit, nam & his, & vniuersis aliis, quotquot iam enumerauimus, ad fabulã hanc litteris prodendam dux & Auctor fuit Martinus Polonus, qui vt VVolffius dicit, vixit 1282. Nã q̃ hoc antiquiores citat Marianũ Scotũ & Sigebertũ, dubitatione non caret, nũ ab eorũ manu sit hæc fabula, an à spurio calamo. Esse ab hoc, testãtur vetera nõnulla exemplaria, inquib. nil de hac *Papissa*, vt alias cõiecturas taceam, quas Serarius in Moguntiacis persequitur. Nec semel ex ore clarissimi viri Doct. Ioannis Pistorij, cuius memoria vt hęreticis in maledictione, sic Catholicis semper in benedictione erit, audiui, penes se esse perantiquũ Mariani Codicem, in quo nec vola nec vestigium huius figmenti exstet.

Hæc scripseram, cum ecce commodum mihi offertur Sigebertus cũ aliis Chronologis, nuper à Reuerendo, & clarissimo Domino *Auberto* Miræo Canonico Antuerpiensi publicatus, quẽ dum cupidè euoluo; hanc annotationẽ ad Annum Christi 854 reperi, quam verbatim huc transferre volui.

Hoc loco nulla in Gemblacensi, Aquicinctino, Lipsiano, aut Orteliano Manuscriptis Codicibus, quib. vsi sumus, Ioannæ Papissæ fit mentio. Imò ne in margine quidem vllius è dictis codicibus, quid tale adscriptum legitur: vt sunt interdum nonnulla recentiore manu ad margines adiecta.

Itaque

abſque iudicio ſua veſtigia in veſtigiis Martini poſuerunt.

Illud iucunditate non caret, quòd VVolffius citat Robertum Gallum, qui ſcribit circa tempora *Leonis IV. Romæ natum eſſe Baſiliſcum.* Subdit VVolffius ſolito artificio quaſi ex ore Roberti. *Hunc Baſiliſcum ſequentem Ioannem Papiſſam præfiguraſſe, multi non dubitant. Leonem enim proximè ſecuta eſt hæc Ioanna.* Hoc Epimythium non eſt Roberti, ſed furentis VVolfij. Eſt autem obſeruatione nõ indignum ipſum VVolfium, caſu an nutu diuino? cum in fine Centenarij noni; Catalogũ Epiſcoporum texeret, Papiſſam hanc omiſiſſe, neq; inter Leonem IV. & Benedictum III. vllam ſtationem aſsignaſſe; neque quidquam temporis reliquum feciſſe, quod ei aſsignari poſsit, attributis omnibus annis; quos antea commentitiæ ſuæ Papiſſæ affinxerat. Leoni IV. Benedicto & ſucceſſoribus. Mittamus iam rapacem Lupum. Ad Pouelum tranſeamus.

REFVTATIO INEPTIARVM, QVAS POVELVS ANGLVS LIB. I. DE SVO ANTICHRISTO effudit.

DE Poueli inſcitia & abſurditate, ſuo loco, iam diximus. Nunc ſi illa non ſufficiunt, accipe hoc epimetrum, & additamẽtum haud ſanè modicum. Capite IV. de ſuo Antichriſto lib. 1. recenſet quaſdam notas & ſymbola Antichriſti, ex quibus, tanquam ex certis indiciis, eum agnoſci ait. Poſtea à cap. 10. fermè vſq; ad finem libri ea garrit, quæ ſi in formam aliquam ſyllogiſticam cõiicias, ſemper erit falſa *Maior*, & plerunq; etiam falſa *Minor*. Quid ergo de concluſione fiet?

Nota Antichriſti eſt, quòd *ſedeat in templo Dei*, hoc eſt, *in Eccleſia*. Ita enim interpretatur Pouelus; nec plus addit. Hinc naſcitur iſte ſyllogiſmus. *Omnis qui ſedet in templo Dei*, hoc eſt, *in Eccleſia, ille eſt Antichriſtus. Papa ſedet in templo Dei; ergo Papa eſt Antichriſtus.* Quis non videt *Maiorẽ* eſſe falſam niſi adiiciantur ea, quæ Apoſtolus 2. Theſ. 2. adiecit? Quæ ſi addantur, mox falſitas Minoris in omnium oculos incurret.

Nota Antichriſti eſt; *occupatio Romæ*, quæ ſedes quondam Imperij. Hinc exſiſtit iſte Pouelianus ſyllogiſmus. *Omnis, qui occupat Romam, eſt Antichriſtus. Papa Romanus occupauit Romam, ergo Papa Romanus eſt Antichriſtus.* Maiori ſubiicere potuiſſet Pouelus hanc Minorem: Alaricus, Odoacer. Theodoricus, & alij occuparunt Romam: Et longè verior fuiſſet.

Nota tertia Antichriſti; eſt *confirmatio regni ex collabente Romani Imperij dignitate.* Hinc prodit iſte ſyllogiſmus. *Omnis ille, cuius regnum ſtabilitur ex collabente Romani Imperij dignitate, ille eſt Antichriſtus. Regnum Rom. Pontificis eſt ſtabilitum ex collabente Romani Imperij dignitate. ergo Romanus Pontifex eſt Antichriſtus.* Subſumam ego; ſi Maior concedatur vt indubia; Regnum Turcæ; imò & regnum Angliæ, Franciæ, Hiſpaniæ ſtabilitum eſt dilabente Romani Imperij dignitate: nam omnia hæc regna pertinebant aliquando ad Imperium Romanum: Quid ſequitur? Ergo Turca, vel Rex Angliæ, Rex Franciæ, Rex Hiſpaniæ eſt Antichriſtus. Certè ſi Poueli diſcurſus non delirat, oportet hunc quoque meum, ſanum & valentem eſſe. Quanquam ſi de ſpiritali poteſtate & iuriſdictione Pontificis agamus, ea ſemper ſumma apud Chriſtianos, fuit etiam tunc, quando Romanũ Imperium in ſummo flore erat.

Quarta nota hunc nobis ſyllogiſmum parit. *Omnis qui vtranq; iuriſdictionem exercet, ille eſt Antichriſtus. Papa vtramque exercet, ergo*, &c. ſubſumamus nos. Rex Angliæ, vtranq; exercet, vt non ignorat Pouelus; eſt enim caput regni, & caput Eccleſiæ Anglicanæ. Cuius profeſsio ante paucos annos ſub crimine læſæ Maieſtatis decreta eſt. Quid ſequitur? *Ergo Rex*, &c. vt tibi placet hic ſyllogiſmus Pouele! Certè ex Maiore tua rectiſsimè deducitur.

Nota quinta cap. 14. hoc nos ſyllogiſmo beat. *Omnis, qui exercet dominatum in Eccleſia Dei, ille eſt Antichriſtus. Papa Romanus exercet dominatum in Eccleſia Dei, ergo Papa Romanus eſt Antichriſtus.* Si vera eſt maior, etiam de iniuſto & illegitimo dominatu, tum ſubſumamus nos; *ſed Henricus VIII. Rex Angliæ, & omnes illi, qui ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ nominant, exercuerunt, & exercent, dominatum in Eccleſia.* Tu infer concluſionem, quæ ex tua *Maiore* neceſſariò infertur. Et Minor de his vera eſt; falſa de Pontifice, qui aliam dominationem, hoc eſt, iuriſdictionem & poteſtatem in Eccleſia non vſurpat, præter eam, quam diuinitus accepit. Et vt ſua poteſtate abuteretur, an ideo Antichriſtus foret propriè dictus, de quo Daniel & Ioannes vaticinat: ſunt? Num omnis ille Antichriſtus eſt, qui dominium ſibi in Eccleſiã arrogat? Certe multi Reges & Imperatores Antichriſti fuiſſent; qui non dominationem, ſed violentam prorſus tyrannidem in Eccleſiam ſibi vendicarunt, nominatim Henricus IV. quem alij *Tertium* indigitant, Imperator. Diabolica conuicia, quibus hic Caluini ſui in Papam fulminat, eò, vnde prodierunt, remittimus.

Et vt Pouelus videatur Græculus, fallacias crepare incipit, & quidem Græcè, *παρὰ διάνοιαν, putidam ἀδολεσχίαν. παρὰ τὸ μὴ ἴσον ὡς ἴσον, παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβανόμενον.* Sine dubio nuper primum in Parnaſſo Græco cum Heſiodo ſtertuit: alioqui vix tam promptè Græca fundere poſſet: Nec de capite Eccleſiæ tam argutè diſſereret, vt non immerito ambigas, vtrum Pouelus caput habeat; aut ſi habet, num ſanũ & illæſum habeat. Nã ita argumẽtatur. *Luce meridiana clarius eſt, eũ qui vocatur caput Eccleſiæ, eſſe magnũ illũ Antichriſtũ. Papa vocatur à Papiculo cap. Eccleſ. ergo Papa eſt magn' ille Antichriſtus.* Subſumamus nos, ſuppoſita Pouelianâ Maiore.

Rex Anglia vocatur ab Anglicolis caput Eccleſie. Ergo *Rex Anglie eſt magnus ille Antichriſtus.* Iterum quæro, vt tibi placet hæc illatio, ô Pouele? Quæ hæc impudentia, ea tribuere Regi, & nuper admodũ Reginæ, quæ ſi Papæ tribuantur, magnum Antichriſtum illicò intones?

Ex ſextâ nota cap. 15. confici poteſt iſte Syllogiſmus *Quicunque ſe Chriſti loco eſſe gloriatur, & tamen Chriſtum abnegat, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Si cupis minoris probationem, mendacia tibi & conuicia dabit Pouelus plura quàm velis, quorum denſitas excuſit Pouelo hunc etiã ſolœciſmum fol. 148. *Hæ ſunt meræ fabulæ, quibus ſeſe Monachi oblectant.* Cui animus vel otium eſt, is ex hoc ſolo cap. 15. vltra Centuriam mendaciorum Pouelianorum enotare poterit.

Septima nota hunc nobis ſyllogiſmum ſuppeditat. *Quicunque Dei nomen, & alia, quæ ſolius Dei ſunt, ſibi vendicat, ille eſt Antichriſtus. Papa Romanus hoc facit. Ergo.* Minorem probat Caluiniſta multis Pontificum Romanorum, Iuris Canonici, Canoniſtarum & aliorum ſcriptorum locis, quibus Dei nomen Pontifici tribuunt. Notabilis eſt ille Nicolai primi apud Gratianum diſt. 69. cap. *ſatis euidenter*: vbi dicit. *Papã à Conſtantino Magno vocatum Deũ. Cohorreſcat cælũ*, vociferatur Pouerlinus, *& contremiſcat terra, ob tantam à Romano Pontifice blaſphemiam.* Cohorreſcat cælum ad tantam Poueli veſaniam & matæologiam: totumq; hunc furorem comprimat illud Pſalmi, repetitum à Chriſto pro ſua defenſione: *Ego dixi Dij eſtis & filij Excelſi omnes.* Ecce illi, ad quos ſermo Dei factus eſt, appellantur *Dij*. Cur igitur tanta blaſphemia ſit, ſi metaphoricè hoc itidẽ nomen ad Papam trãſferatur: Cum in veteri teſtamento iudicibus vel maximè tribui conſueuerit. Nam quòd Pouelus obſtrepit, nomen *Dei* non tropicè tribui Papæ, id purum putum eſt Poueli mendacium.

Ex nota octaua cap. 17. hunc ſyllogiſmũ cudere licet. *Omnis, qui ſe ſupra Deũ exaltat, eſt Antichriſtus. Papa hoc facit.* Ergo. vbi rurſus Minor nil aliud eſt, quàm pingue mendacium, quod vt craſsius fiat, farcitur à fartore Pouelo plurib. aliis Pſeudologiis, quas recitare ſuperſedeo. Audiamus potius hunc ſyllogiſmum: *Quicunque ſua ſcripta, placita, ac decreta præferre verbo, ac ſcripturæ ipſius æterni Dei, hoc facto manifeſtiſſimo ſeſe Deo anteponat neceſſe eſt: Pontifex Romanus ſua ſcripta, & decreta præfert verbo, ac ſcripturæ ipſius æterni Dei. Ergò, Deo ipſi ſe præferat neceſſum eſt.* Quid Minor aliud eſt, quàm mendacium? Fulcitur tamen à Pouelo non diſſimilibus fulcris. I. *Quia dicta Canoniſtarum clarè euincunt Papam ſua decreta eſſerre ſupra decreta Dei.* Vbi hæc Canoniſtarum dicta? II. *Quia Papa dicit ſuam & Eccleſiæ ſuæ maiorem eſſe auctoritatem, quàm ſacrarũ litterarum.* Vbi hoc Papa? III. *Quia Canoniſtæ iactant poſſe & audere Papam contra Pauli Epiſtolas ſtatuere, & dicta Apoſtoli derogare, imò contra vetus & nouum teſtamentum diſpenſare.* Quinam iſti Canoniſtæ exiſtunt, loquendo de iis, quæ fidem non cõcernunt, nec diuini, ſed tantùm Apoſtolici iuris ſunt. Poſt hæc mendacia repetit Pouelus ex Rullo, vt pleraque alia, horribile illud mendacium, *Martinum V. diſpenſaſſe cum quodam, vt ſororem ſuam germanam duceret.* De quo iam ſupra ſatis dictum.

Sed en alium non ſyllogiſmum, ſed mendaciorum ſyllogen. *Qui dicit ſua eſſe ſibi mutare formã Sacramentorum, ſe exaltat ſupra Auctorem Sacramentorum, Deum. Papa non ſolùm verbũ gloriatur poſſe ſe mutare Sacramentorum formam; ſed ipſe factopalam id tentauit, ac fecit. Ergò Papa extulit ſemetipſum ſupra Deum.* Minorem probat. *Quia Papa mutauit vtranque Euchariſtiæ ſpeciem à Chriſto inſtitutam, & vnam dubitanter laicis porrigi iubet; Ergo mutauit formam Sacramenti Euchariſtiæ.* ô Pouele. Quæ nam te inſcitia cepit? Sciſne quid ſit formã Sacramenti? Quanquam quid quæro, num ſcias, cum certum ſit te neſcire: alloqui tam ſtolidè non loquereris.

Accipe tertium Pouelianum ſyllogiſmum: *Qui præcepta, edicta, & interdicta ſua extollit ſupra Dei edicta, & Decalogi præcepta, ſi non obſcurè ſemetipſum extollit ſupra ſanctiſſimum præceptorum iſtorum Auctorem, altiſſimum Deum. Papa præcepta ſua Dei præceptis præfert. Ergo.* &c. Hic iterum Minor non probatur, niſi conuiciis & mendaciis ex triuio, ſtabulo, macello, balneo. Quid immorari attinet in his, quæ à ſcurris amentibus profecta ſunt?

Nona nota cap. 18. eſt iſta, *quòd Papa maiores ſuos contemnat.* Hinc ſyllogiſmus. *Omnis, qui maiores ſuos contemnit, ille eſt Antichriſtus. Papa Romanus hoc facit; Ergo.* Iterum Maior falſa eſt, Minor nihilo melior. Sed admittamus Maiorem. Nos ſubſumamus. Lutherus, Caluinus maiores ſuos, ſanctos Patres, & totam antiquitatẽ petulantiſſimè contemnunt, idemque faciunt Lutheriſtæ & Caluiniſtæ; vt vel ex hac diſputatione de Antichriſto patet: ergo Caluinus & Lutherus, Caluiniſtæ & Lutheriſtæ ſunt Antichriſtus, vel Antichriſti de grege pulli. Porro, quidquid pro Minoris ſuæ probatione Pouelus per multos paragraphos blaterat, id vnum quoddam prolixũ verboſum, & mendaciis interſperſum mendacium eſt; niſi quod veriſimè illud §. 30. ab illo dictum eſt, ſi à Pontificiis transferatur ad Lutheriſtas & Caluiniſtas. *Patres habent pro calculis ſupputatoriis, qui alio atque alio loco poſiti, modò talentum ſignificant: modò triobolum pro arbitrio ſupputantis. Ita enim & iſti patrum auctoritatem modò ampliſſimam eſſe volũt, modò, ſi non ſatis placet, nullam omnino.* Quod ordinariè ab iſtis fit, vt alibi, Deo bene adiuuante, ex inſtituto oſtendam.

Decima nota Antichriſti eſt cap. 19. *Quod Papa regnum obtineat ſuper Reges terræ.* Vnde ſyllogiſmus. *Omnis ille, qui regnum obtinet ſuper Reges terræ eſt Antichriſtus: Romanus Pontifex regnum obtinet ſuper Reges terræ; ergo Romanus Pontifex eſt Antichriſtus.* Quid de Maiore ſtatuendum ſit, nemo non videt; vt & quid de Minore: quam ſolitis firmamẽtis ſtabilit Caluiniſta, nimirum triuialibus conuiciis & mendaciis, niſi fortè conuicium non eſt.

cum

cum Thomam Bozium, *impurum congregationis Oratorij nebulonem, & Romani Antichristi obseruantissimum ac impudentissimum palponem* appellitat: nisi fortè mendacium immane non continent hæc de Papa & Monachis. *Quo loco habent illi Imperatores, Reges, Principes cum suo Papa? Nonne vt scabella pedum, vt vasallos, vt mancipia? Nónne pro assidibus & basiliscis? imò, ne contra hiscere quidem audent, si pede eleuato, Papa illis de capite coronam deturbet: quos Papa pro sue velle, & nolle ludit, trahit, retrahit, creat, deponit, confirmat, reprobat, excommunicat, absoluit, regni titulo priuat, imò quos ad suas impuras vngulas deosculandas amandat.* Eiusdem farinæ sunt omnia alia, quæ hic vt verbosè, ita & furiosè Pouelus declamitat; qui, vt aliquoties iam monui, hunc suum contumeliarum centonem cõsarcinauit ex Rullicis in Danielem commentariis, qui, instar Cornucopiæ, vberrimam mentiendi & calumniandi materiam suppeditant; Et mentem prius lymphatam lymphatiorem adhuc reddunt.

Vndecima nota cap. 20. est, quod Papa Romanus sit exlex. *Omnis ille, qui est exlex, est Antichristus. Papa est exlex: ergo Papa est Antichristus.* Nec Maior vera est; & multò minus Minor. Nam Papa nec à naturali, nec à diuina lege liber est. Et quoties Pouelus dicit, *Papam eximere se ipsum ab obligatione legis diuinæ, vel à Canonistis exemptum pronunciari*; toties facit id, quo nihil frequentius in chartis eius, luculento rogo dignissimis, occurrit. Quidnam illud? Dicam absq; circuitione. MENTITVR. Quod ad leges humanas Ecclesiasticas attinet, ab iis liber est quoad coactionem; non quoad directionem. Liber est eo sensu, quo vulgò princeps etiam politicus, supra quem nullus alius, solutus legibus fertur. Illud olet ingeniosum acumen. *Papa mutauit Calendarium, ergo Papa est Antichristus.* Probatur consequentia; quia eo confidentiæ procedet Antichristus, vt sibi persuasurus sit, penes se esse *mutandorũ temporum* potestatem. Quid in Anglia cõtigerit, nescio. Apud nos certè quatuor annî tempora, ver, æstas, autumnus, bruma, incorrupta & illibata manent, etiam post mutationem Calendarij. Et si Papa Antichristus est, quia Calendarium emendauit, oportet & Iulium Cæsarem fuisse Antichristum; imò & Patres Nicænos; qui simile quid factitarunt. Quid, quod Burdo Pseudoscaliger & Thomas Lidyat, popularis tuus, Pouele, maximè Antichristi erunt; quia summo studio conati sunt emendare annum; nec tamen reperiunt, qui eorum emendationes recipiant.

Duodecima nota est cap. 21. *Quod Papa sit Apostata.* Vnde versus. *Omnis Apostata est Antichristus. Papa est Apostata, ergo Papa est Antichristus.* Quis Æsculapius hunc tam ægrum syllogismum curabit, & à falsitate vindicabit? Quem si in tertia figura in Modo, cui *Datisi* nomen, formare velis; *Omnis Apostata est Antichristus. Quidam Apostata est Papa; Quidam igitur Papa est Antichristus.* nihilo magis rebus tuis consules: Nam falsa manet Maior.

A Et in conclusione minus concluditur, quàm cupias, nam tu omnem Papam contendis esse Antichristum. At conclusio hoc de quodam duntaxat affirmat. Si opem miseriæ tuæ petas à Modo, qui dicitur *Disamis*, hic exibit syllogismus. *Quidam Apostata est Antichristus. Omnis Apostata est Papa, igitur quidam Papa est Antichristus.* quouis misero miserabilior apparebis. Porro non Papam, non Ecclesiam Romanam, sed vos sectarios Apostatas, desertores, & defectores esse; cum res ipsa per se clamat, tum perspicuè id demonstrat Martinus Becanus noster in Appendice ad librum de Antichristo reformato.

Ex decimatertia nota cap. 22. hic procudi potest syllogismus. *Omnis idololatra est Antichristus. Papa*
B *Romanus est idololatra; Ergo.* De Maiore probanda, ne per somnium quidem cogitauit Pouelus. Totus est in Minore adstruenda; quam firmat solitis præsidiis, hoc est, pseudologiis & criminationibus: Et mox, re bene ac feliciter gesta, hunc *tricubitalem* syllogismum nobis propinat; vt contra Monachos demonstret, Antichristum fore idololatram propriè dictũ. Sed, iam supra diximus; orthodoxos non negare Antichristum fore idololatram, sumendo hoc nomen latius, prout denotat omnem illum, qui loco veri Dei sua phantasmata & insomnia colit ac veneratur; sed aiunt, nõ fore idololatram, saltem palam, strictè sumptum; qui ritu gentili, externa simulacra falsorum numinum colat.

C Dices. Bellarminum affirmare; probabiliter dici posse; Antichristum fore cultorem Diaboli, eo modo, quo Magi Diabolum colunt; ergo fore idololatram. Respondeo, colet Dæmonem, sed sine idolo, nec publicè, sed clanculum. nec ideo aliter idololatra erit; quam quiuis Magus, vel veneficus, qui suam operam Dæmoni addicit, fit & vocetur idololatra. Quis enim propriè loquendo idololatræ nomine talem afficit? Nec iuuat Pouelũ meretrix Apocalyptica. Nam vt daremus per eam propriè, & ad litteram Antichristum denotari; diceremus eam, cum Regibus terræ fornicaturam, non corporali fornicatione; neque etiam spiritali primariæ notionis, quæ est, idololatria propriè dicta; sed spiritali
D secundariæ notionis, quę est idololatria ampliore significatu, prout complectitur omnes errores contra veram religionem, quibus quis sese addicit ac consecrat.

Decima quarta nota cap. 24. *Quod Papa sit blasphemus.* Argumentum. *Omnis blasphemus est Antichristus. Papa est blasphemus. Ergo.* Maior est πρὸ πάντων, πρῶτον, & πρώτιστον. Minorem falsissimã tot mendaciis probat Pouelus; quot cum cælum est sudum, in æthere sidera lucent. Quicunque legerit, *deprehendet plaustra mendaciorum, vt miret potuisse isthæc ab homine, si vel humanam adhuc mentẽ habet, proficisci.* Et tamen bonus Pouerlinus hæc pro vero venditat. *Tempora, tempora, exclamatem: nisi scirem iustum esse, vt mendacium sit,* omnium Hære-

ticorum, Antichriſti præcurſorum, *aſylum* ac commune perfugium.

Decimaquinta nota cap. 24. ſolidiſsimum & valentiſsimum ſyllogiſmũ nobis ſubminiſtrat. *Omnis Hæreticus eſt Antichriſtus. Papa eſt hæreticus, ergo Papa eſt Antichriſtus.* Supponam ego falsæ Maiori, veræ tamen apud Pouelum, hanc veriſsimam Minorem; Caluinus, Lutherus, Pouelus, Abbatus, Sutliuius, eſt hæreticus. Quid *ergo* ſequitur, ô Pouele? Probat tamen Pouelus Minorem ſuam per ſexaginta octo paragraphos, in quibus triplo vel quadruplo plura Poueliana mendacia, clara, teſtata, perſpicua comprehenduntur. Excerpat, qui volet. Mihi ſufficit, indicaſſe.

Similis notæ eſt nota decimaſexta, ſimilemque nobis generat ſyllogiſmum. *Omnis hypocrita eſt Antichriſtus. Papa Romanus eſt hypocrita. Ergo.* Dicamus nos: Caluinus, Lutherus, ſimiles fuerunt hypocritę. Ergo Caluinus, Lutherus, &c. fuerunt Antichriſti. Minor Poueliana iterum non aliis fulmentis fulcitur, quàm conuiciis & mendaciis.

Nota decimaſeptima eſt, quòd Pontifex Romanus faciat miracula & prodigia. Syllogiſmus. *Omnis, qui facit miracula & prodigia, ille eſt Antichriſtus. Pontifex facit: Ergo.* Si de veris miraculis tibi ſermo eſt; nullo negotio ex Chriſto & Apoſtolis Antichriſtum efficies: ſubſtitutis illis in Minore in locum Pontificis. Si de falſis prodigiis loqueris, tum & Maior à vero abhorret, nec minus Minor. Cui ſtabiliendæ nil promit ex ſuo penu Pouelus, præter lædorias & pſeudologias, claras, dilucidas, manifeſtas, non oculis ſolum videndas, ſed & tactu ipſo, clauſis quantumlibet oculis, deprehendendas.

Ex decimaoctaua nota cap. 28. prodit hic ſyllogiſmus. *Omnis, qui celebs eſt, & tamen impuriſſimus ſcortator, ille eſt Antichriſtus. Papa Romanus eſt talis. Ergo.* Minoris probationem, ſecurus de Maiore, ſumit Pouelus ex lupanaribus, gurguſtiis, ganeis, & id genus aliis gymnaſiis & prædicanticis Lycéis: Et ex Balæo, & cæteris huius claſsis conuiciatoribus congerit, quidquid ſplendida bilis in vitas moreſque Pontificum Romanorum congeſsit: etiam fabulam de Ioanne Papiſſa, de qua ſupra. Et, niſi fallor, ſcrinia VVolfij expilauit Pouelus, cum eoſdem Auctores citet, quos ille. Niſi fortè & hic & ille ex tertio calumniatore contumelias & meretricia ſua probra ſublegerunt.

Non eſt ſilendum hoc Poueli ex aliquot mendaciorum chiliadibus: Albertum Stadenſem, in Catalogo Pontificum numerare Ioannem *Papiſſam*. Impudens figmentũ. Nam ſtatim poſt Leonem IV. quem ipſe *Quintum* appellat, ſubiungit Benedictum III. Optabat quidem Alberti Editor Hæreticus Reineccius nominari ab Alberto hunc fictitium *Papam*. Sed quia non factũ; hoc ſcholium interiecit. *Chronicon Martini Poloni hîc inſeruit Ioannem VIII. Papiſſam. Fertur enim fœminam fuiſſe; patria tamen incerta.* Hæc non ab Alberto, ſed ab Editore manarunt.

Illud inſuper circumſpectionem Poueli palam oſtendit, dum mendaciorum, quibus Iulium III. Pontificem onerat, teſtem laudat Petrum de Vineis, qui Friderici II. Imper. Cancellarius fuit; & mortuus eſt, antequam Iulij III. Pontif. ataquus naſceretur.

Decima nona nota eſt cap. 28. Ex qua naſcitur iſte ſyllogiſmus. *Omnis ille, qui prohibet Monachis ſacerdotibus, monialibus, aliisq, voto obſtrictis perſonis matrimonium; & certis temporibus vetat vſum certorum ciborum, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Negatur Maior; vbi eius probatio Pouele? Si generatim formes Maiorem, nulla facta mentione, Monachorum, Sacerdotum, Monialium, & ſimiliũ, nihilominus falſa eſſet Maior, nam vniuerſim damnare matrimonium, & deteſtari cibos corporales, non eſt eiuſmodi nota, quæ cum Antichriſto reciprocetur, ſicuti proprietas cum ſuo ſubiecto: nam & quidam veterum hæreticorum hoc fecerunt, neque tamen fuerunt Antichriſtus ille in ſacris literis reuelatus. Omiſſa Maiore, dico Minorem eſſe falſam: neque enim Pontifex homines ſui iuris & arbitrij à cõiugio arcet. Imò nec ipſos Deo per vota dedicatos à nuptiis repellit, quòd malas & improbandas cenſeat; ſed quia ſcriptum eſt; *Vouete & reddite.* Si ergo caſtitatem vouiſti, oportet, vt à coniugio abſtineas, & id quod promiſiſti, fideliter perſoluas. Nec cibos vetat, quia mali; ſed quia ipſa ratio & pietas monet, vt interdum ieiuniis vacemus; & ab eſcis carnalibus nobis temperemus, quo caro ſpiritui magis ſubdatur, & mens ad cæleſtia promptior & agilior efficiatur. Mendacia & conuicia ad Auctorem ſuum Pouelum ablegamus.

Vigeſima nota cap. 29. *Quòd Papa ſit auarus & Simoniacus.* Vnde ſyllogiſmus. *Omnis auarus & Simoniacus eſt Antichriſtus. Papa eſt talis. Ergo.* Iterum falſa Maior, falſa Minor. De Maiore probanda Pouelus nec vigilans nec ſomnians cogitauit. Minorem infinitis mendaciis, veteri inſtituto ſuo, firmat; ſi quid tamen hac tam labili & fragili baſi firmari poteſt. Omnia ſcurram & rabulam ex fæce vulgi olent; & præterea furtum manifeſtarium ex Rullo, vt iam ſæpius monui.

Vigeſimaprima Antichriſti nota ex cap. 30. *Quod Papa ſuos gloria & diuitiis augeat.* Syllogiſmus Pouelianus, cæteris planè gemellus. Omnis, *qui ſuos famulos & ſibi addictos gloria & diuitiis auget, ille eſt Antichriſtus. Hoc facit Papa.* Ergo. Subſumamus nos: Hoc fecerunt olim & faciunt hodie Reges & Principes; ergo ipſi ſunt Antichriſtus. De Maiore munienda rurſus Caluiniſta noſter minus quàm nihil cogitat. Totus in Minore occupatur; quam Rullicis commentis egregiè ſcilicet ſtabilit; inter quæ hoc non in poſtremis, Cochlæum à Pontifice obtinuiſſe Epiſcopatum. Vbi, quæſo? In qua prouincia? Prome nomen huius Epiſcopatus. Mirum ni ipſe Cochlæus ex

altiſsi-

altiſsimis cæli ſedibus hunc in cerebro Pouelia-
no fabrefactum Epiſcopatum rideat.

Vigeſima ſecunda nota cap. 31. *Quia Papa imprimit ſuis characterem.* Vnde verſus. *Omnis, qui ſuis imprimit characterem, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Si Maior vera eſt; tum facilis labor erit Pouelo probare, Chriſtum eſſe Antichriſtum. Quia Chriſtus imprimit ſuis characterem, ſeu ſigillum, ſiue ſignaculum; iuxta illud Apoſtoli 2. Corinth. 1. *Qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*, &c. De characterе Antichriſti ſuo loco iam egimus. Conuicia Poueli ſuſque deque habemus; quia nil aliud efficiunt, quàm quòd Pouelo calumniatoris characterem & notam inurunt.

Vigeſima tertia nota Antichriſti. *Quòd Papa Romanus ſemper grauiſſimè veros Chriſtianos ſit perſecutus.* Syllogiſmus. *Omnis, qui veros Chriſtianos perſequitur, eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Subſumamus nos: Nero, Domitianus, Diocletianus hoc fecerunt. *Ergo.* Caluiniſtæ, præſertim Angli, hoc faciunt. Ergo. Minorem ſuam mendaciſsimam iterum ſolis mendaciis ex Rullo ſumptis, ſuffulcire aggreditur Pouelus. Quæ præteruolo. Nam mendacia ſponte ſua ruunt.

Et iſtæ ſunt inuictæ illæ demonſtrationes, (rectè nugationes & phlyarias nominaueris,) quibus Pouelus Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium, in Antichriſtum transformare ſtuduit; irrito conatu; nam his nugamentis, & tantis conuiciorum fulminibus non obſtantibus, *Papa manet Papa*, hoc eſt, ſucceſſor Petri, & vniuerſalis Eccleſiæ caput ac Paſtor: Pouelo manente Pouelo, hoc eſt, grandiſsimo conuiciatore & mendaciloquo calumniatore; nam quod cap. 33. Pontifici interitum vicinum ominatur; parum commouemur; quia ſcimus immobiliter ſtaturam ſedem & Cathedram Petri etiam tunc, quando Lutheriſtarum & Caluiniſtarum, præter damnatum nomen, nihil aliud ſupererit.

Cap. 34. Euertere videtur Pouelus pro ſua in ſuis aſſertionibus conſtantia, quidquid hactenus diſputauit an delirauit? Ait enim, *non poſſe ex ſingulis notis hactenus recenſitis; concludi Papam eſſe Antichriſtum; ſi notæ illæ ſigillatim ſpectentur*: poſſe; ſi coniunctim & conglobatim. Et tamen, quid Vertumnus iſte tanto mendaciorum & conuiciorum profluuio hucuſque egit, quàm quòd ex ſingulis notis collegit, *Papam eſſe Antichriſtum?* Accipiamus tamen in Poueli gratiam has notas collectiuè iiſdem verbis, quibus à Pouelo proponuntur lib. 1. cap. 1. Num. 7. Et Maiorem ita inſtituamus; omnis ille, qui eſt, *homo exercens regnum ſedens in Eccleſia Romana, inchoans dominatum ſuum exercere collabente Romani imperij dignitate, ſpiritualem, & ciuilem gladium, quo in Eccleſia dominetur, vſurpans; qui, cum Chriſti loco ſe eſſe glorietur, tum ipſum Dei nomen, & alia, quæ ſolius Dei ſunt, ſibi vendicat; tum, ſe ſupra Deum extollit, Maiorum ſuorum doctrinam contemnens; non modò ſupra Reges terræ; exlex proprie ar-*

A *bitrio leges figens & refigens, regnum vſurpat: exiſtens Apoſtata, Idololatra, Blaſphemus, Hæreticus, Hypocrita, miracula quidem faciens, ſed tamen fallacia, cælebs etiam, quamuis impuriſſimus ſcortator, prohibens contrahere matrimonium, iubensq; abſtinere à cibis, quos Deus creauit, Auarus, & Simoniacus, ſuos tamen gloria augens, & dominatores in terra conſtituens, quibus characterem ſuum imprimit, ſanctos Dei acerrimè oppugnans, & horrendis, inauditiſq; ſupplicijs afficiens, poſtremis mundi temporibus vetegetur, & floreſcet, ita vt nemo merces eius emat amplius: donec ipſo demum aduentu Domini penitus aboleatur. Omnis*, inquam, *ille, qui talis eſt, & in quem iſtæ notæ competunt; eſt Antichriſtus propriè ſic dictus; de quo ſcripturæ teſtimonium perhibent. Papa Romanus eſt talis; & omnes iſtæ notæ in eum competunt. Ergo Papa Romanus eſt Antichriſtus propriè dictus, de quo ſcripturæ teſtimonium perhibent.* Reſpondeo inprimis, Maiorem non eſſe veram; præſertim ſi iſtæ notæ explicentur eo modo, quo ex Magiſtrorum ſuorum dictatis eas Pouelus explicat. Nam ponamus talem vel fuiſſe vel eſſe; cui omnia prædicta encomia quadrent; num ideo Antichriſtus erit; de quo Daniel & S. Ioannes? Et certè cum rem penitius introſpicio; clare mihi videre videor, omnia Luthero & Caluino applicari poſſe; ita vt neceſſe non ſit obtorto collo ea huc trahere; quia ſponte ſequentur. Etiam illa; *cælebs, quamuis impuriſſimus ſcortator.* quia Lutherus maritus non fuit, ſed ſcortator, nec vxorem, ſed ſcortum habuit. Nam inter Monachum & Moniam, qui matrimonium conſtaret? At forſan difficile erit Luthero accommodare illam notam: *Prohibens contrahere matrimonium.* Quid ſi rationem accommodandi inueniamus? In colloquiis ſympoſiacis ſcriptum eſt, Lutherum, puellam quandam ſibi vel ſuis cognatam, cum nupturiret, fuſtuario caſtigandam curaſſe, vt vehemens illud *nubendi* deſiderium euaneſceret. Et hoc auſus fuit in ea, & aduerſus eam, quæ ſuæ ſpontis & voluntatis erat. An non eſt hoc prohibere nuptias? Vt taceam, Lutherum & Lutheranos paſsim docere, matrimonium, inuitis parentibus vel maioribus contractum, nullius valoris eſſe. An non inire matrimonium prohibet, qui hoc docet? Quia vetat coniugium abſque parentum aſſenſu contractum. Si Lutherus hoc facit abſque vlla apud Pouelum ſuſpicione Antichriſti; mirum certè foret, ſi Romanus Pontifex legem naturalem, diuinam & humanam ſecutus, edicere non poſſet, ne quis voto caſtitatis obſtrictus, ad nuptias conuolaret. Quam Lutherus parentibus dat poteſtatem, eam Pouelus Eccleſiæ negat. Præclarè, ſcilicet. Deinde Lutherus & Lutherani, ſaltem politici ordinis gratia, iubent à carnibus ſuos abſtinere, quando Magiſtratus id ita mandat; vel quando ex eſu carnium in infirmiorum animis ſcandalum naſcitur. Conuenit ergo in illum etiam hæc Antichriſti Pouelini teſſera, quæ *eſt vetare cibos à Deo creatos.* Quanquam non paucæ ex dictis notis ſunt com-

mentitiæ & ex Poueli fluctuante phantaſia exſculptæ. Quæ enim ſcriptura docet Antichriſtũ *ſeſſurum in Eccleſia Romana*, hoc eſt, *Romæ*, ſic enim intelligit Caluiniſta? Quæ ſcriptura docet, Antichriſtum *prohibiturum nuptias & cibos à Deo creatos*, ita, vt quod ſcriptura affirmat, ſint quaſi peculiare *ſigma & ſtemma* Antichriſti? nam quæ hac de re Apoſtolus 1. Timoth. 4. ſcribit non magis ad Antichriſtum ipſum, quam ad eius præcurſores Manichæos, Encratitas, & huius claſsis alios ſpectant.

Deinde, quidquid ſit de Maiore; Minor certè falſiſsima eſt; nec à Pouelo aliter oſtenditur, niſi longiſsima mendaciorum & calumniarum Iliade. Neque vllum vnquam nominabit Pontificem Romanum, in quo omnes illæ notæ ſimul & coniunctim reperiantur, vel aliquando repertæ fuerint; neque etiam de tota Pontificum collectione ſeu aggregatione hoc vnquam planum teſtatumque faciet; quantumuis licet inſanis vociferationibus fulminet ac omnia permiſceat.

Sed vrit Pouelum obiectio quædam ab infirmis quibuſdam fratribus, vt ait, proponi ſolita, & eſt iſta. *Antichriſtus eſt reprobus & ſaluari nequit. Papa Romanus quandoq; non eſt reprobus, & cum ad ſanam mentem redierit, ſaluari poteſt. Ergo Papa Romanus non poteſt eſſe Antichriſtus.* Hoc argumento conſtrictus Pouelus neſcit, in quam partem ſe vertere debeat. Neque enim negare vult fieri poſſe, vt Papa quiſpiam fiat Lutheriſta, vel Caluiniſta; & eo ipſo in numerum eorum, qui æternæ beatitudinis participes erunt, cooptetur. Neque tam durus & ferox eſt Pouelus, vt omnem ſalutis ianuam Romano Pontifici occludere velit: *Ex quo Papiſmus Antichriſtianiſmus eſſe reuelatus eſt, non ego quidem Papas vniuerſos damnatos eſſe dixerim, nec hodiernum Pontificem, ſi modo ad ſanam* (hoc eſt, Caluinianam) *mentem redierit, à ſpe ſalutis excluſerim.* Ex qua Poueli conceſsione hic ſyllogiſmus formari poteſt in ſecunda Figura, in modo, quem dialectici vocant, *Feſtino. Nullus, qui eſt Antichriſtus, ſaluari poteſt.* Maior iſta conceditur à Pouelo abſque vlla reſtrictione vel diſtinctione. *Quidam Pontifices Romani, etiam hodierni, & poſt reuelatum Antichriſtum, ſaluari poſſunt.* Minor hæc ſimiliter à Pouelo conceditur: imo à Pouelo poſita & prolata eſt. *Ergo quidam Pontifices Romani, etiam hodierni; & poſt Antichriſtum reuelatum, non ſunt Antichriſti.* Hic certè ſyllogiſmus totus ex ſenſu & mente Poueli exſtructus eſt; qui, vt obiectionem, *ab infirmioribus fratribus*, vt ait, *proponi & vrgeri ſolitam*; abs ſe & ſuis longius & commodius amoliatur, ſic inſuper ſcribit. *Nos non hunc aut illum Papam eſſe Antichriſtum affirmamus.* Cur igitur, ô inconſtantiſsimi Euripi ad rauim vſque clamitatis: *Hodiernum Pontificem, Paulum V. eſſe ipſiſsimum Antichriſtum*? Cur idem de aliis in indiuiduo, nominatim de Gregorio VII. tanta contentione aſſeritis? Ego ex Pouelianis aſſertis infero, mentiri Pouelũ, quãdo in veſtibulo ſui libri, cum teſtatione diuini nominis dicit, *ſe tam certò ſcire, Pontificem Romanum eſſe magnum illum Antichriſtum, quam Deum ipſum eſſe in cælo.* Vbi proculdubio per Pontificem Romanum, determinatè, etiam hunc vel illum; vt Clementem VIII. Paulum V. & ex antiquioribus Gregorium VII. intelligit. Et tamen huius certiſsimæ ſuæ ſcientiæ ſub finem libri primi oblitus, diſertè dicit; *Nos non hunc aut illum Papam, eſſe Antichriſtum affirmamus. Quem ergo?* Audi. *Hoc nomen toti regno & ſucceſsioni hominum tribuimus.* Et mox clarius. *Non propriè loquendo, vnum aliquem abſolutè ſingularem numero hominem vel Gregorium, vel Sixtum, vel Clementem eſſe illum Antichriſtum exiſtimamus, de quo tam multa legimus in ſcripturis, ſed regnum ipſum corpus, Pontificium, repræſentatione & ſubrogatione indiuiduali continuatum* (Agnoſcò phraſes Iunij, & furta Poueli) *cuius Papa princeps eſt & caput; eſſe Antichriſtum arbitramur.* Gratias meretur Pouelus; qui tam apertè & planè Pontificem, vt eſt hæc ſingularis perſona ab infami Antichriſti probro liberat. Ex quo etiam ſequitur, nullum Papam, vt eſt hic homo in indiuiduo; eſſe illum *filium perditionis τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας, aduerſarium illum*, qui extollit ſe ſupra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur; quia Antichriſtus hoc facit; At Papa hic vel ille non eſt Antichriſtus, teſte Pouelo; ſed *regnum ipſum, & corpus Pontificium, & ſucceſsio*, eſt magnus ille Antichriſtus, & filius perditionis de quo ſcripturæ, interprete Pouelo.

Ex quo rurſus infero; hunc Antichriſtum Lutheranum & Caluinianum nec deſcendiſſe, nec deſcenſurum vnquam ad inferos, vt debitas impietatis ibi luat pœnas. Quia ſucceſsio Pontificum adhuc durat; & ſub finem mundi, cum regnum hoc Pontificium ceſſauerit; ipſum tamen in ſe ad tartara non ibit; quia non eſt capax vllius ſupplicij. Antichriſtus igitur proprie dictus pœnas inferni euadet. Quis vnquam audiuit talia? Vt autem tibi conſtantiæ Pouelianæ luculentius adhuc ſpecimen exhibeam: vtque videas, quàm nihil his ſuppetat, in quo pedes firmiter firment; En tibi, qui numero 28. palam dixerat, Antichriſtum, *non eſſe hunc vel illum numero Papam*; is Num. 22. Iunij animaduerſiunculas diripiens, & in ſuum horreum conuehens, ita ſcribit. *Antichriſtus eſt perſona ſingularis: quæ vno eodemq; tempore vnica eſt numero.* Rurſus. Num. 23. *Antichriſtus eſt ſingulare ſubiectum, quod ſemper numero vnum eſt ordinarie*; quæ ſunt ipſa Iunij verba, à Pouelo in ſuam mendaciloquentiæ farraginem tranſcripta; Et tamen paulò poſt his planè contraria aſſeruit, preſſus illo *infirmiorum fratrum* vt vocat, argumento, de ſalute Antichriſto poſsibili, qui infirmiores fratres, ſic rurſus Pouelum vrgent: *Paulus expreſsè dicit, Antichriſtum eſſe hominem peccati, & filium perditionis 2. Theſſ. 2. 3. Ergò, ſi Pontifices ſunt Antichriſtus, ſinguli eorum damnandi videntur.* Pouelus in angustias coniectus

ſalu-

ſalutem petit ab *Elencho* παρὰ τὸ ἀνάιτιον. Forſan dicere volebat; παρὰ τὸ μὴ ἀνάιτιον. *Succeſſio Pontificum eſt Antichriſtus. At non ſequitur, ideo ſingulos Pontifices damnandos fore.* At profectò ſequitur, ſingulos damnatum iri; ſi ſinguli ſunt Antichriſtus; (vt tu Num. 22. affirmas; affirmantque communiter, vno quaſi ore, ſectarij; tametſi poſtea Num. 28. & 29. ſaniore mente receptâ, negas hunc vel illum Papam in indiuiduo eſſe Antichriſtum) quia ex ſcriptura liquet, *Antichriſtum eſſe filium perditionis*; non tantum, quia ipſe multos perdet; ſed & quia tandem in æternum perdetur. Concludis Num. 36. tuam inconſtantiam & variabilem mutabilitatem. *In hac quæſtione de Antichriſto, vniuerſa Pontificum ſeries & ſtatus ſpectandus eſt, non ſingulares & indiuidua perſonæ.* Ergo in hac ſucceſsione & ſtatu Romanorum Pontificum, nullus in indiuiduo Papa, eſt Antichriſtus, non Gregorius VII. non Paulus III. non Paulus V. non Clemens VIII. non Clemens VII. non Iulius Tertius; non alius quiſquam vnus numero Papa. Mentitur ergo Pouelus, & ipſi Pouelo repugnat; quando Num. 22. dicit *Antichriſtus eſt perſona ſingularis, quæ vno eodemq; tempore vnica eſt numero.* Item. *Antichriſtus eſt ſingulare ſubiectum; quod ſemper numero vnum eſt ordinarie.*

Sed iam Pouelo miſsionem demus: qui in præfatione ad Academiam Oxonienſem lumina & columina Academiæ recenſens, vix alios adfert, præter VViclephiſtas, & *Lollardos*, homines tenebricoſiſsimos, quibus vltimo in agmine adiungit quoſdam Lutheriſtas, Zvvinglianiſtas, & Caluiniſtas; quibus ſi clariora lumina Academia illa non habuiſſet; lucidior profecto & illuſtrior non eſſet, quàm luna, quando perfectam Eclipſin patitur.

REFELLVNTVR VIGINTIQVINQVE DELIRAMENTA, QVIBVS SVTLIVIVS PROBARE VVLT PAPAM ESSE Antichriſtum.

PRIMVM deliramentum ſumit Sutliuius ab interpretatione nominis Antichriſti cap. 1. lib. 5. de Papa. Si totam hominis loquacitatem diſtillare velis; hic defluet ſyllogiſmus. *Omnis, qui Chriſto aduerſatur, & ſua pluris æſtimari vult, quàm dogmata Chriſti, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Si Maior eſt vera; tum ſubiiciam ego. Sed Mahometus aduerſatur Chriſto; & ſuam pluris æſtimari vult, quàm doctrinam Chriſti. Ergo Mahometus eſt Antichriſtus. Et tamen hoc negat Sutliuius; multò magis negaturus; ſi hanc Minorem formemus; Lutherus & Caluinus aduerſantur Chriſto, & placita ſua doctrinæ Chriſti anteponi volunt: Ergo Lutherus & Caluinus ſunt verus ille & magnus Antichriſtus à ſacris literis manifeſtè prædictus. Minorem non probat Sutliuius, niſi mentiendo & conuiciando. Nec eſt, cur in toto huius Sutliuianæ delirationis decurſu alia probamenta exſpectes.

Secundum Sutliuij delirium ſimile priori, imò idem. Quia Sutliuius ſolet paſsim *Battologus & Tautologus* eſſe. *Omnis, qui Chriſto aduerſatur, & extollit ſe ſupra omnem Deum, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Minorem infinita mendaciorum, calumniarum & ſycophantiarum congerie probare nititur. Legat, quem hæc talia delectant, ego gradum ad alia protollo.

Tertium Sutliuij delirium ex ſuperbia & arrogantia Pontificum, hunc ſyllogiſmum parit. *Omnis ſuperbus & arrogans eſt Antichriſtus. Papa eſt talis. Ergo.* Vel: *Omnis, qui arrogantia reliquos mortales antecellit, ille eſt Antichriſtus. Papa eſt talis. Ergo.* De Maiore munienda non laborat Sutliuius. Minorem fulcit argumentis iis, quibus iam pridem omnes ſeductores & impoſtores vſi ſunt: quorum non myrothecia, ſed coprothecia & ſimeta, ſi Sutliuius non ſpoliaret; ſæpè prorſus elinguis, aliquando fermè infans eſſet. Sed duo malè habent Sutliuium: Alterum, *quòd Pontifex præbet pedes ſuos ſuis, etiam Imperatoribus, oſculandos.* Alterum, *quod aſcendenti Pontifici equum; Imperator tenet ſtrepam*, vt vocat Helmoldus, ſeu, vt alij, *ſtapedem.* Vnde argumentum Sutliuianum. *Omnis, qui patitur ſibi teneri ſtrepam ab Imperatore, & pedes oſculo affici, ille eſt mortalium omnium ſuperbiſſimus; & per conſequens Antichriſtus: Papa hoc patitur, ergo.* Maioris probationem nullam penitus in tota Sutliuiana vaniloquentia reperio. Quid maius? vt Chriſtus Deus, hominibus pedes abluat; an vt Vicario Chriſti, vel potius Chriſto in ſuo Vicario hoc honoris & obſequij genus præſletur?

Quartum Sutliuij delirium. *Omnis, qui eſt homo peccati, ille eſt Antichriſtus: Papa eſt talis; quia eſt fons omnium turpitudinum, hæreſeôn, ſæuitiæ, crudelitatis. Ergo.* Subſumamus nos. Caluinus eſt talis, quia eſt fons omnium fœditatum, errorum, ſæuitiæ, immanitatis, tyrannidis, ergo Caluinus eſt Antichriſtus. Minor à me poſita tam veris teſtimoniis probari poteſt, quam falſis ſuam illam Sutliuius firmare molitur; qui hic corraſit, quidquid vſpiam ab vllo ſcurrarum vel morionum, præſertim, à Balæo & Vergerio, in Pontifices dictum, ſcriptum, fictum pictumue fuit. Et eò impudentiæ progreditur, vt ſanctiſsimum Pontificem, Pium V. quem vitio libidinis per nullum, licet teterrimum nebulonem, cacodæmon hactenus infamare auſus fuit; innuat, *cum propria ſorore impuram conſuetudinem habuiſſe.* Sixtumque V. tam parcum fuiſſe affirmet, vt nobilioribus & ſumptuoſioribus ſpretis, *diobolaria aliquot ſcortadomi aluerit.* Bone Deus, quem tandem modum, quem finem ſtatuet ſibi inexſaturabilis

isthæc mentiendi & calumniandi libido? Quis non abroget omnem ei fidem, qui mentiendi æstu ita se abripi sinit, vt nihil sit tam notoriè falsum, quod ipse, vt verum, in chartas effundere non erubescat?

Quintum Sutliuij delirium. *Omnis Rex impudens, seu robustus facie, & intelligens propositiones seu ænigmata, est Antichristus. Papa est talis. Ergo.* Minor, quidquid sit de Maiore, quam Sutliuius missam facit; probatur consuetis & millies iam inculcatis mendaciis, Papam proclamare, *sibi omnem in cælo & terra potestatem datam esse: Et se Deum, & supremum numen in terris, & summum Deum* vocare. Intelligentiam autem propositionum in eo collocat, quòd asserit; *sententias suas à nullo debere retractari, & maiores causas cuiuscunq; Ecclesiæ ad se referri debere*; & quòd se *errare non posse credit.* Sed nos clamosis Sutliuij criminationibus valere iussis; ita statuimus, Maiori illi commodissimè supponi posse hanc Minorem. *Lutherus & Caluinus vterq; fuit facie robustissimus, & propositionum, suo iudicio, intelligentissimus.* Quid enim tam abstrusum in sacris literis, cuius cognitionem arrogantissimè sibi non arrogarint? *Ergo Lutherus est Antichristus; Ergo Caluinus est Antichristus.* Nec abnuas; eò quòd non fuerint Reges. Fuerunt, & quidem imperiosissimi; quibus quisquis fasces non submittebat, mox capitalis hostis erat. Non immoror. Nota loquor.

Sextum Sutliuij delirium. *Papa venit post inclinationem & decrementum Romani Imperij, ergo Papa est Antichristus.* Antecedens non video, quomodo probet Sutliuius: sed si illud probare cogitat, oportet, vt hoc vel simili modo id præstet. *Ante inclinationem Romani Imperij nullus erat Papa: Nullus à S. Petro vsq; ad Siluestrum sub Constantino Magno: quo imperante imperium vel maximè floruit. Nullus post Siluestrum vsq; ad Gregorium secundum*; hunc enim nominat Sutliuius; Mirabar, cur in Catalogis summorum Pontificum tam vastus esset hiatus; sed causam docuit me Sutliuius. Papa tum primum exortus est, cum imperium minui ac decrescere cœpit. Consequentiam vero, quomodo probabit Sutliuius, nisi hoc vel simili modo? Omnis ille, qui venit post inclinationem & imminutionem Romani Imperij, est Antichristus. Quis hanc Maiorem admittet? Si particularem propositionem faciat. *Quidam, qui venit post inclinationem Romani Imperij est Antichristus. Papa est ille quidam. Ergo Papa est Antichristus.* Vt de bonitate formæ argumentatricis sileatur, è vestigio negabitur Minor. Quid aget Sutliuius?

Septimum delirium Sutliuij. *Romanum Imperium iam periit. Ergo Antichristus iam venit. Ergo Papa est ille Antichristus.* Si neges Antecedens, Sutliuius id solidissimè probat; nam quod Imperatores Germaniæ, Reges dicuntur Romanorum, non obstat, *non enim quid homines temere loquuntur, sed quid verum sit, spectandum est*, inquit Sutliuius. Faciamus, quod mentitur, verum esse; consequentiam alteram, nempe, *Papam esse Antichristum*; qua ratione nobis persuadebit?

Octauum Sutliuianum delirium. *Nunquam fuit maior & vniuersalior defectio à fide, quàm ex quo Romani Pontifices rerum potiri cœperunt. Ergo Romanus Pontifex est Antichristus.* Probatur antecedens, *quia sub Romano Pontifice defecit à fide Mahometus, cuius apostasia longissimè protenditur.* Respondeo, omnis defectio à fide Christiana, qualiscunque ea fuerit, contigit sub aliquo Papa Romano, quandoquidem Christiana religio Papa suo nunquam destituitur, nisi interdum ad breue tempus, sede vacante. Nec Apostasia Mahometi talis ac tanta est, quanta, veniente Antichristo, erit; cum Christiana Religio in latissimis & florentissimis prouinciis adhuc publicè floreat, & indies quoque magis efflorescat: etiam inter ipsos Mahometanos.

Huic argumento adiungit Sutliuius aliud quasi subsidiarium. *Papa cum sectatoribus & propugnatoribus vniuersim defecit à fide, ergo Papa est Antichristus.* Antecedens Sutliuio longè facilius est dictu, quàm probatu. Itaque, omissa probatione; facit id, quod præstitu procliuius est. Dicit tantum, & nihil probat.

Nonum Sutliuij delirium. *Antichristus sedebit in templo Dei. Ergo Papa est Antichristus.* Probatur consequentia. *Quia Papa sedet quoq; in templo Dei* Num in Hierosolymitano? Num sedet in templo Dei seu Ecclesia, *ostendens se tanquam sit Deus?* quod Antichristus faciet, teste Apostolo. Sed de hoc delirio iam antea cum Pouelo egimus & transegimus. De Helia insuper & Henoch, & aliis, quæ hîc allatrat & morsicat Sutliuius, iam alibi actum est.

Decimum Sutliuij delirium. *Antichristus sedebit non Hierosolymis, sed Romæ. Ergo Papa est Antichristus.* Respondeo, etiamsi Antecedens verum esset, consequentia tamen stramentitia foret. An Romæ nemo sedere & regnare potest, præter Papam?

Vndecimum Sutliuij delirium. *Meretrix illa, de qua Apocalyps. cap. 17. est Ecclesia Romana; ergo Papa, caput huius Ecclesiæ est Antichristus.* Respondeo, Antecedens esse falsissimum, vt sæpe in hac disputatione de Antichristo dictum; & consequentiam quoque vanissimam. Addit & hoc delirium Sutliuius. *Ecclesia Romana est Babylon, de qua Apocalyps. 18. Ergo Papa est Antichristus.* AEquè vanum est Antecedens ac prius illud. AEquè futilis consequētia, ac prior illa. Valde se diffundit Sutliuius in declarandis Babylonici scorti conditionibus & proprietatibus, & apertè præ se fert, quàm libenter & suauiter in argumento de prostibulis suum stylum occupet. Nec in tora verbosissima eius loquacitate quidquam deprehendes, præter amentiam, insciticiam, & mendacitatem extremam.

Duode-

Duodecimum Sutliuij delirium: *Tota religio Papæ eſt myſtica*, hoc eſt, *plena myſteriis, ergo Papa eſt Antichriſtus.* Antecedens probat Caluiniſta ex Crinito, qui de Papis: *ſub nomine religionis nihil non ſibi licere arbitrantur* (Caluiniſtæ & Lutheriſtæ.) His enim adiectis, verum habet Criniti dictum. Probat ſecundo ex Pſeudobennone in vita Gregorij VII. Vbi dicit; vitam Paparum, nil aliud eſſe, quàm *proditionem & auaritiam.* De Caluiniſtis hoc veriſsimum eſt. Falſiſsimum de Pontificibus Romanis. Tertiò probat ex Theodorico Niemenſi, capitali Pontificij nominis hoſte: qui dicit, *Papas per truſas & nugas ac colores varios, & elenchos ſophiſticos, Chriſtianum populum decipere.* Accommodentur hæc ad *Caluiniſequas* & *Lutherico*las Prædicantes, nec erit quiſpiam rectè ſentientium, qui diſſentiat.

Decimum tertium Sutliuij delirium. *Omnis ille eſt Antichriſtus, qui veros Chriſtianos grauiſſimè perſequitur. Papa hoc facit. Ergo.* Falſa Maior. Falſa Minor. Falſa concluſio. Falſæ probationes Minoris: Vt breuiter me expediam ab hoc deliramento, quo etiam Pouelus correptus fuit.

Decimum quartum Sutliuij delirium. *Ille eſt Antichriſtus, qui conſcientias laqueis ſuis obligat. Papa hoc facit.* Dic tu; Lutherus, Caluinus, hoc facit: Ergo Lutherus, Caluinus eſt Antichriſtus.

Decimum quintum Sutliuij delirium. *Ille eſt Antichriſtus, qui animas hominum venales facit: qui peccata pecuniis remittit, & alia venum exponit. Papa hoc facit. Ergo.* Iterum præmiſſæ falſæ. cum concluſione. Falſum & illud. *Sylueſtrum II. ex pacto animam ſuam Diabolo vendidiſſe pro Papatu.* Balæi, Nigrini, Vergerij, VVolfij & ſimilium tenebrionum hæc ſunt commenta.

Decimum ſextum Sutliuij delirium. *Apocalypſios 13. vidit Ioannes beſtiam aſcendentem è terra, quæ habebat cornua duo ſimilia agni. Sed iſta beſtia non eſt alia, quàm Papa. Ergo Papa eſt Antichriſtus.* Fœnum fuerit: non homo, à quo febrile hoc ſomnium aſſenſionem impetret.

Decimum ſeptimum Sutliuij delirium ſimile priori. *Ioannes Apocal. 13. vidit beſtiam aſcendentem de mari habentem capita ſeptem, & cornua decem. Sed Papa eſt hæc beſtia.* Si perconteris, quis hoc aſſerat? Reſpondeo; Sutliuius; quo non veracior alter.

Decimum octauum Sutliuij delirium. *Omnis, qui à Deo Patrum ſuorum diſcedit; ille eſt Antichriſtus. Papa Romanus hoc fecit.* Tu ſubiice: Lutherus hoc fecit. Caluinus hoc fecit. Ergo Lutherus, Caluinus eſt Antichriſtus: Et vera erit tam Minor, quàm concluſio. Innuit Sutliuius hoc quoque delirium. *Qui à veteri religione recedit, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc fecit.* Tu dic: Lutherus, Caluinus hoc fecit. Ergo Lutherus, Caluinus eſt Antichriſtus. Maior eſt Sutliuij, Minor mea perſpicuæ veritatis; ſicut Sutliuiana illa de Pontifice euidentis falſitatis; qui mentiri non veretur, *Alexandrum VI. Iulium II. Leonem X. Clementem VII. Paulum III. & quoſdam alios Pontifices vix principia religionis Chriſtianæ credidiſſe.*

Decimum nonum Sutliuij delirium. *Omnis, qui moribus & omni genere impietatis Antichriſtum exprimit, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Reſpondeo, Maiorem non eſſe veram; nam exprimens, & is, ad cuius formam aliquis ſeu aliquid exprimitur, realiter diſtinguuntur: ſi ergo Papa Romanus, Antichriſtum exprimit; ſequitur; eum non eſſe ipſum Antichriſtum, ſed effigiem quandam ab Antichriſto deſumptam, & ad eius ſimilitudinem expreſſam. Sed eſto Maior. Minorem dicimus eſſe Sutliuianam, hoc eſt, nauci & nihili: inque locum eius ſubſtituendam hanc: Sed Lutherus (eademque eſt ratio Caluini) moribus & omni impietatis genere Antichriſtum exprimit: Ergo Lutherus eſt Antichriſtus.

Vigeſimum Sutliuij delirium. *Quiſquis negat Ieſum, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit.* Maior non eſt vera; quia Seruetus, & quilibet Arianus, quilibet item Mahometanus, negat Ieſum, nec tamen quilibet horum eſt ille propriè dictus Antichriſtus, quem Daniel & Ioannes venturum prædixerunt. Minor quoque tam vana & inanis eſt, quàm vanus & inanis eius auctor & aſſertor Sutliuius: quam non niſi mendaciorum & conuiciorum ex triuio hauſtorum robore munit.

Vigeſimum primum Sutliuij delirium: *Quiſquis ſigna & prodigia falſa comminiſcitur, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Maior eſt falſa. Minor falſior. Falſiſsima concluſio. Nec quidquam ſuppetit Sutliuio, quo hanc falſitatem tegat, præter maledicta & mendacia, quibus vbique impotenter & impudenter graſſatur.

Vigeſimum ſecundum Sutliuij delirium. *Qui vocatur* Ἀρχιερεὺς, *ille eſt Antichriſtus; Pontifex ita vocatur; ergo Pontifex eſt Antichriſtus.* Iterum falſa Maior, falſa Minor. Falſiſsima concluſio. *At Pontifex vocatur latina lingua in ſacris.* Eſto, num eam ob cauſam eſt Antichriſtus? Accedit & hoc delirium, velut *ſupernumerarium. Qui ſuis imprimit characterem*; hoc eſt, *qui vult, vt aſſecla ſui idem ſecum ſentiant & doceant, ille eſt Antichriſtus. Papa hoc facit. Ergo.* Subſumamus nos. Lutherus hoc facit. Caluinus hoc facit. Ergo Lutherus eſt Antichriſtus. Caluinus eſt Antichriſtus.

Vigeſimum tertium Sutliuij delirium. *Qui poteſtatem & imperium accipit à Regibus, & paulatim ad ſummam potentiam aſcendit; ille eſt Antichriſtus. Papa eſt talis. Ergo.* Commentum ſyllogiſmi ſuperioribus gemellum. Refutatione non eget: Quia vanitas eius in propatulo eſt.

Vigeſimum quartum Sutliuij delirium. *Patres dicunt Papam eſſe Antichriſtum. Ergo.* Vel vnum nomina, qui hoc affirmet. Vno contentus ero. Nam quos affers, illi nihil penitus de Papa vel obſcurè ſubinnuunt; tantum abeſt; vt id, quod Sutliuius mentitur, affirment. Reliquis fermè, quos poſt Patres in medium producit; iniuriam itidem facit Sutliuius: præcipue S. Bernardo &

Petro Bleſenſi: & qui Gregorium VII. vel alios Pontifices, cum quibus aut ipſi, aut illi, quorum partes ſequebãtur, habebant controuerſias, *Antichriſtum* nominarunt; latius hoc nomen vſurparunt pro aduerſario quocunque Chriſti; non preſsè & ſtrictè pro illo Antichriſto, qui ſub mũdi finem in Chriſti Eccleſiam graſſaturus à Daniele & Ioanne ſcribitur. Nec vllus fuit tempore Henrici IV. qui ipſam Pontificum ſucceſsionem & officium diceret *Antichriſtum* vel *Antichriſtianum*; ſed ſolis perſonis offenſi erant: vt vel hinc coniicere licet; quia ſuos ſibi creabant Antipapas, quibus vt Vicariis Chriſti, omnem honorem ac reuerentiam deferebant. Vt patet de Clemente, quem Henricus IV. & Henriciani Gregorio VII. & aliquot ſequentibus Pontificibus oppoſuerunt.

Vigeſimum quintum Sutliuij delirium: *Nullus iam multos annos ſedem illam aſcendit Pontifex, niſi qui Simoniacè Papatum adeptus eſt. Quid ergo ſupereſt, niſi vt Antichriſtus ab omnibus habeatur Papa Romanus?* Animaduertis, opinor, mi lector, Sutliuij viginti quinque argumenta, quibus per totidem ſui libri capita demonſtrare conatur Papam eſſe Antichriſtum, aut *mendacia continere craſſa: aut deliramenta ridicula, aut denique meras eſſe nugas, & quod dici ſolet, gerras germanas, & delirantis & ſomniantis* Caluiniſtæ, *lyras, lyras.*

Abbatus in demonſtratione ſui Antichriſti cap. 10. deſcribit, vt profitetur, *habitum Antichriſti, imperatoria maieſtate, prætextu hypocritico, & abominando, Eccleſiæ deſolatione per illum futura.* Sed ſi totam hanc deſcriptionem penitius intuearis, nihil inuenies, præter mendaciſsimam in Pontificem & Pontificios inuectiuam, & ſatyram maledictis & lœdoriis confertiſsimam. Vno ab exemplo diſces omnia.

Cum anno Domini DCC. LV. Aiſtulphus Rex Longobardorum, Romam grauiſsima obſidione premeret, & quæ extra mœnia erãt, ferro & igne longè lateque depopularetur; Romaniſque extremum exitium moliretur, Stephanus Papa hoc nomine Tertius, pro grege & vrbe ſollicitus, cùm alias literas ad Pipinum dedit, tum vnas, in quibus ipſum S. Petrum Apoſtolum loquentem; opemque Pipini & Francorum procerum flebilibus modis implorantẽ inducit; vt Pipinus ad accelerãdam opem vehementius commoueretur, non quaſi Stephani, ſed quaſi ipſius S. Petri ſupplices preces audiens. Hoc laudatiſſimi Pontificis factum immaniſsimis conuiciis inſectatur Abbatus; nam Stephanum Pontificem vocat nefario ore & calamo ſuo, *brutum animal: inſulſum blateronem: quouis fungo ſtupidiorem & ſtultiorem, cui nec ſenſus ſit, nec cerebrum; qui blaſphemiam cum ſcelere coniungens Petro tribuat, quod Chriſti eſt; vt per illum in die futuri examinis ſalui ſimus. Quis non deteſtetur*, inquit idem furioſus Caluiniſta, *vaſri nebulonis impudentiam, qui epiſtolas illas legerit Stephani II.* (Tertius eſt) *aſinino ſtylo conſcriptas ad Pipinum Regem, factum iam mancipium Eccleſiæ Romanæ.* (ſcilicet hoc reſtabat, vt in ipſum Pipinum quoque virulentiſsimos tuos dentes exſereres) *propter regnum Franciæ nefariè ſibi paulò antè à Pontifice collatum:* (en nefarius homo feliciſsimam illam, & Francorum Monarchiæ fauſtiſsimam tranſlationem, *nefariam* appellare audet) *quibus opem eius contra Longobardos crocodili lacrymis flebiliter implorat. At ne quid deſit ad cumulum fraudis & impudentiæ, tanquam in Petri perſona ſcribit epiſtolam, & illum pro ſe loquentem introducit. &c.*

Grandiſsimum piaculum; quod ſucceſſor Petri; non ſuo, ſed Anteceſſoris ſui nomine litteras ad Pipinum dedit, vt eò efficaciores eſſent, & tanti Apoſtoli intuitu, Pipinus eò promptius in arcto poſitis ſuppetias ferret; præſertim cum de fundo & patrimonio, Eccleſiis, vrbe & grege ſancti Petri potiſsimum ageretur, reſque in acie nouaculæ ſtaret, ne omnes ſimul & omnia truculentis Longobardorum gladiis perderentur ac vaſtarentur. Nemo ſcilicet vnquam Rhetorum, ſeu Oratorum, vel Poëtarum, vel aliorum, qui aliquid ſcriberent; Petrum vel alios Apoſtolos per modum Dialogi loquentes vel colloquentes, vel per proſopopœiam alios exhortantes introduxit; vt exhortatio neruoſior & valentior euaderet. Solus Stephanus ob tale factum culpatur, ſolus Stephanus *brutum animal*, & id genus alia Abbato conuenientiſsima encomia audit. Propter ſolum Stephanum Caluiniſta hunc in modum bacchari debuit. *Ita nempe Petri & Sanctorum nominibus ludunt, & orbi terrarum illudunt, & interim taciti apud ſe ſtultorum hominum amentiam ſubrident; qui præſtigiis iſtis ſucum ſibi fieri miſerrima negligentiæ ſupinitate patiuntur. Quanta tum homines vecordia, quantus ſtupor inuaſerat* (imò iam inuaſit) *vt tam craſſa ludibria* (Abbati & ſimilium) *non ſentirent, non conſpuerent improbos carnifices* (Abbatum & Caluiniſtas) *Petri nomen & locum tam apertè mentientes* Caluiniſtas, qui tam apertè & atrociter viros, etiam ſanctiſsimos, eorumque facta, quamuis rectiſsima; calumniantur & ſcelerata audacia teterrimè inſectantur?

Exſtat Dialogus de morte Iulij II. Pontificis, cuius interlocutores *Iulius, Genius & ſanctus Petrus.* quem etiam Ioannes VVolfius in decimum ſextum mendaciorum ſuorum centenarium retulit; Nec dubito, viſum & lectum ab Abbato, ſi non alibi, ſaltem in centuriis calumniarũ VVolfij; quas, Pouelo indice, etiam ad Britannos penetraſſe video. Huius dialogi Auctor cum nomine auguſtiſsimo S. Petri ſcurriliter prorſus, ſacrilegè & *Lucianicè* abutatur, bilem Abbato, Abbaticisque ſodalibus haud commouet; imò rectè & legitimè factum interpretantur; nec cum ſtomacho, ſed ſumma animi voluptate legunt; quamuis ea proloqui fingatur S. Petrus, quæ vix mancipium; viliſsimum ex piſtrino caput, decerent. At cum à ſanctiſsimo præſule Stephano ſanctus Petrus religioſiſsimè opem Pipini Regis implo-

implorans,& pro subsidio vrbi & Ecclesiæ suæ in summas angustias coniectæ ferendo deprecans introducitur; hîc Abbatus & Abbatici nugones cœlum & terram clamoribus implent;& Stephanum quasi impietatis compertum tantùm non ad Areopagitas rapiunt.

Reliqua Abbati eiusdem prorsus sunt farinæ.Nam totum decimum caput(nec admodum dissimilia sunt alia) nil aliud est, quàm catena quædam ex annulis mendaciorum & conuiciorum in Pontifices,Monachos,& vniuersos Ecclesiasticos longissima serie contexta. Hic quidquid auctor Apiarij,quidquid Balæus,quidquid Schleidanus, quidquid Nigrinus, quidquid VVolfius, quidquid alij Pontificum iuratissimi hostes mentiti sunt, vel totum inuenies, vel epitomen eius, vel quidquam simile vel assimile. Sed frendeant & fremant phrenitici isti, & furore suo maniaque perenni ipsi sese excarnificent. Firma stat petra Petri. Hæreticus videt & irascitur, dentibus suis frendet & tabescit. Quis finis? Peribit Hæreticus. Cathedra Petri stabit.

DE GENERALI CENSVRA DANAEI IN LIBRVM TERTIVM.

HÆc censura dupliciter intelligi potest, I. De tertio libro Bellarmini. II. De notationibus seu scholiis Danæi in hunc tertium librum. Priori modo falsissima & calumniosissima est. Posteriore modo, verissima: nam quidquid toto hoc de Antichristo libro Danæus mentitus est, illud commodissimè diuiditur in *conuicia & mendacia, quibus vlceribus scatet totus* hîc liber Danæanus. *Ac primum conuicia in omne genus hominũ, in Apostolos, in Patres,in Pontifices Romanos,* in omnes orthodoxos, præcipuè in Bellarminum, quorum partem aliquam enotauimus,& suo loco indicauimus. Iam verò mendacia non modò pagellas,sed & singulas propè lineas adæquant. Nec opus in his enumerandis tempus & otium consumere:

Mendacem quis enim Danæum nescias esse,
Vnus Danæi si modò lectus apex?

Non iniuriâ mirabitur quis, cur in tota hac de Antichristo disceptatione nec Hunnij,nec Heilbrunneri calumnias redarguerim, illas inquam calumnias, quas Hunnius effudit in Antitannero, (cui miser Heilbrunner suum quoque præfixit nomen, cum in Antitannero tam nihil sit Heilbrunneri, quàm nihil est Schrammij, aut eius, qui *Scyphulum* Lutheranæ Cœnæ secum in exilium abire iussit, Deltzeri) & Heilbrunnerus in suo codice an caudice? cuius inscriptio: *Acatholicum Papatus.*

Sed qui duo perpenderit, hoc meum silentium mihi,vt spero, non dabit crimini: Alterum est, Hunnium & Heilbrunnerum nihil attulisse, quod non sit refutatum in Iunio, Danæo, Sutliuio, Pouelo, Abbato, & aliis, ex quibus tam isti, quàm Hunnius & Heilbrunnerus suas lœdorias & pseudologias mutuati sunt. Et certè Heilbrunnerus magnas debet gratias VVolfio Lauingæ impresso, absque quo si fuisset; centonem suum tam bene fartum in vulgus protrudere haud potuisset. Sed lupo lupus opem tulit & materiam suppeditauit. Alterum est, ea, quæ Hunnius in Antitannero de Antichristo, quasi is Papa esset, euomuit; iam pridem copiosè & solidè refutata esse ab *Adamo Tannero nostro* in Apologetico pro compendiaria Relatione de Colloquio Ratisbonensi aduersus Antitannerum edito, & Moguntiæ excuso M. D C. III. Ad quę hactenus nullus Hunnianorum discipulorum vel obiter mutiit, & ipse Heilbrunner, quem res hæc, Hunnio defuncto, proximè tangebat penitus obmutuit: & suum Hunnium sub cultro liquit,non sine nominis sui infamia,quod tam turpiter,& quidem cum *Antistitii* titulo, in vestibulo Antitanneri prostituerat. Ea autem, quæ Heilbrunnerus in libro illo suo Germanico,vt charta,sic & vaniloquentia & matæologia crassissimo & spississimo, vulgi, (cui præco iste linguam & omnem suam operam addixit) seducendi gratia effutiuit; iam in Recognitione *Acatholici Voluminis*, vt breuiter,ita & neruosè castigauit noster *Sebastianus Heissius.* cui quid respõsurus sit iste Prædicans, dies docebit. Forsan iam doctior est,quam olim cum post fata Hunnij *Antitannerus* defendendus erat. Cum ergo miser Heilbrunnerus cum suo fictitio Antichristo, tanto adhuc in ære versetur, ex quo nunquam se liberabit; nisi forsan bonorum omnium cessione;religioni profectò ducerem, si misero miseriam adderem. Valeat ergo ineptus Prædicans; & vbi duobus prædictis Ingolstadiensis & Dilinganæ Academiæ Professoribus satisfecerit: tum libenter & ego cum illo vel propter *Prædicantem Vapulantem* in hanc de Antichristo arenam descendam.

FINIS LIBRI TERTII.

DEFENSIO LIBRI QVARTI REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI;

Qui est

De potestate spirituali summi Pontificis.

CAPVT I.

Papam esse summum Iudicem in Controversiis fidei & morum diiudicandis.

NOn est, quod hic immoremur; quia hac de re fusissimè disputatum est Tomo superiore, lib. 3. de verbo Dei. Sutliuius li. 4. de Pont. initio statim, verbosissimè de controuersiarum iudice, num is sit Papa, declamitat, simulque mentitur, se ad illam alienam & importunam excursionem, cogi à Bellarmino: cum Bellarminus ipsemet fateatur, iam satis alibi de hac quæstione dictum; & non nisi pauculis argumẽtis eam hic definiat. Sutliuij nugamenta euersa sunt loco citato: neque enim aliquid adducit, quod non fuerit allatum ab iis, quos libro tertio de verbo Dei refellimus.

Sibrandus reponit nobis nonnullos sycophanticos syllogismos, & agyrticas consequentias ex libris de principiis Christianorum dogmatum. Quibus hîc nihil aptius & commodius opponetur, quàm silentium & contemptus. Danæus vocat S. Hieronymum *assentatorem Damasi Papæ*; & Theodoretum *palponem Leonis Magni*: eò quod *Papam* iudicem controuersiarum esse tam verbo quàm facto docuerint. Iunius septem primis capitibus suum illud ἀρνῶμαι, Antichristi tesseram; *nego, negamus, negatur*, si non sæpius, certè minimũ trigesies ingeminat; quasi non cuiuis, etiam fungo, prona sit ac procliuis hæc refutãdi ratio. VVitackerus remittit suos lectores ad primam suam Controuersiam de Scripturis. Non improbo, quòd hic logodiarrhœan & logodædaliam, qua in posthumis scriptis vel suo vel editoris vitio laborat; continuerit. Magna nos molestia liberauit. Itaq; ad alia gradum faciamus.

CAPVT II.

Proponitur quæstio, sitne Papæ iudicium certum.

DErcenset hic Bellarminus tam hæreticorum, quàm Catholicorum super hac quæstione sententias. Easdem ex Bellarmino commemorat VVitackerus quæst. 6. c. 1. sed interspersis passim VVitackerianis floscul is. Ait Bellarminus, apud omnes Catholicos constare; Pontificem cum generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum. *Quæro*, inquit VVitackerus, *quorsum adiungat cum generali Concilio?* Ideo adiungit; quia vna ex quatuor quæstionibus, quæ de Pontificis infallibilitate excitari ac proponi queunt est, itidem ista: *Num Pontifex cum generali Concilio errare possit.* Obiicit VVitackerus: *Tum causſa non errandi non erit in ipso Papa, sed in auctoritate Concilij, & sic maior erit auctoritas Concilij, quàm Papæ, quia non quòd Papa sit, non errat, sed quòd sentiat cum generali Concilio.* Respondeo, omissis aliis, de quibus legi potest Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 13. & seqq. auctoritatem illam non errandi esse tunc adæquatè in toto illo cœtu collato ex Papa & Episcopis, quẽ *Concilium* nominamus. Nec sequitur idcirco maiorem esse auctoritatem Cõcilij, quàm Papæ; quia Papa qua talis, definiens aliquid, non modò cum Concilio generali errare non potest; sed nec solus, & absque Concilio: At Concilium sine Papa errare potest. Hinc maior est auctoritas Papæ, quàm Concilij, præsertim cum sumpto & iuncto etiam Papa cum Concilio; omnis Concilij infallibilitas deriuetur à Papa; non vice versa. Hinc & altera VVitackeri cauillatio euanescit; ideo enim Papa cum Concilio non errat, quia Papa est; & non eam ob causſam, quòd cum Concilio idem sentiat; quasi certitudo & infallibilitas sententiæ à Concilio in Papam deriuetur.

Ait

Ait Bellarminus, omnium Catholicorum confessione exploratum haberi, Pontificem solum, vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, siue errare possit, siue non, esse ab omnibus fidellibus, obedienter audiendum. *Hoc nimirum loqui est*, inquit VVitackerus, *vt Iesuitam decet.* Imò non modò vt Iesuitam, sed vt quemlibet Catholicum decet. Nec dicit Bellarminus, *incertum esse, possitne Papa sic errare an non, dum aliquid statuit*, vt mentitur Caluinista; sed disiunctim dicit; *siue errare possit, siue non*: in rebus dubiis ei parendum esse, & hoc communem Catholicorum consensum testari.

Mentitur secundò VVitackerus: Bellarminum dicere; *Pontifici obediendum esse, etiamsi erret*: non dicit hoc; sed, Pontifici in dubijs obedientiam præstandam, siue errare possit, siue non. Occlamat VVitackerus. *Hoc iam nimiũ tyrannicum, & violentum & Antichristianum est, errantem sequi, quocunque duxerit.* Quis hoc docet? certè non Bellarminus, non vllus Catholicus; Bellarminus nil aliud docet, quàm in dubiis parendum Pontifici. *In dubiis*, ait Bellarminus. Non vidisti hanc particulam; *in dubiis*. Nunquam dixit aut scripsit Bellarminus, Pontifici obsecundandum, quando errat; sed dixit; *in dubiis*: quod longè est aliud, quã errantem, & quidem manifestè errantem, obsequenter audire & sequi. Qui in re dubia præceptum superioris amplectitur, non errat; siue superior à parte rei erret, siue non: quia ipsa ratio naturalis dictat, vt cum res non est liquida & dilucida, iudicium nostrũ ad eius, qui præsidet ac præcipit, voluntatem accommodemus. Quapropter friuola & puerilis est hæc VVitackeri paratragœdiatio. *O miseros Catholicos cæcos & stupidos, qui etiam errantem Papam sequi volunt.* O miseros, cœcos & stupidos Caluinistas, qui tam mendaces magistros audiunt, quibus nulla est religio, iis, contra quos scribunt, quidquis affingere, licet aduersa fronte cum eorum sensu ac sententia pugnet.

Postea circa sententias Catholicorum de infallibilitate Pontificis non vnum mendacium effutit VVitackerus, vt Adrianum VI. Papam; *vel fuisse hæreticum, aut non multum ab hæresi abfuisse*; quia docuit *Pontificem, etiam vt Pontificem; aliquid sine Concilio definientem errare posse*, quam sententiam ait Bellarminus, videri *erroneam, & hæresi proximam.* Sed VVitackeri, si calumniari & cauillari nolebat, officium erat, admonere lectorem, Adrianum hanc sententiam non docuisse tunc, cum Papa erat; sed prius, cum adhuc in scholis & inter scholasticos Theologos versaretur. Illud item addere oportebat: Bellarminum non dicere; hanc sententiam esse *hæreticam*, aut *parum ab hæresi distare*: sed; *videri erroneam, & hæresi proximam.* Quocirca licet Adrianus hanc opinionẽ, etiam Papa factus, defendisset & propugnasset; errasset quidem, vt priuata & singularis persona, non tamen hæreticus, aut hæresi vicinus fuisset; tum quia opinio hæc nondum hæreticos stigmate insusta est; tum quia ad hæresin non sufficit erroris patrocinium, nisi accedat contumacia & pertinacia, quam in Adriano fuisse, ecquando monstrabit VVitackerus? Nam Catholicus, qua Catholicus, nullam sententiam amplectitur, nisi hac vel expressa vel tacita lege: *Saluo Ecclesiæ iudicio*, cui omnia sua placita, absque vlla peruicaci mentis obstinatione, submittit.

Multa nugatur VVitackerus de opinione Pighij, quæ est, Pontificem, etiam vt priuatam personam, non posse in hæresin incidere. Ait; Bellarminum *nihil de hac re statuere, sed cohibere assensum.* Hoc mendacium redarguitur à capite sexto, vbi docet Bellarminus, opinionem Pighij esse probabilem, & probabilitatem eius aliquot argumentis ostendit. At siue hæc opinio falsa sit, siue vera; nobis retundendis sectariorum iaculis satis est; Pontificem, aliquid ex cathedra definientem, & toti Ecclesiæ *sententialiter, sententiatiuè aut definitiuè*, (vt cum scholasticis VVitackero etiam loqui libuit) *proponentem, errare aut in hæresin incidere non posse.* Obstrepit VVitackerus: *Si Papa, vt priuata persona, potest esse hæreticus, hic semper scrupulus in animis hominum hærebit, sitne verus & legitimus Papa: nam dicunt, si hæreticus sit, ipso facto non esse Papam.* Respondeo, hunc scrupulum esse commentitium; nam si ex hypothesi, data, sed non concessa, Pontifex vt priuatus doctor, in hæresin incurrat, illa aut erit manifesta aut occulta. Si manifesta, iam certum erit talem non esse amplius legitimum Papam ac pastorem; quia eo ipso, quod in manifestam hæresin incidit, à Pontificatu excidit: nullus ergo scrupulus relinquetur. Quid verò si occultus tantummodo, &, vt vocant, mentalis duntaxat sit hæreticus? Hoc casu, quid dicendum sit; docebit te Bellarminus lib. 2. de Pont. cap. 30. sequitur enim illorum sententiam, qui existimant, Pontificem tantummodo per manifestam hæresin de suo gradu labi; ideo dicendum, etiamsi priuatim & occultè Pontifex sit hæreticus; manere tamen verum & legitimum Pontificem, quamdiu hæresin suam non patefacit: nec passurum Deum, vt hæresin suam ex cathedra obtrudere velit Ecclesiæ, aut aliud, quàm ex veritatis præscripto ac regula definiat, secundum quam sententiam rursus nihil loci VVitackeriano scrupulo de legitimo Pontifice relinquitur.

Danæus breuissimè rem transigit. *Omnis homo est mendax. Papa quomodocunque spectetur, siue solus, siue cum Concilio generali aut particulari; est homo; ergo Papa potest errare quomodocunque spectetur.* Bonus syllogismus & neruosus: quo veritatem totius sacræ Scripturæ prosternere licebit: nam Prophetæ, Euangelistæ & Apostoli sunt homines, sub quacunque demum consideratione; ergo & mendaces; quia *omnis homo est mendax.* Si Danæus excipiat, istos esse quidem mendacio obnoxios, si præcisè spectentur secundum naturam humanam, non autem vt habent infallibilem sancti

Spiritus

Spiritus asistentiam; idem à me responsum de Pontifice, qua Pontifex est, accipiat; neque ipse duntaxat, sed & Sutliuius, qui hoc ipsum argumentum, valde scilicet validum, in aciem eduxit; & insuper hoc addidit: *Solus Deus est sanctus & verus.* Respondeo, per naturam, essentiam & proprietatem; Interim & homo, sanctus & verus esse potest per *participationem*: quæ quo maior est, & sanctitas & veracitas, maior itidem erit. Obstrepit Sutliuius: *Nihil esse de fide, nisi quod sit diuinitus reuelatum; nusquam autem reuelatum esse, Romanum Pontificem, qua Pontifex est, non posse errare.* Quid ergo vult sibi illud? *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Quid illud? *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Tertiò oggannit Sutliuius: *In veteri Testamento, Pontifex, etiam qua Pontifex, non erat infallibilis, ergo nec in nouo.* Probat consequentiam: *Quia Pontifex noui Testamenti nõ habet maiores promissiones, quàm ille antiquæ legis.* Respondeo, quidquid sit de Antecedente, consequentiam esse inanem. Ad probationem respondeo, eam esse similem consequentiæ, cui fulciendæ adducitur; hoc est, falsam: falsitatem euincunt duo testimonia, quæ paulò antè produximus. Quæ Sutliuius garrit de erroribus Pontificum & Sacerdotum veteris Testamenti, iam in Responso ad Theses Hunnianas refutauimus.

Quartò occinit Sutliuius: *Omnes Apostoli erant pares quoad certitudinem doctrinæ: ergo & eorum successores sunt pares.* Respondeo, consequentiam esse Sutliuianam; quia nullus, præter S. Petrum, audiuit: *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua:* nimirum nec in te, nec in tuis successoribus.

Sextò instat Sutliuius: *Patres non aliter de Episcopis Romanis, quàm de aliis, quoad iudicium de fide, existimarunt.* Sed hoc nil aliud, quàm mendacium esse, perspicuè docent Patrum testimonia, quæ à Bellarmino proferuntur. Multa deinde insulsè garrit Sutliuius de erroribus & hæresibus Pontificum, hoc est, de calumniis & criminationibus Hæreticorum. Sed de his postea videbimus.

CAPVT III.

Statuitur prima propositio, de infallibili iudicio summi Pontificis.

PRIMA propositio hæc est. *Summus Pontifex, cum totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* VVitackerus quiritatur: *Terminum illum; Cum totam Ecclesiam docet: esse obscurissimum.* Vnde hæc tanta obscuritas, nisi ex capite VVitackeri? Nam ipsa locutio, nil obscuritatis in se habet, nisi aliunde à malè sano lectore adferatur. Obiicit VVitackerus: *Papa nullam docet Ecclesiam, tantum abest, vt doceat totam.* Hoc in eundem cum cæteris VVitackerianis pseudologiis catalogum referatur. An Papa per Concilium Tridentinum, vt hoc ex multis nominem, non docet totam Ecclesiam? An non eandem docet per tot constitutiones, quas ipse edidit, totiúque Ecclesiæ proposuit? An nõ vniuersam Ecclesiam docet, qui definiendis controuersiis de fide ac religione exortis, ex instituto proprioq; munere præsidet?

Probat Bellarminus hanc primam suam propositionem ex illo Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te, &c.* Sibrandus conficit inde syllogismum; sed sibi solennem & sycophanticum, cuius vanitatem & φλυαρίαν hic refellere, quid attinet, cum abunde id sit præstitum Tomo primo ad caput quintum libri tertij?

Danæus circa hoc caput non scribit, sed insanit. Audi vnum vel alterum eius corybantiasmum: *Quam proponit mordicus etiam in animæ suæ dispendium defendendam sententiam Bellarminus hæc est; Romanum Pontificem etiam solum, nunquã errare posse, cum aliquid decernit generaliter, statuit & iudicat.* (retinuisses verba Bellarmini, nisi calumniator esses, hæc, inquam, verba: *cum totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent.*) *Hoc ne Diabolus quidem ipse dixerit* (si mentiri velit, vt mentitur per os vestrum, tunc vtique hoc non dicet: at dicet, si verum dicere velit) *quem mendacij patrem esse constat. Attamen hoc dicit, imò affirmat Bellarminus, vt Diabolo quouis impudentior & mendacior in omnibus appareat. Cur autem? Nempe, vt suo Ioui assentetur, Romano Pontifici, cui & corpus & animam & linguam & mancipium vendidit miser, vt galerum cardinalitium ab eo eruiscet, impetret, ac tandem aliquando accipiat.* (Accepit quidem Bellarminus galerum Cardinalitium; sed huc eum retulisse labores & scriptiones suas; tam verum est; quàm Danæum mendaciloquas suas nænias chartis illeuisse, vt *Papista fieret*) *Quòd si hoc neget Bellarminus, certè phrenesis & animi intemperies malaq; furiæ eum exagitant, de toto rationis gyro ac possessione deiiciunt.* Hæc & alia huius generis Danæus, quæ non nisi à lymphata & phrenetica mente proficisci potuerunt.

Reliqua, quæ adiungit, non absimilem Bacchicum Paroxysmum resipiunt: quem, vt gratior sit, temperat Fallaciis *à petitione principij, à non consequente.* Miror, omissam illam vbiq; alioqui Danæo obuiam; *ab ignorantia Elenchi.* Postea in sanctos Patres insilit; vociferans Patribus non esse habendam fidem, *cum nullum certum testimonium sacræ Scripturæ pro sua sententia adducunt.*

Citat Bellarminus pro fide Petri in successoribus nunquam defectura cum alios sanctos Patres, tum septem veteres ac sanctos Pontifices. Iunius admodum reuerenter: *Negamus hæc testimonia. Negatur hæc auctoritas.* (S. Leonis Magni, Pontificis) *quia tum præter veritatem est* (calumnia Iunij) *tum res ipsa contra Conciliorum auctoritatem à Romanis Pontificibus ambitabat. Vetuerat antè Concilium Constantinopolitanum primum, negabat tunc Chalcedonense.* (Vtrumq; mendacium Iunianum est.) *illi contra apud suos primatum vniuersalem specie emen-*

mentita Scriptura sibi arrogabant. Nõ sequitur (sanctos veritatem vidisse) *nam etiam in hac vita sancti, ignoratione & inscientia falluntur, & infirmitate fallunt. Et studia particularia efficiunt veri scientiã; ideoq; ipsi* (antiqui & sancti Pontifices) *ex Scriptura & Conciliorum priscorum fide magis credere toti Ecclesiæ debuerunt, quàm sibi aut suis demulcentibus ipsorum caput, vt auctoritatem suam auctoritate Sedis Romanæ promouerent.* Quid multa? *Hæc Pontificum sunt testimonia affectantium suæ Sedis amplitudinem, & inualescente errore confirmantium sine vlla auctoritate Scripturæ. Negantur, quia iidem testes & iudices sunt in rem suam. Sed tamen hic missis,* inquit Iunius, *quis credat eiusmodi epistolas germanas, at non adulterinas esse, &c. Quis credat Eusebium, & alios auctores idoneos, siquidem fuissent ab illis tales epistolæ concinnatæ, nihil omnino fuisse dicturos? Quis adeo* ineptum stylum & centones *ipsaque à tantis viris concinnatos? Siccine manum Ecclesiæ addi oportuit?*

Nec minus inuerecundè VVitackerus. *Hic fallit nos aduersarius, nec potest exspectationi nostræ satisfacere, neque Scripturam aliquam adfert, neque antiqui alicuius patris testimonia* (nil nisi mendacia audio, quibus mox subiunguntur conuicia) *sed fugit ad Decretales epistolas Pontificum Romanorum, quæ sanè plumbeæ sunt, confictæ in institoris alicuius officina, & ad recentiores auctores quosdam. Est certè, quod Deo gratias agamus, non posse melius hanc causam defendi, nec posse illos aliquod testimonium adferre, nisi Pontificum ipsorum* (An non attulit Bellarminus aliorum testimonia?) *qui fuerunt semper in sua causa insolentissimi.* Obseruet Lector, Bellarminum duos solummodo ex antiquissimis illis Pontificibus Romanis, de quorum epistolis controuersia cum aliqua specie verisimilitudinis moueri posse videtur, allegasse, nempe Lucium primum & Felicem primum, etsi hæc verisimilitudo nulla est; si nõ quid vnius cuiusque phantasia, sed quid ratio dictet, audire velimus.

Cæterorum epistolas, vt Leonis I. Agathonis, Nicolai I. Leonis IX. Innocentij III. nemo vnquam in dubium vocauit, præter Sutliuium, vt libris superioribus non semel vidimus, qui cum non habet, quod respondeat, solem lucere, etiam meridie, negat. Nec tanta in VVitackeri loquacitate & verborum profluentia, quanta hîc aliquot pagellas complet, quidquam visitur, quod non sit refutatum Tomo superiore, lib. 3. cap. 5. summa totius verbosissimę inaniloquentiæ est: *Christum non oraſſe pro solo Petro; sed & pro aliis Apostolis: Totum locum intelligendum de tentatione, qua paulò pòst, capto & crucifixo Domino, Apostoli exagitandi erant, præsertim Petrus. Etiam aliorum Apostolorum fidem non defecisse. Nullum verbum de Ecclesia Romana in sententia Christi contineri. Petrum non fuisse Episcopum Romanum. Papam non succedere Petro. In sede Romana sedisse atheos, hæreticos, multos enormiter improbos & flagitiosos. Plurimos à virtute maiorum suorum desciuisse, testibus ipsis Pontificiis, inprimis Genebrardo. Multa schismata propter Pontificatum exstitisse: Multis annis nullum Papam Romæ vixisse, sed Auenione in Gallia.*

A Hæc & similia, quæ VVitackerus ore soluto & dissoluto, ex rabularum Topicis declamitat, iam alibi profligata sunt, nec apud vllos fidem vel locum inueniunt, nisi apud illos, quorum palato gratior est calumnia quàm veritas.

Secundus locus pro infallibili iudicio summi Pontificis est ille Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Respondet VVitackerus, se iam satis suo loco de hoc testimonio egisse. Et nos itidem satis superq;, libro secundo huius controuersiæ. *Nec Patrum testimonia,* inquit VVitackerus, *quidquam respondebo, quippe quæ sunt à me prius omnia refutata.* Ergo tu Patrum dicta & testimonia refutare soles? Qua fronte, nisi ferrea? Quàm verò

B strenuè in refellendis Patribus te gesseris, iam libro secundo vidimus. Valde tibi arridet, quòd S. Gregorius ait, nõ posse fieri, vt Episcopus Constantinopolitanus sit Episcopus vniuersalis; ac proinde caput totius Ecclesiæ; *quòd multi Episcopi Constantinopolitani fuerint hæretici, imò & hæresiarchæ, vt Nestorius, & Macedonius.* Hinc infers; *nec Romanum Episcopum posse esse vniuersalem & caput Ecclesiæ; cum & ex Romanis Pontificibus nonnulli fuerint hæretici.* Nihil deest nisi probatio. Dicis, *te postea probaturum.* Suspicor te promissa non facturum, sed loco probationum mendacia, vt soles, allaturum. Exspectabimus tamẽ patienter quoad probandi tempus & locus aduenerint.

C Ais; *esse, qui concedant fieri posse, vt Papa sit publicè Hæreticus* (adde, quoad suam personam, & vt priuatus Doctor) *nec Bellarminum hanc opinionem simpliciter reiicere. Ergo ex horum sententia fieri non posse, vt Papa sit Episcopus vniuersalis, & caput totius Ecclesiæ, quandoquidem fieri non potest, vt is, qui hæreticus vel hæresiarcha esse potest, sit vniuersalis Episcopus, & caput totius Ecclesiæ, teste Gregorio Magno.* Respondeo in primis, dictum S. Gregorij admodum fauere eorum sententiæ, qui simpliciter negant, Papam, etiam vt priuatum Doctorem, vnquam incidisse, aut incidere posse in hæresin; quia S. Gregorius sentire videtur, id non posse fieri sine ruina totius Ecclesiæ. Hæc enim sunt eius verba lib. 4. epist. 32. *Si igitur illud nomen* (vniuersalis) *in ea Ecclesia sibi quisque arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit: vniuersa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur vniuersalis, cadit.* Deinde dico, Gregorij dictum intelligi de Pontifice, quà vniuersalis Pontifex, & iudex est; si enim talis, quà talis, labi & in errorem induci posset, tota Ecclesia laberetur, & in errorem induceretur; quia tota Ecclesia vniuersalem pastorem & iudicem, cum quid definitiuè proponit, audire ac sequi teneretur. Quo fit, vt tota corrueret, & in errorem incideret.

D Tertius locus est ille Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Sibrandus: *Crediderim ego aduersarium esse Alchymistam. Ex hoc enim argumento iam ante probauit, Papam esse Monarcham per vniuersam Ecclesiam. Ex eodem probat ad Papam pertinere supremũ & vniuersale iudicium*

per vniuersam Ecclesiam. Nunc ex eodem probat Papam in nullo iudicio fidei aut morum errare posse. Ita ex vno noua, & inaudita Logica, quidlibet deduci potest. Crediderim ego Sibrandum esse Sycophantam, tam flagitiosè passim cauillatur, calumniatur, ne dicam, scurratur. Nam Christus verbis illis: *Pasce oues meas*; constituit Petrum pastorem vniuersalem totius Ecclesiæ, ergo & principem vniuersalem; quem si tu *Monarcham Ecclesiasticum* nominare velis; nomines licet; non obsto. Si constituit Petrum pastorem & principem supremum ac vniuersalem per totam Ecclesiam, ergo & iudicem supremum ac vniuersalem eundem fecit; quia officio supremi pastoris & principis vniuersalis fungi non posset; nisi pariter supremus & vniuersalis iudex esset. Quis autem sanæ mentis dubitet, Petrum à Christo institutum esse supremum iudicem certum, infallibilem, & qui gregem sibi commissum in omnem veritatem induceret? Nam si vllus Iudex ab omni erroris periculo immunis esse debet; certè suprem' & vniuersalis Iudex, immunis esse debet. Et quia vniuersale hoc mandatum *pascendi oues* non modò ad Petrum, sed & ad successores eius pertinet, vt alibi ostensum; meritò credimus; iudicium eius, qui Petro in cathedra succedit, nõ secus ac olim iudicium Petri, infallibile esse. Et hæc omnia rectissimè, & prorsus logicè ex prædicto loco colliguntur, si quis tamen ad huius loci explanationem adferat veram & genuinam Logicam, nõ Sibrandicam, quæ nil aliud est, quàm alogia, & verę Logicæ iactantia; vel potius ignorantia.

VVitackerus obstrepit, *ne vnum quidem verbum hic exstare de Papa.* Digna vox non animali rationali, sed irrationali. Ratiocinetur, & successorem S. Petri his verbis Domini comprehensum inueniet. Cætera, quę adfert VVitackerus, nil sunt nisi inanis ac futilis garritus; vt, doceri à nobis, *Pontificem esse sequendum, licet oues suas in præcipitia ducat.* Quis Catholicorum hoc vnquam somniauit? nefas enim fuerit dicere; *Docuit*; Nec immoror, quia triuiale est, quidquid VVitackerus de iudicio ouium supra & in pastores deblaterat. Certè editor VVitackeri nescio quis Baccalaureus Allenson bonum factum fecisset, si hæc vel VVitackeri, vel VVitackeriano nomine compta deliria, tam protrita & anilia, latere & perire sciuisset. Melius VVitackeriano honori consuluisset. Sed de loco hoc: *Pasce oues meas, &c.* libro secundo copiosè disputatum est.

Quartum argumentum petit Bellarminus ex *Vrim & Thummim*, quæ erant in *Rationali* sacerdotis summi in veteri Testamento. Exodi 28. Danæus garrit de *Vrim & Thummim*, vt vrus, satisque indicat, se omni λογίῳ seu *Rationali* carere. VVitackerus palam testatur, *se nolle contendere cum Bellarmino de significatione horum verborum.* Amplectimur & exosculamur pacificum tuum animum. At curè vestigio tuæ protestationis obliuisceris, & deriuationes seu originationes horũ vocabulorum à Bellarmino adductas, si non apertè reiicis, manifestè tamen fugillas & traducis, & varias variorum sententias exponis, quasi Bellarminus nescierit, & non ex parte itidem recensuerit, quot de *Vrim & Thummim* opiniones circumferantur: Nam quòd, *doctrinam & veritatem*; cum vulgata editione interpretatur, Hieronymum & 70. Interpretes Auctores habet; quos Hebraicè doctiores fuisse, quàm VVitackerum & editorem eius Baccalaureum, mecum libenter credet; quisquis tam horum, quàm illorum incunabula & institutionem nouerit.

Iunius fatetur figuratè & ex consequenti *Vrim & Thummim* rectè verti; *doctrinam & veritatem, nam Vrim propriè flammas & splendores significare constat*, inquit Iunius, *figuratè est δήλωσις, manifestatio*; ergo & doctrina, quia doctrina pandit & manifestat abdita. *Similiter* Thummim *propriè perfectionem ac potius integritatem notat; & per consequens figuratè est in rebus spiritualibus veritas; quia veritas est perfectio & integritas.* Hinc mentitur Danęus, quando ita scribit. *Falsa est illa, quam Bellarminus sequitur, & ea contra sui Romani Pontificis infallibilitatem efficit, vt Vrim, doctrinam, Thummim, veritatem significet. Id quod omnes linguæ Hebraeæ periti homines norunt, quidquid iste nouus inauditus & regulis grammaticis repugnantes harum vocum etymologias commentus sit.* En tibi Iunius, qui & ipse Hebrææ linguæ cognitionem sibi tribuit, & quidem tantam, vt vetus Testamentum vnà cum suo Tremelio ex Hebræo vertere, vel, vt rectius loquar, peruertere ausus fuerit; fatetur per *Vrim & Thummim* doctrinam & veritatem *figuratè* intelligi posse: etsi de vocabuli origine Bellarmino non assentitur; sed parum refert, quando de re conuenit.

Varia nugatur VVitackerus de erroribus summorum sacerdotum in veteri Testamento. Sed hæc iam in *Responso* ad Theses Hunnianas, & in *Digressionibus*, & alibi crebrò depulsa sunt. Ait, *sacerdotes debuisse habere veritatem & doctrinam; non tamen reipsa habuisse; neque enim sequi, aliquem reipsa id habere, quod habere debet.* Animaduertisse debebat Caluinista, Sacerdotem summum in veteri Testamento *Vrim & Thummim* reipsa habuisse; quia reipsa in *Rationali*, siue, vt Sectarij vocant, *in pectorali* posita fuerant: Quocirca vt ille antiquæ legis Pontifex reipsa in *Rationali iudicij*; *doctrinam* & veritatem habuit, ita oportet, vt & nouus Pontifex, cuius priscus ille typus fuerat, reipsa doctrinam & veritatem in *Rationali* iudicij sui, hoc est, in decretis fidei promulgandis, possideat. Conuicia VVitackeri in Pontifices Romanos susque deque habemus: illud præsertim, *perditissimi nebulonis.* Si catalogos, in quibus continentur nomina Pontificum antiquæ legis, percurrere velit; forsan longè deteriores & plures deprauatissimis moribus reperiet, quàm in syllabo Pontificum Christianorũ. Satis de *Vrim & Thummim*, de quibus lege, si lubet, Riberam, lib. 3. de Templo cap. 12.

Vltimum

Vltimum Bellarmini argumentum sumitur ab experientia, quia cæteræ Sedes Patriarchales defecerunt à vera fide: & ab hæreticis & hæresiarchis insessæ ac possessæ fuêre; Quod de Romana Sede dici nequit. Respondet VVitackerus, *etiam Romanam Sedem tenuisse Hæreticos.* Hoc dictu facilius est, quàm probatu. Concedit *vsq; ad tempora Ruffini nullius hæreseos fuisse Auctorem vllum Pontificem Romanum*: potuisse tamen *Romanum Episcopum tunc esse hæreticum, & postea etiam hæreseon Auctorem. A posse ad esse*, quæ consequentia VVitackere? Deinde falsum est, potuisse esse hæreticum, vt Pontifex est; Quid si abnuam, potuisse esse hæreticum, vel hæreseos Architectum, etiam vt priuatam personam; quo argumẽto me refelles? Gratias autem ago VVitackero, quòd si non apertè dat, certè satis manifestè insinuat, nullum fuisse Hæreticum Romanum Pontificem vsq; ad Ruffinum. Cur ergo tam ipse, quàm alij vsque adeo atrociter infectantur Liberium & Felicem II. quasi manifestissimos hæreticos? An non duo isti Pontifices antecesserunt Ruffinum? qui in Expositione symboli ita scripsit. *In Ecclesia vrbis Romæ, neque hæresis vlla sumpsit exordium, & mos antiquus ibi seruatur.* Vbi VVitackerus. *Quod ait Ruffinus morem antiquum ibi seruari, non generaliter loquitur, quasi totus mos ibi seruaretur, sed hunc moremantiquum intelligit; vt qui baptizantur, symbolum recitent; hinc factum esse, vt nil adiectum sit verbis symboli. Summa fraus fuit sic abuti Ruffino.* Summa VVitackeri impudentia fuit, sic mentiri & calumniari. nam verba illa; *& mos ibi seruatur antiquus*: Non tantum retulit Ruffinus ad publicam recitationem symboli ante susceptionem baptismi; sed iisdem simul caussam exposuit, cur symbolum inuariatum prorsus absque vllo additamento recitetur; quia scilicet mos Romæ seruatur antiquus, hoc est, antiquæ fidei integritas, nullo prorsus errore, vt aliis nonnullis locis, contaminata. Quapropter *adiectionem vnius saltem sermonis, eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditus*: Alibi autem additio tolerata fuit, propter exortas hæreses, quibus Romæ nihil loci relictum erat.

Ait Bellarminus: Pontificem Romanum etiam absque Concilio generali aliquas hæreses condemnasse; & damnationem ab eo factam, tanquam infallibilem, à tota Ecclesia fuisse comprobatam. Obiicit VVitackerus: *Pelagij hæresin fuisse damnatam in Concilio Mileuitano: non ergo à solo Pontifice.* Caluinista aduertere debebat, Bellarminum dixisse, Pontificem damnasse Pelagij hæresin absq; Concilio generali. Mileuitanum Concilium non fuit generale, sed particulare. Nec vtitur Bellarminus illo vocabulo, *Solus*; sed dicit:

Pontificem absque Concilio generali multas hæreses, & in his quoque Pelagianam, damnasse.

CAPVT IV.

De Romana Ecclesia particulari.

SECVNDA Bellarmini propositio est; non solum Pontificem Romanum non posse errare in fide; sed neq; Romanam particularem Ecclesiam; cum hoc tamen discrimine, vt Pontifex errare nequeat errore iudiciali; particularis autem Romana Ecclesia errare nequeat errore personali, ita vt omnes errent, & nulli sint in Ecclesia Romana fideles, & suo Pontifici adhærentes. VVitackerus calumniatur, *Bellarminum nunc merum sophistam agere.* Sophista scilicet est, qui dicit, quæ tu vel non vis, vel non intelligis, quippe supra captum & palatum Caluinianum. Ait VVitackerus, *nullam vnquam Ecclesiam particularem ita errasse, vt prorsus nemo fidelis in ea remaneret.* Quasi verò non aliquot centenæ, ne dicam millenæ Ecclesiæ funditus perierint, ita vt forsan ne vnus quidem in iis fidelis supersit. Obi cogitatione Africam, & pleramque Asiam, si nulla exempla repereris, forsan Europa tibi suppeditabit non vnum, beneficio, vel potius maleficio hæreseos.

Dicit Bellarminus, prędictam secundam propositionem dupliciter posse intelligi; Primò, Ecclesiam Romanam particularem errare non posse persistente Romæ Sede Apostolica; & hoc sensu dicit, propositionem esse certissimam, & probat, aliquot veterum testimoniis. Secundo, vt simpliciter non possit errare, quod Sedes Apostolica nunquam Roma alio sit transferenda: Hoc sensu affirmat Bellarminus, propositionem esse piam & probabilissimam, eamq; argumentis confirmat. Quid VVitackerus? Veteres nænias ingerit. I. *Petrum nunquam Sedem Romæ collocauit.* Hoc tu quidem dicis, sed vbi probasti, vel probaturus es? II. *Per annos ferè centum Romæ nullus Episcopus fuit.* At Sedes Petri non ideo à Romana Ecclesia separata fuit, sicuti nec hodie separaretur, licet Pontifex non Romę, sed Bononiæ aut Ferrariæ resideret: Nam & olim, quando Papa erat Auenione in Galliis, non erat Auenionensis Pontifex, sed Romanus; & ex Romana Ecclesia quod ad fidem attinet, vel omnes, vel saltem semper aliqui, constanter ei adhærebant.

III. *Christus nullum promissum fecit vrbi Romæ de diuturnitate aut perpetuitate, quod non aliis vrbibus fecerit, ergo stolidum est somniare priuilegia, quæ nunquam audita sunt.* Si tam clarum esset Antecedens, quàm *totum esse maius sua parte; & partem minorem toto*: rem factam haberet VVitackerus; sed quia res secus habet, haud abs re feciſſet, si probationis aliquid p Antecedẽte suo muniendo VVitackerus attulisset: inanem certè operam non sumpsisset. Nam qui hanc sententiam tuentur, negabunt Antecedens; & si quæras, vnde hæc promissio facta Ro-

manæ vrbi colligatur. Respondebunt; colligi ex illis indiciis & argumentis, quæ hìc à Bellarmino proferuntur. Allatrantur quidem à VVitackero, num ideo labefactantur? Nam quòd tabulas promissi poscit, plures Bellarminus protulit. Cur non inspicit aut inspexit? Aut si inspexit, cur oculis Caluinianis, hoc est, incredulis, inspexit?

IV. *Potest vrbs illa deleri, vt ne vestigium quidem illius remaneat.* Respondeo, posse absolutè, & in sensu diuiso: non posse, suppositâ promissione Christi de cathedra Petri nunquam à Romana vrbe separanda. Et licet Turca Romam caperet; vt obiicit VVitackerus; non tamen ideo Sedes Petri à Roma separaretur; quia Constãtinopolim quoque cepit, nec tamen Sedes Constantinopolitana ex veteri suo loco est pulsa. An non olim Hæretici Gotthi occuparunt Romam? An non alij, variis temporibus tyranni, immota Petri Sede? Quod ergo tunc accidit, hoc iterum accideret, si Roma in talium potestatem redigeretur. Imò licet Caluinistæ & Lutheristæ vrbis Domini forent, non permitteret tamen Deus, ex horum Auctorum sententia, vt Sedes inde separaretur; sed vel immanissimis istis Papæ hostibus meliorem mentem mitteret & inderet; vt factum olim sub Arianis Regibus; vel ita Romæ Petri Sedes perstaret, quemadmodum olim sub Nerone, Domitiano, Diocletiano, & id genus aliis perstitit, in cryptis nimirum & cauernis terræ, & copiosa Christiani sanguinis effusione.

V. *Antichristus, vt Papistæ fatentur, Pontificem Romanum profligabit, & Sedem vrbemq; Romanam prorsus euertet, ergo tunc auferetur à Roma Sedes Petri.* Respondemus, hoc futurum, quando finis mundi appetet, &, vt Scriptura loquitur, *iam prope in ianuis erit.* Nam quod de permansione Sedis Petri in vrbe Romana dicitur; id non nisi vsque ad tempus consummationi orbis propinquum intelligi debet.

Sed missa hæc faciamus, inquit VVitackerus. *Vrinam & hæc, & alia missa faceres.* Magno tædio nos liberares: nec fraudibus, impostoris & pseudologiis omnia contaminasses. Qualis enim pseudologia? à Bellarmino, *hoc secundo sensu, secundam propositionem non defendi.* Defenditur enim & argumentis confirmatur, vt *pia & probabilissima.* An sententiam aliquam non defendit, qui eam vt *piam & probabilissimam* defendit? Qualis VVitackeri pseudologia, Bellarminum dicere, secundam propositionem primo sensu *forte tam veram esse, quàm primam de Pontifice.* Non ita loquitur Bellarminus; sed ait; eam esse verisimam, nec vllam cum priore comparationem instituit, vt Caluinista facit; idque eo fine, vt cauillandi vberem materiam habeat, & dum sua somnia & deliria oppugnat, oppugnare videatur Bellarmini dicta & placita. Nam Bellarminus non probat secundam propositionem ex illo: *Rogaui pro te Petre, ne fides tua deficiat,* vt sensus sit; Rogaui pro te & successoribus tuis, vt errore iudiciali, in definiendo scilicet, errare non possitis: & rogaui pro Romana Ecclesia particulari, vt errare nequeat errore personali, vt impudenter fingit VVitackerus, sed aliunde argumenta pro confirmatione propositionis secũdæ petit; vt patet, apud ipsum Bellarminum. Quocirca quidquid VVitackerus hìc fatuatur, id nil ad Bellarminum, quia ipse Caluinista stolida figmenta, quæ postea stolidè refelleret, ex cerebro suo sibi, oblectationis causa, procudit.

Obiicit VVitackerus: *Si secunda propositio vera esset, tunc melius cum Romana Ecclesia particulari actum fuisset, quàm cum Romano Pontifice, quia Ecclesia Romana non potest errare personaliter, Pontifex Romanus potest* (si quis neget, Pontificem, vt priuatam personam, in hæresin incidere posse, vt quidem piè & probabiliter negari posse, docet Bellarminus cap. 6. qua ratione tu eum refutares?) *Quis non plus ei tribueret, eique credere mallet, qui non errat personaliter, quàm qui iudicialiter tantùm non errat?* imò verò contra; quis causam habens apud iudicem, non mallet credere iudici, qui in sententia ferenda & pronuncianda errare non potest, quidquid sit de priuata illius persona; quàm ei, qui in sententia ferenda errare potest; licet quoad suam priuatam personam errare non posset? Quid enim emolumenti caperet Actor ex hoc priuatæ personæ priuilegio?

Ait VVitackerus: *Qui non potest errare personaliter, is non potest iudicialiter errare; nam ex eo, quòd persona est erroni obnoxia, error etiam in iudicio oritur.* Hic iterum garrit tantùm VVitackerus, neque quidquam probat. An non enim Deus infallibilitatem dare potest personæ, quatenus iudiciarium munus gerit; & non dare, quatenus priuata persona est? Vel etiam dare immunitatem ab errore alicui cœtui, quasi personalem, ita vt nunquam totus cœtus in errorem incidat; & tamen non dare immunitatem ab errore in definitione alicuius dogmatis?

Probat Bellarminus secundam propositionem testimonio S. Cypriani, qui dicit, *ad Romanos perfidiam non habere accessum.* Recinit VVitackerus: *Cyprianum non loqui de Episcopo Ecclesiæ Romanæ, sed de Romanis.* Num Bellarminus hoc loco istud S. Cypriani testimonium protulit; vt probet, perfidiam non habere accessum ad Romanum Pontificem, hoc est, Pontificis auctoritatem esse infallibilem? Cur omnia misces, Caluinista? An nescis in secunda propositione, cui probandæ dictum Cypriani prolatum est, non esse sermonem de Romano Episcopo, sed de Ecclesia Romana particulari, hoc est, de particulari fidelium Romanorum collectione?

Obiicit VVitackerus: *Si ad Romanos perfidia non potest habere accessum, tum nulli Romani possunt errare.* Non sequitur, sed hoc tantum, Romanos, seu Ecclesiam particularem Romanam, non ita posse errare & in perfidiam labi, vt omnes penitus à

recta fide desciscant: non enim dicimus huic vel illi Romano hoc priuilegium, personaliter non errādi concessum esse, sed Ecclesię Romanæ particulari, quæ non in hoc vel illo singulari, sed in cętu & collectione plurium consistit. Nec disputat hîc Bellarminus, vtrum Apostolus Roman. 11. laudauerit fidem Episcopi Romani, an *totius Ecclesiæ Romanæ*; quia locum Apostoli non profert, nisi qua prolatus est à Cypriano; & si hoc loco protulisset, non alio cońsilio protulisset, quàm vt secundam suam propositionem de Romana Ecclesia particulari probaret.

Est autem perquam festiuum, quod VVitackerus tam operosè ostēdere nititur, illud; Non potest; non semper indicare *simplicem impossibilitatem*; sed sæpe etiam magnam difficultatem. Quid infert? Hoc, nisi fallor. Ergo etiam apud Cyprianum non significat *simplicem impossibilitatem*, sed magnam duntaxat difficultatem. Si neges, aqua hærebit VVitackero, nec reperiet, quo dictis suis fidem faciat. Strophę tamen & techną nunquam deerunt; & si nil aliud, hoc saltem reponet. Non potest perfidia ad Romanos habere accessum, id est, *non debet*. Quo sensu de ipso VVitackero, & quouis alio sectario verè affirmes: *Non potest*, id est ex VVitackeriana glossa, *non debet* perfidia habere accessum, ad VVitackerum. Vel; *non potest*, id est, *non facilè potest; non potest homo mortuus suis viribus resurgere. Non potest peccator absq; gratia Dei. iustificari*; id est, Glossatore VVitackero; *non potest facilè*. Prę-clarè scilicet.

Verbosè contendit VVitackerus, *Cyprianum loqui de quæstione facti, nō iuris. In hac falli & errare posse Papam & Ecclesiam Romanam; idq; non differi ipsos Papistas.* Non quæritur iam quid nos sentiamus, sed quid S. Cyprianus; qui si censuit, *in quæstione facti* perfidiā non habere accessum ad Romanos; quanto magis id affirmasset de quæstione Iuris. Obstrepit VVitackerus. *Cypriani iudicio Romanum Pontificem errare posse; id liquere ex epistola ad Stephanum.* Respondeo; VVitackerus hic iterum extra limites salit: non enim quæritur, num Pontifex; sed num Romana particularis Ecclesia possit errare. Quid de Pontifice Cyprianus senserit, explicabit Bellarminus cap. 7. Cur iste omnia confundit, & ordinatissima quæq; in indigestum quoddam chaos vertit? Dictum Firmiliani epist. 75. inter epistolas Cypriani, parum nos sollicitos habet; quia nimio erroris sui de *rebaptizatione* hæreticorum amore, asseruit, *Romanos non seruare, quod Apostoli tradiderunt*; nam totus Catholicus orbis postea sententiam pro Romanis dixit; & hodie itidem Sectarij dicūt contra Firmilianum & Cyprianum, nempe hæreticos ad Catholicā Ecclesiam reuersos, non esse denuo baptismate tingendos.

Sed en adamantina contra Bellarmini propositionem argumenta. *Deus non pepercit Iudæis: ergo non parcet Romanis. nam illi naturales rami fuerunt; hi, insititij. At Papistæ dicunt fieri non posse, vt hæc Ecclesia excidat.* Respondeo, Papistas hoc non defendere, vt certū, sed vt pium & probabilissimum; etsi fortasis nec omnes Catholici secundam illam propositionem amplectuntur. Quidquid sit de hoc, Respondeo I I. consequentiam esse inanem; Ad probationem dico, fieri posse, & nec contra Scripturam, nec contra rationem esse, vt ramus insititius duret, vigeat & floreat; natiuus autem excindatur, & exuratur. Addo, comminationem illam Apostoli Rom. 11. *Si Deus naturalibus ramis nō pepercit, caue, ne tibi quoq; nō parcat.* (sic enim textum refert VVitacker') nec esse de Ecclesia Christiana in cōmuni, quasi Deus illā sit aliquando abolituras, prout aboleuit synagogā; hoc enim perpetuitati Ecclesiæ, quam Scriptura asserit, aduersatur; nec esse etiam de particulari Ecclesia Romana; quia gentes in communi alloquitur & commonefacit, ne aduersus Hebræos insolescant, & gratiæ diuinæ obliuiscantur, ne & ipsę in se cœlestem iram prouocent. *Vobis enim dico gentibus*, inquit Apostolus, &c. Vult ergo, vt magna animi demissione beneficium sibi diuinitus collatum agnoscant, & Deo meritas gratias perpetuò persoluant, ne per ingratitudinem tanto munere se indignos reddant; quod ad singulos spectat; non ad totum corpus Ecclesiæ, quia certum est, hoc excindi non posse; neq; etiam ad Romanam particularem Ecclesiam, quam itidem penitus deficere posse abnuunt rectè omnes illi, qui secundam propositionem defendunt.

Nec obstant illa Apostoli verba: *Vide ergo bonitatem & seueritatē Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris*: quia si speciatim ad Romanos accommodentur, dico ea de singulis, Romanæ Ecclesiæ membris, non de tota particulari Romana Ecclesia intelligi debere. Ex quo non sequitur, totam particularem Romanam Ecclesiam in errorem induci, atq; adeo propter infidelitatem exstirpari posse.

Ad extremū, quamuis concederemus, admonitionem illam pertinere etiam ad totum Ecclesię corpus, nil tamen inde contra particularis Ecclesiæ Romanę perpetuam constantiam concluderetur; quia huiusmodi exhortationes particulares accommodatè partibus applicari debent: pars autem hæc, quæ est particularis Romana Ecclesia, ita constituta est, vt tota deficere nequeat; sed tantum quoad singula membra sigillatim spectata; ad hęc igitur talem cohortationem spectare censendum est; aut si & ad totum corpus; dicere oportebit; pertinere ad totum corpus prącisè, vt ex gentibus collectum est, non vt singularem promissionem de perenni sua stabilitate habet.

Ad testimonium ex S. Hieronymo, respondet VVitackerus, *Hieronymum loqui de fide Romanorum, non de Romanis ipsis: Fidem Romanorum mutari nō posse in se; esse enim immutabilem & semper eandem in se.* Sed tenuior est hæc nebula, quàm vt clarissimam

Hieronymianæ sententiæ lucem obtulcare queat. Verba S. Hieronymi sunt ista li. 3. contra Ruffinum: *Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam eiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.* Vbi perspicuum, S. Hieronymum non loqui de fide abstractè ab omni subiecto, sed de fide, vt erat in Romanis; neque enim ipse Apostolus fidem Romanorum prædicans, fidem, vt abstractè, & extra subiectum apprehenditur, dilaudauit; sed eam, qua Romani clarebant & pollebant, atque adeo eam, quæ in Romanis inerat, laudibus extulit. Hanc ergo fidem Romanorum, qua eximiè præditi erant, ait S. Hieronymus mutari non posse; neq; *veteratorias præstigias* recipere. Quo sanè satis apertè significat, Romanam Ecclesiam particularem hoc diuinitus donum accepisse, vt fidem Apostoli voce commendatam abiicere & amittere nequeat.

Nec officiunt nobis hæc D. Hieronymi verba ex Epitaphio Marcellæ, obiecta à VVitackero: *Hæretica in hâc prouincia exorta tempestas cuncta turbauit: nauem plenam blasphemiarum Romano intulit portui.* Nam vt aliqui Romanorum Origenicis illis mercibus fuerint infecti, haud tamen tota, vel etiam pleraq; Romana particularis Ecclesia, labe illa contaminata fuit. Nec contendit hęc sententia, neminem ex Romanis in errorem vel hæresin labi posse; sed Romanam particularē Ecclesiam in errorem vel hæresin labi non posse. Quod longè est aliud. Et tamen VVitackerus ita semper pugnat, quasi diceremus, nullos ex Romanæ particularis Ecclesię fidelibus descíscere à fide, & in errores præcipitari posse.

Ad testimonium ex Nazianzeno respondet VVitackerus, Nazianzenum loqui tantùm de vno articulo, id est, *de Trinitate.* At tu lege Nazianzeni apud Bellarminum verba; videbisq; genuatim eum asserere, *Romam ab antiquis temporibus rectam retinere fidem. & semper eam retinere, sicut decet vrbem, quæ toti præsidet orbi, semper de Deo integram fidem habere. Integram.* dicit, ergo non tantum vult Romanam Ecclesiam habere fidem rectam de Trinitate; sed & de aliis articulis; Nam si in aliis articulis vel vno vel pluribus erraret, fidem integram non haberet; neque enim fides integra est, recta de vno Trinitatis mysterio fides. Quæ VVitackerus præterea adiungit, scommata sunt & cauilli.

Danæus alibi furiosus est, hic planè phreneticus, cuius phreneseos paraxysmo sic in sanctos Patres incurrit: *Quod Patres pro se citat, nihil eum iuuant, quia, rei ipsius experientia, (cui potius credendum est, quam istis Patrum dictis, & falsis de Roma laudibus) docet hallucinatos eos, dum hæc scribunt fuisse, & fuisse hæc humana eorum iudicia, non diuina. Ergo amici quidem sunt illi, sed tamen magis est amica veritas. Quod ad Romanos Pontifices, quos iste testes profert, prorsus sunt in hac caussa à testimonij dictione remouendi, quia caussam suam agunt.* Probè dedolari deberet os tam impu-

A rum, nili mania culpam nonnihil minueret. In hac tamen amentia excidit illi vnum argumentum, ex quo rationis quædam scintilla emicat.

Bellarminus dicit ex Blondo, tempore Leonis I. *Vrbem à Genserico fuisse captam & spoliatam, ita vt aliquandiu sine vllo habitatore permaneret. Idem postea temporibus Totilæ accidit, teste ipso Bellarmino. Ergo tunc periit Romana Ecclesia:* Vel, *ergo tunc Sedes Petri ex vrbe Romana aliò est translata.* Quis à tanto Danæi furore tantum rationis exspectasset? Respondeo tamen, vtramque consequentiam esse vanam; quia Romani, Ecclesiæ illius ciues, non defecerunt à fide; neque etiam penitus de medio sublati sunt; sed ad tutiora duntaxat loca sese receperunt, donec tempestas barbarica desæuiret.
B Qua cessante, redierunt ad spoliatam & incensam vrbem, eamque iterum instaurarunt, & damnis illatis, quà licuit, medicinam fecerunt.

Obiicit & hoc argumentum Danæus: *Roma, quæ hodie exstat, non est illa vetus, in qua Petrus sedit; imò nona hæc vix suburbium illius esset. Ergo Sedes Petri iam pridem est translata aliò.* Respondeo, esse eandem Romam, nomine, situ, successione, continuatione: sicuti idem est Danubius, qui ante centum annos fuit. Et hodie æquè ac olim dicitur sepulchrum Christi esse Hierosolymis, & locus Natiuitatis Bethlehemi; licet vtraque ciuitas non semel euersa fuerit, nec iam tam amplo, quàm olim ambitu circumscribatur.

C

CAPVT V.

De decretis morum.

ERTIA propositio Bellarmini est: *Non solùm in decretis fidei errare non potest summus Pontifex, sed neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, & quæ in rebus necessariis ad salutem, vel in iis, quæ per se bona vel mala sunt, versantur.* Post explicationem huius propositionis, probat eam Bellarminus aliquot argumentis. Primum eius argumentum ait VVitackerus esse istud Ioan. 16. *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Respon-
D det, *hunc locum pertinere ad omnes Apostolos, imò & ad omnes fideles. De Papa & successoribus, nullum hic fieri verbum.* Sed VVitackerus impostorem agit. Nam argumentum Bellarmini non est ille Ioannis locus; sed potius argumenti confirmatio seu probatio. Nam si Papa errare posset in præceptis morum ad salutem necessariorum, Ecclesia grauiter læderetur, & erraret in rebus necessariis. Quod est contra illam Christi promissionem; *cum venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod intelligitur (vt minimum) de veritate ad salutem necessaria. Hoc Bellarmini argumentum est, quod VVitackerus decurtat & deprauat, vt suis cauillationibus locum inueniat.

Secun-

Secundum argumentum est illud. *Quia tunc Deus deesset Ecclesiæ in necessariis.* Respondet VVitackerus, *hoc falsum esse. Si Papa millies erret, tamen superesse mille modos, quibus Deus Ecclesiæ suæ possit prospicere.* Hoc verum esset, si Deus cum hæreticis veterem Ecclesiam, eiusque gubernationem abs se institutam antiquaret ac demoliretur, nouamque Ecclesiam ex sectariorum sensu conderet. Posito autem eo regimine, quo Deus Ecclesiam administrari voluit; vtique Ecclesiæ in necessariis ad salutem deesset, si Pontifex in præceptis morum ad salutem necessariorum errare posset: quia Ecclesia teneretur illum audire, tanquam supremum pastorem; & tamen audiendo illum, in pernicioſum errorem delaberetur.

Quod Pontifex non possit errare in moribus per se bonis, vel per se malis: probat Bellarminus; quia aliàs Ecclesia non posset dici *sancta*. Respondet VVitackerus, Ecclesiam dici *sanctam non propter Papæ professionem; sed aliàs ob causas.* Vt maximè alias ob causas dicatur *sancta*; hoc tamen elogium obtinet quoque propterea, quod supremum eius caput, nihil nisi *sanctum*, hoc est, verum & bonum ex Cathedra profiteri, & Ecclesiæ vniuersæ præscribere queat. Ridet VVitackerus vltimũ Bellarmini argumentum, & ideo ridet, quia non habet pro incommodo, Papam circa fidem errare posse, etiam iudiciali errore. Sed quod Hæreticus pro nullo incommodo reputat, id orthodoxo vel maximum est incommodum.

CAPVT VI.

De Pontifice, vt est priuata quædam persona.

VARIA propositio est: probabiliter pieque credi posse, Pontificem, etiam vt particularem personam, nõ posse esse hæreticam, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo. Quæ est sententia Pighij. VVitackerus occlamat. *Pighium refelli à Cano & Catherino.* Quid tum? An id tam validè & efficaciter præstant, vt Pighianę opinioni omnem penitus probabilitatem detrahant? Mendacium VVitackerianum est, *Bellarminum secum pugnare.* Nam quod cap. 11. omnes Catholicos inter se consentire dicit Pontificem posse, vt *priuatum doctorem errare, etiam in quæstionibus vniuersalibus tam fidei, quam morum, idq; ex ignorantia, vt aliis Doctoribus interdum accidit*; id non euertitur per quartam propositionem, vt mentitur VVitackerus; quia quarta propositio dicit, probabiliter pieque credi posse, Pontificem, etiam vt priuatam personam, priuatumque doctorem, non posse esse hæreticum, pertinaciter aliquid credendo & docendo contra fidem. Hoc priori dicto non repugnat. Quia aliud est in errorem incidere; aliud incurrere in hæresin. Aliud errare; aliud, hæreticum esse, & pertinaciter in errore persistere: Non prius, sed solummodo hoc posterius à Pontifice remouetur, nec est vnum & idem, vt insipienter sibi persuadet VVitackerus. Nec necessaria est hæc consequentia, vt idem Caluinista indoctè fabulatur. *Potest errare, vt quiuis alius doctor; ergo & per errorũ pertinacem defensionem in hæresin incidere.* Futilis illatio, quia prius habet, vt homo, neque enim necesse est, vt omnem humanam caliginem Deus per summi pastoris officium dispellat; alterum, ex maiestate & dignitate muneris Pontificij in ipsam itidem priuatam Pontificis personam redundat.

Probat Bellarminus hanc quartam propositionem à suaui diuinæ prouidentię dispositione. Respondet VVitackerus, non sine maledictis, *diuinæ prouidentiæ suauitatem non perituram, licet Papa possit esse, vt reipsa etiam sit, Hæreticus*: Et mox consuetæ suæ garrulitati habenas laxat; & inanium verborum integrum flumen profundit; Et Bellarminum *inconstantiæ arguit, eig, dissensionem à reliquis Pontificiis obicit*, quasi mentiri & calumniari, sit aduersarij argumenta diluere.

Ad alterum Bellarmini argumentum respõdet, *multos ex Pontificibus fuisse Hæreticos.* Sed hoc omnibus hæreticis ad hunc vsque diem dictu procliue fuit; probatu impossibile. Danæus Bellarminum hac consequentia conficit. *Pontifex est homo, ergo potest errare. Ergo hæreticus esse; quia omnis homo potest errare & hæreticus esse.* Quis non miretur consecutionis huius robustissimos lacertos?

CAPVT VII.

Soluuntur obiectiones ex ratione petitæ.

OBIECTIONES, quæ fiunt contra infallibilitatem Papæ, bifariam vel trifariam considerari possunt. 1. Vt probare videntur Pontificem, etiam vt Pontificem, errare posse errore iudiciali; Secundò, vt probare videntur Pontificem, tanquam priuatam personam in hæresin incidere posse. Tertiò, vt coniunctim vtrumque probare videntur. Et hoc posteriore modo obiiciuntur ab Hæreticis, & à nonnullis itidem Catholicis. Secundo modo vsurpantur etiam à quibusdam Catholicis, qui censent Pontificem, vt priuatum doctorem, in hæresin delabi posse; primumque suum argumentum instituit VVitackerus ab horum Catholicorum auctoritate, *qui pedibus*, inquit Caluinista, *in nostram sententiam eunt.* Et inter eos numerat Sanderum, Canum, Driedonem, Turrecrematam. Sed mihi videtur VVitackerus pedibus manibusque in mendacia ire. Nam dicti quatuor doctores, amplectuntur quidem illam sententiam, quæ vult Pontificem, vt priuatũ doctorem, in hæresin incidere posse: Sed num hoc tantum sentiunt sectarij? Num hoc tantum vociferationibus suis obtinere contendunt? An nõ

præterea volunt, Pontificem, vt Pontificem, ex Cathedra docentem & pronunciantem, ab erroris periculo non esse immunem? Num hæc est mens Cani? Num Driedonis? Num Sanderi? Num Turrecrematæ? Quid, quod nec Gerson, nec Alphonsus à Castro, nec Cusanus, nec Almainus cum Nouatoribus sentiunt, tum quia opinionem suam semper iudicio Ecclesiæ subiecerunt; tum quia ipsi constanter docuerunt, Pontificis iudicium cum generali Concilio coniunctum, infallibile esse. Quod æquè negant sectarij ac solius Pontificis sententiam infallibilem esse. Quapropter nihil caussæ habent, cur sibi de auctoritate Catholicorum doctorum blandiantur; qui nunquam patientur se ad Caluini vel Lutheri castra rapi, vt contra Pontificem pro perfidia hæretica militent.

Profert VVitackerus *Canones, & Canonum glossas*, quibus significatur Pontificem posse errare, & in hæresin itidem incidere. Respondet I. Bellarminus, Canones loqui de errore personali, non iudiciali Pontificis; seu de Pontifice, vt priuata persona; non qua Pontifex est, & publicus controuersiarum iudex. Occinit VVitackerus. *Hoc illud est, quod Bellarminus antea negauit; Papam personaliter hæreticum esse posse. Hi Canones probant posse. Iterum ne oblitus tui es, Bellarmine, & eius quod modo dixeris?* Certè tu artificij tui, quod in mentiendo & criminando cõsistit, minimè es oblitus. Egregiè enim artem tuam factitas. Non negauit absolutè Bellarminus; Papam, quoad suam priuatam personam Hæreticum esse posse; sed dixit, piè probabiliterque contrarium defendi posse; Et Pighianam opinionem nec verisimilitudine, nec pietate carere. Num sibi contradicit, qui ex duabus opinionibus alteram defendit, vt certiorem; alteram vt minus certam, piam tamen & probabilem; & postea obiectiones, quæ adferuntur, conuenienter vtrique sententiæ dissoluit? An qui hoc præstat, & dum hoc præstat, immemor est, suæ sententiæ, seu eius, quod antea docuerat? An non est hoc quotidianum in omnibus tam Philosophorum, quàm Theologorum scholis? Isti tamen rabulæ, quamprimum quis duas opiniones probabiliter tuetur, & alterutri conformiter responsa formet, antilogias & contradictiones intonant; & quod omni iure licet; inconstantiæ adscribunt.

Neq; verò dixit solum Bellarminus, Pontificem errare posse errore personali; sed & secundam responsionem secundæ opinioni conuenienter adiunxit, nempe non esse mentem Canonum, Pontificem, etiam vt priuatam personam, hæreticum esse posse; sed dicere, Papam posse iudicari; *si deuium fit à fide*; quòd non sit omnino certum, an possit necne Pontifex esse hæreticus. VVitackerus obstrepit; *Canones simpliciter affirmare Pontificem posse esse hæreticum*; quod hæreticus non tantum intelligit de Pontifice vt priuata persona est; sed & de Pontifice, qua Pontifex est. Et cum hoc suum mendacium ex Canonibus probare deberet; en tibi Panormitanum profert, Petrum de Palude, Gersonem, Liranum, Concilium Basileense, AEneam Syluium, Alphonsum à Castro, & alios; quorum nullus eius est sententiæ, cuius est VVitackerus, nimirum Pontificem, etiam cum generali Concilio errare posse. Et multi ex illis, quos citat; tantum hoc volunt, Pontificẽ vt priuatam personam, in hæresin incidere posse. Quorum sententiam Bellarminus nunquam damnauit; sed illam Pighij, duntaxat vt piam & probabilem, proposuit. Quam verisimilitudinẽ VVitackerus verbosissima sua loquacitate, & loquacissima verbositate Pighianæ sententiæ nunquã detrahet.

At iam VVitackerianus Achilles in medium prodit. Faueat linguis, auribus, oculis. *Si Pontifex non posset errare in definitione controuersiarum de fide, sequeretur, standum potius esse sententiæ atq; iudicio successoris Petri quàm Ioannis & aliorum Apostolorum, qui post Petrum vixerunt; at quis non videt iudicium Ioannis præponendum fuisse iudicio mille Linorum, & mille Clementum.* Vt hoc argumentum in speciem plausibile, præsertim apud imperitos, dissoluatur, obseruare oportet, in eo supponi aliquid impossibile; videlicet, sententiam Ioannis Apostoli, qui adhuc superstes erat, quando S. Petro mortuo, Linus, Cletus & Clemens Romanam Cathedram tenebant; potuisse esse contrariam sententiæ ex Cathedra Petri à Lino, Cleto vel Clemente prolatæ; quæ est hypothesis planè impossibilis. Vt enim verum vero nunquam repugnat; ita veritatis prædicator Apostolus Ioannes nunquam contradixisset ei, quod à successoribus Petri ex Cathedra definitum fuisset. Attamen posita hac impossibili hypothesi, quis non videt, quid sequatur, nempe; successori Petri, cui speciatim in Petro dictum est: *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. *Et quodcunq; ligaueris*, &c. *Quodcunq; solueris*, &c. Potius habendam fuisse fidem, quàm Ioanni. At hoc videtur absurdum. Quid mirum si ex absurda & impossibili hypothesi, nascatur etiam absurda & impossibilis conclusio? Qua obseruatione & responsione in fumum euanescunt omnes VVitackeriani thrasonismi, quibus pueriliter exultat, & sese iactat. *Hunc mihi nodum soluant*, inquit, *seq; explicent ex hoc laqueo, si possunt.* (Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus.) *At nunquam posse certissimum est.* (Ecce arrogantissimã vanitatem.) *Hic calculus eorum dentes frangit. Hunc bolum nunquam deglutient.* Quis non detestetur hanc inanissimam inaniloquentiam, vix milite glorioso Plautino, nedum Regio professore dignam.

Obiici etiam solet; *Frustra cogi Concilia, si iudiciũ Papæ sit infallibile.* Respondet Bellarminus, hoc nõ sequi; nam Pontificem non debere contemnere media humana & ordinaria, quibus deueniri potest ad veram rei cognitionem. VVitackerus

logo-

logodiarrhœa sua fretus prolixam declamationem auspicatur, vt solutionem Bellarmini prosternat. Summa est. *Media Pontifici non esse necessaria, si in illo solo infallibilitas resideat. Papam esse supra omnia media. Absurdum esse, dicere, eum, qui diuinitus edoctus sit, egere humanis mediis. Absurdum esse, dicere, hominem illiteratum, qui per totam vitam suam iurisconsultus fuit, scripturamq; nesciuit, Papam factum non minus verum nosse, quàm qui doctissimus est.* Quæ omnia nil aliud sunt, quàm VVitackerianæ loquentiæ Emblemata seu ἐκφωνήματα: Etsi enim mediis istis opus non est absolutè, vt ipsa sibi constet infallibilitas; opus tamen est mediis, vt omnia cõuenienter & ordinatè in Ecclesia agantur & peragantur. Nec oportet, vt Pontifex, qui antea Theologus non fuit, in Theologum mutetur, quando ad Pontificatum prouehitur; satis est, vt cum ad controuersiam decidendam deuenitur; à recto tramite in pronuncianda sententia desiectere nequeat. Quam in recti verique definitione immobilem cõstantiam, non habet ex Theologica scientia, sed ex officio primatus Ecclesiastici, quo fungitur.

Quæ de obiectione ex Cypriani & Stephani Romani Pontificis facto Bellarminus disputat, intacta præterit VVitackerus. Iunius & Danæus clamitant; *Stephanum definiuisse, hæreticos ad Catholicam Ecclesiam reuertentes, non esse rebaptizandos; Et tamen Cyprianum non acquieuisse, sed fortiter cum sectatoribus suis reclamasse. Et hinc liquere, Pontificis iudicium, etiam ex Cathedra, & definitiuum, iudicio Cypriani, non fuisse infallibile, quia si pro infallibili habuisset; è vestigio adquieuisset.* Has offucias disiicit ac dispellit copiosè ipsemet Bellarminus. Nec sectarij aliquid adducunt, quod Bellarmini responsa labefactet. Itaque ad Concilium Africanum transeo, cuius Epistola producitur, in qua Patres illi videntur dicere; iudicium multorum præferendum iudicio vnius, nempe Cælestini. Respondet Bellarminus, eos loqui de iudicio, in Quæstionibus facti, in quibus plerunque plures plura vident, quàm vnus. Occinit VVitackerus. *Patres loqui indefinitè de quouis iudicio tum facti, tum fidei; quia isti Patres absurdum putant posse Deum inspirare iniustitiam vni alicui Episcopo, & negare multis.* Sed tu inspice Epistolam, & manifestè intelliges, illos Patres tantùmodo loqui de facilitate cognoscendi, & decidendi particularis alicuius facti. Miratur VVitackerus, Bellarminum dicere; *Patres Cõcilij Africani nonnihil in verbis excessisse.* Nemini videatur hoc VVitackeri iudicium insolens. Quia quidquid vel ad vel in Pontificem scribatur, nimis mite ac molle est, etiamsi dentibus & aculeis circumquaque horreat. An non ipse Lutherus, quo nemo διαβολικώτερος & furiosius in Papam, inuectus est, sæpius, se nimis clementer & reuerenter cum Papa egisse scriptitat?

Argumentum Nili, schismatici Græci est istud. *Potest Pontifex in alia peccata incidere; ergo & in hæresin.* Negatur consequentia ob singularem in hæreseos peccato deuitando Spiritus sancti assistentiam. Occlamat VVitackerus: *Nili argumentum non esse tam leuiter præterundum.* Fulcire ergo illud aggreditur, sed fulcris æquè infirmis ac est ipsum argumentum. *Papa potest amittere bonam conscientiam, ergo etiam à fide naufragium facere.* Probatur consequentia. *Quia Apostolus dicit*, 1. Tim. 1. *fecisse quosdam naufraginm fidei, quia antea bonam conscientiam amiserant.* Respondeo, negando consequentiam. Ad testimonium Apostoli dico, non omnes, qui bonam conscientiam perdunt; perdere quoque fidem, vt testatur experientia; & Apostolus non generali, sed particulari oratione vtitur. *Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. Quidam*, inquit, *non omnes.* Quid mirum igitur, si & Papa excipiatur, non tantum, qua Papa, sed & quoad suam priuatam personam.

Sed en altetum Niliaci argumenti VVitackerianum fulmentum. *Radix hæreseos est in Papa, ergo & fructus hæreseos in eo esse potest.* Antecedens patet. *Quia radix hæreseos est caro, teste Apostolo, qui Gal. 5. inter opera carnis numerat etiam sectas & hæreses.* Fœneum argumentum: Negatur consequentia. Ad probationem dicimus, obstare singularem Dei protectionem, quo minus ex radice carnis pestilens hæreseos fructus oriri queat. An non & Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, corpus carne præditum habuerunt? An & ipsi fidei naufragium pati potuerunt? Quid de Christo VVitackerus dicet? Quid de Virgine Deipara? Si per carnem non ipsam carnis substantiam, sed rebellionem appetitus sensitiui contra rationem intelligat; respondebimus, quod antea responsum est, obstare peculiarem tutelam diuinitus Pontifici concessam, ne in hæresin labi queat.

Promit VVitackerus & hoc argumentum. *Qui olim in Cathedra Mosis sedebant, errare & in hæreses incidere potuerunt; & reipsa itidem errarunt & in hæreses inciderunt; ergo idem euenire potest Pontificibus Romanis.* Respondeo, licet antecedens verum esset, non valeret consequentia, quia Pontifici nouæ legis ampliores & expressiores promissiones de infallibili iudicio factæ sunt, quàm sacerdotio testamenti antiqui: Deinde nego eos, qui Cathedram Mosis legitimè tenebant, errare potuisse docendo & pronunciando ex Cathedra: nam Christus absolutè præcepit Matth. 23. *Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite*, &c. De qua re alibi fusius à nobis disputatum est, præcipuè in digressionibus contra Hunnium; & in primo itidem Defensionis Bellarminianæ Tomo, lib. 3. cap. 5. Quæ autè contra garrit VVitackerus, nil aliud euincunt, quã scribas & Phariseos, Cathedrã Mosis tenẽtes in errores & hæreses, vt priuatos doctores delabi potuisse. In quo, si nostris Põtificibus inferiores fuerunt; id haud alienum à nouæ legis gratia, quæ abundantior est existimari debet. Et ex his responsum quo-

que

Galat. 2. Et hoc erat contra articulos fidei decretos ab Apostolico concilio Actor. 15. At Danæus præ furore nescit quid dicat; nam Petrus verbo non docuit, multoque minus coëgit gentes cæremoniis Iudaicis vti; (cum gentibus enim gentilium more edere consueuerat.) Sed quia, cum quidam à Iacobo venissent; se à gentilibus subtraxerat, & ad Iudæos aggregarat, reprehensus est à Paulo, quasi exemplo suo ipsos etiam Gentiles ad obseruationes legales inuitaret. Tantæ enim auctoritatis erat S. Petrus, vt ipsius factum & exemplum censeretur quodammodo coactio aliorum ad imitandum. Neque mens & propositum Petri erat, vt gentiles factum suum imitarentur; multo minus, vt cæremonias Iudaicas, tanquam ad salutem necessarias, amplecterentur, sed quidquid ex facto Petri contingebat, id præter mentem & intentionem eius saltem formalem & explicitam, contingebat. Mentitur ergo VVitackerus quoque, cum ita de Petro scribit. *Persuasit multis legis Mosaicæ cæremonias non esse abrogatas, sed esse ad salutem & vitam æternam necessarias.* Iniuriosum est istud in tantum Apostolum mendacium. Hæc nimirum est VVitackeri & collegarum eius in S. Petrum reuerentia, quam paulo antea his verbis deprædicauerat. *De Petro absit vt aliter sentiamus, quam deceat, imò, vt non honorificentissimè semper de illo, tanquam de Christi Apostolo & Martyre gloriosissimo tum sentiamus, tum loquamur.* Quid reuerentius & obseruantius his Caluinianis? Sed verbo, non facto; nam facta reclamant, vt iam vidimus, & elucet quoque ex his, quæ statim subiungit VVitackerus. *Petrus suo exemplo multos in errorem induxit.* Num in errorem fidei? Quoties hoc dicis, toties Caluinistam agis. Scis quid sit hoc?

Obiicit VVitackerus: *Etiam exemplo prædicari, esse sæpe efficacius, quàm verbo. Si Papa Iudaismum non prædicet, interim se circumcidat, & Iudæorum festa celebret, nonne palam testatur, se Iudæum esse, & secum multos errare faceret?* Si Lutherus vel Philippus, quando adhuc recenti Euangelij sui musto madebant; VVitackero respondere deberent; negarent, opinor, Papam ideo fore Iudæum, quamuis se circumcideret, & festa Iudæorum celebraret, quia Lutherus Tomo 2. Epistolarum suarum & alibi crebrò; Et Philippus in Locis Anno M. D. XXIII. Argentorati excusis, expressè docent, obseruationem ceremoniarum legalium esse liberam & indifferentem. Sed esto, quod VVitackerus affirmat; nego factum Petri esse vel fuisse simile: quia eo tempore, quo Antiochiæ Petrus à Paulo reprehensus est, abrogatæ quidem erant ceremoniæ Mosaicæ; sed earum obseruatio nondum habebatur mortifera: Euangelio nondum plenè promulgato, nec gentibus & Iudæis in vnum perfectè coagmentatis, vt postea contigit. At nemo est, qui nesciat, post tantum temporis spatium, ceremonias Mosaicas, absque piaculo, custodiri non posse, earumque

A obseruationem mortiferam esse. Sed quidquid sit de hoc Petri facto, certum est, illud infallibili iudicio summi Pontificatus, quo Petrus fungebatur, nil præiudicij adferre: nam nec ex Cathedra Pontificia, edito decreto, pronunciauit; ceremonias legales, tanquam ad salutem necessarias, obseruari debere; neque ipse etiam, vt priuata persona vel sensit vel docuit, ritus Mosaicos adhuc ad salutem esse necessarios; nam contrarium manifestè patet ex Concilio Hierosolymitano Act. 15. Quomodo igitur aliquid contra infallibile Pontificis iudicium egit? Si quis in facto Petri error fuit, conuersationis fuit; non enim ex timore superuenientium Iudæorum, qui in Christum crediderant, à gentibus ad Iu-
B dæos transire debuisset; ne gentiles tanti Apostoli exemplo inducti crederent, idem sibi faciendum esse. Vanissimum etiam est, quod VVitackerus dicit; *Errasse Petrum de cibis & vocatione gentium Act. 10. Et ne iussum quidem ac monitum cælesti visioni parere voluisse: eundem etiam existimasse, solos Iudæos ad regnum Christi pertinere Act. 11.*

Sed hæc nil aliud sunt, quàm calumniæ in sanctum Petrum. Nam vt errasset; an ideo quidquam contra certitudinem iudicij ex Cathedra peccasset? Num vllum decretum super hac re edidit? Num etiam, vt priuata persona in hæresin incidisset? Num omnis error, quem quis errat, est hæresis? Deinde, an non illud Act. 10. in exstasi seu mentis excessu accidit, vbi sensus ligati, &
C iudicij libertas intercepta? Nam vbi Petrus ad se rediit, an non confestim diuinæ visioni morem gessit? Nec vnquam vel Petrus vel vllus Apostolus post resurrectionem Domini censuit, Gentiles non pertinere ad regnum Dei, nec Euangelij annunciatione dignandos esse; sed dubitabant de tempore, quo Euangelica prædicatio gentibus esset impartienda. Quàm hæretici subtiliter & minutatim in res & actiones S. Petri inquirunt, vt quod culpent, inueniant; Et tamen semper impletur illud scripturæ. *Defecerunt scrutantes scrutinio.*

Obiicit VVitackerus secundo loco Clementem; (nam de Lino, Anacleto & Telesphoro ne
D dignatur quidem verbum facere.) Hic in Epist. quinta *statuit rerum omnium communitatem, etiam coniugum. Fœdus hic error est,* inquit VVitackerus, *& indignus Romano Pontifice.* Fœdus planè, si accipiatur vt sonat. Sed VVitackero probandum erat; verba illa (*in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges,* non esse ascititia & aliena; nam esse talia docet Turrianus lib. 5. contra Magdeburg. cap. 2. citatus à VVitackero. Constat enim opera Clementis, vt & aliorum quorundam veterum, ab Hæreticis fuisse corrupta, vt peruersis suis persuasionibus à Clementis & aliorum auctoritate patrocinium quærerent; & quia hoc non poterant; veraciter; fraudibus agere institerunt, quia *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Quid mirum igitur, si & hoc Anabaptisticum assumen-

tum

tum assuit aliquis Nicolaita, vel alius quispiam impuritatis ac luxuriæ magister & sectator? Nam quod VVitackerus dicit, sensum Epistolæ collapsurum, dempta hac periodo, falsum est, vt patet legere volenti Epistolam illam in nupera editione Colonien si Conciliorum; vbi additamentum hoc, vt & in nonnullis aliis antegressis editionibus rectè est omissum. Nec refert, quod citat *Græcorum sapientissimum*, hoc est, Socratem, *qui vxorum quoq; communitatem statuit*: nam ex sententia eius non accepit Clemens nisi id, quod legi Euangelicæ congruebat; cuiusmodi sola est communitas facultatum & substantiæ, qualis in primæua Ecclesia florebat.

Adhæc, vt verba illa maximè à mente & manu Clementis essent; Probare adhuc deberet B VVitackerus; Clementem, illam suam persuasionem ex Cathedra tradidisse & definiuisse, publicato decreto, totique Ecclesiæ proposito. Item, si error hîc fuisset Clementis, vt erat priuata persona, demonstrandum restaret; hunc errorem à Clemente pertinaciter defensum; ita vt verè dici potuerit hæresis; neque enim dicit Bellarminus; Pontificem errare non posse; sed piè probabiliterque defendi, Papam non posse incidere in hæresin.

Linum rident sectarij, quòd iusserit, ne fœminæ Ecclesiam intrent, nisi capite linteis cooperto. *Quidni commentum rideatur?* clamat Iunius. *Scilicet Lino fuit nomen, ideoq; nominis sui monumentum in capitibus fœminarum esse voluit; vt non nisi è lino velarentur. Et quidni etiam, vir bone, è lana?* Argutus est vbique Iunius, qui vidit; quod nemo viderat, lineum tegumen à *Lino* præscriptum, quod *Linum* vocaretur. Si *Lanio* aut *Lanario* nomen fuisset, proculdubio velum laneum præscripsisset. Vane nugator. An non vidisti in vita Lini, quam liber Pontificalis, nomine Damasi exhibet, nullam penitus fieri mentionem *lintei* seu *linei* veli; hæc enim sunt libri illius verba: *Hic ex præcepto B. Petri constituit, vt mulier velato capite in Ecclesiam introiret.* Lintea seu linea velamina de suo adiecerunt Magdeburgenses, vt calumniandi materiam haberent. Et vt maximè linea tegumenta præscripsisset; id non propter *Lini* nomen; vt nugatur Iunius, sed alias ob causas, easque mysticas, accidisset: nam & Christi corpus in sepulchro non laneis, sed lineis operimentis tectum fuit. Num absque vllo mysterio? Nec quod fecit, ex suo sensu, sed ex B. Petri præscripto fecit; Etiam hoc, vt linea velamenta præscriberet, si præscripsit. Si verò generatim tantum edixit, vt mulieres capita velarent; quid aliud egit, quàm quod Apostolus Paulus scriptâ ad Corinthios Epistolâ, & Petrus ipse verbo & doctrina sua tradiderat?

Danæus vociferatur, Linum voluisse, *per hanc suam legem iniicere laqueum hominibus: Paulum verò id, non vt necessarium, sed vt decorum præcepisse & liberum reliquisse. Hinc Linum errasse: Paulum non errasse.*

A Quidquid contra boet Danæus; totum quod ex verbis Apostoli colligitur, id etiam colligitur ex verbis Lini: & vice versa. Vnde si Apostolus hoc simpliciter non præcepit, nec Linus simpliciter præcepit; si præcepit simpliciter; etiam Linus præcepit simpliciter; quia nihil euinces ex oratione vnius, quod nequeat euinci ex oratione alterius. Verum enim vero posito, quod Linus absolutè præceperit capita mulierum tegi debere, & quidem *Lineo* tegumento; an ideo in errorem iudicialem Pontificiæ infallibilitati aduersantè, aut in hæresin, vt priuata persona erat, incidit?

Idem dico de Anacleto, quem erroris accusant, quod memoriam S. Petri construxerit & ornauerit. Improbabile videtur Iunio, *Anancletum.* (Sic enim Nouator nominat, nouitatis gratia, quia fœtet ei nomen *Anacleti*, priscis omnibus vsitatum.) *sauiente persecutione tale quid facere potuisse.* Quasi verò, singulari Dei prouidentia, in mediis quoque tempestatum procellis, sepulchra Apostolorum Petri & Pauli non fuerint celeberrima & ornatissima; vt cum ex aliorum veterũ, tum ex Caij testimonio liquet apud Eusebium lib. 2. cap. 25. ex versione Ruffini. Nam quòd Iunius dicit, Bellarminum, *Caij dictum suo glossemate exornare*; calumnia est; vt patebit legenti Eusebium. Danæus criminatur, *Anacletum iecisse semina superstitionis & idololatriæ*; nam factum illius arguit eum Caluinistam non fuisse; nam si Caluini spiritu caluisset; ossa sanctorum Apostolorum C potius effodisset & exussisset, quàm exstructione monumenti honorasset.

De Telesphoro ita pronunciat Danæus: *Eum fuisse & superstitiosum & superbum, ne quid* inquit *grauius in eum dicam.* Quasi verò grauissimum conuicium non sit, antiquissimum & sanctissimum Pontificem ac Martyrem *superstitionis & superbiæ* condemnare. An si tuæ bili magis indulgere voluisses, Telesphorum *nebulonem* nominaturus eras? Iunius dicit. *Vnicum esse verbum Dei; ab hoc discrepare illas Telesphori constitutiones.* Assentirer, si Caluini *verbũ* nominasset. Nunc dissentio, quia quid verbo Dei consentaneum sit, quid dissentaneum, credibile est melius sciuisse tantum Pontificem, Apostolorum temporibus tam vicinum, quàm D istum in Hollandia nouitium Caluinistam.

Victori olim ab Hæreticis calumniosè affictum fuerat, quasi Christum purum hominem esse docuisset. Danæus agit Bellarmino gratias, *quòd grauissimum Romani Pontificis lapsum ipse suo calamo & ore propalarit.* Agat Danæus Euangelistis quoque gratias, qui conuicia Iudæorũ in Christum, vt *Samaritanus es; Dæmonium habet: Potator vini, & amicus publicanorum*, &c. litteris consignarint: Nam vt hæc non fuerunt Christi crimina, sed Iudæorum mendacia; ita & illud non fuit Victoris scelus; sed hæreticorum fraudulentissima impostura. Quid autem est, quod VVitackerus verba illa Eusebij de Hæreticis; κατα-ψεύσασθαι Victoris, interpretatur; *mentiri Victorem*: cum apertis-

simum

simum sit, ea pertinere ad hæreticos, & sensum esse; illos, nempe hæreticos, *mentiri contra Victorem.*

Zepherinus Pontifex dicitur Montani hæresin approbasse. Respondet Bellarminus, Tertulliano non habendam fidem, quippe iam Montani peruersi placitis corrupto. Occlamat Sutliius: *Tertulliano nullam fuisse mentiendi caussam; Esse autē grauissimas caussas Bellarmino, cur mentiatur: Esse enim Iebusitam, & Pontificiū mancipium, & propter mendacia factum esse nuper Cardinalem.* O Beza quàm laudo tuum factum & iudicium, cum Sutliuium nominasti *petulantem conuiciatorem & calumniatorem.* Iam mille documētis se talem esse docuit. Et vel hoc vnum sufficeret, si cætera deessent. Macte hoc tuo iudicio, ô Caluinistarum antesignane & signifer.

VVitackerus dicit; *Tertullianum posse esse huius rei testem, licet Montanista fuerit.* Certè non valde fidus, Experientia enim quotidiana discimus, quàm pro nihilo ducant sectarij, Romanis Pontificibus quiduis affingere, etiam nefaria prorsus & damnatissima dogmata. Quid Lutherus, quid Lutherani, quid Caluinus & assecłæ eius non mittunt quotidie in chartas de impiis Romanorum Pontificum scitis & articulis? An ideo fidei aliquid merebuntur apud posteros; si quis eorum testimonia tunc producere; & hunc vel illum Pontificem hac vel illa hæresi infectum fuisse probare vellet; idq; testibus, Luthero, Caluino, & id genus aliis fidei tam diuinæ, quàm humanæ expertibus sectariis?

Secundò respondet Bellarminus; Zepherinum Montani dogmata non approbasse; sed à fraudulentis persuasum fuisse, ea non discrepare à doctrina Romanæ Ecclesiæ; & hac persuasione permotum, voluisse Montanistas in communionem recipere. Non negamus autem, quin Pontifex falsis relationibus in errorē circa aliquod particulare factū induci queat. Respondēt Sutliuius & VVitackerus. Tertullianū dicere; Romanū Pontificem *agnouisse Prophetias Montani*, id est, *approbasse: quod plus est, quàm si deceptus pacem tantum eis dedisset.* Si illud, *approbasse*, exstaret in Tertulliano, non nihil dicerent & obtinerent Caluinistæ. Sed cum sit glossema imperitiæ, vel potius odij in Pontifices, non admittitur, nisi probetur. At quando probabitur? Igitur, si verum est, quod Tertullianus scribit, illud *agnouisse*; aliud non significat; quàm Zepherinum (Pamelius in vita Tertulliani Eleutherum fuisse suspicatur) à deceptoribus malè informatum sibi persuasisse, vel persuadere incœpisse; verum non esse, quod de erroribus Montanistarum ferebatur; & hinc de iis in communionem recipiendis cogitasse: Sed Praxean. explicatis verè Montanistarum fraudibus, imposturis, & impiis dogmatibus, consiliū disturbasse. Quam ob caussam Tertulliano acriter vapulat. Si Zepherinus errores Montani verè approbasset; quomodo à Praxea, homine peregrino, eos sibi eripi passus fuisset? Neque enim hæreticæ opiniones, vbi in animum semel sunt illapsæ, tam facili opera euelluntur.

Sibrandus clamitat. *Cui potest persuaderi Montanum sentire cum Ecclesia, & ob eam caussam ei pacem reddit, & litteras pacis veris Ecclesiis missas reuocat, is si iudicare debet de Montani doctrina, potest in iudicando errare.* Respondeo, Zepherinum nunquam fuisse persuasum; Montanum, formaliter, quà impia, quæ ei tribuebantur, dogmata defendebat: sentire cum Catholica Ecclesia: Sicut nullus Catholicus persuaderi potest Lutherum & Caluinum sentire cum Ecclesia Catholica formaliter, quà verè tales, hoc est, hæresiarchæ, & nouorum placitorum (fermè dixeram, *Dæmoniorum*) præcones sunt ac Euangelistæ: Potest autem Catholicus ex deceptione & falsa aliorum relatione persuadere sibi Lutherum sentire cum Catholica Ecclesia; si scilicet sit, qui dicat; Lutherum hoc vel illud non docere; falso hanc vel illam doctrinam ei imponi. Lutherum Catholicæ & Romanę Ecclesię omnia sua subiicere: nil aliud postulare, quàm vt nonnulli abusus tollantur, & Ecclesiasticæ disciplinæ seueritas reformetur. His & id genus aliis decipulis fieri potest, vt etiam alioqui circumspectus & cautus in fraudem inducatur; sicuti reuera initio Lutheranismi non pauci hoc callido artificio in fraudem cōiecti sunt. Simili astu circumuentum dicimus Zepherinum, si vera narrat Tertullianus: quapropter periculum nullum fuit, vt doctrinam Montani, quatenus à prædecessoribus suis damnata fuerat; ipse iudicaret ac decerneret esse rectam ac sanā; quia eam non secus ac antecessores eius detestabatur.

Quæ Bellarminus de Vrbano & Pontiano cōtra Centuriatores differit, ea cæteri prætereunt; Danæus cōsuetissima sibi mendaciorum armatura oppugnat. I. Mend. *Ex Can.* 1. de consecrat. Dist. 5. *liquere tempore Tertulliani necdum fuisse institutam confirmationem.* Tu lege Canonem, & in eo nil aliud inuenies, quàm post baptisma omnes confirmationis Sacramento initiandos esse. De institutione nullum in eo Canone verbum.

II. Mend. *Tertullianum duntaxat agnouisse eam vnctionem, quæ fiebat in ipsa baptismi administratione; non eam, quæ fit in confirmatione.* Vide testimonia, quæ hìc ex Tertulliano profert Bellarminus, & sectarij mendacitatem execrare.

III. Mend. *Vrbanum instituisse confirmationem, vt ipso Christi baptismo sanctiorem.* IV. Mend. *Miltiadem Papam confirmationem ipsi Christi Baptismo prætulisse* Can. *Spiritum sanctum.* de Consecrat. d. 5. Nihil de hoc dictus Canon. *Sed nihil pensi habet* Danæus (tuis verbis vtor Danæ) *mentiaturne an non*, modò chartas calumniis inquinet ac maculet. Qua de caussa ipsum etiam sanctissimum Martyrem ac Pontificem Pontianum diris maledictis mox configit, fronte prorsus ad omnem impudentiam proiecta.

Ait Sibrandus. *Alexandrum decreuisse, in calice vinum aqua mistum offerendum esse.* Grandis error. Nec primus decreuit: Sed ex Apostolica traditione hunc ritum descendentem obseruari iussit. Danæus vocat *corruptelã cœnæ Domini.* Corrupit ergo Christus, corruperunt & Apostoli cœnã Domini. Nam ab illis hic mos manauit. De quo fusè Tom. 1. lib. 4. cap. 3.

Marcellinum sacrificasse idolis communis est & trita Hæreticorum obiectio, quam hic oggerunt VVitackerus, Sutliuius, Sibrandus, Danæus, & alij. At si quis neget hoc vnquã factum; deerit hæreticis, quo probent; non deerit inficiantibus, quo suam opinionem stabiliant. Vide quæ ex Baronio diximus in Responso Hunniano, cap. 17. & in Recognitione Operum suorum ita scripsit Illustriss. Card. Bellarminus: *Concessimus S. Marcellinum idolis sacrificasse; sed non videtur id esse omninò certum. Siquidem S. Augustinus lib. de vnico Baptismo cap. 16. scribit, id obiectum fuisse a Donatistis, sed minimè probatum; & addit, S. Marcellinum innocẽtem fuisse, quod etiam confirmari videtur ex eo, quod Eusebius nec in historia, neque in Chronico, neque alij veteres, huius rei meminerunt, imò Theodoretus lib. 1. cap 3. laudat Marcellinum, quod præclarè, imè in persecutione se gesserit.*

Aliam dat hic solutionem Bellarminus. Marcellinum nec docuisse aliquid contra fidem, nec fuisse hæreticum, nec infidelem, nisi actu externo ob metum mortis. VVitackerus hæc vltima solummodo verba arripiens, clamitat; *Quid refert, qua causa fecerit? Id constat, sacrificasse Ioui.* Bellarminus non tantum respondet, Marcellinum hoc fecisse *metu mortis*; sed & addit; eum solo actu externo, absque interna veri Dei negatione, idolis sacrificasse; & ad hoc sacrilegium formidine mortis inductum esse.

Obiicit VVitackerus cum Sutliuio. *Papa potest esse idololatra: ergo multo magis potest esse hæreticus.* Negatur Antecedens loquendo de Papa, quatenus Papa. Si autẽ loquamur de Papa, qua priuatus homo & doctor est; negabit similiter Antecedens Pighius, & omnes, qui Pighij sententiam, vt piam & probabilẽ, amplectuntur; & ad exemplum Marcellini respondebunt; illud vel esse cõfictum; vel Marcellinum solo actu & opere externo, non interno mentis assensu, in Idololatriã incurrisse. Dices. *Qui opere externo, timore mortis, idololatra esse potest; is potest etiam talis effici interno mentis actu.* Respondeo, id locum non habere in Pontifice ob singularem Spiritus sancti adsistentiam & custodiam, quidquid sit de aliis hominibus. At qui Pontificem, vt priuatum hominem & doctorem in hæresin incurrere posse docent, Respondebunt; factum Marcellini nil præiudicare infallibilitati Pontificis, nam lapsum eius non fuisse definitionem seu decretum ex cathedra, sed crimen priuatæ personæ.

Obstrepit Sibrandus. *Si ei, qui idolis sacrificat, de idololatria iudicandum esset, posset vtique in eo iudicio errare. Quod enim quis, etiamsi coactus, reipsa facit, illud faciendum esse, dicere & iudicare potest.* Respondeo, quidquid sit de aliis hominibus, nego Pontificẽ, etiam illum, qui metu mortis, idolo sacrificat, ex cathedra de idololatria pronunciantem, aliter, quàm verè pronunciare ac decernere posse, nempe illam esse detestandam & fugiendã. Quisquis insuper Pighij sententiam, vt piam & probabilem sequitur; is abnuet; fieri posse, vt etiam Pontifex, quà priuatus homo est, iudicio & assensu mentis, idololatriam approbare, & simulacrorum cultor effici queat.

Ait Bellarminus; Marcellinum nil docuisse contra fidem. Respondet VVitakerus: *Docuisse, etsi non verbũ, tamen factis.* At genus hoc docendi, non nisi laxo quodam & lato modo tale dicitur: quatenus exemplum facilis est imitationis. Propriè loquendo nil docuit, quia nunquam dixit, illud, quod ipse fecerat; licitè, iustè ac rectè fieri.

CAPVT IX.

De iis, quæ Liberio & Felici II. obiiciuntur.

LIBERIVM Pontificem, etiam inuitum ac reluctantem facere conantur hæreticum hæretici VVitakerus, Sutliuius, Sibrandus, Danæus, Chamierus, Iunius, & alij passim grandi numero, & grandiore clamore. Qui dicunt, Pontificem, vt priuatam personam in hæresin incidere posse; paucis se hinc expedire queunt; si dicant, factum illud Liberij, non fuisse decretum fidei ex cathedra. (Vbi enim, vt Pontifex, definiuit Liberius Arianam perfidiam esse veram, & orthodoxam: Catholicam fidem; falsam & exitiosam?) sed lapsum priuati hominis, qui certitudini Pontificiæ infallibilitatis ex cathedra; quà talis est, non præiudicat. Qui verò piè & verisimiliter sibi persuadent, Pontificem, etiam vt priuatum doctorem, non posse hæreseos macula adspergi; aut qui alioqui pati nolunt, vt Pontificum quispiam hac tam infami labe temerè notetur; ad alia responsa confugiunt.

Bellarminus dicit, Liberium nec hæresin docuisse, nec hæreticũ fuisse; sed solum peccasse actu externo, quando metu coactus & tædio diuturni exilij impulsus, damnationem Athanasij suo suffragio confirmauit, & cum hæreticis communicauit. Agglomerant Caluinistæ multos Auctores; qui Liberium hæresi & sectæ Arianæ subscripsisse dicant. In his ponit Sibrandus Contractum, Rheginonem, Marianum Scotum, Fasciculum Temporum, compilationem Chronologicam, Platinam, quibus addit Chamierus Sabellicum Ennead. 7. lib. 8. VVitackerus, Martinum Polonum, Vincentium in Speculo, Aquinatem, Turrecrematam, Cusanum, Alphonsum de Castro, qui omnes sunt recentiores, & aliquot seculis à seculo Liberij distãtes; ac proinde minus

ido-

idonei rei priscæ testes. Adde, nullũ ex dictis affirmare, Liberium corde & animo Arianum fuisse: omnia eorum dicta, de solo actu externo, vi tormentorum & formidine mortis & diuturnioris exilij extorto. Quod etiam de antiquis rectè asseritur.

Verba S. Athanasij in Epist. ad solitarios sunt ista. *Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minúsq; mortis ad subscriptionem inductus est. Verùm illud ipsum quoque & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, quũ liberos affectus habebat, satis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt, ea iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habenda sunt.* Vbi apertè vides, Athanasium Liberij subscriptionem coactioni adscribere; & palam dicere; non tam fuisse à voluntate Liberij, quàm eorum à quibus Liberius cogebatur. Nec quidquam scribit Athanasius, quod nos compellat credere, Liberium, verè, etiam actu interno, hæresin Arianam complexum esse.

Quid, quod S. Athanasius non agit directè de subscriptione hæreseos, sed tantùm de subscriptione in damnationẽ Athanasij: quod lõgè aliud est; nam potuit quis absque approbatione hæreseos in damnationem Athanasij consentire: Quamuis enim Constantius Imp. dictitare soleret: teste S. Athanasio: *Obsequere & scribe contra Athanasium; qui enim contra eum scribit; ille planè nobiscum Arianas sententias amplectitur*; tamen id simpliciter nõ erat necessarium; poterat enim quis animo detestari hæresin Arianam, & in damnationem Athanasij subscribere; non propter fidem eius, sed ob crimina, quæ ei obiiciebantur, vel vt redimeret hæreticorum vexationem; vel alias ob causas; Quod quidem factum nequaquam decebat Liberium; sed tamen sine vllo hæreseos crimine ab eo fieri potuit. Nec S. Athanasius de hoc piaculo Liberium accusat; imò subscriptionem ipsam, vt vidimus, valde excusat, culpam potius in *coactores*, quàm in ipsum Liberium referens. Nec etiam necesse fuit, vt animo ipsam damnationem Athanasij comprobaret; nam metu maioris mali potest Catholicus impelli, vt Catholicum, solo actu externo, mente prorsus inuita ac refragante, condemnet, vt non semel accidit.

Quoniam verò, qui condemnationẽ Athanasij, Catholicæ fidei & probitatis laude spectatissimi, calculo suo comprobabant; hoc ipso censebantur ad Arianos transire, (licet reuera animo Arianam perfidiã detestarentur) præsertim, si etiam communicatio cum Arianis interueniret, vt hîc interuenit; hinc factum est, vt veterum nonnulli Liberium Hæresi subscripsisse scriberent; subscripsit enim, vt Bellarminus ait, *interpretatiuè*; quia tum subscriptiones contra Athanasium moris erat ita interpretari. Ex quibus lux allucet his D. Hieronymi verbis: lib. de Viris Illust. in Fortunatiano. In hoc *habetur detestabilũ* (Fortunatianus) *quod Liberium, Romanæ Vrbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscripitionem hæreseos impulit.* quia scilicet compulit illum ad subscriptionem contra Athanasium, quæ tunc censebatur subscriptio hæreseos.

Idem S. Hieronymus in chronico. *Liberium tedio victus exilij, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauit.* Nimirum in hæreticam prauitatẽ existimatus est subscripsisse, quia subscripserat contra Athanasium, tametsi & hoc admodum repugnans, vt testatur ipse S. Athanasius. Nec plus euincitur ex libro Pontificali in vita Liberij; nec ex Epistolis ipsius Liberij, quas Manuscriptas legit Bellarminus in Vaticana Bibliotheca; & quæ exstant in noua editione operum S. Hilarij, quã dedit Lutetia Anno Chri. M. D. CV. quas etiam Annalibus suis intexuit Card. Baronius Anno Redemptoris CCCLVII. Et tamen Sibrandus & Chamierus multum præsidij caussæ suæ contra Liberium ex his Epistolis accedere opinantur. Ex quibus tamen nihil exsculpent; quàm Liberium subscripsisse contra Athanasiũ: Quod vltrò fatemur; nec excusamus à crimine; sed ab hæresi. Illud item inde euincent, Liberiũ subscripsisse non Arianæ, sed Sirmiensi Confessioni contra Photinum; vt copiosè & accuratè probat Baronius Anno cit. Num. 46. & seqq. in quã nihil erat sanæ & orthodoxæ fidei aduersum, cum eam vt Catholicam acceptet & explanet S. Hilarius.

Addit Bellarminus, Liberium etiam subscripsisse cõfessioni factæ per Ẽncænia Ecclesiæ Antiochenæ; quam similiter S. Hilarius lib. de synodis, tanquam Catholicam, exponit. Calumniatur Iunius, *Bellarminum per imprudentiam ἀσεμνίζειν: non enim Hilarium exposuisse duas illas Fidei expositiones, nisi quatenus cum orthodoxa fide congruunt* Quis de hoc dubitat? At congruunt omnino; nam quòd *consubstantialis* vox omissa est; nihil orthodoxiæ detrahit, quandoquidem nihil in symbolis illis apparet, quod rei vocabulo huic subiectæ aduersetur. Nec verum est eius loco τὸ ὁμοούσιον in illis Professionibus apud Hilarium suffectum esse. Et quamuis τὸ ὁμοούσιον vox aliquãdiu prauo sensu ab Hæreticis esset vsurpata; non sequitur tamen eam notione maligna à Liberio sua in Confessione positam, qua, antequam Sirmio excederet, excommunicabat omnes τοὺς μὴ κατ' οὐσίαν καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ἀποφαίνοντας, *qui non secundum substantiam & secundum omnia filium patri similem esse dicerẽt*; quod, vt rectè monet Baronius, nihil aliud est, quàm dicere, filiũ esse patri *consubstantialem*: Etsi planius id per vocabulum τοῦ ὁμοουσίου significasset Liberius, quo tamen tunc, propter Arianos, consultò abstinuit. Hinc Ariani & Semiariani in conuenticulo Sirmiensi æquè abdicarunt & reiecerunt vocabulũ

τῷ ὁμοίῳ ἀς τῷ ὁμοίῳ. vt docet S. Hilarius lib. de synodis, & similiter S. Athanasius lib. de synod.

Est autem impudens VVitackeri mendacium, Sozomenum scribere; *Liberium confessum esse, μὴ εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ ὁμοούσιον, filium non esse patri consubstantialem*; nam Sozomenus ita loquitur. Constantius ἠνάγκαζεν αὐτὸν, *cogebat illum confiteri, filium non esse patri consubstantialem*. Quod non significat, Liberium coactioni cessisse; nam & is cogi ad bibendum v. g. dicitur; qui violenter quidem ad potum adigitur, manus autem non dat, sed viriliter resistit: nam Liberium Imperatori non paruisse, planum fit ex eo, quòd Eudoxius cum suis per calumniam sparsit, teste eodem Sozomeno, Liberium τὸ ὁμοούσιον repudiasse, & patri filiũ dissimilẽ profiteri. Verũ vt hoc posterius manifestè falsum erat, sic & prius. Dedit tamen Liberius de se ita existimandi occasionem, tum propter subscriptionem cõtra Athanasium & communionem cum Arianis, tum quod subscripsisset confessioni, in qua vocula τὸ ὁμοούσιον non comparebat.

Nec obstat, quòd S. Hilarius lib. contra Cõstantium dubitat, maiorene impietate Liberium Constantius in exilium ejecerit, an Romam remiserit; *innuens*, inquit VVitackerus, *non remissurum, si Catholicus permansisset*, imò innuens Constantium nunquam remissurum fuisse Liberium, nisi damnationem Athanasij & formulam fidei Sirmiensem suo suffragio comprobassset: nam S. Hilarius hæreseos notam Liberio nunquam impegit.

Obiicit Iunius Anathematismos dictos Liberio à S. Hilario, in notis ad Epistolam Liberij *Presbyterũ & Coëpiscopis orientalibus* inscriptam. Sed manifestissimè probat Baronius Anno Christi CCCLVII. Num 50. & seqq. Anathematismos illos non esse à S. Hilario, sed ab imperito zelo exscriptoris seu librarij, qui rei gestæ minus gnarus, intempestiuo zelo in Liberium exarsit; de quo plura Baronius.

Sutliuius mentitur, *Bellarminũ pugnantia loqui. Nam primo dicit Liberium hæreticũ fauisse, & cũ eis conuenisse: postea negat eum Hæreticũ fauisse*. Vbi hoc negat Bellarminus? An non expressè dicit, Liberium in subscriptionem contra Athanasium consensisse, & cum Arianis communicasse; atque adeo specie hac externa hæreticis fauisse? An hoc vspiam reuocat Bellarminus, loquendo de tempore, quo Liberius in exilio fuit? nam & ante & post Hæreticis acriter restitit.

Mentitur iterum Sutliuius, cum hæc effutit. *Secundò dicit Bellarminus Liberium subscripsisse hæresi, & consensisse damnationi Athanasij, & Sirmiensis synodi Arianæ actis: & tamen negat eum fuisse hæreticum*. Bellarminus dicit, Liberium in Hæresin consensisse: non absolutè, sed *interpretatiuè*, vt supra explicatum. Eum aliis Actis conciliabuli Sirmiensis subscripsisse, quàm professioni fidei cõtra Photium, & alteri factæ Antiochiæ in Encæniis; nusquam dicit Bellarminus: & contrarium ei non nisi mendaciter affingitur.

Tertiò mentitur Sutliuius, *Bellarminum tenari, vt conciliet Arianorum decreta cum Catholica fide*. Nunquã hoc Bellarmino in mentem venit. Ait Sutliuius; *grauissimum esse peccatum, etiam solo actu externo cum hæreticis conuenire*. Num negat hoc Bellarminus? Num excusat Bellarminus Liberium à peccato? Certè non; quia à sola hæresi eum purgat.

Sibrandus stultè vociferatur, *idem esse simulare fidei negationem; & fidem ipsam seriò, & ex animo abnegare*: Idem quoque, *subscribere in damnationem orthodoxi Episcopi, ac subscribere in hæresin*: Quasi verò quis illum, quem scit, propter rectam fidem pati persecutionẽ, nequeat alias ob causas damnare, putà ex odio; vel cupiditate pristini honoris recuperandi, qua maximè ad ferendum suffragium contra Athanasium inductus videtur Liberius. Addit Sibrandus, *eum, qui fidem simulare potest, posse etiam errare, cum quid de fide iudicialiter & ex cathedra decernendum est*. Hæc Sibrandica phanthasia iam superius est profligata.

Chamierus vehementer insurgit in Bellarminum, quòd dixerit; Arianos in damnatione Athanasij non causam fidei, sed crimina circa mores prætexuisse. Obiicit, *Dialogum Constantij cum Liberio apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. vbi Eusebius Eunuchus dicit, Athanasium in synodo Nicæna alienum à vera fide declaratum esse*. At certè, vt nonnunquam fides scelerato conatui prætexta fuerit, rarò id factum est; & tantùm obiter & obliquè, & quasi per cuniculos. Mentitur deinde, Liberium Sirmiensi & Antiochenæ Confessioni non potuisse subscribere. At aliter visum est S. Hilario, aliter aliis, quibus non iniuriâ Chamierum postponimus. Etsi enim formulæ illæ ab Arianis vel Semiarianis profectæ essent, nil tamen complectebantur, quod sensum sanũ penitus respueret. *At non habebant voculam*, ὁμοούσιον; Respondeo, nec aliquid, quod sensui huius vocis aduersaretur, habebant; & si habuissent, S. Hilarius id reperisset. Nec verum est, quod Chamierus dicit, *eo ipso, quod* Homousio *carerent, has fidei expositiones fuisse hæreticas*. Mendacium est & illud, modum loquendi, quo vsus est sua in confessione Liberius apud Sozomenum lib. 4. cap. 14: *esse purum putum Arianismum*, de quo iam supra satis dictum.

Post Liberium sequitur Felix II. quem Caluinistæ non segnius Hæreticis accensent ac ipsum Liberium, probant ex Hieronymo, qui in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in Acacio *Felicem* vocat Arianum. Respondet Bellarminus, in multis Codicibus Manuscriptis non inueniri vocem hanc; *Arianus*, nec in Græca versione Sophronij: Et si S. Hieronymus eũ vocasset

Arianum

Digitized by Google

Arianum, fecisset id, non quod Felix reuera Arianus esset; sed quia ante Pontificatum indifferenter cum Arianis cõmunicabat. Placet audire Iunium, qui hic à suis symmystis dissidens pro nobis ita scribit. *Felix I I. nunquam fuit Arianus mente: sed pacis studio longius prolabens, quàm bona fide poterat: Arianos & ad ministerium sacrum, & ad communionem admisit, teste ibidem Sozomeno; ex quo forsasse factum, vt licet ab Arianis dissentiens mente, Arianus tamen respectu partium, quibus consultum volebat, ab Hieronymo diceretur, nempe vt ἀρειανὸς, ἀλλ' ἀρειανίζων specie.* Quo fit, vt intolerabilis sit hoc loco Sutliuij impudentia, qui scribere non veretur, Felicem à Ruffino & Theodoreto notari hæreseos; subditque *Videte ergo, vtrum potius Hieronymo, Ruffino, Socrati & testibus grauissimis, cum hæreseos accusantibus, an Pontificis Romani parasito & mancipio eis contradicenti credendum sit*: Nam Theodoretus expresse dicit, fidem Felicis fuisse *integram, & Nicænæ synodo conformem*. Nec quidquam ei Theodoretus & Ruffinus obiiciunt; quàm communionem cum Arianis, salua tamen fide. Nec ab his diuersus abit Sozomenus lib. 4. cap. 10. Nec Socrates lib. 2. cap. 29. qui Felicem *Arianis additum* nominat; propter communionem, quam liberè & indiscriminatim cum Arianis inibat, licet Catholicus esset. Non mouetur Sutliuius, quòd Felix ab Ecclesia colitur, vt Martyr Christi. Mentitur, *non esse nouum, vt Romana Ecclesia hæreticos & homines nefarios pro Martyribus colat. Georgius enim Cappadox hæreticus Arianus erat.* (Num hunc vnquam inter Martyres numerauit Romana Ecclesia?) *Thomas Cantuariensis Regi refractarius & rebellis*: (Tolle calumniam vocabulorum. Restitit Regi: Sed iustè ac meritò; quia pro domo Dei & Ecclesiastica libertate, se Regis conatibus opponebat) *& Iacobus Clemens homicida*. Quis hunc pro Martyre habet? nam quod præterea Caluinista addit: *quosdam ex Iesuitis Martyrum honore affici, qui tamen patriæ proditores fuerint*, intelligo, quò collinet. Sed scio Iesuitis aliisque Catholicis crimen proditionis à Caluinistarum grege sæpe obiectum, nunquam probatum. Extant variæ Apologiæ pro Martyribus Anglicanis, nominatim illa, quæ *Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ* inscribitur.

Sibrandus insulsissimè itidem & mendacissimè de Felice blaterat: & quidquid Auctores de communione Felicis cum Arianis tradunt; id huic nil aliud sonat, quàm professionẽ Arianismi. Quasi necesse sit, eum qui hodie etiam cũ Lutheranis vel Caluinianis communicat; hoc est, cum illis agit, loquitur, manducat, bibit; eodemque domicilio vtitur; qui ad templum Catholicum eos admittit, nec expellit, cum rei diuinæ intersunt, Lutheranum vel Caluinistam esse; hæcque communicatio fieri nequeat, absque Lutheranismi vel Caluinismi professione. Fabulis deputat Sibrandus, quod refert Bellarminus, de reperta Arca S. Felicis Romæ anno 1582. At

A idem scribit Baronius Anno CCCLVII. vterque tunc Romæ degebat, & res toti vrbi fuit notissima. Cur huic tenebrioni in Phrisia latitãti potius haberetur fides, quàm clarissimis hisce Ecclesiæ luminibus, & toti vrbi Romanæ? Est autem perquam subtilis hæc consequentia Sibrandica. *Pontifex Romanus potest communicare cum hæretico: ergo & reipsa hæreticus esse.* Item ista. *Felix ab Arianis est affectus Liberio. Ergo Felix fuit Arianus. Nugæ nugarum.*

Ait Bellarminus, Felicem non fuisse legitimum Pontificem vsque ad lapsum Liberij. Hoc Iunio incredibile videtur. *Quis enim credat*, inquit, *Liberium aut noluisse, aut non prospexisse Ecclesiæ Romanæ prius de Episcopo, quàm, persequente Constantio, fugeret?* citatque pro se antiquissimum auctorem *Fasciculi Temporum*, qui est centum & paucorum insuper annorum, cuius testimonio constare dicit; Felicem, factum Romanum Episcopum de Liberij consensu. At omnes veteres reclamant: qui per vim & violentiam ab Arianis Felicem intrusum dicunt; tantumque abesse videtur, vt Liberius sibi successorem dari, & se hac dignitate abdicare, voluerit, vt quidquid fecit, id cupiditate suæ sedis recuperandæ fecisse non immeritò existimari queat, & adeo clerus Romanus non consenserit initio in Liberium, vt iureiurando se adstrinxerit, se viuente Liberio, nullum alium recepturum.

C Sed ex his nectit nobis VVitackerus nodum insolubilem, vt ipse quidem arbitratur. Ita enim nos premit. *Papistæ defendunt, Pontificem non posse abdicari, nisi propter hæresin in Concilio damnatum* (non disquiram, quàm verè hoc VVitackerus asserat. Legatur Bellarminus suprà lib. 2. cap. 30.) *abdicatus autem fuit Liberius, ergo in hæresin incidit, pugnat igitur secum aduersarius*, inquit Caluinista, *cum fatetur abdicatum fuisse, & tamen negat fuisse hæreticum.* Respondeo, qui defendunt Pontificem, vt priuatam personam, posse incidere in hæresin, & Liberium reipsa in Hæresin incidisse: vno Spiritu VVitackerianam obiectionem diffiant: Qui verò negant, Pontificem, etiam vt priuatum doctorem, incurrere posse in hæresin, atque adeo

D Liberium ab omni hæreseos interno actu liberant; Respondebunt, non propter solam hæresin manifestam, veram & realem, Pontificem deponi posse; vel potius à Deo deponi, & postea ab Ecclesia iudicari, & abdicari, vel potius abdicatum declarari posse, sed & propter externam hæreseos speciem, qualis in Liberio apparuit, ob pacẽ cum Arianis factam, & propter subscriptionem contra Athanasium, & ob subscriptas duas confessiones Fidei, quæ carebant vocabulo *Homousij*, & ab *Arianis* seu *semiarianis* confectæ erant, licet nihil apertè contra orthodoxam fidem complecterẽtur. *Et ex hac præsumptione de hæresi, meritò potuit ei Pontificatus abrogari*, inquit Bellarminus, *non enim homines tenentur, aut possunt corda scrutari, sed quæ*

externis operibus hæreticum esse vident, simpliciter hæreticum iudicant, ac vt hæreticum damnant. Et ex illo tempore Felix legitimus Papa factus est; qui nō modo ab Arianorum communione mox recessit, sed & capita eorum, & in his ipsum Imperatorē Constantium anathemate percussit: mansitque Felix verus Pontifex vsque ad finem vitæ suæ. Eo enim vita functo, iterum successit Liberius, iam in alium virum mutatus, depositō omni hæreseos schemate, quod tempori seruiens induerat.

Leo, quem quidam Felici II. successisse memorant, figmentum est: vt rectè respondet Bellarminus, cui recinit Sutliuius; *duobus aut tribus affirmantibus, potius credendum esse, quàm multis negantibus.* At quis ex veterū numero vnquā huius Leonis meminit? Quis eum vnquā in rerum natura exstitisse tradidit? Vincentius enim & Conradus Halberstatensis, quos Centuriatores proferunt, & quem Sutliuius adiicit, Theodoricus Niemēsis, & Hermannus Gigas VVitackeri, nimis sunt nouitij testes pro re tantæ vetustatis comprobanda, præsertim in tanto omnium veterum silentio. Nam quòd Iunius dicit, *fieri potuisse, vt hic Leo fuerit Antipapa*; Respondeo, non quæri, quid fieri potuerit; sed quid reipsa factum sit. Si reipsa Antipapa fuisset, aliquis veterum id prodidisset. Fabulæ ortum de hoc Leone satis aperit Bellarminus, non dissentiente VVitackero.

CAPVT X.

De Syricio, Innocentio, & aliis septē Pontificibus.

HAERETICIS admodum inuisus est Syricius Papa, tum alias ob causas, tum quia rigidus continētiæ vindex & assertor fuit. Huic affingit Caluinus, quod Matrimonium vocauerit *pollutionem.* Respondet Bellarminus, mentiri Caluinum; non enim loqui Syricium de vero & legitimo coniugio, sed de illicita coniunctione eorum, quibus matrimonij contrahendi nulla erat copia, facultas nulla. Iunius clamitat, responsionem Bellarmini, *alienam esse à veritate, & charitate, & honestate*; quia Pontifex loquitur de coniugiis sacerdotum, quod absque vlla caussa verbosissimè probat Sibrandus, quasi de hoc vllus dubitet. Quantò operam suam vtilius Sibrandus & Iunius locassent, si ostendissent, coniugia sacerdotum, & aliorum, qui per cælibatus professionem Deo se dicauerant; vera, legitima & concessa esse. Hoc enim demonstrato, locum plagæ Syricio infligendæ reperissent. Nunc quid aliud faciunt, quàm quòd clamoribus vanis frustra omnia cōplent: & dum se Syricium verberare censent, aērē verberant. Nec malè his putatitiis & commentitiis coniugibus accommodauit Syricius illud Apostoli: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* nam tales non secus sunt in carne ac scortatores alij; Quo fit, vt non secus Deo displiceant, ac alij fornicatores, imò plus, cum ob votum violatum non modò sint impuri, sed & sacrilegi. Mirum sanè est, prædicantes tam acriter insurgere in Syricium, qui illegitimam coniunctionē nominauit *pollutionem*; cum Hunnius in Colloquio Ratisbonensi Sess 10. fol 318. Edit. Lauing. etiam legitimum matrimonium hoc nomine affecerit; nam cum probare vellet Beatam Virginem postquam peperit, salua virginitate, Christum, cum Iosepho, marito suo, nullam consuetudinem coniugalem habuisse; hæc verba effudit. *Quinū religiosus fatebitur, quod indignum fuerit maiestate conceptionis & natiuitatis Christi ex beata Virgine, si nimirum sacrosanctum illud templum Spiritus sancti & vnigeniti verbi postea per concupiscentiam consuetudinis coniugalis pollutum fuisset, & contaminatum.* En Hunnius vsum legitimi matrimonij vocat *pollutionem & contaminationem.* Nec vel leuiter contra illum mutitur; At cum Syricius illegitimum matrimonium pollutionem nominat, cœlum & terra clamoribus impletur.

Obiicit VVitackerus. *Si rectè disputat Syricius, sequitur matrimonium omnibus hominibus illicitum esse*; probatur sequela. *Nam Syricius prohibet presbyterū matrimonium, quia scriptum est, sancti estote, quoniam ego sanctus sum*; Hoc non solum à Leuitis, sed à cūcto populo Deus exigit. Leuit. 11. & alibi. Respōdeo, negando sequelam. Ad probationem dico; licet locus ille alioqui vniuersos Christianos suo quodam modo cōcernat; peculiari tamen ratione pertinere ad Christianos sacerdotes, tantorū mysteriorum quotidianos tractatores; & sub hac peculiari ratione, qua sacerdotes ad puritatem, innocentiam, & integritatem vitæ obligantur; meritò locum illum scripturæ à Syricio ad ministros Ecclesiasticos noui Testamenti translatū esse: Nec primus fuit iste Pontifex, qui Ecclesiasticos Deoq; votiuos à cōiugio arcuit, sed quod ex traditione Apostolica acceperat, hoc sanctè ac religiosè obseruari voluit.

Accusat VVitackerus Innocentium primum, *quasi senserit, Infantes non posse seruari sine Sacramento Eucharistiæ. Quod miror*, inquit, *à Bellarmino prætermissum esse*; citatque huius rei testem Augustinum lib. 1. contra Iulianum: cap. 2. & lib. 2. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 4. sed VVitackerus iniuriam facit sanctissimo Pontifici. Nam nil aliud voluit Innocentius, quàm infantes salutem non posse consequi, nisi Christo inserantur; cui probando citat illud Ioan. 6. *Nisi manducauerint carnē filij hominis & biberint eius sanguinem, non habebūt vitā in semetipsis.* Nec loquitur Innocentius de manducatione reali & corporali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia; sed de manducatione spiritali per gratiam, quæ fit in susceptione baptismi. Et ita etiam intellexit & allegauit Innocentium S. Augustinus: cui hoc VVitackerianum de Innocentio commentum non incidit.

Accu-

Accusationem de bigamis contra Innocétium à Centuriatoribus allatam sic proponit Sibrandus. *Innocentium Clericos & Episcopos iubet virgines ducere, & viduas non ducere, idque auctoritate legis Mosaicæ.* Vbi iussit Innocentius, vt Clerici & Episcopi Christiani ducãt virgines? Nunquam hæc mens Innocentio fuit: tantum abest, vt aliquid huius iusserit, quippe cui optimè perspectum fuerit, cœlibatum ex Apostolica traditione ministerio Ecclesiastico annexum esse.

Accusatur Innocentius, quasi dixerit, *Christianos adhuc obligari lege Mosaica.* Sed est calumnia: argumentatur enim à simili: Si in antiqua lege Deus noluit sacerdotem summum bigamum esse, ductâ viduâ, multò minus decebit, vt sacerdos nouæ legis sit bigamus. Sibrãdus vocat hoc *effugium.* Sit effugium, dummodo non sit inane. Obiicit Sibrandus. Innocentium expressè dicere; *hoc esse contra præcepta legis*: At non vult esse contra legis præcepta, Christianos adhuc obligantia; sed contra legis præcepta prout in nonnullis quoddam exemplum, quid nos facere conueniat, nobis adhuc præbent. Qua obseruatione ruit tota Sibrandica βωμολοχία & φλυαρία. Danæus nil aliud adfert, quàm *Errores Innocentij esse solo clariores.* Loquitur, si me non decipit coniectura, de sole Caluiniano, qui omnia illustrissimè illustrat.

Celestinum Pontificem fuisse Nestorianum, primus horribili mendacio commẽtus est Laurentius Valla, quem Bellarminus refellit; VVitackerus ex insito in sedem Romanam odio cõtra omnem rationem defendit; cum Chamierus, Sutliuius & Sibrandus Vallam hîc meritissimò deferant; vt & Danæus, qui Celestino non hoc, sed *Missam Papisticam obiici debere scribit,* vt & S. Leoni. Bene habet, *de Missa hîc* non quæritur, sed de solo *Nestorianismo*, à quo Danæus Celestinum palam absoluit; vt & Iunius, qui assentitur Bellarmino dicenti: Vallam fuisse deceptum, ambiguitate nominis; fuisse enim Celestinum hæreticum Pelagianum, qui quædam communia cum Nestorianis habuerit. Ad quæ Iunius: *Celestius Augustino dicitur lib. 2. Retract. cap. 33. & exstant eiusdem libri, qui inscribuntur, de Gratia Dei contra Pelagium & Celestium:* Benè fecit Iunius, quòd Nestorianismi infamiam à Celestino Papa amolitur. Malè autem, cum Celestinum Pelagianum, de quo loquitur Bellarminus, ait esse Cælestium, de quo Augustinus lib. 2. Retract. cap. 33. Nã hic Cælestius nominatur expressè à S. Augustino Pelagij discipulus: ille nimirum contra quem Augustinus scripsit; & qui Pelagij acerrimus propugnator fuit.

Leonem primum nõ tangit VVitackerus, nec Chamierus, nec Sutliuius, nec Sibrand. Danæus stomachatur in Leonẽ, quòd *Missæ* adiecerit illa: *Sanctum Sacrificium; immaculatam hostiam*: &; *Hanc igitur oblationem*, &c. Magnum scelus (si tamen vera canit Danæus) sed in Caluiniana Synagoga.

Sequitur Gelasius; Ex cuius libro de duabus naturis contra Eutychen proferunt hunc errorem, manere in Eucharistia cum carne Christi verum panem. Respondet Bellarminus, librum non esse Gelasij Papæ, sed esse vel Gennadij, vel Gelasij Cæsarienſis Episcopi. Oggerit VVitackerus. *Semper à Papistis habitum pro libro Gelasij Papæ, & sic titulum testari, vnà cum Gratiano, qui multa citet ex hoc libro Gelasij Papæ nomine.* Hæc vana sunt, quia in multis tam profanis, quam sacris librorũ monumentis verus & legitimus Auctor non statim cognitus, sed successu demum temporis in lucẽ erutus est. Quod & hîc accidisse affirmamus. Nec Gratianus lapis Lydius est, ad quem explorare queamus, quæ nam scripta sint huius; quæ illius.

Iunius contendit non esse Gennadij Massilienſis, vel Gelasij Cæsarienſis. (sit ita, quanquã non solus Bellarminus ita sentit, sed & Suffridus Gennadio libellum illum tribuit.) Nõ sequitur tamen, esse Gelasij Papæ; sit enim vt Baronio Anno Christi 496. videtur, & multis argumentis confirmatur, Gelasij Cyziceni, cuius exstat cõmentarius de synodo Nicæna. Quomodo autẽ verus sensus subiiciatur verbis Gelasianis, quæ hæretici, vt, nostro iudicio, erronea, ex libello illo promunt, copiosè ostendit Baronius loco citato. & Bellarminus l. 2. de Eucharistia cap. 27.

Ad locum Gelasij ex Gratiano de vna specie, respondet Bellarminus, loqui Gelasium de sacerdote sacrificante; nefas enim esse, vt vnam solummodo speciem sumat. Murmurat contrà Iunius. Sed murmur eius non est tanti.

Anastasium II. Pontificem acerbè admodũ flagellant Hæretici. VVitackerus dicit, *fuisse Nestorianum, famamq; esse, quòd errorem scripserit, eaq; propter à tribu Episcopis excommunicatus fuerit, teste Gratiano* d. 19. cap. *Anastasius.* Nullum verbum de Nestorianismo exstat dicto loco apud Gratianum. Et totum illud, quod Gratianus refert, commentitium esse notarunt iam olim, qui correctioni Decreti operam nauarunt. Nec quidquam reperitur apud Gratianum de tribus Episcopis, qui Anastasium excommunicarint, & in cap. *Ita Dominus*, tale quid legitur: tametsi Gratianus in Appendice ad hoc capitulum, perperam interpretatus est mentem Anastasij de ordinatis ab Acacio, vt notarunt Correctores Decreti: neq; enim voluit Anastasius ordinatos ab Acacio ritè fungi posse acceptis officiis, vt interpretatur Gratianus, sed validè consecratos esse; quod verum est. Vide Annot. Gregorianam, & capitulũ, *secundum Ecclesiæ*, quod ex ipso Anastasio desumptum est.

Communicationem Anastasij cum Acacio eiusdẽq; restitutionem, quis non rideat, cum Acacius ante obierit quàm Anastasius Pontifex crearetur, vt ostendit Bellarminus. Occlamat Sutliuius, *fortè non obiisse prius Acacium.* Dico ego, fortè non mentiri Sutliuium; sed absque vlla dubitatione mentiri: nã tota Ecclesiastica Historia

stat pro Bellarmino & veritate. Si omnes Auctores Sutliuianæ temeritati & inscitiæ cedere cogentur, quid non in dubium vocabitur? Quid immotum remanebit? Iunius agnoscens Acaciũ prius esse vita functum, quàm Anastasius crearetur Romanus Pontifex; dicit; *restitutionem accipi impropriè pro, restitutione nominis Acacij in Diptycha.* Iunius fumos vẽdit, qa exstat Epistola Anastasij ad Anastasiũ Imperatorẽ, in qua petit, vt Imperator iubeat nomẽ Acacij taceri in Eccles. cũ iustissimè fuerit à Felice prædecessore suo condẽnatus. An non litteris Anastasij magis est credendum, quàm calumniis incertorũ nugatorũ, qui ita comparati sunt, vt quidquid de Pontificibus legunt, quod ad eorum vituperationem spectet, id cupidissimè amplectantur; licet authentica & omni exceptione maiora testimonia in contrarium proferantur? Eiusdem farinæ est communicatio Anastasij cum Photino Ecclesiæ Thessalonicensis Diacono, qui communicauerat Acacio: Et si communicasset, an ideo Acacij errores approbasset? Si quis hodie cum Lutherano aut Caluiniano communicet, hoc est, litteras ad illum scribat, & ab illo recipiat, cum illo agat, loquatur, cibum, potumque sumat, vel illius opẽ in re aliqua perficienda imploret, an ob hoc præcisè Lutherista aut Caluinista erit? Deinde, quã mirum illud & inauditum, Romano Pontifici non esse fas absoluere vnum excommunicatum præsertim resipiscentem, qualis erat iste Photinus, absque Concilio Episcoporum, Presbyterorum & Clericorum totius Ecclesiæ? Lege Baronium Anno Christi 497.

Similis calumnia est de baptizatis & ordinatis ab Acacio. Vbi imperitissimè Iunius, si non prorsus Donatisticè dicit; ordinationem factam & baptismũ datum ab Episcopo, hæretico, necdum de sede sua deiecto & exauctorato, valere, non valere autem, si iam sit exauctoratus & publico iudicio à functione abdicatus, & exutus *ordinationũ gradu.* Et hoc voluisse Gratianum, cui istud Caluinisticum figmentum ne per somniũ quidem occurrit: quia cuiuis orthodoxo exploratum est, baptismum, à quocunque demũ impertitum, validum esse; & ordinationem quoad valorem subsistere, licet ordinator gradu suo sit deiectus, quia character, cuius vi validè ordinat & consecrat; nulla deiectione vel regradatione expungi potest: Et insigne mendacium effundit Iunius, cum ab Anastasio Papa talem ordinationem *contra ius & fas* validam esse pronunciatam scribit.

Danæus id vnum negotij sibi datum arbitratur vt strenuè mentiatur ac calumnietur. Hinc primis statim verbis, Bellarminum *flagris, non tãtum scutica dignum* affirmat; quippe *quo Monacho nihil sit impudentius.* Acacium & Photinum mentitur fuisse *Arianos*, cum ab omnibus Eutychianismi accusentur, vel certè suspecti habeantur. Mẽ- A tiur insuper, Locum Euagrij de morte Acacij *citatum à Bellarmino nusquam exstare.* Mittamus Caluinistam impotem, à quo nil exspectandũ, quod sanum cerebrum resipiat.

Etiam Benno in vita Hildebrandi, vel potius in vanidica inuectiua, qua Gregorium VII. insectatur, dentes in Anastasium stringit; Imperitè, vt semper. Ex qua imperitia misit etiam illa in Liberium Papam missilia: *Liberium fuisse hæreticũ; in eius hæresin incidisse Gregorium VII.* & Vrbanum, quem ipse petulanter *Turbanũ* vocitat. *Non tacuisse beatũ presbyterũ; Eusebiũ; quo legitimè defendente vnitatẽ vsq; ad mortẽ, & vita & morte clarificãte eius doctrinam Catholicam. Liberius declaratus sit hæreticus.* (Quis B iste tam clarus Eusebius, qui Liberium declarauit Hæreticum?) *Liberium ab vno Eusebio communionem eius deferendo ligasse.* (Iterum quæro, qui huius tanti Eusebij progenitores?) Dat idem Benno crimini Gregorio VII. quod iusserit, *vt Liberij festum celebraretur. Hoc præcepto*, inquit Benno, *hæresin eius firmauit*: Sed Liberius nunquã fuit hæreticus: vt antea vidimus. Et grauissimi quiq; scriptores, sancti & beati imò & *beatissimi* elogia Liberiũ cohonestarunt, vt docet Bellarminus cap. superiore; & plusquam ridiculũ est, quod Iunius dicit, Liberium vocari ab Ambrosio *sanctum*, seu *beatæ memoriæ* κατ' ἐξ. Iunius certè non κατ' ἐξ, sed ἁπλῶς ὀλιγαρχῶν. Et omnes defunctos vocari μάκαρας ἢ μακαρίους. Quis Christianus Catholicus vnquam C Arium, Eunomium, Sabellium, Marcionem & similes vocauit μάκαρας aut μακαρίους, quos tamen defunctos esse non inficiabitur, vt credo, Iunius?

Ad accusationes contra Vigilium Papam respondet Bellarminus, non fuisse legitimum Põtificem, quando Epistolam illam impiam ad Theodoram scripsit: viuebat enim adhuc Syluerius legitimus Papa, tametsi in exilio: neque Vigilium, etiam tunc, animo approbasse hæresin Imperatricis, sed tantùm actu exteriore; & quidem valde occultè; hinc nihil contra infallibilitatem Pontificiæ Cathedræ admissum esse. Occlamat VVitackerus. *Siue occultè, siue palam hoc fecerit; nihil interest. De animo verò, qui fuerit, vt de constat?* D Bellarminus vim responsi non ponit in eo, quòd Vigilius Epistolam illam occultam esse voluit; sed in eo, quod tunc Pseudopapa erat. Ex studio occultandi nil aliud colligit, quàm Vigilium nõ serò & *animitus* hanc Epistolam scripsisse, sed simulatoriè, vt studio Theodoræ Pontificatum Romanum cõsequeretur. Nam quod Sutliuius cum suo Sibrando dicit; *Epistolam illam à Vigilio scriptam, mortuo iam Syluerio, & hoc testari Liberatum*; geminum est mendacium, licet enim Liberatus prius memoret Siluerium in insula *Palmaria* defecisse inediâ, quàm Epistolam Vigilij ad Theodoram recitet, non vult tamen dicere; Vigilium post mortem demum Syluerij illam Epistolam misisse; sed anticipatione

vtitur

vtitur, & quia mentionem fecerat deportationis Syluerij in *Palmariam* insulam, simul meminit mortis: cum tamen relegatio hæc contigerit Anno Christi DXXXVIII. Mors autem Syluerij Anno Redemptoris D X L. vt docet Baronius, & hoc ipso itidem Anno Vigilius ad Theodoram scripsit, promissa exsoluere volens, si tamen vnquam Vigilius hanc Epistolam scripsit: nam ab hæreticis confictam credi posse; rectè monet Bellarminus, & fusè probat Baronius Anno salutis D X L.

Nec tamen propterea periculum est, vt si hęc Epistola, tanquam in officina hæreticorum cusa, repudietur; omnia veterum monumenta in suspicionem & controuersiam deuocentur. Libero hoc metu VVitackerum: quia quędam, imò pleraque, genuini sui ortus testatiores & euidentiores notas præ se ferunt; quàm vt de natalibus eorum quæstio nasci queat.

Danæus intonat. *Vigilium fuisse tunc verum Papam, quippe depositio iam Syluerio, Vigilium in eius locum subiisse eadem via, qua optimi qui censentur Romani Pontifices, omnibus consentientibus & populo & clero.* Quæ prope tot mendacia continent, quot verba. Fidem mihi habebis, si legeris Baronium Anno Christi C X L. vbi accuratè describit, quàm tyrannicè, quàm omnibus bonis reluctantibus & gementibus, Syluerius de sede sua fuerit deiectus, & in eam intrusus Vigilius.

Ad Gregorium I. silent cæteri Caluinistæ. Danæus tumultuatur, grauissimum errorem à Gregorio commissum, quòd *permiserit presbyteris conferre Sacramentum confirmationis: Bellarminum non posse soluere argumenta Durandi.* Sed hæc & talia huius census, nil aliud sunt, quàm impuræ saliuæ spumantis Danæi. Tu lege cap. 12. libri de confirmatione, & iudica an Bellarminus argumenta Durandi non potuerit soluere.

Immaniter bacchatur Danæus in Bonifacium V. *quòd voluerit templa Christiana esse asyla furibus & homicidis, contra verbum Dei Exod. 21. v. 14. & 1. Reg. 2.* ita citat pro 3. Reg. 2. vbi nota vertiginem Caluinistarum. Traducunt vt supra vidimus, Innocentium I. quasi docuerit nos adhuc legibus Mosaicis obligari. Et tamen hoc dicit hîc Danæus, non Innocentius. Nam immunitatẽ reorum in templis Christianorum arbitratur repugnare illi legi Mosaicæ. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Viget ergo adhuc lex ista Moysis, iudicio Danæi.

CAPVT XI.

De Honorio. I.

HVNC Pontificem tantùm non ad Crucem postulant Hæretici; clamitantes cum Iudæis; *Tolle, tolle; crucifige, crucifige*; quia Monothelita est. Bellarminus & longam & doctã hîc pro Honorio instituit apologiam; quam omnibus machinis euersum eunt sectarij. Dupliciter defendi potest Honorius. Primò, si dicas, epistolas illas duas, quæ ad Sergium sub Honorij nomine circumferuntur, esse confictas; & ab Hæreticis sextæ synodo insertas, ipsamque synodum additione nominis Honorij falsatam ac corruptam ab iisdem impostoribus, qui odio Romanæ Ecclesiæ hanc ei maculam inurere voluerunt, quasi habuerit aliquando præsulem Hæreticum, ne sola Constantinopolitana & Alexandrina sedes hac gloria, si qua est ea gloria, clarere viderentur. Secundò, si dicas; Honorium fuisse quidem in synodo sexta damnatum, sed ex mala informatione, & ex non intellectis Honorij Epistolis. Vtranque defensionis rationem tenet Bellarminus.

Contra priorem obiicit VVitackerus: *hanc respondendi rationem esse valdè periculosam; cauendum Bellarmino, ne si sic pergat, respondere, euertat omnia, & naufragium faciat atque iacturam omnium mercium pẽtificiarum.* Periculosa esset defensionis ratio, si temerè & absque ratione adhiberetur, vt adhibetur ab Hæreticis, etiam VVitackero, & sexcenties à Sutliuio; quibus nulla religio est, etiam compertissima & testatissima inficiari, si minus ad eorum palatum faciant, vt plurimis exemplis in hac ipsa de Pontifice controuersia ex Sutliuio planum fecimus. At periculosa non est, si nitatur ratione & maturo consilio, atque adeo auctoritate; quibus omnibus fulcris hæc defensionis ratio; quam Bellarminus vsurpat, sustentatur & corroboratur: nam hæreticis & impostoribus non esse insuetum aliena synodis assuere, exemplo est synodus V. cui insertæ fuerunt fictitiæ litterę Vigilij Papæ, & Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani, Quã fraudem deprehendit postea synodus sexta act. 12. & 14.

Occinit Chamierus lib. 6. de Pontifice, *esse argumentum ineptum; non enim sequi, si inserti sunt quatuor quaterniones quintæ synodi actis, ideo huic falsò insertum esse Honorij nomen, & Epistolas: debuit enim hoc prius nonnullis aut argumentis aut iudiciis effici probabile.* Respondeo, non esse quidem argumentum necessarium & apodicticum; esse tamen eiusmodi, quod monstret, non esse inauditum, vt Acta synodalia peregrinis additamentis à falsariis corrũpãtur. Ne quis ergo in vestibulo statim Honorianę Apologiæ clamaret; nũquã accidisse, vt Acta synodi œcumenicæ, additione vel

detra-

detractione deprauarentur; exemplo quintæ synodi hoc docere voluit Bellarminus; ne cui prorsus incredibile appareret; si similem aleam sextam quoque synodum subiisse audiat.

Nec est, quod tam mirandum accidat VVitackero, omnia exemplaria sextæ synodi potuisse corrumpi: Etiam Romanæ bibliothecæ. An nihil vnquam audiuit de vniuersali corruptione Canonum & Actorum Nicænorum facta ab Arianis, hostibus Nicæni Concilij? Exemplaria Quintæ synodi corrumpi potuerunt: Et non potuissent exemplaria synodi sextæ? nam adhoc nil aliud requiritur, quàm vt primigeniũ exemplar, seu protocollum corrumpatur. Indeenim non nisi corrupta exempla peti possunt. Deinde quoties vociferatur Sutliuius, *Epistolã Gelasij, Leonis primi, Nicolai primi & similium hoc vel illud assutum & aliena manu affixum esse, non obstante omnium exemplarium consensu?* Fictine potuit, vt omnia exemplaria falsarentur? Negat Sutliuius lib. de Purgatorio cap. 17. quatuor libros Dialogorum Gregorij Magni, esse Gregorij Magni. *Iniuriam facerem Gregorio Magno*, inquit, *si ineptissimas illas fabulas & incompositos & inconditos Dialogos ipsi tribuerem.* Ettamen omnia penitus exemplaria Dialogorum illorum, Gregorij Magni, Pontificis Romani, nomen præscriptum gerunt. An si aliũ auctorem habent, fieri potuit, vt omnibus exemplaribus nomen non sui autoris & conditoris inderetur ac præfigeretur? *An potuit aliquis* (verba VVitackeri vsurpo) *etiam irrepere in Bibliothecam Romanam, & ibi omnes libros tum Græcos* (nam & Græcè exstant Dialogi isti, sub nomine Gregorij Magni) *tum Latinos corrumpere, idque tam ingeniosè, vt nemo perciperet*, vsque ad Sutliuium? *Sed non tantum ex exemplaria, quæ Romæ seruantur, hoc habent de* Gregorio Magno; *sed & omnia exemplaria passim. Num potuit* falsator aliquis *omnia passim exemplaria* (adulterino adiecto titulo) *corrumpere, & efficere, vt quasi ad Mithridatis litteras omnis veritas vno die de voluminibus raderetur?* Quod Caluiniani isti huiusmodi interrogatiunculis responderent, si iis vrgerentur; hoc sibi similia quæritantibus à nobis responderi cogitent.

Danæus de Honorio agens, more suo furit, non scribit. Cuius furores missos facio. Sibrandus mentitur, Bellarminum ita argumentari. *Græci aliquando corruperunt libros, ergo omnes eorum libri sunt corrupti.* Os & frontem Caluinistæ. Iunius ad primam Bellarmini probationem inclamat suum illud NEGATVR. *nec valet probatio*, inquit, *primùm ab exemplo diuerso facti, secundò ex particulari.* Est factum numero diuersum, non specie; quia & illud, & hoc, de quo agimus, in deprauatione & falsatione librorum & actorum synodalium cõsistit. Ex corruptione ergo synodi quintæ clarum planumque fit, non esse à fide prorsus alienum & abhorrens, sextam itidem synodum aliquid à falsariorum manibus passam esse insitione hæreticarum Epistolarũ sub Honorij nomine. Nec ex casu particulari, qui accidit Quintę synodi, cõcludit Bellarminus vniuersim; omnia Conciliorum Acta semper fuisse deprauata, sed hoc solummodo infert, non videri debere ab omni vero remotum, si quis dicat Epistolas ab Hæreticis fuisse confictas & sextæ synodo insertas. Ait Iunius. *Rem in solo tabulario Patriarchij Constantinopolitani fuisse, non passim.* At contrarium liquet ex Act. 14. synodi sextæ, vbi disertè asseritur, omnes codices quintæ synodi, quotquot in improborum manus inciderunt; adiectione libellorum Vigilij & Mennæ corruptos fuisse, & non solùm illos, qui in Bibliotheca Constantinopolitani Patriarchij asseruabantur. Legatur Actio 14. Concilij sexti; & vanitas Iunij abibit in fumum.

Cauillatur etiam Iunius, *synodum sextam nil dicere de Epistolis Vigilij*, sed *de libris: in horum vicem à Bellarmino subditui Epistolas.* Quasi verò Epistolæ non soleant aliquando nominari *libri*, vel saltem *libelli*: qua voce vtitur quoque synodus sexta. Quàm tenues muscas captat magna ista aquila. Addit & hoc. *Non agi, vtrum fuerint Vigilij, necne; sed vtrum ad Acta Concilij V. Oecumenici pertinuerint.* Hanc quoque vanitatem refellit ac repellit lectio sextæ synodi: nam *sanctum Concilium exclamauit: Anathema libro, qui dicitur Menna ad Vigilium, & qui eum finxerunt siue scripserunt. Anathema libellis qui dicuntur facti fuisse ad Iustinianum & Theodoram Diuæ memoriæ, qui & sunt demonstrati. Anathema simul qui falsauerunt Acta sancti & vniuersalis Quinti Concilij.* Vbi vides, non tantum damnari & anathemate percuti illos, qui libellos illos Quinto Concilio intexuerunt; sed & ipsis libellis, eorumque patrem plastis & figulis.

Ait Bellarminus, Honorij nomen inter eos, qui damnantur à sexta synodo, insertum esse æmulis Romanæ Ecclesiæ, & similiter, quidquid aliud ibi dicitur contra Honorium. Et probat hoc Bellarminus I. Testimonio *Anastasij* Bibliothecarij in Historia sua ex Theophane. VVitackerus clamat, *hoc falsum esse, nã Honorium ab Anastasio in Leone II. potius nominari inter eos, qui damnati sunt à sexta synodo.* Idemque respondet Ioannes Rainoldus Caluinista Anglus in Apologia pro suis thesibus de sacra scriptura & Ecclesia. Sed animaduertere istos oportebat, non citari à Bellarmino librum Anastasij, quo *Vitas* Pontificum descripsit, quem Moguntiæ ante aliquot annos edidit R. P. Ioannes Busæus noster; sed Historiam Anastasij, quam vertit ex Georgio, Nicephoro Constantinopolitano Patriarcha, & ex Theophane, & quamuis in Leone II. lib. de vitis Pontificum compareat nomen Honorij inter illos, qui à sexta synodo damnati sunt, absq; vlla tamen temeritate suspicari possumus, nomẽ Honorij in *Vitam* Leonis irrepsisse. Nam si Anastasius verè credebat Honoriũ à sexta synodo

fuisse

fuisse damnatum, quæso, cur in ipsa Honorij vita nullum de hac condemnatione verbum fecit? An non vel maximè in historia Honorij locus erat, vt notam Honorio à sexta synodo inustam non præteriret? Cur item in Agathone tam altum est de hac damnatione silentium? Cum tamen sub hoc Pontifice synodus sexta fuerit celebrata: & Anastasius in eius vita recenseat, quid in synodo sexta actum fuerit, & nomina eorum exprimat, qui damnationem subierunt, vt Cyri, Sergij, Pauli, Pyrrhi, Petri. Nullus inter eos visitur Honorius. Quæ, oro, caussa omissi Monotheliſmi Honoriani in ipso Honorio & Agathone; & commemorati in Leone II.? Quis non videt, præter Honorij hostes, nomen Honorij in Leone II. non ab Anastasiana, sed à peregrina, & mala manu esse?

Iunius obstrepit. *Theophanem quidem interpretatum est Anastasius, & suæ Historiæ inseruit; Sed quæ ad Historiam occidentis maximè pertinent, ea de suo, non de Theophanis Historia protulit.* Audax, ne dicam, impudens assceueratio; cum Iunius nunquam viderit Theophanem; nam ad citationem Theophanis infrà, hanc animaduersionem allinit. *Neque hic exstat, quod quidem nouerim, sed in Bibliothecis latitat, & in hoc genere Auctorum qui tum latuit aut cum blattis pugnant, adducendo, luxuriatur Onuphrius. Obscura sanè probatio; nam mendacem aut falsam nolim dicere, qui non vidi.* Si non vidisti, cur ergo tam audacter pronuncias, Theophani res in occidente ab Anastasio adiectas fuisse; neque à Theophane, sed ab Anastasio esse? Tu ipse fateris, te nunquam vidisse Theophanem. Vnde ergo hæc tibi notitia? Forsan nec Anastasij Historiã ex Theophane Latinè redditam vidisti vnquã, nisi quantum eius in Miscella. Qua ergo fronte de rebus tibi incognitis tam assceueranter pronuncias? Quod ad Historiam Græcam Theophanis, & Latinam versionem Anastasij attinet; sanctè testari possum, (quia hac ipsa hora Theophanem Græcum & Interpretem eius Anastasium ad manum habeo,) nihil penitus de Honorio vel in illo, vel in hoc contineri; neque vllam eius inter damnatos à sexta synodo mentionem fieri, vt nec in Miscella Historia quæ magnam partem ex Anastasio contexta & confecta est. Chamierus paucis se expedit; *non habendam fidem Anastasio. Esse enim amicum, &*, vt loquitur Iunius, *beneficiarium Pontificis.* Scilicet hostibus Pontificis credemus, & amicis fidem derogabimus. Quo iure?

Secundò Acta synodi VI. corrupta esse probat inde etiam Bellarminus, quia Græcis valde familiare erat libros addendo vel expungendo corrumpere; quod pluribus exemplis demonstrat.

Obstrepit Iunius. *Non sequitur ex particularibus. Et quis Logicus ferat istud interpretationis genus? Duæ corruptiones inuentæ sunt factæ Concilio V. Ergo plurimæ. Item, corruptiones sunt factæ ab Hæreticis, ergo consuetudo erat Græcorum ferè ordinaria.* Iunius calumniatorem agit. Non enim quod ipse fingit; sed hoc Bellarmini argumentum est: Græci corruperunt III. IV. V. & VII. synodos: inauditum igitur & incredibile censeri non debet, tametsi sextam quoque synodum corrupisse dicantur. Antecedens probatur à Bellarmino plurimis & grauissimis testimoniis. Consequentia vel ex illa communi Iuris Regula: *Qui semel malus, semper præsumitur malus*, in eodem scilicet malitiæ genere; multum verisimilitudinis acquirit. Ad secundæ consequentiæ Antecedens, si Iunius addat; *Hæretici & impostores Græci*: tum nec *contra artem*, nec *contra veritatem*, nec *contra charitatem* erit. Nam hanc recta deprauandi consuetudinem fuisse Græcis *ferè ordinariam*, docent exempla à Bellarmino allata, & innumera alia, quæ adferri possent; & non pauca attulimus lib. 2. de Iure prohibendi libros noxios cap. 6. Et *ἀνωνύμου* Anastasij Sinaitæ multa suppeditabit; vt & Historia Tragœdiæ Photianæ apud Baronium.

S. Leo Epist. 83. ad Palæstinos conqueritur de Græcis, quod se adhuc viuente, Epistolam suam ad Flauianum corruperint. Iunius. *Non Græcos omnes, sed quosdam Interpretes notat Leo, & humanius multò, quàm disputator possit ex verbis illius concludere.* Neque Bellarminus dicit; omnes Græcos accusari de hoc vitio à S. Leone; satis est, quòd aliqui accusentur; non ob solam imperitiam, vt vult Iunius; sed & ob *malignitatem*, quæ sine dubio corruptelam studio susceptam denotat: Ait enim S. Leo: *cum aut imperiti interpretes, aut maligni, quædam vos aliter intelligere, quàm à me sunt prædicata, fecerunt.* Ergo S. Leo Interpretum quoque malitiam, & nõ tantùm inscitiam reprehendit. Nec Bellarminus ex hac vnica querela infert conclusionem generalem; nec ex particulari exemplo vniuersim colligit; vt criminatur Iunius; sed [illegible] ex hoc, quàm ex aliis exemplis infert; ordinariam ferè fuisse Græcorum consuetudinem corrumpere libros. Nec propterea dicit: omnes Græcos esse vel fuisse librorum deprauatores & interpolatores; absit; sed hoc contendit; crimen hoc admodum in ea natione viguisse. Nam si quis exempli gratia dicat, *Potare* ferè ordinariam esse consuetudinem quarundam nationum: an ideo omnes illarum nationum potatores esse affirmat, nemine excepto? Minimè verò; neq; id quisquam vlla legitima argumentandi ratione, inde extundet.

Rainoldus argumentum Bellarmini conatur retorquere in Latinos: sed mendaciter. Nam *Zosimum Papam corrupisse Canones Nicænos*; nemo hæreticorum hactenus probauit, nec in posterũ probabit: vt nec illud: S. Thomã in opusculo cõtra Græcorũ errores: *Chalced. synodũ & Cyrillũ varijs locis*

falsa-

falsatos citasse. Ait; *Pontificios finxisse multas Pontificum & aliorum supposititias Epistolas, synodos, libros,* & tâdem quoque ad expurgatorium Indicem delabitur. Quæ omnia ex triuio calumniatorum hausta sunt. Nec dicit Baronius Tom. 3. anno 336. N. 59. Isidorum Mercatorem, *finxisse Epistolas Athanasij ad Marcum & Felicem; & Marci ad Athanasium; & Bonifacij ad Eulalium;* sed ait, has à Mercatore sua incollectione allatas merces sibi nõ placere; quippe confictas, à quocunq; demũ confictæ fuerint. Neq; enim Mercatorẽ huius culpæ insimulat. Et certè omnes modestiæ & moderationis leges transcendit Rainoldus, quando affirmare audet, Romanam synodum sub Martino Papa, ex qua Bellarminus pro Honorij innocentia argumentum sumit; *esse à Papistis fictam;* vt & Agathonis Epistola, & id genus alia, de quorum integritate & sinceritate, nemo vnquam integri & sinceri capitis dubitauit.

Scribit S. Gregorius lib. 5. Epist. 14. Constãtinopolitanos corrupisse synodum Chalcedonensem; & idem se suspicari de Ephesina Iunius impudenter S. Gregorium mendacij arguit. *Falsum*, inquit, *quòd Chalcedonense Concilium à Constantinopolitanis falsatum dicitur, siue actione ipsa, siue scriptura, siue interpretatione ipsius; nihil horum probari potest.* Atqui S. Gregorio, etiam sine probatione aliquid asserenti, quis non promptius & alacrius credat, quàm Iunio tam temerè & procaciter in sanctissimum Pontificem debacchanti? Quanquam S. Gregorio non deerat probatio; quia quidquid de æqualitate Constantinopolitani Episcopi cum Romano in exemplaribus Concilij Chalcedonensis continetur; id fraudibus & impostoris Græcanicis ad Concilium accessit.

Etiam id, quod S. Gregorius de Adelphio & Saua seu Saba in synodo Ephesina damnatis monet. (quorum tamen damnatio in Actis Cõcilij illius non extet, vnde de corruptela S. Gregorio suspicio iniecta est) eiicitur à Iunio; *Illos enim fuisse Massalianos; quos in Ephesina synodo damnatos esse testentur Acta synodalia Tom. 2. cap. 2.* Sed patiatur, quæso, æqua mente Iunius, vt plus tribuamus Gregorij sanctitati, antiquitati & eruditioni; quàm profanitati, nouellitati & insciti æ seu Iunianæ seu Caluinianæ. Vero simillimum enim est, S. Gregorium melius perspectum habuisse, quid circa Adelphium & Sabam in Concilio Ephesino gestum sit; quidque ex codice Ephesinę synodi abrasum fuerit; quàm Iunium, qui, vt totũ Spiritum suum nobis patefaciat, sic de Epistola Nicolai primi, Pontificis celeberrimi, ad Michaelem Constantinop. Imp. pronũciat: *Quid Nicolai I. Epistola impudentius? De domo testimonium est.* Quid hac censura impudentius? Quid intolerabilius, quàm quòd Caluinista mox subiungit? *O illud effrene Nicolai Pontificis.* An quisquam vsque adeo incircumspectus erit, qui vllam pudentiam vel modestiam à Iunio amplius exspectet, postquam his tam atrocibus cõuiciis in tãtum Pontificem non erubuit debacchari?

Græcos ex Epistola Adriani I. ad Tharasiũ quædam detraxisse, testatur idem Nicolaus Papa, quod ad Tharasij honorem non facerent. Occinit Iunius. *Cur contra honorem Tharasij fuisset quidquam scripturus Adrianus I. quem ibidem & alibi effusè laudat?* Laudat, *sed in hoc non laudat, Quòd*, vt inquit Adrianus, *ex laicorum ordine & imperialibus obsequiis deputatus, repente ad Patriarchatus culmen electus est.* hic iterum ab æquitate Iunij postulare cogor, vt bona pace ferat nos plus fidei habere Nicolao, quàm sibi, præsertim idem testificante Anastasio Bibliothecario, qui ad Epistolã Adriani, quam dedit ad Constantinũ & Irenen Impp. post hæc verba: *Vt in huius nostræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ ac irreprehensibilis Romanæ Ecclesiæ vnũ sustineamini*: hanc notam apposuit. *Ab hinc vsq; ad finem Epistolæ Codex Græcus non habet. Gratianamq;, quia eodem tempore ex laico fuerat Constantinopolitanus Patriarcha factus, ne publicè ab Apostolica sede argui videretur, & aduersus eũ, tanquam reprehensione dignum hæretici repugnandi occasio præberetur, ac per hoc synodi, cui interesset, vilitas excluderetur, quæ, siue de non faciendo laicorum promotione, siue de cæterarum præsumptionum redargutionibus subsequuntur in synodo hac: nec recitari, nec Actis inseri passi sunt.* Similia notat Anastasius in Epist. Adriani ad Tharasium. Vide Epistolam Adriani Tom. 3. Concil. edit. Binianæ. Itaque nihil causæ habemus, cur hæc Latinos potius Epistolæ Adriani superaddidisse, quàm Græcos detraxisse dicamus.

Illud Iunij, quid sibi velit, non assequor. *Vt ita demum esse; vnde nobis constabit, vnicam ab illo Epistolam ad Photium perscriptam esse? Fabulæ* Iunianæ scilicet; Quis enim vnquam dixit, Adrianum I. scripsisse Epistolam ad Photium? Quis accusat Græcos, quasi aliquid ex Epistola Adriani I. ad Photium resecuerint? Si autem Iunius quærat, vnde nobis constet? Nicolaum I. scripsisse Epistolam ad Photium, in qua ex Epistola Adriani ad Tharasium, eã recitet, quæ non compareant in Epistola Adriani; prout hactenus, in VII. synodo legebatur: Respondeo, inde id nobis cõstare; vnde constat, Ciceronem scripsisse Epistolas ad Lentulum, ad Sulpicium, ad suum Tironem, ad Terentiam & Tulliolam, ad alios familiares suos, vnde hoc nobis compertum? An non ex perpetua omnium ætatum consensione?

Tertiũ argumentum, quo Bellarminus probat; omnia, quæ de damnatione Honorij feruntur esse conficta, est istud: Quia synodus sexta non poterat damnare Honorium tanquã hæreticum, nisi pugnaret cum Epistola Agathonis, imò etiam secũ, & planè cõtradictoria assereret: quod pluribus ostendit Bellarminus; præsertim inde, quia Agatho expresè dicit, *nullum suorum prædecessorum vnquam erraſſe.* Iunius in dubium renocat, num ea, quæ Bellarminus citat, sint Agathonis. En frontem Caluinisticam, Quando nos

dicimus

dicimus; Epistolas sub Honorij nomine VI. Synodo esse insertas, ipsum Honorij nomen inter damnatos ab Hæreticis adiectũ esse; Iunius cum gregalibus suis cælum & terram miscet; at cum de Epistola Agathonis agitur, Iunius statim cultrum poscit, vt tanquam spuria ex Actis synodalibus excindatur; & hoc nullam aliam ob caussam, quàm quòd Epistola Agathonis nimis apertè commentum Hæreticorum de Honorio iugulat. Si quid contra Honorium complecteretur, iam quouis authentico scripto magis authentica foret. Nam quòd Iunius ex suo Nilo hanc etiam elusionem vel potius illusionem adhibet; Agathonem *non loqui vniuersim, sed comparatè & κατ' ἐν*, hoc est, nolle illum dicere; *Ecclesiam Romanam, eiusq; Episcopos à vero nunquam excidisse; sed rarius quàm alias Ecclesias, earumq; Antistites*; frustra est; inanissimum enim hoc figmentum à singulis propemodũ Epistolæ illius apicibus euidenter refutatur, vt agnoscet, quisquis vel ipsam Epistolam Sess. 4. sextæ Synodi legerit, vel saltem ea, quæ inde Bellarminus exscripsit.

A

At, inquit Iunius; *si vniuersale dictum est* (est vniuersale, quid tergiuersaris? Quid solem obtenebrare studes?) *veritati aduersatur*; (quia scilicet aduersatur Caluinistarum palato.) *Si vniuersè dixit Agatho* (*vniuersè* dixit; quid restitas?) *ambitioni seruiuit magis quàm veritati.* At sexta Synodus aliter sensit; neque enim ambitionis crimen Agathoni impegit, multoque minus falsitatis. Quis credat tot Patres fuisse tacituros, si vel vnius exemplo, præsertim Honorij, vniuersalem Agathonis assertionem redarguere potuissent? Et tamen omnes vnanimi consensu Epistolam Agathonis suffragio suo cõprobarunt, & per Agathonem Petrum locutum esse affirmant, vt patet ex octaua & XVIII. Sess. Synodi sextæ; nam frigida exceptio est illa Chamieri; *Agathonis Epistolam fuisse probatam, sed secundum quid*; nempe in iis, *quæ pertinerent ad doctrinam: de reliquis, atq; adeo his sedis Romanæ laudibus, ne cogitatum quidem*: nam ne verbum quidem extat in sexta Synodo quo vel tacitè innuatur, Epistolam Agathonis non esse per omnia probatam. Quis enim sibi persuadeat, tot & tantos Patres tantam falsitatem in Agathonis Epistola dissimulaturos fuisse; nisi censuissent verum esse; quod de perpetua Romanæ Ecclesiæ Romanorumque Pontificum in orthodoxa fide constantia Agatho scribebat.

B

C

Nec illud iuuat Chamierum, *Agathonis Epistolam prius fuisse scriptam, quàm Honorij literæ fuissent prolatæ ex Patriarchio Constantinopolitano: secundum quas illic iudicatus sit hæreticus: potuisse igitur Agathonem verisimiliter ignorare, aut certè etiam dissimulare.* Quid? Dissimulare? Quid hoc dissimulare aliud fuisset, quàm turpiter mentiri? Nam dicere, nullum Romanorum Pontificum vnquã à vero deflexisse; Et tamen pro certo scire, non ita pridem Honorium in fœdam Monothelitarum hæresin incurrisse; an non inexpiabile scelus cuiuis prudenti videri posset? Et vndecunque & quandocunque Honorij litteræ in Synodum allatæ fingantur; parum interest. Quis enim credat Agathonem tale quid vnquam affirmaturum fuisse; si Epistola Honorij aliquid sanæ fidei aduersum continuisset? nec Epistola Honorij fugere potuisset Agathonem; quis enim credat, in negotio tanti momenti, Epistolæ autographum, vel aliquod apographum non fuisse Romæ seruatum; si Epistola hæc ex officina Honorij prodiisset; aut omnia ab Honorio Romæ tam occultè gesta esse, vt ad vulgi aures non emanarent?

D

Nec illud nobis officit, quòd Chamierus addit: *Ipsum Honorium* (Agathonem, nisi fallor, scribere volebat) *primò per legatos; secundo scriptis litteris consensisse Synodi actis, de proinde Honorij damnationi.* Consensit Synodi actis, sed non corruptis, non falsatis. Falsatum autem, & à manu tam corrupta, quàm corrũpente est, quidquid in Actis illis Synodalibus de Honorij damnatione habetur. Similia Chamiero nugatur hac ipsa de re Rainoldus Anglus in futili sua contra Honorium inuectiua.

Sibrandus obstrepit, Agathonem dicere: *Apostolicam Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberrasse; hoc non pugnare cum hac damnatione sextæ Synodi, non enim si Papa errat, ideo totam Romanã Ecclesiam errare.* Sed Sibrandus animaduertere debebat duo; primò, Agathonem nomine Apostolicæ Ecclesiæ intelligere Romanam, vt planum fit ex ipsis Agathonis verbis. Secundò, Agathonem non tantum velle, Romanam Ecclesiã nunquam defeciisse à recta fide; sed neque Episcopum vllum Romanum vnquam ab orthodoxa fidei tramite deflexisse; omnesque suos prædecessores, Romanos Pontifices, hæresibus semper restitisse, & fratres suos in fide confirmasse; iuxta illud Christi; *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

Obiicit Sibrandus. *Si Agatho per Ecclesiam intelligit Papam, tum Agathonem errare certum est*; Anastasius enim, Liberius, *Honorius & alij erranunt.* Num in fide? Tu hoc dicis. At Agatho contrarium asserit. Quis fide dignior? Sibrandus an Agatho? Coniiciantur ambo vnã in stateram, videamus, cuius auctoritas præponderatura sit. Dicit Agatho, Ecclesiam Romanam fundatam super firmam petram B. Petri, eius gratia & præsidio *ab omni errore illibatã permanere.* Hoc videtur Sibrando *iniuriosum in Christi gloriam; nam Petro tribui arbitratur, quòd Christus proprium habet.* Sed qui ad pauca, vel penitus ad nihil, respicit, is vt facillimè, sic & audacissimè pronunciat: nam quòd gratia & præsidio B. Petri Ecclesia Romana inconcussa perseuerat; id non fit; nisi vt Petrus Ecclesiæ secundarium, & supra ipsum Christum fundatum fundamentũ est. Quocirca quidquid Petro tribuitur; ad Christum redundat; quandoquidem quidquid firmitatis Ecclesiæ Petrus tribuit; id non nisi per gratiam à Christo acceptam tribuit.

Tandem totum impudentię ſuę ſaccum effundit Sibrandus in Agathonem: nempe illum, eadem fronte dicere; nullum ſuorum prædeceſſorum à vera fide deuiaſſe; qua moderni Monachi iactant, nullum vnquam Papam erraſſe, *cum tamen totus mundus* (Caluinianus nimirum, qui perquã anguſtus eſt) *de eorũ erroribus & hæreſibus cõqueratur.*

Quartò idem probat Bellarminus ex Epiſt. Nicolai I. ad Michaëlem Conſtantinop. Imp. vbi dicit Pontifex. Anteceſſores ſuos nec tenui ſaltè rumore aſperſos fuiſſe, quaſi aliquando cũ praua ſapientibus ſapuerint, *tantum abeſſe, vt concertarint. Reſpondeo*, inquit Chamierus. *Nicolaum non poſſe excuſari ab inſigni mendacio, aut ſaltem ignoratione verum præteritarum: vixit enim non longè poſt ſeptimam Synodum, in qua ipſe Bellarminus fatetur, Honorium inter hæreticos nominatum; nec queritur acta eſſe falſata. Sciuit ergo vel ſcire debuit, Honorium non tantum leui fama de hæreſi fuiſſe aſperſum, ſed penitus condemnatum... Quid Liberium dicam?* &c. Hæc & ſimilia Chamierianæ phaleręſunt. (Quibus etiam mendacia ſua exornat Rainoldus.) Eo ipſo enim, quòd Nicolaus primus tam intrepidè affirmat, neminem anteceſſorum ſuorum hæreſeos poſtulatum eſſe, colligimus, ea, quæ de Honorio & aliis nonnullis feruntur, fabuloſa eſſe. Nec obſtat VII. Synodus, quæ vel ipſa etiam corrupta eſt appoſitione nominis Honorij, vel ſextam Synodum corruptam ſecuta eſt.

Eidem Nicolao Pontifici infringit hunc colaphum Iunius, ſeruus Annæ & Caiphæ. Si vniuersè id pronunciauit: id contigit *ex ambitione & arrogantia, cui Nicolaum iſtum plus ſatis inſeruiuiſſe, tota illa Epiſtola clamat: nam eam quidem certè ſpiritu dictauit ſuperbiæ.* Diabolicum in tantum Pontificè conuicium. Quid mirũ, ſi tam inſolenter & impudenter iſti in recentiores graſſentur; cum vngues ſuos ne à tantis quidem viris abſtineant?

Quintò idem probat Bellarminus; quia Synodus ſexta non potuit Honorium damnare ſine intolerabili impudentia & errore, quod copiosè oſtendit Bellarminus: Reſpõdet Chamierus, *Concilium non fuiſſe impudens, ſed Ieſuitas eſſe ad quidlibet audaces, dum adulentur Oecumenicæ tyrannidi.* Si conuiciari eſt reſpondere; tum, fateor, Chamierum reſpondiſſe; tametſi ne ſyllabam quidẽ attigerit ex iis, quibus Bellarminus ſuam illationem probat: niſi quòd obſcurè mutit, *ſe antea euicciſſe Epiſtolam Honorij purã putam ſpirare hæreſin.* Qualis ſit hæc euictio, poſtea videbimus.

Sexto idem probat Bellarminus. Quia in Cõcilio Romano ſub Martino I. Papa & Martyre, vbi Monothelitæ nominatim damnati, nulla fit mentio Honorij. Reſpondet Chamierus, hanc *Synodum minimum annũ triginta celebratam eſſe ante ſextum Concilium, & abſentibus Græcis Epiſcopis: potuiſſe igitur intra tantum temporis ſpatium alia innoteſcere, præſertim cum Romanorum Pontificum crimina, Romæ potiſſimum, diſſimulari potuerint.* Sed hæc omnia nil aliud ſunt, quàm anilia fabulamenta, & febrilia ſomnia. Si enim vnquam Honorius Monothelitarum hæreſin profeſſus fuiſſet, etiam ſcriptis literis, res iſta Romanos nequaquam latere potuiſſet: cum crimen tanto ſit conſpectius, quanto in celſiore ſede ille, à quo patratur, reſidet. Nec vllo modo credibile ſit, Græcos, poſt tot annorũ interuallum, melius ſciuiſſe, quid Honorius ſenſerit, quàm Romanos, & ipſo in loco, in quo Honorius vixerat, degentes. Nec bona & candida mens ſuſpicari poteſt, Concilij Romani Patres, viros ſanctiſsimos, præcipuè Martinum Papam, Honorij hæreſin diſſimulare voluiſſe, latâ damnationis ſententiâ in Epiſcopos Græcos. Quanti enim ſtuporis & inſipientiæ argumentum fuiſſet, id agere, in quo eos cuiuis promptiſsimum fuiſſet reprehendere, nempe ob omiſſum Honorium inter damnatos, in quibus tamen, vt primus ſede & dignitate, primum locum obtinere debebat, ſi vnquam huic culpæ affinis exſtitiſſet.

Nam quod Rainoldus ait; *Nihil à vero abhorrens dicturum eum, qui putet Martinum de induſtria Honorij mentionem & damnationem prætermiſiſſe; ne notã & maculam Romanæ ſedi inureret; neq; enim Martinum fuiſſe ſanctiorem, quàm Dauidem & alios quoſdam, qui itidem peccauerint; Etiam Agathonem in Synodo VI. dicti ſanctiſsimum, qui tamen ſua in Epiſtola turpiſſimè mentitus fuerit*; id non eſt obiectionis ſolutio, ſed immanis criminatio. Reperit tamen Rainoldus argumentulum, *nam in Romana Synodo Conſultatione I. V. lecta eſt Epiſtola Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani, Hæretici Monothelitæ, in qua Sergius & Honorius in eadem ſententia fuiſſe perhibentur; nec Patres quidquam pro honore Honorij defendendo contra attulerunt, nequaquam tacituri, niſi probè ſciuiſſent, Honorio nullam iniuriam fieri.* Reſpondeo, mirum non eſſe, ſi Hæreticus Paulus Sergio Hæretico & ſibi Honorium adiungere voluit ſocium; nam non tantum *miſerũ ſolatium eſt ſocios habere in pœnis*, vt vulgò dicitur; ſed & hæreticis in hæreſibus iucunda eſt huiuſmodi ſocietas, ſi nõ vera; at ſaltem ficta & ementita. Et eò gratior accidit, quo maior eſt ille qui in ſocietatem criminis pertrahitur. Silentium Patrum nil eſt cur ſiniſtrè interpretemur. Ideo ſiluerunt, quia nemo erat, qui neſciret innocentiam Honorij; & quàm iniquè Sergio annumeraretur. Nonne ſatis à culpa liberarunt & abſoluerunt Honorium, quando poſtea, quoties Monothelitarum mentio facta eſt; aut in eos anathema iactum, prætermiſſus eſt Honorius, non prætermittendus ſi Sergij in hæreſeos crimine ſocius fuiſſet.

Obiicit Rainoldus Trullani conciliabuli Patres. Sed cuius iſti ſint auctoritatis & fidei, iam ſæpe vidimus. Obiicit Synodum octauam generalem ſub Adriano II. vbi aſſerit Pontifex, *fuiſſe Honorium iudicatum poſt mortem à Concilio VI. quod hæreſeos accuſatus fuiſſet.* Reſpõdeo, Adrianum corrupta VI. Synodi exemplaria fuiſſe ſecutum. Corrupta autem fuiſſe à Theodoro, olim Patriarcha Conſtantinopolitano, & poſtea propter

hære-

hæreſin de ſede deiecto, qui expuncto ſuo nomine nomen *Honorij* ſubſtituit; docet Baronius Anno Chriſti DC. LXXXI. Num. 25. & ſeq.

Obiicitur quoq; Epiſtola Agathonis, in qua dicitur *Anathema Honorio.* Sed rectè monet Bellarminus nomen *Honorij* in ea Epiſtola non exſtare, & errare Canum id affirmantem; vt & tunc, cum idem Canus dicit, *Agathonis Epiſtolam ſcriptam eſſe ad Concilium VI.* nam ad Imperatorem Conſtantinum ſcriptæ ſunt ambæ Agathonis Epiſtolæ. Rainoldus pro Cano arma ſumit: Et ita Bellarminum aggreditur. *Agatho generatim damnat Monothelitas in ſuis Epiſtolis; ergo & Honorium, quia etiam Honorius Monothelita fuit. Ergo Canus non errauit, quando dixit*; Honorium *fuiſſe ab Agathone anathemate percuſſum.* Non habeo, quod huic acutiſsimo argumento reponam, niſi illa Rainoldica verba. *Reſponſionem.* vel ſi mauis, defenſionem, *emortuam, neq; plus caloris in ſe habentem, quàm habebat ille, de quo Martha legitur Chriſto dixiſſe: Domine iam olet, quatuor enim dierum eſt: niſi longè minus habere iudicanda ſit, & perinde ſætere, ac ſi quatuor eſſet annorum, non dierum.* Ita Rainoldus contra Rainoldum. Et quidem non abſonè.

Proferunt quoque Epiſtolam Leonis Papæ hoc nomine ſecundi; *qui execratur Honorium, tanquam Hæreticum.* Reſpondet Bellarminus, Epiſtolam Leonis ab iiſdem eſſe corruptam, à quibus corrupta eſt ſexta Synodus. Baronius ad annum Chriſti DC. LXXXIII. Num. 4. & ſeqq. hanc Leonis & alias eius Epiſtolas probat eſſe adulterinas. Rainoldus manibus pedibuſque reluctatur, ne ſibi ſuiſq; Leonis teſtimonium eripiatur. Quidquid Antilogiæ & aſyſtatæ incõſtantiæ Baronius ex illa Epiſtola ad Conſtantinum Imp profert, id totum in Librarios inconſideratos & in menda typographica reiicit; Et vt hoc euincat; ſtultè errata quædam Typi ex Baronianis Annalibus colligit. Denique, nihil quamuis delirum, effutire vetetur, ea ſolum de cauſſa, vt Honorium ſibi ſimilem, id eſt, Hæreticum faciat, ſed Annales illuſtriſsimi Baronij in medio ſunt, cõſulantur, legantur, & concidet Rainoldi vanitas, qui etiam illud Bellarmini arripuit, ab iiſdem Epiſtolam Leonis eſſe vitiatam, à quibus Acta Synodi. Obiicit. *Theodorum Epiſcopum Cõſtantinopolitanum, poſtquam edita Catholicæ fidei profeſſione ſedem recuperauerat, Protocollum ſiue autographum Synodi falſaſſe; Baronio teſte; ad hunc Theodorum nõ fuiſſe amplius ſuperſtitẽ, quando Leo hanc Epiſtolam ſcripſit; nam Theodorum ſedem recuperatam tenuiſſe duntaxat Anno vno, & menſibus decem*; vt ſcribit Nicephorus in Chronico; *Sedem verò Romanam poſt Agathonis mortem vacaſſe vnum annum & menſes ſeptem, ipſo Baronio teſte; fieri ergo non potuiſſe, vt tribus menſibus, qui ſunt exordium Pontificatus Leonis. Epiſtola eius Conſtantinopolim delata falſaretur à Theodoro, etiamſi daremus Leonem primis ſtatim electionis & ordinationis ſuæ diebus Epiſtolam illam exaraſſe, quia Theodorus vel iam mortuus fuerat, vel certè morti vicinus.* Sed hæc tota Rainoldi *loquentia*

A nil aliud eſt, quam φλυαρία: nam ſiue Theodorus adhuc vixerit, quando Leo Epiſtolam iſtam ſcripſit, ſiue obierit, nihil intereſt; cum enim Bellarminus dicit, ab iiſdem corruptam Epiſtolam Leonis, à quibus ſexta Synodus corrupta fuerat, neceſſe non eſt, vt loquatur, de iiſdem numero hæreticis; quia, quod dixit, verum erit, licet de iiſdem ſpecie hæreticis intelligatur. Si enim dicam: eoſdem Hæreticos excitaſſe bellum Argentoratenſe vel Colonienſe, qui excitarunt bellum Schmalcaldicum; non eoſdem numero, ſed ſpecie denoto, nempe Lutheranos. Sic & Bellarminus eoſdem ſpecie Monothelitas ſuo illo modo loquendi deſignauit.

Qui Honorium hæreſeos accuſant, varios au-
B ctores proferunt; vt hic videre licet apud Bellarminum, qui opponit auctores auctoribus, & inprimis S. Maximum, qui tempore Honorij vixit, cuius pondere omnes alij opprimuntur. Hic in diſputatione cum Pyrrho, Honorium à labe Monothelitica liberum penitus pronunciat; & teſtimonio eius, qui Honorij Epiſtolam ſcripſerat; oſtendit, mentem Honorij non fuiſſe duas voluntates, hoc eſt, diuinam & humanam in Chriſto negare; ſed tantum hoc; in Chriſto nec eſſe, nec fuiſſe duas voluntates contrarias.

Sibrandus clamat, *Maximum iſtum adhuc latere in Bibliotheca Vaticana; ac proinde ſe non obligari, vt quidquam ad auctoritatem eius reſpondeat.* Sed iam
C prodiit in publicum Græcè & Latinè ad calcem Tomi octaui Baroniani. Quid ergo iam reſpondebis ad hoc tanti viri teſtimonium? Forſan calculo tuo approbabis hanc Danæi veſanã amentiam. *Qua ex Maximi libro omnibus ignoto* (an quia tibi & tuis ignotus eſt, ideo omnibus ignotus eſt?) *Bellarminus affert, quis dubitat, quin ea in Pontificum Romanorum gratiam fuerint à quopiam Monacho ſuppoſita, conficta,* (Tu ſcilicet intereras, quando malè ſanus figulus ea fingebat) *& nomine celebris illius Maximi venditata,* &c. *Ha ſunt nempe Monachorum fraudes, & Diabolicæ techna* (Caluiniſtarum) *nam & ipſemet Maximus teſtatur, iuſſu Ioannis Papæ, ſcribam Honorij falſum eſſe, non id ſenſiſſe iam mortuum Honorium, quod ipſo dictante ſcripſerat tamen.* Non ita loquitur S. Maximus, ſed hunc in modum. *At is*
D (ſecretarius Honorij) *ad Imperatorem Conſtantinũ ſic de illa Epiſtola, iuſſu Ioannis Papæ, ſcripſit. Sanè quòd vnam Domini noſtri voluntatem diximus, non eſt accipiendum, quaſi de duabus diuinæ & humanæ naturæ dictũ voluntatibus, ſed humanæ tantum: Cum enim Sergius ſcripſiſſet, prædicare quoſdam duas eſſe Chriſti voluntates contrarias, nos reſcripſimus Chriſtum duas voluntates contrarias non habere.* Hæc S. Maximus, quæ longè aliter tinniunt, quàm illa Danæana.

Etiam Iunius diſputationem S. Maximi cum Pyrrho in dubium vocat. *Non exſtat*, inquit. (At iam exſtat, habita in Africa Anno Redemptoris DC. XLV. Theodori Papæ Anno IV. Conſtantis Imperatoris itidem IV.) *Et verò ſuppoſitum eſſe Dialogum, ſiue Ioannis IV. iſtius iuſſu, ſiue emendicato*

Maximi & Ioannis IV. nomine vel ex eo constat, quod post illud tempus fuit omnino incognitus Patribus Synodi illius VI. & ipsis legatis Romanæ sedis, & sequentibus Synodis. Summa Iunianæ probationis huc redit. *Disputatio Maximi cum Pyrrho non citatur in Synodo sexta, aliisue Synodis; ergo est supposititia.* Quid tutũ erit, si hic non argumentandi, sed delirandi mos toleretur? Nec ipsius S. Maximi mentio fit in Synodo VI. quod sciam. An igitur commentitius Maximus? Quid opus erat hanc disputationem citare, cum quæ de Honorio illis in Actis leguntur, sint insititia, & peregrina, vt hactenus probatum.

Addit Iunius. *Qui ista confingunt, non vident, Ioannem istum ante de vita decessisse, quàm ille Constantinum Imperium obtineret.* Suspicari quis posset errore Librarij in textum S. Maximi irrepsisse *Constantinum* pro *Constante*; Et ita sensisse videtur Baronius Tom. 8. Anno Christi DC. XL. vbi in margine pro Constantino ponitur *Constans*. Sed nil opus mutatione vlla; quia Constantinus iste est filius Heraclij, qui & cum Patre, & mortuo Patre, solus, tametsi exiguo tempore, imperauit. Cuius tempore agebat Ioannes Papa secundum sui Pontificatus annum. Vide Baronium Anno Christi DC. XLI. Meminit huius Disputationis S. Maximi cum Pyrrho etiam Photius in sua Bibliotheca Volum. 195. Mirum, quàm impudenter isti reiiciant, quæ ad ipsorum saluam nõ faciunt. Si S. Maximus dixisset, *Honorium fuisse Monothelitam*; disputatio illa Caluinistis non modò authentica, sed & propemodum Canonica visa fuisset.

Secundò profert Bellarminus Theophanem Isaurum, ex Onuphrio in Annot. ad Honorium Platinæ; certè Theophanes nullum penitus verbum habet de Honorij hæresi vel damnatione in Synodo sexta. (Habeo enim Græcum exemplar manuscriptum Theophanis.) Cum tamen Sergium, Pyrrhum & Cyrum Monothelitas nominet & in sexta Synodo damnatos scribat, non omissurus Honorium, si cum cæteris eandem damnationem subiisset. Ex quo concidit cauillatio Rainoldi, qui dicit Theophanem *esse testem mutum*: non est mutus testis; sed adeo vocalis vt aures Rainoldicæ vocem eius ferre nequeant: Cum enim nominatim damnatos in Synodo VI. exprimat, cur, quæso, omissus ab illo Honorius, si fuit in eadem cum reliquis damnatione? Valde insultat Rainoldus Baronio, quod dixerit, *Theophanem esse cæteris antiquiorem & fideliorem in rebus sextæ Synodi referendis: Bedam enim & septimæ Synodi Patres, ipso Baronio teste, antiquiores esse Theophane.* At si dicas; Baronium loqui de Græcis Historicis, non de Latinis, & Theophanem patribus septimæ Synodi non fuisse posteriorem, sed parem; viuebat enim eo tempore, & Chronica sua perduxit vsq; ad secundum annum Michaëlis Curopalatæ Imper: seu Leonis Armeni primum, vt docet Baronius Anno Christi DCCC. XIII. mox tota Rainoldicarum criminationum machina concidet.

Tertiò profert Bellarminus Emmanuelem Calecam libro quarto contra Græcos; qui Honorium semper Catholicum fuisse docet; adducto, probationis caussa, testimonio S. Maximi ex disputatione cum Pyrrho. Cuius opus olim ab Ambrosio Camaldulensi ex Græco in Latinam linguam conuersum; superiore anno excusum est Ingolstadij, studio & opera Magnifici Domini Doctoris *Petri Steuartij*, Academiæ Ingolstadiensis Procancellarij ac Professoris Theologi. Quid Rainoldus? *Caleca, Dominicani Ordinis fraterculus, eandem scribæ Honorij, sub glorioso beati Maximi tunc viuentis nomine, confibulam pro capite Pontificiæ statuæ apparauit.* Quis fuerit Caleca, & quando floruerit, discès ex notis *D. Steuartij* ad libros Calecæ. Doctissimus certè fuit; natione Græcus: De ordine Prædicatorum fuisse testatur Turrecremata lib. 2. summæ de Ecclesia cap. 93. Citatur etiam ab Onuphrio in Annot. ad Platinam in Honorio. Maior omnino est Calecæ auctoritas & eruditio, quàm, vt Rainoldicis conuiciis obteri queat.

Profert insuper Bellarminus Photium in libello de VII. Synodis; qui vbi de sexta Synodo agit, Honorium prætermittit; saltem in aliquibus libelli eius exemplaribus nõ comparet Honorius. Exstat tamen nomen Honorij, inter damnatos, in Græca editione; quã ante aliquot annos typi Augustani dederunt. In Bibliotheca quoque sua, vbi de sexta Synodo Photius disserit; Honorium damnatis annumerat. Nec aliud à capitali Romanæ Ecclesiæ hoste exspectari poterat.

Post Photium sequitur Zonaras in vita Constantini Imperatoris. Rainoldus hunc sibi non patitur eripi. Vociferatur ergo. *VVolfius cum exemplaria quinq; haberet, in quorum vno deletum nomen Honorij reperit, id in excuso expunxit, testificans factum sum hac nota. ἀνοσίου φάμης.* In Viennensi Codice hæc verba rectè deleta esse videntur, ante *κύρι ἀλεξανδρείας, cum Agathonem Romanum Episcopum paulò ante recensuerit.* Sic VVolfius. Displicet Rainoldo, quòd VVolfius non potius habuerit rationem quatuor aliorum exemplarium, quàm vnius, in quo nomen Honorij deletum fuerat. At VVolfius non dicit: nomen Honorij fuisse expressum in quatuor aliis codicibus. Et certè si in quatuor hisce codicibus nomen Honorij reperisset, expressisset vtique; non obstante, quòd ineptum id esse crederet: nec vnum cæteris antetulisset: Sed cum id in cæteris non videatur inueniisse; in Viennensi autem exemplari deletum deprehendisset, haud temere induci potuit, vt illud penitus omitteret; nam quod Rainoldus dicit in libro Synodico (illum, opinor, intelligit, quem Pappus Græcolatinè publicauit) & apud Cedrenum nomen Honorij exprimi; id non obstat.

An

An ideo sequitur, à Zonara quoque Honorium damnatis accensitum fuisse?

Paulum Diaconum seu Miscellam Historiam ait Rainoldus *esse testem mutum*. Sed hoc iam refutatum est, cum supra simili artificio Theophanis auctoritatem eludere conaretur. Anastasium Bibliothecarium ad suas partes Caluinista trahere nititur. Sed frustra: nam in sua Historia idem prorsus quod Theophanes scribit. vt & in vitis Pontificum, in Honorio & Agathone. Quocirca non immeritò suspicamur in vitam Leonis secundi, nomen Honorij per incuriam librariorum irrepsisse. Ex qua obseruatione ruunt omnes cauillationes & lœdoriæ Rainoldi, quibus traducit Bellarminum, quod fateatur *librum Pontificalem* ponere Honorium in Leone secundo, inter damnatos, & tamen citare Anastasium, quasi neget Honorium in Synodo sexta damnatum fuisse: cum Anastasius sit Actor *libri Pontificalis*, vel saltem posterioris partis illius libri. Sed Bellarminus citauit Historiam Anastasij, non vitas Pontificum. Et si has citasset; nihil absonum egisset, quia nomen Honorij intrusum est ab aliena manu in historiam Leonis secundi, vt iam semel atque iterum diximus.

Blondi, Platinæ & similium auctoritátem eluat Rainoldus tanquam recentium. Quam verò priscus Canus & alij, quos contra Honorium allegat Rainoldus? In librum Bedæ de sex ætatibus, *Honorij* nomen irrepsisse, nihil dubitat Bellarminus, quia in historia Anglorum loquitur de Honorio, tanquam de optimo pastore; & in vita S. Bertolfi *beatum & sanctum* nominat; & miris laudibus exornat. Respondet Iunius vocari à Beda *beatum κατ' ἐυφημισμὸν, vt omnes vita functi appellari solent. Sanctum verò secundum receptam opinionem propter sanctitatem non personæ, sed vocationis ac sedis Romanæ.* Sed hoc diuerticulum est inane, quis enim hæreticum defunctum, vnquam vocauit *beatum*? Mirabilis profectò *εὐφημισμὸς* foret, si quis de Ario, Eunomio, Nestorio, Eutyche loquens, eos *beatos* nominaret. Quis talem cum suis *beatis non execraretur*? Et quamuis Romanæ sedis Antistites dum viuunt, soleant appellari *sancti & sanctissimi* propter sanctitatẽ sedis & muneris; si quis tamen manifestus esset hæreticus, vt fuisse fingitur Honorius, hoc elogium ei minimè competeret; quia iam non pastor sed lupus esset, deque officio & throno Petri excidisset, præsertim si à Concilio Oecumenico hæreseos palam damnatus fuisset; nam quàm parum Beda *Cyrum* vocauit *sanctum* aut *beatum* propter sanctam sedem Alexandrinam; aut *Pyrrhum* propter *sanctam* sedem Constantinopolitanam, tam parum vocasset Honorium iam hæreseos compertum, notatum & damnatum; *sanctum & beatum*; quia non solum pietas, sed & ratio apertissimè reclamat, ne hæretico tale elogium tribuatur.

A Rainoldus oggerit; Euangelistas, *etiam de Iuda Iscariote loqui, vt de laudabili operario. Num ergo ex critica Bellarminiana videtur sciolus quispiam in Euangelistis addidisse, quæ Iudam proditionis Christi accusant?* Exemplum dissimile: nam si quid Euangelistæ scripserunt, quod ad Iudæ laudem spectare videatur, id ei cum cæteris Apostolis commune fuit, & quidem diu ante traditionis piaculum & sacrilegium, vt patet locis à Rainoldo citatis Matth. 9. & 10. Marci 3. & 6. Lucæ 9. nihil enim speciatim scriptum reliquerunt, quod ad propriam ipsius Iudæ laudem pertineret; nisi fortè Rainoldus admodum honorificum Iudæ accidisse arbitratur, quòd à Christo appellatus sit *Diabolus*, & à S. Ioanne *fur*. Nec quidquam in
B Euangelicis vel Apostolicis literis reperitur, ψ in Iudæ laudem post mortem illius sit dictum, aut scriptum. At Beda loquitur de Honorio pridem defuncto (triginta enim annis prius obiit Honorius, quam Beda nascereturi; si suo in computu nos non fallit Rainoldus.) Si ergo Honorius Monotheliticæ hæreseos reus & damnatus fuisset, nunquam *sancti, beati*, & id genus aliis titulis post mortem à Beda cohonestatus fuisset; quia in his non tam principium, quam finis spectari solet. Quis enim post furta & proditionem Iudæ, Iudam appellauerit *beatum & sanctum*, licet cum cæteris Apostolis à Christo ad doctrinam
C Euangelij prædicandam missus fuerit, & fortè miracula fecerit, & fortè reipsa itidem bonus ac sanctus fuerit? Nec Beda dicit, Honorium fuisse aliquando *sanctum & beatum*; ante videlicet, quã in hæresin incurreret; sed absolutè *sanctum & beatum, doctrina clarum, dulcedine & humilitate pollentem* nominat. Quæ profecto eiusmodi sunt laudes, vt in nullum hæreticum verè quadrent: vt Beda minimè omnium ignorauit. Hactenus de prima Honorij defendendi ratione.

Altera est, quam Bellarminus itidem adfert, vt dicamus, Honorium, non quidem fuisse hæreticum, sed vt Hæreticum in Synodo VI. damnatum ex falsa informatione & malo intellectu Epistolarum Honorij: neque enim inconueniens est, affirmare, Synodos, etiam Oecumenicas, in quæstione particularis alicuius facti decipi
D posse. Et probatur, quia in Epistolis Honorij nullus continetur error: Nam rem ipsam duarum in Christo voluntatum & operationum cõfessus est Honorius, & solum prohibuit nomina vnius vel duarum voluntatum, idque prudentissimo consilio; vt copiosè ostendit Bellarminus.

Rainoldus dicit, *se nolle cum Bellarmino litigare, quàm prudenter aut quo prudentiæ genere vetuerit Honorius tum vnius in Christo voluntatis, tum gemina, vocabula vsurpari; nam in Synodo Romana sub Martino consultat. IV. asseri, perinde esse prohibere vtrumq;, ac si perderetur iustus cum impio*, &c. Sed Caluinista animaduertere debebat, Synodum Romanam non contra Epistolam Honorij eo in loco agere, sed

contra *Typum* ab Imperatore, suasu Pauli Constantinopolitani Episcopi hæretici publicatum, in quo simpliciter, & grauibus pœnis propositis, interdicebatur, ne quis in posterum disputaret *de vna in Christo voluntate, aut vna operatione; aut de duabus voluntatibus & duabus operationibus*; Et hoc postquam iam Monothelitica hæresis, longè latéque diffusa erat, vt ex ipso *Typo* seu *formula* Concordiæ constituendæ apparet. Et hoc improbarunt Patres Romanæ Synodi in illo *Typo* Imperatorio, quia indignum erat, vt cum falsitatis professione, simul tolleretur professio veritatis de duabus in Christo voluntatibus & duabus operationibus: nec Typus iste de modo solum loquendi agebat; re salua; sed cum phrasi rem ipsam eliminabat. At Honorius rem saluam reliquit; & tantum à loquendi modo abstinendum censuit; quia huius sectæ malum tunc adhuc erat in herba; & necdum in longè latéque diffusam messem excreuerat: Sperans igitur hoc temperamento incendium impediri posse ne in publicum erumperet, illud adhibendum censuit; at posteaquã omnia latè occupauit & vastauit, causæ nihil amplius erat; cur à modo loquendi, duarum scilicet in Christo voluntatum & operationum abstineretur; cum hac moderatione effrenis Hæreticorum licentia nequaquam fuerit compressa.

Chamierus dicit; *Catholicos nunquam concedere voluisse, vt aboleretur vocabulum* Homousij *propter Arianos, qui in Concordiam cum orthodoxis regressuri videbantur, si hæc vocula exterminaretur, vt salua*; *Ergo nec Honorium hortari debuisse, vt abstineretur à locutione ista, qua duas voluntates & operationes in Christo profitemur*. Respondeo, esse disparem rationem. Nam vocabulum *Homousij* à maximo & celeberrimo Concilio Nicæno comprobatum, & Catholicis, tanquam clypeus, aduersus Arianos, traditum fuerat; hinc non decebat, vt Catholici hanc vocem sibi eripi paterentur, præsertim cum non ignorarent, Arianos fallaciter omnia agere, nec tam de voce, quàm de re voci subiecta, sollicitos esse. At de illa duarum in Christo voluntatum & duarum operationum phrasi; nihil simile adhuc vlla in Synodo antecesserat; nec in apertum adhuc Monothelismus eruperat, sed controuersia hæc inter Episcopos agitabatur; quorũ rixam sperabat Honorius componi posse, si ab illa loquendi formula abstineretur.

Caluinistæ, Rainoldus, Chamierus, Iunius, Honorium, etiam reipsa Monothelitam fuisse probant ex eius Epistola; quia *confitetur tantum duas in Christo naturas; quod non est satis ad vitandum Monothelismum; nam & Sergius, Pyrrhus, Cyrus & alij Monothelitæ confitebantur palam duas in Christo naturas; & tamen negabant duas voluntates seu operationes.* Et hanc fuisse Monothelitarum opinionem admodum verbosè demonstrat Rainoldus. Iunius quoque queritur hæc verba Honorij à Bellarmino per mutilationem prætermissa: *Cæterum quantum ad dogma Ecclesiasticũ pertinet, quæ tenere, vel prædicare debemus propter simplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæstionum ambages; sicut superius diximus, non vnam, vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire; sed vtrasq; naturas in vno Christo vnitate naturali copulatas*, &c. Et illa tibi, Bellarmine, inquit Iunius; *non vnam vel duas operationes, &c. sunt Catholicissima, & Monothelitarum hæresin penitus destruentia*? Sed non est, cur hæc Prædicantica cymbala & sistra nos terreant. Nam Honorius non dixit, *tantum duas esse in Christo naturas*; quod Monothelitæ non inficiabantur; sed esse duas in Christo naturas; *vnitate naturali copulatas* (quia in vna hypostasi substantialiter subsistunt) *cum alterius communione operantes atq; operatrices; & hoc nos confiteri debere*. En Honorius diserte duas naturas distinctas agnoscit & prædicat in Christo, & quidem naturas *operantes & operatrices*; ergo, vt duas naturas, sic & duas operationes in Christo statuit; ergo non vnam tantum; vt Monothelitæ faciebant; nam duæ naturæ *operantes & operatrices* necessariò arguunt duas operationes; ergo & duas operationes duarum voluntatum, vnam scilicet diuinæ voluntatis, & alteram; humanæ. An non sunt hæc Catholica & Monotheliticæ sectæ prorsus aduersantia?

Nec obstant illa; *Non vnam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire*; quia ad modum loquendi duntaxat pertinent; à quo abstinere volebat Honorius, sperans, hac ratione partes discordantes in Concordiam reduci posse. Hinc volebat, vt confiteremur & prædicaremus, *ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, diuinitatis & carnis assumptæ in vna persona vnigeniti Dei Patris inconfusè, indiuisè atq; inconuertibiliter propria operantes*. En iudicio Honorij natura diuina & humana in Christo *operantur propria*, id est, proprias sibi operationes exercent; ergo & humana in Christo natura exercet in Christo illam suam propriam operationem, quæ vocatur *velle, nolle*.

Obiicit Chamierus: Hæc Honorij verba: *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri* IESV *Christi*, &c. nimis clarè Honorij Monothelismũ patefacere. Iam respondit Bellarminus; ea intelligi de vna voluntate humana; non de duabus pugnantibus, quarum vna sit spiritus; altera, carnis; vt in nobis accidit. Occinit Chamierus. *Atqui sic essent aliena à quæstione, neque enim hoc controuertebatur inter Catholicos & Monothelitas*. At hunc, quem dicit Bellarminus, fuisse Honorij eo loco sensum, testatus est Secretarius ipsius Honorij apud S. Maximum, cui, cum ipse Pyrrhus Monothelita dixerit, *plus esse credendum, quàm Constantinopolitanis*, iure etiam nos plus ei fidei habemus, quàm Nouatoribus nostris.

Deinde negamus, dictum Honorij non esse ad rem in hoc sensu; imò vel maximè ad rem facit;

facit: Nam in epistola illa ostendere, præter alia voluit, quid filius Dei assumpserit, quid non. Quare inquit; *Vnde & vnam voluntatẽ* (assumptam scilicet cum vna humana natura) *fatemur Dei nostri Iesu Christi; quia profecto à diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa* (loquitur ergo de voluntate humana assumpta, spiritui subiecta & obsecundante) *illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Quis non videt, Honorium hic tantùm loqui de vna voluntate humana sancta & recta, in nullo spiritui aduersante; exclusa solùm à Christo illa voluntate, quæ in nobis ex corrupta natura exstitit?

Obiicit Chamierus illa: *Non veni facere voluntatem meam: Non quod ego volo, sed quod tu. Nam Honorius ad ista respondens ait: Non sunt hæc diuersæ voluntates; sed dispensationis humanæ assumptæ. Ex quibus patet, Honorium existimasse, hæc non fuisse verè dicta, sed per dispensationem tantùm, hoc est, artificiosè, vt exemplum nobis relinqueretur nostræ voluntati diuinam præferendi.* Mirabilis profecto hæreticorum peruersitas est, qui Honorium, etiam obtorto collo, ad Monothelitarum castra pertrahere non verentur: non enim verborum Honorij sensus est; Christum non habuisse veram voluntatem humanam; sed non habuisse contrarias voluntates humanas & inter se pugnantes, quasi necesse fuerit vnam vincere & mortificare, more nostro, in quibus voluntas per peccati corruptelam vitiata est; sed Christum ita locutum esse, ac si haberet contrarias voluntates, vt nos doceat mortificare propriam voluntatem, quæ sæpe aduersus Deum rebellare nititur. In hoc sensu, quid non pium, quid non orthodoxum? Neque enim in voluntate Christi vllus repugnantium actionum conflictus & spiritui contrarius vnquam exstitit. Quanquam illa: *non quod ego volo, sed quod tu, &c.* etiam ad appetitum sensitiuum referri possunt. Sed iam hoc non quæritur, sed tantùm quid Honorius senserit, & num impietate Monothelitica sese obstrinxerit. Admodum quoque hic tumultuatur Rainoldus. Clamat, sed absque vlla probatione; *mentem Honorij à Bellarmino peruerti.* Honorium verbis illis: *Vnde & vnam voluntatem fatentur Domini nostri Iesu Christi, &c.* non loqui de humana solùm natura, sed de integra persona Christo Deo & homine. Ita est, loquitur Honorius de integra persona, atque hanc integram personam assumpsisse tantummodo vnam voluntatem humanam, diuinæ semper conformem, nunquam difformem. Quid amplius, Rainolde? Num hoc Bellarminum ferit, aut Honorium in castra Monothelitarum coniicit? Vrget illam voculam: *Vnde &, & c. eamq; ineptissimè præcedentibus ab Honorio copulatam esse* dicitat; *si de altera tantum natura, de homine Christo, egerit; aptissimè verò si de tota persona.* Aptissimè profectò delirat Rainoldus, nec scio, vtrum vel obiter sua dicta intelligat. Honorius & in antecedẽtibus & in consequentibus de tota Christi persona loquitur; & in consequentibus quidem astruit, in Christo, seu in Christi tota persona, in Christo Deo & homine; esse vnam tantummodo voluntatem; humanam scilicet & assumptam, nec vllam aliam spiritui obluctari solitam, & ex corruptione peccati natam. Quod verissimum est. Nec vnquam Honorio in mentem venit ineptia ista Rainoldica: *Culpa non est assumpta.* vt dicit Honorius, *ergo humana voluntas non est assumpta: ergo sola diuina voluntas est in Christo Deo & homine.* Rainoldica, hæc est consecutio, non Honoriana. Quasi verò voluntas humana in se secundum *entitatem* suam sit culpa, aut in se aliquid culpæ contineat, vt proinde absque labe assumi nequeat; etiam iudicio Honorij, qui probè norat, ita humanam voluntatem labis & vitiosæ inclinationis prorsus expertem assumi posse, & reipsa itidem assumptam fuisse; quemadmodum integra natura maculæ omnis & vitiosæ propensionis exsors assumpta est: talis nimirum natura, *quæ ante peccatum creata est*, vt inquit Honorius, *non quæ post prævaricationem vitiata.*

Obiicit Rainoldus: *Eodem, quo Honorius loquitur, modo loqui etiam Paulum Episcopum Constantinopolitanum, de quo nullus dubitet, quin Monothelita fuerit.* Verba Pauli dicit Rainoldus esse ista. *Vnde & vnam voluntatem Domini nostri* IESV CHRISTI *intelligimus: ne contrarietatem, aut differentiam voluntatum vni eidemque personæ Domini nostri* IESV CHRISTI *applicemus.* Respondeo, hæc huius Pauli verba tantùm distare à verbis Honorij, quantum distat falsum à vero, & vice versa. Nam Honorius expresè loquitur de vna voluntate humana & assumpta: Paulus iste de vna voluntate absolutè, eaque solummodo diuina; ratus si in Christo voluntas humana constitueretur, fore, vt diuinæ voluntati aliquando dissentanea esset; quasi verò humana voluntas beneficio diuino, non possit eò rectitudinis perduci, vt diuinæ voluntati simpliciter loquendo nunquam sit aduersa seu contraria. Idem responsum sit Rainoldo ad similem loquendi modum, quem ex Sergio Monothelita profert, quasi Honoriani sensus esset.

Sed ecce magnum opus inceptat Rainoldus. Ex ipso sancto Maximo euincere aggreditur, mentem Honorij non rectè à Bellarmino explicari. Sic instat: *Honorius, agnoscente scriba, negauit duas illas in Christo voluntates, quas Sergius in ipso contrarias à quibusdam prædicari dixerat. At Sergius contrarias prædicari scripserat diuinam & humanam, ergo quando Honorius negauit duas in Christo voluntates, negauit in Christo esse voluntatem humanam.* Respondeo, Maiorem esse *Rainoldicam*, hoc est, futilem & friuolam. Nam secretarius Honorij expresè dicit: *Rescripsimus, Christum non habuisse duas voluntates contrarias, carnis, inquam, & spiritus*: ergo Honorius, teste eius Secretario, *non negauit in Christo illas duas voluntates*, nempe diuinam & humanam absolutè spectatam, *quas Monothelitæ, & ipse Sergius*

tametsi obliquè, rectè, & fraudulenter tunc quidem, cum ad Honorium scribebat; dicebant esse contrarias; sed negauit in Christo esse voluntates duas humanas; alteram, spiritus; alteram, carnis; voluntati spiritus & voluntati diuinæ resistere consuetam. Nec sequitur, Honorium ita respondendo, nil respondisse ad rem: nam hoc ipso, quòd voluntatem carnis à Christo exclusit; contrarietatem quoque voluntatis humanæ cum diuina à Christo excluſit: neque enim voluntas humana, quæ, vt loquitur Honorius, *ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata est*; diuinæ voluntati aduersatur; vt perperam sibi Monothelitæ persuadebant. Itaque quidquid Sergius sub illa duarum voluntatum *contrarietate* intellexerit, & siue iam tum voluntatem creatam necessariò diuinæ voluntati interdum aduersam & contrariam statuit, siue id tantum de voluntate carnis asseruerit; aptè respõdit Honorius, in Christo nõ esse duas voluntates contrarias, carnis scilicet & spiritus; quia remouendo à Christo voluntatem carnis, remouit ab eodem contrarietatem inter humanam & diuinam voluntatem; nam voluntas humana recta; (habuit autem Christus rectissimam voluntatem humanam, qualis itidem iam est voluntas beatorum in cœlesti patria) nunquam est diuinæ voluntati contraria. Quocirca insigniter mentitur Rainoldus; ex testimonio scribæ Honoriani patere, Honorium inficiantem diuersæ, (hoc est, contrariæ) *voluntatis esse, quæ Christus dixit de sua & Dei voluntate, voluntatem humanam detraxisse Christo, vnicaque Christum totum, Deum & hominem, præditum existimasse.* Digna Rainoldo calumnia. Nam Honorius per *non diuersam voluntatem* intelligit, *non contrariam*, non aduersantem, non repugnantem. Itaque quando dicit: *Non quod ego volo, sed quod tu*; non esse *diuersæ* voluntatis; tantum hoc vult; hoc dictum Christi, non esse profectum ex carnis voluntate rectæ voluntati humanæ, & ipsi etiam voluntati diuinæ contraria.

Pari impudentia mentitur Rainoldus, Secretarium Honorij fraudulenter *bonam quidem, sed alienam mentem Honorio affinxisse, idque in gratiam Ioannis Papæ, cuius fuerit Amanuensis, ad tuendam Romanorum Pontificum existimationem.* Bene habet; contra hanc criminationem stat pro Secretario ipse sanctus Maximus, cui nulla huiusmodi suspicio de hoc Secretario suborta est; stat pro eodem ipse Monothelita Pyrrhus: qui fassus est, Secretarium istum esse fide digniorem Constantinopolitanis. Et vt innumeros alios testes omittam, stat pro hoc Secretario ipsa eius innocentia & integritas, ab ipso sancto Maximo laudata & litteris commendata. Ait enim, cum talem fuisse, qui *omnis virtutis splendore & religionis disciplina, totius occidentis partes ornarit.*

Chamerus optat Disputationem S. Maximi cum Pyrrho *in publicum prodire.* Iam prodiit. Addit imperitissimè. *Facile potuisse Secretarium, cum videret & hæresin ipsam damnatam, & cum ea suum magistrum; excusare, quæ ante sua ipse scripserat, vt plerumque Secretarij solent, siue à magistro dictata acceperat:* Hæc, inquam, non tantum calumniosè, sed & imperitissimè dicuntur: nam Disputatio sancti Maximi cum Pyrrho, in qua hæc sanctus Maximus de Secretario Honorij refert, habita est anno Redemptoris DC. XLV. Synodus vero sexta, in qua Honorius damnatus dicitur, inita est anno Christi DC. LXXX. Longè igitur antea acciderunt ea, quæ de Honorij Secretario narrat S. Maximus, quàm sexta Synodus celebrata fuerit.

Cauillatur Rainoldus, Honorium in tota sua epistola nunquam ita loqui; *nec vnum nec duas voluntates in Christo dici debere*; sed, *nec vnam, nec duas operationes.* Quasi verò non sit vnum & idem; si non absolutè: certè ex Monothelitarum mente; qui hoc nomen adepti sunt, quòd vnam voluntatem, vniusque voluntatis, nempe diuinæ, vnam operationem in Christo statuerent, omissa voluntate humana, eiusque operatione, quòd crederent hanc sine contrarietate cum diuina voluntate in Christo constitui non posse. Satis de Honorio.

CAPVT XII.

De aliis septem Pontificibus.

ACCVSANT Centuriatores Martinum Papam hoc nomine primum, quasi cum Nouatiano senserit, quãdo in epistola ad Amandum Episcopum scripsit, *non esse veniam dandam illis, qui post ordinationem suam in lapsum ceciderint.* Respondet Bellarminus: Martinum non loqui de venia peccatorum, sed de restitutione ad sacra ministeria. Non diffitetur hoc Iunius, sed reprehendit Bellarminum, quòd alterum caput accusationis, & quidem longè grauius præterierit; nam Centuriatores etiam hoc crimini dant Martino, quod dixit: *Legem nihil magis à nobis requirere*, quàm *quod possimus præstare.* Grandis accusatio, grandis culpa Martini, qui affirmarit, Deum nil impossibile à nobis exigere. Grandis culpa Bellarmini, qui hanc tantam accusationem non depulerit à Martino, qui Amandum Episcopum consolans, & ad retinendum pastorale officium cohortans, his verbis vti ausus est: *Tantum enim à nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequio commodare*: cum ex Centuriatorum sensu & sententia, scribere debuerit: *plus à nobis exigitur, quam possimus famulatus nostri obsequio commodare.*

Insurgit Sibrandus in Bellarminum; quòd dixit, omnes veteres de lapsis post ordinationem idem sensisse, quod sensit Martinus Papa.

Obiicit

Obiicit nonnullos Canones, qui lapsis restitutionem in integrum concedunt. Scilicet hoc ignorabat Bellarminus, neque vnquam viderat distinctionem *Quinquagesimam* Decreti, vbi Gratianus ex instituto de Canonibus lapsis restitutionem concedentibus & negantibus differit, eosque in concordiam redigit hac ratione: *Sunt quidam, quos non odium criminis, sed timor vilitatis, & amissio proprij gradus, & ambitio celsiorū ad pœnitentiam cogit. Hos sacri Canones irrecuperabiliter deiiciunt:* alios, nequaquam. Et mox huius generis plures Canones Gratianus profert: & infrà; aliam distinctionem afferens, ita scribit Gratianus. *Possunt & aliter distingui præmissæ auctoritates. Quorum enim crimina manifesta sunt ante vel post ordinationem: à sacrō ordinibus deiiciendi sunt: quorum autem peccata occulta sunt: & satisfactione secreta secundum sacerdotis edictum purgata; in propriis ordinibus remanere possunt.* Quibus Gratiani distinctionibus adhibitis, euanescit, quidquid fumi Sibrandus spargit. Certè antiquissima Ecclesiæ consuetudine ab omni magistratu & dignitate Ecclesiastica excludi eos, qui libidine se contaminarunt, planum itidem fit ex libro tertio Origenis, contra Celsum.

Danæus nominat Martinum *hominem vecordem & verbi Dei ignarum:* & hoc conuicio iacto ad Gregorium III. transit; quem ait, diuortium concessisse, si vxor viro debitum reddere nequeat: & hoc vocat *errorem grauissimum.* Respondet Bellarminus, mirum videri sectarios tam esse Gregorij propter hoc dictum rigidos & seueros censores, cum idem imò longè deteriora docuerit Lutherus, citatque Cochlæum in Luthero sepcipite capite de Matrimonio. Iunius. *Id docuisse vnquam Lutherum nec quisquam probaturus est ex eius scriptis, quæ exstant, nec Cochlæus probat.* Impudens affirmatio; quam redarguit vnicus ille isque impurissimus & obscœnissimus de Matrimonio sermo, Latinè & Germanicè editus statim sub *Quinti* huius Euangelij exordium: vbi si altera persona sit *impotens*, amplam facit ad alias nuptias transeundi potestatem, si mulier, saluo nominis sui existimatione, alteri nubere queat sic tunc *maritum compellare debet*, inquit Lutherus, *Ecce mi marite, debitam mihi benevolentiam præstare, non potes, meque, & iuuenile corpus decepisti; præterea in fama, & salutis meæ periculum me adduxisti: neque coram Deo inter nos matrimonium est. Faue quæso, vt cum fratre tuo, aut proximè tibi sanguine iuncto occultum matrimonium pacisear: sic, vt tu nomen habeas, ne res tuæ in alienos hæredes perueniant; ac fine, vt sponte tua à me decipiare, quemadmodum & tu, præter voluntatem meam, imposuisti mihi.*

In eodem sermone idem grunniens Propheta: *Reperiuntur interdum adeò pertinaces vxores, quæ etiamsi decies in libidinem prolaberetur maritus, pro sua duritia, non curarent. Hic opportunum est, vt maritum ducat, ab tu nolueris, alia volet. Domina nolit, adueniat ancilla: ita tamen, vt antea iterum, & tertiò vxorem admoneat maritus, & coram aliis etiam eius duritiam detegat, vt publicè; & ante conspectum Ecclesiæ duritia eius & agnoscatur, & reprehendatur. Si tum renuat, repudies eam, & in vicem Vasti, Esther surroga Assueri Regis exemplo.* Vt taceam innumera alia huius generis, quæ tam in dicto *sermone*, quàm in Tomis Lutheri passim occurrunt, & quæ clarissimus vir Doctor Ioannes Pistorius ex Voluminibus hæresiarchæ enotauit in primo Lutheri Spiritu, Azoara sexta. Vbi videbis, & obstupescès, quàm Lutherus non dicam liberalis, sed profusus, imò enormiter prodigus fuerit, in libello repudij concedendo & in dissoluendis ritè ac legitimè contractis matrimoniis.

Ait Iunius: *Causam particularem attingit Bellarminus magni cuiusdam viri, cum quo Lutherum graues ob causas putauit dispensandum esse.* Quis sit vir iste magnus, notum est ex petulantissimo libro Lutheri contra Henricum Brunsuicensem principem; qui insertus est Tomo septimo Ienensi Germanico. Cum quo Lutherus *dispensauit*, vt loquitur Iunius, vt vno eodemque tempore duas vxores haberet; prima non repudiata, ne ob falsum quidem prætextum. O insignem *dispensatorem.* Quis vnquam audiuit talia apud Christianos? Nam quòd Lutherus hanc suam concessionem & approbationem eo excusare & purgare nititur, *quia prior, non posterior, vxor successores in principatu paritura esset; alterius filius à successione repulsis;* an ideo id, quod legibus diuinis ac humanis illicitum erat; mox cœpit esse licitum? *Particulare factum equidem non probo*, inquit Iunius. Nescio, quàm vehementer non probes: Non enim facilè ferent Caluiniani, vt Lutheranis sit plus *Quinteuangelicæ* libertatis, quàm sibi, præsertim cum Lutherus non tantum in approbatione contractus illius polygamici, sed & alibi sæpius luculentam significationem dederit; quàm animus eius à *polygamia* non abhorreat. Lege Doctoris Pistorij librum iam nominatum; nec minus facere poteris, quàm vt vesaniam Lutheri toto pectore detesteris.

Quo iure, inquit Iunius, *vnicum exemplum dispensationis ac potius dissimulationis in Luthero improbet, qui tot ac tam graues defendit tuorum Pontificum dispensationes indulgentiasq; promercales & nundinatorias?* Ostende tu, si potes, Pontificum quempiam, qui cum quopiam dispensauerit, vt duas vxores vno eodemque tempore haberet, ita vt ipsemet maritus fateretur, priorem esse suam legitimam coniugem? Noluit Romanus Pontifex approbare alterum matrimonium Regis Angliæ, viuente priore vxore; quam tamen causidici Regis & Rex ipse negabant, tametsi falsò, legitimè & validè copulatam fuisse: & tu vllum Rom. Pontificū Christianæ religionis adeo immemorem fuisse vel fore putas, vt alicui duas

simul

simul vxores concedat, quando palam fatetur priorem coniugem adhuc superstitem, connubio legitimo sibi iungi? Absit à quouis Christiano doctore, nedum à Christi Vicario hic tam apertus Iudaismus ac Mahometismus: cuius suis in Tomis Lutherus fundamenta posuit, vel, vt rectius loquar, luculentissima documenta edidit. Satis de his.

Nec est, quod Iunius Lutheri nefarium facinus Gregorij siue secundi, siue tertij responso fucare nitatur: nam Gregorius non loquitur de quacunque imbecillitate, quæ matrimonio iam legitimè contracto superueniat; (nam tali impedimento non dirimit matrimonium) sed agit de impotentia perpetua naturali matrimonium antegressa, & postmodum cognita. Hæc enim matrimonium irritum efficit, vel potius ostendit; contractum matrimonialem non fuisse validum. *Falsa defensio*, clamat Iunius. *Quia Gregorius agit de infirmitate, quæ, matrimonio constante, acciderit.* Tu dicis, sed vbi probatio? Quam non extundes ex his Gregorij verbis. *Quod, si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere.* Quasi verò vocabulum, *correpta*, nequeat referri ad tempus, quod matrimonij contractum antecesit. Quæso, quid de legitimo sensu decedet, si dicam: *quod si mulier infirmitate ante matrimonium correpta, &c.*

Nec obstant huic responso ea, quæ subiungit Pontifex. *Non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, cui infirmitas prædicta* (ita enim legitur epist. 126. inter epistolas S. Bonifacij) *& non detestabilis culpa excludit.* Æquum enim censuit Pontifex, vt maritus ei subsidium non deneget; quæ, quantum in ipsa fuerat, indissolubili vinculo se cum illo copularat. VVitackerus dicit, Bellarminum non simpliciter defendere dictum Gregorij: *Libenter*, inquit, *diceret, priorem non esse legitimam vxorem.* Quid? An non dicit hoc expressè Bellarminus? Sed animaduerto quid sit. VVitackerus eam responsionem insectatur, quam dedit Bellarminus in prima editione: idemq; facit Sibrandus. At, si non VVitackerus, saltem editor & Baccalaureus eius Allenson videre debebat, quid posteriores Bellarmini editiones respondeant, quidque solutionis itidem Bellarminus adferat in libro de Matrimonio cap. 17. idemque dictum volo Sutliuio, qui post istos duos aduersus Bellarminum in campum prodiit: nam quæ isti oppugnant, ipsemet Bellarminus expunxit, & re maturius considerata, à posterioribus editionibus abesse iussit.

Sequitur Nicolaus I. quem reprehendunt nonnulli, quod docuerit baptismum in nomine Christi, sine expressione trium personarum, esse validum. Respondet Bellarminus; Nicolaum hoc non vt Pontificem definiendo asseruisse, sed tantùm, vt particularem & priuatum doctorem, obiter opinionem suam exposuisse. Obiicit VVitackerus: *Ergo obiter saltem Papa hæreticus esse potest: at vbi interim vis precationis Christi?* Non sequitur hoc, ô Hæretice. quia ad hæresin formalem requiritur pertinacia & contumacia circa rem exploratam & ab Ecclesia expressè definitam: cum quali pertinacia Nicolaus hanc suam opinionem nequaquam defendit. Et cum dicimus Pontificem non posse errare in iudicando, hoc intelligimus de iudicio ex cathedra; item de iudicio hæretico, etiam vt Papa priuatus doctor est: nam vt iudicium falsum, tanquam priuata persona, formare possit; hæreticum tamen iudicium habere non potest; hæreticum, inquam, cum pertinacia & obstinatione. Aliud est autem errare; & falsum opinari. Aliud, hæreticè errare, & hæreticè falsum opinari.

Quocirca impostoriè agit Sibrandus, cum hæc tertio quoque verbo inculcat. *Pontifex potest errare in iudicando; ergo potest esse hæreticus.* Negamus enim errare posse dum iudicat ex cathedra. Negamus hæreticè errare posse, dum etiam, vt priuatus Doctor, iudicium aliquod circa rem quàpiam format: nam vt iudicium errore non careat; hæresi tamen semper carebit, hocipso, quod Pontifex, vt priuatus itidem Doctor, hæreticus esse nequit. *Nicolaus scribit hoc ex professo*, inquit VVitackerus, *non obiter. nam ait; quid inde agendum sit, consulitis: consultus igitur atque interrogatus respondet, non obiter.* Respondeo, id quod ex professo atque adeo definiendo respondet, esse hoc: valere baptismum, licet à Iudæo vel pagano collatum: Hoc enim Bulgari quæsierant. De suo postea addidit; istud procedere; siue conferatur baptismus, cum expressione trium personarum, siue in solo Christi nomine. Hoc, inquam, definitioni & responsioni primariæ obiter admiscuit; quia non fuerat interrogatus, vtrum valeret baptismus in solo Christi nomine datus.

Instat VVitackerus: *Vt ostendat Nicolaum se hoc non obiter asseruisse, adfert Scripturas & Ambrosium.* Quasi verò Papa nequeat adferre Patrum & Scripturæ auctoritates, etiam pro illa sententia, quàm vt priuatus Doctor proponit; & ei, quod quæstionis & responsionis caput est, obiter annectit. Fatetur Bellarminus falsam esse illam Nicolai opinionem, sed non *hæreticam*. VVitackerus. *Sufficit, si falsum sit ergo Papa falsum definire potest.* Non sequitur; quia hoc non definiit, & quoties id asseris, toties, quod probandum est, absque probatione inaniter assumis. Potest Pontifex habere falsam aliquam opinionem. Hanc tamen ex cathedra definire non potest: neq; etiam accidere potest, vt hæc opinio sit aut fiat formaliter hæretica iuxta piam & probabilem illorum sententiam, qui dicunt, Pontificem, etiam vt priuatam personam, non posse in hæresin incidere.

Obiicit VVitackerus: *Sententia Nicolai tollit formam à Christo institutam; ergo est hæretica.* Respondeo, etiamsi antecedens esset verum, consequentia tamen nullius ponderis foret: nam ad hæresin

requi-

requiritur pertinacia circa rem ab Ecclesia diserte definitam. Quæ contumacia à Nicolai animo procul abfuit.

Sutliuius occlamat: *Decretales Pontificum, præsertim, quæ inter leges referuntur Pontificias, non sunt tantum hominum particularium opiniones.* Ita est, si totę spectentur, sed non est necessarium, vt quidquid illis, etiam obiter, inseritur, sit definitio à Pontifice, qua talis, profecta. Neque hac responsione euertitur omnium legum Pontificiarum auctoritas, vt calumniatur Sutliuius. Obiicit Sibrandus: *Nicolaus dicit; valere baptismum in nomine solius Christi collatum. Zacharias Papa hoc negat, aut igitur Nicolaus aut Zacharias in iudicando errat.* Respondeo, Neutrum errasse in iudicio ex cathedra; quia Nicolaus suam opinionem non definiuit, neque etiam errauit Nicolaus in iudicio priuato aliquo hęretico; hoc enim solum remouemus à Pontifice; sed in iudicio, quo vt priuatus Doctor absque vlla pertinacia existimauit, veram esse suam illam opinionem, quæ communiter falsa habetur.

Sutliuius & Sibrandus capere nequeunt, quod, inter cætera, Bellarminus respondet, Pelagium Papam, Can. *Multi sunt*, de consecrat. dist. 4. nihil definiuisse, sed vt doctorem duntaxat, in epistola ad Gaudentium opinionem suam explicasse. Idemque dicit de responso Zachariæ, quod habetur apud Gratianum Can. *in Synodo*, ead. dist. *Hoc est nugari*, inquit Sibrandus, *cum respondere non possit.* (Hoc est calumniari, Sibrande, cum aliud agere tibi per tuam naturam non liceat.) *Hæc enim rescripta relata sunt inter Decreta, & obtinent vim legis in Romana Ecclesia, nõ igitur sunt particularium Doctorum:* Quis Catholicorum vnquam dixit, omnia & singula capitula, quæ Gratianus in Volumen suum comportauit, habere vim legis & constitutionis Ecclesiasticæ? Certè hoc rerum momenta rectè ponderanti in mentem venire nequit.

Ride autem Sutliuij stultitiam: quia enim ad obiectionem de Zacharia Bellarminus duo dat responsa; criminatur Sutliuius, per posteriorem destrui, quod per priorem Bellarminus ædificauerat. Quasi verò cum quis plures adfert solutiones, quarum quælibet probabiliter defendi potest; prior euertat posteriorem; & non potius ei succurrat; vt si vna id, quod propositum est, minus efficiat, altera adhibeatur; & si vna displiceat; altera acceptetur. Num duæ pluresue diuersæ semitæ ad eundem terminum ducentes, se mutuò euertunt? *Antea*, inquit Sutliuius, *dixit Bellarminus suo iudicio inualidum esse baptismum, in nomine Christi, tantùm administratum: Hic autem reprehendit Concilium Anglicanum & Zachariam, quia validum esse senserunt.* Dormitasse oportuit Sutliuium, quando hæc scripsit: nam Bellarminus nusquam reprehendit aut Zachariam, aut Concilium Anglicanum ob hanc causam, quam comminiscitur Sutliuius, quia nec hoc, nec ille docuerunt baptismum in solius Christi nomine collatum, valere; sed inuocationem trium personarum diserte verbis requisierunt. Vnde laborat Bellarminus, vt ostendat, Nicolaum Pontificem nihil sensisse contra definitionem Concilij Anglicani, quam Zacharias Pontifex, Nicolao antiquior, approbasse videri posset. Et tamen post hanc suam dormitationem in conuicia soluitur Sutliuius; mentiturq; Bellarminum ostendere suam *inconstantiam & stultitiam.* Tibi hæc applica, Sutliui, nec dissentiam. Aequior est his Caluinistis Iunius qui Nicolaum ab omni errore liberat; respondetque: *Pelagij & Zachariæ sententiam esse Canonem ordinarium; Nicolai verò responsum singulare & extraordinarium esse, tanquam exceptionem quandam à communi iure, propter Bulgaros, ad quos prædicatio Euangelij recens peruenerat, ne qua offensione apud eos impediretur cursus Euangelij, si qui hac quæstione commoti essent.* Non disquiram, num hæc Iunij responsio veritati consonet. Mihi sufficit, Nicolaum absolui à Iunio non modò ab hæresi, quam VVitackerus & cęteri ei impingunt: sed, quod plus est, etiã ab omni errore. Tantam liberalitatem non exspectabam à manu Iuniana.

Vix est vllus insectator Pontificum, cui non sit in ore & stylo Stephanus VI. (quem Baronius anno Christi DCCC. XCVII. septimum nominat) & Sergius III. propter illa, quæ Stephanus egit contra Formosum: Sergius autem tam contra Formosum, quàm contra Formosi defensorem Ioannem IX. Lege Bellarminum, qui tragœdiæ huius breuem quandam summam recitat: Respondet autem Bellarminus, Stephanum & Sergium errasse in *Quæstione facti, non Iuris, & malo exemplo, non falsa doctrina.* Obiicit VVitackerus. *Necesse est, aliquem horum iustè damnatum esse.* Omnino necesse est; Iustè damnatus est Stephanus VI. à Ioanne IX. Iniustè à Stephano Formosus. Iniustè idem Formosus à Sergio, vt & Ioannes IX. Errarunt autem Stephanus & Sergius hanc sententiam damnationis aduersus Formosum iniustè proferentes: errarunt, inquam, in quæstione facti; vtrum scilicet Formosus fuerit legitimus Episcopus, nec ne?

Oggerit VVitackerus: *Si Papa potest iudicare verum Papam non esse verum Papam, tum potest iudicare verum Papam posse errare* (vtique in Quæstionibus particularibus facti, non fidei) *& si possunt tam multi Papæ de hoc errare, an aliquis sit legitimus Papa, (& quàm multi errarunt in nostro proposito? Præter Stephanum & Sergium, quem nominabis in hac caussa?) quid ni etiam in decretis suis atque adeo in doctrina falsi possunt?* Si verba VVitackeriana ad formam redigas, exibit hæc consequentia. *Potest Papa errare in Quæstionibus particularibus facti, ergo etiam iuris ac fidei.* Et sic omnes VVitackeri ambages, vario verborum fuco tinctæ, desinent tandem in friuolam petitionem *principij.*

Ait VVitackerus: *Stephanus & Sergius iudicarunt Formosum hæreticum esse, aut quouis hæretico peiorem.*

Sed

Sed VVitackerus ex nullis vnquam Actis Stephani ostendet, Formosum hæreseos aut accusatum aut condemnatum fuisse. Tota quæstio erat, num fuerit legitimus Pontifex, quandoquidem antea à Ioanne VIII. Cardinalatu & Episcopatu Ostiensi exutus fuerat, dato iureiurando, nunquam se vel ad vrbem, vel ad Episcopatum rediturum; quod iuramentum censuit Stephanus Formoso nunquam fuisse relaxatum, aut obreptitiè relaxatum: quod cum Formosum pessimis modis odisset, credere pronum erat: ea enim est natura odij, vt etiam aperta non videat: vel visa itidem, prætersiliat quasi non visa; vt quotidie solet accidere. Instat VVitackerus, & cum illo Iunius: *hoc iudicium fuisse de fide & iure, non de facto tantùm: quia Stephanus & Sergius erraruntin eo, quòd illos iterum ordinari coegerunt, quos Formosus ordinarat: cum Formosus fuerit verus Episcopus saltem Ostiensis, licet à Ioanne VIII. degradu detectus*: postea tamen restitutus est: dicere autem non valere ordines, etiam à degradatis collatos, hæreticum est. Respondeo, hanc ipsam obiectionem proponit & soluit Bellarminus; nempe, Stephanum non edidisse aliquod decretum, quo decerneret ordinatos ab Episcopo degradato, vel nominatim à Formoso tanquam degradato, esse iterum ordinandos, sed solùm de facto iussisse eos iterum ordinari. VVitackerus conuiciatur, *nihil potuisse impudentius à Bellarmino dici; nam eos edidisse decretũ, quando omnia Formosi Acta irrita fecerunt, & ab illo ordinatos iterum ordinandos statuerunt. & cur id, quæso?* inquit VVitackerus, nimirum, *quia Formosus fuerat à Ioanne VIII. degradatus.* Ego nihil hic, præter clamores, animaduerto; quod Bellarmini responsum labefactet. Nam si ediderunt decretum, ordinatos à degradato, rursus necessariò ordinari debere; producat VVitackerus huius decreti tabulas, iisque inspectis, & accuratè consideratis, adquiescemus. Quidquid enim hac in re gesserunt, id ex immani odio erga Formosum fecerunt illis temporibus, quæ non iniuria Ecclesiasticorum Annalium conditor anno Redemptoris DCCC. XCVII. nominat *infelicissima Romanæ Ecclesiæ atq; omnium luctuosissima tempora.* Neque enim ex ignorantia vel hæresi, sed ex inexsaturabili in Formosum odio; & de omnibus illis qui Formoso adhæserant; vindictam sumendi ardentissima cupiditate, tota hæc non iudicialis, sed violenta & tyrannica actio processit.

Sibrandus intonat: *Bellarminum cogi, vt fateatur hæc monstra erraſſe in iudicando.* Fatetur Bellarminus errasse: sed in controuersia *facti*, non iuris aut fidei: Danæus totus insanit: Itaque non refutationes sed vinculis opus habet. Non abnuimus Stephanum istum, Sergium & similes vita & moribus prorsus fuisse scelestos, & cathedra Petri indigniſsimos; quod ipse Baronius suis in Annalibus Tomo X. minimè dissimulat, quin & fontem huius tanti mali aperit; nempe Marchiones Tusciæ vt potentissimos, ita planè impios, qui nefarios quosque in Sedem Romanam intrudebant, & vt à clero Romano reciperentur, per vim extorquebant. Lege Baronium anno Christi DCCC. XCVII.

Sequitur Ioannes XIII. seu XIV. qui accusatur, quod cœperit *baptizare campanas.* Danæus exaltat vocem suam, & cœlum terramq; ad tanti sacrilegij contemplationem aduocat. Facit videlicet quod solet. Baptismus iste metaphoricè tantùm baptismus dicitur: Reipsa consecratio & benedictio est, per preces in eum finem destinatas, & aquam seu aspersionem peragi solita: in quo ritu nõ plus est superstitionis, quàm in consecratione aquæ, salis, & id genus aliarum rerum, quæ *sanctificantur per verbum Dei & orationem*, teste Apostolo 1. Tim. 4.

Nec præteritur Sylvester II. quem *Magum* fuisse, & à Diabolo discerptum tradunt. Quod crederemus, si fabulæ & mendacia tandem suam naturam exuerent, & veritatem induerent. Præter Bellarminum lege Baronium Tomo XI. anno Christi M. III. & Tomo X. anno DCCCC. XCIX. Mendaciloquus Benno, de quo multa in Apologia pro Gregorio VII. primus huius figmenti fator & fartor fuit: vt docet idem Baronius.

CAPVT XIII.

De Gregorio VII.

DE hoc nihil addo; quia in Apologia huic operi separatim annexa, satis à calumniatorum telis defensus est. Illud silere nequeo, me post excusam pro Gregorio VII. Apologiam incidisse in libellum quendam Simonis Schardij Lutherani an Caluiniani nescio; certè non Catholici: hoc titulo. *Ordinum Iuris, quod in approbandis Pontificibus Imperatores habuerunt, cum breui commemoratione, quomodo vice versa Imperatoria maiestatis confirmatio à Pontificibus introducta & confirmata sit.* In eo hæc asserit Auctor.

I. *Sub Ethnicis Imperatoribus electionem Romani Pontificis pertinuisse ad clerum & populum.* Respondeo, si quid vnquam populus in electione summi Pontificis habuit, id habuisse non iure diuino, sed ex conniuentia vel concessione Pontificum, vt docet Bellarminus libro de Clericis. cap. 7. Quem lege.

II. *Postquam Imperatores ad fidem Christianam conuersi sunt; vanam Cleri populiq; electionem habitam fuisse, nisi Imperatoris auctoritate confirmaretur.* De populo non laboro. Nihil enim ei Iuris de Iure diuino in electione Pontificis. Nego vllum orthodoxum Imperatorem ante Iustinianum hoc ius sibi arrogasse. Nam si quid Constantius Arianus, vel id genus alij vsurparunt, nil mirum: nisi fortè mirum sit, si pertinax hæreticus hunc de Episcopali Sede detrudat; vt alium intrudat; & omnia pro libidine agat.

III. Iu-

III. *Iustinum Imperatorem Hormisdæ primo, Apostolicæ Sedis auctoritatem confirmasse.* Commentum hoc refellit ratio temporis. Nam Hormisda quintum iam annum in Pontificatu agebat, quando Iustinus Imperium iniit. Quomodo igitur Hormisdæ ad Pontificatum electio à Iustino stabiliri potuit? Quis vnquam audiuit, Iustinum, Imperatorem optimum, Hormisdæ Pontificatum, quinquennio iam exacto, in dubium vocasse, eiq; nutanti vim & robur suffragio demùm suo addidisse?

IV. *Reliquos Imperatores, vsque ad Constantinum Pogonatum, Pontificis Romani electionem confirmandi, infirmandi, probandi, improbandi ius sibi reseruasse: idemq; fecisse Reges Gothorum cum in Italia rerum potirentur.* Quo iure hoc factum? Deplorat hoc iniustum ius non semel amarissimè S. Gregorius, & cum violentia ac tyrannide Diocletiani, & aliorum Ecclesiæ persecutorum comparat: vt vidimus in Apologia pro Gregorio VII. cum alibi, tum colum. 225. in notis marginalibus ad vitam Gregorij VII. Imò Baronius anno Christi D. XXVI. arbitratur, Imperatores orientis hanc potestatem in Pontificis electionẽ sibi arrogasse, exemplo & imitatione Regum Gotthicorum: vt videas hanc peruersam consuetudinem ab Arianis profluxisse.

Illa Nouatoris sunt conuicia: *Pontifices voluisse interdum cristas erigere contra hoc Imperatorum ius, vt Symmachum in Concilio Romano dist. 96. Benè quidem.* Non erexerunt cristas, sed id, quod vigilantium pastorum erat, præstiterunt; & Ecclesiasticam libertatem à Deo concessam & stabilitam ab iniuria asseruerunt. Item. *Hoc non tam fuisse contra Canones, quàm contra irregularem Pontificum Romanorum dominandi libidinem & effrenatam ambitionem.* Quis integro Concilio sub Symmacho, non malit habere fidem; quàm huic sectario? vt taceam innumerabilia testimonia, quibus Catholici scriptores probare solent, Laicis, atque adeo Imperatoribus, de iure nihil competere in electionem & confirmationem ministrorum Ecclesiæ; præsertim summi Pontificis; & si quid vnquam habuerunt, id eos habuisse ex conniuentia & concessione Ecclesiæ. Quomodo autem ambitioni obuiam itum sit, postquam Imperatores, Pontificis Romani electionem & confirmationem sibi vendicarunt, docent multa exempla, præsertim Henricorum IV. & V. & Marchionum Tusciæ; qui & ipsi hac iniuria Romanam Ecclesiam dirissimè diuexarunt. Legatur Baronius, anno DCCC.XCVII. & seq.

V. *Etiam certam pecuniæ summam Imperatoribus Græcis pro confirmatione Pontificis depensam fuisse.* (Non negamus) *hanc à Constantino IV. Imp. remissam,* (cum dolore hoc refert Hæreticus) *& tandem liberam penitus & ab Imperatore independentem Pontificis Romani eligendi & confirmandi potestatem Romanis ab eodem Constantino permissam fuisse, abdicato abs se omni, quod videbatur habere, iure.* Hoc Schardio non minus est cordolium, quàm Caucasus Prometheo, vel vultur ille perpetim rodens & tundens, Tityano iecori. Nec verum est, quod ait, *Imperatorem emisisse sanctionem, vt quem deinceps clerus, populus exercitusq; Romanus Pontificem elegisset, is plenam obtineret potestatem*; Aliter rem narrat Anastasius Bibliothecarius in Benedicto: *Hic*, inquit, *suscepit Diuales iussiones clementissimi Constantini Magni principis ad venerabilem clerum & populum atque felicissimum exercitum, Romanæ ciuitatis, per quas concessit, vt persona, quæ electa fuerit in Sedem Apostolicam, è vestigio absque tarditate Pontifex ordinaretur.* Vbi non dicitur, Imperatorem voluisse, vt Pontifex à populo & Romano exercitu eligeretur, sed populo & exercitui significat, se velle, vt qui electus est, statim ordinetur, non exspectata Imperatoris voluntate, vt prius fieri solebat. Nec illud est verum, *ex hoc fonte magnas turbas & contentiones exstitisse, id docere exempla Cononis Papæ & Sergij I.* Nam quidquid dissidij enatum est, id culpa Exarchorum Rauennatium accidit; nam cum Iustinianus Iunior Imp. videret sibi potestatem Romani Pontificis confirmandi præreptam, alia eam via sibi vendicare tentauit, videlicet, ne crearetur Pontifex sine Exarchi consensu; qui militari manu armatus neminem eligi vel volebat vel sinebat, nisi quem Imperator & ipse vellet. Hinc illæ turbę. Lege Baronium Tomo 886. & 887.

VI. *Adrianum I. edidisse sanctionem, vt nullus crearetur Episcopus Romanus, nisi quem Carolus Magnus & successores eius sciuerint & iusserint,* cap. *Adrianus* dist. 63. Hoc decretum esse commentitium diximus, & probauimus ex Baronio in Apologia pro Gregorio VII.

VII. *Stephanum IV.* (reuera V.) *sine Imperatoris Ludouici auctoritate electum in Gallias abiisse pro consensu Imperatoris obtinendo.* Falsum est, non enim hoc consilio in Gallias abiit (iam enim non tantùm electus, sed & ordinatus & consecratus fuerat, & Ludouicus venientem, honorificentissimè excepit, tanquam summum Pontificem) sed alias ob causas ad Regem Ludouicum profectus est, de quibus vide Baroniũ Tom. IX. anno Christi DCCC.XVI. Mirum est, Schardium, præteriisse decretum Stephani Papæ apud Gratianum d. 63. C. *Quia sancta*, vbi statuere videtur, vt Pontificis consecratio non fiat, sine *Imperiali notitia.* Baronius Tom. IX. anno Christi DCCC.XVI. non immeritò hoc Stephani decretum in dubitationem vocat. Quem vide. Addo, Decretum hoc, qualecunq; sit, Imperatori nil potestatis in ipsam Pontificis electionem tribuere; sed tantum velle, vt de electo Pontifice, Imperator certior fiat; non vt electionem vel confirmet, vel infirmet; sed vt nuncios Romam vel aliò destinet, qui in consecratione electi Pontificis, *scandala fieri vetent*, hoc est, qui seditiones comprimant; si qui fortè in electum consentire renuentes, tumultuari inciperent. Vnde etiam in eodem Decreto nihil Iuris senatui, populo vel Imperialibus Le-

gatis conceditur, sed hoc tantùm sancitur, vt Pontifex eligatur *conuenientibus Episcopis & vniuerso Clero, præsente senatu & populo* (nihil hic de suffragiis senatus vel populi præscribitur) *& sic ab omnibus electus, præsentibus legatis imperialibus, consecretur.* Adesse ergo debebant legati Imperatoris consecrationi, idque ob finem antea dictum, ne scilicet seditiones concitarentur à schismaticis & hæreticis, *quibus nonnunquam Ecclesia Dei concussa periclitabatur. Repræsentabatur ergo electio Pontificum Catholicorum principibus, vt eorum auctoritate roborata nullus hæreticorum vel schismaticorum auderet contraire, & vt ipsi principes, tanquam deuotissimi filij, in eum consentirent, quem sibi in patrem eligi viderent, vt ei in omnibus suffragatores existerent.* Minimè ergo isto fine electio Pontificum Ludouico Imperatori, vel aliis in occidente Imperatoribus, significata est, vt eam probaret vel improbaret, firmaret vel infirmaret, vt faciebant Imperatores orientis & Reges Gotthorum; sed ideo duntaxat, vt electo Pontifici contra incursantium impressiones ope & subsidio suo adesset.

Cap. *Lectis* d. 63. quod Hæreticus obiicit, nihil continet de electione & confirmatione summi Pontificis, sed agit de electione Episcopi Ecclesiæ Reatinæ, quem Stephanus sine Imperatoris præscitu vel consensu consecrare noluit, pacis & concordiæ caussa.

VIII. *Paschalem Papam, Stephani successorem, inconsulto Ludouico creatum, Legatos ad Imperatorem misisse, qui eius rei culpam omnem in clerum & populum reiicerent. Ludouicum respondisse: Maiorum pacta seruanda esse, cauerent, ne deinceps maiestatem laederent.* Paschalem misisse legationem ad Ludouicum Imp. notum est; non vt confirmationem peteret, sed tantùm, vt eum de sua electione certiorem faceret; Responsum hoc legatis ab Imperatore datum, incredibile est, propter decretum, quod edidit Ludouicus simul ac Paschalis Pontificatum iniit; in quo Romanæ Ecclesiæ Pontificis eligendi, ordinandi, consecrandi liberrimam concedit facultatẽ: nec aliud cupit, quàm vt electus Pontifex legationem ad se & successores mittat *amicitiæ, charitatis & pacis constituendæ* caussa, *sicut*, inquit, *temporibus Domni Caroli Imp. genitoris nostri consuetudo erat faciendi.* Ex quibus etiam redarguitur vanitas illius decreti *Adrianum*: nam teste Ludouico Imperatore Caroli filio, Carolus in electione Romani Pontificis nihil egit; sed tantum ab electo & consecrato nuncios ad se, amicitiæ caussa, mitti voluit. Ex qua Ludouici sanctione admodum etiam suspecta redditur, illa Stephani Papæ, vt titulus præ se fert, constitutio apud Gratianum cap. *Quia sancta.* Lege Baronium anno Christi DCCC.XVII.

IX. *Constitutionem Ludouici Imperatoris apud Gratianum, cuius exordium:* Ego Ludouicus, distin. 63. qua Imperator Romano Clero liberrimam permittit Pontificis Romani eligendi & consecrandi potestatem, *non carere suspicione falsi,* probat, *quia Anastasius hoc contestans, fuit Papæ domesticus, qui omnia fauori potius, quàm veritati tribuisse credi queat. Deinde Gratianus inconsideratè omnia consarcinauit; & ambitioni Pontificum adulatus est.* Si Anastasius in historia Pontificum in Paschali, & Gratianus scripsissent: *Ludouicum Imperatorem mandasse, vt nullus Romanus Pontifex sine suo & successorum consensu eligeretur, confirmaretur, consecraretur*, iam vterque veracissimus & fidelissimus scriptor apud Schardium esset. At quia id, quod de Ludouico referunt, Pontificibus nimis fauet; eam ob caussam vtriusque fides vacillat, non quia reipsa vacillet, sed quia Schardius ita iubet. In Canone *Adrianus*, & in illo, cuius exordium: *In Synodo*; & in Canone *Lectis*; accuratissimus & consideratissimus est Gratianus, quia dicere videtur, quæ Nouatores perquam auidè dicta cupiunt. Vbi stylum nonnihil vertit, tum *inconsideratus consarcinator*, & *Pontificius adulator* audit. Lector legat de hoc Ludouici Decreto Baronium Tomo IX. anno DCCC.XVII. & fumi euanescent.

Obiicit Hæreticus: *Si Ludouicus Romanæ Ecclesiæ tale priuilegium concessisset; cur Gregorius Quartus à Paschali Tertio, qui primum Pontificatus sui annum agebat anno Redemptoris DCCC.XXVIII. noluit Pontificatum prius suscipere, quàm à Legatis Ludouici Imperatoris eam ob caussam Romam missis, quo diligenter electionem Pontificiam discuterent, confirmatus esset?* Respondeo, cum Anastasius & alij ex veterum numero, nihil de hoc scribant; Platinæ profecto prudenter fides haberi nequit; recentior enim est, quàm vt in tanto priscorum silentio audiri mereatur. Nec vana suspicio subit; Platinam, decreti à Ludouico editi immemorem hæc in chartam retulisse. Locupletior omnino & vetustior testis excitãdus erit, si Schardius assensum suum à nobis obtinere velit; & fungus fuerit, qui Decretum Ludouici propter Platinam vt suppositicium sugillet.

X. *Carolum Caluum Imperatorem factum electionem Ioannis IX. approbasse.* Videtur autem Schardius Ioannem IX. vocare, quem alij VIII. nominant. Nullo tamen modo subsistere potest, quod affirmat: nam iste Ioannes iam quartum in Pontificatu annum agebat; quando Carolus Caluus Imperare cœpit. Vide Baronium anno Redemptoris DCCC.LXXVI. Si autem loquatur de Ioanne illo, qui verè Nonus est; tum toto cœlo errat hæreticus, quia iste diu post mortem Caroli Calui in Sedem Petri euectus est, nempe anno Christi DCCCCC.I. quando Ludouicus IV. Imperator secundum annum in Imperio agebat. Consule Baronium anno salutis DCCCC.I.

XI. *Adrianum III. priuasse Imperatores suo iure in electione Pontificis*, citatque Sabellicum & Platinam. Iure fecit, quidquid Adrianus hac in re fecit: qui Pontificatum iniit anno Redemptoris DCCC.LXXXIV. Vide infrà, notas ad Onuphrium in vita Gregorij VII. Apud Gratianum

dist.

dist. 63. exstat cap. *cum Hadrianus*, quod est de Adriano II. qui, inconsultis Legatis Ludouici II. Imperatoris licet Romæ versarentur, electus est. Cum hac de re Legati conquererentur, responsum est id non factum in Augusti contemptum, *sed futuri temporis prospectu, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præsulum exspectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret.* Ergo iam tum Romani liberè Pontificem eligere poterant, nec tenebantur Legatos Imperatoris exspectare; licet congruum existimarent, si ipsis præsentibus electio celebraretur. Sed quia prauus mos inde enasci poterat, ipsimet Legati viderunt & palam fassi sunt, iustè à Romanis actum esse. Hoc enim indicant illa verba; *omnem indignationem medullitus sedauerunt, & ad salutandum electum ipsi etiam humiliter accesserunt.* Decretum Adriani III. fuisse *perniciosum, & causam plurimorum malorum*, calumnia Schardiana est. Qua tam immerito grauatur hæc constitutio Adriani, quàm sanctio de eadem re Constantini Pogonati, vel Lodouici I. Imperatoris.

XII. Leonem VIII. concessisse Othoni I. Imperatori & successoribus ius eligendi Pontificem. Sed Leonem fuisse Antipapam, & Decretum quoq; commentitium diximus iam ex Baronio in notis ad vitam Onuphrianam Gregorij VII. Vbi rursus non iniuria mireris, cur omnia, quę apud Gratianum dist. 63. pro fauore Imperatorum contra Pontificum iura exstant, sint Schardio perquam authentica: quæcunque autem Pontificis causam promoueant & tueantur, fictitiis & fabulosis annumeret. Qua de causa repudiat Schardius illud iuramentum Othonis I. *Tibi Domino Ioanni Papæ, &c.* quod dist. 63. insertum est.

Ait Nonator: *Non constare quis iste Ioannes fuerit.* Constat. Fuit Ioannes hoc nomine XII. cuius quinto Pontificatus Anno, Rex Otho, postea Imperator, hoc iuramentum fecit anno Christi DCCCC. LX. Vide hoc ipso anno Baroniũ. Nec est, quod miretur Schardius, Othonem talia Ioanni promisisse & concessisse, longè adhuc maiora concessit in alio diplomate, quod recitat Baronius anno Redemptoris DCCCC. LXII. Obiicit Schardius, *hæc omnia fuisse reuocata postea per Bullam Leonis VIII. Othoni concessum.* Sed Leonem fuisse Pseudopapam & ipsam Bullam stramentitiam disces ex Baronio anno DCCCC. LXIV.

XIII. *Ab Othone III. Gregorium V. constitutum esse Romanum Pontificem.* Multa fiunt de facto, at non de iure.

XIV. *Henricum Imp. cognomento Claudum hoc ius Imperatoribus firmasse, defenso Benedicto VIII. contra adulterinum Pontificem.* Scilicet idem est Pontificem à vi & violentia defendere, expulsumq; in sedem suam restituere: *Et Pontificem eligere, creare, confirmare, deponere, &c.* Posterius hoc iure diuino facere tenentur Reges ac Principes, quia sunt nutritij Ecclesiæ, & summorum Pontificum filij. Lege Baronium anno M. XII. & M. XIII.

XV. *Henricum Imp. cognomento Nigrum tres Pontifices exauctorasse. Benedictum, Syluestrum & Gregorium VI. & in eorum locum substituisse Clementem II. & mortuo successisse Damasum II.* Iterum non est quæstio de facto, quod in confesso est, sed de Iure. Lector consulat Baronium anno Christi M. XLIV. & seq. Idem respondeo ad exempla Friderici I. Friderici II. & Ludouici Bauari, quæ non trahuntur in consequentiam, nisi ab illis, quibus petra & cathedra Petri est sudes in oculis.

XVI. *Leonem IX. ab eodem Henrico Romanis pro Pontifice oblatum.* Sed petentibus, non resistentibus, lubentibus, non inuitis: tametsi vt inuiti non essent, necessitas compellebat, monstris vndique sedi Romanæ imminentibus, & oblatus est non tam electus, quàm eligendus, vt docet Baronius anno Christi M. XLIX. quem consule. licet ipse Schardius agnoscat, non sine gemitu, Leonem Pontificatum à Romanis suscepisse; instinctu & auspiciis Hildebrandi, qui Leonem induxerat, ne ab Imperatore Pontificiam dignitatem capesseret. Quocirca iam nunc incipit Schardius satyricè in Hildebrãdum inuehi; petitis ex mendacissimo Bennone spiculis; quæ ab Hildebrando saris depellit Apologia, quam pro Gregorio VII. huic operi attexuimus.

Idem Henricus Victorem II. Romanis Pontificem dedit, sed rogantibus Romanis: & ius Pontificis nominandi & constituendi in Imperatorem pro illo tempore transferentibus. Vide Baronium anno Christi M. LIV. Num. 52. 53. Mortuo Henrico II. Imp. & Rege Germaniæ III. filius eius Henricus III. Imp. & Rex IV. idem ius sibi vendicauit, vt statim apparuit in electione Nicolai II. Anno M. LVIII. & multo vehementius quàm sui Ancessores ius hoc sibi vsurpare cœpit, cum aliàs, tam præcipuè in electione Alexandri II. qui cum anno Christi M. LXI. Romæ à Cardinalibus electus fuisset; inconsulto Rege; Henricus Rex, vel potius illi, qui Henrici adhuc puerilem ætatem agentis loco, omnia administrabant, Cadaloum, Parmensem Episcopum, ei opposuerunt: ex quo vt perniciosum, sic & diuturnum schisma natum est. Hæc omnia non ignoramus esse facta. Sed de Iure quæritur.

Nam quod Schardius & alij obiectant Nicolai Pontificis constitutionem; quantum ea ponderis habeat, & num integra & sincera apud Gratianum exstet dist. 23. Can. *In nomine Domini*, docebit te Baronius anno Christi M. LIX. & Apologia pro Gregorio VII. Et, vt omnes concessiones, quæ ab aduersariis adducuntur, omni penitus fraudis suspicione carerent; attamen id certum est & exploratum, eum, qui priuilegio suo tyrannicè abutitur, & extra terminos illius violenter fertur; hoc ipso mereri, vt priuilegium illud amittat. Quia *Imperatores*; inquit Gratianus dist. 63. de hoc ipso argumento differens, *quando*

que modum suum ignorantes, non in numero consentientium, sed primi distribuentium, imò exterminantium esse voluerunt; frequenter etiam in hæreticorum perfidiam prolapsi. Catholicæ matris Ecclesiæ vnitatem impugnare conati sunt, ideo sanctorum Patrum statuta aduersus eos prodierunt, vt semet electioni non inferrent, & quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret, anathematis vinculo innodaretur. Hæc Gratianus.

Schardius vbique Auentinum sectatur; & si quandoque Platina cum illo concinat; bene est: si secus: è vestigio *amicum & assentator Pontificum* proclamatur, vt & hîc in diſsidio seu schismate Alexandri & Cadaloi, quem *schismatici* Honorium indigitarunt. Iuratissimis Pontificum hostibus isti aures apertas præbent: & quidquid mentiuntur, tanquam oraculum, excipiunt, & in intima præcordia demittunt. Hanc sectariorum benignitatem experitur vel maximè mendaciloquentissimus Benno, cuius crassissimo filo contexta mendacia melle & fauo dulciora hæreticis accidunt. Dic, Schardi, esine hoc congruum & consentaneum tuæ quam profiteris, disciplinæ, nimirum Iurisprudentiæ? Num hæc vllam fidem habendam docet ei, qui odium non habet clausum in pectore, sed manifestè illud præ se fert: dictisque & factis palam profitetur se capitalem hostem eius, quem accusat? Et tamen sectarij huius temporis totam vanitatis suæ molem, præsertim eam, quæ contra Pontifices instruitur, vix alicui alteri fundamento inædificant. Quæ mox Schardius ex Bennone, Auentino & cæteris huius classis contra Gregorium VII. & Vrbanum II. declamitat: non egent alia refutatione, præter eam, quam Apologia pro Gregorio VII. exhibet.

HENRICVM IV. Imperatorem, & quintum Regem, in parentis sui Henrici III. vestigiis vestigia sua posuisse, & indebita sibi arrogasse, atque adeo à Paschali II. Pontifice suam in potestatem redacto, vi & armata manu extorsisse, quidquid parens eius diu affectauerat; haud ignoramus; quæ tum demum iure facta censebimus, cum ius naturam suam exuet; ac in tyrannidem transitum faciet. Quàm enim hoc Henrici factum fuerit nefarium, intelliges ex Tomo XII. Baronij anno Christi M. C. XI. & M. C. XII. Paschalis cunctatus est, quo minus quàm primum concessionem illam suam in publica synodo reuocaret ac retractaret. Eiusdem farinæ, hoc est, tyrannicæ, fuerunt illa, quæ Henricus V. egit contra legitimam electionem Gelasij II. de quibus Baronius annò salutis M. C. XVIII. tametsi tandem Henricus sub Calixto manus dedit, & Ecclesiæ suæ iura intacta reliquit; & promissione perenni ad id se obligauit anno Christi M. C. XXII. receptus cum omnibus suis in gratiam Ecclesiæ; & excommunicationis vinculo exsolutus. seriò an simulatè id fecerit, quærere supersedeo. Feciſse liquet. Dolet Schardius id factum. Doleat, quantum potest: dolendo rem factam non faciet infectam.

Accusat item negligentiæ Imp. Lotharium, Henrici successorem, & Conradum, *qui more Henricorum, non studuerint recuperare, iura*, vt inquit, *Imperij*, hoc est, ius non ius eligendi & confirmandi Romanos Pontifices; & inuestiendi Episcopos per annulum & baculum. Schardius scilicet vel similis Lutheranus vel Caluinianus institutor eis defuit; quem si nacti fuissent, forsan alio spiritu caluissent.

Canit ad extremum Schardius classicum, vt recuperentur, *quæ Pontifex Imperatoribus abstulit; non tantum iura; sed & terrarum sola.* Mirum, istos Romani Imperij cupidissimos cultores, vix vnquam hiscere ob tot prouincias à Turcarum tyranno Christianis ereptas; semperque tantas excitare tragœdias propter ditiones, quas Pontifex, non nisi iustissimo titulo tenet. Nimirum isti omnes & omnia ferre queunt: tantum hunc, & quæ huius tolerare renuunt. Satis in præsenti de libello Schardiano, nam quæ de coronatione & vnctione Pontificum porrò vel disputat vel blaterat, tangemus fortasis in Defensione librorum de Translatione Imperij.

CAPVT XIV.

De cæteris Pontificibus, quibus error in fide falsò tribuitur.

STATVIT Alexander III. cap. *cum esset* de Testamentis, sufficere duos vel plures testes in Testamentis, nec requiri septenos, vt exigũt Iura ciuilia. Itaq; sub excommunicationis sentẽtia præcipit, ne quis Testamẽtum, duobus vel tribus testibus adhibitis conditũ, reiiciat. Quo in statuto nihil penitus errauit, vt enim Iustinianus, vel alius Imperator potuit ad valorem Testamẽti septem testes requirere; sic Alexander hunc numerum iure imminuere potuit, præsertim, si, quod aliqui Iurisconsulti tradunt, constitutionem hanc non edidit, nisi pro ditionibus, Romanæ Ecclesiæ, politicè etiam, & quoad temporalia subiectis; aut si hac sanctione totam Ecclesiam teneri voluit, eam non nisi ad testamenta pro piis causſis condita extendit. Neque vllus in hac seu constitutione seu definitione error fidei aduersus inest, quomodocunque intelligatur; cum fides penitus nihil de numero testium Testamentis condendis adhibendorum tradat.

Iunius dicit: *Singulare hoc institutum esse de eo Testamento, quod ægrotus fecerit coram presbytero, & duobus aut tribus testibus idoneis, nempe in honorem presbyteri, & vltimæ voluntatis apud presbyterum religiosè expositæ, quam probabile est sanctam esse & bonam.* At Alexander, nihil dicit de ægrotis, sed absolutè valere Testamentum Parochiani coram presbytero suo factum, adhibitis duobus

vel

vel tribus aliis temporibus. Nec, si verba præcisè spectes, priuilegium sonant; sed consuetudinis ciuilis abrogationem. Verum in ipso Decreto non est difficultas. Si enim alia regna Christiana, licitè discedere possunt à solennitatibus Testamenti per Ius Cæsareum præscriptis; cur summus Pontifex sua in ditione, tanquam eius supremus Princeps non posset imminuere numerum testium à Iure ciuili præscriptum; aut etiam vbique terrarum in Testamentis caussarum piarum? Tota difficultas est in ratione, quam pro hoc Decreto Alexander adducit: Ait enim, consuetudinem Iuris ciuilis esse alienam à sanctorum Patrum institutis, à consuetudine Ecclesiæ generali, & à diuina lege; quod erroneum videtur. *Respondeo*, hæc non pertinere, nisi ad rationem decreti: non censetur autem, Pontifex definire & ex cathedra tradere, quidquid pro decreto stabiliendo adfert. Quare vt in ratione allata erret; satis est, si Decreto sua vndequaque stet veritas & integritas. Nec nos dicimus Pontificem, vt priuatam personam, nulli errori obnoxium esse; sed, ab omni errore hæretico, qui scilicet cum *formali* pertinacia coniunctus sit, liberum pronunciamus, ex pia & probabili Alberti Pyghij & aliorum sententia.

Quanquam, vt rectè notat Molina Tract. 2. de Iustit. Disputat. 133. & Gregorius de Valentia in Analysi libro octauo non intellexit Pontifex per illud: *Alienum*: contrarium, quasi consuetudo Iuris ciuilis sit contraria institutis Patrum, legi diuinæ & generali Ecclesiæ consuetudini, sed voluit dicere, non esse satis conformem, quandoquidem in aliis plerisque negotiis minor testium numerus sufficit, ipsæque sacræ litteræ olim in ore duorum vel trium testium omne verbum stare iusserint. Nec video, quid contra hæc obiiciant Hæretici, præter insulsos clamores; quos consuetis suis furoribus adauget Danæus, vt mihi quidem videatur Caluinianus iste nouo semper ex Mænadum lustris paroxysmo percelli, quoties, vt de Pontificibus aliquid scribat, calamum arripit.

VVitackerus, vt nobis suam sinceritatem probet, affingit verba aduersariorum Bellarmino, quasi dicat; Decretum Alexandri esse contrarium *praxi totius Ecclesiæ*: cum hoc non dicat ex sua sententia, sed id ponat in argumento oppugnatorum Alexandri, cui postea, allata solutione, satisfacit.

Idem Alexander cap. *Licet*, De sponsa duorum, dicit, matrimonium ratum, contractum per verba de præsenti, quamuis non consummatum, non posse dirimi per aliud matrimonium: licet quidam prædecessores sui aliter iudicauerint. Respondet Bellarminus, Alexandri prædecessores nihil definiuisse, sed solùm, quid sentirent, explicuisse. *Hoc non est respondere*, inquit VVitackerus, *sed miserè tergiuersari*. Fateor, tuum *respondere* non esse *respondere*, sed calumniari: nam licet Alexander his verbis vtatur: *Licet aliter a quibusdam prædecessoribus nostris sit iudicatum*: non tamen *iudicium* hoc significat sententiam seu definitionem ex cathedra, sed priuatam persuasionem, qua nonnulli, vt priuati Doctores, sibi persuaserunt huiusmodi matrimonium dissolui, re necdum ad liquidum explorata: quis enim nescit *iudicare* frequentissimo vsu idem esse, quod *sentire, opinari, &c.* Dices. *Isti fuit opinantes errarunt*. Non nego. Sed num hæreticè?

Iunius clamat: *Falsum esse, Pontifices nihil definiuisse, vt Bellarminus affirmat*, nam Alexandrum in cap. *Licet*; dicere: AB EO SEPARARI DEBET. *Quid euidentius?* Etiam Sutliuius multis conuiciis in Bellarminum debacchatur. Facit nimirum id, cuius gratia *petulans calumniator* ab ipso Beza audit. Certè tam acriter flagellari non meretur Bellarminus, licet dixerit, Alexandrum nil definiuisse, sed tantùm sententiam suam explicasse; neque enim omnes Canones vel Decretales sunt vel continent fidei definitiones. Sed esto, definierit Alexander veram illam sententiam, quæ nunc in Ecclesia obtinet, num propterea definiuit aliquid contra definitionem suorum antecessorum? Minimè verò. Nulla enim talis definitio ab vllo vnquam visa, aut lecta, aut citata est. Et si *quidam* illi *Alexandri* Antecessores publicum decretum de sua priuata opinione emulgassent, an huiusmodi sanctio delitescere potuisset, ità vt nec doctis, nec indoctis innotesceret?

Accusatur Celestinus Tertius, quod docuerit, per hæresin alterius coniugis matrimonium solui, etiam quoad vinculum, cuius contrarium respõdit & docuit Innocentius III. cap. *Quanto* de *diuortiis*. Respondet Bellarminus, Celestinum nihil definiuisse, sed suam solummodo sententiam explicasse. Occurrit VVitackerus: *Si quod sibi probabilius videbatur, respondit; tum constat eum in hac opinione fuisse*. (Quis abnuit?) *& eam aliis tradidisse* (vt priuatum doctorem, non vt Pontificem ex cathedra) *Responsa prudentium virorum inprimis verò Pontificum Romanorum; in huiusmodi caussis pro legibus habenda sunt*. (Quis hæc exspectasset ab illo, qui Romanos Pontifices pro Antichristo ducit? Pro legibus habenda sunt Romanorum Pontificum responsa illa præcipuè, quæ dant ex cathedra. Si quid, vt priuati doctores, asserant, non obligamur eorum dictis, quando veritas à contraria stat parte vel perspicuè, vel verosimiliter.) *Fuit hoc in antiquis Decretalibus scriptum, vt fatetur Bellarminus*. Quid tum? An non iam dixit Bellarminus, non omnia quæ in Decretalibus continentur, esse de fide: sed multa esse eius generis, vt nobis solummodo Pontificum opiniones de re quapiam declarent? *Esse, qui Decretales Pontificum sacris litteris æquent*, mendacium VVitackerianum est; vt & illud: Gratianum distinct. 19. *Si Romanorum*. Et, *In Canonicis, ita sentire*. Sed hoc admodum est tritum in Prædican-

tium triuiis mendacium. Innocentius III. cap. *Quanto* non damnauit simpliciter Cælestini opinionem; sed suam, quamuis oppositam, in capitulo illo aperuit. Hinc ita loquitur: *Non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, viuente altero, possit ad secundas nuptias conuolare, etc.* Res tamen iam planè est definita in Concilio Tridentino sess. 24. de Matrimonio, can. 5. Errauit quidem Cælestinus; sed non hæreticè, tum quia res hæc nondum erat in Ecclesia definita, tum quia abfuit pertinacia. Itaque quidquid Sutliuius, Danæus, & alij clamitent, Cælestinum nunquam ad sua castra perducent.

Accusatur Innocentius III. qui in cap. *per venerabilem*, docere videtur, legem veterem nondum esse planè abrogatam; sed adhuc obseruandam. Respondet Bellarminus, Innocentij sensum non esse legem veterem in se adhuc durare & obseruari debere; sed in suo figurato, hoc est, in lege noua: nam & typus aliquo modo obseruatur; quando, quod per typum significatum & repræsentatum est, obseruatur. VVitackerus oggannit: *Hoc esse insulsum commentum: nam sic non minus Exodum, aut Leuiticum obseruari debere, quàm Deuteronomium.* Respondeo, istud, sensu iam iam explicato, liberaliter VVitackero concedi posse. Omnia antiqua instituta, si quidem sint perpetim durabilia, obseruari debent; non in se, sed in suis significatis. Si audacia Hæreticorum non quiduis auderet, miraret eos hoc Innocentio obiectare, cum ex schola Lutheri exstiterint non pauci, qui totam politiam ad leges Mosaicas conformandam esse publicè docuerunt, ipseque Lutherus & Melanchthon apertè scripserint, omnia legalia, etiamnum obseruari posse, salua religione & conscientia.

Sequitur controuersia inter Nicolaum IV. & Ioannem XXII. quæ subtilior est, quàm vt ab hæretica stoliditate capi possit; de qua varij varia disserunt. Nos hic agimus causam Bellarmini, qui distinguit tres quæstiones inter hos duos Pontifices agitatas. Prima est, *an in rebus vsu consumptibilibus possit separari vsus à dominio.* Negat Ioannes; affirmat Nicolaus, & rectius, iudice Bellarmino: *Miror hoc*, inquit VVitackerus. Qua de causa? *Nam qui comedit panem, non potuit non esse Dominus panis.* Tu hoc asseris, sed absque probatione, nisi fortè probationis locum subire vis, quod subiicis: *Iustinianus*, lib. 2. Institutionum, tit. 4. *docet, res, quæ ipso vsu consumuntur, neque naturali ratione, neque ciuili recipere vsum fructum, id est, proprietatem siue Dominium non esse vnius, & vsum alterius.* Respondeo, hoc & similia dicta intelligi debere de vsu & fructu planè independente à voluntate alterius; qualis concedi nequit; sine translatione Dominij; non autem de vsu & fructu dependente à voluntate alterius, qui in rebus, etiam vsu consumptibilibus, constitui potest, absque dominio illarum rerum, vt declarant doctores exemplo conuiuarum, qui cibos sibi appositos consumunt, sine tamen illorum dominio, quia vsus ille ciborum & consumptio fit dependenter à voluntate eius, qui cõuiuas inuitauit. Vide Gregorium de Valentia Tomo III. Disp. 5. quæst. 10. part. 1. & Molinam Tract. 2. de Iustit. disp. 6. Nec quidquam in fidem committis, siue vsum in rebus vsu consumptibilibus à dominio separari posse dicas, siue neges. Nam neque de hoc, neque de illo fidē quidquam tradit.

Obiicit VVitackerus: *Duo isti Pontifices hoc faciunt rem fidei.* Sed mentitur. Hodierno die cuiuis liberum est; vel hanc vel illam opinionem amplecti, neque cuiquam vlla aut *erroneæ sententiæ*, aut *hæreseos* nota inuritur: neque ad fidem pertinet, num Franciscani careant dominio rerum, quos ipso vsu consumunt; an verò habeant illud: nam si fieri nequit, vt in rebus vsu consumptibilibus vsus separetur à dominio, vt contendit Ioannes, tum Ordinis D. Francisci Professores, eam summam paupertatem sectari censendi sunt, quæ sit possibilis: nempe, vt nec in communi, nec in particulari habeant dominium earum rerum, in quibus vsus à dominio separari potest; vt sunt res, quarum substantia non consumitur vsu. Sed, vt dixi, probabilior est Nicolai sententia; loquendo de vsu non absoluto & independente; sed dependente à voluntate alterius; & forte ipse Ioannes non negauit hunc secundum vsum à Dominio distingui posse; sed tantum, illum alterum absolutum & independentem. Ita enim multi Doctores mentem Ioannis interpretantur; & cum Nicolao conciliant: nominatim Gregorius noster de Valētia loc. cit.

Secunda quæstio, inter hos Pontifices, esti num paupertas illa, quæ omne dominium à se remouet, sit sancta & meritoria. Negat Ioannes: rectius affirmat Nicolaus, quem sequitur Bellarminus; qui ait; nec Nicolaum hoc definiuisse, tanquam articulum fidei; nec Ioannem directè hoc impugnasse. Oggerit VVitackerus: *Definiuisse vtrumque, ex eorum verbis constat.* Iterum probationem desidero. Nam Nicolaus hanc secundam quæstionem definire non potuit tanquam de fide; nisi prius definiret, tanquam de fide, vsum in rebus vsu consumptibilibus posse separari à dominio; nam vt definiatur tanquam articulus fidei, paupertatem, quæ solo rerum vsu contenta est, absque earum dominio; esse sanctam & meritoriam; prius constare & definiri debet, eam esse possibilem: atque adeo vsum absque dominio haberi posse: nam si vsus sine dominio in rebus vsu consumptibilibus subsistere nequit; nec paupertas, de qua Nicolaus loquitur, subsistere potest. Pari modo Ioannes, negando hanc paupertatem esse *sanctam & meritoriam*, nihil tanquam de fide definiuit, sed suam sententiam priuatam declarauit. Nam si definitionem fidei in illa sua *Extrauaganti* promulgasset; hoc prius, tanquam fide certum, definire debuisset, vsum in rebus vsu consumptibilibus nullo mo-

do posse separari à Dominio; (Hoc enim posito, sequitur, talem paupertatem, qualem Nicolaus statuit, esse impossibilem; & per consequens, nec sanctam, nec meritoriam.) Sed hoc non definiuit; nemo enim illum pro hæretico habet, qui vsum à dominio reipsa secernit; ergo nec definiuit alterum, nempe talem paupertatem, nec esse sanctam, nec meritoriam; quia, vt dixi, hoc definire nequiit, nisi saltem implicitè definiret, & velut compertum certumque poneret; vsum à Dominio in rebus, quæ vsu consumuntur, separari non posse. Quandiu enim creditur hoc fieri posse; tamdiu credi potest, talem paupertatem institui posse, quæ solum vsum absque Dominio habeat; atq; adeo talem paupertatem esse sanctã & meritoriam; quia sine dubio perfectior est, ex suo genere, quàm illa, quæ dominium rerum vsu consumptibilium possidet.

Tertia quæstio inter hos Pontifices controuersa, est; num Christus paupertatem solo vsu contentã, verbo & exemplo docuerit. Hæc quæstio ad fidem pertinet, vt inquit Bellarminus. Nec in ea discordant Pontifices: nam Nicolaum docere; Christum aliquando perfectissimam illam paupertatẽ verbo & exemplo docuisse; aliquando autem paupertatem minus rigidam exemplo demonstrasse; Ioannem autem definire, esse hæreticum dicere, Christum nihil vnquam hic in terris habuisse proprium, nec in speciali, nec in communi; & hæc duo non pugnare; pluribus ostendit Bellarminus.

Obstrepit Sutliuius. *Si Nicolaus nõ errauit, quare tam acriter Ioannes contra illum disputat, & eius sententiam, vt hæreticam, reprobat?* Acriter disputat Ioannes contra Nicolaum, quia in præcedentibus duabus quæstionibus aliud, quam Ioannes, sentire videbatur: in neutra tamen quæstione, hæreseos damnat sententiam Nicolai, vt antea vidimus. Nec etiam eundẽ Nicolaum circa tertiam quæstionẽ hæreseos arguit. Nam Nicolaus nunquam dixit, Christum nihil habuisse proprij nec in specie, nec in communi; cuius assertio videtur Ioanni esse hæretica; sed Christum aliquando perfectissimã paupertatem verbo & exemplo docuisse; aliquãdo minus rigidã. Quod Ioannes hæreseos nunq̃ arguit, neq; etiã arguere potuit.

Obiicit VVitackerus. *Si Christus habuit aliquãdo aliquid proprium in communi, tum ordo Franciscanus est melior & perfectior ordine Christi. Ideo enim Nicolaus Christum nil in communi habuisse dixit; vt saltem illi æqualis Franciscus esset; nam Franciscani nihil proprium habent, ne in communi quidem.* Respondeo, VVitackerum criminari & cauillari, nam ordo Franciscanorum est etiã ordo Christi; quia Christus exemplo suo, eum docuit, & imitandũ præscripsit, hoc ipso, q̃ perfectissimam illam & omnis Dominij expertem vitam aliquando egit; vt ex Nicolao Papa explicat Bellarminus: vnde perfectior non est ordine Christi, sed est ille, quẽ Christus exemplo suo monstrauit, qui in se varia viuendi genera expressit; vt cõmune omnium exemplar esset, ad q̃ actiones suas conformarent. Porrò Nicolaum hoc spectasse, *vt Franciscus æquaretur Christo*, mendacium VVitackerianum est. Summus est Christus sine vllo æquali. Sufficit, vt ad perfectionẽ eius pro viribus singuli accedere tentent. Nullus vnq̃ æquatus est; nullus æquabitur: nam qui super omnes est, maior omnibus & est, & manet, & perpetim manebit.

Reuiso nunc ad Sibrandum, quem diu factũ est, cum vidi. Forsan interea sapientior euasit. Id docebit nos hæc eius contradictio, q̃ collegit ex Bullis Nicolai & Ioannis. *Christus paupertatem omni dominio rerum carentem exemplo docuit ac præcepit.* (Bellarminus non habet verbum PRÆCEPIT, Sibrandus de suo id adiecit. Nec absolutè & sine limitatione dicit; Christum hanc paupertatem docuisse; sed; *aliquando* docuisse. Nunc perge, & alteram propositionẽ tuam subtexe) *Hæreticũ est dicere; Christum talẽ paupertatem verbo & exemplo docuisse. Istæ duæ propositiones sunt contradictoriæ.* Cuius sunt? Num Nicolai & Ioannis? Nũ Bellarminus eas ex cõstitutionibus vtriusq; Põtificis formauit? Tantum inspiciatur Bellarminus; & tota hæc Sibrandica antilogia eò recidet, vnde prodiit.

Ioannes XXII. accusatur à Caluino, quasi animam humanã dixerit esse mortalẽ. Sed hoc ei p summã impostura & mendaciloquentiã imponi, docet Bellarminus, qui & alia eiusdẽ Caluini in eundem Ioannem mendacia redarguit. Quæ VVitackerus tangere non ausus, hoc astu tegere conatur: *Quæ hîc Bellarmius contra Caluinum adfert, nihil ad rem faciunt.* (Scilicet nihil ad rem facit patefacere & castigare tanta & tam inuerecunda Geneuensis Apostoli mendacia: Quanq̃ fateor, hoc parum facere ad rem Caluinianã, cui se studere non profitetur Bellarminus.) *Si Caluinus ait coactũ esse Ioannẽ ad palinodiã, idem ante illũ Erasmus dixit.* Hoc est, si Caluinus mentitus est, ducem mendacij habuit & secutus est Erasmum. Bella sanè excusatio. Nec mouet Bellarminus Caluino litẽ, q̃ Ioannẽ hunc nominet XXIII. vt fingit VVitackerus; nõ magni enim id refert; sed quia grauissimis pseudologiis eum onerat; summaque iniuria dehonestat.

Reprehenditur insuper iste Ioannes, q̃ docuerit, animas beatorũ non videre Deum ante resurrectionẽ. Respondet Bellarminus, Ioannem ita sensisse; nullâ adhuc Ecclesiæ definitione antegressa. Occurrit VVitackerus cum Sutliuio. *Ecclesiam iam antea hoc hæreticũ esse definiuisse. Fuisse enim Arabicos quosdam hæreticos, qui hunc errorẽ tenuerint, de quibus Augustinus lib. de Hæres. cap. 83. Item Armenos; Guidonẽ quoq; & Alphonsum à Castro testari, multos ante Ioannem hanc hæresin tenuisse. Fuit ergo res hæc ante Ioannis ætatem definita.* Respondeo, VVitackerum solitã imponendi artem factitare; nam Arabici illi, nõ numerantur à S. Augustino in Hæreticis, quòd dixerint, animas beatorum nõ videre Deum ante resurrectionem; sed quia asserebant, animas

cum corporibus mori & sub finem mundi cum corporibus resurrecturas. Quod Ioanni Pontifici nunquam in mentem venit; licet Caluinus ei mortalitatē animæ mendaciter affingat. Quod Guido & Alphonsus hanc sententiam vocant *hæresin*, respiciunt ad id, quod iam est, post Ecclesiæ definitionem; non ad id quod fuit ante Ecclesiæ definitionem. Itaque quidquid errati in Ioanne fuit, id eius, vt priuati doctoris fuit; absque vlla hæreseos nota, præsertim, cum vt ex Villano docet Bellarminus; Ioannes semper testatus fuerit; se de hac quæstione tantum disseruisse ad veritatem indagandam; non vt rem tanquam de fide certam definiret; Et cum definitionem aggredi cogitaret; viuendi finem fecit.

A

VVitackerus dicit, Ioannem hanc suam sententiam *publicè docuisse & prædicasse, ita vt totam Sorbonam commouerit*; & hoc testari Gersonem. At mentiri VVitackerum, quod ad Gersonem attinet; testabitur Sermo Gersonis in Pascha Domini; vbi meminit quidem Ioannis Papæ, & opinionis, quam tenebat, sed non meminit eo modo, quem nobis VVitackerus proponit; vt intelliges quoque ex verbis Gersonis, quæ Bellarminus recitat. Ioannem publicè, hoc est, in publicis doctorum congressibus, hanc suam sententiam præ se tulisse, & de ea disputasse; non imus inficias, sed nū ideo ex Cathedra definiuit? Si definiuerat, cur sub finē vitæ definire voluit?

B

Accusat VVitackerus Bellarminum, *quod dissimulauerit, quæ Adrianus & Alphonsus de hac Ioannis opinione scripserunt*; nempe Ioannem, Academiam Parisiensem ad hoc induxisse, vt nemo ibi potuerit gradum in Theologia adipisci, *nisi primitus hunc errorem iurasset se defensurum, & ei perpetuò adhæsurum*. An non nominatim citauit Bellarminus Adrianum & Alphonsum? Quorum narratio nescio an non eneruetur ab alia; quam hic quoque ingerit VVitackerus; nimirum, *Ioannis opinionem fuisse damnatam cum sono buccinarum & tubarum coram Rege Philippo per Theologos Parisienses*. Nam si totam illam vniuersitatem eo adduxerat, vt nulli ad honores Theologicos pateret aditus, nisi iuraret, se hanc opinionem defensurum; quomodo eadem Academia hanc opinionē cum sonitu buccinarum & tubarum coram Rege publicè condemnauit? Satis de Ioanne, cuius opinionē cur tantopere insectentur Caluinistæ, causæ nihil habent, præter criminandi pruriginē, cum ipsorum progenitor Caluinus eandē post & contra expressam definitionem Ecclesiæ tenuerit; vt vidimus in Controuersia de Christo; & ante Caluinum Lutherus non semel Tom. 2. Latinarum Epistolarum, & alij ex Lutheranis. At non videmus manticæ quod in tergo est.

C

Ioannes XXIII. in crimen vocatur, quod animam putauerit esse mortalem; vitamq; venturam & carnis Resurrectionem negauerit. Respondet Bellarminus; Hunc Ioannem nō fuisse *certum & indubitatum Pontificem*. Occurrit VVitackerus: *Pro certo habitum & agnitum in Concilio Cōstantiensi*. Sed vbi Synodus hanc suam mentem expresit, aut testata est? Præter hunc erant duo alij, qui se Pontifices ferebant. Nec carebant sectatoribus. Quomodo igitur Ioannes indubitatus erat Pontifex?

D

Respondet secundò Bellarminus, probabile videri, Ioanni hunc errorē falsò tributū propter improbam, quam ducebat, vitam: nam de insignitè flagitiosis dicere consueuimus, eos ventu tam vitam non credere. Occurrit VVitackerus, *Ioannem hoc non diluisse, cum ei obiiceretur; Et melius sciuisse Patres illos, quid senserit Ioannes, quam Bellarminum*. Respondeo, nec hoc, nec alia sibi obiecta diluit; cum Constantiâ occultè profugerit. At non sequitur idcirco, verè ei tributum hunc tantum errorem; cum non fuerit probatus, nisi cōmuni fama; quæ aliunde non exstitit, quàm ex flagitiosissima Ioannis vita. Nec obstant illa accusationis verba, quæ valde vrget Iunius; *Diabolo suadente, dixit, asseruit, dogmatizauit, & adstruxit, vitam æternam non esse; neq; aliam post hanc: Quinimò dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano mori & exstingui ad instar animaliū brutorum*; quia articulus hic conuenienter communi famæ, ex pessima Ioannis vita exortæ, formatus est; nec certis testibus, vt alij nonnulli comprobatus. Hinc Patres Sess. XII. in sententia contra Ioannem lata, huius tam tetri & pudendi erroris non meminerunt, vt nec hæreseos in cōmuni; minimè id omissuri, si Ioannes verè in hac opinione fuisset: nam si tanto scelere verè se contaminasset, vel vncialibus litteris in sententia definitiua exprimendum erat; ex hoc enim solo capite, omnibus liquidum euasisset, Ioannem iustissimè damnatum & de Cathedra Petri deturbatum esse, vt rectè notat Bellarminus. Sed, vt initiò dictum, Ioannes non fuit certus & indubitatus Pontifex; neque illa, quæ in prioribus illis Constantiensis Concilij sessionibus habentur, approbata sunt à sede Apostolica; ita vt necesse sit omnibus, tanquam certis & exploratis, fidem adhibere. De Benedicto XIII. qui non Papa, sed Antipapa fuit, ferè silent Caluinistæ; nisi quod Iunius mussat, grauiter eum erasse, *cum negauit, Concilium habere maiorem potestatem, quā Papam*. Grauis scilicet & detestandus error, sed in schola Caluini. Similis error non error est Eugenij IV. quem Basileense Conciliū deposuit, quia Pontificē supra Conciliū esse statuit. Grandis profectò hæresis. Circa Innocentiū VIII. nō multum me occupabo. Fabulis simpliciter annumero, quæ Volaterranus scribit, eum Nortvvegis cōcessisse; vt sine vino sacrificarent. In hanc sententiā magis iam it Bellarminus in Recognitione huius loci. Quî fieri potuit, vt dispensatio tam insolita & inaudita alios scriptores penitus lateret, ita, vt præter Volaterranum, nemo eius vllam mentionem faceret; neq; etiam in Archiuo Romano vllum eius vestigium appareret?

Accu-

Accusant hæretici etiam alios Pontifices, & in his Leonem X. quod *animam mortalem crediderit, vitamq; futuram & totam Christianam religionem pro fabulis habuerit.* Sed qui Leonem horum criminum postulant, eorundem ipsimet rei sunt; & animum Leonis metiuntur ex suo: nec insuetum est sectariis, propria scelera affricare tam Pontificibus, quàm aliis orthodoxis.

VVitackerus obiicit Leonem accusari à Parisiensibus *quod contra fidem Catholicam & sacrorum Conciliorum auctoritatem venerit.* Citatque *Appellationem* Parisiensis Academiæ à Leone X. quæ extat in *Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum Orthuini Gratij.* Sed nemo nescit in calore contentionis, etiam doctis & circumspectis, ea quæ minus deceant, excidere posse. Sutliuius necdum facit finem; sed verbosissimè excurrit *in erroves*, vt vocat, *Pontificia Ecclesiæ*; (quidquid enim erroni huic non allubescit, id confestim fit error) & in vitam ac mores Pontificum; quasi hæreticus Sutliuius non sit peior, quouis Pontifice, qui improbitatis, etiam verè accusatur: quandoquidem hæresis fons & origo est omnium nequitiarum, quantumcunque pietatis velum obtendat.

Subiungit hic Danæus censuram generalem omnium superiorum huius libri capitum; quæ si millima est & planè gemella aliis Danæanis censuris, quia mendax est, calumniosa, sycophantica; imò mendaciorum, calumniarum & sycophantiarum rudis quidam cento.

CAPVT XV.

Proponitur quæstio, an summus Pontifex habeat Iurisdictionem verè coactiuam, ita vt possit leges condere, quæ obligent in conscientia.

CAPVT hoc dentibus suis vix leuiter arrodunt Iunius & Danæus. Reliqui omnino transiliunt. Itaque neque nos diutius immorabimur. Legatur Bellarminus.

CAPVT XVI.

Probatur testimoniis verbi Dei posse Pontifices veras leges condere.

PRIMVS locus est ille Deut. 17. *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio.* &c. De quo copiosè disputatum est lib. 3. de Verbo Dei cap. 4. Fallacissimus Danæus reperit hìc tres Fallacias; vnam, *ab Ignoratione Elenchi.* Secundam, *à non consequente.* Tertiam, *à non caussa, vt caussa.* Macte noua *Fallaciarum* laude Danæe, sic itur ad summũ eruditionis apicẽ. Scilicet. Sibrãdus est, qui fuit, & est, & erit, hoc est, quadruplator; nã Bellarmini ex hoc loco argumentationẽ hoc schemate vestit. *Quædam res cõtrouersæ in veteri testamento pertinebant ad sacerdotũ Leuiticorũ iudiciũ: ergo Papa potest omnibus Christianis leges ferre, quæ conscientias obligent.* Item. *Capitali supplicio afficiebatur in veteri testamento, qui per contumaciam non volebat sacerdotis sententiæ obtemperare: ergo Papa potest leges ferre, quæ omnium Christianorum conscientias obligent.* Neminem, præter Sibrandicos forsan stupidiores discipulos, futurum arbitror; qui tam absonas & enormes consequentias ex doctissimi Bellarmini officina profectas credat; nec animaduertat, quidquid huius generis Sibrandus cudit; id ab alio architecto non prodire, nisi ab ipso Sibrando, cui dolis & fraudibus omnia peruertere, innatum est; & proprium *quarto modo.*

Sutliuius post multa in Bellarminum conuicia, alia non minora effundit, vt, *Bellarmini ex loco Deuteronomij collectionem esse futilem, & ineptam, & satis ostendere, Bellarminum nec locum istum, nec politiæ Hebræorum formam intellexisse. Locum enim hunc intelligi de iudiciis non de legibus condendis; hoc colligi ex verbis Mosis*: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. Idem fermè respondet VVitackerus: Non enim dicere Spiritum sanctum: *Quamcunq; legem tulerit summus sacerdos, ei est parendum, &c. aut, quidquid præceperit, hoc conscientias obligat: sed de alio genere loqui, nempe de litibus & actionibus & controuersiis ciuilibus aut Ecclesiasticis, &c. Et iudicium hoc fuisse summum & vltimum; ad quod appellare; nunquam autem ab illo appellare licuerit: sed ad quiescendum fuisse in eius sententia, seu iusta, seu iniusta esset.* Hoc ipsum liquere dicit VVitackerus, ex fine capitis 16. *nam postquam per singulas vrbes Iudices constituendos dixisset, hìc ostendit, quomodo caussæ appellationum sint iudicandæ, & summum iudicium consessum Hierosolymis constitui mandat, qui de caussis difficilioribus cognosceret.* Respondeo; multa hic peccantur à Caluinistis; nam iudicium hoc non propter solas appellationes constitutum fuit; sed & absolutè propter caussarum perplexitatem & ambiguitatem qualemcunque, quam inferioris subsellij iudices expedire nõ possent. Deinde Moyses nihil dixit signatè de Hierosolymis, vt Sutliuius hallucinatur; sed generatim; *In loco, quem elegerit Dominus.* Tertiò, non diffitemur, verba illa pertinere etiam ad sententiam, quam sacerdos ille ferebat, & ad imperium, quo imperabat, vt sententiæ latæ obtemperaretur; & ad decretum, quo contumax & cedere nescius, morti addicebatur; sed hinc concludimus, iussa sacerdotis illius verè fuisse præcepta & imperia; verè necessitatem parendique obligationem adferentia; non autem nudas admonitiones & cohortationes, omni vi coactiua destitutas.

Deinde hoc itidem colligimus; si sacerdos ille verbo talia præcepta dare potuit: igitur &

scri-

ſcripto, quando neceſsitas ita poſtulabat. Quanquam de eſſentia legis & præcepti non eſt, vt ſcribatur; quia abſq; omni ſcripto natura eius ſubſiſtere poteſt; nec niſi *per accidens* in chartam vel ſimile quiddam refertur. Item ſi ſummus ille ſacerdos imperare potuit obedientiam & obſequium; potuit igitur & alia imperare quæ ad hunc finem vel conducebant, vel neceſſaria erãt; nam fruſtra præciperetur finis; ſi media præcipi nequirent. Adhæc, ſi ſummus ille Pontifex hac poteſtate ideo fuit donatus & inſtructus, vt pax & tranquillitas conſeruaretur, potuit igitur abſolutè, ſtatuere & præcipere, quidquid ad hunc finem obtinendum, neceſſarium iudicabat quocunque tempore; & non tantum tunc, quando pro tribunali ſedebat, & ius dicebat.

Quanquam parum refert, quando, & qua in materia potuerit ſummus ille ſacerdos hac ſua poteſtate coactiua vti; nobis ſufficit, eum hac poteſtate præditum fuiſſe. Nam cuius imperium obligat ſub pœna mortis, ille habet poteſtatem coactiuam: ſacerdotis illis imperium obligabat ſub pœna mortis, habebat ergo poteſtatem coactiuam in imperando. Si ergo veteris teſtamenti ſummus Pontifex tali poteſtate coactiua pollebat; cur eadem abiudicaretur Pontifici ſummo nouæ legis, cum iam obſequium ad pacem & concordiam tuendam non ſit minus neceſſarium, quam olim; neque etiam pauciores refractarij inueniantur, vel ſaltem oriri queant, quam olim; & hoc eo magis, quo latius nunc Eccleſia Chriſtiana diffunditur, quàm olim Synagoga: nam quod conuiciis & contumeliis vibrandis Sutliuius ſe argumenti huius nodum diſſecturum arbitratur, fruſtra eſt: lœdoriis enim ſtringuntur potius argumenta, quàm ſoluuntur. Quid autem hæc Sutliuiana aliud ſunt, quam oris impuri eiectamenta? *Nulla trahitur firma conſequentia à ſummo Hebræorum ſacerdote ad Pontificem Romanum.* (Cur non valeat argumentatio à figura ad figuratum ſeu à typo ad typi ſignificatum; ſi, vt par eſt, inſtituatur?) *Ille enim ex lege Dei ſummus erat ſacerdos: hic nullum ſuæ ſummæ poteſtatis mandatum proferre poteſt: Ille nullas condebat leges* (præcepta eius obligabant ſub mortis periculo, erant ergo leges.) *Hic ſe Solone & Lycurgo iactat maiorem legiſlatorem*, &c. *Ex iſtis omnes intelligunt ſtultiſſimè Bellarminum ex hoc loco colligere, Pontificem Romanum habere poteſtatem præcipiendi, vel condendi leges*, &c. *Stultum & alienum eſt ab hac cauſſa diſputare de poteſtate principis politici*, &c. Hoc calumniari eſt; non argumenta Bellarminiana refutare.

Oggannit præterea Sutliuius cum Iunio & VVitackero, *locum Deuteronomij malè à noſtro Interprete verſum acceptumq;, non eſſe ibi ſermonem de cauſſis Eccleſiaſticis, ſed tantum ciuilibus. Non eſſe ſermonem de vno ſacerdote, ſed de pluribus; per iudicem intelligi, iudicem politicum. Iudicem illum & ſacerdotes nihil potuiſſe decernere, niſi iuxta legem; item non puniri, niſi eos, qui ſuperbè reſtiterint ſententiæ iudicum, & noluerint, ne ve-*

A *ro quidem eorum iudicio acquieſcere.* Sed has, & id genus alias nebulas, loco huic obtenebrando à ſectariis ſpargi ſolitas, diſiecimus iam lib. 3. de verbo Dei cap. 4.

Addit Sutliuius: *Moyſem fuiſſe ſummum legiſlatorem Iudæorum*; Reſpondeo, Moyſem leges tuliſſe, ſcriptiſque mandaſſe; & ſuo etiam tempore, cum ius Hebræis diceret, præcepta dediſſe, cum vi coactiua, quibus neceſſariò mos gerendus eſſet. Quia tamen perpetuò victurus non erat, reliquit in ſua Cathedra Interpretem, qui ſemper aditi & audiri ab omnibus poſſet, deque exortis controuerſiis reſponſa certa daret, cum poteſtate immorigeros cogendi ad obſequium. Quod verò in veteri lege inobedientibus pœna
B mortis decreta eſt; iam autem à Pontificibus in Eccleſiaſticis legibus decerni non ſoleat, vt obiicit Sutliuius, id non refert; quia poteſtas coactiua imperantis non tantum apparet in infligendo mortis ſupplicio; ſed & in aliis pœnis irrogandis: & Eccleſiaſtico legiſlatori, ſi aliter finem ſuum conſequi nequeat, liberum ſemper eſt, implorare auxilium *brachij ſecularis* ſeu magiſtratus politici, vt, quoniam gladium ſibi diuinitus ad vltionem malefactorum conceſſum portat; Eccleſiæ manum porrigat, & contumaces pro magnitudine criminis, ſuppliciis debitis afficiat.

Ait Bellarminus. Quicunque poteſt præcipere, poteſt etiam actum indifferentem præcepto ſuo facere neceſſarium, & per ſe bonum; at
C omittere actum neceſſarium & per ſe bonum, eſt peccatum in conſcientia, etiam citra contemptum & ſcandalum. Reſpondet VVitackerus, *propoſitionem eſſe falſiſſimam; ſi modo talem actum*, inquit, *intelligat, qui Deo gratus ſit, & meritorius.* Nihil hìc aſſerit Bellarminus de merito; nihil, num & quomodo actus ex præſcripto legis exercitus, Deo placeat. Diuerticula hæc ſunt VVitackeriana, ad quæ eo conſilio diuertit, vt cauillandi & tergiuerſandi occaſionem habeat. Actum bonum vocamus hoc loco illum, qui etiam ſola bonitate morali bonus eſt; abſque illa cæleſti, in ordine ad finem ſupernaturalem. Quid tricaris nugator, eaque intricas, de quibus nulla hìc eſt quæſtio?

D Ais. *Non quidquid præcipitur, eſt eiuſmodi, id eſt, Deo gratum & meritorium.* Iam dixi, hic non quæri de merito, & num actus à lege præſcriptus Deo ita placere debeat, quo modo placent ei opera à iuſtis per gratiam facta; ſatis eſt, actum præſcripto legis faciendum eſſe bonum, bonitate etiam morali; ita vt, ſtante lege, contrarium facere, vel actum omittere, quando exercendus eſt, non careat peccati culpa.

Subdit VVitackerus. *Poteſt pater præcipere filio, ne hoc aut illud emat*, &c. *ne hac aut illa veſte vtatur, ne hoc aut illud agat, & è contra. Et filius ſi non obedierit, peccat, fateor, non propter res ipſas, quaſi non liceat aliter facere, ſed propter parentis mandatum & voluntatem, cui ille in licitis ac honeſtis parere tenetur. & ſi contemptus ac*

ſcanda-

scandalum accesserit fateor, peccare contra conscientiã, nõ propter præceptum parentis, sed propter maiorem auctoritatem, nempe ipsius Dei, à quo iubemur parentibus obedire. Multum verborum fundit VVitackerus, parum rei. Et si bene attendo, contradictionem in VVitackeri verbis deprehendo. Paulò antea dixerat; peccare filium, nõ propter *res ipsas; sed propter parentis mandatum & voluntatem*: mox subdit; *accedente contemptu & scandalo peccare filium, non propter parentis mandatum, sed propter præceptum Dei iubentis parentibus honorem ac venerationem deferre.* Si peccat propter mandatum & voluntatem parentis, vt prius asserebas, falsum est ergo, quod postea subdis, eum non peccare propter mandatum parentis, sed Dei. Nec illa bene consonant; *peccare filium non obedientem præcepto Patris. Et tum demum, si scandalum & contemptus accedat, peccare contra conscientiã*: quia etsi non ignoro quædam peccati genera peculiariter dici, *contra conscientiam*; omnia tamen peccata, generalius loquendo, sunt contra conscientiam; quia quod non est ex fide, hoc est, vt multi interpretantur, quod non fit ex lege & præscripto conscientiæ; peccatum est. Deinde, filius ille, velis nolis, etiam peccat propter rem ipsam prohibitam; quia obiectum prohibitum, circa quod quis illicitè versatur, etiam ad peccati, vt sic loquar, constitutionem concurrit. Tolle obiectum, & vbi erit furtum? Quod item negas, *talem filium peccare contra conscientiam, accedente scandalo & contemptu, propter parentis mandatum & voluntatem*, insipidum prorsus ac ineptum est. Nam remoue præceptum parentis, nullum penitus erit peccatum. An non rectè dicitur quis peccare propter illud etiam, quo remoto, peccatum penitus desinit, siue illud; *Propter*: denotet causam, siue conditionem sine *qua non*? Mandatum porro parentis ponere aliquid, quo posito, filius peccet, inde planum fit; quia remoto hoc præcepto, non peccat filius, licet hac *veste vtatur*, vel *hanc rem emat*: Et tamen præceptum diuinũ de honorandis parentibus stat & valet. Nec peccat tamen filius: Quamobrem, nisi quia res illa est indifferens, si nullum patris præceptum interponatur?

Non sequitur, inquit VVitackerus: *peccat, nisi fecerit sic, vt iussus fuerit, ergo hoc aut illud necessarium & per se bonum est.* Sequitur; si, relictis cauillationibus, loquamur de necessitate ex hypothesi legis. Nam quod indifferens est, fit necessarium, posito, quod per legem vel imperetur, vel interdicatur: Et dici potest per se bonum; vt illud *per se* opponitur ei, quod est planè *per accidens* & extrinsecum.

Iterum ingerit VVitackerus: *non esse peccatum propter res ipsas, sed propter contemptum voluntatem parentis, quam contemnere, est peccare.* Perinde ac si diceret; Furtum non esse peccatum propter rem ipsam ablatam, & homicidium non esse peccatum propter vitam iniustè homini ablatam, sed propter contemptam voluntatem Dei, quam contemnere sit furari, & homicidium committere. Nam vt in iis, quæ intrinsecè mala sunt, obiectum concurrit in suo genere ad actum malum; sic etiam fit in iis, quæ alioqui mala non sunt, nisi quia prohibita sunt.

Quod addit VVitackerus: *aliàs fecuturum, hoc, quod filius facit, esse duplex peccatum; primum, quod mandatum parentis violasset; secundum, quod talẽ actum necessarium omisisset*: id, vt verbo dicam, insciturn est: si quid enim contra leges humanas efficeret, probaret etiam in legibus diuinis duplex peccatum semper committi; primum, quòd mandatum Dei violatur: secundum, quòd ab opere vetito non abstinetur, vel quòd actus præceptus non exercetur. Vt ergo hîc duplex peccatum nõ existit; ita nec in præceptis humanis; quia quidquid huiusmodi distingui vel separatim considerari potest; id tantum eius, quod principale est; circumstantia & appendix est.

AEquè scitum & doctum est istud VVitackerianum effatum: *Si res à legitimo magistratu præceptæ fuerint per se bonæ & necessariæ*; hoc est, vt plerumque sectarij explicant, lege naturali vel diuina mandatæ) *qui transgrediuntur, duplex peccatum committunt; primò, quia magistratui non obtemperant; secundò, quia rem per se bonam, quæ à Deo etiam præcipitur, non faciunt.* Miseros Caluinistas, qui huius Regij professoris decreto ad duplex peccatum damnentur, vbi alij, non nisi vnum peccatum agnoscunt: cum ex rectè sentientium Theologorum sententia, multiplicatio legum rem eandem prohibentium, non multiplicet peccatum, alioqui is, qui committit adulterium vel furtum, lege æterna, naturali, diuina & humana prohibitum, quadruplex peccatum admitteret; quia in quadruplicem legem delinquit & quadruplicem, vt ita loquar, *inobedientiam* exercet.

Ait Bellarminus, Actus indifferens si præcipiatur, iam erit necessarius, alioqui frustrà præciperetur. Respondet VVitackerus: *Nego consequentiam. Fateor actum fieri necessarium, sed κατὰ τι, non simpliciter.* Hoc satis est Bellarmino, fieri talem actum necessarium ex hypothesi legis latæ: Et esse etiam bonum ex suppositione talis legis. Plus non requirit Bellarminus. Si ergo actus ille ex suppositione legis est necessarius & bonus, & quidem per se bonus, vt loquitur Bellarminus; hoc est, non per accidens & extrinsecè prorsus; non est ergo amplius indifferens; debet ergo fieri siue exerceri. Accusat VVitackerus Bellarminum *sophistica fraudis*, quòd in probatione propositionis omiserit illud: *Per se bonus*; antea in Maiore positum. Quasi verò non subintelligatur. Nam si actus indifferens per legem latam fiat necessarius, quis tam tardus est, qui non intelligat, illum itidem esse bonum, vt subiicitur legi, cum ex lege & præcepto indifferentiam omittat, & bonitatem induat. Mendacium autem est, Bellarminum dicere; *talem actum non esse necessarium, nisi quoad contemptum*, hoc est, istud tantum requiri,

quiri, vt non contemnatur, vel, vt executio & exercitium eius ex contemptu non intermittatur; nam licet quis legem propriè, formaliter & expressè non contemnat; sed solummodo ei obtemperare intermittat, excluso omni formali legis contemptu; nihilominus peccat; nam vt in legibus diuinis peccati macula contrahi potest, absque formali contemptu legis vel legislatoris; sic & in legibus humanis accidere potest; Admiscetur quidem omni legis transgressioni aliquis contemptus, sed implicitus & interpretatiuus, qui est quædam circumstantia omni malo actui communis, nouam peccati speciem non constituens.

Ait Bellarminus. Si lex humana non obligat in conscientia, quando præcipit rem, alioqui extra casum legis indifferentem; Sequitur, leges Dei positiuas non obligare in conscientia, quia sunt etiam de rebus, alioqui non necessariis & indifferentibus, cuiusmodi apud Iudæos erat *circumcisio*; apud nos, *baptismus*. Sutliuius vociferatur; malè misceri leges diuinas & humanas. (Quis miscet?) *Se fateri res indifferentes, ex præcepto diuino fieri necessarias, sed hoc demonstrare debuisse Bellarminum, id etiam contingere vi & potestate humana.* An non hoc demonstrauit? Quia res cadens sub legem humanam, quæ alioqui adiaphora est, fieri vel vitari necessariò debet, postquam à lege præcipitur vel prohibetur; ergo res illa fit necessaria ex lege, suppositione. Nonne hoc ipsum in conuenticulo Londinensi docuerunt, ante paucos annos Pseudopatres illi; cum dicunt: *Medias & indifferentes res naturam suam aliquo modo mutare postquam sub legitimi magistratus edictum vel interdictum venerint, neq; pro cuiusq; libitu præter legem omittendas esse, cum præcipiuntur; nec cum prohibentur, obseruandas.* An non hoc tradunt Pseudoepiscopi Anglicani in Conciliabulo Londinensi?

Iterum ingerit nobis VVitackerus illum suum coccysmum: *Rem lege non fieri necessariam; sed manere mediam; nec magistratui parendum, propter rem mandatam; sed vt vitemus contemptum & scandalum.* Et tamen paulò antea concesserat actum fieri necessarium, licet non simpliciter, sed secundum quid; de quo non laboro, si per *necessitatem secundum quid* intelligat tantummodo necessitatem ex hypothesi legis, seu in sensu composito: hoc ipso enim res non est amplius media seu indifferens, vt agnouerunt Anglicani illius synedrij proceres Caluiniani, quibus, vt Sutliuius, VVitackerus cum suo Baccalaureo Allensono se anteferant, facinus intolerabile fuerit, & dignũ Caluiniano anathemate, quod toties in heteroclita illa Synodo vibratur.

Quærit Bellarminus. Quare Iudæi obligabantur in conscientia nõ vesci carne suilla, cum tamen caro suilla sit res indifferens? *Nonne quia præceptum Dei faciebat, illam abstinentiam esse actum temperantiæ necessarium?* Et addit; Deum hoc & similia non fecisse, quatenus Deus est, sed tantum quatenus legislator. Sutliuius. *Hoc non modò falsum est, sed etiam blasphemum, & supplicio, non verbis modò vindicandum.* O quàm mitis & suauis est Caluinianus spiritus, qui tam celeriter ad supplicia sese recipit. Clamat & VVitackerus; *Miror, si non tinniant aures Iesuitis, cum ista audiunt, & huius ipsos pudeat Iesuitæ.* Mirum certè non foret, etiamsi nobis ambę aures tinnirent, ad tot mendaciorum & conuiciorum strepitum. Quid, quæso, vel blasphemiæ vel impietatis in verbis inest? An, vt vos mentimini, comparat leges Pontificis cum legibus diuinis? Non comparat. Et vt compararet; nulla blasphemia se obstringeret; nam & humana cum diuinis aliquando comparare fas est; Istud tantum, & nihil aliud, allato exemplo Dei, conficere cupit Bellarminus; Etiam Pontificem posse ferre leges, quæ rem indifferentem faciant necessariam, & quæ in conscientia obligent; nam Deus ex rebus indifferentibus potest facere necessarias, lege lata, quæ in conscientia obliget: ergo & Pontifex. Probatur consequentia. Quia quod Deus hoc possit, id non præcisè inde prouenit, quia Deus est; sed quia legislator est; Ergo & Pontifex hoc poterit; quia & ipse legislator est; vt toto hoc capite demonstrat Bellarminus: Ridiculum enim est, quod Sutliuius dicit; *ne cogitari quidem posse, quomodo potestas Dei in legibus ferendis à Deitate separetur.* Nemo reipsa se parat. Cogitatione distingui posse Sutliuius nõ negaret, si vt homo cogitare didicisset: Sed quia supra phantasiam vix se eleuat, mirari non debes, si tam incondita dicta eructat.

Audi nunc portenta plusquam prodigiosa, quæ nobis VVitackerus procudit: *Circumcidi non fuisse olim; & baptizari non esse hodie actum necessarium absolutè; sed suo modo, sic. vt si scandalum aut contemptus abesset, non peccaret, qui omitteret.* Item: *Licet abstinere, etiam à baptismo & circumcisione, si nullus in hoc facto contemptus aut scandalum fuerit.* En axiomata Caluinistica. Si hæc in diuinas de baptismo & circumcisione latas leges isti euomere audent; quid mirum, si aut nullam aut exiguam obligationem & necessitatẽ in legibus humanis agnoscant? Stultissimè autem hanc suam insipientiam firmare nititur VVitackerus, ex facto Israëlitarum, qui per 40. annos, quibus in deserto degebant, filios suos non circumciderunt; ex quibus colligit, circumcisionem non fuisse ex præcepto necessariam obseruatu. Sed non est ita; quia in deserto commodè lex illa obseruari non poterat; ideo desiit tum eius obligatio; interim infantibus non deerat aliud remedium expiandi originalis peccati; qualecunque illud fuerit. Vide Franciscum Suaretz ad q. 70. 3. p. D. Thomæ a. 3. Et tum legem circumcisionis non obligasse optimè nosse poterant ex Moyse, diuinæ voluntatis optimo Interprete; qui non tacuisset, si Israëlitæ tunc diuinam legem violassent. Nec postea similis vnquam casus accidit.

Sed vide & suspice stuporem VVitackerianum.

num. *Leges humanæ tantum obligant in certo loco; quia illorum auctoritas, qui has leges tulerunt, in alio loco nulla est: Ergo peccatum omne in contemptu & scandalo est, non in rebus ipsis*; hoc est, ergo peccatum, quod in violatione legis humanæ committitur, fit tantum ratione contemptus & scandali. Nemo miretur, VVitackerum talia de lege humana effundere; quia paulò antea nihil sublimius de ipsis etiam legibus diuinis baptismi & circumcisionis asseruerat. Dei potestas & imperium, quoquo versum se extendit; Et tamen in quarundam diuinarum legum transgressione VVitackerus nullum peccatum agnoscit, nisi propter contemptum & scandalum: vtroque secluso; cessat peccatum, iudicio VVitackeri; & quod de his duabus legibus sentit; hoc necessariò etiam affirmare debet, si constare sibi velit; de omnibus aliis diuinis legibus, quæ sunt circa res ex se alioqui, secluſa lege, indifferentes. Itaque Iudæus, secluso contemptu & scandalo, carne suilla ad satietatem vsque vesci poterat; vt & aliis cibis, quæ in lege Mosaica longo catalogo interdicuntur.

Deinde falsum est, quod de legibus humanis asserit VVitackerus; nam legis natura per se est necessitatem adferre, siue contemptus formalis & expressus, & scandalum aliorum adsit; siue nō. Hinc & Apostolus Rom. 13. absolutè dicit: *Ideo necessitate subditi esse te, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiā.* In quæ verba Melanchthon scribens super Epist. ad Romanos. *Verba Pauli diligentissimè considerandæ sunt. Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, propter supplicia, quibus magistratus potest sontes afficere, sed etiam propter conscientiam, scilicet, ne fiat rea æternæ pœnæ in his, qui nolunt obedire legitimis imperiis. Sciamus igitur verè peccatū mortale esse, id est, Deum offendens, & faciens hominem reum æternæ pœnæ, nolle obedire legitimis imperiis. Sic declarat necessitatem, vt intelligatur de obligatione conscientiæ, & de æternis pœnis, videlicet, nisi fiat conuersio.*

Ibid. idem Melanchthon. *Multi scriptores hoc argumentum agitant: Magistratus neminem potest pœna æterna afficere. Ergo violans legem magistratuum, non est obligatus ad pœnas æternas. Neganda est consequentia, quia, violans leges magistratuum obligatur ad pœnam æternam propter mandatum Dei. Sicut violans mandata parentum, obligatur ad pœnam æternam, etiamsi parentes neminem possunt afficere pœna æterna. Sed Deus ipse irascitur violantibus ordinem ab ipso sancitum, & est custos sui ordinis, ideo pœnam ipse exsequitur.*

Secundus locus, ex quo probat Bellarminus Pontificem habere potestatem condendi leges obligantes in conscientia, est iste Matth. 16. *Quodcunq; ligaueris super terram*, &c. Sibrandus hoc syllogismo nos exhilarat: *Qui habet potestatē ligandi, & soluendi, ille potest per vniuersam Ecclesiam leges ferre, quæ conscientias obligant; & potest vniuersos Christianos ad obseruationem talium legum cogere, & transgressores punire. sed Petrus habet potestatem ligandi, & soluendi. Ergò. Papa potest per vniuersam Ecclesiam leges ferre, quæ conscientias obligant, & potest omnes Christianos ad earum obseruationem cogere, & transgressores punire.* Postquam syllogismum hunc ex fanatico suo cerebro exsculsit, & in chartam retulit; & verbosissima polylogia pagellas fœdauit; hæc subiecit: *Aliud est in conclusione; quàm in præmissis; Papa enim irrepit in conclusionem; & non fuit in Antecedente.* Quare non obstitisti, ne irreperet? An non tu custos & ianitor eras, cuius curæ incumbebat, ne quid occultè in conclusionem se insinuaret? Sed tantum abest, vt hoc cauere volueris, vt pro tua nequitia consueta, Papam obtorto quoque collo, in conclusionem intruseris, non quidem contra morem tuum sycophanticum; sed forsan contra mentem; si non contra tuam; certè Bellarminianam. Malè tibi tuisque rebus, Sibrande, consulis, cum tam nudè, & absque vllo velo calumniaris. Saltem *cautè* id ageres, si nō omnino *tectè*.

Sed en prioris syllogismi reformationem; at Sibrandicam. *Quicunq; habet officium ligandi, ille habet potestatem tales leges ferendi. Sed omnes ministri habent officium ligandi. Ergò omnes ministri possunt per vniuersam Ecclesiam leges in conscientias ferre, & omnes Christianos ad earum obsequium cogere, & transgressores punire. Hoc argumentum non concedent ipsi Papistæ*, inquit Caluinista. Quis acceptaret tale monstrum ex malitia & nequitia Sibrandica progenitum, quod ostendisse, est refellisse, & ludibrio exposuisse?

Misso Sibrando, ad Bellarminum reuertamur, qui dicit, ligare esse legem imponere; probat Matth. 23. *Alligant enim onera grauia*, &c. Sutliuius oggrunnit: hæc dicta Petro, non Pontifici. Vetus nænia. II. *Nil Petro hic datum, sed solummodo promissum.* Vult ergo sibi monstrari, vbi hæc potestas ligandi data sit. Respondeo, Ioan. 21. verbis illis: *Pasce oues meas.* III. *Ligandi potestatem ad solam peccatorum retentionem pertinere.* Cuculum audio. IV. *Etiamsi* LIGARE *significaret legem imponere Matth. 23. non tamen sequi, eandem significationem huic vocabulo subiectam esse Matth. 16.* Iterum Sutliuius cuculum agit. Hoc iam alibi sæpius affirmauit, neque vnquam vel vno verbulo probare tentauit.

Nunc audiat suum VVitackerum. *Ligare significat legem imponere. Fateor.* En VVitackerus fatetur, quod tu diffiteris. Addit VVitackerus; *hoc in Pharisæis à Christo reprehendi.* Non reprehendit potestatem leges ferendi, sed abusum eius; quòd graues & importabiles leges ferrent, à quibus tamen ipsi non modò humeros, sed & digitos suos subtraherent. Ait VVitackerus, *ligare non esse nouas leges condere, quæ obligent conscientiam, sed Dei legem purè proponere, & vera Euangelij prædicatione quasi peccatorum suorum laqueis adstrictos tenere.* Commento huic validè obluctantur verba Christi; quæ sunt: *Alligant enim onera grauia, & importabilia imponunt in humeros hominum*; nam hæc nouorum mandatorum indicia sunt; quibus extra

potestatem suam legitimam euagati, subditos premebant. Quanquam ex hoc loco nil aliud probare instituit Bellarminus, quâ *ligare* Matth. 23. esse legem imponere, siue postea sit noua lex: siue vetus aliter proposita & explicata: nam si istud ex hoc loco euincatur, sicut reuera euincitur; tum planum fit, Petro & successoribus Matth. 16. tribui quoque potestatem nouas condendi leges; quia generatim dixit Christus: *Quodcunq; ligaueris*, &c. Sutliuius obiicit abusum, in quem potestas legislatiua degenerare potest. Sed iam pridem hunc Caluinianum Decanum didicisse oportebat, *propter abusum non esse tollendum vsum*; testibus & adstipulatoribus non modò ipsis orthodoxis, sed & sectariis. An non & ciuilis potestas ferendi leges in absum abire potest? Num ideo exterminari debet?

Tertius scripturæ locus est iste: *Pasce oues meas*. Sibrandus aduolat consueta suorum syllogismorum armatura munitus. *Quicunque iubetur oues Christi pascere, ille habet potestatem ferendi leges in conscientias; & potest vniuersam Ecclesiam ad earum obseruationem cogere, & transgressores punire. Sed Petrus iubetur oues Christi pascere. Ergo Petrus habet potestatem ferendi leges in conscientias.*

Respondeo, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam*. Potuisses facere veram, si voluisses; quia id tibi integrum erat. Cur non addidisti? Quicunque peculiariter vniuersim sine restrictione, & à quocunque alio homine independenter, iubetur oues Christi pascere; ille habet potestatem ferendi leges obligantes in conscientia, &c. Si hoc vel simile quid ad Maiorem adiecisses, veram effecisses, nam & inter pascendi functiones vna est, leges præscribere, quibus oues in officio contineantur; & qualis pastor esset, qui ouibus sibi commissis præscribere nequiret, quid faciendum vel vitandum esset, cum obligatione & necessitate obsecundandi?

Sutliuius & Danæus, præter conuicia, nihil adferunt. VVitackerus admodum stomachatur, quod Bellarminus scripsit; Christum vsum regio vocabulo; ποίμανον. *Pasce; non enim hic esse regium; hoc planum fieri, ex eius Synonymo, quo itidem Euangelista vsus; βόσκε. Omnium pastorum esse ποιμαίνειν, pascere, non tamen hinc conflci, omnes pastores posse ferre leges obligantes in conscientia.* Cymbalum tinniens audio, inani strepitu. Nam vt tota illa sententia: *Pasce oues meas*: peculiariter ad solum Petrum pertinet; sic & primum eius verbum ποίμανον, non iniuriâ censetur ad Petrum peculiariter spectare; Et aliquid amplius indicare, quâ cum minorum ordinum pastoribus tribuitur: Sicut & verbum *Rego* illustriorem significationem habet, eo in loco Virgilij.

Tu regere imperio populos Romane, memento,

quàm quando alicui patrifamilias mandatur, vt familiam suam bene *regat*.

Quartus locus est: *Sicut misit me Pater; ita & ego mitto vos*. Sibrandus, forma non syllogistica, sed sycophantica amictus. *Quos Christus mittit, quemadmodum Pater Christum misit, illi possunt leges in conscientias ferre, & vniuersam Ecclesiam ad earum obseruationem cogere. Sed Apostoli omnes sunt illi, quos misit Christus, quemadmodum ille à Patre missus est. Ergo Papa potest in conscientias leges ferre.* Non arbitror opus esse quidquam addere. Ipse primus huius monstri adspectus, perspicuè monstrat, non Bellarminum, sed Sibrandum esse eius parentem.

Sutliuius varia hic nugatur. Summa est, *magnam esse inter Christum à Patre missum; & inter Apostolos missos à Christo differentiam*. Scilicet hoc nesciebamus; & vt sciremus, Sutliuio monitore egebamus. An non adhuc Christus & Apostoli ingenti discrimine secernentur, licet Apostolos dicamus à Christo missos cum potestate leges condendi?

VVitackerus dicit, *nihil hic singulare Petro concessum; totum cæteris commune esse*. Sufficit nobis, legislatiuam potestatem à Christo datum Apostolis, ad eum certa quadam proportione modum, quo ipse sua in missione potestatem legum ferendarum acceperat; nam Petro aliquid hac in re, supra cæteros concessum esse, aliunde probamus; nempe ex illo: *Pasce oues meas*, &c. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, &c. *Et quodcunq; ligaueris*. Satis est, ex dicto loco probari, Apostolis potestatem legislatricem à Christo concessam esse; quod isti, vt de Petro, sic & de cæteris Apostolis prorsus abnuunt. Neque cuiquam Catholico in mentem venit; illud: Sicvt, significare omnimodam similitudinem in missione Christi & Apostolorum; non magis; quàm in hac sententia: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Itaque cum VVitackerus hanc omnimodam æqualitatem oppugnat, non nos, sed laruas capitis sui oppugnat.

Quintus locus est Act. 15. vbi Apostoli condiderunt nouam legem de abstinendo ab idolothytis, à sanguine & suffocato, &c. nam de suffocato & sanguine nihil præcepit Christus. Sibrandus iterum accurrit cum impostorio syllogismo: *Quod fecerunt Apostoli, hoc & Papa facere potest; Apostoli autem tulerunt leges in conscientias. Ergo & Papa hoc facere potest.* Respondeo, *maiorem esse falsam*, inquit Caluinista. Tuo scelere falsa est; cur non feciſti veram? VVitackerus dicit; *nihil hic noui sanctum esse*; nam Moysen antea *idem de sanguine & suffocato statuisse*. At lex Moysis abrogata fuerat morte Christi, vt ipsimet Caluinistæ passim tradunt; non potuit igitur lex illa Mosaica Christianos obligare, nisi denuo sanciretur. nam quòd VVitackerus dicit, *fuisse legem hanc promulgatam & obseruatam propter vitandum scandalum; nec Apostolos laborasse de rebus ipsis, sed de vitando scandalo*; id friuolum est; nam vt apertè Bellarminus demonstrat; Etsi finis Apostolici præce-

pti erat, ne scandalizarentur infirmi, tamē ipsum præceptum non cadebat super vitationem scandali, sed super abstinentiam ab immolatis, sanguine & suffocato, quæ erat medium ad illum finem.

Fuisse autem hanc sanctionem, veram legem, probat Bellarminus. 1. quia Apostoli vocant *onus*: *Nihil vltra imponere oneris.* Respondet VVitackerus. *Apostolos non vocare abstinentiam hanc onus; num enim onus fuit non fornicari? imò verò contra profitentur se nolle aliquod onus illis imponere.* Sed adde; *Præter hæc necessaria.* An non indicant ista verba aliquid oneris seu legis fidelibus esse impositum? *Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, præter hæc necessaria; vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, &c.* ergo abstinentia hæc nominatur *onus*, & inter *onera* numeratur. Nam quod quærit, num non fornicari sit onus; poterat solutionem vel ex vita & moribus eorum, qui quintum hoc Euangelium condiderunt, sumere; quibus non fornicari tantum onus visum est, vt omnia iuris, pudicitiæ & honestatis repagula perfregerint, quo liberè fornicari possent. Onus est, sicut omnis lex onus est; hoc est, obligatio, necessitatem aliquid faciendi, vel ab aliquo abstinendi adferens.

Sutliuius dicit; *Non omnia onera obligare in conscientia; testimonio esse illa onera importabilia, quæ alligabant Pharisæi, Matth. 23.* Nec dicit Bellarminus omnia onera, hoc est, omnes leges obligare in conscientia. nam iniustæ leges nullo modo obligant: nec etiam omnes iustæ, si sint merè pœnales; obligant in conscientia; satis est, in præsenti, hanc legem, quæ Act. 15. lata est, obligasse in conscientia; quod colligit Bellarminus cum aliunde, tum quia dicitur *onus*, & inter *necessaria* computatur; non possumus autem dicere, *necessariam* appellatam tantum, vt pœna temporalis vitaretur; quo pacto lex purè pœnalis nominari potest necessaria; quia Apostoli nullam pœnam temporalem huic suæ legi adiecerunt; ergo legem istam vocarunt necessariam propter vitandam pœnam alterius vitæ, cuius reatum nemo incurrit, nisi per violationem illius legis, quæ conscientiam sub peccati culpa obligat.

Obiicit Sutlius; *ea, quæ Act. 15. Apostoli decreuerunt, dici necessaria non simpliciter, sed ratione scandali; & quia adiuncta erat lex de fornicatione, quæ erat diuina & simpliciter necessaria*: Idem fermè respondet VVitackerus. Nec difficultas foret in his responsis approbandis & recipiendis, si Apostoli dixissent: Visum est, nihil vltra vobis oneris imponere, *præter hæc necessaria: ex parte*; seu *secundum quid.* seu, *ratione scandali*; non simpliciter & absolutè. Sed quia nihil horum in decreto Apostolorum apparet, meritò Caluinistis suas glossas relinquimus. Et quàm stultum esset, si quis tria vel quatuor enumerans, quorum vnum solummodo simpliciter necessarium esset; omnia illa tria vocaret necessaria, absque vlla exceptione vel restrictione? Num enim illud, quod, secluso scandalo, liberum est, ideo dici debet necessarium, quia cum aliquo, quod simpliciter necessarium est, recensetur? Imò hoc ipso, quod abstinentia ab idolothytis, suffocato & sanguine cum vitatione fornicationis enumeratur, & necessaria prædicatur; satis apertè innuitur, vt hanc, ita & illam ad conscientiam spectare; nec transgressionem, salua conscientia, locum habere posse; sicut habere nequit in violatione præcepti de non fornicando.

Tertiò probat Bellarminus eandem sententiam ex Act. 15. in fine; vbi de Paulo dicitur. *Præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Et cap. 16. *Tradebant eis custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis & senioribus.* Sutliuius respondet, verba illa: *præcipiebat eis custodire, &c. esse à latino Interprete attexta, & non haberi in originalibus codicibus.* Sed Sutliuio procliue non erit ostendere, nostrū Interpretem, ea de suo attexuisse, neque in Græcis exemplaribus, quibus in versione sua vtebatur, reperisse. Neque tam exilis est apud nos antiqui Interpretis auctoritas, vt eam Sutliuianæ insciticæ postponamus.

Secundò respondent Sutliuius & VVitackerus: *Paulum iussisse, vt præcepta Apostolorum & seniorum obseruarentur, non per se; sed vt scandalum vitaretur.* Bona glossa, cui fidem haberem, si fulciretur ipso textu. S. Lucas ea, quorum obseruatio à S. Paulo fidelibus commendabatur, vocat absolutè *præcepta, & dogmata*, quæ decreta erant ab Apostolis, &c. quæ omnia legem propriè & strictè sumptam indicant: non autem talem, cuius obseruatio, secluso scandalo, libera esset: Non enim scandali occasio præcisa fuisset per hanc legem, sed potius data & aucta; si sensus fuisset; abstinendum ab idolothytis, sanguine & suffocato, si quis ex Iudæorum stirpe adesset, cui talis esus offendiculo foret; absque hac circumstantia cuiuis integrum ac liberum esse, absque conscientiæ scrupulo istis vescendi: nam Iudæi, quorum in hac lege ferenda potissimum ratio est habita; totam hanc constitutionem hypocrisin potius, quam serium decretum existimassent, si Christianis ex gentibus, non quidem aliis ex infirmiorum numero præsentibus & inspectantibus, sed clam, & secluso scandali periculo idolothyta, suffocatum & sanguinem esitandi liberam potestatem factam esse credidissent.

Citat Bellarminus Chrysostomum, qui Epistolam illam ab Apostolis Act. 15. scriptam, vocat *imperium.* Respondet Sutliuius, *non omne imperium vel præceptum obligare in conscientia.* At hoc obligare, ostendit Bellarminus, & antea monstratum est. VVitackerus clamat; *neminem insiciari, esse præceptum, sed non perpetuum.* Quasi verò agatur hic de huius præcepti perpetuitate. An non ipse Bellarminus fatetur fuisse solummodo pro cer-

to & definito tempore? An nihil præcepti ſtrictè accepti nomen meretur, niſi quod eſt perpetuum? Occinit, *eſſe præceptum, ſed non neceſſarium, niſi ex circumſtantiis*, ſcandali ſcilicet & contemptus. At hoc iam antea refutatum eſt.

Citat Bellarminus pro eiuſdem ſententiæ confirmatione Canonem Apoſtolorum 62. vbi idem præceptum, graui adiuncta pœna, præſcribitur. VVitackerus reiicit auctoritatem horum Canonum. Sed Turrianus eam ſatis à Magdeburgenſium telis vindicauit. Cuius vindiciæ in præſens nobis ſufficiunt. Addit VVitackerus. *In Canone iſto nil aliud ſtatui, quàm quòd ſtatutum ſit* Act. 15. Hoc nobis eſt ſatis. Tametſi in Canone exprimuntur pœnæ depoſitionis & excommunicationis, de quibus nihil Act. 15. Sutliuius dicit: *Canonem illum facere pro ſe & ſuis. Inde enim conſtare, præceptum Apoſtolorum Act 15. nuſquam fuiſſe ſeruatum; alioqui non fuiſſe futurum neceſſarium, vt noua lex conderetur.* Non eſt noua condita; ſed illa Apoſtolica Actor. 15. repetita & à Clemente cæteris itidem Apoſtolicis decretis annumerata. Nec repetitio legis ſignum eſt legem à nullo obſeruari; ſed legem ita comparatam eſſe, quæ vbique inculcari, & omnibus curæ cordiq; eſſe debeat.

Secundò dicit Sutliuius; *Has pœnas in tranſgreſſores legis de non comedendis idolothytis fuiſſe ſtatutas propter ſcandalum.* Nihil Canon de ſcandalo. Rem ipſam ſimpliciter prohibet, æquè ac cap. 15. Act.

Eſt itidem Canon hic renouatus in Concilio Aurelianenſi. Occurrit VVitackerus: *Hoc factum vt vitaretur ſcandalum.* (Battum audis.) *Si quid aliud Synodus illa voluerit, ſe non teneri eius auctoritate.* Expedita reſponſio, & ſectariis nuſquam non in promptu.

Poſtea accingit ſe VVitakerus ad defenſionem Caluini, quem Bellarminus hoc loco oppugnat; vult enim legem illam ſolummodo ratione ſcandali ſancitam eſſe & obligaſſe. Bellarminus probat præceptum fuiſſe etiam penſe de ipſa abſtinentia ab immolatis; ſuffocato & ſanguine. quemadmodum licet finis cuiuſcunque præcepti ſit charitas; præceptum tamen de non furando, v. g. & de non occidendo per ſe obligant non ad diligendum, ſed ad abſtinendum à re & damno alieno. Reſpondet VVitackerus. *Hæc exempla eſſe diuerſi generis, nam furari & occidere per ſe malum eſſe.* Quid tum? An ideo, quod per ſe malum non eſt, non poteſt eſſe per ſe & directè materia legis, ſuper quam lex immediatè cadat? Si hoc ita eſt, quomodo igitur in veteri teſtamento tam multa & varia ex ſe non mala, ſed adiaphora, per leges interdicta ſunt? Nam quod iſti dicunt, vel innuunt, à lege diuina poſſe immediatè & per ſe reſpici materiam indifferentem; non autem à lege humana, id ignorantiæ hæreticæ aſylum eſt, ac diuerticulum: quia lex à quocunque procedat, dummodo legitima poteſtate ſit præditus, hac vi valet, vt neceſſitatem imponat, ſaltem ex hypotheſi & in ſenſu compoſito. Mentitur autem VVitackerus, quando dicit, negare Bellarminum, *præcepta de non furando & non occidendo obligare ad charitatem.* Non negat hoc, abſolutè; ſed tantum vult; leges iſtas proximè & immediatè non reſpicere charitatem, tanquam ſuam proximam & immediatam materiam; nam quin reſpiciant charitatem, vt generalem omnium præceptorum finem, diſertis verbis fatetur Bellarminus.

Sutliuius mentitur, *Bellarminum ex lege de idolothytis tollere rationem legis.* An non rationem, ſeu finem huius legis fatetur fuiſſe fugam & vitationem ſcandali? Rectè dixiſſet Sutliuius, nec ſe, nec ſuos collegas noſſe diſcrimen inter finem & materiam legis; nec intelligere quid nam proximè & immediatè à lege reſpiciatur.

Porro legem illam de immolatis fuiſſe nouam legem ab ipſis Apoſtolis conditam, probat inſuper Bellarminus teſtimoniis Patrum, inprimis S. Chryſoſtomi, qui nominat *nouam legem.* Obſtrepit Sutliuius, *duci nouam ratione ſcandali.* Sed rectè dicit Bellarminus, *non ſcandalizare*, eſſe legē antiquiſsimam & moralem, nec Apoſtolos vllam facere mentionē ſcandali in tota illa actione & lege. Non negamus Apoſtolis hunc finem fuiſſe propoſitum; ſed addimus; materiā ipſam proximam legis fuiſſe abſtinentiam ab immolatis, ſuffocato & ſanguine: nec ideo in quibusdam caſibus legem ceſſaſſe, quod finis legis, hoc eſt, ſcandalum ceſſarit, quia notum eſt, & manifeſtis exemplis id declarat Bellarminus, legem non ideo definere, licet in hoc vel illo particulari caſu ratio ſeu finis legis ceſſet.

Idem reſponſum dat Sutliuius ad reliqua Patrum & Conciliorum teſtimonia, quæ Bellarminus hic producit. Nec aliter Patrum dicta diluere conatur VVitackerus: niſi quod impudenter ſcribit, *fieri potuiſſe*, vt veteres *religionem* in abſtinentia ab idolothytis, &c. *poſuerint, & paulò ſuperſtitioſius etiam de rebus ipſis ſenſerint: Et tunc eos erraſſe, & contra mentem huius decreti feciſſe; nec excuſari poſſe.* Imo ad quoſdam Patres & Synodos nihil dignatur reſpondere ſupercilioſus Hæreticus; *quia*, inquit, *Paulus legis mentem melius nouit, quàm hi omnes.* Auguſtino tamen tantum honoris habet VVitackerus, vt ſe ad eius quod aſſerit, refutationem demittat.

In Epiſtola ad Publicolam, docet S. Auguſtinus, potius mortem eſſe oppetendam, quam idolothyta manducanda; ſi quis ſciat eſſe idolothyta. Ex quo apparet, quis fuerit Auguſtini ſenſus de idolothytorum interdicto, & quàm ſtrictè obligare exiſtimauerit. Quid VVitackeros? I. *Auguſtinum hac in re nimis ſeuerum fuiſſe.* II. *Reſponſum eius palam cum Apoſtoli doctrina pugnare.* III. *Auguſtinum non ſatis perpendiſſe, quid dixerit.* IV. *Auguſtinum in eadem Epiſtola alium errorem præmiſiſſe, nimirum, non licere alterum occidere, nec vt occida-*

rio: & hanc sententiã verbo Dei planè cõtrariari. V. *Erasmus miratur sic pronunciasse Augustinum in Epistola ad Publicolam.* VI. *VVitackerus cum Erasmo non dubitat, Augustinum sententiam fuisse retractaturum, si monitus fuisset.* Præsertim si VVitackerus & Erasmus ei monitores obtigissent. Hæc sunt solidissima VVitackeri ad Augustinianã auctoritatem plena reuerentiæ responsa.

Obiicit Caluinus. *Apostolos Act. 15. voluisse liberare gentiles à iugo cæremoniarum Iudaicarum; ergo non est verisimile eos nouo præcepto ad abstinentiam ab idolothytis, sanguine & suffocato obligare voluisse.* Respondet Bellarminus, huius legis obligationem non pugnare cum scopo & fine illius decreti; ab Apostolis enim ita Christianos fuisse exemptos à legibus Mosaicis, vt tamen nõ liberarentur à præstanda obedientia suis prælatis. Et hoc præceptum non obligasse fideles, vt Mosaicum, sed vt Apostolicum & Ecclesiasticum. Occinit VVitackerus; *Abstinere ab his, tanquam immundis, est Mosaicum, si ergo Apostoli sic abstinere iusserunt, fuit hoc præceptum tanquam ex lege Moysis impositum.* Respondeo, Apostolos non iussisse, vt abstineretur ab his tanquam immundis legaliter, seu immunditia legali; nam hæc iam cessauerat, & Christi sanguine expiata fuerat; multoque minus iussisse, vt abstineretur, tanquam ab immundis naturâ, quo pacto posteriores nonnulli Hæretici à quibusdam creaturis Dei abstinebant, sed prohibuisse res istas, nempe idolothyta, sanguinem & suffocatum, propter scandalum vitandum & cõcordiam inter cõuersos ex Gentilibus & Iudæis plantandam; ita vt proxima legis materia sit abstinentia à prædictis rebus; ratio autem seu finis legis, id, quod modò indicauimus. Neque hodie Catholica Ecclesia cum certis temporibus certos cibos prohibet, prohibet vt immundos, etiam legaliter; sed vt temperantiæ actus exerceantur, & caro itidem abstinentiæ subiecta refrænetur.

Itaque verba sine mente fundit VVitackerus, cum iterum atque iterum intonat; *Apostolos cibos illos aut vt immundos vetuisse; & sic fuisse legem prorsus Mosaicam, & interdictum legale; aut non prohibuisse, vt immundos, & sic nihil ad Bellarmini propositum facere.* Quid ad hanc nugationem respondendum sit, ex dictis manifestum relinquitur. Totius imperitiæ scopulus, ad quem capita hæretici in hac controuersia perpetim illidunt; est ista hallucinatio. *Apostoli prohibuerunt idolothyta & alia propter scandalum vitandum, & vt pax atq; concordia conseruaretur; ergo res ipsas*, hoc est, *idolothyta, sanguinem & suffocatum non prohibuerunt.* Quod delirium si valeret; nulla lex quidquam propriè & per se prohiberet. Nam Deus dedit præceptum de non furando, non adulterando, non occidendo, propter charitatem mutuam, & propter iustitiam ac æquitatem stabiliendam; ergo Deus per se, non prohibuit rem ipsam, hoc est, furtum, adulterium & homicidium. Et vt dem exemplũ de Magistratu ciuili, is prohibet, ne quis frumentum ex prouincia euehat, idque eo fine, ne postea regionis incolæ in egestatem & annonæ penuriam incurrant; ergo non prohibuit ipsam exportationẽ seu euectionem frumenti ex prouincia: Et si in vno vel altero particulari casu hęc legis ratio cesset; licitè quis ex prouincia frumentum euehet. Quis rerum ciuilium tam imperitus est, qui hoc asserat, & talem iustè ac legitimè agere censeat?

Alterum Caluini argumentum est istud. *Lex de sanguine & suffocato nunc non seruatur; quia defiit ratio scandali. Ergo hoc præcepto solum scandalum prohibebatur.* Respondet Bellarminus, legem cessasse, non quia finis legis quomodocunque cessauit, sed quia vniuersaliter cessauit. Oggerit VVitackerus; *nullum esse sensum in hoc responso.* Insensata sanè defensio. An non verba Bellarmini clara sunt & perspicua omnibus illis, qui communem sensum non amiserunt? Ais; *Caluinum dicere; legem cessasse; quia iam cessauit scandali ratio.* Quid tum? Cessauit, sed vniuersim, ideo & lex cessauit. Quemadmodum etiam lex politica de non euehendo ex prouincia frumento cessat, quando vniuersaliter finis, propter quem lex condita est, cessat. Miratur VVitackerus, Bellarminum dicere, *legem illam esse Apostolicam, & non perpetuam;* quasi duratio temporalis solummodo Apostolicæ legi repugnet. Quasi verò ipsi etiam Apostoli nõ potuerint ferre leges, quæ pro eo solo tempore durarent ac obligarent, quo finis legis vniuersim non desineret.

Tertia Caluini obiectio ex S. Paulo 1. Cor. 8. & 10. vbi docet, *non esse illicitum manducare idolothyta, si abfit scandalum: Ergo res illa non erant prohibitæ, nisi ratione scandali.* Respondet Bellarminus I. forsan eo tempore, quo Apostolus scripsit primam ad Corinthios, nondum ad eos peruenisse præceptum Apostolorum de immolatis, sanguine, & suffocatis. *Quis non rideat?* inquit VVitackerus. Mirum, ni & ipse Heraclitus in risum soluatur. *Ad omnes*, inquit, *Ecclesias præceptum illud Apostolicum peruenit.* Num è vestigio? Nonne forma decreti initio duntaxat ad Ecclesias Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ ab Apostolis destinata est, vt habetur Act. 15. At Corinthus nec est in Syria, nec in Cilicia. Ait VVitackerus, *probabile esse, Corinthios occasione huius præcepti Apostolici quæsiuisse ex Paulo, quid de idolothytis sentiendum esset; Paulum autem sine dubio nihil rescripsisse, quod cum Decreto Apostolico pugnaret.* Longè credibilius est, nec Paulum, nec alium Corinthiis præceptum illud Apostolicum tum adhuc tradidisse; Et S. Paulum vltro de idolothytis scripsisse, quod secundum ius naturæ, abstrahendo à lege positiua respondendum erat: Aut certè, si Corinthij hanc quæstionem apud Paulum mouerunt, non mouerunt occasione decreti Apostolici, de quo nihil dum

acceperant, sed quia inter ipsos Corinthios fortasse lites exsiterant, aliis esum idolothytorum improbantibus, aliis approbantibus.

Secundum Bellarmini responsum supponit, decretum Apostolicum de immolatis peruenisse ad Corinthios; nec Apostolum quidquam scribere, quod legi illi deroget; nam totam Apostoli disputationem versari non circa ipsum præceptum, sed circa rationem & finem præcepti, qui erat fuga scandali & periculi in idololatriam labendi; ideo reprehendi Corinthios, à Paulo, quod quidam ex illis absque vllo metu, intrepidè immolatis vescerentur; Et iubere, ne id posthac fiat: neque tamen ex disputatione Pauli rectè hoc argumentum exstrui. *Immolata per se non sunt mala*; teste S. Paulo, *sed tantum ratione scandali vel periculi; ergo poterant licitè comedi, seclusa scandalo aut periculo*: vel, *ergo nō potuerunt per se prohiberi, sed tantum propter duas illas circumstantias, quibus proinde cessantibus, etiam in particulari casu; ipsa etiam lex cessauerit*: quia etiam illa, quæ per se non sunt mala, possunt esse præcepti prohibitiui materia, hoc est, vt præcepti vis & obligatio super ipsam rem cadat; non tantum super finem aut rationem legis.

Quid VVitackerus? *Nil potuit miserius dici* (quàm quod tu dicis, ô Caluinista.) *nam non modò prohibet hoc Apostolus, si interuenerit scandalum, vel idololatriæ periculum, verum etiam permittit, si neutrum horum interuenerit.* Vnde hoc probat VVitackerus? Ex illis Apostoli locis, quæ nil aliud volunt, quàm necesse non esse, vt quis carnem emens vel manducans scrupulosè inquirat, num fuerit idolis immolata; sed emat vel comedat liberè id quod proponitur & apponitur. Quis enim finis curarum & anxietatis fuisset; si iste præcepti Apostolici scopus fuisset? At si quis vel per se, vel alio monente, sciat, hoc vel illud idolis esse immolatum, tunc Apostolus & ab emptione, & ab esu abstinere iubet. Et huc pertinent illa; *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* (Quæ enim molestia foret, quærere de singulis, num sint immolata idolis? Quæ intricatio inde nasceretur?) *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne, quod vobis apponitur, manducate; nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit.* &c. In his & similibus locis nunquam permittit Apostolus; vt Fideles vescantur idolothytis, sed hoc tantum concedit, necessarium non esse, vt sollicitè inquirant, num hoc vel illud quod venditur, vel in mensa apponitur, sit immolatum idolis. Neque etiam lex in Concilio Hierosolymitano lata tam curiosam curam à Christianis exigebat. Ex quibus corruit immensa VVitackeri loquacitas, qua hic diffluit ac diffunditur.

Sextus locus, quo Ecclesiastica leges ferendi potestas comprobatur est ille Rom. 13 *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* &c. qui locus non tantum de sæcularibus principibus, sed & de Ecclesiasticis intelligitur, vt fusè probat Bellarminus. Sutliuius vociferatur, *hoc Apostoli monito euidenter condemnari Pontifices, qui se ab obedientia principum Politicorum subtraxerint; nam hic stabilitur potestatis politicæ auctoritatem.* Num solius? Num excluſa potestate Ecclesiastica? Quomodo Pontifex se ab obedientia politici magistratus subtraxit, cum ei nunquam subiectus fuerit? *At loquitur Apostolus de magistratu illo, qui gladium portat; ergo de solo sæculari.* Respondeo, consequentiam esse vanam; nam gladius hic non tantum potestatem vitæ necisque significat, sed & quamcunque vim coactiuam. Quo virtutis coactiuæ quasi gladio, ipsum etiam Ecclesiasticum magistratū succinctum esse; nemo negat, præter illos, qui malè sibi conscij, Ecclesiasticum magistratum de solio suo deturbare, & in ordinem redigere tentant. Obstrepit Sutliuius: *Apostolum loqui de illo magistratu, cui tributa præstantur*; nam hoc indicari illis verbis: *Ideo enim & tributa præstatis*, &c. & *cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Respondeo, vt hæc de tributo & vectigali exempla propriè sumendo has voces, ad Ecclesiasticum magistratum, qua talis est, accōmodari nequeant; at possunt illa, quæ mox subiiciuntur: *cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Item illa: *Reddite omnibus debita.*

Dicit Bellarminus, ipsum Caluinum lib. 4. Inst. cap. 10. §. 5. locum Apostoli explicare de principibus Politicis & Ecclesiasticis; seu de magistratu Politico & Ecclesiastico. Occurrit VVitackerus. *Hoc falsum esse; nec in paragrapho, nec in capite, nec in libro illo hunc locum sic à Caluino explicari.* VVitackerus sibi passim consuetam artem hîc quoque facitat. Cum enim Caluinus difficultatem quandā ex hoc loco Pauli natam, ipse sibi obiecisset, ita scribit: *Nam si principibus obediendum est, non pœnæ tantum, sed conscientiæ causſa, inde consequi videtur, in conscientiam quoq; dominari principum leges. Quod si verum est, idem & de Ecclesiasticis dicendum erit.* Postea respondens ad hanc obiectionem, non remouet magistratum Ecclesiasticum, seu leges Ecclesiasticas, sed explicat, more suo, quid leges magistratuum tangant, & quo spectent. Et tandem hæc subiicit: *Alterum quoque notatu dignum est, leges humanas, siue à magistratu, siue ab Ecclesia ferantur, tametsi sunt obseruatu necessariæ*, &c. vbi vides à Caluino concedi, Ecclesiam seu Ecclesiasticum magistratum posse ferre leges. Et hoc concedit, adductus loco illo Paulino ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c.

AEgrè fatetur VVitackerus in Ecclesia seu ministris Ecclesiasticis esse *potestatem*. Et tamen apertè inficiari non audet, quia videt se,

& Scripturis, & quotidianæ suorum praxi adversaturum: quidquid enim isti in libris clamitant, reipsa potestatem in suos sibi vendicant; neque hoc tantum, sed & cum datur occasio, vel etiam absq; occasione, satis immodicè vsurpant. Illud est lepidum: *leges & ordinationes magistratuum secularium referri ad publicam vtilitatem; Ecclesiasticas autem sanctiones ad εὐκοσμίαν & ordinis conseruationem. Hinc in Ecclesiasticis nos non peccare, si contemptus & scandalum absint; in ciuilibus autem, non esse licitum, etiam sine contemptu, leges quasdam magistratuum violare, sed aut obedientiam aut pœnam præstare oportere.* Quæso te, an non & leges Ecclesiasticæ referuntur ad vtilitatem publicam & communẽ? Quid omnibus constitutionibus suis aliud Ecclesia spectat, quàm vt commune Christianæ religionis bonum promoueatur & amplificetur, paxq; & concordia inter omnes integra perseueret? Si ergo transgrediendo leges ciuiles, peccamus, licet contemptus vel scandalum, nullum intercurrat; eò quod ad bonum commune dirigantur, consimiliter peccabimus, violando leges Ecclesiasticas, etiam sine contemptu & scandalo; quia & istæ leges ad bonũ commune referuntur; & quidẽ directè ad bonum commune spirituale; quod præstantius est temporali: licet etiam temporale bonum indirectè respiciant ac procurẽt.

VVitackerus admodum se torquet circa illa Apostoli verba: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; & qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* (hoc est, tam temporalem, quàm æternam.) *Ideo necessitate subditi esse te, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam:* Libenter, vt & alij passim sectarij, diceret; *leges politicas non magis obligare, quàm Ecclesiasticas;* sed non audet; non metu Apostoli; sed formidine ipsius magistratus politici, cuius potestatem, si labefactare & eneruare palam vellet; forsan quid ea potestas posset, experiretur. De Ecclesiasticis legibus, quidquid dicat, id se impune posse dicere reputat; quia Hæreticis nihil est acceptius, quàm vt Ecclesiastica potestas imminuatur, & vbi fieri potest, penitus exterminetur.

Ait VVitackerus, *nos peccare, cum leges ciuiles transgredimur: & à magistratu res quoque medias seu indifferentes prohiberi posse: manere tamen medias & indifferentes licet sint prohibitæ: & legem non in specie, quoad res particulares, sed in genere obstringere conscientiam.* Griphos loquitur Caluinista: *Rem indifferentem manere indifferentem, etiam vt lege ciuili vetatur, & in sensu composito.* Quid hoc monstri? Perinde est, ac si diceret. Rem esse prohibitam, & non esse prohibitam. Rem esse licitam, & non esse licitam. Item furem, quando furatur, non obstringi in conscientia illa lege; *Non furaberis:* sed illa communi; *Bonum est faciendum; malum; fugiendum:* nec legem illam particularem *de non furando*, tangere & obstringere conscientiam; sed illam generalem & communem: *Nihil mali esse faciendum.* Quis talem deliratorem ferret?

A Nec est, quod VVitackerus, aut eius Baccalaureus Allenson occlamet; *aliam esse rationem legum diuinarum; aliam, humanarum:* nam omnis lex, hoc ipso quod est lex, necessitatẽ imponit, quoad res ipsas particulares, quas præcipit aut prohibet; hęc enim est natura legis, vt materiam, circa quam versatur, faciat necessariam saltem ex hypothesi.

Post hæc in battologiam soluitur VVitackerus: *Leges diuinas per se obligare conscientias; non autem Ecclesiasticas; peccari per violationem legum ciuilium, etiam sine contemptu & scandalo; In Ecclesiasticis non peccari; si desint contemptus & scandalum.* An non hæc & similia antea iam inculcaras, & quidem vsque ad nauseam? Fortè putas hanc tautologicam iterationem à lectoribus loco probationis acceptum iri? B Sed vt hoc faciant improuidi & incircumspecti; id profectò nunquam facient cauti & attenti; & qui VVitackeriana dicta ad stateram reuocare audent, nec amplectuntur, vt oracula ἀντιθετικά.

Concludat hunc locum Sibrandus lepidissimo suo syllogismo: *Quidquid de ciuili magistratu dicitur, etiam à simili, vel à maiori de Papa, ceteruq; Episcopis intelligi debet. Sed de magistratu ciuili dicitur, quod possit leges in conscientias ferre. Ergo, & Papa potest leges in conscientias ferre.* Respondeo, inquit Caluinista, *Maiorem esse falsam.* Cuius est ista Maior? Tua an Bellarmini? Cuius gerit imaginem? Bellarmini an Sibrandi?

C Septimus locus est 1. Cor. 4. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Vbi per Virgam intelligi potestatem iudiciariam ad puniendum, copiosè demonstrat Bellarminus. Ad quæ Sibrãdus. *Paulus dubitat, an cum virga venire debeat: ergo Papa potest ferre leges in conscientias.* Agnoscis, opinor, Christiane lector stylum & genium Sibrandicum. Nil opus addere. Ipse Sorex suo se prodit indicio. Sutliuius clamat: *Ex hoc loco tantum euinci, Episcopos habere Episcopalem mucronem, quo peccatores percutiant, non tamen sequi, eos posse condere leges, quæ obligent in conscientia.* Idem respõdet VVitackerus: addito hoc auctario: *Miror si non aduersarius ipse videat, argumentum non sequi, esseque hunc locum planè à re ipsa diuersum.* Ego verò non miror VVitackerum aut Sutliuium, vim huius argumenti non vidisse: quia oculi eorum vix quidquam vident, præter cauillationes, lœdorias, & pseudologias. Nam si Apostoli habebant virgam, hoc est, puniendi potestatem, ad posteros transmittendam; habebant etiam vim coactiuam; nam vis puniendi absque vi coactiua, frustra esset. Si habebant vim coactiuam, præcepta igitur eorum non erant tantum admonitiones vel cohortationes; sed vera imperia; qualia Sectarij agnoscunt esse illa, quæ pater dat filiis: & magistratus politicus subditis.

Ostendit breuiter & obiter Bellarminus, quomodo S. Augustinus concilliet duo illa loca Euangelistarum; Alterum, Matth. 10. vbi Chri-

ſtus iubet, vt diſcipuli non ferant virgam. Alterum Marci 6. vbi iubet, vt ferant virgam, Nam Chriſtum priore loco de virga corporali loqui; poſteriori, de virga, hoc eſt, de poteſtate ſpirituali. VVitackerus impudentiſsimè: *Pulchrè ſcilicet conciliat Euangeliſtas Auguſtinus. Sic Patres interdum Scripturas non intelligunt: quaſi verò non aliter conciliandi ſint Euangeliſtæ. Hoc non eſt Euangeliſtas conciliare, illos ad inanes allegorias detorquere.* Si S. Auguſtino obtigiſſet ea felicitas, quæ Baccalaureo Allenſonio, longè eruditiorem & perfectiorem commentarium de conſenſu Euangeliſtarum ediditſſet. Miſerum Auguſtinum, qui in Anglia non fuerit natus, & vſus Magiſtro VVitackero. Qualis Euangeliſtarum conciliator euaſiſſet?

Octauus locus eſt 1. Timoth. 3. vbi Apoſtolus legem ſtatuit, ne bigami ordinentur. Hæc lex eſt poſitiua & Eccleſiaſtica, obligans in conſcientia. Negat hoc VVitackerus, addens; eſſe *legem æternam & diuinam.* Eo enim prohiberi polygamiam; & intelligit de illa polygamia, qua quis ſimul, vno & eodem tempore plures vxores habet, vt ſenſus ſit; nullum qui ſimul plures habet vxores, ordinari vel poſſe vel debere; quia neceſſarium eſſe, vt miniſter Eccleſiaſticus ſit vnius vxoris vir, vno ſcilicet ac eodem tempore. Ex hac reſponſione multa quis eliciat, quæ, ſi iis VVitackerus vrgeretur, forſan vix expediret, nam ſi polygamia eſt contra legem æternam, peccarunt ergo contra legem æternam Sancti illi Patriarchæ Abraham, Iſaac & Iacob, qui polygami fuerunt. Item, ſi polygamia eſt contra ius diuinum, antiquum ſcilicet: peccarunt ergo iidem Patriarchæ contra ius diuinum; quia vno & eodem tempore pluribus vxoribus copulati fuerunt. Scio quid Catholici Doctores ad hæc reſpondeant; & quomodo Patriarchas & alios priſcæ legis polygamos à peccato eximant; licet doceant: polygamiam iure diuino poſitiuo olim fuiſſe prohibitam, ſtatim in ipſa prima Matrimonij inſtitutione. Sed neſcio num hoc ſciat VVitackerianus Baccalaureus Allenſon; cui probro non erit, aliquem ex Doctoribus, diſcendi gratia, adiiſſe: nominatim Gregorium de Valentia Tomo IV. comment. Theolog. Diſput. 10. quæſt. 1. de Matrimonio par. 3.

Dico deinde, neceſſarium non fuiſſe, vt Apoſtolus polygamiam plurium ſimul vxorum prohiberet, quia vniuerſis Chriſtianis ſatis notum ac perſpectum erat, eam à Chriſtiana religione penitus improbari ac repudiari. Tulit igitur S. Paulus legem poſitiuam & Eccleſiaſticam, ne quis, qui duas ſucceſsiuè habuiſſet vxores, vel alia ratione bigamus cenſeretur, ad ordines Eccleſiaſticos admitteretur, vt habet communis ſanctorum Patrum ſententia, & interpretum expoſitio, etiamſi Iunius quoque obluctetur; & argumentationem Bellarmini *nec caput, nec caudam habere* criminetur: qui hoc inſuper adiungit: *Iam inde ab initio legem naturæ fuiſſe, vt duo ſint in carne* A *vna, ac non plures.* Peccarunt ergo ſancti priſcæ legis contra legem naturæ à primo rerum conditu ſancitam, quia vno & eodem tempore plures vxores habuerunt. Scio quo ſenſu aliqui velint polygamiam eſſe contra ius naturale. Sed Iunius plus vult. Videat igitur, quomodo antiquos à peccato contra naturæ legem excuſare velit.

Sutliuius dicit; Paulum non excluſiſſe *illos bigamos, qui duas ſucceſsiuè vxores habuerunt à miniſterio Eccleſiaſtico:* ſed dicit tantum, nihil probat. Afer probationem Caluiniſta, & tunc vel adquieſcemus, ſi ſolida ſit probatio, vel refellemus, ſi vacillet. Obiicit Sutliuius: *Qui ordinant bigamos non ſubiiciuntur anathemati in Concilio Carthaginenſi IV.* B *Sed tantum priuantur auctoritate in poſterum ordinandi; ergo non peccarunt mortaliter ordinando bigamum. Ergo lex illa de bigamis non obligat in conſcientia.* Fatuæ conſequentiæ, quaſi verò priuatio auctoritatis de cætero ordinandi non ſit index grauiſſimi ſceleris quod committunt, qui bigamos ordinant. *Cum talibus,* inquit Sutliuius, *facile diſpenſatur abſque peracta pœnitentia: at mortale peccatum ſine pœnitentia non tollitur.* Quis dixit, cum bigamo, qui ſciens, quo in ſtatu eſſet, ad ordines acceſſit; aut cum ordinatore eius, poſtea facilè, ſine vlla pœnitentia diſpenſari; cum illo quidem vt ordinibus ſuſceptis vti; hic, vt poteſtatem ordinandi iterum exercere poſſit? Hæc Sutliuiana ſunt figmenta, non Catholicorum aſſerta. C

Nonus locus eſt 1. Timoth. 5. *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Vbi apertiſsimè docet Apoſtolus, habere Epiſcopum ſuum tribunal etiam extra forum conſcientiæ. VVitackerus. *Quis hoc negat? Sed num propterea ſequitur, Epiſcopũ poſſe conſcientiis leges imponere?* Idem occinit Sutliuius. Hoc ſequitur; Epiſcopum mandare poſſe cum vi coactiua, qua partes ad obſequium adigat, etiam inuitas & obluctantes; atque adeo iuſſa Epiſcoporum non eſſe tantùm monita & hortamenta, ſed vera imperia.

Decimus locus eſt: *Qui vos audit, me audit.* VVitackerus oggannit: *non eſſe bonam conſequentiam: Audiendi ſunt miniſtri, dum loquuntur Dei voces: ergo poſſunt nouas leges præſcribere, quas volunt.* D Si quis candidius ageret quàm VVitakerus; argumentationem hanc potius ita formaret. Miniſtri Dei audiendi ſunt; quà tales; ergò & tunc, cum nouas leges nobis promulgant, quia Chriſtus generatim dicit; *Qui vos audit, me audit:* Vos nimirum, quatenus vicarij mei eſtis.

Sutliuius obiicit: hæc verba Lucæ 10. *dicta eſſe ad 70. diſcipulos, quos Dominus prædicatum mittebat. Hos autem non accepiſſe poteſtatem leges condendi: nam ſi accepiſſent; eandem quoque poteſtatem ſinguli presbyteri hodie acciperent, cum ſuccedant illis 70. diſcipulis.* Reſpondeo, quemlibet pro modulo ſui officij coactiuam vim accipere; nam & inferio-

res

res pastores, potestatem habent præceptis ac imperiis stringendi oues, si necessitas & communis vtilitas ita postulare videatur: & oues obedire tenentur, quia non solum supremis, sed & supremo subordinatis pastoribus obedientia exhibenda est.

Vndecimus locus est 1. Corinth. 11. *Laudo vos, quod præcepta mea tenetis.* Similes alios locos profert ex S. Paulo Bellarminus. Respondet VVitackerus: *in Græco esse μαραδόσεις traditiones.* Sed num ideo excluduntur præcepta? An non & præcepta sunt traditiones? An non qui aliquid præcipit; aliquid tradit? Respondet I. VVitackerus cum Sutliuio, *Apostolum non loqui de præceptis à se conditis, sed de præceptis Dei, quæ Corinthiis & aliis fideliter explicauerit: sequi enim vt abstineant à rapina & stupro; hæc autem esse decreta diuina.* Sed verba S. Pauli commodissimè etiam de præceptis Ecclesiasticis & Apostolicis ab ipso Apostolo datis intelligi possunt: Ait enim. *Præcepta mea.* Indicat ergo se, vt Apostolum & legislatorem quædam præcepta Corinthiis dedisse; neque enim præcepta diuini vel naturalis iuris simpliciter appellasset *sua* præcepta.

Postremus locus est Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, &c.* VVitackerus & Sutliuius respondent: *Neminem negare, quin obedientia præstanda sit præpositis; sed non ideo sequi; licere illis: sanctiuncularum nescio quas excogitare, & eadem nobis obtrudere, tanquam diuinas, &c.* Huiusmodi nugas iam sexcenties nobis Caluinistæ ingesserunt. Ad Ecclesiasticos præpositos non minus pertinet illud Apostoli Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et ipsa obedientiæ natura imperium in se includit: ita vt superior obedientiam, vi quoque coactiua adhibita; exigere licitè possit: Quæ enim hæc obedientia foret, si quis suo præposito; quando, & quantum, & quamdiu vellet, arbitratu suo, obedientiam vel præstaret, vel præstare omitteret, nec tamen debitis mediis ad obsequium compelli posset?

Postea idem probat Bellarminus ex traditione Patrum, quia vix fuit Concilium, quod non aliquid præceperit, vel prohibuerit. Respondet Sutliuius, *hoc causam Bellarmini iugulari; nam si Concilij sit leges ferre; non esse igitur Pontificis.* Audi Caluinista. In Concilio legitimo continetur etiam Pontifex. Quod igitur Concilium facit, facit & Pontifex. Deinde mirum foret, caput Ecclesiæ non posse, quod potest corpus, hoc est, Concilium; tametsi validè hoc non potest, nisi dependenter à capite, ex quo ad subiectum corpus omnis imperij vigor defluit.

VVitackerus dicit: *A synodis multas leges latas ordinis & εὐταξίας caussa: non obligantes in conscientia.* Vt omnes non obligent in conscientia, nullas tamen obligare, falsum est, & contra Ecclesiæ praxin, & contra illud: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed & propter conscientiam.* Addit VVitackerus: *Leges synodorum non obligare nisi ratione contemptus, contumaciæ & scandali.* Hoc etiam inane prorsus est ac friuolum. Et à mente Conciliorum alienissimum: quod fatebitur, quisquis ex tot Conciliis vel vnius Canones ac constitutiones inspexerit.

Fecerat Bellarminus mentionem legis de ieiunio Quadragesimali, Vigiliarum, quatuor Temporum. Hic VVitackerus linguæ frenos laxat, & loquacissimè de Quadragesima, & quo iure obseruari debeat, declamitat. Sed hæc omnia aliò spectant; & libro quarto de Verbo Dei, capite quarto nonnihil de hoc ipso argumento disseruimus. Sutliuius quoque multa hic de ieiunio nugatur: & si vllam legem Sectarij metuunt; hanc de ieiuniis, vt & illam de continentia Ministrorum Ecclesiasticorum pessimè & metuunt & oderunt.

Profert deinde Bellarminus argumentum ex ratione desumptum: quod in eo consistit, præter leges diuinas & ciuiles necessarias esse aliquas veras leges ad Ecclesiam bene gubernandam. Quod Bellarminus copiosè demonstrat. Respondet VVitackerus, *aliquas esse necessarias, ordinis & εὐταξίας* gratia, *non quæ obligent in conscientia.* Antiquam audimus cantilenam, vel potius Battologiam. Bezæ *petulans calumniator* clamat: *Nil aliud facit, quàm si cum ratione insaniret, qui à ratione petit, quod nullo iure nec diuino, nec humano consequi potest.* Bruti, non hominis responsio. Nam & ex Iure diuino & humano iam euicit Bellarminus, potestatem leges ferendi esse in Ecclesia. Cur nunc illud ipsum non probaret ex ratione Iure diuino & humano, & ipso naturali lumine nixa?

Mendacium Sutliuianum est, *ante regnum Constantini nullos fuisse in Ecclesia editos Canones.* Mendacium itidem est; *Pontifices Romanos ante Gregorium IX. ius suum non protulisse in lucem.* Nam Canones Conciliorum ab exordio Ecclesiæ in Ecclesia viguerunt; tametsi postea à Gregorio IX. & ante illum ab aliis Pontificum decreta & responsa in ordinem redacta, & certa methodo disposita fuerunt. Alia non pauca huius farinæ mendacia fundit Sutliuius. Quæ enotare supersedeo: nam vel ad ista, quæ hucusque ex chartis Sutliuianis excerpsimus, nauseat meus animus; nec dubito, quin & lectoris. Tacitus etiam præteruehar polylogiam & logodœdaliam VVitackeri, qua hic chartas complet, dum de legum natura & conditionibus vt verbosè, sic & prorsus Caluinisticè disputat an delirat?

CAPVT

CAPVT XVII.

Soluuntur argumenta aduersariorum ex Scripturæ testimoniis ducta.

SIBRANDVS insignem hic haberet campum, in quo suam Dialecticam exerceret, si sua & suorum sodalium ex Scripturis argumenta, ad formam aliquam Logicam reduceret. Nam lepidissima argumenta in medium prodirent. Et in primis hoc: Christus mandauit Apostolis vt baptizarent omnes gentes, &c. *docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis: Ergo Papa non habet potestatem ferendi leges coactiuas.* Vel generalius: *Ergo Ecclesiastici prælati nequeunt condere leges obligantes in conscientia.* Quia Christus dixit: docete eos seruare; *quæ ego vobis mandaui: non, quæ vos mandabitis.* Siccine ista non? Cur ergo dixit? *Qui vos audit, me audit?* An inter illa, quæ Apostoli gentibus tradere debebant, non erat & hoc, vt præcepta Apostolorum & seniorum custodirent, & omnia illa sedulò exequerentur, quæ à præpositis præciperentur; vel cauerent, quæ ab iisdem vetarentur?

Secundum argumentum. Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, &c.* similis locus est cap. 12. *Quod præcipio tibi, &c.* Sed de his, & id genus aliis locis copiosissimè actum est Tomo I. huius defensionis, & in Responso Hunniano, itemque in vtroque Antimonio, quod deliro cuidam Alchymistæ paraui; & in aliis opusculis meis, ita vt superuacaneum sit aliquid adiicere.

Tertium argumentum Isaiæ 33. vbi dicitur Deus, *legifer noster*; & Iacobi 4. vbi dicitur esse *vnus legislator & Iudex.* Respondemus, hæc loca intelligi de supremo legislatore. Interim suus locus relinquitur legislatoribus huic subiectis ac subordinatis: nam & Deus vnus est Iudex supremus, & tamen sub hoc supremo inueniuntur alij plurimi iudices. De hoc itidem Scripturæ testimonio locis paulò antè citatis abundè actum est. Nam quod fabulatur VVitackerus nos vt legislatorem & iudicem; ita etiam *Redemptorem primarium & secundarium* facere; vt Christus sit primarius Redemptor noster; Franciscus, Dominicus, &c. secundarius; id hæretica criminatio est. Nam Christus solus Redemptor fuit. Solus torcular calcauit; nec vllum in hoc officio administrum vel adiutorem habuit. Quocirca omnem gloriam *Redemptoris* solus ipse sibi vendicat. At legislationem & functionem iudicis, cum aliis itidem, tanquã vicariis suis, communicauit. Nec vident Cæcilij isti: se hoc argumento euertere quoque legislationem politicam. Nam si vnus duntaxat est legislator, vnde tot legislatores ciuiles? Si vnus tantum iudex. Vnde tot iudices in foro externo? Si tot legislatores ciuiles & iudices non tollunt vnitatem supremi illius legislatoris & iudicis; profectò neque Ecclesiastici legislatores & iudices eam tollent.

Quartò obiiciunt Hæretici loca Scripturæ, quæ improbant mandata hominum, & indicant; Deum huiusmodi mandatis nolle coli: vt Isaiæ 29. Matthæi 15. Marci 7. Respondetur, hæc intelligi de mandatis quæ aduersantur diuinis, vel, si non aduersentur, saltem sunt inutilia ac superflua. Quæ omnia fusè ostendit Bellarminus. VVitackerus nihil respondet, nisi triuialia illa, *præcepta Pontificum aduersari præceptis Dei; pluris fieri, quam præcepta Dei, esse merè humana; nulla auctoritate Dei suffulta.* Quis hæc & alia huiusmodi non audiuit millies, & toties risit?

Quintum argumentum sumunt Sectarij ex locis, vbi prædicatur libertas Christiana, vt 2. Cor. 3. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Sibrandus si hîc Logicæ suæ vim & lacertos demonstrare vellet; hunc in modum argumentum formaret: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas; ergo Papa non potest ferre vllam legem, quæ obliget in conscientia.* Pulchra sanè consequentia. Multa de Christiana libertate blaterat VVitackerus. Sed quis nescit Caluinianis & Lutheranis *Libertatis* vocem esse escam; qua pelliciunt incautos, quos, si semel suam in nassam pertraxerint, ita premunt & opprimunt, vt multi illorum malint sub Pharaone, quàm sub Caluino aut Luthero viuere.

Sed audi mirificam VVitackeri de se & suis prædicationem; cui forsan fidem habebit, qui Caluinistas non nouit: qui nouit; VVitackerum mecum pariter explodet. *Nos leges probamus & magni facimus, etiam Ecclesiasticas.* (Ne mentiaris, oro, VVitackere, vix verum dicenti credimus, idque vitio tuo, non nostro, quia semper fraudem subesse vel suspicamur vel veremur; quanto minus apertè mentienti assentiemur?) *& in parendum esse docemus*, nosque illis subiicimus (valdè scilicet, hoc est, quantum lubet) *at nolumus tamen conscientias hic obligari, nec libertatem, quam Christus dedit, nobis eripi*; hoc est, quando & vbi lubet, leges illas seruabimus; quando & vbi non lubet, non seruabimus. Tametsi in Anglia apponunt Pseudo-episcopi eiusmodi organa, quibus vel ab inuitis obedientiam extorquent; inter quæ est *crimen læsæ Maiestatis*, si Regem nolis confiteri caput Anglicanæ Ecclesiæ. Exilium, carcer, bonorum proscriptio, grauissimæ mulctæ pecuniariæ, & id genus alia libertatis Caluinianæ egregia documenta.

CAPVT XVIII.

Soluitur argumentum ex comparatione legum.

ARGVMENTVM est tale: *Deus voluit nos esse liberos à legibus Mosaicis, ergo credibile non est eum nos Pontificum legibus obligare voluisse, cum sint longè plures, quàm Mosaica.* Respondet Bellarminus; leges antiquas debuisse cessare, quia erant typus legis nouæ; qua præsente; necesse est typum euanescere. Clamat VVitackerus, *etiam Papistas habere plurimas leges typicas.* Cedo quas? Quæ nam instituta nostra significant alium venturum Christum? Quæ nam leges indicant, nouam in his terris exspectandam esse Ecclesiam, & hanc nostram aboleri debere? Quæ Catholicorum ceremoniæ alium in hoc mundo futurum Ecclesiæ statum præfigurant & præmonstrant? Quis non videt VVitackerum hæc, dictante calumnia, effutire, vt & sequentia? *Deus flagellis tantùm nos verberauit, Pontifices verò scorpionibus nos cædunt, hoc est, ligneum iugum frangere, & ferreum iniicere: non hoc est facere Ecclesiam è lateritia marmoream, sed ex aurea terream, aut ligneam aut lapideam: hoc est, ex libertù Domini nobilissimi, seruos fieri hominis turpissimi.* Verte stylum, hæcque omnia ad Lutherum & Caluinum transfer; manibusque ac pedibus tuam in sententiam ibo. Bellissimè descripsit VVitackerus Lutheri & Caluini spiritum, quo Ecclesiam reformare, & libertatem fidelibus restituere solent.

Ait Bellarminus, paucissimas esse leges Ecclesiasticas, quæ vniuersos homines vniuersim obligent; quarum quatuor enumerat. VVitackerus: *Miror, si illi frons non erubuerit, cum hæc scriberet.* Item: *Iesuita perfricuit frontem, & verecundiam omnem abstersit, cum hoc scripsit.* Hæc VVitackeriana sunt emblemata. Oggerit; *Deum, ne vnam quidem legem exstare voluisse, quæ conscientiam obligaret.* Qua ratione hoc probat? Affirmatione: qua qui sibi satisfieri patitur, is bono loco apud VVitackerum, eiusque Baccalaureum Allensonium erit: quia ferè nihil frequentius, quam affirmationem & auctoritatem suam sanè non perquam grandem, probationum vice, apponunt. At quod Bellarminus pauciores leges Christianæ Ecclesiæ facit, quàm fuerint Mosaicæ, hoc stomachus VVitackerianus concoquere nequit. Tantum non cœlum & terram ad tantæ rei indignitatem aduocat: *Multo plures sunt*, inquit, *quàm hæ quatuor. Quid enim ait de confirmationis Sacramento, de extrema vnctione* (multi sunt ex Theologorum numero, qui hæc Sacramenta negent esse necessaria necessitate præcepti) *de adoratione Crucis, quoties in eam quis inciderit.* (Quis dicit, necessarium esse, vt crucem quis adoret, quoties in eam incidit?) *de abstinendo à nuptiis.* (Num hoc præceptum ad omne hominum genus pertinet? certè coniugatos non tangit. Non sacerdotes, non religiosos, non alios, qui coniugium inire nolunt) *de peregrinationibus huiusmodi votiuis.* Quis cogitur apud Christianos ex communi omnibus lege, vt peregrinationem vllam suscipiat? Si quis, voto emisso, particularem legem peregrinandi sibi indixerit; tum occinitur illud: *Vouete, & reddite*: Quid hoc ad cæteros?

Conqueritur VVitackerus *de multitudine festorum & ieiuniorum apud Catholicos; paucissima horum fuisse apud Iudæos.* Sed nisi valde fallor, VVitackerus non inspexit Catalogos Festorum & ieiuniorum Iudaicorum; alioqui fortassis hoc tam inconsideratè non effudisset. Neque etiam hæc scribés vel in schola dictans & pronuncians cogitasse videtur, quàm multis Festis Caluinopapistæ in Anglia suos non tam grauent, quàm lætificent. Etsi pauciores sunt in ieiuniis: Malunt enim feriari, quàm ieiunare. Vide Riberam libro quinto de Templo, qui totus est de Iudæorum Festis, præsertim capite vicesimo primo eiusdem libri, vbi Ieiuniorum Hebræis receptorum indicem texit. Item Sigonium lib. 3. de Republica Hebræorum, & Iosephum Burdonem libro septimo de emendatione temporum.

Si quis velit Calendarium Papisticum percurrere, inquit VVitackerus, *reperiet statos dies festos plusquam sexaginta communes, omnibus præter particulares quasdam ferias certis quibusdam locis peculiares*; Nescio, in quod Calendarium VVitackerus inciderit, in quo tantam copiam Festorum inuenerit. Mihi certè nullum huius generis Calendarium visum est, in quo, Dominicis exceptis, sint sexaginta stati dies festi, omnibus Christianis communes. Itaque iniuriam fortè nullam VVitackero fecero, si dicam, hæc sexaginta stata Festa, minimum triginta continere VVitackeriana mendacia. Quàm verò Caluinistæ ieiuniorum sint amantes & obseruantes, docebit te hæc Iunij professio: *Falsum est, nos ieiunia ab Ecclesia indicta, & alia ferre non posse. Iusta ferre possumus,* (cum scilicet à bono & lauto, & ad multas horas protracto prandio, ieiunandum est ad eiusdem diei cœnam) *sed à Pontificia tyrannide imposita onera ferre non possumus*; quia scilicet Pontificium ieiunium nō concedit, vt quoties quis esurit, comedat, cuius rei longam potestatem concedit lex Caluini de ieiuniis.

CAPVT XIX.

Soluitur argumentum ductum ab exemplis.

OBIICIVNT Hæretici exempla Regis Achaz, Manassæ, & eorum, quas Rex Assyriorum de Babylone in Samariam transtulit, qui videntur peccasse, quod ad cultum diuinum nonnulla si-

ne mandato Dei adiecerint; & Deum aliter, quàm ipse præscripserat, coluerint: ex quo liquet, *illicitum esse quidquam aliud circa cultum divinum suscipere vel præscribere præter id, quod Deus ipse divinum præscripsit.* Refrendet Bellarminus, illos non reprehendisse quod ceremonias inillustres à Deo non præceptas; fed quia idolis & idolatriæ inseruirent, quippe qui inseruirent; atque adeo quia ipsimet idololatræ fuerunt. Iunius clamat, *illos reprehendi & vt idolatriam, & vt novas ceremonias inducas.* Iunius non fecerit nisi nobis calumnijs probatis, nihil crediturus.

VVitackerus ingerit: *Ita Salomonis templum nullum hic habet testimonium: fuit quod nomen alterius erat: fuerit etiam, & non templum inducendum.* Vbi dixit Bellarminus, non peccasse Regem Achas erexisse altare exiftimando, & quidem altare idololatricum, quippe exiftimans ad similitudinem altaris Idoli, quod erat in Damasco? Quia fane mentis Regem hunc à peccato, & quidem grauissimo, excusit: præterim cum hoc eclere non contentus, altare Domini è suo loco remouerit, vt in eo sacrificia offerre voluerit, contra expressam Dei legem, & populi Iudaici confuetudinem. Hoc folum modo afferunt Bellarminus, aliud altare in Templo erigere per se non fuisse malum, cum & ipse Salomon; Reg. 8. videris altare Domini eatenus non capere omnia holocausta, sanctificauerit altium locum in templo, & id obtulerit holocausta. Quod facit Salomonis Deus nec impersuit, nec improbauit: Ergo & Achas & Manasses non præcisè propter hoc reprehendantur, quòd altaria in templo exstruxerint, sed quia exstruxerunt Idolis: reiecto & repudiato altari Domini. Nam quod Iunius dicit, Achaz & Manasses non reprehendi, non differtur. Sed idem quis dicere poffet de falso Achazi & Manasse, fi altaria non fuiffent vitanda. Addit Iunius: *Salomonis fallum, fuit magnificum.* Quid tum? An ideo licitum fuit cum ex reliqui doctrinæ de certis, neceffariis rebus non quæque ad cultum diuinum aliquid adiiciatur, & Deus aliter cola tur, quàm ipse præscripsit? At iustius *Salomonem fecisse hoc fallo & peculiari reuelatione.* Quia fecit hoc alterius Iunius, cum scriptura nullum de hac reuelatione verbum faciat; ipfe autem Iunius ita comparatus effe videtur velit, quafi nil fine scriptura affirmet? Idemq; reſpondum ello VVitackero, quinegat Salomonem aliud altare exstruisse. Sed textus clares eft. nam liceat scripturæ non nominet altare dicit tamen, Salomonem in medio atri; facifle *holocaustum, sacrificium & adipem pacificorum*, quod fine altari fieri non potuit, & quidquid fit de hoc, Salomon certè mediam illud atri fuæ manum Deo dicauit, & ædificauit.

Obiicit VVitackerus: *Dicitur Achaz in hac non altari fua holocausta, munera, libamina Zuchariffica adolesse, quæ erant sacrificia in ingressorio, ergo ipfa non altaris conflatio ex peccatorum est & in sacrificia legis.*

non structa, vt fin altaris legitimi sacrificia prohibita fuiffe. Refpondeo, etiamfi in hoc altari obtulerit facrificia, quia à lege prohibebantur peccaffe tamen Achaz, quia altare illud erat idololatricum; vnde non ipfa altaris immediata iniquitas fuit; fed quia erat erectio altaris idololatrici. Neque Deo placere potuerunt facrificia ab eo in lege præcipiens, illo in altari immundo quia vitiabantur ex hac loci feu altaris idololatrici prauæ circumstantia: Efficitum enim fuerat ad formam altaris Damascenæ idololatrici.

De Manaſſe repetit ſuum coccyſmum VVitackerus, *eum peccaſſe, eum peccaſſe propter altaria exstructa Idolis.* Secutus erat VVitackerus dictatum à papiſtas ſuos diſcipulos, quia credebant, quidlibet volebat. Papiſtarum enim vnicum hoc eſt, agere decebat, quia probè compertum habebat, eos tam facile non fore, vt quidquid effutiret, rumpant conclusionem contrariam.

Incolas Samariæ ex Babylonia tranſlatos, fatetur VVitackerus fuiſſe idololatras, quandoquidem & verum Deum aliquatenus colerent; ſed ait, ideo peccaſſes quòd *ſimul nomen quoddam ex non adoratore, quem non habebant, profitebat.* Addit, quem Deum exprefſe prohibuiſſet in lege, ne vllo modo colebant ſimul idola: An non cultus idololatricus à Deo damnatus veratur? Si aliquid adoretur fiet, quod ex fe malum non fuiſſet, ſed proprium ac laudabile: nequaquam aut à Scriptura, aut ab vllo alio ſani capitis reprehenſi fuiſſent.

CAPVT XX. & XXI.

OLIVER Bellarminus his duobus capitibus argumentum de veneratione conficientia & Patribus deducendo ſumpta. Summa argumentorum ſumpta ſunt hinc inde: *Sanctis Deo dilectis, non conficientia. Sed Deo conficientiam ſubiecti eſſe eſt. Nihil perfectæ in eam vis humanitatem.* Ergo hoc conſiſtere illam *ſpiritus libertatem*, quæ ſola ex ſcripturis probetur. Refpondendum eſt, conficientiam non obligari per potentiam humanam priuatã, qui humanã ſuperiorem, aut ſimilem diuinam participat. Participat autem hoc Papa, quod ſit Deus in terris: ergo non potest, quòd à Deo itaque minimum videri non debet, humana poteſtas ferendi leges, ijsq; quoque conficientias astringe & adstringi; quia hoc ita vt à iuſſu Dei, conficientiarum immediate Domini & poſſeſſoris, qui hanc facultatem hominibus in conficientias conſtare voluit, vtad obligandum & obedientiam promptiores efficiantur. Nec propterea efficitur *ſpiritus libertatem*, quòd legibus humanis ſubiecta ſit conficientia. Nam qui legibus obedit, non tam legislatori homini, quam ipſi Deo obedit. Minuiſſe enim Dei eſt magiſtratus, teſte Apoſtolo ad Romanos 13. Vnde etiam in obligandi per leges conficientia, è vice Deifungitur.

Nec

Nec quidquam adhæc respondent VVitakeres & alii sectarii, quim inculcando eum conclusum : *Conclusiones ejusdem : ergo, vel a falsa Tem. sequi possit.* Et tamen, velint nolint, concedere cogentur, conclusiones ligari à politicis magistratu. Fatentur enim, peccare eos; qui politici magistratus leges violant; tamen inipienter adiungunt, peccatum hoc non esse finem præcisè exigendæ politicæ transgressionis: sed quia violatur mandatum Dei de obedientia magistratui: & legibus ab eo latis promulgatis. Quasi verò pari ratione non violetur præceptum divinum in transgressione legis Ecclesiasticæ: non Ecclesiæ iudex Deus moreni gerit iuste? An non & hic potestas à Deo illi Saltem Nouatores nimis ad errores: si quod de legibus civilibus. respectu conscientiarum, affirent, aiterent quoque de legibus Ecclesiasticis, & ordinationibus pericul à contemptu legum Ecclesiasticarum illis imponendarum quantum impendet vel impenderet, si obstruationem legum ciuilium causis iudicum effudicerent.

Præter argumenta ex ratione, quæ Bellarmino proponuntur, & falsa: adhæc VVitakeres alia nonnulla, quæ breuiter fatuenus *S. Thomas non loquitur de legibus in conscientia ad eum arcere nisi in fine conclusionis : non igitur humana non vincunt forum fori, quam diuina.* (concedo quamdiu humana subsistentia puræ ligna ; licet absque non C. nisi tamen ligna humana à toto genere minus strictè obligent : nam diuinis cedunt humanæ, eo in casu. Si enim ex diuina aliera obseruari nequeant diuinæ leges de forma & effectu humana) *sed nihilominus inter diuina & humana.* (Repugnantia quæ pugnat propria, nihil interest, ac alias discriminibus plurimum interre differunt *diuina non possunt humanis legibus humanæ diuinæ.* Eclipsi hoc verum effet: quid inde obtineret VVitakeres? Audeo non diuinis astruere leges diuinæ & humanæ? Certè quim falsitè leges etiam humanæ obtruari debeant, docuit Christus illi verba : *Quod audiuit audet, hoc est, quia videbit: mihi obedit.* Et Apostolus Eph. 6. *si pri Domine sis carnalibus obedite, sicut Christo. ergo non obligant leges humanæ in foro conscientiæ ad eorum exercitium.* Non sequitur; obtusitas ista dictata. Nec falsi, virum VVitakeres non animaduuertit, hoc etiam etiam contra politicos leges mitti posse : quas tamen ad poenam mortis æternæ, salem indirectè & per accidens, obligare, differet non pollicitationi simplicitatem, quod nam dicant, quando alium legem politicum legem conscientiam propter legem diuinam, quæ iubet, remagistratui politico obtemperare.

11. Argumentum. *Qui leges conscientia prafcribunt, & dominantur & iurisdictionem in conscientias habent, ut nulli Pontifici, aut Episcopi, aut alij hominis in conscientiam dominium habeant, ergo nulla in his conscientiis potestas politica legum prescribere.* Reprobo. Si hoc argumentum alicuius ponderis est contra leges Ecclesiasticas idem pondus habebit contra leges politicas : Et tamen hoc obtendi eli, et non solum propter iram, sed & *propter conscientiam*, vt tellatur Apostolus, nec profus absenum fatisfi ; licet diuersitatem aliquam hic reperiere. Secundo dico, si per dominium & iurisdictionem nihil aliud intelligatur, quam ius & potestas, nego fupertorem non habere ius & potestatem in conscientias subditorum non quod arcana conscientiæ fcire queant vel debeant; sicut fcit Deus : sed quia aliquid vel præcipere vel vetare possunt, quod nihilominus, quo ad effectum, possit conscientias obligare vel retrahas. Nec obstat illud : *non dominabitur in eis*; quia fallum & ambitionem & impotentiam vetat S. Petrus. sine qua vis legislatorem nequaquam deesse fubditore: quia hæc vita longitudine & legislatore absolvebatur.

Nec illud nobis officit, v. Cor. 1. *Non quod dominemur fidei vestræ*; ex quo colligi putant fectarii nullihominis competere aliquid iuris in alterius conscientiam : *Apostolus non quod dominetur, ergo non competit.* Reprobeo. Apoftolum nil aliud velle dicere, quim se non dominari fidei, eo modo, quo Dominus dominatur fervo fui mancipio : defpotiè nimirum, imperiosè ac violenter, ita vt arbitrari fuo omnia agat, obligari, impere : non tamen negauit fe dominari fidei eorum, ad quos scribebat, eo pacto, quo pastor dominatur ouibus. & pater filio : aliquin quin fidelibus. etiam quatenus mandare potuerit ea, quæ mandanda videbantur, & cogere ea exercitandi ad officium. docet v. Cor. 10. *Quim autem venero, docebo*, potestatis, qua fe ventuum minatur ex exemplo eorum, quos ante mortatur accepta debitis poenis vel affecit, quibus partit ille punctionis 1. Cor. 7. item Alexander & Hymenæus 1. Tim. 1. vel fi debitas non affecerit, dum commiarum eft. 2. Cor. 13. *pradixi, quemadmodum præsens, ita nunc absens.* Et mirum fane forez, fi pastor eo nihil præceptorum posset : fi eo tantum ouidem, quantum pater filio. Tertium VVitakeri argumentum *Quod Christus non voluerit habere voluerit, v. Luc. 4. vbi dicit Apostolus, potestatem in externa carnimonia non conferre, ergo superfluum est ad tam diuinum in ea parare.* Quid hoc, obtero, conferret ad potestatem Ecclesiasticam condendi legesabeli dandam a Vorent. ne Silvandes cachinnos immensos tollatur, hanc confequentiam audiat. *Corporalis exercitatio ad modicum valet ergo vbi Deus Papa vel Ecclesia non habet potestatem ferendi leges obligantes in conscientia.* Sic quisio externus actus, inutilis eft, & præpercea præcipi non potest: videat VVitakeres, an recte Enthusiastis & Sveuncfeldianis talem Ecclesiæ architecturet quo omnia externa in posterum

ducat; & omnia solo interno afflatu & fanatico instinctu metiatur. Neque vnquam dixit Apostolus, cultum diuinum in externis cæremoniis non consistere. Mendacium istud est VVitackeri, non pronunciatum Pauli. An Deum non colit, qui voce sua Psalmos Deo decantat; qui genua flectit, in genua procumbit, aliaque huius generis reuerentiæ argumenta erga Deum externo gestu edit? Est autem corporalis exercitatio ad modicum vtilis; scilicet per se seorsim sumpta; sed vtilissima est, prout ex fide non ficta & ex conscientia pura procedit, vt alias huius loci Paulini expositiones omittam.

Quartum VVitackeri argumentum. *Potestas inferior non potest imponere legem in iudicio potestatis superioris, quia nullum ius in eum habet. At iudicium conscientiæ est diuinum, & conscientiæ forum ad supremam potestatem pertinet, nempe ipsius Dei; ergo homo non potest in eo iudicio legem imponere.* Respondeo, si quid virium huic argumento inest contra potestatem Ecclesiasticam; valebit, & contra politicam, hæc enim in iudicio potestatis superioris, nempe diuinæ, legem imponit, saltem mediatè & indirectè, vt dicunt sectarij, quatenus, qui politicam legem violat, impingit in legem diuinam, quæ iubet, vt magistratui aliquid præcipienti obtemperetur.

Secundò dico, maiorem esse veram de potestate inferiore non instituta à superiore: qualis reipsa nulla datur, omnis quippe potestas à Deo est: non esse autem veram de potestate inferiore instituta à Deo, & quæ à superiore dependeat, totamque suam vim & auctoritatem inde trahat: nam talis potestas leges ferre potest, quarum violatio hominem in foro Dei, atque adeo conscientiæ, rerum nocentemque faciat. Nec Minor simpliciter vera est: nempe, *iudicium conscientiæ esse diuinum, & conscientiæ forum ad supremam*, hoc est, *diuinam potestatem pertinere*; præsertim eo sensu, quo eam VVitackerus vsurpat; nimirum, iudicium hoc & forum *merè esse diuinum*; nam & homo, quamuis vt minister Dei; sed tamen homo, iudicat conscientiam in Sacramento Confessionis; & forum illud totum est forum conscientiæ; & tamen in eo, vt iudex, sedet & iudicat homo. Quid mirum ergo, si & Ecclesiastica potestas per legum lationem conscientiam attingere & adstringere valeat?

Sutliuij argumenta nil aliud sunt, nisi scurrilia conuicia. *Papa est tyrannus, ergo non potest ferre leges obligantes in conscientia. Papa proprium commodum spectat: Papa fere vniuersas Christiani orbis prouincias expilauit, Imperatoribus ius suum eripuit; Episcopos pro arbitrio eligit, viri docti*, hoc est, malè contenti cum Papa, *aliquando liberius taxarunt Pontificis tyrannidem*; sequitur ergo quod antea; nimirum, Papam non posse leges ferre. Deinde, licet *Papa esset verus Episcopus, tamen Galliæ, Germaniæ, Angliæ non posset dare leges, quia sunt extra diœcesin eius.* Hæc nugamenta iam millies vt audita, sic & profligata sunt: Et tamē perpetuò à Caluinianis istis Battis reponuntur.

Ad solutiones Bellarminianas argumentorum ex Patribus, vix quidquam respondet VVitackerus. De nouo opponit Iustinum, qui in Dialogo cum Tryphone ita scribit. *Christus nobis datus est lex æterna & vltima, & fœdus fidele, post quod nulla lex, nullum mandatum, nullum præceptum. Valeant ergo Pontificij cum suis legibus*, inquit VVitackerus. imò valeat VVitackerus cum suis mēdaciis; nam Iustinus nihil aliud vult, quàm nullam aliam talem nouam legem exspectandam esse, qualis est; lex Mosaica, & lex Christiana, sed legem Christianam esse postremam, post quam nulla alia lex, hoc est, religio, nullumque aliud testamentum & religionis peculiare institutum præstolari debeamus: non vult autem Iustinus, in hac lege & religione nullum subditis mandatum, nullamque penitus legem determinatè præscriptum iri, præter illas leges, quas præscripsit Christus.

Responsum Bellarmini ad obiectionem ex Chrysostomo, non aliter refellit VVitackerus, quàm repetendo id, quod Bellarminus ex professo oppugnat: *nempe, Pastores Ecclesiasticos, ex Chrysostomi sententia, si oues suas curare velint, non vi, sed persuasionibus tantum agere debere; nullo modo illis conuenire, vt vi faciant, quæ peccantur.* Sed Chrysostomum agnouisse potestatem coactiuam in pastoribus Ecclesiasticis, manifestè probat Bellarminus aliquot eius testimoniis. Cur ad ea obmutuit VVitackerus? Et si Episcopi vim cogendi non habent, cur ipsi in Anglia Pseudoepiscopi tot legibus, tot & tam seueris pœnis Anglos ad suam sectam cogunt? Nisi fortè non est cogere; crimen *læsæ Maiestatis* ei impingere, qui Regem, Ecclesiæ Anglicanæ caput esse diffiteatur, & grauissimis mulctis eum subiicere, qui cœtus Caluinisticos adire nolit; vel sacro Missæ sacrificio interfuisse deprehendatur? Lector videat conciliabulum Londinense ante paucos annos ab istis pastoribus impostoribus celebratum; & clarè intelliget, quàm non cogant isti Caluiniani bubulci; quàm suauiter suadeant, si tamen proposita mors, eaque truculentissima; carcer, exilium, amissio bonorum omnium, & id genus alia, his suasoribus vsitata, suauis suasio cuiquam videri potest.

CAPVT XXII. XXIII. XXIV. XXV.

CAPITA hæc potissimum insumuntur in illa quæstione cum hæreticis controuersa; vtrum omnes Episcopi à Papa iurisdictionem accipiant. Affirmat Bellarminus cum sententia communi. Obnituntur Nouatores, sed frustra.

Primum argumentum sumit Bellarminus ex veteri testamento, Nam Num. 11. legimus de Moysis Spiritu tributum illis viris, qui in administratione Reipublicæ, illius futuri erant adiutores; non quod Moyses aliquid de Spiritu suo amiserit; sed quia à Moyse in alios Spiritus ille deriuatus est. Cũ ergo Moyses caput Ecclesiæ antiquæ fuerit typus Romani Pontificis, & seniores illi figuram gesserint Episcoporum, qui Papæ in administratione Ecclesiæ sunt adiumento; non improbabiliter concluditur; quòd sicut à Moyse potestas illa iurisdictionis senioribus venit: sic à Papa Iurisdictionis Ecclesiasticæ potestas reliquis concedatur.

Ad hoc argumentum, cum VVitackerus respondere deberet, omisso eo, disquirere incipit; *num Moyses aliquid de spiritu suo & donis cælestibus amiserit.* Et partem amplectitur affirmatiuam, eique corroborandæ tibicinem adhibet Caluinum; sed malè; vt ad marginem notat ipse Baccalaureus VVitackerianus Allensonius his verbis: *Caluinus in locum non sic. Vide ergo vbi.* Tu videris. Quid ad nos? Satis nobis est, VVitackeri sententiam esse ineptam, & malè pro ea citari Caluinum, tuo ipsius testimonio. Nihil enim peccatum est à Moyse, cum ingenuè professus est, se tantæ multitudini regendæ parem non esse: sed administris, qui suppetias ferant, indigere. Vnde non merebatur, vt insignia illa dona, quibus ad populi gubernationem diuinitus egregiè instructus fuerat, à Deo imminuerentur.

Non placet VVitackero, quòd ait Bellarminus. Pontificem in Ecclesia eum locum habere, quem habuit Moyses in populo Iudæorum. *Hoc falsum esse constat*, inquit. *Nam Moyses fuit Dux & Magistratus populi Israëlitici, & illi septuaginta, qui traxerunt Spiritum à Moyse, Duces etiam fuerunt: num talẽ esse Papã dicent?* Omnino talẽ esse dicemus, sed in suo genere & ordine. Nam Moyses non tantum, vt princeps Ecclesiasticus, sed & vt politicus figura fuit Papæ: Vt enim quis possit esse typus alterius, non requiritur, vt typi significatum in eodem prorsus genere cum typo concordet, satis est, si inter vtrunque similitudo quædam reperiatur. Nam Dauid, & Salomon & Melchisedech Reges, fuerunt figura Christi, & regni eius; & tamen certum est regnum Christi in hac vita non fuisse mundanum & temporale; cuiusmodi erat regnum Dauidis, Salomonis, Melchisedecis. Sic & septuaginta illi seniores, etiam quatenus duces politici erant, fuere typus nostrorum Episcoporum; quatenus isti sunt duces quidam spirituales populi Christiani. Nam in Typo & τῷ τυποδέκτῳ seu *figurato* non requiritur *identitas* specifica potestatis, sufficit *generica, & similitudinaria.*

Longè adhuc artificiosius oppugnat Bellarminum Sutliuius. *Quia Papa non est Propheta: non accipit leges suas decret alinas* (ita loquitur Caluinista) *à Deo, ergo non tenet eundem locum, in Ecclesia, quem Moyses in populo Israëlitico.* Nihil deerat, quam vt diceret; *Papam non fuisse generum Iethro sacerdotis Madianitarum; nec habere vxorem, quæ vocetur Sephora. Nec pauisse oues soceri sui in deserto. Nec descendisse in Aegytum, vt visitaret fratres.* Nec alia huius generis aut præstare aut præstitisse; *non igitur Papæ assignari posse in* Ecclesia eum locum, quem Moyses tenuit. Argutè prorsus dissertat Sutliuius: qui recinit suum illum coccysmum. *Ex figuris nil colligi.* Doctè videlicet, vt omnia, Sutliuius. Mentitur, Numer. 11. *non esse sermonem de Iurisdictione data 70 senioribus, sed de dono Prophetiæ.* Refellitur vanitas hæc inde; quia 70. isti electi sunt, vt Moysen in gubernatione populi illius adiuuarent & subleuarent: ergo cum cæteris donis data est illis itidem iurisdictio in illum populum, sine qua, munere iuris dicundi; cui præficiebantur, nequaquam fungi poterant.

Secundum argumentum Bellarmini. Regimen Ecclesiæ est Monarchicũ; ergo omnis auctoritas est ab vno. VVitackerus & Sutliuius negant Antecedens. *respectu hominũ Monarchæ. Respectu Christi*, concedunt; *hunc enim esse Monarcham Ecclesiæ, & ab illo omnes suam potestatem accipere.* Sed de Antecedente satis disputatum est lib. 1.

Tertium argumentum sumitur ex similitudinibus: nam S. Cyprianus comparat sedem Petri, *capiti, radici, fonti, soli.* Respondent VVitackerus, & Sutliuius. Cyprianum *non loqui de sede Petri, sed de vnitate Episcopatus.* Hanc vanitatem iam alibi satis superque castigauimus. Sutliuius addit: *debile esse hoc imperium, quod positum est in vnius Cypriani auctoritate.* Quasi verò præter S. Cypriani grauissimam auctoritatem, nullum aliud pro hac assertione firmamentum nobis suppetat.

Quartum argumentum est ab inæqualitate iurisdictionis. Respondet VVitackerus, *Christum omnes eodem iure esse voluisse, & pares inter se.* Cur igitur in Anglia Pseudoepiscopi illi, hanc inter se æqualitatem non seruant? Cur Cantuariensis *Primas* est, aliisque anteponitur? Sutliuius clamitat; *hoc argumentum malè connecti, omnes enim Reges à Deo esse, & tamen alios aliis latius regnare.* Num Reges immediatè sunt à Deo, suamque iurisdictionem eo modo à Deo accipiunt, quo Hæretici volunt, Episcopos à Deo immediatè suam iurisdictionem habere?

Quintum argumentum. Non posset Pontifex Episcopis mutare vel auferre iurisdictionẽ, si eam haberent à Deo. VVitackerus nil aliud respondet; quàm; *Ego nego eum posse*: Mirum sanè foret, si Pontifex non posset, quod Rex Angliæ, istorum iudicio, potest. Auferet ille, restringet, contrahet vel ampliabit cuiuis Episcopo iurisdictionem suam; nec quisquam vel leuiter contrà mutiet; & Pontifex nihil horum poterit, nisi prius à VVitackero facultatem obtinuerit?

Sextum argumentũ. Nullum scripturæ testimonium proferri potest, quo euincatur, Episcopos habere suam iurisdictionẽ immediatè à solo Deo. VVitackerus occinit. *esse aliquod Dei verbũ in quo haec iurisdictio Episcoporum fundetur.* Non dubitamus iurisdictionem Episcoporum fundari verbo Dei; hoc quæritur; vtrum hanc iurisdictionem Episcopi immediatè à Deo accipiant? Sutliuius obstrepit; Pontifices non posse pro se verbum Dei præferre, sed hoc annumeretur cæteris Sutliuianis ex Caluiniana cortina effatis.

Septimo idem probat Bellarminus testimoniis Pontificum Innocentij I. Leonis & Conciliorum. VVitackerus: *Haec pulchra nimirum argumenta sunt, vt si quis ex Canone Missa ipsam Missam comprobaret.* Solet VVitackerus sua non raro ex Caluino probare; vt in hoc ipso capite vidimus: vbi Caluinum pro se citauit, quamuis falso & perperam, vt monet ipsemet editor & Baccalaureus VVitackerianus. Et nobis integrum non erit pro confirmatione dogmatum nostrorum adducere doctissimos Pontifices? statimque leuissimus Sutliuius nobis occinet: *Leues sunt isti testes in propria causa loquentes. Innocentij Epistolae suspectae sunt, vt rectè (imò insciтè,) annotauit Erasmus, & dictionũ incompositа & inepta figura indicat.* Verum de hac Sutliuij & sociorum impudentia iã sæpius dictum actumque est.

Pro clausula huius libri sit nobis vnus è multis sycophanticus syllogismus Sibrandi: *Septuaginta seniores acceperunt de Spiritu Mosis, & vna cum Mose gubernarunt populum Israëlis. Ergò Papa immediatè accepit à Christo omnem Ecclesiasticam iurisdictionem, & omnes Episcopi, suam iurisdictionem Ecclesiasticam habent à Papa. Hoc argumentum planè est ἀπὸ σκοπου*, inquit Caluinista, *neque plus ex eo sequitur, quàm si dicas: Baculus stat in angulo. Ergò Papa immediatè à Christo omnem iurisdictionem Ecclesiasticam accepit, & Episcopi suam iurisdictionem habent à Papa.* Vides mi lector, effrontis huius Caluinistæ petulantiam: & vidisti iam frequentissimè. Quid opus eadem semper repetere? Nec meliora sunt, quæ Danæus adducit; qui vbique mendaciis & calumniis, vt hystrix setis, horret: Et more suo quidquid criminationum & inscitiarum circa hæc postrema capita effuderat, id in vnum fascem colligit ac comportat, nouis quibusdam superadditis; ne videatur ingenium suum penitus exhausisse, & ad fundum illius penetrasse.

Et hic quarti libri terminus esto.

Finis Libri Quarti.

DEFENSIO LIBRI QVINTI DE PONTIFICE ROMANO

REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI ROBERTI BELLARMINI S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

CAPVT I. II. & III.

HAEretici hęc capita vix attingũt: Quia libentissimè concedunt, Papam nec esse Dominum totius orbis; neque etiam totius orbis Christiani; quod probat Bellarminus cap. 1. & 2. Danæus tamen continere se non potuit, quo minus Bellarminum conuiciis & mendaciis insectaretur, eò quòd cap. 2. scripserit; Dominium infidelium non descendere ex iure diuino, sed ex iure gentium: Et cum dicit; non descendere ex *iure diuino*, intelligit; *immediatè*; nam mediatè à iure diuino proficiscì nemo abnuit; quia omnis legitima potestas à Deo est. Danæus vociferatur, hoc esse *impium, blasphemum, ἀσύλλογον; regna & Dominia etiam inter infideles non esse à Deo; neque proinde à iure diuino*. Adde voculam: *immediatè*; & tota calumniarum tuarum moles corruet. Nam vbi Deus regnũ Alexandri Magni v. g. immediatè instituit? Vbi regnum Assyriorum? Vbi regnum Persarum? Vbi Sinarum, Iaponiorum? Monstra locum iuris diuini; qui clarè doceat hæc & consimilia regna secundum peculiarem suam rationem; immediatè à Deo instituta & ordinata, eo pacto, quo regnum Regum Israëliticorum immediatè à Deo institutum fuit?

Ait Danæus; *Ius gentium est iurìs diuini radius, particula & scintilla*. Quid infers? Num hoc? Ergo quidquid est de iure gentium, illud itidem est iuris diuini. Iterum quæro; Num proximè & immediatè? Conuicia, quibus in Bellarminum detonat & boat, surda aure præteruolo. Non magis mirum, imò multò minus, si Danæus conuicietur, quàm si coruus crocitet.

CAPVT IV. & V.

Papam nõ habere vllam merè temporalem iurisdictionem directè iure diuino, & soluuntur rationes Aduersariorum.

DE tertio capite dicit Danæus: *Hoc totũ caput verum est*. De quarto sic pronunciat. *Et in hoc quoq; capite cum Bellarmino consentimus*. Tam enim benigni sunt Nouatores in summum Pontificem, vt libentissimè concedant, eum nullam habere directè, iure diuino iurisdictionem merè temporalem; quin & hoc ex nimia sua liberalitate addũt: Eum ne indirectè quidem tali iurisdictione præditum esse. Quod tamen nimis effusi & profusi animi indicium est, vt capite sexto Bellarminus ostendet. Etsi autem sectarij hoc caput vix oppugnent ac vellicent; exstitit tamen ex castris nostris, hoc est, Catholicis, Alexander Carrerius I. C. Patauinus, qui Anno Domini 1599. de potestate Pontificis duos libros edidit, *aduersus impios politicos*, vt titulus habet: in quorum secundo acriter it in Bellarminum propter hanc sententiã, quam hoc capite tradit: Et Bellarminum tãtùm non Antesignanum *Politicorum* statuit: Cum si ij, quos hodie vocant *politicos*; nihil aliud peccarẽt, quàm quòd negant, Papam iure diuino directè vllam habere iurisdictionẽ merè temporalem; causſæ nihil esset; cur omnibus piis exosi ac inuiti essent; cũ hæc sententia, grauissimos, eruditissimos, & religiosissimos patronos habeat, quorum catalogum Bellarminus texit.

Nec certè video quid tanto hiatu dignũ Carrerius contra Bellarminum produxerit. Titulus cap. 5. est iste. *Confutatur opinio Bellarmini*. Proculdubio admodum validè ac lacertosè. Audi. *Sicut ea, quæ sunt hominis in Christo, necessariò propter vnitatẽ (vnionem dicere volebant) hypostaticam eius diuinitati attribuuntur; ita necessariò, quæ sunt diuinitatis humanitati adscribuntur*. Nõ placet hoc probationis exordiũ, quia nisi piè explicetur, olet quiddam *Vbiquisticum*. Vbiquitatis enim Patroni ita loqui solent, proprietates humanitatis cõmunicatas esse diuinitati, & vice versa; nec intelligũt hoc de communicatione mutua in vno tertio, in vno supposito Verbi, sed de communicatione immediata, qua vna natura proprietates suas in alteram transfuderit, imò in hac cõmunicatione constituunt pleriq; ipsorum naturam & essentiã vnionis hypostaticæ, ex quo commento plaustra absurditatum consequuntur, vt vidimus in disputatione de Christo. Sed non vtemur hîc hoc interpretationis rigore: in bonam partem interpretabimur, quod Carrerius dicit; ea quæ sunt

humanitatis tribui diuinitati, & cõtrà. Accipiamus hoc de attributione nõ immediata, sed mediata ratione hypostaseos: in qua duæ istæ naturæ vniuntur.

Perge iam. *Cum enim salus nostra in Deo exsistat; si passio Christi ad diuinitatem non pertineret,* (periculosus loquendi modus, olim Eutychianis: hodie Vbiquistis Lutheranis vsitatus; nã passio adimpassibilem diuinitatem aliter non pertinet, quã ratione hypostaseos; quatenus in concreto, verè affirmatur, *Deum esse passum*; itè illum, *qui passus est, esse Deũ) quomodo nobis sua passio esset salutifera?* (eodè prorsus modo loquuntur Vbiquistæ; at licet passio ipsam diuinitatem immediatè non tangat; neq; etiam ad impassibilem diuinitatem immediatè pertineat; salutifera tamen est; quia passio illa Dei est; seu suppositi diuini, licet non nisi secundum naturam humanam; Ex quo supposito infinitam vim & efficacitatem contrahit.) *Quod etiam magnitudo pœnæ demonstrat, cum videamus Iudæos punitos tanquam homicidas non puri hominis, sed Dei* (Nemo negat Deum à Iudæis occisum. At num quia occiderunt Deum secundum naturam humanam, diuinitas aliquid passa est? Num ideo diuinitati passio rectè tribuitur?) *Attribuuntur ergo, quæ humanitatis sunt ipsi Deo)* Rectè, Deo in concreto: non diuinitati in abstracto) *Quod tamen mirum videtur possibile, quàm vt ea, quæ sunt diuinitatis attribuantur humanitati,* (vtrunque æquè est possibile propter vnionem duarum naturarũ in vna & eadem hypostasi. Et vtrunq; æquè est impossibile, si spectemus immediatam attributionem ipsarum proprietatum vtriusque naturæ inter se. Nam quemadmodũ impossibile est, vt natura humana suam finitatem communicet naturæ diuinæ; sic impossibile est, vt natura diuina cõmunicet immediatè suam infinitatem naturæ humanæ: Et sic de cæteris naturarum proprietatibus statuendum est) *Et hoc quoad simplex dominiũ creaturarum corruptibilium, vt dicatur Christus omnium inferiorum dominus, non solum in quantum Deus, sed etiam, in quantum homo, habens Dominium etiam pro nunc in terris non solum diuinũ, sed & humanum, & si non immediata executione, tamen plena iurisdictione.*

Omnium istarum ambagum hæc videtur esse summa & epitome. *Christus secundum diuinam naturam est Rex omnium; ergo & secundum naturam humanam.* Si neges consequentiam; probat illam Carrerius; *quia quæ conueniunt vni naturæ, conueniunt etiam alteri; si ergo Christus est Rex secundum naturam diuinam, erit & secundum humanam.* Iam dixi, fundamentũ hoc planè esse periculosum, & ex Vbiquistarũ Topicis haustum, nisi adhibeatur emplastrum, quod vt adhibeamus, Christiana charitas monet, quandoquidem cum viro Catholicæ fidei addicto nobis disceptatio intercedit. Emplastrum autem hoc est, vt dicamus; Christũ hominẽ fuisse Regem omniũ rerum temporaliũ. De quo quæstio esse non potest; quia Christus homo est Deus; ergo & Rex omnium. Si autem dicas; Christum, quatenus homo, seu secũdum humanã naturam formaliter, habuisse regnum temporale in omnes res; tum negamus: Et si quid Carrerius probare vellet, hoc probare deberet. Et licet concederemus regnum, quod habet natura diuina, communicatũ esse naturæ humanæ, etiã in se; adhuc tamen Carrerius nihil ad rem diceret; quia regnum hoc non est regnũ temporale; sed æternum, tam initij, quàm finis expers: nos autẽ quærimus de regno temporali Christi cum in hoc mundo versaretur. Et si quis dicat; hoc regnum esse quidem in se æternum; tamen ex tempore Christo esse communicatum; Respondeo; hoc regnum, de quo Doctores disceptant, non tantũ statui temporale ratione initij, sed & ratione finis; quærunt enim, vtrũ Christus, cum in hoc mundo versaretur, regiã, eamq; temporalem dignitatem & iurisdictionem politicam habuerit. Quod certè de iurisdictione illa diuina, quam Deus habet, intelligi nõ potest; cum sit perennis, & si Christo secundum humanam naturam ratione vnionis hypostaticæ competeret, semper competeret, quandoquidem dona, quæ Christo per hanc vnionem competunt, mutari nequeunt.

Deinde addo, prorsus esse impossibile, vt regia potestas diuina, prout est attributum diuinæ naturæ; humanæ naturæ in se communicetur; quia vt alia attributa diuina, sic & hoc aliter naturæ humanæ communicari non potest, nisi in alio, nempe in hypostasi. Ex quo solum sequitur, regiam potestatem, etiam diuinam, de Christo homine prædicari posse in concreto; vt si dicam: *Christus homo est Rex omnium*: quod verissimum est. Et hoc tantùm probat Carrerius, si quid tamen probat. Quo fit, vt nihil ad rẽ probet: licet enim Christus homo fuerit Rex, atq; adeo regia potestas, nõ qualiscunq;, sed & diuina de Christo homine prædicata fuerit; & etiãnũ verè prædicetur, de hac tamẽ regia potestate nõ est disceptatio inter Theologos, & Cano. peritos; sed de alia: neq; ista Papæ à Christo cõmunicari potuit, quãdoq; dẽ caussa & origo eius est in Christo homine; vnio hypostatica: quæ sine dubio Papæ non conuenit.

Subiungit Carrerius. *Ideo sicut suppositio diuinæ naturæ attribuitur ipsa passio nõ ratione diuinæ naturæ, sed humanæ* (ista melius tinniunt, quàm quæ Carrerius initio huius suæ probationis attulerat *sic ita eidem suppositio, quæ sunt diuinitatis vt dominium diuinũ, attribuitur humanitati;* (sed ratione suppositi & in concreto) *secundum proprietatem naturæ humanæ,* (falsũ; ipsi naturæ humanæ in se & immediatè hoc dominium non competit; sed in hypostasi) *vt dominium illud diuinũ etiã humanũ dicatur.* Humanũ dicitur, quia cõpetit Christo homini; non autẽ, quia humanæ naturæ in se & immediatè conuenit.

Et hæc est prima Carrerij ratio, qua abs se Bellar. opinionẽ confutari gloriatur, Tantum autẽ abest; vt Bellar. vel potius cõmunem Theologorum sententiã confutet, vt eam ne leui quidẽ bra-

chio

chio attingat: quia, vt dixi, non est controuersia, vtrum de Christo homine in concreto affirmari possit regia potestas diuina propter vnionem hypostaticam; de hoc enim nullus rem intelligens dubitat; sed tota quæstio de alio quodam longè inferioris ordinis regno instituitur.

Secunda Carrerij ratio, *puri homines morti æternæ addicti plenâ à Deo super hæc inferiora iurisdictionem receperunt: vt Tiberius, Pilatus, alij; ergo tale dominium non non est negandũ illi, quẽ pater sanctificauit, & in mundum misit.* Respondeo, negãdo cõsequentiã: quia sanctificatio qua Christus sanctificatus est, nõ in eo cõsistebat, vt fieret Rex tẽporalis; sed vt esset princeps & Monarcha spiritualis; cælestib. donis ab ipso incarnationis momento cumulatissimè locupletatus. Nec missus est, vt Regnũ tẽporale in hoc mundo possideret, sed vt omnes exẽplo suo ad paupertatis amorem ac diuitiarũ contẽptũ, & ad humilitatis studium sectandum incitaret.

Sed en Carrerius etiam *anathema* dicere audet Bellar. sed retusũ, nec penetrabilius. quã fulgur ex vitro. *Sicut contra Nestorium Cyrillus Alexandrinus in Epist. Synodali, inquit: Si quis non confitetur Deũ verbũ passum carne, & crucifixũ carne, anathema sit: ita & nos contra Bellar. si non confitetur, Christũ diuinũ & humanũ dominiũ vniuersorũ quæ sunt in cælo & in terra, semper habuisse, etiam ab initio conceptionis suæ, anathema sit.* Respõd. Bellar. confiteri in Christo dominiũ humanum plenissimũ & latissimum; sed spirituale. confiteri etiã in Christo Dominiũ in res omnes temporales, sed indirectũ solũmodo, & in ordine ad finẽ spiritualẽ, qui regno & dominio spirituali Christi ꝓpositus est, vt cap. 6. explicat Bellar. Confitetur etiã Bellar. vt alia attributa diuina, sic & dominium diuinũ inesse in Christo homine; ita vt verè asseratur, Christus homo esse & fuisse Rex & Dominus creaturarum omnium, visibiliũ & inuisibiliũ. Præter hæc dominja aliud in Christo nõ agnoscit Bellar. cui immerẽti *anathema* dicit Carrerius. Sed talia, vt dixi, fulmina, ab imbelli manu missa, nõ lædũt. Quis vnquã audiuit, alicui ideo dictum *Anathema*; quòd asseruerit, Christũ, quatenus homo est, seu secundũ naturã humanã, vt daret nobis perfectissimæ paupertatis exemplum; non habuisse temporale regnũ & dominium super omnes creaturas?

Post has suas ꝓbationes planè infirmas & enerues. annectit Carrerius conclusionẽ. *Ergo sicut dominiũ fuit in Christo diuinũ & humanũ, ita & in Papa eius vicario, omnino idẽ ſtatuendum est.* Nescio, nũ dicta sua Carrerius intelligat: nã si diuinũ dominiũ Christo homini, nõ competebat, nisi ex ratione hypostatica, qua factũ est, vt proprietates vtriusque naturæ possent de eadem hypostasi in concreto affirmari, ita vt Christus homo, verè diceretur Rex & dominus vniuersorũ; planũ profecto fit, tale dominiũ in Christi vicario locũ nõ habere; quia diuinũ dominiũ homini communicari nequit nisi per hypostaticã assumptionẽ humanæ naturæ. Propterea alij Doctores, longè rectius A constituunt in Christo dominium & iurisdictionem regiam diuina longè inferiorem; & hanc à Christo in vicarium Christi transfusam aiunt.

Quanquã vt maximè vera esset hæc sententia. Ego tamen consequentiæ huius necessitatem nõ viderem: *Christus fuit Rex, atq; adeo, quà homo, politicũ dominiũ directè rerum omnium habuit; ergo etiam Papa, vicarius Christi, iurisdictionem regiam à Christo accepit:* neque enim necesse est, vt quidquid potestatis Christus, etiam quà homo, habuit, vicario impertierit. De qua re non semel dictum est in opere Considerationum ad Theologos Venetos.

Hactenus prolusit tantummodo Carrerius; nũc integra castra in aciem educit. *Quia Matth. 2. Reges orientales Christũ quærentes; dixerunt inter cætera:* B *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorũ*, &c. Respondeo; hoc intelligendũ de Rege non temporali, sed spirituali. Quod si Magi eum temporalem Regẽ esse existimassent; id mirandum nõ fuisset, cum necdũ plenè ac perfectè de mysterio aduentus Christi in terras edocti fuissent. Nec refert, quòd *Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo*; nam hinc non colligitur, Christum fuisse temporalẽ Regẽ, sed Herodẽ cũ Hierosolymitis timuisse, vbi non erat timor, & vana formidine exterritos de hoc Rege tollendo consilia agitasse: neq; enim necesse, vt quod qs metuit, verũ sit; nam & metus fictitij mali, curas & auxietatem excitare solet.

Nec munera à Magis oblata magis indicant Christũ fuisse Regẽ temporalem, ac titulus crucis à Pilato conscriptus, in quo palã Rex Iudæorũ prædicabatur, nã titulus hic verè intellectus, C nil aliud denotat, quàm Christũ, quà homo est, fuisse, & esse Regẽ spiritalẽ Iudęorũ: tametsi Iudęi aliter titulũ cõcipi optabant; vt scilicet indicaretur, eũ nõ esse Regẽ Iudęorũ, sed illicitè regnũ Iudęorũ affectasse, & occupare voluisse; contra ius & fas: sed Spiritu sancto manũ & stylũ Pilati dirigẽte ita inscriptio hæc concepta est, vt verissima esset; si nõ in sensu Pilati, at certè in eo, quem per Pilatũ nobis Spiritus sanctus manifestare volebat.

Nec plus probatur ex illo Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, vbi Christus videtur se vocasse filium Regis; præmiserat enim; *Reges terræ, à quibus tributum accipiunt?* Respondeo 1. non sequi absolutè; D *Est filius Regis; ergo est Rex*: non enim necesse est, vt quiuis filius Regis sit Rex; vt quotidiana experientia docet. Secundò Christus homo vtique fuit Rex æternus, immensus, infinitus, quia filius erat, & est, semperq; manet æterni, immensi & infiniti Regis: vt taceam, amplissimum eius regnũ spirituale; & illud etiam, quod in omnes creaturas habuit indirectè, hoc est, in ordine ad potestatẽ, & iurisdictionẽ spiritualẽ; qbus addas licet, prędicto Matt. loco *per filios* intelligi posse *subditos*.

Nec plus efficitur ex publica Regis acclamatione, quando solenni pompa Hierosolymam ingressus est. Nam tota hæc acclamatio verificatur, licet de Christi regno diuino, vel de spirituali solummodo intelligatur. Pari modo

vi diuinæ poteſtatis regiæ, vel vt Propheta extraordinaria cauſſæ cognitione, mulierem illam in adulterio deprehenſam abſoluere & liberam dimittere potuit; & ad hoc etiam ſuffecit ampliſſima illa poteſtas, qua omnibus creaturis liberrimè vti potuit, in ordine ad finem ſpiritualem.

Nec illud Pilati rem euincit. *Regem veſtrum crucifigam?* nã ironicè locutus eſt Pilatus; quia enim accuſauerant Iudæi Chriſtum; quaſi ſe Iudæorũ Regem feciſſet; per ironiam interrogat. *Regem veſtrum crucifigam?* Nam Pilatus Chriſtum pro temporali Iudæorum Rege minimè habebat; maximè poſtquã à Chriſto audiuerat; *Regnum meum nõ eſt de hoc mũdo*; Et ſi eũ pro Rege Iudæorũ habuiſſet, tot cauſſas dimittendi non quæſiuiſſet: Quomodo enim illũ dimittere potuiſſet; q. ſeſe Regẽ Iudæorũ contra Cæſarẽ prædicaſſet & extuliſſet?

Ait Bellarminus, Chriſtum non fuiſſe Regem electione; & probat hoc ex illo Lucæ 12 *ô homo, quis me iudicem conſtituit, aut diuiſorem inter vos?* Occurrit Carrerius. Nõ ſequi, *Chriſtus noluit cauſſam illam iudicare: ergo non fuit Rex; habuiſſe enim Chriſtum cauſſas, cur illam litem decidere ac definire noluerit.* At verba Chriſti plus ſignificant, ſcilicet, eum nõ tantũ noluiſſe litem illã diiudicare; ſed & iſtud, eum non fuiſſe ab vllo homine, vel humana poteſtate ad hoc conſtitutum & delectum, vt de ciuilibus cauſsis controuerſantiũ iurgia cognoſceret. Nam ſi, vt Rex temporalis ad hoc conſtitutus fuiſſet; nunquam dixiſſet: *Quis me conſtituit?* probè gnarus, quãdo & à quo cõſtitutus fuiſſet.

Ait Bellar. Chriſtum fugiſſe, cum turbæ eũ rapere, & per vim Regem conſtituere vellent. Reſpondet Carrerius: *hinc tantum effici, eum noluiſſe ab hominibus regnum accipere, qui regnum dabat hominibus.* Nec aliud hoc Chriſti facto ꝓbare, voluit Bellarminus, vt & priore illo exemplo de diuiſore ſeu iudice inter partes litigantes, quàm Chriſtũ non fuiſſe Regem electione humana, An non idem fatetur Carrerius? Nã quòd hæreditaria ſucceſſione, & iure belli Chriſtus regnũ temporale nõ habuerit, aliunde oſtendit Bellar. vtque probet nec ſpeciali dono Dei Chriſtum tale regnũ obtinuiſſe; ꝓducit illum locum; *Regnum meum nõ eſt de hoc mundo.* Reſpõdet Carrerius; *Chriſtum hîc verbis ſolummodo excludere voluiſſe ſuſpitionem affectati regni; de hoc enim crimine accuſatũ fuiſſe.* Sed verba Chriſti plana ſunt. Quis enim ſenſus illis ſubiici poteſt, præter iſtum, niſi quis ea diſtorquere velit? *Regnũ meum non eſt de hoc mundo*, hoc eſt, non eſt mundanũ; nõ eiuſmodi, quali regno & imperio Reges terræ gaudent ac potiuntur. Neq; enim Pilatus aliud interrogauerat, quàm vtrum Rex terrenus & temporalis eſſet; nam fortè aliud regni genus Pilatus non agnouit, aut ſi agnoſcebat, parum curabat, quippe totus in id intentus, ne quis, expulſo Cæſare, Regnum temporale Iudæorum occuparet. Quapropter accommodatè ad quæſtionem Pilati; ſimpliciter negauit Chriſtus, ſuum regnum eſſe de hoc mundo.

Obiicit Carrerius: Chriſtum non dixiſſe: *Regnum meũ non eſt in hoc mundo*; ſed; *non eſt de hoc mundo; vt ſignificaret; ſe non eſſe Regem, electione mundana, aut ſucceſſione*: Sed plus indicare voluit Chriſtus; nempe, ſuum regnum non eſſe terrenum: ad inſtar Regni, quod habebat Cæſar aut Herodes, nã alioquin quæſtionem Pilati non tam ſoluiſſet, quàm declinaſſet. Pilatus enim ſcire auebat, nũ Chriſtus Rex temporalis eſſet; de titulo regni acquiſiti parũ ſollicitus. Cui Saluator ſimpliciter reſpondens, *regnũ* inquit, *meũ nõ eſt de hoc mũdo.*

Ait Bellarminus: omnia ferè ſcripturæ loca loqui de Chriſti regno æterno; non de temporali; nam temporalia regna non eſſe æterna: vt Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*, &c. Reſpondet Carrerius; verba Pſalmi *diminutè* citari: ſequi enim in eodem Pſalmo: *Poſtula à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: *hîc enim verbu ſignificari temporale regnum Chriſti.* Cui aſſertioni nihil deeſſe video, præter probationẽ. Nec verum eſt; quod Carrerius dicit: Bellarmini argumentum eſſe tale. *Pſal. 2. agit Propheta tantùm de regno Chriſti ſpirituali; ergo Chriſtus ſolum hoc regnum poſſidebat. Nulla eſt conſequentia*, inquit Carrerius. Atqui tua eſt hæc conſequentia, non Bellarmini, ſi nil valet, vt reuera non valet, tibi imputa, nam nil aliud vult Bellarminus, quàm locum Pſalmi ſecũdi de regno Chriſti ſpirituali intelligi debere; vt & alia teſtimonia, qua Bellarminus ſimul producit.

CAPVT VI. VII. & VIII.

Papam habere ſummam poteſtatẽ temporalem indirectam, idq; probatur rationibus & exemplis.

DANAEVS hic conuicia ab initio ferè vſq; ad ſexti capitis finem ſturnatim funditit. *Hoc capite* inquit, *iam in ſua deliria relabitur Bellarminus, & in furorem priſtinum animi de ſuo ſublimando Papa.* Quia nimirũ Bellarminus ea tractat, quę Danæanus ſtomach' reſpuit, imò & abominatur. Sibrandus hunc ſyllogiſmum ſtruit. *Cuius poteſtatis finis eſt alterius fini ſubordinatus, illa poteſtas eſt alteri poteſtati ſubiecta: Sed finis poteſtatis mundanæ eſt ſubordinatus fini poteſtatis Eccleſiaſticæ: Ergo Papa habet de omnium Chriſtianorum bonis diſponendi facultatem.* Hæ tam ſycophanticæ nebulæ ꝓpemodũ faciunt, vt Sibrando à nebula nomẽ indã. Vbi fides? Vbi candor? Vbi verecundæ frontis vel tenuiſsimum veſtigium? Vix deliras tam tetrum ſyllogiſmum conderet; nedũ vir eruditiſsimus, & in omni genere litterarũ exercitatiſsimus Bellarminus: fraudes & impoſturas Caluiniſticas in hoc & id genus aliis Sibrandicis ſyllogiſmis legis; non cogitationes & ratiocinationes Bellarminianas, Nã Maiorẽ cõficit iſte ex illa ſimilitudine ſubordinationis, quæ eſt inter nõnullas artes; vt inter frenofactoriã & equeſtrẽ. Et tamẽ Bel. hoc exẽplũ nõ omnino ꝓbat; ꝙppe

quo

quo non satis aptè explicetur subordinatio illa, qua politica potestas potestati Ecclesiasticę subditur. Nec Minor Bellarmini est prout à Caluiniano impostore proponitur: nã Bellarminus nõ dicit, *Potestatem politicam simpliciter subiici potestati Ecclesiasticæ*; sed tunc, quando vtraq; est pars eiusdem Reipublicæ Christianæ: sicut caro seu sensitiuus appetitus non absolutè subiicitur spiritui; sed vt caro cum spiritu in eodem homine coniungitur. Et tamen non erubescit homo effrons post commentitiam Maiorem & Minorem; insulsissimam subdere conclusionem; quasi ex mente Bellarmini, & ex Bellarminianis præmissis deductam, postea ad luridi phantasmatis sui demolitionem strenuè se accingit; & miserandum prorsus in modum delirat; ita vt ex toto illo delirio vix vnquam rationis scintilla emicet.

Vix sanior est Sutliuius: qui mentitur; Bellarminum omnia agere *confusè, turbidè, inconstanter*. Tu certè vbique *Constanter* calumniaris; cætera satis inconstans & variabilis. Ait, *dicere Pontificem habere summam potestatem temporalem indirectè in omnes res Christianorum, perinde esse ac si diceret, Pontificem Romanum non esse Dominum totius orbis; & tamen quodammodo esse; & cum non habere temporalem potestatem, & tamen habere*: At ego arbitror, ita respondere nil aliud esse, quàm quid dicas, non intelligere, & tamen præ mentiendi & criminandi prurigine tacere non posse? nam maximo discrimine distant hæc duo: *habere summam potestatem temporalem in totum Christianum orbem directè; & habere eandem indirectè in ordine ad finem spiritualem*. Quam differentiam cum Sutliuius non intelligat, stolidissimè hîc declamitat, & spicula viperex suæ linguæ tam in Bellarminum, quàm in Papam eiaculatur: Et postea argumenta Bellarmini dissoluere aggreditur: sed ea more suo corrumpit ac mutilat, & nihil sincerè agit.

Et vt Sutliuiani candoris specimen videas, en tibi exemplum. Primam Bellarmini rationem sic format Sutliuius. *Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, ergo princeps spiritualis potest imperare principibus temporalibus*; Adde; si bonum spirituale & salus animarum id exigat. Post rationem sic decurtatam, Respondet Caluinista, *consequens infirmum esse, & propè ridiculum; Nam in quouis Ecclesiæ pastore & ministro esse spiritualem quandam potestatem; neminem tamen inde concludere posse, quemuis Ecclesiæ pastorem & ministrum esse quouis summo principe superiorem*. Si potestas Ecclesiastica ex suo genere superior est; sequitur certè eum, qui potestate Ecclesiastica prædictus est, superiorem esse illo, qui pollet potestate politica; cum potestas Ecclesiastica ex natura sua sit sublimior, quàm ciuilis; & hoc maximè verum habet, de eo, in quo summa Ecclesiastica potestas, & tota plenitudo residet, à quo ad cæteros hæc potestas deriuatur.

A Neque obstat quod Sutliuius obiicit, & calumniatur: Hinc sequi, *quemuis sacrificum esse Pontifice Romano superiorem; quatenus Pontifex Romanus etiam Princeps quidam politicus est*. Hoc concedere nequaquam est absurdum; si Pontifex præcisè spectetur, vt princeps quidam politicus & multarum vrbium temporalis dominus; & sacerdos ille, quisquis est, vt spiritali potestate tam ordinis, quàm iurisdictionis instructus. An nescis Caluinista, quomodo S. Ioannes Chrysostomus sacerdotium supra omnem dignitatem terrenam, etiam regiam & imperatoriam efferat cum alibi, tum in libris de sacerdotio?

B Oggerit Sutliuius. *Licet iustitia præstet fortitudini, & religio virtutibus politicis, non tamen sequitur, viros iustos & religiosos, posse viros fortes & politicos de regno deturbare*. Non agitur hic de virtutibus, earumq; mutua collatione & subordinatione; sed de potestate iurisdictionis Ecclesiastica & politica sermo est. Cur tu aliena immisces & omnia distorques, ac peruertis? Cur intra præstitutos argumenti terminos te non contines? In promptu causa est, quia fraudulentus & vulpinus impostor es, veritatis lucem obscurare properas; ne radiis suis Caluinianas tenebras dispellat. Eo fine, etiam semper *deturbationem Regum de regno & solio in ore habet*, quasi quilibet, Ecclesiastica potestate præditus quemlibet Regem in ordinem cogere & ad priuatam vitam detrudere possit

C cum hoc nulli Catholicorum in mentem venerit, quandoquidem ne ipse quidem Monarchiæ Ecclesiasticæ summus princeps Regum & principum suis imperiis priuandorum ius ac potestatem habet; nisi in ordine ad spiritualem finem, quem potestas Ecclesiastica respicit; hocque ius summus Pontifex nunquã exerceat, nisi euidens necessitas cogat; Ecclesiæque grauissimum periculum immineat; nisi tale remedium adhibeatur. Hinc etiam ex tot sæculis non multa talis potestatis in Reges & principes exsertæ & exercitæ exempla inueniuntur.

D Post hæc valde subtiliter differit Sutliuius de potestate Ecclesiastica ordinis & iurisdictionis: illam, *concedit esse superiorem quauis potestate ciuili; hanc; negat; sed ait, principum præcipuè munus, esse imperare, procurare & disponere, quæ ad Ecclesiæ conseruationem, vtilitatem, & profectum spectant. Hoc fecisse Dauidem, hoc Salomonem, Ezechiam, Iosiam, Constantinum, Theodosium, Marcianum & alios pios Imperatores. Et hanc principum potestatem gubernandi Ecclesiam non esse politicam, sed Ecclesiasticam & spiritalem*. Quæ ab isto effutiri non mirum, quandoquidẽ non pridem *Reginam*; nunc Regem pro capite suæ, hoc est, Anglicanæ Ecclesiæ veneratus est & veneratur. Sed absit, vt vllus Orthodoxus Rex vel Imperator vnquã talẽ potestatẽ sibi vsurparit aut arrogarit: nam si quid in veteri aut nouo testamento ab illis statutum, vel ordinatum est; id vel extraordinario Prophetæ iure, vel peculiari

iussu Dei; vel dependenter à Concilio sacerdotum, & non nisi volentibus & assentientibus Ecclesiasticis præsulibus factum est. Nouum Caluinistarum, præsertim Anglicanorum, commentum est; summum ius & moderamen Ecclesiæ, Regi transcribere.

Iam quid ad rem faciunt, quæ hîc garrit Sutliuius? *Non omnes, qui in aliqua re præstant; esse simpliciter præstantiores.* Quis hoc asserit? Num Bellarminus? Num hæc obiectiuncula Bellarmini argumentum eneruat? An non, si quis præstet in re, quæ simpliciter præstantior est, quàm ea, in qua alius præstat; ipse etiam simpliciter præstantior erit? Cum ergo potestas Ecclesiastica præsertim secundum totam suam latitudinem spectata, præstantior sit, quàm potestas ciuilis; etiam secundum totam latitudinem spectata; sequitur eum, qui potestate Ecclesiastica, vel potius potestatis Ecclesiasticæ plenitudine valet, simpliciter esse præstantiorem, quàm eum, qui potestate ciuili præditus est.

Non omnes, inquit Sutliuius, *qui honore superiores sunt, possunt inferioribus leges dare, & eos deponere.* Iterum cauillatur Caluinista. Nunquam hoc dixit Bellarminus; sed tantum; potestatem Ecclesiasticam posse præcipere & leges præscribere potestati politicę, in vna & eadem Republica sibi coniunctæ; non tantum, quia inferior est; sed & quia subiecta. (Neque enim ideo aliquis imperare potest alteri, quia inferior est; nam Rex Angliæ inferior est Imperatore; & tamen Imperator nihil ei præcipere vel præscribere potest, quia non est ei subditus. At potestas ciuilis ita est inferior potestate Ecclesiastica, vt simul etiam sit subdita: Hinc ei leges dare, eamque, si extra præfixos limites feratur, refrenare potest. Nec verum est; si hæc potestas concedatur, *eam æquè quibuslibet Episcopis competere ac Pontifici Romano*: quia vt supra à Bellarmino probatum; quidquid isti iurisdictionis habent, id non nisi à summo Pontifice habent. Ait Sutliuius. Etiam Christianum Magistratum ad spiritalem finem ordinari. Nũ proximè & immediatè? Num per se & ex se? An non proximè solam temporalem felicitatem, pacem & tranquillitatem intuetur?

Ait Bellarminus. Rempublicam Ecclesiasticam debere esse perfectam: ita vt finem suum sufficienter procurare & obtinere queat; at hoc fieri non posse, nisi habeat potestatem disponẽdi de temporalibus, quando necessitas spiritualis boni hoc exigit: alioqui mali principes omnia miscere; & impunè omnia hæresibus & hæreticis implere possent. Post argumenti huius mutilationem respondet Sutliuius; *hoc argumentum validius contra Pontificis Romani, quàm principum potestatem valere: cum Pontifex, licet pessimus, à nullo deponi queat, testibus Iesuitis.* Nihil efficit Caluinista. Quia tuti sumus experientia tot annorum, & promisso, propè dixeram, diuino, nunquam futurum, vt Pontifex Romanus, licet vita & moribus deprauatissimus, per hæresin & hæreticos Religionem euertat. Fluctuat & fluctuauit interdum Petri nauicula; sed semper in tempore accurrit supremus omnium nauarchus, opemque fert periclitanti Ecclesię: vt experientia compertum est. Vnde nil opus, vt sit in Ecclesia potestas deponendi Pontificem; quia si esset manifestus hæreticus, iam eo ipso depositus esset; & pro tali ab Ecclesia declarari & puniri posset; si autem indignam tanto loco vitam agat; solamur nos illo: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* Et notum est, talibus tandem à Deo frenum iniici; quando id minimè exspectatur.

Tertia Bellarmini ratio. Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si conetur pertrahere subditos ad suam hæresin vel infidelitatem, &c. Pontificis ergo est iudicare Regem esse deponendum, vel non deponendum; quia Pontificis est iudicare, nũ Rex aut princeps pertrahat ad hæresin nec ne? Clamat Sutliuius. Malè formari hoc argumentum, *idque constare ex terminorum multitudine.* Videtur Sutliuius opinari, tot esse in argumento *terminos*, quot vocabula. Quæ sanè est subtilis cogitatio; nam quatuor terminos, eo modo, quo Dialectici de *Terminis* loquuntur, quando argumẽtum quatuor vel pluribus *terminis* laborare dicunt; nunquam monstrabit in argumento Bellarminiano Sutliuius.

Mentitur deinde Caluinista, *non concludi à Bellarmino, quod in quæstione ponitur. Agi enim hic, vtrum omnium temporalium dispositio ad Pontificem Romanum pertineat;* (adde, *indirectè*, & in *ordine ad finem spiritualem*) Bellarminum autem concludere; *Pontificem Romanum iudicare posse, an princeps deponendus sit necne.* nam licet immediatè hoc inferat, mediatè tamen & implicitè etiam hoc concludit: Pontificem posse Regem seu principem deponere; nam ad eum pertinet actualis depositio, ad quem pertinet, iudicare num actu sit deponendus: sed hoc pertinet ad summum Pontificem, vt concludit Bellarminus, ergo & illud.

Obiicit Sutliuius, *quemlibet sacerdotem, quin & quemlibet priuatum hominem iudicare posse, an Rex pertrahat ad hæresin, nec ne, licet Regem deponere non possit.* Cauillatur, more solito, Caluinista. Non enim sermo est, de qualicunque iudicio, sed de iudicio quod fit cum auctoritate publica & ex publico officio; num tale iudicium ad quemlibet sacerdotem vel ad quemlibet Christianum pertinet? Clamat Sutliuius. *Falsum esse non licere Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum.* Non ita abruptè loquitur Bellarminus; sed addit; *si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresin vel infidelitatem.* Cur hoc additamentum omittis impostor? Dicit Bellarm. ideo primos Christianos

non

non depoſuiſſe Neronem & ſimiles Tyrannos, quòd eis vires defuerint. *Hoc Sutliuio falſum eſt & impium; quia Chriſto nunquam deſunt vires tollendi & exturbandi quoſuis tyrannos.* Quaſi verò Bellarminus loquatur de viribus diuinæ potẽtiæ; non de viribus humanis: neque enim Deus ſolet ſemper miracula edere, & quoties Eccleſia à Tyrannis, tametſi violenter, premitur & exagitatur, potentiâ ſuâ extraordinariâ impiis tyrannorum conatibus occurrere.

Obſtrepit Sutliuius. *Chriſtianos ſub Conſtantio, Iuliano, & Valente ſatis fuiſſe potentes, nec tamen aduerſus magiſtratum inſurrexiſſe.* De Iuliano nil erat neceſſe: quia mox ipſe Deus vltionem de Tyranno ſumpſit; vt & de Valente. Conſtantius diutius Catholicos omni moleſtiarum genere diuexauit. Sed an nõ frater eius. Occidẽtis Imperator, in Catholicos furenti minatus eſt arma? Et intuliſſet, ſi ſuperſtes fuiſſet. Mirum eſt autem, hoc itidem loco Caluiniſtas obliuiſci, quàm ſint benigni in ſemetipſos, rigidi in Catholicos. Si Catholicus quiſpiam Rex ſubditos ſuos à Caluiniſmo vel Lutheriſmo ad Catholicam fidem pertrahere tentet; imò ſi tantum obſtare velit, ne ſubditi ad Caluiniſmum vel Lutheriſmum deficiant, ad arma conuolant; parati de vita potius, quàm de errore decedere: nouoſque magiſtratus & principes, ſibi conſtituunt exauctoratis antiquis, iiſque legitimis principibus. Plurima huius rei exempla ſuppeditant nobis Germania, Belgium, Gallia. Res nota eſt. Nil opus plutibus verbis.

Ait Bellarminus; iuſsiſſe Paulum vt Corinthij inter ſe controuerſiarum ciuilium iudices conſtituerent, nec infideles iudices adirent, potuiſſe igitur illos, etiam conſtituere nouos principes & Reges, ſi vires adfuiſſent. Occinit Sutliuius. *Quaſi verò cum imperio magiſtratus, pugnet iudices & arbitros rerum priuatarum conſtituere.* Sutliuius probare debebat, hos, quos conſtitui iuſsit Apoſtolus; fuiſſe tantummodo priuatos, quales ſolent eſſe arbitri, qui conſenſu partium eliguntur, vt cauſſam diiudicent. Imò, velis nolis, tales conſtitui voluit, qui cum auctoritate iuris cauſſas decideren ac definirent; & iuſtitiæ tuendæ inter Chriſtianos ex officio præeſſent. Mentitur Sutliuius. Bellarminum dicere; *coniugem fidelem liberum eſſe ab obligatione manendi cum coniuge infideli*: non ita præcisè loquitur Bellarminus; ſed addit; quando ille non vult manere cum cõiuge Chriſtiana ſine iniuria fidei. Dic, Cæcili, an non vidiſti hæc verba in Bellarmino? Num repugnant Apoſtolo? Oggrunnit Sutliuius. *Etiamſi Reges & principes hæretici deponi poſſent, rectius tamen & melius ab Epiſcopis & paſtoribus prouinciæ illius hoc iudicari & decerni poſſe, quàm à Pontifice.* Sed perinde eſt ac ſi diceret; in Anglia quamlibet cauſſam melius iudicari & terminari poſſe eo in loco, vbi exorta eſt, quàm in Regis curia. Num hoc Anglicana *Parlamenta* concedent? An non & ad iudices abſentes teſtimonia fide digna mitti poſſunt, quibus nixi cauſſam ex æquo & bono cognoſcant & diiudicent?

Quarta Bellarmini ratio aſſerit, Reges & principes, quando ad Eccleſiam veniunt, ſubiicere ſua ſceptra tacitè vel expreſsè Chriſto, &c. Vociferatur Sutliuius, *aliud eſſe ſceptra ſubiicere Chriſto, aliud Pontifici Romano: ad illud teneri omnes, ad hoc, neminem.* At Chriſto ſuam coronam verè nunquã ſubiiciet, quiſquis eam vicario Chriſti ſubiicere dedignabitur. Adiungit Caluiniſta. *Nullum Chriſtianum ad baptiſmum admitto cum conditione perdendi res ſuas, ſi quando malè de fide ſentiret*; Cur verò non? An hæc conditio eſt iniuſta? An non ſimili conditione recipitur in Regnum vel oppidum, quiſquis alicuius Regni vel oppidi ciuis effici cupit? Hac certè ſubintellecta conditione admittitur, vt ſi legitimo magiſtratui rebellis euadat, & crimen perduellionis admittat; non modò fortunarũ omnium, ſed & ipſius vitæ iacturam faciat. Ad locum illum: *Paſce oues meas*, Reſpondet Sutliuius; *eum non pertinere ad Pontificem*; Et ſimul fulmina conuiciorum iacit. Verum tam de illo, quàm de his iam ſæpe actum eſt.

Capite octauo probat Bellarminus exemplis, Pontificem poſſe Reges & principes deponere, ſi neceſsitas fidei & religionis id poſtulet. Profert exemplum Oziæ Regis 2. Paralip. 26. Negat Sutliuius, *eum coactum eſſe egredi ex templo.* Sed clarus eſt ſcripturę textus. *Feſtinatò expulerunt eum*; Pontifex nimirum, & ſacerdotes. Nec refert, quòd tum demum expulerunt, quando Rex percuſſus fuit lepra. Nam ſatis eſt ad poteſtatem coactiuam Pontificis demonſtrandam, quòd eum expulerunt, quandocunque demum expulerint. Negat Sutliuius, *Oziam fuiſſe priuatum regno.* Nec hoc dicit Bellarminus; ſed ait, eum priuatum fuiſſe adminiſtratione regni & regiæ familiæ; *Ioatham* enim *filium eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ.* In actu igitur ſecundo, regnum amiſit, quidquid ſit de actu primo: idque iudicio ſacerdotis, vt perſpicuè probat Bellarminus ex lege, quæ exſtat Leuitici 13. vbi ſacerdoti *lepræ* diiudicatio, & *leproſi* à commmuni hominum ſocietate ſeparatio committitur.

Occlamat Caluiniſta: *Noui teſtamenti Pontificem non poſſe facere, quidquid fecit Pontifex antiquæ legis.* Nec hoc requiritur; ſufficit, vt noſter Pontifex poſsit facere ea, quæ ſunt ſui muneris: in quibus & hoc; expellere ex Eccleſia Reges, qui cultum diuinum tyrannicè violare & peſſundare conantur, alteri imperij habenis commiſsis. Oggerit Sutliuius; *Oziã non à ſolo Pontifice, ſed & ab aliis ſacerdotibus electũ.* At duce & primipilo Pontifice, q quod cũ ſociis fecit; ſolus itidẽ facere poterat.

Nec

Nec dedignatur summus Pontifex noster in huiusmodi facti communionem, etiam alios Episcopos; siue in Concilio, siue extra Concilium admittere.

Obiicit Sutliuius. *Oziam fuisse iectum, quia diuinitus lepra percussus fuerat, at Christianos Reges*, quos Pontifex deponit, non percuti diuinitus. Certè ipsa hæresis; qua Rex vel princeps infectus est, alioſque fœdare cupit, sæpe est plaga diuino permissu inflicta; propter scelera, quæ hic vel ille cómisit. Deinde, licet Ozias lepram non incurrisset propter pœnam peccati admissi; sed vel suo vitio, vel ex naturali aliqua causſa in eam incurrisset, nihilominus ex templo eiectus, & à regni administratione remotus fuisset; nihil enim loci relictum erat leprosis in templo, vel in cõmuni aliorum hominum consortio. Oggannit Sutliuius. *Oziæ successisse ex lege Ioathan: non ergo posse Pontificem regnum aliò trahere, vel ad se rapere, præsentibus legitimis hæredibus.* Quis dicit, Pontificem hoc posse; si legitimi illi hæredes sint ad regni administrationem apti, neque Ecclesiæ & religioni perniciosi?

Secundum exemplum est Ioiadæ Pontificis, qui iusit 2. Paralip. 23. vt Athalia tyrannicè regnans interficeretur; substituto in eius locum Ioas. Respondet Sutliuius, *Ioiadam hoc non fecisse solum, sed vnà cum regni ordinibus: At Pontificem solum hæc talia facere.* Respondeo, licet Pontifex Romanus cum generali Concilio Regem aut Principẽ quempiam deponeret, non magis hoc Sutliuio, aliisque Caluinistis probaretur, quàm cum solus id agit. Inueniret vtique, quod immundo suo ore vellicaret. Deinde ex scriptura manifestè apparet, omnia acta esse Ioiadæ auspiciis & ductu, & alios hanc ad rem nil contulisse, nisi assensum, & opem, vt res perficeretur. Legatur illud caput, & clarè deprehendetur, omnia Ioiada duce & imperatore acta esse; alioſque in hoc negotio transigendo, Ioiadæ iusſis duntaxat inseruiisse.

Secundò oggerit Sutliuius; *Ioiadam Regi prioris filio regnum reddidisse: Pontificem verò Romanum iactare, se Regnum, cui velit, deferre posse.* Mentitur Hæreticus; nam si adsit hæres, qui Ecclesiæ & communi bono profuturus videatur; non excluditur; sicut exclusus non fuit Ioas. Mox resoluit Sutliuius os in conuicia, & caninam suam loquacitatem in Pontificem expromit. Sed iam his audiendis assuefacti sumus, nec magis moramur, quàm si canis catenarius prætereuntes allatret.

Ad exemplum B. Ambrosij Theodosium excommunicantis, respondet Sutliuius, *Theodosium nõ fuisse excommunicatum ab Ambrosio.* Sed notior res est, quàm vt vllis Sutliuianis fumis inobscurari queat. Legatur hic Bellarminus, qui ex Theodoreto lib. 5. cap. 17. rem gestam fideliter refert. Secundò dicit Sutliuius: *hoc quod fecit Ambrosius, quemlibet pium Episcopum posse facere*: Multò igitur magis hoc poterit Episcoporum Princeps Pontifex Romanus: imò Sutliuius addit; *quemlibet priuatum posse abstinere à communione eius, quem graui crimine obstrictum nouerit.* Num hoc potest ex publica auctoritate, & excommunicationis sententia in reum lata; sicut fecit Ambrosius? Adiungit Sutliuius. *Imperatorem non fuisse ab Ambrosio peremptoriè citatum* (Quid opus erat citare præsentem, & iam templum vnà cum suo comitatu ingredi parantem? Quid tergiuersaris impostor? Agnosce, quod agnoscis; fatere verum, quod tua conscientia verum esse, vel inuito in aures tuas non insusurrat sed inclamat.

Impudenter mentitur Sutliuius, Ambrosium nil præcepisse Theodosio; sed potius hunc illi. Audiamus ergo Theodoretum. *Tuum est*, inquit Imperator, *medicamenta ostendere, aegri temperare, & vulnera, quæ ægrius curantur, obligare; meum autem quæ sunt adhibita, accipere. Tum Diuus Ambrosius: Quoniam, inquit, iracundiæ permisisti iudicium, & non rectæ rationi, sed animo irato obsecutus, sententiam pronunciasti: conscribe legem, qua denuncies sententiæ, per iracundiã pronunciatæ, irritæ sint, & nullius momenti*, &c. An hæc, & cõsimilia, quæ apud Theodoretum sequuntur, non significant præceptum ab Ambrosio Imperatori Theodosio traditum?

Testimonium S. Gregorij calumniatur Sutliuius *confictum esse.* Sed de hoc iam alibi egimus, vt & de excommunicatione lata à Gregorio II. Pontifice contra Leonem Isaurum; quam multis criminationibus incesit Sutliuius; sed conuiciando nunquam irritam reddet. Simili arte tractat Sutliuius exemplum Childerici à Zacharia Pontifice depositi, quod meritò dixerim scopulum omnium hæreticorum & schismaticorum: omnes enim in hoc Zachariæ factum impingunt; illudque duro vultu inficiantur; vt videre etiam est in Apologia quam pro Henrico IV. scripsit Auctor Henrico Synchronus, quam post Lutheranum Huttenum edidit Caluinianus Freherus Tom. 1. Scriptorum Germaniæ: Sed vt ringantur; nullius alterius auctoritate, quàm Pontificis hoc factum est, tametsi consentientibus Francis; & saluti regni sui per Pontificis potestatem tempestiuè consulentibus. Clamet Sutliuius ad rauim vsque, *adulatores Pontificum hoc Zachariæ tribuere*; nos huiusmodi vociferationes susque deque habemus, non ignari per eas, id, quod factum est, infectum non reddi.

Omissis Auctoribus, huius rei testibus, quos Bellarminus citat, audi quid Anno Redemptoris DCCLI. tradant Francorum Annales, editi primùm à Pithœo, & postea auctiores à Freehero Tom. 1. Illustrium scriptorum Germaniæ: *Pipinus, missa Romam legatione, Zachariam Papam interrogat de regibus Francorum ex antiqua Merouingorum stirpe descendentium, qui reges quidem dicebantur, sed potestas regni tota apud Maiorem domus habebatur, excepto quod charta, & priuilegia Regis nomine scribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustro bobus*

trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno à populi visus, publica dona solenniter sibi oblata accipiebat, stante coram Maiore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populi adnuntiante: sicque Rege domum redeunte, cetera regni negotia Maior domus administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum iustè Rex debeat dici, & esse; in qui securus domi sedeat; an ille, qui curã totius regni, & omnium negotiorum molestias sufferat?

DCC. LII. *Zacharius Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli, mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate regia vtebatur, nominis quoq; dignitate frueretur. Ita Hildricus Rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperauit, depositus, & in monasterium missus est. Pipinus verò, in ciuitate Suessionum à S. Bonifacio Archiepiscopo in regem vnctus, regni honore sublimatus est.* Hæc Annales [illegible]ici.

Septimum exemplum est Leonis III. qui imperium transtulit à Græcis ad Francos. Multa hîc garriunt sectarij, quorum refutationem differemus ad libros de Translatione Imperij.

Ad [illegible]pla Gregorij VII. & aliorum Pontificum, qui Reges & Principes excommunicarunt, vel penitus deposuerunt; insanit cum suis collegis Sutliuius, itaque atrocissima in sedem Apostolicam conuicia vomit, & miserabili chartæ illinit.

Nunc omissis Nouatoribus, discutiamus obiectiones Carrerij, cui non placet sententia Bellarmini asserentis, Papam habere solummodo summam potestatẽ temporalem indirectè: contrarium probat. I. *Deus est productor non modo omnium spiritualium, sed & omnium temporalium; vt per se notum est; ergo & Papa non tantum spiritualium, sed & omnium temporalium directè potestatem habet.* Si dicas; hãc consequentiam esse nullam, en tibi probationem. *Sicut Deus secundariò dici potest temporalis rector & Monarcha mundi, licet in se non sit principaliter mundanus & temporalis: ita & Papa dici potest temporalis Dominus & Monarcha, licet sua potestas sit quiddam spirituale.* Fateor tarditatem meam. Vim huius probationis assequi nequeo. Et illud mihi mirum accidit: *Deum secundario esse temporalem rectorem & Monarcham mundi:* Nam si Deus est *secundarius*; quis erit *primarius?*

II. Argumentum: *Bona temporalia ordinatur ad spiritualia tanquam instrumenta deseruientia vitæ spirituali, sicut corpus deseruit conseruationi status vitæ: Ergo Papa, qui prouidere debet fidelibus de spiritualibus, prouidere quoque debet de temporalibus, sine quibus spiritualia in vita ista politica exerceri nequeunt.* Respondeo, ad hoc præstandum sufficere summam potestatem temporalem Papæ, quam habet indirectè; nec plus euincit ista ratio.

III. Argumentum Carrerij: *Temporalia mouentur & regulãtur in suis operationibus per spiritualia, nempe per intelligentias cœlorum motrices, & per ipsum primum motorem: ergo & Papa, in quo est potestas spiritualis, mouere potest temporalia ad finem spiritalem.* Respondeo, nos non negare consequentiam; sed addimus; ad hoc sufficere summam potestatem temporalem, quam Papa habet indirectè. Nec meliora sunt, quæ Carrerius lib. 2. cap. 8. disserit aduersus Bellarmini doctrinã, traditam cap. 6. quæ quia sponte sua corruunt, non est necesse, vt iis nos manum & calamum admoueamus.

CAPVT IX. & X.

Non pugnare cum verbo Dei, vt vnus homo sit princeps Ecclesiasticus & politicus simul: cum solutione argumentorum contrariorum.

QUO Pontificis eò progrediuntur nonnulli ex Sectariis, vt contra Caluinianorum & Lutheranorum mul[illegible]tis in locis, atq; adeo suam ipsorum consuetudinẽ palam scribere & contendere non vereantur, cum verbo Dei pugnare, vt idem sit princeps Ecclesiasticús & politicus simul. Nam in Germania occuparũt Lutherani multos Episcopatus, quorum legitimi præsules olim erant principes Ecclesiastici & politici simul: quem geminum honorem hodie itidem sibi vendicant & arrogant illi, qui in eorum locum, ex Lutheri disciplina inuaserunt; & tam Archiepiscopi & Episcopi, quàm principes politici suarum ditionum salutari & nominari volunt. Nec vllam in hoc repugnantiam reperiunt, Caluiniani vel Lutherani Prædicantes: omnia optimè & bellissimè quadrant. Sed quam primum præsulem quempiam Catholicũ intuentur, in quo duo isti dignitatis gradus sint coniuncti; è vestigio vociferantur. *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Si quæras; quomodo igitur, saluis & illæsis hisce sacræ Scripturæ sententiis, Lutherani quidam Episcopi; principes Ecclesiastici & politici simul esse queant: in promptu est responsio; eam esse Lutherani Euangelij vim & potentiam, vt duo hæc, alioqui contraria, copulare, & amico nexu compingere possit: non quidem *in subiecto* Catholico; sed Lutherano; hoc enim vtriusque dignitatis capax esse; non illud. Quod si aliquis generalis Superintẽdens principatum temporalem Papę, omnesq; illius prouincias teneret atq; adeo princeps politicus esset; id, istorum iudicio, Ecclesiasticæ, tametsi commentitiæ, Superintendentis functioni nihil officeret. Omnia rectè haberent; omnia ad Euangelij gloriam amplificandam spectarent. In solo Papa his plusquam monstrosum apparet, vt politicus sit pariter & Ecclesiasticus priuceps.

Pseudoarchiepiscopi & Episcopi in Anglia, locum tenent inter principes & proceres Regni; amplisq;, vt olim cum Catholica religio regnaret, prouentibus gaudent; & *feuda* à Rege obtinent. Vno verbo, Ecclesiastici simul ac politici principes sunt ac proceres; tantumque abest, vt aliquid absurditatis hac in re Caluinistæ Angli,

qui non sunt de *Puritanorum* schola, deprehendant; vt Adrianus Sarauia Caluinianus libro secundo *de diuersis Ministrorum Euangelij gradibus*, id, tanquam rectè factum, copiosè tueatur; eorumque argumenta prolixè refellat; qui contendunt *ciuilem iurisdictionem, externum splendorem in titulis, in comitatu, ac honores, quos feuda annexas habent, non conuenire cum simplicitate ministerij Euangelici.* Docet insuper, *fas esse Episcopis ciuiles contentiones audire, & eas dirimere.* Accuratè respondet ad obiectiones ex disputatione discipulorum; *Quis eorum videretur esse Maior:* & ad dicta, quæ occasione huius disputationis Christus protulit: *Et si*, inquit, *domestica rei necessitas, excusat Ecclesiæ pastorem, interdum curis secularibus & externo manuum labori vacantem, multò magis excusabit necessitas Reipublicæ. Texter*, inquit, *fossor & arator, Euangelij minister citra violationem sui ministerij esse potest: Regius legatus, consiliarius, aut cancellarius esse non potest. Vnde, obsecro, in Rep. Christiana hæc nata est Theologia? Ab amore, an ab inuidia?*

Docet præterea idem Caluinianus Sarauia, *munera diuersa non confundi, etiamsi ab eodem homine exerceantur.* Refutat quoque *eorum errorem, qui credunt, nulla ciuilia Reipublicæ negotia Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum esse committenda.* Honorificos titulos, quibus honorantur Episcopi, famulitium itidem & splendidum eorum comitatum multis rationibus tuetur: Et vt rem in pauca conferam, Sarauiæ videtur esse quàm consultissimum & salubertimum, vt Episcopi honoribus, etiam politicis; exornentur ac insigniantur, & in Republica quàm maximè emineant. Et hæc quidem in Anglia scripsit Sarauia, licet non Anglus, sed Belga: magnus Sutliuij Encomiastes & propugnator contra Bezam. Cui tamen Sutliuius exiguas gratias persoluit; nam cum odio Pontificis impulsus, negat, *eundem posse esse principem Ecclesiasticum & politicum*; non tam contra Bellarminum, quàm contra Sarauiam suum pugnat: imo & contra receptissimam Angliæ consuetudinem.

Primum argumentum sumit Bellarminus ex veteri Testamento; quia Melchisedech Rex & sacerdos fuit. Moyses summus Dux populi, & summ⁹ Pontifex. Item Heli; & Macchabæi, Iudas, Ionathas, Simõ, Ioannes. Respondet Sutliuius: *non valere argumentum à tempore legis naturæ & Moysis ad nostra tempora.* Quare non valet, dic, quæso, Caluinista? Potuerunt olim sociari & amico fœdere iungi principatus politicus & sacerdotium, seu summus Pontificatus. Quid obstat, quo minus hodie sacerdotium & politicus principatus in eodem homine simul consistant? Potest hodie primatus Archiepiscopalis Cantuariæ in Anglia iungi cum politico dominatu; cur id fieri nequeat extra Angliam? Sunt Angliæ Pseudoepiscopi, pceres politici, & principes regni: & Germani Episcopi nõ poterũt esse politici principes sacri Rom. Imp. ij?

Litet, inquit Caluinista, *olim vnus præfuisset vni familiæ in rebus sacris & profanis; non tamen propterea existimandum est vnum hominem toti terrarum orbi in rebus omnib⁹ præsse debere.* Quo te fert vertigo, Caluinista? Non agitur hoc in præsenti, an vnus toti orbi præsidere queat vel debeat; sed num vnus & idem possit pariter esse princeps Ecclesiasticus & politicus. Hoc hic à Bellarmino probandũ est; non quod tu extra metas saltitans, ingeris; cuius generis est & illud; *Malè Romanum Pontificem cum Melchisedece comparari; hunc enim fuisse Regem pacis & iustitiæ: Romanum Pontificem nec pacem, nec iustitiam colere.* Conuicia hæc sunt. Non comparatur Papa hoc loco cum Melchisedece; tantũ hoc cõcludit Bellarminus; Melchisedech fuit Rex & sacerdos; ergo iam quoq; politicus principatus & sacerdotium in vno eodemq; homine copulari possunt.

Deus, inquit Sutliuius, *nunc aliam politiam & formã Ecclesiæ instituit.* Num talemquæ politicum principatum penitus à principibus & antistitibus Ecclesiæ excludat? Negat hoc fortissimè Sarauia. Negat hoc idem Sutliuius proculdubio in suis chartis, quas, teste Sarauia, pro Episcopis Anglis contra Puritanos scriptitauit & euulgauit. Et tamen hîc odio Pontificis aliud blaterat. Anglicani Episcopi volunt esse principes Ecclesiastici, & Regni proceres; nec quidquam delinquunt in formã regendæ Ecclesiæ à Christo præscriptam; & iste Anglus ferre nequit, vt orthodoxi præsules eadem immunitate & impunitate, vtroque principatu fulgeant.

Ad exempla allata nil reponit, nisi lœdorias & pseudologias: & cum negare nõ possit; omnes illos fuisse principes & sacerdotes; criminationibus mentẽ lectoris aliò abducere conatur; cum tamen tota disputatio præsens in eo duntaxat consistat, vt ostendatur, fieri posse, vt idẽ sit princeps Ecclesiasticus & politicus; qualescunq; demum illi fuerint, quorum exempla proferuntur, itemq; illi, quorum causa talia exempla proferuntur. Nam licet aliquis Pontifex Romanus à sanctitate Moysis longè absit; neque etiam prophetiæ dono polleat; id probationi non officit, quia semper vis & neruus huius consequentiæ. *Moyses sacerdos & princeps politicus fuit; ergo iam quoque summus populi Christiani sacerdos, & quilibet alius Episcopus, sacerdotium cum politico principatu coniunctum gerere & administrare potest.*

Idem probat Bellarminus rat. 1. Quia potestas Ecclesiastica & politica non sunt contrariæ, &c. ergo simul in eodẽ subiecto esse possunt. Oggannit Sutliuius: *Multa non pugnare, quæ tamen in eodem subiecto non concurrant: nam bipedem esse, & pennatum esse, non pugnare; nec propterea reperiri homines volaticos & pennigeros.* Sutliuius iterum artem suam imponendi factitat: neque enim ita argumentatur Bellarminus: *Non pugnant; ergo sunt simul in eodem subiecto.* Vel; *ergo possunt simul esse in eodem subiecto.* Porrò bipedem esse, & pennatũ esse, adeo inter se non pugnant, vt credam; Sutliuium, nullam vidisse auem propriè dictam; quæ non simul bipes sit, & pennata, nisi fortè *auium* nomine etiã vespertiliones, muscas, & culices complecti velit.

Deinde

Deinde, vtramque potestatem principalem, Ecclesiasticam & politicam, in eodem subiecto coniungi posse; & reipsa etiam coniungi; discere poterat Sutliuius ex domesticis exemplis. An non enim in Pseudoepiscopis Anglis vtraq; hæc potestas coniungitur? iudicio quidem Sutliuij, Sarauiæ & similium *Caluinopapistarum*; non meo; qui in illis nullum Ecclesiasticum principatum agnosco. Idē dico de Episcopis Lutheranis Germaniæ. An non Magdeburgenſis, Halberstatenſis, Mindenſis, Verdenſis, Merseburgenſis, alij; principes Ecclesiastici esse volunt? certè *Archiepiscopi & Episcopi* nomen, quod vsurpant, perspicuè id indicat. At simul politicis principibus annumerari cupiunt: & reipsa itidem annumerantur, & quidem adeo absque vlla repugnantia, vt Lutherani suauissimam harmoniam in hac cōiunctione vtriusq; principatus, inesse existiment.

Secunda Bellarmini ratio. Magis diuersa sunt bellum & pax, quàm bona temporalia & spiritualia: at vnus & idem Rex præest senatui & exercitui, &c. Respondet Sutliuius: *non parum interesse inter bona spiritualia & temporalia, & inter officium spirituale & temporale.* Quem petis aut feris Caluinista? An non hoc dicit Bellarminus? Num hoc discrimen obstat, vt in eodem subiecto bona spiritalia & temporalia coniungi nequeant? Ingenti certè discrimine secernuntur sanitas corporis & sanitas animæ. Pulchritudo corporis, & pulchritudo animæ. Et tamen in eodem subiecto coniungi possunt, & reipsa etiam in multis coniunguntur. Clamat Sutliuius, *administrationem belli & pacis male comparari cum officio Episcopali & regali.* Iterum extra chorum salit. Non comparat hæc inter se Bellarminus: sed ex officio politico, quod bello & paci præst, ostendit non repugnare, vt vnus idemque præsit simul spiritualibus, & temporalibus. An non hoc fit in Anglia? Oro te, Caluinista, lege tuum Sarauiam; vel potius lege teipsum, quandoquidem, vt ex Sarauia intelligo, in eadem arena pro Pseudoepiscopis Anglicanis versatus es. An non illi politicorum simul & Ecclesiasticorum procerum munere funguntur? vestro quidem calculo, non meo: quia non plus Ecclesiasticæ potestatis in illis, quàm in quibusuis aliis merè laicis agnosco.

Tertia Bellarmini ratio: quia vnus Rex gubernare potest diuersissima regna, qui diuersos mores, ritus & consuetudines habeant, &c. Respondet Sutliuius, *omnia hæc regna, licet prouinciis diuersa, vnum tamen esse imperium, & eodem modo administrari posse: Administrationem autem regni & Episcopatus, planè esse diuersa.* Non quæritur vtrum plura diuersa regna eodem modo ab vno administrari queant; sed, vtrum regna diuersa nō etiam diuersimodè ab vno regi possint; & de facto etiā regantur? certè Rex Angliæ non eodem modo, sed planè diuerso tria regna Anglię, Scotię & Hiberniæ administrat: quippe legibus & consuetudinibus prorsus diuersis & aduersis. Et Rex Hispaniæ aliter Castellæ regnum administrat; aliter regnum Lusitaniæ; aliter Ducatum Mediolanensem; & aliter alias ditiones, quas habet diuersissimas; neque enim omnes, eodem metitur, vt sic dicam, pede; neque iisdem legibus gubernat, vt notum est.

Addit Sutliuius: *Nemo prohibetur pluribus prouinciis imperare: at prohibentur Episcopi regnare,* (immiscet iste fraudulenter *regnandi* vocabulū, cum dicere deberet, politicè imperare, vel præsse) quia Paulus dicit; *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Accipiat Sutliuius responsum sui Sarauiæ. *Nec illud Pauli ad Timotheum*: Nemo qui militat, implicatur negotiis huius vitæ: *aduersatur nostræ sententiæ,* inquit Sarauia, *Vitæ negotia sunt ea, quibus quæ ad huius vitæ victum pertinent, comparantur, non quæ sunt Principū, aut ciuitatis publicæ: ipsa militia negotium est publicum Reipublicæ; cui, qui adscriptus est, oportet, vt negligat domestica: vt, si quis similitudinem omni ex parte vrgeat, ei, qui militat Deo, erit abstinendum ab omnibus domesticis negotiis: contra id, quod licere diximus exemplo Pauli, quem suo munere strenuè, & fideliter perfunctum fuisse, nemo dubitat: qui tamen vitæ negotiis implicitus fuit, quando eum manuum labore victum quærere apud Corinthios necessitas coëgit, & tempus impendere operi externo huius vitæ, quod alias melius meditationi, aut orationi dedisset: Idem facturus haud dubiè pro Republica, quod pro priuata fecit, si quis magistratus mandasset, populiq; vtilitas postulasset. Similitudinis huius igitur sensus hic est: Abstinendum ab iis, quæ militiam, in quam adscripti sunt, ita remorantur, & impediunt, vt eam deserere cogantur.* Hæc Sarauia, symmystæ suo Sutliuio.

Quarta Bellarmini ratio. Qui Ecclesiæ principatus temporales contulerunt, pij homines fuêre, & ab omnibus pietatis nomine commendantur. Multi itidem Pontificum numero, qui principes Ecclesiastici & politici simul fuêre; sanctitate floruerunt, & miraculis claruerunt. Ad hanc rationem, præter conuicia, nihil penitus respondet Sutliuius. Conuicia autem eius numerare vel enumerare, quid attinet; cum conuiciari sit Sutliuio viuere & scribere? Nam si mendacia & conuicia, quæ circa nonum & decimum caput huius libri quinti effutiuit; enotare vellem; facilè duas Centurias conficerem. Sed cui bono? cum singulis propemodum huius operis de Pontifice pagellis vanitas & mendaciloquentia Sutliuiana patefacta, & lectorum oculis subiecta fuerit. Nos nunc vela contrahamus, & quinto libro finem imponamus.

Finis Libri Quinti.

qui non sunt de *Puritanorum* schola, deprehendant; vt Adrianus Sarauia Caluinianus libro secundo *de diuersis Ministrorum Euangelij gradibus*, id, tanquam rectè factum, copiosè tueatur; eorumque argumenta prolixè refellat, qui contendunt *ciuilem iurisdictionem, externum splendorem in titulis, in comitatu, ac honores, quos feuda annexos habent, non conuenire cum simplicitate ministerij Euangelici.* Docet insuper, *fas esse Episcopis ciuiles contentiones audire, & eas dirimere.* Accuratè respondet ad obiectiones ex disputatione discipulorum; *Quis eorum videretur esse Maior:* & ad dicta, quæ occasione huius disputationis Christus protulit: *Et si*, inquit, *domestica rei necessitas, excusat Ecclesia pastorem, interdum curis secularibus & externo manuum labori vacantem, multò magis excusabit necessitas Reipublicæ. Textor*, inquit, *fossor & arator. Euangelij minister citra violationem sui ministerij esse potest: Regius legatus, consiliarius, aut cancellarius esse non potest. Vnde, obsecro, in Rep. Christiana hæc nata est? Theologia? Ab amore, an ab inuidia?*

Docet præterea idem Caluinianus Sarauia, *munera diuersa non confundi, etiamsi ab eodem homine exerceantur.* Refutat quoque *eorum errorem, qui credunt, nulla ciuilia Reipublicæ negotia Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum esse committenda.* Honorificos titulos, quibus honorantur Episcopi, famulitium itidem & splendidum eorum comitatum multis rationibus tuetur: Et vt rem in pauca conferam, Sarauiæ videtur esse quàm consultissimum & salubertimum, vt Episcopi honoribus, etiam politicis; exornentur ac insigniantur, & in Republica quàm maximè emineant. Et hæc quidem in Anglia scripsit Sarauia, licet non Anglus, sed Belga: magnus Sutliuij Encomiastes & propugnator contra Bezam. Cui tamen Sutliuius exiguas gratias persoluit; nam cum odio Pontificis impulsus negat, *eundem posse esse principem Ecclesiasticum & politicum*; non tam contra Bellarminum, quàm contra Sarauiam suum pugnatissimo & contra receptissimam Angliæ consuetudinem.

Primum argumentum sumit Bellarminus ex veteri Testamento; quia Melchisedech Rex & sacerdos fuit. Moyses summus Dux populi, & summ⁹ Pontifex. Item Heli; & Macchabæi, Iudas, Ionathas, Simõ, Ioannes. Respondet Sutliuius: *non valere argumentum à tempore legis naturæ & Moysis ad nostra tempora.* Quare non valet, dic, quæso, Caluiniſta? Potuerunt olim sociari & amico fœdere iungi principatus politicus & sacerdotium, seu summus Pontificatus. Quid obstat, quo minus hodie sacerdotium & politicus principatus in eodem homine simul consistant? Potest hodie primatus Archiepiscopalis Cantuariæ in Anglia iungi cum politico dominatu; cur id fieri nequeat extra Angliam? Sunt Angliæ Pseudoepiscopi, pceres politici, & principes regni: & Germani Episcopi nõ poterũt esse politici principes sacri Rom. Imp ij?

Licet, inquit Caluiniſta, *olim vnus præfuisset vni familiæ in rebus sacris & profanis; non tamen propterea existimandum est vnum hominem toti terrarum orbi in rebus omnib⁹ præsse debere.* Quo te fert vertigo, Caluiniſta? Non agitur hoc in præsenti, an vnus toti orbi præsidere queat vel debeat; sed num vnus & idem possit pariter esse princeps Ecclesiasticus & politicus. Hoc hic à Bellarmino probandũ est; non quod tu extra metas saltitans, ingeris; cuius generis est & illud; *Malè Romanum Pontificem cum Melchisedece comparari; hunc enim fuisse Regem pacis & iustitiæ: Romanum Pontificem nec pacem, nec iustitiam colere.* Conuicia hæc sunt. Non comparatur Papa hoc loco cum Melchisedece; tantũ hoc cõcludit Bellarminus; Melchisedech fuit Rex & sacerdos; ergo iam quoq; politicus principatus & sacerdotium in vno eodemq; homine copulari possunt.

Deus, inquit Sutliuius, *nunc aliam politiam & formã Ecclesiæ instituit.* Num talemquæ politicum principatum penitus à principibus & antistitibus Ecclesiæ excludat? Negat hoc fortissimè Sarauia. Negat hoc idem Sutliuius proculdubio in suis chartis, quas, teste Sarauia, pro Episcopis Anglis contra Puritanos scriptitauit & euulgauit. Et tamen hic odio Pontificis aliud blaterat. Anglicani Episcopi volunt esse principes Ecclesiastici, & Regni proceres; nec quidquam delinquunt in formã regendæ Ecclesiæ à Christo præscriptam; & iſte Anglus ferre nequit, vt orthodoxi præsules eadem immunitate & impunitate, vtroque principatu fulgeant.

Ad exempla allata nil reponit, nisi lædorias & pseudologias: & cum negare nõ posit; omnes illos fuisse principes & sacerdotes; criminationibus mentẽ lectoris aliò abducere conatur; cum tamen tota disputatio præsens in eo duntaxat consistat, vt ostendatur, fieri posse, vt idẽ sit princeps Ecclesiasticus & politicus; qualescunq; demum illi fuerint, quorum exempla proferuntur, itemq; illi, quorum causa talia exempla proferuntur. Nam licet aliquis Pontifex Romanus à sanctitate Moysis longè absit; neque etiam prophetiæ dono polleat; id probationi non officit, quia semper vis & neruus huius consequentiæ. *Moyses sacerdos & princeps politicus fuit; ergo iam quoque summus populi Christiani sacerdos, & quilibet alius Episcopus, sacerdotium cum politico principatu coniunctum gerere & administrare potest.*

Idem probat Bellarminus rat. 1. Quia potestas Ecclesiastica & politica non sunt contrariæ, &c. ergo simul in eodẽ subiecto esse possunt. Oggannit Sutliuius: *Multa non pugnare, quæ tamen in eodem subiecto non concurrant: nam bipedem esse, & pennatum esse, non pugnare; nec propterea reperiri homines volaticos & pennigeros.* Sutliuius iterum artem suam imponendi factitat: neque enim ita argumentatur Bellarminus: *Non pugnant; ergo sunt simul in eodem subiecto.* Vel; *ergo possunt simul esse in eodem subiecto.* Porrò bipedem esse, & pennatũ esse, adeo inter se non pugnant, vt credam; Sutliuium, nullam vidisse auem propriè dictam; quæ non simul bipes sit, & pennata, nisi fortè *auium* nomine etiã vespertiliones, muscas, & culices complecti velit.

Deinde

Deinde, vtramque potestatem principalem Ecclesiasticam & politicam, in eodem subiecto coniungi posse; & reipsa etiam coniungi; discere poterat Sutliuius ex domesticis exemplis. An non enim in Pseudoepiscopis Anglis vtraq; hæc potestas coniungitur? iudicio quidem Sutliuij, Sarauiæ & similium *Caluinopapistarum*; non meo; qui in illis nullum Ecclesiasticum principatum agnosco. Idē dico de Episcopis Lutheranis Germaniæ. An non Magdeburgensis, Halberstatensis, Mindensis, Verdensis, Merseburgensis, alij; principes Ecclesiastici esse volunt? certè *Archiepiscopi & Episcopi* nomen, quod vsurpant, perspicuè id indicat. At simul politicis principibus annumerari cupiunt: & reipsa itidem annumerantur, & quidem adeo absque vlla repugnantia, vt Lutherani suauissimam harmoniam in hac cōiunctione vtriusq; principatus, inesse existiment.

Secunda Bellarmini ratio. Magis diuersa sunt bellum & pax, quàm bona temporalia & spiritualia: at vnus & idem Rex præest senatui & exercitui, &c. Respondet Sutliuius: *non parum interesse inter bona spiritualia & temporalia, & inter officium spirituale & temporale.* Quem petis aut feris Caluinista? An non hoc dicit Bellarminus? Num hoc discrimen obstat, vt in eodem subiecto bona spiritalia & temporalia coniungi nequeant? Ingenti certè discrimine secernuntur sanitas corporis & sanitas animæ. Pulchritudo corporis, & pulchritudo animæ. Et tamen in eodem subiecto coniungi possunt, & reipsa etiam in multis coniunguntur. Clamat Sutliuius, *administrationem belli & pacis malè comparari cum officio Episcopali & regali.* Iterum extra chorum salit. Non comparat hæc inter se Bellarminus: sed ex officio politico, quod bello & paci præest, ostendit non repugnare, vt vnus idemque præsit simul spiritualibus, & temporalibus. An non hoc fit in Anglia? Oro te, Caluinista, lege tuum Sarauiam; vel potius lege teipsum, quandoquidem, vt ex Sarauia intelligo, in eadem arena pro Pseudoepiscopis Anglicanis versatus es. An non illi politicorum simul & Ecclesiasticorum procerum munere funguntur? vestro quidem calculo, non meo: quia non plus Ecclesiasticæ potestatis in illis, quàm in quibusuis aliis merè laicis agnosco.

Tertia Bellarmini ratio: quia vnus Rex gubernare potest diuersissima regna, qui diuersos mores, ritus & consuetudines habeant, &c. Respondet Sutliuius, *omnia hæc regna, licet prouinciis diuersa, vnum tamen esse imperium, & eodem modo administrari posse: Administrationem autem regni & Episcopatus, planè esse diuersa.* Non quæritur vtrum plura diuersa regna eodem modo ab vno administrari queant; sed, vtrum regna diuersa nō etiam diuersimodè ab vno regi possint; & de facto etiā regantur? certè Rex Angliæ non eodem modo, sed planè diuerso tria regna Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ administrat: quippe legibus & consuetudinibus prorsus diuersis & aduersis. Et Rex Hispaniæ aliter Castellæ regnum administrat; aliter regnum Lusitaniæ; aliter Ducatum Mediolanensem; & aliter alias ditiones, quas habet diuersissimas; neque enim omnes, eodem metitur, vt sic dicam, pede; neque iisdem legibus gubernat, vt notum est.

Addit Sutliuius: *Nemo prohibetur pluribus prouinciis imperare: at prohibentur Episcopi regnare,* (immiscet iste fraudulenter *regnandi* vocabulū, cum dicere deberet, politicè imperare, vel præesse) quia Paulus dicit; *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Accipiat Sutliuius responsum sui Sarauiæ. *Nec illud Pauli ad Timotheum*: Nemo qui militat, implicatur negotiis huius vitæ: *aduersatur nostræ sententiæ,* inquit Sarauia, *Vitæ negotia sunt ea, quibus quæ ad huius vitæ victum pertinent, comparantur, non quæ sunt Principis, aut ciuitatis publicæ: ipsa militia negotium est publicum Reipublicæ; cui, qui adscriptus est, oportet, vt negligat domestica: vt, si quis similitudinem omni ex parte vrgeat, ei, qui militat Deo, erit abstinendum ab omnibus domestici negotiis: contra id, quod licere diximus exemplo Pauli, quem suo munere strenuè, & fideliter perfunctum fuisse, nemo dubitat: qui tamen vitæ negotio implicitus fuit, quando eum manuum labore victum quærere apud Corinthios necessitas coëgit, & tempus impendere operi externo huius vitæ, quod alias melius meditationi, aut orationi dedisset: Idem facturus haud dubiè pro Republica, quod pro priuata fecit, si quis magistratus mandasset, populiq; vtilitas postulasset. Similitudinis huius igitur sensus hic est: Abstinendum ab iis, quæ militiam, in quam adscripti sunt, ita remorantur, & impediunt, vt eam deserere cogantur.* Hæc Sarauia, symmystæ suo Sutliuio.

Quarta Bellarmini ratio. Qui Ecclesiæ principatus temporales contulerunt, pij homines fuêre, & ab omnibus pietatis nomine commendantur. Multi itidem Pontificum numero, qui principes Ecclesiastici & politici simul fuêre, sanctitate floruerunt, & miraculis claruerunt. Ad hanc rationem, præter conuicia, nihil penitus respondet Sutliuius. Conuicia autem eius numerare vel enumerare, quid attinet; cum conuiciari sit Sutliuio viuere & scribere? Nam si mendacia & conuicia, quæ circa nonum & decimum caput huius libri quinti effutiuit; enotare vellem; facilè duas Centurias conficerem. Sed cui bono? cum singulis propemodum huius operis de Pontifice pagellis vanitas & mendaciloquentia Sutliuiana patefacta, & lectorum oculis subiecta fuerit. Nos nunc vela contrahamus, & quinto libro finem imponamus.

Finis Libri Quinti.

APPENDIX
DE MIRIFICO ET HORRIFICO OPERE SAMVELIS HVBERI, LVTHERANI PRÆDICANTIS.

EXIIT non pridem in vulgus ſpiſſus quidam liber hoc titulo. ANTIBELLARMINVS, hoc eſt, *Confutatio eorum, quæ aduerſus Chriſtianam fidem pro tuenda pontificia ſua religione, Tomis diſputauit quatuor, Robertus Bellarminus, Ieſuita, Cardinalis, A Samuele Hubero D. Heluetio Bernate. Opus, in quo libro ſex tota Romana Babylon, ſcortationum & abominationum mater, quam Bellarminus pocillator & proditor eius in lucem produxit, ex imis euertitur fundamentis.* Hic titulus ſanè, perquam grandiloquus, & qui ſonoro ſuo faſtu & hiatu lectori terrorem incutiat, ne tanta *Babylonis* ruina ipſe pariter inuoluatur ac pereat. Opus ipſum penitus eſt myſticum, & non multum à veterum Hieroglyphicis ſecretis abludens. Baſis & quaſi crepido eius eſt *Babylon*; beſtiæ inſidens decem inſtructæ cornibus, & ſeptem capitibus; quæ poculum aureum manu geſtans ſublimis inuehitur. Huius beſtiæ cornua frangit & comminuit cornutus noſter Prædicans libro primo.

Cornua autem, quæ fronti beſtiæ, matris ſuæ, Cornifex noſter impoſuit, ſunt iſta. I. *Papa.* II. *Depranatio ſcripturæ.* III. *Traditiones.* IV. *Patres.* V. *Concilia.* VI. *Scholaſtici.* VII. *Miracula & apparitiones.* VIII. *Iudaiſmus.* IX. *Gentiliſmus.* X. *Apotheoſis Satanæ & Sataniſmus.* Vbi obſerua depravatam & deſperatam impudentiam huius rnificis: qui *Patres* & *Concilia Oecumenica* inter cornua beſtiæ Apocalypticæ numerat. Siccine S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Ambroſius, S. Gregorius Magnus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Baſilius, S. Gregorius Nyſſenus, S. Chryſoſtomus, innumeri alij, ſanctitate & eruditione præſtantiſsimi Doctores, ad cornua beſtiæ Apocalypticæ pertinent? Itáne *Concilia* Nicænum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum, Chalcedonenſe, aliæ ſunt cornua illius beſtiæ, cui Babylon, Mater abominationum & ſcortationum, inſidet?

Quam promptum & procliue eſt, hæc, quæ de cornibus Prædicans ſtatuit, retorquere, & ad Lutheranos remittere. Quæ enim illa mulier in Apocalypſi monſtrata (ſi proprio ſenſu deſerto ad myſticum & tropicum declinare lubeat) niſi hæreſis Lutherana; quæ Luthero, validiſsimæ beſtiæ, inſidet; cui hæc ſunt cornua, quibus tam beſtia, quam beſtiæ inequitans Thais Lutherana, totam Germaniam quaſſat, & concutit. I. *Potentia & fauor quorundam principum & ciuitatum.* II. *Impudentia.* III. *Arrogantia.* IV. *Inſcitia.* V. *Maledicentia.* VI. *Mendaciloquentia.* VII. *Vbiquiſticum Eutychianiſmus.* VIII. *Iudaiſmus.* IX. *Ethniciſmus.* X. *Sataniſmus.* De quibus cornibus longè grandius, & quidem veriſsimum, opus ſcribi poſſet; quàm Huberus ſcripſit de commentitiis ſuis cornibus & capitibus, qui cum in Titulo omnium quatuor Tomorum Bellarmini refutationem promiſiſſet, poſtea cum ad rem ventum eſt, ne triceſimam, imò ne centeſimam quidem partem diſputationis Bellarminianæ attingit; & quę attingit, ſine vllo ordine promit; modò ex Tomo primo; nunc ſecundo; ſtatim ex tertio; mox ex quarto fruſtilla quædam excerpens vellicat, & turgidiſsima ſua inaniloquentia lancinat.

Quanquam ferendum vtrumque eſſet, ſi ſaltem Tomorum & Diſputationum ordinem obſeruaret. Sed nil in hoc cornicine ordinis; nil methodi. Cum de Papa detonat derepente ad Concilia, vel ad ſanctorum Inuocationem, vel ad Sacramenta, vel ad iuſtificationem impij ſaltitat, & vt Vbiquiſtam agnoſcere poſsis, cum alicubi eſt; vbique eſt. Et tamen ſpecioſus *Antibellarmini* titulus, & thraſonica pollicitatio, qua totius Operis Bellarminiani *ex imis fundamentis* euerſio, promittitur; lectorem nil aliud exſpectare iubet, quàm methodicam, ordinatam, plenam, perfectamque omnium, quæ Bellarminus diſſerit, refutationem. At quàm ſpe & exſpectatione ſua fallitur hians lector, quam primum in ipſum librum, relicto titulo, non pedem, ſed vel ſiniſtrum oculum infert. Quàm nihil inuenit eorum, quæ in *Frontiſpicio* ampulloſis logis magnificè ſpondebantur.

Cornu, quod *Papam* nominat, ſeptendecim capitibus exagitat. Secundi capitis eſt hęc inſcriptio. *Quod ſi Papa fundamentum iaceret Eccleſiæ Chriſti.* Adeo mendax & calumniarum auidus eſt iſte cornuum faber, vt ne lemmata quidem capitum

abſque

absque mendaciis & criminationibus concipere queat. Non enim iactitat Papa hoc, quod ex diuina institutione, habet; sed quod Petro dictum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; id ad se itidem pertinere grato animo agnoscit ac reuerenter prædicat.

Nec aliud, quàm grande mendacium est iste capitis Tertij titulus. *De potestate Papæ, qua se effert supra & contra Deum.* Solenne in schola Prædicantica mendacium; quod aliis mendaciis corniger Huberus confirmat: Ex quorum numero hoc: *Papam noua Sacramenta instituisse. Papam, Apocryphos libros Canonicis admiscuisse: Papam Conformitates Francisci in Canonem Verbi diuini retulisse. Papam æquiparare se Deo in hoc, quod non possit errare; item in ferendis legibus, & obstringendis conscientiis,* & id genus aliis; quæ Huberus tumentibus buccis declamitat; quæ nil aliud sunt, nisi scurrarum scommata & figmenta imperitis circumueniendis excogitata.

Caput quartum primi cornu est *de potestate Papæ in spiritualibus*, caput quintum, *De potestate Papæ in temporalibus*, vbi insulsissimè & contumeliosissimè de coronatione Imperatoris à summo Pontifice fieri solita, deque cæremoniis in ea adhiberi consuetis blaterat; vt mihi quidem Cornifex noster calamum nō tam atramento, quā Gosslarienſi cereuisia tinctum habuisse videatur, cum hæc tam furiosa in chartam exspuit. Nam ne sis nescius, Goslariæ tandem profugus iste Cain nidulum fixit; postquam ex tota Heluetia, & Academia VVitebergensi publicè ob seditiosissimum & inquietissimum ingenium exterminatus est. Goslariæ ergo hæc tam bella cornua Corniger iste confecit, & bestiæ suæ, à qua vehitur, adaptauit.

Inscriptio capitis sexti luculentum est mendacium. *De Papæ potentia in omnes creaturas.* Quis potentiam Papæ ad omnes creaturas extendit? Hic bestia cornuta os suum lato rictu diducens, bacchari incipit de Purgatorio, & de variarum rerum benedictionibus: adeo insanè & scurriliter; vt omnes Lucianos longissimo interuallo post se relinquat.

Septimi capitis lemma hoc mendacio continetur. *Papæ potestatem in omnes Ecclesias, non esse ex iure diuino; nec ex iure humano,* & hæc posterior pars mendaciorum octaui capitis periocha est. Nono capite mentitur, SS. Patres primatui Pontificis Romani non suffragari. Capite decimo horribiliter mentitur, cum explicat fictitias causas, quibus Papa *ad tantam potentiam perruperit.* Vbi propemodum plura inuenies mendacia, quàm lineas. Illud notetur contra alios sectarios, qui plerumque vociferantur, *nullum vnquam Imperatorem antè Gregorium VII. Excommunicatum fuisse: Gregorium VII. primum exstitisse, qui in Henricum IV. anathematis fulmen iecerit.* Istos mendacij arguit Corniger noster: qui hîc scribit; Orientales Imperatores *à Nicolao I. Gregorio II. Gregorio III. Adriano I. Leone III. à communione euulsos,* hoc est, excommunicatos fuisse. At omnes isti Pontifices antecesserunt Gregorium VII. Concedit etiam Pontificem Romanum varias in Italia prouincias dono accepisse à Pipino, Carolo Magno & aliis. Quod mente reponendum est, contra inuerecundam frontem Caluiniani Sutliuij, qui omnium harum donationum tabulas pro fabulis reputat.

Caput vndecimum hoc prænotatur mendacio. *Pontificem, super quem Babylon ædificata est, errare posse.* Duodecimum, *Ipsa errasse.* Decimumtertium, *adhuc errare*: Et loquitur cornutus Prædicans de erroribus commissis in definitione ex Cathedra; eamque ob causam mentitur. Lege hæc tria capita, præter clamores, imperitiā, pseudologiam, & lœdoriam vix quidquam inuenies.

Capite decimo quarto quærit Cornifex: *An fuerit de necessitate & vsu Ecclesiæ, Monarchiam constituere Ecclesiasticum.* Ipse negat; & quidem inscitissimè. Sed nihil opus quidquam iis addere, quæ libro I. & alibi in hac de Pontifice summo Controuersia copiosissimè à nobis disputata sunt. Neque enim in toto hoc Cornigero libro vllam vel obiectionem, vel ad argumenta Bellarminiana solutionem inuenies; cui non à nobis satisfactum sit. Nam noua Cornuti nostri mendacia & conuicia recensere, quid attinet? quasi Danæus, Sutliuius & alij nō satis multa nobis enumeranda suppeditauerint. Fuitne vllus vnquam Prædicans, quem libido mentiendi non exagitauerit?

Caput decimum quintum; *An Papæ sit indicere & conuocare Concilium generale*; huc obtorto collo à Cornifice abreptum est ex libris de Cōciliis. Quæstio capitis decimi sexti: *An pax Augustana Confessioni data in Imperio per Tridentinum Concilium tolli possit*: non est à Bellarmino vllo in loco Tomorum disputata: à cornicine isto cornu hoc inflatur, non pacis amore, sed Bellonæ. Clamant Prædicantes perpetuò, ad raucedinem vsque, pacta conuenta sanctè & inuiolabiliter seruari debere. Interim linguarum suarum & libellorum flabellis omnia inflammant, & chartas seditiosissimas extrudunt, & cum id, quod faciunt, hoc est, cum classicum canunt, & tartaream suam vocem turbandæ publicæ tranquillitati, quā maximè intendunt, mitis oliuæ ramum prætendere videri volunt.

Caput decimum septimum horribili inscriptione insignitur. *Abyssus fallaciarum Babylonis in hoc Patrum* (forsan scribere volebat, *Paparum.*) *fundamento.* Quis sibi non metuat, si eò deueniat, vbi *abyssus abyssum* inuocat? Cui non stent comæ? Cui vox non hæreat? Sed nisi fallor, aptissimè inscriberetur hoc caput: Abyssus mendaciorum, calumniarum & vociferationum *tornuti* Huberi, quibus hoc primum suum bestiæ suæ cornu cōcludit; quæ conclusio nihil aliud est, quàm repetitio omnium mendaciorum & conuiciorum

antecedentium, & præterea non modica nouorum additio. Neque enim isti suæ vanitatis repetitionem vnquã sine copioso auctario instituunt, prout etiam videre licet in generalibus Danæi censuris, quas singulis Bellarmini libris, & interdum aliquorum librorum partibus subiungit; quæ censuræ nil aliud sunt, quam totius inaniloquentiæ & vanidicæ garrulitatis anacephalæosis, nouis lœdoriis & pseudologiis farta. Cornu secundum Cornificis nostri *de scripturæ depravatione*, constat nouenis capitibus. Res miranda. Hucusque in capitibus erant cornua; nunc capita sunt in cornibus. Plurima & horrifica mendacia effundit de *scripturæ imperfectione, obscuritate, & ambiguitate, necessitate, interprete & interpretatione*. Et tandem *abyssum fallaciarum, pseudologiarum, criminationum & vociferationum suarum* clamosissimus rabula subiungit. Verùm hæc omnia iam primo Tomo tractata & discussa sunt. Nec arbitror vllam alicuius pretij obiectionem ab isto allatam, quæ non sit in Apologia primæ Cõtrouersiæ depulsa: idemque dico de Cornigeri nostri cornu tertio, cui *traditionum* nomen indidit. Et si quid peculiarem refutationem desiderat, id non præteribimus, cum Savvbrandicam *Replicationem* ad examen vocabimus.

Cornu quartum bestiæ Huberianæ complectitur *Patres*. Quintum, *Concilia*. Sed hæc ad disputationem de Pontifice non spectant. Proprium locum obtinent. Est autem Lutheranæ huius bestiæ incredibilis prorsus impudentia, cum Bellarminum aliosque Catholicos accusat, quasi Patres parum honorificè tractent; cum ipsi in Patres proiectissimè & petulantissimè debacchari soleant, vbi vel minimũ quid dicunt, quod istorum stomachis non satis arrideat. Sed hæc alterius loci sunt. Legatur Lutherus in symposiacis Colloquiis titulo *de Patribus*. Et Coccius in Thesauro suo lib. 8. fol. 1118. Et Panegyricus Misenicus cap. 3. vbi copiosè de hoc argumento scripsi.

Sextum Huberianæ Bestiæ cornu *Scholastici* tenent. Hos indignè à Bellarmino excipi & accipi calumniatur Cornifex. Et vbicunq; Bellarminus alicuius Scholastici sententiam vel non sequitur; vel reiicit; iste *dissensionem implacabilem & bellum irreconciliabile* ingeminat. Quid si iis conuiciis in Scholasticos grassatus fuisset Bellarminus, quibus Lutherus in eos desæuiit cum alibi; tum in *Colloquiis Mensalibus*, Titulo *de Scholasticis?* Sed & hæc de Scholasticis disputatio alterius est loci. Quomodo autem salua fide & charitate in rebus nondum planè compertis dissentire ab aliis liceat; & vel hanc vel illam opinionem amplecti, copiosè declaraui contra Pappum in Appendice prima ad primum librum primę Cõtrouersiæ de Verbo Dei. Quod Beza pro se & suis dissidentibus non de lana caprina, sed de ipsis fidei articulis scripsit Præfat. in secundum Volumen Tractationum Theologicarum, hoc iure optimo de Scholasticorum concertationibus pronuncies. *Nil prohibet de istis quæri, & diuersas eorum sententias audiri, quas apparet inuestigandæ veritatis studio duci, modò publica auctoritate recepta pertinaciter non obsistatur.* (Quod Scholastici nõ faciunt, cum in iis, quæ per fidem certa, explorata & definita sunt, omnes concorditer conspirent.) *Et qui ex istis occasionem arripiunt nos calumniandi, quasi in religione non consentiamus, partim non agnoscunt, quæ sit iudiciorum humanorum imbecillitas, cum sint tamen ipsi sæpe nullo iudicio præditi, partim verò suam malitiam manifestè produnt.* De conuiciis maledicentissimis Lutheri & Lutheranorum in Scholasticos, disputatum est prolixè in Actu Doctorali typis hic ante paucos annos excuso.

Miracula & apparitiones, ex quibus Cornifex noster septimum suum cornu confecit, aliò pertinent, de quibus certè rabula iste ita scribit, vt omnibus sannionibus videatur palmam præripere voluisse. *Iudaismum, Gentilismum, Alcoranismũ & Satanismum*, si quis penitius introspicere cogitet; is *Lutheranismum & Caluinismum* inspiciat; vterq; enim omnium prædictorum lucidissimum nobis exhibet speculum.

Postquam cornifex ea, quæ volebat, cornua, Bestiæ suæ imposuit; eandem nunc suis capitibus insignire aggreditur; ordine planè præpostero; quia prius bestiæ capita danda erant; postea cornua; quandoquidem cornua sunt in capitibus, nõ capita in cornib. Sed de ordine nullam litem moueamus. Videamus potius, qualia sint hæc bestiæ Huberianę capita. Primum caput est, quo bestia hæc Prædicantica *deuorat peccatum*. Secundum caput, *quo deuorat Iesum Christum*. Tertium caput, *quo deuorat Verbum*. Quartum caput, *quo deuorat Baptismum*. Caput quintum, *quo deuorat cœnam Dominicã*. Caput sextum, *quo deuorat absolutionem*. Caput septimum, *quo deuorat fidem*. En voraciſsima capita, quorum comparatione admodum temperans & abstinens est Bel ille Babylonius, cui impendebantur per dies singulos *similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vini, amphoræ sex*. Nil Belus iste ad voracitatem horum Huberianorum capitum, quorum vnum totam *cœnam Lutheranam deuorat*, nec tamen satiatur inexplebilis eius cupiditas.

Decem ergo cornibus & septenis capitibus insignitus Cornifex noster validum dat in Bellarminum impetum; & suis optima quæque & fausti ſsima canit, more illius Prędicantis, de quo 3. Reg. 22. *Fecit quoq; sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus; his ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Cumque Michæas Propheta Domini, tantam vanitatem redargueret; *ait ſsit Sedecias, filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam & dixit: Méne ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?* Non secus hodie Lutherani & Caluiniani Prædicantes agunt cum Catholicis scriptoribus, nominatim cum Bellarmino, qui innumerabiles conuiciorum & maledictorũ ala-

pas

pas ab his cornigeris Sedeciis incuſſas ſuſtinere coguntur; eò quod cum Propheta Michæa indeſinenter clamant; *Ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum* (Prædicantium) *tuorum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.*

Quàm verò Huberus bonam operam cepiſſet, ſi Lutheranæ illi beſtiæ, cuius dena cornua iam ante recenſuimus, ſua quoque attribuiſſet capita, & primum quidem; quo tot *opulentiſſimos Epiſcopatus & Eccleſiaſticos principatus deuorauit.* Secundum; *quo tot Abbatiarum & Monaſteriorum millia deglutiuit.* Tertium, *quo infinita Eccleſiarum ſplendidiſſima ædificia abſorpſit.* Quartum, *quo bona Eccleſiaſtica, quæ vel auariſſimi & rapaciſſimi cuiuſq; voti ſufficere poterant, ita arroſit & accidit, vt multis in locis ne ſtipulæ quidem ſuperſint*: Omnia ferè epota, elota, exeſa, & in inexplebilem abyſſum præcipitata ſunt, ita vt Prædicantibus pauxillulum reſtet; Qua de re exſtant lamentabiles Prædicantium & ipſius Lutheri threnodiæ & queremoniæ, de quibus legi poteſt Refutatio præfationis Lauſerianæ, quam R.P. *Ioannes Zebender* noſter præfixit Apologiæ ſuæ contra duas Pragenſes Cõciones Polycarpi Lauſeri. Quintum caput Beſtiæ Lutheranæ, *quo diſciplinam Eccleſiaſticam penitus exedit.* Sextum, *quo ex ſeptem Sacramentis, quatuor vel quinq; & plurima alia diuina inſtituta & dogmata abſumpſit.* Septimum, *quo ipſum diuinorum voluminum Canonẽ innaſit, & inde impuriſſimis ſuis dentibus integros libros abraſit.* Hæc Lutheranæ Beſtiæ omni voragine voraciora ſunt capita.

Porro totum ſecundum librum de capitibus Beſtiæ ſuæ confecit Capito noſter partim ex Tomo Bellarminiano de Sacramentis; partim ex Tomo quarto, de gratia, de peccatis, de iuſtificatione, de prædeſtinatione; ex quibus excerpſit iſte nonnulla fragmenta, eaque clamoſiſsimis ſuis mendaciis & criminationibus exagitat. Verùm horum refutatio non eſt præſentis loci, vbi de ſolo Chriſto & Pontifice diſceptatur. Alium locum, aliud tempus & otium hæc efflagitant.

Libro tertio occupatur Huberus in explicando poculo Babylonicę ſuæ meretricis, variasque mixturas apparat, *de Miſſa, de Sacramentis, de cultu imaginum, de cucullatis*, vt inquit, *ſatisfactionibus* Quid verbis opus? Si quis Furiam videre cupit, hunc Prædicantem intueatur.

Libro quarto diſputat *de vera Eccleſia & Eccleſia Antichriſti*; vbi & de ipſo Antichriſto. Sed diſputatio de Eccleſia non eſt huius loci. De Antichriſto nihil noui adducit, præter nouas vociferationes, criminationes & maledicentiam prorſus Tartaream; omnia perſtrepunt *lupis, lupanaribus, ſcortis, ſcortationibus, Sodoma, Gomorrha, Babylone, Babylonica meretrice; Babylonica Thaide, Poculo Babylonico, pocillatore, pincerna*; & id genus aliis emblematis. Quidquid Bellarminus dicit, hoc *Babylon* vel *pocillator Babylonis* dicit. Hic *Babylon ſeipſam prodit, confundit, euertit. Hic ſuo indicio perit. Hic beſtia to-*

A *nat, fulminat. Hic cornua ſe exſerunt. Hic capita beſtiæ graſſantur, & bacchantur.* Et quid moror? Nil moderatum in hoc Cornigero Prædicante, nil ſobrium, nil ſanum. Omnia furorem & inſaniam pluſquam Orgiis vſitatam ſpirant: qui ad maniaci operis complementum duos adhuc libros vel potius Diabolico enthuſiaſmo perciti animi duos paroxyſmos adiicere cogitat; Et tum quaſi proſtratum Bellarminum palam publico in triumpho circumducet ſcilicet, & denis ſuis cornibus ſeptenisque capitibus coronam ſeu lauream triumphalem imponet; & toto orbe celebrabitur, ſed vt furioſus & maniacus impoſtor, omniumque ſcurrilium maledictorum ſedulus collector, & vnum in faſcem comportator.

B De Thoma Mortono Anglo, Caluinianæ Theologiæ Baccalaureo, dictum eſt Tomo primo. Is lib. 3. Apologiæ ſuæ, quam vocat *Catholicam* p. 2. etiam hanc de Pontifice diſputationem vellicauit, modo & ſtylo ſibi conſueto, qui eſt; ex variorum Doctorum noſtrorum dictis, contradictionum quaſi catenam nectere. Sed plerunque conatu ſuo fallitur. Nam dum contradictionum catenam exituram exſpectas, ferè ſemper *Mortonicæ* vanitatis & mendaciloquentiæ rudis & impolitus cento exit. Nec arbitror in nugaciſsimis Caluiniſtæ huius chartis aliquid ineſſe, quod abunde refutatum non ſit; cum gregales *Mortonicos* Sutliuium, VVitackerum, Iunium & alios refellimus.

C De ſcurrili & prorſus Lucianéo libro Philippi Marnixij iam alibi diximus.

Prorepſit quoque ex antris VVitebergenſibus ignotus quidam terræ filius, cui nomen *Rühelio*, qui librum hoc titulo inſignitum in vulgus extruſit. *Dogmata & argumenta Suitarum præcipua de Papa è variis illorum, Bellarmini præcipuè, libris, de Romano Pontifice, collecta, examinata, & refutata.* Solidè videlicet, vel vna litera auctius, *ſtolidè.* Quid enim indoctiſsimus iſte Lutheriſta ſolidè vel examinaret, vel refutaret? Librum eius eſſe collectionem non abnuo; ſed conuiciorum & mendaciorum, quę ex Prædicantium quiſquiliis vtcunque diligenter collegit ac ſublegit. Indignus certè eſt, qui aliter refutetur, quã contemptu & ſilentio. Digniſsimas haſce vindicias iudico. Quanquam ea, quæ de iudice Controuerſiarum garrit, ſatis ſuperq; Tomo ſuperiore diſcuſſa & diſpulſa ſunt. Quæ de Pontifice; Tomo iſto. Nam dum Hæreticorum, qui familiam ducere videntur, nugamenta diſiicimus ac depellimus, vna eademque opera patellariorum quoq; Prædicantium (in quibus & iſte militat) obiectiunculas amolimur, cũ nullas adferant, niſi quas à ſuis Magiſtris vel mutuò ſumpſerunt; vel furati ſunt, vel ſaltem emendicarunt.

D Dedit nobis quoque Iena inſignem librum, Auctore M. Henrico Echarto Heſſo, cuius inſcriptio: *Papa Phariſaizans, Hiſtoricè, Logicè & Theologicè conſcriptus.* Quis non amet, quis non emat librum

tergemina hac laude clarum? Quis non admiretur Authorem *Sophicum*, *Logicum*, *Theologum*? At quia periculum erat, ne tiruis videretur ironicus vel antiphrasticus; neque enim ignorum lo-
quelæ libarorum emporibus, quàm ille præcipe-
tis titulorum pollicitationibus sæpenumero de-
formes latent nugæ & phrases: ideo prudenter *Belarmin* cavet appenti, sibi fi quo fatal Lu-
therano ille magistellus consultum iit. *Addit*, inquit, *simul refutatione præterea argumentum sylvia totum Lutherani*. Mathæ hoc animo Magi-
stelle; iam tuus liber longi fori non erit. Iam ob defectum in vicum, ubi tinas & piper venditur. Iam à Pharmacopolis fecutus perflabit; quia Bellarminii nomen præfert, quod nil præterea, quis hoc tuum omnia lu ffitarii nihilitia & ma-
ledicentiæ chaos vel inspicere dignatus fuiset? Nunc Bellarmini nomen ille tantum est eli. Quis enim non cognitet validis facetiis eum pugnatum esse, qui Bellarminum in prælia posset; nec pof-
cat tantum fed & pertrahat?

Admonitor fes Commonefactor Anony-
mus de libris Bellarmini, cuius in Controversia de Christo aliquoties mentionem feci mus, vali-
di faccenfet Bellarmino; quòd locum illum Apo-
stoli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, refert etiam ad potestatem Ecclesiasticam. At cauffe nihil erat, cur tantopere flomachare-
tur; nam ita explicandum elle hunc locum perspicuè ostendit Bellarminus lib. 4 de Pontif. cap. 16. & nos ibidi. Erin libellis, quos scripsit Bellarminus de Controversia Veteris; & nos ibi-
dem lib. 2 de Considerationum ad Venetos.

Frontem quoque corrugat ob disputationem de variis Reipublicæ specibus, quam in ipso re-
libuto primi libri de Pontifice inflituit. Putat ille hæc omnia, tanquam Philosophica, procul Theologicis disceptationibus amandari debe-
re. Nihil Philosophiæ cum Theologia est com-
mune. Sed hoc delirium satis repercussum est lib. 1. de Pontifice. Perquam autem urgitus est commonefactor; *iam colligit, Papam debere aliam habere aliquam potestatem vnctî, quam iniquitam summus Pontifex terrarum Tyrannis habuit, qui nunquam Pontifex vnctus fuit.* At non videt actutus homo plus-
de fequi, quàm forte Ipse velit? nam pelicualle Pontifex etiam Christi typus fuit. Num & hic profuso acumine concludet, quod concluit, au-
diendum fuisse typi eius Pontifices, qui Chri-
ftiin terris fuerunt ex vicis gentis? Non ob mate-
ste, vt omnia typi feu figura, fintin figurato; fatis eli, vt ea in fine, quæ fant perfectiora, & quæ ad officii perfunctionem & in typo adumbrati fuere, conducentin quibus certe non eli vxor. Eiuſdé none fuit cætera, quæ ille commonefactor, ex Controversia de Pontifice desiderat fuis inferiat.

At non opus fingula figillatim perfequi; qua vis quidquam interiues ad quod in Con-
troversia de Pontifice non fit co-
piosè responsum.

F I N I S.

Digitized by Google

APOLOGIA TRIVM LIBRORVM DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI A GRÆCIS AD FRANCOS.

ADVERSVS

FRANCISCVM IVNIVM CALVINISTAM, ET MATTHAEVM DRESSERVM Lutheranum.

Auctore

IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV.

Digitized by Google

DEFENSIO LIBRI PRIMI DE TRANSLATIONE IMPERII,

Præfatiuncula.

ANNO Domini M. D. LXVI. Edidit Illyricus Basileæ librum de Translatione Imperij Romani ad Germanos. *In quo, præter alia, duo hæc persuadere nititur.* I. Translationem Imperij Romani ad Francos seu Germanos non esse factam à Pontifice. II. Ne quidem à Pontifice fieri potuisse. *De eodem argumento scripsit olim proprium libellum Marsilius de Padua, eodem ferè, quo Illyricus, spiritu calens. Contra eandem translationem disputat idem Marsilius sub finem partis secundæ, eius Libri, quem rectius* Perturbatorem, *quàm* Defensorem pacis *inscripsisset. Illyrici Commentarium his tribus libris refellit Bellarminus, quibus Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius hoc Elogium posuit Tom. IX. Anno Redemptoris DCCC. LXXX. postquam exposuerat, quomodo singulari Dei prouidentia acciderit; vt Imperium Occidentale à Leone III. Pontifice instauraretur, Carolo Magno, Rege potentissimo & inuictissimo ad hanc dignitatem euecto.*

His offensum crabronum examen excitatum exsurgit, & exerto aculeo obuium quemque petit. Talis est Nouatorum huius temporis schola, cuius, qui in historica facultate apud eos esse profitebatur antistes, commentarium scripsit aduersus eos, qui assererent, collatum esse Occidentis Imperium per Romanum Pontificem in Carolum Magnum: quam quidem scriptionem si quis mendaciorum nuncupauerit officinam, proprio quidem titulo mendax Opus inscripserit. Cum nescio an quis alius sit inueniri huius temporis scriptor, qui plura, maiora, patentiora, dicam & putentiora, ac magis deformia, vnà simul in vno volumine, mendacia coaceruauerit. Qui ista non credit, & figura

hyperboles, amplificationis causa, nos vti existimat; inspiciat ipse oculis easdem, tanquam in nundinis palam expositas merces, patentes omnibus factas. Qui enim eiusdem officinæ abdita penetrauit, veritatis lucernâ singula perscrutatus, quæ tenebrarum erant offusa caligine, qualia essent non omnibus nota, iam aduersaria scriptione palam fecit, & cunctis perspicuè demonstrauit vir doctissimus Bellarminus, hodie Collegij Apostolici decus, & ornamentum, Cardinalis amplissimus; qui id, quod conatus est, adeò est feliciter consecutus, vt nobis, vel aliis non sit admodum laborandum, sed gratulandum potius, vti potentissimo vindici veritatis; agendæque gratiæ, quod labore plurimo liberauerit immittendi falcem in adeò densam, immensamque mendaciorum syluam. Nam contemnendus est potius, quàm confutandus ille, qui mendaciorum frigidus defensor accedens, post collapsos tuba Iosue muros Iericho, leuem maceriem excitauit, quę sponte corruat, indigna penitus, vt ad eius demolitionem iterum buccina sacerdotalis insonet.

Contra hoc Bellarmini opus tantis laudibus à celeberrimo Cardinali Baronio celebratum duo ex sectariorum grege calamos suos strinxerunt: alter Matthæus Dresserus Lutheranus; alter, Franciscus Junius Caluinianus. Ille plus verborum, quàm rei adfert. Hic antiquum excerpendi frustilla, eaq; carpendi & vellicandi morem tenet. Vtriusque nugamenta breuiter refellamus. Junij potissimum, nam Dresseri scholastica declamatiuncula satis iam est discussa & excussa à Ludouico Rogerio nostro in libello, cuius titulus: Responsio ad notationem cuiusdam Matthæi Dresseri, qua Illustrissimum ROBERTVM Cardinalem Bellarminum, Antonium Possevinum, & Ludouicum Rogerium è societate JESV Theologos, gloriosè Lutheranus Ludimagister prouocat: Cum breui erratorum Compendio, quæ in Bellarmini confutatione edita anno M. D. XCI. Dresserus commiserat. *Qui liber primum Posnaniæ in Polonia editus est, Anno Redemptoris M. DC. postea recusus Moguntiæ in Germania.*

CAPVT PRIMVM.

Complectitur contradictiones Illyrici.

MVLTVM debent Lutherani manes Illyrici, Caluinianis manibus Iunij. Dixerat Bellarminus, se Prolegomenorum loco quædã præmittere velle, tum de contradictionibus, tum de manifestis atque crassissimis Illyrici mendaciis, sic enim patefactâ huius hominis incõstantiâ & impudentiâ, simul etiam veritati ad aures atque animos aditum patefactum iri. Ad quæ Iunius. *Verè crassè dicit Bellarminus, κατ' ἐμπαθῶς omnia, vt præceps ipsi dictauit zelus.* Item. *Parcius ista viris tamen obiicienda memento.* Quid verò sunt hæc qualiacunque Bellarminiana, de Illyrico & in Illyricum verissimè dicta, si conferantur cum illis Bezæ Præfat. in Volumen secundum Tractationum Theologicarum, vbi Illyrico caput hoc lixiuio lauatur. *Illyricum illum, totius Germaniæ perniciem, vel nominare me sanè puduisset, nisi perficiendum fuisset, quod semel Crispinus edere cœperat; cum vir ille nihil præter audacissimam inscitiam, & verè Satanicum spiritum ad oppugnandam veritatem adferat.* Hæc & centena talia, quibus postea toto in libro Illyricus à Beza suauiter perfricatur; non offendunt Iunium, vt nec innumera alia Encomia ab ipsis Lutheranis *Interimistis & Adiaphoristis* non modio aut trimodio, sed ipso horreo. Illyrico admensa; solus Bellarminus *contumeliis personalibus* grassatur; & illiberaliter extra modestiæ limites fertur; cum quid hominis Illyricus fuerit, præcipuè in Commentario de translatione Imperij, absque vlla circuitione aperit.

Murmurat quoq; Dresserus sub finem *Confutationis suæ*, quòd Bellarminus *ficum* nominet *fi-cum*, & *scapham, scapham*; hoc est, mendacia; mendacia. Mitiore vocabulo vtendum censet. Sed quando Illyricum tam turpiter mentiri non puduit, causæ nihil apparet, cur suo nomine palam non afficiatur, quod Illyricus palam egit: nam licet turpe sit mentiri, id tamen, quod verè mendacium est; hoc ipso etiam vocabulo indigitare; turpe non est; quando lectoris, ne seducatur, interest nosse, quis ille sit, qui sub veritatis pollicitatione mendaciloquentiam suam venditat.

Prima Illyrici contradictio. In libro de Translatione Imperij *negat Imperium Romanum translatũ à Græcis ad Germanos Pontificis auctoritate.* At in libro A contra primatum Papæ, hoc affirmat, vt & Centuria VIII. cap. 10. colum. 751. Iunius suppetia tum accurrit Illyrico: *nullam hic esse contradictionem. Verumq; ab Illyrico affirmatum non eodem, sed diuerso respectu; Pontificem transtulisse & non transtulisse Imperium; transtulisse ex facto; non ex iure. Transtulisse vt causam partiariam; non vt totalẽ: Fuisse huius translationis Auctorem, sed iniustum; non iustum*: Ex hac animaduersione omnẽ Illyrico intentatam cõtradictionem euanescere. Sed Iunius, more suo, arbitratur, omnibus oculos iam effossos esse, vt quid Illyricus scripserit, nemo mortalium amplius legere queat. Nam Illyricus sexdecim argumenta an deliramenta? profert, quibus euincere vult; translationẽ hanc simpliciter, nulloq; modo, nec iustè, neque iniustè, nec vt *à causa totali*, nec vt *à partiali*, à Papa factam; Carolũ enim dudum ante Leonem III. fuisse Imperatorem; B imò vix dignatur Illyricus fateri; Carolũ à Leone corona Imperiali redimitum, & solenni cæremonia inunctum esse; tantum abest, vt Leonẽ aliquid auctoritate, operâ & industriâ sua ad hanc translationem contulisse agnoscat. Et huc totam futilium suorum argumentorum cohortem dirigit. Quapropter manet, velit nolit Iunius, contradictio, q̃ Bellarminus Illyrico obiecit.

Secundam contradictionem non attingit Iunius. Tertia est, de Hilderico Rege Francorum, quem Illyricus in libro de translatione *à Papa deposium negat.* At Centuria VIII. cap. 10. col. 706. affirmat. Iunius videri cupit, quasi totis viribus velit Illyricum ex contradictionis laqueo eripere. Et postquam omnia fecit, nihil fecit, nam hunc nodum non soluit. *Zacharias non deposuit Hildericũ. Zacharias deposuit Hildericum. Zacharias non dedit Pipino Regnum Francorum. Zacharias dedit regnum Francorum Pipino.* Vtraq; propositio est Illyrici. Vtraq; ab illo affirmatur. Nec concedit Illyricus in libro de Translatione Hildericum fuisse depositũ, regnumq; Franciæ ad Pipinum venisse consensu & assensu Zachariæ; sed simpliciter abnuit, contra omnium Historicorum fidem & testimonia; Zacharię aliquid negotij fuisse cum depositione Hilderici seu Childerici, & translatione Regni in Pipinum. Hinc acriter insectatur Illyricus Gratianum, quod 15. q. 16. Can. *Alius* ex Gelasio ad Anastasium Imperatorem; scripserit, Hildericum Regem à Zacharia fuisse depositum; ridetque Glossam; dum verbum, *deposuit*; exponit; per, *deponentibus consensit.* En Illyricus ne consensum quidem Zacharię concedit. Frustra ergo contra-

dictionem eius tollere nititur Iunius cum ait; *Pipinum non factum à Zacharia Regem; & hoc velle Illyricum in libro de Translatione; sed consensu Zachariæ approbatum; & hanc esse mentem Illyrici Centuria VIII.* nam in libro de Translatione omnem cõsensum à Zacharia excludit: In Centuria VIII. plus dicit: quia hæc sunt eius verba: *Pipino Zacharias Papa regnum Francorum dedit, idq; ei tutum præstitit, deposito, &c. Hilderico Rege, &c.* Dare regnum, idque alicui *tutum præstare*, & *deponere Regem priorem*; plus est quàm in electionem alicuius & depositionem alterius consentire.

Modestior Illyrico fuit Marsilius in suo libro de Translatione Imperij cap. 6. vbi quamuis neget Hildericum à Zacharia fuisse depositum, nõ tamen ausus fuit palã inficiari Zachariæ consensum accessisse; tametsi libenter id feciſſet. Fassus insuper est, *multos scriptores esse qui testentur Hildericum à Zacharia fuisse depositum*: Sed eorum libros calumniosè nominat *Clericorum scripturas sibi imperialem potestatem vsurpare volentium*: & mox citat Aimoinum, seu, vt ipse vocat, *Admonium*; quasi scribat, in hoc facto nihil Pontificis interceſsisse, præter consensum. Nescio tamen, quo Marsilius Aimoino vsus fuerit; nam qui hodie exstat, disertè testatur lib. 4. cap. 61. *Põtificem mandasse*, missis super hac re ad Pipinum legatis, *melius esse illũ vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, datag; auctoritate sua iussisse Pipinum Regem institui.* Subdit Aimoinus. Hoc anno. (qui ex Baronij calculo est annus DCC. LII.) *Secundum Romani Pontificis sanctionem, Pipinus, Rex Francorum appellatus est; Et ad huius dignitatem honoris vnctus sacra vnctione, manu sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiscopi & Martyris.* Vbi videre est verba longè efficacius quid, quam solam consensionem testantia. Nam Zacharias in hoc noui Regis negotio, *mandauit*, & ad id *suã auctoritatem* dedit. *Iussit* insuper Pipinum constituti Regem. Ex *sanctione* item Zachariæ Pipinus Rex constitutus est. Idemque confirmant vetere Annales Francici à Pithœo editi. *Zacharias Papa*, inquiunt, *ex auctoritate Petri Apostoli, mandat populo Francorum, vt Pipinum, qui potestate regia vtebatur, nominis quoq; dignitate frueretur.* Adstipulantur & alij veteres Historici ac Chronologi. Omnibus Hæreticis ac schismaticis est hoc Zachariæ factum scopulus in quem impingunt. Itaq; alij, vt Illyricus, factum hoc penitus inficiantur: Ex quorum numero videtur etiam esse Auctor Apologiæ Henricianæ, quæ exstat Tom. 1. Illustrium Germaniæ scriptorum editionis Freherianę, qui præcisè & absolutè negat, Francos à fidelitate Hilderico seu Childerico præstita, fuisse absolutos, & Gregorium VII. qui in Epistola ad Herimannum Episcopum Metensem id asseruerat; falsitatis redarguit, sed falsò. Etiã ipsius Iunij iudicio, qui fermè ad hoc dũtaxat operã Zachariæ expetitam ait; vt Franci à iurisiurandi religione, qua Hilderico obstringebantur, soluerentur.

Alij Zachariã solummodo assensum præbuisse contendunt, & hoc ipsum iniustitiæ insimulant; vt Iunius, Sutliuius lib. 4. de Pontifice cap. 11. & alij. citat pro se Iunius Tilium Actuarium. Sed nos recẽtissimo scriptori opponimus antiquos, & in his S. Iuonem, qui in suo Chronico. *Pipinus Francorum regnum deficere videns, iussu Zachariæ Papæ eleuatur in Regem.* Iussu, inquit Iuo; non ergo solo assensu & approbatione.

Citat etiã Iunius pro sola sua assensione Godefridũ Viterbiensem. Sed reluctantẽ & contra Iunium testimoniũ dicentem; sic enim Viterbiensis legatos Francorum apud Zachariam loquentes inducit.

Si cupis Ecclesias regni virtute iuuari,
Præcipias Regem validum, fortemq; leuari, &c.
Scribe Pater Francis, pete, suggere, præcipe, semper
Vt faciant Regem patria gladioq; potentem.

Non ergo Zacharias tantum assensus est, sed & *præcepit* Francis, vt, depositio Hilderico, Regẽ eligerent, qui Francicis rebus ornamento & fulcimẽto esset. Nec obstãt illi Viterbiensis versiculi.

Littera Papalis Francis celeberrima venit;
Erigitur solium. Pipino gloria cedit,
Quippe sibi regnum Francia tota dedit:

Iussu nimirum & præcepto Zachariæ; nam legati dixerant: *Præcipias. Præcipe.* Lege Baronium Anno DCC. LI. & DCC. LII.

Quarta Illyrici cõtradictio. In libro de Translatione dicit, *Papas fuisse seruos & mancipia Caroli Magni.* At Centuria VIII. cap. 10. col. 724. dicit Illyricus, Pipinũ & Carolum filium eius, *prostratos in terram Pontificis pedes fuisse osculatos, & pedes apprehendisse, frenũ equi tenuisse, & stratoris officio functos esse.* Nũ hunc honorem Regum quispiã suo *mancipio* haberet? Occlamat Iunius. Illyricum dixisse *mancipium figuratè*; hoc est, si istud *figuratè*, rectè velis interpretari, calumniosè. Nam si Pipinus & Carolus Papam habuissent pro suo mancipio siue propriè dicto, siue figuratè; hoc est, pro capite vili & abiecto, cui quiduis mandare liceret; certè hoc officij genere eum nunquã fuissent prosecuti. Nam quod Iunius obiicit, *hunc honorẽ Stephano Papæ habitum: fuisse voluntatis non necessitatis, religionis, non obligationis*, id ad rem præsentẽ nil facit; de hoc tota quæstio est; num Pipinus, Carolus Magnus & alij Papã pro *mancipio* habuerint. Nõ habuisse, testatũ faciunt eximij honores Põtifici ab his Regibus habiti. Omnia alia, quæ Iunius declamitat, à causſa, quæ agitur, extranea sunt; & illæ etiã ad Christũ exclamationes, ridiculæ: *Hoc nunq; tu, optime* IESV, *dicusti. Tu, Domine* IESV, *nõ habuisti vbi reclinares caput tuũ: Isti, Vicarij tui scilicet, habeant ipsas Regũ Imperatorumq; ceruices, quibus incumbant etiã pede.* Hæc omnia nil prorsus ad institutũ faciunt; multoq; minus illa, quæ hîc ex libro ceremoniarũ exscribit Caluinista; videlicet quæ Imperatores, Reges, Principes Pontifici *seruitia* præstare debeant; quia hîc solũ quæritur, vtrũ Illyricus sibi cõtradixerit. Bellarminus affirmat & probat. Iunius omnia agit, præter illud, q

agen-

agendum erat; nec meminit, quidquid honoris A Vicario Christi impenditur, id ad Christū ipsum redundare. Si quod vni ex minimis factum est, Christus sibi factum reputat, quanto magis sibi censebit exhibitum, quicquid honoris ac venerationis Vicario suo exhibetur.

Quinta contradictio. In libro de Translatione scribit Illyricus: *Leonem III. simul ac Pontifex electus est, petiisse a Carolo confirmationem sui, & vt aliquis mitteretur, qui Romanos Carolo demum iuramento adstringeret.* At Cent. 8. cap. 10. colum. 750. dicit Illyricus. *Leonem postulasse, vt Carolus suos Romam ablegaret, qui populum Romanum ad suam fidem atq; subiectionem Sacramento firmaret.* Vbi per *suam* intelligere videtur, fidem & subiectionem Leonis. Negat hoc Iunius; & illud *suam* ad Carolum quoq; B refert. Sed violenter. Nec suffragatur Gillius in Annalibus Francicis, quem citat Iunius: quia nil aliud dicit; quam Leonem *denunciasse Carolo, vt certos homines mitteret, qui Sacramẽta iurisiurandi exigerent; & fidem obsequij a populo.* Sed non dicit: hanc fidem exactam & præstitam Carolo: vt nec Annales rerum à Carolo gestarum: in quibus Bellarminum non vidisse, pronomen *suam*, referri posse ad Carolum; mendacium Iunianum est. Quia non solùm hoc vidit, sed & palam admonuit; tametsi meritò dixit; rectius referri ad Leonem, quàm ad Carolum Magnum.

Vt autem videas, quàm eruditè Iunius ex missione clauium S. Petri & vexilli, colligat Leonem Papam subiecisse Romam & Ecclesiam Romanam Carolo Magno; placet huc transcribere verba Baronij ad annum Redemptoris DCCXCVI. *Anni huius principio. Leo Romanus Pontifex vbi sedere cœpit, nihil antiquius habuit, quam ad Carolum Magnum legationem decernere. Mittens itaque ad eum Legatos, eisdem ad ipsum munera dedit, claues scilicet aureas, ex S. Petri Confessione ex more acceptas, nec non vexillum Romanæ vrbis. Hic tu videas opus est, lector. Nouatorum delyria, dum quamlibet occasionem captantes, per claues ex legum præscripto tradunt, Carolum in possessionem immissum Romanæ Ecclesiæ, & per vexillum Romanæ vrbis. Ignorantes miseri, eiusmodi dona mitti consuesse à Pontificibus Christianis Principibus, vt docent, quæ dicta sunt sæpe superius de clauibus itidem ex sepulcro sanctis Petri missis à S. Gregorio Papa Francorum Regibus, & D aliis Principibus, & viris clarissimis; factis atumq; id ipsum ab eius successoribus Pontificibus, quod hic à Leone factum vidimus. Et ne de vexillo misso habeas, quod obicias; innumeres inferius, anno octingentesimo in fine. à Patriarcha Hierosolymitano ad eundem Carolum Magnum missas pariter loco benedictionis claues locorum Sanctorum vnà cum vexillo, vt intelligas eiusmodi munera mitti consuesse Regibus ab Episcopis. Honorasse verò Leonem Pontificẽ ipsum Carolum Magnũ dono vexilli, eò quod potentissimus esset Ecclesiæ Romanæ defensor, dicere quoq; possumus.*

Porro anno octingentesimo circa finem hæc recitat idem Baronius ex vita Caroli Magni: *Zacharias Presbyter, qui anno superiore missus fuerat, ad loca sancta Hierosolymam cum eleemosynis, bene perfuncto legationis munere, cum duobus monachis, vno de monte Oliueti, altero de Sabæ monasterio, de Oriente reuertens Romam venit, quos Ioannes Patriarcha ad Regem misit qui benedictionis causa claues sepulcri Dominici, ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis, & montis Oliueti cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & Aprili mense sequentis anni remuneratos absoluit.* De clauibus S. Petri agit idem Baronius ex S. Gregorio Tomo VIII. anno Christi DXCV. Num. 70. & anno DXCVII. Num. 14. & anno DXCIII. Num. 29. Vide etiam Tomũ VIII. anno DLXXXV. Num. 4. Mittebantur ergo claues S. Petri, vel confessionis S. Petri ad Reges & Principes, tanquam *sanctuaria* quædam, vt sic loquar, non vt traditæ dominationis in vrbem & Ecclesiam Romanam argumenta. Vide Bellarminum infrà cap. 13. in Responso ad vndecimum Illyrici argumentum; Similem clauiculam; hoc est, capsellã seu theculam reliquiarum misit Gregorius VII. ad Alphonsum Regem Hispaniarum, quod munus his quoq; verbis commendat lib. 7. epist. 6. *Vt autem nostra exhortatio cordi vestro altius imprimatur, ex more Sanctorum misimus vobis clauiculam auream, in qua de catenis B Petri benedictio continetur; quatenus per eius præsentia patrocinia, vberiora eius erga vos beneficia sentiatis, & in amore ipsius de die in diem feruentes ascendamini, &c.*

Sexta contradictio. In libro de Translatione affirmat Illyricus, *Italiam ab Odoacre occupatam Leone Bessicano Imperatore*, at Cent. 5. cap. 16. col. 1526. C ait, *id accidisse sub Zenone, qui post Leonem Iuniorem Leoni Seniori*, id est, *Bessicano successit.* Hic iterum Iunius omnia agit, præter id, quod agendum erat; non enim conciliat duas istas propositiones Illyrici. *Odoacer occupauit Italiam sub Leone Bessicano: Et; Odoacer occupauit Italiam sub Zenone.* Nam quod sub Leone Italiam ab Odoacre inuasam & infestatam; sub Zenone autem, anno secundo Romam captam dicit; id vt verum esset; Illyricum tamen ex contradictionis cœno non extraheret. Nam Illyricus in libro de Translatione, vult Italiam & Romam sub Leone Bessicano, non tantum ab Odoacre esse inuasam & infestatam; sed penitus occupatam, ita vt tunc prima fuerit Imperij Occidentalis translatio in Odoacrem, *facto à militibus*: quam Imperij translationem commi- D niscitur Illyricus ex solo in Pontificem odio contra omnium Historicorum veterum fidem: nullus enim Odoacrem vnquam vel habuit pro Imperatore occidentis, vel in Catalogo Imperatorum numerauit. Si ergo sub Leone Bessicano Odoacer ita Italiam occupauit, vt Imperator crearetur, quomodo hoc sub Zenone contigit, vt in Centuriis tradit Illyricus?

Falsum est autem quidquam, Leone adhuc viuente & imperante, contra Italiam ab Odoacre gestum: nam anno secundo Zenonis à Nepotis sectatoribus in Italiam vocatus est; qui exoptatam occasionem statim arripuit; & in Italiam aduolauit, ipsamq; vrbem Romam tertio Zeno-

nis anno cœpit. Neque ideo necesse est dicere: *Odoacrem & copias ipsius non aduentasse militari ordine, sed aduolasse, vt grues,* vt cauillatur Iunius. Nam prius quàm vocaretur Odoacer in Italiam, non procul inde cum formidabili suorum exercitu consederat; intentus in omnem rei bene gerendæ, & potissimum Italiæ subiugandæ opportunitatem. Lege Baronium anno CCCC.LXXV. & seq.

Septima contradictio. In libro de Translatione est Illyrico Theodoricus Ostrogothus, *Imperator Romanorum, & purpura Cæsarea ornatus.* At Centuria VI. cap.16. col.840. *Theodoricus nec nomen nec insignia Imperatorum Romanorum habuit.* Iunius: *Nihil pugnant hæc inter se.* Itáne vero? Nihil pugnant hæ enunciationes: *Theodoricus fuit Romanorum Imperator: Theodoricus non fuit Romanorum Imperator. Theodoricus purpura Cæsarea & Augusteali ornatus fuit. Theodoricus purpura Cæsarea & Augusteali ornatus non fuit.* Affirmatiuas affirmat Illyricus in libro de Translatione. Negatiuas habet Cent. VI. Quas non conciliat Iunius per hoc quòd dicit: Theodoricum ab aliis appellatum Imperatorem, licet ipse ita se nunquam inscripserit, aut nomen hoc sibi arrogarit: nam imprimis hoc verum non est: quia *quoad vixit Rex est appellatus*, inquit Procopius libro 1. de bello Goth. *quo nomine suos Barbari nuncupant duces.* Deinde, quia Illyricus in libro de Translatione simpliciter contendit, Theodoricum fuisse Romanorum Imperatorem, & suo & aliorum iudicio: Euertit ergo hoc suum generale assertum, quando Centuria VI. dicit Theodoricum, nec insignia, nec nomen Romani Imperatoris sibi vendicasse: quia hæc repudiare non potuit, si Imperator Romanus fuit.

Octaua contradictio Illyrici. In libro de Translatione *donat Irene, Græcorum Imperatrix, Carolo Imperium occidentale, etiam prius quam à Leone coronaretur.* At Centuria IX. cap.16. Græci *quodammodo consenserunt in Caroli Imperium, quod facta à Leone, infecta reddere nequirent.* Iunius: *Quasi verò pugnent ista duo, quæ hîc Bellarminus comparat. nam vtrumque fieri potuisse; vt & Irene Imperium Carolo donaret; Græci, postea donationem suo assensu firmarent.* Non quæritur, quid fieri potuerit; sed an Illyricus sibi contradixerit: quando in libro de Translatione scripsit, *Carolum ab Irene Imperium dono accepisse.* Centuria verò IX. Græcos Imperatores in hanc diuisionem Imperij non ab Irene, sed à Leone Papa factam, consensisse; quandoquidem id quod factum erat à Leone, mutare non poterant. Nemo negat Imperatores Græcos postea, tametsi inuitos, consensisse. Sed consensu suo non comprobarunt Imperium ab Irene; sed à Leone Pontifice collatum & donatum, teste ipso Illyrico Centuria IX. cap.16.

Nonam contradictionẽ, de Electoribus Imperij, silentio transilit Iunius; est enim nimis aperta, neque vllis nebulis inuolui potest.

Decima contradictio. In libro de Translatione. *Solius Dei est transferre regna.* In eodem: *Non solius Dei est transferre regna, sed & hominum.* Iunius hîc verbosissimè declamitare ingreditur de dominio Dei & hominum, vt inde ostendat; quo pacto vtraque propositio possit esse vera. Scilicet hoc agitur: & non potius illud, quæ fuerit mens Illyrici, & num Illyricus eo sensu propositiones suas acceperit, quo eas interpretatur Iunius. Quando enim Illyricus, conuersis in Papam oculis, furebat, & velut enthea Baccha insaniebat; inficiabatur, hominis quoquo modo esse transferre regna: vt Pontifici ægrè faceret; vel saltem incleméter diceret. nam si non totidem verbis, certè sensu hunc in modum argumentatur Illyricus pag.5. libro de Translatione: *Quisquis regna transfert, ille se exæquat Deo; Papa regna transfert; ergo se exæquat Deo.* Probatur Maior. *Quia translatio Regnorum est suiipsius cum Deo exequatio.* Et tamen vbi furor nonnihil resedit, & Papa ex oculis & animo Illyrici aliquantisper excesit; concedit, regna & Imperia ab hominibus transferri posse, salua suprema Dei potestate: & absque vlla exæquatione cum Deo. Si hoc possunt alij, vt Leo Besicanus, vel eius Milites, Zeno, Anastasius, Irene, cur Pontifex non posset illæso iure Dei, & absque vlla Antichristi vel Antichristianismi nota? Quæ Iunius hic garrit, ea prorsus ab instituto aliena sunt. Illud fortè nõ prætereundum, quod dicit, eos, qui regna transferunt, non esse *propriè Antichristos*; sed *Antistheos*: quia vsurpant sibi id, *quod solius Dei est proprium*; non id, *quod solius Christi, quæ Christus*: hoc est, *qua homo*: & hoc posito, *quòd iniustè regnum & dominium transferant.* Et tamen Illyricus & alij Sectarij horrificis passim clamoribus contendunt, transferre regna esse notam *Antichristi propriè dicti*; & ex hoc itidem charactere colligi, *Papam esse verum & magnum illum Antichristum, quem sacræ litteræ prænunciarint.*

Vndecima contradictio. Passim in libro de Translatione. *Papa est Antichristus, exæquat se Deo, imò supra Deum se extollit.* In eodem libro pag.12. *Papa subiecit se Imperatori instar serui & mancipij.* Quomodo hæc cohærent? Num qui se supra Deum extollit, tam humilis erit, vt homini se subiiciat? Iunius, desperata inter vtramq; propositionem pace ac concordia, duo carpit: alterum est; Illyricum nusquam dicere, *eousque se Papam abiecisse, vt se ipse seruum ac mancipium Imperatori subiiceret.* Alterum: *Illyricum dicere, Papam fuisse seruum & mancipium Caroli: fassum esse, non dicere vsquam.* Placet Iunio aranearum telas texere. Verba Illyrici sunt ista. *Paulo pòst orto dissidio inter Papam* (Leonem) *& Romanos, tum ipse Papa ad Cæsarem, vt suum superiorem confugit: tum & Romani eõdem suos accusatores miserunt, vt sic vtrique sint testati, eum esse suum legitimum iudicem ac Dominum.* En testati sunt; ergo fassi sunt. Quid enim est *testari*, nisi fateri? subiicit Illyricus. *Quam fœda ergo tandem est ista vanitas, quòd Papistæ fingunt; illos seruos aut mancipia Caroli, Imperium Romanum in*

Carolum

Carolum transtulisse. Ecce tibi eam subiectionem, A respectu Caroli Papa testatus & confessus est, quam Illyricus verbis modò recitatis explicat; sed hæc, iudicio Illyrici, est seruitus *serui* ac *mancipij*, ergo Papa respectu Imperatoris seruitutem serui ac mancipij; & consequenter, seipsum Imperatoris *seruum* ac *mancipium* confessus est.

Duodecima contradictio. Libro de Translatione. *Vox translatio euidentissimè Papistas mendacij redarguit: nam si transtulerunt Papæ Imperium à Græcis ad Francos, sequitur Græcos esse planè priuatos imperiali dignitate.* In eodem libro: *Quatuor Imperij translationes factæ sunt à Græcis ad Germanos, manente nihilominus etiam Græcis imperiali dignitate.* Quæ duo Illyrici Themata has duas propositiones antilogicas includunt. *Translatio Imperij non potuit fieri ad Carolum, & alios, remanente imperiali dignitate apud Græcos. Translatio Imperij potuit fieri ad Carolum & alios remanente Imperij dignitate apud Græcos.* Iunius clamat: *Illyricum in prima propositione loqui de translatione totali.* At si iste est Illyrici sensus, tum non cum Catholicis, sed cum suis laruis pugnat: Nemo enim Catholicorum dicit, totum Imperium, prout orientale & occidentale complectebatur, à Græcis ad Francos seu Germanos translatum esse, sed totum occidentale Imperium translatum dicimus; & quidem à Græcis; quia & ipsi ius in Italiam & occidentale Imperium arrogabant. Dicere autem hoc totum Imperium, occidentale scilicet, non posse à Græcis transferri, manente penes Græcos dignitate Imperij orientalis; id est suam alteram assertionem, de quadruplici translatione Imperij occidentalis in Odoacrem, Theodoricum, Clodoueum, & Carolum, ex imis fundamentis euertere. Aut igitur Illyricus cum suis somniis ac deliriis in suo illo argumento ex *translationis* vocula sumpto, dimicat; aut certè sibi turpiter contradicit. Neque vnquam eum Iunius ab vtroque exsoluet.

Decima tertia contradictio. Testatur Illyricus, *se ab omnibus sectis erroribusq; à Romano Imperio & Augustana Confessione damnatis abhorrere.* Et tamen non abhorret ab ipsa confessione, quæ in Comitiis Augustanis anno salutis M. D. XXX. damnata est à multò maxima parte Imperij, ita vt verissimè dici possit à Romano Imperio damnationis nota inusta: vt fusius ostendit Bellarminus. Iunius nil aliud respondet, *q̃ in aliis postea Imperij Comitiis Confessionẽ illam fuisse approbatam: & hoc respicere Illyricum; non ad comitia illa Augustana anni M. D. XXX.* At Bellarminus ad Augustana Comitia respexit, & quidẽ meritissimo, quia fuerunt frequentissima & celeberrima: quæ damnatio ab Imperio nunquam est reuocata: nunquam enim approbauit Imperium Confessionis Augustanæ doctrinam; tanquam sanam, orthodoxam & Catholicam, sed tolerandam & permittendam esse decreuit; possunt autem & ea, quæ alioqui damnata sunt & reprobata, tolerari & permitti, si ita necessitas exigat. Nec dubito, hanc Illyrici protestationem multis quoque ex præcipuis Lutheranis risum mouere ac mouisse, *cum tam sanctè* testatur, *se abhorrere ab omnibus erroribus damnatis à Confessione Augustana.* An Confessio Augustana non damnat horribilem istum Illyrici errorem; *Peccatum originale esse substantiam quandam nouam à Dæmone factam, quæ sit ipsius Dæmonis viua & essentialis imago:* vt taceam alia eiusdem Illyrici portenta, propter quæ potissimi Augustanę Confessionis præcones, & ipse etiam architectus Philippus, libris editis, cum Illyrico tanquam cum dogmatum à Confessione Augustana penitus abhorrentium fabro, manus conseruerunt, eumque à suo cœtu, velut communem pestem, proscripserunt?

B

CAPVT II.

Continet mendacia Illyrici.

QVAM probè honori suo consuluisset Iunius, si hoc caput intactum reliquisset. Nam dum Illyrici mendacia excusare nititur, sua adiicit, & numerum auget. Primum mendacium Illyrici: *Gloriam politici magistratus & principum dignitatem per Lutheri doctrinam esse illustratam, & contra seductores & oppressores ornatam & vindicatam.* Redarguit hoc mendacium Bellarminus euidenter ex dictis & factis Lutheri. Nec quidquam adfert Iunius præter inania effugia & indignas quouis candido disputatore tergiuersationes; quamuis quouis Hæretico vitilitigatore dignissimas. Legatur secundus *spiritus* Anatomiæ Lutheri ex ipsissimis Lutheri operibus & verbis fidelissimè collectæ, à Doctore Ioanne Pistorio. Quisquis vel guttam ingenui & Germanici sanguinis habet, fateri cogetur, nullum à condito mundo exstitisse, qui Principes, etiam summos, cum generatim, tum speciatim pluribus opprobriis lacerauerit, eorumque auctoritatem magis eneruauerit, quàm Lutherus: nemini parcere, sed in omnes promiscuè, etiam in suos, petulantissimo ore & stylo grassari solitus, si quis vel vnico nutu ostenderet, sibi quintum illud, quod introducebat, Euangelium non probari. Actum non agam. Vnicum D locum placet adscribere, ex quo satis superque Lutheri erga principes reuerẽtia eluceret. Contra duo Cæsarea edicta, *contraria*, vt vocat, scribens; sic furit in principes. Tom. 2. Lat. VVittem. *In fine Christianos omnes adhortor, seu potius obtestor, vt mecum coniungant preces suas pro tam miserii, & fascinatis Principibus, quos Deus citra dubium inflammatus ira, tanquam pestes, & ἀλάστορας immisit nobis; ne temerè consentiamus ad suscipiendam expeditionem, aut conferendas pecunias aduersus tyrannum Turcicum; cùm Turca, longè solertia, consilio, integritate, moderatione nostros Principes antecellat. Num sperandum est tam inconsideratis, tam improuidis contra Turcam Ducibus omnia secunda fore; qui extremè adeò temerare Deum, & blasphemiis afficere non verentur, &c.*

En

En principes, & in his Imperatorem quoq; vocat *miseros, fascinatos, pestes, alastoras, ab ira Dei immissos*, quos Turca longè vincit *solertia, consilio, integritate, moderatione*. Huius generis innumera suppeditabit tibi Lutheri; vel si chartas eius euoluere non est otium, lectio Anatomiæ, de qua paulò antea. Ex quibus, vt & aliis, quæ de libertate Christiana Lutherus tribunitiè & seditiosè declamitabat & scriptitabat, natæ sunt illæ rusticorum periculosissimæ seditiones, toti germaniæ extremam ruinam minitantes; & alia bella, ciuilia, quibus hucusque Europa concutitur. Iunius negat. Quid tum? An ideo audiendus, quia meridie lucere negat? An non eò quisque est absurdior, quò euidentiora & dilucidiora inficiatur?

Secundum, tertium, quartum, quintum, sextum & septimum Illyrici mendacium est de vita Religiosa ac Monastica; deque sæculari & politica: quæ Iunius non aliter ab Illyrico amolitur, quàm per nouas pseudologias & lœdorias: confugiens interim ad illa sibi nusquam non obuia. *Hoc axioma comparate dicebat Illyricus. Religiosi dicuntur trifariam, largissimè, largè, propriè. Fallacia duplex. Illyricus de illis loquitur particulariter, non de omnibus vniuersè. Ex dissimilibus exemplis nihil consequitur.* Qui, relicto sæculo, *vitam Monasticam sectati sunt, feruebant quidem zelo, sed sine scientia. Agnoscimus exempla, sed in eis aliquid fidei, prudentiæ, iustitiæ, desiderare cogimur.* Ridet postea Adolphum, Carolomannum & alios, de quibus Bellarminus, quod vilissima quæque munia obire non recusarint. Eiusdem farinæ sunt cætera, quæ vsque ad octauum mendacium Iunius, Illyrici sui purgandi causa, scribit: Et propriè ad Controuersiam de Monachis pertinent.

Octauum, nonum & decimum Illyrici mendacia consistunt in hoc; à nemine vnquam magis vexatam & oppressam Germaniam, quàm à Pontifice Romano. Perspicuè hæc refellit Bellarminus. Quibus, præter conuicia, vix quidquam reponit Iunius. Ait Bellarminus, Germanos veram Dei cognitionem à sede Romana accepisse, missis in Germaniam veræ fidei prædicatoribus: inter quos Maternus, Chilianus, Bonifacius, alij; testibus ipsis Centuriatoribus. Respondet Iunius, *Centuriatores, vt historicos, hoc referre non sua, sed aliena fide.* At referunt, nec contradicunt; nec censuram, vt alioqui solent, appónunt: sua igitur itidem fide id referunt, præsertim, cum ipsomet Iunio teste, iidem Centuriatores Maternum inter prædicatores in Germaniam à S. Petro missos, numerent Centuria I. lib. 2. cap. 3. col. 13. Habet hoc pro fabula Iunius. At nõ Centuriatores. Henricum de Erfordia sæpissimè à Magdeburgensibus citatum, nominat ironicè *Auctorem dignum, quo cum in tenebris miceret.* Cur ergo toties à Magdeburgensibus adducitur, si nullius fidei & pretij ille Auctor? pro fabula habet, quod Viterbiensis parte 14. de S. Materno scriptum reliquit. Innocentium I. Pontificem & Glossam *dist. 22. c. Quis nesciat*, repudiat; eiusq; assertionem de omnibus Ecclesiis in Occidente à S. Petro fundatis vocat *incertam, suspectam, falsam.* Quæ calumnia ab Innocentio satis est depulsa in Controuersia de Pontifice. *De Chiliano & Bonifacio quod narratur*, Iunio *fabulosum* apparet. *Bonifacium non doctrinam Christi, sed Papatus semina in Germaniam importauit. Fuit emissarius à Pontifice Romano missus, vt libertati Ecclesiarum manum iniiceret. Nam propterea vt opus illud tyrannicum in Anglia & Germania efficeret, scripsit inter cætera Canonem illum impium* dist. 40. c. Si Papa. *Et eundem Canonem Papa diuina auctoritate donauit, scilicet mutuò mulsabunt.* His & id genus aliis criminationibus & mendaciis diluit Iunius mendacia Illyrico à Bellarmino obiecta. Lege notas Serarij nostri in vitam S. Kiliani; & librum 3. Rerum Moguntiacarum, ex quo perspicuè intelliges, quàm vanus calumniator Iunius.

Vndecimum est de Henrico IV. qui Illyrico est *præclarissimus Heros.* Refutat hoc mendacium Bellarminus multorum Historicorum, & Hæreticorum itidem, testimoniis, qui Henricum illum Quartum longè aliis coloribus depingunt: quibus adde Brunonem de Bello Saxonico inter Illustres Germaniæ scriptores à Frehero publicatos. Stephani Halberstatensis, viri sancti & docti, apud Dodechinum testimonium, non aliter, quàm conuiciis amoliri nititur. Dicit I. *Se non videre, quid in illo homine tanto opere commendari possit.* Si Henricum laudibus extulisset; è vestigio vidisset Iunius, quid in Stephano commendatione dignum inesset. II. *Quis prudentiam & doctrinam & veritatem sanctimonia coniunctam non desideret, si alias historias cum istis criminationibus conferet?* Si quæ Stephanus scribit, criminationes essent, meritò desideraretur prudentia, doctrina, veritas, sanctimonia. Sed Iunius nondum probauit; dicta & scripta Stephani criminationibus annumerari debere; cum fulciantur communi omnium Historicorum & Chronologorum testimonio, pauculis schismaticis, qui Henrico adhæserunt, exceptis. Nec plura contra cauillationes & calumniosas annotationes Iunij dicam. Quia de his omnibus copiosissimè actum est in Apologia pro Gregorio VII. In promptu quoque est Tomus IX. Baronij; vbi vita Henrici, eiusque egregia facinora ordinata serie, per annos singulos, describuntur. Vnicuique etiam integrum est legere, quæ Bellarminus hoc loco ex variis auctoribus excribit. Adde, ipsum Iunium vi veritatis coactum hoc elogium Henrico IV. statuisse. *Non id quidem negamus, Henrici IV. grauia fuisse vitia, præsertim cum adolescentia ipsius tam multis voluptatum illecebris, & adulatorum tendiculis fuisset irretita.* Quod encomium, vt tibi manifestius euadat; non infructuosum erit legere, quæ Bruno statim sub initium commentarij de Bello Saxonico de vita huius Henrici litteris commendauit. Etiamsi Iunius, vt ad Krantzij, sic etiam ad

Brunonis

Brunonis testimonium exclamet; *nempe ex communi iudicio locutus Krantzius* (Bruno) *prout omnes excæcauerat illa Pontificalis laruæ auctoritas.* Qui & hæc impudenter nimis de S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi. *Anselmus de re ignota, ex publicis aduersariorum calumniis & imprudente erga Pontifices Romanos zelo iudicabat, perturbatione animi abreptus: nam etiam ibidem se Vrbani Pontificis Romani seruum & obsequentem conceptis verbis profitetur, VVairamo scribens. Hæc scilicet fides indubia testium, qui de domo, de sinu prodeunt, séque palam pro suis partibus dicere omnia profitentur.* Et qui nam quæso illi, qui pro Henrico contra orthodoxos scripserunt? An non Henrici partibus addicti? An non id palam suis in scriptionibus præ se ferunt, Sigebertus; Auctor vitæ Henricianæ; Auctor Apologiæ pro eodem, quæ exstat in Volumine Freheriano, & alij?

Duodecimum Illyrici mendacium est; Synodum Tridentinam *absque vlla Cleri reformatione fuisse finitam.* Arguit hoc Bellarminus mendacij. Et meritò. Quot enim salutares leges de reformando Clero ea in Synodo perscriptæ sunt? Iunius clamat, *Illyricum loqui de alia quadam Reformatione, non de illa, de qua Bellarminus.* Nimirum Illyricus intelligit talem *Reformationem*, qualis, ipsius etiam & symmystarum studio, instituta est, in Ecclesia Metropolitana Magdeburgensi, & in nonnullis aliis cathedralibus Germaniæ Ecclesiis. Sed hæc, si vero nomine appelletur, non reformatio, sed *Deformatio* est; nec eius auctores, *Reformatores*, sed *Deformatores*; de qua in Ecclesiam introducenda, absit, vt Concilium Tridentinum cogitauerit. Debebat Illyricus, si mentiri & lectori incauto imponere nolebat; exprimere, de qua Reformatione loqueretur: ne audito *Reformationis* vocabulo absolutè posito, cogitaret lector, in Concilio Tridentino nihil omnino de Reformatione, quæ verè talis est, & hoc nomen propriè meretur; decretum esse.

Decimum tertium Illyrici mendacium est de libello *centum improbabilium Germaniæ Grauaminum*, quem dicunt Lutherani à toto Imperio in Comitiis Norimbergēsibus anno M. D. XXIII. fuisse Adriano VI. oblatum. Mendacium hoc patefecit Cochlæus in Actis Lutheri anno M. D. XXIII. quem lege; nam libellus *centum Grauaminum*, quem Lutherani etiamnum cudunt & recudunt; & nunquam non in ore habent, quemque Illyricus suo *Catalogo*, & Orthuinus Gratius suo *Fasciculo* illigauit; nec ab Imperio, nec iussu Imperij compositus, sed à Lutheranis fabrefactus, & non alio consilio dispersus est; nisi vt quod à paucis tenebrionibus fraudulenter actum erat; id augusto Imperij nomine gestum censeretur; sicque ad id, quod Lutherani volebant, obtinendum, accommodatius esset. Quid Iunius? In Cochlæum incurrit, pro more: quem dicit *cauillari, & rem lippis atque tonsoribus notam negare.* Viuebat eo tempore Cochlæus, & sedulus omnium eorū, quę in controuersia religionis gerebantur, A inuestigator erat. Quocirca verisimile est, melius ei perspectum fuisse, quid in comitiis Norimbergensibus propositum fuerit, quàm Iunium tanto pòst tempore. Nam quod Cochlæo opponit Schleidanum & Illyricum duos testes, de *sinu*, prope dixeram, de *utero* Lutheri, ridiculè facit; vt & tunc, cum in Bibliotheca Palatina se aliquot horum *grauaminum exemplaria* vidisse dicit. Etiam extra nobilem illam Bibliothecam visuntur & leguntur. An ideo sunt ab Imperio, non à Luthero, vel Lutheri quopiam catulo? Nam quod Iunius dicit; *fidem Schleidani in Historia conscribenda ab ipso Carolo V. fuisse commendatam*; prope est, vt assentiar: Testatur enim Surius in Commentario rerum gestarum, Carolum V. cum ex Schleidani B Historia quædam legerentur; palam exclamasse: *Mentitur nebulo. Mentitur nebulo.* Quæ sanè magna est ab Imperatore commendatio.

Decimumquartum Illyrici mendacium sumitur ex protestatione, qua testatur, *se abhorrere ab omnibus erroribus damnatis ab Imperio & Confessione Augustana.* Quam protestationem proculdubio multi ex ipsis Prædicantibus Lutheranis & Caluinianis pro mendacio habent: vel ob horribilē illam Illyrici de peccato originis, *quod sit substantia*, opinationē. Nec tangit hæc Iunius, metuens ne digitos adurat. Illud abnuit; mentiri Illyricū, Atqui euidentissimum est ex edicto Caroli V. Imperatoris Lutherum & Lutheranam doctrinā damnationis sententiam simul subiisse VVormaciæ anno M. D. XXI. Legatur edictum, quod C exstat etiam apud Cochlæum ad calcem libri de Actis Lutheri. Obstrepit Iunius: *non omnes Imperij status consensisse in illam damnationem.* At cui credemus? Iunio an Cæsari ita loquenti? *Ex imperiali & regia auctoritate, nec non consilio & assensu electorum, & omnium sacri Romani Imperij principum, ordinum & statuum, &c.* Ergo edictū illud ex sententia omnium ordinum & statuum factū & promulgatum est. Obiicit Iunius: *non esse credibile Fridericum Saxoniæ electorem præbuisse assensum.* Atqui Fridericus non excipitur. Et vt dissensisset; an ideo verum non esset, Lutherum cum tota sua doctrina à Romano Imperio fuisse damnatum? An vnius vel alterius dissensio efficit; vt hoc vel illud statutum, dici D nequeat à toto senatu, verbi gratia, conditum?

Decimum quintum Illyrici mendacium est, cum vocat *Papistarum figmentum*; Carolum Magnū de sua in Imperatorem Romanum electione & coronatione, ad eum vsque diem, quo à Leone imperialia insignia accepit, nihil sciuisse: Nam hoc non esse figmentum probat Bellarminus aliquot Historicorum testimoniis. Vbi nil aliud Iunius, quàm Carolum; *rem & regnum Imperij non abnuisse: nomen solummodo honoremq; Imperij maluisse virtute parare, quàm Leonis populive Romani significatione.* Sed Iunius non expedit Illyricum à mendacio. Aut enim verum est Carolum nescisse id, quod eo die acturus erat Leo; aut falsum. Si verum: mētitur ergo Illyricus, quando id vocat menda-

cium;

cium;si falsum;trantigat ergo Iunius,cum auctoribus,qui hoc affirmant, cum Eginardo, inquã, cum Vrspergensi,Cuspiniano,Auentino, Crantzio,qui hoc palam affirmant, quibus cur nõ potius fidem habeamus, quàm Illyrico vel Iunio, causæ nihil suppetit. Nec est quæstio, num rem Imperij Carolus expetierit; nomen & insignia refugerit, & num in Francorum procerum conuentu de Imperio Romano in Carolum transferendo, deliberatum fuerit; vt deliberatum esse scribit Viterbiensis forsan magis poëticè, quàm historicè; sed num Carolus sciuerit; eo, quo coronatus est die sibi à Leone Papa Imperij nomen & stemmata tributum iri. Itaque tota Iunij garrulitas, qua hîc diffunditur, nil penitus ad rem facit:quia ne tangit quidem illud, quod vel maximè tangendum erat, si Illyricum à mendacij nota seriò vindicare cupiebat.

Decimum sextum Illyrici mendacium:cum negat, *coronationem Caroli factam ipso Redemptoris nostri Natali.* Communis enim Historicorum consensus in hunc diem conspirat. Iunius. *Vide, quid faciat odium, quantas tenebras offundat.* (odium Pontificis certè ingentem caliginem oculis tuis obiecit) *non agit Illyricus de solo illo consecrationis vel coronationis actu: sed de actione tam grandi atq; difficili, qua consilium captum est de statuendo Imperio occidentis, de Carolo informando atque persuadendo, &c.* Gerræ Iunianæ. Legantur Illyrici verba vel in ipso Illyrico pag.14.vel in Bellarmino: Nil de deliberationibus antegressis,si antegressę;nihil de vllis aliis, sed de solo consecrationis & inaugurationis actu loquitur Illyricus,quem non credit, tali die, tam celebri & festiuo, tam breui, & contracto, quales dies hyberni esse solent, peragi & absolui potuisse; nisi diuina officia eo die celebrari solita, fuerint intermissa. Quasi verò intra paucas horas, & sub ipsa etiam diuinorum officiorum celebratione hæc inauguratio perfici non potuerit: nondum ea, quæ postea accessit, rituum & cæremoniarum multitudine ac varietate introducta. Quot Doctores, quot Magistri in variis Academiis, tempore itidem hyberno creantur; & tamen sat temporis non modo ad Actum, sed & ad rem diuinam, & ad publicam conuiuiorum hilaritatem eis suppetit. At hæc actio erat *politica,* ideo tanto festo non instituenda. Fuerit *politica,* quandoquidem ita nominatur ab Illyrico;at in summum religionis ac fidei Christianæ emolumẽtum cedebat; ac proinde iure optimo; die illo Natalis Christi vniuersis mortalibus auspicatissimo à Leone Papa instituta est.

Decimum septimum,decimum octauum & decimum nonũ mendacia Illyrici sunt de Translatione Regni Francorum à Childerico seu Hilderico in Pipinum, facta per Zachariam Pontificem; de qua iam supra c.1.dictum cõtra Iunium, qui hoc loco fumos suos iterum emittit, & Zachariam *summi sceleris*; Francos autem *perfidiæ* accusat propter felicissimam illam à Childerico ad Pipinum regni translationem;& auctores solummodo recentissimos antiquis opponit; qui ipsi tamen Iunio non fauent: vt facile esset ostendere,nisi breuitati studeremus.

Vigesimum Illyrici mendacium; translationem Imperij à Græcis ad Germanos, *esse fabulam confictam ab adulatoribus Papæ.* Redarguit Bellarminus hoc mendacium testimoniis hostium Pontificij nominis, vt Lutheri, Chytræi, Bibliandri, Centuriatorũ, inter quos ipse Illyricus. Ad quæ Iunius. *Nemo* profectò nostrum est, qui Pontificem neget fecisse trãslationem istam imperialis nominis & dignitatis; omnes agnoscimus transtulisse eum ad Carolum Magnum nomen Imperatorium. Impudens mendacium.nam totus liber Illyrici eo dirigitur,vt hominibus persuadeat, translationam istam penitus esse commentitiam.Regerit Iunius hîc sua illa cõuicia,quę iam supra expuerat; *translationem hanc etiam nominis & honoris Imperialis, factam esse à Leone ex facto,* non iure (non iure igitur Carolus Magnus coronam Imperialem gestauit; non iure Imperator salutatus & appellatus est.) vt *causam partiariam, non totalem* siue *principalem: factione non iusto ordine* (En Carolus Magnus creatus est Imperator per *factionem*. non per *æquitatem,* iudicio huius Caluinistæ) *nomen dignitatis, non rem,* imo velis nolis,præter nomen dignitatis & coronam,ius quoque ad rem,hoc est, ad omnes illas prouincias,quæ ad Imperium occidentale pertinebant. Nec contẽtus Iunius hac criminationum suarum repetitione, mox iterũ per battologiam clamitat; translationem hãc factam *suo quodam modo à Pontifice, non suo iure,non viribus;sed* ἐξουσίαις, *artibus & dolis, quibus imprudentes singulos circumduxerunt, &c.* Quæ de Antichristo Iunius nugatur, copiosè iam dispulimus lib.3 de Pontifice. Quo lectorem remitto.

CAPVT III.

Refutantur prolegomena Illyrici.

CONSTANT hæc prolegomena ex variis variorum Auctorum fragmentis, quæ Illyricus, tanquam causæ suæ idonea comportauit; primum locum obtinet epistola vel potius frustum epistolæ Adriani I V.ad Fridericum I. Imp. quos inter controuersia exstitit, num Romanum Imperium sit sedis Apostolicæ *beneficium* seu *Feudum:* ita enim *beneficij* vocabulum in litteris Adriani positum interpretatus fuerat Fridericus Imperator. De quo fusè hic Bellarminus,& Baronius Tom.X II. anno salutis M. C. L V II. licet postea Adrianus aliis litteris declararit, quo sensu *beneficij* vocabulum acceperit. Vide Baronium M. C. L V III. Quæ omnia exornat Illyricus mendacio plusquam Prædicantico, rapta controuersia aliò, quasi inter Adrianum & Fridericum contentio fuerit; num Romanus Pontifex Imperium à Græcis ad Francos seu Germanos transtulerit; cum de hoc nihil penitus quæstionis

motum

motum fuerit. Hic iterum sui officij oblitus Iunius aliò delabitur, cumque Illyricum à mendacio purgare deberet; disputare incipit, quo titulo *Feudum* cõstituatur. De hoc scilicet in præsenti quæstio est: non de illo, vtrũ Illyricus fuerit mẽtitus, quando controuersiæ statum aliò abripit: qui etiam Illyrico Othonem Frisingensem pro Radeuico citanti, non censet crimini dandum; nam *Radeuicum* esse appendicem ad Othonem: nihil autem insolens committi, si Auctor Appendicis citetur eius nomine, cui appenditur. Non digladiabor super hac re cum Iunio; quamuis non ignoret suum cuique esse tribuendum, etiam opus, etiam nomen: præsertim si tanto discrimine secernantur, quãto Radeuicus & Otho: Sed quia Illyricus sciebat commentum suũ maioris auctoritatis fore, si nomine Othonis proponeretur, libenter illud misso Radeuico, arripuit; neque enim hæc talia frustra permutare solet Illyricus.

Ait Bellarminus, Præcipuum argumentum litterarum Adriani alio spectasse, nempe, ne sacrilegium in Episcopos, Roma in patriam redeuntes commissum, remaneret à Friderico impunitum; &, non nisi obiter & modicè coronationis Friderico impertitæ, tanquam beneficij, mẽtionem fuisse factam. Occurrit Iunius. *Sub illo inuolucro verborum aliud latuisse; hoc suboluisse prudentioribus; hinc ortum tumultum lectis Adriani litteris.* At nil latuisse, exposuit paulò post ipsemet Adrianus, litteris ad Fridericum datis, quas Baronius ex Radeuico exscripsit Anno 1158. Nec erat cur ad vocem *Beneficij* Princeps adeo excandesceret: cum ipsemet liberè & ingenuè confessus sit in ea Epistola, quam Germaniæ Episcopi ad Adrianũ miserunt apud Radeuicum lib. 1. cap. 10. se adscribere *Regalem vnctionem Archiepiscopo Colonienſi, supremam verò, quæ Imperialis est, summo Pontifici.* Nec plus Adrianus significare voluit, quàm Fridericum à se in Imperatorem fuisse inunctum, & hac vnctione ad summam illam dignitatẽ euectum: Sed Friderico, vt & aliis nonnullis Germaniæ Principib. non deerant flabella; quæ ventilatione sua ex scintillis incendia excitarent.

Valde mirũ videtur Iunio, Adrianum Papã monere voluisse Fridericum, *vt digniis pœnis coërceret*, qui Episcopum Londonien sem cum collega suo in Burgundia ceperant, spoliauerant, & in carcerem detruserant; dissimulante Friderico tantum facinus: rem non fuisse tanti, apud Caluinistas scilicet; quibus Episcopos etiam pensiles facere, non videtur culpa admodum castigabilis: Et vt Adrianum inuidia grauet; addit; *principes multa debere dissimulare, quia curare non possunt, aut quia certo consilio dissimulari planè vel differri vident oportere.* Hæc debuisse Adrianum expendere; *sed non permisisse hoc improbitatem & impotentiam illius.* Quid agis Iuni? Num refutatoris an calumniatoris partes sustines? Huius, opinor, quandoquidem Robertum Bares Anglũ testem nobis profers: quem si vnam in stateram cum Balæo coniicias, difficillimum iudicatu erit, cui criminationibus in Pontifices iaciendis palma concedi debeat. Nec scio, quam consideratũ sit illud Othonis de S. Blasio dictum, ad Annum 1156. citatum à Iunio; *Vnus autem legatorum, quasi pro Apostolico loquens, stolidissimè his ita respondit. Si ergo à Domino Apostolico non habet, à quo habet?* Quid iustius, quidue opportunius potuit ac debuit suggeri per legatum? inquit Baronius Anno Christi 1157. Quem lege etiam Tom. X. Anno Christi 996. An nõ vt superius monebamus, disertè fassus est ipsemet Fridericus, se imperialem vnctionem summo Pontifici debere? Quo significat, se absque illa non fuisse Romanorum Imperatorem. Fateri ergo & hoc debuit, imperialem dignitatem in *esse*, vt sic loquar, *completo*, se à Pontifice accepisse.

Negat Iunius Fridericum Adriano maledixisse. Sed exstant apud Radeuicum & Baronium litteræ Friderici ad omnes Romano Imperio subiectos. Inspiciantur, legantur: nec opus erit, vt alia ratione vanitas Iuniana redarguatur. Quanquam non mirum ita iudicare & pronunciare Iunium, cui quidquid in Papam dicitur; id nimis lene ac mite videtur.

Profert Bellarminus ex Epistola Friderici duo argumenta, quibus Fridericus probare volebat, se Imperialem coronam habere à Deo, nõ à Papa; primum est, *de duobus gladiis*: quibus orbis regitur, quorum alter spiritalis; alter temporalis: secundum; *se à solo Deo Imperium habere.* Miratur Bellarminus, hæc duo argumenta tanto principi excidisse. Iunius dicit; *allegorias nihil probare necessariò; nec huius, nec illius causſam allegoriis confirmari.* Cur ergo allegoricum argumentum ex *duobus gladiis* pro se attulit Fridericus? Cur eo nõ abstinuit? cur tu Bellarminum reprehendis, quasi non visa hac *allegorica* Friderici ratione, dixerit; vnam solummodo ab illo fuisse allatam? Nec allegoriæ adhibentur semper vt probationes necessariæ, satis est vt verisimilitudinem pariant, vt quidẽ allegoria de duobus gladiis parit, non eo sensu quem Fridericus innuebat; sed quem Bellarminus adfert, & ex S. Bernardo declarat; nam si quis attentius Euangelium legat, vidĕbit ex duobus gladiis, quorum in passione Domini mentio fit, non Cæsaris vnum; alterum, Ecclesiæ; Sed vtrunque gladium Ecclesiæ, ac potissimum Petri esse; quocirca si alterum Cæsar habet, non à solo Deo; sed à Deo per Petrum habet vt etiam S. Bernardus docet: *quæ dicit Iunius; Errori sui sæculi plus satis tribuere.* At tu dum talia dictitas, impudentiæ tuæ nimis multa supra omnem modum indulges.

Docere postea ingreditur Caluinista, quomodo regna constituantur & acquirãtur: & multa de iure ciuili, gentium, & naturali imperitè garrit, & postquam multa inania verba profudit; non attigit, quod, reliquis omnibus omissis; at-

tingendum erat; nempe, regna à solo Deo, & quidem immediatè, dari. Hoc enim negauit Bellarminus verum esse. Iunius autem, vt solet, stylum suum aliò vertit, vt nihil dicendo saltem aliquid dicere videatur. Sed de hac re plura hoc loco non dicam; quia materia hæc accuratè discussa & explicata est, ab Adamo Tannero nostro lib. secundo de libertate Ecclesiastica cap. 1. & aliquot sequentibus; quem lector consulat, & confestim fumi Iuniani euanescent.

Cum Episcopus Bambergensis apud Pontificem pro Friderico diceret: his verbis vsus est. *Adduxit* (Ecclesia) *principem suum ad tuam beatitudinem prouehendum per te ad culmen Imperij.* Et; *Tu circa ipsum peragas, vt quæ ei desunt de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ beatitudinis munificentiam suppleantur.* Varia hîc tricatur Iunius: *prouectionem ad culmen Imperij figuratè dictam. Bellarminum accipere propriè, vt suam illam optatam & amatam conclusionem eruat.* Quis nescit locutionem illam esse tropicam? An tu censes tam hebetem esse Bellarminũ, vt in hac phrasi nullam metaphoram viderit? Clarus est tropus, nec quenquam, nisi bardum, fugere potest. At, dic, Caluinista; cum petitur, vt quis ad culmen *regium, Principale*; & in Academiis, ad *Doctorale*, prouehatur; nonne hoc petitur, vt Rex, Princeps, aut Doctor fiat? Nonne hoc petitur, vt supremus ei honor decernatur? Nonne hac ipsa petitione insinuatur talem, pro quo petitio instituitur, nondum honore illo esse insignitum? Cum ergo Episcopus Bambergensis, orator Friderici, expressè petierit à Pontifice vt Fridericum *ad culmen Imperij proueheret, & quæ deerant de plenitudine imperialis culminis, suppleret*; palam profectò indicauit, Fridericum tunc nondum in Imperij culmine constitutum fuisse, & aliquo adhuc ad Imperialis culminis plenitudinem necessario caruisse, quod vt ab Adriano suppleretur, rogabat. Quod verò Iunius dicit, Episcopum istum fuisse *munificum verbis*, calumnia est, nam de hac quasi nimia munificentia nec Fridericus, nec vllus alius, ex iis, qui tunc præsentes aderant; conquestus est; nec dicẽtem correxerunt. Vt nunc post tot annos corrigit Iunius: qui ait, *coronationem illam & inunctionem non esse prouectionem ad Imperium, sed declarationem & demonstrationem iam antea accepti Imperij*: perinde ac si diceret, euehere aliquem ad doctoratum, non esse creare doctorem; sed iam creatum declarari & proclamari. Item, cum petimus quempiam ad Doctoratum prouehi, non postulari, vt Doctor fiat; sed vt iam antea factus, demonstretur & promulgetur Doctor.

Dicat quis. *Insignia Doctoralia conferri postquam ù iam est factus Doctor: non antea; ergo & Friderico insignia Imperialia conferri potuisse, licet iam Imperator esset.* Respondeo, non quæri quid fieri potuerit; sed quid orator Friderici ab Adriano petierit. Petiit autem, vt Fridericus ad culmen Imperij prouheretur: ergo nondum erat in Culmine Imperij. Nos verba Oratoris vrgem⁹. Nullus qui iam Doctor est, postulat, vt ad Doctoris culmen prouehatur; quia iam in illud ascendit; sed si quid petit, insignia & ornamenta, iam sibi in culmine constituto debita, poscit. Admiranda est Iunij peruersitas, qui ipsas tritas & vsitatas vocabulorum notiones nobis eripere molitur, ne Pontifici ius suum concedere cogatur.

Quæ peruersitas sese itidem prodit, cum verbum *munificentia* vsurpatum ab Episcopo: (Per tuæ beatitudinis munificentiam, suppleantur) *æquiuocum esse* clamat: nam *munificum cum olim significasse, qui munus, id est, officium in commune faciebat, pòst liberalem, esse dictum, & largè præbentem munera. Bambergensem priore significato dixisse. Bellarminum posteriore accipere.* Quanta vanitas, & tamen quàm phalerata & ampullata. Quæso te, an non communis omnium sensus hoc docet, me, cum ab aliquo peto, vt per suam munificentiam adiiciat, quod mihi deest; profiteri, illud, quod adiicitur; munus, donum & beneficium esse eius, qui illud adiicit? Si quis Licentiatus in Academia petat; vt Professor per suã *munificentiam* suppleat id, quod sibi adhuc deest, & ad supremum Doctoratus gradum prouehat, an non hoc ipso loquendi modo testatur, se Doctoratus gradum ab illo tanquam munus, donum, ac beneficium accipere velle?

Mendacium Illyrici circa Epistolam Adriani ad Episcopos Colonienſem & Treuirensem tacitus prætersilit Iunius; & alia, quæ nihil ad rem; deblaterat. Et quia Epistola hæc ab Illyrico allata solius Auentini fide nititur; neque apud Baronium exstat, neque in noua Conciliorum editione vlla illius fit mentio, vt neque in collectione Decretalium Epistolarum, quam ante aliquot annos Vaticana Typographia euulgauit; absque iniuria suspicari licet, eam esse commentitiam, saltem eo vsque donec locupletioribus testimoniis fulciatur, præsertim cũ crassus error historicus in ea contineatur, nempe à Zacharia Pontifice Imperium à Græcis in Carolum esse translatum: Propter quem errorem suauiter Hadriano Iunius inequitat & insultat, tametsi nihil complectitur, quod causſæ nostræ vllo modo aduersetur, vt Bellarminus ostendit.

Circa Epistolam Friderici ad Adrianum, quam Illyricus refert ex Nauclero, mirificus itidem est Iunius. Ait, *duas Epistolas Fridericum scripsisse ad Adrianum, in quibus suum nomen nomini Pontificio præposuerit; & in altera etiam numero singulari Papam compellarit: has non exstare.* An hæc feriunt Bellarminum? An non ipsemet disertè indicat, Epistolam, quæ ex Nauclero refertur, forsan diuersam esse ab illa, in qua Fridericus numero singulari Pontificem compellauit cuius Radeuicus meminit? Illud etiam rectè monet Bellarminus, neutram harum Epistolarum (si diuersæ fuerunt; & non vna; licet postmodum cum contumeliosius primò concepta fuisset), maturo consilio

emen-

emendata) pertinere ad primam illam controuersiam ex vocabulo *beneficij* inter Adrianum & Fridericum ortam, anno 1157. Sed ad aliam, quæ occasione alterius negotij inter eosdem exstitit anno 1159. de qua hoc ipso anno lege Baronium, & facem tibi luculentã Iunianis tenebris dispellendis accendet.

Legatio senatus & populi Romani ad Fridericum, cum. coronæ imperialis gratia, Romã veniret; quid tandem Illyricum iuuat? Cum nullum in ea sit verbum, vt videre est apud Othonẽ Frisingensem lib. 2. de rebus gestis Friderici cap. 21. de translatione Imperij, vel etiam de illa controuersia, num Romanum Imperium sit *beneficiũ* seu *feudum* Papæ; nam hæc lis post coronationem demum enata est, anno scilicet 1157. vt placet Baronio, vel vt scribit Otho de S. Blasio 1156. qui erat secundus à coronatione annus. Rectè autẽ dixit Bellarminus, quidquid Iunius contrà musset; hæc ab Illyrico neque suo loco, neque suo tempore allata esse: cum diuersas rixas in vnum miscuerit; & legationem illam Romanorum, nihil penitus ad propositum facientem, importunè admiscuerit.

Idem meritò asserit Bellarminus de Epistola Eberhardi Episcopi Bambergensis ad Eberhardum Archiepiscopum Salisburgensem, & de responso quodam Friderici ad Legationem Pontificis apud Radeuicum lib. 2. cap. 30. quæ etiam exstant apud Baronium Tom. XII. Anno Christi M. C. L IX. Nam nullum verbum in illis inuenitur de translatione Imperij ad Francos & Germanos: neque etiam de illa lite, num Romanum Imperium sit *beneficium* seu *Feudum* Papæ: quod enim Fridericus in responso legatis dato, dominium vrbis Romanæ sibi deberi affirmauit; (de quo quid Baronius sentiat, vide loc. cit.) etiamsi id ita esset; tamen Illyricus non potuisset inde suam conclusionem educere: *Ergo translatio Romani Imperij facta à Romano Pontifice in Carolum Magnũ, est fictitia*; nam veritas translationis subsisteret, licet reuera dominium temporale Romæ ad Fridericum pertinuisset.

Octauo loco profert Illyricus ex Radeuico (ipse *Othonem* nominat) libro 1. cap. 15. & 16. fragmentum Epistolæ Adriani ad Episcopos quosdam Germanos & eorundem ad Pontificem. Vtraque Epistola exstat apud Baronium anno 1157. & Pontificia etiam hic à Bellarmino integra recitatur; vt refellat mendacium Illyrici, cũ dicit: *in hac Epistola reuocare Adrianum totum suum figmentũ de beneficio Imperij Germanis collato*: nihil enim recantat, sed arguit imperitiam eorum, inquit Bellarminus, qui Friderico suggesserant, *beneficium* coronationis significare *feudum*. Respondet Iunius, illis temporibus *beneficium* non nisi pro *feudo* fuisse vsurpatum. Quod credat, qui volet. Ego tunc æquè ac hodie infinita *beneficia* quotidie data & accepta esse arbitror, quæ *feuda* non essent. Et cum quiuis sit optimus suorum verborum Interpres, cur Adrianus itidem non habeatur melior Interpres suorum verborum, quàm Iunius? Nec obstat dictum alterius legati. *A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium*; quia vt *beneficium* à Papa Imperium haberi potuit; licet non haberetur vt *feudum*: nam & doctoris honorem habet Doctor à promotore vt *beneficium*, licet non habeat illud vt *feudum*.

Fabulam de morte Adriani Pontificis, quod, muscâ in os eius ingressa, exstinctus fuerit, refellit hîc Bellarminus, & Baronius anno 1159. qui notat, fabulæ huius fingendæ hanc fuisse occasionem, quòd, teste VVilhelmo Tyrio lib. 18. cap. 26. Hadrianus mortem obierit anginâ. Nec Vrspergensis, qui commentum de musca commemorat, alio teste id firmat, quàm Ioanne Cremonensi, nullius nominis aut famæ schismatico: Et toti narrationi adiecta est illa particula: *Vt dicitur*. Iunius admodum stomachatur, cum Cremonẽsem istum obscuritatis notari audit: Cuius indignationem fatebimur esse iustam, si ostenderit, tenebras, quibus nunc impedimur, quò minus claritatem illius Ioannis intueamur, non esse in ipso Ioanne, sed in capitibus nostris. Nec pro ignobilitatis argumento obiicit Bellarminus, quòd fuerit Cremonensis, vt calumniatur Iunius; sed absolutè *Cremonensem* nominat, quia tam obscura non est illa ciuitas; vt ideò præcisè quia quis ibi natus est, obscurus fiat; nam & ex obscurissimis locis clarissima alioqui lumina oriri possunt ac solent. Qualis autem illa cauillatio de vocula; *vt dicitur. Bellarminus fallitur*, inquit Iunius: *qui τοῦ λόγου non vsus est*: vt dicitur; ad totam historiam accõmodat: *id enim non enunciatur de tota illa historia, sed de illo singulari membro historiæ, quòd musca quædam ac fortè tipulla in os eius intrauerit*, &c. Quæso, nũ aliò retulit Bellarminus, hoc; vt dicitur; quàm ad mortem Adriano allatam per inhæsionem muscæ in faucibus, vt ille Cremonensis refert? Est ne hoc loco, de alia re quæstio, quàm de hac; vtrum sit verum Adrianum eo mortis genere vitam finiisse? Quid est fingere tragelaphos, si hoc non est?

Ait Bellarminus, Deum pro Ecclesia tantopere à Friderico afflicta postmodum sententiam tulisse, quando in quodam Armeniæ fluuio miserabiliter interiit. Iunius nihil hic diuinæ vltionis agnoscit. Credo, quia quidquid cõtra Adrianum & Alexandrum Fridericus gesserat, id Caluinista pro benefacto, non pro malefacto habet: qui VVilhelmum Neubrigensem secus sentientem & statuentem, *tanquam fabulosum & nugis circumfluentem scriptorem* flagellat: Et varia nugatur de obitu Friderici; cum in genere mortis omnes historici consentiant, tametsi non in modo, quia alij in transitu, equo insidentem; alij in flumine lauantem, & ex nimio æstu sese refrigerantem, interiisse tradunt. De quo lege Baronium Tom. XII. anno 1190. & Tom. 3. de S. Cruce lib. 2. cap. 23.

Clamat Iunius: *non esse argumentandum ex euentu. Hæc iudicia non esse sapientum. Careat successibus oro. Quisquis ab euentu facta probanda putat.* Atqui vt ab euentu non liceat semper argumentum sumere, exitus tamen aliquando tam est clarus & perspicuus diuini iudicij index; vt non nisi imprudens censeri debeat; quisquis in tali euentu diuinum iudicium non agnoscit. Num perperam egit Dauid 1 Reg. 25 quando, mortuo Nabal, in has voces prorupit? *Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddit Dominus in caput eius.*

Alexandrum III. nominat Iunius *factiosissimũ & fastuosissimũ*; additq; conuiciis mendaciũ: *omnes historicos testari, Alexandrum fouisse & persecutum esse schisma, in quod ingressus fuerat.* Nemo, nisi schismaticus, Alexandrum pro fautore seu fotore schismatis vnquam habuit: Et tanti Pontificis famam & existimationem præclarissimam satis superque ab his & aliis Hæreticorum cõtumeliis vindicat duodecimus Tomus Baronianus ab Anno Domini 1159. vsque ad Annum 1182. Ex quo etiam ad annum Redemptoris 1177. discès, num verum sit, quod fertur, omniumque hæreticorum ore iactatur, ceruicem Friderici ab Alexandro pede fuisse conculcatam, cum illa acclamatione: *super aspidem & basiliscum ambulabis*, &c.

CAPVT IV.

Imperium Romanum translatum à Græcis ad Francos, summi Põtificis auctoritate, Historicorum testimoniis demonstratur.

PRobat hoc Bellarminus triginta trium Historicorũ clarissimis testimoniis, quæ Dresserus penitus prę terit; Iunius hinc inde carpit & vellicat; non quo ad ea, quæ ad præsentem controuersiam spectant, sed plerunque quoad alia: vt quòd Zonaras & Cedrenus dicunt; *Francos Romam potitos, seu Romam sub Francis fuisse. Imò Romæ dominatos esse*: nam Zonaram dicere: ἐκυρίευσαν. Quid hæc ad propositum? An si maximè vera essent; ideo falsum esset, Imperium occidentale à Leone in Carolum Magnum fuisse translatum? Vnica quæstio hic est: Num Leo in Carolum Magnũ imperium occidentale transtulerit: Zonaras & Cedrenus apertissimè affirmant. Quidquid de dominio vrbis adiungitur, & à Iunio obtruditur, id à scopo abludit. Et quanquam Pipinus, domitis Longobardis, & postea multò magis Carolus Magnus eorundem regno penitus euerso, & Carolus item Magnus superatis rebellibus Romanis, qui Leonem Pontificem malè prius mulctatum eiecerant; Romam in suam potestatem & dominationem redegisse dici queant: eandem tamen statim Romano Pontifici cum plurimis aliis ciuitatibus imò & prouinciis, reddiderunt, & in perpetuum donarunt, vt manifestum est ex diplomate donationis factæ à Pipino quæ exstat apud Baronium anno 755. vide eundem Baroniũ anno 773. item ex Othonis primi constitutione apud eundem Baroniũ anno 962.

Concedit Iunius Carolum à Leone esse renunciatum & corona Imperiali insignitum. At hoc, mi homo, non concessit, is, cuius tu causam agis, Illyricus. Cur aliud tu dicis; aliud tuus Illyricus? Deinde Leo per coronationem & inunctionem non tantum renunciauit & declarauit Carolum Imperatorem, sed & fecit ac constituit, & ad Imperiale culmen prouexit; quidquid tu contrà tendas; nam hæc vnctio & coronatio non tantum fuit Imperatoris iam facti declaratio, sed noua planè creatio & effectio. Et strophas Iunij, qua testimonia Auctorum eludere nititur, quasi de sola renunciatione & promulgatione Imperatoris historici loquantur, nimis est simplex, ne dicam, *farua*; cum quidam ex citatis à Bellarmino scriptoribus, disertè dicant; Imperatorem per illam Pontificiam coronationem & iunctionem *creari*. Quis, quæso, ante coronationem factã à Leone Carolum pro Imperatore habuit? Quis Imperatorem nominauit? Si Imperator erat; cur talis nominari non poterat, & reipsa itidem nominatus est?

Valde subtiliter nugatur Iunius de discrimine horum vocabulorum: *Eligi, designari, creari & ordinari* siue *inaugurari*: nec scio, quo fine, nisi vt chartas impleat: quia per has technas & strophas non succurrit Illyrico eò impudentiæ progresso, vt commentitium & fabulosum esse assereret; quidquid circa hanc translationem Imperij in Carolum Magnum Leo gessisse ferunt; ita vt Leoni ne inaugurationem quidem reliquerit: quã Iunius Pontifici non adimit.

Deinde Leo aut solus, aut vt Auctor præcipuus Carolum in Imperatorem elegit, designauit, creauit, ordinauit, & inaugurando consecrauit: vt cuncti historicorum testimonia à Bellarmino prolata: quæ clariora sunt, quàm vt hac vocum varietate eludi & declinari queant; facto illo in multas quasi portiones dispertito, & Leoni non nisi solius consecrationis Imperialis cæremoniã relictã.

Nec scio, quis nam inuerecundiæ Iunianæ omnia inficiari, vel præstigiis verborum inuoluere paratæ aptius opponatur, quàm Lutherus; qui translationem hanc à Papa, vt ab auctore solo, vel primario non modò confitetur factam, sed & inde occasionem arripit, tam Pontificem, quàm ipsum Romanum Imperium, & Germanos atrocibus calumniis infectandi & proscindendi. Explicans enim coronationem Christi in Aedibus Pilati per ludibrium institutã; cum ad purpuream chlamydem ventum est, sic scribit in Psal. 22. Tom. 3. Lat. VViteberg. *Venimus ad pur-*

puream

puream chlamydem, quæ Regum vestis est; regnum etiam significat. Mihi planè illud insigne opus Antichristi videtur, quo, operante Satana, Imperium Romanum abolitũ Papa restituit (en Papa restituit, Iudicio Lutheri, abolitũ Romanum Imperium: Et quidem *solus*; quia restituit illud, vt blasphemat Lutherus, Antichristus; solum autem Papa, eodem Luthero Iudice, Antichristus ille magnus est, de quo scripturę passim.) *& sibi subiecit* (quia scilicet solus restituit) *transferens illud à Gratio, vt ait, Papa* nimirũ, *ad Germanos. Quid enim abiecta illa purpura, neque enim Christum induerunt aliqua insigni & quæ esset in vsu, sed quæ iam detrita desiit gestari, significat, nisi Romanum Imperium, quod Papa arripuit, cum iam floruisset ac cecidisset?* Hic iterum vides, Papam, non alium; *abiectam illam purpuram*; hoc est, Imperium Romanum, postquam iam corruerat, arripuisse, eoq; Carolum Magnum, & per illum, Germanos vestiuisse.

Pergit Lutherus. *Nec alia causa ad Germanos transtulit, quàm quòd homines feroces, sed simplices ac fidos, hoc ostento sibi subiiceret, perq; eos sese tutum ac defensum in omnes voluntates suas redderet, non ipsos, sed seipsum Romanum Imperatorem faceret, imò nomen Imperatorij & titulum Imperij barbaræ genti, vt dicunt, tribueret, sibi vero & rem & ius retineret, ac iam non Imperator Romanus, sed Imperator Imperatoris Romani fieret.*

Ex his Lutheri mendaciis & criminationibus emicat hæc contra Illyricum veritas; *Imperium à Papa ad Germanos translatum*; & contra Iunium, *à solo Papa.* Neque enim Lutherus alium in communionem huius translationis venire patitur, vt eò vehementius in Papã debacchari queat. Hinc etiam apparet, quàm honorificè Lutherus de Romano Imperio sentiat, quando illud; *opus Antichristi, satanæ operationem, ostentum, rudis Germaniæ simulatum Imperium*; itemque *fictum Imperiũ*, nominat; & cum *vili abiectaque Purpura*, qua Christum indutum dicit, comparat; & per illam significatum tradit. Quid contumelioſius, quàm quod coronationem & inaugurationem Imperialem confert cum ludicra illa & ignominiosa Christi coronatione à militibus, risus gratia, in prætorio Pilati instituta? Nec Germani indignari debent; cum *barbara gens* audiunt; memores, longè adhuc honorificentiores titulos ab hoc Propheta suo alibi passim sese accepisse.

Subiungit Lutherus. *Quod vt* (Papa) *astutius impleret, curauit, vt Clerus suus, nempe tres Episcopi maximi Germaniæ admiscerentur, & Electores Imperij censerentur.* En Electores Ecclesiastici sunt à Papa, teste Luthero. Quod Illyrico æquè inuisum odiosumque est, ac prius illud de Romani Imperij trãslatione caput. Nec alia causa extrusit ex Lutheri pectore sequentia conuicia, quàm quia cẽsuit. Pontificem Romanum per hanc translationem, abs se factam, consulere voluisse Ecclesiæ & religioni Catholicæ, prout reuera consulere voluit, & quidem felici successu. *Pro vestibus Christi*, inquit Lutherus, *nunc Ecclesia induta est gloria Imperij.* Quasi verò & vestibus Christi & gloria Imperij, Ecclesia, sponsa Christi, amiciri nequeat. Nonne etiã Lutherana Synagoga sibi gratulatur, quod clareat tribus Electoribus nonnullisque aliis Principibus & ciuitatibus Imperij? Cur ergo Ecclesia quoque Catholica non glorietur, ob Catholicum Imperatorem, & Orthodoxos ordines ac status, veræ fidei defensores ac propugnatores? Cur eadem Ecclesia non doleat, cum ex nobilissimo Imperio tot tantosque Dynastas, desertâ Ecclesiâ, post Lutheri & similium hæresiarcharum vestigia abiisse videt?

Ait Lutherus; *hoc Imperium multo sanguine fletisse Germanis.* Vix tam copioso, quam secta Lutheri, & eorum, quos Lutherus progenuit. Difficilia, quæ pulchra. Aegrè assignabis Imperiũ, cuius vel adeptio, vel conseruatio non steterit sanguine. An ideo huiusmodi Imperium culpãdum & repudiandum? An non eò charius esse solet, quo, eius parandi causa, plures labores suscipere oportuit? *Adhuc tamen in eo nititur sanctissimus Vicarius Dei cum Ecclesia.* (meritò, quia Imperator, & qui in Imperio, defensores sunt orthodoxæ fidei, & licet Ecclesia subsidio cælesti potissimùm nitatur, non spernit tamen opem quoque humanam) *adhuc stultus populus Germaniæ* (obseruent Germani elogium, sibi ab hoc tertio Elia tributum) *sanguinem suum pro iis monstris prodigit.* Angitur & ringitur hæreticus, quòd in Germanico Imperio supersunt, qui sanguinem & vitam pro summo Pontifice profundere parati sunt, tanquam pro Christiani gregis supremo pastore, qui, præter alia beneficia, Germaniã quoque Imperatorio honore insignierit. *Canitur illis* (Germanis) inquit Lutherus, *Imperium non est extra Ecclesiam.* (vera est hæc cantio, & à Carolo Magno hucusque vera fuit. Nec dubitamus in posterum quoque veram fore) *hoc est, Christus non illuditur, nisi in purpura.* En effrons Hæresiarcha, Imperium idem esse dicit, quod *illusionem* illam Christi in *purpura.* Nec huius suæ contumeliæ alium fundum habet, quàm quia Imperium ad Germanos à Papa venit, quem calumniatur, cum Imperatoribus talem ludum ludere voluisse, qualem cum Christo *luserunt milites Pilati, cum illum induerunt chalmyde purpurea.* Attamen ex his ipsis tam densis conuiciorum cohortibus, veritas elucet; nam omnia ista ideo effudit Lutherus, quia concoquere non potuit, Germanos Imperialem dignitatem habere à summo Pontifice, quẽ ipse omnibus modis perditũ cupiebat.

Addit Lutherus. *Quin hoc Imperium* SACRVM *appellare visum est, non quod à Deo, sed à sanctissimo Dei Vicario sit paratum, qui quidquid volet, sacrum est.* Non disputo de veritate eius, quod Lutherus asserit. satis mihi est in præsentia, Lutherum adeo existimasse, Imperium Germanicum esse à Papa, vt etiam Titulum SACRI idiotis quoque in Germania vsitatissimum, non nisi à Papa profluxisse existimauerit.

Subnectit Lutherus coronidem dignam antegressis lœdoriis, sed tamen veritatis contra Illyricum, Iunium, Dresserum & similes, non obscurã testem. *Cogitur ergo Ecclesia Dei calamitosissima huius Imperij fictitij gloriâ circumdari & illudi, sedetque in medio Imperio horribili specie.* Hæc nunquam effutiuisset, Lutherus, si non animaduertisset, Imperium à Papa ad Germanos venisse. Et si, quod absit, Imperator, omnesque ordines Imperij ad Lutheranismum transiissent, Lutherus Imperiũ illud non pro *ludibrio & illusione*, verũ pro summa gloria suæ synagogæ reputasset. Sed iam multa salute Luthero dicta, ad Iunium nos recipiamus.

CAPVT V.

Proferuntur testimonia & confessiones Principum de Translatione Imperij à Græcis ad Germanos per Romanum Pontificem facta.

TESTIMONIA Imperatorũ & Principum valde reuerenter scilicet Iunius tractat & accipit. *Negatur*, inquit, *Principes confiteri Imperium à Pontifice esse.* Sed in promptu sunt Principum dicta; Inspiciantur & legantur hic apud Bellarminum. Quid, quòd ipse Iunius vidit, clariora esse, quàm vt eorum vis ac robur per illud frigidũ NEGATVR, declinari possit? Itaque aliud effugium quærit. *Si qui fecerunt*, hoc est, si qui Principes fassi sunt. Imperium esse à Papa, *ex inscientia facti, aut Iurũ fecerunt.* (quia nimirum non legerant commentarium Marsilij de Padua aut Illyrici de Translatione Imperij, aut Notulas & animaduersiunculas Iunij in libros Bellarmini) *facti, quod veritatem historiæ rerumque gestarum ex historiis apertè non didicissent; Iurũ verò, quod errorem publicum ius esse publicum arbitrarentur.* Nec in factis, nec in Iuris errorem incurrerũt, tũ quia quod asseruerunt, verè factum est, tum quia Iure factum est; vt affirmarunt vsque ad Marsilium de Padua & Illyricum historici plerique omnes, qui translationis huius mentionem aliquam fecerunt: ne ipso quidem Luthero excepto, qui factum perspicuè asserit, licet ex odio erga Pontificem de iure forsan tergiuersaturus sit.

Primum testimonium est Caroli Magni, qui testamentum abs se conditum misit ad Leonem Papam, vt subscriptione sua illud confirmaret; quod & à Leone præstitum. Respondet Iunius: *Leonem subscripsisse, vt testem: nec aliud ab illo petitum.* Quid opus erat ad Pontificem mittere testamẽtum iam ab omnibus Franciæ Optimatibus cõprobatum, si nullæ in eo Pontificis aliæ futuræ erant partes, quàm testis? Itaq; ad Leonẽ missum est, non vt sola & nuda testis auctoritate, sed vt Pontificia potestate illud corroboraret, dispiceretque, cui nam ex filiis Romanum Imperium committendum esset: Nihil enim de hoc suo in Testamento disposuit Carolus; sed in eius, à quo illud acceperat, arbitrio reliquit, quem ex filiorum numero ad Imperiale culmen euehere vellet. Quis autem credat Carolum non ante omnia de ipso Imperio Romano in Testamento suo decreturum fuisse; nisi sciuisset, hanc curam Papæ Leonis esse? Quod rectè mihi obseruasse videtur Baronius anno Redemptoris 806. Nũ. 26.

Ex Adone Viennensi refert Bellarminus hæc verba. *Lotharium filium suum Ludouicum, quem in Italia Regẽ fecerat, vt Imperatorij nomen sortiretur, per Drogonem patruũ Romam misit, cui Sergius iam tunc Pontifex coronam imposuit, & acclamante vniuerso populo, Imperator & Augustus est salutatus.* Hæc Ado totidem verbis. Iunius. *Fallit* (Bellarminus) *caussa, distinctione, atque historia. Caussa non fuit missionis, vt Ludouicus II. Imperator renunciaretur, quod Bellarminus asserit* (Imò Ado hoc apertissimè asserit, & ex Adone Bellarminus; num tu omnes etiam apertis oculis vis tui similes, hoc est, cœcos efficere?) *Sed vt Lotharius Imperator per filiũ Electionem Sergij II. Pontificis confirmaret.* Nihil penitus de hoc Ado. Nam quod Sigebertũ citas, frustra es, hanc enim missionis caussam confinxit *pro animi libitu*, inquit Baronius, anno Salutis 844. Num. quinto, *in gratiam eius, cui adhæsit contra Pontificem schismatici Imperatorij*, hoc est, Henrici IV. Et quis Adoni, qui sæculo illo vixit, non habeat potius fidem, quàm Sigeberto, vel Alberico, Monacho *Trium Fontiũ*, quem cum Sigeberto Iunius citat? Cum notum sit, Sigebertum, sinistro affectu abreptum, plura huius generis in gratiam schismatici Imperatoris commentum esse, vt vidimus in Apologia pro Gregorio VII. Lege etiam Baronium anno Redemptoris 847. Num. 10. vbi Leo IV. Pontifex Lothario & Ludouico Augustis ius confirmandi Pontificis, simpliciter vt incompetens ac indebitum negat.

Addit Iunius. *Bellarminum fallere & Adonis textum corrumpere distinctione falsa.* Sic enim verba Adonis distingui debere. *Non multò pòst Lotharium filium suum Ludouicum, quem in Italia Regem fecerat vt Imperatorij nomen sortiretur, per Drogonem patruum suum Romam misit*: ita vt illa verba: *Vt Imperatorij nomen sortiretur*: exponant antecedentis facti, cur eum in Italia feciisset Regem, non sequentis caussam, *cur eum Romam miserit*: Antiquum obtinet Iunius, & vt alibi, ita & hic, clarissimum textum contra mentem & sensum Auctoris peruertit. Quis enim non videt, Ludouicum ideo Romã fuisse missum, vt nomen Imperatoris sortiretur; cum sequentia statim Adonis verba: *cui Sergius iam tunc Pontifex coronam imposuit*; ita vt, *acclamante vniuerso populo, Imperator & Augustus salutatus* fuerit: manifestè indicent, Ludouicum, id, cuius gratiâ Romam missus fuerat, consecutum esse. Et quid illa sibi volunt? *Fecit eum Regem Italiæ, vt Imperatorij nomen sortiretur.* Num istud. Ludouicum Imperatoris nomen adeptum hoc ipso, quòd à Lothario Rex Italiæ creatus est? At hoc falsissimum esse cum per se liquet, tum inde, quia non

nisi

nisi post impositam sibi à Sergio Imperialem coronam Imperator & Augustus appellatus & salutatus est, vt disertè testatur Ado.

Et quamuis distinctionem Iunianã amplecteremur; nil tamen obtineret Iunius. Nam esto, fecerit Lotharius Ludouicum Regem Italiæ, vt Imperatoris nomen sortiretur, nec referantur hæc verba ad consequentia, sed ad antecedentia; nihilominus statim quæremus, à quo nam debuerit nomen Imperatoris sortiri seu adipisci? An non ab illo, de quo mox Ado? *Cui Sergius iam tunc Pontifex coronam imposuit.* Quæ coronatio effecit, vt ab vniuerso populo *Imperator & Augustus* salutaretur. Nam quod Iunius dicit ex Sigeberto; *Ludouico tantummodo coronam Regni Longobardorũ à Sergio fuisse impositã*; refellitur ex populi acclamatione Ludouic. Imperat. & August. salutãtis.

Obiicit Iunius. *Populum per imprudentiam amplius, quàm oportebat, acclamasse.* Sed Iunius amplius longè, quàm par sit, cauillatur & calumniatur. Nam populus procúldubio sciebat quorsum tam solennis actus & inauguratio pertineret: nec coronato tituli indebiti tributi fuissent; licet non ignorem etiam Anastasium Bibliothecarium hanc coronationem de solo Regno Longobardico explicare; cui tamen haud assentiendum facile puto, inquit Annalium Ecclesiasticorum conditor Baronius, cum plurium testificationibus constet, eum coronatum fuisse Romæ Imperatorem, quorum illa certior, quæ in sepulchrali titulo posita legitur istis versibus:

Hic vbi firma virum mundo produxerat ætas
Imperij nomen subdita Roma dedit.

Idem testatur Leo Ostiensis lib. 1. Chron. Casin. cap. 29. Adfert præterea Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ Diplomata in quib. annus 1. Ludouici Imperat. numeratur Annus Christi DCCCXLIV. qui erat Sergij hoc nomine secundi primus. Itaque mendacium Iunianum est, Adonem à Bellarmino *corrumpi*. Similis flosculus est; Bellarminum *ab historica veritate aberrare.*

Loquaciter declamat Iunius contra Carolũ Caluum, qui summa festinatione Romam tendens, nec sine magnis muneribus, vt tradunt historici à Bellarmino citati; Imperator à Ioanne VIII. Papa creatus est. Qua occasione dentes quoque stringit Caluinista *in Romam & nundinationes Romanas*, vt appellant hæretici. At quidquid huius sit, ad institutum nostrum satis est; Carolũ Caluum existimasse, se nec nomen nec rem, nec insignia Imperatoris nancisci posse, nisi Pontificis Romani beneficio. Qua de causa omnes moras abrumpendas censuit, ne ab aliis, præsertim à fratre suo Ludouico, qui natu maior erat, anteuerteretur. Quanquã sunt qui tradant Carolum non tantum suo nutu, sed & Ioannis Papæ inuitatu Romam properasse. Lege Baronium Tom. X. Anno Christi 875. & 876. *Singulari autem Dei beneficio factum est*, inquit Baronius, *vt eiusdem Caroli coronationis acta exstent: ex quibus in Imperatoribus initiandũ, qui solerent ritus seruari ab ipsis Romanis Pontificibus, posimus addiscere, & refellatur eorum temeritas, qui dicere ausi sunt, in Imperatorum coronationibus nihil præterea, nisi solùm sacerdotale in ipso vngendo, & coronando ministerium exhibere Romanum Pontificem consueuisse. Extant, inquam, Acta ipsa, coronationis Caroli in Imperatorem, recitata in Concilio Ticinensi hoc anno, ex quibus isti mendacij arguantur, ipsaq; prodita ex Petri Pithœi bibliotheca, & edita cum veteribus Francorum Annalibus, nec non abundè à Papirio Massono, viro quidem diserto in suis Annalibus recitata.*

In his Actis continetur oratio Ioannis Papæ, in quâ post deprædicatas Caroli laudes, ita loquitur Pontifex: *Vnde nos tantũ indicium diuinitus incumbentibus, luce clarius agnitis, superni secreti consilium manifestè cognouimus. Et quia pridem Apostolicæ memoriæ decessori nostro papæ Nicolao id ipsum tam inspiratione diuina reuelatum fuisse comperimus:* ELEGIMVS MERITO ET APPROBAVIMVS *vna cum annisu, & voto omnium fratrum, & Coëpiscoporum nostrorum, atq; aliorum S. R. E. ministrorum, amplig, senatus, totiusq; Populi Romani gentisq; togatæ, & secundum priscam consuetudinem solenniter ad Imperij Romani sceptra promouimus, & Augusti nomine decorauimus, vngentes eum oleo extrinsecus, vt interiorũ quoq; Spiritus sancti vnctionis monstraremus virtutem, &c.*

In quæ verba Baronius: *Habes lector, ex factis ipsis expressam, quam tantopere impugnare conati sunt Nouatores Romani Pontificiæ auctoritatem, & potestatem in creandis Imperatoribus, vt non nudum exhibeant ministeriũ in ipsis vngendis, sicut facere solent Patriarchæ Constantinopolitani in coronatione Orientalium Imperatorũ. Nam audisti ex eius verbis, ab ipso Ioanne Papa diuino instinctu electum Carolum, ad Imperium gubernandum; & approbatum, promotumq; ad tam sublimem dignitatẽ, & Augusti nomine decoratum (sunt enim hæc omnia totidem verba eius, quibus suum significat ministerium) postea demum vnctum, & coronatum. Sic enim arbitrio Papæ est collatum Imperium. Si res verò iure successionis agenda fuisset, non Carolus sed Ludouicus eius frater maior natu erat præferendus: sed quod id in arbitrio sit eligentis Pontificis; non iure hereditario succedentis, excluso est Ludouicus, & electus est Carolus; vt patet ex his, quæ sunt recitata, iam edita haud pridem à Pithœo è latebris antiquitatum eruta vetera Actorum monumenta; quæ si Nouatores refractarij cognouissent, haud fortasse procaciter adeò aduersus veritatem patentem omnibus declaratam exemplis adeò manifestis, insultassent.* Ita Baronius.

Sed vt Inuectiuæ Iunianæ in Carolum & Romam aliquid frigidæ affundamus, audire lubet ex ipso Ioanne Papa; qua ratione Carolus ad Imperium ascenderit. *Non hic perpetuus Augustus ad tãta fastigia se velut improbus intulit, non tanquam impertunus, fraude aliqua vel praua machinatione, aut inhiãti ambitione ad Imperialẽ apicem aspirauit; absit. Neq; enim sibi honorem præsumptuosè assumpsit, vt Imperator fieret: sed tanquam desideratus & optatus, postulatus à nobis, & à Deo vocatus, & honorificatus ad defendendam religionem, & Christi vtiq; seruos tuẽdos, humiliter, atque obedienter accessit, operaturus, & roboraturus in Im-*

perio summam pacem, & tranquillitatem, & in Ecclesia Dei iustitiam, & exaltationem. Hæc recitare volui, vt petulantia Iunij nonnihil castigaretur & contunderetur.

Ad factum Alberti Imperatoris postulantis à Bonifacio VIII. vt Imperium sibi & hæredibus confirmaretur, (prout ex Alberto Argentinensi refert Bellarminus) nil reponit Iunius, nisi conuicia. I. *Hæc & omnia sequentia esse exempla facti, non iuris argumenta.* Scilicet Iunius melius intellexit, quid Iuris Pontifex habeat, quàm Albertus & alij Principes. II. Vocat hæc pacta, *prædatoria.* III. Bonifacium verò *furiosum.* IV. *Prædonem.* V. Albertum, *trucem & auarum Principem.* VI. *Occæcatum auaritia.* An non sunt hæc egregia tela pro Bellarminianæ defensionis expugnatione? Addit: *non esse credibile, Albertum hoc à Bonifacio petiisse; fuisse postulatum impossibile, cum Imperium conferatur electione à proceribus.* Sed melius proculdubio nouit Albertus Argentinensis, qui tum viuebat, quid Albertus Cæsar à Bonifacio poposcerit, quàm Iunius tanto pòst tempore natus. Nec fuit postulatum impossibile; quia sciebat Albertus hoc ius Pontifici suppetere, si eo vti vellet.

Henricus VII. misit ad Clementem V. qui postularent, vt ratam sibi facere subrogationem *pro more* dignaretur. Iunius cauillatorie & criminatorie. *Rectè* pro MORE *dicit, non pro iure: Fuit enim mos non legitimo eorum consensu, quorum interest introductus, sed illegitima vsurpatione.* Tuo scilicet sensu, non Henrici VII. Quid integrum remanebit hac tanta omnia cauillandi & peruertendi libidine? Adeo mos hic in Imperio censebatur iustus & legitimus, & etiam illi Imperatores, qui cum legitimis Pontificibus grauissimas inimicitias gerebant, Imperatores se tum demum crederent, si à Pontifice Romano ad Imperialem dignitatem euecti essent: Et Henricus IV. potius à Guiberto Antipapa, coronam Imperialem accipere, quàm ea carere voluit.

Simili artificio amoliri conatur Caluinista Exemplum Ludouici IV. qui perpetuò à Ioanne 22. reconciliationem cum sede Apostolica, vt & à successore Ioannis Benedicto XII. petiit. Hoc nimirum Iunio exemplum *facti est*, nõ *Iuris.* Mirum; omnes fuisse tam ignorantes *Iuris*: & neminem extitisse, qui Reges & Principes de hoc iure seu Iuniano, seu Caluiniano edoceret? Quãquam extitit Marsilius de Padua; qui ad calcem sui libri de translatione Imperij dicit, electores eligere Imperatorem; nec ad Pontificem aliud spectare, nisi coronationis solennem cæremoniam. Sed Ludouicus, vt videtur, non habuit Marsilio fidem; Nam si ei fidem habuisset, nunquam vsque adeo sollicite cum veris Pontificibus reconciliationem postulasset.

Calumniosius adhuc respondet Caluinista ad exemplum Caroli IV. de quo hic Bellarminus. Totum adscribit *errori. factioni. impietati.* Nicolaum Papam nominat *superciliosum.* Vrbanum non Pontificem, sed *carnificem*: Vrbanum, *Carolo nomen Imperij vendidisse, & filio ipsius VVenceslao. Et tu Domine IESV Christe*, exclamat Iunius, *qui negotiatores & columbarum propolas atque collybistas eiecisti è domo patris tui, quousque tandem istos regnorum & imperiorum* propolas (scribe, Caluinianos turbatores & calumniatores) *dissimulaturus es in domo tua?* Quis, vt ad conuicia bilem, sic ad tam ridiculam apostrophen risum teneat? Scilicet Christus propitias aures ad huiusmodi exclamationem post atrocia in Christi Vicarium, in Imperium, & in Imperatorem effusa mendacia aduertet.

Recitat Bellarminus ex Kranzio orationis partem, qua ab Adriano IV. pro Friderico primo orator eius coronam Imperialem petiit. Ex ea planum fieri dicit Bellarminus, quanti semper Reges Germaniæ coronationem Pontificiam fecerint. Ad hæc Iunius nil nisi mendacia. I. *Carolus Magnus eam non magni fecit.* Quo argumento id probas? *Quia si Leonis consilium præstitisset, eo die, quo coronatus est, à templo adeundo abstinuisset.* Respondeo, hoc fuisse argumentum modestiæ & submissionis in Christianissimo Principe, nõ indicium exiguæ de coronatione illa existimationis. II. Mend. *Ludouicum Pium.* Vbi probatio? *Quia non abiit Romam, vt coronaretur.* Nec fuit necesse, quia Stephanus IV. quem alij vocãt Quintum; venit in Galliam, non ob eam caussam, quã fingit Iunius, sed ob aliam, vt in Gregorio VII. dictum lib. 4. de Pontif. & Ludouico imperiali diademate tempora cinxit. III. Mend. *Nec Lotharium*: de quo scribere non veretur, *Quòd non viso Paschali Papa, nec coronatus ab illo, à populo Imperator atque Augustus proclamatus fuerit.* Sed nos non Iunium, sed Auctorem illum, qui Ludouici Pij vitã litteris mandauit, audiamus. *Interea Lotharius filius Domini Imperatoris, cùm à Patre in Italiam missus esset, & secundum virorum, qui cum eo missi erant, consilia, opportunitates negotiorum ordinasset; & quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis de singulis respondere, & ad patrem de reditu cogitaret; rogatu Paschalis Papæ Romani, imminente sancta Paschæ solennitate, adiit, atque ab eodem, carissima ambitione susceptus, ipso sancto die, apud S. Petrum diadema Imperiale cum nomine Augusti suscepit; post hæc, cum Papiam venisset, aliquantisper necessitatibus semet impedientibus, ibidem moratus est, & sic ad Patrem mense Iunio peruenit.*

De Ludouico II. filio Lotharij suprà diximus, eũ à Sergio Papa fuisse Imperatoria corona exornatum. Ludouicus Germaniæ Rex, Lotharij frater huc non pertinet; quia Imperatoris nomẽ & dignitatem nũquam gessit; & vt gerere voluisset, forsan voti compos factus non fuisset. De Carolo Caluo iam antea diximus.

Post Lotharium, ait Iunius, *creuisse auctoritatem Pontificum in coronandis Imperatoribus.* Scilicet antea exiguâ erat; sed apud Iuniũ, non apud Imperatores. Quos Iunius à Pontif. coronatos fuisse negare non potest, eos calumniatur *coronatos fuisse*

in factione. Hoc dicit de Ludouico Balbo; de Carolo Crasso & Arnulpho. Nunquam factiosè coronam accepisse censeri debet, qui eam à legitimo Pontifice accipit: penes quem est coronæ dandæ ius & arbitrium.

Ait Iunius. *Henricum*, (loquitur de primo) *tenuisse Imperium 18. annos sine coronatione Pontificia:* Itemque Othonem primum 24. annos antequã coronaretur. At vterque titulo Regis; non Imperatoris, vt notum est. Henricus quidem semper; Otho filius vsq; ad certos annos. Alios complures post Othonem primum à Pontificibus coronatos fuisse, inficias ire nequit Iunius: sed addit hanc calumniam, sæpissimè iam auditam. *Fraudes hîc sunt Pontificiæ, sed error publicus, omnes rei, sed reus maximè, qui fraudem facit publico, idque religionis obductæ specie.* En frontem Iunianam. Omnes Imperatores à Carolo Magno reos facit erroris publici. Omnes errarunt: tametsi Iunius primas erroris Pontifici concedere dignatur, idque ex singulari gratia, quam Pontifex apud Iunium inuenit.

Iterum futilissimè nugatur Iunius de illa phrasi qua apud Pontificem vsus est Friderici primi Orator; cum petiit, Fridericum *ad imperiale culmen promoueri.* Sed de hac locutione iam supra satis actum est. Clamitat præterea Iunius: *Carolum totam Italiam subiugasse.* Esto quando ita vis. Quid infers? Num ergo Imperator fuit? Etiam Odoacer, etiam Theodoricus, etiam Longobardi vel totam, vel certè bonam partem Italiæ subiugauerant, & tamen Iunius nec Odoacrẽ, nec Theodoricum, nec vllum Longobardorum Regem audet aperto ore Imperatorem appellare, tametsi vellet, si volendo aliquid consequi posset.

Iunius dicit: *hanc consecutionem non esse probam: Non cõfertur coronatione imperiali dignitas, ergo per coronationem non promouebitur Imperator ad culmen Imperij. nam etiam is promouebitur,* inquit, *cuius obsignatur, confirmatur, & religiosè fit firmata dignitas.* Sed consequentiam istam esse validam testatur communis sensus: Nam promotio alicuius ad aliquem locum, significat; eum, qui promouetur, nondum esse in illo loco: Si ergo per Pontificis coronationem *promouetur* quis ad *imperij culmen*, euidens est, talem adhuc ab illo fastigio distare; & eò admouendum esse.

Nunc *maiora canit* Iunius. Non *omnes arbusta iuuant. Pontifex mercenarius est; non pastor; qui nõ quærit, quæ Christi, sed quæ sua sunt: quia alienum ius pro suo venditat, quia denique fumos aut carbones pro thesauris nouis obtrudit:* Et his conuiciis arbitratur se omnia argumenta, quæ ex Principum factis & testimoniis deprimit Bellarminus, declinaturum vel potius elusurum. Mox Leonem III. sanctissimum Pontificem nominat πολυωρύμενα, & ne tale conuicium casu ei excidisse videatur, è vestigio rursus eum πολυωρυμένης insimulat; additque: *Qui si Deum timuisset, isti in humanis negotiis non ita se miscuisset.* Si conuiciator est refutator, tum profecto Iunius egregiè hos libros Bellarminianos refutauit.

Qui solitam artem confestim iterum facitat, circa factum Emmanuelis Comneni Imp. Constantinopolitani, de quo hic Bellarminus. Meras *nundinationes*, imò & *prodationes* crepat. *Pontificem huiusmodi nundinationum instrumentum esse.* Simile quid regerit ad ea, quæ Bellarminus refert, ex Conrado Veccerio in libro de rebus gestis Henrici VII. Nec parcit Philippo Pulchro Galliarum Regi, quem *ambitiosè locutum* ait; quia petiuerat Romanum Imperium à Clemente V. *Ambientium hypotheses pro veris & necessariis probationibus non esse accipiendas.* An istæ in tantum Regem contumeliæ & calumniæ faciunt, vt verum non sit, Philippum à Clemente Imperium postulasse? Quacunq; mente postulauerit, nil id ad propositum interest: quia hoc certò liquet, Philippum à Clemente Romanum Imperium nunquam fuisse postulaturum, si existimasset eius conferendi penes Pontificem non esse ius ac potestatem. Et cur vt Veccerius scripsit tãtas cum Bonifacio VIII. tam viuo, quàm mortuo inimicitias gesit, nisi quia Bonifacius videbatur promissa de Imperio in Gallias transferendo non seruasse? Hinc certè perspicuè apparet, quis sensus fuerit Philippi de auctoritate Pontificis in Imperiũ: quod etiam apparet ex legatione, quam Clemens misit ad Electores Imperij, ne cunctarentur aliquẽ quàm primum in locum Alberti Imp. defuncti successorem eligere, ne Philippus occasionem vacantis Imperij nactus, etiam per vim cogeret. Pontificem tunc in Galliis degentem, aliquid contra Germanorum gloriam & imperialem dignitatem illis concessam agere.

CAPVT VI.

Idem asseritur testimoniis Pontificũ.

IPse titulus huius capitis indicat, vix quidquam præter conuicia à Iunio exspectanda esse, quomodo enim Caluinista de Pontificibus loquens densum lædoriarum nimbum non exspueret? Itaque Gregorius IV. Pontifex fauit Ludouico Imperatori, sed *vt vulpes*, & *homo* ἀλλοτριόνομος, *qui & in speciem & pro tempore amicitias nouisset colere.* Negat Iunius, *decretum de abdicatione Imperatoris rescissum esse à Gregorio IV. fuisse enim rescissum bonorum opera, qui effecerunt, vt Ludouicus in Imperium restitueretur.* Non quærimus, quid Iunius tricetur, sed quid scribat Paulus Aemylius à Bellarmino citatus. Cur nihil ad hoc Iunius? Aut enim falsum est, aut verum. Si falsum, cur falsitatem apertè non redarguit? Si verum, cur tergiuersatur; & præclarè facti laudem Gregorio IV. eripere tentat? Non abnuimus, fuisse complures alios Ludouico ad recuperationem Imperij adiutores; sed primas deberi Gregorio affirmamus; cuius potissimum curæ incumbebat, vt Im-

pera-

peratori tantam iniuriam passo, per rescissionē impij decreti illico subueniret.

Testatur Marianus Scotus à Ludouico Imp. iussu Gregorij, receptam quoque Iuditham Imperatricem. Iunius. *Hæc eodem pertinere, vt putat Bellarminus, falsum: nam hoc ante triennium fermè, quàm illud, acciderat.* Calumniatur Iunius. Nam Bellarminus non ignorauit de qua receptione Imperatricis Iuditha facta à Ludouico Imp. locutus fuerit Marianus; sed dixit, hanc receptionem de qua Marianus, *eodem pertinere*; non ad annū, quādo Ludouicus in Imperium est restitutus; sed ad declaraudam auctoritatem Gregorij Papæ, qua vsus est in restitutione Imperatricis per æmulos & inuidos de imperiali throno deiectæ, & in Monasterium detrusæ. Nam bis à Ludouico separata est; semel, antequam conspiratio in Ludouicū detegeretur Anno Domini DCCCXXXI. teste Mariano; (Baronius refert ad annum 830.) sed hæc seiunctio ab aduersariis Ludouici procurata, non fuit diuturna. Vt enim Marianus eodem anno scribit, Ludouicus, *Reginam Aquisgranum ei venientem, iubente Papa Gregorio, accepit*, vbi obserua, insigne scholium Iunij, quo Mariani verba illustrat. *Reginam, iubente Papa Gregorio, accepit.* id est, *ex cognitione publica & synodali iuditio, quod Gregorius iussisse dicitur* συνοδικῶς, *pro eo, quod est; ipse cum synodo.* Quis non admiretur acumen Iunij, imò quis non detestetur tantam cauillandi & omnia inuertendi & euertendi impotentiam? nullum penitus verbum Marianus, aut vllus alius historicus de synodo facit; cuius sanctione Iuditha sit restituta: solius Papæ meminit Marianus; & tamen iste ingeniosè sub Papæ nomine & iussione synodum odoratur, & beneficio syneedoches, quod solus Papa imperauit; synodo nūquam celebratæ transcribit.

Secundò separata est Iuditha à Ludouico, quando per filios suos imperio priuatus est; nā, vt inquit Marianus, *tunc separarunt reginam* à Ludouico, *miserunt que eam in Italiam, in ciuitatem Tartunam.* Sed Ludouico paulò post restituto, ipsa etiam pristinum dignitatis gradum recepit. Ad priorem separationem & restitutionem pertinet illud, quod ex vita Ludouici Pij Iunius adfert: *Quam tamen coniugij honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab obiectis purgaret.* Quæ verba causam Bellarmini non lædunt: nam credibile non est, Gregorium iussisse, vt Ludouicus Iuditham reciperet, nisi prius legitima ratione à criminibus obiectis sese expurgaret: prout etiam factum est, declarata palam Iudithæ innocentia. Notandum est autem verba illa: *Siquidem filij Ludouici non solùm Imperium patri abrogauerant*, &c. non esse Mariani verba, sed Bellarmini: Quare non debebant eodem typo excudi, quo verba Mariani, & cum illis penitus continuari vt factum est in editione libri de translatione Imperij in edit. Ingolstad. Quod monere visum, ne quis ad carpendū promptulus Bellar. crimen falsi intentet.

Iunius nobis non tantùm nolentibus, sed & reluctantibus persuadere vult, Gregorium IV. stetisse à partibus filiorum contra Ludouicum patrem. Sed nugas agit. Aut si quid aliud; hoc certè agit, vt & hic nobis specimen quoddā candoris sui præbeat, quo instructus, omnia, etiam solis luce dilucidiora Caluiniana caligine obfuscare conatur. Nec enim Gregorius alio consilio in castris filiorum Ludouici hæsit, quàm vt inter eos & patrem concordiam sarciret. Quæ mora, & quidem longior, in sinistram partem à pluribus accepta est; vt facile tali tempore, & caussa fieri solet: Nec mirum. Sigebertum id palam affirmare: quia constat, Sigebertum Pontificibus parum fauisse, & libenter arripuisse occasiones decerpendi aliquid de honore Pontificum in gratiam Imperatorum.

Iunius libenter excluderet Gregoriū ab omni laude restituti in Imperium Ludouici. Itaq; ex Annalibus Francicis & vita ipsius Ludouici ostēdere conatur, plerosque exipsismet, qui Ludouicum abdicauerant, vela dedisse retrorsum, & iniquè *factum retractasse ac reuocasse.* Nō negamus. Sed Dux palinodiæ & sanioris consilij fuit Gregorius IV. Huius auctoritatem secuti reliqui, animos pro legitimo Imperatore sumpserunt; eumque in pristinam dignitatem restituerunt.

Circa Aemylij verba iterum adamata sibi *synecdoche* vtitur Iunius. Ait Aemylius: *Decretum contra Ludouicum mox à Gregorio Pontifice maximo rescissum esse.* Quid Iunius? *Ego de approbatione totius Ecclesiæ occidentalis dictum puto.* Horum ergo verborū Aemylij: *Quod decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est*: hic erit sensus: *Quod decretum mox à tota Ecclesia occidentali rescissum est.* ô miram Grāmaticam Iunianam, in qua *Gregorius Pontifex Maximus* idem est, quod tota *Ecclesia occidentalis*: & Iunius idem, quod tota *Hollandia.* Nam si dicam; Iunius publico scripto allatrauit libros Bellarmini de Translatione Imperij; sensus hic erit per *synecdochen* Iunianam: *Tota Hollandia publico scripto allatrauit libros Bellarmini de Translatione Imperij.* Cōtractum idem de Gregorio IV. scribere, quod scribit Sigebertus, mendacium Iunianum existima.

Ad litteras Adriani II. Papæ, quibus Carolū Caluum Regem deterret, ne Ludouici Iunioris Imperium inuadat, respondet Iunius; *duo esse expendenda: Alterum, an ista scripserit Adrianus sua auctoritate.* (Ne dubites; Caluinista, auctoritate sua, hoc est, Apostolica eas litteras scripsit Adrianus; id clarè testatur Aimoinus, citatus à Bellarmino. Frustra hìc mirificam illam tuam *synecdochen* ingeris, vt nomine *Adriani* intelligamus totam Ecclesiam,) *alterum, vtrum decuerit Adrianum ita rescribere ad Carolum Caluū.* Ne dubites, Caluinista. Decuit; quia summus pastor erat; cui ex officio cōpetit, vt omnes oues suas, quācunq; præcellentia insigniantur, moneat cum monitore egent; & intra officij limites contineat.

Ad Epi-

Ad Epistolam Adriani IV. ex Auentino has regerit Iunius criminationes. *Bullata sunt hæc Adriani verba, bullæ meræ, quorum vanitatem si quis amplius volet cognoscere, legat fusiorem eundem contextum apud Auentinum ipsum in lib. 6. annalium Boiorum. Planè Martem videre tibi videberis, si videas istum Pontificem, & legas falsam illam prædicationem ipsius. Negamus verum esse dictum istius. Non tollantur aduersum se se Gigantes Romani:* τῶν ἄλλως τε, βίᾳ τε ἐπὶ πᾶσιν ὄφρυν ἦκαν, *& à quibus supercilium ortum, vt cum Hieronymo loquar.* Hæc Iunius. Nec sycophantiæ aliud deerat, quam vt S. Hieronymus adduceretur, quasi & ipse talibus inuectiuis in Romanos Pontifices desæuierit.

Quæ ex Alexandro III. adferuntur, eludit Iunius solito illo effugio. *Falsum est consequens à communi indiuiso.* Mox *negamus ista omnia*; quæ scilicet ex Innocentio III. p oducuntur. *Et hic negamus multa, quæ falsò de se prædicant Pontifices.* Loquitur Caluinista de illis, quæ Bellarminus ex Concilio Viennensi sub Clemente V. recitat. Tandem Pio IL his verbis humanissimis valedicit Iunius. *Hæc Pius impiè dicebat & seditiosè. Iniusta, infida, inhumana, impia omnia:* I nunc, Pie Pontifex, & Imperatorem Turcarum ad Christianam fidem amplectendam inuita; etiam cum promissione Imperij Orientalis in eũ iustè transferendi, vt quod nunc per vim & tyrannidem occupat, postea iusto ac legitimo titulo possideat.

CAPVT VII.

Imperium Germanorum nõ esse acquisitum iure belli.

PRo bono omine primis statim verbis ter ingeminat Iunius suũ illud: NEGAMVS: Et de Bellarmino conqueritur, quasi nimis frigidè res à Carolo Magno gestas retulerit; perinde ac si Bellarmino propositum fuisset rerum à Carolo gestarum historiam texere, quem Bellarmini commentitium defectum, vt suppleat; de Caroli Magni Heroicis factis ad fastidium vsque declamare ingreditur: interea Bellarmini argumentum, vix ac ne vix quidem attingit: quia, velit nolit, fateri cogitur, Carolum iure belli, hoc est, ex bello cum Romanis gesto, vel ex vrbe Roma occupata, non obtinuisse, vt diceretur Imperator Romanus; quemadmodum ex deuictis Longobardis obtinuit, vt appellaretur *Rex Longobardorũ*: licet enim Romam venerit, & seditiosos aduersus Pontificem compresserit, semper tamen venit vt amicus, nunquam vt hostis, Romam sub ditionem suam subiugaturus.

Ait Bellarminus: si quis ideo posset dici Romanus Imperator, quòd prouincias Romani Imperij occuparit, secuturum, Hispaniæ quoq; Galliæ & Angliæ Reges Imperatorum nomine cohonestandos, cum & ipsi prouincias olim Romani Imperij teneant. Obstrepit Iunius. *Illyricus non sic argumentatur, nec alius quisquam.* Luculentũ hoc mendacium redarguit totus propemodum Illyrici liber, & nõ vno loco ipse Iunius: dum clamant, Carolum virtute sua & re militari, Italiâq; subactâ, Imperatoris rem, honorem, & maiestatem meruisse & obtinuisse, nec Pontificem quidquam aliud contulisse, præter merum & nudum nomen, quod hîc quoque suis in notatiunculis Iunius ad nauseam vsque repetit, deque iudicio in caussa Leonis instituto hæc tela obliquè iacit; neque enim vllam Pontifices Romanos criminandi occasionem præterfluere sinit: *Monebo paucis, Leonem inter cætera accusatũ fuisse adulterij, quod crimen probatu difficile: præcipuos accusatores Romæ profugisse, atque abfuisse, non tam probationũ inopia, quàm vis publicæ in Leonem illatæ conscientia, & metu, cùm duplex iudicium eodem tempore ageretur, Ecclesiasticum de Leone, & politicum de vi publicæ auctoribus: Episcopos Leoni obstrictos, quasi non liqueret crimen, purgationem Leoni per iurisiurandi fidem detulisse, quæ res in criminibus incompertis solennis est. Sedit ergò Carolus iudicaturus, quia officium fuit: sed iudicium Deo permisit: quia, non satis probatum videbatur, & clamoribus faucium, impediebatur cognitio maior, & accusatorum fuga. Hæc multis docent historici.* Aduersus hæc venenata Caluinistæ huius spicula paratum habes antidotum apud Baronium Anno Redẽptoris 799. & 800. quem consulas licet.

Extra rem ad has calumnias digreditur Iunius. Non enim quæstio est de sanctissimi Pontificis Leonis accusatoribus & criminibus, quæ falsissimè obiecerunt; sed vtrum Germanorũ Imperiũ iure belli fuerit acquisitum? Huc sua tela dirigere debebat Iunius, si disputator, non vitilitigator esse volebat. Et vt totã Iunij vaniloquentiam in mortario contundas, non exibit aliud, quàm hoc ridiculum argumentulum. *Carolus ante coronationem & consecrationem tenuit in Italia Imperij prouincias vniuersas, ergo ante coronationem & consecrationem Imperator fuit.* Respondeo, licet antecedens verum esset, in consequentia tamen nil momenti ineesset; quia vt quis sit Imperator, minimè sufficit, vt Imperij prouincias occupauerit & possideat; alioqui nimis multos & in Italia & extra Italiam Imperatores habuissemus, & hodie haberemus; cum quidquid Reges, Principes & Respublicæ in Italia, Hispania, & Gallia hodie possident; olim ad ditionem Romani Imperij pertinuerit.

Examinat posthæc Bellarminus argumenta Illyrici, quibus probat Imperium à Germanis virtute bellica partum. Et vt quàm altissimè incunabula huius Imperij repetat, id *fortitudini Germanorum in Pharsalica pugna contra Pompeium paratũ comparatumq; scribit: tunc enim fundamenta Romani Imperij fuisse iacta; tunc Germanos ad Imperium illud ius adeptos esse.* Non immeritò dicit Bellarminus, hoc argumentum esse ridiculum; cum non liquidò constet, vtrum in illo Cæsaris exercitu fuerint Germani; Et vt fuissent, & Cæsari ad Monarchiã

Roma-

Romanam fundandam & stabiliendam fidelem, quin & præcipuam operam nauassent; an ideo Germanis ius aliquod ad Romanum Imperium peperissent? Iunius agnoscit Illyrici argumentum *parum roboris habere*; sed ignoscendum dicit Illyrico, longius quàm oportebat amore patriæ & gentis suæ abrepto. Sed num æquum honestumque est, amore patriæ quempiam ita abduci; vt in mendacia feratur? Ad quorum scopulos impingit quoque Iunius, dum Illyricum, *non de Imperio Germanico, in pugna Pharsalica parto, sed de Imperio Romano absolutè locutum scribit.* Nam Illyricus hoc suum commentum protulit, vt ostenderet, Germanos ob Imperium Romanum non Pontifici Romano; sed maiorib. in pugna Pharsalica virtute sua tantum decus promeritis, gratias debere, atque adeo Imperium non à Papa, sed à generosis illis militibus Germanis venisse. Ex quibus cuidens est, Illyricum non absolutè de Imperio Romano, sed de illo, vt aliquãdo ad Germanos transferendo, deque iure Germanorum ad illud Imperium tunc acquisito, locutum esse.

Aequè vanum est, quod Iunius dicit; *Illyricum non ex Floro, sed ex ipso Cæsare lib. 3. de Bello ciuili sex eiusmodi Germanorum validas cohortes constituere* Verba Illyrici sunt ista. *At ibi sex illæ* (teste Lucio Floro) *Germanorum cohortes in subsidio collocatæ*, &c. An non ex Floro has sex cohortes citat?

Secundum Illyrici argumentum à duabus Aquilis, quas Germani Romanis eripuerint, duce Arminio, *usque sibi ius ad Romanum Imperium adquisierint, aquè friuolum est ac primum.* Nec diffitetur Iunius. Sed addit; hæc & similia non esse *argumentationum*: sed *allusionum*. Rectius dixisset: *Illusionum*. Quid enim aliud facit Illyricus, quàm quod per hæc talia Germanis illudit? *Indulsit cogitatis Illyricus in laudem suæ gentis*, inquit Iunius, *non probationibus operam dedit, cum hæc scriberet.* Mendacijs non ornatur, sed potius defœdatur Germania. Nil hoc ornamento opus Germaniæ, cui vera decora abunde suppetunt. *In re graui & seria equidem factum nolim*, inquit Iunius. Cur ergo excusare conaris, quod infectum magis, quàm factum cupis? Cur præterea mentiris hæc talia non esse allata ab Illyrico probationis gratia? Cur ergo attulit? An vt nobis planum faceret, quàm insigniter delirare possit? Quomodo pro probatione duas istas Aquilas non adduxit; cum iubeat, quoties de Monarchiæ Germanicæ exordio controuersia excitatur, vt Germani bicipitis illius aquilæ insignia intueantur; *& mox*, ait Illyricus, *illos de origine iureq; suo edocebunt, ac vel inuitos conuincent.* En probationem istam ab Aquilis Illyricus non tantùm pro probabili, sed & pro necessaria & apodictica habet. Quod autem Iunius tam verbosè contendit, *Romanos à Germanis iustè fuisse cæsos*: id Palæmoni prisco alicui diiudicandum relinquimus: nam nos recentiores sumus, quàm vt ex cathedra pronunciare possimus, num quod actum est, iustè actum fuerit. Rebelliones & fraudulentas circumuentiones libenter excusat Iunius. Nec causa cur faciat, latet.

Tertium Illyrici argumentum est ex scriptura: *quia Deus regna & imperia non sacrificiorum cæremonijs, sed gladio & iure belli transferre solet.* Quod Illyricus multis scripturæ testimoniis probare conatur. Quærit Bellarminus; an Deus *plerunque* solùm an semper hoc modo regna transferre soleat. Si tantùm, *plerunque*: tum non valere hanc consequentiam. *Deus plerunque regna transferre solet vi gladij & iure belli; ergo eodem modo transtulit Imperium Occidentale ad Germanos*: quia nõ est necesse, vt semper fiat, quod *plerunque* fit; nam si semper fieret, iam non *plerunque* fieret. Iunius nos docere incipit, quomodo argumenta *probabilia*, confici possint ex iis, quæ *plerunque* fieri solent. Quasi hoc ignoretur, etiam ab illo, qui vel leuem differendi facultatem adeptus est. Nemo hoc negat; tota quæstio est, vtrum hoc loco probabilitatis aliquid insit argumento Illyricano, si est ex illis, quæ *plerunque* fiunt. Nam quo minus argumentum fiat verisimile, obstant cum alia, tum omnia illa, quæ cap. 4. & 5. copiosè disputata sunt.

Nec vsus est Illyricus vocula *plerunque*, vt Iunius existimat, sed Bellarminus eam vsurpauit, vt intelligeret, an Illyrici argumentum esset simpliciter vniuersale, an solummodo ex *plerunque* contingentibus: Et Iunius prorsus ineptè facit, cum Illyrici argumentum in hunc modum resoluit, quasi hoc sibi Illyricus voluerit. *Ad quemcunque Imperium peruenit, ad eum aut iure diuino singulariter, aut suo, aut denique alieno beneficio peruenisse: Hoc imperium ad Carolum non diuino illo & singulari iure peruenisse, ergo aut suo, quod est iure belli; aut naturali successione; aut alieno, quod est electio, seu donatio; suo autem ad Carolum peruenisse non illo, quod in naturali successione, sed illo, quod in armis consistit.*

Hæc omnia inania sunt Iunij commenta. Nam Illyricus nullum penitus verbum habet capite primo de aliis regnorum transferendorum titulis. De solo illo, qui in armis situs est, agit. Hinc capiti primo hanc inscriptionem indidit. *Quod regna ac imperia, non sacrificiorum cæremonijs, sed gladio ac iure belli transferri soleant.* Et prorsus siue ex animo, siue, vt Pontifici ægrius faceret, sensisse vel simulasse videtur Illyricus, Deum hanc transferendi regna rationem semper tenuisse; vt in secunda oppugnationis parte assumit Bellarminus. Hinc postquam ex Daniele probationem attulisset; *Idem perpetua experientia confirmat. Sic enim Nembrotus, Ninus, &c. facti sunt robusti venatores coram Domino*; sed & hanc extremam vanitatem & inscientiam

vali-

validissimè Bellarminus proterit ac refellit; & Illyricum ita statuentem, quasi iustè occupetur regnum, quoties, diuino permissu, ad punienda incolarum scelera, occupatur; potenter redarguit; quia planè iniquum est, diuinæ prouidentiæ & permissionis mantello, omnes huiusmodi inuasiones excusare velle; cum & manifesta latrocinia, non nisi Deo permittente, perpetrentur. Iunius clamat, *hæc nihil esse ad rem: Illyricum disputare de translatione regnorum per gladium, siue iusta siue iniusta.* At si quis ipsum Illyricum attentius legat, quàm fecit Iunius, libenter fatebitur, Illyricum existimasse, omne illud regnum iustè possideri, quod permissu Dei occupatur armis. Huc enim tendunt Illyrici verba: *Sic postea innumeri, Deo ita mirabiliter ordinante, Imperatores facti sunt gladio, punientes, eo per illos antecessores eorum. Qui siue iustam, siue iniustam causam habuerint, mouendi bellum, tamen pro veris Imperatoribus necessariò fuerint agnoscendi, quandoquidem illis Deus victoriam & eam potentiam, experientia ipsa testante, largitus est.* Hæc Illyricus. Ex cuius verbis hoc argumentum conficere licet. Omnis ille, cui Deus victoriam largitur, iustus ac legitimus est Dominus. Turcarum Tyranno in plurimis Christianorum prouinciis victoriam largitus est; neque enim Turcæ tot victorias retulerunt, nisi concessu Dei: ergo Turcarum tyrannus est iustus ac legitimus Dominus earum prouinciarum, quas Christianis ademit. Hoc Illyrici argumentum Mahometanis arridebit, minimè verò Christianis.

Quartum Illyrici argumentum: *Carolus deuicit Longobardos; isti Gothos; Gothi Odoacrem cum Herulis. Odoacer Augustulum & Italos. Vt ergo isti iure belli Romam & Italiam obtinuerunt; sic & Carolus.* Tu inferas. Vt ergo nec Odoacer, nec Theodoricus, nec alij Reges Gotthorum; neque etiam Reges Longobardorum ob subiugatam Italiam vel totam, vel maximam eius partem Imperatores habiti vel appellati fuêre, ita nec Carolus Magnus: Sed aliunde ei Imperialis dignitas venit, nempe à Leone III.

Probare nititur Iunius ex Othone Frisingensi, Viterbiensi, & Volaterrano, Longobardos fuisse in exercitu Narsetis, quando Gothos ex Italia expulit, eorumque regnum funditus deleuit. At licet hoc verum esset; tamen in exercitu illo non fuissent, nisi vt conductitij stipendiarij. Quid hæc conductio facit ad titulum, ius & rem Imperatoris & Imperialis dignitatis Longobardis arrogandam? Tantum videlicet hæc res Longobardis contulit, quantum Germanis, *victoria Pharsalica*, cui si vera canit Iunius, *Germani interfuerunt, & victoria Germanorum, duce Arminio, à Romanis reportata.* Nec Imperator Constantinopolitanus Longobardos in exercitu Narsetis militare voluit, si militarunt, vt ipsi vel sibi, vel posteris Imperium in Italia pararent; sed vt expulsis Gothis, sub Græcorum potestatem Italia reuerteretur. Postea autem, cum vocatu Narsetis Longobardi in Italiam venerunt, eiusque non modicam partem domuerunt, tantum abest, vt id, volentibus Constantinopolitanis Imperatoribus, contigerit, vt grauissima bella cum illis gesserint. Nec Romam vnquam occuparunt Longobardi, licet eam summoperè afflixerint. Nec vllus ante istos sectarios exstitit, qui Reges Longobardorum pro Imperatoribus Romanis habuerit; aut tam augusto nomine affecerit.

Nec obstat, quod ex Sigeberto Iunius obiicit, Desiderium Romam venisse *sub obtentu orationis & aliquot nobilium Romanorum captos excæcasse:* Nam hæc omnia fraudulenter & per insidias facta fuere, non autem, quod esset Dominus vrbis. Imò in vrbem aditum non habuit; admissus in solam Basilicam S. Petri, quæ tunc extra muros Romanæ ciuitatis erat, de qua re legatur Baronius Tomo IX. anno Redemptoris D C C. L X X.

Sed en nouum Iunij acumen. *Carolus fuit patricius Romanorum; ergo Dominus Romanæ vrbis.* Quæ consecutio non magis ex Antecedente sequitur, quàm si dicas: *Hic vel ille est patricius Venetus, ergo Dominus Venetiarum.*

Citat Illyricus pro se Hermannum Comitem Nuenarij, seu *Nouæ Aquilæ*, vt vocat Illyricus, in libello de origine & sedibus priscorum Francorum; Alciatum, Viterbiensem & Blondum, qui scribere videntur; Carolum parasse imperium iure belli. Sed de duobus prioribus non est quod multum laboremus; quia recentissimi sunt: neque auctoritas eorum, tot antiquis antehaberi debet. Explicat tamen Bellarminus Hermannum; quasi loquatur de possessione Imperij, non de iure ac titulo Imperatoris. Oggerit Iunius. *Verba Hermanni & Friderici I. Imperatoris quem citat Hermannus, pugnare cum hac distinctione.* Sed de verbis Friderici iam alibi copiosè est actum. Verba Hermanni si Iunius bonum & verum in sensum trahi non sinat, nil moror: quia non sunt oracula; præsertim cum Comes ille non fuerit historiarum peritissimus, cuius inter cætera hoc non leue documentum est: *Imperium à Stephano III. in Carolum Magnum translatum.* Item ab eodem *Carolo, Stephanum Italiæ fuisse restitutum*; cum Pipinus Stephano contra Aistulphum Regem Longobardorum opem tulerit.

Alciati testimonium potius pro nobis est, quàm pro Illyrico, vt ostendit Bellarminus. Iunius tamé occasionem nactus ostendendi suam iurisprudentiam, id egregiè hoc loco præstat. Audiamus nouum *Vlpianum*, vel si mauis, *Vulpianum. Aliud est iustum titulum habere, iustoq; titulo possidere, aliud verò iustum titulum prætendere, qui videlicet aliis prætendatur probeturque. Non enim quisquis iustè possidet, aliis probare potest ius possessionis suæ, iustosque eius titulos prætendere. Hoc Alciatus Iurisconsultus summus optimè intellexit; non Iesuita quiuis capit.* Bone Deus, quanto acumine opus est, vt quis hæc acumina Iuniana ex intimis Iurisprudentiæ penetrali-

bus petita capiat? Quàm res est ardua intelligere, aliud esse, *iustum titulum habere*; aliud, *iustum titulum prætendere*; quia fur, latro, vsurarius iustum titulum habere non potest; iustum tamen titulum prætendere potest. Quàm difficile intellectu est aliquem vera doctrina & virtute carere, & tamen vtramque *prætendere*. At Iunius per suum illud *prætendere*, intelligit, *probare*: contenditque; non omnem, qui iusto titulo possidet, titulum *prætendere*, hoc est, aliis probare posse. Etiamsi hoc verum esset, id tamen in Carolo Magno locum non haberet; quia titulum, quo prouincias Longobardorum possidebat, omnibus, vt loquitur Caluinianus Vlpianus, *prætendere*, hoc est, probare & monstrare poterat, quia titulo legitimi belli prouincias illas possidebat, nec opus erat, vt propter titulum possessionis à Leone III. coronaretur, & Imperator declararetur: sed omnino aliud in hac inauguratione spectatum est; nempe vt ius, insignia & nomen Imperatoris Romani obtineret: neque enim, vt iam sæpe à Bellarmino dictum, propter solam occupationem prouinciarum Romani Imperij Imperator factus est; alioqui plures haberemus Imperatores Romanos, quàm vlla vnquam ætas viderit.

Vt Viterbiensis & Blondi testimonia Iunius subterfugiat, vtitur sibi iam notis diuerticulis; & tandem exclamat. *O quantus in tergiuersando labor.* Id si nesciremus, clarè doceret nos Iunius, cum suis tot strophis & sutelis ferè plusquam Caluinianis.

Mirabitur non iniuria, lector, cur in solo Iunio refellendo occupatus, Dresseri penitus obliuiscar. Ego, vt verum fatear, in Dresseri puerili prorsus declamatiuncula vix quidquam inuenio, quod refellam, præter id quod suppeditat Iunius. Nam ex Bellarmini libris vix tricesimam partem attingit; & si plus dicerem, à vero non abirem; & quæ attingit, Rhetoricis digressiunculis amplificat, & quæ Illyricus strictius mentitus fuerat, iste verborum suorum profluentia dilatat, & Rogerius rabulam hunc iam satis depexum dedit. Quærit; *quonam modo adeptus sit Imperium occidentis Carolus Magnus, & quo iure adhuc illud retineant eius successores.* Respondet: *Modus acquisiti huius Imperij non fuit alius, quàm Monarchiæ Assyriæ, Persicæ, Græcæ & Romanæ.* Nec aliter probat, quàm affirmando, nisi fortè probatio consistat in his, quæ subiiciuntur verbis. *Et fatalis quædam Rerumpublicarum fortuna, quæ non finit esse eadem perpetuo, sed à gente ad gentem transfert. De quo ego pluribus non disputo, ne in re manifesta copiam ostentare velle videar.* O inopem rerum copiam. O curtam supellectilem tuam rerum certè, si non puerilis loquacitatis. In toto tuo seu gymnasmate seu progymnasmate, etiam optimum argumentum, collatum cum pessimo Bellarminiano, fœneum est ac stramentitium.

Affingit Dresserus Bellarmino hanc obiectionem. *Medium esse oportuit, quo à Græcis ad Carolum transferretur occidentis Imperium.* Ad hanc fictitiam obiectionem respondet Dresserus, *hoc medium aliud non fuisse, quàm ius belli & gladium.* Et mox cum Illyrico de Nimrodo, de Monarchia Persarum, & Alexandri Magni garrire incipit; deinceps ad Caroli Magni prælia enumeranda digreditur, ingenti garrulitate; nec ad aliud quidquam vtili, quàm vt chartas impleat, & implendo aliquid dixisse videatur, cum nihil penitus ad rem dixerit. Nam quod probat, ante Leonem III. *nil à Papa Carolo collatum, ex quo colligere liceat, eum Imperatorem esse creatum*; inanem operam sumit, quia vltrò fatemur, Carolum Imperiali dignitate non fuisse insignitum ante Leonem III. Neq; etiam ex missione clauium sancti Petri, & vexilli, quibus donis Leo III. Carolum honestauit, concludimus Imperialem Caroli dignitatem, vt Dresserus fingit; qui æquè imperitè, ac supra Iunius, de clauibus sancti Petri delirat.

Obiicit Dresserus. *Carolus iudicio in caussa Leonis III. instituto præsedit, eiusq; accusatores falsi conuictos morti adiudicauit, quod factum anno DCCC. ergo tunc erat Dominus Romæ; ergo Imperator.* Respondeo, nec primam, nec secundam consequentiam valere; nam vt Defensor Ecclesiæ Romanæ, & vt vltrò postulatus iudex fecit, quidquid in illa Leonis caussa fecit, non vt Dominus Romæ. Et quamuis huius vrbis dominium tunc habuisset, an ideo ea ipsa possessione Imperator fuisset? Etiam Odoacer & Theodoricus Romæ dominium tenuerunt, nemo tamen illos Imperatorum Romanorum catalogo adscribit, præter istos, qui odio cathedræ Petri inflammati nouos Imperatores, quos nemo veterum agnouit, creare occipiunt.

CAPVT VIII.

Non accepisse Carolum Magnum à Deo immediatè Imperij dignitatem.

IVNIVS breuiter ab hoc capite sese expedit, nec valdè abnuit id, quod titulus probandum proponit. Itaque postquam ter suum NEGAMVS oggessit, & visionem quandam Constantini Copronymi ab Illyrico ex Vincentij speculo, tanquam verisimilem, & alias nonnullas Historiolas ex *Legendis*, vt vocat Illyricus, petitas dilaudauit; ad subsequens caput transit. Tu Bellarminum lege.

CAPVT IX.

Imperium Romanum non veniſſe ad Carolum iure hæreditario.

ROBAT hoc Bellarminus argumentis planè perſpicuis. Iunius, vt iam ſæpius, diſtinguit *nomen Imperij, nam aut rem ſignificat*, inquit, *aut modum formamque & ordinem imperialem; aut dignitatem & ſignum ipſum. Rem* (quo nomine intelligit Caluiniſta prouincias & regna) *partim ſucceſſione habuit, vt regnum Francorum & Longobardorum, à Pipino patre & Carolomanno fratre, partim virtute peperit. Modum formamq; Imperij habuit ex communi decreto, quod per modum electionis, ac potius ſuffragationis Romæ factum eſt, priuſquam Imperator ſalutatus eſſet. Ex eo dignitas cum nomine conſecuta eſt.*

Quod ad *Rem* attinet, occupatio & poſſeſſio prouinciarum Romani Imperij non ſufficit, vt quis Romanus cenſeatur Imperator; alioqui Theodoricus, Odoacer, Reges Longobardorum & Francorum ante Carolum Magnum fuiſſent Imperatores, quia *rem*, hoc eſt, prouincias Imperij tenebant: & hodie longè plures eſſent in occidente Imperatores, quàm vnus. Modum & formam, prout à Iunio ſtatuuntur & adferuntur, fabulis deputa: nihil enim horum, quæ Iunius comminiſcitur, Romæ à Senatu populóue Romano geſtum eſt, vt iam alibi dictum. Itaque quantumlibet improbitas Caluiniſtica tergiuerſetur & obluctetur, ius ad Imperium Romanum, titulum, nomen, inſignia, dignitatem Leo III. Carolo Magno tribuit; ſine quibus Carolus Imperator nunquam habitus fuiſſet; licet omnes angulos occidentalis Imperij ſibi ſubiugaſſet.

Odoacrem fuiſſe Imperatorē Romanorum probare tentat Illyricus ſex rationibus. Prima eſt; *à Leone Beſſicano Imperium occidentale fuiſſe Odoacri tributum.* Sed hoc à veritate prorſus alienum eſſe euidenter hic demonſtrat Bellarminus; & nos itidem ſupra cap. 1. commentum iſtud fusè refutauimus; vnà cum Iunianis figmentis, quæ ibi attulit, & hic repetit, mendaciis Illyrici ſtabiliendis. Ne Zeno quidem Imperator Odoacri Imperium occidentale tradidit: vt oſtendit Bellarminus. Clamat Iunius: Illyricum non vti verbo *tradendi*. Audiamus ergo Illyricum: *Romani, aut potius Conſtantinopolitani Imperatores ſæpius ius occidentalis Imperij Germanis* tradiderunt. En verbum *Tradendi* ab Illyrico hac in materia vſurpatum. Dicit Bellarminus, *mentiri Illyricum, quando ſcribit: Odoacrem à Romanis militibus in Monarchàm fuiſſe electum.* Iunius memor triti illius: *qui bene diſtinguit; bene docet*: diſtinguit milites Romanos in eos, *qui ditionis Romanæ ſunt*; & *in eos, qui ſub Romanis faciunt ſtipendia: Illyricum hoc ſecundo modo milites Romanos accepiſſe, quia à Gothis Romanorum ſtipendiarijs, petiit, vt ſe Romanum Regem conſtituerent.* Sed nemo neſcit, per *Romanos milites abſolutè* poſitos & nominatos, vt quidem ab Illyrico abſolutè ponuntur & nominantur, intelligi non barbaros conductitios; ſed eos, qui ex Romano Imperio Imperatoribus operam nauabant. Si alios, hoc eſt, Gothos, intelligebat Illyricus, cur id non expreſsit? Cur abſolutè Romanos milites nominauit, niſi ideo, vt perſuaderet lectori, Odoacrem ita fuiſſe à Romanis militibus electum Regem, atq; adeo Imperatorem Romanum, quemadmodum olim à Romanis militibus varij Imperatores conſtituti ac creati ſunt.

Oreſtem à Bellarmino contemptim appellari *vnum ex ducibus Romanis*, & *magiſtrum militiæ Romanæ*, mendacium Iunij eſt; qui nobis ſuauiſsimas nugas de armigero, (quo munere apud Oreſtem functus eſt Odoacer, antè quàm Italiam occuparet) apponit, eumque in *quæſtorem*, & *veſtigalium exactorem* inque *armorum*, ſeu *armamentarij præſidem* ac *cuſtodem* lepidiſsimè transformat; tam iucundè, vt ipſis etiam Hilaribus, tam lepida, & faceta fabella legi & recitari mereatur. Magnas gratias debemus Iunio, qui nos docuit, per *armigerum* Oreſtis, ducis bellici, intelligi *Theſaurarium*, aurique ac argenti ærario debiti; *ſuſceptorem* ſiue *collectorem*.

Reliquæ notatiunculæ Iunij ad accuratiſsimam Bellarmini de Odoacre diſceptationem nugamentorumq; Flaccianorum refutationem; conſiſtunt in battologica repetitione diſtinctionis eius, quam initio huius capitis & alibi attulit, nempe, *nomen Imperij eſſe æquiuocum; accipi pro re, forma, modo, ordine, nomine, dignitate, inſignibus; Odoacrem habuiſſe rem; non item cætera. Bellarminum, ex neglectu huius homonymiæ* ſeu *æquiuocationis, perpetuò falli; & non miſcenda miſcere. Dij te donent tonſore Deaq;* O Iuni, ob tam ſubtilem & argutam diſtinctionem; qua præclarè ſcilicet omnibus Illyrici mendaciis medicinam facis; cui profectò hæc *Imperij* diſtinctio nunquam in mentem venit: contēdit enim æquè propriè Odoacrem Romanorum Imperatorē fuiſſe; ac ipſum Carolum Magnum, poſtquam à Leone III. coronatus eſt. Deinde etiamſi Odoacer Imperator Romanorum fuiſſet, formalis, verus, legitimus; nihili tamen & nauci eſſet hæc conſequentia: *Ergo ab Odoacre, Germano, venit Imperium Romanum hæreditaria ſucceſſione ad Carolum Magnum*, vt copiosè demonſtrat Bellarminus: mentiturque Iunius, cum negat, hanc conſecutionem eſſe ab Illyrico; Nam ex fundamentis eius optimè deducitur: neque enim aliam ob cauſſam creauit Illyricus Odoacrem Imperatorē, vt & Theodoricum Gothum, & Clodoueum Francum; quàm vt oſtenderet per ſucceſsionem huiuſcemodi Imperium ad Germanos peruenisſe, non per Pontificis conceſsionem. Nec mirari debes, ſi Illyricus aliquando dicat *Carolum obtinuiſſe Imperium iure belli, aliquando naturali ſucceſſione; aliquando alio titulo*: quia Illyricus inconſtans

est, & omnia tentat, &, si vna via se nil proficere animaduertit, aliam experitur; vt solent illi, qui per fas & nefas aliquò peruenire contendunt.

Nec sincerius tractat Iunius ea, quæ Bellarminus de Theodorico & Clodoueo contra inscitiam Illyrici disserit. Perpetuò hæret Caluinista in vanissima sua distinctione, quam ipse Illyricus rideret, si legeret, easque grates tam inepto patrono persolueret, quas multis aliis, etiam ex Lutheri & Caluini schola, persoluit. Obiicit Iunius. *Zeno donauit Theodorico regnum Italiæ; ergo fecit illum Imperatorem.* consequentia nulla est; nam titulo Regis, non Imperatoris ei Italiam concesit. Dato, vt scribit Nauclerus, *sacro velamine,* non *Imperatorio*, sed *regio.* in signum dono datæ Italiæ, & in traditi muneris stabilimentum. Nec illæ quorundam phrases: *Theodoricus Imperio Romano præsedit: Imperio Italiæ potitus est*; euincunt Theodoricum fuisse Imperatorem Romanum; quia omnia ista, etiam de Rege verè pronunciantur.

Scripserat Illyricus, Theodoricum, vt se verum Imperatorem probaret; ipsi quoque Symmacho Papæ imperasse, & accusatum iudicasse. Redarguit hoc mendacium Bellarminus. Iunius ad notas sibi distinctionum artes confugit; *iudicandi* verbum esse *homonymum, accipi etiam pro causæ cognitione & auditione, licet sententia definitiua non feratur.* Hoc sibi voluisse Illyricum; non illud, quod Bellarminus exprobrat. Hanc Iunianam nebulam dissicient verba Illyrici. *Nec tantum ciues Romani* (Theodorico) *subiecti fuerunt, sed etiam iste ipse nunc tres coronas Pontifex gestans: nam Symmachum Papam accusatum coram se iudicauit, causamque tandem dirimi curauit.* Quibus certè verbis Illyricus indicat, Theodoricum de Symmacho Papa non aliter ac de aliis subditis iudicasse, & sua auctoritate sententiam ferendam curauisse. Quod tamen secus habet, vt hîc Bellarminus docet.

Nomina Regis & Imperatoris apud Latinos summo discrimine secerni, clarius est, quàm vt fumis suis hanc lucem Iunius obnubilare queat. Et quamuis Græcum βασιλεὺς olim idem esset, quod Rex Latinis; successu tamen temporis soli Constantinopolitano Imperatori tributum fuit, vsque adeo, vt Græci posteriores Latinorum Regibus nomen βασιλέως non tribuerint; sed Latinum retinuerint, ipsum etiam Carolum Magnum ῥῆγα, vocitantes. vt ex Zonara & Cedreno liquet; imò hoc ipso nomine, non illo βασιλέως ipsos occidentis Imperatores afficiebant, vt patet apud Nicetam Choniatem & alios; neque enim eos Constantinopolitanis appellatione æquari patiebantur, propter inuidiam in Latinorum nationem.

De Clodoueo admodum triumphant Illyricus & Iunius; remque factam se habere existimant: Sunt enim Auctores, ab Illyrico citati, qui Clodoueum post missa ab Anastasio Consulatus & Patriciatus insignia, *Augustum* appellatum scribant; sed à suis Francis, non ab Anastasio Imperatore; vt probat Bellarminus. Num ideo propter *Augusti* nomen Clodoueus Imperator fuit; licet hoc nomine ab ipso Anastasio insignitus fuisset? Sanctius Maior dictus est *Hispaniæ Imperator*, teste Vasæo anno DCCCC. LXII. & Alphonsus septimus Rex Arragoniæ *Imperator* dici voluit, vt scribit Franciscus Tarapha libro de Regibus Hispaniæ. An ideo vel hic vel ille Imperator fuit? Et vt Francicum dem exemplum, an non Rex ille Francorum Philippus, cuius vitam Rigordus litteris consignauit, omniũ ore & calamo *Augustus* indigitatur? Num quia Imperator Romanus fuit? Minimè verò. Audiamus Rigordum præfatione in vitam Regis Philippi. *Fortè miramini, quod in prima fronte huius operis voco Regem* AVGVSTVM. *Augustos enim vocare consueuerunt scriptores Cæsares, qui Rempublicam augmentabant. ab* augeo, auges, *dictos. Vnde iste merito dictus est* Augustus; *ab aucta Republica.* (Quid si & ab hac caussa Clodoueus à suis Francis AVGVSTI nomen tulit?) *Adiecit enim regno suo totam Viromanduam, quam prædecessores sui multo tempore amiserant, & multas alias terras. Reditus etiam regni plurimùm augmentauit, &c.* Sic fieri potuit, vt & Clodoueus Augustus appellaretur, quòd Regnum Francorum maximis accessionibus auxisset; præcipuè post deuictum Alaricum Visigothorum Regem: tametsi Sabellicus & Philippus Bergomensis scribere videntur, nomen hoc imò & Imperatoris, ab Anastasio datum esse Clodoueo; Sed isti recentiores sunt, quàm vt fidem in re tanta inueniant, & Sabellici verba non necessariò ad Anastasium referenda sunt, sed & de Francis accipi possunt; nam *Augusti* nomen à Francis habuit Clodoueus, non ab Anastasio; nec tam propter insignia Consulatus & Patriciatus, quàm propter commemorabilia Regno Francorum addita augmenta. Tilius in Chronico anno D. X. *Clodoueum ab Anastasio Imperatore dona recepit Patriciatus & Consulatus titulum & insignia: coronam insuper auream multis vnionibus distinctam, quam postea Romam diuo Petro offerendam remittit.*

Vbi duo obserua, Iunium Bellarmino iniuriam facere, cum scribere non erubescit, Tilium à Bellarmino falsò citari: nam hæc, quæ recitaui, sunt ipsissima Tilij verba. Secundò, Iunium nimis effrenatè esse audacem, cum sine vllo auctore asserit, coronam Clodoueo ab Anastasio missam, fuisse *tergeminam*; qualis hodie à Pontificibus gestari solet. Item: *Clodoueum hanc coronam misisse Romam, vt Theodoricum sibi ob arma Alarico illata, offensum, placaret*; hæc omnia Iuniana commenta sunt, vt & illa; quæ de multiplici consulum differentia fabulatur: nam si Clodoueus Consul fuisset, vtique ordinarius fuisset. Cur

igitur

igitur in fastis consularibus nulla eius mentio? Quare non immerito suspicatur Bellarminus Clodoueum oblatam consulis dignitatem repudiasse; quod disertè affirmat & probat Baronius anno Christi D. VIII. Quem lege.

CAPVT X.

Non accepisse Carolum Magnum Imperij dignitatem Auctore senatu populóue Romano.

NOn negamus senatum populumque Romanum aliquid ad hanc Imperij in Carolum translationē contulisse, nimirum, approbationem, consensum, & publicam acclamationem & fortè approbationem & assensionem non tantùm subsequentem; sed & antecedentem; neque enim à fide prorsus abhorret, Leonem de suo consilio feciſſe senatum certiorem. Hoc solummodo inficiamur, Senatum populumque Romanum aliquid ad hanc translationem contulisse per modum caussæ efficientis, & ex auctoritate ad hanc Imperij traditionem Carolo factam concurrentis. Nec Illyricus multum præsidij in hoc translationis titulo ponit. Obiicit tamen sex Auctores, qui dicere videntur, *Senatus decreto & plebis scito Imperium ad Carolum peruenisse*. Quorum tamen omnium testimonia in sensum commodum & verum accipi posse; excepto Onuphrio, ostendit Bellarminus. Iunius hinc inde quædam vellicat illis suis volsellis. *Negamus, Inconsequens ex dissimili. Falsum. Negatur. Non sequitur. Falsa omnia ex falsa loci interpretatione. Hæc omnia disputatoris caussam non iuuant.* Et multo minus hæc tam putida iuuant caussam huius refutatoris. Quid enim eruditionis vel ingenij in huiusmodi animaduersiunculis? Quibus tamen Iunius Bellarminianas disputationes funditus euerti vanè somniat. Qui hoc loco tam est liberalis, vt laudem translati Imperij, cum omnibus istis, tanquam cum caussis principalibus effectiuis, communicet, cum omnibus, inquam, proceribus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, regnorumq; vniuersorum, quæ obtinebat Carolus: Cumque Senatu populoque Romano, Pontifice & Clero; *nam horum omnium decreto & auctoritate, Carolo Magno Imperium delatum fuisse* ait. Num iustè, an iniustè? Audi, quid Nouator audax ad caput octauum libri quinti de Pontifice effutiat: *Translatio in fieri fuit vitiosa, in qua nec Leo III. nec populus Romanus, nec ipse Carolus officium fecit. Nam quod ipsi bellum erat cum Imperatore orientis?* At bellum ei fuit cum Longobardis, quos & deuicit. Et quia Imperium occidentis propemodum vniuersum à Constantinopolitanis Imperatoribus desertum erat; meritò in vacuam possessionem Carolus, Rex tam potens, & Ecclesiæ defendendæ tam idoneus, missus est.

Subdit Iunius: *Translatio in factum esse (vt ita dicamus) desiit vitiosa esse, præsertim cum Irene Imperatrix & Constantinus filius Leonem Constantinopoli allegauerunt ad Carolum Magnum, & ipsi quorum intererat cedentes iure suo pacem cum eo statuerunt.* Vbi vides iustitiam huius translationis, nec à proceribus omnium Regnorum Caroli, nec à senatu populoque Romano, nec à Pontifice & Clero Romano, sed à solis Græcis manasse: & tamen supra semper clamitabat Iunius cum suo Illyrico; *Carolum iusto armis & virtute sua Imperium sibi peperisse.* Nunc iustam eius possessionem in acceptis referre debet Irenæ & filio eius Constantino. Quæ hæc vertigo? De Godefrido Viterbiensi, ex quo euincere vult Iunius; Carolum factum esse Imperatorem decreto procerum Francorum, diximus iam alibi. Tota illa consultatio, quæ à Godefrido carmine describitur, poëtica est; & si deliberationem illam penitius intuearis, intelliges de Imperiali dignitate Carolo danda in ea non esse actum; sed de imperio Longobardorum in Italia occupando & retinendo: cum enim Carolus Magnus contra Longobardos in subsidium Ecclesiæ vocaretur, responsum est à Francis, id frustra fore, nisi euersis Longobardis, Francicum Imperium in Italia stabiliatur; nam & Pipinum antea Ecclesiæ suppetias aduersus Longobardos veniſſe; nec tamen regressis in Gallias Francis, pacem Ecclesiæ à Longobardis fuisse. Igitur Longobardicum Imperium Carolo petitum & destinatum est; quod victo Desiderio anno salutis DCC. LXXIV. reipsa illi cessit: Imperij Romani corona aliquot demùm pòst annis partâ.

CAPVT XI.

Non deueniſſe ad Germanos Imperium donatione Græcorum.

ITam hoc loco aduersus euidentissimam veritatem conatur Iunius Illyrici ineptias & pseudologias vel defendere, vel excusare; sed sanè perquam frigidè. Quomodo enim aliter aperta mendacia defenderentur? Contendit Illyricus: *Carolum habuisse Imperium Romanum, antequam à Leone coronaretur, dono & concessione Irenæ Imperatricis Constantinopolitanæ:* Neque vllum Auctorem pro hoc suo figmento stabiliendo afferre potest; qui istud disertè affirmet, sed iis solis nititur, qui ab Irena legatos ad Carolum de pace & fœdere missos dicunt: Et hoc prius, quàm Leo Papa Carolum coronaret: quam quoque prius à Nicephoro Imperio exutam Illyricus ex Martino Polono ostendere nititur.

Iunius de variis *donationum* generibus & formis hìc differere ingreditur. Opportunè scili-

cet. Num quæstio est, quid sit *donatio*, & quotuplex? An verò num Irene, vel alius Græcorum Imperatorum Carolo Imperium occidentale donauerit? Aequè opportunè rursus distinguit Iunius homonymiam vocis *Imperij*, ex cuius ignoratione Bellarminum semper decipi calumniatur. Sed quidquid iste de *æquiuocatione* tricetur, non vt veritatem extricet, sed vt intricet; illud, si vlla fides historicis habenda, exploratum est, Irenen Imperium Carolo non donasse, quomodocunque tandem nomen *Imperij* vsurpes: idque videre licet percurrendo omnes legationes quas Irene partim cum filio; partim sola Imperans ad Carolum Magnum misit, quarum nonnullas recenset quoque hic Bellarminus ex Annalibus Francicis.

Prima legatio missa est anno secundo Constantini & Irenes, anno Christi DCC.LXXXI. de qua Theophanes, Cedrenus, Zonaras. Eius caussa alia non fuit, quam vt Carolus filiam suam nuptui traderet Imperatori Constantino. Nec postulata abnuit Carolus; vt tradunt iidem scriptores; apud quos altissimum est de Imperio cum Carolo in hac legatione communicando vel communicato silentium: quia fundus & scopus totius legationis erat sponsa Constantino quæsita & à Carolo petita; tametsi postmodum nescio quas ob caussas offensa Irene Carolum res suas habere iusserit; & aliunde filio suo vxorem accersiuit: vt prædicti Annalium scriptores testantur. Vide Baronium anno Redemptoris DCC.LXXXVIII. qui est Nonus Imperij Constantini & Irenes.

Altera legatio Irenes ad Carolum Magnum memoratur in Annalibus Francicis anno DCC. XCVIII. qui erat Annus secundus, postquam Irena Imperium recuperauerat, & sola regnabat. Accipe verba Annalium. *Epistolam Herenæ Imperatricis, cuius filius Constantinus anno priore excæcatus est,* (de quo lege Baronium anno DCC.XCVII.) *à Constantinopoli per Michaël patricium Frigiæ & Theophilum Presbyterum pro pace missam suscepit. Quos cum remisisset, remisit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi, iam dudum in Italia prælio captum.* Nihil penitus hîc audis de Imperio Occidentis ab Irene per donationem in Carolum translato.

Clamat Iunius. *Non valere argumentationem ab auctoritate negatiuè.* Quæ obiectio vbique est in promptu Iunio, cum ad caussam illius facere vid tur. At lector, posito affectu, consideret, vter rectius faciat; Illyricus, qui ex legationibus Irenæ ad Carolum concludit; Carolo Imperium occidentale ab Irena esse donatum; cum huius donationis ne vnum quidem iota in omnibus Historicorum monumentis inueniatur, omnesque legationes, aliarum caussarum, vt connubij, pacis & fœderis meminerint; an Bellarminus, qui negat, ex his legationibus vllam donationem Imperij occidentalis Carolo ab Irena fa-

A ctam cuinci posse; tum propter totam antiquitatem, quæ aliunde ad Carolum Imperium peruenisse testatur, tum quia Annales Francici, & alij, rem tam memorabilem non reticuissent; quid enim Annalibus Francicis potius intexendum fuisset, quàm hoc, quo nil glorioſius Francorum regno accidere potuisset? tum quia nec Illyricus nec Iunius sibi constant: nunc enim dicunt, Carolum obtinuisse Imperium iure belli; nûc consensu & decreto senatus populique Romani, & procerum omnium regnorum Caroli; nûc aliud comminiscuntur, prout fert contradictionis spiritus & impetus: etsi huic suo Vertumno, quem in sinu gestat, Iunius prætexit *homonymiam* vocis, *Imperij*; vt ex multis eius significatis multos
B Imperij, vt sic dicam, *translatores*, constituere, & ad quemlibet aliquam particulam deriuare possit.

Tertiam legationem Irenæ ad Carolum statuunt Annales Francici anno Christi DCCC.II. postquam Carolus iam coronatus fuerat à Leone anno superiore DCCC.I. in hunc enim annum reiiciunt coronationem Caroli, qui annum auspicantur à Natali Domini; qui verò à Calendis Ianuariis, Carolum anno salutis DCCC. coronatum tradunt. Reddamus verba Annalium. *Herena Imperatrix de Constantinopoli misit legatum nomine Leonem Spatarium de pace confirmanda inter Francos & Græcos, & Imperator vicissim, absoluto illo, misit Iesse Episcopum Ambianensem, & Hemgandum comitem*
C *Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent.* Hic iterum nullum penitus de Imperij occidentalis donatione verbulum: solus pacis cum Irena ineundæ fit mentio. Quàm bella est autem hæc Iunij & Illyrici consequentia? *Irena misit ad Carolum legationem de pace & fœdere; ergo donauit illi Imperium occidentis.* Digna Illyricano & Iuniano acumine consecutio. Fuit hic quintus & vltimus Irenę iterum & absque filio imperantis annus: quo per insidias Nicephori ab Imperio deiecta, & in monasterium detrusa est. Nec obstat, quod Zonaras scribit, Carolum misisse legatos, vt connubium Irenæ exposcerent: nec Irenam à matrimonio Caroli abhorruisse. An ideo sequitur, Imperium ab Irena Carolo fuisse donatũ, quod iam à Leo-
D ne Papa acceperat? Ergo Irena Imperium Carolo non donauit. Sed nec Nicephorus: quia Nicephorus, ejecta Irena, Imperiũ iniit anno DCCC. II. Carolo iam ad Imperialem dignitatem euecto. Nec satis constat, num Nicephorus in translationem illam consenserit; tametsi vltro citroq; legati de pace missi sunt. Ita enim Annales Francici, & hæc sit quarta Legatio Constantinopoli ad Carolum missa. Anno DCCC.III. *Winigisus à Grimaldo redditus, & missi Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt, & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris tunc Rempublicam regentis. Nam post aduentum legationis Franciæ, Herenam deposuerunt. Quos Imperator ad se venientes in loco, qui vocatur Saltz, super fluuium Sala suscepit, & auditos cum epistola facienda*

pacis

pacu continente remisit ad propria. Hic etiam nullum verbum de donatione Imperij occidentalis Carolo facta Nicephori beneficio, visitur aut legitur. Neque à Græcis Carolus *Imperatoris*, *Augusti*, aut *βασιλεως* nomine decoratur.

Nec de hac donatione quidquam reperitur in ea Nicephori legatione, (& hæc sit quinta) q̃ Annales Francici referunt ad Annũ DCCC. X. & DCCC. XI. quo Carolus legatos suos Græcanicis Constantinopolim redeuntibus adiunxit. De sola pace mentio fit. Græcorum enim Reipublicæ plurimum intererat cum potentissimo Francorum Rege & Occidentis Imperatore pacem facere. Occiso Nicephoro Anno DCCC. XI. Michaël Curopalata successit; hic legatos suos legatis Caroli Franciam repetentibus addidit; à quibus Carolus *Imperator* & *βασιλεὺς* salutatus & appellatus est: vt testantur iidem Annales Anno DCCC. XII. Neque tamen his titulis Carolo Imperium donarunt; sed in iam antea à Leone collatum consenserunt, hoc ipso, quod *Imperatoris* & *βασιλεως* titulo Carolum salutarunt. Nam id prius non legitur factum à Græcis; & posteris item annis Græci scriptores vix vnquã occidentis Imperatores, p talibus agnoscere dignati sunt; appellitantes eos plerunque *ῥηγας τῆς ἑσπερίας ἢ ἀλαμανίας*, vt alibi etiam monui. Luitprandus Ticinensis in legatione sua ad Nicephorum Phocam, quã iussu Othonis Magni obiit Anno Christi DCCCC. LX. VIII. de eodem Nicephoro sic scribit. *Ipse enim vos* (Othonem & Adelheidem) *non Imperatores, id est, βασιλέα, sua lingua*: sed ob indignationem *ῥηγα*, id est, *Regem, nostrâ vocabat. Cui cum dicerem: Quod significatur idem esse; quamuis quod significat, diuersum, me, ait, non pacis, sed contentionis caussa venisse.*

Nec aliunde exstitisse videtur illa Friderici I. apud Radeuicum lib. 1. cap. 6. contra Legatos Constantinopolitanos indignatio, nisi quia suo Imperatori titulos Imperiales tribuebant; Fridericum autem non *βασιλεα*, sed *ῥηγα* duntaxat vocabulo afficiebant. Huc enim spectare videntur illa Radeuici verba. *Quia tamen verba eorum in quibusdam fastum regalem, & Græcum in subornato sermone videbantur sapere tumorem, Imperator eos despexit.* &c. *& propè fuit, vt à quibusdam ignominiosum & arrogans responsum accepissent. Placatus tamen multis eorum precibus & lacrymis Imperator, veniam insuper his donauit, accepta sponsione, quod deinceps feruentes & impulsoſa, non nisi eam, qua deceret Romanum principem, & vrbis ac orbis dominatorem, reuerentiam suis salutationibus apportarent.* Quam seriò quoque Fridericus nomen *Imperatoris* & *Augusti* contra Græcos sibi vendicarit, apparet ex oratione, quam habuit ad Legatos Græcos in Expeditione sua Asiatica seu Peregrinatione Hierosolymitana Tom. 5. Antiq. Lect. vbi inter cætera sic loquitur. *Annosit Dominus vester, quis sim? nondum forsitan me agnouit? Sum vtiq; & dicor* FRIDERICVS ROMANORVM IMPERATOR, ET SEMPER AVGVSTVS, *à quadringentis annis Romani sceptrum Imperij legitima, & successiua antecessorum meorum possessione, mihi transmissum, tricennali possessione, hucusq; inconcussè tenui, & adhuc obtineo, nullo Principum reclamante. Quod qualiter propter desidiam, & tardum succursum cuiusdam ex prædecessoribus Domini vestri à Constantinopoli Romam translatum sit, testificantur illi, qui gesta Romanorum, & Friderici seriem reuoluerunt. Nõ ergo* ROMANORVM, *sed potius* ROMANIORVM *moderatorẽ se dicere debuisset.* Et hæc ita Fridericus palam dixit, quia Imperator Græcorum in literis, quas Friderico miserat, *nomen eius* tacuit, vt ait Tageno in Expeditione Friderici, qui eum in hanc quoque sententiam locutum tradit. *Carolus victoria felix, præcessor noster, diuæ memoriæ, monarchiam Vrbis Romæ obtinuit, & plus, quam quingentis annis sine interruptione ad tempora nostra vsq; derivata est, & nos, autore* DEO, *& Principum libera electione, celsitudine sacri Romani Imperij iam fermè triginta octo annis potestatiue gloriamur. In Vrbe enim Roma (quæ domina, & caput orbis dicitur) coronam, & Imperium totius Christianitatis de altari B. Petri Apostolorum principis accepimus, ab Hadriano Papa successore Petri solenniter vncti oleo exultationis præ participibus nostris sumus, & nomen nostrum celebre, & gloriosum in ea habetur. Hæc idcirco diximus, si forsitan dominus vester nomen, & dignitatem nostram ignorat. Nos de cætero (vt sciatis) literas eius non recipiemus, nisi solennitas nominis, & maiestatis nostræ expressè in iis contineatur. Nos enim eum suo nomine appellauimus, & appellamus.*

Nunc iterum ad rem. Iunius plures adfert legationes Græcorum ad Carolum; sed quæcunque adferantur, certum est in illis non nisi de fœdere sanciendo tractatum: nullamque de donando Imperio quæstionem fuisse, quia nimis serum erat donare velle, quod iam Carolus pleno iure possidebat. Miror antè ab Illyrico, itemque Iunio omissum, Godefridum Viterbiensem, qui de Carolo hæc canit, ex quibus cautæ suæ aliquid fulcimenti petere fortean potuissent.

Carolus vt fungi statuit diademate mundi,
Pontificis summi manibus decreuit inungi. &c.
Nec tamen Imperij tunc plenum culmen adegit.
Nam Leo Græcorum Rex diadema regit.
Cumq; foret magni terroris fama per orbem,
Quod caput Italiæ iam Carolus obtinet vrbem,
Gliscit vt & Romam possit habere nouam.
Non satis est Regem Romæ captasse fauorem,
Nec putat Imperium pleno retinere decore,
Vndè super Danaos protinus arma mouet.
Migrat in Ausoniam, pleno petit ista rigore,
Græcum vt Imperium sibi deferat absq; tenore,
Ille necem metuens congrua pacta monet.

Verum hæc & similia haud indicant Carolũ absque Græcorum assensu non fuisse legitimum verumque occidentis Imperatorem; sed Carolum, pro ea, qua erat animi magnitudine, occidentem cum Oriente, vel potius vice versa, Orientem cum Occidente, iungere voluisse; ni Græci quiescerent; & ob Imperium Occidentis sibi

delatum molesti esse desinerent. Nec iuuant Illyrici causſam, quæ idem Godefridus de diuisione Imperij inter Græcos & Carolum scribit.

Pacta parant Reges, vt frater vterq; vocetur;
Diuidit Imperium, sed honor communis habetur.
Græca tenet Græcus, sit sibi Roma vetus, &c.
Græcia transegit, placuit transactio Regi.
Consensu Graci Carolus sibi culmen adegit.

Consensu, inquit; non, *donatione*. Et consensu post Imperium Carolo datum, subsecuto; nam initio ægerrimè ferebant hanc occidentalis Imperij ad Carolum translationem: postea consenserunt vel inuiti. Et diuisio maximè ad terminos prouinciarum pertinebat; qui inter Carolum & Constantinopolitanos fœdere icto, fixi fuerant; de quibus etiam Platina in Leone III.

Illud ad extremum obseruetur, cum Marsilius de Padua parte secunda sui Defensoris cap. 30. apertè & nudo capite, vt facit Illyricus, inficiari non auderet Papam ad Francos & Germanos Imperium transtuliſſe, aliud effugium quæsiuit, & quidem perquam vulpinum: nempe Pontificem Imperium transtuliſſe, non sua, sed aliena auctoritate nimirum Imperatoris, instar Cōmissarij. *Si translatio Imperij Romani*, inquit, *vel Imperatoris alicuius institutio dicatur, aut scribatur vtè facta fuisse per Papam Romanum solum, aut per ipsum cum suo solo collegio clericorum, & verum sit huiusmodi dictum, aut scriptum; oportet translationem, aut institutionem iam dictam per ipsos intelligere factam, per auctoritatem illis concessam ad hoc, à Romani Imperij legislatore humano supremo, per medium, aut sine medio; vel ab eis quidem non factam simpliciter, sed modo quodam, vt publicatam, vel pronunciatam, auctoritate tamen predicta. Transtulit enim forsasse, aut instituit circa imperium aliquid legislator predictus, quod postmodum solo Papa Romano, tanquam reuerentiori persona vniuersitatis humanæ, vel sibi cum suis sacerdotibus, velut venerabiliori clericorum collegio pronunciandum, vel publicandum cōmisit, non quidem propter facti, vel fiendi necessitatem, sed solemnitatem tantummodò, cum translationes principatus legum, & principantium institutiones, similiter & officia ciuilia reliqua, in quantum huiusmodi, quantum ad eorum robur, ex sola legislatoris iam dicti electione, seu ordinatione dependeant*, &c. Sed hæc & similia nil aliud sunt, quàm somniantis Marsilij deliria. Scilicet Irena, (hæc enim sola imperabat, quando Carolus à Leone coronatus est,) Leoni III. mandauit, vt suo nomine Carolum consecraret, & occidentis Imperium in humeros illius transferret.

CAPVT XII.

Romanum Pontificem iure suo Imperium à Græcis in Germanos transtuliſſe.

PENDET quæstionis huius definitio ex his duabus propositionibus. I. *Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ caput, patrem, pastorem.* II. *Romanum Pontificem totius Ecclesiæ pastorem, ita non modo priuatis hominibus, sed & Regibus & Imperatoribus Christianis præesse, vt si causſa Christi & Ecclesiæ id exigat, possit eos regnis atq; imperiis exuere, eaq; regna & imperia ab aliis ad alios transferre.* Prior fusissimè probata & defensa est lib. 2. de Pontifice. Hìc à Bellarmino ex solis Imperatorum testimoniis demonstratur; quorum agmen ducit Carolus Magnus, cuius hac de re iudicium recitat Bellarminus ex Krantzio. Occinit Iunius: *Esse humana testimonia. In diuinis autem rebus facta non humano iudicio, sed auctoritate diuina pensari debere.* Iam ius diuinum copiosissimè allatum est lib. 2. de Pontifice. Cui cur testimonia hominum, & quidem non triuialium, sed Regum & Imperatorum adiicere non liceat, vt magis illustretur? Quæ ratio hoc vetat?

Iunius hoc responso non contentus, etiam conuiciorum missilia in tantos principes vibrare non veretur. *Hos*, inquit, *Imperatores tria deceperunt maximè: Iuris diuini ignoratio* (quia in Caluini & Lutheri schola non fuêre educati & instituti) *superstitiosa in administros religionis æmulatio.* (Manauit & hic defectus ex defectu institutionis Geneuensis & VVitebergensis, hæc enim accuratissimè docet, quid quantumque reuerentiæ Antistitibus religionis tribuendum sit.) *Et indigna Pōtificum ex aliena ignorantia & superstitione vsurpatio, diuturno vsu & consuetudine confirmata.* Certè omnes Imperatores, quorum testimonia Bellarminus profert, Iunium vno ore ceu mendacem damnarent; si hæc de se, vt impudenter, ita & prorsus temerè pronunciata & chartis intexta legerent. Nam vt de solo Carolo Magno dicam; is cum in plerisque aliis, tum in iis itidem, quæ ad fidem Christianam pertinent, admodum versatus fuit. Eginhardus in vita Caroli. *Inter comendum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum Regum gesta. Delectabatur & libris sancti Augustini, præcipuè iis, quos de Ciuitate Dei conscripsit*, &c. *Artes liberales studiosissimè coluit*, &c. *Legendi atq; psallendi disciplinam diligentissimè emendauit, erat enim vtriusq; admodum eruditus.* I nunc, Caluinista, & Carolum Magnum ignorantiæ postula: qui ad Caroli dicta & testimonia nil aliud regerit; quàm *hæc*, quæ dicit Carolus; *negamus vera esse.* Carolus dicit, Adrianum fuisse *summum Pontificem; fuisse vniuersalem Papam; fuisse penes illum præcepta dandi potestatem. Hæc tria negamus*, inquit Iunius. Quid vis amplius? At nos

hic

hic non attendimus, quid tu neges, ſed quid Carolus Magnus affirmet.

Inuehitur poſtea in Leonem III. in Carolum Magnum, & in Epiſcoporum cõcilium; in illum, *quòd iuramento obiecta crimina diluere voluerit.* In hos; *quòd hac ratione ſibi ſatisfieri paſſi fuerint*; Et multa nequiter admiſcet, & iniicit non Leonis, ſed Caluiniſtico pectori conſentanea, quaſi Carolus *de induſtria accuſationes nimiũ rigidè non examinarit, ne Leo criminum obiectorum perſpicuè reus teneretur.* Sed hæc omnia nil aliud ſunt, quàm ſycophanticę calumniæ, ab eo profectæ; qui alios ex ſuo ingenio æſtimat; & qui in corde illud exaratum habet: *Iurauit lingua, mentem iniuratam fero.* Item *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* An nemo vnquam innocentiam ſuam iuramento probauit? An volebas, vt *vomere ignito* ſeu *ferro candente*, aut *duello*. Francis vſitata probatione, Leo innocentiam ſuam planam faceret?

AEgrè in animum inducit Iunius credere; Leonem fuiſſe innocentem. Si adfuiſſet, ipſe cæteris calumniatoribus diffugientibus, & prę metu in tenebras ſeſe abdentibus, profiliiſſet; & criminum probationem, ſpiritu Caluiniano incenſus, proculdubio ſuſcepiſſet. Verba illa Epiſcoporum & totius Synodi ad Carolum Magnũ: *Nos ſedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, iudicare non audemus: nam ab ipſa nos omnes & Vicario ſuo iudicamur, ipſa autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex conſuevit, iubeat, Canonicè obediemus*; hæc, inquam, verba ſtomachum fermè Iunio euerterunt. Itaque hanc bilem exſpuit. *Si ita eſt, quid ad nos? Nimirum hoc factio Leonis & Epiſcoporum, non Dei & Chriſti veritas locuta eſt. Indignè factum. Nam quo iure de aliis cognoſcatur, de Leone verò minimè?* Ius hoc eſt, quia Papa omnium ſupremus eſt. Regredere ad cap. 26. Lib. 2. de Pontifice. Tu verò lector de hac tota actione Baronium conſule Anno Chriſti DCCC.

Secundus Imperator eſt Otho Magnus, qui Ioannem XII. vocat ſummum Pontificem & vniuerſalem Papam. Iunius. *Hæc publici erroris & iamdiu recepti verba.* Quis tandem, ô Erro, proferetur, qui tuo iudicio, publicum errorem non errauerit? Cuius non tantum arguis Carolum Magnum & Othonem Magnum, quos conſtat ſedis Apoſtolicæ ſummos fuiſſe patronos, ſed & illos, qui Romanam Eccleſiam, eiuſque legitimos paſtores hoſtiliter perſecuti ſunt; inter quos Henricus IV. Henricus V. alij, à Bellarmino nominati. *Hi omnes*, inquis, *partim erroris illius publici tenebris tenebantur* (quas tam feliciter fumoſus & fuliginoſus ſol Geneuenſis diſpulit) *partim cogebantur aliena importunitate & graui metu perdendi ſui.* Scilicet, valdè his angebantur & cruciabantur validiſsimis & fortiſsimis exercitibus inſtructi, quibus Eccleſiam Romanam oppugnatum, & legitimos paſtores expulſum ibant. Religio, ô Caluiniſta religio; illa, quæ Bellarminus ex Epiſtolis Henrici IV. refert Elogia. Romanæ Eccleſiæ eiuſque præſuli tributa, exprompſit: Neque enim ſchiſma, ex generoſis alioqui pectoribus, omnem religionis ſenſum diſpungere poterat, præſertim accedente vexatione, quæ, iuxta vetus verbum, durioribus *intellectum dare* ſolet. Nam Henricum, & alios ſummam & vniuerſalem Romani Pontificis poteſtatem agnouiſſe; inde liquet, quòd legitimis Pontificibus, cum quibus gerebant inimicitias, oppoſuerunt *Antipapas*; quos tanquam Vicarios Chriſti venerabantur. An non Henricus IV. in terram proſtratus ſuum Guibertum adorauit?

In teſtimonio Henrici V. omittit Iunius id, quod præcipuum eſt, & vellicat id, quod ad rem nihil facit: Nam Bellarminus probare vult ex Imperatorum teſtimoniis, Romanum Pontificem eſſe totius Eccleſiæ caput & paſtorem vniuerſalem; hoc diſertiſsimis verbis affirmat. Iunius præterſiliens, de imperiali conſecratione & benedictione garrire incipit; & more ſuo inſcitas inſulſaſque diſtinctiones de vocabulo *Imperij* & *conſecrationis Imperialis* adducit. Et tandem iterum *ad publicum errorem* confugit; & quidquid Henricus V. Fridericus I. Fridericus II. in laudem Eccleſiæ Romanæ & Pontificis ſcripſerunt, vel dixerunt, id *publico errori, & inueteratæ conſuetudini* adſcribi debet. At ſi quid in vituperium Eccleſiæ Romanę & Papę vel fecerunt, vel dixerunt; id iſtis merum Euangelium eſt, dulcius omni melle & fauo.

Ait Bellarminus, Imperatores non ſolum poſt tempora Caroli Magni, ſed etiã antea profeſſos, Romanum Pontificẽ eſſe caput Eccleſiæ: citatq; Epiſtolam Valentiniani III. ad Theodoſium Iuniorem: in qua Romano Pontifici antiquitas principatum ſuper omnes contuliſſe dicitur. Iunius dubitat num hæc Epiſtola ſit genuina, adfertque rationem ſanè perquam acutam. *Quia in tam breui Epiſtola vox* QVATENVS, *bis ponitur, cuius tum quidem non erat recepta, aut adeo trita illa ſignificatio.* En cor Grammatici. Quid ſi Epiſtola illa primitus Græcè ſcripta fuit, & poſtea in Latinum ſermonem tranſlata? Quid ſi primum Latinè, ſed meliore ſtylo, poſtea tranſlata fuit in Græcum; & ex hoc rurſus in Latinum, ſed muſa deteriore; vt multis veterum monumentis accidit? Deinde fatetur Caluiniſta, voculam hanc ſæculo illo fuiſſe tritam; ſed non *vſq; adeo*. Quid ſi Actor illius Epiſtolæ hanc non *vſq; adeo tritam notionem* amplecti voluit?

Subiungit Iunius. *Quid hæc huius Epiſtolæ ad trãſlationẽ Imperij?* Iam dixi tibi; Bellarminũ teſtimonia Imperatorũ nõ produxiſſe, vt probet Imperiũ eſſe tranſlatũ à Papa ad Carolum; ſed vt oſtẽdat, primã illam propoſitionẽ: *Papã eſſe caput & paſtorem totius Eccleſiæ.* Ex probatione enim huius & ſecundæ illius, de qua initiò capitis, concludit Bellarminus, Pontificem iure ac meritò potuiſſe Imperium occidentis ad Carolum Magnũ tranſ-

ferre.

ferre. Tu cur omnia peruertis, nisi quia mente es peruersa, hoc est, Caluinistica?

Ad alterius propositionis supra positæ confirmationé repetit Bellarminus quædam ex lib. 5. de Pontifice. Inter cætera dicit, potestatem Ecclesiasticam & politicam, quando principes sunt Christiani, & in Ecclesiæ Catholicæ membris ac filiis numerantur, ita coniungi, vt vnam Rēpublicam, vnum regnum, vnam familiam, imò & vnum corpus efficiant. Iunius contra. *Si quod inde constatur, esset vnum; aut esset vnum numero, aut specie, aut genere. Nihil horum dici potest.* Respondeo, esse vnum numero; quia vbi coniunguntur; vnam numero Rempublicam efficiunt, item vnū specie, non quidem Physica, sed morali & quasi politica: quia huius loci Christiana Respublica, ex potestate Ecclesiastica & ciuili cōflata, est vnum quid specie cū alia quacunq; indiuiduali Christiana Republica. Est deniq; vnum genere; quia omnes istæ Respublicæ in communi conceptu & notione Christianæ Reipublicæ conueniunt. Si autem miratur Iunius, quomodo ex diuersis specie rebus, vt ex potestate Ecclesiastica & ciuili, constitui possit vnum numero & specie, miretur pariter, quomodo ex anima & corpore, & generatim ex forma & materia constitui possit vnum numero & specie compositum; ex tot diuersis gradibus, vna numero familia; ex tot specie distinctis rebus vna numero domus, & vnum numero vniuersum; vnum, inquam, saltem per aggregationem.

Illustrat Bellarminus imperium Ecclesiasticæ potestatis in ciuilem, quando cum illa in eadem Republica coniungitur; exemplo Imperij quod habet anima in carnem, quando cum illa copulatur. Iunius. *Ex dispari non sequitur quidquam.* Et mox varia disparitatis capita percensere incipit: *quia coniunctio animæ & corporis est à natura; hæc, ab humano instituto: illa essentialis: hæc, accidentaria, illa vnum subiectum efficit; hæc, minimè; innumera sunt, si vellem persequi.* Mirum, à te omissum hoc discrimen: quia anima & caro sunt duæ substantiæ; potestas Ecclesiastica & ciuilis *accidentia*, vel *quasi accidentia*. An non est hoc ingens discrimen? Friuole nugator, num in exemplis requitur omnimoda similitudo? Num necesse est, vt exemplū, & id, cuius gratia exemplum producitur, sibi mutuò in omnibus consonent ac concinant? Si ita insanire velimus, oportebit, vt omnia exempla, omnes parabolæ, omnesque similitudines de medio tollantur: quia semper aliquid disparitatis assignare licebit.

Eiusdem farinæ sunt, quæ postea Iunius garrit de diuersitate nexus, quo inter se copulantur anima & corpus; Et ex altera parte; potestas Ecclesiastica & ciuilis: *nam accidentia nunquam connexione tam firma coagmentari, quàm substantiales & essentiales compositi partes.* Omnia hæc extra causſam blaterantur. Nam qualiscunque sit illa vnio, qua potestas Ecclesiastica & ciuilis vniuntur; semper verum est, illam præesse; hanc, subesse debere; sicut semper verum est; animam cum carne vnitam debere imperare; carnem, imperata facere, qualiscunque sit demum illa vnio, quæ inter animam & carnem intercedit. Sed hac de re libro quinto satis disputatum est.

Nec quidquam alicuius momenti adducit Iunius; nisi quod fronte dura, quidquid aliter eludere nequit; negat: Et hos insuper flosculos nobis contemplandos offert. I. *Ecclesiam non esse præditam vlla potestate puniendi subiectos pœna aliqua temporali. Nego*, inquit, *penes Ecclesiam potestatem esse priuandi olitorem sua vecula, ligone, sarculo; multo minus priuandi regno suo Regem.* Sed hæc aliter non probat, nisi affirmando. At Bellarminus & hic & libro 5. de Pontifice copiosissimè demonstrat, plenam potestatē suppetere Ecclesiæ disponendi & statuendi de rebus temporalibus fidelium; sed indirectè, hoc est, in ordine ad finem spiritualem. Nec verbum addo: Quia hæc res alibi satis superque tractata est. Et ex hoc fundamento rectè deducit, Bellarminus; iure, legitimè ac ordine feciſſe Pontificem, quando Imperium occidentale à Græcis ad Francos transtulit.

II. Flosculus Iunianus. *Ecclesiasticam potestatem non esse potestatem sed ministerium. Vbi potestas dicitur, catachresis est*; inquit Iunius. Si ministerium excludit rationem potestatis propriè dictæ, sequitur nullam quoque fore ciuilem potestatem, nisi per *catachresin*. *Dei enim minister est*, teste Apostolo Rom. 13. magistratus ciuilis, ergo potestas politica, Dei ministra est; ergo solummodo potestas per *catachresin*; si delirium Iunij fidem meretur. Non excerpo plures flosculos, tametsi possem. Nec necesse est alias Iunij notatiunculas persequi, tum quia inanes, tum quia libro 5. de Pontifice dispulsæ sunt.

CAPVT XIII.

Soluuntur aut soluta demonstrantur argumenta Illyrici.

IN prima acie collocat Illyricus Cusanum & Henricum Kalteisen, quorum ille, *simpliciter negat, Carolum Magnum fuisse Imperatorem, Imperium enim Germanorum in Othone I. cœpisse.* Bellarminus euidenter ostendit, Cusanum hac in re grauiter lapsum esse: Et Cusano quarumlibet potius rerum, quàm Historicæ peritiæ laudem concedendam esse. Accurrit Iunius cum glossularum suarum *panacea* suppetiatum Cusano; *illum nihil aliud voluisse, quàm Imperium non fuisse translatum ad Carolum per Hadrianum Papam, prout asserit Innocentius* in cap. *Venerabilem*, extra de Electione; *totamq; Cusanicæ orationis seriem contra Innocentium dirigi.* Quod *panchrestum* Iunianum, (vt & alia pleraque illius) futilissimum est: nam Innocentius in cap. *Venerabilem* affirmat quidem & rectè, Imperium à Pontifice translatum esse ad Carolum,

sed.

ſed non dicit, à quo id factum ſit; tantùm abeſt, vt Adrianum Papam id feciſſe ſcribat. Quapropter Cuſanus contra Innocentium diſputare nō potuit; quaſi perperam ab Adriano hanc translationem factam aſſerat; cum, vt dixi, Innocentius Adrianum non nominet, ſed in genere duntaxat dicat, Imperium à Romano Pontifice ad Carolum peruenisſe.

Addit Cuſanus. *Et non inuenitur in ipſis hiſtoriis verum; Carolum nominatum Imperatorem; puta, ab Adriano I. Pontifice,* inquit Caluinianus Gloſſator Iunius. At clariſsimum eſt, Cuſanum abſolutè velle, Carolum non fuiſſe Imperatorem, atque adeo Othonem primum eſſe primum, qui hoc honore in occidente inſignitus fuerit, poſt euerſum ab Odoacre in Auguſtulo Imperium: Et hinc vrget etiam illud: à Romanis Pontificibus, maximè tempore octauæ Synodi, Imperatores Conſtantinopolitanos agnitos eſſe. Quo tacitè inſinuat, in occidente tunc nullos Imperatores fuiſſe, alioqui Romanos Pontifices non Orientales, ſed occidentales, velut rerum Dominos, nominaturos & honoraturos fuiſſe. Quaſi verò vtrumque fieri nequiuerit, & reipſa itidem factum ſit, vt ſcilicet Romani Pontifices vtroſque pro Imperatoribus haberent.

Hinc ait etiam Cuſanus, Carolum non Imperatorem, ſed *Regem & Patricium Romanorum* appellatum eſſe: licet Cuſanus hæc verba ſubiungat. *Quamuis quædam hiſtoriæ habeant ipſum in fine vitæ quaſi, Auguſti nomen à Romano populo recepiſſe, & etiam poſt eius mortem Imperator nominetur aliquando,* vt 15. q. 6. *Alium*: Quibus ſatis indicat Cuſanus, ſe non habuiſſe fidem hiſtoriis, quæ Carolum Magnum Imperio inſignitum fuiſſe tradunt: illudque penitus ſibi perſuaſiſſe, Carolum non ſolum ab Adriano ad hanc dignitatem non fuiſſe euectum, ſed neque ab alio Pontifice. Quæ ſanè magna eſt hiſtoriarum ignorantia, quemadmodum & illud: *quoſdam dicere; in fine quaſi vitæ Imperatorem creatum, & Auguſti nomine decoratum*: quandoquidem vnanimi conſenſu potiores & nobiliores Hiſtorici teſtantur, Carolum Magnum quatuordecim annos Imperium tenuiſſe. Certè Illyricus cauſſæ ſuæ melius conſuluiſſet, ſi hunc teſtem in Hiſtoriis tam peregrinū & hoſpitem in medium non produxiſſet.

Henricum Kalteiſen adiungit quidem Illyricus Cuſano ſocium; ſed nullum ex eo promit teſtimonium. Nec librum nominat, in quo tale teſtimonium ſit quærendum. Quare non immeritò cenſet Bellarminus de hac citatione nō valde eſſe laborandum. Mendacium autem eſt, quod dicit Iunius, Bellarminum non diſſiteri, Innocentium III. in cap. *Venerabilem, ab hiſtoria veritate aberraſſe.* Vbi hæc confeſsio Bellarmini, cum Innocentius non nominet Pontificem, à quo translatio Imperij facta ſit?

Et quia Iunius Cuſano ſemel operam ſuam addixit, purgare eum aggreditur ab alio errore; quem ei Bellarminus obiecit; nempe, *Cadalaum Parmenſem, electum eſſe Papam Anno M. LXI. à Legatis Romanis & communi omnium conſilio, Anſelmum verò Lucenſem, qui Alexandri II. nomen tulit à certis quibuſdam Romanis electum, cathedram Petri occupaſſe*; cum certum ſit, communi omnium hiſtoricorum, & totius Chriſtiani orbis ſuffragio, Alexandrum fuiſſe legitimum Papam; Cadaloum autem *pernicioſum Antipapam*: Illum, legitimo ordine & ratione electum; hunc, per vim & tyrannidem intruſum. Et tamen hanc lucem conatur Iunius nebulis ſuis obfuſcare; quas tamen ſol ille Baronianorum Annalium æquè diſſicit, ac ſol ætherius exoriens nocturnas tenebras. Vide Baronium Tom. 11. Anno ſalutis M. LXI. Nec Concilium fuit, multoq; minus *generale Concilium*; vt dicit Cuſanus, ſed *conciliabulum malignantium*: Conuentus ille Baſileenſis, in quo Cadalous deſignatus eſt non Papa, ſed Antipapa, licet Bertoldus quoque Conſtantienſis in ſuo Chronico, citatus à Iunio, *generale Concilium* vocet. Sed reſpectu regni Theutonici, nō ratione totius Eccleſiæ.

Admodū indignatur Iunius, quod dixit Bellarminus. *Ioannem Andream, Vincentium, Antoniū Roſellum, Gloſſam Decretalium, in hiſtoriis parum fuiſſe verſatos. Iudicium præceps,* inquit, *& illiberale.* Et tamen paulò poſt nominat Iunius, Gratianum ψευδόν, hoc eſt, *conſarcinatorem, mendaciorum eiuſmodi, quale eſt,* Iunio iudice, translatio Imperij. De exuſtione iuris Canonici facta à Luthero, dictum eſt ſatis lib. 1. de iure prohibendi noxios libros; vbi & de ſalubertima conſuetudine Hæreticos libros abolendi copiosè diſputauimus.

Quid ſentiendum ſit de Can. *Adrianum*, & de Can. *In Synodo*, apud Gratianum; diximus in Apologia pro Gregorio VII. & alibi. Ad eoſdem quoque à Iunio respondet Bellarminus in Recognitione ad hoc caput XIII. huius libri, & in Recognitione cap. 29. lib. 2. de ſummo Pontifice, & cap. 9. & 16. libri de Clericis. Lege Bellarmini Recognitionem.

Iterum nugatur Iunius de clauibus S. Petri & vexillo vrbis Romæ à Leone III. ad Carolum Magnum miſsis, quaſi horum munerum miſsione ſeſe & totam Romanam vrbem Carolo ſubiecerit; Quam vaniloquentiam iam alibi redarguimus. Hic addimus; vt hodie Pontifices aliquando ad principes mittunt gladios, quo meminerint, ſe eſſe fidei defenſores; ita olim, eandē ob cauſſam, miſiſſe vexillas; niſi velis, eo itidem cōſilio miſſa; vt in dimicatione cum hoſtibus iis inter alia ſigna militaria vterentur. Locus huius moris luculentus exſtat in vita S. Arialdi apud Baronium Tom. 11. Anno Redemptoris M. LXI. vbi de Herlembaldo Duce Romā profecto hæc leguntur. *Cui etiam Pontifex* (Alexander II.) *& Cardinales mirificum vexillum dedere, vt quoties hæreticorum veſania vltra modum inſaniret, illud in manu tenens eos reprimeret: quod conſtanter per decem & octo annos fermè impleuit.*

Sed

Sed quia scriptores claues à Pontificibus dono mitti solitas, nominate solent claues Confessionis sancti Petri, Iunius de *Confessionis* significatis disputare incœptat; Et vbi omnia dixit; omnia extra causſam dixit: Et quid *Confessio* S. Petri, vel claues Confessionis S. Petri sint, ne per somnium quidem vidit, tametsi somniator maximus. Lege hic Bellarminum, & imperitiam Iunij multum valere iubebis.

I. Lubet sub calcem huius primi libri ad testimonia trigintatrium Historicorum, quæ Bellarminus cap. 4. protulit, adiungere quosdam alios scriptores eidem translationi Imperij occidentalis in Carolum Magnum testimonium perhibentes; quorum primus sit Auctor ille, qui sub Arnolpho Imp. de gestis Caroli Magni quinque libros carmine conscripsit, quos edidit & scholiis deturpauit Reineccius sectarius Anno Christi M. D. XCIV. Libri quarti hoc est exordium:

Festa dies celsi, eadem celeberrima terris,
Virginei partus, Christiq; refulserat ortus,
Post octingentos ex quo processerat annos,
Tectus seruilis Dominus velamine formæ.
Et iam natalis tanti cumulauerat omnem
Lætitiam Romæ Caroli præsentia Regis.
Hic, cum Missarum sacro solennia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quæ corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claues Christus dedit ipse polorum.
Hinc & ante sacros artus cum mente fideli,
Effusis precibus sese Rex inde leuaret,
Ipsius imposuit capiti Leo Papa coronam.
Conclamat pariter populus, sacra personat ædes,
Ingenti iubilo, vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, sic concordi simul ore canentis;
Augusto Carolo Magno, pacemq; ferenti,
Imperij merito Romani sceptra tenenti
Gloria, prosperitas, regnum, pax, vita, triumphus.
Post laudes igitur dictas, & summus eundem
Præsul adorauit, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac nomine dempto
Patricij, quo dictus erat prius, inde vocari
Augustus meruit pius, Imperij quoq; princeps.

In quæ carmina Reineccius Scholiastes. *Nascitur hic quæstio, aut, si mauis προβλημα historicum*: AN PAPA ROMANVS IMPERIVM ROMANVM CAROLO CONTVLERIT. Miratur Hæreticus, hoc in controuersiam vocatum esse, cum explo-
A ratissimum sit, *Imperium occidentale à Papa non fuisse possessum; vt illud in Carolum transferre potuerit*; cum totum ius occidentalis Imperij tum penes Constantinopolitanos Imperatores fuerit. Muscas captat Nouator. Neque enim dicimus, Papam in Carolum transtulisse ipsas prouincias Imperij occidentalis, quo pacto possessor rei transfert rem, quã possidet, in alium; sed ius ad occidentale Imperium, omnesque eius prouincias, quas partim Carolus iam possidebat, partim armis repetere poterat; Carolo cõcessum affirmamus vna cum præeminentia, insignibus, honore & nomine *Augusti* atque *Imperatoris*; Et quamuis ius ad Imperium occidentale fuisset penes Imperatores Constantinopolitanos, vt vult Reineccius; quia tamen Ecclesiam à tyrannorum & barbarorum incursionibus nõ defendebant; sed omnia in occidente sursum deorsumque verti, sertique ac rapi sinebant, hoc iure suo absque vlla iniuriâ, per vniuersalem totius Ecclesiæ præsidẽ, priuati sunt, vt planum fit ex illis, quæ Bellarminus cap. superiore disputauit.

Agnoscit Reineccius inaugurationem factã à Papa. Sed addit, fuisse; *nudam ceremoniam, quæ nihil penitus Carolo contulerit.* Vbi probatio? Fundit deinde pleno cornu mendacia. I. *Inaugurationem*
B *ad Papam non pertinuisse, hinc neq; legibus, neq; consuetudine ea perfungi potuisse.* Quæso, cuius munus erit summum principem solenni ritu consecrare; si non sit summi sacerdotis? II. *Papam fecisse hoc æmulatione Constantinopolitani Patriarchæ; ab hoc enim Imperatores redimiri voluisse; à Papa nunquam.* Quid mirum? Papa erat in occidente: Imperatores Constantinopolitani in Oriente. Si Papa Constantinopoli resedisset, non à Patriarcha, sed à Papa inunctionem & consecrationem accepissent. III. *Papam forsan fuisse duntaxat Imperatorij nominis proclamatorem.* Collator fuit, nedubita, & iuris, & honoris, & nominis Imperatorij. Proba
C uit hoc euidẽter toto hoc libro Bellarminus. IV. *Inaugurationẽ præcessisse Senatusconsultum.* Contrarium perspicuè demonstratum est. V. *Imperatorum orientalium assensionem fuisse huius facti quasi ὕλην & formam, sine qua tota illa Papæ actio nihil valuisset.* Huius quoque mendacij vanitas manifesta est ex his, quæ hoc primo libro disputata sunt. Nec ideo Carolus tentauit Constantinopolitanos Imperatores placare, quasi absque eorum assensu, non fuerit legitimus occidentis Imperator, sed quia illos maluit habere beneuolos salua sua dignitate, quàm offensos. Multis deinceps probare nititur Reineccius; *Papam, Romam, & Romanos Carolo, & sequentibus Imperatoribus fuisse subiectos.* Nugas agit, Ius Romæ dixit Carolus; & alij nonnulli Imperatores, non vt Domini vrbis, & Papæ, sed vt defensores Ecclesiæ.

D Digreditur deinde ad Henricum IV. & Gregorium VII. Et vt illum laudibus immensis extollit, sic Gregorium conuiciis infinitis proscindit. Sed huic Inuectiuæ iam parauimus Apologiam pro Gregorio VII. Multa insuper mentitur & calumniatur de Controuersiis, quæ fuerunt Pontificibus cum aliis Imperatoribus, vt cum Henrico V. Vtroque Friderico & aliis. Et tandem totum conuiciorum *sarcum* in Romam effundit. Quæ omnia in disputatione de Pontifice variis locis & in Apologia pro Gregorio VII. depulsa sunt. Nos ad Auctorum enumerationem reuertamur.

II. MATTHÆVS VVestmonasterienſis in Floribus: *Annò gratiæ DCCC. I. Carolus Rex Magnus, cum*

in Vrbe Roma, plurima, quæ ad honorem Dei, & vtilitatẽ populi ſpectabant, diſpoſuiſſet, in die Dominicæ natiuitatis, cum Ducibus, magiſtratibus, & militibus, & turba magna nimis, baſilicam Principis Apoſtolorum Petri ingreditur. Vbi, à Domino Papa Leone, purpura regali induitur, corona aurea capiti eius imponitur, & regale ſceptrum ei in manibus datur. Hanc dignitatem ipſa die tantus Imperator, & magnificentiam promeruit: vt Imperator totius Orbis vocaretur & eſſet. Ipſo quoq; tempore directi ſunt Græcorum legati cum xeniis impreciabilibus, ab vrbe Conſtantinopolitana, ad Carolum regem, rogantes inſtantius, vt illud Imperium ſuſcipere dignaretur. De Græcis res aliter ſe habet: nam tranſlationi huic aduerſati ſunt. Vide Bellarminum cap. 11.

III. Gobelinus Perſona in ſuo Coſmodromio. *Carolus Magnus Anno Domini DCCC. I.* (Sequitur eos, qui annum auſpicantur à Natiuitate Domini) *in ipſo die Natiuitatis Dominicæ à Leone Papa III. in Imperatorem Romanorum coronatus eſt.*

IV. THEOPHANES in Chronico. *ὁ δὲ τὸν κάρυλλον ἀμπεχόμενος ἔγνω αὐτὸν εἰς βασιλέα χρηματίσαι ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου πέτρου χείρας ἁλείψ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, καὶ στεφανῶσαι βασιλικῶ διάδημα καὶ σάκκον, μυῆ δικαιοῦσθαι κτλ.* Ibid. 9. *Leo gratiam Carolo reponere volens, coronauit illum in Romanorum Regem, in Templo ſancti Petri Apoſtoli, vngens eum oleo à capite, vſq; ad pedes, Imperatoriaq; veſte & corona eum induens ac cingens. Menſe Decembri, die 25. Indict. 9.* Quare vitioſum oportuit fuiſſe exemplar Theophanis, quo vſus eſt Baronius, qui Anno Chriſti DCCC. Num. 6. Theophanem erroris notat, quod Carolum Kalendis Ianuarij Indict. Nonæ coronatũ ſcribat: Nam meus quidem Codex Theophanis Manuſcriptus ita, vt exſcripſi, de coronatione Caroli loquitur; præſertim cum etiam ex Miſcella Hiſtoria, quæ Paulo Diacono adſcribitur, idem teſtatum fiat.

V. Anaſtaſius Bibliothecarius in Chronico inedito. *Anno Imperij Heirenes* (ſolius) *quarto, octauo Kalendas Ianuarias indictionis nonæ, Carolus rex Francorum coronatus eſt à Leone Papa. & cum voluiſſet contra Siciliam claſſibus præliari, pœnituit, coniungi potius cum Heirene volens, legatis ad hoc ſequenti directis anno, Indictione decima.* De eadẽ coronatione pluribus agit idem Anaſtaſius lib. de vitis Pontificum in Leone III.

VI. Conſtantinus Manaſſes in ſuo Chronico. *Tum verò vicem Carulo referens Leo, Roma veteri ceum Imperatorem renuntiat, neq; tantum corona caput eius, more Romano, cingit: verùm etiam legibus Iudæorũ vſus, à capite ad pedes oleo totum perungit. Quod ſanè poſterius quibus ex cauſis, ac rationibus factum fuerit, equidem ſcire nequeo.* Mirari quis non iniuria poſſet, quod Chronologus iſte Leoni *vnctionem*, quaſi *Iudaicam* ceremoniam, obiicit, cum ipſimet Græci in ſuorum Imperatorum inunctione eodem ritu fuerint vſi, vt apparet ex his Curopalatæ verbis lib. de officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ. *Patriarcha vngit σωσειδῶς, ſpecie & formâ crucis, caput Imperatoris τῷ θείῳ μύρῳ, diuino vnguento, accinens ſonora voce, τὸ, ἅγιος. Sanctus.* Nam hymnum Triſagium vnctioni adhibebat; quem hymnum excipiebant, qui in ambone cum Patriarcha erant, *λέγοντες καὶ αὐτοὶ ὅσα τρίτον, τὸ ἅγιος, concinentes & ipſi ter, illud: Sanctus.* quia in Triſagio ter ponitur; *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*; eundemque hymnum mox populus iterabat.

Hominem quoque, qui baptizatur, Græci totum oleo perungunt, de quo ritu in extremo Commentario Manuſcripto Zonaræ in Canones Apoſtolorum, & cõcilia, hæc reperi; *ἐπὶ γυναικὸς βαπτιζομένης ὁ ἱερεὺς μόνον τὸν κεφαλὴν χρίει, ὁ δὲ διάκονος τὸ στόμα καὶ τὸ στῆθος, καὶ ἡ διακόνισσα ὅλον τὸ σῶμα. Mulierem, quæ baptizatur; Epiſcopus in capite ſolummodo vngit, Diaconus, in ore & pectore. Diaconiſſa, toto corpore.* Num & hic Græcorum mos Iudaicus eſt Manaſſi?

VII. MONACHVS ENGOLISMENSIS in vita Caroli Magni. *Ipſa autem ſacratiſſima Natalis Domini die, cum Rex ad miſſam ante Confeſſionem beati Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, Dominus Leo Papa coronam capiti eius impoſuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum eſt:* CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO MAGNO, ET PACIFICO IMPERATORI ROMANO VITA ET VICTORIA. *Antea enim Dominus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum, & patricius Romanorum: ſed, poſt laudes à Domno Apoſtolico, more antiquorum Principum, adoratus eſt, atq; ablato Patricij nomine, Imperator & Auguſtus eſt appellatus.*

VIII. FASCICVLVS TEMPORVM ſiue VVERNERVS ROLLEVVINCK. *Diadema Imperij à Leone ſuſcepit* (Carolus) *Romanis acclamantibus.* CAROLO *Auguſto à Deo Coronato vita & Victoria à Deo ſubminiſtretur.*

IX. COMPILATIO CHRONOLOGICA. *Hic Leo III. Papa Carolum Regem Francorum filium Pipini Regis inunxit & conſecrauit, & ſolenniter coronauit in Romanorum Imperatorem. Anno Domini DCCC. I. Vſq; huc Romanum Imperium à temporibus Conſtantini Magni filij Helenæ apud Conſtantinopolim manſit. Ex hoc iam per Apoſtolicam autoritatem in perſona Caroli tranſiit ad Germanos. Iſte Leo Papa Romanorum Imperatorem pronunciauit Carolum, & à cuncto populo acclamatum eſt in hunc modum*; Carolo Magno, Romanorum Auguſto, & pacifico Imperatori, à Deo coronato, vita, & victoria.

X. PAVLVS LANGIVS in Chronico Citizenſi. *Anno Domini DCC. LVI. per Stephanum II. in Germanos in perſonam, vt dixi, Caroli Magnifici principis fuit tranſlatum* (Imperium.) Non errat in re, ſed in Chronologia, & Pontifice. Ibidem diſputat Langius contra illos, qui Othonem I. tradunt eſſe primum ex Germanis Imperatoribus; nam Carolum & ſucceſſores eius vſque ad Othonem fuiſſe Germanos.

XI. Hiſtoria de Landgrauiis Thuringiæ cap. 6. *Carolus vocatus fuit à ſummo Pontifice Romam, & in Imperatorem coronatus.*

XII. Chronicum Magnum Belgicum ex Alberico. *In die Natalis Domini, cum Rex ad Miſſam ante*

confessionem B. Petri surgeret ab oratione, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto populo Romano ter acclamatum est; Carolo Augusto à Deo coronato Magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.

XIII. Andreas Ratisbonensis in suo Chronico: *Hic Karolus Magnus anno Domini DCCC. I. in die Natiuitatis Domini, dum ad Missarum solennia ab oratione surgeret, Leo Papa tertius nihil minus speranti coronam Imperialem superposuit, & Imperatorem pronunciauit, & à cuncto populo Romano acclamatum est*; Karulo Augusto, à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria. *Post quas laudes vnctus ab Apostolico, & antiquorum more Principum ab eo adoratus, ablato Patricij nomine Imperator, & Augustus appellatur. Nam antea eius titulus talis erat*: Carolus Dei gratia Rex Francorum & Lõgobardorum, & Patricius Romanorum.

XIV. Iacobvs Meiervs libr. 2. Annal. Flandr. *Anno DCCC. I. Oct. Kalend. Ianuarias. Carolus Rex ingenti omnium gaudio Romæ ab Leone Pontifice Imperij accepit insignia.*

XV. Hvldrichvs Mvtivs lib. 9. Chron. Germ. *Post hæc cogitauit Leo III. quibus rationibus efficere posset, vt sedes Romana haberet defensorem, si quid tale aliquid accideret; quandoquidem Cæsares Constantinopolitani non satis viribus, & opibus pollerent, ad defendendã Romanæ sedis dignitatem, & hactenus in seditionum, & tumultuum, ciuiliumq; bellorum motibus Romam deseruissent. Quas ob causas in Occidente opus esse Imperatore, qui hæc curet: Multa autem ob merita, nemo inueniebatur dignior Carolo Rege Galliarum: Primum, ob tot officia ab eo collata in Ecclesiam Romanam, & tot priuilegia concessa Pontificibus Romanis, &c. Hic ex causis Pontifex cum consensu suorum Cardinalium, & Episcoporum, appellatum Carolum Magnum Galliarum Regem, Imperatorem Romanum in Occidente. in die Natiuitatis Christi cum Missam celebrauit Pontifex, vertit se ad populum, & pronunciauit Carolum Romanum Imperatorem in toto Occidente. Omnis populus apertis tibiis clamarunt; Deus Carolo inuicto Augusto Imperatori largiatur pacem, victoriam contra hostes, incolumitatem, & annos vitæ lõgissimos. Alij clamabant; Dominus omnipotens fortunet omnes gressus, omniaq; consilia eius. Et statim aureã gemmis distinctam, pretiosissimam coronam imposuit illi Pontifex. Atq; ita peruenit ad Germanos à Græcis im Romani Imperij.*

Huic Mutio Hæretico addamus duos alios, Sebastianum Francum in Chronico suo, & Munsterum in sua Cosmographia. Agmen claudat Monachus S. Galli de rebus gestis Caroli Magni lib. 1. *Cum ibidem* (Romæ) *aliquot diebus reparandi exercitus gratia moraretur* (Carolus,) *conuocauit Antistites Apostolicus de vicinis partibus, quoscunq; potuit: & coram positis illis, & inuincibilibus gloriosissimi Karoli Comitibus, nihil minus suspicantem ipsum pronunciauit Imperatorem, Defensoremq; Ecclesiæ Romanæ.*

Finis libri primi.

DEFENSIO LIBRI SECVNDI, IN QVO PROBATVR, IMPERIVM ROMANVM DE GENTE FRANCORVM AD GENTEM SAXONVM SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATE TRANSISSE.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur succeßio Caroli Magni.

DAVCVLA huius capitis carpit Iunius. Illud ferre nequit, Ludouicum Arnulphi Imp. filium; Conradum ſucceſſorem eius; Et Henricum Aucupem ex gente Saxonum non habuiſſe coronam Imperialem. Quid indignatur Caluiniſta? An non hoc diſertè tradunt Hiſtorici? An ſuo ex capite Bellarminus iſtud exſculpſit?

Iunius Philoſophari incipit de *corona Imperiali.* Summa huc redit. *Imperatorem verè & eſſentialiter abſq; hac corona & coronatione conſtitui; eſſe ceremoniam ſolummodo accidentalem;* Et alia huius generis, quæ libro primo ſæpe audiuimus à Iunio aſſeri; nunquam probari. Obiicit Vrſpergenſem, qui dicit; Ludouicum Arnolphi Imperatoris filium *ſeptuageſimo octauo loco ab Auguſto Imperium ſuſcepiſſe;* (Sed titulo regio, non Imperatorio.) *Et duodecim annos regnaſſe;* nimirum vt Germaniæ Regem. Idem ſenſus Vrſpergenſis eſt, cum Conradum ſeptuageſimum nonum: Henricum autè octogeſimum ab Auguſto numerat: nam Vrſpergenſis reſpexit ad id, quod iſti erant in proxima potentiâ, non quod completè *in actu ſecundo*, quia Reges Germaniæ & Italiæ erant, ex quibus Imperatores deſignari, & tandem quoque ſuprema per coronationem Pontificiam adhibita manu, perfectè conſtitui ſolebant.

Dreſſerus obiicit Sigebertum Anno DCCCC. XI. *Certè Sigebertus Ludouicum Imperatorem nominat Romanum.* Et addit: *Ludouicus propter tyrannorum in Italia inſolentiam, & multâ malorum ingruentiam, non meruit Imperialem benedictionem.* vbi Dreſſerus, duo committit flagitia; primùm enim duos Ludouicos conflat in vnum contra expreſſam Sigeberti mentem. Nam Ludouicus ille prior, quem Sigebertus nominat Imperatorem, eſt Ludouicus Imp. hoc nomine tertius, qui anno Domini DCCC. LXXVIII. imperiũ iniit; Ludouicus, verò filius Boſonis; Ludouici tertij ex filia nepos, eſt ille, qui Anno DCCCC. imperare cœpit, (Baronio Ludouic⁹ IV. dictus) & anno DCCCC. IV. à Berengario Italiæ tyranno captus oculiſq; ſimul & imperio priuatus eſt. Vide Baronium Annis prædictis. At Ludouicus, de quo Sigebertus Anno DCCCC. XII. eſt filius Arnulphi Imperatoris; (ſic enim à pleriſque Hiſtoricis nominatur, quia à Formoſo Papa coronatus fuit Anno DCCC. XCVI. quamuis Baronius eodem Anno hanc coronationem pro legitima agnoſcere nolit) toto cælo differens à duobus illis Imperatoribus Ludouico III. & IV. auo & nepote.

Alterum Dreſſeri flagitium; quia decurtat Sigeberti verba; omiſsis iis, in quibus tota vis eſt poſita. Sic enim Sigebertus. *Ludouicus Rex Germaniæ moritur.* (Iſtud; *Rex Germaniæ*, amputauit Dreſſerus.) Qui, &c. *non meruit imperialem benedictionem;* (propter turbulentum Italiæ ſtatum,) hoc eſt, Rex tantummodo non Imperator fuit, *cui ſuccedens Conradus regnauit Annis ſeptem*, inquit Sigebertus, *qui & ipſe caruit benedictione Imperiali.* Dreſſerus. *Quid Conradus, qui Ludouico ſucceſſit, faciat in tanta perfidia? Papa enim Sergius Berengarium Italiæ Regem coronauerat, & Auguſtum appellauerat, vt ſcribit Onuphrius.* Conradus eandem ob cauſſam *benedictionem Imperialem*, vt loquitur Sigebertus, non obtinuit, propter quam ea caruit Ludouicus, Arnulphi filius, anteceſſor Conradi, nempe propter perturbatiſsimum Italici Regni ſtatum. Electus eſt autem Conradus in Regem Germaniæ Anno DCCCC. XII. quo, vt & Anno DCCCC. XIII. & DCCCC. XIV. nullus in occidente Imperator erat: nam Berengarius demum Anno ſalutis DCCCC. XV. Imperator eſt renunciatus & coronatus, non à Sergio, ſed à Ioanne X. Quod cur factum ſit, docebit te eodem Anno Baronius.

Conrado ſucceſsit Henricus Anno Domini DCCCC. XIX. de quo Sigebertus Anno DCCCC. XXXVII. *Henricus Rex moritur, qui, licet in vincendis inimicis glorioſus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quaſi conductitij mercenarij, alter alteri ſuccedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem Impe-*

rialem accepisset. Dresserus. *Quod modestè hic scriptor, imperialem benedictionem vocat, tu Bellarmine, non solum imperialem coronam, sed etiam Augusti nomen dignitatéq; appellas.* Duces sui facti habet Bellarminus Historicos; qui tres istos, Ludouicum Arnulphi filium, Conradum & Henricum nunquam Augusti vel Imperatoris appellatione affecerunt; aut profer vnum'si potes. Nam qua fide citaueris Sigebertum iam vidimus; vt & illud; non patrocinari Vrspergensem Iunio, cui bilem mouerunt illa Adriani IV. verba apud Auentinum lib.6.Annalium Boiorum. *Romanum Imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, vt Rex Theutonicorum non ante, quam ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem, Rex. post, Imperator.* Clamat Caluinista: *Hoc Pontifex dicit in sua ambitiosa caussa.* Scilicet Pontifex & Pontificij exspectare debent, donec Iunius, Illyricus, Dresserus, aut similes de grege Lutheri vel Caluini clamatores, ius suum ipsis asserant & vindicent: Interea mutire non audebunt; quacunque iniuria ius suum violari videant. *Iam peruertit Hadrianum dum ita loquitur*, inquit Iunius, *quemadmodum* & Innocentius cap. *Venerabilem*, extra de Elect. Tu verò ô Caluinista, veritatem peruertere niteris, dum ita loqueris: Nam si à Græcis ad Francos hac lege, de qua Adrianus & Innocentius. Imperium non venit, qui fit, quod veteres Historici & Chronologi iis, qui à Pontifice consecrationem & benedictionem non acceperunt, Imperatoris & Augusti nomen non tribuerunt? Cur ipse Carolus Magnus, qui propemodum omnes occidentalis Imperij prouincias occupauerat, non antè Augusti & Imperatoris nomen obtinuit, quam à Leone III. Pontifice, imperiali corona redimit' est? Cur ipsemet Henricus, Othonis Magni parens, professus est, se Regis nomine velle esse contentum, nec cupere, vt Augustus & Imperator appelletur adeptus oblatam sibi à Pontifice Romano solennem inaugurationem; si absque Pontificis coronatione nomen hoc tam augustum illa ætate obtinebatur? Ita enim de Henrico Albertus Stadensis in Chronico. *Cui cum vnctio & diadema à Pontifice offerretur, noluit acceptare, se tanto honore indignum iudicans; dicens, sibi sufficere, quòd Regis nomine vocaretur.* Agnoscebat ergo Henricus, se, absque coronatione Pontificia solo *Regis* nomine insigniendum esse. Nec ipsimet Principes non coronati nominabant se *Imperatores*; sed *Reges*, vt aliquot exemplis ostendit Rogerius initio Apologetici contra Dresserum; nam Henricus, parens eius Henrici, cui tot fuêre controuersiæ cum Gregorio VII. & nonnullis consequentibus Pontificibus, non nominat se hoc nomine tertium Imperatorem; sed secundum: quod indicio est, eum, Henricum, Magni Othonis patrem, non posuisse in Imperatorum catalogo. Lege Rogerium.

A Obiicit Iunius. *Eum, qui viuente Imperatore Rex Romanorum constituitur, statim, eo ipso; Imperatore vita functo, Imperatorem pleno iure fieri, omnesq; titulos, honores, & insignia possidere. ergo absque Pontificia consecratione & coronatione Imperatorem fieri.* At quisquis veterum gustauit Annales, factaque & exempla ipsorum principum, quorum caussa agebatur, perpendit; is hanc consequentiam negabit, & Iunium vanitatis postulabit: qui iterum obstrepit. *Potest quis esse Rex Romanorum seu Germaniæ absque vlla inunctione Episcopali; ergo & Imperator.* Antecedens probat exemplo eius ipsius Henrici, de quo hic agimus. Nam nemo abnuit, *fuisse verum Regem Germaniæ; & tamen non modo Pontificiam; sed neque Archiepiscopalem consecrationem & inunctionem acceperat.* B Respondeo, consecutionem iterum esse friuolam ac ineptam; nam Imperium occidentale à Pontifice ad Carolum Magnum venit. Potuit ergo Pontifex, eas, quas volebat, conditiones annectere; inter quas & hanc de coronatione. At Regnum Germaniæ, etiam absque coronationis conditione, absolutè deferebatur; hinc quoque electus, & nomine & cæteris prærogatiuis statim efficiebatur Rex, absque vlla vlteriore sacerdotali ceremonia. Quod etiam de aliis regnis, atque adeo de ipso Orientali Imperio intellectum volo; neq; enim hoc à Pontificibus Romanis, & multo minus à Patriarchis Constantinopolitanis alicui delatum & collatum fuerat. Et quamuis Henricus C non ex contemptu, sed alias ob caussas, ne regalem quidem inunctionem susceperit; non ideo tamen factum eius in consequentiam trahendum esse, docet visio hac ipsa de re oblata S. Vdalrico, vt in vita eius proditum legimus, & apud Dietmarum lib.1.cum ei à S. Petro Apostolo ostensi sunt duo gladij, alter cum capulo; alter sine capulo; additumque: *Dic Henrico Regi; ensis ille, qui sine capulo est, significat Regem, qui sine benedictione Pontificali Regnum tenebit; capulatus autem, qui benedictione diuina regni tenebit gubernacula.*

Quanti etiam ipsi Imperatores Constantinopolitani vnctionem Patriarchalem fecerint, docet exemplo suo Ioannes Cantacuzenus, licet D enim vt ipse scribit lib. 3. suæ Historiæ cap. 92. & lib.4.cap. 4.iam antea Adrianopoli à Lazaro Patriarcha Hierosolymitano fuisset coronatus & inunctus in Imperatorem, attamen postquam Constantinopolin occupauit, rursus coronari & inungi voluit, idque *ne oblocutoribus sermonem daret, quod non Byzantij, secundum Imperatorum solemne, coronam accepisset.* Atque hæc & similia considerare oportebat Krantzium quem hic obiicit Iunius; & alios; qui quærunt, *quid coronatio Pontificia Imperatori conferat?* Iam sæpe dictum est, quid cõferat; idemque vno ore dicunt antiquiores historici & chronologi; quos Iunius audiret; si aures audiendi veritatem haberet.

Nec

Nec verba Matthæi Palmerij, quæ Iunius occinit, sunt oracula; qui dicit. *Romanos atq; vniuersos Italiæ populos doluisse, quòd post mortem Arnulphi. Imperium in Germaniam translatum esset; nec à Pontifice Transalpinos insignitos fuisse Imperatores vsq; ad Othonem primum*; nam Pontifex Henrico Othonis patri Imperialem coronam & insignia obtulit; nõ ergo culpa in Pontificibus hæsit, quòd nullus vsque ad Othonem primum Imperiali Diademate exornatus fuit. Neque vllus Imperator etiam in Italia fuit ab Anno DCCCC. XXIV. quo Berengarius occisus est, vsq; ad Annũ DCCCC. LXII. qui fuit Annus primus Imperatoris Othonis I. Reliquam Iunij phlyariã lœdoriis & pseudologiis deputa.

At vide simulque ride lepidam apologiam, quam Dresserus instituit pro Historicis, qui Ludouicum, Conradum, Henricum, tres Othonis Magni antecessores, non Imperatores, sed Reges indigitarunt. *Historici plerique omnes*, inquit, *qui de his Imperatoribus aliquid literis consignarunt, sub iugo Pontificio fuerunt.* (O quam dolendum tunc non exlitisse Illyricum, Iunium, Dresserum.) *Itaq; ad præscriptum & nutum Pontificis sese totos conuertere coacti sunt, accurateq; cauere, ne quid contra Ecclesiæ Romanæ voluntatem siue auctoritatem scribere vel mussare viderentur. Decet enim cocum Domini sui habere gulam, vt in versu dicitur.* Quàm acutè sensum & mentem Historicorum attigit Dresserus? Scilicet Pontifex omnibus Historicis ora oppilarat, & calamos retuderat, vt verum nec proloqui, nec in chartam referre possent.

Sed tamen Dresserus asperitatem suam in Historicos, nimiam esse animaduertens, eandem clementer temperat. *Malo*, inquit, *dicere, consuetudine & temporum iniuria factum esse, vt quod Pontifex vellet, idem etiam scriberent historici: persuasum enim hoc cunctis fuit, sancta esse omnia, quæ Pontifex statuisset. Itaq; excusati magis sunt habendi viri optimi, qui ad gratiam Pontificis scribere aut loqui coacti sunt; quanquam interim libertatem summis votis exoptarunt.* Agimus magnas gratias pro tam benigna excusatione; qua tamen Historici non egent; quia bilingues non fuêre; neque aliud in ore & calamo, aliud in præcordiis ferebant; Et si tulissent; certè *optimi viri* non fuissent: quo tamen encomio à Dresscro cohonestantur; quia nullus, cui cor & lingua duplex, *viri optimi* nomen meretur. Hæc nimirum solennis est istorum responsio. Cum testimonia veterum aliter effugere & eludere nequeunt, tunc robusta voce & facie clamitant; *eos aliud sensisse, aliud scripsisse.*

Sed en duos validissimos arietes, quos in nos Dresserus emittit. *Si non est Imperator nisi coronatus à Pontifice; sequitur coronationem esse neruum Imperij.* (Minimè hoc sequitur, sed coronationem esse vltimam quasi formam, quæ Imperatori *esse completum & perfectum largitur*; neruus alioqui Imperij est potentia, opum copia. vel potius subditorum vera religio, fidelitas, obedientia, & in Imperatorem summa obseruantia) *atq; adeo ἀξίωμα seu κῦρος illius omne in coronatione situm esse.* Non omne, ô bene, sed vltimum, quodque cęterorum est, quasi quoddam complementum.

Alter aries. *Sequitur, electionem Imperatoris, quæ fit à proceribus Imperij, nihil valere absq; Pontifice; vel certè si quid valeat, valere propter Pontificem.* Nihil horum sequitur; nam Electus ab Electoribus nunquam reiicitur aut reiicietur, nisi vel manifestus hæreticus, vel Reipublicæ Christianæ perniciosus, vel saltem prorsus inutilis esset. Itaque Electio ad hoc valet, & semper valuit; vt is, qui electus est, in Imperio titulo Cæsaris & Imperatoris Augusti electi omnia agere & administrare possit, & olim potuerit, absque vllo cuiusquam impedimento, vt patet exemplis Ludouici, Conradi, Henrici.

Multa etiam super hoc argumento mentitur & calumniatur Marsilius Paduanus in Defensore pacis part. 2. cap. 26. qui tandem in hanc impudentiam prorumpit. *Quid ergo aliud sibi tribuit auctoritatis principum Electio, quàm nominationem, ex quo ipsorum determinatio ab vnius solius alterius voluntate dependet?* TANTAM ENIM SEPTEM TONSORES AVT LIPPI POSSENT ROMANO REGI AVCTORITATEM TRIBVERE. Hæc vt imperitè, ita prorsus mendaciter *Turbator* pacis Marsilius.

CAPVT II.

Othonem primum, non autem Conradum, aut Henricum primum Imperatorem exgente Saxonum fuisse.

MVLTIS, iisque euidentissimis argumentis hoc capite ostendit Bellarminus, Ludouicum, Arnulphi Imperatoris filium; Conradũ & Henricum Saxones, non fuisse Imperatores, sed Reges Germaniæ, prout etiam capite præcedenti diximus. Iunius lepidissimè duplicem Imperatorum Catalogum statuit; alterum, *Germanicum*; alterum, *Italicum. iuxta illum; prædictos Reges; esse Imperatores; iuxta hunc, non esse.* At quis ille Catalogus Germanicus? Quis eius Auctor? Illyricus scilicet, Iunius, Dresserus, Fabricius in Originibus Saxonicis lib. 2. qui contra omnium aliorum Historicorum fidem scribere non veretur Henricum *fuisse coronatum; non coronatione Pontificia, sed Archiepiscopali*; Cum omnes vno ore testentur, eum nec regiam, nec imperialem vnctionem suscepisse, suas quasdam ob causas, in quas curiosius inquirere nihil necesse.

Illud præterea non minus festiuum est, quod Iunius dicit; *Ludouicum Arnulphi filium, ab ipsa natura fuisse coronatum, & hanc coronationem non esse*

minus validam, quàm Papæ, imò longè validiorem. Quæ fortè aliquid efficerent, si Imperium hæreditarium esset; sed quia in Electione, confirmatione, & coronatione positum est, non video, cur Iunius *coronationem illam naturalem* vrgeat.

Inuectiuam maledicam, qua hîc in Italos Iunius bacchatur, susque deque habemus; non enim soli Itali, sed & Germani Ludouicum, Conradum & Henricum in Imperatoribus non numerarunt: Marsilij demum Patauini tempore; Et postea ab Illyrico, Iunio, & aliis sectariis isti tres. creati sunt Imperatores. De Nauclero vide Bellarminum cap. 4.

In verbis Volaterrani, quæ Iunius recitat, non pauca sunt errata: insigne illud: *Ludouicum Arnulphi filium à Berengario fuisse captum, oculisq; ac Imperio priuatum*; Cum hoc de Ludouico Imperatore, Bosonis filio; Ludouici Tertij ex filia Nepote, accipiendum sit, vt supra ostendimus. Nec post Berengarium, qui Anno DCCCC. XXIV. occisus est, alius fuit siue Italus siue Germanus Imperator vsque ad OTHONEM primum.

Argumentum ex diplomatis Imperatorum, in quibus ex Imperatorum serie, ordine, & numero, excluduntur Ludouicus, Conradus, Henricus; argutè soluit Iunius; nimirum, hoc accidisse, quod historiam sæculi antecedentis ignorarent. Itaque si Henricus Imperator, qui Anno M. XIV. Imperiali diademate redimitus est, tam versatus fuisset in Historiis, quam Iunius, Illyricus, Dresserus, & si Origines Saxonicas Fabricij legisset; in publicis litteris ac diplomatis non se Henricum primum; sed secundum nominasset. Idem fecisset Conradus, qui Anno Christi M. XXVII. coronam Imperatoriam susceperit. Conradum secundum, non primum se indigitasset. Sed ignorantia eis obfuit, vt non viderint, quotusquisque huius vel illius nominis Imperator esset. Malè sit Illyrico, Iunio, Dresserο, Fabricio, qui tam serò cum face sua historica in medium prodierunt; nec citius adeo densam caliginem à mentibus nostris, imò & Imperatorum, depulerunt.

Iunius, vt est in inueniendo copiosus, aliud adhuc effugium adfert: *quia Romæ Imperatores coronati, diplomata sua ex Vrbe, prout in Fastis Pontificum inscripti erant, cœperunt scribere: quem stylum fuisset iniquum & periculosum postea retractari; mutatio enim publicum offendisset.* Et cur offendisset; si Henricus & Conradus, de quibus modò diximus, reuera secundi non primi sui quisque nominis erant? An non hæc exempla ex diplomatis Imperatorum sumpta, manifestè coarguunt fictitiam illam distinctionem Catalogi Imperatorum in *Germanicum & Italicum*? Nam cur Henricus I. & Conradus I. secuti sunt Catalogum *Italicum*, cum principes Germani essent? Cur non potius cum Catalogo Germanico se conformarunt, si talis Catalogorum partitio vnquam extra hæreticorum phantasiam in rerum natura exstitit? Quis coëgit illos, vt sua diplomata ad Pontificias bullas conformarent, contra conscientiam & scientiam suam? Obiicit Iunius. *Etiam ex Pontificum Fastis erasa esse quorundam Paparum nomina: mirum igitur non esse, licet nonnullorum Imperatorum nomina fraude & scelere ex Catalogo Imperatorum expuncta fuerint.* At, nisi fallor, multum sudabit Iunius, donec vel vnius Pontificis nomen, qui fuerit legitimus Christi Vicarius, Petrique successor, ex Fastis Pontificiis fraudulenter expunctum esse monstrauerit,

Probat Bellarminus variis Historicorum testimoniis, Othonem Magnum fuisse primum ex gente Saxonica Imperatorem. Iunius perpetuò hæret in suo *gemino Catalogo*; aitque; *Historicos secutos esse non Germanicum, sed Italicum Catalogum, dissidentem à Germanico*; nuper in Iunij officina edolatum. Itaque quoties Historicorum quispiam, etiam Germanus dicit, Othonem fuisse primum Imperatorem ex gente Saxonum; Oggerit; *cum sequi calculum Italicum.* Quæ, malum, hæc cauillandi & omnia eludendi intemperies? Cui si semel fores pandantur, forsan paulò pòst exorietur, qui calculum *Gallicum* siue *Hispanicum* in Historiis comminiscatur, & hoc commento eludat; quidquid suum ad stomachum minus iucundè accidit. Historicos vera scribere oportet. Si igitur Otho Magnus non fuit primus Imperator ex stirpe Saxonica; falsò scripserunt, eum esse primum; quamcunque tandem Imperatorum recensionem secuti sint. Si verò reuera Otho Imperator primus ex hac natione fuit; vt certè fuit, verè & secundum omnem calculum verum; affirmarunt eum fuisse primum ex gente Saxonum Imperatorem.

Notetur autem argumentum Bellarmini de numero *Ludouicorum*; nam Ludouicus Bauarus plerumque nominatur *Quartus*; quia Ludouicus, Arnulphi filius reuera Imperator non fuit; Fuit tamen alius Ludouicus, Bosonis filius, Ludouici Tertij nepos, de quo cap. 1. qui coronatus à Pontifice Imperiũ iniit Anno DCCCC. Vide Baronium hoc ipso Anno. Cuius respectu, necesse est, Ludouicum Bauarum esse *Quintum*, prout etiam à quibusdam recentioribus appellatur.

CAPVT

CAPVT III.

Eundem Othonem à summo Pontifice Ioanne XII. ad Imperium prouectum esse.

ROBERT Bellarminus quatuordecim Historicos, qui disertis verbis testantur, Othonem I. à Pontifice Maximo ad Imperialem dignitatẽ euectum esse. Iunius, more suo contendit, *Pontificem Othoni nil contulisse, nisi solennem quendam ritum, quo Imperium iam ante acceptum quasi obsignarit, & publicè promulgarit.* Hanc næniam sæpius iam, libro primo præcipuè, audiuimus, & auditam confutauimus. Videantur & perpendantur Historicorum testimonia à Bellarmino partim citata, partim recitata; clariora sunt, quàm vt talibus fumis inuolui & obfuscari queant.

Prædictis testimoniis adiungamus quædam alia, inprimis HROSVITAE Monialis in Panegyrico Othoni Magno versibus dicto, iussu Othonis II. filij; in quo Othonis inaugurationi tale lemma præponitur. *Oddo secundo Italiam petit, & coronatur in Imperatorem.* Post versus de coronatione subiicitur aliud lemma in hunc modum. *Oddo factus Imperator Berengarium in exilium mittit, &c.* Ergo per coronationem ad Imperatoris nomen & insignia peruenit.

II. Albertus Stadensis in suo Chronico ante coronationem semper nominat Othonem, REGEM: post coronationem, inquit, *mox Imperator & Augustus à populo consalutatus est*: idq; à Ioanne XII. anno Christi DCCCC.LXII.

III. Frodoardus in Chronico. *Otho Rex Romam pacificè adiit, & amabiliter exceptus, atque honore illic imperiali sublimatus est.*

IV. Idem testatur Adamus Bremensis in Ecclesiastica historia, & iisdem verbis, quibus Albertus Stadensis.

V. Adde Andreã Ratisbonensem in suo Chronico. Nec opus plures accumulare, vix enim est Chronologus, qui ad Othonis tempora scribendo peruenit, à quo testimonium huius rei non liceat petere.

CAPVT IV.

Diluuntur obiectiones Illyrici.

COMMVNIS est sententia Historicorum Othonem Magnum à Ioanne XII. Papa coronatum esse. Illyricus dicit non deesse *qui id tradant factum à Cardinalibus.* Ait Bellarminus, se nullum Auctorem legisse, qui hoc scriptum reliquerit. *Atqui Palmerius ait*; (verba Iunij refero) *Ioanne Pontifice in omnem luxuriam dissoluto, Otho à Romana Ecclesia Patribus vrbisq; principibus euocatus, vt corruptos Pontificis emendaret mores, Romam proficiscitur, in qua vrbe amplissimis honoribus vsu coronam suscepit.* At nihil hoc testimonium aut pro Illyrico, aut contra Bellarminum facit: quia Palmerius non dicit, Othonem suscepisse coronam *à Cardinalibus*: Sed absolutè, *suscepisse coronam*: quod de Pontifice optimè intelligi potest, præsertim, cum id expressè ab aliis historicis proditum fuerit.

Platina quoq; adductus à Iunio, Othonem à Ioanne coronatum scribit; licet parẽthesin illam interiiciat: *(Vt quidam tradunt)* & quidem non pedanei, sed primæ sedis chronologi. Disertius & absolutius illud idem affirmat Volaterranus. Quocirca non satis dispicio, quo consilio istos quasi Illyrico suffragantes Iunius in medium producere voluerit; cum ipse Illyricus fateatur, hoc, quod de Cardinalibus fertur, nullis certis *documentis probari posse.* Nec antè, sed post coronationem Othonis, factam à Ioanne, scripserunt duo Cardinales ad Othonem contra Ioannem, vt ex ipso Illyrico Centuria X. demonstrat Bellarminus.

Mentitur Illyricus, translationem Imperij ad Othonem, *non esse factam potestate aut voluntate Papæ*; idq; testibus Nauclero & Cuspiniano probare contendit. De Nauclero prolixè respondet Bellarminus. De Cuspiniano res est expeditior palam enim scribit; hãc translationem esse factam: PONTIFICIS MAXIMI AVCTORITATE. Iunius clamat. *Non solius Pontificis auctoritate factam. Nec Papam fuisse vnicam & principalem caussam: & hoc voluisse Illyricum.* Sed nullum exstat huius distinctionis vestigium in libro Illyrici; nam vt à translatione Imperij in Carolum simpliciter excludere conatus est Leonem III. sic ab hac translatione in Othonem penitus reiicere tentauit Ioannem XII. ita vt nihil auctoritatis vel potestatis in ea perficienda Pontifici reliquerit. Iunius sanè perquam peritus est medicus, qui distinctionum suarum malagmate omnia Illyrici mendacia sanatum accurrit; parum sollicitus, quàm aptè id præstet.

In Can. *Constitutio* apud Gratianum dist. 63. nominatur *Henricus I.* ante Othonem I. Ex quo colligi videtur, Henricum I. dici Imperatorem; & tamen certum est, non fuisse à Pontifice imperiali diademate cinctum. Respondet Bellarminus, probabile videri, eum, cuius ibi fit mentio, non esse Henricum, qui Othonem Magnum antecessit; sed eum, qui Othonem III. secutus est, vereq; primus qui diceretur hoc nomine Imperator fuit. Iunius. *Hoc falsi cinxit analogia Canonum circumstantium*: nam cap. *Inter nos*, proximè præcedens inscribitur. *Leo IV. Lothario & Ludouico Augustis.* Itemq; cap. *Sacrorum*: quod paulò post sequitur: inscriptionem habet; *ex libro primo capitulorum Karoli & Ludouici Imperatorum.* Quæ est ista consequentia? Capitulum *Inter nos*, & illud alterum: *Sacrorum*: est Imperatorum, ergo in illo cap. *Constitutio*: homine Henrici primi, non intelligitur Henricus primus

Imperator, qui Othoni III. succesſit; ſed Henricus ille, qui Othonem anteceſsit. Quæ hæc deliratio? cui nō fiet medicina, licet hunc in modum formetur *Capitulum proximè antecedens, & quod paulò poſt ſequitur; eſt Imperatorū; ergo & hoc, cuius initium;* Conſtitutio *eſt Imperatorum.* Dicimus, eſſe Imperatorum; at non eius Henrici, quem vult Iunius, ſed alterius. Cauſſa autem, cur Henricus præponatur Othoni; aſsignatur à Bellarmino. Deinde nulla penitus fit *Imperij* vel *Imperatorū* mentio in illo Canone. Quocirca licet nomine Henrici I. intelligeretur Henricus Auceps, *primus* diceretur, nō ratione Imperij, ſed Regni, fuit enim primus hoc nomine Rex Germaniæ.

Imperatoribus fuiſſe aliquando poteſtatem conſtituendi, iudicandi, deponendi & in ordinem cogendi Romanos Pontifices, falſum eſt. Exempla quæ Iunius commemorat, facti ſunt, non iuris, deq; ipſo Othonis facto contra Ioannem XII. quid ſentiendum ſit, diſces ex Annalibus Baronij Tomo X. anno Chriſti DCCCC. LXIII. ex quo etiam intelliges, quàm mendaciter Iunius affirmet, ipſum Othonem in Ioannem XII. iudicis inſtar, ſententiâ dixiſſe, ſimulq; euaneſcent cauillationes Iunij, quibus epiſtolam, qua Otho Ioannem ad ſynodum vocauit, eludit, & à legitimo ſenſu ad alienum detorquet. Ille floſculus; *Epiſcopum improbum, nec ligare, nec ſoluere poſſe;* à Iunio ex Donatiſtarum hortis decerptus eſt. quem dum ex Gratiano II. q. 3. cap. *Quomodo* & ſequentibus ſtabilire nititur; antiquum obtinet, hoc eſt, *imponit*, & figmenta ſua pro veritate obtrudit.

Ait Bellarminus contra Illyricum, ex tot Hiſtōricis nullum affirmare, Cuſpiniano & Nauclero, & omnium recentiſsimis exceptis, Imperium fuiſſe tranſlatum à Francis ad Germanos in electione Conradi & Henrici. Iunius omnia alia agit, præter id, quod agendum erat. Summa huc redit, *Illyricum nolle dicere; Imperium, quando a Francis ad Germanos venit; ad aliam gentem tranſlatum fuiſſe ſed tantum à familia vna in alteram: nam & Francos fuiſſe Germanos.* Quaſi Bellarminus de hoc litem Illyrico moueat, & non potius de iſto: num tranſlatio, etiam ab vna familia ad aliam, facta ſit in Conrado & Henrico, qui Othonem Magnum anteceſſerunt. Illyricus ait. Abnuunt veteres hiſtorici & chronologi omnes. Quinam fide digniores?

Inſectationem, qua Iunius in Pontifices deſæuit ob Italicos Imperatores *Lambertum, Vidonem, Ludouicum Boſonic filium, Berengarium*; nihil moramur: quia nihil aliud eſt, quam petulantis linguæ & infrunitæ mentis argumentum.

Illud non iniucundum eſt quod Dreſſerus tam ſollicite quærit; vbi nam fuerit Romanum Imperium, ſi Ludouicus, Conradus, & Henricus fuerunt ſolummodo Reges Germaniæ. Dic tu viciſsim Nouator, vbinā eſt Imperium, mortuo Imperatore, & toto eo tempore, quod *Interregnū* appellari ſolet. Hoc ſi mihi expediueris, exponam & ego tibi, vbi Imperium fuerit illis annis, quibus ſupradicti Reges in Germania regnarunt.

Ad Schardium accedo; qui vt lib. 4 de Pont. cap 13. vbi de Gregorio VII. actū diximus, edidit libellū de Iure, *quod in approbandis Pontificibus Impp. habuerunt*: quem loco citato ad examē reuocauimus. In eius opuſculi altera parte diſſerit Auctor *de more vngendi approbandíque Cæſares, conuerſo rerum ordine per Papas introducto.* Ait ergo Schardius. I *Vnctionem Imperatorum & Regum vſurpatam eſſe à Chriſtianis ad imitationem Hebræorum, apud quos Reges & ſummi Sacerdotes per vnctionem conſecrabantur & inſtituebantur*, vt liquet ex multis ſacratum literarum teſtimoniis. De quo nihil neceſſe diſputare. Tantum hoc admoneo, ritum hunc non eſſe amplius Iudaicum; ſed Chriſtianum, communi vſu Chriſtianorum receptum tritumque.

II. *Morem vngendi, vt coniectura eſt, à Iuſtino Iuſtiniani auunculo, introductum. qui primus à Ioanne Pontifice vnctus & coronatus legatur, quò auguſtius ei magiq; ratum Imperium foret.* Duplex error, niſi benigna interpretatio ſuccurrat. Aut enim loquitur iſte de Iuſtino ſeniore, aut de Iuniore; de illo falſum; quia Iuſtinianus ipſe Iuſtini ſenioris ex ſorore nepos fuit. Falſum item de Iuſtino Iuniore; quia hic fuit Iuſtiniani nepos ex ſorore. Deinde, ſi vt videtur, Schardius per Ioannem intelligit Romanum Pontificem, grauiſsime hallucinatur, quia Ioannes Iuſtini, vt ſic loquar, coronator, nō Papa Romanus, ſed Patriarcha Conſtantinopolitanus fuit, de quo Corippus lib. 2.

> *Poſtquam cuncta videt ritu perfecta priorum*
> *Pontificum ſummus, plenaq; ætate venuſtus*
> *Adſtantem benedixit eum: cœliq; potentem*
> *Exorans Dominum ſacro diademate iuſſit*
> *Auguſtum ſanctæ caput, ſummoq; coronam*
> *Imponens apici feliciter.*

Videtur Schardius deceptus illa Corippi phraſi: *Pontificum ſummus*; quaſi verò Poëtæ non licuerit hoc ipſum honoris vocabulum Patriarchę Conſtantinopolitano tribuere; qui erat *ſummus Pontificum* inter ſuos, & in vrbe illa regia.

III. *Vnctionem Imperatorū occidentalium à Leone III. in occidentem introductam.* Nō diffitemur, quia Leo iſte imperij occidentalis inſtaurator fuit: vt nec illud; Imperatores priſcos hanc cæremoniam minimè eſſe auerſatos, *ſed animis libentibus recepiſſe, quòd cuperent, Eccleſia precibus & benedictione ea ſibi dona interius conferri & augeri, quæ exterior atque viſibilis vnctio præfiguraret.*

IV. *Tempore demùm Caroli Craſſi, libero procerum arbitrio, nullaq; Pontificis auctoritate intercedente, eſſe introductum, vt ij ſpecioſum Cæſaris nomen & omnes antiquorum Auguſtorum titulos vſurparent, quibus pontificia benedictio & conſecratio eſſet impertita, qui verò ea carerent, Reges tantummodo vocarentur; differentia, quæ nomine magis, quam re conſtet.* Sed hæc omnia eſſe falſa, patet ex libro primo.

V. *Reſtat*

V. *Rectè fecisse illos, qui titulo regio contenti, inaugurationem Pontificiam neglexerunt; vt fecit Henricum Auceps. Optandum plures eiusdem mentis exstitisse.* Cur Henricus vel alij hanc benedictionem non receperint; disquirere curiosius non duco operæpretium. Sufficit nobis, istos ipsos Reges agnouisse, se absque illa inauguratione Imperatoris & Augusti titulis vti non posse. Quod & Schardius fatetur; & hoc diligenter obseruandum est aduersus Iunium, Illyricum, Dresserum, Fabricium, qui Hēricum & alios contra receptum tunc morem, Schardio teste, *Augustos & Imperatores* appellitant.

VI. Post horribilem conuiciorum nimbum in Pontifices Romanos, præsertim Gregorium VII. emissum, *Lotharium Saxonem Imperatorem incessit, quem dicitat, vel persuasione aliorum, vel superstitione adductum, à Pontifice coronam accepisse, sed, ad pedes eius abiecisse; & per hoc postmodum per ignominiosam picturā Romæ repræsentatum esse; multum indignāte Friderico I. & super hac re cum Adriano IV. expostulante, teste Radeuico lib. 1. cap. 10.* Sed antiquitas secus iudicauit de Lothario, cui, cum Tertulliano dicam, *nouellitatem* Lutheranam & Caluinianam libenter postponimus. Legantur Acta coronationis Lotharij apud Baronium Tomo XII. anno Christi M. C. XXXIII. De pictura non fuit arduum, sinistram in animo Friderici, tot flabellorum ventilationibus inflammato, existimationem gignere, absque quibus si fuisset, haud Imperator ille armis, quàm litteris instructior, sedi Apostolicæ tanta contentione sese opposuisset. Quod & de aliis nonnullis dictum volo. Nusquam desunt, in Aulis magnorum principum Irritatores; qui meliora videntes, deteriora suadeant.

De epistola Hadriani IV. ad Hillinum Treuirensem, Arnulphum Moguntinum, & Fridericum Colonien sem Archiepiscopos, dixi iudicium meum ad cap. 2. lib. 1. cuius neq; nunc pœnitet: nam fraudem & impostura, sub hac epistola tectam, vel hinc aduertas; quòd Auentinus lib. 6. & alij scribunt, ob eas, in conuentu procerum recitatas, exstitisse illum tumultum, in quo Otto Palatinus *Comes de Bauaria*, vnum ex Legatis Apostolicis stricto gladio petiit, ac interfecisset, nisi irruentis impetum ipsemet Imperator cohibuisset: cum, vt ex Radeuico lib. 1. cap. 8. constat, non ex istis, sed ex aliis literis ab Adriano ad ipsum Imperatorem datis, quasq; Radeuicus Historiæ suæ integras intexuit, tumultus ille exortus fuerit; idq; solummodo propter male intellectam *Beneficij* voculam, vt idem Radeuicus scribit: nec verba illa; *A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium?* desumpta sunt ex aliqua Adriani epistola, sed ab altero ex Legatis prolata sunt, cum videret, principes tātopere indignari; quod Adrianus vellet Imperium sibi in acceptis à Friderico referri debere. Quod si ob epistolam Adriani modestissimè & moderatissimè ad Imperatorem scriptam; & ob dictum illud alterius Legati, adeo exarserū Principes, qualibus irarum flammis succensi fuissent; si ea epistola, cuius fragmentum Auentinus refert, publicè lecta fuisset; cum ne à conuiciis quidem in Germanos iaculandis abstinet? Et tamē Auentinus audactet fragmento epistolæ ista subiungit. *Hæc itaque in conuentu celebri Legatos referentes, Otto de Vvittelspach, stricto ense quem ante Imperatorem præferebat, territat, & forsitan confodisset, nisi Imperator intercessisset.* Hæc falsò Auentinus, vt ex Radeuico manifestum relinquitur.

Schardius nulla epistolæ Adriani ad Hillinum & alios mentione facta; totam illam orationem, quam Auentinus quasi ex epistola Adriani commemorat, adscribit vni ex legatis, cum hac ad marginem nota: *Superba & thrasonica legati Pontificij oratio, de qua vide Auentinum lib. 6.* & postquam totam illam vaniloquentiam exscripsit, subiicit Schardius: *His verò auditis, & Imperator debitam indignationem concepit, & omnes proceres tanta ira exarsere, vt, &c.* sed iam ex Radeuico diximus, aliunde indignationem illam, procerumque fremitum exstitisse: neque tale quid Legatos in eo conuentu effudisse; qui profectò incolumes non euasissent, si quæ Schardius & Auentinus memorant, coram Imperatore & Principibus peroras sent; cum etiam hac tanta sua modestia, qua in legatione sibi credita vsi fuerant, vix potuerint euadere illæsi.

Post Adrianum aggreditur Schardius Innocentium III. propter capitulum *Solitæ* ext. de *Maioritate & obedient.* & cap. *Venerabilem.* Calumniatur, Innocentium *arrogantiæ, quàm religiosius* ad Imp. Constantinopolitanum *scripsisse*; dolet cap. illud, *Venerabilem* ex epistola ad Ducem Zaringiæ desumptum, *corpori Iuris Canonici insertum, in scholis explicari.* Sed cum Lutherus ne ignibus quidem *capitulum* hoc abolere potuerit, multò minus id clamoribus efficiet Schardius. Multa præterea euomit conuicia & mendacia contra alios Pontifices, quod *exuuiis Imperij ditati cornua obuerterint Imperatoribus*; in quibus illud eminet: *Bonifacium VIII. ense accinctum, coronaq; Imperatoria ornatum in publicum prodiisse, & tyrannica voce exclamasse: Ego sum Cæsar & Pontifex.* Sed nisi his & similibus lœdoriis ac pseudologiis sectarij suas chartas infercirent; crebro obmutescerent; nec quod vel hiscerent, inuenirent. Nunc Schardio dimisso, libri secundi defensionem concludamus.

Sed quia scriptores claues à Pontificibus dono mitti solitas, nominare solent claues Confessionis sancti Petri, Iunius de *Confessionis* significatis disputare incœptat; Et vbi omnia dixit; omnia extra causſam dixit: Et quid *Confessio* S. Petri, vel claues Confessionis S. Petri sint, ne per somnium quidem vidit, tametsi somniator maximus. Lege hic Bellarminum, & imperitiam Iunij multum valere iubebis.

I. Lubet sub calcem huius primi libri ad testimonia trigintatrium Historicorum, quæ Bellarminus cap. 4. protulit, adiungere quosdam alios scriptores eidem translationi Imperij occidentalis in Carolum Magnum testimonium perhibentes; quorum primus sit Auctor ille, qui sub Arnolpho Imp. de gestis Caroli Magni quinque libros carmine conscripsit, quos edidit & scholiis deturpauit Reineccius sectarius Anno Christi M. D. XCIV. Libri quarti hoc est exordium:

Festa dies celit, eadem celeberrima terris,
Virginei partus, Christiq; refulserat ortus,
Post octingentos ex quo processerat, annos,
Tectus seruilis Dominus velamine formæ.
Et iam natalis tanti cumulauerat omnem
Lætitiam Romæ Caroli præsentia Regis.
Hic, cum Missarum sacro solennia ritu
Incipienda forent, magnam processit in aulam,
Quæ corpus mundo venerandum continet omni
Petri, cui claues Christus dedit ipse polorum.
Eius & ante sacros ortus cum mente fideli,
Effusis precibus sese Rex inde leuaret,
Ipsius imposuit capiti Leo Papa coronam.
Conclamat pariter populus, sacra personat ædes,
Ingenti iubilo, vox fertur ad æthera plebis
Romanæ, sic concordi simul ore canentis;
Augusto Carolo Magno, pacemq; ferenti,
Imperij merito Romani sceptra tenenti
Gloria, prosperitas, regnum, pax, vita, triumphus.
Post laudes igitur dictas, & summus eundem
Præsul adorauit, sicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis, ac nomine dempto
Patricij, quo dictus erat prius, inde vocari
Augustus meruit pius, Imperij quoq; princeps.

In quæ carmina Reineccius Scholiastes. *Nascitur hîc quæstio, aut, si mauis πρόβλημα historicum*: AN PAPA ROMANVS IMPERIVM ROMANVM CAROLO CONTVLERIT. Miratur Hæreticus, hoc in controuersiam vocatum esse, cum exploratissimum sit, *Imperium occidentale à Papa non fuisse possessum; vt illud in Carolum transferre potuerit*; cum totum ius occidentalis Imperij tum penes Constantinopolitanos Imperatores fuerit. Muscas captat Nouator. Neque enim dicimus, Papam in Carolum transtulisse ipsas prouincias Imperij occidentalis, quo pacto possessor rei transfert rem, quã possidet, in alium; sed ius ad occidentale Imperium, omnesque eius prouincias, quas partim Carolus iam possidebat, partim armis repetere poterat; Carolo cõcessum affirmamus A vna cum præeminentia, insignibus, honore & nomine *Augusti* atque *Imperatoris*; Et quamuis ius ad Imperium occidentale fuisset penes Imperatores Constantinopolitanos, vt vult Reineccius; quia tamen Ecclesiam à tyrannorum & barbarorum incursionibus nõ defendebant; sed omnia in occidente sursum deorsumque verti, sterique ac rapi sinebant, hoc iure suo absque vlla iniuriâ, per vniuersalem totius Ecclesiæ præsidẽ. priuati sunt, vt planum fit ex illis, quæ Bellarminus cap. superiore disputauit.

Agnoscit Reineccius inaugurationem factã à Papa. Sed addit, fuisse; *nudam ceremoniam, quæ nihil penitus Carolo contulerit.* Vbi probatio? Fundit deinde pleno cornu mendacia. I. *Inaugurationem* B *ad Papam non pertinuisse, hunc neq; legibus, neq; consuetudine ea perfungi potuisse.* Quæso, cuius munus erit summum principem solenni ritu consecrare; si non sit summi sacerdotis? II. *Papam feciſſe hoc æmulatione Constantinopolitani Patriarchæ; ab hoc enim Imperatores redimiri voluisse; à Papa nunquam.* Quid mirum? Papa erat in occidente: Imperatores Constantinopolitani in Oriente. Si Papa Constantinopoli resedisset, non à Patriarcha, sed à Papa inunctionem & consecrationem accepissent. III. *Papam forsan fuisse duntaxat Imperatorij nominis proclamatorem.* Collator fuit, ne dubita, & iuris, & honoris, & nominis Imperatorij. Probauit hoc euidẽter toto hoc libro Bellarminus. IV. *Inaugurationẽ præcessisse Senatusconsultum.* Contrari C um perspicuè demonstratum est. V. *Imperatorum orientalium assensionem fuisse huius facti quasi ἐνεργείαν & formam, sine qua tota illa Papæ actio nihil valuisset.* Huius quoque mendacij vanitas manifesta est ex his, quæ hoc primo libro disputata sunt. Nec ideo Carolus tentauit Constantinopolitanos Imperatores placare, quasi absque eorum assensu, non fuerit legitimus occidentis Imperator, sed quia illos maluit habere beneuolos salua sua dignitate, quàm offensos. Multis deinceps probare nititur Reineccius; *Papam, Romam, & Romanos Carolo, & sequentibus Imperatoribus fuisse subiectos.* Nugas agit, Ius Romæ dixit Carolus; & alij nonnulli Imperatores, non vt Domini vrbis, & Papæ, sed vt defensores Ecclesiæ.

D Digreditur deinde ad Henricum IV. & Gregorium VII. Et vt illum laudibus immensis extollit, sic Gregorium conuiciis infinitis proscindit. Sed huic Inuectiuæ iam parauimus Apologiam pro Gregorio VII. Multa insuper mentitur & calumniatur de Controuersiis, quæ fuerunt Pontificibus cum aliis Imperatoribus, vt cum Henrico V. Vtroque Friderico & aliis. Et tandem totum conuiciorum *saccum* in Romam effundit. Quæ omnia in disputatione de Pontifice variis locis & in Apologia pro Gregorio VII. depulsa sunt. Nos ad Auctorum enumerationem reuertamur.

II. MATTHAEVS VVestmonasterienſis in Floribus: *Anno gratiæ DCCC. I. Carolus Rex Magnus, cum*

in Vrbe Roma, plurima, quæ ad honorem Dei, & vtilitatẽ populi ſpectabant, diſpoſuiſſet, in die Dominicæ natiuitatis, cum Ducibus, magiſtratibus, & militibus, & turba magna nimis, baſilicam Principis Apoſtolorum Petri ingreditur. Vbi, à Domino Papa Leone, purpura regali induitur, corona aurea capiti eius imponitur, & regale ſceptrum ei in manibus datur. Hanc dignitatem ipſa die tantus Imperator, & magnificentiam promeruit: vt Imperator totius Orbis vocaretur & eſſet. Ipſo quoq; tempore directi ſunt Græcorum legati cum xeniis impretiabilibus, ab vrbe Conſtantinopolitana, ad Carolum regem, rogantes inſtantius, vt illud Imperium ſuſcipere dignaretur. De Græcis res aliter ſe habet: nam tranſlationi huic aduerſati ſunt. Vide Bellarminum cap. 11.

III. Gobelinus Perſona in ſuo Coſmodromio. *Carolus Magnus Anno Domini DCCC. I.* (Sequitur eos, qui annum auſpicantur à Natiuitate Domini) *in ipſo die Natiuitatis Dominicæ à Leone Papa III. in Imperatorem Romanorum coronatus eſt.*

IV. Theophanes in Chronico. *ὁ δὲ τὸν κέφαλλον ἀμπλίσιον ἔχρισεν ἀντὶ τοῦ βασιλέα ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου πέτρου χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, καὶ περιθεὶς βασιλικὸν ἐσθῆτα καὶ στέφανον, μηνὶ δεκεμβρίῳ κε. Indict. 9. Leo gratiam Carolo reponere volens, coronauit illum in Romanorum Regem, in Templo ſancti Petri Apoſtoli, vngens cum oleo à capite, vſq; ad pedes, Imperatoriaq; veſte & corona eum induens ac cingens. Menſe Decembri, die 25. Indict. 9.* Quare vitioſum oportuit fuiſſe exemplar Theophanis, quo vſus eſt Baronius, qui Anno Chriſti DCCC. Num. 6. Theophanem erroris notat, quod Carolum Kalendis Ianuarij Indict. Nonæ coronatũ ſcribat: Nam meus quidem Codex Theophanis Manuſcriptus ita, vt exſcripſi, de coronatione Caroli loquitur; præſertim cum etiam ex Miſcella Hiſtoria, quæ Paulo Diacono adſcribitur, idem teſtatum fiat.

V. Anaſtaſius Bibliothecarius in Chronico inedito. *Anno Imperij Heirenes* (ſolius) *quarto, octauo Kalendas Ianuarias indictione nona, Carolus rex Francorum coronatus eſt à Leone Papa. & cum voluiſſet contra Siciliam claſsibus præliari, pœnituit, coniungi potius cum Heirene volens, legatis ad hoc ſequenti directis anno, Indictione decima.* De eadẽ coronatione pluribus agit idem Anaſtaſius lib. de vitis Pontificum in Leone III.

VI. Conſtantinus Manaſſes in ſuo Chronico. *Tum verò vicem Carulo referens Leo, Romæ vetericum Imperatorem renuntiat, neq; tantum corona caput eius, more Romano, cingit: verùm etiam legibus Iudæorũ vſus, à capite ad pedes oleo totum perungit. Quod ſanè poſterius quibus ex cauſis, ac rationibus factum fuerit, equidem ſcire nequeo.* Mirari quis non iniuria poſſet, quod Chronologus iſte Leoni *vnctionem*, quaſi *Iudaicam* ceremoniam, obiicit, cum ipſimet Græci in ſuorum Imperatorum inunctione eodem ritu fuerint vſi, vt apparet ex his Curopalatæ verbis lib. de officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ. *Patriarcha vngit σωεχυδῶς, ſpecie & formâ crucis, caput Imperatoris τῷ θείῳ μύρῳ, diuino vnguento, accinens ſonora voce, τὸ ἅγιος. Sanctus.* Nam hymnum Triſagium vnctioni adhibebat; quem hymnum excipiebant, qui in ambone cum Patriarcha erant, *λέγοντες καὶ αὐτοὶ ἐκ τρίτου, τὸ ἅγιος, concinentes & ipſi ter, illud: Sanctus.* quia in Triſagio ter ponitur; *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*; eundemque hymnum mox populus iterabat.

Hominem quoque, qui baptizatur, Græci totum oleo perungunt, de quo ritu in extremo Commentario Manuſcripto Zonaræ in Canones Apoſtolorum, & cõcilia. hæc reperi; *ὅτι γυναῖκα βαπτιζομένην ὁ ἐπίσκοπος μόνον τὴν κεφαλὴν χρίει, ὁ δὲ διάκονος τὸ στόμα καὶ τὸ στῆθος, καὶ ἡ διακόνισσα ὅλον τὸ σῶμα. Mulierem, quæ baptizatur; Epiſcopus in capite ſolummodo vngit, Diaconus, in ore & pectore. Diaconiſſa, toto corpore.* Num & hic Græcorum mos Iudaicus eſt Manaſsi?

VII. Monachvs Engolismensis in vita Caroli Magni. *Ipſa autem ſacratiſſima Natalis Domini die, cum Rex ad miſſam ante Confeſſionem beati Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, Domnus Leo Papa coronam capiti eius impoſuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum eſt:* Carolo Avgvsto a Deo coronato magno, et pacifico Imperatori Romano vita et Victoria. *Antea enim Domnus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum, & patricius Romanorum: ſed, poſt laudes à Domno Apoſtolico, more antiquorum Principum, adoratus eſt, atq; ablato Patricij nomine, Imperator & Auguſtus eſt appellatus.*

VIII. Fascicvlvs temporvm ſiue VVernervs Rollevvinck. *Diadema Imperij à Leone ſuſcepit* (Carolus) *Romanis acclamantibus.* Carolo *Auguſto à Deo Coronato vita & Victoria à Deo ſubminiſtretur.*

IX. Compilatio Chronologica. *Hic Leo III. Papa Carolum Regem Francorum filium Pipini Regis inunxit & conſecrauit, & ſolenniter coronauit in Romanorum Imperatorem. Anno Domini DCCC. I. Vſq; hunc Romanum Imperium à temporibus Conſtantini Magni filij Helenæ apud Conſtantinopolim manſit. Ex hoc iam per Apoſtolicam autoritatem in perſona Caroli tranſiit ad Germanos. Iſte Leo Papa Romanorum Imperatorem pronunciauit Carolum, & à cuncto populo acclamatum eſt in hunc modum*; Carolo Magno, Romanorum Auguſto, & pacifico Imperatori, à Deo coronato, vita, & victoria.

X. Pavlvs Langivs in Chronico Citizenſi. *Anno Domini DCCC. LVI. per Stephanum III. in Germanos in perſonam, vt dixi, Caroli Magnifici principũ fuit tranſlatum* (Imperium.) Non errat in re, ſed in Chronologia, & Pontifice. Ibidem diſputat Langius contra illos, qui Othonem I. tradunt eſſe primum ex Germanis Imperatoribus; nam Carolum & ſucceſſores eius vſque ad Othonem fuiſſe Germanos.

XI. Hiſtoria de Landgrauiis Thuringiæ cap. 6. *Carolus vocatus fuit à ſummo Pontifice Romam, & in Imperatorem coronatus.*

XII. Chronicum Magnum Belgicum ex Alberico. *In die Natalis Domini, cum Rex ad Miſſam ante*

confessionem B. Petri surgeret ab oratione, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto populo Romano ter acclamatum est; Carolo Augusto à Deo coronato Magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.

XIII. Andreas Ratisbonensis in suo Chronico: *Hic Karolus Magnus anno Domini DCCC. I. in die Natiuitatis Domini, dum ad Missarum solennia ab oratione surgeret, Leo Papa tertius nihil minus speranti coronam Imperialem superposuit, & Imperatorem pronunciauit. & à cuncto populo Romano acclamatum est*; Karulo Augusto, à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria. *Post quas laudes vnctus ab Apostolico, & antiquorum more Principum ab eo adoratus, ablato Patricij nomine Imperator, & Augustus appellatur. Nam antea eius titulus talis erat:* Carolus Dei gratia Rex Francorum & Lõgobardorum, & Patricius Romanorum.

XIV. Iacobvs Meiervs libr. 2. Annal. Flandr. *Anno* DCCC. I. *Oct. Kalend. Ianuarias. Carolus Rex ingenti omnium gaudio Romæ ab Leone Pontifice Imperij accepit insignia.*

XV. Hvldrichvs Mvtivs lib. 9. Chron. Germ. *Post hæc cogitauit Leo III. quibus rationibus efficere posset, vt sedes Romana haberet defensorem, si quid tale aliquid accideret; quandoquidem Cæsares Constantinopolitani non satis viribus, & opibus pollerent, ad defendendã Romanæ sedis dignitatem, & hactenus in seditionum, & tumultuum, ciuiliumq; bellorum motibus Romam deseruissent. Quas ob causas in Occidente opus esse Imperatore, qui hæc curet: Multa autem ob merita, nemo inueniebatur dignior Carolo Rege Galliarum: Primum, ob tot officia ab eo collata in Ecclesiam Romanam, & tot priuilegia concessa Pontificibus Romanis, &c. His ex causis Pontifex cum consensu suorum Cardinalium, & Episcoporum, appellatum Carolum Magnum Galliarum Regem, Imperatorem Romanum in Occidente. in die Natiuitatis Christi cum Missam celebrauit Pontifex, vertit se ad populum, & pronunciauit Carolum Romanum Imperatorem in toto Occidente. Omnis populus apertis tibiis clamarunt; Deus Carolo inuicto Augusto Imperatori largiatur pacem, victoriam contra hostes, incolumitatem, & annos vitæ lõgissimos. Alij clamabant; Dominus omnipotens fortunet omnes gressus, omniaq; consilia eius. Et statim auteã gemmis distinctam, pretiosissimam coronam imposuit illi Pontifex. Atq; ita peruenit ad Germanos à Græcis ius Romani Imperij.*

Huic Mutio Hæretico addamus duos alios, Sebastianum Francum in Chronico suo, & Munsterum in sua Cosmographia. Agmen claudat Monachus S. Galli de rebus gestis Caroli Magni lib. 1. *Cum ibidem* (Romæ) *aliquot diebus reparandi exercitus gratia moraretur* (Carolus,) *conuocauit Antistites Apostolicos de vicinis partibus, quoscunq; potuit: & coram positis illis, & inuincibilibus gloriosissimi Karoli Comitibus, nihil minus suspicantem ipsum pronunciauit Imperatorem, Defensoremq; Ecclesiæ Romanæ.*

Finis libri primi.

DEFENSIO LIBRI SECVNDI, IN QVO PROBATVR, IMPERIVM ROMANVM DE GENTE FRANCORVM AD GENTEM SAXONVM SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATE TRANSISSE.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur ſucceſſio Caroli Magni.

PAVCVLA huius capitis carpit Iunius. Illud ferre nequit, Ludouicum Arnulphi Imp. filium; Conradum ſucceſſorem eius; Et Henricum Aucupem ex gente Saxonum non habuiſſe coronam Imperialem. Quid indignatur Caluiniſta? An non hoc diſertè tradunt Hiſtorici? An ſuo ex capite Bellarminus iſtud exſculpſit?

Iunius Philoſophari incipit de *corona Imperiali.* Summa huc redit. *Imperatorem verè & eſſentialiter abſq; hac corona & coronatione conſtitui; eſſe ceremoniam ſolummodo accidentalem;* Et alia huius generis, quæ libro primo ſæpe audiuimus à Iunio aſſeri; nunquam probari. Obiicit Vrſpergenſem, qui dicit; Ludouicum Arnolphi Imperatoris filium *ſeptuageſimo octauo loco ab Auguſto Imperium ſuſcepiſſe;* (Sed titulo regio, non Imperatorio.) *Et duodecim annos regnaſſe*; nimirum vt Germaniæ Regem. Idem ſenſus Vrſpergenſis eſt, cum Conradum ſeptuageſimum nonum: Henricum autè octogeſimum ab Auguſto numerat: nam Vrſpergenſis reſpexit ad id, quod iſti erant in proxima potentiâ, non quod completè *in actu ſecundo*, quia Reges Germaniæ & Italiæ erant, ex quibus Imperatores deſignari, & tandem quoque ſuprema per coronationem Pontificiam adhibita manu, perfectè conſtitui ſolebant.

Dreſſerus obiicit Sigebertum Anno DCCCC. XI. *Certè Sigebertus Ludouicum Imperatorem nominat Romanum.* Et addit: *Ludouicum propter tyrannorum in Italia inſolentiam, & multâ malorum ingruentiam, non meruit Imperialem benedictionem.* vbi Dreſſerus, duo committit flagitia; primùm enim duos Ludouicos conflat in vnum contra expreſſam Sigeberti mentem. Nam Ludouicus ille prior, quem Sigebertus nominat Imperatorem, eſt Ludouicus Imp. hoc nomine tertius, qui anno Domini DCCC. LXXVIII. imperiũ iniit; Ludouicus, verò filius Boſonis; Ludouici tertij ex filia nepos, eſt ille, qui Anno DCCCC. imperare cœpit, (Baronio Ludouic⁹ IV. dictus) & anno DCCCC. IV. à Berengario Italiæ tyranno captus oculiſq; ſimul & imperio priuatus eſt. Vide Baronium Annis prædictis. At Ludouicus, de quo Sigebertus Anno DCCCC. XII. eſt filius Arnulphi Imperatoris; (ſic enim à pleriſque Hiſtoricis nominatur, quia à Formoſo Papa coronatus fuit Anno DCCC. XCVI. quamuis Baronius eodem Anno hanc coronationem pro legitima agnoſcere nolit) toto cælo differens à duobus illis Imperatoribus Ludouico III. & IV. auo & nepote.

Alterum Dreſſeri flagitium; quia decurtat Sigeberti verba; omiſsis iis, in quibus tota vis eſt poſita. Sic enim Sigebertus. *Ludouicus Rex Germaniæ moritur.* (Iſtud; *Rex Germaniæ*, amputauit Dreſſerus.) Qui, &c. *non meruit imperialem benedictionem*; (propter turbulentum Italiæ ſtatum,) hoc eſt, Rex tantummodo non Imperator fuit, *cui ſuccedens Conradus regnauit Annũ ſeptem*, inquit Sigebertus, *qui & ipſe caruit benedictione Imperiali.* Dreſſerus. *Quid Conradus, qui Ludouico ſucceſſit, faciat in tanta perfidia? Papa enim Sergius Berengarium Italiæ Regem coronauerat, & Auguſtum appellauerat, vt ſcribit Onuphrius.* Conradus eandem ob cauſſam *benedictionem Imperialem*, vt loquitur Sigebertus, non obtinuit, propter quam ea caruit Ludouicus, Arnulphi filius, anteceſſor Conradi, nempe propter perturbatiſsimum Italici Regni ſtatum. Electus eſt autem Conradus in Regem Germaniæ Anno DCCCC. XII. quo, vt & Anno DCCCC. XIII. & DCCCC. XIV. nullus in occidente Imperator erat: nam Berengarius demum Anno ſalutis DCCCC. XV. Imperator eſt renunciatus & coronatus, non à Sergio, ſed à Ioanne X. Quod cur factum ſit, docebit te eodem Anno Baronius.

Conrado ſucceſsit Henricus Anno Domini DCCCC. XIX. de quo Sigebertus Anno DCCCC. XXXVII. *Henricus Rex moritur, qui, licet in vincendis inimicis glorioſus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quaſi conductiui mercenarij, alter alteri ſuccedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem Impe-*

rialem accepisset. Dresserus. *Quod modestè hic scriptor, imperialem benedictionem vocat, tu Bellarmine, non solum imperialem coronam, sed etiam Augusti nomen dignitatéq; appellat.* Duces sui facti habet Bellarminus Historicos; qui tres istos, Ludouicum Arnulphi filium, Conradum & Henricum nunquam Augusti vel Imperatoris appellatione affecerunt; aut profer vnum'si potes. Nam qua fide citaueris Sigebertum iam vidimus; vt & illud; non patrocinari Vrspergensem Iunio, cui bilem mouerunt illa Adriani IV. verba apud Auentinum lib. 6. Annalium Boiorum. *Romanum Imperium à Græcis trànslatum est ad Alemannos, vt Rex Theutonicorum non ante, quàm ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem, Rex. post, Imperator.* Clamat Caluinista: *Hoc Pontifex dicit in sua ambitiosa caussa.* Scilicet Pontifex & Pontificij exspectare debent, donec Iunius, Illyricus, Dresserus, aut similes de grege Lutheri vel Caluini clamatores, ius suum ipsis asserant & vindicent: Interea mutire non audebunt; quacunque iniuria ius suum violari videant. *Ita peruertit Hadrianus dum ita loquitur*, inquit Iunius, *quemadmodum* & Innocentius cap. *Venerabilem*, extra de Elect. Tu verò ô Caluinista, veritatem peruertere niteris, dum ita loqueris: Nam si à Græcis ad Francos hac lege, de qua Adrianus & Innocentius. Imperium non venit, quî fit, quod veteres Historici & Chronologi iis, qui à Pontifice consecrationem & benedictionem non acceperunt, Imperatoris & Augusti nomen non tribuerunt? Cur ipse Carolus Magnus, qui propemodum omnes occidentalis Imperij prouincias occupauerat, non antè Augusti & Imperatoris nomen obtinuit, quam à Leone III. Pontifice, imperiali corona redimit'est? Cur ipsemet Henricus, Othonis Magni parens, professus est, se Regis nomine velle esse contentum, nec cupere, vt Augustus & Imperator appelletur adeptus oblatam sibi à Pontifice Romano solennem inaugurationem; si absque Pontificis coronatione nomen hoc tam augustum illa ætate obtinebatur? Ita enim de Henrico Albertus Stadensis in Chronico. *Cui cum vnctio & diadema à Pontifice offerretur, noluit acceptare, se tanto honore indignum iudicans; dicens, sibi sufficere, quòd Regis nomine vocaretur.* Agnoscebat ergo Henricus, se, absque coronatione Pontificia solo *Regis* nomine insigniendum esse. Nec ipsimet Principes non coronati nominabant se *Imperatores*; sed *Reges*, vt aliquot exemplis ostendit Rogerius initio Apologetici contra Dresserum; nam Henricus, parens eius Henrici, cui tot fuêre controuersiæ cum Gregorio VII. & nonnullis consequentibus Pontificibus, non nominat se hoc nomine tertium Imperatorem; sed secundum: quod indicio est, eum, Henricum, Magni Othonis patrem, non posuisse in Imperatorum catalogo. Lege Rogerium.

A

Obiicit Iunius. *Eum, qui viuente Imperatore Rex Romanorum constituitur, statim, eo ipso; Imperatore vita functo, Imperatorem pleno iure fieri, omnesq; titulos, honores, & insignia possidere. ergo absque Pontificis consecratione & coronatione Imperatorem fieri.* At quisquis veterum gustauit Annales, factaque & exempla ipsorum principum, quorum caussa agebatur, perpendit; is hanc consequentiam negabit, & Iunium vanitatis postulabit: qui iterum obstrepit. *Potest quis esse Rex Romanorum seu Germaniæ absque vlla inunctione Episcopali; ergo & Imperator.* Antecedens probat exemplo eius ipsius Henrici, de quo hic agimus. Nam nemo abnuit, *fuisse verum Regem Germaniæ; & tamen non modo Pontificiam; sed neque Archiepiscopalem consecrationem & inunctionem acceperat.* Respondeo, consecutionem iterum esse friuolam ac ineptam; nam Imperium occidentale à Pontifice ad Carolum Magnum venit. Potuit ergo Pontifex, eas, quas volebat, conditiones annectere; inter quas & hanc de coronatione. At Regnum Germaniæ, etiam absque coronationis conditione, absolutè deferebatur; hinc quoque electus, & nomine & cæteris prærogatiuis statim efficiebatur Rex, absque vlla vlteriore sacerdotali ceremonia. Quod etiam de aliis regnis, atque adeo de ipso Orientali Imperio intellectum volo; neq; enim hoc à Pontificibus Romanis, & multo minus à Patriarchis Constantinopolitanis alicui delatum & collatum fuerat. Et quamuis Henricus non ex contemptu, sed alias ob caussas, ne regalem quidem inunctionem susceperit; non ideo tamen factum eius in consequentiam trahendum esse, docet visio hac ipsa de re oblata S. Vdalrico, vt in vita eius proditum legimus, & apud Dietmarum lib. 1. cum ei à S. Petro Apostolo ostensi sunt duo gladij, alter cum capulo; alter sine capulo; additumque: *Dic Henrico Regi; ensis ille, qui sine capulo est, significat Regem, qui sine benedictione Pontificali Regnum tenebit; capulatus autem, qui benedictione diuina regni tenebit gubernacula.*

B

C

Quanti etiam ipsi Imperatores Constantinopolitani vnctionem Patriarchalem fecerint, docet exemplo suo Ioannes Cantacuzenus, licet enim vt ipse scribit lib. 3. suæ Historiæ cap. 92. & lib. 4. cap. 4. iam antea Adrianopoli à Lazaro Patriarcha Hierosolymitano fuisset coronatus & inunctus in Imperatorem, attamen postquam Constantinopolin occupauit, rursus coronari & inungi voluit, idque *ne oblocutoribus sermonem daret, quod non Byzantij, secundum Imperatorum solemne, coronam accepisset.* Atque hæc & similia considerare oportebat Krantzium quem hic obiicit Iunius; & alios; qui quærunt, *quid coronatio Pontificia Imperatori conferat?* Iam sæpe dictum est, quid cõferat; idemque vno ore dicunt antiquiores historici & chronologi; quos Iunius audiret; si aures audiendi veritatem haberet.

D

Nec verba Matthæi Palmerij, quæ Iunius occinit, sunt oracula; qui dicit, *Romanos atq; vniuersos Italiæ populos doluisse, quòd post mortem Arnulphi, Imperium in Germaniam translatum esset; nec à Pontifice Transalpinos insignitos fuisse Imperatores vsq; ad Othonem primum*; nam Pontifex Henrico Othonis patri Imperialem coronam & insignia obtulit; nõ ergo culpa in Pontificibus hæsit, quòd nullus vsque ad Othonem primum Imperiali Diademate exornatus fuit. Neque vllus Imperator etiam in Italia fuit ab Anno DCCCC. XXIV. quo Berengarius occisus est, vsq; ad Annũ DCCCC. LXII. qui fuit Annus primus Imperatoris Othonis I. Reliquam Iunij phlyariã lœdoriis & pseudologiis deputa.

At vide simulque ride lepidam apologiam, quam Dresserus instituit pro Historicis, qui Ludouicum, Conradum, Henricum, tres Othonis Magni antecessores, non Imperatores, sed Reges indigitarunt. *Historici plerique omnes*, inquit, *qui de his Imperatoribus aliquid literis consignarunt, sub iugo Pontificio fuerunt.* (O quam dolendum tunc non extitisse Illyricum, Iunium, Dresserum.) *Itaq; ad præscriptum & nutum Pontificis sese totos conuertere coacti sunt, accurateq; cauere, ne quid contra Ecclesiæ Romanæ voluntatem siue auctoritatem scribere vel mussare viderentur. Decet enim cocum Domini sui habere gulam, vt in versu dicitur.* Quàm acutè sensum & mentem Historicorum attigit Dresserus? Scilicet Pontifex omnibus Historicis ora oppilarat, & calamos retuderat, vt verum nec proloqui, nec in chartam referre possent.

Sed tamen Dresserus asperitatem suam in Historicos, nimiam esse animaduertens, eandem clementer temperat. *Male*, inquit, *dicere, consuetudine & temporum iniuria factum esse, vt quod Pontifex vellet, idem etiam scriberent historici: persuasum enim hoc cunctis fuit, sancta esse omnia, quæ Pontifex statuisset. Itaq; excusati magis sunt habendi viri optimi, qui ad gratiam Pontificis scribere aut loqui coacti sunt; quanquam interim libertatem summis votis exoptarunt.* Agimus magnas gratias pro tam benigna excusatione; qua tamen Historici non egent; quia bilingues non fuêre; neque aliud in ore & calamo, aliud in præcordiis ferebant; Et si tulissent; certè *optimi viri* non fuissent: quo tamen encomio à Dresscro cohonestantur; quia nullus, cui cor & lingua duplex, *viri optimi* nomen meretur. Hæc nimirum solennis est istorum responsio. Cum testimonia veterum aliter effugere & eludere nequeunt, tunc robusta voce & facie clamitant; *eos aliud sensisse; aliud scripsisse.*

Sed en duos validissimos arietes, quos in nos Dresserus emittit. *Si non est Imperator nisi coronatus à Pontifice; sequitur coronationem esse neruum Imperij.* (Minimè hoc sequitur, sed coronationem esse vltimam quasi formam, quæ Imperatori *esse completum & perfectum largitur*; neruus alioqui Imperij est potentia, opum copia, vel potius subditorum vera religio, fidelitas, obedientia, & in Imperatorem summa obseruantia) *atq; adeo ἀξίωμα seu κῦρος illius omne in coronatione situm esse.* Non omne, ô bene, sed vltimum, quodque cęterorum est, quasi quoddam complementum.

Alter aries. *Sequitur, electionem Imperatoris, quæ fit à proceribus Imperij, nihil valere absq; Pontifice; vel certè si quid valeat, valere propter Pontificem.* Nihil horum sequitur; nam Electus ab Electoribus nunquam reiicitur aut reiicietur, nisi vel manifestus hæreticus, vel Reipublicæ Christianæ perniciosus, vel saltem prorsus inutilis esset. Itaque Electio ad hoc valet, & semper valuit; vt is, qui electus est, in Imperio titulo Cæsaris & Imperatoris Augusti electi omnia agere & administrare possit, & olim potuerit, absque vllo cuiusquam impedimento, vt patet exemplis Ludouici, Conradi, Henrici.

Multa etiam super hoc argumento mentitur & calumniatur Marsilius Paduanus in Defensore pacis part. 2. cap. 26. qui tandem in hanc impudentiam prorumpit. *Quid ergo aliud sibi tribuit auctoritatis principum Electio, quàm nominationem, ex quo ipsorum determinatio ab vnius solius alterius voluntate dependet?* TANTAM ENIM SEPTEM TONSORES AVT LIPPI POSSENT ROMANO REGI AVCTORITATEM TRIBVERE. Hæc vt imperitè, ita prorsus mendaciter *Turbator* pacis Marsilius.

CAPVT II.

Othonem primum, non autem Conradum, aut Henricum primum Imperatorem exgente Saxonum fuisse.

MVLTIS, iisque euidentissimis argumentis hoc capite ostendit Bellarminus, Ludouicum, Arnulphi Imperatoris filium; Conradũ & Henricum Saxones, non fuisse Imperatores, sed Reges Germaniæ, prout etiam capite præcedenti diximus. Iunius lepidissimè duplicem Imperatorum Catalogum statuit; alterum, *Germanicum*; alterum, *Italicum, iuxta illum; præfatos Reges; esse Imperatores; iuxta hunc, non esse.* At quis ille Catalogus Germanicus? Quis eius Auctor? Illyricus scilicet, Iunius, Dresserus, Fabricius in Originibus Saxonicis lib. 2. qui contra omnium aliorum Historicorum fidem scribere non veretur Henricum *fuisse coronatum; non coronatione Pontificia, sed Archiepiscopali*; Cum omnes vno ore testentur, eum nec regiam, nec imperialem vnctionem suscepisse, suas quasdam ob causas, in quas curiosius inquirere nihil necesse.

Illud præterea non minus festiuum est, quod Iunius dicit; *Ludouicum Arnulphi filium, ab ipsa natura fuisse coronatum, & hanc coronationem non esse*

minus validam, quàm Papæ, imò longè validiorem. Quæ fortè aliquid efficerent, si Imperium hæreditarium esset; sed quia in Electione, confirmatione, & coronatione positum est, non video, cur Iunius *coronationem illam naturalem* vrgeat.

Inuectiuam maledicam, qua hîc in Italos Iunius bacchatur, susque deque habemus; non enim soli Itali, sed & Germani Ludouicum, Conradum & Henricum in Imperatoribus non numerarunt: Marsilij demum Patauini tempore; Et postea ab Illyrico, Iunio, & aliis sectariis isti tres, creati sunt Imperatores. De Nauclero vide Bellarminum cap. 4.

In verbis Volaterrani, quæ Iunius recitat, non pauca sunt errata: insigne illud: *Ludouicum Arnulphi filium à Berengario fuisse captum, oculisq; ac Imperio priuatum*; Cum hoc de Ludouico Imperatore, Bosonis filio; Ludouici Tertij ex filia Nepote, accipiendum sit, vt supra ostendimus. Nec post Berengarium, qui Anno DCCCC. XXIV. occisus est, alius fuit siue Italus siue Germanus Imperator vsque ad OTHONEM primum.

Argumentum ex diplomatis Imperatorum, in quibus ex Imperatorum serie, ordine, & numero, excluduntur Ludouicus, Conradus, Henricus; argutè soluit Iunius; nimirum, hoc accidisse, quod historiam sæculi antecedentis ignorarent. Itaque si Henricus Imperator, qui Anno M. XIV. Imperiali diadémate redimitus est, tam versatus fuisset in Historiis, quam Iunius, Illyricus, Dresserus, & si Origines Saxonicas Fabricij legisset; in publicis litteris ac diplomatis non se Henricum primum; sed secundum nominasset. Idem fecisset Conradus, qui Anno Christi M. XXVII. coronam Imperatoriam suscepit. Conradum secundum, non primum se indigitasset. Sed ignorantia eis obfuit, vt non viderint, quotusquisque huius vel illius nominis Imperator esset. Malè sit Illyrico, Iunio, Dressero, Fabricio, qui tam serò cum face sua historica in medium prodierunt; nec citius adeo densam caliginem à mentibus nostris, imò & Imperatorum, depulerunt.

Iunius, vt est in inueniendo copiosus, aliud adhuc effugium adfert: *quia Romæ Imperatores coronati, diplomata sua ex Vrbe, prout in Fastis Pontificum inscripti erant, cœperunt scribere: quem stylum fuisse iniquum & periculosum postea retractari; mutatio enim publicum offendisset.* Et cur offendisset; si Henricus & Conradus, de quibus modò diximus, reuera secundi non primi sui quisque nominis erant? An non hæc exempla ex diplomatis Imperatorum sumpta, manifestè coarguunt fictitiam illam distinctionem Catalogi Imperatorum in *Germanicum & Italicum*? Nam cur Henricus I. & Conradus I. secuti sunt Catalogum *Italicum*, cum principes Germani essent? Cur non potius cum Catalogo Germanico se conformarunt, si talis Catalogorum partitio vnquam extra hæreticorum phantasiam in rerum natura exstitit? Quis coëgit illos, vt sua diplomata ad Pontificias bullas conformarent, contra conscientiam & scientiam suam? Obiicit Iunius. *Etiam ex Pontificum Fastis erasa esse quorundam Paparum nomina: mirum igitur non esse, licet nonnullorum Imperatorum nomina fraude & scelere ex Catalogo Imperatorum expuncta fuerint.* At, nisi fallor, multum sudabit Iunius, donec vel vnius Pontificis nomen, qui fuerit legitimus Christi Vicarius, Petrique successor, ex Fastis Pontificiis fraudulenter expunctum esse monstrauerit,

Probat Bellarminus variis Historicorum testimoniis, Othonem Magnum fuisse primum ex gente Saxonica Imperatorem. Iunius perpetuò hæret in suo *gemino Catalogo*; aitque; *Historicos secutos esse non Germanicum, sed Italicum Catalogum, dissidentem à Germanico*; nuper in Iunij officina edolatum. Itaque quoties Historicorum quispiam, etiam Germanus dicit, Othonem fuisse primum Imperatorem ex gente Saxonum; Oggerit; *eum sequi calculum Italicum.* Quæ, malum, hæc cauillandi & omnia eludendi intemperies? Cui si semel fores pandantur, forsan paulò pòst exorietur, qui calculum *Gallicum* siue *Hispanicum* in Historiis comminiscatur, & hoc commento eludat; quidquid suum ad stomachum minus iucundè accidit. Historicos vera scribere oportet. Si igitur Otho Magnus non fuit primus Imperator ex stirpe Saxonica; falsò scripserunt, eum esse primum; quamcunque tandem Imperatorum recensionem secuti sint. Si verò reuera Otho Imperator primus ex hac natione fuit; vt certè fuit, verè & secundum omnem calculum verum; affirmarunt eum fuisse primum ex gente Saxonum Imperatorem.

Notetur autem argumentum Bellarmini de numero *Ludouicorum*; nam Ludouicus Bauarus plerumque nominatur *Quartus*; quia Ludouicus, Arnulphi filius reuera Imperator non fuit; Fuit tamen alius Ludouicus, Bosonis filius, Ludouici Tertij nepos, de quo cap. 1. qui coronatus à Pontifice Imperiũ iniit Anno DCCCC. Vide Baronium hoc ipso Anno. Cuius respectu, necesse est, Ludouicum Bauarum esse *Quintum*, prout etiam à quibusdam recentioribus appellatur.

CAPVT III.

Eundem Othonem à summo Pontifice Ioanne XII. ad Imperium prouectum esse.

ROBERT Bellarminus quatuordecim Historicos, qui disertis verbis testantur, Othonem I. à Pontifice Maximo ad Imperialem dignitatē euectum esse. Iunius, more suo contendit, *Pontificem Othoni nil contulisse, nisi solennem quendam ritum, quo Imperium iam ante acceptum quasi obsignaret, & publicè promulgarit.* Hanc næniam sæpius iam, libro primo præcipuè, audiuimus, & auditam confutauimus. Videantur & perpendantur Historicorum testimonia à Bellarmino partim citata, partim recitata; clariora sunt, quàm vt talibus fumis inuolui & obfuscari queant.

Prædictis testimoniis adiungamus quædam alia, inprimis HROSVITAE Monialis in Panegyrico Othoni Magno versibus dicto, iussu Othonis II. filij; in quo Othonis inaugurationi tale lemma præponitur. *Odde secundo Italiam petit, & coronatur in Imperatorem.* Post versus de coronatione subiicitur aliud lemma in hunc modum. *Odde factus Imperator Berengarium in exilium mittit, &c.* Ergo per coronationem ad Imperatoris nomen & insignia peruenit.

II. Albertus Stadensis in suo Chronico ante coronationem semper nominat Othonem, REGEM: post coronationem, inquit, *mox Imperator & Augustus à populo consalutatus est*: idq; à Ioanne XII. anno Christi DCCCC.LXII.

III. Frodoardus in Chronico. *Otho Rex Romam pacificè adiit, & amabiliter exceptus, atque honore illic imperiali sublimatus est.*

IV. Idem testatur Adamus Bremensis in Ecclesiastica historia, & iisdem verbis, quibus Albertus Stadensis.

V. Adde Andreā Ratisbonensem in suo Chronico. Nec opus plures accumulare, vix enim est Chronologus, qui ad Othonis tempora scribendo peruenit, à quo testimonium huius rei non liceat petere.

CAPVT IV.

Diluuntur obiectiones Illyrici.

OMNIVNIS est sententia Historicorum Othonem Magnum à Ioanne XII. Papa coronatum esse. Illyricus dicit non deesse *qui id tradant factum à Cardinalibus.* Ait Bellarminus, se nullum Auctorem legisse, qui hoc scriptum reliquerit. *Atqui Palmerius ait*; (verba Iunij refero) *Ioanne Pontifice in omnem luxuriam dissoluto, Otho à Romana Ecclesia Patribus vrbiq; principibus euocatus, vt corruptos Pontificis emendaret mores, Romam proficiscitur, in qua vrbe amplissimis honoribus vsus coronam susceperit.* At nihil hoc testimonium aut pro Illyrico, aut contra Bellarminum facit: quia Palmerius non dicit, Othonem suscepisse coronam *à Cardinalibus*: Sed absolutè *suscepisse coronam*: quod de Pontifice optimè intelligi potest, præsertim, cum id expressè ab aliis historicis proditum fuerit.

Platina quoq; adductus à Iunio, Othonem à Ioanne coronatum scribit; licet parēthesin illam interiiciat: *(Vt quidam tradunt)* & quidem non pedanei, sed primæ sedis chronologi. Disertius & absolutius illud idem affirmat Volaterranus. Quocirca non satis dispicio, quo consilio istos quasi Illyrico suffragantes Iunius in medium producere voluerit; cum ipse Illyricus fateatur, hoc, quod de Cardinalibus fertur, nullis certis *documentis probari posse.* Nec antè, sed post coronationem Othonis, factam à Ioanne, scripserunt duo Cardinales ad Othonem contra Ioannem, vt ex ipso Illyrico Centuria X. demonstrat Bellarminus.

Mentitur Illyricus, translationem Imperij ad Othonem, *non esse factam potestate aut voluntate Papæ*; idq; testibus Nauclero & Cuspiniano probare contendit. De Nauclero prolixè respondet Bellarminus. De Cuspiniano res est expeditior palam enim scribit; hāc translationem esse factam: PONTIFICIS MAXIMI AVCTORITATE. Iunius clamat. *Non solum Pontificis auctoritate factam. Nec Papam fuisse vnicam & principalem causſam: & hoc voluisse Illyricum.* Sed nullum exstat huius distinctionis vestigium in libro Illyrici; nam vt à translatione Imperij in Carolum simpliciter excludere conatus est Leonem III. sic ab hac translatione in Othonem penitus reiicere tentauit Ioannem XII. ita vt nihil auctoritatis vel potestatis in ea perficienda Pontifici reliquerit. Iunius sane perquam peritus est medicus, qui distinctionum suarum malagmate omnia Illyrici mendacia sanatum accurrit; parum sollicitus, quàm aptè id præstet.

In Can. *Constitutio* apud Gratianum dist. 63. nominatur *Henricus I.* ante Othonem I. Ex quo colligi videtur, Henricum I. dici Imperatorem; & tamen certum est, non fuisse à Pontifice imperiali diademate cinctum. Respondet Bellarminus, probabile videri, eum, cuius ibi fit mentio, non esse Henricum, qui Othonem Magnum antecesſit; sed eum, qui Othonem III. secutus est, vereq; primus qui diceretur hoc nomine Imperator fuit. Iunius. *Hoc falsi euincit analogia Canonum circumstantium*: nam cap. *Inter nos*, proximè præcedens inscribitur. *Leo IV. Lothario & Ludouico Augustis.* Itemq; cap. *Sacrorum*: quod paulò post sequitur: inscriptionem habet; *ex libro primo capitulorum Karoli & Ludouici Imperatorum.* Quæ est ista consequentia? Capitulum *Inter nos*, & illud alterum: *Sacrorum*: est Imperatorum, ergo in illo cap. *Constitutio*: nomine Henrici primi, non intelligitur Henricus primus

V. *Rectè fecisse illos, qui titulo regio contenti, inaugurationem Pontificiam neglexerunt; vt fecit Henricus Auceps. Optandum plures eiusdem mentis exstitisse.* Cur Henricus vel alij hanc benedictionem non receperint; disquirere curiosius non duco operæpretium. Sufficit nobis, istos ipsos Reges agnouisse, se absque illa inauguratione Imperatoris & Augusti titulis vti non posse. Quod & Schardius fatetur; & hoc diligenter obseruandum est aduersus Iunium, Illyricum, Dresserum, Fabricium, qui Hēricum & alios contra receptum tunc morem, Schardio teste, *Augustos & Imperatores* appellitant.

VI. Post horribilem conuiciorum nimbum in Pontifices Romanos, præsertim Gregorium VII. emissum, *Lotharium Saxonem Imperatorem incessit, quem dicitat, vel persuasione aliorum, vel superstitione adductum, à Pontifice coronam accepisse. seq; ad pedes eius abiecisse; & per hoc postmodum per ignominiosam picturā Romæ repræsentatum esse; multum indignāte Friderico I. & super hac re cum Adriano IV. expostulante, teste Radeuico lib. 1. cap. 10.* Sed antiquitas secus iudicauit de Lothario, cui, cum Tertulliano dicam, *nouellitatem* Lutheranam & Caluinianam libenter postponimus. Legantur Acta coronationis Lotharij apud Baronium Tomo XII. anno Christi M. C. XXXIII. De pictura non fuit arduum, sinistram in animo Friderici, tot flabellorum ventilationibus inflammato, existimationem gignere, absque quibus si fuisset, haud Imperator ille armis, quàm litteris instructior, sedi Apostolicæ tanta contentione sese opposuisset. Quod & de aliis nonnullis dictum volo. Nusquam desunt, in Aulis magnorum principum irritatores; qui meliora videntes, deteriora suadeant.

De epistola Hadriani IV. ad Hillinum Treuirensem, Arnulphum Moguntinum, & Fridericum Coloniensem Archiepiscopos, dixi iudicium meum ad cap. 2. lib. 1. cuius neq; nunc pœnitet: nam fraudem & impostura, sub hac epistola tectam, vel hinc aduertas; quòd Auentinus lib. 6. & alij scribunt, ob eas, in conuentu procerum recitatas, exstitisse illum tumultum, in quo Otto Palatinus *Comes de Bauaria*, vnum ex Legatis Apostolicis stricto gladio petiit, ac interfecisset, nisi irruentis impetum ipsemet Imperator cohibuisset: cum, vt ex Radeuico lib. 1. cap. 8. constat, non ex istis, sed ex aliis literis ab Adriano ad ipsum Imperatorem datis, quasq; Radeuicus Historiæ suæ integras intexuit, tumultus ille exortus fuerit; idq; solummodo propter male intellectam *Beneficij* vocalem, vt idem Radeuicus scribit: nec verba illa; *A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet Imperium?* desumpta sunt ex aliqua Adriani epistola, sed ab altero ex Legatis prolata sunt, cum videret, principes tātopere indignari; quod Adrianus vellet Imperium sibi in acceptis à Friderico referri debere. Quod si ob epistolam Adriani modestissimè & moderatissimè ad Imperatorem scriptam; & ob dictum illud alterius Legati, adeo exarserū Principes, qualibus irarum flammis succensi fuissent; si ea epistola, cuius fragmentum Auentinus refert, publicè lecta fuisset; cum ne à conuiciis quidem in Germanos iaculandis abstine at? Et tamē Auentinus audacter fragmento epistolæ ista subiungit. *Hæc itaque in conuentu celebri Legatos referentes, Otto de Vvitelspach, stricto ense quem ante Imperatorem progerebat, territat, & forsitan confodisset, nisi Imperator interceßisset.* Hæc falsò Auentinus, vt ex Radeuico manifestum relinquitur.

Schardius nulla epistolæ Adriani ad Hillinum & alios mentione facta; totam illam orationem, quam Auentinus quasi ex epistola Adriani commemorat, adscribit vni ex legatis, cum hac ad marginem nota: *Superba & thrasonica legati Pontificij oratio. de qua vide Auentinum lib. 6.* & postquam totam illam vaniloquentiam exscripsit, subiicit Schardius: *His verò auditis, & Imperator debitam indignationem concepit, & omnes proceres tanta ira exarsere, vt, &c.* sed iam ex Radeuico diximus, aliunde indignationem illam, procerumque fremitum exstitisse: neque tale quid Legatos in eo conuentu effudisse; qui profectò incolumes non euasissent, si quæ Schardius & Auentinus memorant, coram Imperatore & Principibus peroraſſent; cum etiam hac tanta sua modestia, qua in legatione sibi credita vsi fuerant, vix potuerint euadere illæsi.

Post Adrianum aggreditur Schardius Innocentium III. propter capitulum *Solitæ* ext. de *Maioritate & obedient.* & cap. *Venerabilem.* Calumniatur, Innocentium *arrogantiæ, quàm religiosius* ad Imp. Constantinopolitanum *scripsisse*; dolet cap. illud, *Venerabilem* ex epistola ad Ducem Zaringiæ desumptum, *corpori Iuris Canonici infertum, in scholis explicari.* Sed cum Lutherus ne ignibus quidem *capitulum* hoc abolere potuerit, multò minus id clamoribus efficiet Schardius. Multa præterea euomit conuicia & mendacia contra alios Pontifices, quod *exuuiis Imperij ditati cornua obuertissent Imperatoribus*; in quibus illud eminet: *Bonifacium VIII. ense accinctum, coronaq; Imperatoria ornatum in publicum prodiisse, & tyrannica voce exclamasse: Ego sum Cæsar & Pontifex.* Sed nisi his & similibus lœdoriis ac pseudologiis sectarij suas chartas infercirent; crebro obmutescerent; nec quod vel hiscerent, inuenirent. Nunc Schardio dimisso, libri secundi defensionem concludamus.

Ex his & aliis argumentis liquet; Electores nõ tantum Rudolpho Habſpurgico, ſed & Gregorio X. & Friderico II. antiquiores eſſe; quanquam ſpeciatim ex Trithemij Chronico Hirſaugienſi & aliunde demonſtrat Schardius, Electores ſub Rudolpho Habſpurgico non fuiſſe inſtitutos; ſed eorum inſtitutionem huius Imperium longè anteceſsiſſe: Auentinum autem aſſerẽtem vſq; ad tempora Friderici II. Imperium non electione, ſed ſucceſsione delatum fuiſſe; meritò ex ipſa Decretali, *Venerabilem* redarguit, in qua diſertis verbis affirmat Pontifex; Imperium non eſſe *hæreditarium*, ſed electitium; quod etiam docet Otho Friſingenſis lib. 2. cap. 1. & ipſe Fridericus II. lib. 1. epiſt. 1. ex iis epiſtolis, quæ ſub nomine Petri de Vineis editæ ſunt.

Cap. 6. refellit Schardius argumenta Onuphrij, quod longè accuratius præſtat Bellarminus cap. 2. Hactenus de Schardio, cui adiungo Nicolaum Ciſnerum, vnum itidem ex Lutheri vel Caluini caſtris, qui & ipſe in Oratione de Othone III. & facta ab eo Electorum inſtitutione, contra Auentinum & Onuphrium pugnat, & potiſsimum nititur auctoritate duorum Pontificum Innocentij III. cap. *Venerabilem*, & Innocentij IV. cap. *Ad Apoſtolicæ* de ſententia & re iudicata in 6. ex quorum teſtificatione liquet, ſeptẽuiratum Electoralem longè antiquiorem eſſe, quàm Auentinus & Onuphrius velint: tametſi ipſe abnuit Innocentium in cap. *Venerabilem* loqui de ſex vel ſeptẽ tantum Electoribus; quibus nunc ius eſt eligendi Imperatoris; idemq; affirmat de Innocẽtio IV. licet tandem concedat verba eius de ſex vel ſeptem Electoribus accipi poſſe; ſed addit, non propterea ſequi; etiam Innocentij III. Decretalem non niſi de ſex ſeptemuo Electoribus intelligi debere: nam inter vtrumq; Innocẽtium annos amplius XLV. interfluxiſſe, ingenteſque interea tumultus exortos eſſe. *Quocirca in ſumma illa ordinum confuſione*, inquit Ciſnerus, *veriſimile videtur, ius hoc de conſilio Imperatorum & voluntate procerum, ad pauciores, eos præſertim, qui vel dignitate, vel auctoritate, vel potentia, vel ingenij dotibus atque animi virtute excellebant, delatum, atque ita ad certum, videlicet, ſeptenarium numerum redactum eſſe.*

Vult ergo Ciſnerus, Electionem Imperatoris ad ſeptemuiros veniſſe, tempore inter Tertium & Quartum Innocentium interiecto: hoc eſt, ante tempora, quæ Auentinus & Onuphrius præſtituunt. Et hæc ſit tertia de Electorum Imperialium ſententia. Quid ergo inſtituit Otho Tertius? Nil aliud, ex Ciſneri mente, quàm vt Electio Imperatoris penes ſolos principes Germanos eſſet, eosque omnes. Adſcribamus verba Ciſneri: *Gregorio Quinto in Pontificatum reſtituto, cum Otho noſter, quanta detrimenta Reipublicæ Chriſtianæ pernitioſis de principatu contentionibus inflicta eſſent, animo colligeret, cùm quas ob affectationem Imperij cùm alij exteri, tum præſertim Itali (quos cæteris ad cupiditatem regnandi procliuiores eſſe cognouerat) turbas mouiſſent, & conſpirationes contra Imperatorem conflaſſent, memoria repeteret: cùm, quod liberis careret, ad eos, qui aliis auctoritate, & virtute præſtarent, ſummam rei electione peruenire vellet: cùm denique dignitatem apud Germanos manere, eiusq; domicilium, & ſedem in Germania ſtabilire cuperet, vt & ſeditionum cauſſas tolleret, & exteros ab ambiendo Imperio ſubmoueret, & tantum decus patriæ conſeruaret, re diligenter cum Pontifice, & Imperij proceribus, quos ſecum Imperator adduxerat, deliberata, & tractata, conſtituerunt; ne aliis, quàm Germaniæ Principibus eligendi Cæſarem ius, poteſtasue eſſet, non alium, quam Germanum Regem Romanorum deſignarent, neu niſi cui Germani Principes Imperij ſummam tradidiſſent, Pontifices Imperatorem conſecrarent. Hac lege de Cæſaris electione Romæ promulgata, Imperator Otho in Germaniam reſiit. Etſi autem hoc decretum Itali, aliique exteri populi grauiſsimè tulerunt, auſi non ſunt tamen apertè labefactare, vel conuellere. Hinc vetus illa, & conſtans manauit opinio, id temporis ſeptem conſtitutos eſſe Germaniæ Principes viros, qui eligendi Cæſaris poteſtatem haberent, quos hodie* Imperij Electores, *ſeu* ſeptemuiros *vocamus*: quam tamen opinionem non probat Ciſnerus; cum ab Othone III. nil aliud ſancitum arbitretur, quàm vt Principes Germaniæ, non alij, Imperatorem eligerent; neque alium, niſi Germanum, vt externis omnis aditus ad Imperialem dignitatem aſpirandi intercluderetur.

Obſerua autem liberalitatem Ciſneri; quam vix nobis à Nouatore polliceri poteramus. Concedit, Othonem hanc conſtitutionem, non niſi re diligenter cum Pontifice deliberata, edidiſſe; ergo aſſenſit Pontifex. Mirum Pontifici vllum in tanti negotij tractatione locum ab hæretico relictum eſſe.

Quarta ſententia ſit Iacobi Spiegelij in Annotationibus ad Guntherum Ligurinum lib. 1. ad illos verſus.

> ------ *vrbáque regni*
> *Teutonici ſedes, Conradi morte vacabat,*
> *Acturi ſacræ de ſucceſſore coronæ,*
> *Conueniunt proceres totius viſcera regni.*

Putat iſte, longè poſt Othonis Tertij tempora ſeptem Electores inſtitutos fuiſſe; licet nullum certum tempus deſignet, citatque Ioannem Stabium Maximiliani Imperat. I. Mathematicum ac Hiſtoricum; & Comitem Nuenarium; nec aliud argumẽtum adducit, quàm nullam exſtare memoriam horum electorum in electionibus quæ ſtatim & paulò poſt Othonem III. ſecutæ ſunt. Quod argumentum fusè ſoluitur à Bellarmino; nam & ab Onuphrio & Auentino obiectum eſt.

Quinta opinio eſt Iunij, ita ſcribentis, ad cap. 1. lib. 3. *Sententia veriſsima eſt, hanc inſtitutionem Septemuirorum, vel Septemuirorum Imperij, decreto, & auctoritate Imperij fuiſſe factam, & Pontificia auctoritate, (quæ tum plurimum inualuerat,) approbatam, atque religioſe*

vt cre-

vt creditum est, per illud tempus, confirmatam. Et cap. 3. *Nos auctoritatem decreti ab Imperatore & Imperio toto profectam dicimus, confirmationemq; à Gregorio V. accessisse.* Idque vult ipsum etiam scripsisse Illyricum, eum *per synecdochen* dicendo locutum. Et sanè Caluinista iste magna veritatis vi coactus, plus pœnè, quàm sperari ab eo posset, largitur: hunc scilicet Imperatoris eligendi modum, & paucorum Principum facultatem, *Pontificiâ approbatione, & confirmatione sancitam principiò, deinceps vsu tritam, & custoditam esse:* deinde verò, *fuisse in hac* etiam *sententia, huius ipsius sententiæ hostem morosissimum Illyricum.* Hæc enim si sint, nonne vel inuiti debent magnum in Electorum iure, Collegioque sanciendo Pontificis Maximi agnoscere beneficium? An parum fuit, à populi vniuersitate ad solos Principes, à Principum multitudine, ad sex tantum, vel septem, eligendi reuocare suffragia? Quid? abeâdem eligendi potestate vniuersas Italiæ ciuitates, prouincias, & principes, quod antea non fiebat, excludere, parum ne fuit? Quid? cùm Christianarum Gentium omnium Principes, Regesque omnes Imperatori, pluribus in rebus cedere, ipsiusque prærogatiuam (etiamsi potentia fortè, & opibus præpollerent) agnoscere debeant, parum ne est, solis solius Germanicæ nationis sex Principibus illam deligendi facultatem annuere, & confirmare?

Sexta sententia est Theodorici Niemi in suo Nemore apud Schardium cap. 1. qui institutionem Septemuirorum refert ad tempora Conradi Salici; Ait enim, *post obitum Henrici sancti, principes Germaniæ ordinarunt, vt in posterum Romanus princeps eligeretur per tres Ecclesiasticos, & tres laicos nationis Germanicæ: & in discordantibus, per adiunctum Ducem Bohemiæ.* Illyricus tamen in suo lib. de Imperij translatione citat Niemum pro eorum sententia, qui institutionem septem Electorum tribuunt Othoni III. Sed qua fide hoc faciat Illyricus, ostendit Bellarminus cap. 4.

Septima sententia est Iordani in suo libro de Translatione Imperij, quem citat Illyricus, qui institutionē hanc refert ad tempora Caroli Magni; sic enim scribit. *Factum est, quod sanctus Carolus Magnus Imperator, de consensu, & mandato Romani Pontificis ordinationem sibi diuinitus inspiratam instituit, & præcepit, vt Imperium Romanorum apud Electionem canonicam principum Germanorum in perpetuum remaneret, nec non etiam verum sanctuarium Dei, id est, regnum Ecclesiæ iure hæreditario possideret, considerans, quod ipse de Græcorum, Romanorum, & Germanorum germine directa linea processisset, & quod ipse Pater suus Pipinus primò, & ipse Carolus secundò per Francorum, id est, Germanorum auxilium, Romanam vrbem, & Ecclesiam Dei à Lombardorum infestatione liberasset;* qui tamen Auctor nihil in specie de septenario electorum numero memorat, sed generatim asserit; decreto Caroli ad solos Germanos electionem Imperatoris pertinere, & quidem *de mandato Papæ*, quę verba Illyrico bilem mouerunt. Hinc suspicatur, *esse suppositicia.* Sed petulantiam Illyrici castigat Bellarminus cap. 4. licet ipsa Iordani sententia à vero sit aliena.

Octaua sententia est communis sectariorum huius temporis, existimantium Electores istos, & quidem determinatè sex vel septem institutos esse ab Othone III. Ita etiam Marsilius Paduanus in libro de Translatione Imperij. Sed hic variant; nam aliqui hanc institutionem factam scribunt, consentiente & suffragante Pontifice vt Schardius cap. 2. Aliqui ab Othone promulgatam quidem fatentur; sed excluso Pontifice; Ita Illyricus; neque enim sinebat inexsaturabile illud odium, quo Illyricus in Pontifices ardebat; vt quidquam Pontifici in huius sanctionis editione largiretur. Illyrico succinit Dresserus in sua Declamatiuncula. Et Fabricius libro 2. Orig. Saxon.

Nona sententia est Cardinalis Baronij Tomo X. anno DCCCCXCVI. qui putat septem Electores institutos esse ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi anno M. CC. XLV. nam in eo, post excommunicationis sententiam in Fridericum II. Imp. promulgatam, &c. inter alia additus est titulus de Electionibus, ob litium decisionem, simulque septem Electores Imperatorum ab eodem Pontifice definiti leguntur his verbis.

ELECTORES IMPERATORVM.

LAICI.	Dux Austriæ.	
	Dux Bauariæ.	
	Dux Saxonum.	
	Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.	
PRÆLATI.	Archiepiscopus Colonien sis	Principales.
	Archiepiscopus Moguntinus.	
	Salisburgensis.	Sequuntur hæc:

Isti ducentur in insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amouebuntur omnes nauicula, & ibi tractabunt de Electione Imperatoris. Nec adueniat aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Colonien sis, secūdus Moguntinus, tertius Saluburgensis. Hæc Baronius ex Matthæi Parisiensis historia edita Tiguri anno M.D.LXXXIX. fol. 655. subiungit Baronius. *Stetit numerus conscriptus, perseuerauitq; in futurum; personæ autem quatuor mutatæ, nempe, vt pro Saluburgensi positus fuerit Archiepiscopus Treuirensis, proq; tribus illis Ducibus, Austriæ, Bauariæ, atque Brabantiæ fuerint subrogati, Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgensis, atque Rex Boëmiæ, qui potius locum teneret Definitoris, si discrepent Electores, quàm vnius ex Electoribus ipsis. A quo nam autem, retento Electorum septenario numero, facta fuerit ista mutatio, num ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex successoribus eius; hoc, fatemur, nos latere. Ex conuentione autem Germaniæ Principum, id esse sancitum, qui sui temporis chronicon scripsit,*

scripsit, perduxitq; vsque ad annum ducentesimum, quinquagesimum sextum, post dictum sub Innocentio IV. Concilium Lugdunense annos vndecim, Albertus Abbas Stadensis, quod haud pridem Helmstadij cusum est, anno Domini M. D. LXXXVII. hæc habet: Ex prætaxatione Principum, & consensu eligunt Imperatorem, Treuirensis, Moguntinus, & Colonien sis. *& de secularibus:* Palatinus eligit, *inquit*, quia Dapifer est: Dux Saxoniæ, quia Marescalcus: & Margrauius de Brandeburg, quia Camerarius: Rex Boëmiæ, qui pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus. *hæc ipse. Ex quibus illud in primis intelligere possumus, id ipsis expoſcentibus Principibus simul consentientibus (nam hoc est illud, quod ait ex prætaxatione Principum, & consensu) vel ab ipso Innocentio IV. post Lugdunense Concilium factum esse, vel sub eius successore Alexandro IV. cuius annus secundus incidit in annum Redemptoris M. CC. LVI. ad quem dictus auctor suum perduxit Chronicon, & non ab ipsis Principibus sua sponte, nam, cuius fuit de septem Electoribus legem condere, non alterius, quàm ipsius esse potuit, eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari.*

Elicitur etiam ex dicta Alberti assertione, ipsum Regem Boëmiæ, nondum in Electorem, vel Definitorem inter Electores ad numerum septenarium cooptatum fuisse, ante scilicet dictum annum quinquagesimum sextum post milleſimum ducentesimum, quo ea ipse scribebat. Quod verò, qui ab Innocentio electi Principes Electores, Dux Austriæ, Dux Bauariæ, & Dux Brabantiæ cesserint alijs; unde proueniſſe, videri potest. quod magis cuperent eligi, quàm eligere Imperatores; ficq; inter eligẽdos potius, quàm inter Electores locum habere maluerint. Hucusq; Baronius.

Quæ ego, vt verum fatear, probare non possum. Nam primò nullus vnquam fuit Historicus Germanus, Italus, Gallus, nec scio num Anglus, præter Matthæũ Parisiensem, qui Duces Austriæ, Bauariæ, Brabantiæ, & Archiepiscopum Salisburgensem in Electoribus numerauerit. Quo modo res tanti momenti, ad nobilissimas hasce familias ornandas, & ad Archiepiscopatum Salisburgensem maximoperè illustrandum appositissima, Historicos Germanos latere potuisset; ita vt neq; vestigium quidem eius in eorum monumentis reperiatur; & tamen tam certò & feliciter penetrauerit trans mare ad Matthæum Parisiensem in Anglia in S. Albani Monasterio delitescentem?

Secundo, quî fit, quod in Archinis horum Ducum nulla huius Electoralis dignitatis exstat memoria? An credibile est, suorum decorum fuisse tam negligentes ac incurioſos, vt tantæ dignitatis fastigium à sede Apostolica, & ab vniuersali Lugdunensi Concilio sibi delatum, literis vel obiter ad posteritatis memoriam consignare noluerint? Nam nihil in horum principum tabulariis asseruari testantur, qui ea sedulo excusserunt Historici Boici, Austriaci, Brabantini, qui eximium hoc decus silentio nunquam inuoluissent, si istæ familiæ eo vnquam insignitæ fuissent.

Tertiò, qua culpa factum est, vt Dux Austriæ, Bauariæ, Brabantiæ & Archiepiscopus Salisburgensis hac tanta dignitate spoliarentur? nam quod aiunt, illos maluisse esse inter eos, qui eligerentur, quàm qui eligerent; id inprimis quò ad Archiepiscopum Salisburgensem non habet locum, quia Archiepiscopus nunquam est inter illos, qui in Imperatorem eligi possunt: Deinde etiam ipsi Electores non minus ac alij Principes, Imperatoriæ dignitatis & suffragiorum ad eam sunt capaces, vt patet exemplo Regum Boëmiæ, qui Imperatores fuêre, & tamen simul Electores. Ergo hæc causſa Duces illos impellere non potuit, vt sese Electorali dignitate abdicarent.

Quartò, qualis fabella est hæc de Electorum in quãdam Rheni insulam transuectione? Qualis item quòd Archiepiscopo Colonien si dat primas, cum ex oratione Friderici I. Imperatoris apud Radeuicum constet, primas in electione tenuisse & tenere Archiepiscopum Moguntinum. Lege Serarium nostrum lib. 1. Rerum Moguntinarum c. 25. vbi fusè probat Moguntinum inter Electores semper fuisse, & etiamnum esse primum.

Quintò, frustrà obtẽditur Lugdunensis Concilij auctoritas: nam neuter ex duobus Catalogis, quos Matthæus Parisiensis historiæ suæ intexuit, sunt à Concilio; sed ab ipso Matthæo; quia enim in illo Concilio Fridericus excommunicatus & Imperio priuatus fuerat; & Pontifex ad Principes Electores scripserat, vt alium Imperatorem crearent; Matthæus hoc historiæ suæ inserturus; præmisit geminum Catalogum Magnatum Imperij; quorum prior est iste.

Magnates Alemanniæ, non tamen Electores Imperatorum.

Rex Boëmiæ.	Dux Lemburgiæ.
Dux Lotharingiæ.	Dux Carenteniæ.
Dux Brunesvvikiæ.	Dux Saxoniæ.
Dux Suauiæ.	Comes de Geleia.
Landegrauius Duringiæ.	

Posterior Catalogus.

ELECTORES IMPERATORVM.

Laici { Dux Austriæ. / Dux Bauariæ. / Dux Saxonum. / Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ. }

Prælati { Archiepiscopus Colonien sis / Archiepiscopus Mogũtinus. / Salisburgensis. &c. } Principales.

Hũ à Domino Papa directa est diligentissima admonitio cum supplicatione, vt sibi alium Imperatorem eligerent:

promisit, eiusui & totius Ecclesiæ consilium, & auxilium: & in principio, sub spe potioris successus, quindecim millia librarum argenti. Prævenit autem, & invaluit Friderici dissuasio: qui eiu, & maximè Duci Austriæ, vinculo affinitatis est confœderatus: vnde monitis, aut precibus Papalibus Electores minimè paruerunt. Hæc esse Matthæi, non Concilij verba vel statuta, quis non videt? Quo enim fine Concilium Magnates Imperij non Electores Imperatoris percensuissent? Et quàm peritè hos proceres enumerat? Inter Magnates non Electores ponitur *Dux Saxoniæ*. Et tamen mox inter Electores Imperatorum numeratur *Dux Saxonum*. An diuersi *Dux Saxoniæ & Dux Saxonum*? Scio hodie esse diuersos *Duces Saxoniæ* seu *Saxonum*. An ideo & olim? Et cum Dux Saxoniæ seu Saxonum absolutè nominatur; excluso omni additamento, an non vnũ quendam; eumque inter omnes præcipuum, nempe Electorem intelligimus? Ipse etiam Editor Matthæi ad marginem hæc notat. *Digressio de Principibus Germaniæ*: cuius hæc digressio, nisi ipsius Matthæi?

Sextò, si Catalogus iste esset Concilij, non Matthæi tunc more & stylo synodico conceptus fuisset in hunc vel similem modum. *Statuimus vel ordinamus*, vt posthac Electores Imperatorum sint *Dux Austriæ, Dux Bauariæ, &c.* Quæ vel his æquipollentia verba indicassent, tum demum Electores fuisse institutos, neque ante hoc Concilium exstitisse: at hoc factum non est; sed simpliciter expositum, qui nam sint Electores, neque verba illa magis institutionẽ Electorum sonant, quam priora institutionem *Magnatum Alemanniæ*. Non continent ergo decretum Concilij; sed Matthæi Parisiensis sententiam explicant: cui, vtpote homini externo, & in vltima Britannia degenti, veritatem huius rei ignotam fuisse, quid mirum, cum tota hæc de Electoribus disputatio densis admodum tenebris inuoluta sit; vt vix satis liquidò euolui queat?

Quàm pronus autem in his sit lapsus, docuit exemplo suo alius rerum Anglicanarum scriptor Rogerus de Houeden in Annalibus suis in Richardo Primo, vbi agit de Electione Othonis IV. *Defuncto Imperatore*, inquit, *Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces, Comites, & omnes cæteri magnates Alemanniæ in vnum conuenientes, debent duodecim viros eligere communiter, & eos præsentare Archiepiscopo Coloniensi, & Archiepiscopo Maguntino, & Duci de Saxonia, & Comiti Palatino de Rheno; & quemcunque illi quatuor elegerunt de prædictis duodecim electis, erit Rex Alemannorum, & coronabitur apud Hayscapellam, vbi Carolus Magnus sepultus requiescit. Factum est autem, quod cum præfatus* Otho *esset vnus de prædictis duodecim communiter electis, ad instantiam precum, & seruitij* Richardi *Regis Angliæ receptus est ab Archiepiscopis Coloniensi, & Maguntino, & ab eisdem coronatus est in Regem Alemannorum apud Hayscapellam, præsentibus ducibus de Lamburc, & de Luuain, & aliis ducibus multis, & Episcopis multis, & præsentibus* Baldeuuino *Comite Flandriæ, &* Henrico *Comite de Namur fratre eius, & aliis Comitibus multis. Prædictus autem* Otho *duxit sibi in vxorem filiam ducis de Luuain, quæ die coronationis prædicti* Othonis, *sedit simul cum eo in cathedra regali, sed non tunc coronata.* Henricus *verò Dux Saxoniæ, Comes etiam Palatinus de Rheno, frater prædicti* Othonis *post reditum suum de terra Sultæ, ratum, & gratum habens, quod de fratre suo factum erat, electionem suam confirmauit. Cùm autem* Philippus *Dux Suauiæ, filius* Friderici *quondam Romanorum Imperatorij, frater quoque* Henrici *Romanorum Imperatoris proximè defuncti, esset vnus de suprædictis duodecim electis, noluit electioni suæ cedere, sed* Othonem *modis omnibus, quibus potuit, impugnauit; & quamuis* Otho *illum sæpe bello campestri expugnasset, tamen ab inceptis desistere noluit.* Hæc Rogerus.

Vbi duo potissimum paradoxa cernis. Primum est, *quòd quatuor duntaxat Electores nominat*, tametsi eos, qui hodie etiam hac dignitate funguntur. Alterum, *quòd à tota Principum multitudine duodecim proceres seligi tradit, ex quibus postea Electores Imperatorem eligant.* Quis ante Rogerum hæc de duodecim istis viris scripta reliquit? vt reticeam alia, in quibus Annalium iste scriptor à reliquis in Electione Othonis dissentit. Vide Annales Godefridi Monachi anno Christi M. CX C. VIII.

Quod attinet ad Ducem Bauariæ, quem Matthæus numerat in Electoribus, si quis, eius purgandi causa dicat; eum intellexisse, Comitem Palatinum Rheni, quandoquidem anno M. CC. XV. Palatinatus Rheni cum Bauaria coniunctus est; per connubium Othonis Bauariæ Ducis cum Agnete filia Henrici, vltimi Palatini Rheni, vt docet Freherus in Originibus Palatinis cap. 12. cum hoc non pugnabo: qui Otho Primus ex familia Bauarica coniuncta cum Palatina Elector fuit, & mortuus anno M. C C. X LV. quo Concilium Lugdunense sub Innocẽtio IV. celebratum est.

Septimò, contra hanc sententiam ducitur argumentum non infirmum ex ipsa Innocentij IV. constitutione, prout exstat in V I. Titulo *de sententia & re iudicata*, & apud Matthæum Parisiensem: sic enim ad finem Excommunicationis loquitur Innocentius. *Illi autem, ad quos in eodem Imperio, Imperatoris spectat electio, eligant liberè alium in eius locum successorem.* Ergo iam erant *Electores* in Imperio, nec tum primùm ab Innocentio instituti sunt; quia curam eligendi noui Imperatoris committit illis, ad quos in eodem Imperio Electio Imperatoris iam pertinebat, quando Innocentius Fridericum II. Anathemate perculit; & Imperio priuauit.

Neque fauet contrariæ sententiæ Albertus Stadensis; non enim dicit suo tempore, vel paulò ante sua tempora institutos Electores; sed absolutè: *Ex prætaxatione & consensu Principum eligunt Imperatorem Treuirensis, etc.* Vocat autem *prætaxationem*; quia ita constitutum est & sancitum, vt Electores illi nomine omnium eligant; & in eligen-

do,

do, quaſi omnium perſonas ſuſtineant. Nec pertinent hæc Alberti ad Concilium Lugdunenſe; nec Concilij Lugdunenſis quaſi quidam Commentarius ſunt, & exegeſis; cum ab Alberto conſignentur anno M. C C. X L. id eſt, quinquennio ante Concilium illud celebratum; quando Gregorius IX. Imperatorem Fridericum II. excommunicauerat; neque poſtea anno M. C C. X L V. cum excommunicationem ab Innocentio IV. in Fridericum latam commemorat; quidquam de Electoribus adiungit. Addatur autem & Albertus teſtibus contra Auentinum & Onuphrium; qui poſt mortem demum Friderici Electores inſtitutos tradunt. Citauit eundem Albertum, ſed ſine nomine pro hac ipſa re Bellarminus ex Illyrico, titulo Chronici manu ſcripti, ex quo multa Crantzius deſumpſerit; ſed verborum idem tenor indicat hoc Chronicum eſſe Alberti Abbatis Stadenſis, poſtea à Reineccio euulgati.

Silere hîc non poſſum, quid ampliſsimus Dominus *Marcus Velſerus* conſultus à me de ſententia Baroniana reſcripſerit. *De Electoribus quod quæris, mihi aqua dudum hæret. Facilius quod improbem, quàm quod probem, inuenio. nulla adhuc cuiuſquam ſententia prodiit, quæ difficultates omnes exhauriat. Baroniana Matthæi Pariſienſis mihi nunquam probari potuit. Nihil opus argumenta, quæ contra faciunt, recenſere, tu ad eorum ſedes digitum intendiſti. Optimo Baronio Concilij nomen impoſuit: ſed tu Pariſienſem à Concilio rectè diſtinxiſti. Baronium primum inter magnates nomen* Regis *Boëmiæ admonere poterat, Concilij enim tempore Duces, non Reges Boëmiæ præerant. Rogerij etiam inepta eſt narratio; quis ferat illos duodecim Imperatorios candidatos? Rogerius tamen in quatuor Electorum nominibus non errat; reliquorum fortaſſe puncta Otto non tulit. Itaque eorum fama Angliam, in qua Otto valdè gratioſus, non attigit. quanquam hæc mera coniectura eſt. In Rogerio Hays Capellam, Aquiſgranum eſſe obſeruabis, ex Gallica pronunciatione.* Aix (quod æs ſonat) *la Chapelle, ob reliquias ibi conditas.*

Decima ſententia eſt Bellarmini hîc, & multorum, quos citat; & Serarij libro I. Rerum Moguntinarum, inſtitutionem ſeptem Electorum eſſe à ſummo Pontifice: quamuis non ſine conſenſu Imperatoris aliorumque fortaſſe principum. Sed quis iſte Pontifex? Nos cum Bellarmino Gregorio V. qui ſub Othone III. Cathedram Petri tenuit, hanc laudem tribuendam cenſemus: quod quidem de Gregorio V. determinatè non affirmant omnes Auctores, quos Bellarminus citat; aliqui tamen id aperte ſcribunt; alij generatim Pontifici hanc conſtitutionem aſsignant, quod abſolutè loquendo ſatis nobis eſt contra hæreticos, qui Sedi Apoſtolicæ beneficium hoc in Germaniam collatum per vim eripere properant.

Ex his, qui ſanctionem hanc diſertè adſcribunt Gregorio V. ſunt non tantùm Catholici; ſed & Hæretici nonnulli, vt Munſterus lib. 3. Coſmographiæ, qui cum retuliſſet, quantas, & quàm indignas à Romanis Gregorius iniurias pertuliſſet, è contrario autem, quantam beneuolentiam, quamque præſens auxilium ab Othone Germano accepiſſet Pontifex, pergit in hæc verba: *Porrò Gregorius vt Cæſari, Germaniq; gratificaretur, & acerrimam de accepta à Romanis iniuria vindictam reciperet, nouam fecit vna cum Cæſare de eligendo à Germanis proceribus Rege ſanctionem, formulamque, ac legem creandi Imperatoris, vt hæc electio perpetuò Germanis maneret, & vt è ſuo corpore Cæſarem deſignarent. Quæ ad hoc vſque noſtrum ævum permanet. Debet autem virtute electionis mox ab electione vocari Cæſar, & Rex Romanorum; & accepta corona à Romano Pontifice tum habet titulum Imperatoris Auguſti. Et priuſquam hæc ordinatio publicaretur, Otho vocatis Principibus, & proceribus Germanicæ nationis, indicauit illis, quanta confuſione electus fuiſſet orbis Monarcha, & quàm multi eſſent, qui conarentur propinquos ſuos ad ſummum illud promouere faſtigium. Quæ res ad ſummum Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimen poſſet aliquando fomentum miniſtrare.* Et poſt nonnulla: *Fertur, hanc ordinationem incidiſſe in annum humanæ redemptionis M. I. quæ Gallis plurimum diſplicuit, qui eam graui animo pertulerunt.*

Petrus Bertius in Germaniæ deſcriptione: *Othonum*, ait, *vltimus, cùm intelligeret Romanos, Creſcentio Conſule, rurſum affectare Imperij titulum, coacto exercitu Romam cepit, impetrauitque à Gregorio Pontifice, vt ius eligendi Romanum Imperatorem perpetuò apud Germanos permaneret. Impetrauit autem hac lege, vt electus primum vocaretur Cæſar, & Rex Romanorum: poſtea verò, accepta à Pontifice corona, haberet titulum Imperatoris Auguſti. Electores conſtituti ſunt ſeptem: è quibus, Archiepiſcopi tres, quos Imperij Archicancellarios vocare placuit; Moguntinus Germaniæ; Colonienſis Italiæ; Treuirenſis Galliæ: Quatuor Principes, quos vocant, ſeculares, Dux Saxoniæ, Enſifer; Marchio Brandeburgenſis, Camerarius; Comes Palatinus Rheni, Dapifer: Rex Boëmiæ, Pincerna. Ab his poſt exceſſum Othonis Primus lectus eſt in Imperatorem Henricus cognomento ſanctus.*

Vides igitur etiam horum teſtimonio ſanctionem de Electoribus tribuendam eſſe Gregorio V. ſub Othone III. Et poteſt egregiè hoc ipſum probari, inquit Serarius noſter lib. 1. Rerum Moguntinarum cap. 27. è primis, quos quælibet aut Eccleſiaſtica Metropolis, aut nobiliſsima Principum familia in ſuis Annalibus, vel ſtemmatibus denotatos habet Electores. Moguntini certè Annales, & Catalogi, primum ſuum Electorem VVilligiſum laudant. At is, anno Domini M. X I. mortem obiit, dum S. Henricum Imperatorem vnà cum Electoribus aliis elegiſſet anno Domini M. II. ſecundum Sigebertum. Quia verò & iſta, & quæ ſuperiore capite dicta ſunt, à noſtris manuſcriptis aliis confirmantur, ponam luculenta eorum verba: *Gregorius V. poſt menſem X I. ſuæ fugæ, reſtitutus, primus omnium fecit ordinationem Electorum Imperij Romani, cum*

consilio Othonis Imperatoris tertij. Qui, cùm non haberet filium, timuit, ne pro Imperatoris electione, post mortem suam, bella consurgerent, sicut & contigisset, nisi in vita prouidè prospexisset: Conuocatis potentibus principibus spiritalibus, & temporalibus, sub Imperio in Germania degentibus, ex Saxonia, Francconia, Bauaria, & Cisrhenania, proposuit suæ mentis conceptum, atque cum eorum bona voluntate, & consensu sanctionem de Imperatoris electione fecit, quam hucusq; XX. annos supra quingentos seruatam videmus; solis licere Germanis Principem deligere, qui Romanorum Rex, & Cæsar appellatus C. Ad Apostolicæ dere iud. libro 6. si à Romano Pontifice confirmetur, Imperator, & Augustus nominetur. Constituti sunt igitur septem Principes Electores sacri Romani Imperij ex Germanis, tres spirituales, qui sunt Cancellarij, & quatuor seculares nominatim.

Hic obstrepit Nouator Schardius in libro suo de Electoribus cap. 2. *Si hæc sanctio edita fuisset à Gregorio V. Gratianus retulisset eam in suum Decretorum volumen. At hoc non fecit: ergo, &c.* Maior probatur. *Quia de alijs rebus minimis, nullaque memoria dignis decreta Pontificum suo Decreto insarsit Gratianus, cur hoc suppressisset?* Respondeo, si omnia illa Pontificum Decreta, quæ sunt extra Gratiani collectionem, censeri debent fictitia, tunc necesse erit, vt plurima Conciliorum & summorum Pontificum scita in spongiam incumbere iubeamus, tanquam commentitia, quia multò maxima eorum pars non est in *Decretum* relata: & cur non est relata? Quia Gratiano nunquam propositum fuit omnia in vnum fascem comportare, sed quædam; cur autem hoc vel illud omiserit; suas ipse causas habuit. Et quid si hæc, de qua agimus, sanctio ad notitiam eius non venit? Nec de translatione Imperij per Leonem III. ad Carolum Magnum, quidquam apparet in Gratiano. Num ideo translatio hæc tot grauissimorum testium firmata auctoritate, fabulis accensebitur? Accenseant Illyricus & similes Furippi; nemo sani capitis hanc tantam insaniam imitabitur.

Secundum argumentum sumit Schardius ex capitulo *Venerabilem*, vbi inter cætera Pontifex. VERVM *illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promouendum, recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos, & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit, qua Romanum Imperium in personam magnifici Caroli, à Græcis transtulit in Germanos.*

Schardius. *Hic Pontifex auctoritatem eligendi Imperatoris in Electores, non vi, vel auctoritate sanctionis Gregorianæ translatam, sed vigore translationis Imperij, in Carolum factæ, scribit. Quod si Gregorius huius institutionis auctor fuisset, haud dubiè tantam rem Pontifex minimè dissimulaturus fuisset.*

Respondeo, Innocentium non quidem dicere hanc eligendi Imperatoris potestatem ad certos Principes venisse à Gregorio V. affirmat tamen, quod nobis sufficit, venisse ad illos à Sede Apostolica; & quidem iam olim; nominat enim *antiquam consuetudinem*. Quid enim clarius illis verbis? *Præsertim cum ad eos & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit.* Quæ est ista; *Potestas huiusmodi?* nisi eligendi Imperatoris certis quibusdam Germaniæ principibus concessa potestas? nec quæ subdit Pontifex de translatione Imperij ad Carolum, ideo subdit, vt tempus & causam huius potestatis electoralis assignet; sed vt ostendat; primæuam quoque illam translationem Imperij in Carolum Magnum, non nisi Apostolicæ Sedi in acceptis referendam esse.

Obiiciunt etiam Catholici quidam scriptores contra hanc Bellarmini sententiam: *Ante Innocentium IV. nullum Auctorem reperiri, qui Electorum nominatim meminerit. Primum fuisse Martinum Polonum in suo Chronico, in Othone III. qui nomina & numerum Electorum distinctè expresserit. In huius vestigijs alios sua vestigia posuisse. Martinum Polonum sub Innocentio IV. vixisse, nec scripsisse, quid olim factum; sed quid suo tempore vsitatum fuerit.* Hinc eum vti his verbis: *Et licet isti tres Othones per successionem generis regnauerint, tamen postea fuit institutum, vt per officiales Imperij Imperator eligeretur, &c.* considerant isti præcipuè verba illa: *Postea fuit institutum, &c.* ergo non sub Othone Tertio, septemuiri instituti sunt, sed *postea*; nempe tempore ipsius Martini in Concilio Lugdunensi sub Innocentio Quarto.

Sed non est necesse, vt istud *postea* designet tempora Martini, non Othonis III. quia denotare potest, & reipsa etiam denotat, tempus post successionem Othonis III. Nam cum dixisset Martinus; & licet isti tres Othones per successionem generis regnauerint; subdit, *tamen postea fuit institutum, &c.* hoc est, postquam Otho III. per successionem generis Imperium fuerat adeptus; electio introducta est, quod sub ipsius Othonis Imperio fieri potuit; & reipsa itidem factum est. Itaque illud *postea* non refertur ad aliquid, quod sit post vel extra Imperium Othonis III. sed ad Imperij adeptionem, eiusq; modum.

Adde, quod sanctus Thomas & Augustinus Triumphus, citati à Bellarmino, qui eodem tempore, quo Martinus, vitam egerunt, expresse dicunt, sub Othone III. à Gregorio V. Electores fuisse institutos.

Nec nodum soluunt, qui dicunt; *istos, & alios omnes secutos esse Martinum*; nam inprimis nõ adhibent particulam illam *postea*, quam tamẽ iam explicauimus: sed absolutè asserunt à Gregorio V. sub Othone III. Electores institutos; & si hoc institutum tam recens ac nuperum fuisset; quippe in Concilio Lugdunensi demum anno M. C C. XLV. introductum, quomodo id sanctum Thomam, Augustinum Triumphum & ipsum Martinum latere potuisset, cum probabile sit Martinum

tinum Lugdunenſi Concilio interfuiſſe? Erat enim Confeſſarius Innocentij IV. Pontificis. Et hæc ipſa etiam cauſſa facit, vt pro commento habeam, quod nona ſententia ex Matthæo Pariſienſi tradit de *Duce Auſtriæ. Duce Louanij* ſeu *Brabantiæ*, *Duce Bauariæ* & *Archiepiſcopo Saliburgenſi*, quaſi in Concilio Lugdunenſi dignitate Electorali ab Innocentio Pontifice cohoneſtati fuerint: quomodo enim Martinus, vel S. Thomas, vel alius ei ſynodo par vel ſuppar rem tantam ſilentio tranſmiſiſſent?

Argumenta Onuphrij Inſtitutionem Electorum longè recentiorem facientis ſoluit copiosè Bellarminus, vt & Schardius in libro de Electoribus; qui capite ſeptimo etiam docet; cur *Principum querundam, qui iam Electores dicuntur, nulla mentio expreſſa in comitiis Imperatorum fiat, cum ceteri Principes nominentur.* Item cap. 11. *Qua ratione comitiis Imperatoriis alij quoque Principes, quam Electores, interueniſſe legantur.*

Iunius reſponſa Bellarmini ad obiectiones Illyrici, vt & veterum teſtimonia cauillatur ſuo more; cum quis Auctorum dicit, ſeptemuiros Electores à Gregorio V. fuiſſe inſtitutos; mox oggerit, *eum loqui συνεδοχικῶς*, vt ſenſus ſit, *Gregorius Quintus inſtituit ſeptemuiros*, hoc eſt, Gregorius V. & Otho III. & proceres totius Imperij: vel Otho & proceres totius Imperij inſtituerunt ſeptemuiros, ſuffragante & conſentiente Gregorio V. Has ſuas *ſynecdochas* ornat mox Iunius ſolitis illis ſuis ornamentis: *Negatur. Negamus Illyricum mentiri*; etiam tunc, quando apertiſsimè & euidentiſsimè mentitur. *Æquiuocè dictum. Falſa narratio.*

In litteras verò Electorum Imperij, ad Pontificem, quas profert Bellarminus, quàm contumelioſus eſt *ſynecdochicus* Iunius? *Scriptum eſt*, inquit, *Principum, qui nec hiſtoriæ magnam, nec vllam Theologiæ dederant operam.* Principes ergo illi, Iunio nec Hiſtorici ſunt, nec Theologi. *Hæc non contumelia eſt in bonos principes*, inquit Iunius, *ſed commiſeratio.* Abi quo dignus es cum tua cõmiſeratione. Non egent Principes tua miſericordia, quæ à criminatione non differt: quam dum à te amoliri cupis, in caput tuum maximè reuoluis. Nam quid hæc tua aliud ſunt, quam lædoriæ? *Quomodo* (Principes) *illa remotiora tenuiſſent, qui ne præſentia quidem, quæ ante pedes erant gerebanturque, potuerunt cernere? Neſciuerunt profectò hiſtoriam, qui tranſlationem & inſtitutionem Imperij Romani Eccleſiæ tribuerunt: neſciuerunt Theologiam, qui ex Canoniſtarum face hauſerunt illud; Pontificem maius luminare eſſe, Imperatorem, minus: Item illum Chriſti Vicarium eſſe; Paſtorem Paſtorum, &c. Neſciuerunt artes, qui tantum Ius Imperio, doloſa ſpecie odij in Carolum, non animaduerterunt per colluſionem eripi.* An non habemus ſat *commiſerationis Iuniana* erga Principes? Si hoc eſt commiſerari, quid tandem erit conuiciari?

Nunc Iunio miſsionem do. Tria verba de Dreſſero. Hic ſubtilitate Iunium ſi non ſupecans, certè æquans ita ſcribit: *Etſi nonnulli inuenjuntur, qui à Gregorio Quinto, vel à Gregorio Decimo ſeptemuiros inſtitutos eſſe ſcribant, tamen id in aliam partem accipi non debet, quàm tunc tulerunt tempora; hoc eſt, ſub Gregorio Quinto vel Decimo Conſtitutionem de ſeptem Electoribus promulgatam eſſe.* Senſus ergo harum locutionum: *Gregorius Quintus vel Decimus ſtatuit hoc vel illud*: erit iſte: *Sub Gregorio Quinto vel Decimo ſtatutum eſt hoc vel illud*: *non à Gregorio*; abſit; *ſed ab alio*; putà ab Imperatore, *qui erat tempore Gregorij Quinti vel Decimi.* Qua ratione dici poterit, Auream Caroli Quarti Bullam eſſe à Pontifice factam & promulgatam: quia ab Imperatore, ſedente in Cathedra Petri Pontifice, edita & euulgata eſt. Quidquid item hodiernus Imperator ſtatuit, id ſtatutum Gregorij XIII. vel conſequentium Pontificum nominare licebit; quia omnia iſta decreta cõdita ſunt ſubhis Pontificibus.

Ait Dreſſerus, non eſſe mirum, ſic omnia naturæ legibus contraria iuiſſe: *In eum enim locum res adducta erat*, inquit, *vt ad Pontificis Romani arbitrium, nutum, atque numen omnes Chriſtiani ſeſe fingerent, & accommodarent.* (Non ergo Chriſtianus fuit Marſilius de Padua, qui in libro de *Tranſlatione Imperij & in Defenſorec Pati* nec ad Pontificem, nec ad veritatem ſeſe accommodauit.) *Itaque factum eſt, vt quidquid memorabile in orbe Chriſtiano gereretur aut fieret, id omne ad Pontificem auctorem referretur. Nec eximium aut prædicandum quidquam habitum eſt, niſi à ſede & auctoritate Apoſtolica profectum eſſet: quod ſiue religionis, ſiue ſuperſtitionis cauſſa factum eſt, factum certè conſtat.* Magna meritò fuit apud omnes orthodoxos Pontificis Romani auctoritas; verùm non eò vſque hæc exiſtimatio proceſsit, vt Pontificem alienis plumis ornaret; eiq́ue Imperatorum decreta attribueret: nam Catholici non ignorant illud: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: cur ergo hoc ſtatutum de ſeptem Electoribus Pontifici tribuiſſent; ſi Cæſaris fuiſſet?

Obiicit Dreſſerus, *ſanctionem de ſeptemuiris eſſe legem politicam ac proinde extra Pontificis curam.* Reſpondeo, eſſe quidem rem politicam; ſed plurimùm ad Eccleſiæ vtilitatem & emolumentum facere: Quocirca cum reſpectu ad bonum ſpirituale, Pontificis quoque quàm maximè munus eſt, curare, vt ij ſint Imperatoris Electores, qui talem deſignent, ſuisq́ue ſuffragiis creent; qui & Reipublicæ & Eccleſiæ inuictus & indefeſſus defenſor ac propugnator ſit futurus.

Sed en ineluctabile argumentum, quo probat Dreſſerus, ſeptemuiros à Gregorio Quinto non fuiſſe inſtituros: *Quia Gregorius iſte fuit cliens Imperatoris, vtpote ab eo in Sedem Romanam reſtitutus; & poſt reſtitutionem quoque ingentibus turbis iactatus eſt: ergo non eſt credibile, quòd Imperatori ſuas partes*

præripere, & Electores septemuiros instituere voluerit. Respondeo, beneficia ab Imperatore in Gregorium collata, potissimum perpulisse Papam, vt de gratiis Imperatori reponendis cogitaret. Nec commodior ratio occurrit, quàm hæc de Imperatoris electione Germanis Principibus, non omnibus, sed certis ac destinatis committenda: Nec ideo in prouinciam Imperatoris inuolauit; nam cuius studio & sollicitudine Imperium primitus ad Germanos venit; eiusdem quoque munus fuit, designare, qui Imperatorem calculo suo eligerent.

Obiicit Dresserus. *Othonem III. odio habitum à Gregorio* probatque ex lib. 4. Dietmari, qui dicit, *Gregorium Othoni tetendisse insidias; & dolosè Imperatorem capere voluisse; non ergo videri verisimile, Gregorium in gratiam Othonis, totiusq; Germaniæ sanctionem de septemuiris condere voluisse.* Sed Hæreticus aduertere debebat, Dietmarum non intelligere per Gregorium; Gregorium Papam V. cuius obitum iam antea recensuerat Dietmarus; neque addere, ad nomen Gregorij, nomen *Papæ*, (& quomodo id potuisset, cum Gregorius Papa A iam obiisset concitata illa in Othonem Romæ seditione, anno M. I.) licet Reineccius sectarius ad oram libri ex suo erga Pontifices studio, hanc notam appinxerit: GREGORII *Papæ in Othonem Tertium insidiæ.* Quomodo Gregorij Papæ, qui iam, teste ipso Dietmaro, viuere desierat? Fuit ergo iste Gregorius alius ex Othonis III. necessariis & familiaribus: quod rectè etiam notat Baronius Tom. XI. anno Redemptoris M. I. qui ingenuè fatetur, se per scholium Marginale Dietmariani Scholiastæ in prima editione Tomi X. deceptum fuisse. Ipse etiam Cisnerus insidias istas Othoni structas, de quibus Diethmarus; refert ad tempora Gerberti, seu Sylvestri II. successoris Gregorij V. vt proinde Gregorius V. B huc trahi nequeat, nisi ab illis, qui liuore cœci, etiam sine occasione, occasionem Pontificibus maledicendi cudunt, vt habeant, in quo petulantem linguam exerceant.

FINIS LIBRI TERTII.

ADMONI-

Digitized by Google

ADMONITIO DE ANIMADVERSIONIBVS IVNII IN LIBELLVM BELLARMINI, QVEM ADVERSVS ANONYMVM QVENDAM CALVINISTAM EDIDIT.

POST tres libros de Translatione Imperij à Græcis ad Francos seu Germanos; sequitur libellus pro Pontifice à Bellarmino contra Anonymũ quendam Caluinistam euulgatus, quem Iunius à notatiunculis suis intactum relinquere noluit. Materia libelli est *Pontifex*. Hunc Caluinianus sine nomine, pertendit esse *Antichristum*, quod variis testimoniis, non probat, sed probare nititur: tametsi nitendo nihil enititur, præter conuiciorum retrimenta.

Eundem Papam infectatur tanquam multorum flagitiorum reum, vitæque improbæ ducem & antesignanum, testesque aduocat cum alios, tum tres Italos, Dantem, Petrarcham, Boccacium. Demùm maledicta sua maledicis Satyris coronat, ne principium, fini, mediumúe imo discrepet. Ad omnia accusationis capita accuratissimè respondet Bellarminus. Ante omnia ad calumniam de Antichristo. Nec Iunius pro suo Anonymo aliquid adfert, in quo refellendo tempus & otium vtiliter collocari videatur; aut quod abundè libro 3. de Pontifice non sit refutatum. Nam sanctis Patribus, si quos citant, insignem faciunt iniuriam sectarij, nullus enim ex eorum numero asseruit, *Pontificem esse Antichristum*, quem supremis temporibus venturum sacræ litteræ prænunciarunt. Alij hæreticorum testes ipsis prorsus sunt similes, hoc est, hæresi à vertice ad infimam vsque plantam infecti. An mirandum, si VValdenses, Hussus, Husitæ, VViclephus, VViclephistæ, & huius classis cæteri, Romanum Papam pro *Antichristo* habeant, traducant & proclament? Quid aliud ageret hæreticus, cuius secta stare nequit, nisi summi in Ecclesia Catholica pastoris famam, boniúe nominis existimationem ex cordibus suorum asseclarum expungat, eosque ita inficiat, vt quem pro Christi Vicario reuerenter venerari debebant; eum non secus, ac mortalium omnium perditissimum fugiant & detestentur?

Si qui recentioris æui conuiclum Antichristi in Pontificem iecerunt id factum est ex simultate, quæ illis cum certis quibusdam Pontificibus intercedebat, sumpto *Antichristi* nomine latiùs pro illo, qui vita & moribus Christo sese quomodocunque opponit, non pro illo grandi & enormi Christi aduersario, qui se extollet, super omne id, quod colitur, & qui se pro Deo venditaturus est: quod nominatim dictum & intellectum volo de Friderico II. Imperatore: nam quidquid ipse, vel nomine eius Petrus de Vineis in epistolis, quæ exstant, contra quosdam Romanos Pontifices exspuit, id non ex negatione dignitatis Apostolicæ; Sed ex odio erga nonnullos, qui Cathedram Petri tenebant, processit; nam Fridericum ipsam Pontificis potestatem alioqui agnouisse, & minimè pro Antichristiana habuisse; testatum reddunt cum alia, tum sollicitudo illa & cura redeundi in gratiam cum Romanis Pontificibus; cum quibus reconciliari in postremis duxisset, si eo animo fuisset, quo sunt hodie illi; qui mentiuntur, idque vel iureiurando interposito, tanta est improbitatis magnitudo & pertinacia, *Romanum Papam esse Antichristum*.

Eberhardum Archiepiscopum Salisburgensem nunquam non in ore habent Nouatores. Qua de causa? Quia Pontificem nominauit *Antichristum*, & multa in eum dixit, quæ Hæreticorum palato *super mel & fauum* sapiunt. Sed obstructis planè naribus eum esse oportet, qui non odoretur, quis fuerit auctor & artifex eius orationis, quæ Eberhardo apud Auentinum libro septimo Annalium Boiorum attribuitur. Alius nimirum non fuit, quàm ipse Auentinus; is sua sensa, cogitata, verba, stylum, genium, vno verbo, totam suam mentem, eamque hæretica tabe infectam, Eberhardo affinxit. Tota oratio, liceat sic loqui, *Auentinizat*; hoc est, pectus in Papam pessimè affectum redolet; & quia videbat Auentinus; Inuectiuam illam parum ponderis habituram, si suo eam nomine venum exponeret, Eberhardum substituit, summæ auctoritatis virum, qui à beneficentia in pauperes, *Pater pauperum dictus* est, vt scribit Hundius in Metropoli Salisburgensi, & Archiepiscopatui ab anno M. CC. vsque ad annum M. CC. XLVI. sa-

pienter ac religiosè præfuit. Hiccine in Romanum Pontificem Auentinica illa maledicta & conuicia congesserit, qui ipsemet ad Innocentium Tertium Romam, Pallij obtinendi caussa, accesit: qui sacra Palæstinæ loca piè visit ac lustrauit anno M. CC. XVII. Qui tot Episcopatus fundauit; qui deniq; anno M. CC. XXX. cum aliis Ecclesiasticis & Politicis Principibus operam dedit, nec irrito conatu, vt Fridericus II. in communionem à Pontifice reciperetur; vt ipsemet Auentinus narrat.

Dantes, Petrarcha, & Boccatius in mores quorundam Pontificum inuecti sunt, melius vtique sibi consulturi, si suos seriò emendassent. Quis nescit, mores à doctrina distingui debere, nec ideo præcisè doctrinam censendam malam, quia doctoris vita est mala; neque auctoritatem eius esse nullam; qui sublimi in loco residens; moribus dignitati dissentaneis viuit? Ipsi certè Sectarij, nominatim tres primipili Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, cum asseclarum suorum perditissimam & flagitiosissimam vitam sibi obiici audiunt; absque mora ad hunc portum confugiunt; nempe doctrinam à moribus, & hos ab illa, discriminari debere; vt sæpius in meis Apologeticis libris contra Sectarios ex ipsis Sectariorum chartis ostendimus.

Aduersarij nostri, inquit Lutherus scholiis in cap. 42. Isaiæ: *sicubi leuiter à nobis peccatum est, exclamant statim: Haccine vita Euangelica? Hiccine Christiani mores sunt? Stulti homines & imperiti sacrarum literarum, non vident hanc Christianorum legem esse, vt ferant infirmos fratres. Quorsum autem eo præcepto esset opus, si omnes essent perfectè sancti? Ergo necesse est in Ecclesia sancta esse infirmos, & tales, quorum factis offendamur. Sicut in corpore humano, non ossa tantum sed etiam infirma, & mollis caro est: quare regnum Christi constat ex portantibus, & portatu. Et vita nostra est compositum quiddam ex fortitudine, & infirmitate.* Hæc Lutherus non verè pro se & suis; verissimè autem pro nobis & nostris siue ouibus, siue pastoribus infirmis. Quæ idem Lutherus elogia illis tribuat, qui ex moribus doctrinam labefactare conantur, intelliges ex his eius verbis, libro *de Vsuris* Tomo VII. Latin. VViteberg. *Nec bardi, insulsi, & ignobiles isti, tantoperè ferocientes tauri, ciuitatumque pecudes & agrestes asini, vrique rurestres, tantum, è concionibus didicerunt, vt inter Verbum Dei, quod prædicatur, & personam prædicatoris, aut ministri, discrimen facere possint.* Hæc Lutheri Encomia, si imo corde Lutheri & Caluini discipuli conderent; forsan non tam cupidè Pontificum, & aliorum Ecclesiasticorum vitas lacerarent, & quidem sæpius falsò ac immeritò, quàm verè & meritò. Nec tam auidè promerent & regererent, si quid temporibus antiquis in Papas quosdam à Dante, Petrarcha, aliisue dictum scriptumue est, seu verè, seu secus, præsertim cum istis longè alius animus fuerit, quàm hæreticis, qui hoc vnum spectant, vt criminando mores ipsam dignitatem, A auctoritatem & potestatem Pontificiam, seu generalius, Ecclesiasticam, euertant, & in contemptum apud omnes adducant; quæ mens procul à Dante, & aliis orthodoxis abfuit; non ignaris illius aurei dicti ac moniti Matthæi vicesimo tertio: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Nam licet ob procliuitatem in vitia, procliue sit imitari eos, *qui dicunt & non faciunt*, hoc est, qui loco magis, quàm vita & actione nitent, insipienter tamen agit, qui prædictum Redemptoris nostri documentum sibi ex memoria elabi, seque ab honestatis semita alieno exemplo abduci sinit. B

In quos pulchrè S. Augustinus lib. 50. Homiliarum, homilia vltima, vt & in illos, qui pastorum suorum deprauatis moribus inducti, suos corrigere differunt. *An fortè attendant, multos etiam in ipsis honoribus Ecclesiastici præpositorum, & ministrorum non congruenter viuere sermonibus & Sacramentis, quæ per eos populis ministrantur? O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliuiscuntur, qui tanto ante prædixit, vt legi Dei potius obtemperaretur, quàm imitandi videantur illi, qui ea, quæ dicunt, non faciunt, & traditorem suum toleraus, vsque in finem, etiam ad euangelizandum cum cæteris misit. Tam sunt autem isti absurdi, & præposteri, & miseri, qui præpositorum suorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicta* C *Domini præcepta seruare, quàm si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere, cùm viderit miliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potius si peruenire desiderat, tales comites intueatur & consequatur, qui & viam bene demonstrant, & in ea perseuerant, atque alacriter ambulant? Quod si isti desint, vel potius, minus appareant; nam deesse non possunt: non enim sic quærunt homines charitate studiosa, quod prædicent ad imitationem, quo modo quærunt iniquitate suspiciosa, quod murmurent ad deceptionem, partim non inueniendo bonos, dum ipsi mali sint, partim timendo inuenire, dum mali esse semper volunt. Sed tamen, concedamus, non apparere nunc homines dignos imitatione. Quisquis hoc putas, Deum mente intuere, qui homo factus est, vt te hominem viuere doceret. Si habitat Chri-* D *stus in interiore homine per fidem in corde tuo, recordaris illud, quod Ioannes ait; Qui se dicit in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulauit, & ipse ambulare: & ita, non tibi deerit, quem sequaris, & cum te alius viderit, de bonorum inopia conqueri desinet. Si enim non nosti, quid sit rectè viuere, diuina præcepta cognosce. Fortasse enim multi rectè viuunt, sed propterea tibi nullus videtur, quoniam quid sit rectè viuere, ignoras; si autem nosti, age quod nosti, vt & tu, quod quæris habeas, & alius, quod imitentur, ostendas.* Hæc elegantissimè S. Augustinus.

Commemorabile porro vel infirmis arbitror illud, quod Optatus Milenitanus libro 7. contra Parmenianum annotauit; nempe singulari quadam Dei prouidentia & permissione factum

ctum esse, vt Petrus, instante Dominica passione, tam grauiter laberetur, & in Magistri etiam sui negationem incideret, vt exemplo cæterorũ Apostolorum & discipulorum Christi, discere-mus seruare vnitatem, & vinculum pacis, licet illi, qui gregi Christiano præsunt, in peccata aliquando præcipites ruant, & indignam loco ac functione sua vitam degant: neque enim discipuli eam ob caussam Petro honorem & reuerentiam non habuerunt, aut obsequij officium detrectarunt; quod Christum negasset, sed vt capiti ac principi suo libenter & reuerenter obtemperarunt. *Malum est*, inquit. *Optatus, contra interdictum aliquid facere; sed peius est, vnitatem non habere, cum possis. Quam vnitatem ipsum Christum videmus præposuisse vindictæ suæ, qui magis omnes discipulos suos voluit in vno esse, quàm quod offensus esset, vindicare; dum nollet se negari, promisit se apud patrem negaturum esse, qui se negaret apud homines, &c. Et, cum hæc ita scripta sint, tamen bono vnitatis, B. Petrus, cui satius erat, si pòst, quod negauit, solam veniam consequeretur; & præferri Apostolis omnibus meruit, & claues regni cælorum communicandas cæteris, solus accepit. Bono vnitatis, sepelienda esse peccata, hinc intelligi datur, quod beatissimus Paulus Apostolus dicat, charitatem posse obstruere multitudinem peccatorum: Onera vestra, inquit, inuicem sustinete. Ecce alio loco ait: Charitas, inquit, magnanimis est: charitas benigna est; charitas non zelatur: charitas non inflatur; non quærit quæ sua sunt. Et benè dixit. Hæc enim omnia viderat in Apostolis cæteris, qui bono vnitatis, per charitatem noluerunt à communione Petri recedere, eius scilicet, qui negauerat Christum. Quod si maior esset amor innocentiæ, quam vtilitas pacis & vnitatis, dicerent se non debere communicare, vt supra dictum est, Beatissimo Petro, qui negauerat magistrum, & Dei filium Dominum. Possent non communicare, vt supra dictum est, Beatissimo Petro: possent contra illum recitare verba Christi, qui promiserat negaturum se esse apud Patrem, eum, qui se coram hominibus denegasset, &c. Potuit vtiq; caput Apostolorum ita se gubernare, vt nihil incurreret, quod doleret; sed ideo, in vno titulo eius multa videntur errata, vt possit ostendi bono vnitatis omnia debere Deo seruari, &c.*

Et post varia in hanc sententiam. *Vnde intelligitur, omnia ordinata esse prouidentia Saluatoris, vt ipse acciperet claues. Intercluſa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam iudicandi conciperent, & seuerè contemnerent eum, qui negauerat Christum. Stant toti innocentes; & peccator accipit claues, vt vnitatis negotium formaretur. Promissum est, vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes claudерent contra peccatores: & quæ necessaria est vnitas, esse non posset, &c.* Hæc scitè, & verè Optatus.

Si ergo interdum vel summus Pastor, vel alius ex inferiorum numero bona quidem dicat; sed non faciat; quid aliud cogitabit homo Catholico pectore præditus, quam venisse tempus demonstrandi, quàm sit amans vnitatis, & quantus osor schismatis ac scissionis; Et tunc potissimũ ad se pertinere arbitrabitur illud Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis* A *eum, an non; in toto corde, & in tota anima vestra.*

Nec importunè illa ipsius Lutheri in mentem reuocabit lib. contra Iudæos Tom. 7. Lat. VViteb. *Quando Satan non potest ladere aut opprimere doctrinam, tunc accingitur ad conuiciandũ contra personas, fingit mendacia, conuiciatur, furit, fremit contra eas*, &c. *Ergo* (hæreticus) *qui in mala caussa vult vincere, accingatur ad conuiciandum. quemadmodum rabulæ quidam legum parum periti, coram tribunali faciunt, quando argentangina, aut febrili siti, auro corrupti sunt; quemadmodum mater illa rixosa docuit filium; Mi fili, cum vincere nõ potueris, clamoribus age rem, & conuiciis decertato.*

Hæc appositè Lutherus, licet forsan præter mentem suam, de suo & suorum solenni more; qui illis adeo insitus est; vt criminationibus & B insectationibus, quas ipsi nouas quotidie pariunt, non contenti, priscas crebrò reperant, & renouatas mundo palam obtrudant; quamobrẽ diligenter conquirunt, quæcunque olim in Pontifices seu versu, seu soluta oratione declamata sunt; quorum auctores duplicis sunt generis. Nonnulli enim omnia sua tela in sola personarum vitia dirigebant, saluâ doctrinâ, animo interdum non malo; tametsi sæpè liberiore, quàm par erat; alij, vt Nouatores, VViclephus, Hussus, personas criminabantur, vt viam ad ipsorũ dogmatum euersionem sibi munirent. In horum vestigiis ponunt pedes suos nostri sectarij. Qua de caussa ante multos iam annos Vergerius, famosus ille Apostata, sexdecim Epistolas Petrarchæ, quibus in Romæ, Romanæque Curiæ & Põtificum quorundam seu vera, seu ficta vitia inuehitur, separatim euulgandas curauit; vt tantus thesaurus ad plurium manus peruenire; eundemque ob finem ante non multos annos sectariorum studio & opera recusæ sunt; cum tamen certum sit, idque Bellarminus non paucis ex ipso Petrarcha allatis exemplis ꝓbet; Petrarcham non improbasse, aut scriptis suis lacerasse ipsam Pontificis auctoritatem & potestatem, sed zizania, quæ huic officio, & loco, in quo supremus pastor residebat; inimicus homo superseminauerat. indicio saltem Petrarchæ; Itaq; iniuriã faciunt sectarij Petrarchæ & aliis Catholicis alioqui scriptoribus, cum eorum dicta, non in D ipsum statũ aut officium, sed in malã vitã, & in abusum emissa, ad ipsius potestatis & functionis demolitionẽ obuertunt: Et quidẽ quasi ex mente ipsorũ Auctorum, quorum spicula vibrant.

Multa ꝓfert Bellarminus ex Dante & Petrarcha, quibus planũ facit, eos orthodoxè de Pontificis Romani primatu, aliisq; religionis Christianæ dogmatib. sensisse. Iunius perpetuò occinit; *Dantẽ, & Petrarcham hoc vel illud ex more sui seculi adstruxisse; non quòd vera ita sentirent; noluisse illos contra torrentem brachia tendere. Vulgi opinionem secutos, non veritatem, & hoc eam ob caussam, ne sine emolumento turbas cõcitarent, & sibi periculum crearent*; ita dum illos excusat. Doctos istos & celebres viros hypocritas, aliudque loquentes, & aliud in corde

circumferentes facit; simulque expeditissimam rationē monstrat omnibus quantumuis extremè abominandis hæreticis eludendi omnia veterum testimonia. Premat quis Seruetianum vel nouum Samosatenianum testimonio quopiam S. Augustini, vel S. Basilij, vel alterius probati Patris, quo diuinitatem filij Dei, & Trinitatem *consubstantialem* in personis diuinis asserit; quid promptius erit, quam ictui huic declinando opponere istum Iunianum clypeum: *Augustinum, vel Nazianzenum locutum ex more sui aui, quo dogma hoc validè inualuerit; eos noluisse frustra communi & apud plerosq; receptæ persuasioni refragari; alterius sententiæ hos Patres fuisse, sed non prompsisse, quòd viderent, falsitatē radices tam altas egisse; vt veritati nihil penitus loci reliquum fuerit.* An non vir acutus & subtilis Iunius, qui quibusuis erronibus tam facilem & expeditam rationem monstrat; qua omnes omnium Patrum auctoritates abs se amoliri & excutere queant?

Non semel autem meis in libris testatus sum, magna me admiratione capi, quando Nouatores tam impudenter & effrænatè Pontificum, & aliorum, præsertim Ecclesiasticorum, vitia, non rarò commentitia, nobis obiectant; cum apud ipsos & doctrina sit improba, & vita doctrinæ nō dispar; & quidem ex inclinatione ipsius doctrinę hæreticæ; apud Orthodoxos autem, ij, qui vitam doctrinæ difformē ducunt, vitio suo, non doctrinæ eò impellentis culpa, flagitiis se contaminent.

Quàm porrò quintum Euangelium à Luthero, Zvvinglio, & Caluino procusum, homines probos, vel saltem ad probitatem propensos effecerit; docent nos passim ipsorum Prædicantium testificationes: Omnibus in præsenti omissis, vnicum hìc Lutherum audiamus. Ita ergo ille libro de vsuris, sui gregis admirabilem probitatem nobis depingit. *Percurre omnes vitæ status, aut ordines* (nimirum inter noui Euangelij professores, de his enim loquitur Lutherus) *ab infimis vsq; ad summos, tum inuenies, quod quæris. Nam, vbi verè pium Rusticum inuenturus es, qui alteri pio Rustico proximo, & vicino suo, egestate presso, aut parocho suo; difficultatibus & inopia conflictanti, Christianæ charitatis, & fidei officia præstat, largiendo, mutuando, consulendo, succurrendo, pro ratione necessitatis; ibi ex aduerso plures, quàm mille profanos Rusticos inuenies, nulla pietate præditos, qui nec obolum dantes parocho, aut vicino suo, etiam fame periclitanti, sed omnia ad se pertrahentes, corradentes, pretia rerum intendentes, & in immensum augentes, falsas, & corruptas merces vendentes, nihil bona fide agentes, vbiq; suffurantes, & quibuscunq; possunt modis, artibus, imposturis, & fraudibus, omnia ad se rapientes, nec vlli parcētes, neq; magistratui, neq; parocho, neque vicino. Nam omnibus hominibus ipsum etiam sanguinem exsugerent, si modò possent, vt auaritiæ suæ barathrum satiarent, quod tamen insaturabile, & inexplebile est. Vt profectò omnes verè pij rustici in vno ducatu aut ditione vna Principis alicuius, possint in vnum pagum, nec eum admodum magnum congregari, & in eo habitare,* &c. Encquanta piorum rusticorum apud Lutheranos paucitas in integro quoque *Ducatu.* Quid, Luthere, de ciuibus?

Sic quære & in ciuitatibus verè pios: si inueneris vnam curiam, in qua consul, aut senator vnus est Euangelicæ doctrinæ ex animo studiosus; aut verè pium ciuem aliquem, qui libenter proximo egenti succurrat dando, mutuando, & aliis subsidiis; ibi è contra inuenies multas curias, & multo plures ciues, qui tanto odio Euangelium persequantur, & contemnant, qui parochos, & miseros ciues vbi possunt, emungant, exsugant, exhauriant, vexent, infestent, & lacessant, at tam auari sint, (si non sunt auariores) quam rusticus aliquis quantumuis impius; qui etiam nihil aliud agant, meditentur, & quærant, quàm quomodo dominari, & imperitare omnibus possint, & pro sua libidine exercere Ministros verbi, atq; alios, & quomodo nomen & famam magnam sibi comparare queant, vt præ aliis videantur aliquid esse. Ac puto etiam omnes pios senatores, & pios ciues vnius Ducatus; aut Principatus, posse collocari in vnam ciuitatem, eamq; non maximam, & capacissimam. Habes sententiam Lutheri de multitudine piorum ciuium & senatorum Lutheranorum. Cernis omnes vna ciuitate, eaque longè minore, quàm sit Memphis in AEgypto, aut Vlyssippo in Lusitania, aut Poppfinga seu Alena in Germania cōprehendi posse. Quid amplius?

Hinc confer te ad nobiles, & præfectos, qui funguntur muniis in Ducatu, & ditione aliqua, & numera mihi eos, qui verbum Dei seriò ament; (nam nobiles isti, ac similes, videri volunt, quod præ aliis omnibus verbū Dei sic ament, vt præ immodico amore id pene vorarint, & absorpserint.) Hìc, si vnum offenderis, qui verè sit pius, & sensu calamitatis proximi seriò tangatur, eiq; subueniat, dando, mutuando, consulendo, & quibus potest modis, ibi plures quàm centum inuenies, qui prorsus contrarium faciant, maximo conatu, & summis viribus, vt indubiè, non maxima arx omnes nobiles vnius principatus verè pios & laudatos, capere queat simul cohabitantes. O magnam penuriam, indice & iudice Luthero, piorum nobilium Lutheranorum. Nihilne de principibus, ô Luthere?

Postremò inspice, & excute Principes quoq;. Hic etiam verè pius est coruo rarior albo, vt vix vnum, atq; alterum verè pium inter eos inuenias. Vnde nata est vox illa prouerbialis non omninò vana; Principes bonos, ac pios esse carnem ferinam, hoc est, rarissimum animal in cælo. Magna enim eorum pars erunt titiones infernales vna cum Diabolo. Sunt enim impij ferè omnes, & verè piorum hostes, & carnifices truculentissimi. Hæc Lutherus: Quibus verbum non addo: nam aut verum dixit Lutherus aut falsum: Eligant Nouatores quod volent, & cum in Pontifices nostros clerumque ac Monachos linguas & calamos stringere ingrediuntur, reflectant prius oculos ad se, vel saltem ad hæc sui Prophetæ effata, & vel contra veterem Parœmiam, *videant manticæ, quod in tergo est,* & forsan hebetabitur, & retundetur nonnihil effrænis illa alios carpendi & incessendi cupiditas.

Fini-

Finiam, vbi adscripsero, quæ proximè ad me scripsit Amplissimus Dominus MARCVS VELSERVS II vir Augustanus; interest enim Lectoris nosse. Ita ergo ille.

In defensione Bellarminiana pag. 987 rectissimè coniecisti in Othone Frisingensi vocabulũ *femina* ad Ioannem VII. Papam, malæ manus assumentum videri. Est enim apud me Otho manu scriptus, in quo *Ioannes sextus, Ioannes septimus, Sisinnius*, ordine pscripti, nulla fœminę adiectione, cui vocabulo ne spatium quidem inter Ioannis septimi, & Sisinnij nomina perpetua serie scripta relinquitur, ne quis fortè erasum calumnietur.

Pag. 1005. locum ex Sutliuio affers qui Theodoricum Niemum citet, asserentem, *Papas per trufas & nugas, ac colores varios, & elenchos sophisticos, Christianum populum decipere.* Sed hæc insignis impostura est. neque enim Niemo vnquam in mentẽ A venit, hæc de *Pontificibus* vniuersè affirmare. Sed, Gregorium XII quem *Errorium* appellare solet, & Benedictum XI. dictum XIII. Christianis illudere ait, animum deponendi Pontificatus ad procurandam quietem Ecclesiæ iactantes, quem neutiquam habeant. Itaque hæc est libri tertij de schismate capitis 40. inscriptio: *Autor huius historiæ Pontificum collusionem, atq; peruersitatẽ detestans, & referens nequitias vtriusq; Pontificis, inquirit causſam tam diutinæ atq; malitiosæ tergiuersationis in deponendo Papatu.* Vtinam Sutliuius eam, quam Niemus religionem profiteretur, certè Pontificem legitimè electum nunquam Antichristum nominaret.

Laus Deo, cuius gratia, & Deiparæ Virgini, cuius intercessione ad Operis huius finem peruenimus.

SATYRA
IN CHRISTI, ET EIVSDEM IN TERRIS VICARII, ROMANI PONTIFICIS, SATYRICOS ET PLVSQVAM HIPPONACTEOS INSECTATORES.

DIMIDIVM nostra vellem transfundere vitæ
In vitam, GRETSERE, tuam; nisi legibus atris
Talia respuerent duræ vadimonia Parcæ:
Tam mihi te reddi pretiosum, quando duellas,
immo (iuber numerus sic hostibus, ipsaq; pugna
Dicere) cum tantum tam forti pectore bellum
Pro CHRISTO contra CERDONES suscipis istos.
Perge anime æternâ doctorum digne coronâ,
Perge paludatas Stygii externare phalanges,
Vitigerosq; duces meritis explode cachinnis.
Perge illudantes dulcis Philomela, querelæ
Cantibus à rauco dispescere carmine coruos;
Et remoue quisquis sanctum denormat agellum:
SAEVVS APER CVLTIS NON EST TOLERANDVS IN ARVIS.
Quamuis infestæ caput vsq; repullulet Hydræ,
Tu tamen inceptos decurrere perge labores;
Et CHRISTVM, CHRISTIQVE gregem contra impia falsæ
Dogmata doctrinæ defende indefessa curâ,
CIVICA fiderij si speras præmia serti.
Sit licet Herculeus labor has auertere pestes,
Heroi tanto tamen insuperabile non est:
MILLE QVEVNT VNO DIFFRINGI SPICVLA SCVTO.
Quare Romanos cum sint qui perdere fines
Impietate velint, fortissime miles, eosdem
Tu pietate tuâ, ne deperdantur, adaucta.
Stringe ambas, GRETSERE, manus, scitamq; papyrum
Inscitiæ oppone tomis: velut hactenus vsq;
Alba columba tuas dium resonante susurro
Pastura est aures; hæc linguam, hæc denig; pennam
Diriget, & prompto dictabit cuncta ministro.
Pro dextrâ. Cephali non euitabile telum
Accipe, pro læua Charites septemplice tectum
Dant corio clypeum, totis pugnare medullis
Incipe, non facies frustra, neq; præmia perdes:
DEPORTAT PROPRIVM VICTORIA QVAEQVE TRIVMPHVM.
Sed sunt vrbani; sed forsitan esset agendum
Parcius in nostros tam blandi pectoris hostes?
Dicet nescio quis, tumidus plerumq; elephantus

Laude

Laude cupit vinci, non verbis acribus; aurum
Obiice, non ferrum, si vis superare Zythulcum;
Hæreticis totos nummorum deplue nimbos.
Si vis vt captas tendant ad munera palmas:
Fuluaq; cum tales quæris vincire dracones,
In bene nummatis tibi summa refulgeat arcis.

FORTIOR IN TOTO NON EXTAT MACHINA MVNDO.

Hoc ipso à proprijs gladio vincuntur amicis.
Ergone blandiri, tu, quem nunc dicere nolo,
Meq; probare iubes inimici pectus auari?
Hoc ipsum toties tam clarâ voce sonabam.
Hunc morem accuso, hoc crimen tam sæpe flagello.
Qui iugulat patrem nostris lamuschaton audet
Poscere temporibus? seuis diadema tyrannis
Imponit nudus populo spectante Lupercus?
Et tonet è tantis non vlla PHILIPPICA *Rostris?*
Theromedon solium premit? occupat alta Thyestes
Atria? cognato se sanguine vindicat Atreus?
Contemeratq; ferox regalia fercla Lycaon?
Et conuiua lupum non plectat Iuppiter istum?
Nonius in sellâ vult flectere Struma curuli?
Laurea Cercyoni datur? accipit impius aurum
Ædibus ex sacris Verres impune? triumphat
Post tantum Catilina nefas? grassator ab vrbe
Meretrem pro cæde petit? piratica laudem
Conciliat? trepidis fasces inuadit agaso?
Et taceat Censor? non præparet arma Tribunus?
Præmia sacrilegus, stipendia sperat adulter?
Hunnius hæreticæ vendit mendacia linguæ?
Tot pro commento sestertia Iunius auferet?
Attalicas pariunt Rullo conuicia gazas?
Et non incipiam Satyras deducere? nullis
Flagitia hæc hominum cupiam circumdare bolis?
Tarquinius peccat, Brutus non vindicet? ignem
Manades iniiciunt, mihi fas restinguere non sit?

SI PECCARE LIBET, CVR NON PVNIRE LICERET?

OMNEM POENA COMES CVLPAM PREMIT.

An simulandum est,
Et digitos oculis opponere debeo nostris?

SAEPE NOCENS FIT QVI VVLT INDVLGERE NOCENTI;

Incipiam, incipiam sancto dare frena furori,
Et Satyras, vt cum pronis rapidissimus vndis
Subiectum in scopulum summâ de rupe cadit fons,
Perpetuoq; rapax cauat Acroceraunia nimbis,
Effundam toto laxatæ flumine venæ
In vos, vt faciam nigris ex moribus albos.
Forsitan efficiam quod spero: SAEPIVS ALTVM
EXCITAT EXIGVO STERTENTEM ACREDVLA CANTV.
At Satyras? nimis hoc. Nimis hoc balatronibus istis?
Scilicet hæretico me vis obtrudere palpum,
Plaudere pinnirapo, fastoso parcere mœcho?
Et xerampelinas homicidæ texere lanas?
Putide non faciam tibi VVitackere quod optas,
Semper echinatâ genus hoc expellere clauâ,
Semper Alastorios pergam vexare clientes,
Non erit hoc vestro regnum populabile ferro.
Ipse vens tustâ, vindex tustissime, virgâ
(Nam te Christe petunt) manibusq; in flagra paratis
Ex templo infestos iterum eisspelle latrones;
Et lucra quæ summo sunt coniunctissima damno
Cum mensis euerte suis; remouento columbas,
Perdito, non dignas hac ede, numismata, merces;
Omnia dificito quæ suffarraneis affert,

SORDIDA MERX NITIDIS EST EIICIENDA TABERNIS.

Omnibus est vitium; quæ vendunt, quæq; petessunt,
Omnia virus habent; sunt omnia digna flagellis.
Quis non cum stomacho legat illa volumina? quis non
Despuat, & scombris, thurisq; tegenda relinquat?
In quibus æreum CHRISTVS *phantasma vocatur?*
Mater vbi Virgo nullum peperisse puellum
Dicitur, & falsis vmbram fouisse sub vlnis;
Effigiemq; hominis cruce suspendisse Pilatus,
Effigiem digitis Thomas tetigisse vocatis,
Deceptoq; alium cognouisse omnia sensu?
Et tamen has ipsas inseminat impia pestes
Hæresis humanæ centeno codice menti.
Quid capite abnutas, annictandoq; refellis?
Hocné putas facinus mortales vincere vires?
Perlege CERDONEM, *si non hæc omnia cernes,*
Dic me mendacem, vanum similemq; Luthero.
Et ne, vbi cognoris maiora, minora refutes,
Finge animo: improbulam te nunc intrare Geneuam
Mecum, & per mediam propera velociter vrbem,
I, propera, citiusq; tuos contolle cothurnos:
Iam quippe à longè magnos audire boatus,
Clamoresq; mihi videor, rabidasq; querelas;
Iam fumum video; sed plura videbimus. Eia
I, propera citiusq; tuos contolle cothurnos.
Quantæ hominum turbæ? quàm densæ compita complent
Spectantûm nubes? Cunctis iacet alta fenestris
Prospectatq; reum plebes, quæ digna fuisset
Nunc famâ meliore frui, si ficus in igne
Perdidit errores alienos, ipsa cremasset
Damnasset q; suos. Sed pergo reumq; requiro,
Ac opportunis fumum remouentibus Austris
Aspicio cupidis, quod mens mea quærit ocellis.
Namq; stat in medijs & præbet pinguia flammis
Pabula SERVETVS, *geminis religatus in ignem*
Fatalem vinclis, strictumq; efflagitat ensem,
Quo miseram à tosto secludat corpore vitam.
Cur hunc, ô ciues, cur hunc damnastis ad ignem,
Cur, repeto, tantis cruciabitur iste perilis?
Soluite, desperat: Neptunum affundite promptis
Vulcano manibus, diuumq; extinguite diuo,
Auxiliumq; viro peregrino porgite vestrum,
Impatiens pœnæ tristi se deuouet orco.
Sed (mihi reclamant) nimis execranda patrauit,
Dignus & est istis & pluribus in stygeflammis,
Gloria cui summi Patris est, iniuria Gnati.
Ergò quid admisit? Tumido Triadem ore negauit,
Inq; Deum qui vix viginti quinq; Decembres
Vixerat, inq; sacros per tot iam sæcula Patres
Ingenium dentesq; SABELLICVS exacuit sus.
Proq; nefas (horret mens, & stupefacta tremiscit)
Personas triplicem tres Cerberon appellauit.

Tergo-

Tergeminiq́; (heu) monſtra tricorpora Geryonaï.
Aſt Auguſtinum tritheiſmi accuſat, vt omnem
Qui tres Perſonas naturâ agnoſcit in vnâ.
Ac ne Seruetum ſolum tam dira venena
Euomuiſſe putes, eadem eructauit acumen
Blandrata & Lelli: cane peius, & angue Lutherus
Nemo ſuis addat ſcriptis, HOMOOVSION odit.
Scilicet à quoquam ſe vinci crimine non vult;
Aut facit, aut quos non potis eſt facere ipſe, nefandis
Impius errores doctrina vocibus auget.
Sic aſini cum cernit aquam fortè alter aſellus,
Addit & ipſe ſuam facturum flumina ſperans,
Et Iouis oráclo ſe in libertate futurum.
Quid mirum eſt igitur, qui CHRISTVM turpiter ipſum
Scindere tentarunt ſcelerato dogmate, ſi nunc
Inuadunt etiam Petrum? PERIVRIA DICVNT,
MENTIRI TIMEANT? Seges hæc eſt maxima lucri.
Romanum ſi quis chartis meretricibus audet
Ledere Pontificem, ſi magnos vellere Dinos,
Purpureoſq́; Patres, & amantes iuſta dynaſtas;
Mox ſibi donati ſulcos conſarriet agri,
Adde quòd & Syrium ſorbebit ab aëre coſtum,
Et Capitolinum tumidâ ſe mente putabit
Eſſe Iouem, innumeris ſibi ſurgere lumina myxis
Finget, & extructis incendia cernet in aris.
Hoc eſt quod nobis Rullum facit eſſe ſuperbum,
Quod diadematum ſe credit Iunius, hoc eſt.
Ergóne formoſo ſuppactum dicimus auro
Conculcare ſolum, qui per conuicia linguæ
Tam pede dementi certum gradiuntur ad orcum?
Talis & ad ſtygiam via dicitur eſſe paludem?
Ergóne amalthæâ cornu effundente putamus
Auratas tunicas, argentataſq́; lacernas
Decidere in ſures, & tam mendacia colla?
Credimus hos Veneris myſtas, hæc ſércla Charontis
Vngere cum dominis adipalibus illa cœnis?
Non ſunt tam fauſti ſtomachum ſaturare lupinum
Cruſtula non poſſunt: nec, pro tam gurgite vaſto
Sufficit explendo modicum quid; totius apri
Porrige, carpe, armos; pauo nil deme; ſit anſer
Integer, & centum veniant ſuo in ordine miſſi,
Hiſce famem plenè ſi vis placare moloſſis,
Phiditia oderunt menſis collecta Lacænis.
Quantillum ſitiunt? quadrantal, nam madidi ſunt.
Sed neq; ſemper habent: prudentes quippe culinæ
Glandе ſues adipant, cythiſo lactaria paſcunt,
Et niſi de menſa ſemeſi ſegmina porci
Surripiant furtim, quæ natis inde reportent
Coniugibuſq́; ſuis, quam rara tomacula laxum
Porricit in ventrem Mæcenas? Regius optat
Eſſe diæcetes Schmidelinus, at impedit incus
Fruſtraturq́; gulam, coruumq́; eludit hiantem.
Si vult cum magnis præco cœnare dynaſtis,
Maturè veniet, ſi poſt epidipnidas adſit.
Vel quando Harpyiam ſimilem quis pellere neſcit,
Apponit qualem in ſtomacho ſert Cerberus oſſam,
Aut dat boletum, quem Claudius edit; edendum.
Talia debentur talis bellaria fabro,
Poſtquam ventriculi rabie veſanus in vnam
Galloni ſquillam patrimonia tota profudit.
Sæua fames quid non cogit, quos compede victrix
Sub tua iura trahit? te cornix ſæpe magiſtrâ
Multa loqui didicit, tu rauco gutture coruum
Mirificè humanas docuiſti fingere voces.
A te χαῖρε ſuum meus olim pſittacus hauſit.
Tu facis vt contra diuinas vndiq́; claues
Pontificis, multi balbâ de nare loquantur,
Qui præter barbas, & longæ ſyrmata palæ
Nil ſapientis habent: Quibus Eliſabetha, per Anglos
Præcipua & dux eſt in relligione caputq́;:
Sed PETRVS & quotquot PETRVM ſunt deinde ſecuti
Pompificis mordax Antichriſtiq́; merentur
Nomen, & in cathedrâ diratum habitare ſororum,
Ac vbi peſtilitas regit exultare ferantur.
O ſtupidæ mentes, ô vbria pectora, quæ vos
Vertigo inuaſit? quæ ſtultam inſania mentem
Exagitat? PETRVSne ſuo diſpenſat ouili
Peſtiferam labem? PETRVS ferruminat orcum,
Romanumq́; thronus magnum deuaſtat Olympum?
O autoratos in Auerni iura miniſtros,
CHRISTI arcem æternam firmaq́; in rupe locatam
Quàm cuperent imis euertere fundamentis!
Pluria pro reliquis coliphia ſumite luctis
Hæretici, tantam ſi vultis frangere petram;
Scitis enim vires contra has nimis eſſe potentem,
Quæ Phlegethontæas videt tutiſſima portas.
Exilientq́; ſuis ſummis ſtationibus ignes,
Perq́; ſolum cæleſte vagis erroribus ibunt;
Et citius vincto requieſcent cetera cælo
Sidera, ſolq́; prius ceſſabit ſpargere lumen,
Quàm queat euelli mutis lapis vnus ab iſtis,
Quos pro fide ſuâ legit dum vita manebat
PETRVS, & illæſos etiam poſt funera ſeruat.
Qui verò Illyrico Romanæ in fine coronæ
Has Antichriſtum terras intraſſe docenti
Credendum dicunt, apud hos Plato Pythagoriſſat.
Nam quæ Antichriſti ſunt argumenta futuri?
Quive dies? aut quæ præcedent ſigna? quis Henoch?
Venerit in propriis niſi forſitan ille miniſtris?
Quos ventris rabies & amor compellit edendi
Cum tenebroſa polum bigis ſubuecta tenet nox
Quidlibet vt tentent: medio cum fertur Olympo
Atq́; aduerſus equis Oriens aſſlauit anhelis,
GRETSERVSq́; aliquis Lithinum enthymema renodat,
Fit fuga, nil faciunt, & in aëre aſyla requirunt,
Ac Martem eiurant præciſo vt pollice Murci.
Quantus porrò ducer noſtros petulante loquutu
Famoſiq́; ſtudet numerus depectere libris,
Quando coloratâ bilis ſeruiſcit ab irâ?
Væ tibi, qui nuper labarum rabioſulus arri
Dæmonis atq́; Dei fabricaſti incude tenebris
Tiſiphones poſitâ: quo dextrâ à parte Lutherum
Cum CHRISTO, Auſtriades, Boios, aliosq́; dynaſtas
A leua infelix domino cum Dite locaſti.
Nam ſi clara dies notum te fecerit orbi,
Significemq́; ſagax lictor deprenderit oſtum
Seu tu cetratus, ſeu tu peltaſta vocére,
Vndiq́; Letheis circumrorabere guttis,

Vtq; tum codex, ſi tu quoq; præmia cæpiſti
Digna tuis referes, nec abibis muneris expers.
Si fierent turbæ, tu vexillarius eſſes,
Sed non aut Aquilas, iunctaſue in fidone Dextras,
Aut ſublimatos cupieres portare manipulos,
Nec faceres rutilas radiare Draconibus haſtas:
Illa, illa elatis ferres inſignia palmis
In quibus Auſtriadæ ſunt cum Latrone ſiniſtro.
O ſtupor vnde tibi tanta eſt amentia? quis te
Faſcinat, & cerebrum tam ſæue percutit æſtro?
Quæ tibi Dipſas anus magicæ cantamina vocis
Talia ſcribenti inſtolidæ immurmurat aures?
Anne magas artes callet tua lignea coniunx?
Anne ex Theſſalia eſt, Æaq; carmina nouit?
Scitné quid ualeant contorto concita rhombo
Licia? nocturnas potiùs eſt volitare per vmbras?
Dic quoties coram te nigro euecta camino
Murmure feralis plumatos reddidit hircos?
Dic quoties mœſto glomerauit nubila cælo,
Turbauitq; diem? propriâ ni ſi forſitan arte,
Ipſe ſepulchrali te carmine vertis in hircum.
Vt tam putidulas poſſis excludere cauernas.
Quiſquis es, ô autor, bonus haud es; & omnia ſicut
Iſta palàm: NIHIL EST SEMPER CLAM; CVNCTA SCIT AETAS;
NVLLA LATERE DIV GRAVIORA PIACVLA POSSVNT.
Vtq; abſit qui te prodat, te teſte ſciemus,
Quæ cælata diu tacitis iacuêre ſub vmbris.
Sed fatule hoc, credo, niſi quod tria verba neceſſe eſt
Addere, queis moneam damnandis biſce librorum
Peſtibus, Auguſtam verè iſto nomine dignam
Imbripolimq; ſimul plures imitentur vt vrbes;
Pax (ebeu) noſtras ne deſerat aurea terras.
Siqua fides etenim, ſi turbatoribus iſtis
Aut locus, aut modicis occaſio parua capillis
A nobis dabitur, patriam quæ damna manebunt?

EGREDIAR, ET ERO SPIRITVS MENDAX IN ORE OMNIVM PROPHETARVM EIVS.

3. *Reg.* 22.

VNDE nocens hæc TVRMA ruit? quibus vtitur ARMIS?
Auſpicio ſæuo quem ſequiturq; DVCEM?
Irruit ex ORCO. DOLVS, & FRAVS *arma miniſtrant.*
TARTAREVS *ductum præſtat, ſteréq;* DRACO.
Ingruat HYDRA *furens, ſeptenaq; colla venenu*
Intumeant; hinc vim Cœlitibusq; parit:
Irritus omnis erit FVROR; *it* LABOR *acer in auras*
PESTIBVS *hîc: quin nunc* VIS INIMICA *tacet.*
Ipſe quidem ex EREBI MENDAX *en* SPIRITVS ANTRIS
EGREDITVR; VATES *inſtituitq; SVOS:*
Inq; aciem educit campamq;: at CHRISTVS *ab aſtris*
FVLMINA *terrificâ vibrat ad ima manu;*
Inuoluit tenebrisq; HOSTEM, *quis ſe* IMPIVS *ipſe*
Implicat: & PROPRIO *hunc* ENSE *perire finit:*
Et PETRA *inuicta* PETRAE *Sapphiras, atque* ANANIAS
PSEVDOLOGOS *multat* FVNERE *præcipiti.*
Lætabundus veni: Sapientia vera triumpha.
Altera conſiſtant parta TROPAEA *ſolo:*
Perfoſſos clypeos galeas, & ſpicula rupta
HAERESEON VICTRIX *arma* ACHERONTIS *habe.*

Errata.

Pag.1.B.5.dele Vocem alterum.5.D.4.Latomum.7.C.2. probatur.16.D.9.satis.17.A.13.Verba, tanquam.18.A.1.præsertim. Ibid. B.10.pro pio.23.A.2.fuit.47.A.1.scholasticorum.48.C.2.coryphæum.60.D.2.atqui.62 B.12.XVIII.75.D.13.colligam.76.A.13. ex.81.A 1 terrerimos.90.D.12.distinctiones.108.D.11.quid, pro quàm.119.V. 25. notionalis. 137. D. 8. factum, dele.148.C. 12. Deo, pro, duo. Ibid.V.51.non Vt ipsa.155.C.7.quæso te.169.23.castigandam.170. 19. omnipotentia. 174. A. 2. responsum. 175. A. 15. propriè. 176.18.Eutychiana.177.D.7.Virgine.184.B.2.entitatem.185.55.Comedimus.191. A.15.auctoritates. Ibid. D.6. hic.192.B. 10. in Christo sunt &, &c.194.Infinitami dele not. interrog. 199. B.5.adeste Iesuita; adeste. 213. A.11.hypostasin. 227. D. 3.vno solum. 239.è regione, repone numerum 240.pro 340.271.B.13.ferre.279.D.4.Deus meus, Deus meus. sequatur col.c.8.9.Et 291.B.11.284. 32. numero. 294.B.12.Isaia. Ibid.C.dici.299.C.3. οὐλαζειν. 309.24.ἐδε.311.C.1. sub terram, pro subtus terram. Ibid. C. 3. sub terram, pro, sub terra. Ibid.D.7.simpliciter.313.C.12.laurea.317.D.2.ceti 331 D.6.Inferi.336.B.3. quisquis. Ibid. V. Vlt. quod. 346. D. Vlt. Manum.350.B.8.insulsissimè.356.39.at hoc.369.A.4.parenthesis notulam tolle.370.A.1.mediator. lb.7. mediatione. 389. B. 4. perinde. Ibid.D.1.illud.397.V.17.metaphoram. 401. A. Londinensis. tolle punctum. lb.3.4.schapham, bis. pro scapham. Ibid. 49. Vobis. Ib.45. Presbyteris.402.B.9.neue.408.D.12.bonum. 419.31.Vno 429.C.1.optimates. 431.32.recognitionem.451.26.Monarcha. 452. C.1. textum.454.D.1.Quorum.484.A.2.cymbala. 495.C.Vnus.509 B.9.Incernas. 525.D.14.impedit. 527.46.non.528.23.hoc.533.2. successoribus. 533. D.14.Sutlinum.539.55 sententia.542.30.insanat. 548.30.promissum.565.B 12.à Petro.pro, à Christo. 570. C.3.Sulpitium, pro Sutlinum. 583.D.5.sed & Vt.609.26.Venustiorem.614.D.8.Iunius.lb.3.Concilio 618. A.exercere.619. C. 12.ignotam. 622. C. 11.fuisse.630.56.Voluptati.663.A.10 recognitiones, pro recognitiones.683.C.11. Apollinis. 688. C. 11. consentiunt. cum Romam Vemisse pro, consentiunt, &c. 696.17. ex Iudæi Christianos. 698. D. 3. Philippenses. 715. penult. Altera. 719.36.Vocatur. 623. 624. V. Mend pro 723.724.qua alterâ col.B.12.recitauiti, pro, recitauit.736.B.Origene.743.A CAP.XII. pro XVIII. 749.A.6.excerpti. 757. C.2 Eccles.760.41.testificâsi. 764.B.7.Græcoromani.774.A.8.innumeris.788.C.8.innuisset.790.B.6.requiritur.793.A 13.subdit.796.D.V Vlt.perspicuè demon-, pro, demonstratum perspicuè. 797. A. 1. Synodos. 798. C. 6. Episcopus. lb. 42. prohibitum. 820.A.1.Antechristi 824.C.6.numero.836.A.2.certam 843.B.2.interpretatus.847.34.tempora.865.D.13.intelligi. 873. B. 10. bonis. 874.A.6.demostrationis, pro, demonstrat.C.19.perpetrat. pro perpetrant.876.D.2. Origene. Ibid. 3. De. 878. A. 9. inobscurare. 879. Turci, lege, tunc.880.D.12.satisfecerit.881. D.2.Venditare.) 887.C.4.compuso.889.D.2.nominauit.893.C.13.hoc est. Ibid.D.Vlt.aut. 901.B.6.robustam.905.B.2.τετάρ, 911.C.9.quosdam tam. 935. A.12.eam. 942. 56. negat quemlibet.943.C.13.vtitur, redundat.944. A.3.decadem, lege; centuriam.947.B.13.connunciatur.948.D.1.Hilarius.952.C.2.libeat. Ibid.D.2.exortæ.954.D.8.insignem. 966.C. 13.inficetè.lb.D.transferre.969.48.Ha.968.D. 13. subst. 971.A.14.suorumq. 973.C.5.Reselluntur.981. B.11.scurra.lb. C. 2. Bellarm. 982.B.13.telorumque.lb.C.2.Martyrum.lb.D.5.solummodo. 983. C. 14. Episcopum.987. 11. Burdegalis. fol. 991. D. 15. lege; Quinam sunt Canonistæ à κανόνιζω? quanquam dicere, in iis, quæ fidem non concernunt; nec damnus sed tantum Apostolicis iuris sunt, dispensare posse Papam, nihil adsurdi atq; contner.1001.B.11.numero.1006.B.11. mendaciorum lb.D.9.Antechristum.1012.Ibid.11. adæquatè. 1021.A.4.possessa. 1026.C.13.contra.1027.3.Voce.1047.A.5.virus.1056.D.6.ferro.1058 D.8.indiciis.1068.D.12.accusatus. 1069.D.4.21.1073.19.Author.1080.1.Chemicorum.lb.18.Vnam.1081.7.in.1117.D. 1.Sutlinum. 1140. B. 10. quàm. 1146.B.14.Volebat. 1149.A.11.misit.1151.B.1.sum.1155.C.1.nota parenthesi redundat.1166.A.14.milita, adde, DEO. Ibidem. C. 7. politici. 1196. D. 2. Tomus XI. 1207. A.12.reddidit.1208.D.6.appenatur. 1210.D.9. cui.1221.B. 3. producuntur. 1243. C. 15. requiritur. 1247.B.13.magnam.1258.A.4.è bono.1267.D.15.exarserunt Principes.1272.C.10.sequuntur.

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE IN HIS QVINQVE DE CHRISTO, ET ALIIS QVINQVE DE ROMANO PONTIFICE LIBRIS APOLOGETICIS VEL EXPLICANTVR, VEL A SECTARIORVM corruptelis & deprauationibus vindicantur.

Ex veteri Teſtamento.

Geneſis.

2. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.* 526
5. *Non apparuit, quia tulit eum Deus.* 314
14. *Melchiſedech Rex Salem erat ſacerdos Dei altiſſimi.* 1163
37. *Deſcendam ad filium meum in infernum.* 314
38. *Producite eam vt comburatur.* 426
46. *Cunctæq; animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, &c.* 320
49. *Fiat Dan coluber in via.* 916

Exodi.

7. *Ego indurabo cor Pharaonis.* 293
15. *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius proiecit in mare.* 808
21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* 1057.
28. *Doctrinam & veritatem.* 1020

Leuitici.

11. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* 1052
13. *Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad ſacerdotem, & videbit eum.* 1158
21. *Qui intrauerit ſuper animam mortuam, &c.* 320

Numeri.

11. *Non poſſum ſolus ſuſtinere hunc populum, quia grauis eſt mihi.* 429
Ibid. Auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. ibid.
11. *Auferens de ſpiritu qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta viris.* 1140. 1141

Deuteronomij.

4. *Non addetis ad verbum, &c.* 1131
12. *Quod præcipio tibi, &c.* 1131
17. *In loco quem elegerit Dominus.* 1106
17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, &c.* 1106
17. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, &c.* 1105. 1107
19. *In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum.* 1097
21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* 284
30. *Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere?* 320
Ibid. Quis è nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos vſq; deferre. ibid.

Iudicum.

8. *Dominare noſtri tu & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian.* 423
Ibid. Non dominabor veſtri, neq; dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus. ibid.
18. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël.* 424
21. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſq; quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat.* 424

Primi Regum.

8. *Erimus nos quoq;, ſicut omnes gentes.* 425
23. *Iuit Saul & ſocij eius.* 588. 589

Secundi Regum.

6. *Vſq; ad diem mortis ſuæ.* 920
20. *Non eſt nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Iſai, reuertere in tabernacula tua Iſraël.* 914

Tertij Regum.

2. *Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* 309. 310
Ibid. Deducesq; canos eius cum ſanguine ad inferos. ibid.
8. *Fecit holocauſtum in medio atrij, & ſacrificium, & adipem pacificorum.* 1135
22. *Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus; his ventilabis Syriam, donec deleas eam.* 1173
22. *Ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.* 1173

12. Accesit Sedecias filius Chanaana, & percussit Michaam in maxillam, & dixit: Meúe ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi? 1173

Quarti Regum.

5. Nonne cur meum in presenti erat. 193
Ibid. Vt emas olueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. ibid.
6. Conturbatum est cor Regis Syria. 193
Ibid. Nequaquam Domine mi Rex, sed Heliseus Propheta, qui est in Israël, indicat Regi Israël omnia verba, quacunq; locutus fuerit in conclaui tuo. ibid.

Secundi Paralipomenon.

23. Anno autem septimo confortatus Ioiada, assumpsit Centuriones, &c. 1159
26. Festinatò expulerunt eum. 1158
26. Ioatham filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ. 1158

Iob.

14. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me? 310
17. Si sustinuero, infernus domus mea est. 310
18. In diebus eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror. 878
26. Nudus infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. 333
28. Perditio & mors dixerunt: auribus nostris audiuimus famam eius. 332.333
40. Behemoth fœnum quasi bos comedet, &c. 482.485
40. Behemoth, principium viarum Domini. 478

Psalmorum.

2. Dirumpamus vincula eorum & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. 914
2. Ego autem constitutus sum rex ab eo, &c. 1152
2. Postula à me, & dabo tibi hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. 1152
2. Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. 853
6. In inferno quis confitebitur tibi. 310
8. Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius. 964
15. Non derelinques animam meam in inferno. 307
18. In omnem terram exiuit sonus eorum. 851
21. Deus meus clamabo per diem & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. 283
21. Foderunt manus meas & pedes meos. 851
39. Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Sacrificium & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptũ est de me, &c. 247
48. Domus eorum sepulchra eorum in æternum. 314
63. Defecerunt scrutantes scrutinio. 1038
71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. 852.853
75. Vouete & reddite. 996.1134
81. Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes. 991
86. Fundamenta eius in montibus sanctis. 534
104. Errare eos fecit. 293
107. Cõtriuit portas æreas, & vectes ferreos cõfregit. 317
109. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 56. 57. 201
113. Opera manuum hominum, os habent & non loquentur, &c. 951
115. Omnis homo mendax. 1014
118. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. 191
123. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus. 1032
143. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: Boues eorum crassæ, &c. 895

Prouerbiorum.

1. Deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum, quasi descendentem in lacum. 310
8. Dominus creauit me in initio viarum suarum, &c. 87
8. Quando præparabat cælos aderam, &c. & cum eo erã cuncta componens, & delectabar per singulos dies, &c. & deliciæ meæ esse cum filiis hominum, &c. Nunc ergo filij audite me, &c. 87
9. Sapientia ædificauit sibi domum, immolauit victimas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas, &c. 87
15. Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum. 333
25. Scrutator maiestatis Dei, ab eo opprimetur. 80

Ecclesiastæ.

9. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. 314.315
12. Ibit homo in domum æternitatis suæ, &c. Reuertatur puluis in terram, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. 314

Canticorum.

5. Crura eius sicut columnæ marmoreæ. 537

Ecclesiastici.

3. Ne fortiora te quæsieris. 80
24. Ex ore altissimi prodiui. Ego feci in cælis, vt lumen indeficiens oriretur, &c. Ego in altissimis habitaui; Gyrum cæli circuiui sola, &c. 87
24. Primogenita ante omnem creaturam. 87
24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. 87
24. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, &c. 317
32. Reflorem te posuerunt, esto in illis quasi vnus ex ipsis. 784
44. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. 871 872.878
48. Qui receptus es in turbine ignis, &c. qui inscriptus es in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. 871.872
48. Restituere tribus Iacob. 870

Isaiæ.

2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. 620
6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. 293
9. Factus est principatus eius super humerum eius. 567
11. Egredietur virga, &c. 243
14. Quomodo cecidisti Lucifer, &c. 478.480 481.482

22. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius. 567
28. Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. 400.524
33. Dominus legifer noster. 1131
38. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te. 310
Ibid. Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. ibid.
49. Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, &c. 247
49. Dominus ab vtero vocauit me. 247
53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. 283.290
53. Disciplina pacis nostræ super eum. 283
53. Propter scelus populi mei percussi eum. 292.293
53. Si posuerit pro peccato animam suam, pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. 285
63. Quare errare nos fecisti Domine de via tua, & indurasti cor nostrum. 293

Hieremiæ.

1. Priusquam te formarem in vtero, noui te; & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetã in gentibus dedi te. 247
8. Ex Dan audiuimus fremitum equorum eius. 916

Ezechielis.

28. Leua planctum super regem Tyri. 479
28. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. 481
31. Cedri non fuerunt altiores illo, &c. 479
34. Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, &c. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & c gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, &c. sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. 461
38. Gog principem capitis Mosoch & Thubal. 972.973

Danielis.

2. Tu Rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc, &c. 163
2. Tibiæ autem ferreæ. 858.859.860.861.862
2. Ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum. 861
7. Cornu paruulum in medio decem cornuum. 838.857. 858.861.862
7. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. 898
7. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta esset bestia, & periisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni: aliarum quoq; bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus & tempus. 899
7. Potestas eius potestas æterna. 191
7. Post hæc volui diligenter discere de bestia quarta, &c. & de cornibus decem, quæ habebat in capite, & de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderunt tria cornua. 838
7. Os loquens grandia. 822
7. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & prænalebat eis, donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis excelsis, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti. 898
7. Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, &c. & iudicium sedebit, &c. 838
7. Ceciderunt tria cornua, &c. & tres reges humiliabit. 970
7. Tradentur in manus eius vsq; ad tempus & tempora & dimidium temporis. 886.891
7. Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsq; in finem, &c. 898
8. Et post regnum eorum, cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, &c. 973 974
9. Vsq; ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. 919. 920. 921
11. Et erit in concupiscentiis fœminarũ. 977. 978. 980. 981
11. Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deũ quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento & lapide pretioso, rebusq; pretiosis. 959 962 963
11. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno quem cognouit. 963
11. Hæ solæ saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. 969.970
12. In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud, &c. 885
12. Michaël princeps magnus. 224
12. In tempus, & tempora, & dimidiũ temporis 885. 888
12. Beatus qui expectat & peruenit vsq; ad dies mille trecentos triginta quinq;. 899 900
14. Et impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinisq; amphoræ sex. 1172. 1173

Oseæ.

13. Ero mors tua ô mors: ero morsus tuus inferne. 327

Zachariæ.

3. Increpet te Dominus. 50
9. Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua. 315. 316
Ibid. Conuertimini ad munitionem vincti spei. 316

Malachiæ.

3. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. 870
4. Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. 866 870. 871
4. Et conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum; ne forte veniam & percutiam terram anathemate. 877

Primi Machabæorum.

1. Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eorum, & ingemuerunt principes & seniores, & iuuenes & virgines infirmati sunt, & speciositas mulierum immutata est: omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in throno maritali lugebant. 978

2. Helias receptus est in cælum. 314

Secundi Machabæorum.

5. Existimans sepræ superbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 301

Ex nouo Testamento.

Matthæi.

2. Vbi est qui natus est rex Iudæorum? 1150
2. Herodes turbatus est & omnis Hierosolyma cũ illo 1150
3. Hic est filius meus dilectus. 555
5. Vos estis lux mundi. 520
5. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. 1116
8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. &c. 554
Ibid. Non inueni tantam fidem in Israël. ibid.
9. Cum vidisset Iesus cogitationes eorum. 192
10. Neque virgam. 1127
11. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 867
11. Omnes enim Prophetæ & lex vsq; ad Ioannem prophetarunt: & si vultis recipere, ipse est Helias qui venturus est. 869
11. Ipse est Helias qui venturus est. 867. 877
11. Reuelasti ea parulis. 554
12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ. 317. 318
14. Domine si tu es, iube me venire ad te. 648
14. Petrus ambulabat super aquas. 599
14. Domine saluum me fac. 649
14. Modicæ fidei, quare dubitasti? 649
15. Docentes doctrinas & mandata hominum. 1132
15. Etiam Domine, nam & catelli, &c. 554
Ibid. O mulier, magna est fides tua. ibid.
16. Quem dicunt homines esse filium hominis? 551
16. Tu es Christus filius Dei viui. 161
16. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. 549. 550. 551. 593. 601. 602
16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. 551. 554
Ibid. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. 601. 602
16. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. 652
16. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. 400. 461. 512. & seq.
16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 536. 537. 538. 541. 542. 544. 545. 549. 550. 593. 630. 641. 733. 784. 785. 786. 975. 1169
16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. 467. 1018. 1035
16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 601. 602. 652. 710. 1015. 1018. 1035. 1156
Ibid. Et tibi dabo claues regni cælorum. 512. & seq. 712. 764. 774. 783. 784. 786. 794
16. Tibi dabo claues regni cælorum. 547. 548. 549. 550. 552. 553. 556. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 641. 975. 1032. 1035. 1116
16. Et quodcunq; ligaueris. 1116
16. Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutũ & in cælis. 515. 550. 551. 570. 571. 634. 635. 764. 774. 783. 794. 1032. 1035. 1113. 1115
16. Absit à te Domine, non erit tibi hoc. 649
16. Vade post me Satana, scandalum es mihi. 528
17. Domine bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula, &c. 650
17. Et interrogauerunt eum discipuli dicentes: Quid ergo scribæ dicunt: quod Eliam primùm oporteat venire? At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia, dico autem vobis, quia Elias iam venit, & c. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. 867
17. Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primũ venire? 869
17. Helias quidem venturus est, & restituet omnia. 841. 867. 868. 869. 870. 871.
17. Ille restituet omnia. 871. 876
17. Reges terræ à quibus tributum accipiunt? 1150
17. Ergo liberi sunt filij? 1150
18. Vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. 1097
18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. 448
18. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis, &c. 447
18. Quæcunque alligaueritis super terram, &c. 560. 561. 562. 570
18. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 453
20. Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. 461
23. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite, &c. 570. & seq
23. Alligant onera grauia & importabilia in humeros hominum. 570. 572. 1114
23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. 702
24. Videte ne quis vos seducat. 825
Ibid. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus. 825. 831. 832. 833. 834. 947. 958
24. Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. 849. 850. 852
24. Cum ergo videritis abominationem desolationis, &c. 854
24. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neq; fiet; & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. 849. 895
24. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit. 880
24. Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. 878
24. Ab arbore autem fici discite parabolam. 854
24. Prope est in ianuis. 1023
24. De die autem illo & hora nemo scit, &c. 899
25. Simile est regnum cælorum decem virginibus, &c. 580
25. Ite maledicti in ignem æternum. 293
26. Etiamsi oportuerit me mori tecum, nõ te negabo. 650

26. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. 282. 285. 293.303
27. Si poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte, ſed non quod ego volo, ſed quod tu. 271
27. Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. 279.291. 297
28. Non eſt hîc, ſurrexit. 180
28. Data eſt mihi omnis poteſtas. 469.164.165.191.192
28. Docete omnes gentes. 584.1035
28. Docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis. 1131
28. Vſque ad conſummationem ſeculi. 920

Marci.

3. Impoſuit Simoni nomen Petrus. 593
6. Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum. 1127
9. Neſciebat quid diceret. 650
9. Elias venit, &c. ſicut ſcriptum eſt de eo. 869.870
14. Cœpit anathematizare & iurare, &c. 1036
13. De die illo nemo ſcit, neq; Angeli, neq; Filius, &c. 246. 252.269.270.271.891
14. Non quod ego volo, ſed quod tu. 1077.1079
16. Dicite diſcipulis eius & Petro. 577.598
16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. 581
16. Prædicate Euangelium. 562

Lucæ.

1. Multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum. 871
1. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. 871
1. Ipſe præcedet ante illum ſpiritu & virtute Heliæ. 867
1. Miſſus eſt Gabriel Angelus, &c. 50
2. Exiit edictum vt deſcriberetur vniuerſus orbis. 855
2. Timuerunt timore magno. 650
2. Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo. 263.264
2. Ieſus autem proficiebat ſapientia, ætate & gratia, apud Deum & homines. 245.246.251.267.268
4. Non in ſolo pane viuit homo. 835
4. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, &c. 245
6. Vocauit diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit. 446
6. Elegit duodecim ex diſcipulis, quos & Apoſtolos nominauit. 617
6. Simonem, quem & Petrum nominauit. 594
Ibid. Simonem, qui vocatur Zelotes. ibid.
8. Semen eſt verbum Dei. 569
9. Conuocatis duodecim Apoſtolis dedit illis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, &c. 446
10. Qui vos audit, me audit. 1128.1129.1131.1137
11. Num pro piſce ſerpentem ei dabit? 821
11. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. 110
12. O homo, quis me iudicem conſtituit aut diuiſorem inter vos. 1151
12. Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator ac prudens, &c. 578.
Ibid. Vt det illis in tempore tritici menſuram. 579
18. Et tertia die reſurget. 286
22. Quis eorum videretur eſſe maior. 1163
22. Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic. 1162
22. Vos autem non ſic. 460.461.462.468.738
22. Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator. 461
22. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? 57
22. Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, &c. ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. 605.1066
22 Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. 1015.1016. 1023
23. Hodie mecum eris in paradiſo. 313.330.335.336.341
23. Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. 303. 323
24. Surgentes eadem hora regreſſi ſunt in Hieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. 606
24. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. 599

Ioannis.

1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, dedit poteſtatem filios Dei fieri. Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis, &c. 86
1. Et Verbum erat apud Deum. 87
1. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, &c. 86
1. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, &c. Plenum gratiæ & veritatis. 244.245.247
1. Verbum caro factum eſt. 146
1. Deum nemo vidit vnquam. Filius vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. 354
1. Non ſum Helias. 877
1. Tu es Simon filius Ionæ: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 593
1. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 523
1. Tu vocaberis Cephas. 593.594
2. Eò quod ipſe nosset omnes. 192
3. Nemo aſcendit in cælum, niſi is qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo. 354
3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, &c. 104
3. Non enim ad menſuram dat Deus Spiritũ. 194.244
4. Ieſus non baptizabat ipſe, ſed diſcipuli eius. 616
4. Alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit. 831
Ibid. Alij laborauerũt, & vos in eorũ labores introiſtis. 831
5. Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. 106
5. Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. 823. 831 833. 910. 911
5. Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. 824. 830.832 910

6. Cum vidisset turba quia Iesus non esset ibi. 179
6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis. 1052
6. Sciebat Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. 192
8. Ego ex Deo processi. 91
9. Operamini dum dies est: veniet nox, quando nemo poterit operari. 315
10. Cognosco oues meas. 192
10. Ego pono animam meam. 367
10. Ego & Pater vnum sumus. 40 51 94
10. Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura; quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum. 975
11. Lazarus amicus noster dormit. 461
11. Lazarus mortuus est. & gaudeo propter vos, & ut credatis, quoniam non eram ibi. 180
12. Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum. 327
14. Ego sum via, veritas & vita. 111
14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis. 88
14. Alium Paraclitum dabit vobis. 77 102
14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 78
14. Pater maior me est. 141. 257. 956
14. Princeps mundi huius. 961
15. Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. 77 99. 100. 111
15. Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. 91. 111
15. Qui à Patre procedit. 88
16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, &, si abiero, mittam eum ad vos. 77
16. Paraclitus non veniet, &c. 102
16. Si abiero, mittam eum ad vos, &c. 99
16. Mittam eum ad vos. 102
16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. 269
16. Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet, loquetur, &c. 106. 1028
16. Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. 106 107
16. Quæcunq; audiet, loquetur. 372
16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. 166
16. De meo accipiet. 88. 89. 166. 167
16. Omnia quæ habet Pater, mea sunt. 97
17. Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. 72
17. Et nunc clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. 197. 198
17. Omnia tua, mea sunt. 97 98
18. Regnum meum non est de hoc mundo. 511. 1151. 1152
19. Regem vestrum crucifigam? 1151
19. Rex Iudæorum. 1150
20. Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. 344
20. Cum ergo serò esset die illo, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, &c. 576
20. Pax vobis. Sicut misit me Pater &c. 561
20. Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. 1116
20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c. Accipite Spiritum sanctum, &c. 576
20. Insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum. 98
20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. 560. 561
20. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. 576
21. Dixit Petrus: Vado piscari, &c. 604
21. Pasce agnos meos. 582. 583
21. Pasce oues meas. 447. 467. 503. 514. 553. 562. 571. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 638. 639. 641. 709. 712. 759. 764. 774. 783. 784. 785. 794 1018. 1019. 1035. 1158. 1114. 1115. 1116
21. Sequere me. 643
21. Hic autem quid? 652

Actorum.

1. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum. 522
1. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit. 608. 609
1. Episcopatum eius accipiat alter. 620
2. Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub cælo est. 486
2. Stans Petrus cum vndecim leuauit vocem suam & locutus est eis. 610
2. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, &c. 298. 299
2. Impossibile erat eum in inferno teneri. 276
2. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. 335. 336. 344
2. Non derelinques animam meam in inferno. 276. 318. 319
2. Dextera igitur Dei exaltatus. 201. 202
9. Factum est cum Petrus transiret per omnes. 612
10. Accerse Simonem, qui cognominatur Petrus. 594
10. Macta & manduca. 613. 615
11. Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? 664
11. Et illi etiam qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Iudæis. 684
12. Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo. 613
12. Præ gaudio non aperuit ianuam. 301
13. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. 664
15. Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, præter hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, &c. 1117

Digitized by Google

15. Præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & seniorum. 1118
16. Tradebant eis custodire dogmata quæ decreta erant ab Apostolis & senioribus. 1118
17. Deus fecit ex vno omne genus hominum. 419
17. In ipso viuimus, mouemur & sumus. 150. 151. 183. 225
28. Fratres occurrerunt nobis vsque ad Appij forum ac Tres Tabernas. 763
28. Coactus sum appellare Cæsarem. 809
28. Nam de secta hac notum est nobis quia vbique ei contradicitur. 698
28. Multam habentes inter se quæstionem. 696

Ad Romanos.

1. Filius Dei natus est ex semine Dauid secundum carnem. 177
4. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. 282
5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. 77. 78. 102
8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. 1051
8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. 108
8. Qui sedet ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 359
9. Quem vult indurat. 293
10. Ne dicas in corde tuo: Quis descendet in abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare. 320
10. Nunquid non audierunt? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 851
11. Vobis enim dico gentibus. 1026
11. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, caue, ne tibi quoque non parcat. 1026
11. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. 1026
13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 1125. 1124
13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; & qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. 1125
13. Dei enim minister est. 1136
13. Ideo necessitate subditi estote, nō solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 1113. 1125. 1129. 1130
13. Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 1138
13. Ideo enim & tributa præstatis, &c. 1124
13. Reddite omnibus debita. 1124
13. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. 1124
13. Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. 1124

Primæ ad Corinthios.

1. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. 539. 598
3. Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. 471
Ibid. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. ibid.
Ibid. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt. ibid.
3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. 518. 519
3. Nescitis quia templum Dei estis. 922. 923
3. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. 922. 923
3. Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas. 511
4. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? 1128
4. In virga veniam ad vos. 1138
6. Membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui habitat in vobis. 77. 102
6. Portate Deum in corpore vestro. 77. 102
7. Nolite fieri serui hominum. 1136
9. Sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas. 598
10. Hæc omnia contingebant illis in figura. 486. 487. 711
10. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 1123
10. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, &c. 1123
11. Laudo vos quod præcepta mea tenetis. 1129
12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem, alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, &c. 79
12. Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij. 710
12. Quosdam posuit in Ecclesia Deus, primum Apostolos, &c. deinde gubernationes, &c. 464. 465
15. Tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia. 39. 40. 54. 55. 57. 58

Secundæ ad Corinthios.

1. Qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, &c. 997
1. Non quod dominemur fidei vestræ. 1138
3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. 1132
5. Mundum reconcilians sibi. 357. 358
6. Et quæ conuentio est templo Dei cum templo idolorum? 923
6. Vos enim estis templum Dei viui. 923
11. Iudico me nihilo inferiorem esse summis Apostolis. 645
13. Prædico, quoniam si venero iterum, non parcam. 1138

Ad Galatas.

1. Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum. 614. 615
2. Mea nihil refert, quales fuerint, qui aliquid esse videntur. 589
2. Qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt. 589. 590
2. Iacobus, Cephas, & Ioannes. 596
2. Dexteram mihi dederunt societatis. 588. 589
2. Reprehensibilis erat. 651. 652
2. Gentes cogis Iudaizare. 1036. 1037

6. Cum vidiſſet turba quia Ieſus non eſſet ibi. 179
6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitã in vobis. 1052
6. Sciebat Ieſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. 192
8. Ego ex Deo proceſſi. 91
9. Operamini dum dies eſt: veniet nox, quando nemo poterit operari. 315
10. Cognoſco oues meas. 192
10. Ego pono animam meam. 367
10. Ego & Pater vnum ſumus. 40. 51 94
10. Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dij eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura; quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum. 975
11. Lazarus amicus noſter dormit. 461
11. Lazarus mortuus eſt. & gaudeo propter vos, & vt credatis, quoniam non eram ibi. 180
12. Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipſum. 327
14. Ego ſum via, veritas & vita. 111
14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis. 88
14. Alium Paraclitum dabit vobis. 77 102
14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 78
14. Pater maior me eſt. 141. 357. 956
14. Princeps mundi huius. 961
15. Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. 77 99. 100. 111
15. Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. 91. 111
15. Qui à Patre procedit. 88
16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, &, ſi abiero, mittam eum ad vos. 77
16. Paraclitus non veniet. &c. 102
16. Si abiero, mittam eum ad vos, &c. 99
16. Mittam eum ad vos. 102
16. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. 269
16. Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet, loquetur, &c. 106. 1028
16. Non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur. 106 107
16. Quæcunq; audiet, loquetur. 372
16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. 106
16. De meo accipiet. 88. 89. 106. 107
16. Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. 97
17. Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 72
17. Et nunc clarifica me Pater apud temetipſum, claritate quam habui, priuſquam mundus fieret, apud te. 197. 198
17. Omnia tua, mea ſunt. 97 98
18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. 511. 1151. 1152
19. Regem veſtrum crucifigam? 1151
19. Rex Iudæorum. 1150
20. Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. 344
20. Cum ergo ſerò eſſet die illo, vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, &c. 576
20. Pax vobis. Sicut miſit me Pater &c. 581
20. Sicut miſit mè Pater, ita & ego mitto vos. 1116
20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. Accipite Spiritum ſanctum, &c. 576
20. Inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. 98
20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. 560. 561
20. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. 576
21. Dixit Petrus: Vado piſcari, &c. 604
21. Paſce agnos meos. 582. 583
21. Paſce oues meas. 447. 467. 503. 514. 553. 562. 571. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 638. 639. 641. 709. 712. 759. 764. 774. 783. 784. 785. 794 1018. 1019. 1035. 1158. 1114. 1115. 1116
21. Sequere me. 643
21. Hic autem quid? 652

Actorum.

1. Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum. 522
1. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit. 608. 609
1. Epiſcopatum eius accipiat alter. 620
2. Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi, ex omni natione quæ ſub cælo eſt. 486
2. Stans Petrus cum vndecim leuauit vocem ſuam & locutus eſt eis. 610
2. Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni, &c. 298. 299
2. Impoſſibile erat eum in inferno teneri. 276
2. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 335. 336. 344
2. Non derelinques animam meam in inferno. 276. 318. 319
2. Dextera igitur Dei exaltatus. 201. 202
9. Factum eſt cum Petrus tranſiret per omnes. 612
10. Accerſe Simonem, qui cognominatur Petrus. 594
10. Macta & manduca. 613. 615
11. Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? 664
11. Et illi etiam qui diſperſi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis. 684
12. Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo. 613
12. Præ gaudio non aperuit ianuam. 301
13. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus. 664
15. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, præter hæc neceſſaria; vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, &c. 1117

15. Præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. 1118
16. Tradebant eis cuſtodire dogmata quæ decreta erant ab Apoſtolis & ſenioribus. 1118
17. Deus fecit ex vno omne genus hominum. 419
17. In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. 150. 151. 183. 225
28. Fratres occurrerunt nobis vſque ad Appij forum ac Tres Tabernas. 703
28. Coactus ſum appellare Cæſarem. 809
28. Nam de ſecta hac notum eſt nobis quia vbique ei contradicitur. 696
28. Multam habentes inter ſe quæſtionem. 696

Ad Romanos.

1. Filius Dei natus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. 177
4. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. 282
5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. 77. 78. 102
8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. 1051
8. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. 108
8. Qui ſedet ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 359
9. Quem vult indurat. 293
10. Ne dicas in corde tuo: Quis deſcendet in abyſſum, id eſt, Chriſtum à mortuis reuocare. 320
10. Nunquid non audierunt? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 851
11. Vobis enim dico gentibus. 1026
11. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, caue, ne tibi quoque non parcat. 1026
11. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. 1026
13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 1125. 1124
13. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; & qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. 1125
13. Dei enim miniſter eſt. 1136
13. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, nō ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. 1113. 1125. 1129. 1130
13. Non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. 1138
13. Ideo enim & tributa præſtatis, &c. 1124
13. Reddite omnibus debita. 1124
13. Cui tributum, tributum: cui veſtigal, veſtigal. 1124
13. Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. 1124

Primæ ad Corinthios.

1. Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ. 539. 598
3. Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit. 471
Ibid. Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. ibid.
Ibid. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum ſunt. ibid.
3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. 518. 519
3. Neſcitis quia templum Dei eſtis. 922. 923
3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. 922. 923
3. Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas. 511
4. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in ſpiritu mānſuetudinis? 1128
4. In virga veniam ad vos. 1138
6. Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui habitat in vobis. 77. 102
6. Portate Deum in corpore veſtro. 77. 102
7. Nolite fieri ſerui hominum. 1136
9. Sicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas. 598
10. Hæc omnia contingebant illis in figura. 486. 487. 711
10. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. 1123
10. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, &c. 1123
11. Laudo vos quod præcepta mea tenetis. 1129
12. Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem; alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, &c. 79
12. Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. 718
12. Quoſdam poſuit in Eccleſia Deus, primum Apoſtolos, &c. deinde gubernationes, &c. 464. 465
15. Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia. 39. 40. 54. 55. 57. 58

Secundæ ad Corinthios.

1. Qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris, &c. 997
1. Non quod dominemur fidei veſtræ. 1138
3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. 1132
5. Mundum reconcilians ſibi. 357. 358
6. Et quæ conuentio eſt templo Dei cum templo idolorum? 923
6. Vos enim eſtis templum Dei viui. 923
11. Iudico me nihilo inferiorem eſſe ſummis Apoſtolis. 645
13. Prædico, quoniam ſi venero iterum, non parcam. 1138

Ad Galatas.

1. Poſt annos tres aſcendi Hieroſolymam videre Petrum. 614. 615
2. Mea nihil refert, quales fuerint, qui aliquid eſſe videntur. 589
2. Qui videbantur eſſe aliquid, nihil mihi contulerunt. 589. 590
2. Iacobum, Cephas, & Ioannes. 596
2. Dexteram mihi dederunt ſocietatis. 588. 589
2. Reprehenſibilis erat. 651. 652
2. Gentes cogis Iudaizare. 1036. 1037

3. Maledictus omnis qui pendet in ligno. 283
4. Factum ex muliere, factum sub lege. 808
4. Misit Deus spiritum Filij sui, &c. 108

Ad Ephesios.

1. Sedere nos fecit in cœlestibus. 52
2. Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. 518. 519. 529. 534
2. Supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. 546
4. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. 466
4. Vnum corpus, vnus spiritus, vna spes vocationis, vnus Dominus. 511
4. Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. 824
4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. 79. 244. 510
4. Qui ascendit, ipse est & qui descendit in inferiores partes terræ. 320. 321
4. Descendit ad inferiores partes terræ. 276
4. Ascendit super omnes cœlos. 136
4. Vt impleret omnia. 142. 143
4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, &c. 471. 501
4. Alios dedit Apostolos, alios Euangelistas, &c. 464
6. Serui obedite Dominis carnalibus sicut Christo. 1137

Ad Philippenses.

2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. 63. 141. 357. 361
2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. 283. 385. 386. 387. 391
2. Factus obediens vsque ad mortem. 173
2. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. 311. 312
2. Omnes quærunt quæ sua sunt. 697. 698. 699

Ad Colossenses.

1. In spe Euangelij quod peruenit vsque ad vos, sicut & in toto mundo est, fructificans & crescens. 851
1. Quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cœlo est. 851
2. In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. 192. 270. 271
2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 197. 236
4. Salutat vos Aristarchus, concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ. 667
4. Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 699
4. Epaphras seruus Iesu Christi. 699
4. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. 699

Secundæ ad Thessalonicenses.

2. Quoniam nisi venerit defectio primùm, &c. 842. 843. 844. 856
2. Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. 834. 835
2. Homo peccati. 499. 841
2. Filius perditionis. 1001
2. Qui extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. 822. 956. 957. 958
2. Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. 953. 954. 955. 956. 962
2. Vt in templo Dei sedeat. 917. 918. 920. 921. 923 924
2. Ostendens se tanquam sit Deus. 1004
2. Et nunc quid detineat scitis, &c. 863. 864
2. Mysterium iam operatur iniquitatis. 839. 840. 841. 843. 844. 952. 953
2. Tunc reuelabitur ille iniquus, &c. 834. 835
2. Secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, in iis qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. 956
2. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. 944. 956. 957

Primæ ad Timotheum.

1. Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt. 1034
2. Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. 355. 356. 358. 359
3. Vnius vxoris viri. 1127
4. Prohibentium nubere. 978
4. Sanctificantur per verbum Dei & orationem. 1088
4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. 1138
5. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1128

Secundæ ad Timotheum.

2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. 1162. 1166
4. Lucas est mecum solus. 699
4. Marcum assume. 667
4. Nemo mihi adstitit, sed omnes me dereliquerunt. 699. 700
4. Liberatus sum de ore Leonis. 658. 660

Ad Philemonem.

Salutat te Marcus, Aristarchus, &c. 667

Ad Hebræos.

1. Tanto melior Angelis effectus. 190
2. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. 384
2. Vnde debuit assimilari fratribus per omnia. 260
4. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia absque peccato. 260. 263
5. In diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, etc. exauditus est pro sua reuerentia. 299. 300. 302
7. Alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, &c. hic autem, eò quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, &c. 495

7. Sempiternum habet sacerdotium. 641
8. Sacerdotes exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium. 476
9. Solus Pontifex, &c. Quemadmodum Pontifex, &c. 835. 836
9. Non enim in manufacta sancta introiuit exemplaria verorum. 490
13. Obedite præpositis vestris, &c. 1129

Iacobi.

4. Vnus legislator & iudex. 1131

Primæ Petri.

2. Tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis. 922
2. Lapides viui. 594
2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium. 682
2. Regale sacerdotium. 580
2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ, &c. 809
3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c. 321
3. Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. 323. 326
3. In quo & his, qui in carcere erant spiritibus prædicauit, &c. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329
3. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma. 490
4. Christo igitur in carne passo. 177
4. Reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos. 325
4. Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium, &c. 321. 325
5. Pascite vestros greges, non dominantes in clero, sed alij se alijs submissè subiicientes. 784
5. Non vt dominantes in cleris. 460. 461. 1138
5. Princeps pastorum. 462. 463
5. Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta. 655. 656. 659

Primæ Ioannis.

2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. 331
2. Audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. 836
2. Nunc Antichristi multi facti sunt. 820
2. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. 820
2. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus non est Christus? Hic est Antichristus. 836. 837
4. Et hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est. 837
4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 77. 78. 102

Apocalypsis.

3. Qui habet clauem Dauid. 568
3. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. 923
5. Nemo inuentus est qui aperiret librum, nec in cœlo, nec in terra, nec subtus terram. 311. 312
5. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem. 198. 199
5. Fecisti nos Deo nostro regnum. 580
5. Omnis creatura, quæ in cœlo, & in terra, & sub terra. 311
5. Sedenti in throno & Agno: Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. 199
7. Seruiunt ei die ac nocte in templo eius. 923
11. Sanctam ciuitatem gentes calcabunt mensibus quadraginta duobus. 893
11. Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt dies mille ducentos sexaginta. 872
11. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum & deuorabit inimicos eorum. 966
11. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. 966
11. Et cum consummauerint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos, & cadauera eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritaliter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. 919. 924. 925
11. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, &c. 830
11. Vbi & Dominus eorum crucifixus est. 874. 925
Ibid. Et videbunt de tribubus & populis & linguis & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium; & corpora eorum non sinent poni in monumentis. 830
11. Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus ascendit super eos, qui viderunt eos. 830
11. Et decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt septem millia hominum. 830
11. Tunc apertum est templum Dei in cœlo. 923
12. Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone. 224
12. Michaël & Angeli eius. 483
12. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet. 894
12. Sciens quia modicum tempus habet. 891
12. Tempus, & tempora, & dimidium temporis. 829
13. Vidi bestiam de mari ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, &c. 863. 865. 930. 1005
13. Et vidi vnum de capitibus suis, quasi occisum in mortem, & plaga eius curata est. 865. 866
13. Vidi bestiam ascendentem è terra, quæ habebat duo cornua similia agni. 930. 1005
13. Cornua duo similia Agni. 946
13. Faciet omnes pusillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & seruos habere characterem in dextera manu sua, &c. 909
13. Ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ aut numerum nominis eius. 904. 907
13. Hic sapientia est. 902
13. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. 902. 903
13. Numerus enim hominis est. 903

14. Sequuntur Agnum quocunque erit. 167
17. Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, &c. 863. 866. 924. 925. 926
17. Mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, &c. 928
17. Poculum habens in manu plenum abominatione & immunditia fornicationis eius. 958
17. Magna mater fornicationum & abominationum terræ, &c. 958
17. Ego dicam tibi Sacramentum seu Mysterium mulieris. 946
17. Et mirabuntur inhabitantes terram, &c. videntes bestiam, quæ erat, & non est. 865
17. Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet. 924. 927
17. Bestia erat; & non est, & tamen est. 865
17. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges vna hora accipient post bestiam. 927
17. Hi vnum consilium habent & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent. 927
15. Aquæ multæ sunt populi & gentes & linguæ. 928. 929
17. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient, &c. 863. 927. 931. 932
17. Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. 860. 925
17. Desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt. 927
17. Et mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ. 863. 866. 924. 926. 928. 929. 958
18. Facta est habitatio Dæmoniorum. 661
18. Exite de ea populo meus, & ne participes fitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. 661. 662
19. Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat. 483
20. Ligauit eum per mille annos, & post hoc oportet solui modico tempore. 889 894
20. Post hæc oportet illum solui modico tempore, & vidi sedes, & sederunt super illos, & iudicium datum est eis. 899
20. Soluetur Satanas de carcere suo, & exibit & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eos in prælium. 865. 972. 973
20. Et Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & Pseudopropheta cruciabuntur, &c. 973
21. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. 516. 785

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM OMNIVM LOCVPLETISSIMVS, QVÆ IN HIS DVABVS DE CHRISTO ET ROMANO PONTIFICE CONTROVERSIIS, PRO REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI S. R. E. CARDINALIS BELLARMINI defensione adferuntur, suis quæque locis alphabetica serie consignatæ.

A.

AARON eiusque successores summi, & vniuersales Monarchæ 467. gerebat typum Christi non parabolicè sed historicè. 552. 564

Abbatus contendit Antichristũ significare Vicarium Christi. 820. Videretiam V. Robertus Abbatus. Mentitur. 822. 831. 838. 856. 921. 922. 966. 970. 1007. 1009

Abbatus appellat sanctos Patres nuda nomina. 825. conuicijs proscindit sanctos Patres. 826 827. 828. magister suorum magistrorum factus. 839. vult docere Patres. ibid. conuicia in Bellarminum explodit. 855. ex quibusdam regionibus concludit simpliciter in omnibus totius mundi partibus tempore Apostolorum Euangelium annunciatum fuisse. ibi. Carolum Magnum à Papa Romano Imperatorem creatum, & Imperium à Græcis ad Francos ab eodem translatum, cum Daneo sentit contra symmystas suos. 856. citat S. Thomam. 856 857. conuicia spuit in S. Thomam, eique affingit de quibus nunquam cogitauit. 857. Imperatoriam Maiestatem petulanter lacerat & traducit. 858. conuicia in Pontificem ex Hospiniano, Illyrico, Balæo & similibus depromit. ibid. in Bellarminum inuehitur, quod priscos Patres sequi malit quam hodiernos Nouatores. 866. vocat Bellarminum veteratorem & perfidum. 869. responsiones dat quales ipse non probat. 870. conatur probare quod non potest. 871. Caluinianus fabulator. 873. Lutheranos & Caluinistas ante Lutherum & Caluinum dicit extitisse in Lollardis & VViclephistis, in VValdensibus & Albigensibus, in Hussitis & Picarditis. 880

Abbatus impudenter & impotenter in Bellarminum inuehitur. 887. acquiescit illis quæ Tremellius & Iunius ex Rabbinorum scriptis attulerunt. 892. dicit Antichristum pro domestico fidei se venditaturum. ibid. Ponelo aduersatur. ibid. de duplici bestia Apocalyptica, bestiali propemodum acumine disserit. 892. suam opinationem ipse corroborat. ibi. pedicas sibi nexuit, è quibus se nunquam expediet. ibid. Antichristi sectatores non putat posse dici gentes. 893. Foxi somnium narrat. ibid. Diabolum ait fuisse tantum vinctum siue ligatum vsq; ad Constantinum Magnum, deinde fuisse solutum. 894. de solutione Diaboli vanè & inconstanter disputat, pro natura scilicet & conditione sal sitatis. 895. vetera sua mendacia recinit. 898. caret iudicio. ibid. inficiatur omnia. ibidem. Bellarminum criminatur, quia integra capita ex Daniele non exscripsit, in contentus quæ ad propositum spectabant. ibid. Bellarminum nominat sacrilegum, exordem, insanũ. 899. cum Bellarmino collatus. ibid. non dubitat, nomen Antichristi certò esse εὐάνθας. 904. probat item subtiliter, nomen Antichristi fore τειτὸν & λατεινὸν. 905. thrasonicè se iactat. ibid. seipsum euertit. ibid. Antichristum polyonymum facit, contra Irenæum. 905. 906. Subrandi scrinia expilat 907. Irenæo diserte contradicit cum maximè ex illo argumentatur. ibid.

Abbatus, mentitur apud Pontificios vendi & emi beneficia, indulgentias, bullas, peccata, Sacramenta & animas hominum. 908. barbarè loquitur Bellarminum literizare. ibid. omnes Antichristi affectat facit Episcopos, Sacerdotes aut Monachos. 909. fuvit contra generationem Antichristi ex Iudæorum prosapia. 916. vnà cum suis, ex vera Ecclesia excessit. 918. timet defuturos fabros Antichristo, qui ei templum exitent in quo sedeat. 921. insultat Buttum, & ventosum thrasonem. 924. ex proprio cerebro Apocalypsin interpretatur. 926. in plurimis pagellis vix quidquam aliud facit quam mentiri, quod ei videtur esse viuere. 933. Papistas dicit defeciss à vera Ecclesia, Christo & Apostolis, sanctos impiè colere & ex illis idola facere, item ex cruce & imagini-

bus, Purgatorium ab Ethnicis; delectum ciborum, & cœlibatum ſacerdotum à priſcis hæreticis mutuatos eſſe. Sacerdotibus concubinas permittere. 933. Papiſtæ dicit Chriſtum ex omni parte conſodere, & crucem eius euacuare, & aduentum in carne abrogare, & perinde omnia in Sanctis & ceremoniis ſuis conſtituere, ac ſi nihil Chriſtus pro genere humano & Eccleſia ſua præſtitiſſet: quin, quod dictu & auditu horribile ſibi videtur, & ſalem, & panem, & aquam exorcizare. ibid. eggerit nugas iam profligatas. 962. Rullo contradicit. 964. miracula quæ in Sanctorum hiſtoriis continentur & recenſentur plera, Diabolicis præſtigiis Monachorumq; fraudibus ac decipulis adſcribit. 965. quicquid de Papa blaterat, paucis mutatis commodiſſimè ad Caluinum & Lutherum transferri poteſt. 966

Abbatus Stephanum III. quem Secundum vocat, brutum, blateronem, nebulonem, aſinum, crocodilum appellat. 1007. 1008. etiam Pipinum perſtringit. 1008

Abel & Cain Sacerdotes. 451

Abenezra Iudæus Grammaticus. 67

Abiathar ſummus Pontifex à Rege Salomone depoſitus extraordinaria commiſſione Dei. 810

Abraham capto Loth, & abducta eius ſubſtantia, ſtatim trecentos decem & octo vernaculos in aciem eduxit, & hoſtes perſecutus eſt. 425. regia poteſtate præditus. 426. in peregrina terra aduerſus quatuor Reges bellum geſſit. ibid. ſacerdos & inſtar Regis. 450. pater Iſraelitarum credentium. 564. vt typus Chriſti, filium Iſaac accepit. ibid.

Acatius Epiſcopus Conſtantinopolitanus cum Petro Mongo intruſo Epiſcopo Alexãdrino communicat. 746. 772. Romani Epiſcopi Vicarius. 772. Baſiliſci impulſu. Synodum Chalcedonenſem condemnat. ibid.

Accidens inhæret ſubiecto inhæſionis. 199. 201. pendet à ſuo ſubiecto. 268. duplex, abſolutum, & reſpectiuum. ibid.

Accipiens & acceptum non ſemper diſtinguuntur realiter. 107

Achaz rex nouum altare extruxit, & quidem idololatricum, quippe effictum ad ſimilitudinem altaris idoli quod erat in Damaſco. 1135. altare Domini è loco ſuo remouit, nec in eo ſacrificia offerre voluit, contra expreſſam Dei legem, & populi Iudaici conſuetudinem. ibid.

Achilles Gaſſarus hæreticus. 984

Actio negotiorum geſtorum apud Iureconſultos, quæ alicui datur ex quaſi contractu. 551

Adam creatus eſt ſapientiſſimus. 257. caput & parens generis humani. ibid. æterna morte animæ deiectus ac proſtratus. 284

Adamus Tannerus Societatis Ieſu Ingolſtadienſis Academiæ Profeſſor. 1010

Adrianus Pontifex Romanus Patriarcham Conſtantinopolitanum non habet pro Oecumenico. 720. Sectarios Antichriſtus. 730. Trullanos canones non probat. 756

Adrianus II. teſtatur, nuſquam legi, de Pontifice Romano quenquam iudicaſſe. 804. inconſultis Legatis Ludouici II. Imperatoris, licet Romæ verſarentur, electus eſt. 1093

Adrianus III. Papa. 1092

Adrianus VI. ante Pontificatum docuit, vt priuatus doctor, Pontificem etiam vt Pontificem, aliquid ſine Concilio definientem errare poſſe. 1013

Adrianus Saravia Belga. 399. Vide V. Saravia. Sutlivium contra Bezam defendit, ſed irrito conatu. ibid. Vide etiam V. Hadrianus Saravia. refellit eos qui contendunt ciuilem iuriſdictionẽ, externum ſplendorem in titulis, in comitatu, ac honores quos Feuda annexos habent, non conuenire cum ſimplicitate miniſterij Euangelici. 1163. docet fas eſſe Epiſcopis ciuiles contentiones audire, & eas dirimere. ibid. honorificos titulos, quibus honorantur Epiſcopi, famulitium itidem & ſplendidum eorum comitatum multis rationibus tuetur. ibid. conſulit & ſuadet, vt Epiſcopi honoribus etiam politicis exornentur ac inſigniantur, & in republica quam maximè eminent. ibid.

Æmulatio ſolet eſſe inter æquales. 420

Æquale æquali ſubiicitur materialiter & ſpecificatiuè, non formaliter & reduplicatiuè. 59. non obedit æquali. 173

Aërius hæreticus cum ſuis Aërianis Epiſcoporum & Presbyterorum æqualitatem docuit. 445

Aëtius Archidiaconus Conſtantinopolitanus in Concilio Chalcedonenſi. 379

Africanum Concilium ſub Bonifacio & Caleſtino Romanis Pontificibus. 799. celibatum indixit Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis. 979

Agapetus Pontifex Anthimum Conſtantinopolitanum depoſuit, & in locum eius Menam ſubſtituit. 721. 729 petente Imperatore & Imperatrice, vt Anthimum in communionem reciperet. conſtanter renuit, niſi ſe libello probaret orthodoxum. 721. Menam ordinauit, conſecrans eum manu ſua in Baſilica ſanctæ Mariæ. 721. 729

Agatho Epiſcopus Romanus, ex Petri, vt ſucceſſor eiuſdem in Epiſcopatu. 686. Sanctiſſimus Pater noſter & ſummus Papa, in ſexta Synodo dictus. 815. expreſsè dicit nullum ſuorum prædeceſſorum vnquam erraſſe. 1064. 1065. Eccleſiam Romanam dicit fundatam ſuper firmam petram B. Petri, eius gratia & præſidio ab omni errore illibatam permanere. 1068

Agnoitæ hæretici, Iunio Agnoetæ. 239. à Themiſtio Diacono olim exorti. ibid. duplices. ibid. animæ Chriſti ignorantiam tribuerunt. 240. fruſtum ſeu portio Eutychianorum. ibid. à Theodoſianis exorti. ibid. diuinitati Chriſti ignorantiam adſcripſerunt. ibid. Chriſtum ignoraſſe diem Iudicij affirmarunt. 258. veteres & recentiores. 263. Chriſtum dixerunt ſucceſſiuè profeciſſe in ſcientia. 269. 270

Agnus Paſchalis typus ſacrificij in Cruce peragendi, & Euchariſtiæ. 489

Aidus per contractionem Ἀΐδης, ab a particula priuatiua, & verbo εἶδω, video, inferos tantum ſignificat, non ſepulchrum. 309

Aiſtulphus rex Longobardorum Romam grauiſſima obſidione premit. 1007

Albertus Leander. 985

Albertus Pigbius dicit Pontificem etiam vt priuatam perſonam, non poſſe incidere in hæreſin. 1097. Vide V. Pigbius.

Albertus Pius Carporum princeps, contra Eraſmum. 21

Albertus Stadenſis. 995

Albigenſes corporum reſurrectionem cum Saducæis negabant, anima cum corpore pariter extincta. Baptiſmum prorſus abiiciebant veluti inutilem & ſuperfluum. Animarum tranſmigrationem, etiam in bruta, ſtatuebant: duo principia cum Manichæis introducebant, bonum & malum, Deum & Diabolum. 881. Biblia non curant, nec reuerentur. ibid.

Alexander Carrerius I. C. Patauinus, duos libros edidit de poteſtate Pontificis aduerſus impios Politicos. 1146. Catholicus. 1146. Bellarminum tantum non Anteſignanum Politicorum ſtatuit. ibid. Vbiquitizat. ibid. Eutychianizat. ibid. anathema audet dicere Bellarmino. 1149. non videtur intelligere quid dicat. ibid.

Alexander Magnus. 841

Alexander Papa ex Apoſtolica traditione decreuit, in calice vinum aqua miſtum offerendum eſſe. 1043

Alexander III. ſtatuit ſufficere duos vel tres teſtes in teſtamentis, nec requiri ſeptenos, vt exigunt iura ciuilia. 1096. & ſeq.

Alexandrini legationem miſerunt ad Clementem VIII. Pont. Max. 95

Alexandrinum Concilium prouinciale, præſidente S. Cyrillo. 112

Alexius Comnenus Angelum Imp. Conſtantinopolitanum. 806

Allenſonius noui partus VVitackeriani editor. 402. eadem fidelia dealbat duos. ibid. Baccalaureus. 511. 512. 525. 697. 1019. 1083. 1127. 1141. 1143. VVitackerum corrigit. 1141. 1143

Ambiguum verbum ceu ſcopulum eſſe vitandum. 15

S. Ambroſius quæ ſcripſit, à ſexta & ſeptima Synodo ſub anathemate recepta. 113. quo tempore vixerit. 116. in verſibus ſuis cecinit Petrum eſſe petram Eccleſiæ. 529. 530. 531. à S. Auguſtino laudatus. 531. ſuper Petrum aſſerit ædificatam Eccleſiam. 537. 611. Petrum dicit meritò primum miraculum edidiſſe in pedum confirmatione, vt oſtenderet ſe fundamentum eſſe totius Eccleſiæ. 611. Petri primatum aſſerit. 637. 638. Petrum appellat Vicarium amoris Chriſti erga nos. 637. S. Petrum vocat ſacerdotem Romanæ Eccleſiæ. 682. Theodoſium Imperatorem excommunicauit. 766. cælibatum & continentiam clericorum commendat. 798. dicit Antichriſtum ex Scripturis diſputaturum, hoc eſt, probaturum, ſe eſſe Chriſtum. 954

Anabaptiſtæ negant animæ immortalitatem. 277

Anacletus Papa Iunio Anencletus. 1040. memoriam S. Petri conſtruxit & ornauit. ibid.

Anaſtaſius I. Pontifex ſanctitate clarus. 761

Anaſtaſius Iunior Papa, teſtatur, Pontificem Romanum habere poteſtatem ferendi leges, & latas ab illo religiosè ab omnibus obſeruari debere. 760. eius nominis ſecundus. 761. vir optimus. ibid. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1054. 1055

Anaſtaſius Epiſcopus Theſſalonicenſis S. Leonis Vicarius per Orientem. 769

Anaſtaſius Imperator Eutychianus, fulmine tactus periit. 761

Andreas Apoſtolus ſenior Petro. 597. 598. 607. 637

Andreas Eudæmonioannes Cydonius Societatis Ieſu. 1. 76

Andreas Fachineus clariſs. Iuriſconſultus. 735

Andreas Muſculus Lutheranus. 847. Vide etiam V. Muſculus.

Angelus, vt perſonam Dei repræſentat & ſuſtinet, nominatur Ieboua. 50. 51

Angeli phyſicè nec loco nec tempori commenſurantur. 231. ſunt in loco per eſſentiam, & conſequenter naturaliter operari & ſe mouere poſſunt, ex ſententia Auctoris. 235. reguntur ab vno principe Angelo infra Deum, monarchicè. 475. 476. 484

Angli Regem ſuum vt in Politicis, ita & in Eccleſiaſticis cauſis ſupremum caput agnoſcunt, eoſque qui huic capiti, hoc eſt, Monarchæ Eccleſiaſtico, non ante multos annos fabrefacto, capita ſubmittere nolunt, exquiſitiſſimis ſuppliciis excarnificatos enecant. 410. Monarchici. 428. olim feminam, nunc Regem politicum pro capite & Monarcha Synagogæ ſuæ ſuſcipiunt & ſuſpiciunt. ibid. concionatores & catechiſtæ ſepties mille, quadringenti ſexaginta tres: inter quos Theologiæ & vtriuſque Iuris Doctores & Baccalaurij, artium Magiſtri, Iuris & liberalium artium Baccalaurij. 440. Archiepiſcopi Duces & magni Regni officiarij: Epiſcopi Barones & Domini. 462. ſtatuunt Eccleſiæ ſuæ caput viſibile, ſupremum & vniuerſale. 499. 503. arctiſſimis legibus obſtringuntur à ſuis Pſeudoepiſcopis. 571. ſub crimine læſæ maieſtatis obligantur credere & publicè profiteri Regem & Reginam eſſe ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ caput. ibid. à S. Gregorio Romano Pontifice olim poſtulatunt diſpenſationem circa matrimonia in gradibus alioqui prohibitis ineunda. 762. eorum Pſeudoepiſcopi & Pſeudoarchiepiſcopi Eccleſiaſtici ſimul ac Politici Principes eſſe volunt. 1163. 1164. 1165

Anima, more tritiſſimo & communiſſimo ſcripturæ accipitur pro vita. 285. nuſquam accipitur pro cadauere, cum in cadauere ſit priuatio vitæ. 319. 320

Anima magis eſt vbi amat, quam vbi animat. 52. creatur, non generatur. 178. reperitur extra manum, licet manum informet. 224. in pede vel capite exiſtens, animat & informat manum ibi vbi manus eſt. 225. 228. 231. poſt exceſſum ex corpore, iudicio Dei ſiſtitur. 281. 287. eſt in loco per ſuam eſſentiam, & conſequenter naturaliter operari & ſe mouere poteſt, ex ſententia Auctoris. 335. ſola non eſt homo. 346. eſt cauſſa, ſine qua homo non viueret. 390

Animæ piorum ante Aſcenſionem Chriſti non fuerunt in cœlo 313. in deſcenſu Chriſti ad inferos, vel in puncto expirationis in cruce, beatitudinem ſunt conſecutæ. 335. 340

S. Anſelmus ſcripſit ex inſtituto contra Græcos. 116. ſatisfacere pro nobis non potuiſſe ſcribit, niſi verum Deum, nec debuiſſe, niſi verum hominem. 380. Ar-

chiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia. 733. natus Auguſtæ in finibus Burgundiæ verſus Longobardiam. ibid.
Anthimus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab Agapeto Papa Romano depoſitus. 721
Ἀντιβασιλεὺς, qui idem eſt quod Rex in ſuo regno, vt Dux Moſchorum. 821
Antichriſtus ſignificat quemlibet Chriſti aduerſarium, ſiue Chriſti & Chriſtiani nomine tectum, ſiue non. 819. 821
Antichriſtus ne per ſimulationem quidem Dei vel Chriſti famulum profitebitur, neque ex ore eius vlla vox humilitatis vel ſubiectionis audietur. 822. certus quidam homo futurus. 822. & ſeq. ita eſt & erit vnus, vt & anteceſſore & ſucceſſore careat. 824. ita in nomine ſuo veniet, vt cuiuſuis alterius nomen & auctoritatem ſit reiecturus, & apertè repudiaturus, neque ab vllo ſe miſſum affirmabit, neque vllum à quo miſſus ſit agnoſcet & prædicabit. 833. ſe omnia eſſe, & ſibi omnia deberi putabit. ibid. Chriſti nomen ſibi arrogabit. 834. tempore Apoſtolorum cœpit in mundo verſari, non in ſe, ſed in ſuis præcurſoribus. 839. & ſeq. in abſtracto poteſt dici Apoſtaſia ſeu Defectio, tum quia plurimis ad defectionem auctor & incentor erit, tum quia inſignis & eximius Apoſtata erit. 843. formaliter Antichriſtus non vocabitur, niſi cum tyrannicum illud ſuum regnum palam occupiet. 845. non venturus niſi in fine mundi. 846. 847. nondum venit. 846. 848. & ſeq. publicam profeſſionem & prædicationem Euangelij & iuge ſacrificium inueniet, & omnia hæc ex publico tollet. 849. ſub finem mundi veniet in ſe & propria ſua perſona. 851. abominatio deſolationis. 854. Zabuli filius, peccati portio, legis aſſertor, ramus ſici ibid. proximè antecedet aduentum Chriſti ad ſupremum iudicium. ibid. tres Reges penitus extinguet, ſeptem alios ſibi ſubiiciet tantum, non funditus delebit. 861
Antichriſtus ſeptem reges quos ſibi ſubiugabit, in tyrannide ſua propaganda ſtrenuos adiutores habebit. 866. non perſequetur ſeductores & impoſtores, ſed quam diligentiſſimè fouebit. 882. non regnabit niſi tres annos cum dimidio. 884. & ſeq. repræſentatus in Antiocho Epiphane tanquam in ſuo typo. 886. ipſe Nerone magis à Chriſtianorum inſtitutis & religione diſtabit. 892. Iudæus erit & circumciſus. ibid. gentilis dici poterit propter ſummam impietatem, verique Dei, imò & fictitiorum Deorum quos mortales eò vſque coluerant, contemptum ac neglectum. 893. deſtruet, quod Chriſtus extruxit. 895. ſub finem mundi veniet, eiuſq; interitum poſt paucos dies excipiet conſummatio ſeculi. 898. viuet, quando extremum iudicium ſubibit. ibidem. quam diu ſit regnaturus, & quantum temporis ab eius exitio vſque ad iudicium extremum intercedat, ex ſcripturis conſtat. 900. homo peccati & filius perditionis. 901. imperium maximum & potentiſſimum, Romano quoad potentiam haud diſſimile inſtituturus. 906. maximè propter Iudæos venturus, & ab eis tanquam Meſſias recipiendus, item ex Iudæis parentibus naſciturus, circumcidetur, & Sabbatum, ſaltem ad tempus obſeruabit. 910. ab illis, (non in individuo, ſed in ſpecie) recipietur, qui Chriſto prædicanti fidem habere detrectarunt. 911. naſciturus fortè ex Diabolo & muliere eo modo quo dicuntur quidam nati ex incubis Dæmonibus. 912. naſciturus, vt eſt probabile, ex tribu Dan. ibid.
Antichriſtus non in Eccleſia Romæ, ſed in templo Salomonis Hieroſolymis ſeſſurus. 919. templum Salomonis reædificabit. ibid. Chriſti Antagoniſta, & iuratus hoſtis. 920. regnaturus quoque in cordibus fidelium, hoc eſt, quorundam qui antea fuerunt fideles. 922. per ſuos ſatellites, Chriſtianorum itidem Eccleſias occupabit. ibid. etiam in Eccleſiis Chriſtianorum certo quodam ſenſu ſeſſurus. 923. 924. nemini ſubiicietur, ſed omnes ſibi ſubiiciet ac ſubiugabit. 926. odio habebit Romam & cum ea pugnabit, eamque deſolabit & incendet, ſcilicet per decem ſuos reges. 931. 932. negabit Chriſtum, ſe verum Chriſtum eſſe aſſeret, affirmabit ſe Deum eſſe, & pro vero Deo coli volet, ſe ſolum Deum eſſe dicet. 946. potentia & proſpero rerum ſucceſſu elatus, nullius faciem tanquam potentioris reformidabit. ibid. non erit in Eccleſia ſicut membrum Eccleſiæ, ſed extra, & Eccleſiam crudeliſſimè perſequetur, non occultè ſed apertè, vi & multitudine ſectatorum munitus. 947. ſe Meſſiam & Saluatorem mundi veniſſe, vaniſſimè iactabit. ibid. potiſſimum Iudæos in fraudem inducet, qui ad eum ſturnatim aduolabunt. ibid. compellet populos vt iudaizent, & exteriorii legis ritum renouabit, & omnes ceremonias Iudaicas inſtaurabit, vt Euangelium Chriſti ſoluat. 950. diem Dominicum celebrabit in honorem reſurrectionis non Chriſti, ſed ſuæ, non vere ſed ſimulatæ. ibid.
Antichriſtus agno cornuto ſimilis. 951. palam profitebitur ſe eſſe Chriſtum, non eius miniſtrum vel Vicarium. 952. potentiſſima regna & reges ſibi ſubiecturus, totamq; Eccleſiam in latebras abditosq; terræ receſſus compulſurus. 953. tentabit ſe Chriſtum oſtendere, factis nimirum & dictis. ibid. ex Scripturis diſputabit & probare conabitur ſe eſſe Chriſtum. 954. nullum Deum patietur, nec verum nec falſum, nec vllum idola. 956. 957. 958. Magiæ deditiſſimus 960. in arce munitiſſima potiſſimos ſuos theſauros aſſeruaturus & cultum Diabolo adhibiturus. ibid. occultè Diabolum pro Deo ſuo adoraturus 961. muniet arcem Mauzim quæ à fortitudine & robore nomen habet, in qua tanquam inexpugnabili omnem ſpem ſalutis ſuæ reponet. 963. faciet ignem de cœlo deſcendere, & imaginem beſtiæ loqui, & ſe mori ſimulabit & reſurgere. 965. 966. Regem Ægypti, Africæ & Æthiopiæ ſuperabit & interficiet. 968. ex abiectiſſima ſorte ad Regnum & Monarchiam aſcendet. 969. Idumæos & Moabitas & filios Ammon, id eſt, Arabiam relinquet intactam, quia illuc ſancti ad deſerta confugient. ibid. Iudæorum Meſſias futurus. 978. aſſeclas ſuos locupletabit. 980. futurus Idololatra, latè ſumendo hoc nomine,

non ſtrictè 994. colet Dæmonem ſed ſine idolo, non publicè ſed clanculum. ibid.
Antiochia caput orbis vocatur à Chryſoſtomo. 446. inter orientales vrbes amplitudine & magnificentia facile primas tenebat. ibid.
Antiochenum conciliabulum Arianorum ſub Conſtantio Imperatore. 785. 794. 796. Athanaſium damnat. 785. 786. 793
Antiochus Epiphanes, typus Antichriſti. 838. Iouis Olympij ſtatuam in templo Hieroſolymitano erexit. 960. Idumæis, Moabitis, & filiis Ammon à ſe bello ſubactis & oppreſſis ducem præfecit Timotheum. 969. luxurioſiſſimus. 978. affectas ſuos locupletauit. 989
Ἀντιπατρὶς Proprætor. 821
Antitypa ſunt quæ typis ſignificata ſeu repræſentata reſpõdent. 490. interdum ipſi typi ſeu figuræ ibid. relatiuorum inſtar mutuò ſe ponunt & tollunt. 491
Antoninus. 986
Antonius Fuſſalenſis Epiſcopus in Africa. ad ſedem Apoſtolicam appellat. 788. 790. ſuam in ſedem reſtitui cupit inuitis & reluctantibus Fuſſalenſibus. 790
Apiarium ſub oculis domini debet eſſe, teſte Columella. 489
Apinæ tricæ, & ſi quid vilius iſtis. 962
Ἀπὸ cum genitiuo, idem aliquando ſignificat quod ὑπὸ cum accuſatiuo. 301
Apollinariſtæ hæretici Chriſto animam ſeu mentem ademerunt. 275
Apoſtolatus durat inadæquatè in Eccleſia, in ſucceſſore autem Petri multò amplius. 708. tria in ſe continet: immediatum Verbi miniſterium, Eccleſiarum conſtitutionem, & ſummam in Eccleſias poteſtatem. 718. peculiari quadam ratione competit Romano Pontifici. 719
Apoſtoli ſingulis Eccleſijs proprios dederunt Epiſcopos. 443. etiam omes Chriſti. 447. omnes acceperunt claues, ſed non omnes plenitudinem clauium. ibidem. vt omes Chriſti Petro ſubiecti. ibidem. ante Spiritum ſanctum acceptum, clariſſima Chriſti dicta non ſatis perceperunt. 461. 462. lux mundi. 535. pares inter ſe & impares vt membra. 539. à Chriſto immediatè poteſtatem Apoſtolicam, à Petro Epiſcopalem conſecrationem acceperunt. 548. iuriſdictionem in totum terrarum orbem à Chriſto acceperunt, non independenter à Petro, nec cum priuilegio tranſmittendi ad poſteros. 550. in vltima cœna facti ſacerdotes, poſt reſurrectionem etiam Epiſcopi. 561. 562. legati, & quaſi extraordinarij paſtores. 562. acceperunt ſummam poteſtatem ratione vniuerſalitatis & obiecti, non autem reſpectu independentiæ & ſucceſſionis. 575. iuſſi quoq; paſcere oues, ſed ſub Petro, paſtore ſupremo 577. 578. 580. oues Chriſti & Petri. 583. 585. 586. 587. nil fruſtra aut temerè poſt acceptum Spiritum ſanctum fecerunt. 610. propriè ad illos ſpectat plantare fidem. 645. poſt reſurrectionem Domini omnes fuerunt Epiſcopi. 682. 685. ſunt immediatè Verbi miniſtri, ita vt ab ipſo Deo docti ſint, & ſacros libros ſcribere poſſint. 718. Eccleſias conſtituunt, fidemque propagant iis in locis, vbi nunquam fuit, ſummamq; in Eccleſias habent poteſtatem ibid. in die Pentecoſtes tales creati ſunt Doctores, qui in doctrina ſua à vero nunquam deflectere poſſent ob ſingularem Spiritus ſancti aſſiſtentiam. 1035
Apoſtoli, ita exemerunt Chriſtianos à legibus Moſaicis, vt tamen non liberarentur à præſtanda obedientia ſuis Prælatis. 1121
Apparitiones Dei in veteri Teſtamento non perſonales, ſed Angelorum interuentu peractæ. 51
Appellatio eſt cum quis non ſtat iudicio inferioris iudicis, ſed ad ſuperiorem, cauſam denuò diſcuſſurum prouocat, etiamſi hoc fiat ſine ceremonijs literarum quas Apoſtolos nominant, & aurei ad manum eius à quo appellauit deponendi. 776. latè accipitur pro perfugio ad ſuperiorem iudicem, qui acta priora reſcindere & decreta refigere poſſit, ſiue quis ea candidè ſiue dolosè vtatur. 779. inferiorum iudicum iudicia æquè confirmare ac infirmare poteſt. 789
Arabici hæretici aſſerebant animas cum corporibus mori, & ſub finem mundi cum corporibus reſurrecturas. 1102
Arator primatum Petri aſſerit. 639
Arcadius Imperator mortuo iam Chryſoſtomo, ab Innocentio I. excommunicatus, quod eundem Chryſoſtomum non permiſerit in ſedem ſuam reſtitui dum viueret. 763. omnia ſana circa S. Ioannis Chryſoſtomi cauſam conſilia & monita pertinaciter reſpuebat. 764. ab improbis ſeductus. Apoſtolicæ ſedi poteſtatem & iuſſionem in poſtremis duxit. 765. Imperator Orientis. 766. cõſenſit vt S. Ioannes Chryſoſtomus à ſede ſua pelleretur. 766. 767. auctor & architectus omnium contra Chryſoſtomi caput machinationum. 767. multa edidit decreta pro Catholica fide. ibid. in cauſa Chryſoſtomi exerrauit, & gloriam ſuam maculauit, quam tamen ſalutaribus lachrymis eluiſſe videtur. ibid.
Arethas ſcribit Henoch & Heliam reuerſuros, inuariabiliter à tota Eccleſia credi. 878
Aretius Zvinglianus. 67
Argumenta non omnia æquè probabilia. 590. ab auctoritate negatiuè nil concludunt. 742. ex allegorijs non carent ſuo pondere & viribus, quando Scriptura eſt quaſi allegoriarum ſuarum interpres & explanatrix. 859
Ariani Deum Filium & Spiritum ſanctum pro creaturis habuerunt. 91. Chriſtum eſſe creaturam clamitarunt. 160. 172. Verbum Dei ſecundum naturã ſuam diuinam in ſcientia profeciſſe, contendebant. 251. 271. œcumenicas ſynodos deprauarunt, cum in eorum manibus eſſent omnium Eccleſiarum codices. 797. ſe & ſuos pro Eccleſia vera venditabant. 947. ætate D. Hilarij immaniſſimè in orthodoxos debacchabantur. 949. Niceni Concilij hoſtes, eiuſdem Canones & Acta corruperunt. 1059
Ariſtocratia quia olim non bene ſuccedebat, communi orbis terræ conſilio in Monarchiam mutata. 444. eſt plurium regimẽ pari iure & poteſtate præditorum. 455. periculoſa in Eccleſia. 456. 459
Ariſtocratici, ex Caluini gurguſtijs tenebriones, Ariſtocratiã ſimplicẽ ſupra Monarchiã ſimplicẽ extollunt. 411

Ariſtoteles tres ponit bonas reſpublicas ſpecies: Monarchiam, Ariſtocratiam, & Timocratiam: quibus opponit tanquam vitia, Tyrannidem, Oligarchiam, & Democratiam. 408. ex Homeri verſu vnitatem primi Motoris ſeu Dei oſtendit. 413. de Republica præclarè ſcripſit, nunquam tamen eam tractauit. 415. Monarchiam primam & diuiniſſimam appellat. 416

Arnobius Petrum Romæ fuiſſe affirmat. 665

Arſacius throni Conſtantinopolitani inuaſor, ab Innocentio I. Pontifice excommunicatus, iam mortuus. 763. 765

D. Athanaſius cum ait non eſſe tres omnipotentes, &c. accipit vocabulum illud ſubſtantiuè. 122. eius ſymbolum toto orbe celebratum & decantatum. 126. Hominũ ait proprium eſſe ignorare, & maximè ſupernaturalia. 252. multitudinem principum ait eſſe nullitatem principum 414. Petrum ait eſſe fundamentum columnarum Eccleſiæ Epiſcoporum. 532. Romanæ Sedis opem ſæpius contra hoſtes ſuos imploranit, & per appellationem ad ſummum Pontificem aduerſariorum machinationes declinauit. ibid. oſtendit Pontificem Romanum eſſe caput, principem & fundamentum omnium Eccleſiarum. 533. approbationem cum externo honoris inſigni, nempe ſtola, à ſancta Romana Eccleſia accepit. ibid. dicit ſanctum Petrum audita Chriſti de crucifixione ſententia, cum gaudio Romam veniſſe. 623. Sedem Liberij Pontificis Romani vocat Apoſtolicam. 681. S. Petrum Romanis reliquiſſe traditiones affirmat. ibid. à Iulio I. Pontifice Romano defenſus contra Arianos. 731. ab Orientalibus ad Iulium I. Pontificem legitimè appellauit, licet literas quas Apoſtolos nominant, non attulerit, nec ad manum eius à quo appellauit, autem depoſuerit. 776

Athenienſes Democratiam ſibi delegerunt. 417. plurimis ſeditionibus ſub Democratia obnoxij, à quibus per Monarchiam eſſent liberandi. 417. 418

Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Formatas literas dare & accipere conſueuit. 629

Attributa diuinitatis & humanitatis. 132. 232. 235

Aubertus Miræus Canonicus Antuerpienſis. 986. 987

Auctor Labyrinthum Hunnianum deſtruxit. 147. Manio helleborum nigrum, Bauio antimonium propinauit. 148. Lutherum in Actu quodam Doctorali typis excuſo, bene pexuit. 182. hæreticorum calumnias erga S. Patres notauit initio tertiæ & quartæ Apologiæ contra Miſenum Caluiniſtam. 322. Angelos & Animas per eſſentiam in loco eſſe, & conſequenter naturaliter operari & ſe mouere poſſe opinatur. 335. epitomen quandam ſanctimoniæ Caluinianæ concinnauit in Bauio & Manio, item in Panegyrico Miſenico. 428. abſolutè ſentit, Pontificem Romanum vt Pontifex Romanus eſt, etiam vt ſic, ſuccedere Petro in vniuerſali totius Eccleſiæ Epiſcopatu. 715. ſcripſit libros tres conſiderationum ad Theologos Venetos. 808. 809. 810

S. Auguſtinus ſimilitudine à tribus animæ potentijs ducta, S. Trinitatis myſterium illuſtrat. 46. abſtracta pro concreto vſurpat. 73. eius ſcripta in ſexta & ſeptima Synodo approbata. 113. quo tempore vixerit. 116. interdum ponit concretum pro abſtracto. 130. per ſeſſionem ad dextram Patris, intelligit beatitudinem. 170. negat in Chriſto fuiſſe illam ignorantiam quæ in noſtris infantibus apparet. 253. 270. in libris Retractationum multa retractauit, quæ ab omni aliorum cenſura, libera manſiſſent. 270. ſcribit Deum Patrem feciſſe Filium ſcire diem Iudicij, ſecundum naturam humanam. 271. Chriſtum, ait, in monte oliueti, in ſe voluntatem ex hominũ ſuſceptione transformaſſe. 272. ſolutos eſſe dolores inferni dicit, non quibus Chriſtus detentus fuerit, ſed ne teneretur. 298. refellitur in quodam loco à Bellarmino, debita cum modeſtia & reuerentia erga tantum Patrem. 321. 322. cognouit tandem ſinum Abrahæ fuiſſe in inferno, licet aliquando de eo dubitauerit. 327. ait Chriſtum deſcendiſſe etiam ad Gehennam ſecundum ſubſtantiam. 338. totum Chriſtum, id eſt, perſonam Chriſti, dicit fuiſſe in inferno, & vbique. 342. Chriſtum dicit eſſe mediatorem ſecundum id ſolum, quo diſtat à Patre, hoc eſt, ſecundum humanam naturam 356. Verbum dicit carnem ſeu hominem factum, vt inter hominem & Deum mediator exiſteret. 359. 380. Chriſtum dicit ſecundum humanam naturam Sacerdotem & Regem factum. 380

S. Auguſtinus citat verſus S. Ambroſij: Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente culpam diluit. 529. 530. 531. ſucceſſionem Romanorum Pontificum vrget contra Donatiſtas. 539. 540. Petrum dicit à Chriſto fundamentum Eccleſiæ nuncupatum. 539. vim nominis Hebraï Cephæ non ſatis aſſecutus. 544. Eccleſiæ militantis & triumphantis typum in Petro & Ioanne explicat. 564. 565. concedit Petro primatum, & Apoſtolatum principatum. 565. inſtituta Eccleſiæ, quorum origo neſciatur, verè ad Apoſtolicam traditionem vult referri. 627. S. Cyprianum Martyrem ob primatam opinionem de rebaptizatione hæreticorum excuſat. 637. primatum Petri aſſerit. 638. Petrum ait ſediſſe in Cathedra Romanæ Eccleſiæ. 682. doctor vniuerſi orbis. 765. vitio vertit Donatiſtis, quod Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem & collegas eius abſentes damnarint. 781. Epiſcopis Africanis fas eſſe dicit appellare vltra mare. 781. 782. abſolutè loquendo, minimè illicitum eſſe teſtatur, à refractarijs & cedere nolentibus, obſequium etiam in Eccleſiaſticis negotijs vi vel intentata vel illata extorquere. 791. Nicænæ Synodi Canonem de appellatione ad Romanum Pontificem ſe ſeruaturum profitetur. 795. Epiſcopus ordinatus, altero Epiſcopo adhuc viuente, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebat. 798

S. Auguſtinus in Iulianum ſanctis Patribus inſultantem, inuehitur. 826. credit Henoch & Heliam nunc in alia vita viuere, redituros tamen in hanc vitam, & quod tamdiu dilatum eſt, morituros 879. ſenſit annum lunarem plenum & perfectum conſtare ex duodecim æqualibus menſibus, quorum quilibet

triginta dies contineat 890. dicit infantes tempore Antichristi occultè baptizatum iri, quia publicè Christi & Christiani nominis professionem edere per Antichristi tyrannidem minimè licebit. 949. per Gog diabolum intelligit. 971
S. Augustinus Anglorum Apostolus cum sociis à S. Gregorio missus. 506.896
Augustulus Imp. 967
Aurelianense Concilium renouat Canonem Apostolicum de non comedendis idolothytis. 1119

B.

Babylon confusionem, & variarum rerum quasi quoddam chaos significat. 657
Babylon Assyriorum, non tantum caput imperij, sed & idololatriæ magistra, & sæuissima Hebræorum persecutrix & exagitatrix. 657. Dæmonum domicilium & mundi typus. 661. 662
Babylon apud Ægyptios, obscurus planè erat locus, nec ciuitatis nec oppidi dignus nomine. 658. Castellum à Strabone nominatur. ibid.
Baccalaurij Theologiæ, Iuris, & liberalium artium in Anglia. 440
Baculo arundineo non innitendum. 129
Balæus hæreticus. 934
Balsamon schismaticus. 749. Vide etiam V. Theodorus Balsamo. agnoscit ius appellandi ad Romanum Pontificem, concessu & permissu tertij Canonis Sardicensis. 792. Canonem Sardicensem probat, Antiochenum improbat. 793
Bancroffius successor VVitgifti, totius Britanniæ Primas ac Metropolita. 402
Baptismus Christianus antitypon Arcæ Noæ. 490. significatus per Arcam Noë & rubri maris transitum. 604. 711
Baptista Mantuanus, poëta. 985
Barnabas Pauli comes & socius in Euangelio prædicando. 663. 664
Baronius Cardinalis. 117. 123. 124. 622. 623. 629. 630. 658. 667. 671. 672. 689. 690. 692. 693. 694. 695. 698. 700. 704. 747. 748. 649. 750. 764. 774. 781. 782. 783. 786. 788. 789. 796. 797. 800. 802. 803. 810. 813. 903. 1046. 1047. 1057. 1063. 1086. 1087. 1088. 1069. 1071. 1094. 1093. 1095. 1089. 1090. 1092
Basilea ciuitas Caluiniana. 3. Serueti libri imprimendi typos subministrauit. ibid.
Basilides damnatus in Hispania, appellat Romam ad Stephanum Papam. 778. 779. fraudulenter abrepsit. 778. 780. Stephanum Papam decepit. 780
S. Basilius quo tempore vixerit. 116. de S. Petro loquitur, tanquam fundamento Ecclesiæ. 533. 534. Petrum dicit cæteris discipulis fuisse prælatum. 632. 633
Basilius Episcopus Gortynia in Creta, sextæ Synodo interfuit. 753
Basilius Imperator testatur Episcopos à Laicis non posse iudicari. 806
Bauius Antimonio ab Auctore exceptus. 148
Beati cum Filio Dei in gloria Patris sedent, licet impari gloria. 166. 170. Deum non per habitum fidei, sed per lumen longè excellentius cognoscunt. 253
Beatitudo includit certitudinem salutis nunquam amittendæ 290. summum bonum. 430
Becanus Societatis Iesu. 872 873. 888. vide etiam V. Martinus Becanus.
Beda clarè explicat, quomodo Christus profecerit. 253. 254. Diabolum vocat primum Angelorum. 479. Petri primatum asserit. 639. venerabilis. ibidem. Britannus. ibid. Synodum Trullanam vocat erraticam. 749. 750. 751. Henoch & Heliam reuersuros docet. 878
Bellarminus à Daneo laudatus. 49. 64. 65. edidit Recognitionem suorum operum. 65. totius eruditionis Oceanus. 73. sanctorum Patrum & Doctorum vestigia secutus. 79. nunquam Danæum in scriptis suis nominat. 146. Iudicium olim scripsit de libro Concordiæ, quod etiam Germanicè versum, omnium manibus teritur. 171. asserit Christum anime & corpore passum. 296. refellit expositionem quandam sancti Augustini, debita cum modestia & reuerentia erga tantum Patrem. 321. 322. in recognitione operum suorum mutauit sententiam de descensu Christi ad omnia loca inferni secundum animæ substantiam. 339. Mæuio collatus & ab Auctore laudatus. 379. ad galerum Cardinalitium promotus, imo & ad Archiepiscopatum Capuanum, quo tamen sponte se abdicauit. 399. ipsis etiam hostibus ob eruditionis magnitudinem admirandus. ibidem. ex Aristotele & aliis Philosophis tradit rerum rationes, notiones & definitiones, vt postea ad propositam disputationem accommodentur 407. ab omnibus thrasonismis prorsus abhorret. ibidem. Græcè & Hebraicè peritissimus. 598. Velenum refutat, nunquam tamen antea viso libro Rossensis contra eundem. 687. retractat solutionem quandam argumenti ex Pighio allatam. 809 sequitur eorum sententiam qui docent, Papam hæreticum manifestum per se definere esse Papam, nec ab Ecclesia deponi, sed depositum declarari, iudicari & puniri. 811
Bellarminus Illustrissimus totoq; orbe Christiano celeberrimus Cardinalis. 899. sententiam S. Augustini de Gog & Magog, partim admittit, partim modestè reiicit. 971. Marcellinum Papam idolis sacrificasse, quasi retractat. 1043
Benedictus Pontifex Romanus. 116
Benedictus XIII. Antipapa. 1104
Benno Pseudocardinalis, infestissimus Gregorij VII. hostis & infectator. 742. Anastasium & Liberium Pontifices calumniatur, & Vrbanum, quem Turbanum petulanter vocitat. 1056. mendacissimus. 1095
S. Bernardus dicit Ecclesiam militantem ad exemplum cœlestis ciuitatis Hierusalem institutam & conformatam esse. 477. à Sibrando laudatus. 600. Petri primatum asserit. 639. testatur suo tempore fuisse gentes, quæ Euangelium nondum audiissent, iccirco dicit Eugenij summi Pontificis esse, prædicatores ad eas destinare, vt audita Euangelij prædicatione ad Christum conuertantur. 853
Bernardus Girardus. 985

Bernenſes Gentilem exuſſerunt. 1.2
Beſſarion Cardinalis, contra Græcos ſcripſit. 111
Bethlehem caput orbis à Prudentio vocatur. 446 638
Beza Neſtorium ab inferis revocat. 43. 44. 45. nihil ad Bellarminum. 54. Ieſuitæ Ingolſtadienſis theſes expilavit. 129. negat realem idiomatum communicationem. 131. 133. hæreſiarcha. 241. ait Chriſtum metum gehennæ & æternæ mortis pro nobis ſuſcepiſſe. 301. per inferos ſeu infernum, intelligit ſepulchrum. 306. animas in cœlo nondum plena gloria perfrui ſcribit, ſed eam tantummodo deguſtare. 307. Græcam vocem ἅδης aſſerit ordinariè accipi pro ſepulchro, aliquando tamen apud Poëtas pro loco damnatorum. 308. cum Caluino ſuo ſentit, Chriſtum pœnas damnatorum ſuſtinuiſſe. ibid. ſeipſum & Caluinum ſuum refutat. ibidem. inferos per ſepulchrum, & corpus per animam intelligit. 318. paratam oſtendit viam eludendi loca Scripturæ de animæ immortalitate. 319. ſymbolum Apoſtolicum Battologiſmi arguit, & telum quod inde Caluinus promit, imbelle reddit. ibid. auxit, minuit, fluxit & refinxit ſuas annotationes in novum Teſtamentum. 321. deſcenſum Chriſti ad inferiores partes detorquet ad vterum Virginis. ibidem. plus tribuendum cenſet Patribus quàm Brentio. ibid. Caluino non vir bonus. 329. textum Scripturæ tranſuertit & peruertit. 384. ſcurra. 397. Caluiniſtarum anteſignanus. 399. Sutlinium petulantem calumniatorem appellat. 399. 401. contra Sarauiam ſcribit. 401. Academias putat poſſe dare teſtimonium pietatis & eruditionis, non autem ius & auctoritatem docendi. 436. æqualitatem inter Eccleſiæ paſtores aſſerit, & eminentiam auctoritatis Epiſcoporum damnat tyrannidis. ibid. collegis ſuis longè ſuperior. 436. 437. Diaconos & Presbyteros ſeu ſeniores annuos Genevenſes propugnat. 439
Beza ſuis collegis præſidet. 441. ſecundus à Caluino Geneuenſem regit Eccleſiam cum collegis ad ſummum octodecim. 458. Ariſtocratiam opinatur eſſe divinam gubernationis Eccleſiæ formam. ibid. Caluiniſtarum Patriarcha. 502. ait Petrum & petram non re, ſed terminatione tantum differre. 525. 527. omnium Caluiniſtarum poſt Caluinum Anteſignanus. 612. Antichriſtum dicit veniſſe tempore Apoſtolorum. 847. Sutlinium petulantem calumniatorem ex tripode Genevenſi pronunciat. 850. pro ſe & ſuis in fide diſſentientibus Apologiam inſtituit. 1172
Biblia iuſſu Clementis VIII. recognita & edita. 869
Bibliander prophetiam Malachiæ de Helia ad Lutherum & Zuuinglium transfert. 870. à Bellarmino confutatus. 971. cum Notationibus Iunianis & Tremelianis & cum commentariis Oecolampadij in Ezechielem parum conſentit. 971
Blandrata Trinitarius, ex Lutheri & Caluini ſchola. 3. 4
Boanerges tantum fuit cognomentum, non proprium nomen Iacobi & Ioannis. 593
Bocatius. 986
S. Bonauentura Pſalterium Marianum compoſuit. 166. beatam Virginem vocat Dominam omnipotentem in ſuo ſcilicet genere. ibid. Manio Maleuentura. 169
Bonifacius Papa. 791
Bonifacius II. Papa, in Baſilica Iulij ordinatus, cum Dioſcoro, ſub contentione. 812. coacta ſynodo Dioſcorum mortuum anathematizauit chirographo, quem in archivo Eccleſiæ recluſit. ibid.
S. Bonifacius à Gregorio II. Pontifice Romano in Germaniam Euangelij docendi cauſſa miſſus. 506. ſanctiſſimus Martyr & Germaniæ Apoſtolus. 807. 976
Bouinatores & bouinari, priſcè. 708. 715
Brentius Monothelita & Monophyſita Eutychianus. 131. Vbiquitatis architectus. 147. 157. Neſtorianus. 158. 159. cum Neſtorio & Eutyche, quamuis aduerſa fronte inuicem pugnantibus, ſocietatem iniit. 160. 161. deſcenſum ad inferos nihil aliud eſſe putat, quàm omnimodam interitionem & extinctionem. 276. 278. malè concordat cum ſymbolo & articulis fidei. 277. docuit, infernum non eſſe determinatum locum, ſed vbique eſſe inferos vbi ſunt impij. 281. ſi quæ bene ſcripſit, per Vbiquiſticum ſuum Teſtamentum diſpunxit. ibid. inferos cum cœlo, & hoc cum inferis confundit. 311. 312. 313
Brutus turbulentus populariis regiminis præco. 410. 428
Buccananus Monarchomaſtix. 410. 428
Bucerus per inferos ſeu infernum, intelligit ſepulchrum. 306. Exmonachus. 762
Bullingerus Arianizat. 40. Tertulliani verba corrumpit. 40. 41. Vide etiam V. Henricus Bullingerus.
Burdo Euſebium truncat, & quod in eo vel Petri primatum, vel priſca Eccleſiæ inſtituta ſtabilit, expungit. 632. 680. Chronici Euſebiani commentator. 680. Pſeudoſcaliger. 993

C.

Cadalous Parmenſis Epiſcopus, Antipapa. 1094. Honorius à ſchiſmaticis appellatus. 1095
Cadaver corpus mortuum & vita caſſum. 344. non eſt homo. 345. filio Dei in ſepulchro hypoſtaticè vnitum. ibid.
Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis à Donatiſtis abſens damnatus. 781
Cæleſtinus hæreticus Pelagianus. 1053
Cæleſtinus Papa Romanus mandat Neſtorium à Conſtantinopolitano Epiſcopatu per Epheſinam Synodum deponi. 433. 727. ordinarius Succeſſor & Vicarius B. Petri Apoſtolorum Principis appellatus in Concilio Epheſino 685. cauſam Ioannis Patriarchæ Alexandrini à Concilio Epheſino ſibi delatam diiudicat. 727. poteſtate ac imperio primus inter Patriarchas. 728. Cyrillo vices ſuas committit. 771
Cæleſtinus III. defenditur à calumnijs hæreticorum. 1098. 1099
Cæleſtinus Pelagij diſcipulus & acerrimus propugnator. 1053

Celibatus Eccleſiaſticorum & Religioſorum, ex traditione Apoſtolica. 1052.1053
Celum extimum ſiue ſupremum non eſt in loco circumſcriptè, nec tamen vbique. 230
Caietanus à Caluiniano Druſio citatus contra Iunium. 67. arbitratur Papam manifeſtum hæreticum non ipſo facto, ſed per Eccleſiæ ſententiam & iudicium deponi. 811
Caius apud Euſebium ait Romæ extare trophæa Martyrij Apoſtolorum Petri & Pauli. 672
Calor ignis in ferro producitur & ineſt phyſicè. 199.200.201
Caluiniſtæ Seruetum ac Gentilem exuſſerunt. 2. Trinitatis & perſonæ nomina in diuinis ſimpliciter repudiant. 14. Arianizant. 39. Litanias omnes exterminarunt. 62. Symbolum Nicænum canunt. 78. corpus & ſanguinem Chriſti in cœna ſua promittunt, ſed reipſa non exhibent. 137. vi Sacramenti nihil nobis exhiberi tradunt, niſi fructum & effectum gratiæ. 184. 188. teſtimonia Patrum à Concordiſtis proſe allata refellunt. 206. Vbiquitatem cum Catholicis perſequuntur. 222. horreſcunt nomen Agnoëtarum, rem amplectuntur. 258. etiam priuatiuam ignorantiam in Chriſto ſtatuunt, eumque more vulgari & protrito profeciſſe, & quæ prius ignorabat didiciſſe tradunt. 259. impij. ibid. cum ignorantia etiam morbos Chriſtum aſſumpſiſſe cõcedunt. 262. articulum Symboli: Deſcendit ad inferos, explicant de morte animæ Chriſti, & inferni cruciatuum perpeſſione. 286.290. vix credunt nos à Chriſto redemptos, licet nos ab illo per ipſa gehennæ tormenta liberatos eſſe contendant. 297. inferos pro ſubuentaneis, hoc eſt, commentitijs habent. 311. in Stancarum inſurgunt acerbiſſimis ſcriptis. 351. nullam vnquam Synodum generalem celebrare potuerunt. 400. non recipiunt Conciliabulum Londinenſe. 401. egregij ſycophantæ. 406. in Batauia Ariſtocraticam vel Democraticam vitam viuunt, in Anglia ſub Rege & in Regno degunt. 427
Caluiniſtæ docent iudicium de religione & interpretationem legum diuinarum pertinere ad Reges & Principes. 434. omnes extra Angliam Puritani. 436. non conſentiunt inter ſe de Diaconis & ſenioribus. 438. negant verum Eccleſiæ Dei regimen à Caluino reſtitutum. 452. 543. in Anglia habent duos primatus & duos Primates, omniumq; Primatum Primatem Regem conſtituunt. 462. volunt videri ſanctos Patres defendere. 560. ex metaphora clauium quam Scriptura vſurpat, ſuæ Synagogæ miniſtris poteſtatem aſſerunt. 567. priſcis fidem abrogant, vt ſibi arrogent, & ſe ſupra illos efferant. 630. eodem modo argumentantur quo olim ſchiſmatici. 767. Antichriſtum tempore Apoſtolorum extitiſſe, & multas annorum centurias in Eccleſia palam tyrannidem ſuam exercuiſſe tradunt. 854. quicquid noſtra ætate contra rebelles & ſeditioſos actum eſt, id totum perſecutioni Antichriſti adſcribunt. 880. Lutheranos damnant & contumelijs proſcindunt. 881. quædam cum Lutheranis cõmunia habent, non tamen propterea Lutherani audire volunt. 882. raptores bonorum Eccleſiaſticorum, & cognati Antichriſti 915. impatientes omnis veneration is quæ ſanctiſſimo nomini IESV defertur. 938. 939. impietate & malitia etiam Diabolos ſuperare contendunt. 939. Chriſtomaſtiges. ibid.
Caluiniſta à Lutherano VVolfio graphicè deſcribuntur. 939. putant Chriſtum vſq; in hodiernum diem in ſepulchro manſurum fuiſſe, niſi lapis amotus fuiſſet, vel reſurgenti ſponte ceſſiſſet. 940. Eccleſiam ſolummodò conſtare ex electis ſomniant. 941. multi extincto naturæ lumine Atheiſmo euadunt. 957. ad duplex peccatum damnantur, vbi alij non niſi ad ſimplex. 1110
Caluinopapiſtæ Angli cum Puritanis perpetuò cõtendunt. 401. Epiſcopos iure diuino ſupra Presbyteros collocant. 439. etiam Archiepiſcopos, Primates & Patriarchas agnoſcunt & aduerſus Bezam tuentur. 440. rident Geneuenſes Paſtores, Diaconos & Seniores. ibid. plurima feſta celebrant, rarò ieiunant. 1134. cenſent Principes Eccleſiaſticos poſſe ſimul eſſe politicos. 1165
Caluinus diſcipulos à ſe formatos, poſtea oppreſſit. 3. vel Arianus, vel Arianorum patronus. 4. Trinitatis inuocationem in litaniis improbat. 13. inſidiosè de myſterijs Chriſtianæ religionis loquitur. 36. Gentilem non accuratè confutauit. 37. impius & blaſphemus. ibid. ad eius tribunal Ariani & Samoſateniani appellarunt. 40. Arianis & Neſtorianis addictus. 60. de voce Elohim cum Bellarmino ſentit. 67. verba illa Symboli Nicæni, Deum de Deo, lumen de lumine, dicit eſſe dura & impropria, & barbara. 71. 72. Filium Dei dixit eſſe à ſeipſo, & autotheon. ibid. Chriſtum naturæ à Patre diuerſæ prædicauit. 74. in quodam conciliabulo Lauſanenſi non vult dicere Deum de Deo ibid. hæreſiarcha. 241. Chriſti orationem ait fuiſſe inconſideratam, & ex obliuione celeſtis decreti prodiiſſe. 241. 242. 272. Chriſto peccatum tribuit. 242. Agnoëta. 258. deſcenſum ad inferos nihil aliud eſſe putat quam omnimodam interitionem & extinctionem. 276. 277. malè concordat cum Symbolo & articulis fidei. 277. animæ immortalitatem aſſerit contra Anabaptiſtas. ibid. Chriſtum dicit paſſum dolores ſeu pœnas animarum damnatarum. 278. nullum locum ſubterraneũ pro impijs admittit, nec purgatorium, nec limbum Patrum. ibid. ſcribit Chriſtum apprehendiſſe Deum ſibi iratum, & ex metu ſalutis propriæ amittendæ anxietatem damnatorum paſſum. 279. Chriſtum verba deſperationis in cruce protuliſſe ſcripſit. ibid. ait Chriſtum in monte Oliueti fuiſſe in inferno, ſemperq; profundius deſcendiſſe. 280. 281. quo tempore & anno ſcripſerit Inſtitutionem ſuam. 281. totam ferè redemptionem noſtram tribuit pœnæ infernali à Chriſto tolerato. 286. 287. ſcripſit Chriſtum non fuiſſe ſecurum de ſua ſalute. 287. infernum ſuſtulit, vel ſaltem ſuffodere tentauit. 289. dixit Chriſtum fuiſſe apud inferos ante, non poſt mortem ſuam. ibid. tormenta inferorum reuocat ad tormenta & cruciatus animæ. ibid. ait Chriſtum timuiſſe & horruiſſe ſempiternum exitium, & pœnas gehennæ ſibi ſubeundas. 289. 292. 299. 300. 301

Caluinus blaſphemus. 290. ait Chriſtum in cruce coactum fuiſſe exclamare. 291. correctionem præponit errori. ibid. aſſerit Chriſtum omnia irati & punientis Dei ſigna expertum. 292. ipſa etiam ſcelera ad Deum vt auctorem reducit. 293. fingit, omnes qui percutiuntur à Deo irato pati pœnas infernales. 295. docet Chriſtum pœnas infernales ſuſtinuiſſe, & conſequenter damnatum eſſe. 296. docet, parum fuiſſe futurum, ſi Chriſtus ſecurus de ſua ſalute ad Crucẽ & mortem acceſſiſſet. 297. in verſione pſalmorum mutat infernum in ſepulchrum 307 pacem animarum ait in cœlũ eſſe imperfectam. ibid. palã monet, quid reprobis in altera vita accidat, non magnæ curæ nobis eſſe debere. 311. ventrem ceti lonæ, vult eſſe figuram mortis quæ Chriſtum triduo tenuit. 317. per infernum, ſepulchrum, per animã, corpus intelligit. 319. ſperabat omnes bonos delirium ſuum approbaturos. 329. poſteris annis vberiore luce ex Orco illuſtratus. ibid. articulum Symboli: Deſcendit ad inferos, à literali & germano ſenſu ad tropicum & phantaſticum detorſit. 331. pro fabula habuit nõ modò limbum & purgatorium, ſed & ipſam gehennam 336. negat animas iuſtorum cœleſti gloria iam frui. 336. 337. negat impiorum animas à corpore abiunctas gehennæ ſupplicia iam tolerare. 337

Caluinus videt has expoſitiones: Vnus Deus, id eſt Trinitas. Creditis in Deum, id eſt Trinitatem. 358 contendit Chriſtum etiam ante Incarnationem fuiſſe mediatorem. 360. à Stancaro Arianiſmi, Eutychianiſmi & Apollinariſmi poſtulatur. 366. Chriſtum etiam ante lapſum Adæ, aſſeruit fuiſſe mediatorem hominum & Angelorum. 371. negat Chriſtum ſecundum naturam humanam aliquid ſibi meruiſſe. 389. ſcurra. 397. omnium regendi formarum Monarchiam vult eſſe deterrimam. 407

Caluinus inſanus hæreſiarcha. 407 iudicio ſuo vſus. ibid. Ariſtocratiam Monarchiæ anteponit. 431. errorem quendam ſuum agnouit & emendauit. ibid. ob ſententiæ mutationem meritò culpatur. ibid. ſibi contradicit. vel quod dicit non intelligit. 431. Vide etiam V. Ioannes Caluinus. ſummam poteſtatem in cœtu ſeu Concilio Presbyterorum collocat. 451. 452. 453. nouam formam reipublicæ Genenenſi Synagogæ præſcripſit. 458. Patrum auctoritatem contra Gentilem tuetur. 480. 630. putauit Chriſtum non ſoli Petro dixiſſe: Paſce oues meas. 576. 577. in S. Leonem debacchatur. 627. propter veterum conſenſionem pugnare non vult Petrum fuiſſe Romæ. 676. docet cum Patribus, Antiochum Epiphanem fuiſſe typum Antichriſti. 838. duobus vel tribus annis latius doctrinam ſuam diffudit in Anglia, quàm S. Auguſtinus à B. Gregorio eò miſſus. triplo vel quadruplo pluribus annis. 896. impietati ſuæ veri Chriſti nomen prætendit. 947. 958. notoriè mentitur. 975. animarum immortalitatem negauit. 1103. mendax. 1102. Genevenſis Apoſtolus ibid. Eraſmum ſecutus. ibid. concedit Eccleſiam ſeu Eccleſiaſticum magiſtratum poſſe ferre leges. 1124

Canones iubent bis in ſingulos annos prouinciales Synodos congregari. 762

Canones Apoſtolorum. 1119

Canon, lex ſynodalis. 797. 798. 800

Canus abſolutè ſentit Pontificem Romanum quatenus eſt Pontifex Romanus, etiam vt ſic, ſuccedere Petro in vniuerſali totius Eccleſiæ Epiſcopatu. 715. cenſet Põtificem vt priuatam perſonam poſſe eſſe hæreticum. 1030. errat. 1069

Capharnaum ciuitas Chriſti dicta, in qua & Petrus domum habuit. 603

Carolus Magnus Imperator. 729. 730. à Papa Romano Imperator creatus. 856

Carolus Calus Imp. 1092

Carolus V. Imp. potiſſimam vitæ partem extra Hiſpaniam conſumpſit. 700

Carthaginenſe Concilium I. illis qui vel quæ caſtitatem profitentur, ne cum extraneis & nullo cognationis vinculo ſibi colligatis in eadem domo degant, præcipit. 979

Carthaginenſe Concilium II. celibatum Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ſtatuit. 979. nomine tantummodò ſecundum, vetera vltimum. ibid.

Carthaginenſe Concilium III. confirmat canonem Nicæni Concilij de ſacrificijs poſt prandium inhibendis. 798. 799. de filijs ſeu filiabus clericorum ante cleri catum ſuſceptis canonem edidit. 979

Carthaginenſe Concilium particulare. 785. coërcet ambitionem eorum qui in Africa primas ſedes tenebant. ibid. ſextum. 786 787. non prohibet appellationes ad Romanam ſedem. 788. Cæleſtinum Papam rogat, ne improba refugia temerariarum & indebitarum appellationum admittat. 788 790. Primatibus Africanis interdicit, ne ſummi Pontifices vel ſummi Sacerdotes appellentur. 815. 816

Caſparus Franckus de inuocatione Sanctorum ex D. Hieronymo. 167

Caſtalion Nouator maximus, præſertim in tranſlatione Bibliorum. 897

Catechiſtæ in Anglia bis mille, ſeptingenti quadraginta ſex. 440

Cathedra Petri & Moſis. 626

Cathedra S. Petri feſtum duplex, alterum Romæ, alterum Antiochiæ erectæ. 628

Cathedra Petri Romæ tantum & Antiochiæ dicitur. 679.

Cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. 389

Cauſa prior effectu, ſaltem natura 210. vt eſt prior effectu, ſine eo conſtare poteſt, non autem, vt ſunt relatiua. 210. 211

Centuriatores affirmant Chriſtum rexiſſe Eccleſiam Monarchicè 501. 502. Petri lapſum ſupra verum exaggerant. 650. quindecim peccata S. Petro obiiciunt, quorũ tredecim Primatũ Eccleſiaſticum anteceſſerunt. 652. negant Childericũ Francorũ regẽ à Zacharia Pontifice iuſtè fuiſſe depoſitum. 741. Vide V. Magdeburgenſes. aſſerunt Canonẽ à Nicæna Synodo conditũ fuiſſe de vxoribus presbyterorum ordini permittendis 800. Antichriſtũ propriè dictũ dicunt eſſe integrũ regnum. 823. fabulã de Ioanne Papa fœmina pro vera tradunt. 984. Martino Papæ hoc crimini dant, quod dixit: Legẽ nihil magis à nobis requirere, quàm quod poſſimus præſtare. 1080

Ceremoniæ quædam indifferentes pro natura locorum & hominũ mutari possunt. 467. quædam vniuersales, vt obseruare diem Dominicum, festa Apostolorum, Quadragesimam, abstinentiã à carnibus feria sexta & Sabbato, &c. omnibus conuenire possunt. ibid.

Chalcedonense Concilium S. Petrum nominat petram & crepidinem Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum. 528. sub Leone Pontifice. ibid. Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum pronunciat. 529. 817. Petrum per Leonem locutum esse acclamauit. 686. Leonem vniuersalem Ecclesiæ Papam vocat. 719. 728. Maximum Episcopum Antiochenũ recepit, à S. Leone Pontifice Romano confirmatum. 720. 721. admittit Canonem Concilij Nicæni de primatu Romanæ Ecclesiæ. 723. 724. residentibus omnibus ante altaria cancellos Sanctæ martyris Euphemiæ, Paschasino & Lucentio Episcopis, Vicarijs Sedis Apostolicæ. 738. eius sessioni decimæ quintæ in qua conditus est pseudocanon de primatu Sedis Constantinopolitanæ, noluerunt interesse Legati Sedis Apostolicæ. 739. Dioscorum Alexandrinum iussu & interuentu sedis Apostolicæ damnauit. 745. 746. ab Eutychianis oppugnatum. 751. ab hæreticis deprauatum, & ex Romanis codicibus restitutum. 797. Dioscorum Alexandrinum detestatur, quod S. Leonem Romanum Pontificem ausus sit excommunicare. 804. nomine Papæ absolutè prolato, intelligit Romanum Pontificem. 812. 813. Romanum Pontificem pro capite agnouit. 816. 817

Chamierus Caluinista mendax calumniator. 603. 606. 629. 1048

Chamierus dicit esse verisimile, Christum resurgentem primò apparuisse Petro ex viris. 607. Bedam putat esse recentiorem, quam vt fidem mereatur. 628. Optatũ Mileuitanum reiicit. 629. quod vellet factum, somniat esse factum. 677. Bellarmino syllogismum ineptum effingit. 706. Honorium pro Agathone substituit. 1066

Character Antichristi vnus, non plures. 907. in manu dextera aut fronte ferri & omnibus ostendi poterit. 908. execratio & abolitio signi Crucis. 909

Charitas neq; sensibile signum est, neq; cum vllo sensibili signo necessariò coniuncta. 78. 79

Childericus Francorum rex per Zachariam Pontificem depositus, Gallicani regni proceribus id efflagitantibus. 741. 1160. aliàs Hildricus. 1181. vltimus Merouingorum imperauit. ibid. in monasterium missus. ibid.

Chiliasta siue Millenarij. 921. 922. regnum Chiliasticum mille annorum fabulabantur, & auratã atq; gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium seruitutem, &c. 921. 922. 931

Christianus quiuis modestè & humiliter de se sentire debet. 470

Christianus Massam. 985

Christiani non debent tolerare regem infidelem aut hæreticum, si conetur pertrahere subditos ad suam hæresin vel infidelitatem. 1156

Christophorus Papa quo tempore sederit. 125. non fauit Græcis schismaticis. ibid. Benedicto IV. successit. ibid.

Christus etiam in statu gloriæ Deo Patri subiectus. 55. Pontifex noster secundum naturam humanam, non diuinam. 58. Mediator secundum naturam humanã. ibid. & 61. non est dicendus Deus à seipso, vel autotheus. 72. Dei sapientia. 87. veritas 111. supra supremum cælum commorans, pedibus tangit conuexum summi cæli. 135. habet sub pedibus summum cælum pro maxima parte. 136. 137. à momento suæ incarnationis sedet ad dextram Dei. 138. minor Angelis quoad humanam naturam. ibid. creatura, tum ab Arianis, tum à Patribus quibusdam dictus. 160. præscit futura, & tacitas cogitationes per scientiam beatificam & infusam. 162. potest, si velit, pluribus locis se præsentem sistere, etiam extra Eucharistiam. 168. subsistit in diuini Verbi hypostasi. ibid. iudex viuorum & mortuorum, Rex & Dominus vniuersorum. ibid. Patri obediuit secundum humanam naturam tantum. 172. 174. verè passus, sed secundum humanam naturam tantum. 176. 177. sæpe ex terrenis rebus, vtpote notioribus, cælestia explanare & illustrare consuetus. 182. corpus habuit naturalibus proprietatibus præditum, & loco circumscriptum. 189. maior & melior Angelis. 190. filius Dei naturalis, etiam secundum humanam naturam. ibid. caput, rex, princeps & iudex Angelorum, etiam qua homo. ibid. hominum atq; Angelorum rex in æternum manebit. 191. omnibus creaturis vti potest arbitratu suo, prout ad finem iudicij, regis, & summi sacerdotij expedire arbitrabitur. 192. à primo suæ ortu plenus gratiæ & veritatis, & scientiæ beatificæ ac infusæ. ibid. vnctus spiritu sapientiæ & scientiæ. 194. etiam secundum humanam naturam iudex, vinificator & Saluator est, sed per potestatem creatam, naturæ humanæ in ipsa vnione hypostatica communicatam. 196. etiam secundum naturam humanam remisit peccata, per potestatem creatam. diuina inferiorem. 203. in cruce mortuus, desiit esse homo. 226. etiam vt homo, omnia quæ in suo regno geruntur, nouit, & absens etiam, secundum naturam humanam, hostes Ecclesiæ satis superq; compescere valet. 227

Christus nihil secundum humanitatem, multò minus secundum diuinitatem ignorauit. 241. per beatam & infusam scientiam omnia theoretice & quidem perfectissimè nouerat, quæcunq; postea per scientiam acquisitam & experimentalem cognouit. 242. 243. anno ætatis trigesimo baptizatus à Ioanne in Iordane. 244. vnctus à Deo statim à primo momento conceptionis suæ. ibid. nihil ab initio ignorauit, quod postea didicerit. ibid. profecit sapientia & scientia, quoad declarationẽ, & manifestationem, & quoad scientiam acquisitam & experimentalem. 246

Doctor & rector gentium natus, imò & conceptus. 247

ex vtero, hoc eſt, a primo Incarnationis momento, a Deo deſtinatus & vocatus ad prædicationis munus. ibid. ſemper magis atque magis per diuina opera declarabat & manifeſtabat internam ſuam vnctionem. 248. ſucceſſu temporis nihil didicit, quod antea theoreticè ignorauerit. 249. in vtero matris vir perfectus, perfecta videlicet rerū cognitione inſtructus. 250. 251. ſcientia experimentali ab inſtanti Incarnationis caruit, nec tamen ignorantia in eo locum vllum habuit. 253. repleri debuit in Incarnatione omnibus donis, quorum humana Chriſti natura capax erat. 256. ab initio, & primo vnionis momento fuit filius Dei naturalis. ibid. omniſcius, creata omniſcientia. ibid. in ipſa incarnatione factus caput hominum & Angelorum. 257. aſſumpſit naturam noſtram ſubiectam iis defectibus, qui ad finem Incarnationis & ad redemptionem generis humani neceſſarij erant. ibid. rex & caput, Saluator & redemptor omnium hominum. ibid. paſſioni & morti, non autē ignorantiæ obnoxius. ibid.

Chriſtus aſſumpſit naturam integram, cum omnibus quæ ad eius perfectionem pertinent. 253. perfectus Deus, perfectus homo. ibid. aſſumpſit omnes naturales & indetractabiles affectiones. ibid. vt homo, non omnia cognouit quæ Deus cognoſcit. 259. tentatus per omnia quæ ad Redemptionis opus vel neceſſaria vel vtilia erant. 260. decebat vt ſpecioſus eſſet præ filiis hominum. 263. plenus ſapientia etiam effectiuè. 264. nihil noui ſpeculatiuè per ſcientiam acquiſitam & experimentalem didicit. 265. profecit in ſcientia experimentali ſenſitiua practica. ibid. profecit ſapientia, opinione hominum. 267. profecit gratia, apud Deum & homines, in externis ſignis beneuolentiæ 267 268. neſciuit diem Iudicij ad diſcendū aliis. 269 270. noſſe debuit diē Iudicij. 270. reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, ratione fidei, applicationis, & exempli. 282. factus prō nobis maledictum. 283. omnes eius actiones & perpeſſiones infiniti fuere valoris, ob dignitatem perſonæ. 283. 284. 295. ſalutaris noſtra & pacifica hoſtia. 287. deſcendens ad inferos pingi ſolet habitu triumphatoris. 288. dicitur à Deo percuſſus, quod Pater permiſerit eum occidi pro nobis. 292. ſuſtinuit pœnas nobis debitas in genere, non in ſpecie. 294. 195. 304. 305. ſtatuet beatos ad dextram, damnatos ad ſiniſtram. 313. in carcere inferni Sanctis Patribus prædicauit. 326. 327. 329 mors mortis. 327. inter mortuos & damnatos liber. 339. deſcendit ad inferos non vt reus ſed vt rex, non vt damnatus, ſed vt dominus. 341. ſecundum ſolam animam ad infernum deſcendit. ſecundum ſolam carnem de ſepulchro ſurrexit, ſecundum vtrumq; ad cælos aſcendit. 342. eiuſdem rationis & compoſitionis phyſicæ & eſſentialis naturā humanam habuit quā reliqui mortales. 343. mediator ſubſtantialis, aliquo modo. 350

Chriſtus mediator vel iudicando, vel referendo pacta, vel orando, vel ſoluendo. 349. per humanam naturam tanquam per inſtrumentū exercuit opera & actiones mediatoris. 349. 352. ſecundum humanas tantummodo actiones mediator fuit, quæ diuinæ ſuæ perſonæ ratione ſuppoſiti. 353. arbiter & internuncius, ſecundum naturam humanam. 354. propriè fuit & eſt Rex, Redemptor & Saluator ſecundum humanam naturam. 355. ſola humana natura inferior Patre, nobis propinquior. 356. inter Trinitatem & peccatores homines, mediator homo non iniquus, ſed tamen infirmus. 359. ante Incarnationem non fuit mediator, niſi reſpectu & deſtinatione ad eam. ibid. vt homo eſt, mediator eſt, ad ſeipſum, vt Deus eſt. 360. Theanthropus. 370. etiam qua homo, res diuinas formaliter vt cauſa meritoria nobis obtinuit. 371. etiam qua homo, inſtrumentaliter diuina chariſmata formaliter qua talia ſunt, nobis impertit. ibid. mediator fuit ſecundum & per humanam naturam tantum, tanquam per principium immediatum, quo operationes mediatoriæ ſunt elicitæ & effectæ. 373. 374. etiam reſpectu perſonæ ſuæ mediatorem agere debuit, quia & ipſe fuit pars offenſa ab homine. 375. non poteſt eſſe Pontifex ſecundum naturam diuinam 379. vnica guttula ſui ſanguinis potuiſſet nos redimere, propter dignitatem perſonæ. 382. reſtituit nobis amiſſam iuſtitiam meritoriè, quatenus homo. ibid.

Chriſtus meruit ſibi gloriā & honorem, humilitate, obedientia, & paſſione ſua. 384 385 386. 387. omnia debuit habere optimo modo. 388. ea, quibus adhuc carebat, mereri potuit, tametſi debita ſibi ex vnione hypoſtatica. ibid. in hac vita fuit comprehenſor, non tamen perfectus quo ad omnia accidentalia & acceſſoria. 389. meruit ſibi gloriam corporis, tametſi quid conſequens eſſet ex gloria animæ. ibid. proſe meruiſſe dicitur, non autem paſſim eſſe 390 ſine paſſione & morte per alios actus mereri ſibi gloriam corporis & nominis exaltationem potuiſſet. 390. 391. non meruit vt eſſet caput Angelorum, & ſummo Dei imperio potiretur, potuiſſet tamen mereri vt eſſet iudex mundi. 391

Chriſtus Eccleſiam Monarchicè regi voluit. 407. diſertè oſtendit vnum ex Apoſtolis primum & maiorem conſtitutum iri, cui etiam præcepta dedit. 461. princeps paſtorum abſolutus, perpetuus, primarius & inuiſibilis. 463. caput Eccleſiæ abſolutè & inuiſibile, & per excellentiam. 463. 466. eſt Epiſcopus Eccleſiæ etiam cuiuſuis particularis. 469. Monarcha Eccleſiæ inuiſibilis & æternus. 475. regni cælorum naturam variis ſimilitudinibus & parabolis declarat. 476. caput Angelorum ſupremum, quā Deus & homo. 484. vocatur Leo metaphoricè. 497. ipſemet Eccleſiam in terris viſibiliter degens, Monarchicè rexit. 499. Dominus Synagogæ, qua homo, non tamen ſacerdos nec ſummus Pontifex Synagogæ, quia non Aaronicus. 502. ædificauit Eccleſiam ſuam ſuper ſeipſum, & ſuper Petrum. 519. nominatur lux vera, & Apoſtolos appellauit lucem mundi. 520. Syriacè locutus. 520. 522 524. 525. primarium Eccleſiæ fundamentum. 541. 542. tributum proſe & Petro ſolui voluit de facto tantum, non de iure. 603. ſuis manibus ſolum Petrum baptizauit, ex diſcipulis, & B. Virginem. 616. 617 ſupremum totius Eccleſiæ caput. 625

Christus nõ fuit vllius particularis, sed totius Ecclesiæ Episcopus, cui nemo succedit, quia semper vivit. 640. 641. Petro apparens dixit se Romam venire iterum crucifigi. 674. à rebus metaphoricis & parabolicis argumenta texuit, quin & integras conciones instituit. 710. manet sacerdos in æternum, & perpetuum habet sacerdotium. 711. auctor primatus Romani Pontificis. 736. Pilato subiectus de facto, non de iure. 808. etiam secundum naturam humanam, omnibus hominibus maior & superior fuit, quippe naturalis filius Dei. 809. habebit Ecclesias & congregationes fidelium in omnibus gentibus, & ex omnibus gentibus constitutas & collectas. 852. tribus duntaxat annis cum medio prædicauit. 895. Petro occurrens, ait se Romam venire vt iterum crucifigatur. 925. per scelera quæ patrantur, & in seruis suis persecutionem, tormenta necemq; passis, spiritaliter crucifigi dicitur. ibid. vnumquemq; iudicaturus secundum propria merita. 941. Dominus Sabbati & omnium legalium institutorum, nec illis vllo modo subiectus, etiam secundum naturam humanam. 964. aliquando perfectissimam paupertatem verbo & exemplo docuit, aliquando minus rigidam. 1101 non fuit rex humana electione. 1151. fugit cum turba cum rapere & per vim regem constituere vellent. 1151

Christi anima ab ipsa creatione fuit repleta scientia & gratia. 161 vt Deo coniuncta, intelligit & nouit omnia. 195. nihil postea didicit, quod antea nesciret, nec quicquam fecit vel facere potuit quod emendatione indigeret. 242. per scientiam beatam nouit omnia quæ scit Deus scientia visionis 244. non comprehendit Deum, nec scit ea omnia quæ sunt in Deo eminenter, non tamen propterea ignoraus dicenda. 259 scit omnia quæ scit Deus scientia visionis, non autem simplicis intelligentiæ 273. habuit scientiam finitam quoad entitatem. 274. simillima fuit nostræ, & eiusdem prorsus speciei, quoad entitatem. ibid. dici potest per excessum ex corpore viuificata, quia liberata ab omni molestia & angore. 323. quantumuis à corpore separata, mansit hypostatice coniuncta Verbo. 324 secundum essentiam descendit ad Limbum Patrum, ad infernum autem damnatorum, tantum virtute & effectu. 334. potuit simul in duobus locis existere. 336. in loco pœnæ fuit sine omni pœna & pœnalitate, ex ipsa descensione & mansione apud inferos enata. 339. descensu suo ad inferos, contulit ibi animabus iustorum beatitudinem essentialem ibid. ex limbo Patrum omnes, ex Purgatorio non omnes, ex gehenna & limbo puerorum neminem liberauit. 340

Chrysippi sophisma: si mentiris, etiam quod verum dicis, mentiris. 23

S. Chrysostomus probat vnius imperium melius esse quàm plurium, ex creatione viri & fœminæ. 419. 420. S. Petrum vocat basin Ecclesiæ. 538. S. Petrum vniuerso orbi præpositum, os, verticem, fu coryphæum & caput Apostolorum & Ecclesiæ pastorem appellat. 572. Petri confessionem & beatificationem prædicat. 602. Petrum ait transisse per omnes vt supremum ducem, & inspectorem. 612. Petrum ait vniuerso orbi fuisse præpositum magistrum. 634. 643. 644 Petrum contra Centuriatores defendit. 650. 651. Petrum Romæ fuisse testatur. 666. Petro succedere omnes illos qui oues Christi pascunt, generali quadam successionis ratione affirmat. 682. sede sua pulsus. 763. doctor vniuersi orbis 765. plurima passus in exilio, quibus etiam ante tempus extinctus. 766. ad Innocentium I. Pontificem appellauit 776. Heliam in propria persona fore Christi præcursorem in secundo suo aduentu, clarè asserit. 876. epistolam Apostolorum ad Ecclesias vocat Imperium. 1118. legem Apostolicam de non comedendis idolothytis nominat nouam 1120. agnouit vim coactiuam in pastoribus Ecclesiasticis 1140 sacerdotium supra omnem dignitatem terrenam, etiã regiam & Imperatoriam effert. 1154

Chytræus Lutherista. 847. instituit antithesis mendacijs plenas inter doctrinam Christi & Pontificiorum, hoc est, orthodoxorum 981 per locustas Apocalypticas intelligit Episcopos, Sacerdotes, Monachos. 982. à Daneo corrigitur. ibid.

Cicero vocem suburbanitatis pro propinquitate vsurpauit. 725

Ciuitas tamdiu manet eadem, quamdiu forma Reipublicæ manet eadem. 499

Claudius Imperator Plautio triumphanti lætus incessit, læuo latere suo Plautij latus tegens 647. 648. per quam studiosus gratificandi Agrippæ Regi Iudæorum. 658

Claues Ordinis & Iurisdictionis 561. metaphoricè in scripturis principatum significant. 566 suprema potestatis insigne. 567. in traditione potestatis, humeris imponi solebant. ibid. regiam potestatem. sed sacerdotalem & spiritalem in scripturis significant ibid. Petro vt Domini Vicario, & dependenter à Christo datæ. 568 offeruntur Principi ab vrbibus in signum subiectionis. 568. 569. traduntur Oeconomis. ibid. plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis designãt. 572. 573. 574

Clementis Recognitiones apocryphæ. 663

Clemens Romanus Episcopus tertius post Petrum 677. 682. iuxta Tertullianum proximè successit Petro. 678. 679 viuente Petro, Episcopatu vrbis Romanæ functus, vt Vicarius & suffraganeus Petri. 680. à Petro post Linum Romanæ Ecclesiæ Pontifex ordinatus. 684. 685. Petri in officio Episcopali coadiutor. 694. eius epistolæ authenticæ 729. 730. eius opera ab hæreticis corrupta. 1038. citat Socratem pro communitate non vxorum, sed facultatum & substantiæ, qualis in primæua Ecclesia florebat. 1039

Clemens Alexandrinus ait Dominum prædicasse apud inferos iis qui perierant in diluuio, & ibi detinebantur. 332

Clemens VIII. Pont. Max. & Oecumenicus. 95. eius iussu Biblia recognita & edita. 869. tertius ante hodiernum Papam Paulum V. 904

Clemens Antipapa, ab Henrico IV. & Henricianis Gregorio VII. oppositus. 1007

Cletus Romanus Episcopus Lini successor, ab Irenæo Ana-

cletus dictus. 677. Petri in officio Episcopali coadiutor. 694. viuentis Petri Vicarius & suffraganeus. 700

Cæcitas cordis eò maior, quo non agnoscitur. 169

Cælius Rodiginus. 985

Commonefactor Anonymus, putat Philosophica procul à Theologicis disceptationibus amãdari debere. 1176. de summo Pontifice veteris Testamenti, prout est figura noui, argutè disserit. ibid.

Commoniterium cuiusdam Anonymi, de scriptis Bellarmini. 5. 6. 8. 9. & seq. promissa non præstat. 21

Communicatio idiomatum, quam Patres agnoscunt, mutua est. 206. 208. non tribuit vni naturæ, quæ sunt alterius, sed vni suppositio vtrique naturæ proprietates. 208. 236 sufficit vt Christi actiones & perpessiones infiniti meriti & efficacia fuisse dicantur. 237

Concilium generale secundũ, mandato literarũ Pontificiarũ Pontificis Damasi Romani conuocatum. 726. à Theodosio Imp. nutu & voluntate Damasi & Concilij Romani indictum & collectum. ibid. fatetur Romanam Ecclesiam esse caput, se autem membra. 727

Concilium generale quintum affirmat in Romana Ecclesia esse Apostolorum successionem. 686. sub Symmacho. 804. recipit librum Ennodij in quo habetur, Romanæ sedis præsulem non posse ab vllo homine iudicari. ibid.

Concilium generale sextum Agathonis Romani Episcopi literas non aliter amplectendas esse censet, quàm vt à Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum. 686

Concilium octauum Græcè & Latinè à Radero editum. 805. decernit non licere vlli terreno principi indicare Patriarchas, & inprimis Romanum. ibid.

Concilia quinque generalia approbarunt processionem S. Spiritus ex Filio. 112. non omnia quæ in actis illorum habentur, pro fidei decretis habenda sunt. 115. Petro, hoc est, successori Petri, vt suo Principi, primas detulerunt. 449. de quæstionibus fidei decernunt non sine expressa vel tacita summi Pastoris approbatione. 449. 450. difficulter congregantur. 454. à summi Pontificis approbatione auctoritatem habent. 458. solent quoque decreta Pontificum decretis suis corroborare, & priuilegia à Sede Petri collata, sua itidem auctoritate munire, si in dubium vocentur. 723. eorum decreta momentum & robur non habent, absque Romani Pontificis assensu & approbatione. 740. Pontifici Romano primatum non dederunt, sed datum à Christo declararunt & testimonio suo comprobarunt. ibid. Vide etiam V. Synodus. vnicuique Episcopo & Archiepiscopo prouinciam assignant, prohibentq; ne quis in fines alterius irruat. 785

Concordistæ vel Ariani, vel Arianorum socij & synergi. 172. docent Christum Patri obediuisse etiam secundum diuinam naturam. ibid. Bergenses Patres. 205. diuinam omnipræsentiam tribuunt naturæ humanæ Christi. ibid. tum à Catholicis, tum à Caluinistis refelluntur. 206. Vbiquitatem extollunt. 208. effectum cum causa confundunt. 209. vnionem hypostaticam putant consistere in communicatione idiomatum. 209. 210. à seipsis discordant. 210. totum Christum Deum & hominem ad inferos descendisse credunt. 341. 342. 343. 346. Christum in cruce non fuisse verè mortuum, sed viuum sepultum putant. 346. 347. Christum mediatorem & Pontificem etiam secundum diuinam naturam faciunt. 373. 376. 378. quinq; vel sex Prædicantes librum Concordiæ alio obtruserunt. 438. Smidelinus mancipia. ibid.

Concreta nomina pro suppositio accipi possunt, licet formaliter naturas significent. 236

Confessarius quilibet habet potestatem suo modo ligandi. 571. indicat conscientiam in Sacramento Confessionis. 1139

Canon Papæ S. Kilianum ad conuersionem Francorum seu Orientalium Francorum misit. 506. 508

Constantia ad lacum Acronianum, Daneo Sodoma Apocalyptica. 875

Constantinopolis Noua Roma dicta. 812

Constantinopolitanum Cõcilium primum Episcopis certos diœceseõn limites præfiniuit ac præstituit. 785

Constantinopolitanum Concilium secundum generale. 113. contra hæreticos Macedonianos & Eunomianos. ibid. ad symbolum Nicænum quædam verba addidit. 115. eius etiam symbolo facta quædam additio. ibid.

Constantinopolitanum III. Concilium Prouinciale sub Ioanne VIII. illegitimum. 116

Constantinopolitana Synodus quinta, Apostolicam Sedem sequitur, eiq; obedit & communicat, & condemnatos ab ipsa condemnat. 728

Constantinus Magnus Siluestro ius ad illum appellandi, non concessit, sed concessum à Deo declarauit. & omnibus sanctione sua palam proposuit. 741. iussit vt Melchiades Pontifex causam Cæciliani cognosceret. 782. post Melchiadis & Arelatense iudicium inuitus Donatistarum controuersiam cognouit. ibid. Maximinum deleuit. 892. Papam vocat Deum, metaphoricè. 991

Constantinus IV. Imp. liberam Pontificis Romani eligendi & confirmandi potestatem Romanis permittit. 1089

Constantinus filius Heraclij & cum Patre, & mortuo Patre, solus, tametsi exiguo tempore imperauit. 1071

Constantinus Imp. Irenæ filius, imaginum religiosus cultor. 882

Constantius Imp. Arianus vrget Catholicos vt contra Athanasiũ scribant. 1045. à Felice II. Pontifice excommunicatus. 1051

Copronymus Imp. Leonis Isauri filius. 768. bellua potius quàm homo. ibid.

Cor est in profundissimo loco animalis. 317. omnium animalium, excepto homine, est in medio pectore. 318

Cornelius Agrippa Magus. 984. 985

Cornelius Epiſcopus Fabiani & Petri in loco & cathedra Epiſcopali ſucceſſor. 679. 680. Roma ait præter Epiſcopum quadraginta & ſex presbyteros fuiſſe. 695.

Corpus Chriſti ſimul in cœlo & Euchariſtia. 52.

Correctio, figura Rhetorica. 272. 292.

Correctio ſequi debet errorem. 291.

Crantzius. 985.

Creatura, vt vna, procedit ad extra à tribus perſonis. 118. nulla propriè omnipotens. 166. in nullo æquatur creatori. 273.

Crux Chriſti cultu latriæ colenda. 940.

S. Crucis ſignum Antichriſto inuiſum. 909. eo non vti, ſed illud potius execrari & abolere, futurum character Antichriſti. ibid.

Cygnus formaliter eſt candidus, non tamen eſſentialiter. 202. 226.

S. Cyprianus Monarchiam laudat. 414. omnia fere negotia maiora coram clero & populo tractare conſueuit, ſponte non coactus. 442. Cathedram Petri vocat Catholicæ Eccleſiæ matricem & radicem. 558. 559. Romanam Eccleſiam vocat Petri Cathedram, vnde orta ſit vnitas ſacerdotalis. 559. 560. Romanæ Eccleſiæ primatum defert. 560. 563. ſcribit Petrum à Paulo reprehenſum noluiſſe dicere, ſe habere primatum, & ſibi obediendum eſſe; idque modeſtiæ cauſa. 636. primatus Petri aſſertor & vindex luculentiſſimus. 636. 637. diſſidet à S. Stephano Romano Pontifice in priuata opinione de rebaptizatione hæreticorum, quam martyrio expiauit. 637. Sedem Romanam vocat Cathedram Petri ſacerdotalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, & locum Petri, & gradum Cathedræ ſacerdotalis. 679. 686. Cornelium Fabiano & Petro in Epiſcopali cathedra ſucceſſiſſe teſtatur. ibid. octoginta ſeptem ſententias ſeu pronunciata in ſynodo ſua & collegarum ſuorum edidit de baptiſmo hæreticorum. 756. excuſat Stephanum Papam cui fraudulenter obreptum erat. 778. vbi crimen admiſſum eſt, ibi dicit vniuſcuiuſq; cauſam audiri debere, ſaltua videlicet poteſtate appellandi. 779. apud ſuos duntaxat diœceſanos & ſubditos abſolutè Papa dictus. 812. dicit ad Romanos perfidiam non habere acceſſum. 1024. comparat ſedem Petri capiti, radici, fonti, ſoli. 1142.

S. Cyrillus Alexandrinus explicatur, aſſerens Deum Patrem miniſtrare & ſubiici Filio. 56. 57. ex Concilio Alexandrino & nomine illius Concilij ſcripſit ad Neſtorium. 111. Alexandrino Concilio præſedit. 112. eius ſcripta in ſexta & ſeptima ſynodo approbata. 113. dicens, nihil additum Chriſto, & eum ſibi attribuiſſe quæ carnis ſunt, explicatur. 253. vnam naturam id eſt hypoſtaſin Verbi dixit fuiſſe incarnatam. 364. Synodi Epheſinæ caput, quia primas in illa Synodo partes tenebat, Romani Pontificis vices gerens. 446. 771. primatum Petri aſſerit. 634.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus primatum Petri aſſerit. 634.

D.

Damaſcenus aſſerens, verbum diuinum fuiſſe in vtero Virginis incircumſcriptè, explicatur. 230. item dicens, Chriſtum ignorantiæ laborantem ac ſeruam naturam aſſumpſiſſe. 254. Heliam & Henoch reuerſuros docet. 878.

Damaſus domus Dei Eccleſiæ rector. 501. Romanus Pontifex. 726. Concilium ſecundum generale Conſtantinopolim conuocauit. ibid. Flauianum Patriarcham Antiochenum depoſuit. 746. dicit ſibi iudicandi formam competere non poſſe poſt Concilij Capuenſis iudicium. 780. Pater Patrum dictus. 814. petra Eccleſiæ. 817.

Damnatio includit deſperationem. 296. longiſſimè diſtat à beatitudine. 312.

Danæus mendax. 1. 6. 49. 51. 52. 69. 76. 80. 81. 82. 129. 130. 134. 135. 137. 142. 144. 243. 244. 245. 246. 249. 257. 258. 261. 264. 269. 270. 273. 274. 275. 276. 285. 288. 293. 307. 313. 321. 324. 330.

Danæus refellitur à Iunio. 4. Lutherum peſſimè defendit. 8. 8. promiſſa non præſtat. 21. Bellarminum laudat. 49. 64. Bellarmino aſſiduæ lectionis ac variæ eruditionis nomine gratias agit ibid. Bellarminum non intelligit. 54. prolixitatem diſputationis Bellarminianæ carpit. ibid. & 62. Arianizat, & 61. verba S. Auguſtini & Bellarmini deprauat. 64. Bellarmini encomiaſtes. 67. mauult mentiri, quàm Caluinum ſuum tueri. 69. ablegat lectores ad commenta ſua in primum ſententiarum. ibid. Tropiſta. 70. 71. Filium Dei dicit non eſſe propriè filium, nec Patrem propriè patrem. ibid. cum Bellarmino ſtat contra Iunium. 67. calumniatur Nitanos Patres. 72. minax Thraſo. 73. prouocat ad librum ſuum contra Genebrardum. ibid. negat ipſam Spiritus ſancti perſonam mitti vel dari. 77. hæreticus. 78. falſarius. 79. myſterium S. Trinitatis tollit. 81. iactat ſe & ſuos Vbiquitatem confeciſſe. 128. 129. nec Caluinum, nec Bellarminum, nec ſeipſum intelligit. 129. Caluinum ſtultum facit. 130. Bellarmino clemens & propitius. 131. fecturrit Bezæ, neglecto Petro Martyre. ibid. ſua ſibi à Bellarmino ſurrepta conqueritur. 134. ſycophanta. ibid. ægrè ferens nomen Sacramentarij, cum ſit talis. 137. etiam contra Vbiquitatem ſcripſit. ibid. Vbiquiſtas laudat. 142. putat tolli corporeitatem, ſi corpus in pluribus locis ſimul ponatur. 144. Bellarmino ingratitudinem, oſtentationem & repetitionem obiicit. 144. 145. quæ contra Vbiquetarios ſcripſit, ex Ingolſtadienſi quodam Ieſuita corraſit, idq; negare non potuit. 146. cum ei furtum obiiceretur, laudauit officinam vnde furatus erat. ibid. quod fatetur, non vult à Bellarmino audire. 239. derepente Bellarmini Doctor efficitur, iubetq; vt à ſe diſcat quod ex Magiſtro Sententiarum nunquã didicerit. 246.

Danæus animam Chriſti dicit eſſe Deum. 255. Chriſtum vt hominem ſeu ſecundum naturam humanam, negat eſſe filium Dei. 256. Bellarminum appellat

ineptum Theologaſtrum, qui ignoret Alphabetum Chriſtianitatis. 257. ignorantiam putat conducibilem ad redemptionem generis humani. 258. communem orthodoxorum ſententiam vocat errorem. 270. palam confitetur S. Auguſtinum à nobis ſtare. ibid. laudat Durandum. 274. Bellarmini argumentum deformat. 284. ſua ſomnia & commenta Bellarmino affingit. 285. 288. Patres reiicit. 288. 289. blaſphemus. 293. putat Chriſtum pœnas æternas temporaliter paſſum. ibid. ſeipſum acumine ſuperat. 297. à ſuo Caluino diſcedit. 317. affirmator perpetuus & temerarius, probator nullus. 320. Iunio ſolertior. 329. furit. 329. 330. Patres reiicit. 330. fatetur Patres pro Bellarmino ſtare, ſe Patres nihil morari. ibid.

Daneus mentitur & calumniatur. 334. 336. 339 340. 341. 350. 351. 361. 367. 368. 371. 388. 389. 390. 391. 403. 404. 405. 407. 410. 431. 432. 433. 473. 491. 508. 512. 513. 514. 546. 547. 556. 557. 566. 569. 578. 582. 591. 604. 606. 608. 618. 630

Daneus furit. 339. purgatorium & deſcenſum Chriſti ad inferos profabulis habet. 340. horribiles Bellarmini hæreſes ad Geneuenſem Inquiſitionem defert. 340. 341. inferos tollit, omnesq; iuſtos etiam ante mortem Chriſti, in cœlis collocat. 341. citat Tertiam Secundæ D. Thomæ. 350. ægrè fert Stancarum à Bellarmino refutari. 351. nihil ad rem probat. 358. Bellarmini verba improbè mutilat. 360. Bellarminum vocat lapidem, miſerum, veteratorem. 361. pauciloquum, ſed vanidicum. 371. aſſerit operationes humanas Chriſti non plus valuiſſe, quàm alterius puri hominis. 382. mendax vates. 399. ego te, inquit, Bellarmine vel inuitum, in gyrum rationis reducam. ibid. Genebrardum calumniatur. ibid. inficetus. 404. gratulatur Bellarmino, quod factus ſit Caluiniſta. 433

Daneus Caluiniſta Puritanus. 436. ſacerdotis nomen ferre non poteſt. 452. maledictis Bellarminum inſectatur. ibid. multum debet fallaciis. 502. 503. furit. 512. lepidè probat Petrum non poſſe dici petram, quod illa ſit generis fœminini. 520. S. Chryſoſtomum & S. Gregorium Magnum reiicit. 573. Petrum negatione Chriſti putat excidiſſe ab Apoſtolatu. 576. ex Bellarmino exſcribit, quæ ſe illum docere iactat. 588. in Bellarminum debacchatur. ibid. quemuis laborem, quamuis alioqui grauem, reddi ſibi leuem ac facilem profitetur. 591. ex fallaciis conſutus. 599. S. Petrum temeritatis accuſat. ibid. diſſimulat reſponſionem Bellarmini. 613. Apoſtolos negat fuiſſe Epiſcopos. 617. Apoſtolum fieri & Epiſcopum, putat eſſe vnum & idem. 618. Chriſtianis ſcriptoribus fidem abrogat, Ethnicos deſiderat. 621. 622. in libris Ritualibus parum verſatus. 628. nec hilum moratur Patres. 630. mentitur & calumniatur. 653. 654. 656. 692. 705. 706. 709. 713. 721. 733. 734. 757. 801. 807. 808. 811. 818. 912. 918. 971. 972. 975. 976. 1009. 1010. 1036. 1042. 1055. 1056. 1105. 1145. 1171.

Daneus Patres appellat errore faſcinatos. 630. totus æquiuocus. ibid. ex picturis & ſigillis primitiuæ Eccleſiæ probat Paulum Petro maiorem, improbante Iunio. 648. fatetur peccata primatui non officere, contra Iunium. 652 ſcurra de triuio. 654. in fronteſpicio tantum & primo aditu capitis minimùm oculis mentitur. 705. vt bilinguis, ita & bifidus, ſeu bifidelis. 716. ineptas conſequentias Bellarmino affingit. 717. diſcerpit & laniat, quæ Bellarminus apriſſimo ordine connexuerat. ibid. S. Hieronymum dicit Romano Pontifici aſſentatum, poſtea tandem reſipuiſſe. 733. ineptus in citando S. Proſpero, Anſelmo Cantuarienſi, & Hugone de S. Victore. ibid. S. Bernardum dicit probaſſe Papatum, ſed Papam ſummè odiſſe. ibid. rem magnam pauci agit. 777. thraſonicè ſe iactat. 811. conuiciis inſectatur ſanctos Patres. 829. Æſopo fabuloſior. ibid. Huſſum, & Hieronymum Pragenſem dicit fuiſſe illos Prophetas qui in Apocalypſi dicuntur per quadraginta duos menſes concionati. 830. conuicia præargumentis in Bellarminum intorquet. 848. 849. de translatione Romani Imperij per Romanum Pontificem à Græcis ad Carolum Magnum, rectè ſentit, & Ione iudicat æquo. 856. Patres appellat delirantes Monachos. 866. librum Eccleſiaſticum dicit eſſe apocryphum. 871. Conſtantiam ad lacum Acronianum dicit eſſe Sodomam Apocalypticam, & duas olitias Huſſum & Hieronymum Pragenſem. 875. a conuiciis incipit, in conuicia deſinit. 883. nouem capita Bellarmini vno ictu proſternit. 901. Numerum nominis beſtiæ interpretatur catalogum eorum qui beſtiam adorabunt. 902

Daneus omnia eluridare doctus. 902. ſumit pro compertis quæ probatione egent. ibid. Sutliuio par in impudentia. 907. affingit Bellarmino ſtolidum de Patribus, iudicium. 912. mentitur Bellarminum concedere Papam eſſe Antichriſtum, quia ex hypotheſi argumentatur. 918. doctrinæ Antichriſtianæ teſtes producit libellos Latinè & Gallicè ſcriptos, Clypeum fidei, Baculum fidei, Collationem fidei, Decades Bullingeri, Paruam Confeſſionem Bezæ, Inſtitutionem Caluini. 934. Bellarminum ablegat ad Notas Bezæ in nouum teſtamentum, & Theſaurum Græcum Henrici Stephani, & Commentarios Caluini & Iunij in Danielem. 964. de beſtiis Apocalypticis ita diſſerit vt beſtiam agnoſcere queas. 966. ſibi contradicit & ſeipſum euertit. ibid. Æthiopiam mutat in Arabiam, contra Iunium. Tremelium, Caſtalionem, Oecolampadium, Rullum. 968. Danielem ait nihil de Antichriſto ſcripſiſſe, contra Abbatum, Sutliuium, Pouelum, & præſertim Rullum. 970. Patres impudenter reiicit, & calumniatur. 971. verum Antichriſtum dicit non eſſe quærendum in Daniele, ſed in Apocalypſi. contra Lutherum 974. Lutherum virum ſanctiſſimum nominat. ibid. Illyricum defendit hoſtem ſuum, vt & omnium Sacramentariorum & Caluiniſtarum infeſtiſſimum. 976. ſcribit Leonem X. Concilium Tridentinum indixiſſe,

qui multis annis ante ex hac vita migrauerat. 977. Bellarminum Suitam ex hara, Papam Diabolum, se placidum videri vult. 981

Danæus Chytræum corrigit. 982. totus scatet mendaciis & conuiciis. 1009. sanctum Hieronymum assentatorem Damasi Papæ & Theodoretum palponem Leonis Magni appellat. 1011. Bellarminum phreneticum, diabolo impudentiorem & mendaciorem, corpus & animam vendidisse, &c. vociferatur. 1016. reiicit Patres. 1016. 1027. præfurore nescit quid dicat. 1037. immunitatem reorum in templis Christianorum putat repugnare legi Mosaicæ. 1057. Bellarminum flagrum, non tantum scutica dignum affirmat, quippe quo monacho nihil sit impudentius. 1055. reperit nouas fallacias. 1105. sturnatim conuicia fundit. 1152. Cœlestinum Pontificem à Nestorianismo absoluit. 1053

Daniel Propheta cordium arcana cognouit. 163. singularibus nominibus bestiarum non super singula regna, sed aliquando etiam singulos reges significat. 841. 842. ita oracula sua fudit, vt modò de Antiocho Epiphane, modò de Antichristo vaticinaretur. 885. non pauca tradit quæ nullo modo in Antiochum quadrare possunt, sed necessariò, ad literam de Antichristo exponi debent. 896

Darius Rex Persarum. 841

Dauid rex typus Christi. 564. 1141. Propheta. 851

Debitum fieri potest idem pluribus titulis ac nominibus. 387

Delrij Vindiciæ Areopagiticæ contra Iosephum Burdenem. 53

Delzerus Lutheranæ Cœnæ scyphulum in exilium secum abire iussit. 1009

Democratia, moreiam vsitatissimo, inter bonas Reipub. gubernandæ formas ponitur. 408. accipitur pro statu Timocratico, vel absolutè pro statu populari, in quo bonum commune multitudinis spectatur & procuratur. ibid. ab Aristotele inter corruptelas Reipub. numeratur. ibid. melior quàm tyrannis. 418

Deus singularis in essentia & natura sua, non singularis, quoad personas. 48. spiritualis locus Sanctorum. 52. venit, manet, est in nobis per charitatem. 78. ens simplicissimum, & merè intellectuale. 92 supponitur pro persona & essentia. 121. solus præscit futura, & tacitas cogitationes, ex sua natura, & scientia increata & infinita. 162. verè passus est, sed non secundum diuinam naturam. 176. non mouetur de loco ad locum, quia est vbiq;. 180. 185. 186. 187. 189. infinitam suam essentiam tanquam basin, rebus omnibus substernit. 225. & est, & verè & formaliter dicitur productor & conseruator hominum, licet in certo loco productorum, & conseruatorum. 228. in vnoquoque hominum penitissimè præsens. 231. in humanitatem assumptam omnia dona quorum capax esset, in ipsa incarnatione effudit. 255. nec per se nec per accidens est auctor malorum. 293. filio suo nunquam iratus fuit. 294. 295. 297. dicitur in scripturis aliquando iuisse, venisse, descendisse, metaphoricè. 324. puniuit multos tempore Noë aquis diluuij, ne deberet eos punire in gehenna in æternum. 326. mundum reconciliauit sibi per operationes & perpessiones naturæ humanæ Christi. 358. 368. quatenus Deus, seu secundum naturam diuinam nihil meruit potest. 387. Monarchiam probat. 419. 420

Deus dux & gubernator Hebræorum non tantum generali sed peculiari & propria quadam ratione. 424. æquè prouidit Ecclesiæ per Alexandrum VI. ac per Petrum. 710. primus & summus legislator. 759. in eius oculis mille anni sunt sicut dies hesterna quæ præteriit. 895. solus reipsa ab æterno exstitit. 938. solus sanctus & verus per naturam, essentiam & proprietatem, alij verò per participationem. 1015

Deus ex machina fingendus fuit. 893

Dextera non semper honoratior sinistrâ. 647

Diabolus comparatur Lucifero stellæ candidissimæ. 478. primatum habuit inter Angelos. 479. 480. princeps maleficij. 480. nouem Angelorum chorus apertus 481. regnauit in mundo ante aduentum Christi. 865. à Christo eiectus ac deiectus. ibid. subsistenem mundi in Antichristo iterum regnabit ibid. hostis antiquus & omnibus seculis communis. 891. ingressus aliquando templum, & videns quendam ad pronunciationem nominis Iesu non incuruare se, nec aperire caput, alapam ei infregit, & summam ingratitudinem ei exprobrauit. 939. per Arianos conatus est persuadere hominibus Christum non esse filium Dei naturalem, per Antichristum conabitur persuadere ne adoptiuum quidem esse. 948. 949. auro, argento, & lapidibus pretiosis olim ab idololatriæ cultus mediatè, & ab Antichristo colendus immediatè. 960. 961. Antichristum seduxit. 973

Diaconi Genevenses temporario officio, & summùm annuo funguntur, & præter curam pauperum & colligendæ stipis, calicem distribuunt cum Genevenses cœnant. 438. non probantur Saraniæ ibid.

Dion cognomento Chrysostomus, scriptor Ethnicus, meminit historiæ de velatu & deiectione Simonis Magi. 622

Dionysius Alexandrinus apud Dionysium Romanum Pontificem accusatus. 740. irrisit Chiliastarum mille annorum fabulam, & auream atq; gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, circumcisionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium seruitutem, &c. 921. 951

Dionysius Areopagita vindicatus. 53. verè dixit, solum Patrem fontem diuinitatis. 109. à S. Paulo Athenarum constitutus Episcopus. 433

Dionysius Corinthius scriptor perantiquus. 433. narrat Dionysium Areopagitam primum Athenien sem Episcopum fuisse constitutum. ibid. S. Petrum Romæ esse passum testificatur. 672

Dioscorus Alexandrinus auctoritate sedis Apostolicæ à Concilio Chalcedonensi damnatus 745. 746. Eutychianorum partes fouet. 746. sanctum Flavianum Episcopum Constantinopolitanum deponit, pugnisq; cõtundit ibid. Sancto Leoni inimicissimus. 760 sanctum Leonem ausus est excommunicare. 804

Dioscorus defunctus anathematizatus à Bonifacio II. Pontifice. 812 Antipapa fuit. 813

Discipuli Christi putabant trãsfigurationem eius in monte Thabor esse secundum eius aduentum. 869

Distantia alia loci corporalis, alia virtutis. 312. 313

Distinctio virtualis. 121. æquiualet actui distinctis. 121. 214. facit, vt de eadem entitate secundum rem, idem verè affirmetur & negetur, tametsi secundũ diuersos respectus. 214

Diues Epulois inferno, vidit Lazarũ in sinu Abrahæ 313. 315. in eodem chasmate seu hiatu cum Lazaro fuit, tametsi longissimè ab illo distans. 315

Diuinitas propriè non monetur. 324

Doctrina solummodò audita, facilè in oblitionem venit, scripta verò repeti, relegi, & in memoriam reduci, & ab interitu vindicari potest. 669

Dolus an virtus, quis in bello requirat? 1038

Dominicus Iacobatius. 985

Dominium super omnes creaturas quoad omnes effectus, absolutumq; simpliciter & independens, solius Dei proprium est. 164. 165

Domnus Episcopus Antiochenus, antecessor Maximi. 720

Donatistæ peccato mortifero ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum amitti censebant. 576. Cæcilianum Episcopum Carthaginensem & collegas eius absentes damnant. 781. cum Arianis fœdus ineunt. 796

Donatus Salicinensis Episcopus in Africa, ab hæresi Nouatiana conuersus. 745

Donec, non significat, quasi contrarium euenturum sit, postquam tempus quod denotat effluxerit. 920

Dorotheæ Synopsis vexatur. 663

Dorotheus Linum post coryphæum Petrum Romæ Episcopum fuisse dicit. 681

Dresdense decretum in Saxonia promulgatum à Confessionis Augustanæ Theologis 188. ab Academiis Lipsiensi & VVitebergensi tribus Consistoriis, & omnium Saxonicarum Ecclesiarum Superintendentibus partim factum, partim approbatum. ibid. à Smidelino & suis refixum. ibid. Vbiquitatem perenni anathemate percellit. 208. factum à Caluinianis, Sacramentariis, Orcodoxis, mateologis, &c. vt ait Mauius. ibid. iidem Theologi Lipsienses & VVitebergenses, & trium consistoriorum, & omnes Superintendentes Saxonici, qui approbarunt, postea condemnarunt, exagitarunt, & acerbissimis iudiciis insectati sunt. 209

Driedo absolutè sensit, Pontificem Romanum, vt Romanum Pontificem, etiam vt sic, succedere Petro in vniuersali totius Ecclesiæ Episcopatu. 715. censet Pontificem vt particularis persona est, posse esse hæreticum. 1030

Drusius Caluinista Bellarmini, Caietani, & Pererij sententiam de Elohim, defendit contra Iunium. 67. Vide etiam V. Ioannes Drusius.

Dualitas potest esse principium vnitatis. 118

Durandus docet gratiam & sapientiam Christi fuisse finitam. 269. 274. negat Christi animam secundum essentiam ad vllum inferni locum descendisse. 334. 335. 337. refellitur à Bellarmino. 337

E.

Ecclesia Catholica transsubstantiationem panis in Corpus Christi contra inferorum portas asseruit. 187. ad alicuius gubernatricis formæ præscriptum gubernatur. 403. eo modo gubernatur qui sit omnium optimus & vtilissimus. 404. nunquam ab vllis presbyteris gubernata est independenter ab Episcopo proximo vel supremo. 443. capite inuisibili nunquam caret. 468. est vnum corpus mysticum, vnumque regnum spirituale. 471. eget capite generali, & vno aliquo visibili summo iudice. 473. 493. comparatur exercitui, regno, ouili, domui. 493. 494. comparatur corpori humano. 497. comparatur sponsæ, & naui. 498. comparatur mulieri speciosæ. 498. 499. est multorum in vnum aggregatio. 499. Domus Dei 501. super Petrum ædificata, tanquam supra firmam petram. 602. nunc æquè eget vno generali pastore ac tempore Apostolorum, imò magis, cum latius nunc pateat. 707. 708. semper est vna, vnitate, Monarchica, externa. 708. neminem præter Christum agnoscit Mediatorem principalem. 941. Romano Pontifici adhæret. 942. sancta, etiam propterea, quia supremum eius caput nihil nisi sanctum, hoc est, verum & bonum ex cathedra profiteri & Ecclesiæ vniuersæ præscribere potest. 1029

Ecclesia Romana vniuersalis. 95. caput omnium Ecclesiarum, in Concilio Chalcedonensi pronunciatur. 529. sacer vertex, in quo omnes vertuntur. 533. radix & matrix Ecclesiarum. 556. Petri Cathedra. 559. vnde orta est vnitas sacerdotalis. ibid. Ecclesia principalis, ad quam perfidia non habet accessum. ibid. mater omnium Ecclesiarum, etiam Hierosolymitanæ. 620. hanc S. Petrus per se vsque ad mortem suam tenuit, gubernauit, & præterea sanguine suo obsignauit: & totam Apostolicæ potestatis plenitudinem ad successores perpetua serie transituram in ea reliquit. 625. 627. à Petro & Paulo fundata. 664. 665. semper habita est prima & præcipua inter omnes alias, quia in ea princeps Apostolorum sedit. 674. 675. Petri sedes appellata, quod Petrus vt Episcopus eam rexerit. 681. eius potestas à Deo est, non ab hominibus. 722. forma aliarum Ecclesiarum. ibid. semper habuit primatum, Concilij Nicæni testimonio. 723. 724. non synodicis constitutis, sed Euangelica voce Domini primatum obtinuit. 738. Dioscorum Antipapam post mortem anathematizauit. 812. fundata super firmam petram B.

Petri, eius gratia & præsidio ab omni errore illibata permanet. 1066
Eckius fidei Catholicæ fructuosissimam operam nauauit. 980. Ingolstadij pie obiit. ibid.
Egesippus vetus Auctor. 872. alter iunior, qui tempore Constantini vixit. ibid.
Eleutherus Romanus Episcopus duodecimus à Petro. 671
Eliacim filius Helciæ regiam potestatem sacerdotalem per claues accepit. 567
Emmanuel Calece Græcus doctissimus ex Ordine Prædicatorum. 1072. ab Ambrosio Camaldulensi in Latinam linguam conuersus. ibid. Ingolstadij nuper excusus, & Notis illustratus. ibid.
Emmanuel Tremelius sirpè Iudæus, Iunij socius indiuidum. 870. ex Iudaismo ad Catholicam Ecclesiam, & deinde ad monasticam professionem, tandem per defectionem ad Caluinismum transiit. ibid. Vide etiam V. Tremelius.
Encratitæ prohibent & damnant nuptias. 978. 995
Ennodius diaconus scribit Romanæ Ecclesiæ præsulem non posse ab vllo homine iudicari. 894
Ephesina synodus Nestorium à Constantinopolitano Episcopatu deponit, mandato Cælestini Papæ Romani. 433. 727. Cælestinum Episcopum Romanum appellat ordinarium successorem & vicarium B. Petri Apostolorum Principis. 685. causam Ioannis Patriarchæ Alexandrini reseruat iudicio Cælestini Papæ Romani. 727. 728. ab hæreticis depranata, ex Romanis codicibus restituta. 797
Epicurei tormenta inferorum reuocabant ad tormenta & cruciatus animæ. 289
S. Epiphanius Petrum primum Apostolorum dicit esse firmam petram super quam Ecclesia Dei ædificata sit. 535. 536. Andream dicit seniorem fuisse Petro. 597. 598. Petrum dicit electum fuisse ducem Apostolorum. 633. Petrum & Paulum dicit fuisse primos qui Romæ fidem Christianam annunciarint. 666. Petrum & Paulum expressè pro Episcopis habet. 680. docet articulum Græcum nomini præpositum, significare rem certam & definitam & singularem. 834. 835
Episcopus imperat presbyteris suis vt superior & pastor. 442. est caput Ecclesiæ suæ. 464. potest quis esse eius loci, ad quem nunquam venerit 974. semper gradu & ordine distinctus fuit in Ecclesia à presbytero. 695. mandare potest cum vi coactiua, quæ partes ad obsequium adigat, etiam inuitas & obluctantes. 1128
Episcopus non est tantum nomen actus seu functionis actualis, sed etiam ordinis, dignitatis & officij. 983
Episcopi olim multa referebant ad seniores. 442. designantur à capitulis Clericorum, & electi consecrantur à consecratis. 447. Apostolorum successores, non tamen in plenitudine potestatis & iurisdictionis. 505. Ecclesiæ columnæ. 532. 533. sacerdotibus conferunt potestatem Ecclesiasticam. 549. etiam curam pastoralem Petri commissis vt oues, & veluti matres agnorum. 582. 583. successores Apostolorum in functione & auctoritate Episcopali & principali quæ cæteris in Ecclesia supereminent. 679. successores etiam Petri generali quadam successionis ratione, non speciali & plenaria potestate. 713. successores metaphorici respectu antecessorum. ibid. Imperatores excommunicarunt in sua Ecclesia vel diœcesi. 766. dicuntur interdum summi, respectu inferiorum. 815. aliqui solum nomine, non re. 983. omnes à Papa iurisdictionem accipiunt. 1140. non habent suam iurisdictionem immediatè à solo Deo. 1142. 1143
Erasmus suspectus & insidiosus. 15. 16. Rex amphibolus Luthero. 16. contra seipsum interpretandus. 16. 17. scripsit veteres non esse ausos Spiritum sanctum appellare Deum. 21. 22. Luthero superbus, mendax, & diabolus incarnatus. 23. profabulis habet vniuersas religiones. ibid. bilinguis. 24. 25. 26. fidem absolutè sumptam pro fundamento Ecclesiæ statuit. 537. Petri nomine intelligit omnes fideles. 541. graphicus criticus. 621. miratur S. Augustinum. 1121. epistolas Innocentij pro suspectis habet. 1143
Ergasilus Augustanus Mauij axioma non admittit. 218. nouitius Prædicans. 222. verbosissimâ disputatione Vbiquitatem defendit contra Caluinistas. ibid. errores erroribus, minores maioribus euertere studet. 222. 223. solœcus. 223. nouam Philosophiam tradit. 224. quod affirmat, mox iterum euertit. 226. articulum de morte Christi è medio tollit. 227. Atopistà. 228. 229. sub finem mundi, ait, omnia loca abolitum iri. 229. in Physicis imperitus. 230. ait Christum humanam naturam statuminasse. ibid. renocat, quod primum omnibus vbiquistis asseruerat. 231. vbiquistæ suæ doctrinæ fundamenta non intelligit. ibid. sibi contradicit. 233. Vbiquitatem repudiantes appellat Nestorianos. ibid. animam dicit dare cerebro potentiam intelligendi. 234. corruptis organis corporeis, alt corrumpi etiam intellectum. ibid. Synclorbistas progenuit. ibid. mentitur. 234. 238. 239. destruit quæ ædificauerat. 235. à suo symmista Mauio, & ab aliis Atopistis & Vbiquistis discordat. ibid. acriter it in Zwinglianos. 236. videt Rationem, vocatq; ioculariter Dominam Rationem, eique silentium indicit. ibid. theses in Tubingensi Academia absque ratione, defendit. ibid. Nestoriano Spiritu afflatus, Filium Dei, & hominem Christum distinguit. 237. concreti & abstracti vsum adfert quadruplicem: Scholasticum, Grammaticum, Etymologicum, Philosophicum. 238. concreta & abstracta Dialectica, cum adiectiuis & substantiuis Grammatici confundit. ibid.
Ergasilus Augustanus mentitur Bellarminum negare idiomatum communicationem in Christo. 304. cum Caluino colludit, licet inuratus Caluini & Caluinistarum hostis videri cupiat. ibid. Christum

ad pœnas gehennæ amandat, quasi ptacula noſtra expiare nequiuerit, niſi inferorum ſupplicia toleraret. 304. 305. Eutychianus, & Petri Gnaphei ſoboles. 305. crimen falſi committit, & ad hymnum Triſagium impiam appendicem adiicit. ibid. Zonaræ proꝛſus contrarium ſenſum affingit, corrupta etiam Latina verſione Lutherani VVolphij. 305. 306. nouitius Pappi diſcipulus. 306

Ertlinus Hunnio Ertlius. 167

Eſau primatum habuit natiuitatis. 636

Eſſe, prius eſt quàm diſtingui. 375. dicitur proprium Dei eſſentialiter, licet etiam ab aliis creaturis in ſuo effectu participetur. 595

Eſſentia diuina communis tribus perſonis. 90. 98. 121. nec generat nec geneꝛatur. 67. 121. ab omnibus rebus indiſtat, imò omnes intimè penetrat. 201. vna & eadem eſt in omnibus tribus perſonis ſubſiſtens, omnis multiplicationis ex inexiſtentia ſeu ſubſiſtentia in realiter diſtinctis hypoſtaſib. expers. 216. diſtinguitur ab hypoſtaſi virtualiter. 217. in omnibus rebus exiſtit per indiſtantiam ſuæ ſubſtantiæ à rebus, & per operationem in illis. 221. cuiuis rei tanquam baſis quædam ſubſternitur. 225

Ethnici multitudinem Deorum ſtatuebant inter ſe rixantium. 413

Euagrius initium facit à Neſtorio. 764

Euangelium dicitur fuiſſe prædicatum in vniuerſa creatura quæ ſub cælo eſt, quia ea Euangelij ſemina iam tum ſparſa erant, quæ orbem à mari vſque ad mare impletura & occupatura erant. 852. prædicabitur in teſtimonium omnibus gentibus, ante conſummationem ſeculi. ibid. prædicatum primùm poſt annum Chriſti octingenteſimum, Moranis, VVandalis & Polonis. 853. noſtra tempeſtate ad eas gentes peruenit, quarum in omni antiquitatis memoria vix extat vllum veſtigium, eas aliquando fide Chriſti fuiſſe imbutas. ibid. toto orbe prædicatum, ſignum eſt Dominici aduentus. 854. 855. in Indiam occidentalem, in Iaponiam, in Chinam, in Braſiliam, in Mexicum, in Peru, in Inſulas Philippinas iam tandem penetrauit, indies̄q; latius propagatur. 855

Eudoxia Arcadij Imp. vxor ab Innocentio I. Pontifice excommunicata, fortè iam mortua. 763. altera Herodias. 764

Eugenius IV. Papa à Baſileenſi Concilio depoſitus. 1104

Εὐλάβειαν metum reuerentialem, non autem metum pœnæ ſignificat. 300.

S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus, ſcripſit aduerſus Agnoitas. 241. affirmat Petrum Romæ in ſuis ſucceſſoribus ſedere. 681. ad Gregorium Magnum ſcripſit. 682

Eunomiani hæretici. 91. 113. 114. Spiritum ſanctum ex ſolo Filio ſuum eſſe habere dicebant. 113. 114. maximè ſub Theodoſio Magno Eccleſiam vexare cœperunt. 241. Agnoitæ. ibid.

Euodius ſucceſſor S. Petri in Epiſcopatu Antiochæno. 616. 625. ſcribit Chriſtum tantum baptizaſſe Petrum ex diſcipulis ſuis. 616. 617

Euppſychius Eunomij diſcipulus. 241. ab aliis Eunomij ſectatoribus ſeceſſionem fecit. ibid. Themiſtio Philoſopho coætaneus vel etiam ſuperſtes. ibid.

Euſebius Petrum vocat primum Chriſtianorum Pontificem, primorum principem, & ducem ac magiſtrum militiæ Dei. 631. 632. Petrum primum Romæ Euangelium prædicaſſe, primumq; cæleſtem doctrinam ex Oriente in Occidentem attuliſſe teſtatur. 665. Marcum Romæ rogatum à Romanis Euangelium ſcripſiſſe vt à S. Petro prædicari audierat, affirmat. 668. ſcribit Petrum & Paulum Romæ martyrio functos, ibidemq; inſignia & ſplendidiſſima eorum monumenta exſtare. 670. Petrum ſcribit fuiſſe infixum vel affixum palo, ſcilicet cruci. 671. Petrum ait primum Chriſtianorum Pontificem Romæ viginti quinque annis eiuſdem vrbis Pontificem perſeueraſſe. 680

Euthymius ſcribit Chriſtum baptizaſſe ſuam matrem & S. Petrum, à quo Petro reliqui Apoſtoli ſint baptizati. 617. ſcribit Petrum ſuper Apoſtolos præſidentiam accepiſſe. 635. Petrum vocat totius orbis magiſtrum. ibid.

Eutyches diuinitatem docuit eſſe paſſam. 133. Neſtorio aduerſa fronte repugnat. 160. non primus Auctor ſuæ hæreſis, ſed celebrior. 241. munit ſe præſidio Imperatorij & potentiſſimorum quorumque ex aulicis, ſub quorum alis delitescens, S. Leonis monita & cenſuras aſpernatur. 770

Eutychiani hæretici, humanam Chriſti naturam in diuinam tranſiiſſe fabulabãtur. 240. ad hymnum triſagium impiam appendicem adiiciebant. 305. Synodum Chalcedonenſem exterminare tentarunt. 751.

Ex malo facto elucet probus mos. 775

Exarchus Rauennas militari manu armatus, neminem eligi in Romanum Pontificem volebat vel ſinebat, niſi quem Imperator & ipſe vellet. 1090

Exarchus Græcis eſt Epiſcopi, Archiepiſcopi vel Patriarchæ quaſi Vicarius, vel Officialis ſeu Fiſcalis. 777

Exarchus Diœceſeos accipitur pro Metropolitano. 777

Exarchus Prouinciæ Balſamoni eſt Metropolitanus diœceſeos, quæ multas ſub ſe habet prouincias. 777. 778

Excommunicatio à totius Eccleſiæ cõmunione ſeparat. 768

Exempla fingi & refingi poſſunt, donec ad propoſitum quadrent. 569

Exercitus non tantum viribus conſtat, ſed etiam numero militum. 590

Ezechiel Propheta ſub nomine & ſchemate Regis Tyri loquitur de gloria & magnificentia illa qua Lucifer ante ruinam è cælo clareſcebat. 972. Sub nomine principis Moſoch & Thubal vaticinatur de Antichriſto eiuſque exercitu. ibid.

F.

Faber Stapulenſis eiuſdem farinæ cum Tubingenſi. 167.

Factum tenet. 741

Fatum plura poteſt negare, quàm decem ſapientes probare. 301

Felix Papa à S. Athanaſio laudatus. 532. 533

Felix Papa Acacium Conſtantinopolitanũ excõmunicat. 772.

Felix II. Papa ab hæreticis falsò Arianismi insimulatur. 1048. 1049. vt martyr Christi ab Ecclesia colitur. 1049. Constantium Imperatorem Arianum anathemate percussit. 1051

Felix hæreticus, ex Africa ad sedem Apostolicam appellat. 775. 777

Felix Malleolus. 985

Fides sola, secundum Hæreticos, viuificat & saluat. 196. in Christum tendit, vt in auctorē. 543. vna est 716

Fieri & factum esse idem est in substantialibus generationibus. 70. 104. 295. in successiuis mutationibus differunt quidem, sed fieri ad factum esse tanquam ad terminum ordinatur. 295

Filius imago Patris. 123

Firmilianus apud Cyprianum, nimio erroris sui de rebaptizatione hæreticorum amore, asseruit, Romanos non seruare, quod Apostoli tradiderunt. 1025

Flauianus Patriarcha Antiochenus à Damaso depositus. 746. tandem missis legatis, & imperatoris interuentu sedi Apostolicæ satisfecit, & pro legitimo pastore ab omnibus est habitus & agnitus. ibid.

S. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, aduersus Eutychianos. pro orthodoxa fide inuictus propugnator. 746. à Dioscoro Alexandrino depositus & pugnis contusus. ibid. ad Romanum Pontificem appellauit. 776

Florentinum Concilium, in quo denuo Græci cum Latinis fuerunt coniuncti. 112. vulgò octaua Synodus Oecumenica audit, sed falsò. 124

Florimundus Remundus Regius Consiliarius in Parlamẽto Burdegalensi. 984

Forma constituens, distinguit quoque. 120

Formaliter, non est idem quod essentialiter. 202. 204

Formatæ litteræ post nomẽ Patris & Filij & Spiritus sancti, nomen Apostolorum principis adiunctum habebant. 629. 630. earum forma à Nicæna Synodo tradita. 629. 799. 800. communionis cum Cathedra Petri, & Catholicæ fidei testes. 630

Formosus Papa defenditur à calumniis hæreticorum. 1086. 1087

Fortunatus hæreticus ex Africa ad sedem Apostolicam appellat. 775. 777

Foxus videtur inuidisse Zvinglio suum somnium de Eucharistia. 893. die quodam Dominico expergefactus manè, & de quadraginta duobus mensibus Apocalypticis cogitans, subito sibi tanquam intra se responsum sentit: Quin, inepte, menses istos per sabbata numerato. ibid. Testem Deum appellat sui somnij. ibid. à seductore & impostore Spiritu persuasus. 893. 894. Illyricianus seu Flaccianus. 894

Franciscus Agricola librum scripsit de S. Petri Romam aduentu. 702. 704

Franciscus Iunius Antichristum dicit venisse tempore Apostolorum. 847. Vide V. Iunius. Caluinista. 873

Franciscus Patricius Senensis opus de regno post libros de institutione reipub. elaborauit. 412. Monarchiam simplicem omnibus aliis gubernandi formis anteponit. ibid. ab vnitate pro Monarchia argumentũ petit. 419

Franciscus Suarez Societatis Iesu. 164. 226. optimus S. Thomæ interpres. 302

Freherus Caluinianus. 1160

Funccius hæreticus. 984

Fundator non tantum ille est qui prima fundamenta iacit, sed etiam qui ad primitus iacta fundamenta insigne & cõmemorabile incrementum addit. 664

Furor iraque mentem præcipitant. 916. caret oculis. 930.

G.

Gabriel, vir Dei, vel fortitudo Dei, vel fortis meus Deus. 50

Gabriel Pouelus Caluinista Anglus. 819. Vide V. Pouelus. Antichristum dicit natum esse tempore Apostolorũ, cœpisse regnare tempore Phocæ Imperatoris, reuelatum esse tempore Lutheri, destruendum in fine mundi. 847

Gedeon constitutus à Deo Dux & iudex populi. 423. Monarcha. ibid. vicit Madianitas. ibid.

Gelasius Pontifex Romanus asserit Ecclesiam Romanam non Synodicis constitutis, sed Euangelica voce Domini primatum obtinuisse. 738. epistolam scripsit ad Episcopos Dardaniæ. 745. 746. 771. 772. omni antiquitati venerabilis. 772. defenditur contra hæreticorum calumnias. 1054

Gelasius Cyzicenus. 1054

Genebrardus vir doctiss. Scheckium castigat. 46. 48. vno in loco non bene reprehendit Caluinum. 65. ad Archiepiscopatum Aquensem in Prouincia, Apostolicæ sedis gratia prouectus. 399

Genesa, bestia ex abysso ascendens, infestissimo in omnes orthodoxos, & in priscam auitamq; doctrinam animo. 925

Genouenses Seruetum exusserunt. 1. 2. 4. à Danæo superlatiuè laudantur. 4. Tropistæ. 71. totum S. Trinitatis mysterium tropis suis euertunt. 71. Puritani. 439. Aristocratici. ibid. habent quem negant & quem nolunt, vnum tantum Episcopum. 441. senieres rationem reddere coguntur per singulas septimanas administratæ prouinciæ. 455. aliquandiu concordes ob Caluini & Bezæ dominationem. 456. iurisdictionis angustos habent terminos, & Ministros Ecclesiarum paucos, quibus ab vnius sententia pendeant. 457.

Gentilis nouus Arianus, à Bernensibus exustus. 1. 2. ex Lutheri & Caluini schola prodiit. 3. 4. naturam diuinam diuisit. 74. Patres reiicit. 480. 528.

Genus abstrahit à differentijs contrahentibus. 70

Georgius Nigrinus hæreticus. 984

Georgius Scherer Soc. I. 984

Germani de Ô cum honoratiore, verbũ pluralibus loquuntur. 66

Gloria Patri & Filio, &c. 50

Gnoma occasione vnius particularis facti, sæpe progignuntur generales. 413

Gog Antichristus. 970. 973. dicitur à Magog, non è conuerso. 970. princeps gentis quæ dicitur Magog. 971. 972. Rex seu princeps cum exercitu suo Antichristum defendens. 973

Gotfridus Viterbienſis duos texit Catalogos Pontificum Romanorum. 988

Gothi ſedem Apoſtolicam venerati. 761. exactis Imperatoribus Romam occuparunt & aliquandiu tenuerunt. 864. 967. Ariani. 1089

Graci propter diſſenſionem ab Eccleſia Romana, ſub Turcicum iugum redacti. 82. nunquam magis floruerunt, quàm cum Eccleſia Romana ſentientes. 83. in Concilio Florentino Latinis aſſenſi. ibid. negant Spiritum ſanctum à Filio procedere. 94. ſchiſmatici. ibidem. refutantur à Manuele Caleca, Gennadio, Beſſarione, & Patribus Concilij Florentini. 94. 95. aliqui redeunt ad Catholicam fidem. 95. comparantur cum Iudæis. ibid. videntur crucifigere Spiritum ſanctum. 96. codices Conciliorum depravare ſoliti. 112. pro ſe citant Patres Latinos, & Romanos Pontifices. 116. 117. Spiritum ſanctum dicebant, ſecundum Latinos eſſe nepotem Patris. 118. Photianum conciliabulum in locum octavi Concilij Oecumenici ſubſtituerunt. 123. Epiſcopum Conſtantinopolitanum tribus Patriarchis orientis anteponere, & ſecundum à Romano Pontifice facere voluerunt. 398. in Concilio Chalcedonenſi definierunt, non tamen ſine fraude, & abſentibus legatis Romanis, Conſtantinopolitanum Epiſcopum ita ſecundum à Romano eſſe debere, vt tamen habeat æqualia priuilegia. ibid. primatum in Eccleſia abſolutè non negarunt, nec auerſati ſunt, ſed cum ſuo Patriarchæ Conſtantinopolitano vendicare aggreſſi ſunt. 398. 720. Actis quintæ & ſextæ Synodi multa inſeruerunt. 720

Græci defectionem à Romana Eccleſia moliuntur, & pernicioſum ſchiſma parturiunt. 747. Trullanos Canones de nouo componunt. ibid. acta quintæ & ſextæ Synodi corrumpunt, & ad ſuas machinationes inflectunt. 752. ſanda infanda in Romanam Cathedram totamq; Latinorum gentem expuerũt, & integra volumina contra Papam euulgarunt. 986. Tertiam, Quartam, Quintam, & Septimam Synodos corruperunt. 1062. epiſtolam S. Leonis adhuc viuentis corruperunt. ibid. epiſtolã Adriani I. mutilant. 1064

Gratia non deſtruit naturam, nec naturæ ordinem rerũq; quidditates peruertit. 406

Gratianus quinquaginta Canones Apoſtolorum agnoſcit. 53. nonnũquam verba quædam addit ad Canones, explicationis gratia. 786. Canones à Sigeberto ſchiſmatico conflictos, incautè in Decretum intulit. 810. Trullani conciliabuli decreta perperam ſextæ Synodo adſcribit. 816. ſæpius à vero deflexit. ibid.

Gregorius Magnus ſeptimæ ætate floruit. 53. Luciferum, putat reliquorum Angelorum fuiſſe caput, non ſolùm quo ad naturam, ſed & quoad præſidentiam & prælationem. 479. 481. ſemper fuit mitis. 482. Petrum appellat Apoſtolorum Principem eique totius Eccleſiæ curam fuiſſe commiſſam dicit. 573. ſedem Romanam, Alexandrinam & Antiochenam, aut eſſe vnam vnius Petri ſedem. 627. primatum Petri aſſerit. 639. ſcribens in Pſalmos pœnitentiales, grauiſſimè in Imperatorem iuſ eligendi & confirmandi Pontifices, ſibi arrogantem inuehitur. 741. priuilegium inſigne Monaſterio S. Medardi concedit. 761. 762. violatoribus conſtitutionum Apoſtolicarum non modò pœnas minatus eſt, ſed & aliquando inflixit. 762. Imperatori ſe ſubiecit non in ſpiritualibus & rebus Eccleſiaſticis, ſed in politicis, idq; non de iure ſed de facto, vel potius ex humilitate, quia ita tunc faciendum ſuadebant temporum circumſtantiæ. ibid. diſpenſat cum Siculis vt ſemel tantum in anno prouinciale ſynodum habeant, relaxando Canonem qui bis fieri præcipiebat. ibid. diſpenſauit cum Anglis circa matrimonia in gradibus alioqui prohibitis ineunda. 762. 763. Epiſcopum Iuſtiniana prima excommunicat, quod indicaſſet Epiſcopum Thebanum, qui ad Apoſtolicam ſedem appellauerat. 776. Synodos Oecumenicas ab hæreticis depravatas, ex Romanis codicibus reſtitutas teſtatur. 797. Imperatorem Sereniſſimum ſuum Dominum, & ſe ſeruum Imperatoris nominare conſueuit. 807

Gregorius Magnus, non ſine cauſa humiliter cum Imperatore locutus, quia eius ope & amicitia vehementer indigebat, vt tam ipſe, quàm bona temporalia Eccleſiæ ſuæ, & populus Romanus à Longobardorum gladiis & furore defenderentur. 808. Petrum vocat primum Eccleſiæ membrum. 816. duos illos eximios prædicatores Henoch & Heliam dilata morte ſubtractos dicit, vt ad prædicationis vſum in fine reuocentur. 879. ſcribit Antichriſtum celebraturum diem Dominicum in honorem reſurrectionis non Chriſti, ſed ſuæ, non veræ, ſed ſimulatæ. 950. fauet eorum ſententiæ qui ſimpliciter negant, Papam etiam vt priuatum Doctorem vnquam incidiſſe aut incidere poſſe in hæreſin. 1018. ſcribit Conſtantinopolitanos corrupiſſe Synodum Chalcedonenſem, & idem ſe ſuſpicari de Epheſina. 1063. deplorat non ſemel amariſſimè Imperatores Orientis poteſtatem eligendi Pontificis ſibi arrogãtes. 1089

Gregorius II. Pontifex Romanus S. Bonifacium in Germaniam Euangelij docendi cauſa miſit. 506

Gregorius III. Leonem Iſaurum Imperatorem excommunicauit. 767. Occidenti ſalutem attulit. ibid. à perfido Imperatore diſceſſit, & ad Francos tranſiit. ibid. Leonem Iſaurum imperio occidentali priuauit. 768. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1081. 1083

Gregorius VII. legitimè electus. 741. 742. à continentia laudatus. 742. imperterritus & magnanimus Pontifex. 766. Henricum IV. Imperatorem excommunicat. ibid. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1038. & ſeq.

S. Gregorius Nazianzenus S. Hieronymo familiaris. 116. ſeruum & ignorantem Chriſti carnem dicens explicatur. 254. ſanctum Petrum

dicit Ecclesia fundamenta fidei suæ credita habere. 535. 633
S. Gregorius Nyssenus S. Hieronymo familiaris. 116
Gregorius de Valentia Societatis Iesu, Authoris Præceptor. 53. 140. 164. 715. 716. 1097. 1100. 1127
Gubernatio omnis vel est Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica, vel ex his conflata. 403. 404. Ecclesiastica & Politica in genere conueniunt. specie differunt. 404. 405
Guilhelmus Barclaius contra Monarchomachos scripsit. 410. 428

H.

Hadrianus II. Papa, sub quo Concilium Octauum Oecumenicum inchoatum & absolutum. 123, 124. Photium damnauit. 124
Hadrianus Saravia Caluinianus Minister in Anglia contra Geneuenses aliosque Puritanos, & maximè Bezam, defendit, distinctionem Episcoporum à Presbyteris, & Archiepiscoporum & Primatum ab ipsis, iure diuino introductam. 504. Vide etiam V. Saravia. & V. Adrianus Saravia.
Hæretici arrogantia animalia. 218. inconstantes, & ab omni vento doctrinæ circumrotabiles. 277. calumniantur Sanctos Patres. 322. quidam Deum esse negarunt. 410. Christianos, vt tales, ab omni Ecclesiastico & politico imperio absoluunt. 434. contendunt Antichristum propriè dictum non esse singularem personam, sed singularem thronum siue regnum tyrannicum ac sedem Apostaticam eorum qui Ecclesiæ præsident. 822. 823. arbitrantur Antichristum iam venisse 846. Gazari, Patareni, Leonistæ, Speronistæ, Arnoldistæ, Circumcisi. &c. ab Imperatoribus perpetua damnati infamia, diffidati, atq; banniti, eorumq; bona omnia confiscata. 882. de charactere Antichristi inter se non conueniunt. 907. Antichristum Romæ tanquam in metropoli & primaria Imperij sui vrbe regnaturum contendunt. 917. Antichristum in vera Ecclesia Christi sessurum interpretantur. ibid fingunt se agnos. 946. idololatræ dici possunt, late sumendo eam vocem. 951. ab Apostolo mysterium iniquitatis appellati, qui occultè agunt quod palam Antichristus actitabit. 952. Deum Maozim apud Danielem sacrificium Missæ interpretantur. 960. 961. etiam à suis placitis discordant, si discordia ad propositum obtinendum appareat aptior, quàm symphonia & consensio. 969. Ecclesiasticam potestatem imminuere & penitus exterminare conantur. 1125
Hebræi nomen Dei plurale cum verbo singulari iungunt. 65. 66. reipublicæ gubernationem habuerunt Monarchicam. 421. Deo quasi excluso, regem sibi dari postulant. 424. in ciuitatum portis ius dicebant. 428. habuerunt præter summum, etiam alios minores Principes, eosque ex omni plebe assumptos. 429. latissimè per mundum dispersi. 486. vtebantur annis & mensibus lunaribus, etsi eos reuocarent ad solares, addendo sexto quoq; anno vnam lunationem. 889. 890
Heilbrunner in Acatholico suo Papatu nihil attulit noui, quod non sit à Iunio, Danæo, Sutlinio, Pouelo, Abbate, &c. mutuatum. 1009. 1010. Hunnij Antitannero præfixit quoque suum nomen tametsi falso. 1009. magnas debet gratias VVolffio Lauingæ impresso. à quo multum est adiutus 1010. suum Hunnium sub culiro reliquit, non sine nominis sui infamia, quod in vestibulo Antitanneri cum Antistitis titulo prostituerat. ibid. duobus Academicis Professoribus è Societate Iesu est in ære. ibid.
Heli princeps politicus simul & Ecclesiasticus. 1163
Helias Baalitticos sacrificulos peremit, vt extraordinarius diuinæ iustitiæ administer. 810. iam venit, non in se, sed in suo simili, nempe in Ioanne Baptista. 841. secundi Christi aduentus præcursor. 869. Thesbites. 870 propter Iudæos præcipuè mittendus, quos conuertet ibid. Iudæos & hæreticos. & fortè multos Catholicos ab Antichristo deceptos reducet in viam. 871. antequam igneo curru tolleretur è terra, clausit cælum, ne pluerèt annos tres, & menses sex. 873. restituet omnia quæ ab Antichristo Christi aduersario destructa fuerant. 876. hoc erit in secundo Christi aduentu, quod in primo Ioannes. 877 magnus mirabilisq; Propheta, per quem vltimo tempore ante iudicium Iudæi in Christum credent. ibid. ante aduentum Iudicis Saluatoris non immeritò speratur esse venturus, qui etiam nunc viuere non immeritò creditur. 878. curru igneo raptus de rebus humanis. ibid. exponet legem spiritaliter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt. ibid iam aliquid melius habet quàm in hac vita posset, quamuis nondum habeat, quod ex hac vita rectè gesta in fine habiturus est. 879. ad eius nutum & iussum descendit ignis de cælo, & deuorauit legatos Regis Achab. 966
Helisæus Propheta vidit, quamuis absens, quando Giezi accepit vestes & argentum, & quo consilio hoc fecerit. 193. 234. detexit occulta consilia & positas insidias Regis Syriæ. 193
Heluidius temerè, & contra scripturam, totiusq; Ecclesiæ consensionem asseruit Deiparam virginem virginitatem amisisse. 919. 920
Henoch & Helias adhuc viuunt, vt venienti Antichristo se opponant. 866. necdum venerunt. ibid interficientur ab Antichristo, & corpora eorum per tres dies manebunt insepulta in platea Hierusalem, & post tres dies resurgent, & in cælum ascendent. 872. venient eodem tempore quo Antichristus, & habebunt potestatem claudendi cælum ne pluat, & conuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga. 872. 873. creduntur redituri in hanc vitam, & quod tamdiu dilatum est, morituri. 879. nunc in tranquillo, quieto, nostroq; longè feliciore statu degunt, nondum autem gloria cælesti & beata illa visione Dei fruuntur. ibid. pugnaturi cum Antichristo in Hierusalem, & ab eodem ibidem occidendi. 919. habent potestatem claudendi

claudendi cælum, ne pluat, & conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga. 966

Henricus Bullingerus dicit Antichriſtum veniſſe centum vel ducentis annis poſt Phocam Imperatorem. 847. 848

Henricus Echartus Heſſus Lutheranus Magiſtellus. 1175

Henricus IV. Imperator à Gregorio VII. Pontifice excommunicatus. 766. non fuit primus in quem Apoſtolica ſedes anathematis fulmen coniecit. 768. Clementem Antipapam Gregorio VII. oppoſuit. 1007

Henricus IV. Imperator, & quintus Rex, indebita ſibi arrogat. 1095. à Paſchali II. Pontifice ſuam in poteſtatem redacto, vi & armata manu extorſit, quicquid parens eius diu affectauerat. ibid.

Henricus V. Imp. contra legitimam electionem Gelaſij II. ſeſe opponit. 1095. tandem ſub Calixto manus dedit, & Eccleſiæ ſuæ iura intacta reliquit, & promiſſione perenni ad id ſe obliganit, receptus cum omnibus ſuis in gratiam Eccleſiæ, & excommunicationis vinculo exſolutus. ibid.

Henricus VIII. Angliæ Rex ſe caput Eccleſiæ conſtituit. 434

Henricus Stephanus Caluiniſta. 300. Aλυ tantum Inferos ſignificare dicit, non ſepulchrum. 309

Herbrandus Hunnij præceptor. 167

Hermanus Æditus. 985

Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus ad VVirtenbergenſes Doctores Lutheranos. 94. & ſeq. imponit Latinis. 98. verboſus. 101. negat Spiritum dicere reſpectum ad Patrem vel Filium. 109. negat eſſe relatiua, quæ ad aliud ſe habent vel dicuntur. 109. 110. falsò pro ſe citat Latinos Patres & Pontifices. 116. 117. 125. mentitur. 125

Hieremias Propheta in vtero matris ſuæ Propheta in gentibus conſtitutus. 247. ex vtero matris ad prædicandum vocatus. ibid. vni Hebræorum genti præpoſitus, vt Propheta & Doctor extraordinarius. 635

S. Hieronymus de nomine hypoſtaſeos à Damaſo Pontifice inſtrui petiit. 5. 7. 9. Gregorio Nazianzeno & Nyſſeno familiariter vſus. 116. ſanctos vbique eſſe ſcribens explicatur. 167. vnionem Chriſti expletam eſſe dicens anno eius trigeſimo explanatur. 247. 248. in Chriſtum ait deſcendiſſe omnem Spiritum ſancti fontem, ſecundum humanam ſcilicet naturam. 250. ait Chriſtum in vtero matris fuiſſe virum perfectum. 250. 251. aſſerens Chriſtum in ſeipſum reuerſum fuiſſe, explicatur. 272. item aſſerens Chriſtum paſſum pro nobis, quod nos pro noſtris debebamus ſceleribus ſuſtinere. 294. per propaſſiones in Chriſto intelligit paſſiones rationem nunquam anteuertentes. 296. commentarium in Zachariam celeriter dictauit. 316. dixit, Deum puniuiſſe multo tempore Noë aquis diluuij, ne deberet eos punire in gehenna in æternum. 326. Monarchiam probat. 414. putauit Eccleſias olim communi presbyterorum conſilio fuiſſe gubernatas, dependenter tamen ab Apoſtolis. 443. affirmat Ariſtocratiam quia non bene ſuccedebat, communi orbis terræ conſilio in Monarchiam eſſe mutatam. 444. diſertis verbis docet Petrum fuiſſe caput totius Eccleſiæ à Chriſto conſtitutum. 445. Petrum ait præ Ioanne fuiſſe conſtitutum caput, non quod coniugium virginitati anteponendum ſit, ſed vt ſchiſmatis tolleretur occaſio. 459. 460. 539. 638

S. Hieronymus ſuper Petrum aſſerit ædificatam Eccleſiam. 538. Damaſum vt fidei Chriſtianæ ſummum Antiſtitem, doctorem & interpretem ſequitur. ibid. Cathedræ Petri communione conſociatus. 539. 817. Petrum ait fuiſſe ſeniorem Ioanne, non autem omnibus Apoſtolis. 598. Petrum Chriſto dicentem, Abſit à te Domine, non erit tibi hoc, ait erraſſe in ſenſu, non in affectu. 649. ἀναμαρτησίαν appellat impeccantiam. 651. ſuadet Marcellæ vt Roma migret Hieroſolymam. 661. Romam propter vitia quæ frequentem variarũ nationum concurſum, operoſq; ac diuitias amplas comitari ſolent, Babylonem Apocalypticam eſſe dixit. 661. 662. Petrum dicit Romæ fuiſſe commoratum, eiusq; diſcipulum Marcum ibidem Romanorum rogatu Euangelium ſcripſiſſe. 668. ſcribit Petrum à Nerone crucifixum capite inuerſo & pedibus erectis, quod ſe indignum aſſereret qui crucifigeretur vt Dominus ſuus. 671. Petrum dicit Cathedram ſacerdotalem Romæ tenuiſſe viginti quinque annis. 682. 683. ſuper Damaſum, id eſt, ſuper cathedram Petri ædificatam Eccleſiam teſtatur. 817. Euangelium toto orbe prædicari, dicit eſſe ſignum Dominici aduentus. 854. 855. ſententiam de aduentu Heliæ ante iudicium extremum in propria perſona, tandem amplectitur. 868. 869

S. Hieronymus docet ex Apocalypſi S. Ioannis Henoch & Heliam venturos, & ab Antichriſto interficiendos. 875. carnalem expoſitionem eorum quæ in Apocalypſi de gloria nouæ Hieruſalem, deque regno Chriſti & mille annis habentur. In daicis fabulis adſcribit. ibid. teſtatur Hippolytum ſcripſiſſe de Antichriſto. 878. Iudaicas fabulas eſſe dicit credere Templum & Hieroſolymam denuo ædificatum iri ad cultum, ritus, ceremonias & ſacrificia legalia: non autem Iudaicis fabulis deputat, templum reſtitutum iri, vt in eo Antichriſtus ſedeat. 921. religionis ergo peregrinatus eſt Hieroſolymam. 941. Antichriſtum dicit palam negaturũ Chriſtum. 949. ex omnium ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſenſu ſcribit Antichriſtum tres reges, Ægypti, Africæ & Æthiopiæ ſuperaturum & interfecturum. 968. fidem Romanorum ait mutari non poſſe, neque veteratorias præſtigias recipere. 1027

Hieroſolyma euerſa & readificata. 642

Hieroſolymitanum Concilium Anno Chriſti quinquageſimo primo celebratum. 694

Hieroſolymitanus Epiſcopus non re ſed nomine Patriarcha. 623. ſub iuriſdictione & poteſtate ſui Metropolitani, nempe Archiepiſcopi Cæſarienſis 644

D. Hilarius Deum Patrem Filio maiorem dicens, quomodo intelligendus. 36. item Crucem, mortem, inferos, vitam noſtram eſſe aſſerens. 302. vix agnouit

dola res ſenſibiles in Chriſto, & Theologũ laborem excuſandi ſui procreauit. ibid. quaſi ex profeſſo Caluinum refutat, tantum non nominans. ibid. negat Chriſtum ſecundum naturam humanam pœnas inferni metuiſſe. 303. ideo dixit, inferos Chriſti eſſe noſtram vitam, & in inferno mortem occiſam, quod Chriſtus eò deſcenderit, vt inde ſanctos eriperet. ibid. S. Petrum beatum cæli ianitorem appellat. 537. S. Petrum ait ſupereminentem beatæ fidei ſuæ confeſſione locũ promeruiſſe. 543. 556. ſolum Petrum ex Apoſtolis plenitudinem clauium & independentiam accepiſſe cenſuit. 563. Sutliuio Hilarus. 760. per abominationem deſolationis, Antichriſtum intelligit. 854. Antichriſtum ramo ficí comparat. ibid. cum dicit ſe in ætatem Antichriſti incidiſſe, loquitur de Antichriſto latè, prout quemlibet aduerſarium Chriſti ſignificat, præſertim hæreticos, quorum ingens erat tum copia. 948. 949

Hippolytus Martyr ſcripſit de Antichriſto. 878. Henoch & Heliam reuerſuros docet. ibid. Antichriſti characterem futurum dicit, non vti ſigno Crucis, ſed illud potius execrari & abolere. 909. Antichriſti characterem dixit fortaſſe futurum verbum ἀρνοῦμαι, id eſt, nego. 918. 950. Antichriſtum, omnesq; eius aſſeclas apertè Chriſtum negaturos, non ſemel affirmat. 950

Hiſtoria humana tanquam fundamento & baſi nititur humana auctoritate. 688. teſtis temporum & veritatis index. 853

Homerus multitudinem eorum qui imperant, damnoſam eſſe affirmat, vt & vnitatem fructuoſam. 413. Regem vocat paſtorem populorum. 579

Homo de homine naſcitur. 73. accipit per generationem eſſe humanum, id eſt, ſeipſum. 107. totus corrumpitur, cum moritur, nec tamen anima, nec materia corrumpitur. 165. formaliter eſt viſibilis, non tamen eſſentialiter. 204. definit eſſe homo per mortem. 226. 347. 348. vapor ad modicum parens. 470. compoſitus ex materia & forma. 914

Homouſij vocabulum Catholicorum ſymbolum quo ab Arianis ſecernebantur. 63. in Concilio Nicæno frequentatum, ſed eo longè antiquius. 64

Honorius Italiæ & Occidentis Imp. 967

Honorius I. Pontifex Romanus à Monothelitarum hæreſi abſoluitur. 1058. & ſeq.

Hormiſda Papa Saluſtio vices ſuas demandat tanquam vicario. 772. 773

Hoſpinianus Caluiniſta. 188. 206. 209

Hoſtiæ pro peccatis comburebantur olim in lege veteri. 287. ſignificabant Chriſtum amoris igne flagrantem pro nobis paſſurum ac moriturum. ibid.

Hotomannus reiicit epiſtolas Ioannis II. ad Iuſtinianum Imp. 735. inſanus Caluiniſta. 783. totius Controuerſiæ de Pontifice euerſionem promiſit, ſed morte præuentus. ibid. negat iure diuino conceſſas eſſe appellationes ad ſummum Pontificem. ibid. furiosè bacchatur in Papam. 786. 787. Concilij Carthaginenſis Canones inuertit & peruertit. 787. Hoſium Papæ paraſitum vocat. ibid. Bellarminum appellat nugatorem. 789. mentem & verba Africanorum falſat. 790. perfidè Balſamonem citat. 791. 792. 793. Nicephoro tribuit, de quibus nunquam cogitauit. 793. Iulium & alios orthodoxos Epiſcopos accuſat, Arianos excuſat. ibid. ſemel cum Bellarmino concordat. 794. conuiciatur. 797. mentitur. 787. 793. 794. 795. 796.

Hugo Ætherianus primatum Petri aſſerit 635. inter Græcos diutiſſimè vixit, Græcè doctiſſimus. 636. ſub Emmanuele Comneno floruit. ibid.

Hunnius diſputationem quandam edidit, quam inſcripſit: Labyrinthum Papiſticum. 147. euertit totum myſterium S. Trinitatis. ibid. ab Auctore in Deſtructione Labyrinthi refutatus. ibid. ſeipſum implicat, confundit, jugulat. 152. mentitur. 166. 167. 168. 169. 1010.

Hunnius generalis Superintendens Saxoniæ. 169. indoctus. ibid. in rebus tritis hallucinatur. ibid. imperioſus. ibid. pro, mehercle, vſurpat, me Chriſto. 174. in Antitannero ſuo nihil noui attulit, quod non fuerit à Iunio, Daneo, Sutliuio, Pouelo, Abbate, &c. mutuatus. 1009. 1010. legitimi matrimonij vſum, vocat pollutionem & contaminationem. 1052

Huſſitæ in Bohemia. 880. Lutheranos & Caluinianos deteſtantur, neque vllo modo pro membris Eccleſiæ ſuæ agnoſcunt. 881

Huſſus diutius quàm per triennium & ſemeſtre peſtiferam ſuam doctrinam in Bohemia ſparſit. 830. in cineres & fauillam redactus extra ciuitatem Conſtantiam, nec reſuſcitatus, nec in cœlum aſcendit. ibid. fabulam de Papa femina pro vera tradidit. 985

Huttenus Lutheranus. 1160

Hyginus Romanus Epiſcopus octauus à Petro. 677

Hypoſtaſis, ſiue ſubſiſtentia, idem quod Perſona. 85. non eſt locus naturæ. 230

I.

Iacobus Gretſerus. Vide V. Auctor.

Iacobus de Regis Curia. 985

S. Iacobus in Hiſpaniam ductu & auſpicijs S. Petri conceſſit. 507

S. Iacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus conſecrationem ſuam & dignitatem Epiſcopalem à Petro mediatè vel immediatè accepit. 620. Apoſtolus, & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ particularis Epiſcopus. 626. 643. 693. anno Redemptoris ſexageſimo tertio, Martyrio affectus. 693

Iacobus Curiæ. 985

Iamneſius Pſeudepiſcopus Dunelmenſis. 402

Iconius dicit Antichriſtum veniſſe tempore Phocæ Imperatoris. 847

Iconomachi luculentam plagam Græcanico Imperio impoſuerunt. 83

Iehoua nomen nuper excogitatum. 51

Iephte certus eſſe volebat de imperio Monarchico, ſi victoriam de filijs Ammon reportaſſet. 423

Ieſus nomen ſalutiferum Chriſti ignotum erat ante Chriſti aduentum, nũc eſt notiſſimũ. 903. ab Angelo demũ

de cœlo allatum. 904. venerandum nomen, prout Saluatorem noſtrum ſignificat, atq; adeò formaliter vt ſignum eſt. 938. ſanctiſſimum, & debito honore genuflexionis, capitis apertionis & inclinationis ab omnibus efficiendum. 938. 939.

S. Ignatius Petrum & Paulum Romæ martyrio functos eſſe innuit. 672.

Ignis communicatur ferro ignito phyſicè. 199. 200.

Ignorans non eſt, qui quod prius ſciuit, alio modo cognoſcit. 249. nec ille, qui aliquid ſcit ex relatione amicorum, quod neſcit ex libris. 256. nec ille, qui rem abſolutè & verè nouit, non autem per proprij intellectus induſtriam, vel experientiam. 262. non tam facile pellet & ſanabit ignorantiam, nec ita ignorantibus compatietur, vt ſcientia & ſapientia inſtructus. 263.

Ignorantia non omnis à peccato excuſat. 8. in infantibus non eſt peccatum. 253. ſignificat aliquid quod ſciri poſſit ſciriq; deceat, ita neſciri, vt nullo alio modo ſciatur. 256. ad redemptionem generis humani nihil penitus conducebat. 257. praua diſpoſitionis, vel priuatiua, quæ moraliter imputetur cuidam imperfectioni hominis. 258. negatiua ſeu puræ negationis, à ſcholaſticis vocatur neſcientia. 258. 259. naturalis, quæ à primo ortu nobis ineſt 262.

Illyricum primas in Eccleſia partes tribuit Democratiæ, ſecundas Ariſtocratiæ. 432. peccata S. Petro affingit. 652. 653. de Concilio Carthaginenſi mentitur. 788. Antichriſtum dicit eſſe natum circa tempora Phocæ Imperatoris, ducentis antè annis conceptum, & aliis centum in vtero matris nutritum. 847. Lutheriſta. ibid. omnibus Sacramentariis & Caluiniſtis infeſtiſſimus & infenſiſſimus. 976.

Immeatio naturarum commentitia & Atopiſtica. 232. 233. 234. 235. 237.

Imperator Romanus Monarcha. 427. ſummus in rebus politicis Iudex in Imperio. 759. clericos iudicare non poteſt, quanto minus Pontificem. 805. verè dicitur Romanus Imperator hac tempeſtate, licet nec Romæ nec Romanis imperet. 906. aſcendenti Pontifici equum, tenet ſtrepam ſeu ſtapedem. 1002.

Imperatores non ſunt iudices Epiſcoporum. 806. Fridericus I. Fridericus II. Otho IV. Henricus IV. Henricus VII. Ludouicus Bauarus, minimè Caluiniani vel Lutherani. 881. Philippicus, Leo Iſauricus, Copronymus, Antichriſtiani prodromi, Eccleſiam & omnes orthodoxos grauiſſimè afflixerunt & diriſſimè exagitarunt. 882.

Imperium Romanum omnimodè deſolandum, & deſtruendum, antequam veniat Anitichriſtus. 856. & ſeq. à Græcis ad Francos per Romanum Pontificem translatum. 856. commutatum de temporali in ſpirituale. 856. 857. adhuc durat, tametſi extra Romam. 857. ante aduentum Antichriſti in decem reges diuidetur, quorum nullus ſit aut dicatur rex Romanorum. 857. longo tempore geminum fuit, alterum ſcilicet in Oriente, alterum in Occidente. 858. refertur ad Imperatorem Romanum, vt relatiuum. 859. aliquandiu ante finem mundi penitus abolebitur & extinguetur. 862. ô quam potens, & quam cunctis hoſtibus formidabile eſſet, ſi per hæreſin dulcepacis & vnitatis vinculum ſolutum non eſſet. 864. ſine vrbe Roma bene conſiſtere poteſt. ibid. ad Chriſtianam religionem traductum. Sacrum audire cœpit, & ſub Conſtantino Magno maximè floruit. 865.

Impudentia, cum inſcitia coniuncta, quid non audet? 207. 762.

Indi Orientales nonnulli à S. Thoma, S. Bartholomæo, & S. Matthæo Euangelistam doctrinam acceperũt. 853.

Inferi ſub terra. 307. etiam Deum ſuo quodam modo celebrant ac decantant. 312. longiſſimè diſtant à loco beatorum. ibid.

Infernus animarum carcer. 278. in eo nulla eſt redemptio. 290. ſignificat aliquid inferius nobis. 307. ita appellatus, quod infra ſit. ibid. cor terræ. 317. 318.

Infinita virtus infinitam eſſentiam requirit. 199. 200. 202. 203. 204.

Ingenitus propriè tribuitur Patri in diuinis. 122. ſignificat negationem proceſſionis. ibid.

Innocentius I. Pontifex affirmat, per omnem Hiſpaniam, Galliam, Africam Eccleſias eſſe fundatas per eos quos Petrus aut eius ſucceſſores in hoc opus miſerat. 306. excommunicauit Arcadium Imp. & Eudoxiam vxorem eius, quod non permiſiſſent reſtitui Chryſoſtomum in ſuam ſedem, vt ipſe iuſſerat. 763. Arſacium inuaſorem throni Conſtantinopolitani, iam mortuum excommunicat. ibid. Chryſoſtomi electionem indigniſſimè tulit. 764. in ſumma Apoſtolica Cathedra ſpecula reſidens, omnia quæ Arcadius iniuſtè patrarat, accuratiſſimè nouerat. ibid. Theophilum Alexandrinum Patriarcham cum Arſacio Conſtantinopolitano excommunicat. 765. 767. ab Arcadio non auditus cenſuit ſynodo opus eſſe. 765. Chryſoſtomo opem tulit, quantam potuit per iniquitatem temporum. 765. 766. poſt mortem demum S. Chryſoſtomi Arcadium excommunicauit. 766. Chryſoſtomum liberaſſet, ſi iuri & æquitati vllus locus relictus fuiſſet. 776. defenditur à calumnijs hæreticorum. 1052. 1053.

Innocentius III. primatum Eccleſiaſticum Romano Pontifici conuenire aſſerit, ratione à ſole & luna deducta. 731. ad Alexium Comnenum Angelum Imp. Conſtantinopolitanum ſcribit de ſubſidio terræ ſanctæ ferendo. 806. ab hæreticorum calumnijs defenditur. 1099.

Innocentius VIII. fingitur Nortuegis conceſſiſſe, vt ſine vino ſacrificarent. 1104.

Inſtrumentum nihil ex ſe poteſt, niſi à primaria cauſa ad actionem applicetur. 388.

Intellectus eſt principium productiuum verbi etiam creati. 91. non poteſt ab anima communicari corpori. 133. 134.

Interior ire dicitur, qui alteri it ſiniſteriori, id eſt ad læuam. 647.

Internuntius nemo ſui ipſius. 354. ad partes diuerſas pacta & reſponſa defert. ibid.

Interpres ſi malus eſt, tum nil bona verba iuuabunt; ſi bonus eſt, tum nil mala verba nocebunt. 161. 170. quæ ambiguè dicta ſunt, præſertim à ſuſpecto Auctore, contra ipſum interpretetur. 161

Interregnum non eſt abſolutè Ariſtocratia. 423

Inuocatio Petri & Pauli tanquam præcipuorum Eccleſiæ patronorum, olim in vſu, in cœmeteriis & cryptis. 671

S. Ioannes Apoſtolus in vltima cœna ſupra pectus Domini recubuit. 543. *verè & hiſtoricè fuit typus Eccleſiæ triumphantis.* 565. *Euangeliſta.* 673. 674. *non finiit vitam Martyrio.* 674. *ſub Traiano Principe adhuc ſuperſtes. ibid. Epheſiorum Epiſcopus.* 693. *anno Redemptoris quadrageſimo quarto in Aſiam venit.* 693. *Apocalypſin ſcripſit anno XIV. Imperij Domitiani.* 902. *ſuperſtes adhuc, cum Linus, Cletus & Clemens Romanam Cathedram tenerent.* 1232

S. Ioannes Baptiſta à Domino ab vtero vocatus. 247. *capite ab Herode plexus.* 673. 871. *erat Helias venturus, non in perſona, ſed ſpiritu, zelo, ardore, officio & functione.* 867. 869. 871. 877

Ioannes Buſæus Societatis Ieſu. 167. 342. 1060

Ioannes Caluinus dum vixit, plus autoritatis in ſuos collegas habuit, quàm hodie Angliæ primas in Cœpiſcopos exerceat. 436. 437. 441. *Vide V. Caluinus.*

Ioannes Druſius Caluiniſta, probat nomen Iehouæ eſſe nouitium. 51. *Vide etiam V. Druſius.*

Ioannes VII. Papa natione Græcus. 748 987

Ioannes VIII. Pont. Max. à Græcorum calumniis vindicatur. 116. *eius epiſtola à Græcis falſata.* 117. *ſucceſſit Hadriano II.* 123. 124. *incautè egit, quod contra decreta ſuorum anteceſſorum & Synodi Octauæ Oecumenicæ, Photium in Sedem reduxit.* 125

Ioannes IX. Papa defenditur à calumniis hæreticorum.. 1086

Ioannes XIII. ſeu XIV. Papa cœpit baptizare, hoc eſt, conſecrare Campanas. 1088

Ioannes XXII. ab hæreticorum calumniis defenditur. 1099. *& ſeq.* 1102

Ioannes XXIII. non fuit Papa planè certus & indubitatus. 942. *fertur futuram carnis reſurrectionem negaſſe. ibid. in Concilio Conſtantienſi accuſatus, ſed de negatione reſurrectionis non conuictus. ibid. defenditur à calumniis hæreticorum.* 1103. 1104

Ioannes Lucidus. 985

Ioannes de Marcouille. 985

Ioannes Marius Belga. 985

Ioannes Pierius Valerianus. 985

Ioannes Piſtorius hæreticomaſtix. 986. 1082

Ioannes Rainoldus Caluiniſta Anglus. 1060. *Vide V. Rainoldus.*

Ioannes Roſſenſis Epiſcopus ſanctitate & eruditione clariſſimus. 687. *beatus Martyr. ibid. conuulſionem calumniarum Veleni ſcripſit. ibid. Vide etiam V. Roſſenſis.*

Ioannes Stella. 985

Ioannes VVolfius pro tempore tunc Lutheranus, forſan nunc Caluinianus. 938. *Vide etiam V. VVolfius. iudicium ſert de Caluiniano Prædicante qui non potuit ferre ſanctiſſimo nomini Ieſu venerationem exhibitam.* 939. *Vitas Patrum & Speculum Exemplorum citat. ibid. Lupus.* 984. *fabulam de Ioanne Papiſſa aſſerit teſtibus hæreticis, vel recentibus, obſcuris & ignotis.* 984. 985. 986. 988. *in ſuo Catalogo Pontificum, caſu, vel nutu diuino, Ioannem Papiſſam omittit, nec quidquam temporis reliquis facit, quod ei poſſit tribui.* 989

Ioannes Zebender Soc. Ieſ. refutauit duas Pragenſes conciones cum præfatione ſua, Polycarpi Lauſeri. 1173

Iob ſacerdos. 451

Iodocus Coccius demonſtrat Petrum Romæ fuiſſe. 702

Ionas viuus triduum fuit in ventre ceti. 318. *figura Chriſti ad inferos deſcendentis.* ibid.

Ioſephus Iudæus Imperium Iudæorum ante Saulem vocat Ariſtocraticum impropriè. 422

Ioſue ſummus Dux populi Hebræi. 421. *Monarcha.* 427

Irenæus deſcenſum Chriſti ad inferos manifeſtiſſimè aſſtruit. 331. 332. *dicit Eccleſiam Romanam à Petro & Paulo fundatam.* 664. 668. *Petrum fuiſſe Romæ affirmat.* 669. *in Catalogo Romanorum Epiſcoporum primo loco ponit Petrum & Paulum.* 676. *Romanæ Eccleſiæ tribuit potentiorem principalitatem.* 677. *Clementem dixit eſſe tertium, Hyginum octauum, Eleutherum duodecimum Romanum Epiſcopum, nempe poſt Petrum, ſiue à Petro. ibid. Cletum appellat Anacletum. ibid. Romanum Imperium ante aduentum Antichriſti in decem reges diuiſum iri, probat ex Daniele & Apocalypſi.* 857. 858. *vidit & audiuit eos qui Ioannem Apoſtolum viderant & audierant.* 904. *inuehitur in eos qui Antichriſto falſa nomina excogitant.* 905. 906. *ſuſpicabatur, non certò pronunciabat, Antichriſti nomen fore λατεῖνον, quod Latini ea ætate latiſſimè regnarent.* 906. *expreſsè dicit, certò nõ cõſtare de Antichriſti nomine, & S. Ioannem id non ſine ratione voluiſſe eſſe occultum & ignotum.* 907. *diſertè dicit Imperium Antichriſti tribus annis & ſex menſibus terminatum iri, ſedemq; eius non Romam aut Latium, ſed Hieroſolymam fore. ibid. apertè docet, tempore Antichriſti & ante regnum Chiliaſticum, Hieroſolymitanum templum extiturum, vt in eo ſedeat & regnet Antichriſtus.* 922. *crebro corpora noſtra vocat templum Dei.* 923 *dicit Antichriſtum tentaturum ſe Chriſtum oſtendere.* 953

Iſaac filius Abrahæ, figura noui Teſtamenti, vt Iſmaël veteris. 564

Iſidorus ſcribit Diabolum habuiſſe primatum inter Angelos ante lapſum. 479

Iſidorus cognomento Mercator, Canonum collector, ducentis annis Carolum Magnum antegreſſus. 729. 736. *meminit epiſtolarum Clementis & Anacleti.* 729

Iſidorus Hiſpalenſis Iunior. 730

Iſocrates Monarchiam demonſtrat eſſe optimam ex Reipub. adminiſtrandæ formis. 418. *tyranni & tyrannidis vocabula in bonam partem accipit.* 419

Iſraëlitæ ſponte ſe Regi Saulſubiecerunt. 420. Monarchi cum imperium Gedeoni eiuſq; poſteris, & Iephte detulerunt. 423. Deo quaſi reiecto reges ſibi dari poſtulant. 424. 425

Iudæi, odio Chriſti, prophetiam quandam ex editione Septuaginta Interpretum expunxerunt. 322. in Babylone & apud Aſſyrios, ſub Caij imperio expulſi & trucidati. 658. vulgò triginta diebus menſem claudunt, quem plenum vocant 890. præcipui Antichriſtianæ Tragœdiæ choragi. 911 obligabantur in conſcientia, non veſci carne ſuilla. 1111

Iudas Patriarcha nurum ſuam ſcortationis accuſatam igni adiudicauit. 426. inter Chananæos verſatus. ibid.

Iudas Thaddæus Iunio Lebbæus. 594

Iudices olim erant quaſi Vicarij & Proreges Dei. 423. 424. etiam vocabantur Reges. 424. 427. in ſingulis ciuitatibus conſtituti. 485

Iudicium Bellarmini de libro quem Lutherani vocant Concordiæ. 171 quindecim annis ante libros de Indulgentijs prodiit. ibid. etiam Germanicè omnium manibus teritur. 171. 172
aureus libellus. 191

Iulianus Cardinalis in Concilio Florentino cum Marco Epheſio diſputat. 124. paſſus eſt octauam Synodum ſub Hadriano II. ſibi eripi. ibid

Iulius I. Pontifex Romanus S. Athanaſio nullum auxilium ferre potuit ob hæreticorũ & Imperatorũ hæretici potentiã. 449. Petri in Epiſcopatu ſucceſſor, quã ſi honoretur, ipſa Petri memoria honoratur. 685
affirmat, ad ſe pertinere officium diiudicandi cauſas Epiſcoporum, etiam Orientalium; & hoc iure à B. Petro ſe accepiſſe. 731. contra Arianos reſcribit pro Athanaſio. ibid.

Iunius Caluiniſta, Daneum refellit. 4. calumniatur & mentitur 11. 12. 30. 69. 128. 239. 242. 243. 258. 272. 290. 292. 296. 297. 331. 360. 361. 362. 366. 397. 403. 435. 538. 540. 545. 560. 589. 598. 661. 692. 740. 747. & ſeq.

Iunius Gallus Biturix, linguæ Germanicæ haud callentiſſimus. 17. Lutheri malus aduocatus. ibid. non reſpõdet ad rem. 18. de Neſtorio & Eutychete hæreſiarchis bene meritus. 19. 20. S. Cyrillum vt præcipitem. S. Leonem vt arrogantem traducit. 20. Eraſmum non probat. 21. 51. Arianizat. 33. 34. 36. 38. nihil ad propoſitum dicit. 38. 39. Caluinum male defendit. 40. Neſtorianizat. 41. 42. 43. 44. 45. Sarnicium & Scheckium male defendit. 45. 46. VVigandum accuſat, ridet, defendit. 47. ſeuerius loquendi magiſter. 49. blaſphemus. 55. in natura diuina ponit potentiam paſſiuam. 63. peior Ariano. 64. ineptè reſpondet. 66. male pius in magiſtrum. 73. obliquè & ambiguè loquitur. 75. à ſe, mutat in perſe, &, in ſe. 75. 76. admodum liuidus. 83. Lutherum craſſe & imprudenter ſcripſiſſe fatetur, & tamen excuſat. 127. 135.
verba D. Thomæ corrumpit, & mutat, aliqualiter, in, æqualiter. 141
Arij partes tuetur. 142
Criticus & Grammaticus. 239. ex Caluiniano pro-
pemodum Scholaſticus. 243. laudat D. Thomam. ibid. Daneo candidior. 249. ſcripſit, humanam naturam ſi non proficiat in ſcientia & ſapientia, non fore veram naturam humanam. 251. concedit, Chriſtum & æternam ſapientiam fuiſſe inſipientem negatiuè. 255. Agnoëta. 258. ignorantiam etiam primatiuam in Chriſto ponit. 259. impius. ibid. inconſtans. 259. 260. ignorantiam Chriſti & morbos ad redemptionem generis humani vtiles futuros affirmat. ibid. Chriſtum ait aſſumpſiſſe ea quæ erat vindicaturus. ibid. nouam & inauditam hactenus philoſophiam Leidæ in Hollandia profeciſcit. 261. defectus naturales negatiuè dictos, vt volandi, &c. vult pertinere ad perfectionem naturæ. ibid. rem ait per negationẽ dici eſſe, id eſt. perfectiorem fieri. ibid. ſcientiam beatam & infuſam vbique in Chriſto agnoſcit. 262. à reliquis Caluiniſtis deſciſcit. ibid.
ipſi etiam communi loquentium conſuetudini repugnat. 264
Chriſtum facit verè ignorantem. 265

Iunius ſcientiam practicam deſinit actum ex habitu. 266. tragelaphos nobis pingit. 263. 266 dixit, nullam qualitatem eſſe abſolutam, & hoc nouiſſe omnes. 268. ſomnia ſua Bellarmino affingit. 269. etiam inſanabilia ſanare tentat. 278. ex Chriſto peccatorem facit. 284. turpem antilogiam committit. 286. vbi & quando lubet, Rhetores & Tropiſtas ex Patribus facit. 288. Deum facit deliberare. 291. ineptè diſtinguit paſſionem Chriſti in fieri & factum eſſe. 295. negat mortem corporis Chriſti ſatisfacere potuiſſe pro morte animarum omnium. 296. impetum dat in Patres. 297. calumniatur ciuiliter. 298. cenſor nimis liber. ibid. bona Auguſtini pierumque venia, Auguſtini pietatem admiratur, ſententiam reiicit. ibid.

Iunius ait vincula Simſonis fuiſſe typum pœnarum inferni, quas Chriſtus ſubiturus eſſet. 299. Simſonem & Philiſtæos legit pro Samſone & Philiſtæis. ibid.
ſtrenuiſſimus Negator. 301
S. Thomam non ſemel citat. 302
agnoſcit tandem, inferos eſſe locum ſubterraneum. 308. ſepulchrum quod ſupra terram extat, non putat eſſe ſepulchrum. 310
pius in magiſtrum ſuum Bezam. ibid.
terram ſecundum ſubſtantiam ſuam poſt extremum iudicij diem penitus abolitum iri putat. 311
Rabinizat. 315
feſtinationem S. Hieronymi dolet, lapſus excuſat, ſcilicet. 316
Ruperto compatitur. ibid. toti Eccleſiaſtico vel nihil vel parum tribuit. 317
feſtiuè ac lepidè iocatur. ibid. muſſat contra Patres. 321. vbique ſomniat Tropiſtas topos. ibid.
Patrum ſententias depranat. 322. imitatur Iudæos, dum literalem ſenſum eradere, & in allegoricum transformare conatur. 323
Aimi Locutius. ibid. ſuam & Bezæ ſententiã S. Auguſtino affingit. 325
Caluino non vir bonus. 329

Diphili Iambos vitioſiſſimè profert. 330
Patrum & Conciliorum auctoritatem eleuat. 331. 333
Chriſtum anima & corpore ad inferos deſcendiſſe confitetur. 337
Iunius ineptus, impius, temerarius & inuerecundus. 338. ait ſanctos Patres non bene de inferis philoſophatos eſſe. 339. naturam humanam Chriſti per ſe nihil poſſe, inſinuat. 350. Eutychianizat. 351. Deitatem Filij obediuiſſe Patri adſtruit. ibid. perperam citat S. Leonem. 355. Chriſtum ſecundum naturam diuinam facit Patre ſuo inferiorem. 356. 357. 366. Filium Dei ait diſtingui natura ſecundum perſonam à Patre. 357. locum S. Auguſtini depranat. 359. Chriſtum ait ſacerdotem & Pontificem eſſe ſecundum diuinam naturam. 360. 361. diuinitatem Chriſti concipit quaſi formam, quæ humanam naturam quaſi informet. 363. Chriſtum dicit eſſe mediatorem ſecundum perſonam, non ſecundum naturam. 363. 364. duas naturas ſtatuit in diuinis. 364. in Neſtorium vel Neſtorianum transformatur. ibid. negat, operà Trinitatis ad extra, eſſe indiuiſa. 365. totam Trinitatem facit mediatorem. ibid. perſonam putat aliquid poſſe operari ſine eſſentia. ibid. notionem & rationem ſacrificij ignorat. 366
Iunius pingit tragelaphos & chimæras. 368. duas in Chriſto actiones, & vnam tantum operationem ponit. 368. 369. negat diſtinctionem ante diſtinctionem. 371. crambem iam millies recoctam reponit. ibid. non intelligit D. Thomam. ibid. officium docendi, Trinitati commune, ait terminari perſonis. 372. ſemina non obſcura Arianiſmi ſpargit. ibid. Caluinum à Bellarmino Arianiſmi poſtulatum, ſub cultro liquit. 373. exinanitionem diuinitatis in ſe, & ſecundum ſe, probat ex Homero. ibid. parum referre putat, quid de merito Chriſti ſentias. 384. textum Scripturæ tranſuertit & peruertit. 384. 385. quouis Arianiſmo deteriora effatur. 386. admodum verſatus in Miſſali Romano, ac ſi aliquando Monachus vel Sacerdos fuiſſet. ibid. vitam ipſe ſibi ſuam ſcripſit. ibid. rigidus cenſor cum de merito, facilis autem, cum de gratia & ſcientia Chriſti agitur. 388. humanam Chriſti naturam nihil eſſe dicit, niſi inſtrumentum diuinitatis. ibid. myſterium Incarnationis euertit. ibid. Bellarmini dicta fruſtillatim diſcerpit. 391. ineptias repetit. 392. affingit Bellarmino paralogiſmos. ibid. fatetur, ſcurrarum aut imperitorum eſſe, Papæ nomen ad turpia transferre. 397
concedit imperium Moſis, Ioſuæ, & Iudicum fuiſſe Monarchicum. 422
Iunius mirificus in procudendis nouis & ad rem nil attinentibus diſtinctionibus. 429. textum Bellarmini in fruſtilla concidit & lancinat. 433. abſoluit S. Martinum à ruſticitatis nota. 435. Puritanus. 436. temerarius in aſſerendo. 459. concedit vnum Angelum cæteris præeſſe. 478
Patrum auctoritatem contra Samoſatenianum quendam tuetur. 480
non agnoſcit regem Angliæ pro Monarcha Eccleſiaſtico. 489. dictat leges ex tripode. 522. cauillatur. ibid. videt Surium. 533. proiectæ audaciæ in Patrum dictis depranandis 539. S. Leonem conuiciis inceſſit. 541. 558. Auguſtini cauſidicus. 544. quod toti communitati traditur, putat pertinere ad ſingulas eius partes etiam ſigillatim ſumptas. 548. dicta S. Cypriani depranat. 558. 559. Petrum negatione Chriſti putat excidiſſe ab Apoſtolatu. 576. ſapientior ſuis ſymmyſtis. 593. in S. Epiphanium inuehitur. 597. in S. Petrum præceps. 600. conuicia iacit in Pontifices. 628. nugatur. 644. primitiuam Eccleſiam ait caruiſſe imaginibus, contra Danæum. 648. cum ſuo ſymmyſta Sutliuio male concordat. 657. ſpurium putat, quicquid contrà illum aſſertur. 684. criticus. ibid. Anacletum transformat in Anencletum. 690. 1040. inſipientiæ typus formalis. 712
Ruffinum pro fidiſſimo & planè Latino Nicæni Canonis Interprete habet. 725
Ruffinum literatum priſcarum peſtem appellat, & qui dente magis quam naſo valuerit. 725. 730
Iunius comminiſcitur Conſtantinum diœceſes Eccleſiarum diſtinxiſſe. 725. neſcit quid ſuburbanum & ſuburbanitas apud Ciceronem ſignificet. ibid. naſo valet. 730. Pontifices excuſat, quod non fuerint ipſi Antichriſti, ſed ſolummodò fouerint & conceperint Antichriſtum. 731. lepus Leoni mortuo inſultat. 732. 740. Sanctum Leonem pro vulpe aut lupa habet ibid. fines diœceſeos Romanæ Metropolitanæ extendit vſq; ad fines Thraciæ. 734. temerarius aſſertor, in probando deficit. 741. 742. non putat dici poſſe latinè erraticum pro errante. 751. Sibrando ſymmyſtæ ſuo contradicit. 759. ſanctum Innocentium primum Pontificem carpit. 764. 765. Atticum ponit pro Atſacio. 764. 765. ſepta omnis pudentiæ & reuerentiæ tranſcendit. 773. Concilium Sardicenſe Oecumenicum reiicit. 774. 775. ſanctum Gregorium perſtringit. 776. 777. Exarchum interpretatur principem cantilenæ, vel modulationis, vel ſententiæ in conſeſſu dicendæ. 777. 778. ſanctum Leonem videt. 778. grammaticè tricatur. 782. diuerticula cauillatoria quærit. 799. accuſat barbatiem ſtyli in Romana Synodo. 803. ſeuerus verborum penſiculator. 804. Ennodium transformat in rhetorem. ibid. alter Chremes. 805. ſtrenuum negatorem agit. 807. contendit, Chriſtum non de facto ſolum, ſed etiam de iure ſubiectum fuiſſe. 808. 809. parum reuerens in Chriſtum. 809. mentitur & calumniatur. 761. 768. 775. 776. 781. 782. 788. 807. 840. 842. 975. 976. 1016. 1055
Iunius Chriſtum quâ Deus eſt, ſubiectum fuiſſe hominibus blaſphemat. 809. de maieſtate Chriſti parum honorificè ſentit. ibid. per Romam imperitè intelligit Conſtantinopolim. 812. falsò citat Synodum Conſtantinopolitanam quintam. 814. 815. Concilia Florentinum & Lateranenſe ſub Innocentio III. reiicit. 817. Antichriſtum ſibi ad arbitrium fingit & refingit. 823. vocem, alius, putat eſſe indiuiduum vagum. ibid. ipſe vitâ ſuam conſcripſit, quam poſtea

Merula publicauit. 824. integrum biennium atheus fuit, & quatuor vxores habuit. ibid. conuicia in sanctos Patres iacit. 826. consentit cum Epiphanio contra Sibrandum. 835. asserit Antichristum statim venisse post Christi in cælos ascensionem. 840. nescit quæ sint coniunctiones vel propositiones copulatiuæ, quæ disiunctiuæ. 841. Pouelum & Magdeburgenses dicit errare. ibid. pro Beza in Bellarminum iniurioſus. ibid. Vide etiam V. Franciſcus Iunius, impio Porphyrio addictior quam ſanctis Patribus. 860. de ſimplicitate Euangelij ſcribit admodum ſimpliciter. 864. Henoch & Heliam viuere, pro fabula habet. 866. Sutliuio & Sibrando aduerſatur. 867. falſum committit, dum Bellarminum falſi arguit. 868

Iunius Bellarmino perturbato condonandam cenſet iniuriam, qua Lutherum & Zuinglium affecit, dicens, eos nullum Iudæorum conuertiſſe. 870. Sutliuio oppoſitus. 888. videtur illud Antichriſtianum ἀρνοῦμαι, Nego, de quo Hippolytus Martyr. in animo, in fronte, in manu, in ore, in calamo, in charta circumtuliſſe, tanquam characterem beſtiæ illius, cui dum viueret, tanquam præcurſor viam ſedulò apparauit. 918. 919. argumentum Bellarmini dum reformare tentat, deformat. 923. Chriſtum ſecundum humanam naturam ſubiicit legalibus ceremoniis, imò ſecundum diuinã quoq; naturã Deo ſubiicit. 964. Lutheri nuptias tueri nititur, Cynicus Cynici, & quod magis mirum, Sacramentarius Lutheri 974. Synodi Smalcaldicæ defenſionem ſuſcipit in gratiam Lutheranorum. ibid. cur Papa ſcrutatur. ibid. ſolum Deum dicit in templo ſedere, alios omnes ſtare. ibid. non intelligit quid ſit, per modum ſuffragij 975. Illyricum defendit, hoſtem ſuum, vt & omnium Sacramentariorum & Caluiniſtarum infenſiſſimum. 976. in S. Leonem Pont. & S. Bonifacium Germanorum Apoſtolum petulanter incurrit. ibid. Aurelium pro Valerio legit 980. Ruffinum ſuis gloſſis corrumpit. 982. 983. Chytræum Lutheranum Caluiniſta defendit. ibid. fabulam de Ioanne Papiſſa in veritatem transformare conatur. 984. illud ἀρνοῦμαι, Nego, Negamus, Negatur, Antichriſti teſſeram ingeminat. 1011

Iunius reſitit Sanctis & antiquis Patres. 1016. 1017. Vvitakero & Danæo contradicit. 1020. vetus teſtamentum vnà cum ſuo Tremelio ex Hebræo vertit, vel potius peruertit. ibid. in Nicolaum I. Pontificem bacchatur. 1063. 1067. muſcas captat. 1060. abſoluit Nicolaum Pontificem, non modo ab hæreſi, ſed etiam ab omni errore. 1086. à ſuis ſymmyſtis diſſidens, nobiſcum facit. 1049. dicit argumentum Bellarmini nec caput nec caudam habere. 1128

admittit ieiunia ab Eccleſia indicta, non autem Pontificia. 1134

Neſtorianiſmi infamiam à Cæleſtino Papa amoliturr. 1053

Iuriſconſulti quidam ſcripſerunt libros de ſingularibus intellectibus. 531

Iuſtinianus Imp. Ioannem II. Pontificem Romanum vocat caput omnium ſacerdotum. 735. Epiſcopum primæ Iuſtinianæ locis quibuſdam præeſſe debere ſcribit, tanquam Vicarium Romani Pontificis. 773. ſancit, vt ſanctiſſimus veteris Romæ Papa primus omnium ſacerdotum ſit, beatiſſimus verò Archiepiſcopus Conſtantinopoleos ſecundum locum poſt ſanctam Apoſtolicam veteris Romæ ſedem, obtineat, cæteris omnibus præferatur. 786

Iuſtinianus Iunior ex Imperio expulſus, etiam abſciſſo naſo. 747. Trullanum ſeu Quiniſextum Concilium bulum coëgit. 747. 751. hæreticis potius quàm Catholicis ante ſuam expulſionem fauit. 748. ſubſidio regis Bulgarorum in Imperium reſtitutus. ibid. petit à Ioanne VII. Trullanorum Canonum approbationem, ſed fruſtra. 748. 749

Sergium Romanum Pontificem nolentem ſubſcribere Trullano ſuo Conciliabulo, per Zachariam protoſpatarium ſuum iuſſit Conſtantinopolim deportari. 750. Rhinotmetus. 751. 755. hæreſi pollutus Catholicos perſequitur, & cum Saracenis pacem facit. 754. cum Arabibus terra marique fœdus icit. 755. Trullani Conciliabuli auctor & auſpex. 755. 756

Iuſtinus Imperator optimus. 1089

Iuſtinus Martyr dicit vnius principatum à bellis diſſidiisq; ſolutum ac liberum eſſe. 413. Chriſtianam legem ait eſſe poſtremam. 1140

K.

Kilianus à Cænone Papa miſſus ad conuerſionem Francorum ſeu Orientalium Francorum. 506. 508

L.

Labyrinthi Creticohunniani deſtructio ab Auctore edita. 147

Lactantius Antichriſtum Regem ex Syria malo ſpiritu progenitum appellat. 876

Lambertus Danæus. 594. Vide V. Danæus.

Laonicus Chalcocondyla, interprete Cluſero. 986. eius hiſtoria manuſcripta in bibliotheca Bauarica Monachij & Academica Ingolſtadij. ibid.

Laonicus Vbiquiſta Danæum Ieſuitarum ſcripta expilaſſe ſcribit. 146

Latinus ſiue Lateinus, vt Regeina pro Regina. 906

Græcè Λατῖνος tantum ſcribitur, non Λατεῖνος. ibid.

Latini ætate Irenæi latiſſimè regnabant. 906

Latro ſanctus gloria cæleſti in limbo cum reliquis Patribus ibi detentis particeps factus. 313. non niſi quadrageſimo poſt reſurrectionem die cum Chriſto ad cælos aſcendit. ibid.

Latus alicuius tegere, eſt ad dexteram illius incedere. 647. 648

Laurentius Valla Cæleſtinum Pontificem primus horribili mendacio commentus eſt fuiſſe Neſtorianum. 1053. refellitur à Bellarmino. ibid.

Leges imperij Romani iubent verba interpretari contra eum, qui clarius dicere potuit, & dixit obſcurius. 17

S. Leo, nisi verus Deus, inquit, non adferret remedium, nisi verus homo, non præberet exemplum. 353. toto orbe celeberrimus Pontifex. 558. Petrum ait à Christo præpositum esse omnibus gentibus, Patribus, Apostolis. 583. 587. Christi in terris vicem gessit. 587 sanctitate & eruditione præstans. ibid. asserit Petrum factum petram à petra Christo, & fundamentum à fundamento Christo. 594. 595. rugit vt Leo de tribu Iuda. 595. Petrum ait idem esse quod Christus, non per essentiam, sed per effectum & communionem. ibid. primatum Petri asserit. 606. Petrum dicit diuinis præordinationibus venisse Romam. 622. ait inuiolabile esse oportere quod semel sanciuit Nicæna Synodus. 627. S. Petrum dicit omnibus Apostolis & Ecclesiis esse præpositum 638. Petrum ait fuisse destinatum ad arcem Romani Imperij. 666 successor Petri, qui per ipsum locutus est. 686. in Concilio Chalcedonensi vocatur vniuersalis Ecclesiæ Papa. 719. 728. Maximum Episcopum Antiochenum confirmat. 720 721. Vicarios suos habuit in Concilio Chalcedonensi Paschasinum & Lucentium. 721. totius mundi Episcopus. 728. Pseudocanoni Chalcedonensi de primatu Sedis Constantinopolitanæ validissimè reclamauit 739 Sanctus. 740. noluit Donatum Salicinensem ab hæresi Nouatiana conuersum gregi suo præesse, nisi libellum fidei suæ ad sedem Apostolicam transmitteret. 745. Dioscoro Episcopo Alexandrino leges præscribit, vt vniuersalis pastor & primas. 758. mandat Episcopis vt omnes constitutiones suorum Antecessorum & sacrorum canonum diligenter obseruent; contemnentibus veniam denegat. 758 759

S. Leo laudatissimus in Ecclesia Dei Pontifex 758. vniuersis Episcopis per vniuersas prouincias constitutis mandat, vt pastor vniuersalis. 759. meminit constitutionum Innocentij primi. 760 sacrificium Missæ iterari posse dicit, si tanta sit populi frequentia, quæ vno templo capi nequeat. ibid. omnium Eutychianorum inuictus debellator. ibid. facit Anastasium Episcopum Thessalonicensem suum Vicarium per Orientem, sicut ab antecessoribus suis factum. 769. Vicarijs & Legatis potestatem suam tradidit, vt varijs in prouincijs lites Ecclesiasticas tanquam Iudices, cum potestate & auctoritate iudiciaria cognoscerent, definirent, ac componerent. 770. Eutychen compescuit iure quidem, licet non statim de facto. ibid. commisit vices suas Potentio in regionibus Africæ. 770 771. vniuersa Ecclesiæ sollicitudinem ex diuina institutione dependit. 771. Romanæ Synodo vt caput membris præsedit. 816 Chalcedonensi Synodo præsedit per legatos suos. 817. conqueritur de Græcis, quod se adhuc viuente, epistolam suam ad Flauianum corruperint. 1062. Missæ adiecit illa: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, & Hancigitur oblationem, &c. 1053

Leo Pontifex Symbolum Constantinopolitanum sine additione (Filioq;) asseruauit. 116

Leo III. Imperium transtulit à Græcis ad Francos. 1161

Leo VIII. Antipapa. 1093

Leo X. defenditur à calumnijs hæreticorum. 1105.

Leo XI. Pauli V. hodierni Pontificis antecessor proximus 904

Leo Isaurus Imp. à Gregorio III. excommunicatus. 767. bellua potius quàm homo. 768. à Gregorio III. priuatus imperio occidentali. ibid.

Leo Iudæus ex Iudæo Christianus Catholicus, imò & sacerdos factus, tandem à Zwinglio peruersus. 870

Leontius & Tiberius Absimarus Imperium inuadunt. 747. 748. 750

Leporum est leoni mortuo insultare. 732

Lex supremos & absolutos principes non subiicit humanis legibus nisi quoad directionem, non autem quoad correctionem. 809 hoc ipso quod est lex, necessitatem imponit quoad res ipsas particulares quas præcipit aut prohibet. 1126

Liberius Pontifex Romanus, successor Petri. 681. nec hæresin docuit, nec hæreticus fuit, sed solum peccauit actu externo, quando metu coactus & tædio diuturni exilij impulsus, damnationem Athanasij suo suffragio cõfirmauit, & cum hæreticis cõmunicauit. 1044. & seq ab Ambrosio vocatur Sanctus. 1056. defenditur ab hæreticorum calumnijs. ibid. Felisi III. successit. 1051

Libertas ad quam sumus omnes à natura propensi, illa intelligitur, quam tollit seruitus, non autem subiectio politica. 420

Ligonem licet appellare ligonem. 168

Linus Petri primus successor in Episcopatu Romano. 676. primorum successor seu primus à Petro. 677. 678. 679. primus successione, non fundatione. 680. 681. viuente Petro, Episcopatu Romanæ vrbis functus, vt Vicarius & suffraganeus Petri. 680. 700. Petro successit vt Episcopus. 682. 684. à S. Paulo ordinatus. 684. 685. Claudiæ filius. 685. Petri in officio episcopali coadiutor 694. ex præcepto B. Petri constituit, vt mulier velato capite in Ecclesiam introiret. 1039

Lipsiensis Academia decretum Dresdense contra Vbiquistas approbat. & paulo post damnat. 188. 209

Lipsius Ioannem Papissam fabulis accenset. 987

Litaniæ Lutheranorum sine inuocatione Trinitatis. 62. Caluinistarum nullæ omnino. ibid.

Lithus Misenus Heidelbergensis Caluinianus. 594

Lollardi seu Lollardistæ in Anglia asseruerunt Deum debere obedire Diabolo. 880

Londinense Conciliabulum. 401 hon recipitur à Genevensibus, Gallis Caluinistis, Belgis, Germanis, Scotis, nec ab Anglis Puritanis. ibid. definiuit læsæ maiestatis & perduellionis reum esse qui Regem caput Ecclesiæ Anglicanæ esse inficiatur. 435. 436. 571

Lotharius rex à Nicolao I. Papa comminatione excommunicationis territus, ne vxorem legitimam repudiaret. 768

S. Lucas videtur fuisse comes itineris Cleophæ in Emaus. 606. medicus. 699. Pauli domesticus & adiutor in regno Dei promouendo. ibid. in Actibus Apostolorum non scripsit omnia quæ Apostoli fecerunt. 704

Lucentius Sedis Apostolicæ Legatus in Concilio Chalcedonensi. 813
Lucifer stellarum maxima & pulcherrima, saltem quo ad apparentiam & vulgi opinionem. 481
Ludouicus Imp. Caroli filius. 1091. decretum edidit, in quo Romanæ Ecclesiæ Pontificis eligendi, ordinandi, cõsecrandi liberrimam concedit facultatem. ibid. testatur Carolum parentem suum in electione Romani Pontificis nihil egisse, sed tantum ab electo & consecrato nuncios ad se, amicitiæ causa, mitti voluisse. 1091
Ludouicus IV. Imp. 1092
Ludouicus Rogerius Societ. Iesu. 48. Vide V. Rogerius.
Ludouicus Sombechus Abbas Gemblacensis. 987
Lugdunense Concilium, Romanum Pontificem appellat sponsum Ecclesiæ. 818
Lutherani ex Litaniis inuocationem Trinitatis expunxerunt. 62. censuris Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani Græcè & Latinè responderunt. 80 110. quidam Vbiquitatem reiiciunt, & libro Concordiæ subscribere noluerunt. 188. in argumento de persona Christi & communicatione idiomatum, maximè insitiam suam produnt. 206. vtriusque naturæ proprietates vni supposito vtcunque tribunt in concreto. 208. concordant cum Caluinistis in articulo de S. Trinitate. 222. concordant Caluinistis in reiiciendo libros Tobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ, & Ecclesiastici. ibid. cum Caluinistis potestatem summi Pontificis, cultum Sanctorum, & venerationem Reliquiarum & Crucis, &c. repudiant. ibid. spiritu cereuisiario instincti, audacissimè quosuis prouocant. 379 Caluinistarum conciliabula ne vnius quidem assis æstimant 400 nihil adeo veritatis est expers, quod non ausint asserere, modò potestati Romani Pontificis aduersetur. 687. plures facti Iudæi, quam Iudæi Lutherani. 870. Caluinianos damnant, & contumeliis proscindunt. 881. quædam cum Caluinistis communia habent, non tamen propterea Caluinista audire volunt. 882. raptores bonorum Ecclesiasticorum, & cognati Antichristi. 915. passim docent matrimonium inuitis parentibus vel maioribus contractum, nullius valoris esse. 998. iubent à carnibus suos abstinere, quando Magistratus id ita mandat, vel quando ex esu carnium in infirmiorum animis scandalum nascitur. ibid. in Germania occuparunt multos Episcopatus, quorum legitimi Præsules olim erant principes Ecclesiastici & politici simul. 1162. Episcopos & Archiepiscopos suos, Magdeburgensem, Halberstadensem, Mindensem, Verdensem, Merseburgensem, &c. Ecclesiasticos simul & politicos Principes agnoscunt. 1165
Lutherus Arium spirat. 4. mendax. 5. 7. & seq.
Lutherus odit vocabulum ὁμοούσιον. 7. vocem Trinitatis appellat frigidam. ibid. nullam penitus ignorantiam à peccato excusare docuit. 8. laudat Arianos. 10. nomen Trinitatis ex Litaniis submouit. 11. 12. 13. Nestorianus. 14. Vbiquitatis sectator & propagator. ibid. Erasmi ambiguè dicta, contra ipsum interpretanda censet. 15. Eutychianus. 16. omnia Concilia lacerat. 18. Erasmum superbum, mendacem, & diabolum incarnatum vocat. 23. non creditum Erasmo, etiamsi verum dicat. 23. 24. Christum instrumentum Dei nominat. 51. essentiam in diuinis generare & generari affirmauit. 67. Eutychianus & Nestorianus. 127. 133 scripsit, diuinitatem esse passam. 175. 176. hæresiarcha. 241. verba insidiosè loquentium, contra illos ipsos interpretanda esse decernit. 362. omnes scurras longissimo post se interuallo reliquit. 397. turpissimas & Diabolicas imagines in opprobrium & contumeliam Romani Pontificis paulò ante mortem suam in vulgus extrusit. ibid. Christianum ab omni prorsus tam Ecclesiastico quam politico imperio solutum pronunciat. 434.
— omnia pro imperio agebat. 438
epistolam D. Iacobi epistolis S. Petri in suis Bibliis postposuit. 597
Lutherus Iacobum Petro antefert. 640. Iacobum Apostolum vocat Vicarium Christi. 641 non bene legit Nicænum Concilium in Canone de sedibus Patriarchalibus. 644. Exmonachus. 762. tectum opt Electoris Saxoniæ, & lexis vulgi, vt olim Eutyches Imperatorii. 770 dicit in Concilio Nicæno permissas contuges sacerdotibus. 800. Antichristum dicit venisse tempore Phocæ Imperatoris. 847. contra Sacramentarios scripsit. ibid aduentum Antichristi cum gladio spirituali, ponit post annum Domini sexcentesimum. 848. nullum Iudæorum conuertit. 870. dicit in Moravia complures à Iudæis circumcisos & nouo nomine Sabbatarios appellatos, adeò inualuisse, vt coactus fuerit separatum librum contra illos scribere. ibid. duobus vel tribus annis latius doctrinam suam diffudit in Germania, quàm S. Bonifacius triplo vel quadruplo pluribus annis. 896. impietati suæ veri Christi nomen prætendit. 947. 958. hæresiarcha 966. Danielem indoctè vertit, & textus Hebræo, Græco, & Interpretibus, etiam Hæreticis, aduersatur. 973. Sacramentarios, hoc est, Zuinglianos & Caluinistas suis coloribus depinxit 974. de sua prosperitate palam gloriatur. 977. maritus non fuit, sed scortator. 998. puellam quandam nupturientem fustibus castigandam curat. ibid. docet matrimonium inuitis parentibus vel maioribus contractum non valere. ibid. saltem politici ordinis gratia iubet à carnibus suos abstinere, quando magistratus ita mandat, vel quando ex esu carnium in infirmiorum animis scandalum nascitur. ibid.
Lutherus sæpius se nimis clementer & reuerenter cum Papa egisse scriptitat. 1033
expressè docet, obseruationem cæremoniarum legalium esse liberam & indifferentem. 1037
si coniunx fit impotens, concedit alteri coniugi liberam potestatem ad alias nuptias transeundi. 1081. 1082
cum magno quodam viro dispensauit vt vno eodemq; tempore duas vxores haberet, prima non repudiata. 1082
Iudaismi ac Mahometismi sui in Tomis fundamen-

ta posuit, vel potius luculentissima documenta edidit. 1083
animarũ immortalitatẽ negauit. 1103. apertè scripsit, omnia legalia etiamnum obseruari posse. salua religione & conscientia. 1099. bestia cornuta Apocalyptica. 1168. in Scholasticos inuehitur. 1172

M.

Macedoniani hæretici. 91. 113
Machabæi Principes politici simul & Ecclesiastici. 1163
Mauius Hunnianus discipulus. 148. destructum Hunnij Labyrinthum readificare conatus, nullo successu. ibid. helleborum nigrum vetulit ab Auctore propinatum. ibidem. lubricus & flexuosus Vbiquista. 151. ibraso indoctus & impudens. 154. magistrum suum male defendit. ibidem. quaternitatem in diuinis, & duplicem essentiam constituit 155. stupidus. ibidem. & sequentib. totum S. Trinitatis mysterium subruit 157. nunquam vidit Catenam S. Thomæ. 160. nescit quid sit Eutychianismus. 162. Eutychianizat. ibidem. in Agnoëtam transmutatur ibidem. Nestorianizat. 163. nouam philosophiam docet. 165. paradoxa plusquam Stoica tradit. ibidem. mysteria Trinitatis & Incarnationis funditus tollit. 166. Sanctum Bonauenturam vocat Maleuenturam. 169. mentitur. 170. 171. 178. 183. 185. 191. 197. 202. 203. 204. 207. 208. 373. 375. 379
Mauius Labyrinthi Hunniani Apologeticum scripsit. 170. maledicere doctus à suo Helbrando. ibidem. Gregorium de Valentia, de Faulentia & Fallentia cognominat. ibidem. spuit Suistas, & scriptorculos Pontificios, & fabulas Lugendarum. ibid. Gretserum vocat impium. ibidem. pollicetur refutationem Iudicij Bellarminiani de libro Concordiæ, nec præstat. 171. docet diuinitatem in se & per se passam. 172. sibi contradicit. ibidem. arbitratu suo quæstiones sibi cudit, & arbitratu suo soluit. 174. iurat, me hercle, non vt præceptor suus, me Christe. ibidem. honorantem dicit esse maiorem bonorato. 175. Bellarminum & omnes Catholicos Nestorianismi accusat. 177. dicit diuinitatem saltem secundariò passam. 178. stulte sci. ibidem. patellarius Vbiquista. 179. in Bellarminum & Iesuitas bacchatur. 181. non legit vel non intelligit Aristotelem. 182. tautologus & battologus. ibidem. bacchans 183. Zuinglianus. 184. absurda & impossibilia in Theologia ponit. 186. impossibiliora dicit Deo esse facta faciliora. ibid. non intelligit transsubstantiationem. 186. 187. ponit transsubstantiationem corporis ac sanguinis Christi in panem & vinum. 187. conatur sancto Vigilio affingere suam Vbiquitatem. 190. ipsam quæstionem pro responso nobis apponit. 193. obscurus. 197. habitantem ab habitaculo distinguere nescit. ibidem. Eutychianista. ibidem. destruit veritatem humanitatis Christi, renouat hæresin Eutycheris, & pugnat cum symbolo fidei. 199. loquax 199 201. sycophanta. 202. nescit quid sit formaliter esse tale. 205. laudat Bellarminum. ibidem. Patrum testimonia ex libro Concordiæ transscribit. 206. cymbalum tinniens. ibidem. Lutherum prisciis Patribus anteponit. ibidem. auctores decreti Dresdensis execratur tanquam Caluinianos, &c. 208. 209. non intelligit vnionem hypostaticam. 210. tanquam absque effectu mente concipi posse negat. ibidem. Concordiæ interpres. 211. vult esse Bellarmini magister. 212. ex dictatis Hunnij se iactat ibid. blasphemus. 214. mysterium Trinitatis euertit. ibid. duas omnipotentias & essentias in Deo statuit. 215. Arianus occultus. ibidem. axiomate suo mysteria Incarnationis & Trinitatis euertit. 217. à magistro suo spiritum superbissimum suxit. 218
Mauius nescit quid sit homo, neque quid sit mors, neque quid sit mori. 343. nescit quid sit cadauer. 344. mortem Christi & resurrectionem eius funditus tollit. 346. monetur vt resipiscat. ibidem. quatuor Symboli capita seu articulos simul demolitur. 348. nouos Esauitas crepat. 373. multa agendo, nugas agit. 374. euertit suam assertionem. 375. petit principium. ibidem. calumniatur Bellarminum 375. 376. sibi & Concordiæ contradicit. 376. 377. 378. diuinam naturam non Trinitati communem, sed in hypostasi filij existentem, incarnatam esse innuit. 376. 377. Græcè maluit quam Latinè contradicere & refragari suæ Concordiæ. 377. videtur affirmare, non Christum, sed officium quod gerebat, passum esse. 378. insolentissimè se iactat, & Bellarmino insultat. 378 379. 380. nil præter Arianas & Eutychianas quisquilias affert. 379
Magdeburgenses Sardicensem Synodum œcumenicam ab aliis Conciliis dicunt fuisse abrogatam. 794. Vide V. Centuriatores. Antichristum propriè dicunt esse sedem Romani Pontificis. 841
Magister Sententiarum putauit charitatem non distingui realiter ab ipso Spiritu sancto. 102. omnibus Prædicantibus à nobis præponitur. 195. Vide V. Petrus Lombardus. docet animam Christi omnia scire quæ scit Deus. 273. docet Christum fuisse mediatorem secundum naturam humanam tantùm, licet ipse mediator sit & esse debeat Deus & homo. 352
Magog exercitus Antichristi. 970. Scythicæ gentis nomen adeptus propter immanitatem ac crudelitatem. 972. terram seu regionem cui Gog imperat, significat. ibid. nomen regis seu principis qui cum exercitu suo Antichristum defendat. 973
Mahumetus apertè præse tulit detestationem Christianæ religionis & studium summum eius penitus extinguendæ. 903. sub habitu Agni innumerabiles decepit. 946. 947. Christum penitus abnegauit & abnegandum docuit. 954. multa extant in eius lege naturali lumini & legi ex diametro aduersa. 957
Manichæi duo principia introducebant, bonum & malum, Deum & Diabolum. 881. damnant nuptias. 978. 999

Manuel Caleca ſcriptor Græcus. 116. quatuor libris contra Græcos pro Latinis decertauit. 125. ex Bauarica Bibliotheca in lucem extractus, & ſcholiis eruditis à Petro Steuartio illuſtratus. ibid.

Maozim Antichriſtus. 959. fortitudinum, id eſt, fortiſſimus & robuſtiſſimus. ibid. Diabolus. 960. 961 963. præſidium ſeu arx munitiſſima, in qua Antichriſtus pretioſiſſimos ſuos theſauros aſſeruabit & Diabolum colet. 960 962. 963. hæreticis Deus verus Iſraëlis 959. 960. 964. Rullo Arx S. Angeli Romæ. 962. hæreticis quibuſdam Sacrificium Miſſæ, & venerabile Sacramentum Euchariſtiæ. 960. 961. 962

Marcellinus Papa in Concilio Sinueſſano Iudex & reus. 802. non videtur certum quod idolis ſacrificauerit. 1043

Marchiones Tuſciæ Romanam Eccleſiam vexant. 1089

Marcion hæreticus ex Ponto ad Sedem Apoſtolicam appellat. 775. 777

S. Marcus Euangeliſta S. Petri diſcipulus & Vicarius, in erectione & rectione Cathedræ Alexandrinæ. 624. 625. ſcripſit Romæ Euangelium prout ibidem Petrum prædicantem audierat. 667. 668. diuerſus ab illo Marco de quo in Actis Apoſtolorum & epiſtolis Pauli. 667. Petri Interpres. 668. rogatus à Romanis vt Euangelium ſcriberet. ibid.

Marcus Epheſius perpetim Latinis refragatus. 83. veteratoria arte Latinos Concilio Oecumenico VIII. exuit. 124. Concilio Florentino interfuit. ibidem. cum Iuliano Cardinali diſputauit. ibid. in octauæ Synodi locum, Synedrium Photianum ſubſtituit. ibid.

Marcus Guazzo. 985

Maria Virgo Deipara. 163. in omni tribulatione, præcipuè in hora mortis, adeſt cultoribus ſuis, ad auxiliandum eis, & excipiendos illorum ſpiritus, & deducendos ad regna cœlorum. 167. in cœleſti patria commorans, quibus præſidiis egeamus intelligit. 168. ſæpe nonnullis corporaliter præſens fuit, ſed aut tunc cœlum deſeruit, aut ſimul & vno tempore pluribus in locis fuit. ibidem. verum Deum genuit. 224. à Chriſto ipſo baptizata. 616. 617

Marianus Scotus nihil habet de fabula Ioannis Papiſſæ. 986. 987

Marinus Papa Ioanni VIII. ſucceſſit. 125. Photium perfecto odio oderat. ibid.

Marſilius Paduanus ideo dicit Romanos Epiſcopos & Sacerdotes cæteris ſemper prælatos fuiſſe, quia beatus Apoſtolorum ſenior, meritis perfectior & reuerentior ibidem tanquam Epiſcopus ſediſſe legitur. 702. cum Veleno ſentit Petrum nunquam fuiſſe Romæ. 703. lubricus. 703. 705. Paulum potius quàm Petrum Romæ ſpecialem & determinatum Epiſcopum fuiſſe affirmat. 705. non negat. & tamen negat, Petrum fuiſſe Romanum Epiſcopum. ibid. Pontificem putat iudicari poſſe ab Imperatore. 805

Martinus I. Papa defenditur ab hæreticorum calumniis. 1080. 1081

Martinus V. Pontifex cum quodam diſpenſauit vt duceret ſororem eius quam carnaliter prius cognouerat. 977

S. Martinus poculum à Maximo Imperatore ſibi miſſum, Presbytero ſuo tradidit, nullum exiſtimans dignioremqui poſt ſe biberet. 434. 435

Martinus Becanus Societatis Ieſu. 826. 847. 994. Vide etiam V. Becanum.

Martinus Eiſengrinius de ſacello & exorciſmo Oetingenſi libellum ſcripſit. 167

Martinus Lutherus. 594. Vide V. Lutherus.

Martinus Minorita. 985

Martinus Polonus dux & auctor fabulæ de Papa femina. 986. 988

Materia in generatione hominis nec producitur nec naſcitur. 72. 165

Mathematici plurimi quadraturam circuli demonſtrare conati ſunt. 262

S. Matthæus Euangelium ſuum Syriacè ſcripſiſſe probabiliter creditur. 517. 544. Indis Orientalibus Euangelium prædicauit. 855

Matthæus Sutlinius Decanus Exceſtrienſis. 399. Vide etiam V. Sutlinius. Bellarminum appellat ſtercoreum militem, furioſum & Damoniacum Iebuſitam, Ballionem, Monachum tribæreticum. ibid.

Mauricius Imperator admodum tyrannicè Romanam Eccleſiam diuexabat. 808

S. Maximus maximæ auctoritatis in Eccleſia. 538 primatum Petri aſſerit. 637. tempore Honorij vixit. 1070

Maximus Epiſcopus Antiochenus, à Concilio Chalcedonenſi receptus, quia à Leone Pontifice Romano confirmatus. 720. 721. 744

Maximus Imperator poculum ſibi à pincerna oblatum, miſit ad S. Martinum, idque honoris & reuerentiæ cauſa erga Epiſcopum & Sacerdotem. 434. 435

Maximus Margunius Epiſcopus Græcus theſibus Authoris de S. Trinitate ſcholia anaſceuaſtica adiecit, quæ refutantur. 84. 88. & ſequent. peccat in methodum. 89. contradicit Auguſtino. 101. putat Spiritum ſanctum diſtingui realiter à donis ſuis. 102. 103

Mediator munus ſuum obit vel iudicando cauſam, vel referendo pacta vtriuſque partis, vel ſupplicando, vel ſatisfaciendo vni parti pro alia. 349. ſuiipſius nemo. 354. 368. per id quo munus mediatoris exercet, neceſſariò diſtinguitur ab eo, cuius eſt mediator. 374. 375. participans de vtroque extremo, & diſtans ab vtroque. 380

Meditatum & deliberatum idem eſt. 291

Melanchthon violantes legem magiſtratus, vult obligari ad pœnas æternas. 1113. Vide etiam V. Philippus Melanchthon. ineptè Danielem interpretatur. 981. apertè ſcripſit, omnia legalia etiamnum obſeruari poſſe, ſalua religione & conſcientia. 1099

Melchiades Romanæ vrbis Epiſcopus cum collegis ſuis cauſam Cæciliani & Donatiſtarum Romæ recognouit. 782

Melchiſedech Rex & Sacerdos. 451. 1164. typus Chriſti. 564. 711. 1141

Meletius pſeudopatriarcha Alexandrinus ſchiſmaticus. 126. Symbolum S. Athanaſij reiicit, vt à Romanis Pontificibus adulteratum. ibid.

Melius Lutheranus Neſtorianus. 41. 42

Menas Episcopus Constantinopolitanus in locum Anthimi depositi substitutus. 721. ab Agapeto Papa Romano ordinatus & consecratus in Basilica S. Mariæ Constantinopoli 721. 729. Patriarcha. 728

Mendacium nunquam licet dicere. 25. 114

Mentiri, quantumuis rectè, illicitum est; apertè autem absque respectu hominum plaustra mendaciorum horrendorum cumulare, scelus est. 185

Merertu contra Iunium pro Bellarmino, de voce Elohim. 67

Mereri idem significat in Romani Missalis orationibus, quod apud Patres. 386. 387. melius est, cæteris paribus, quam sine merito aliquid habere 387. potest aliquis rem iam antèa sibi debitam. 389. 392. potest aliquis rem iam iam acceptam, cum respectu ad meritum futurum. 392

Metaphoricus sensus ad literalem pertinet. 494. 515. 542. 586. 660. non confictandus relicto literali proprio. 922

Metaphysica Lemannica ponit in Deo accidentia. 68

Michaël, Quis sicut Deus? 50. post casum Luciferi principatum Angelorum obtinet 483. præpositus Paradisi & princeps cœlestis militiæ. ibid.

Milevitanum Concilium statuit vt siqui clerici inferiorum ordinum prouocare seu appellare velint, ne ad transmarina appellent. 781. grauissimè punit clericos qui ab Imperatore iudicari volunt. 805

Miracula Dei non cooperantur peccatis nostris. 649

Missa sacrificium. 760. iterari potest, si tanta sit populi frequentia, quæ vno templo capi nequeat. ibid. ab hæreticis blasphemè Deus Maozim appellatur, quos refellit Oecolampadius. 960

Missio in diuinis, processioni superaddit terminum aliquem temporalem. 91. est per naturalem productionem & originem. 99. præsupponit originem. 100. 103. materialiter semper manet, non autem formaliter. 104. duplex: visibilis & inuisibilis. 121. inuisibilis cum visibili semper coniuncta. ibid.

Modi præsentia non constituunt nouam præsentiam. 185

Molina Societatis Iesu. 1097. 1100

Monarcha, ratione officij, Minister est. 470

Monarchia est omnium administrandi rationum simpliciter loquendo excellentissima. 407. 408. & seq. in bonam partem ab omnibus accipitur, pro illo nimirum principatu, in quo salus & vtilitas subditorum quæritur, non commodum eius solius qui præest. 409. pro Regno accipitur, etiam hodierna omnium rectè sentientium consuetudine. ibid. supremam, & ab alio independentem potestatem denotat. 413. sola potest perfectum & rectum virtutis tenum sustinere. 417. Deo non displicet. 424. magis ordinata quàm Aristocratia vel Democratia. 427. Aristocratiæ & Democratiæ admixta, vtilior in hac vita. 428. etiam Deo competit. 430. fidei, pacis, & concordiæ tuendæ, & schismatibus impediendis tollendisq; aptissima 450 est ipsa Autocratoria. 458. administratur ab vno, sed per subordinatos præfectos. 470. nulla absque Monarcha. 709

Monothelitæ hæretici voluntatem rationalem humanam Christo ademerunt. 275. vnam operationem propriam vtriusque naturæ in Christo ponebant. 368

Mors non est præcisè corruptio corporis, sed corruptio seu dissolutio totius quod homo nominatur. 344. 345. propriè loquendo consistit in separatione animæ & corporis. 879

Mors animæ non incurritur nisi per mortiferum peccatum. 284

Mortonus Anglicanus impostor. 429. 430. Caluinista. 430. fingit antilegias ibid. Vide V. Thomas Mortonus.

Mortui excommunicari possunt, viuentibus in exemplum. 765

Moses summus Dux populi Hebræi. 421. summum Pontificatum habuit extraordinarium, ratione successionis. 423. Monarcha fuit. ibidem. vt Ducem populi Israëlitici ageret, à Deo in solitudine monitus & designatus. 426 vt à populo reciperetur, seniores conuocat, iusq; voluntatem & iussa Dei patefacit. ibid. petiit sibi in regimine populi à Deo adiutores dari. 429. princeps Ecclesiæ. 451. summus & vniuersalis Monarcha. 467. typus Christi 564. conuertit aquas in sanguinem in Ægypto, & percussit terram omni plaga coram Pharaone. 873. leges & præcepta dedit cum vi coactiua. 1108. quia perpetuò victurus non erat, reliquit in sua cathedra Interpretem, qui semper adiri & audiri ab omnibus posset, deque exortis controuersiis responsa certa daret, cum vi coactiua. 1108. caput antiquæ Ecclesiæ, typus Romani Pontificis 1141. non tantum vt princeps Ecclesiasticus, sed & vt politicus, typus fuit Papæ. 1141. summus dux populi, & simul summus Pontifex. 1163. simul Sacerdos & Princeps politicus. 1164

Motus localis est acquisitio noui loci, & positio substantiæ in loco, vbi antea non fuerat. 180. 182

Multos imperitare malum est, vt verè cecinit Homerus. 412. 413

Multi Principes, nulli Principes. 414

Mundus Babylon. 661. 662

Muratori Prædicantici Germanici & Catholicæ Antiquitatis. 12

Musculus Lutheranus docuit diuinam Christi naturam in cruce passam & mortuam 128. palinodiam tecinit. ibid. scripsit Antichristum significare Vicarium Christi. 820. Vide V. VVolffgangus Musculus, & V. Andreas Musculus.

N.

Narcissus presbyter Romanus à S. Paulo salutatus. 694. 695

Nathanaël Christum Dei filium confessus, tametsi naturalem Dei filium esse ignoraret. 601. à Christo redarguitur. 602

Natura est principium motus & quietis. 352

Naturam expellas furca licet, vsque recurret. 436

Nauclerus. 985

Nazianzenus. Vide V. Gregorius Nazianzenus. Romam, ait, ab antiquis temporibus rectam retinere fidem, sicut decet vrbem, quæ toti præsidet orbi, semper de Deo integram fidem habere. 1027

Negationes nec ſunt ſubſtantiæ, nec accidentia. 67

Nephes vox Hebraica longè latius patet quàm Latina, Anima. 320

Nero ex deuicto Simone Mago occaſionem arripuit perimendi primarios duos Apoſtolos. 671. tyrannus truculentiſſimus. 889

Neſtorius Chriſtum nudum hominem eſſe opinabatur. 111. à Concilio Epheſino, Synodo quinta & ſexta, cum ſymbolo ſuo condemnatus. 112. Spiritum ſanctum nec à Filio, nec à Patre per Filium procedere credidit. ibidem. Eutychi aduerſa fronte repugnat. 160. duas perſonas in Chriſto ponebat. 176. dicebat naturas in Chriſto nihil habere commune. 178. non primus excogitator ſuæ hæreſis, ſed celebrior propagator. 241. à Conſtantinopolitano Epiſcopatu depoſitus per Epheſinam ſynodum, mandato Cæleſtini Papæ Romani. 433

Nicænum Concilium vocabulum ὁμοούσιον approbauit. 7. trecẽtorum decem & octo Patrum. 74. 724. de proceſſione Spiritus ſancti nihil decreuit. 113. 115. diuinitatem Chriſti contra Arianos aſſeruit. 172. decreuit, vt Epiſcopo Hieroſolymitano ſuus ſeruaretur honor, non re, ſed nomine Patriarchalis. 623. 627. nihil ſtatuit circa Romanam Eccleſiam, ſed tantum ex forma Romanæ Eccleſiæ conſtituit ſtatum aliarum Eccleſiarum. 722 iubet vt Patriarcha Alexandrinus Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos curam gerat, cùm, vt ita fiat, Romanus quoque Pontifex velit. 723. iura antiqua Alexandrino Patriarchæ & aliis confirmauit, præſentibus & conſentientibus Apoſtolicæ Sedis legatis. ibid. decreuit Eccleſiam Romanam ſemper habuiſſe primatũ. 723. 724. cuius Epiſcopo & Metropolitano in ſuæ ſolummodo prouinciæ clericos iuriſdictionem dedit, ſaluo tamen iure Epiſcopi Romani tanquam omnium ſupremi 789. iuris appellandi ad Romanum Pontificẽ teſtis irrefutabilis. 793. 794. diuini iuris interprẽs. 794

Nicæni Concilij canon de Paſchate die Dominico celebrando. 797. ne bigamus in clerum aſciſcatur. 797. 798. de libro Iudith in numero librorum canonicorum. 798. ne duo Epiſcopi ſimul ſedeant in eadem Eccleſia. ibid. ne ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti à non ieiunis offeratur. 798. 799. de literis Formatis. 799. 800

Nicænum Concilium epiſtolam ad Silueſtrum inſcribit: Beatiſſimo Papæ vrbis Romæ cum omni reuerentia colendo, &c. 814

Nicolaus I. Pontifex Romanus inſignis. 723. Sectarios Antichriſtum. 723. 730. 768. octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Pontificibus Romanis depoſitos fuiſſe ſcribit. 745. canonem quendam Trullanum tanquam à Chriſtianis & Catholicis editum, non tamen propterea omnes probat. 756. ſcribit ſe didiciſſe ab Apoſtolo etiam Ethnicorum teſtimoniis vti quando opus eſt. ibid. minatus eſt Lothario Regi excommunicationem, & Valdradam concubinam eius reipſa excommunicauit. 768. per primatem diœceſeos intelligit Romanum Pontificem. 777. 778. Anteceſſores ſuos nec tenuis ſaltem rumore aſperſos fuiſſe dicit quaſi aliquando cum praua ſapientibus ſapuerint, tantum abeſſe vt concertarint. 1067. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1083. & ſeq.

Nicolaus IV. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1099. & ſeq.

Nicolaus Seranus Societatis Ieſu. 934. Vide etiam V. Seranus.

Nihil producit ſeipſum. 76. 98. 106

Nilus Theſſalonicenſis Epiſcopus ſchiſmaticus. 718 986. plures quàm quadraginta libros contra Papam ſcripſit, qui in Bibliotheca Bauarica aſſeruantur. 986

Nomina noua cogimur inuenire propter nouas hæreſes. 63. licitè ac iure vſurpantur. 64

Nomina non tam à quo, quàm ad quid, ſint vel primitus impoſita, vel poſtea vſu loquentium tranſlata, attendendum eſt. 409

Nomina nunquam à Deo, niſi grauem ob cauſam mutantur. 592

Nonnus Antichriſtum appellat ſpurium, falſidicum & Deo contrarium virum. 825

Notiones non omnibus perſonis diuinis communes; in abſtracto ſignificata. 120 numero quinq; tantum. ibi.

Notitia ſimplicis intelligentiæ in Deo, non eſt potentia, ſed actus, & quidem æternus. 274

Numerus certus pro incerto tunc ſolùm ponitur, quando exprimitur aliquis plenus & perfectus numerus, non autem quando parui & magni permiſti ſunt. 888. 889

O.

Obedientia propriè dicta importat neceſſariò realem diſtinctionem ſaltem duorum. 175

Occam. 986

Oecolampadius Baſileenſis olim Profeſſor, ex Sacramentariorum numero præcipuus. 897. Rulli in cathedra Baſileenſi anteceſſor, longè alia via quam Rullus incedit. 900. refellit eos qui Deum Moazim apud Danielem Sacrificium Miſſæ & venerabile Sacramentum Euchariſtiæ interpretantur. 960. in Lutherum virgulam ſtringit, viuq; verſionem reiicit. 974. Hebræos reiicit in interpretatione Danielis, nouamq; interpretationem excogitat. 978

Oecumenius dicens: Chriſti carnem repleuiſſe omnia, explicatur. 142. 143. Petrum dicit nihil egiſſe cum imperio, ex humilitate videlicet, non defectu poteſtatis. 609. primum Petri miraculum laudat. 611. Petro ait præſidentiam diſcipulorum fuiſſe commiſſam. 635

Oligarchia vitium & corruptio, non quidem Monarchiæ, ſed Ariſtocratiæ. 415

Oliueres aliquando opportuna locuti. 65

Omnes non ſemper præciſè & mathematicè, ſed moraliter accipiuntur. 912

Onuphrius exiſtimat Petrum non ſediſſe Antiochiæ priuſquam proficiſceretur Romã. 690. 691. excommunicationes Arcadij & Leonis Iſauri pro fabulis habet. 767. ſecutus veſtigia ſchiſmaticorum & Auentini, à quibus non ſemel circumuentus & in fraudem inductus eſt. ibid.

Opera Trinitatis ad extra, ſunt communia omnium perſonarum. 39. 78. indiuiſa. 101. 354. 365

Operationes immanentes & tranſeuntes. 91. ſunt ſuppoſiti, vt principij quod; natura, vt principij quo. 363. alia ad intra, alia ad extra. 365. Theandrica. 368. 369

Optatus Mileuitanus aſſerit vnicam eſſe Cathedram in Eccleſia, nempe Petri. 629. Petrum aſſerit omnium Apoſtolorum caput fuiſſe. 637. Cephas idem putauit eſſe quod caput. ibid. in vrbe Roma Petro primùm dicit cathedram Epiſcopalem fuiſſe collatam. 682

Optimum eligere nemo obligatur, ſatis eſt ſi quis bonum amplectatur. 419

Ordo inter perſonas diuinas quadruplex. 90

Origenes dicens Chriſtum reuocaſſe deſiderium ſuum, explicatur. 272. Petrum vocat magnum Eccleſiæ fundamentum, & petram ſolidiſſimam, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam. 531. affirmat omnes fideles eſſe Chriſtos, lucem mundi, & petras. 534. Petro dicit ſummam rerum de paſcendis ouibus fuiſſe traditam, & ſuper ipſum fundatam Eccleſiam. 631. Petrum ſcribit Romæ crucifixum capite deorſum demerſo, quod ita fieri precatus eſſet. 673. probat eorum ſententiam, qui docent Heliam in propria perſona ſecundum Chriſti aduentum antegreſſurum. 875

Origines Conſtantinopolitanæ, libellus Græcus. 724

Oroſius Petrum Romæ fuiſſe aſſerit. 666. non interfuit Concilio Carthaginenſi. 788

Orthuinus Gratius ſectariorum penus, cum maledictis Papam, præſertim Gregorium VII. inceſſere cogitant. 881

Oſualdus Crollius. 985

Otho I. Imperator iurat Ioanni XII. Romano Pontifici. 1093

Otho Friſingenſis. 987

*On, vocula redundans, ſolenni Græciæ vſu. 724

Oues à ſuo paſtore paſci ſe finant. 450

P.

Papa nihil fœdum aut turpe ſignificat. 397. per antonomaſiam Romanum Pontificem ſignificat. 812

Papa. Vide V. Pontifex Romanus. Eſt Vicarius generalis Chriſti. 642. Vicarius ſummi ſacerdotis. ibid. Vicarius & miniſter reſpectu Chriſti, ſummus ſacerdos ratione militantis Eccleſiæ, & inter ſacerdotes. ibi. doctor vniuerſi orbis, in definiendo, ingq; decidendis infallibiliter fidei quæſtionibus. 765. iure Vicarios in variis orbis partibus vel tẽporarios vel perpetuos conſtituit. 769. vnus ſuper totius mundi Eccleſiam. 813. à Conſtantino Magno vocatus Deus, metaphoricè. 991. nec à naturali, nec à diuina lege liber eſt. 993. à legibus humanis Eccleſiaſticis liber eſt quoad coactionem, non quoad directionem. ibid.

Papias teſtatur Petrum Romæ primam epiſtolam ſcripſiſſe. 659. 660. Epiſcopus Hierapolites. 660

Papyrius Maſonius. 984

Paracelſus Sturra. 397

Parlamenta in Gallia Regi ſubduntur. 422

Paſcha Dominico die celebrandum. 797

Paſchalis II. ab Henrico Imp. vi & armis coactus concedere illi quæ vellet. 1095

Paſchaſinus Legatus Apoſtolicus Leonis in Cœcilio Chalcedonenſi. 724. Vicarius Sedis Apoſtolicæ. ibid. Canonem Nicæni Concilij recitat de primatu Romanæ Eccleſiæ. ibid. actioni illegitimæ reclamat. ibid. Eccleſiam Romanam vocat caput omnium Eccleſiarum. 817

Paſtor gregem non tantum paſcit ſuppeditando cibum, ſed & regendo, ducendo, dirigendo, defendendo, caſtigando. 580. 586

Patres fatentur ſe neſcire, quare proceſſio Spiritus ſancti non ſit generatio. 93. Græci cum Latinis concordant. 116. piè explicandi cum dicunt: Filium Dei aſſumpſiſſe hominem. 159. item dicentes Chriſtum eſſe creaturam. 160. negant Chriſtum eſſe vbique. 189. ſcribunt Chriſtum ad inferos deſcendiſſe vt victorem, non vt damnatum. 289. Doctores noſtri ſunt, & ſacrarum literarum ſinceri interpretes. 528. apertè dicunt Petrum eſſe petram, baſin & fundamentum Eccleſiæ. 543. Petrum trina interrogatione & confeſſione trinam compenſaſſe negationem aſſerunt. 576. Petro omnes ſimpliciter Chriſti oues commiſſas eſſe tradunt. 587. expreſſè Petrum Apoſtolorum principem & coryphæum vocant. ibid. Petrum primum omnium Apoſtolorum à Deo edoctum cognouiſſe myſteria fidei teſtificantur. 601. primatum Petri colligunt ex tributo pro ſe & Chriſto ſoluto. 603. ſemper Sedem Petri appellarunt Apoſtolicam. 718 719. non tribuunt primatum Romano Pontifici, ſed à Deo tributum teſtificantur. 733. Antichriſtum ita docent fore vnum, vt & anteceſſore & ſucceſſore careat. 824. Antiochum Epiphanem tradunt fuiſſe typum Antichriſti. 838. omnes docent Antichriſtum ſub finẽ mundi venturum, tantum aliqui eorum finem mundi viciniorem arbitrati ſunt quàm reuera erat. 847. impedimentum aduentus Antichriſti tradunt Superſtitem Romani Imperij ſtatum. 864. ſi qui indicare videntur Henoch & Heliam iam gloria cœleſti, & beata illa viſione Dei frui, impropriè loquuntur, & tali locutione indicare volunt tranquillum, quietum, noſtroq; longè feliciorem ſtatum illum in quo nunc vitam degunt. 879

Patres docent Antichriſtum fore Iudæum. 912. docent Antichriſtum non fore Idololatram propriè & ſtrictè loquendo. 951. dicunt aliquando, non omnes Epiſcopos eſſe Epiſcopos, ſcilicet re & nomine. 983

Patriarchæ habuerunt regiam poteſtatem, quia bella geſſerunt, vitæq; ac necis poteſtatem habuerunt. 425. 426. 450. ſacerdotes. 451

S. Paulus Apoſtolus caput nationum vocatur à D. Gregorio. 448. reſurrectionem mortuorum confirmat à ſimilitudine grani in terram iacti, putrefacti, & poſtea rurſus magno cum fœnore & decore excitati. 494. ductu & auſpicijs Petri Romam & in alias orbis partes conceſſit. 507. Spiritu ſancto iubente ordinatus Epiſcopus. 563. Petri ſocius in officio prædicandi, minor tamẽ in officio gubernandi. 588.

589. nihil doctrinæ ab Apostolis cæteris accepit, à Christo de omnibus diligenter instructus. 590. ascendit Hierosolymam videre Petrum tanquam se maiorem. 614. 615. dum Apostoli nomen sibi tribuit, pariter Episcopi nomen implicitè sibi tribuit. 621. vsu iam obtinuit vt absolutè dicatur Apostolus, quòd plura scripserit, quàm ceteri. 644. in pluribus locis plantauit fidem quàm alij, hinc Apostolus per antonomasiam dictus. 645. aliis Apostolis præferendus quo ad laborem, non quoad primatũ. ibid. excelluit in eo quod est proprium Apostoli. ibid. munus Apostolicum excellentissimè impleuit. 645. 646. etiam ipse Romanam Ecclesiam fundauit & gubernauit. 646. Petro par merito, gloria, passione, non clauibus. 647. aliquando ad dextram, aliquando ad sinistram Petri pictus. 647. 648. reprehendit Petrum ob peccatum vel veniale, vel materialiter tantum 651. ait se liberatum de ore Leonis, id est, Neronis 658. ex vrbe Romana ad remotiores Ecclesias epistolas quasdam dedit. ibid. tanquam primus annumeratur primo, nempe sancto Petro, tum propter excellentiam, tum operis & operæ præstantiam quam ad exædificationem Ecclesiæ Romanæ contulit. 666

S. Paulus Romæ martyrio functus & sepultus. 670. & seq. decollatus 673. ad Ephesios scripsit vno anno antequam ad Hebræos. 693. ad Romanos scripsit eo tempore, quo Petrus Româ aberat. 694. pactum cum Petro temporarium iniit, vt ille gẽtium, hic Iudæorum esset Apostolus. 695. 696. salutat Priscam & Aquilam ciues Romanos. 696. epistolam ad Galatas ex Romana vrbe scripsit. 698. Ephesios & coram, & absens per epistolam in doctrina Christi instituit. 701. toto biennio Romæ fuit in vinculis. 703. argumentatur ex allegoriis & metaphoris. 710. ab vnitate corporis & membrorum argumẽtatur ad concordiam animorum, & à seminibus ad resurrectionem. ibid. quod habuerit penulam, est de fide, non tamen de iure diuino. 716. vnus erat de grege Christi, & sic sub Petro. 785. appellat ad Cæsarem tanquam ad superiorem Præsidis Iudææ & Iudæorum, à quibus iniuriam patiebatur. 809. subiectus Imperatori de facto, non de iure. ibidem. sæpe in epistolis suis vtitur tropo, seu enallage præteriti temporis pro futuro. 851. dicit eos qui scelera & flagitia perpetrant, iterum spiritaliter Christum quasi crucifigere & ostentui habere. 874. Incestuosum Corinthium, item Alexandrum & Hymenæum ex potestate accepta debitis pœnis affecit. 1138. legem statuit, ne bigami ordinentur. 1127. iussit vt Corinthij inter se controuersiarum ciuilium iudices constituerent, nec infideles iudices adirent. 1157

Paulus V. legitimus Petri successor. 527. 840. commune lumen omnium. 698. generalis totius Ecclesiæ Pontifex 702. Leoni X I. proximè successit. 904

Paulus Kemerius Hunnio Iesuita. 167

Peccatum occasio, eiusq; abolitio finis fuit passionis Christi. 390

Pellicanus Zuinglij discipulus, vulgatam editionẽ Danielis sequitur. 978

Peretius à Caluiniano Drusio citatus contra Iunium. 67. scripsit in Danielem. 861. 885

Perfectio duplex. 258

Persæ Monarchiam sibi delegerunt. 417. 419

Persona seu personalitas hominis, nec est essentia hominis, nec accidens eius. 68. in se & per se subsistit. 75. est substantia intelligens, individua & incommunicabilis. 85. alio nomine dicitur suppositum & hypostasis, id est, subsistentia. ibidem. vt principium completum & perfectum operatur, &c. 87. 121. ex natura & hypostasi seu gradu personalitatis constituitur 149. 150. 151. propriè non mouetur. 324. est hypostasis cum natura, seu in hypostasi subsistens natura. 362. non operatur nisi per aliquod principium formale & immediatum, quo actiones producat. 375

Personæ diuinæ licet realiter inter se distinctæ, omnia sibi in essentia identificant. 69 88. sunt tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. 88. vnus Deus. 90. procedunt per intellectum & voluntatem. 92. constituuntur & distinguuntur per origines & relationes. 120. sunt æquales. ibidem. sunt tres æquè omnipotentes. 122. proprietates suas non communicant. 149

Petilianum hæreticum à D. Augustino confutatum. 169

Petrarcha. 936

S. Petrus Apostolus nouit occultas fraudes & fallacias, quibus Ananias & Sapphira Ecclesiam circumuenire studebant. 193. lapis angularis. 400. caput totius Ecclesiæ à Christo constitutus. 445. caput vniuersale & Monarcha. 445. 512. Œconomus & ianitor cœli, absolutè, & cum plenitudine potestatis. 515. fundamentum Ecclesiæ respectu Christi secundarium, sed à quocunque alio independens. 517. 518. 519. ædificat etiam Ecclesiam super Christum, & super seipsum. 519. Syriacè à Christo appellatus Cephas, quod significat petram. 520. 521. 522. 523. petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum. 528. 529. petra illa super quam ædificata est Ecclesia. 540. 541. promeruit vt sit petra, princeps, caput & fundamentum Ecclesiæ. 543. verè, principaliter, & immediatè claues accipiendo, historicè personam Ecclesiæ gessit. 548. plenitudinem clauium & independentiam à quocunque homine, solus accepit. ibidem. Ecclesiæ summus moderator, clauiger summus, & supremus cœli ianitor. 549. pro sua persona & pro suis duntaxat successoribus claues regni cœlorum accepit. ibid. omnium Apostolorum nomine respondit, vt eorum os, & caput ac princeps futurus. 550. cœlesti lumine diuinitus derepente collustratus in eximiam illam confessionem prorupit. 552. palam confessus est Christum esse filium naturalem Dei, atque adeò Deum de Deo. 554

S. Petrus præfectus & pastor ordinarius, cui in plenitudine clauium succeditur. 562. verè & historicè typus Ecclesiæ militantis, vt Ioannes triumphantis. 564. 565. accipiendo claues, figuram gessit Ecclesiæ, hoc est, totius cœtus Ecclesiasticorum ministrorum. 565. potestatem accepit

summam

summam simul & ministerialem, hanc respectu Christi. illam respectu Ecclesiæ. 569. 571. firmitate sua immobilu adamantiu naturam superat, terrarum orbe reluctante. 572. os, caput, vertex, coryphæus seu antesignanus Apostolorum. 572. 573. pascit regendo & præsidendo. 580. à Christo præpositus omnibus gentibus, Patribus, Apostolis. 583. 585. 586. 587. eximius inter omnes, & totius Apostolici chori os. 587 trina dilectionu protestatione viam sibi strauit ad supremi Pastoriu munus. 588. Pauli socius in officio prædicandi, sed maior illo in officio gubernandi. 588. 589. Christo inferior. Ecclesia superior. 592. proprio nomine Simon & Petrus appellatus, hoc à Christo, illo à parentibus. 593. ferè semper in enumeratione Apostolorum siue omnium siue quorundam primo loco nominatur. 595. & seq. solus vnà cum Domino ambulat super aquas. 599. solus ex peculiari reuelatione diuinitatem Christi confessus. 600. 601

S. Petrus primus omnium Apostolorum à Deo edoctus cognouit summa mysteria nostræ fidei. 601. ob confessionẽ beatificatus. 602. in pensione tributi Christo comparatus. 602. 603. in episcatione Ecclesiæ militantis typum gerente, primus fuit & princeps omnium. 604. iubetur omnes confirmare vt caput & princeps 605. primus Apostolorum vidit Christum post resurrectionem sibi apparentem. 606. 607. primus fuit cui Christus lauit pedes, mortemque crucis prædixit. 607. 608. tanquam paterfamilias collegit in vnum cœtum discipulorum. 608. 609. omnium primus post acceptum Spiritum sanctum, Euangelium promulgat. 610. primum miraculum in testimonium fidei fecit. 610. 611. tanquam summus & diuinus iudex agnouit & damnauit hypocrisin, & fraudem Ananiæ & Saphiræ, & eos verbo suo occidit. 611. 612. transiit per omnes tanquam summus dux & inspector. 612. omnium primus incipit prædicare gentilibus. ibid. in Concilio primus loquitur, & eius sententiam reliqui sequuntur. 614. solus à Christo baptizatus. 616. 617. solus à Christo Episcopus ordinatus, cæteros omnes Episcopos consecrauit. 617. 618. 619. primum & principem hæresiarchum Simonem Magum primus detexit, postea damnauit, & planè extinxit. 621 622. Romæ sedem suam diuino instu collocauit. 622. sub finem vitæ suæ apparentem sibi Christum interrogat. Quo vadis? respondentẽ: Venio Romam iterum crucifigi. 623

S. Petrus quas fundauit Ecclesias ea sola semper sunt habitæ primæ & Patriarchales. 623. 624. 625 626. 628. Alexandriam venit. 624. Alexandrinam sedem per Marcum Euangelistam tanquam suum Vicarium instituit & administrauit. 624. 625. Antiochenam Cathedram per Euodium administrauit. 625. Romanã Ecclesiam per se vsq; ad mortẽ suã tenuit, gubernauit, & sanguine suo obsignauit, totãq; Apostolicæ potestatis plenitudinẽ ad successores perpetua serie trãsiturã in ea reliquit. 625. 627. Monarcha Ecclesiasticus. 631 primus Christianorum Pontifex. ibid. omnium Apostolorũ probatissimus & maximus, primorum princeps, & dux, ac magister militiæ Dei 632 os Apostolorum, hoc est princeps in dicendo. ibid. dux Apostolorum. 633. vniuerso orbi præpositus. 634. 635. super Apostolos præsidentiam accepit. 635. totius orbis magister. ibid. à Paulo reprehensus noluit dicere, se habere primatum, & sibi obediendum esse, idque modestiæ causa. 636. Vicarius amoris Christi erga nos. 637. non ideo princeps Ecclesiæ fuit, quia Romæ docuit & crucifixus est, sed quia à Christo claues regni cælorum, & generalem totius dominici ouilis curam suscepit. 641. est quidem totius orbis Apostolus & Episcopus, sed simul etiam est particularis Episcopus Romanæ vrbis & diœcesis. ibid. Romanam sedem fundauit. ibid.

S. Petrus Vicarius generalis Christi. 642. Paulo primatu superior, Apostolatu par, labore & scripti inferior. 645. 646. Paulo maior auctoritate. 646. Paulo par merito, gloria, passione nõclarius 647. aliquando ad dextrã, aliquando ad sinistrã Pauli pictus. 647. 648. in nocturnis tenebris trepidantibus omnibus, non statim Dominum agnouit, tametsi eius audita voce. 648. 649. dicens Christo: Absit à te Domine, non erit tibi hoc, errauit in sensu, nõ in affectu. 649. reprehensus à Paulo ob peccatum vel veniale, vel materialiter tantùm. 651. Christum negando grauissimè peccauit. ibid. fuit Romæ 655. & seqq. Hierosolymis ex carcere euadẽs, noluit ab omnib. sciri vbi degeret. 658. Romæ scripsit primam suam epistolam. 659. 660. primus omnium Romanis prædicauit. 662. prima suæ concione tria millia conuertit. ibid. cælesti visione admonitus prædicare gẽtilibus. 663. primus cælestem doctrinam ex Oriente in Occidentem importauit. 665. destinatus ad arcem Romani Imperij. 666. Romæ mortuus. 670. & seq. Romæ sepultus. 670. crucifixus capite deorsum versũ. 671. post deuictum publicè Simonem Magum martyrio affectus. ibid. asserebat se indignum qui crucifigeretur vt Dominus suus. ibid. passioni Dominicæ exæquatus. 673. Romæ vsque ad mortem Episcopus fuit. 674 & seq. & Romanæ particularis, & simul totius Ecclesiæ vniuersalis Episcopus. 674. 675. Romæ viginti quinq; annis Episcopus mansit. 680. 683. sacerdos Romanæ Ecclesiæ. 682 princeps sacerdotum Romanæ & omnium Ecclesiarum. ibid. Apostolus simul & Episcopus. 683. Clementem ordinat Romanum Episcopum, tanquam suum successorem. 684. 685

S. Petrus per Leonem successorem suum locutus 686. Anno secundo Claudij Imperatoris Romam venit, 688. expulsus Româ cum reliquis Iudæis à Claudio 690. anno septimo Cathedræ Antiochenæ nondum completo Romã venit. 691. ex vrbe Romana Hierosolymã rediit. ibid. Concilio Hierosolymitano interfuit. ibid. Antiochiam rediit postquam iam Romæ Cathedram fixerat, ibidemq; à Paulo reprehensus est. 691. 692. post mortem Claudij Romam rediit. 694. Ecclesias Occidentales peragrando ad ipsos vsque Britannos penetrauit. ibid. in officio Episcopali coadiutores sibi adscinit Linũ, Cletum, Clementem.

ibid. pactum iniit cum Paulo temporarium duntaxat, vt ille Iudæorum, hic gentium esset Apostolus. 695. 696. æquè Neroni inuisus ac Paulus. 700. sub typico Babylonis nomine Romam designat. 702. scripsit ad aduenas dispersionis Ponti, Galatiæ, &c. ibid. in successoribus suis est & manet sacerdos in æternum. 712. integram suam potestatem Romam secum detulit. & successori suo in Romana Cathedra transcripsit. 713. probabiliter iussu diuino Romæ sedem suam fixit. 714. quòd rationem reddit introitus sui ad viros præputium habentes, nil eius primatui derogat. 784. primum Ecclesiæ membrum. 816. Pontifex Romanus tempore D. Pauli. 839. cum Christum negauit, nondum erat summus Pontifex. 1035. 1036

S. Petrus ore, non corde negauit fidem, ac proinde amisit confessionem fidei, non ipsam fidem. 1036. cum gentibus gentilium more conuersabatur. 1037. tanta auctoritatis erat, vt ipsius factum & exemplum conferretur quodammodo coactio aliorum ad imitandum. ibid. non debuisset ex timore superuenientium Iudæorum qui in Christum crediderant, à gentibus ad Iudæos transire, negentiles tanti Apostoli exemplo inducti crederent idem sibi faciendum esse. 1038. vbi ad se rediit, confestim diuinæ visioni morem gessit. ibid.

Petrus Alexandrinus Athanasij successor, vir valde pius & eximius. 746

Petrus Canisius Societatis IESV, Dæmonem in sacello Oettingensi expulit. 167

Petrus Carolus citatus à Bellarmino. 74. Conciliabulo cuidam Lausanensi interfuit. ibid.

Petrus Gnapheus trisagio hymno ter sancto impiam appendicem adiecit. 306. homo stultus, arrogans, amens. ibid.

Petrus Lombardus in quatuor libros omnium sanctorum Patrum auctoritates & Ecclesiæ dogmata collegit. 195. Vide V. Magister Sententiarum. Plus valet quàm centum Lutheri, ducenti Melanchthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, & quingenti Caluini. 195. negat animam Christi Deo suo creatori æquari. 269

Petrus Martyr negat realem communicationem idiomatum. 131. Exmonachus. 762

Petrus Mongus, intrusus Episcopus Alexandrinus, à sede Beati Petri damnatus. 746. Mongus, id est, blæsus, dictus. 747

Petrus Rauennas Episcopus dixit Petrum viuere, videlicet in successoribus. 683

Petrus Stewartius Manuelis Calecæ libros contra Græcos ex Bauarica bibliotheca in lucem edidit, & scholiis eruditis illustrauit. 125. 1072

Philippicus Imp. occiso Iustiniano, Synodum sextam opprimere studuit. 751

Philippus Macedo ciuitatem Φιλιππους condidit. 4

Philippus Marnixius Lucianus Belgicus, omnia videre & subsannare doctus. 475. 1174

Philippus Melanchthon Arianorum patronus. 26. Vertumnus. 27. primarius Augustanæ Confessionis & Apologiæ architectus. 188. impiè scripsit Christum habuisse sensum desertionis & iræ diuinæ, qua fluctuabat inter infernum & vitam, vt in eo nõ flagrauerit charitas. 281. scripsit Deitatem Filij obediuisse Patri. 351. Christum Mediatorem statuit secundum vtramq; naturam. ibid. locum illum: Pater clarifica me. sic reddidit: Restitue mihi gloriam. 385. Stancaro insanus Grammaticus, caput helleboro dignum, perturbator totius Christianismi. ibid. scurra. 397. Christianos Reges dicit præesse subditis Christianis, non vt Christianis, sed vt hominibus. 434. vide etiam V. Melanchthon. expressè docet, obseruationem cæremoniarum legalium esse liberam & indifferentem. 1037

Philosophi Monarchiæ & cæterarum gubernandi formarum naturam & vtilitatem erudite explicata reliquerunt. 406

Photius Pseudopatriarcha Constantinopolitanus. 124. literas Ioannis VIII. Papæ falsauit. ibid. à Ioanne VIII. & Hadriano II. condemnatus. ibid. à Ioanne VIII. incautè restitutus. 125. capitalis Ecclesiæ Romanæ hostis. 1072

Photinus Ecclesiæ Thessalonicensis Diaconus communicat Acacio. 1055. excommunicatus respiscit. ibid.

Picarditæ in Bohemia. 880. Lutheranos & Caluinianos detestantur, neque vllo modo pro membris Ecclesiæ suæ agnoscunt. 881

Pighius probabiliter sensit Pontificem etiam vt priuatam personam, non posse in hæresin incidere. 1014. 1029. 1031. 1032. 1036. 1043. 1044. Vide etiam V. Albertus Pighius.

Pipinus à Zacharia Pontifice in locum Childerici Francorum regis substitutus. 741. in Ecclesiam Romanam largus ac munificus. 902. 903. mittit Romam legationem ad Zachariam Papam. 1161. in ciuitate Sueßionum à S. Bonifacio Archiepiscopo in regem vnctus. ibid.

Pius Pontifex ante Victorem decreuit vt Pascha celebraretur die Dominico. 768. à communione Asiaticarũ Ecclesiarum non discessit propter diuersum ritum celebrandi Paschatis. ibid.

Plancus cum mortuis non nisi laruas luctari prædicabat. 277

Platina. 985

Plato vnius dominationem bonis instructam legibus, ait esse optimam. 415. 417

Plutarchus per Oligarchiam intelligit Aristocratiam. 417. Monarchiam reliquis bonis probisq; reipub. formis anteponit. 417. 418

Pœnitens tenetur salutaribus Confessarij monitis morem gerere, & pœnam impositam persoluere. 571

Polanus Caluinista. 428

Polycarpus Episcopus Smyrnæ Ioannis Apostoli successor. 678

Pontifex Romanus Ecclesiasticæ Hierarchiæ Princeps. 448. vniuersalis pastor. 457. Rex spiritualis & Ecclesiasticus. 460. princeps pastorum sub Christo, minister ac vicarius Christi. 463. caput Ecclesiæ sub Christo visibile. 463. 466. respectu Christi Vicemonarcha. 475. successor non Christi sed Petri. 500. 711. mittere consueuit, qui fidè infidelibus tradant

& annuncient. 505. ſuccedit Petro in plenitudine iuris & poteſtatis. ibid. poſt Apoſtolorum tempora Eccleſias omnes mediatè vel immediatè fundauit ac inſtituit. 507. 532. 533. fundamentum columnarum Eccleſiæ Epiſcoporum. 532. 533. vt homo priuatus, nititur ſeipſo vt Pontifex & fundamentum Eccleſiæ eſt. 542. reſpectu Dei, diſpenſator, ſeruus, miniſter: reſpectu Eccleſiæ, Monarcha. 579. Dei Vicarius. 583. per delegationem poſſet cuicunque Epiſcopo eam iuriſdictionem concedere, quæ Apoſtoli fuerunt prediti. 618. ideo eſt Monarcha Eccleſiæ, quia in Cathedra Romana ſuccedit S. Petro. 641. poſterior ſuccedit priori. ibid. Vide etiã V. Papa. nil contra fidem ex cathedra docere, tradere & definire poteſt: qualiſcunque ſit vita & moribus quo ad priuatam ſuam perſonam. 652. Petro ſuccedit in Eccleſiaſtica Monarchia. 705. & ſeq. eſt propter Eccleſiam. 706. durare debet quamdiu durat Eccleſia. 707. conſenſu totius orbis Petro ſuccedit. 712. iure diuino paſtor & caput totius Eccleſiæ, abſolutè. 714. 715. quod Petro ſuccedat, Catholicæ fidei credendum eſt. 716. 717. ſuccedit Petro in Eccleſiarum conſtitutione, fideique propagatione apud infideles, ſummaque in Eccleſias poteſtate. 718. à Deo electus & inſtitutus. ibid.

Pontifex Romanus Apoſtolicus. 718. 719. Oecumenicus ſeu vniuerſalis. 720. olim Antiochiæ & Alexandriæ Epiſcopos ordinauit. ibid. antè omnem Conciliorũ definitionem conſueuit permittere Alexandrino Epiſcopo regimen Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos: ſiue conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas prouincias gubernare. 723. de primatu Eccleſiæ Romanæ teſtificans, non ſibi, ſed communi cauſæ Dei & Eccleſiæ teſtimonium perhibet. 729. caput omnium ſacerdotum quotquot ſunt per vniuerſum orbem. 735. primatum ſuum à Chriſto auctore habet. 736. poteſtatem in vniuerſas Chriſti Eccleſias haberet, licet ne vnum quidem viculum poſſideret. 741. olim eligebatur à clero. 742 duos Epiſcopos inſtituit, reſtituit tres, depoſuit octo. 743. electiones aliorum Epiſcoporum confirmando, ratas facit. 745. octo Patriarchas Conſtantinopolitanos depoſuit. ibid. ordinariè in Oriente Vicarios & Legatos ſuos habuit, Græcos Epiſcopos. 751. toti Eccleſiæ ſi neceſſitas exigat, leges præſcribit, independenter à quocunq; alio humano legislatore; & diſpenſat cum quibuſcunque diſpenſandum fuerit; & cenſuris notat quoſcunque cenſuris dignos iudicauerit. 757. & ſeq. vbicunque neceſſitas exigit, leges ferre poteſt, quæ omnes vbique gentium fideles obligent. 758. 760. diſpenſare poteſt & ſolet, vt in gradibus prohibitis, in tertio videlicet vel quarto matrimonia interdum contrahi poſſint. 763. pro neceſſitate perſonarum & temporum diſpenſare poteſt & ſolet in legibus Eccleſiaſticis. ibid.

Pontifex Romanus primatum Eccleſiæ tenet. 766. habet etiam poteſtatem in aliorum Patriarchatuum diœceſes. ibid. in variis regionibus conſtituit Vicarios, & Legatos in omnes partes quarum neceſſitas id exigere videtur, mittit, vt cauſas Eccleſiaſticas cognoſcant, diiudicent & decidant, exceptis grauioribus, quas ſibi reſeruat. 769. 770. licet ex toto mundo ad eum appellare liceat, nunquam tamẽ debet ſine legitima cauſa aliter iudicare, quàm iudicatum ſit. 780. à nullo in Eccleſia iudicari poteſt. 801. & ſeq. ſolus dicitur totius Eccleſiæ Papa, & ſuper Eccleſiam totius mundi. 813. à toto mundo, & à Conciliis generalibus appellatur Pater & Papa. 814. neminem vocat Patrem vel Papam, ſed filios vel fratres. ibid. ſummus dicitur reſpectu miniſtrorum in Eccleſia militante, non antẽ reſpectu Chriſti. 815. primatum habet à Chriſto vt à collatore & largitore, ab antiquitate verò vt ab approbatrice & teſte. 816. ſe Chriſti famulũ, Chriſtoq; ſubiectũ in omnibus fatetur. 821. Lollardos, & VViclephiſtas, VValdenſes & Albigenſes, Huſſitas & Picarditas perſecutus eſt. 880. à nonnullis Iurĩ Canonici Gloſſographis & Interpretibus bona & candida mente eſt appellatus Deus. metaphoricè. 975. 991. obit functiones Epiſcopales & Pontificales per ſe & per alios. 984

Pontifex Romanus præbet pedes ſuos aliis, etiam Imperatori, oſculandos. 1002. cum generali Concilio non poteſt errare in cõdendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum. 1012. ſolus, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuens, ab omnibus fidelibus obedienter audiendus. 1013. aliquid ex cathedra definiens, & toti Eccleſiæ ſententialiter, ſententiatiuè aut definitiuè proponens, errare, aut in hæreſin incidere non poteſt. 1014. tantummodo per manifeſtam hæreſin Pontificatu excidit. ibid. cum totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt. 1015. Pelagij hæreſin damnauit abſq; Concilio generali. 1021. nec in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur, & quæ in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel in iis quæ per ſe bona vel mala ſunt, verſantur, errare poteſt. 1028. etiam vt priuata perſona, probabiliter non poteſt eſſe hæreticus. 1029. poteſt veras leges condere. 1105. & ſeq. poteſt ferre leges quæ rem indifferentem faciant neceſſariam, & quæ in conſcientia obligent. 1112. in Eccleſia eum locum habet, quem habuit Moſes in populo Iudaorũ. 1141. iudicare poteſt & debet, num rex aut princeps pertrahat ad hæreſin nec ne, & conſequenter an ſit deponendus nec ne. 1158

Pontifex Romanus à Patribus & Conciliis appellatur Papa. 812. Pater Patrum. 814. Pontifex Chriſtianorum. 815. ſummus Pontifex. ibid. princeps ſacerdotum. 815. 816. Chriſti Vicarius. 816. caput Eccleſiæ. 816. 817. fundamentum. 817
paſtor ouilis Dominici. ibid.
Rector Domus Dei. ibid. Cuſtos vineæ. ibid. Pater & Doctor omnium Chriſtianorum. 817. 818. ſponſus Eccleſiæ. 818. Apoſtolicæ ſedis præſul. ibid. Epiſcopus vniuerſalis. ibid.

Populus in electione Miniſtrorum Eccleſiæ nihil vnquam iure diuino habuit. 432

Potentia notionalis non continetur ſola eſſentia diuina, ſed etiam relatione. 119

Pouelus librum offert Bancroffio totius Britanniæ Primati ac Metropolitæ. 402. Vide etiam V. Gabriel Pouelus. Antichriſtum propriè dictum dicit eſſe regnum. 823. videtur à ſeniore Abbate nugas ſuas mutuatus. 834. Antichriſtum propriè ait eſſe ſedē Romani Pontificis. 841. quæ Iunius de ſimplicitate Euangelij ſcribit, in librum ſuum tranſtulit & quidem verbatim, nulla penitus Iunij mentione facta. 864. Imperatores Germanos non verè dici Romanos. & Imperij Romani vix rudera iam extare affirmat. ibid. Romanum Imperium Chriſtianum comparat Beſtiæ quæ ex inferno prodiit. 865. nihil amplius rei in Romano Imperio, ſed ſolum & nudum nomen agnoſcit. 866. videtur non in Anglia ſed in Arcadia natus. 874. putat Heliam & Henoch non poſſe amplius mori. ibid dicit Romam non poſſe dici Sodomam vel Ægyptum, & tamen eſſe Sodomam & Ægyptum Apocalypticam. ibid. ſibi contradicit. ibid. Chriſtum feſtiuè dicit Romæ fuiſſe crucifixum. ibid. totum propemodum librum ſuum de Antichriſto ex Rullo contexuit, nullis habitis Magiſtro ſuo gratijs, more furino. 881. Rullum furtiuis manibus expilauit. & conuiciorum ſuorum centonem ex Rullicis maledictis & lædorijs conſarcinauit. 886. dicit ſe tam certò ſcire Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, quam Deum ipſum eſſe in cælis. ibid. Antichriſtum dicit fore idololatram. 892. iuuenis adhuc florens & calens, propemodum palmam acuminis Surlinio & Abbato præripit. 909. characterem Antichriſti ſtatuit tonſuram in capite ſacerdotem, item manus inunctas chriſmate & indelebilem characterem per Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis impreſſum. ibid.

Pouelus cauſam Antichriſti efficientem principalem ponit Diabolum. 913. cauſſam efficientem conſtituit ſui ipſius. ibid. cauſam συνταξικὴν Antichriſti. conſtituit Patrum & Eccleſiarum erga Antichriſtum reuerentiam, Regum & Principum priuilegia & largitiones, vrbis Romæ ſplendorem. Iudaiſmi & Gentiliſmi cacozeliam. ibid. cauſam efficientem & procatarcticā mutat & transformat repente in materiā ex qua, & quidem ſpecialem. 914. Antichriſtū ſuum coagmentat & componit ex materia quæ ipſi non inexiſtit ibid. Antichriſti ſui formam, facit Luthero & Caluino communem. 914. 915. 916. ſubiectum item Antichriſti ſui cum Luthero & Caluino communicat. 915. cognatos Antichriſti recenſet Mahometanos, Ethnicos, Tartaros, Pſeudoeuāgelicos & raptores bonorum Eccleſiaſticorum. ibid. furit contra generationem Antichriſti ex tribu Dan. 916. Sanctos Patres, Irenæum Martyrem, S. Ambroſium, S. Auguſtinum. S. Gregorium blaſphemos Antichriſti aſſeclas nominat. ibid. niſi à Bellarmino edoctus fuiſſet, quid contra dici poſſet, vtique neſciuiſſet. ibid. diſtinguit Eccleſiam Romanam à Papana, in hac ſeſſurum Antichriſtum, non in illa. 917.

aſſerit Caluiniſtu nil controuerſiæ cum Eccleſia Romana intercedere. ibid. quidquid de ſeſſione Antichriſti in templo Dei mentitur, verbatim propemodum ex Iunio furatus eſt, ſuppreſſo Iunij nomine, vt ſolent fures. 918. mentitur & calumniatur. 864. 865. 866. 913. 914. 931. 934. & ſeq. vſque ad 945. 991. 992. 993. 994 995. 996 997. 999. 1000. 1001

Pouelus ſeu Pouerlinus Monachos allatrat, eosq; cum Heluidio comparat. 919. 920. nugatur ſimul & calumniatur. 919. 928. Bedam ait habuiſſe cerebrū læſum. 928. vaniſſimus thraſo. ibid. Caluiniſta. ibid. ſtupor. ibid. ſymmyſtis ſuis ſe opponit. 929. expilat Abbatum. 930. Dauidis filium, eius ſortè qui Gyraldi VValliam ſeu Cambriam ſatuis ſuis ſcholijs deturpauit & deſœdauit. 930. inconſtans & in tam iuuenili ætate obliuioſus. ibid. ambabus manibus amplectitur quod dant Monachi, quod paulò antè ne ad aures quidem admittere volebat. 931. Ieſuitas appellat Monachos Loiolanos. ibid. putat Bellarminum abſolutè concedere quod ponit ex hypotheſi. ibid. coronam nobis pollicetur, ſi vel apicem de Roma per Antichriſtum exurēda protulerimus. ibid. affingit Monachis ineptum argumentum à ſe confictum. 932. deſpit. ibid. nugiuendus. 934. ex mendaciis & criminationibus contexuit ferme totum ſecundum librum de Antichriſto ſeu Eccleſia Antichriſti. ibid. mentitur Eccleſiam Papanam, vt loquitur, Apocryphis & humanis ſcriptis auctoritatem Canonicam & planè diuinam tribuere, humanas traditiones ſcripturæ anteferre, Scripturam miſerè dilacerare, peruertere & detorquere ad fanaticas opiniones, & Antichriſtianiſmum ſtabiliendum; nullum authenticū & indubitatum Bibliorum exemplar retinere, fontes Hebraicos & Græcos negligere, & contemnere. 935.

Pouelus inſulſus & inſcitus calumniatur. 936. mendaciter citat Concilium Tridentinum. 937. falsò & ſycophanticè allegat Andradium. ibid. picturam, qua Deus Pater vt homo grandæuus, cano capite, promiſſa barba, & ſceptrum in manu tenens repræſentatur, dicit repugnare primo Symboli articulo. ibid. Deum dicit prorſus negari & contemni ab Eccleſia Papana. 938. ſanctiſſimo nomini IESV Caluiniſticè omnem honorem ereptum it. 939. affirmat Eccleſiam in ſecundum ſymboli articulum delinquere, dum Loiolanos Monachos tolerat & approbat. ibid. mentitur Ieſuitas blaſphemo ore & inſolenti iactantia venditare ſe pro ſociis Ieſu Chriſti. ibid. mentitur Eccleſiam aſſerere Chriſtum non niſi pro peccato originali paſſum eſſe 939. 940. blaſphemat Chriſtum etiam morte animæ pertuliſſe, & gehennæ tormenta ſubiiſſe. ibid. mentitur Eccleſiam in Concilio Tridentino definiuiſſe Mariam virginem ſine labe peccati originalis conceptam fuiſſe. 939. ſine vlla ratione Gabrielem citat. 940. citat mendaciſſimè Bellarminum. ibid. mentitur & calumniatur Eccleſiam quintum Symboli articulum adulterare, quando

quotannis ſimulacrum Chriſti ſepulchro includit, & huic excubitores adhibet ſacrificulos & monachos. ibid. mentitur peregrinationem Hieroſolymitanam eſſe contra quintum Symboli articulum. 941

mentitur euerti ſeptimum Symboli articulum eo quod Chriſtus iudicaturus ſit vnumquemque ſecundum propria merita. ibid. Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ pingere, putat eſſe contrarium octauo Symboli articulo. ibid.

Pouelus mentitur orationem Dominicam violari per ſeptem horas Canonicas, per preces pro defunctis, per cultum imaginum, per recitationem Roſarij certo precum numero conſtantis, per bullas & excommunicationes Pontificum, per omiſſionem illius non neceſſariæ additiunculæ: Quia tuum eſt regnum, &c. 943. Iuſtos dicit ne fruſtulum quidem panis mereri poſſe. ibid. tantum dicit eſſe duo Sacramenta. ibid. negat in caſu neceſſitatis mulierem poſſe baptizare. ibid. mentitur Eccleſiam vti magia & incantatione, Mariam virginem, Petrum, Paulum, &c. perinde à papiſtis coli ac Iouem, Venerem, Cupidinem, Bacchum, à gentibus, Pontificem Romanum coli pro Deo terreno, Papam adoleſcentibus concedere, vt in publicis ganeis libidinibus ſe contaminent. 943. catalogum traditionum Eccleſiaſticarum ſcribit in quo etiam Battologiam ponit. 944. 945. vt traditiones multiplicet, eaſdem bis vel ter enumerat. 944. inter traditiones numerat patientiam flagellorum, Dies crucis, proceſſiones religioſas, Monachos & Moniales, Roſaria ſeu ſphærulas precatorias, horas Canonicas, fraternitates & ſocietates, Agnum Dei, Aſinum palmarum, Quadrageſimam & Carnisprium, pannum quadrageſimalem, placentarum benedictionem, ciborum delectum, elevationem ſtatuæ in die Aſcenſionis. ibid. traditionibus item accenſet crucis, imaginum, reliquiarum, ſtatuarum, atq; adeo idolorum adorationem, dedicationem altarium & templorum, Albam & reliquas veſtes chorales, vnctionem extremam, veſtes religioſas, ſuffitum & thymiamata, communionem ſub vna tantum ſpecie, reliquiarum veneration, lucernas, caſulas, candelabra, cereos conſecratos, baptiſmum campanarum, benedictionem Epiſcopalem, ſacerdotalem, ac etiam Monialium, benedictionem cerei Paſchalis, ignis, ſacerdotis, Monachorum & Monialium, raſuram verticis, feſtum Corporis Chriſti, circumgeſtationem & adorationem panis, Miſſificos ſacrificulos, angulares Miſſas, Matutinas nocturnales & tumultuoſas, Indulgentiarum nundinationes, vnctionem infantum in Baptiſmo, & adultorum in Confirmatione, Sanctorum inuocationē, &c. 944. 945

Pouelus inſignis Battus. 945. ſub finem libri ſui ſecundi de Antichriſto annexit bullam Lucifers ad prælatos Pontificiæ Eccleſiæ. ibid.

ita ferè vibrat tela, vt è veſtigio conuerti & in auctoris caput retorqueri queant. ibid. falſas Antichriſti notas deſcribit. 989. & ſeq. vſque ad 999.

vt videatur Græculus, fallacias Græce crepare intipit. 990. ex ſuo rege Angliæ facit Antichriſtum. 990. 991

hæ ſunt meræ fabulæ, inquit, quibus ſeſe Monachi oblectantur. 991. mendacia mendicat à Rullo. 992. neſcit quid ſit forma Sacramenti. ibid. Thomam Bozium nebulonem, & Antichriſti palponem appellat. 993. conuiciorum centonem conſarcinauit ex Rullicii in Danielem commentariis. ibid.

probat Papam eſſe Antichriſtum, quia mutauerit Calendarium. ibid.

vel VVolfium expilauit. vel illum, quem etiam ipſe VVolfius. 995

Pouelus in citandis teſtibus incircumſpectus. 996. furatur ex Rullo. ibid. mentitur Cochlæum à Pontifice obtinuiſſe Epiſcopatum. ibid. Pontifici interitum vicinum ominatur. 997. euertit quicquid antè aſſeruit. ibid. non vult negare, Papam poſſe fieri Lutheriſtam vel Caluiniſtam, nec omnem ſalutis ianuam Romano Pontifici vult occludere. 999. phraſes Iunio ſuffuratur. 1000. Pontificem vt eſt hæc ſingularis perſona ab infami Antichriſti probro liberat. ibid. infirmiorum fratrum argumento preſſus ſibi contradicit. 1000. 1001. lumina & columina Academiæ Oxonienſis recenſens, vix alios adfert, præter VViclephiſtas & Lollardos, quibus adiungit quoſdam Lutheriſtas, Zvvinglianiſtas & Caluiniſtas. 1001

Prædicantes cæci corde. 169. ſeruiunt foro ac tempori, & prout flat aura, ita ſeſe itidem vertunt ac reuertunt. 209. omnis ſolidioris Philoſophiæ & Theologiæ expertes. 216. arrogantia animalia. 218. circulatores. 224

rebellionem partis inferioris contra ſuperiorem, veri nominis peccatum eſſe contendunt. 262. calumniatores & ſycophantæ. 590. ridiculi. 592. ſeductores. 818. contra ſtimulū calcitrant. ibid. egregio artificio riſuq; digno contra Catholicos vruntur. 891 de doctrina Antichriſti furioſiſſimè detonant & declamitant. 933

volunt videri pacifici, cum ſint ſeditioſiſſimi. 1171

Prethyteri non inter ſunt Concilio cum poteſtate ferendi ſuffragij, niſi teneant locum Epiſcoporum. 451

Priuilegium eſt exemptio quædam à lege communi, vel facultas aliquid faciendi ſupra vel præter legem, aliquin ad omnes attinentem. 761. ſolùm ab eo concedi poteſt qui legum condendarum, reſtringendarum & relaxandarum poteſtatem habet. ibid. amittere meretur, quicunq; abutitur. 1094

Probabile probabili non aduerſatur. 844. & ſeq.

Proceſſio ad extra in diuinis præſupponit proceſſionem ad intra. 90. eſt per naturalem productionem & originem. ibid.

Proceſſiones in diuinis duæ tantum. 91. ſecundum operationes immanentes intellectus & voluntatis. 91. 92

Proculus Patriarcha Conſtantinopolitanus Theodoſio Imperatore. 305. dum cum Clero & maxima vrbana multitudinis parte ſupplicaret, puer ſublimis in aërem tollitur. ibid.

Prophetæ per ſcientiam lumenq́; creatum, futura & arcana cordium cognouerunt. 162. 163. 192. 234. præterita accipiunt pro futuris. 851. ſub aliena perſona & alieno nomine de alio loqui & prophetare ſolent. 972

Propter abuſum non eſt tollendus vſus. 1115

Prorex caput regni ſubordinatum & vicarium, & miniſteriale reſpectu Regis. 463. 464. etiam Monarchiam habet, ſed dependentem à Rege. 568. reſpectu Regis, famulus: at comparatione ſubditorum Princeps. 579

S. Proſper vocat Romam ſedem Petri & caput mundi, propter paſtoralem honorem. 638. 639. Epiſcopus Rhegij in Gallia, non in Italia. 733. Romanum Pontificem ait Sacerdotij principatum tenere. 815

Pſalterium Marianum S. Bonauenturæ, petra ſcandali, lapiq́; offenſionis omnibus Prædicantibus. 166

Pſellus S. Petrum habuit pro Apoſtolorum principe & Eccleſiæ fundamento. 537

Puer Conſtantinopoli in publica ſupplicatione ſublimis in aërem ſublatus rurſumq́; demiſſus. 305. præceptum ſibi eſſe dixit, ne in cantico ter ſancto adderetur clauſula Qui crucifixus eſt pro nobis. ibid.

Puritani Angli perpetuo cum Caluinopapiſtis contendunt. 401. Eccleſiaſticorum Miniſtrorum æqualitatem ſtatuunt. 402. Ariſtocratiam conficiunt ex paſtoribus, doctoribus, gubernatoribus & diaconis. 436. gubernatores ſeu ſeniores ſuos etiam Epiſcopos nominare audent. ibid. paſtores ſuos, & interdum etiam ſeniores appellant Presbyteros. ibid. paſtores aiunt omnes diuino iure eſſe æquales, neque vllum ſuperiorem altero. ibid.

Q.

Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. 104. 105

Qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus. 1062

Quicquid recipitur, ſecundum recipientis diſpoſitionem recipitur. 599

Quidam Anno M. D. XXVII. aſſeruit Chriſtum deſperaſſe & eſſe damnatum. 281

Quidam manuarij opificij iuuenis, cum in concione ad mentionem nominis Ieſu, genu flexiſſet, à concionante Miniſtro Caluiniano propterea vehementer increpatus, & cum non pareret, à lictoribus prehenſus ac per triduum in carcerem detruſus fuit. 938

Quidam ad pronunciationem nominis IESV non incuruans ſe nec aperiens caput, à Diabolo in faciem cæſus, ſummam ingratitudinem ei exprobrante. 939

Quidditates rerum & definitiones antè intellectas habere oportet, quàm quis in ipſam diſputationem ingrediatur. 406. plerunque nec expreſsè nec implicitè à ſcriptura traduntur, ſed ſupponuntur, & aliunde peti debent. ibid.

Quod poteſt fieri per pauciora, non debet fieri per plura. 667

Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. 888

R.

Radulphus Flaniacenſis Monachus, ſub Imperatore Henrico I. & Stephano VIII. 938

Rainoldus Anglus nugatur. 1066. vide etiam V. Ioannes Rainoldus. mentitur & calumniatur. 1062. 1063. 1067. 1079. pro Cano pugnat contra Bellarminum. 1069. errata quædam typi ex Baronianis Annalibus colligit. ibid.

Ranulphus Chronographus. 986

Regnare eſt ſeruire, non per ſubiectionem, ſed per obligationem, qua Reges ſubditorum commoda & vtilitates procurare obſtringuntur. 474

Reineccius hæreticus. 905

Relationes diuinæ vt diſtinguuntur ratione ab eſſentia, non dicunt ſubſtantiam. 68. conſtitutiuæ & diſcretiuæ. 90. 117. 120. paternitas, filiatio, ſpiratio & proceſſio. 119. formaliter ſignificant perfectiones infinitas. ibid. ſunt etiam notiones perſonarum. 120

Relatiua ſe mutuò ponunt ac tollunt. 73. ad alia ſeſe habent, & aliorum eſſe dicuntur. 109. 110. ſimul cognoſcuntur & concipiuntur. 211. vnum ſine alio concipi poteſt materialiter, non formaliter. ibid.

Reliquiæ S. Martyrum thecis incluſæ in locis ſacris aſſeruabantur, & ante illas proſternebantur fideles, ſanctorum interceſſionem implorantes. 982. 983. nulla apud Caluinianos. 982

Remiſſio peccatorum perfecta non ſemper obtinetur in hac vita. 942

Res ſimul tempore & fieri & reuelari poteſt, licet eſſe naturâ prius ſit quàm reuelari. 845

Rex ſolutus eſt legibus quoad coactionem, non quoad directionem. 427. caput Regni primarium & abſolutum. 463. typus regni, quia repræſentat regnum. 564. miniſter reſpectu Dei, Monarcha reſpectu ſubditorum. 642

Reges debent eſſe legum diuinarum cuſtodes. 433. Chriſtianæ religionis tutores, nutricij & propagatores. 434. paſcunt regendo & præſidendo. 579. 580

Reges Chriſtiani præſunt hominibus Chriſtianis non vt Chriſtiani, ſed vt homines ſunt. 434. Chriſtianos etiam formaliter quâ tales, tueri ac cuſtodire debent. ibid.

Rex vnus regna diuerſa diuerſimodè regit & adminiſtrat. 1166

Ribera Soc. IESV. 863. 868. 872. 889. 931. 1020. 1134

Richardus VVaſſerburgius. 985

Richelius, terræ filius, patellarius Prædicans. 1174

Robertus Abbatus Anglus Caluiniſta. 819. Vide V. Abbatus. generalem notionem Antichriſti aſſignaturus, dicit, Antichriſtum non ſignificare hoſtes extraneos, ſed domeſticos hæreticos. 819

Robertus Gallus ſcribit circa tempora Leonis IV. Romæ natum eſſe Baſiliſcum. 989

Roſſenſis Martyr putat Paulum ſeparatas ad Petrum Romam miſiſſe litteras. 694. Vide V. Ioannes Roſſenſis.

Rogerius è Societate Ieſu Danæum furti arguit. 146. Vide V. Ludouicus Rogerius.

Romæ ne ſub ipſa quidem ſua primordia ſimul habere duos Reges potuit. 414. Imperij ſedes 628. ſedes Petri

& caput mundi propter paſtoralem honorem. 638. 639. quicquid non poßidet armis, religione tenet. ibid. in Apocalypſi Ioannis paſſim vocatur Babylon. 656. 657. à S. Petro vocatur Babylon. 655. & ſeq. à S. Hieronymo propter opes & variarum nationum concurſum, & vitia comitantia, appellatur Babylon Apocalyptica. 661. 662. minus illi bellicus labor ſubdidit, quàm pax Chriſtiana ſubiecit. 732. vt olim erat ſedes imperij temporalis, ita nunc eſt Imperij ſpiritualis domicilium. 857. quæ olim politicè toti mundo ius dicebat, nunc itidem ſpiritaliter toti mundo ius dicit. ibid. dat iura gentibus & regibus. 863. ſeptem montibus inædificata. 924. vt eques equi & auriga currus, ſic Imperij ſui moderabatur habenas. 925. incendetur à decem regibus ante aduentum Antichriſti, vel certè ſub ipſa eius primordia. 927. ſub finem mundi, eiecto Pontifice, & eiurata Chriſtiana & orthodoxa religione, mater & origo omnis ſuperſtitionis & idololatriæ, omniumq; ſcelerum ſentina & chaos quoddam immenſum fiet. ibid. Magiſtra erroris, quæ licet omnibus fermè dominaretur gentibus, omnibus tamen gentium ſeruiebat erroribus. 930. permiſit vt victæ gentes ſuos ritus idololatricos retineret, interim tamen ſuos quoque verbis, exemplis & factis obtruſit. ibid. Ethnica olim fuit, & ſub finem mundi ex quorundam ſententia, euaſura eſt. 958. à Gothis capta. 967. ab Odoacre Rege Herulorum capta. ibid. ab Aiſtulpho Longobardorum rege grauiſſima obſidione preſſa. 1007

Roma olim à Gothis hæreticis occupata. 1023. à Genſerico & Totila capta & ſpoliata. 1028

Romanum Concilium ſub Silueſtro, aſſerit, neque ab Auguſto, neque à regibus, neq; ab omni clero, neque à populo iudicandam primam ſedem. 802. 803

Romanum Concilium ſub Martino I. Papa & Martyre, Monothelitas damnat. 1067

Romanum Concilium ſub Sixto III. teſtatur non licere in pontificem ſententiam dicere. 803

Romanum Concilium ſub Adriano II. teſtatur Pontificem Romanum à nemine iudicari. 804

Ruffinus in expoſitione ſexti Canonis Nicæni Concilij erranit. 722. eidem ſexto Canoni vetem ſuburbanum ſeu ſuburbicarium de ſuo addidit. 725. in Eccleſia vrbis Romæ, neq; vllam hæreſin exortam, & morem antiquum ibi ſeruari ſcribit. 1021

Rullus Baſileenſis edidit ſyllogen theſium theologicarum diſputationibus Roberti Bellarmini oppoſitarum. 381. hæreticus, Sanctorum hoſtis & oſor. ibid. Chriſtum facit mediatorem inter Deum & electos tantum, idque ſecundum vtramq; naturam. 381. 382. 383. calumniatur Ieſuitas. 383. ineptè probat Petrum nunquam fuiſſe Romæ. 700. 701. præludia profeßionis ſuæ fecit Genevæ, in enarratione Malachiæ Prophetæ. 700. cum Verpis in Moravia habitauit. 701. Petrum dicit fuiſſe crucifixum Hieroſolymis. ibid. acerbè S. Auguſtinum perſtringit, quòd locum quendam S. Pauli de Antichriſto interpretatus ſit, & anſam communi errori dederit. 843. agit Deo gratias quod cum ſuis dignus ſit habitus pro nomine Chriſti contumeliam pati. 846. impio Porphyrio conformior quam ſanctis Patribus. 860. Imperatores ſchiſmaticos pro electis Eccleſiæ Lutheranæ & Caluinianæ membris agnoſcit. 881. 882. mentitur Carolomannum regem Galliæ coactum à Zacharia Papa cucullum induere. 882. mentitur Conſtantinum Imp. Irenæ filium, à matre regno & oculis & vita priuatum eſſe, quod imagines ex templis remouiſſet. ibid. præclarum ſuum & ſuorum genus ad Vigilantium, ad Petrum VValdonẽ, ad VVicleph'm, ad Huſſum, & Hieronymum Pragenſem, ad Marſilium de Padua refert, licet nullus ex his fuerit Caluiniſta vel Lutheriſta per omnia. ibid. ſcurra potius quàm Theologus. 884. impudenter & impotenter in Bellarminum inuehitur. 888. mentitur. 897. 900

Rullus vulgatam verſionem Danielis inuertit, imò reiicit. 896. 897. dimidium temporis mutat in partem temporis. 897 ex notationibus Iunianis & Tremelianis pleraque in ſuas chartas tranſcripſit, nulla magiſtrorum ſuorum mentione facta, ne laude inuentionis tam ingenioſæ ipſe apud diſcipulos ſuos priuaretur. 897. tantùm affirmat, nihil penitus probat. ibid. dies dicit eſſe annos. ibid. ſanctum Hieronymum & Theodoretum dicit Chriſto & Apoſtolo Paulo aduerſari. 900. Iunij & Tremelij Notationes expilat, nec tamen profitetur per quos in deliramentis ſuis profecerit. ibid. longè alia via incedit quam Oecolampadius, ſuus in Cathedra Baſileenſi anteceſſor. ibid. obuio vlnis amplectitur quod Bellarminus ait, Papam iam regnaſſe ſupra quingentos annos, inde enim euidentiſſimè concludit Papam eſſe Antichriſtum. 900. 901. Bellarmino item intendit quod medium annum pro dimidio dixerit. 901. barbarus & ſolœcus. ibid. Danielem prophetam commentariis onerauit. 959 verſionem ſuam & diſtinctionem Rabbinicam & Maſſoreticam ex Iunio & Tremelio mutatis pauculis furtiuè ſublegit. ibid. ſemiiudæus. 960. vnum Maſſoreticum accentum Zateph Katon, toti vetuſtati Græcæ pariter & Latinæ anteponit. ibid. Bellarminũ Chamæleonte inconſtantiorem nominat, quod plures vna reſponſione adferat. 960. 961

Rullus calumniatur Papam adorari vt Deum, item Syluestrum ſecundum, & Gregorium ſeptimum fuiſſe Magos. 961. nimio criminandi æſtu abreptus Ioannem XXII. pro XII. nominat. ibid. aſſentitur Bellarmino. 962. Deum Maozim apud Danielem putat eſſe Artem S. Angeli Romæ. ibid. odio Pontificis non veretur Apoſtolo in faciem reſiſtere. ibid. Abbato aduerſatur. 964. Bellarminum calumniatur vt iniurioſum in Hiſpanos. 973. cor Papæ ſcrutatur. 977. diabolicè mentitur Martinum V. cum quodam diſpenſaſſe vt ſuam ſororem germanã matrimonio ſibi iungeret. 977. mentitur Papam contra Dei legẽ præcipere ne honorẽtur parentes, abnegare

Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Imperium Rom. & Eccleſiam opprimere. ibid. Bellarminum veteratorem appellat. ibid. ſua mendacia ſæpius inculcat. ibid. contra Iunium & Tremelium ConCalviniſtas ſuos ſentit. 978. Venerem. 979. Papam dicit nihil dare abſq; nummis. 980. commentarium ſcripſit in Danielem inſtar Cornucopiæ mendaciorum & calumniarum in Papam & Monachos. 993

Rupertum de Helia venturo nihil audet definire. 868

Rutheni legationem miſerunt ad Clementem VIII. Romanum Pontificem. 95

S.

Sabbatarij in Moravia à Iudæis circumciſi, ex Lutheranis. 870

Sabelliani diſtinctionem realem diuinarum perſonarum negabant. 89

Sabellius. 986

Sacerdos baptizans infantem, vel abſoluens peccatorem, in Sacramento confeſſionis, formaliter res diuinas tribuit baptizato & confeſſo. 371. intrinſecè & eſſentialiter eſt creatura, & longè minor eo cui ſacrificium offerre debet. 379

Sacrificia pro peccatis, fuerunt typi & imagines Chriſti pro peccatis noſtris aliquando immolandi & ſacrificandi. 287. vniuocè & veri nominis ſacrificia. 366. typi & figuræ ſacrificij Chriſti aliquando in Cruce peragendi. 487. 490. typi & figuræ eius ſacrificij quod nunc offertur in Eccleſia. 490. 711

Saducæi corporum reſurrectionem negabant. 881

Salomon iudicauit Abiathar, ſummum ſacerdotem, non tam vt Rex, quàm vt Propheta. 485. rex pacificus. 552. fuit figura Chriſti regis. ibid. Abiathar ſummum Pontificem depoſuit vt extraordinarium executor diuinæ iuſtitiæ. 810. videns altare Domini æneum non capere omnia holocauſta, ſanctificauit alium locum in templo, & ibi obtulit holocauſta. 1135. medium ærij ſine mandato Dei ſacrificij deſtinauit. ibid.

Samoſatenſes hæretici putabant Chriſtum fuiſſe tantum vulgarem hominem, qui nil cæleſtium chariſmatum ſupra morem & conſuetudinem noſtram poſſideret. 251. 252

Samſon figura Chriſti, à Iudæis & à Morte vincti quidem, ſed non detenti. 299

Samuel etiam in inferno fuit, ſcil in limbo. 315. apparuit, prius quam Pythoniſſa incantamentis vteretur. ibid. Monarcha. 427

Samuel Huberus Lutheranus Prædicans. 1167. 1168. Helvetius Bernas. 1167. Antibellarminum ſcripſit, opus ſpiſſum & myſticum. ibid. Patres & Concilia Oecumenica inter cornua beſtiæ Apocalypticæ numerat ibidem. multum promittit, parum præſtat. 1168. vt. Vbiquiſta, cum alicubi eſt vbique eſt. 1169. thraſo. ibidem. ne lemmata quidem capitum abſque mendaciis & criminationibus concipere potuit. ibidem. mentitur Papam noua Sacramenta inſtituiſſe. Apocryphos libros Canonicis admiſcuiſſe, conformitates Franciſci in Canonem diuini Verbi retuliſſe, &c. ibidem. profugus Cain, Goſlariæ tandem nidulum fixit, poſtquam ex tota Heluetia & Academia VVitebergenſi publicè ob ſeditioſiſſimum & inquietiſſimum ingenium exterminatus eſt. ibidem. mendax ſcurra. 1170. & ſeq. ſcribit Orientales Imperatores à Nicolao I. Gregorio II. & III. Adriano I. Leone III. excommunicatos, cum aliij plerique ſectarij contendant, nullum Imperatorem ante Gregorium VII. excommunicatum. 1170. concedit Pontificem Romanum varias in Italia prouincias dono accepiſſe à Pipino, Carolo Magno & aliis, contra Sutliuium. ibidem. Bellarminum alioſque Catholicos accuſat, quaſi Patres parum honorificè tractent. 1171. calumniatur, Scholaſticos indignè à Bellarmino excipi. 1172. inter Bellarminum & Scholaſticos diſſenſionem implacabilem & bellum irreconciliabile ingeminat. ibidem. miracula & apparitiones videt. ibidem. cornifex cornua parat ante capita. ibid. alter Sedecias filius Chanaana. 1173. furia. 1174. ad Maniaci operis ſui complementum duos adhuc libros adiicere cogitat. ibid.

Sancti mortuos excitarunt, non propria, ſed diuina virtute. 166. cognitione ſunt vbique. 167. omnium preces ad ſe fuſas intelligunt vel in verbo, vel per peculiares reuelationes. ibid. ad dextram Dei ſedere dicuntur. 170. mediatores ſunt inferioris ordinis, inter homines & Deum. 381. Mediatores noſtri ſunt, ſed ſub Chriſto & per Chriſtum. 941

Sanderus putat Pontificem vt priuatum Doctorem, poſſe in hæreſin incidere. 1056

Sanedrin ſummus conſeſſus Hieroſolymitanus dependet ab vno Principe politico vel ſummo ſacerdote. 422. 485

Sapientia diuina, verbum diuinum. 87. non eſt creatura ibid. eſt perſona. ibid. eſt immediatè ab intellectu 92

Sarauia contra Bezam. 401. Sutliuium virum doctum & integrum appellat. ibid. in tribus dicit ſuos ſine Verbo Dei à priſca antiquitate receſſiſſe, in Epiſcoporũ abolitione, presbyterorum & diaconorum temporariorum inuentione, & amborum officio & functione. ibid. pro Miniſtrorum Eccleſiaſticorum inæqualitate aduerſus Puritanos in Anglia integrũ librũ decertauit. 402. 403. Caluiniſta. 436. feſtiuè ridet æqualitatem Eccleſiæ paſtorum. 436. 437. mauult Bezam habere legitimum Epiſcopum, quàm collegam tyrannum. 437. dolet voluntatem plus quam veritatem apud ſuos valere. 438. 439. Diaconos & presbyteros ſeu Seniores annuos Genevenſes acerrimè inſectatur. 439

Caluiniſta. ibid. magnus Sutliuij contra Bezam encomiaſtes. 440

ideo in Genevenſi Eccleſia concordiam conſeruatam dicit, quod omnes ab vno ſi non nomine, at certè re & auctoritate ſupremo dependerent. ibid. Epiſcopos Presbyterij, & Epiſcopi

Archiepiſcopos, & his Primates anteponit. ibid. Genevenſes ſugillat. 440. 441. negat verum Eccleſiæ Dei regimen à Caluino reſtitutum. 452. Genevenſium concordiam inter Miniſtros & plebem aſcribit Caluini & Bezæ dominationi. 458. Ariſtocratiam Eccleſiaſticam oppugnat. 456. 457. Vide V. Hadrianus Saravia, & V. Adrianus.

Saravia Caluinum, Bezam, Genevenſes, VVitakerum refellit. 504. ſcribit Caluinianam Angliam in viginti quatuor Epiſcopatus eſſe diuiſam. 512. temporariam vel hebdomadariam præſidentiam Genevenſis ſynagogæ falsè irridet. 635. in Anglia ſcripſit, non Anglus, ſed Belga. 1163. magnus Sutliuij encomiaſtes & propugnator contra Bezam. ibid. Sutliuio ſymmyſtæ ſuo oppoſitus. 1166

Sardicenſe Concilium meminit Iulij Romani Epiſcopi tãquam ſucceſſoris S. Petri, qui ſi honoretur, ipſa Petri memoria honoretur. 685. cuiuis ad ſedem Apoſtolicam appellandi poteſtatem facit. 774. 775. 781. Catholicorum Oecumenicum. 774. 775. 796. Magna Synodus inſtar Nicænæ. 775. Concilium ex toto orbe conuocatum ibid. generale, & plenarium vniuerſæ Eccleſiæ ibid. clericis minoribus largitur ius appellandi à ſuo Epiſcopo ad Epiſcopos vicinos. 781. Epiſcopis abſolutè concedit ius ad Iulium Romanum Pontificem appellandi. 792. triginta Epiſcoporum Africanorum, cum Primate Epiſcopo Carthaginenſi. 796

Sarnicium ſolam diuinam Chriſti naturam, ſacerdotem; humanam verò ſacrificium eſſe aſſeruit. 45. 353. Chriſtum ſecundum diuinam naturam mediatorem eſſe contendit. 353

Saul à Samuele vnctus, & à Deo confirmatus, legitimus Rex. 425

Saxonia Vbiquitatem vt cælo lapſum munus amplexa, quæ eandem ante paucos annos vt immane monſtrum proſcripſerat. 209

Scapha vocanda ſchapha. 166. 401

Schardius calumniator. 1093. Vide etiam V. Simon Schardius. Auentinum vbique ſequitur. 1095. Iuriſprudentiam profitetur. ibid. contra ſuam profeſſionem agit. ibid. accuſat negligentiæ Lotharium & Conradum Imperatores. 1096. canit claſsicum, vt recuperentur, quæ Pontifex Imperatoribus abſtulit, non tantum iura, ſed & terrarum ſola. ibid. dolet non eſſe penes Imperatores eligere Pontifices. 1090. Stephanum IV. pro V. citat. ibid.

Schechius Lutheranus Sabellianus. 45. à Genebrardo caſtigatus. 46.

Schedelius. 985

Scheol vox Hebræa vel ratò vel nunquam pro ſepulchro accipitur. 309

Schiſmatici eodem modo argumentantur quo Caluiniſtæ. 766. 767

Schlüſſelburgius catalogum hæreticorum conſcripſit. 47

Schmalchaldica Synodus, formulæ Concordiæ Lutheranæ inſerta. 974. Vide etiam V. Smalcaldici.

Scholaſtici in iis quæ per fidem certa, explorata & definita ſunt, omnes concorditer conſpirant. 1172

Schvvenckfeldius ex Lutherano, noua ſecta architectus. 128

Schvvenckfeldiani non curant Biblia, nec reuerentur, ſed omnia interno Spiritus ductu & inſtinctu tranſigunt. 881. talem Eccleſiam architectantur, quæ omnia externa in poſtremis ducat, & omnia ſolo interno afflatu & fanatico inſtinctu metiatur. 1139

Scientia Dei duplex, viſionis, & ſimplicis intelligentiæ. 273. 274.

Scientia acquiſita in Chriſto duplex: vna, qua verè & propriè ſit habitus ſcientificus, altera experimentalis. 265. theoretica vel practica, ratione finis, cognitionis vel operis. ibid.

Scotus Doctor ſubtilis. 862

Scriptura totam ſalutem noſtram tribuit ſanguini & morti corporali Chriſti. 282. 304. verba actionem denotantia, ſæpe accipit pro promiſſione. 293. poteſt habere plures ſenſus litterales eiuſdem loci. 481. & ſeq.

non dicitur imperfecta & inſufficiens in ſe & in ſuo genere, niſi forte habito reſpectu ad totam latitudinem eorum quæ Chriſtiana religio fidelibus credenda proponit. 935. non eſt naſus cereus vel regula Lesbia in ſe, ſed cõparatione hæreticorũ qui eam fingunt & refingunt, verſant & reuerſant pro libidine. ibid. non eſt litera mortua, niſi ratione hæreticorum, qui ſuo arbitrio eam explicantes, contempta Eccleſiaſticæ traditionis regula, non vitam ſed mortem inde hauriunt. ibid. non habet totam ſuam auctoritatem ab Eccleſia in ſe, & in actu primo, habet tamen quo ad nos, per teſtificationem & propoſitionem Eccleſiæ. 935

obſcura & ambigua abſque certo & fideli interprete. ibid.

Sebaſtianus Heiſius ſocict. Ieſu. Dilingana Academia Profeſſor. 1010

Senatus Romanus noluit Chriſtum in Deorum numerum recipere, quod priùs à populo cæptus fuiſſet coli, quam Senatus ea de re decretum edidiſſet. 664

Seneca pater libros de beneficiis & declamationes ſcripſit, filius ludum in mortem Claudij. 416

Senſus ſpiritualis literalem ſupponit. 321. 328

Sepulchrum Chriſti fuit exciſum in lapide ſupra terram exſtante. 318. prægrandi lapide occluſum: ibid.

Serarius Soc. Ieſu. 986. 987. vide etiam V. Nicolaus Serarius.

Sergius Pontifex Trullanos Canones reiecit. 748. 750. iubetur à Iuſtiniano Iuniore Imp. Conſtantinopolim deportari. 750. noluit ſubſcribere Synodo erraticæ. 751

ſextam ſynodum toto pectore amplectebatur. ibid. Trullanam ſynodum damnat. 753

Sergius III. Papa defenditur à calumniis hæreticorum. 1086. 1087

Seruetus nouus Arianus Genevæ exuſtus. 1. 2. 3. ex Lutheri & Caluini ſchola prodiit. 3. 4

Serum inſtrumentum Domini. 59

Seruitus contra vel præter naturam eſt, non autem ſubiectio ſub imperio politico. 420

Seſio ad dextram Chriſto competit ſecundum vtramq; naturam diuerſimodè. 138. eſt diuinæ gloriæ, potentiæ & maieſtatis æqualitas. 139. 202. competit naturæ humanæ Chriſti non in ſe, ſed in ſua hypoſtaſi. 139. 140. intelligi poteſt poteſtas regalis, iudiciaria, ſummaq; beatitudo humanæ Chriſti naturæ collata. 140. 170

Si, particula, non ſemper efficit orationem hypotheticam. 6

Sibrandus contendit Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum. 404. 435. & ſeq. Caluiniſta Puritanus. 436. ſub Paſtoribus comprehendit Doctores Academicos refragante Beza. ibid. negatur. 443. concedit S. Petrum fuiſſe principem Apoſtolorum. 445. calumniatur. 452. 453 & ſeq. mentitur. 453. 459. 484. 503. 510. 532. 571. 572. 574. 575. 642. 643. 646. 663. 673. 675. 707. 711. 712. 721. 730. 763. 779. 825. 831. 860. 861. 875.

Sibrandus argumentum vitioſum Bellarmino affingit. 453. 455. & ſeq. Battotautologus & cenologus. 455. politicorum Ariſtoteliconum ignarus. 458. Chriſtum ſyllogizantem ridiculè inducit. 468. conuicta largiter eructat in Pontificem. ibid. de poteſtate ratiocinatur, ſicut de pane & vino. 469. Monarchas politicos de throno ſuo deturbat, & in ordinem vulgi redigit. 470. cuiuis etiam Epiſcopo Caluiniano, totiq; Geneuenſi Conſiſtorio omnem poteſtatem adimit. ibid. maritos ius in coniugem & patrifamilias ius in familiam eripit. ibid. vim vi repellere, dicit eſſe illicitum in Eccleſia. 473 ſeipſum refellit. 491. Bellarmino ineptos ſyllogiſmos affingit. 496. 497. 501. 503. 509. 517. 532. 553. 555. 566. 569. 572. 596. 599. 600.

Sibrandus per Francones intelligit Gallos. 508. blaſphemat. 510. probat cum Danæo Petrum non poſſe eſſe petram, quod illa ſit generis fœminini. 520. antilogiis ſeſe illaqueat. 535. Battologus & tautologus. 545. 555. 556. Humanis legibus conſcientias adſtringi non poſſe aſſerit, contra Anglicanos Caluiniſtas. 571. Gregorium Magnum appellat fabulatorem. 573. ex duabus affirmatiuis enunciationibus contradictionem procudit. 574. mugatur & calumniatur. 581. ſtultefcit. 585. ſancto Leoni inequitat. 595

Sibrandus Bernardum ait fuiſſe virum magnum, dignum meliore ſeculo. 600. ineptos ſyllogiſmos Bellarmino affingit. 601. 602. 603 604. 607. 609. 618. 614. 616. 619. 630. 656 675. 676. 706. 707. 708 709. 710 711. 713. 714. 715. 725. 731. 736 744. 779. 801. 910. 1105. 1144. 1152. 1114. 1115. 1116. 1126

Sibrandus tribuit Apoſtolis vxores. 608. eſt ſycophanta. 613. 616. 620. 622. 625. 626. 629. 631. 636 & ſeq. imperitus in Eccleſiaſticis monumentis. 637. latum tegere, putat nihil aliud eſſe quàm ad lauam ire. 647.

Illyrici veſtigia ſecutus. 652. Danæo aduerſatur. ibid. Ioannem Euangeliſtam imperitè dixit ſub Nerua interfectum. 673. putat implicare contradictionem vt quis redeat ad locum vbi aliquando fuit. 691 pugnat pro Orthodoxis. 692 eadem quinquies repetit. 697. Auctores non producit niſi ex Bellarmino ſibi notos. ibid. demolitur ſua phantaſmata. 707. bouinatur. 715. ſecurè obiicit, quod Bellarminus diſertè refellit. 716 in poſtpredicamentis dicit agi de communi & proprio. 717. Agapetum transformat in Leonem. 721

Sibrandus dicit Catholicum nominari qui credit Trinitatem. 728. lepus leoni mortuo inſultat. 732. nugamentis ſuis inſpergit verſus ex faſtis Baptiſtæ Mantuani. 737. ſanctum Leonem Pontificem, impium & ridiculum vocat. 758. 759. rebelles ſubditos eximit à poteſtate dominorum ſuorum. 759. 760. impudens. 760. Blaſtum transformat in Blaſium. 761. ſycophanticos ſyllogiſmos cudit, eoſdemque poſtea ſumma animi voluptate demolitur, vt pueri caſas ex luto à ſe extructas. 777. argutatur ex vocabulo competit. preconuenit. 780. memoria lapſus. 780. 781. Hippolytum non iudicat dignum cui reſpondeat. 828. contradicit Epiphanio, contra Iunium. 834. 835. Sutlinium diſcipulum inſigniter mentiri & conuiciari docuit. 836. nugaciſſimas gerras tanquã inſolubilia argumenta vendi tat. 837. Antichriſtum tempore Apoſtolorum veniſſe dicitat, & quidem in propria ſua perſona. 843. 847 Bellarmini probationes & argumenta inuertit & confundit. 850. 851. Sanctum Hilarium dicit prorſus à ſcopo aberrare. 851 futilis vitilitigator. 860. tibiam & digitos tibiæ dicit toto genere diſcrepare. 862. ſubtiliſſimè de beſtia & cornibus diſputat. 862. 863. beſtiæ inſtar miſcet quæcunque in Apocalypſi de varijs beſtijs legit. 863. interpretationes ſanctorum Patrum contemptim appellat coniecturulas. 864. Sutlinũ magiſter. 867. Iunio contradicit. ibid.

Sibrandus librum Eccleſiaſticum dicit eſſe apocryphum. 871 Sutlinio diſcipulo ſuo longè impudentior. 875. Sutlinium diſcipulum ſuum mendacij arguit. 876. non ſemel explosus. 898. negat Antichriſtum fore Iudæum. 911. congerit, quicquid ſcommatum & conuiciorum olim à ſcurris, ſannionibus, pœtaſtris, rhetoriculis, ſchiſmaticis, aliisq; liuido oculo Romam & Romanum Pontificem intuentibus effuſum & effutitum eſt. 932. 933. argutè probat non omnes Iudæos negare Chriſtum, quia Petrus, Iacobus & Ioannes Apoſtoli fuerunt Iudæi, potuiſſet etiam addere ipſum Chriſtum. 947. 948. ex precationibus quibuſdam ad D. Virginem, probat Chriſtum eiusq; maieſtatem à Papiſtis negari. 952. Theophylactum falſat. 955. ſtrenuus Dei Maozim propugnator. 959.

mentitur & calumniatur. 876. 952. 954. 955. 1059. 1056. 1049.

quadruplator. 1106

ſuo ſe prodit indicio. 1120

in Friſia latitat. 1050

Sybilla Erythræa prædixit Deum Romanam vrbem ſibi ſubiecturam non in gladio ſed in hamo piſcatorio. 667

Sigebertus ſchiſmaticus, Henrici IV. fautor. 810. nihil habet de fabula Ioannis Papiſſæ. 986. 987

Siganius imperium Hebræorum ante Saulem facit Ariſtocraticum impropriè. 422

Siluerius Papa vnus ſuper totius mundi Eccleſiam. 813. ab Imperatore in exilium actus. 814. Vide etiam V. Syluerius.

Similia non eſt neceſſe quo ad omnia eſſe ſimilia. 569

Similerus de Trinitate diſputare auſus. 80

Simon Cananæus Apoſtolus. 593. 594. Iunio Kannaites, ſiue Kannanites. 594

Simon Gularius ignobilis Caluiniſta. 539

Simon Magus primus & princeps hæreſiarcha à S. Petro primùm detectus, damnatus & planè extinctus. 621. 622. duodecimo anno Neronis deuictus. 671. Chriſtum palam negauit. 948

Simon Schardius Lutheranus vel Caluinianus. 1088. Vide V. Schardius.

Simplicius Papa, vrbe ab Odoacre capta, ſub Auguſtulo Imp. 967

Sinueſſanum Concilium teſtatur primam ſedem à nemine iudicari. 801. Marcellino Papæ dicit: Tu eris iudex; ex te enim damnaberis, & ex te iuſtificaberis, tu enim iudex, tu reus. 802. neminem vnquam iudicaſſe Pontificem aſſerit. ibid.

Sinus Abrahæ in inferno. 327. tranquillitatis ſinus à S. Auguſtino dictus ibid. latroni promiſſus paradiſus. 341

Siricius Papa, Paſtor ouilis Dominici, à S. Ambroſio appellatus. 817. rigidus continentiæ vindex & aſſertor. 1051. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1051. 1052. Eccleſiaſticos Deo ſuos votiuos à coniugio arcuit, idque ex traditione Apoſtolica. 1052

Sixtus III. Pontifex in ſuo arbitrio dicit eſſe ſitum, an iudicetur vel non iudicetur. 803

Smalcaldici ſatis inſinuant S. Paulum ſcripſiſſe contemptim de Petro, &c. 589. citant tanquam verba Pauli, quæ in Paulo non reperiuntur. ibid. merentur plagas adiicientibus ad Dei verbum decretas. 590. vide etiam V. Schmalchaldica Synodus.

Smidelinus obiecit Bezæ, quod Ieſuitæ Ingolſtadienſes theſes expilarit. 129. meritò tanquam Monothelita & Monophyſita Eutychianus damnatur. 131. Vbiquiſta. 142. Vbiquitatis architectus. 147. 157. Hunnij magiſter. 167. Dreſdenſe decretũ abroſit. 188. in colloquio Mompelgartenſi mentitur. 234. in concione Germanica Auguſtæ habita, dixit Chriſtum mortem æternam ignemq; inferni deguſtaſſe. 280. Papam Germanicum ſeu Saxonicum ſe appellitari haud agrè ferebat. 438. velut Monarcha. ibid.

Societas Ieſu à ſummo Pontifice confirmata. 512. tribus religionis votis addit quartum, circa miſſiones à ſummo Pontifice iniunctas impigrè & abſque recuſatione ſuſcipiendas. 513

Socrates Græcorum ſapientiſſimus. 1039

Solatium eſt miſeris, ſocios habere in pœnis. 22. 1068

Sozomenus Romanam Eccleſiam appellat Petri ſedem. 681

Spartani Ariſtocratiam ſibi delegerunt. 417

Spectra alienam vocem reddere ac imitari queunt. 649

Spiratio actiua & paſſiua. 98. 109

Spiritus vt à carne ſeu corpore diſtinguitur, ſignificat animam. 328

Spiritus ſanctus ſemper ab orthodoxis pro Deo habitus. 24. ipſemet miſſus, non dona illius tantum. 77. cælum & terram maieſtate & præſentia ſua implet. 78. ita deſcendit de cælo, vt & in cælo maneat, & in terris ſit antequam venerit. ibid. diuerſis donis ſe manifeſtat. 79. mentes hominum tanquam templa ſua inhabitat. ibid. eſt perſona. 87. à Patre & Filio realiter diſtinguitur. 88. eſt charitas. 92. procedit per voluntatem. ibid. procedit à Patre & Filio. 94. à ſeipſo etiam mittitur ad extra. ibid. eſt donum. 101. ſeipſum vel filium dicitur mittere impropriè. 102. 104. nuſquam in ſcriptura dicitur ſe mittere. 105. accipit per proceſſionem à Filio eſſe, & ſcire, & operari. 107. 108. dicitur à ſpirando. ibid. dicitur Spiritus Filij per originem. 109. dicitur formaliter, quatenus talis, ad Filium, vt ad ſpiratorem. 110. dicitur digitus Dei. ibid. Spiritus veritatis, id eſt, Chriſti. 111. ſimiliter procedit à Filio, vt à Patre. ibid. immediatè procedit à Patre & Filio. 118. tanquam ab vno principio. 119. ex ſubſtantia Patris & Filij. ibid. ex amore quo Pater & Filius ſe & creaturas amant. 123. eſt mutuus amor Patris & Filij. 123. nomen amoris & doni propriè ſibi vendicat. ibid. aſſectabilis ſpecie ſuper Chriſtum deſcendit. 244. in ſpecie columbæ. 248

Spiritus ſanctus non ſuper ſolos Apoſtolos, ſed ſuper omnes ſimul congregatos ignitæ linguæ formâ deſcendit. 784

Stancarus Philippi Locos communes fugillat. 27. vetum de Magiſtro ſententiarum iudicium tulit. 195 Magiſtrum Sententiarum centum Lutheris, ducentis Melanchthonibus, trecẽtis Bullingeris, quadringentis Petris Martyribus, quingentis Caluinis anteponit. ibid. omnibus piis miniſtru verbi Dei ſuadet, vt relinquant feces, excrementa, & lacunas Melanchthonicas, Bullingeridmas, Petri Martyrianas, & Caluinianas cum ſimilibus, & libros Magiſtri Sententiarum & Sanctorum Patrum aureos diligenter legant, ſi veram fidem cognoſcere velint. 196. refutatur à Caluiniſtis. 351. quantumuis perfidus Nouator, Tigurinos, & Caluinum Arianiſmi, Eutychianiſmi & Apollinariſmi poſtulat. 386

Melanchthonem inſanum Grammaticum, & caput helleboro dignum proclamat. 379. 385

Caluini doctrinam concludit eſſe planè Arrianam. 386

Stephanus Papa admisit appellationem Basilicas damnatas in Hispania. 778. à Basilide deceptus. 780

Stephanus Papa Tertius, Aistulpho rege Longobardorum Romam obsidente literas ad Pipinum dedit, in quibus, ipsum S. Petrum Apostolum loquentem, opemq; Pipini & Francorũ procerum flebilibus modis implorantem induxit. 1007. 1008. 1009.

Stephanus V. Papa sine Imperatoris Ludouici auctoritate electus, ordinatus & consecratus, & ab eodem Ludouico honorificentissimè exceptus. 1090

Stephanus VI. Papa, Baronio Septimus. 1086. defenditur à calumnijs hæreticorum. 1086. 1087

Stephanus Episcopus Carthaginensis Damasum Papã appellat Patrem Patrum. 814

Stephanus Blanck Passauianus contra Wolfium testatur, à quo testis erat adductus. 985. fabulator. ibid.

Stephanus Caluinianus Antichristos esse censet Iudæos, Turcas, Ethnicos, & hæreticos. 819

Stobæus Monarchiam ex omnibus reipub. formis optimam & pulcherrimam esse demonstrat. 418

Subiectio proprie non est nisi inter realiter distincta. 55. imparem sortem & conditionem essentialiter includit. 56 distinctionem minimum duorum connexam habet. 57. requirit inæqualitatem saltem dignitatis. ibid. quoad auctoritatem & præcipiendi facultatem. 59.60

Subsistentia sine hypostasi. idem cum Persona. 85

Successor succedit antecessori suo in eodem officio 685

Suetonius meminit historiæ de volatu & deiectione Simonis Magi. 622

Sulpicius dicit Petrum Romæ Episcopatum gessisse. 683

Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali. 188

Supponitur sæpe id quod vel alibi probatum est, vel alibi probabitur. 89

Suppositum, idem quod Persona. 85

Siricius de Ecclesia Dei optimè meritus. 533. minimè siricus. ibid.

Sutlinius petulantiæ conuiciatoriæ elogio cohonestatus ab ipso Beza. 399. & seq. Vide etiam V. Matthæus. Sutlinius Bellarminum appellat disputatorem versutum, & declamatorem argutum, qui tamen non plus sapiat quàm lapis. 400. Iesuitas dicit esse homines catos, callidos, astutos, versipelles, audaces, loquaces, sophistasque strenuos. ibid. inconstans sibique contradicens conuiciator. ibid. à Sauania vir doctus & integer prædicatur & dissimulãdi expers. 401. Thraso 401 402. Pyrgopolinices. 402. dedicat suas nugas Wigifio Cantuariensi Pseudoarchiepisc & totius Eccl siæ Anglicanæ primati amplissimo. ibid. pro Ministrorum Ecclesiasticorum inæqualitate aduersus Puritanos in Anglia integris libris decertauit. 402. 403. Ecclesiæ politiam ait esse Aristocratiæ similiorem quam regno. 404. impudenter mentitur. ibid. figmentum suum oppugnat, & cum cerebri sui larua dimicat, non sine thrasonicis promissis. ibid. Bellarminum calumniatur. 407. ambiguitate vocabulorũ Democratiæ & Monarchiæ & sibi & lectoribus illudit. 408. 409. Caluinista. 409. mentitur. ibid. multa blaterat extra propositum. ibid. contra Monarchiam declamat cum tamen sub Monarcha in Anglia degat, quem non modò in politicis, sed & in Ecclesiasticis pro capite suo & Monarcha veneratur. ibid. impudens. 412 meridiano soli tenebras inducere nititur. ibid. celebre Homeri versum peruertere & alò detorquere, contra totius antiquitatis consensionem non erubescit. 412. 413. conuicia & mendacia in sanctos expuit. 414. calumniatur S. Thomam Aquinatem. 414. 415

Sutlinium merito à Beza petulans calumniator appellatum. 400. 401. 410. 412. 414. 421. 425. 427 466. 472. 478. 482. 496. 502. 504. 506. 508. 551. 560 563. 570 587. 601 612. 615. 631. 665. 666. 667 676. 685. 689. 712. 713. 719. 726. 731. 746. 806. 817. 849. 850

Sutlinius Platonis & Aristotelis testimonia corrumpit. 415. 416. suam inscitiam prodit. 417 audax. 418. iactat se. 419. impingit ibid. affingit Auctoribus, quæ ex aliorum sententia asserunt. 421. videt & connitatur ibid. Monarchomastix. 425. Exsistentis Pseudodecanus. ibid. in vocabulis insidias struit. ibid. in Anglia & sub Rege degit, quem pro Ecclesiastico capite agnoscit & veneratur. 427. Aristocratiam extollit, vt firmissimam & robustissimam. 428. sub Rege totius Angliæ Primatem constituit suum Pseudoepiscopum Cantuariensem. 435. Anglus. ibid. læsæ maiestatis & perduellionis arguitur. 436. in tota sua verbosissima de Ecclesiæ regimine disputatione Regis sui nunquam meminit 440. in Puritanum transformatus. 448. Democratiam inducit. 450 non tantum Monarchiæ Ecclesiasticæ, sed & politicæ fundamenta suffodit & perfodit sub prætextu Aristocratiæ. ibid. etiam Aristocratiam tollit. ibid. fatetur Patriarchas regiopotestate præditos, quod paulò antè negarat. ibid debebat saltem Monarchæ sui honori parcere. ne Geneuensem Aristocratiam comprobaret 451

Sutlinius negat verum Ecclesiæ Dei regimen à Caluino restitutum. 452. Pontificem Romanum & clerum maledictis incessit. 459. hæresiarchas fatetur non de sua, hoc est Caluiniana. sed de Papistica Ecclesia exisse. ibid. fateri debet supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ esse Regem, nisi maiestatis reus esse velit. 464 fateri cogitur plura capita Ecclesiæ suæ. ibid cum Dãneo certat mentiendo & criminando. 473. receptæ opinioni, vt Iunius vocat, seopponit. 478. Sibrandicas pseudologias, alogias & cenologias transcribit. 484. mentitur. 487. 509. 514. 542. 543. 551. 557. 562. 563. 565. 566. 569. 573. 614. 632. 636. 664. 665. 668. 669. 671. 672. 674. 683. 689. 696 697. 698.

Sutlinius negat argumentum à simili, nisi in quantum per omnia simile. 494. odio Romanæ Cathedræ palam contra suæ Synagogæ consuetudinem & praxin declamat. 505. erga S. Augustinum Anglorum suorum Apostolũ malè gratus. 506. Minerual

à Vittgiffto ſuo repoſcat licet. 542. Battologus & tautologus. 543. 545. 548. ea obiicit quæ Bellarminum refellit, cuius refutationes diſſimulat. 549

Sutlinius Iurii imperitus. 551. 552. ſcurra. 558. nullam cernit differentiam inter ligare & retinere peccata. 563. S. Leonem Magnum Pontificem maledictis configit. ibid. concedit Petro ex ſententia Auguſtini primatum & Apoſtolatus principatum. 565. dignus magiſtro Sibrando cuius nugas exſcripſit, diſcipulus. 568. 592. 609. quotidianæ experientiæ aduerſatur. 569. S. Bernardum reiicit. 600. obmutescit. 612. Caluinopapiſta. 619. impudentiæ Caluinianæ ſpeculum. 637. Bedam & Bernardum conuiciis inceſſit. 639. cum Iunio ſuo male concordat. 657. nugatur. ibid. cauillatur. 658. 659. & ſeq. veterum contemptor. 660. negat credendum teſtibus de auditu deponentibus. 669. dubitat num Chronicon Euſebij ſit Euſebij. 680. Epiphanium pro ſe citat, ſed falsò. ibidem. Cathedram Apoſtolicam negat eſſe Epiſcopalem. 683. Theodoretum reiicit, & Epiphanium idem ſentientem recipit. 684. bilinguis, & duplex corde. ibid. totius antiquitatis teſtimonium repudiat. 685. Cardinalem Baronium calumniari aggreditur. 689. argumentatur ab auctoritate negatiuè. 697. 698. mentitur & calumniatur. 706. 710. 711. 712. 719. 722. 723. 730. 737. 738. 739. 740. 741. 745. 757. 760. 769. 770. 772. 773. 775. 801. 802. 803. 805. 806. 807. 816. 822. 825. 828. 831. 841. 842. 843. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 853. 864. 875. 876. 879. 903. 904. 909. 912. 921. 949. 950

Sutlinius iactat ſe omnes Bellarmini copias iampridem fudiſſe, diſſipaſſe, deleuiſſe. 712. obiectiones ſuas omnes partim ex Bellarmino, partim ex magiſtris ſuis Caluinianis, ſublegit. 718. domeſticis teſtibus abrogat omnem fidem. 724. duos Ruffinos procudit, alterum cui contentio cum Hieronymo, alterum qui Recognitiones Clementis & epiſtolam ad Iacobum fratrem Domini verterit. 730. laudat Innocentium Pontificem. 731. epiſtolas Ciceronis & Plinij in diſcrimen adducit. 731. 732. videtur nothus, quia omnia illi videntur nothа. 732. lepus. ibid. Bellarminum mordet. 734. Epiſtolas Chryſoſtomi ad Cynoſarges ablegat. ibid. Thomam Aquinatem, Theodoretum, Bedam, Anſelmum, Hugonem de S. Victore, & Bernardum perſtringit. 735. 736. neſcit quis ſit Acatius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. 735. ex erratulo typographico cauillandi occaſionem capit. ibid. beſtia primatus Romani immaniſſimus. 738. Septimam Synodum vocat idololatricam. ibidem. Bellarminum lebuſitâ indigitat. 745. Nicolaum I. Pontificem ſanctiſſimum conuiciis inceſſit. ibidem. Burdonici cerebri. 760. Miſſam, & maximè repetitam aueſſatur. ibid. putat priuilegium dici quod à priuato concedi queat. 761. epiſtolas S. Leonis vocat in dubium. 770. manifeſtis pſeudologiis omnem ſibi fidem adimit. 773. exſcribit nugas ſuas ex ſuo Subrando. 774. 825. 833

Sutlinius vomit conuicia in Pontificem Romanum. 803, & ſeq. 805. 806. 807. pro Conſtantinopolitano legit Conſtantinum. 806. caluniator Papæ. 812. nodum quem ſoluere nequit, diſſecat. 814. Muſculi mentem interpretatur. 820. conuicia iactat in ſanctos Patres. 828. 829. calumniarum ſuarum & mendaciorum hortum egregiè ex Sibrandico ſtagno rigauit, & tamen vbique ſilet per quem in mentiendi arte profecerit. 833. ex Subrando furatus. 836 837. 878. Subrandi diſcipulus, dignum patella operculum. 838. Bellarminum pro ſe citat, & cum illo conuenit, contra Iunium & alios Caluiniſtas. 842. ait Apoſtaſiam non niſi per plures fieri, & ſine pluribus intelligi non poſſe. 843. nullum vnquam hæreticum grauius erraſſe dicit quàm Bellarminum, conantem Patribus omnem fidem abrogare, & contra Patres potius quam contra Caluiniſtas pugnãtem. 846. Antichriſtum ait veniſſe tempore Apoſtolorum. 847. Illyricum & Chytræum Lutheriſtas, vt & ipſum Lutherum, in ſuis numerat, cum ſit ipſe Sacramentarius. ibid. pleraque mendacia ex Sibrandi penu deprompſit. 848. niſi Sibrandum expilaſſet, ſæpe Mutium & Silium egiſſet. ibid. probat ſententiam Lutheri de aduentu Antichriſti, contra ſententiam magiſtri ſui Saubrandi & Iunij. ibid. odio veritatis & Romani Pontificis, ſua vincta cadit. ibid. dicit Antichriſtum non antea palàm dominaturum, quàm Euangelium palàm prædicari deſierit. 849 850

Sutlinius Saubrandi expilator. 850. 853. ordinem Bellarminianum miſerabiliter diſcerpit & confundit, quod didicit à ſuo Saubrando. 853. 856. Romanum Imperium iam eſſe euerſum, & non eſſe Imperatorem Romanum, & ſimilia in Imperatoriam maieſtatem contumelioſa eructat. 856. Bellarminum vult docere argumentari. 859. de beſtiis Apocalypticis ſcribit vt beſtia. 863. hodiernum in Germania dominans Romanum Imperium, tantummodo imaginem & vmbram Romani Imperij nominitat. 864. ſomnia ſomniat. 866. Sibrandicus expilator. 867. Iunio contradicit. ibid. Priſcianum cædit. 875. Sibrando magiſtro ſuo contradicit. 876. Sibrando magiſtro ſuo ſurripuit ſuum gry. ibid. rapax harpago. ibid. S. Auguſtino adſcribit quæ non ſunt illius. 876. 877. Damaſcenum & Hippolytum Martyrem dicit ſomnia & nugas ſcripſiſſe. 878. in medio furoris ſui paroxiſmo Bellarminum Monachum lunaticum appellat. 889. ſomnia ſibi de anni Hebræi magnitudine fingit, & ex febrilibus illis ſuis ſomniis Bellarminum confutare nititur. 889. falsò ſibi imaginatur, Hebræos nunquam eſſe vſos menſibus, vel annis lunaribus plenis ac perfectis, ſed tantum imperfectis. 890. citat neſcio quem Lalamantium. ibid. nec Bellarminum nec S. Auguſtinum intelligit. ibid. hæreticus. ibid. iure à Beza conuiciator appellatus. 858. 889. 909. 919. 948. 1041. 1098. 1130

Sutlinius à Magiſtro ſuo Subrando Tautologiæ potius quam Theologiæ Doctor creatus 892. cum Danæo certat maledictis & conuiciis in Bellarminum iaciendis. 907. characterem Antichriſti dicit eſſe vnum communem viuendi modum Papiſtarum. 908.

mentitur apud Pontificios vendi & emi beneficia, indulgentias, bullas, peccata, Sacramenta & animas hominum. ibid. Sibrandi simiolum. 911. negat Antichristum fore Iudæum. ibid. Patres contemnit. 912. lyras lyras crepat. 917. conuicijs tanquam fidissimis suis latronibus stipatus. 946 plerasq; suas cauillationes & sycophantias ex Saubrando transcripsit. 948. Bellarminum appellat sceleratum & mendacem Iebusitam. ibid. insignem impudentiæ magistrum docilis & ingeniosus discipulum adeptus Saubrandum. 954. Chrysostomi sententiam depraua. 955. Saubrandicus corrector. ibid. Theophylacto quædam assuit & affingit. ibid. dicit lumen rationis dictare, nouas rationes Dei colendi non esse recipiendas 957. contra suum principium, ex typis & allegorijs probare conatur Papam esse Antichristum. 968. 969. fabulam de Papa semina pro vera venditat. 984. passim Battologus & Tautologus. 1002. probat Papam esse Antichristum, quia patitur sibi teneri strepam ab Imperatore, & pedes osculo affici. ibid. Pium V. & Sixtum V. diabolicè calumniatur. ibidem. adstruit nullum fuisse Papam ante Gregorium II. 1003. mentitur & calumniatur. 953. 954. 1002. & seq. vsque ad 1007. 1011. 1015. 1047. 1048. 1086. 1056. 1153. 1159. 1160. 1164. 1167. 1054. 1130

Sutlinius Imperatores Germaniæ negat esse Romanorum. 1003. videtur libenter loqui de meretrice Babylonica. 1004. citat Crinitum, Pseudobennonem, & Theodoricum Niemensem. 1005. mentitur Siluestrum II. animam suam Diabolo vendidisse: Alexandrum VI. Iulium II. Leonem X. Clementem VII. Paulum III. vix principia religionis Christianæ credidisse. 1005. 1006. negat quatuor libros Dialogorum Gregorij Magni, esse Gregorij Magni. 1059. cuculum agit. 1114. Witakero contradicit. 1114. nescit discrimen inter finem & materiam legis 1120. mentitur, ante regnum Constantini nullos fuisse in Ecclesia editos Canones. 1130. Papam crepat Tyrannum. 1139. Bellarminum calumniatur. 1153 & seq. argumenta Bellarmini corrumpit ac mutilat. 1153. 1155. aliena immiscet & omnia peruertit. 1154. semper deturbationem regum de regno & solio. in ore habet, ibid. non pridem Reginam, nunc Regem pro sua. hoc est, Anglicana Ecclesia capite veneratus est & veneratur. ibid. videtur opinari, tot esse in argumento terminos quot vocabula. 1156. caninam suam loquacitatem in Pontificem expromit. 1159. negat Theodosium Imp. fuisse excommunicatum ab Ambrosio. ibid. impudenter mentitur, Ambrosium nil præcepisse Theodosio, sed hunc illi. 1160. atrocissima in sedem Apostolicam conuicia vomit. 1161. negat eundem posse esse principem Ecclesiasticum & Politicum. 1163. non tam contra Bellarminum, quam contra Saraiam, magnum suum encomiastem & contra Bezam propugnatorem pugnat, imò & contra receptissimam Angliæ consuetudinem. ibid. scripsit quædam pro Episcopis Anglis contra Puritanos 1164. odio Pontificis eadem affirmat & negat, oppugnat & propugnat. ibid. non respondet ad rem. 1165. 1166. Pseudoepiscopis Anglicanis Ecclesiasticam simul & politicam potestatem adscribit. 1166. Saraiæ symmystæ suo repugnat. ibid. omnes donationes à Regibus & Imperatoribus Romano Pontifici factas pro fabulis habet. 1170

Syluerius Papa tyrannicè de sede sua deiectus, & in insulam Palmariam relegatus. 1057. Vide etiam V. Syluerius. in insula Palmaria defecit inedia. 1058

Syluester Pontifex post Nicænum Concilium decem annis superstes. 802

Syluester II. Magus fuisse & à Diabolo discerptus fingitur. 1088

Symmachus Papa Ecclesiasticæ libertatis assertor. 1089

Synecdoche nomen totius tribuit parti. 344. vsitatissima. ibid.

Synodus sexta & septima approbauit & sub anathemate recipi mandauit scripta B. Augustini & B. Ambrosij. 113. octaua Oecumenica & legitima Græcè & Latinè à Radero Societatis Iesu edita. 123. septima nullum decretum Generalis Concilij censet esse legitimum, quod sine Romano Pontifice aut eius legato conditur. 738. sexta absoluta est & perfectè completa octodecim sessionibus, sub Agathone Pontifice, & Constantino Pogonato Imperatore. 747. 752. Sedis Apostolicæ suffragio comprobata. 748. 749. 750. nullos Canones edidit. 749. œcumenica. 750. à Sergio Papa recepta. 751. à Philippico Imp. oppugnata. ibid. pacificè ad finem perducta. 752. etiam absque Canonibus satis cauit doctrinæ orthodoxæ contra Monothelitas. 754. præsentibus Patriarchis, vel illorum Vicarijs & Legatis. 755. Vide etiam V. Concilium, & V. Concilia. Agathonem Papam vocat sanctissimum Patrem nostrum, & summum Papam. 815. Agathonis epistolam suffragio suo comprobat, & per Agathonem Petrum locutum esse affirmat. 1065

T.

Tectum dicitur à tegendo: nec tamen pileum rectè vocauerit tectum, quod caput tegat. 309

Telesphorus Papa & Martyr Apostolorum temporibus vicinus. 1040

Templum Salomonis figura Ecclesiæ Catholicæ. 711. longo tempore à Salomone ædificatum, breui à Babylonijs euersum. 889. reædificandum ab Antichristo. 919. verè templum Salomonis dici poterit, licet non à Salomone, sed ab Antichristo extructum, vt & illud quod post Babylonicam captiuitatem conditum, & illud quod ab Herode postea extructum, vel potius magna accessione auctum est. ibid. in nouo Testamento semper intelligitur per templum Dei, propriè loquendo. 922. 923

Terra ad cœlum supremum puncti instar habet. 137

Tertullianus Luciferum vocat Angelorum eminentissimum. 479. plures Cathedras Apostolicas nominat, sed vnitas & communicantes cum vna, nempe Petri. 629. scribit Senatum Romanum noluisse Christum in Deorum numerum recipere, quod prius à populis cœptus fuisset coli, quàm Senatus ea de re decretum

edidisset. 664. Marci Euangelium ait Petro adscribi, eò quod Marcus Petri Interpres ac discipulus fuerit. 668. Romæ dicit Petrũ passioni Dominicæ adæquatum, Paulum Ioannis exitu coronatum. 673. Ecclesiarum sinceritatem vult esse explorandam ex Catalogo Episcoporum, si primus illorum fuerit Apostolus vel vir Apostolicus. 678. Clementem putauit Petro proximè successisse. ibid. Petrum scribit Romæ fuisse crucifixum. ibid. dicit multas abditas gentes, prouincias & insulas nobis ignotas sua tempestate in Christũ credidisse. 855. Montanista. 1041

Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus affirmat sextam Synodũ nullos Canones condidisse. 749. Trullanos canones affirmat editos quarto vel quinto post sextam Synodum anno. 754

Theandricæ operationes. 368. 369

Theanthropus, Deus & homo, Christus. 381

Themistius Diaconus auctor Agnoitarum. 239. 240. Eutychianus. 241

Themistius Philosophus sub Valente Imperatore. 240. Ethnicus. ibid. Eupsychio Eunomiano coætaneus. 241

Theodoretus ait, Deum esse spiritualem locum Sanctorum. 52. eius scripta contra S. Cyrillũ, in Concilio Ephesino damnata. 112. Spiritum sanctum nec à Filio, nec à Patre per Filium procedere asserebat. 112. 113. ait, diuinitatem Christi concessisse vt humanitas eius timeret mortem. 302. Petri & Pauli Sedem, videlicet Romanam, dicit à Deo claram insignemque fuisse redditam. 683. ad Romanum Pontificem appellauit. 776. prius dicit futurũ vt euertatur superstitio & impius Dæmonum cultus, prædicetur que Euangelium in omnibus gentibus, quàm appareat veritatis aduersarius, id est, Antichristus. 850. dicit hæreticos ab Apostolo Paulo mysterium iniquitatis vocatos, quia occultè agunt quod Antichristus palam actitabit. 952. per Deum Maozim intelligit Antichristum. 959 963

Theodericus Niemensis capitalis Pontificij nominis hostis. 1005

Theodorus Balsamo, schismaticum, in excogitandis aduersus Latinos commentis expeditus. 753. Vide etiam V. Balsamon. infensissimus Romani Pontificis hostis. 791

Theodorus Peltanus Societatis Iesu. 129. theses edidit cõtra Smidelinum, quas Caluinista sæpe excuderunt & falsarunt. ibid.

Theodosiani hæretici. 240

Theodosius Imperator testatur Romanos à S. Petro institutos esse, tanquam præsentes à præsente. 666. Concilium secundum generale nutu & voluntate Damasi Pontificis & Concilij Romani edixit & collegit. 726. à S. Ambrosio excommunicatus. 766. præparatur ad bellum, non tam armorum telorumq; quàm ieiuniorum subsidiis, nec tam excubiarum vigiliis quàm obsecrationum pernoctatione munitus. 982. circuibat cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca. ibid. cilicio tectus, prostratusq; coram thecis in quibus Martyrum lipsana asseruabãtur. ibid. auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. 982. 983

Theologia Scholastica non habet hostes nisi ignaros. 91

Theologus vtitur vocabulis ex vsu Ecclesiæ. 65

Theophanes in computatione temporis concilibuli Trullani errauit. 748. 753. Isaurus. 1071. tempore septimæ Synodi vixit. ibid. Chronica sua perduxit vsque ad Leonem Armenum Imp. ibid.

Theophilus Alexandrinus Patriarcha ab Innocentio I. excommunicatus. 765. 767

Theophylactus asserens corpus Christi esse vbique, explicatur. 143. diserte dicit soli Petro potestatem esse traditam pascendi oues Christi. 587. Petro dicit vniuersi orbis Dominici curam commissam, quòd os & caput Apostolorum esset. 588. Petrum principem discipulorum, Ecclesiæ petram & fundamentum appellat. 605. 635

Theses de Christo, cuiusdam sycophantæ, patria Augustani. 135

Theses Auctorũ de sanctissima Trinitate. 85. in easdem scholia anasceuastica Maximi Margunij Episcopi Græci, eorundemq; refutatio. 88. & seq.

S. Thomas ex instituto scripsit contra Græcos schismaticos. 116. Catenam auream composuit super Euangelistas. 158. in verbis cautus & religiosus. ibid. scripsit nos nec nomina debere habere communia cum hæreticis. ibid. negat hanc propositionem: Homo factus est Deus. 159. Nestorium sæpe refutat. ibid. statuit in Christo scientiam acquisitam, non autem ignorantiam. 242. docet Christi cruciatus fuisse acerbissimos & omnium grauissimos. 290. dixit, Christi animam secundum essentiam descendisse ad Limbum Patrum, ad infernum autem damnatorum, tantum virtute & effectu. 334. docet totum Christum fuisse in sepulchro, & totum in inferno, & totum vbique. 342. 344. ciuilis & moralis Philosophia peritissimus & callentissimus. 414. 415. Monarchiæ simpliciter dat principatum. 415. Luciferum ex supremo Angelorum choro fuisse tradit. 482. Imperium Romanum ait non cessasse, sed commutatum esse de temporali in spirituale. 856. 857

Thomas Cantuariensis pro domo Dei & Ecclesiastica libertate se Regis conatibus opposuit. 1049

Thomas Hollandus, præses Pouelæ. 929

Thomas Lidyat Anglus. 993

Thomas Mortonus Anglus Caluinianæ Theologiæ Baccalaureus. 1174. Vide V. Mortonus.

Thomas Vualsinghamus Historicus Anglus. VViclephistarũ & Lollardorum immania placita describit. 880

Tigurini sententias Petri Lombardi lacunas appellant. 195. damnant omnium SS. Patrum tam Græcorũ quàm Latinorum sententias, & totius Ecclesiæ Catholicæ dogmata. ibid. nec Philosophi, nec Theologi, nec boni Dialectici. ibi. delectantur fecibus & excrementis Melanchthonicis. ibi. traditi à Deo in sensum reprobum. ibid. hæretici. 195. 196. nesciunt quid scribant aut de quibus affirment. 196. quicquid boni in libris suis habent, id totum à sanctis Patribus acceperunt. ibid. à Stancaro Arianismi, Eutychianismi & Apollinarismi postulantur. 366. Biblia vt nouè, sic & ineptè verterunt. 897

Tilmannus Hesbusius ineptus. 981

Timocratia in qua census attenduntur, inter formas rei

publicæ infimum bonitatis locum ſortitur. 408
Timotheus à S. Paulo laudatus. 699
Timotheus Ælurus lupus. 772. ante Petrum Mongum mortuus. ibid.
Tobiæ quod habuerit canem, eſt de fide, non tamen de iure diuino. 716
Topica Caluiniana. 54
Topiſtæ vocantur ab Vbiquiſtis qui Vbiquitatem repudiant. 227. 228
Tremelius Caluinian⁹. 582. Vide V. Emmanuel Tremelius.
Tridentinum Concilium ſub Pio I V. & Ferdinando Imperatore finitum. 752. non prohibuit ne ex Græca vel Hebræa lectione editio vulgata declaretur. 962
Trinitarij noui ex Lutheranis, vel Zuinglianis ſeu Caluinianis. 3. 47. publicè, voce & ſcriptis Trinitatem negant, & tamen plurimos ex Chriſtianis ſectatores inueniunt, & ſuperioribus itidem ſeculis inuenerunt. 947
Trinitas perſonarum in diuinis non tollit Monarchiam. 430
Triſagium canticum ter ſanctis: Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis. 306. ab Angelis proditum, & incumbentium malorum depulſione confirmatum, à Sanctorum Patrum Concilio comprobatum, ac prius etiam à Seraphim decantatum. ibid.
Tritheitæ hæretici à Theodoſianis exorti. 240
Trithemius. 985
Trullani Canones nullius auctoritatis. 747. iam olim à Sergio Pontifice reiecti. 748. quintæ & ſextæ Synodis adiecti. 748. 749. non ex ſexta Synodo collecti, ſed à Græcis de nouo conditi. 747. 748. 749. quarto vel quinto poſt ſextam Synodum anno editi. 754. in membranis id eſt in libro ſcripti. ibid.
Trullanum conciliabulum ſeu Quiniſextum Concilium, ſub Iuſtiniano coactum, etiam ipſius iuſſu & nutu. 747. ante expulſionem Iuſtiniani celebratum. 748. 750. nullus in eo fuit Apoſtolicæ ſedis Legatus, nullus Latinus Patriarcha vel Epiſcopus. 749. 751. erraticum. 749. 750. nec pars, nec continuatio, nec complementum ſextæ Synodi fuit. 750. argumento nuperrimum. 752. non modo ſine Romani Pontificis, ſed & abſque aliorum Patriarcharum auctoritate celebratum. 754. 755. illegitimum. 755. iudicio ſuo ſanctum & vniuerſale. 755. 756. apertè ſe à Synodo ſexta diſtinguit. 756. Canonem Cypriani de baptiſmo hæreticorum approbauit & ab omnibus recipiendum ſanxit. ibid.
Tu regere imperio populos Romane memento. 1116
Tubingenſes diſputatores informes. 110
Turcæ ſolent fontes palo affigere vel infigere. 671
Turrecremata dicit Apoſtolos reliquos à Petro accepiſſe Epiſcopalem conſecrationem. 548. abſolutè ſentit, Pontificem Romanum quatenus eſt Pontifex Romanus, etiam vt ſic, Petro ſuccedere in vniuerſali totius Eccleſiæ Epiſcopatu. 715. opinatur Pontificem vt eſt priuata perſona, poſſe eſſe hæreticum. 1030
Turrianus. 722 729. 778. 1038. 1119
Tyconius Donatiſta ſcripſit homilias in Apocalypſin quæ falsò S. Auguſtino aſcribuntur. 483
Typus poteſt eſſe plurium rerum. 489
Tyrannis eſt Monarchia, ſicut acetum vinum: & ſicut homo mortuus homo. 409. 412. labes & corruptio Monarchiæ. ibid. inter politiarum parechaſes peſſima & deterrima. 418. ſæpe in bonam partem accipitur, maximè apud Iſocratem. 419

V.

Valentinianus Imp. ait Romanum Pontificem Sacerdotij principatum tenere. 815. 816
Valentinus Gentilis, vide V. Gentilis. obſcurus pædagogus Caluino. 630. omnes Eccleſiæ ſcriptores vno verbo reiicit. ibid.
Valerius Anſelmus hæreticus. 984
Valerius Epiſcopus Carthaginenſis S. Auguſtini Anteceſſor & ordinator. 980. natura Græcus, minus q; Latina lingua & literis inſtructus. ibid.
Valentinus Münzer. 985
Vaſenſe Concilium tempore Leonis Magni Pontificis celebratum. 730. citat epiſtolas Clementis. ibidem. in Occidente habitum, Orientalis etiam Imperatoris nomen adſcriptum habet. ibid.
Vbiq; eſſe, & implere omnia, eſt attributum Dei. 52. 180. 342
Vbiquiſtæ in aſſertionibus ſuis lubrici & flexuoſi. 151. 152. ſæpe ſibi contradicunt. 158. docent naturam humanam Chriſti eſſe vbique per ipſam vbiquitatem diuinam. ibid. Eutychianiſtarum & Neſtorianiſtarum contribules & fratres. 159. oppoſitas hæreſes in vnam Vbiquiſticam conflarunt. 159. 160. in pane & vino corpus Chriſti ſecundum ſuam ſubſtantiam verè & realiter præſens eſſe volunt ante omnem actionem Sacramentalem. 183. contra rationem negant, quod eſt vbique, non poſſe verè moueri localiter. 186. naturæ ordinem inuertunt. ibid. S. Vigilium diſertiſſimè Vbiquitatem repudiantem, pro ſe citant. 189. neſciunt quid ſit hypoſtaſis, nec quid hypoſtatica vnio. 196. ex nimio Vbiquitatis amore, ipſi ſibi ſomnia fingunt. ibid. Patrum teſtimonia ineptè pro ſe citant. 206. non agnoſcunt communicationem idiomatum mutuam. 208. inconſtantes & variabiles. ibid. humanæ naturæ proprietates tribuunt diuinæ. ibidem. effectum cum cauſa confundunt. 209. noui Neſtoriani. 221. vt apud imperitos Ieſuitis odium concilient, dicitant. Ieſuitas contra Vbiquitatem cum Caluiniſtis ſentire. 222. nouis & inuſitatis loquendi formulis vtuntur. 227. Vbiquitatem repudiantes accuſant Neſtorianiſmi. 233. inferos cum cœlo, & hoc cum inferis confundunt. 311
Vbiquiſtæ dicunt proprietates humanitatis in Chriſto communicatas eſſe diuinitati, immediatè, & vice verſa. 1146
Vbiquitas mōſtrum. 127. fœtus Eutychianus & Neſtorianus. ibidem. ante librum Concordiæ Lutheranæ rudibus pro verbo Dei venditata. 178. 179. repugnat Scripturis. 179. repugnat articulis Symboli. 181. repugnat veritati corporis Domini in Euchariſtia. 183. excogitata ad euertendam Zuinglij hæreſin. 185. Apoſtolis & antiquitati

ignotißima. ibid. repugnat Decreto Dresdenſi, & ipſi Melanchthoni. 188. à quibuſdam Lutheranis & Auguſtana Confeßionis ſectatoribus explosa. ibid. nulla eius mentio in Auguſtana Confeßione. ibid. repugnat ſanctis Patrib. 188. 189. ex Lutheri, Brentij & Smidelini ſomniis nata. 190. à Concordiſtis magnoperè laudata. 208. Dresdenſi decreto, perenni anathemate percellitur. ibid. in Saxonia vt immane monſtrum proſcripta, & poſt paucos annos, vt cælo lapſum munus recepta. 209. in cerebro Lutheri primitus cocta, & poſtea à Brentio & Smidelino recocta. 304

Velenus hæreticus. 598. Petrum omnibus Apoſtolis ſeniorem fuiſſe putabat. ibid. Vide etiam V. Vlricus Velenus. argumentatur ab auctoritate negatiuè. 697. 698. Petrum & Paulum putat non Romæ ſed Hieroſolymis occiſos eſſe. 702

Verbum Dei, filius Dei. 86. perſona, ibid. procedit immediatè ex intellectu. 92. 122. & ex cognitione omnium quæ Pater intelligit. 122. reſpectum rationis habet ad creaturas, vt eaſdem intelligibiliter repræſentat. 123
aſſumpſit naturam humanam, ſaluis & integris eius proprietatibus naturalibus. 230

Verbum Dei eſt quidem in ſe efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti, ſed hominum durities & corruptio obſtat, ne vim ſuam tam promptè & celeriter exerere poſſit. 896

Verba impij, non ſunt piæ interpretationis capacia. 159. ſola, non faciunt hæreticum. ibid. actionem denotantia, ſæpe accipiuntur in Scripturis pro permiſſione. 293. cum grano ſalis accipienda. 294. contra inſidiosè loquentes interpretanda. 362

Verecundia, vel etiam ipſa impudentia obmutescere poteſt, inſania non poteſt, inquit D. Auguſtinus. 169

Veritas non modo odium parit, ſed & ſtomachum mouet. 47
ſemper caput attollit, tametſi inſinitis ſycophantiarum ſpiculis appetita. 491

Veritas propoſitionis non eſt à dicente, ſed à re ſeu obiecto. 660
quo ſæpius ad examen vocatur, eò ordinariè dilucidior redditur. 789

Verum vero non aduerſatur, ſed cum vero ſemper & vbiq; amicè conſpirat. 182

Veſpaſianus & Titus debellarunt Iudæos, neque tamen ſe Reges aut Imperatores Iudæorum nominarunt. 860
oderant Iudæos tanquam gentem deteſtabilem. ibid.

Victor Papa excommunicationem in Aſiaticas Eccleſias tulit. 768. 769
Diabolum vicit. 768. ab hæreticis falsò accuſatus, quaſi Chriſtum purum hominem eſſe docuiſſet. 1040

S. Vigilius, dicens Trinitatem eſſe clauis confixam, piè interpretandus. 176. diſertiſſimè Vbiquitatem repudiat. 189

S. Vigilius Papa ſtatuit Epiſcopum primæ Iuſtinianæ locis quibuſdam præeſſe debere, tanquam Vicarium Romani Pontificis. 773. defenditur ab hæreticorum calumniis. 1056

Vinum peßimum vocare ſolemus, quod reuera vinum eſt ſecundum ſubſtantiam, comparatum tamen cum aliis, infimum locum tenet. 408

Virtus vitio anteponenda. 415

Vita anima duplex, vna eſſentialis & naturalis, altera ſpiritalis. 277. effectus animæ. 319. ſeparata à corpore anima, penitus deſinit. ibid.

Vlricus Velenus Minhonienſis ſtatim ſub exordia Lutheraniſmi edidit tractatum grauis & carcere ſe iudice dignum. 687. audet inficiari quod totus Chriſtianus orbis ſenſit & docuit, nimirum Petrum Romæ fuiſſe, ibidemq; martyrium ſubiiſſe. ibid. ſimul apparuit & diſparuit. ibid. ab Epiſcopo Roſſenſi ſtatim confectus. ibid. Vide V. Velenus.

Vnctio Chriſmatis in Baptiſmo & Confirmatione, item Sacerdotalis, Gregorio VII. longè vetuſtior. 909

Vnio hypoſtatica facta per communicationem propriæ hypoſtaſeos Filij, vt per eam natura humana ſubſiſteret. 216. 217. 218. nec eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis. 221. totali diſſoluta in morte Chriſti, manſerunt partiales, anima & corporis. 229. 230. ſatis eſt, vt natura humana Chriſti, atque adeò Chriſtus ipſe, qua homo, adoretur. 237

Vnitas ſeu identitas principij & capitis plurimum momenti confert ad mutuam charitatem. 420

Vnius vel alterius, vel paucorum à communi ſemita exerrantium non ſolet haberi ratio, nec faciunt exceptionem. 411. 874

Vniuerſales locutiones aliquando cum reſtrictione & exceptione accipiendæ ſunt. 698. 699. 709

Volaterranus. 985

Voluntas eſt principium productiuum charitatis. 92

Vſque, non ſignificat, quaſi cõtrarium euenturum ſit, poſtquam tempus quod denotat effluxerit. 920

VV.

VValdenſes credunt quoduis iuramentum eſſe illicitum. 881

VVernerus Rollevvinck. 985

VViclephiſtæ peccato mortifero ipſum officium ſeu miniſterium Eccleſiaſticum amitti cenſebant. 576. aſſeruerunt Deum debere obedire Diabolo. 880

VVigandus Lutheranus eſſentiam in diuinis generare ac generari docuit. 46
Mulier, inquit, id eſt, ratio in Eccleſia taceat. 47. refellitur à Danæo. 67

VVilhelmus Iacobus Monachus Ecmondenſis. 985

VVilhelmus Toocker Caluinianus Anglus, Reginæ Eliſabethæ Cappellanus. 965. mira narrat de charismate ſanandi ſtrumoſos quo Regina valuerit. ibid.

VVirtembergenſes Lutherani cum Græcis eorumq; Patriarcha Hieremia dextras iungere volebant. 110. ineptè probant proceſſionem Spiritus ſancti à Filio. ibid.

VVitakerus ementitam Episcoporum æqualitatem prædicat, quam nec à suis & inter suos obtinere potuit. 402. nouum suum partum Archiepiscopo Eboracensi, Angliæ Primati ac metropolitæ inscribit. ibid. sua & suorum vincta cadit, cum Episcopos ab omni primatu & externo dominio ac splendore abiunctos esse cupit. 462. sacrologiam suam facetiis condit. 466. non audet aperte Monarchiam Aristocratiæ posthabere. 474. solum Christum ait esse pastorem & Episcopum animarum nostrarum. ibid. regius Professor. ibid. mentitur. 475. 504. 525. 526. 546. 577. 664. 706. 713. 722. 1015. 1021. 1023. 1029. 1030. 1031. 1032. 1037. 1038. 1047. 1098. 1139

VVitakerus conuicia in sanctos Patres vibrat. 477. Bellarmino tribuit, quæ ipse ex Caluiniano suo cerebro extudit. ibid. pugnat contra Monarchiam tum Ecclesiasticam, tum politicam. 478. ridiculus. 486. ineptus. 493. putat fieri non posse vt quis sub capite humano feliciter contra Satanam dimicet. 499. inter angustias deprehensus æstuat. 504. Loxiam & Vertumnum agit. ibid. indicat omnes ministros Ecclesiasticos iure diuino esse pares. idq; omnes Caluinianos docere. ibid. sanctos Pontifices Leonem & Gregorium calumniatur. 505. garrit, non esse opus omnimoda fidei vnitate, sufficere, si Christiani de præcipuis fidei capitibus consentiant. 510. calumniatur 511. & seq. vbiq; Puritanum redolet. 512

VVitakerus cauillatur. 523. 524. 528. ineptit. 538. Criticum. 540. Caluinum & Lutherum concordat. 543. actum & obiectum non distinguit. ibid. Barrum. ibid. in S. Epiphanium conuicia iacit. 544. cogitur plura Ecclesiæ fundamenta ponere. 546. Christum cum Petro loquentem ridiculè fingit. 552. loquax. 558. 565. scurra. 557. argumenta Bellarmini pertertit. 577. in S. Leonem petulanter inuehitur. 595. S. Bernardum contemnit. 599. 600. Chrysostomum inquit pium Patrem toto cælo errare. 603. sanctum Leonem fatetur doctum, sed superbum. 606. 622. Hugonem & Bernardum ait vixisse Antichristo iam in solio constituto. 635. 636. auersus tela iacit. 648. S. Petro iniquus. 650. Patres parum moratur. 684. castigat Velenum. 695. argumentatur ab auctoritate negatiuè. 698. Veleno aduersatur. solito sapientius. 702. pro auctoritate ex cathedra regia pronunciat. 712. extra propositum garrit. 725. Nicolaum I. Pontificem appellat Antichristum. 723. antiquos sanctos Pontifices aut scripturas non intellexisse, aut absurdè interpretatos esse asserit. 732. Victorem Vticensem, Bernardum, Bedam, Anselmum, Hugonem reiicit. 734. Gregorium I. I. appellat proditurem, & Leonem Isaurum, bonum Imperatorem. 768. sanctum Leonem mordet. 771. Hormisdam & Gelasium Pontifices ne dignatur quidem responso. 773

VVitakerus Antichristianissimum putat esse regnum quoddam 823. sanctum Epiphanium docet Græcam linguam ipse Anglus. 836. fatetur Antichristum vnam personam esse, sed non vnum hominem. 837. multas Paparum legiones & myriades vnam tantum personam efficere affirmat. ibid. dissentit à Caluino, Beza, Oecolampadio. 839. sanctum Augustinum, appellat malum interpretem. 856. Romanos Pontifices perditissimos nebulones appellat. 1020. omnia miscet. 1024. 1025. non potest, interpretatur. non facile potest, vel debet. 1025. thrasonissimis puerilibus exultat. 1032. eadem vsque ad nauseam inculcat. 1035. concedit Christum solo ore à Petro negatum. 1036. de Petro, inquit, absit vt aliter sentiamus quàm deceat, imò vt non honorificentissimè semper de illo tanquam de Christi Apostolo & Martyre gloriosissimo tum sentiamus tum loquamur. 1037. de Lino, Anacleto & Telesphoro ne dignatur quidem verbum facere. 1038. Eusebij malus interpres. 1040. supercilliosus hæreticus. 1120. non dignatur respondere ad Patres & Synodos. ibidem. diuerticula quærit. 1108. miseros Caluinistas ad duplex peccatum damnat, vbi alij non nisi vnum agnoscunt. 1110. baptismi necessitatem tollit. 1112. putat Iudæos potuisse vesci carne suilla, seclusa contemptu & scandalo. 1113. concedit quod Sutlinius negat. 1114. reiicit Canonum Apostolicorũ auctoritatem. 1119. ait S. Augustinum errasse, non satis perpendisse, cum doctrina Apostoli pugnare. 1120. loquax. 1121. ægrè fatetur in Ecclesia seu ministris Ecclesiasticis esse potestatem. 1124. gryphos loquitur. 1125. eadem inculcat vsque ad nauseam. 1126. ait S. Augustinum Scripturas non intelligere. 1127
triuialia tantum adfert. 1132
leges Ecclesiasticas probat, & illis parendum esse docet. 1132
bellissimè describit spiritum Lutheri & Caluini. 1133
conqueritur de multitudine festorum & ieiuniorum apud Catholicos. 1134
falsò citat Caluinum. 1141. 1143. à Baccalaureo suo Allensonio corrigitur. ibidem.
solet sua non rarò ex Caluino probare. 1143
dicit Responsa prudentium virorum, in primis verò Pontificum Romanorum, pro legibus habenda esse. 1098
solus ex suis symmystis Vallam contra Bellarminum defendit. 1053
mentitur. 1100. 1102. 1140. 1110. 1112. 1120

VVitenberga, bestia ex abysso ascendens, infestissimo in omnes orthodoxos, & in priscam auitamq; doctrinam animo. 925

VVitebergensis Academia decretum Dresdense contra Vbiquetarios recipit, & paulo pòst reiicit. 188. 209

VVitgiftus Cantuariensis Pseudoarchiepiscopus, & totius Ecclesiæ Anglicanæ Primas. 402. 679

VVolffgangus Musculus dicit Antichristum venisse post tempora D. Bernardi. 817
Vide etiam V. Musculum Zuinglianum. 847

VVolfius Lutheranus Isocratis Editor. 148
Vide etiam V. Ioannes VVolfius. ambiguè loquitur, vt lectorem fallat. 988
sua cum verbis auctorum quos citat ita copulat, vt lectori videantur eadem. 988. 989

Z.

Zacharias Pontifex Childericum Francorum regem iustè depositit. Pipino in eius locum substituto. 741. 1160. ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum vt Pipinum pro rege agnoscerent. 1161

Zanchius de Trinitate scribere aggressus. 80. Caluino additissimus. 834. probabile esse ait, ante finem seculi futurum esse quendam egregium impostorem & tyrannum, qui alios omnes malitia & potentia superabit, quique miracula editurus sit: Propter hanc opinionem fuit à quibusdam vellicatus. ibid.

Zepherinus Papa à calumnia Tertulliani & haresi Montani vindicatur. 1041. 1042

Zosimus Papa ab Africanis per legatos postulat, vt illis Canones Concilij Nicæni executioni mandarent. 783. 796. 797. Canones Nicænos non corrupit. 1062

Zvvingliani docent, ex vi Sacramenti Cœnæ nihil nos habere nisi signum. 183. 184

Zvvinglius hæresiarcha. 241

nullum Iudæorum conuertit. 870

Leonem Iudam Iudæum, factum Christianum Catholicum, peruertit. ibid.

somniator. 893

illustratus per somnium operâ phasmatis seu spectri, quod atrum an album esset, ignorare se palam fatebatur. ibid.

FINIS INDICIS.

APOLOGIA PRO GREGORIO VII. PONTIFICE MAXIMO, IN QVA INSVNT HACTENVS INEDITA QVÆDAM PRO EODEM PONTIFICE OPVSCVLA BERNALDI CONSTANTIENSIS PRESBYTERI.

Auctore & Editore

IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

Accesſit

DE VITA ET REBVS GESTIS EIVSDEM GREGORII VII. narratio & relatio hiſtorica ex libro quarto Onuphrij Panuini de varia Romani Pontificis creatione.

Nunc primùm

Ex Bibliothecæ Bauaricæ locuplete penu in lucem prolata.

Digitized

Digitized by Google

APOLOGIA PRO GREGORIO VII. PONTIF. MAXIMO CONTRA SECTARIOS.

INCREDIBILE PRORSVS & inexplicabile eſt, quanto odio hodierni Nouatores in Pōtifices Romanos, priſcos iuxta ac recentiores ardeant; Et quot modis hoc ſuum non humanum, ſed planè tartareum odium teſtentur, palamq; faciant; in quibus primum locum obtinent, mendacia, maledicta, conuicia, figmenta, commenta innumerabilia, quibus omnes propemodum libros ſuos complent ac inferciunt; tam immodicè & impotenter, vt multi ex horum officina profecti libri nil videantur aliud eſſe, quàm vnum quoddā perenni & nuſquam interrupto filo contextum mendacium & conuicium. Nec vllius ſuperi vel inferi reuerentia moueri ſe ſinunt, vt moderatius agant, & ſobrij hominis cogitationem vel ad punctum temporis ſuſcipiant? Et quamuis apertiſsimæ falſitatis conuincantur, & in manifeſtariis pſeudologiis, & lœdoriis deprehendantur, nullum tamen ruboris ſignum edunt; ſed calumnias, etſi ab omni vero alieniſsimas, ingerunt, oggerunt, occinunt, recinunt, priuatimque & publicè ingeminant, vt Pōtifices Romanos omnibus exoſos inuiſoſque efficiant, memores illius; *Dolus an virtus, falſitas an veritas, quis in hoſte requirat?*

Quanquam autem vix inueniatur Hæreticus, præſertim verbi præco, & ſectæ ſuæ per ſcriptorum monumenta propugnator, qui in hac arte non excellat; omnibus tamen, vt omnium primus, palmam præripuit Lutherus, cuius chartæ vſq; adeo maledicentia in ſummos Pontifices refertæ ſunt; vt vix me capiam præ admiratione; quomodo fiat, vt vllus mortalium maledicentiſsimo & furioſiſsimo huic conuiciatori fidem habeat? Quid fidem habeat? imò & locum inter *Prophetas* & propemodum inter ipſos *Euangeliſtas* & *Apoſtolos* con- A cedendū ſuffragio ſuo decernat. Nō longè abierim. Vel vltimum Lutheri librum de *Papatu per Diabolum fundato & erecto* inſpice; quem vicinus iam & maturus Stygi compoſuit & in publicum dedit; qui nihil aliud eſt, niſi continuus quidam in Papam furor, iſque nec humanus, nec belluinus; ſed planè Diabolicus, ita vt nulla dubitatio me teneat, ipſum ſalutis noſtræ capitalem hoſtem, & omnium calumniatorum Archiſtrategum & progeneratorem, libri huius parentem eſſe: & quæcunque in eo continentur, Lutherum, dictante diabolo, in chartam retuliſſe.

B Verum enim vero fremant iſti, frendeant, inſaniant, manus, pedes, calces & capita demum ſua in Petram, ſuper quam ſedes Apoſtolica fundata eſt, illidant; *qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos* Pſal. 2. Conuiciis tonent, fulminent, fulgurent, millenis maledictis, & mendaciſsimis figmentis Apoſtolicæ Sedis Antiſtites lacerent ac lancinent; nos cum D. Auguſtino lib. 2. cōtra Petilianū cap. 51. palam & intrepidè illis reciuimus. *Cathedra, quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius* (Paulus V.) *ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet: quibus nos in Catholica vnitate con-*
C *nectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ, cathedram Apoſtolicam? ſi propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus* IESVS *Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait; dicunt enim, & non faciunt; cathedra, in qua ſedebant, vllam fecit iniuriam? Nonne illam cathedram Moyſi commendauit, & illos ſeruato honore cathedræ, redarguit? Ait enim; ſuper cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt, facite: quæ autē faciunt, facere nolite: dicunt enim, & nō faciunt. Hæc ſi cogitaretis, nō propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis cathedrā Apoſtolicā, cui nō cōmunicatis; ſed quid eſt aliud, q̄ neſcire dicere, & tamen nō poſſe, niſi maledicere?*

Digitized by Google

Porrò vt aliqui vita & moribus minus laudabiles & commendabiles cathedram Petri obtinuiſſent, vel tenuiſſent; quid inde? Quandoquidem *de præpoſitis malis*, vt ait S. Auguſtinus Epiſt. 166. *ſecuram fecit plebem ſuam, ne propter illos doctrinæ ſalutaris cathedra deſeratur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neq; enim ſua ſunt, quæ dicunt; ſed* DEI; *qui in cathedra veritatis, doctrinam poſuit veritatis. Etiamſi in illum ordinem Epiſcoporum.* inquit idem S. Auguſtinus Epiſt. 165. *qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium* (Paulum V.) *qui nunc eandem cathedram ſedet, quiſpiam traditor* (improbus) *per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait, de præpoſitis malis: quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere.*

Memento, inquit S. Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum cap. 47. & 61. *Sacramentis nil obeſſe mores malorum hominum, quò illa vel omninò non ſint, vel minus ſancta ſint, ſed ipſis malis hominibus, vt hæc habeant ad teſtimonium damnationis, non ad adiutorium ſanitatis. Hinc propter Phariſæos* facinoroſos, & improbos, *non præcepit Dominus deſeri cathedram Moyſi, in qua vtiq; figurabat ſuam; dicens quippe illos ſuper cathedrã Moyſi ſedentes, dicere & non facere; monet tamen populos, facere, quæ dicunt; & non facere, quæ faciunt, ne cathedræ ſanctitas deſeratur, & propter paſtores malos, gregis vnitas diuidatur.* Præſertim cum ex tot Pontificibus pauciſsimos ſectarij deſignent, quibus nominatim ſcelera & flagitia obiecerent, idque non ex certis probatiſque teſtibus & auctoribus, ſed ex illis, quibus veritas in poſtremis erat; qualis noſtra ætate ſectarij illi potiſsimùm qui res geſtas Pontificum ſele litteris commendare profeſsi ſunt, inter quos Balæus Latinè, & Nigrinus Germanicè ſuis in operibus plures mendaciſsimas fabulas de Pontificibus confinxerunt, vel à ſui ſimilibus ardelionibus cõfictas chartis intexuerunt, & ad poſteros ſuos tranſmiſerunt, quàm noctu, cum ſudum eſt, ſtellæ in cœlo luceant; quibus contumeliis & criminationibus impulſæ & ventilatæ leues paleæ extra aream Dominicam euolant & auolant; nõ item ij, quorum pedes *ſupra petram* ſtatuti & firmati ſunt, quæ crimina & ſcelera, ſi etiam *vera & præſentia videremus*, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 162. ad Epiſcopos Donatiſtarum, *& zizaniũ propter frumenta parcentes, pro vnitate toleraremus, non ſolùm nulla reprehenſione, ſed etiam non parua laude nos dignos diceret, quicunque ſcripturas ſanctas non corde ſurdus audiret. Tolerat Aaron multitudinem idolum exigentem, & fabricantem, & adorantem. Tolerat Moyſes aduerſus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia ſanctum nomen eius. Tolerat Dauid Saulem perſecutorem ſuum, ſceleratis moribus cæleſtia deſerentem, magicis artibus inferna quærentem, occiſum vindicat. Chriſtum etiam Domini propter Sacramentum venerande vnctionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, peruerſoſq; filios ſuos, quos populus, quia tolerare noluit, diuina auctoritate accuſatus, diuina ſeueritate correptus eſt. Tolerat denique ipſum populum ſuperbum, contemptorem Dei. Tolerat Eſaias, in quos tam multa vera crimina iaculatur. Tolerat Hieremias, à quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Phariſæos, & ſcribas, quales illo tempore fuiſſe ſcriptura teſtatur. Scio, me multos prætermiſiſſe: legant, qui volunt: legant, qui poſſunt eloquia cæleſtia: inuenient omnes ſanctos Dei ſeruos, & amicos ſemper habuiſſe, quos in ſuo populo tolerarent, cum quibus tamen, illius temporis Sacramenta communicantes, non ſolùm non inquinabantur, ſed etiam laudabiliter ſuſtinebant, ſtudentes, ſicut ait Apoſtolus* (Epheſ. 4.) *ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Attendant etiam poſt Domini aduentum, vbi multò plura huius tolerantiæ per totum orbem inueniremus exempla, ſi omnia ſcribi, & in auctoritatem redigi potuiſſent: tamen hæc ipſa, quæ habemus, aduertite. Tolerat ipſe Dominus Iudam diabolum, furem, & venditorem ſuum: ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles nouerunt, precium noſtrum. Tolerant Apoſtoli pſeudoapoſtolos, & inter ſua quærentes non quæ* IESV *Chriſti. Paulus, non ſua quærens, ſed quæ* IESV *Chriſti, cum glorioſiſſima tolerantia conuerſatur.* Hæc pulcherrimè S. Auguſtinus.

Si ergo vnitatis & concordiæ gratia, vt ſchiſma vitetur, malæ oues tolerari debent; quantò magis eum ob finem, ferre oportebit malum paſtorem, ſi quando obtingat?

Nec verbis & libris ſolum iniurioſiſsimis & cõtumelioſiſsimis in Pontifices Romanos Hæretici deſæuiunt, ſed & ſculpturis, cælaturis, ſtatuis, imaginibus, picturis turpiſsimis, & quarum aliquas nullus honeſtus oculus abſque rubore vultus intueri queat. Nimirum ſectarij mutuantur ab Ethnicis, hæreticis, & ſchiſmaticis non tantum peruerſas opiniones, & pernicioſa dogmata; ſed etiam criminandi, & tam profana, quàm ſacra ſubſannandi libidinem, præſertim illam, quæ Eccleſiæ præſules, & ordines picturis, & imaginibus inceſsit; idque, vt demonſtrem, non repetam veterem illum in fruſtrandis beſtiis mercenarium noxium, qui, vt eſt apud Tertullianum in Apologetico; *picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione; Deus Chriſtianorum Ononychites. Is erat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus*: dicere enim poſſent Nouatores, factum hoc ceſsiſſe in ignominiã ipſius Chriſti; quaſi, quæ ipſi, pari propemodum ludificatione commiſerunt in Vicarium, & ſeruos Chriſti, non redundent in contemptum Chriſti. Sed, præteribo vt dicebam,

Digitized by Google

cebam, mercenarij huius nequitiam, vt ex Niceta vitam Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani conscribente planum faciam, istos verissimos, & planè germanos imitatores esse Photij & Photianorum schismaticorum, in primis Gregorij Syracusani, qui, vt sanctum Ignatium, verum & legitimum Patriarcham, omnibus exosum inuisumque redderent, & de sede deturbarent; infinitas aduersus illum criminationes cõmenti sunt; composito etiam libro, non sine contumeliosis imaginibus, operâ Gregorij Syracusani pictoris & fictoris egregij concinnatis, de quibus hæc, quæ sequuntur, iam iam nominatus Nicetas.

Vt verò omnis iniquitas, quæ contra sanctum illum Ignatium fuerat perpetrata, manifestior fieret, Deus, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia prauorum dissipat, in Basilij Imperatoris animum consilium ingerit, vt mittat ad Photium, & omnia scripta, quæ à Patriarchio discedens acceperat, absque vlla temporis mora, vt mitteret, ei præciperet. Ille verò iureiurando affirmabat, licet falsò, nihil tale se inde accepisse propter festinationem recedendi. Dum verò hæc à Photio præposito Babanæ dicerentur, ipsius Photij famuli magna cum festinatione septem saccos scripturarum plenos, plumbeo sigillo signatos ad Calamonem illi propinquum locum transtulerunt, occultandi causa. Quod cùm famuli præpositi vidissent, & ab eorum manibus illos abstulissent, ad Imperatorem attulerunt. Quibus apertis, inueniunt duos libros auro, & argento de foris bracteatos, & serico tectos, intus verò literis valdè pulchris, & ornatis descriptos; quorum alter continebat septem actiones Synodicas, quæ vnquam exstiterunt, nec acta sunt, aduersus Ignatium; sed tantùm diabolico consilio frustra sunt excogitatæ, & singularum actionum hæc, quæ sequuntur, initio depicta habebantur, opera videlicet, Syracusani illius Gregorij cognomento Atheistæ. Erat enim bonus ille vir pingendi peritus, puto pro additamento suorum malorum. Et depictus ibi erat Ignatius.

In prima quidem Actione Ignatium depinxit, qui trahebatur, & vapulabat. Supra verò illius caput ita scripsit: DIABOLVS. *Non horruisti blasphemiæ excessum? Si enim patremfamilias Beelzebub vocauit, quid facere debebat familiaribus eius?*

In secunda iterum Actione Ignatium depinxerat sputis conspurcatum, magna vi tractum, cuius inscriptio talis erat; PRINCEPS PECCATI.

In tertia verò Actione Ignatium exauctoratum pinxerat, & eius inscriptio hæc erat; FILIVS INIQVITATIS.

In quarta itidem Actione, eundem Ignatium anathemate, atq; exilio damnatum posuit, & inscriptio erat: SIMON MAGVS.

In principio deinde quintæ Actionis vinculis Ignatium circundatum pinxerat, & vinctum; cuius erat inscriptio: EXTOLLENS SE SVPER OMNE QVOD DICITVR DEVS.

In sexta verò Actione depinxit Ignatium damnationi traditum; eius est inscriptio: ABOMINATIO DESOLATIONIS.

In septima tandem, & extrema Actione depinxit Ignatium protractum, vt illi caput amputaretur; & eius inscriptio talis erat; ANTICHRISTVS.

An non vides, amice Lector, prodromos sectariorum nostrorum, imò Doctores, & Magistros? An non sicut illi olim Ignatium, ita hodierni Nouatores; Ecclesiæ Catholicæ præsules, præsertim summum Pontificem, ignominiosè, & probrosè depingunt? Picturisque probrosissima quæque scommata adiungunt. Vide sis, oro, imaginem illam Papæ, quæ Frontispicio eius libri, qui *Apiarium* inscribitur, præfixa est. Vide illam, quam præposuit Spannenbergerus, Prædicans Lutheranus, famoso libello, cui titulum fecit: Wider die böſen Sitten ins Teuffels Rahrnöſſelſpil. Item illam, quæ apparet in vestibulo libri, cui nomen; daß Wolffgeſang. In Tomis Latinis & Germanicis Lutheri inuenies *Papasellum*, commentariis Philippi illustratum, quem Illyricus pro cognatione & affinitate sua cum illo, denuo seperatim euulgandum, & nouis glosis, vel potius calumniis & mendaciis illustrandum censuit.

Quid dicam de *Passionali* Lutheri, quod exstat, Tom. 1. nouorum operum German. Lutheri, quæ Aurifaber collegit? Eiusdem farinæ est *Passio illa Christi*; vbi Pontifex, Cardinales, Episcopi, Monachi; Caiphæ, Annę, Pilati, Herodis, lictorũ & carnificum Christi, personas gerunt.

Anno M. D. XXVII. euulgauit impius Paracelsus triginta imagines dedecoris & probri in Pontificem Romanum plenissimas. Exstant in Appendice ad Tomum X. Operum Paracelsi. Quarum ne ipse Auctor videretur, commentus est, se eas nescio quibus in antiquis monumentis vel parietibus inuenisse, quas hoc ipso Anno M. DC VIII. fanaticus quidam sectarius Ioannes Rudrauff in commentitio illo suo de cometa Anni superioris cõmentario, (quem iure omnis stultitiæ & vesaniæ promptuarium appellaueris) rursus in lucem protulit, & vanissimis exegesibus illustratum scilicet iuit.

Retulit eadem cum Paracelsi Annotationibus, notisq; marginalibus Adami Durischij, & exegesibus Ioannis Adrasderi; terræ filij, ignobilis sectarij; in suum duodecimum Centenarium Ioannes VVolfius; qui id vnicum curæ studioque habuit, vt quidquid vsquam in Pontifices, Episcopos, Monachos, Moniales, totumque Ecclesia-

cleſiaſticorum & Religioſorum ſtatũ & ordinem, probroſum ac contumelioſum legerat, audierat, vel ab aliis acceperat; id in vnum faſcem comportaret ac colligaret; vt ſcurris & ſannionibus ſemper eſſet in prõptu copioſa materia, quotieſcunque linguam vel ſtylum in Pontificẽ & alios ſtringere lubet; quando autem non lubet? Nec refert, quòd Paracelſus, VVolfius & huius tribus alij, nomen Ioachimi Abbatis prætexunt; quia nemo ignorat, iſtos ſic eſſe fictos & factos, vt ſub aliorum nominibus, quaſi velamentis; ſuam nequitiam & improbitatẽ, quantum fieri poteſt, operiant. Nec diſſident ab his vaticinia triginta Ioachimi Abbatis, vt vocat VVolfius, centenario mendaciorum duodecimo, contumelioſis imaginibus, Hæreticorum ſtudio, expreſſa.

Eiuſdem generis eſt eiuſdem Paracelſi *Prognoſticatio* triginta duabus figuris ſeu imaginibus conſtans, quam à Schramo, Prędicante Neoburgico, ex Germanico in Latinum ſermonem tranſlatam idem VVolfius decimo ſexto mendaciorum & calumniarum ſuarum centenario intexuit; vt & *Antithefes Chriſti & Antichriſti*, à neſcio quo Sectario, Simone Roſario maledicentiſſimis verſibus compoſitas; additis nefariis & flagitioſis Iconiſmis, vt odium Papæ, quem fanaticus Poëtaſter, ſemper *Antichriſtum* & *Plutonem* appellitat, per ipſos oculos profundius in lectorum & ſpectatorũ mentes delabatur. Quo etiam pertinet gemina effigies Iulij II. Pontificis, Anno M.D.XII. & M. D. XIII. & duplex illa, quam VVolfius exhibet Anno Chriſti M. D. LXXX. uimirum in decimo ſexto impudentiæ Hęreticæ centenario, vtramque efinxit VVolfius, ex Epiſtolis Bezæ, teſtis fide digniſſimi, ſcilicet; qui vt omnem ſuſpicionem noui plaſmatis deuitet; antiquitatem comminiſcitur; quæ forſan ætatem noſtram nõ tranſcendit; aut ſi tranſcendit, ab aliquo VVicleuiſta, vel Huſsita deſcendit.

Mirum dictu, Nouatores noſtros, quando ſculpturam, picturam, vel cælaturam quampiam inueniunt; oculos nunquam ad ſe & ſuos reflectere, ſed è veſtigio ad Põtificem & Pontifici addictos, præſertim Sacerdotes & Monachos recurrere; totumque illud ſymbolum de his, nõ de ſe & ſuis interpretari. Tales ſunt illæ imagines, quas in decimo ſexto mendaciorum ſuorũ centenario, ex Lutherano Herbrando refert & explicat VVolfius: inuentas, ſi non mentiuntur Nouatores, Argentorati in primario Templo. Cur enim Aſinus *ſtans ad aram* Catholicum Sacerdotem, diuini ſacrificij myſteria peragentem, ſignificet, & non potius Prædicantem Menſæ ſuæ adſtantem, & Lutheranæ vel Caluinianæ cœnæ fercula coquentẽ, maximè talem, qui, vt orthodoxorum Sacerdotum ſimius, veſtibus certis indutus, Miſſam Germanicam celebrat; vt in nonnullis, vbi Lutheraniſmus regnat, vrbibus, fieri ſolet. Tu dicis eſſe *ſacrificum*. Ego Prædicantem eſſe contendo: & euincam, cum euictionis tempus venerit.

Pari modo aſinum ex libro, quem catus tenet, myſteria, quæ non ego, ſed Prædicantes norunt, lectitãtem, aio eſſe Prędicantem ſeu Lutheranum ſeu Caluinianum. Nec alios, quam iſtos repræſentat illa imago, in qua porcus & hircus geſtant funus, vulpẽ ſcilicet dormientem. Eodem ſpectat illa, quæ vrſum aquæ conſecratæ vrceum geſtantem; & lupum crucis baiulum, ac leporem daduchum, & vt voce Eccleſiaſtica vtar, *Ceroferarium* nobis exhibet. Omnia hæc aptiſsimè in Prædicantes quadrant; vt facili labore oſtendi poſſet, ſi res & occaſio ferret.

Eoſdem ad viuum repræſentat effigies, quam ibidem VVolfius ſeu *Lupus*, nomini ſuo conſentaneis moribus præditus fabulator, ex Herbrando lectorum oculis contemplandam propoſuit. *Lupus indutus cucullâ monaſticâ (in cuius capputio ab humeris dependente anſer prominet) in ſuggeſtu ſtat, prioribus pedibus, quaſi manibus librum tenens, ex quo nonnulla recitare videtur*, mihi equidem ignota, ſed VVolfio & Herbrando, aliiſque lupinæ linguæ gnaris notiſsima. *Infra cathedram vulpecula adeſt, quaſi in inſidiis; E regione anſeres complures, ſinguli roſtris ſuis Roſaria tenentes, & lupo concionanti auſcultantes. Adſtat & iuxta anſeres quaſi cuſtos, fatuus in ſuo habitu.* Elegans profectò Lutheranorum & Caluinianorum Prædicantium iconiſmus & delineatio. Qui volet; commentarium adiungat. Reperiet vberem commentandi materiem.

Quàm bene VVolfius ſuam operam locaſſet, ſi hæc talia τυπώματα & ἐκτυπα, eò, quò ſpectant, hoc eſt, ad ſuos Prædicantes retuliſſet. Nunc quid aliud egit, quàm quod ſe incredibili calumniandi pruritu arſiſſe, palam oſtendit? Et tamen Tomos ſuos *Lectionum memorabilium & reconditarum* titulo venditat? Anne lectio *memorabilis*, legere & coaceruare ea, quæ quiuis ex infimæ plebis cæmento in Papas, Sacerdotes, Monachos & Moniales exſpuit? An lectio *recondita*, colligere, & in vnum cumulum conglobare; quidquid infamium chartarum ab vllo vnquam propemodum ſcurra foras protruſum, & in vulgus datum fuit? Recondita ſanè lectio euoluere talium tenebrionum ſimeta, oleta, cloacas, & quidquid ſordium continent; id ſtudioſè egerere; inq; faciem & os lectorum & ſpectatorum ingerere.

At miſſo nunc aliquandiu immani iſto Lupo,

Lupo, seu VVolfio, de imagine Babylonicæ meretricis bestiæ septẽ capitibus, & decem cornibus prædituæ insidentis, & poculũ aureũ manu tenentis, mora mera fuerit dicere. Nil certius est apud Sectarios, q̃ hac effigie Papã Romanũ ad viuum repræsentari. Quapropter nusquam non est obuia, procumbentibus ante eam, venerationis & adorationis gratia, ipsis terrarum Regibus & Imperatoribus: nec absterret eos, quamuis in Imperio degentes; ab hac sacrilega temeritate, Catholici Imperatoris metus & reuerẽtia; quia iam pridem omnem metum ex pectore, omnemque reuerentiam ex vultu absterserunt.

Quo animo Lutherus in Papam, Cardinales, Episcopos, totumque Ecclesiasticum ordinem fuerit, planum testatumque facit cum aliàs sæpissimè, tum in libro illo Diabolico *contra Papatum* de quo suprà: vbi ita furit Isslebius Furippus, Interprete ex Germanico Matthæo Iudice, clamosissimo & seditiosissimo Prædicante. *Nunc agite, ô Cæsar, Reges, Principes, & Magnates, & quicunq; prehendere potestis, apprehendite. Maledicta sit manus otiosa & ignaua. Et primum eripite Pontifici Romam, Romandiolam, Vrbinum, Bononiam, & omnia, quæ tenet, & possidet eo nomine, quod Pontifex sit: nam ille est possessor pessimæ fidei, mendacii, ac fraudibus acquisiuit omnia. At, quid dico mendacii & cædibus? Imò blasphemiis suis: & idololatriis Imperio Romano subtraxit, & eripuit, & sibi subiecit, & mercedis loco sua superstitione innumeras animas ad inferos deduxit, sicut ipse iactitat, d. 40. cap. si Papa, &c. Deinde, magistratus debebat Pontificem, & Cardinales, & reliquos eius ordinis, & superstitionis, & impuræ sanctitatis consortes capere, eúq;, vt blasphemi solent puniri, linguas per cernicem extrahere & præcidere, ac patibulo eas ex ordine redigere, ad eum planè modum, quo ipsi bullis suis signa appendere solent: licet hæc pœna longè inferior & mitior esset, ipsorum blasphemiis, & idololatriis. Hìs ritè peractis, posset eis sanè concedi, vt in patibulo inter coruos, aut in inferno inter Diabolos, vnum aut quot, pro arbitratu suo, vellent, celebrarent Concilia.*

In eodem libro sic insanit vesanus Apostata: *Ego verò, si Cæsaris essem loco, hoc actutum agerem: cunctos nebulones illos nefarios, Pontificem, Cardinales, & reliquos eius farinæ homines, vna quasi catena connexos, & succinctos, haud longius, quàm ad tria milliaria, Ostiam nimirũ, abigerem, soluti enim & discincti, vix tam procul abirent eò, quò nollent. Est autem in eo loco piscina quædam, quam Latini mare Tyrrhenum vocant, salubre balneum contra omnes lues, languores, & morbos immundæ sanctitatis Pontificiæ, & omnium Cardinalium, & totius cathedræ pestilentiæ. In id verò istos mollissimè collocatos, lauarem strenuè. Quod si contingeret, vt aquam ferre abhorrerent, quemadmodum malè feriati & obsessi solent ad aquam trepidare, aliquid illis adiicerem de petra, supra quam ipsi, & Ecclesia eorum fundata est: imò de clauibus illis aliquid annecterem, quibus omnia possunt soluere, quæ in cælo, & in terra sunt, vt aquæ imperarent, quæ vellent. Pastorale etiam pedum, ac clauum illis oporteret in procinctu esse, quibus aquæ impingerent alapas, adeò graues, vt sibi ex ore, & naribus sanguis exundaret. Postremò etiam cum illis vaderent pascua sua, quibus in balneo se recrearent, ac reficerent, nimirum vniuersa Decreta, Decretalia, sexti, Clementina, extrauagantes, Bullæ, Indulgentiæ, litera Butyrales, Caseales, Lacteales, de collis ipsorum suspensæ, propter omnimodam securitatem. Ausim quidvis deponere, si non ad dimidiam horam in eo balneo in fundum submersi, ab omni sua ægritudine, languore, & lue liberentur.* Hæc Lutherus.

Qui, vt inquit Matthæus Iudex Prædicans, *eandem sententiam paucis annis ante obitum suum pinxit imaginibus illis, quæ VVitebergæ impressa sunt, & postea lena recusa: in quibus Pontifex, & Cardinales patibulo, seu cruce suspenduntur, circumuolitantibus Cacodæmonibus, qui animas eorum excipiunt, & in infernum deferunt, hoc inscripto titulo: Digna merces Papæ sathanissimi, & Cardinalium suorum, his subiectis rhythmis Germanicis:*

Wie zeitlich gestrafft solt werden
Bapst vnd Cardinál auff Erden/
Jhr Lästerung verdienet het/
Wie jhr Recht hie gemalet steht.
Quod si pœna corporali
Nunc essent afficiendi
Et Cardinales & Papa,
Verè eorum blasphemia
Istam merita mercedem
Quàm sic cernis hìc depictam.

Hæc nefarius Iudex de sacrilego Lutheро. Quæ & Schlusselburgius libro de Adiaphoristis repetit: ne seditionum scintillæ olim accensæ exstinguantur.

Neque solùm Lutherus coloribus supplicium, quod Papæ, Cardinalibus, Episcopis & omnibus Ecclesiasticis infligendum censebat, efformandum curauit, sed alia non pauca, quæ spurcissimè & fœdissimè contra Papam eo in libro eructauerat; depingi voluit; quæ picturæ adeo sunt fœdæ, spurcæ, & abominandæ, vt, teste ipso Illyrico, in libello contra *Interimistas* & *Adiaphoristas*, multi ex Lutheranis earum conspectu grauissimè offensi fuerint, totumque hoc contumeliarum infandum genus ex potu vel senio deliranti iam Luthero assignandum existimauerint: quamuis Illyricus, vt erat crassæ Mineruæ filius, longè aliter statuat, & istas Lutheri imagines in hara & cloaca pictas, tantum non adoret, contra proprium suum de imaginibus non adorandis decretum.

In colloquiis symposiacis Lutheri, titulo de Antichristo, mentio fit imaginis Lu-

thero oblatæ; in qua Papa Romanus cum Iuda ex *loculis & clauibus suis* suspensus visebatur. Mirificè placuit Luthero hæc effigies; inque eum sensum accepit; quasi diuini numinis iusta vindicta aduersus Papam fuerit; vt qui Lutherum cum suo Euangelio damnare non formidasset; laqueo dignus per hanc picturam declararetur.

At de conuiciis & contumeliis verborum, & picturarum, quibus aduersarij Romanos Pontifices petulantissimè & flagitiosissimè traducunt, & ludibrio exponere studeant, copiosissimè à nobis dictum est, in quatuor Apologiis contra Misenum, & in Responso ad Theses Hunnianas; Non pauca itidem attigimus lib. 3. de Pontifice, vbi de Antichristo actum, cuius occasione istiusmodi maledicta & mendacia, quæ Sectarij inflatis faucibus crepant; quantum satis erat, castigauimus & profligauimus.

Tametsi autem Hæretici, hac tempestate, in Romanos præsules summo furore incurrunt & debacchãtur, nihilominus quosdam ex eorum censu & ordine delegerunt, quos impodentius & impuentius insectarentur, & conuiciis dilacerarent. Ex horum numero præcipuus esse videtur GREGORIVS VII. prius *Hildebrandus* dictus, qui Pontificatum iniit anno Redemptoris M. LXXIII. Mortuus anno M. XXCV. vt quidem Cardinalis Baronius Tomo 11. tempora putat. Hunc Pontificem ita passim venenato suo ore, stylo, calamo flagellant Sectarij, vt eum vix sinant esse hominem; sed procul infra naturam & societatem humanam ablegent; Ducem & auspicem secuti partim insitam sibi mentiendi, & omnes Pontifices Romanos criminandi prurigínem: partim Bennonem Pseudocardinalem, qui de Gregorio VII. commentarium mendaciis & inscitia refertissimum posteritati reliquit, quem, vt gemmam pretiosissimam, Catalogo Testium Lutheranæ veritatis Illyricus intexuit; ex quo Centuriatores quoque vndecimam suam Centuriam multarum Pseudologiarum & criminationum accessione locupletiorem reddiderunt; quo insuper VVolfius mendaciorum suorum Centenarium vndecimum insigniter exornauit: quem item Reinerus Reineccius Lutheranus vel Caluinianus Hæreticus, anno salutis M. D. XXCI. Francofurti cum Helmoldo & Arnoldo Lubecensi iterum typis excudendum curauit; *quòd pauca*, vt ait, *Bennonis supersent exemplaria*; grandi scilicet Reipublicæ Christianæ iactura; cuius multum interest, vt huiusmodi calumniarum centones durent ac perennent, vt qui calumniandi & mentiendi artem discere, & facitare cogitant, exemplar, & quidem perfectissimum, in quod intueantur, & cum quo se conforment, habeant.

Ante hos omnes anno Domini M. D. XXXV. publicauit Bennonem Orthuinus Gratius cum aliis quibusdam malè sanis chartis, quas se, nescio, in quo manuscripto codice reperisse dicit. Bellarminus probabile arbitratur, hunc librum, titulo Bennonis ab aliquo Hæretico Lutherano fuisse confictum & publicatum. Vociferatur Sutliuius: *Mendacium & impudentiam Bellarmini redarguit Orthuinus Gratius in Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum, qui librum hunc, licet alioqui Pontifici amicissimus, edidit.* Quàm Gratius Romano Pontifici amicus fuerit, satis superque indicat *Fasciculus*, vel potius *fascis* ille calumniarum & criminationum, quem exiguo sanè bono Ecclesiæ, & nullo cum honore suo in lucem dedit. Quàm bonum factum fecisset, si codicem illum tineis & blattis depascendum reliquisset.

Nec bona est hæc consecutio; nec Bellarmini suspicionem eneruat: *Orthuinus edidit Bennonem: ergo non est ab aliquo Lutherano confictus*; nam ab anno Domini M. D. XVII. vsque ad annum M. D. XXXV. varia à Lutheranis confingi potuerunt, & reipsa itidem conficta sunt. Nec ea solùm, quæ Lutherum antecesserunt, coniecit Gratius in suum Fasciculum; sed & alia Luthero synchrona; vt testantur *Grauamina Germaniæ* in comitiis Norimbergensibus oblata; epistola Adriani VI. ad Principes Germanos, Declamatio Hutteni contra donationem Constantini. *Constitutio ad remouendos abusus, & ordinatio ad vitam cleri reformandam*, Laurentij Cardinalis; & alia huius generis. Nam quod Sutliuius dicit, similia Bennonianis de Gregorio scribi *ab Vrspergensi, & Sigeberto, & Auctore vitæ Henricianæ*; impudens commentum est. Licet enim Vrspergensis Gregorio parum beneuolus fuerit; multoque minus Sigebertus, neuter tamen illorum horribilium criminum, de quibus à Bennone accusatur, eum insimulauit: imò nec Auctor vitæ Henricianæ; neque etiam is, qui pro Henrico IV. Apologiam conscripsit. vt infrà suis locis monebo. Nec nisi perfricta fronte Sutliuius Schaffnaburgensem opponit; nihil enim in eo Bennonianum apparet; vt nec in Helmoldo; quorum de Gregorio VII. testimonia paulò post producentur.

Licet autem Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 13. Gregorium nostrum copiosissimè & doctissimè ab Hæreticorum criminationibus asseruerit, allatis plurimis,

rimis, iisque grauissimis scriptoribus, quorum multi eo ipso sæculo vixerunt, quo Gregorius Apostolicam sedem rexit, & partim quoque non tantum eruditione, sed & vitæ sanctimonia ac miraculis claruerunt; qui longè alia & aliter scribunt & testantur, quàm mendaciorum ille faber & architectus Benno; quia tamen pauci sunt, quibus copia suppetit omnium eorum Auctorum, quos Bellarminus pro Gregorij VII. Innocentia Hæreticæ impudentiæ opponit, visum est non abs re fore, si ipsorum testimonia verbatim exscriberentur; & lectorum oculis subiicerẽtur, & postea breuiter mendacia & probra Bennonica refellerentur, si tamen opus refellere, quæ tot tantisque testibus adductis & auditis sponte sua corruunt: Agmen igitur ducat

I. ANSELMVS, Episcopus Lucensis, cuius exstant Tomo 6. Antiquę Lectionis C.V.D. HENRICI CANISII libri duo Apologetici pro Gregorio VII. contra Guibertum Archiepiscopum Rauẽnatem, Antipapam, sub Clementis III. nomine, quem Imperator Henricus III. vulgò *Quartum* appellitant, Gregorio legitimo pastori opposuerat. In primo itaque lib. sic compellat Anselmus Guibertum Pseudopontificem: *Noli itaque dicere, quia vniuersalis Ecclesiæ curam suscepimus. Quomodo enim tibi commissa est Ecclesia: quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est, sed aliunde ascẽdisse, vt furem? Apostolica enim, & vniuersalis Ecclesia suum habebat pastorem. Vt enim de B. Gregorio, Patre nostro, dicam, quæ de Cornelio scripsit Cyprianus: factus est Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium, &, vt verum dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum, & virorum bonorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Alexandri locus, & cùm locus Petri, vel gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fueris, licet de se multum iactans, & sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est; & cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est.*

Citat & recitat hæc verba Abbas Vrspergensis in Chronico, ex Epistola, vt ait, Anselmi ad Guibertum: quæ videtur fuisse diuersa ab his duobus libris, vt etiam arbitratur Baronius in Appendice ad Tomũ 12. Annalium. Nec improbabile est Anselmum ad eam alludere verbis illis in ipso primi libri vestibulo occurrentibus. *Scripsi tibi pauca cum multo dolore & sincerę charitatis affectu, vt cognoscens errorem tuum redires ad cor, etc. sed quia verba tua iniquitas & dolus, & noluisti intelligere, vt bene ageres, audi interea, &c.* Qui sic etiam Guibertum alloquitur. *Tu verò aliunde ascendisti, & non vocatus à Deo accessisti, noli vsurpare tibi tanti curam regiminis. sicut enim iam dictum est, si Gregorius in Ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, index à nullo condemnari potuit, manifestum est, te ab Ecclesiæ radice præcisum aruisse, nihilq; habere potestatis, ac iuris.*

Quis verò iste Anselmus Lucensis? An vnus ex triuio, cuius testimonium primo statim auditu diffiari & disipari queat? Minimè verò, Audi Vrspergensem in Schismaticorum, quàm in Gregorij VII. partes cæteroqui proniorem: *Anselmus Episcopus, vir literis apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore, & sancta conuersatione nominatissimus, adeò vt tam in vita, quàm post mortem referatur miraculis clarus.*

De eodem Anselmo Auctor, qui vitam eius literis mandauit apud Baronium Tomo 11. Anno Christi M.XXCVI. *Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, millesimo octogesimosexto, Episcopatus verò sui decimotertio, Indictione nona; finitis iam annis septem excommunicationis Henrici quondam Regis, post transitum autem felicissimi Papæ Gregorij VII. mense nono, die verò vigesimo tertio, obdormiuit in Domino, venerabilis Dominus, & Pater noster Anselmus Lucensis Episcopus, decimo quinto Kal. Aprilis, in ciuitate Mantuana, præsidente reuerentissimo Episcopo Vbaldo, atque dominante ibidem nobilissima Duce, & Marchionissa Domina Mathilda.*

Subdit idem Auctor. *Tertia nocte post sanctissimi Patris* (Anselmi) *venerandam dormitionem, quædam contracta persona, quæ vna semper manu, & posterioribus serpebat potius, quàm gradiebatur: quæ etiam in domo nepotis Episcopi annum vnum, & duos menses, ac dimidium manserat apud prædicti Patris tumbam, meritis ipsius sana erecta est in prima noctis vigilia, sequenti verò die circa tertiam (vt visum est) horam, fertur, quòd quædam à natiuitate cæca ibidem fuerit illuminata, quam Brixiensis Comitatus incolam tunc audiuimus.*

Breuitatis caussa describere prætermittimus, inquit Baronius, octoginta insignia miracula, quæ ibidem à sancto edita fuerunt vsque ad quinquagesimum diem ab eius obitu, quo idem auctor ille scribebat. Hic igitur tantus vir, doctrina & miraculis celebratissimus, an non vel solus sufficeret oppilandis impuris faucibus Bennonis & similium Gregorij VII. calumniatorum, licet nullus alius exstitisset, qui contra mẽdaciloquum Bennonẽ pro Gregorio VII. staret?

II. Auctor, qui vitam S. Anselmi Lucensis scripsit, Gregorio & Anselmo synchronus, imò huius etiam discipulus. *Ille* (Gregorius) *mitram capitis sui transmisit isti, Anselmo vide-*

videlicet, tanquam potestatem suam ligandi, & solA uendi. sed & miracula credo faciendi. Nam nõ multo post, cognoscentibus nobis omnibus, per ipsius consilium, & fidem magnam, præclara quædam fecit Deus per eandem mitram mirabilia. Inter alia enim reuerentissimus Dominus Vbaldus, Mantuanus scilicet Episcopus, multis iam annis grauissimè splenetico, toto corpore vlceratus, præsertim in cruribus, sic, vt vix quomodolibet stare posset, vix etiam iacere, vel sedere; qui & multa in medicos erogauerat, nihilq; profecerat, apposita eâdem mitrâ, vbi maior ingrueret dolor, pristina redditus est sanitati.

Beatus itaque talis, & tantus magister Gregorius, miracula fecit multa viuus, & mortuus; fecit quidem & bonus discipulus eius Anselmus: Magister quidem in Deo, discipulus in Deo, & in beatissimo B magistro, etc. In extremis suis, sicut ab ipsius capellanis suis didicimus religiosis, post omnia, inquit, dilexi iustitiam, & odio habui iniquitatem; idcirco morior in exilio. Et quidem in vita sua, quod magister, ac discipulus docuerunt, hoc & in morte quasi testamento confirmauerunt. Ille, nempe Gregorius, quos obedientes tibi viuens adhuc benedixit; moriens quoque commendauit. Henricianos verò penitus, penitusq;, nisi post magnam demum conuersionem, & pœnitentiam reprobauit: hic, nempe Anselmus, præsentibus nobis, & in verbo Domini præcepit, vt in fide, & doctrina beatissimi Papæ Gregorij permaneremus. Hæc Auctor ille.

Testatur & Berchtoldus Constantiensis in suo Chronico, S. Anselmum & viuum & C vita functum, plurimos incitasse & confirmasse, ne ad schismaticorum castra transitionẽ facerent. Verba Berchtoldi sunt hæc. *Beatus Anselmus quondam Lucensis Episcopus, ipso eodem suæ depositionis anno, innumerabilibus, cœpit miraculis coruscare; qui post obitum venerabilis Papæ Gregorij VII. fideles S. Petri contra tyrannidem Henrici, adhuc in carne viuens, multum incitauit; sed multò plus post obitum suum miraculis coruscans, eosdem contra eundem perstitere confortauit; vnde & pars Henrici de die in diem cœpit deficere; Catholici autem in fidelitate S. Petri non cessauerunt proficere.*

Idem Auctor vitæ S. Anselmi. *Ante omnia id studij semper habuit, quatenus sanctissimum magistrum suum Papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeò vt discrepare ab illo prorsus nollet, etiam in aliquo: Illius semper meritis tribuit, quidquid in ipso fuit, dum vitam rememorauit monasticam, & solitariam, quam se crebrò fleuit amisisse, &c.*

Idem scriptor vitæ S. Anselmi: *Defuncto Papa Alexandro, dum sanctissimus Gregorius in Romanum Pontificem, Spiritus sancti instigatione, ac voto communi clericorum, & laicorum diu renitens esset electus, vt sequeretur eum ipse in omnibus, in Lucanam Ecclesiam est & ipse electus Episcopus, atque ab illo postmodum consecratus. Igitur, dum aliquanto tempore non semel, aut bis, sed sæpius cum eôdem religiosissimo ordinatore suo moraretur, vitam eius considerauit ineffabiliter mirabilem, & mirabiliter ineffabilem: quia, cùm de omnibus, & singulis finibus seculi fieret ad eum concursus, omnibus satisfaceret; veritas vera, ac iustitia nunquam ori eius defuit. Primò (quod magis est mirandum) in ipsis secularibus negotiis sæpius excessit mente, exhilarato spiritu suo cœlesti contemplatione: at si priuatus interdum extiterit, reuelationibus etiam diuinis iucundatus & confortatus. Huius, inquam, vestigia dum exequi feruenter desiderat, incipit obliuiscimundum, &c.*

III. Acta Vaticana de rebus gestis Gregorij VII. apud Baronium Tomo XI. Anno M. LXXIII. *Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranensi Ecclesia honorificè tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus esset in eius exsequiis occupatus, repente factus est in ipsa Ecclesia maximus Cleri, & populi Romani concursus, clamantium, & dicentium: Hildebrandum Archidiaconum B. Petrus elegit. Quo audito, idem Archidiaconus nimis expauit, & quasi extra seraptus, cucurrit ad pulpitum, cupiens populum ipsum frequentem sedare, & à sua intentione recedere, & retrahere: sed Hugo Candidus Cardinalis, vbi omnium vota in Archidiaconum conuenisse indubitanter cognouit, citius præcucurrit, & populum ipsum in hunc modum allocutus est, dicens: Ecce charissimi fratres, scitis, & indubitanter cognoscitis, quod à diebus beati Leonis Papæ hic Archidiaconus, tanquam vir prudens, atque probatus, hanc sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltauit, & ciuitatem ipsam ab imminentibus periculis liberauit. Vnde, quia ideneorem ad Ecclesiæ regimẽ inuenire nequimus: Nos Episcopi Cardinales vnanimiter ipsum nobis, & vobis in pastorem, & Episcopum animarum nostrarum eligimus. Et continuò vniuersitate populi, & Cleri acclamante: Dominum Gregorium Papam S. Petrum elegit: indutus rubea chlamyde (sicut est mos) & Papali mitra insignitus, inuitus, & mœrens in B. Petri cathedra fuit inthronizatus.*

IV. Acta publica, Electionis Gregorij VII. prout exstãt in Regesto Epistolarum ipsius Gregorij Tomo 3 epist. Decretalium Rom. Pontif. & Tomo 3. Conciliorum nouæ edit. Colon. *Regnante Domino nostro Iesu Christo, anno clementissima Incarnationis eius millesimo, septuagesimo tertio, Indictione & Luna vndecima, decim. Kal. Maij, feria secunda, die sepultura Domini Alexandri, bonæ memoriæ, secundi Papæ: ne sedes Apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in Basilica B. Petri ad Vincula, nos sanctæ Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, clerici, acolyti, subdiaconi, diaconi, presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, & Abbatibus, clericis, & monachis, consentientibus plurimis turbis vtriusq; sexus, diuersiq; ordinis acclamantibus; Eligimus nobis in pastorem, & summum Pontificem, virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis & iustitiæ præstantissimum amatorem, in aduersis fortem, in prosperis temperatum, & iuxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem,*

lem, domum ſuam bene regentem, in gremio huius matris Eccleſiæ à pueritia ſatis nobiliter educatum, & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatu honorem vſq; hodie ſublimatum. Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem amodò vſq; in ſempiternum & eſſe, & dici Gregorium Papam, & Apoſtolicum volumus, & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ 10. Kal. Maij, Indictione vndecima.

V. LAMBERTVS Schaffnaburgenſis in Chronico anno M. LXXIII. *Alexander Papa, qui & Anſelmus, deceſſit: cui Romani protinus inconſulto Rege, ſucceſſorem elegerunt Hildebrandum, virum ſacris literis eruditiſſimum, & in tota Eccleſia, tempore quoque priorum Pontificum, omni virtutum genere celeberrimum. Is quomodo zelo Dei feruentiſſimus erat, Epiſcopi Galliarum protinus grandi ſcrupulo permoueri cœperunt, ne vir vehementis ingenij, & acris erga Deum fidei diſtrictius eos pro negligentiis ſuis quandoque diſcuteret: atque ideo communibus omnes conſiliis regem adorti, orabant, vt electionem, quæ eius iniuſſu facta fuerat, irritam fore decerneret: afferentes, quod niſi impetum hominis præuenire maturaret, malum hoc non in alium grauius, quàm in ipſum regem redundaturum eſſet. Statim Rex à latere ſuo Eberhardum comitem miſit, qui Romanos proceres conueniens, cauſam ab eis ſciſcitaretur, quare præter conſuetudinem maiorum, Rege inconſulto, Romanæ Eccleſiæ Pontificem ordinaſſent, ipſumq;, ſi non idoneè ſatisfaceret, illicitè accepta dignitate, abdicare ſe præciperet. Is veniens Romam, benignè à prædicto viro ſuſceptus eſt. Cumq; illi mandata regis expoſuiſſet, reſpondit, ſe, teſte Deo, honoris huius apicem nunquam per ambitionem affectaſſe, ſed electum ſe à Romanis, & violenter ſibi impoſitam fuiſſe Eccleſiaſtici regiminis neceſſitatem; cogi tamen nullo modo potuiſſe, vt ordinari ſe permitteret, donec in electionem ſuam tam Regem, quàm Principes Teutonici regni conſenſiſſe, certa legatione cognoſceret: hac ratione diſtuliſſe adhuc ordinationem ſuam, & ſine dubio dilaturum, donec ſibi voluntatem regis certus inde veniens nuncius intimaret. Hoc vbi Regi eſt renunciatum, libenter ſuſcepit ſatisfactionem, & lætiſſimo ſuffragio, vt ordinaretur, mandauit, quod & factum eſt anno ſequente in Purificatione ſanctæ Mariæ.*

Idem LAMBERTVS non procul à fine ſui Chronici, vbi agit de abſolutione Henrici Imp. ab Excommunicatione. *Ita abſoluto eo ab excommunicatione. Papa Miſſarum ſolennia celebrauit, confectaq; ſacra oblatione, Regem, cum cætera, quæ frequens aderat, multitudine ad altare euocauit: præferensq; manu corpus Dominicum; Ego, inquit, iam pridem à te, tuisq; fautoribus literas accepi, quibus me inſimulabas ſedem Apoſtolicam per Simoniacam hæreſim occupaſſe: & alia quibuſdam, tam ante Epiſcopatum, quàm poſt acceptum Epiſcopatum criminibus vitam maculaſſe, quæ mihi ſecundum ſcita Canonum, omnem ad ſacros ordines*

A *acceſſum obſtruxerint. Et licet multorum idoneorum certè teſtium aſtipulatione crimen reſellere queam, eorum ſcilicet, qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate inſtitutionem integerrimè nouerunt, & eorum, qui meæ ad Epiſcopatum promotionis autores fuerunt: ego tamen, ne humano potius, quàm diuino niti videar teſtimonio, vt ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam; ecce corpus Dominicum, quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodie ſiat innocentiæ meæ; vt omnipotens Deus ſuo me hodie iudicio vel abſoluat obiecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum; vel ſubitanea interimat morte, ſi reus. Hæc, & alia (vt ſolenne eſt) præfatus verba terribilia, quibus Deum cauſæ ſuæ æquiſſimum iudicem, & innocentiæ aſſertorem adeſſe precabatur, partem Dominici corporis accepit, & comedit. Qua liberrimè abſumpta, cùm populus in laudes Dei innocentiæ eius congratulatus, aliquandiu acclamaſſet, tandem impetrato ſilentio conuerſus ad Regem: Fac ergo, inquit, fili, ſi placet, quod me facere vidiſti, &c. Sis te innocentem noſti, & exiſtimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falſis criminationibus impeti, libera compendioſè & Eccleſiam Dei ſcandalo, & teipſum longæ concertationis ambiguo, & ſume hanc reſiduam partem Domini corporis, vt comprobata, Deo teſte, innocentia tua, obſtruatur omne os aduerſum te iniqua garrientium, & me deinceps cauſæ tuæ aduocato, & innocentiæ tuæ vehementiſſimo aſſertore, Principes tibi reconcilientur, regnum reſtituatur, &c. Ad hæc ille inopinata re attonitus æſtuare, tergiuerſari, conſilia cum ſuis familiaribus ſegregatus à multitudine conferre, &, quid facto opus eſſet, qualiter tam horrendi examinis neceſſitatem euaderet, trepidus conſulere, &c.*

Refert idem Lambertus horribilem exitum VVilhelmi Epiſcopi Traiectenſis, qui hoſtili prorſus odio Gregorium VII. perſequebatur. *VVilhelmus Traiectenſis Epiſcopus cauſam regis contra bonum, & æquum obſtinatè tuebatur, & ſtudio partium regis, multa in iniuriam Romani Pontificis, omnibus penè diebus ſolennibus, inter miſſarum ſolennia, rabido ore declamabat: periurum eum, adulterum, & Pſeudoapoſtolum appellans; & tam à ſe, quàm à ceteris Epiſcopis ſæpenumero excommunicatum pronuncians. Is breui poſteaquam Rex, exactis Paſchalibus feriis, Traiecto diſceſſerat, repente grauiſſima ægritudine correptus eſt. Cumq; per acerrimos cruciatus animæ, ac corporis vrgeretur, miſerabili eiulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur, iuſto Dei iudicio ſe, & præſentem vitam amiſiſſe, & æternam: quod Regi ad omnia, quæ perperam intẽdiſſet, operam ſuam, ſummo annixu, præbuiſſet, atque in ſpem gratiæ eius Romano Pontifici ſanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutum viro, graues contumelias ſciens, & prudens innocenti irrogaſſet. In hanc vocem, vt aſſerunt, ſine communione, ſine vlla ſatisfactione exſpirauit.*

VI. Idem de hoc VVilhelmo tradunt ANNALES MAGDEBVRGENSES, apud Paulum

lum Langium in Chronico Citizenſi. *In ipſo loco*, inquit, *in quo Romano Pontifici derogabat, ipſe mala valetudine corripitur, in qua vſque ad miſerandum vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingraueſcente, cum eo, dum quidam homo regis eum rogaret, vt ſe cum ſuo mandato remitteret ad regem: Hoc, inquit, mitto ei mandatum, quòd ipſe, & ego, & omnes iniquitati eius fauentes, ſumus damnati in perpetuum: Cumq; à ſuis, qui aderant, clericis, ne talia loqueretur, eſſet admonitus: Quid aliud, inquit, loquor, niſi quod verum eſſe, viſibiliter intueor? Ecce enim dæmones lectum meum circumſtant, quatenus me mox, vt expirauero, rapiant. Itaque cum fuero è corpore eductus, vogo vos & omnes fideles, ne ſe fatigent pro me faciendo ſupplicationes. Hic igitur in deſperatione defunctus, diu iacebat inſepultus, donec Romam mitteretur. Et inde quæſito conſilio, ne populus fœtore corrumperetur, Apoſtolico iuſſu, ſine commendationibus ſepelitur.*

VII. Subdit LANGIVS, & iſte ſeptimus ſit teſtis pro Innocentia Gregorij VII. Quem Sectarij eo libentius admittent, quò naſcenti Lutheranæ Sectæ ſub finem ſui Chronici ſe benigniorem & æquiorem exhibuit. *Et ita alij complures Henrici fautores malè interiere. Vdo Treuirenſis Archipræſul repentina morte obiit. Burghardus Miſnenſis Præfectus ex equo cadens expirauit. Sic & Godefridus dux, hoſtis Saxoniæ, percuſſus, ſine confeſſione periit. Ita & Eppo Epiſcopus noſter, magnus Henrici fautor & aſſentator, morte mala concluſit, de qua in prædictis Chronicis Magdeburgenſis Eccleſiæ ita ad verbum ſcribitur: Eppo Citzenſis Epiſcopus, dum in Epiſcopio S. Chiliani quendam vinum ſorti ſedens in equo tranſiret, quem quilibet pedes ſine periculo tranſire poſſet, vbi nec timor vllus fuit; equo cadente moriens ſic interiit, ſancto Chiliano ſic diſponente; vt, qui eius rebus violentus incubuerat, vinumq; illius ſæpe iniuſtè biberat, aquam quoque ſuam iuſtè bibendo vltrà merum non querat. Et, quia nobis inconciliabilis permanſit, Deo irreconciliatus, ab hac vita migrauit. Hæc ad verbum in prænarratis Magdeburgenſit Eccleſiæ annalibus leguntur.*

VIII. Chronica Thuringenſia apud eundem Langium: *Anno Domini M. LXXIII. Hildebrandus profeſſione monachus, & Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, natione Tuſcus, omnium Cardinalium conſenſu ſolenniter, atque canonicè electus ſit Papa, in numero C. XLVII. & vocatus eſt Gregorius Septimus. Sedit annis XII. menſe vno, diebus IV. Iſtius prudentia non modò in ipſa Italia, ſed etiam in Teutonicis Prouinciis, ſacerdotum refrænata eſt incontinentia. Hic, vt Martinus ait, Concilio C. X. Epiſcoporum habito, Henricum Imperatorem excommunicauit, quaſi Eccleſiæ Romanæ ſciſſorem; ſed tandem abſoluit; & poſt, iterum excommunicauit; quia diſſidium in Eccleſia procurauit, pueritia, & inexperientia ſua exiſtente in cauſa.*

IX. MARIANVS SCOTVS lib. 3. Chronici: *Interea Domino Alexandro Apoſtolico de medio ſublato, ſuſcepit ſedem Apoſtolicam Gregorius Septimus, qui & Hildebrandus, profeſſione monachus. Iſte, querimoniis, & clamoribus Catholicorum iuſtis, aduerſum Henricum, & ſcelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accenſus, iam dictum regem excommunicatum pronunciauit, maximè propter Simoniam. Quod factum Catholicis quidem viris bene placuit: ſimoniacis vero, ac fautoribus regis nimium diſplicuit: qui dicebant, nunquã fuiſſe auditum, regem aliquando excommunicationi ſubditum. Facta eſt igitur maxima diuiſio in Eccleſia Dei; Catholicis Domino Apoſtolico ſtudioſè fauentibus, ac præceptis eius, ſchiſmaticis Henrico. & cooperatoribus eius ex corde obedientiam exhibentibus. Inter quos erat princeps, & ſignifer iuſtitiæ, dilectus Deo, & hominibus, Beatus Anno Calonienſis Archiepiſcopus (cuius memoria in benedictione eſt) cum reuerendiſſimis Eccleſiarum rectoribus, Sigefrido Moguntino, Vezelino Magdeburgenſi, Rucherio Halberſtadenſi, aliiſque Epiſcopis, & Abbatibus, Monachis, & Clericis, aſſentientibus quoque principibus totius Saxoniæ, Ottone Duce, Magno Duce, Vdone Marchione, Ludouico Comite, cum aliis innumerabilibus tam nobilium, quàm infimorum militaribus viris. Quorum fidei deuotionem, ac ſeruorem iuſtitiæ venerabilis Papa Gregorius audiens, & contra eos ſæuitiam Henrici, fautorumque eius, quemadmodum & contra ſemetipſum inſurgere videns, ne deficerent in tribulationibus, quas ſuſtinebant ab iniquis, ſed fortiores, imò conſtantiæ virtute ſolidiores efficerentur: miſſis ad eos literis, paucis, hæreticorum audaciam, garrulitatem, & ſuperbiam, autore Henrico, ac defenſore, ad iniuriam, & contumeliam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ perſtrinxit elatam: quamobrem quod regem anathematis vinculo alligauerit, literis inſinuauit, quibus Catholici ad reſiſtendum iniquis hæreticis conſtantiores effecti ſunt.*

Idem Marianus ibidem. *Gregorius igitur præſul venerabilis, hæreticorum inſaniam, Catholicorum quoque, aſtipulante veritate, cognoſcens, conſtantiam, Rodolpho Regi miſſis literis, Apoſtolicam mandauit benedictionem: in quibus etiam omnibus Chriſti fidelibus, beato Petro, ac ſibi, Vicario eius obedientiam profitentibus, vniuerſaliter inſinuauit, Henrico propter ſuperbiam, inobedientiam, ac falſitatem, regni dignitatem ablatam, Rodolpho verò regi pro ſua humilitate, obedientia, & veritate, autoritate S. Petri collatam.*

X. DODECHINVS, Continuator Mariani: *Ipſe Vrbanus venerabilis Papæ Gregorij ſcripta & dicta contra Schiſmaticos habita confirmauit.* Et anno M. XC. beatæ memoriæ Papam, Gregorium nominat.

XI. Stephanus Epiſcopus Halberſtatenſis cauſſam Gregorij VII. fortiſsimè contra Henricum Regem egit, in ea epiſtola, quam ſcripſit ad VValtramum Eccleſiæ Magdeburgenſis (ſic habet Piſtoriana editio Dodechini)

dechini) Episcopum, sub nomine Ludouici Comitis, quem Valtramus ad partes Henrici pellicere studuerat. Exstat apud Dodechinum anno Christi M. X C. Inter cætera sic loquitur. *Audi vera, non fucata: Audi sortia, non faceta. Omnis, qui dignitates spirituales vendit, hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem regem dicunt, Episcopatus, & Abbatias vendit. Etenim Constantiensem, Babenbergensem, Moguntinensem, & plures alios, pro pecunia: Ratisponensem, Augustensem, Strasburgensem, pro gladio: Abbatiam Fuldensem, pro adulterio: Monasteriensem Episcopatum (quod dicere, & audire nefas est) pro Sodomitica immunditia vendidit. Qua, si impudenter negare volueris, teste cælo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes scioli concludent: Ergo, Dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit obtinere.*

Infra idem Stephanus: *Quod verò Papam Gregorium, regem Rodolphum, Marchionem Eggebertum pessimi interitu damnas, & dominũ tuum, quia illi superstes est, bonificas: liquet profectò, ab omni spirituali te cognitione manere vacuum. Nonne beatius est bene mori, quàm malè viuere? Beati enim, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Matth. 5. Iam & Neronem, quia Apostolis Petro, & Paulo; iam & Herodem, quia Iacobo Apostolo; iam & Pilatum, quia Domino Iesu Christo superuixerint, beatos æstimas. Qua opinione, quid insanius, aut infelicius dici potest?*

XII. S. Anselmvs Cantvariensis, præfatione in librum de *Fermentato & Azymo*, nullam salutem dicere vult VValeramo vel VValramo Nuuenburgensi Episcopo, quòd partes Henrici sequeretur, & excommunicatus esset. *Si certus essem*, inquit, *prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis, & Iuliani, & potestati contra successorem, & vicarium Petri Apostoli, libentissime vos, & amicissimum, & reuerendum Episcopum salutarem: quoniam autem ad defensionem veritatis contra Græcos, qui ad vos venerunt, quæritis; secundum posse nulli deesse debemus: opusculum vobis misi, quod de processione Spiritus sancti edidi contra illos.*

Et epistola octaua ad VVilhelmum Abbatem docet idem Anselmus sententiam excommunicationis contra Henricianos, Simoniacos, & clericos incontinentes latam; esse iustam, ac proinde tales, vt Ecclesiastica communione priuatos, declinari debere. Vtriusque epistolæ, videlicet eius, quæ est ad VValramum, Episcopum Naumburgensem, & eius, quæ est ad VVilhelmum Abbatem, magna cum commendatione mentionem facit Dodechinus in Appendice ad Marianum anno Domini M. X C IV.

XIII. Compilatio Chronologica incerti Auctoris Tomo 1. Script. Germaniæ quos Clariss. vir D. Ioannes Pistorius olim edidit. *Anno Domini M. L X X VI.* (error est in tempore) *Gregorius Papa huius nominis VII. à B. Petro C. L X VII. ordinatur, &c. Iste vocabatur Hildebrandus, & fuit in scripturis valdè eruditus, &c. Iste Papa etiam strictè sub pœna anguria inhibuit, & sortilegia, & incantationes, & magicas artes.*

XIV. Godefridvs Viterbiensis: *Ipse Gregorius Papa ad simoniam exstirpandam & clericorum incontinentiam reprimendam intendens, Imperatorem ipsum ad synodalia pro huiusmodi frequenter vocauit. Connubia clericorum, à subdiaconatu, & supra, per totum orbem Romanum, edicto decretali, in æternum prohibuit, ac seipsam athletam Dei pro domo Domini murum constituit.*

XV. Fascicvlvs Temporvm, seu VVernerus Rolevvinck. *Iste Gregorius fuit vir sanctus, & multas persecutiones pro iustitia perpessus est. Hic antea dicebatur Hildebrãdus, Prior Cluniacensis; & fuit legatus in Gallia, & durè processit contra simoniacos. Quendam etiam Episcopum miraculosè vicit de simonia: quia non potuit contradicere Spiritui sancto. Factus autem Papa, synodum celebrauit, in qua contra eos simili zelo processit, & contra presbyteros vxoratos, amonendo eos à diuino officio. Fuerunt enim tempora satis arida. Et quia iustitiæ rigorem visus est tenere solito more, contra eum multi insurrexerunt. Et primò Cinthius, Præfecti filius, eum cæpit, cum primam Missam in nocte Natiuitatis celebraret: & in turri sua posuit: sed Romani turrim destruunt, & Papam liberant, & Cinthium extra vrbem eiiciunt. Deinde, Imperatorem excommunicauit propter dissidium: qui pòst, veniens ad ipsum, & pluribus diebus nudis pedibus super glaciem stans vix absolutionem impetrauit. Sed Imperator non perseueranit in humili obedientia, quam cæpit.*

XVI. Pavlvs Bernriedensis.

XVII. Gerochvs Reicherspergẽsis, de vtroque ista Auentinus libro 5. Annalium Boiorum. *Legi multos, præsertim Paulum Bernriedensem, Gerochum Reicherspergensem Antistitem, Augustinianos mystas, in Boiaria ortos. Vterque de huiusmodi discordia perniciosa libros edidit; vterque pars huius tumultus fuit. Ille, Reginoburgij; hic, Augustæ primariæ aduersacerdos, ambo rebus Hildebrandi studuére, &c. Heinricum stupris, amoribus, impudicitia, & adulterijs flagrasse infamia ne amici quidem negant, &c. Gregorium virum sanctissimum peruicaciorem extitisse Paulus Bernriedensis, qui eius vitam libris duobus complexus est, & reliqui eius partium acerrimi propugnatores prodant.*

Quæsiui duos hosce Auctores in Bauaria & extra diligenter; partim mea, partim amicorum opera; nec reperi; cum tamen certum sit vtriusque monumenta visa & lecta, forsan & expilata esse ab Auentino: qui

eodem libro quinto hæc, quæ de VVilhelmo Traiectenſi accipienda videntur: *Paulus Beireutenſis narrat Epiſcopum quendam, dum pro concione Hildebrandum vituperat, fulmine tactum eſſe, dumq́ue ageret animam, dixiſſe; igneæ catenæ conſtrictus trahor ad inferos; ite, nunciate Cæſari, vt reſipiſcat, & flagitium in Deum, diuum Petrum, eius vicarium commiſſum, officiũ compenſet, niſi me antecedentem ad æterna ſupplicia ſubſequi malit. Eodem quoque die, nempe paſchalibus quarto Kal. Martij, vt idem Paulus recitat, Epiſcopus Spirenſis, ſeptimo iniquum, ab eodem Kalendũ Martiũ detentus, animam efflauit. Gregorio Salernum profugo intrante, ciuis quidam dixerat; autor diſſenſionis, qui totum orbem terrarum, armis, & bellis inuoluit, huius vrbis quoque quietem conturbaturus aduenit. Mox ille, hæ dictis, obmuteſcit: deductus ad Gregorium, errorem ſuum confitetur: ab eodem ſanitati reſtituitur.*

XVIII. Bertoldvs Conſtantienſis, in Chronico, ſi tamen diuerſus eſt à Bernaldo Conſtantienſi, cuius noua pro Gregorio VII. teſtimonia iam primùm in lucem promimus: *Roma Alexander Papa deceſſit: pro quo venerabilis Hildebrandus, Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, communi omnium conſilio expetitur Papa conſtituendus. Quo audito, ipſe Archidiaconus ſe viribus eſſe imparem tanto oneri, imò oneri, reputans, inducias reſpondendi petiit, & ſic fuga elapſus, aliquot dies ad Vincula S. Petri occultatus, latuit. Sed tandem vix inuentus, & ad Apoſtolicam ſedem vi perductus, Papa C. LIX. ſeptimo Kalend. Maij ordinatur, & Gregorius VII. appellatur: cuius prudentia, non ſolùm in Italia, ſed etiam in Teutonicis partibus, refrenata eſt ſacerdotum incontinentia: ſcilicet, quod prædeceſſor eius in Italia, hoc ipſe in tota Eccleſia Catholica prohibere ſtuduit.*

De eodem Pontifice idem Bertoldus anno Chriſti M. LXXVI. *Cincius quidam Romanus ciuis Gregorium Papam, die Natiuitatis Domini, Miſſarum ſolennia celebrantem, comprehendit: quem ita comprehenſum quidam ex militibus eiuſdem Cincij occidere deſtinauit: ſed cum gladium ſupra caput eius vibraret, nimio terrore correptus, corruit, nec inceptum ictum explere potuit.*

Recenſet idem Bertoldus nonnulla diuinæ vindictæ exempla in aduerſarios Gregorij VII. & Henrici Regis aſſeclas: quæ adſcribere lubet: *Vercellenſis Epiſcopus, depoſiti Regis Cancellarius, cum omnibus ſuis ſequacibus, colloquium generale circa Calendas Maij in Rumalibus condixit, vt, ſi aliquo modo poſſet, Gregorium Papam deponeret: ſed ipſe, ad eundem terminum abſque Eccleſiaſtica communione, vitam ſimul, & Epiſcopatum heu miſerabiliter depoſuit, quo ille Papam nefaria præſumptione ſtatuit deponere. Non multò poſt eius interitum. Præfectus Romanæ vrbis, indefeſſus miles S. Petri contra ſchiſmaticos, à quodam ſautore Heinrici crudeliter occiditur: ad cuius corpus in paruo tempore, plus quam viginti miracula contigerunt, vt fidelium virorum relatione didicimus. Imbrico Auguſtenſis Epiſcopus, qui in præterito Paſcha Rudolpho Regi fidelitatem iurauit, nil deperiurio curans, Heinrico aduenienti adhæſit, & apud illum quadam die miſſam faciens, hanc ſibi conditionem miſer impoſuit, vt ſacræ oblationis perceptio, in iudicium ei proueniret, ſi Dominus eius Heinricus regnum ſibi iniuſtè vſurparet. Poſt hanc temerariam perceptionem, paruo, quod ſupranixit, tempore, vſque ad mortem nunquam ſe ſanum de lecto leuauit. Nam circa Kal. Iulij abſque Eccleſiaſtica communione defunctus eſt. Item Sigehartus Aquileienſis Patriarcha in auxilium Heinrico contra bannum Apoſtolici, armata manu veniens, in amentiam vertitur, apud Ratiſponam: & ex ipſo itinere repentina morte intercipitur: ſicq́, domum, non ſine aliquibus ſuorum funeribus in corpore, & anima mortuus, reportabatur.*

Idem Bertoldus anno M. LXXXV. *Sed iam Deus omnipotens famulum ſuum Gregorium Papam volens diutius laborare, imò pro laboribus ſuis dignè remunerare volens, de huius vitæ ergaſtulo eum vocauit. Nam aliquanto tempore grauiter corpore infirmatus, ſed in defenſione iuſtitiæ vſq́, ad mortem firmiſſimus, Salerni diem clauſit extremũ. De cuius obitu omnes religioſi vtriuſque ſexus, & maximè pauperes, doluerunt. Erat enim Catholicæ religionis feruentiſſimus inſtitutor, & Eccleſiaſticæ libertatis ſtrenuiſſimus defenſor. Nolnit ſanè, vt Eccleſiaſticus ordo manibus laicorum ſubiaceret, ſed eiſdem, & morum ſanctitate, & ordinis dignitate præmineret; quod illum latere non poterit, quicunque eiuſdem Apoſtolici regiſtrum diligenter perlegerint. Poſtquam autem in gubernatione ſedis Apoſtolicæ, imò totius Eccleſiæ duodecim annos, & vnum menſem, legitimè decertauit: tandem ex hac luce, anno incarnationis Dominicæ M. LXXXV. Indictione octaua, VIII. Cal. Iunij ſubtractus, ſuperna vocationis bραβεῖον accepiſſe non dubitatur: ſepultus Salerni in Eccleſia S. Matthæi, quam ipſe eodem anno dedicauit. Sed Guibertus hæreſiarcha multùm de obitu eius lætabatur, licet parum proſperitatis ſuæ parti in eo lucraretur. Nam omnes Catholici poſt mortem Domini Apoſtolici non minus, quàm antè, eidem hæreſiarchæ reſtiterunt, ipſumq́ue de Roma Rauennam repedare compulerunt.*

XIX. Bernardvs primùm Conſtantienſium ſcholarum Magiſter; poſtea Monachus Corbeienſis in Saxonia; pro Gregorio VII. Apologiam ſcripſit; de quo Bertoldus Conſtantienſis in Chronico ad annum M. XXCVIII. *Bernardus Conſtantienſium Magiſter ſcholarum, vir eruditiſſimus, in cauſſa S. Petri feruentiſſimus, in Saxonia ſub Monaſtica profeſſione migrauit ad Dominum.*

De eodem ad annum M. XCI. idem Bertoldus. *Bernardus quoq́, Conſtantienſium ſcholarum Magiſter, multa nobis ſui ingenij monumenta reliquit, multáque pro Catholicis contra ſchiſmati-*

cos

ces ſui temporis elegantiſſimè ſcripſit: & primum quidem ad quoſdam ſuos amicos, de iudicio Gregorij Papæ VII. ſuper ſchiſmaticos, & de Sacramentis extra Eccleſiam vſurpatis. Poſtea etiam ad venerabilem Hartungum Magdeburgenſem Epiſcopum de eadem cauſſa magnum librum luculentiſſimum compoſuit, ex perſona ſanctæ Eccleſiæ; in quo teſtimoniis ſanctorũ Patrum omnes inſidioſas cauillationes eorundem ſchiſmaticorum prudẽter annullaſſe videtur. Sed in eiſdem ſcriptis nimio zelo ductus, alicubi modũ exceſſiſſe notatur: videlicet vbi agit de Sacramentis ſchiſmaticorũ. Negat enim omninò, ab eis, & ab eorum communicatoribus Sacramenta poſſe conficiſita, vt ab illis ordinatos, ſi reſipiſcant, iterum ordinandos cenſeat. Cæterùm ſi quis hæc plenius noſſe deſiderat, ſcriptum cuiuſdam ad eundem Bernardum, de eâdem quæſtione directum, diligentiſſimè perlegat: in quo teſtimoniis ſanctorum Patrum euidentiſſimè docebitur, quid SS. Patres de illa quæſtione cenſuerint ſentiendum. Verùm, idem venerabilis Bernardus in iſta; ſicut & B. Cyprianus in rebaptizationis ſententia non pertinaciter contra Eccleſiam egerunt; ſed, vtcunque, nimium contra ſchiſmaticos zelantes, aliquantulum regulam Eccleſiaſticam exceſſerunt.

Bernardum hunc ita ſenſiſſe ſatis liquet ex epiſtola eius ad Bernaldum Conſtantienſem, quam infra inter opuſcula Bernaldi reperies, & ex primo Tractatu Bernaldi de Sacramentis excommunicatorum quem rogatu Bernardi, Corbeienſis poſtea Monachi, compoſuiſſe videtur, de quo plura inferius.

XX. GEBEHARDVS Archiepiſcopus Salisburgenſis, de quo Bertoldus anno M. LXXXVIII. *Gebehardus venerandæ memoriæ Iuuauienſis Archiepiſcopus, in cauſſa S. Petri præcipuus, qui ſchiſmaticos publicè dicitur, & ſcriptis confutare conſueuit, de hac luce ſubtractus XVIII. Calend. -----, magnum mœrorem Catholicis dereliquit.*

XXI. AVCTOR, qui vitam S. Gebehardi ſcripſit Tomo VI. Antiquæ Lectionis. *Poſt aliquot annos excommunicatur Rex Heinricus, in Synodo Romana, & Epiſcopi ſinguli, miſſis à Papa Gregorio Epiſtolis: præmoniti ſunt, etiam obſecrati pro obſeruanda S. Petro, & eius Vicario obedientia, inbanniti quoq;, & ſub obtentu ſui officij ſunt aſtricti, ne regi anathematizato, & eius cõſiliario nominatis communicarẽt. Hoc nouum, ſiue ratum in Regem anathema, vtrum ex venditione Epiſcopiorum, & Abbatiarum, an ex alia infamia cauſas ſumpſerit penes earum conſcios ſit, & iudices. Nobis ſententia paſtoris timenda eſt, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. Præditus enim piæ memoriæ Papa Gregorius, velut alter Helias, ſpiritu Dei plenus, & zelo iuſtitiæ, & veritatis accenſus, ſacerdotes Baal, non quadringentos, ſed, infinita millia trucidauerat; quia, vel eos, qui per ſimoniam Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras, Prebendas, vel Eccleſias obtinuerant: vel, qui in ſacerdotio, aut diaconatu vxores habuerant: vel, qui à ſimoniacis, vel ſchiſmaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes ſimul truncauerat. Proinde iſtorum inſtinctu, Heinricus Imperator Guibertum Rauennatem hæreſiarcham, expulſo præfato Papa Gregorio, Romæ inthronizauit. Videres nunc nauiculam beati Petri, quaſi dormiente interim Ieſu propemodum mergi, & tempeſtatum procella vexari: dum omnes veritatem, & fidem B. Petro, & eius Vicario ſeruantes, aut in vndas mortis dirum fremens, ac ſeruens ſalum trahebat; aut in longum exilium, patria, honoribus, rebus extorres iactabat. Tempora nimirum tunc valdè periculoſa inſtabant; cùm præter Chriſti athletam noſtrum Dominum Gebehardum Archiepiſcopum Salzburgenſem, Altmannum Patauienſem, Adalberonem VVirzburgenſem, Hermannum Metenſem, Meginvvardum Friſingenſem, præter hos ſolos quinque, in toto regno Teutonico Epiſcopus Catholicus inueniri non poterat. Ea igitur tempeſtate iſte noſter Dominus ſæpefatus Archiepiſcopus fidelis Romanæ Eccleſiæ, & veritatis Catholicæ propugnator eminebat: qui velut alter Machabæus lorica fidei ſe ſuccinxerat, & gladio verbi ſui, caſtra Eccleſiæ in toto regno Teutonico protegebat.*

XXII. MICROLOGVS ſeu Guido Aretinus cap. 14. lib. de officiis Eccleſiaſticis: *Sedi Romanæ, noſtro tempore talem Deus gubernatorem, venerẽdæ memoriæ Gregorium Papam impoſuit: qui ſub decem ſuis anteceſſoribus à puero Romæ nutritus, & eruditus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inueſtigauit, & inueſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curauit. Hunc ergo Doctorem, religione, & autoritate præcipuum, imò Apoſtolicam traditionem per ipſum in conſecrandis myſteriis potiſſimum imitari decreuimus, &c. Reuerendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, &c.*

XXIII. DOMNIZO Presbyter qui vitam Mathildis verſibus deſcripſit. In qua lucubratione exſtant varia Gregorij VII. & Anſelmi Lucenſis elogia. Multa ex eius libro deſcribit Baronius Tomo XI. paſsim in annis Pontificatus Gregorij VII.

XXIV. LEO Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi lib. 3. cap. 64. *Anno Dominicæ Incarnationis, M. LXXXV. indictione octaua, cùm venerabilis, ſemperq; recolendæ memoriæ Gregorius Papa VII. Salerni magna vi morbi premeretur, ante tertium ſui obitus diem, rogatus ab Epiſcopis, & Cardinalibus, qui fortè tunc aderant, vnà cum Deſiderio, quid de Romanæ ſedis poſt obitum ſuum ordinatione iuberet? hortatus eſt, vt, ſi quo pacto poſſent, ipſum Deſiderium Pontificem facerent, &c.*

Narrat idem Leo eodem lib. 3. cap. 53. viſum quoddam cœleſte columbæ niueæ, ſuper Gregorio reſidentis, cum ſacra Miſſarum ſolennia celebraret: quod vjſum, cum, qui vidit, eunlgare cunctaretur; his verbis diuinitus patefacere iuſſus eſt. *Vade celeriter, & hoc ipſum auribus Papæ intimato: vt conſtanter vigore ſancti Spiritus, quod cæpit exequatur.*

XXV. Otho Friſingenſis lib. 6. *Anno ſequenti Alexander vita & ſacerdotio perfunctus deceſſit,*

ceſſit, ſedemque Hiltprando Archidiacono ſuo, qui Gregorius VII. dictus eſt, reliquit. Exhinc ſchiſma grauiſſimum, eò quod abſque conſenſu Regis per electionem conſtitutus fuerat, oritur. Ipſe autem, qui per multum temporis ad libertatem Eccleſiæ obtinendam priuatus laborauerat, iam ad ſacerdotalem dignitatem proiectus, à cœpto deſiſtere indignum ducens, tam ob hoc, quàm pro ſimonia exſtirpanda, ac incontinentia clericorum reprimenda, plurimum deſudabat. Denique non ſolùm Regem pro eiuſmodi, ad ſynodalia reſponſa crebrò vocauit, ſed & datis decretis, clericorum à ſubdiaconatu, & ſupra, connubia in toto orbe Romano cohibuit, formámque gregi factus, quod verbo docuit, exemplo demonſtrauit: ac fortis per omnia athleta, murum ſe pro domo Domini ponere non timuit, &c.

Idem Otho: Prædictus Pontifex Gregorius, à Rege vrbe pellitur, Guibertuſq; Rauennatenſis Epiſcopus in locum eius ſubtruditur. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquãte vocationis ſuæ tempore, dixiſſe fertur: Dilexi iuſtitiam, & odi iniquitatẽ, propterea morior in exilio. Quia ergo in principe ſuo regnum ab Eccleſia præciſum grauiter percuſſum fuit, Eccleſia quoque tanto paſtore, qui inter omnes ſacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli, ac autoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.

Idem lib. 7. cap. 1. Defuncto Salerni beatæ memoriæ ſummo Pontifice Gregorio, &c.

XXVI. Brvno in hiſtoria belli Saxonici. Exſtat Tomo 1. Scriptorum illuſtrium Germaniæ, quos Caluinianus Freberus euulgauit. Tota hæc hiſtoria eſt contra Henricum & Henricianos, pro Gregorio VII. & illis, qui cauſſam S. Petri tuebantur. Enumerat ipſe quoque tragicos interitus quorundam ſchiſmaticorum; de quibus ſupra ex Schafnaburgenſi & Chronico Citizenſi aliquid dictum: Patriarcha, inquit Bruno, qui Legatus Apoſtolici, maximus auctor abiurationis extiterat Heinrici, & noui Regis inſtituendi: poſt quam Exregi quaſi Regi ſociatus retrogradus efficitur: repentina morte præuentus, quod communicabat excommunicatis, incommunicatus, & inconfeſſus huic vitæ ſubtrahitur. Verùm, quod tantæ dignitatis virum non decebat ire ſolum ad infernum, quinquaginta (ſicut audiuimus) de ſuis habuit ſocios, eádem morte repentina correptos: ne, quos habebat in iniquitate conſortes, in retributione non haberet participes.

Vdo Treuerenſis Archiepiſcopus, omni pietate plenus, dum nimiùm manſuetus tyrannidi non reſiſteret, Heinrico plus quàm decebat, obſequitur, eius flammeo furori ſuæ conſentionis oleum miniſtrat, & vt Eccleſiæ depræderentur, licentiam donat, mox in craſtino mane mortuus inuenitur, vt omnibus apertè conſtaret, ideo tali cum morte obiiſſe, quod in Eccleſiarum prædatione non timuit offenſum præbere.

De Eppone Cizicenſi Epiſcopo, de quo hic etiam Bruno, ſupra iam diximus.

Godefridus Dux, qui fuit maximus hoſtis Saxonie, periit in ſecretiori corporis parte perfoſſus ſuo mucrone, nec purgatus vltima confeſſione, nec munitus ſacra communione.

Godebaldus dum equo ſuo nouiter ferrato pedem poſteriorem leuaret, vt an aptè ferrum eſſet impoſitum, perſpiceret, ab ipſo pede in fronte percutitur, & ſic ab hac vita abſtrahitur.

Burchardus Miſnenſis Præfectus, dum in quadam ſua, cui præerat, Vrbe ab Vrbanis inuaditur, equo, cui inſidebat, fruſtra calcaribus vulnerato, fugere molitur: qui equus ſæpe prius de velocitate laudatus, modo cùm maximè maximo curſu opus erat, ſit ſtationarius, quaſi diceret: mihi non licet eum nunc à vobis eripere, qui, dum ſibi licuit, nolebat ſe corrigere. Moritur ergo cum magno animæ ſuæ periculo, quod ſæpe conſenſum præbuit periculoſo ſæuiſſimi Regis conſilio.

Luipoldus frater Berthaldi, Regis conſiliarij, qui & ipſe eius conſiliarius erat, dum quadam die iuxta Regem equitans cum eo quoſlibet ſermones conſereret, accipiter, quem ſiniſtra portabat, voluare cœpit, quaſi capturam peteret: Ille verò poſt auem parumper ſe inclinans, ab equo grauis cecidit; & enſem, quo cinctus erat, è vagina lapſum capulo terræ defixo, in pectore medio recepit: & qui ſæpe praui conſilij conſors, vel auctor fuit, ſine conſilio perpetuæ ſalutis ab hac vita receſſit.

XXVII. Helmoldvs lib. 1. Chronic. Slauorum cap. 28. Poſt paucos autem dies, Principes Saxonum, præter voluntatem Regis captiuitate abſoluti, in propria reuerſi ſunt, nec vnquam de cetero promiſſionibus Regi fidem præbuerunt. Miſſa ergo relatione Saxonum Principes ad Apoſtolicam ſedem conqueſti ſunt reuerendiſſimo Papæ Gregorio VII. qualiter Rex diuinæ legis contemptor, Eccleſiis Dei, inſtauendis Epiſcopis, omnem Canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Epiſcopos, quos voluiſſet. Inſuper, quòd, more Nicolaitarum de vxore ſua publicum feciſſet proſtibulum, ſubiiciens eam pervim aliorum libidini; aliáque perplurima, quæ inconuenientia viſa ſunt, & auditu difficilia. Quamobrem Dominus Apoſtolicus, zelo iuſtitiæ permotus, miſſis legatis, vocauit Regem ad Apoſtolicæ ſedis audientiam. Qui ſecundam, & tertiam vocationem diſſimulans, ad vltimum familiarium conſiliis adſtrictus, timentium, ne regno iniuſte deponeretur, iuit Romam, &c.

XXIIX. Albertvs Abbas Stadensis in Chronico, eadem ferè ſcribit, quæ Helmoldus. Hæc item anno M.LXXXV. Hildebrandus Papa, qui & Gregorius, apud Salernum moritur: cui Deſiderius Cardinalis Romanus, & Abbas Caſinenſis, verus Chriſti famulus, licet multum renitens, ſubſtituitur aſſenſu Nordmannorum, & Mathildis, potentiſſimæ per Italiam feminæ, cunctorumq; eiuſmodi ſectam amulantium. Et hi quidem, qui videbantur perfectiores, & columnæ in domo Dei, adhæſerunt ſicut Gregorio, ita & Deſiderio, cæteri verò, quos aut timor, aut fauor Cæſarem agebat, ſecuti ſunt Guibertum, qui & Clemens, &c.

Certè

Certè cùm ſucceſſorem Gregorij, quem Gregorio addictiſsimum fuiſſe probè norat, tantis laudibus afficiat, non potuit de Gregorio ſiniſtrè ſentire, vel ex ſuo ſenſu ſcribere, cum eadem prorſus fuerit cauſſa ſucceſſoris, quæ Gregorij Anteceſſoris.

XXIX. ALPHANVS Archiepiſcopus Salernitanus in Oratione Metrica apud Baronium Tomo XI.

Archiapoſtolici qui culmine fulget honoris
Protege Gregorium, ſcis quem amare Petrum.
Septimus in numero vigilantum munera ſeptem
Poſsideat ſemper flaminis ille tui.

XXX. DEVSDEDIT Presbyter Cardinalis in Commentario de Priuilegiis Romanæ Eccleſiæ apud Baronium Tomo XI. Anno M.XXC. *Poſt præſtita Domino ſuo beatæ memoriæ Septimo Gregorio Papæ fidelitatis Sacramẽta, & obedientiam VIII. annis exhibitam, Apoſtolicum thronum inuaſit.* Loquitur de Guiberto Antipapa.

XXXI. MAGNVM Chronicon Belgicum editum nuper à clariſsimæ & laudatiſsimæ memoriæ D. Ioanne Piſtorio. *Gregorius VII. natione Tuſcus, &c. Hildebrandus prius vocatus, etc. poſtmodum verò Cardinalis, propter laudabilem eius vitam in Papam à Cardinalibus eſt electus, etc.* Infrà: *Defuncto Salerni beatæ memoriæ ſummo Pontifice Gregorio, &c.*

XXXII. VVILHELMVS TYRIVS lib. I. Belli ſacri cap. 13. vbi loquens de *Inueſtituris* Epiſcopatuum ab Henrico conferri ſolitis, ſic ſcribit: *Quod Dominus Papa contra omnem fieri honeſtatem conſiderans, & iura in eo facto conculcari Eccleſiaſtica perpendens, ſemel, ſecundò, ac tertiò eundem Imperatorem commonuit: vt à tam deteſtabili deſiſteret præſumptione. Quem præceptis ſalutaribus commonitum, cùm reuocare non poſſet, vinculo anathematis innodauit, &c.*

XXXIII. VINCENTIVS in ſpeculo lib. 25. cap. 44. Gregorium miraculis & charismate arcana pectorum cognoſcendi claruiſſe ſcribit.

XXXIV. S. ANTONINVS parte ſecunda ſumm. hiſt. Tit. 16. cap. 1. §. 21. *Erat vir iſte* (Gregorius VII.) *religioſus ac timens Deum, iuſtitiæ & æquitatis amator, in aduerſis conſtans, in proſperis moderatus, ſuit & valdè cordatus, Eccleſiæ iurium defenſor acerrimus, & qui præter Deum, in his, quæ ad iuſtitiam pertinebant, nil timuiſſet efficere.*

XXXV. BLONDVS Decadis ſecundæ lib. 3. vbi res à Gregorio geſtas copiosè cum eiuſdem laude exſequitur.

XXXVI. Epitomator Blondi ÆNEAS SYLVIVS in Compendio Blondi.

XXXVII. IOANNES VILLANVS lib. 4. Hiſt. Florentinæ.

XXXIIX. MARTINVS POLONVS in Chronico: *Hic propter laudabilem vitam eſt in Papam electus ex Cardinalibus, &c. Salerni mortuus eſt miraculis coruſcando.*

XXXIX. SABELLICVS Ennead. 9. lib. 3.

XL. VOLATERRANVS li. 22. Anthropologiæ. *His* (Gregorius VII.) *præter omnes, quòd vir pius & Chriſtianæ religionis acerrimus defenſor fuerit, labores pertulit magnos.*

XLI. TRITHEMIVS in Chronico Hirſaugienſi anno Domini M.LXXII *I. Mortuo Papa Alexandro ſucceſſit Hildebrandus Abbas ſancti Pauli ordinis noſtri, & Romanæ Eccleſiæ archidiaconus; & præfuit annis duodecim, dictuſque eſt Gregorius huius nominis Septimus: vir certè multæ doctrinæ, magnæq; pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, & religionis, qui multa pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ & fecit bona, & ſuſtinuit aduerſa. Hic primùm fuit monachus Cluniacenſis, & à Leone Papa IX. S. R. E. Archidiaconus ad monaſterium S. Pauli ordinatus, hoc anno poſt Alexandrum omnium conſenſu ſummus Pontifex creatus eſt.*

XLII. NAVCLERVS in Chronico Generat. 36. & 37.

XLIII. ALBERTVS Crantzius lib. 5. Metropolis cap. 1. *Gregorius VII. Hildebrandus antè vocatus, natione Hetruſcus, cum multa pro Romanis Pontificibus egiſſet, acclamante clero, & populo, Hildebrandum à B. Petro electum ſucceſſorem, magnis votis, & concordibus eum deſignauêre Patres. Multum illi labor erat cum Heinrico IV. multiplex colluctatio: ſed ſuperauit veritas, & iuſtitia: obtinuitq; Pontifex, vt ad annum decimum tertium perueniret.*

XLIV. PHILIPPVS Bergomenſis in ſupplemento Chronicorum.

Gregorius VII. Papa natione Etruſcus, &c. Vir certè Deo & hominibus gratiſsimus, prudens, iuſtus, clemens, pauperum pupillorumq; ac viduarum patronus & pater, nec non & Eccleſiæ Romanæ contra hæreticorum improbitatem & malorum principum potentiam, res Eccleſiaſticas per vim occupare conantium vnicus & acerrimus defenſor.

Paulò infra de capto Pontifice eodem.

Sed die ſequenti Romani cognito facinore, ipſum Cincium proſequuntur & Pontificem ſanctum liberant, turrimq; euertunt, &c.

Poſt pauca de Mathilde.

Mathildis Comitiſſa nobiliſsima & optima atq; illuſtris fœmina, virtute & rebus optimè geſtis clara & inclyta vbique prædicatur.

Gibertum autem illum (Clementem dictum) *Antipapam* vocat. *Hic*, ſubdit poſt paulum, *malorum omnium caput, morte ſubitanea correptus ſcelerum ſuorum pœnas dedit.*

XLV. ANDREAS Ratisbonẽſis in Chronico Manuſcripto Bibliothecæ ad S. Emeranum Ratisbonæ.

Gregorius VII. natione Tuſcus, quondam Hiltprandus, Prior Cluniacenſis, propter laudabilem vitam à Cardinalibus in Papam electus VVichpertum Rauenenſ. Archiepiſcopum, qui dictus eſt Clemens, habuit Antipapam.

Et paulò infrà:

Qui poſt in Apuliam deſcendens Salerni mortuus eſt miraculis coruſcans.

Infra refert miraculum quod Legatus Lugdunum fecit circa Archiepiſcopum Eberudunenſem Simoniacũ, qui non potuit ante depoſitionẽ dicere. *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto:* poſt expeditè dixit: *Et Spiritui ſancto.* Eandem hiſtoriam refert Gobelinus in ſuo Coſmodromio ætate 6. cap. 57.

XLVI. PLATINA in vita Gregorij VII.

XLVII. ONVPHRIVS in lib. de Summis Pontificibus, & in Annotationibus ad Platinam, vbi dicit ſe vitam huius Pontificis quinque libris conſcripſiſſe.

XLVIII. SIGONIVS libro 9. de Regno Italiæ, vbi in huius Pontificis laudem plura eleganter ex antiquioribus monumentis depromit.

XLIX. IOANNES Archiepiſcopus Lugdunenſis epiſtol. ad Iuonem Carnotenſem, (eſt epiſt. 239. inter Iuonianas) *Nunquid incuſas Gregorium VII. qui Regem Henricum ob ſua ſcelera damnauit?*

QVINQVAGESIMVS ergo teſtis pro Innocentia Gregorij VII. ſint hæc opuſcula Bernaldi Conſtantienſis, nunc primum in lucem deprompta; cum enim Hæretici tam diligentes ſint in euulgando mendaciſſimo ſuo Bennone, ſummo Gregorij hoſte & criminatore, haud decet; vt orthodoxi à conquirendis Gregorij defenſoribus & aduocatis ceſſent.

Eſt autem obſeruandum hæc opuſcula fuiſſe compoſita à Bernaldo, occaſione decretorum, quæ Gregorius Pontifex contra Simoniacos, concubinarios, & clericos coniugatos diuerſis temporibus ſub pœna excommunicationis promulgauerat, addito interdicto, ne quis huiuſmodi ſacerdotum Miſsis intereſſet: Huius ſanctionis plerique ex ſupra dictis Auctoribus, mentionem faciunt; quæ & à Gratiano in Volumen Decretorum relata eſt diſtinct. 81. *Si qui ſunt Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & S. Petri autoritate, Eccleſiæ introitum, vſque dum pœniteant, & emendent. Si qui verò in ſuo peccato perſeuerare maluerint, nullus veſtrum officium eorum audire præſumat: quia benedictio eorum, vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, teſtante Domino per Prophetam;* (Mal. 2.) *Maledicam, inquit, benedictionibus veſtris. Qui verò huic ſalubertimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, Samuele teſtante;* (1. Reg. 15.) *& B. Gregorio aſtruente; Peccatum ariolandi eſt, non obedire, & quaſi ſcelus idololatriæ, non acquieſcere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quiſquis dum Chriſtianum ſe aſſerit, ſedi Apoſtolicæ obedire contemnit.*

Hinc nonnulli, quorum haud poſtremus Sigebertus in Chronico anſam arripuerunt calumniam ſtruendi Gregorio, quaſi crederet, Sacramenta ab improbis & excommunicatis validè adminiſtrari non poſſe; errore iam olim in priſcis hæreticis, nominatim in Donatiſtis, damnato. Nonnulli etiam, quamuis Gregorio addictiſsimi, non malo animo; ſed nimium nimio aduerſus Schiſmaticos, Simoniacos, & Concubinarios zelo prouecti; defendere hoc ipſum inſtiterunt, quaſi rectæ & ſanæ doctrinæ, atque adeo ipſi etiam Sedi Apoſtolicæ conſentaneum: ex quorum numero vnus fuit Bernardus ille Corbeienſis, vt apparet ex Epiſtola eius, quam infra habes, & ſupra id etiam ex Bertoldi Conſtantienſis Chronico annotauimus.

Erant præterea non pauci, qui Gregorij decreta vellicarent, traducerent, & repudiarent, quòd carni & ſanguini, & corruptiſsimis Cleri moribus parum grata & amica acciderent. Quocirca vbicunq; promulgabantur, Clerici propemodum in rabiem verſi quiduis potius ferre volebant, quàm licentiæ ſuæ imponi fibulam. Audi Lambertum: *Hildebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conueniens iam frequentibus ſynodis decreuerat, vt ſecundum inſtituta antiquorum Canonum presbyteri vxores non habeant; habentes, aut dimittant, aut deponantur: nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cælibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat, præcipiens, vt ipſi quoque in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atque à contubernio ſacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate reſecarent. Aduerſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum: hominem planè hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans; qui oblitus ſermonis Domini, quo ait:* (Matth. 19.) *Non omnes capiunt verbum hoc: qui poteſt capere, capiat: & Apoſtolus;* (1. Corinth. 7.) *qui ſe non continet, nubat: melius eſt enim nubere, quàm vri: violenta exactione homines viuere cogeret ritu angelorum: & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi, & immunditiei frena laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe ſacerdotium, quàm coniugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, vnde gubernandi per Eccleſiam Dei plebibus, angelos comparaturus eſſet.*

Nihilominus ille inſtabat, & aſſiduis legationibus Epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidiæ arguebat: & niſi ocyus iniunctum ſibi negotium exequerentur, Apoſtolica ſe cenſura in eos animaduerſurum comminabatur. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens non paruo conſtare operam hanc, vt tanto tempore inolitam conſuetudinem reuelleret, atq; ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſenescentem iam mundum reformaret: moderatius agebat cum eis; & primò eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit,

dedit, hortans eos, vt quòd neceſſariò faciendum ſit, ſponte faciant; & tam ſibi, quàm Romano Pontifici neceſſitatem adimant aliquid in eos, quod ſecus ſit, decernendi. Ad vltimum, congregata Synodo in Erfordia menſe Octobri, preſſus iam imminebat, vt relegata omni tergiuerſatione in præſentiarum, aut coniugium abiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent. Multas è contra illi rationes afferebant, quibus inſtantiæ, perurgentiq; improbitatem eludere, ſententiamq; caſſare niterentur. Cumq; aduerſus Apoſtolicæ ſedis autoritatem, qua ſe ille ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam, cõpulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes, preceſq; proficerent: egreſſi, tanquam ad conſultandum, conſilium ineunt, vt in Synodum nõ redeant: ſed inuiſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri, vt in Synodum regreſſi, ipſum Epiſcopum, priuſquam execrabilem aduerſum eos ſententiam promulgaret, cathedra Epiſcopali deturbarent, & merita morte multato, inſigne monumentum ad poſteros tranſmitterent: ne quis deinceps ſucceſſorum eius, talem ſacerdotali nomini calumniã ſtruere tentaret, &c. Hæc Lambertus de Clericis, eodem argumentandi genere vſis, quo hodie Lutherani & Caluiniani Prædicantes contra cælibatum vtuntur.

Rex quoq; & Aulici inuitiſſimi tam lautos & opimos bolos Eccleſiaſticorum bonorum, quos iam auidis faucibus apprehenderant, eripi ſibi patiebantur; nec libertatem Eccleſiaſticam regio & regiorum dominatu miſerabiliter oppreſſam in libertatem priſtinã reuocari volebant. Hinc in Gregorium commune omnium ordinum odium, & ex odio, vt fit, maledicta, figmenta, mendacia, & quidquid ſplendidabilis ſuggerit.

Vt igitur his & id genus aliis Bernaldus noſter obuiam iret; has lucubrationes edi-

A dit; Et Sacramenta ab Excommunicatis validè adminiſtrari in primo tractatu & in aliquot Epiſtolis demonſtrauit: De continentia itidem epiſtolarem velitationẽ cum Albuino iniit; qui initiò pro coniugiis clericorum dimicans, iis propemodum haſtis rem geſsit, quibus hodie Hæretici cõtinentiam vniuerſim oppugnant. Integram quoque pro Synodalibus Gregorij decretis Apologiam contexuit, oculatus teſtis eorũ, quæ tunc à ſchiſmaticis in Imperio turbulenter & flagitiosè gerebantur. Nec Gregorius VII. vnquam eâ cauſsâ fidelibus interdixit, ne Concubinariorum Miſſas adi-

B rent, quaſi arbitraretur, Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti validè ab illis nõ confici & immolari; ſed quia inueteratus & nulla facili medicina expugnabilis morbus, hoc tam durum remedium eo tempore expoſcebat: *nempe nullatenus conuenit*, ait S. Anſelmus in Epiſtola ad VVilhelmum Abbatẽ Hirſaugenſem. *vt ibi reuerenter aſſetur: vbi pertinaciter, aperta, & impudenti libidine fatentes; Dei, & Sanctorum prohibitionem contemnendo, ſacris altaribus deſeruiunt: imò non deſeruiunt, ſed, quantum ad ipſos, commaculant. Non,*

C *quòd quis ea, quæ tractant, contemnenda, ſed, tractantes, execrandos exiſtimet: vt, qui Dei & angelorum præſentiam nõ reuerentur, vel hominum deteſtatione repulſi, ſacra contaminare deſiſtant. Nec vllatenus oportet, vt illi ſint conſortes de altari participantium, qui per immunditiam ſe faciunt exortes altari deſeruientium.* Verumenimuero antequam ipſum Bernaldum audimus, non abs re erit diſquirere, quis iſte Bernaldus fuerit. Sic igitur habeto.

DE AVCTORE SEQVENTIVM OPVSCVLORVM.

MAnuscriptus Codex cathedralis Ecclesiæ Ratisponensis Auctorem vocat Bernaldum. Suspicor illum esse, de quo hæc Trithemius in lib. de illustribus viris Germaniæ, &, in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: *Bernoldus presbyter Ecclesiæ Constantiensis in Sueuia, natione Teutonicus, vir deuotus, & in scripturis S S. studiosus, & eruditus, atq; in disciplina secularium literarum sufficienter instructus, ingenio clarus, & comptus eloquio, reliquit studij sui nonnulla opuscula, quæ tamen ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt, &c. Claruit temporibus Henrici IV. M. LX.* Hæc Trithemius.

Nec refert, quòd apud Trithemium legitur *Bernoldus*; in nostris verò Codicibus Bernaldus. quia vnius literæ discrimen censeri non debet facere discrimen personarum; præsertim, si cætera consonent, vt hìc certè consonant. Quid, quod Bernaldus, seu Bernoldus noster, esse videtur, Bertoldus presbyter Constantiensis; qui edidit Chronicon rerum gestarum post obitum Hermanni Contracti, Henrico IV. Romanum imperium gubernante; a anno Domini M. LIV. vsque ad eius seculi finem, annis continuis XLVI. Nam ipsemet Chronici illius editor *Bertoldum* nominat, non nisi ex Cuspiniani auctoritate: &, quæ Trithemius de Bernoldo scribit; hæc, iste ad Bertoldum refert. Et quàm parua est differentia inter hæc tria: *Bernaldus, Bernoldus, Bertoldus.* Nam, quod aliqui videntur mutasse in *Bernardum*, id longius paulum à vera orthographia distat: etsi, nec tanta est varietas, quæ in nomine literis tam affinibus constante, non potuerit accidere.

Fuisse autem Bernaldum, seu Bernoldum istum causæ Gregorij VII. hoc est, causæ legibus diuini, humanique iuris consenta-

ſententiæ,addictiſſimum,manifeſtum fit,tum ex his,quas modò vulgamus, lucubrationibus; tum ex Chronico illius, vbi Gregorium VII ſemper vt virum ſanctum, ſicut re vera erat, prædicat; &, aduerſarios eius, meritis inſectationibus proſequitur: ita vt hæretico editori bilem propemodum ob hanc cauſam mouerit.

Bernardus ille,ad quem exſtat primus tractatus Bernaldi; & præſertim duæ aliæ eiuſdem Bernaldi ad eundem Bernardum; & vna Bernardi ad Bernaldum; alius non fuit,quàm is, de quo Trithemius hæc in libro de viris illuſtribus Germaniæ,& in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum: *Bernardus monachus cœnobij S.Viti,Corbeienſis in Saxonia, ordinis S.Benedicti; vir, in diuinis ſcripturis ſtudioſus,& eruditus, atq; in ſecularibus literis ſufficienter doctus,ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, carmine peritus, & proſa. Scripſit nonnulla ingenij ſui opuſcula,quibus nomen ſuum poſteris notum fecit. Ad Hartuuicum* (in Chronico Bertoldi vocatur Hartungus) *Magdeburgenſem Archiepiſcopum,edidit volumen luculento quidem,ſed amaro ſermone, contra Henricum IV. Regem,ſed tertium Imperatorem; in quo, clarè patet,quàm grauis, & odioſus fuerit idem Henricus Saxonibus. Scripſit præterea multas,& varias epiſtolas, &c. Claruit eiuſdem Henrici IV. temporibus, anno Domini, M. LXX. & varia compoſuit.* Hæc Trithemius.

Antequam profiteretur vitam monaſticam,Magiſter ſcholarum Conſtantienſium fuerat: vt teſtatur ipſe Bernaldus, ſeu Bernoldus in Chronico ſuo· *Anno M. LXXXVIII. Bernardus Conſtantienſium Magiſter ſcholarum, vir eruditiſſimus, in cauſa S.Petri feruentiſſimus,in Saxonia,* (nimirum, in monaſterio Corbeienſi) *ſub monaſtica profeſſione migrauit ad Dominum.* De eodem Bernardo idem Bernoldus anno M. XCI. *Bernardus quoq; Conſtantienſis Magiſter ſcholarum, cuius obitum ſupra notauimus,multa nobis ſui ingenij monumenta reliquit;multaq; pro Catholicis contra ſchiſmaticos ſui temporis elegantiſſimè ſcripſit.* Et poſt multa alia, quæ ſupra teſtimonio decimo nono recitauimus, deque Bernardi huius nimio zelo eò vſque progreſſo, vt excommunicatorum Sacramenta valere negaret; ſubdit Bernaldus. *Cæterum,ſi quis plenius hæc noſſe deſiderat, ſcriptũ cuiuſdam ad eundem Bernardum de eâdem quæſtione directum, diligentiſſimè perlegat: in quo,teſtimoniis SS.Patrum euidentiſſimè docebitur,quid SS. Patres de illa quæſtione cenſuerint ſentiendum.*

Quis

Quis est ille, *quidam*, cuius scriptum, antidoti loco, citat Bertoldus seu Bernoldus, nisi ipsemet Chronici illius scriptor, & auctor? Quod est hoc *scriptum*; nisi primus tractatus de Sacramentis excommunicatorum ad Bernardum destinatus: quem etiam *Præceptorem* appellat? Cui adde Apologeticum pro decretis Gregorij VII. & epistolam ad Bernardum, quam infra inuenies; in qua refellit epistolam Bernardi, quatenus à veritate abibat: vt proinde nullum amplius de Bernaldo, qui scribit, & de Bernardo, ad quem scribit, dubium supersit.

Eisengrinius in Catalogo testium veritatis profert alium Bernardum monachum S. Blasij, in eôdem argumento aduersus schismaticos versatum: sic enim scribit: *Bernardus monachus de S. Blasio, natione Germanicus, vir sacrarum literarum studiis doctus, & in primis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, fidei propugnator acerrimus, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarumq; literarum Doctor subtilissimus: scripsit apologeticas orationes contra schismaticorum obiectiones, ad Adelbertum Spirensem præpositum: in quibus præcipuè defendit, quod ipse & alij monachi S. Blasij meritò ab excommunicatis abstineant. Circumfertur & eiusdem de lege excommunicationis epistola, ad Adelbertum Argentinensem Præpositum. De eâdem quoq; re epistolæ duæ ad Rechonem quendam: & plura alia scripturarum eius monimenta Ecclesiæ* DEI *profutura.* Hæc ille.

Adiungit epitome Gesnerianæ Bibliothecæ. *Ad Paulinum de emptione Ecclesiarum epistola. Epistola, ad quendam sacerdotem de Othonis Episcopi Constantiensis reiectione; & alterius in locum eius substitutione. De officio presbyterorum, ad Fratres in Rettenbach. Ad Vualterum sacerdotem tractatus de solutione iuramentorum. Ad Reuerendiss. Antistitem Gebehardum de excommunicatorum ordinatione, & salute paruulorum, qui ab excommunicatis baptizati sunt, & aliis quibusdam ad Concilium proximè futurum pertinentibus. Floruit circa annum Domini, M. LX. VI.*

Testatur eadem epitome hunc *Bernardum* in V. C. vocari *Bernaldum.* Et vbi de Bernoldo agit, sic loquitur: *Bernoldus presbyter Ecclesiæ Constantiensis scripsit ordinem Romanum lib. I. & alia. Vixit anno, M. LX. Fortè hic est Bernaldus de S. Blasio.* Sed probabilius est, non esse. Nam Eisengrinius Bernoldum Constantiensem distinguit à Bernardo de S. Blasio. Et nusquam vlla exstant vestigia, quod Bernoldus, seu Bernaldus, cuius

cuius nunc ſcripta vulgamus, monaſticam vitam profeſſus fuerit. Quid ſi iſti ex Bernardo noſtro monacho Corbeienſi, prius Magiſtro ſcholarum Conſtantienſium, cudiſſent nobis monachum S. Blaſij? Nam, ſi quis talis exſtitit, quî factum, vt fugeret Trithemium, qui nullum Bernardum de S. Blaſio agnoſcit? ſed, ſolùm Bernaldum presbyterum, & Bernardum Corbeienſem. Et cur, nullus Bernardus Corbeienſis apud Eiſengrinium comparet; ſed ſolus Bernardus de S. Blaſio? &, Bernoldus presbyter Conſtantienſis? etſi in epitome Geſneriana comparet Bernardus Corbeienſis. Sed parum intereſt, licet quis tres diuerſos fuiſſe ſtatuat: dummodo Bernardum, ſeu Bernaldum de S. Blaſio cum noſtro Bernoldo, ſeu Bernaldo non confundat.

Cæterum Adalbertus, qui cum Bernaldo duas epiſtolas, ad Bernardum Conſtantienſium ſcholarum Magiſtrum, & poſtea monachum Corbeienſem, miſit, non videtur eſſe alius, quàm ille, de quo Bernaldus ipſe in Chronico: *Doctor Adalbertus, facto, verboq; diſertus, iam XXX. annis mundo crucifixus, & in fine ad Euangelicam perfectionem perductus, migrauit ad Dominum, tertio nonas Decembris.* nempe Anno Domini M. LXXIX.

Alboinus, ad quem Bernaldus aliquot epiſtolas ſcribit, adeò placuit Illyrico, vt eum inter teſtes Lutheranæ veritatis poſuerit in ſuo Catalogo: *In fragmentis Auentini*, inquit Illyricus, *inuenio Alboinum quendam, admodum doctum virum, qui ante CCCC. annos vixit, defendiſſe coniugium ſacerdotum.* Scilicet, quiſquis caſtitati, ſeu continentiæ, & Apoſtolicę ſedis ſanctionibus aduerſatur, is derepente vir doctus, & pius in Illyrici ſchola efficitur, etiã *abſq;* doctrina & pietate; aptuſq; eſt, teſtari veritatem, ſed Lutheranam & Caluinianam: Nam Alboinum fuiſſe non doctiſsimum, ſatis teſtantur eiuſdem *malè tornatæ epiſtolæ*, vt meritò à Bernaldo appellantur. Sat Præfationis. Iam opuſculorum Indicem ſubiiciamus; Et poſtea Bernaldum ipſum audiamus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX OPVSCVLORVM BERNALDI CONSTANTIENSIS PRESBYTERI.

I. *Tractatus de Sacramentis excommunicatorum iuxta assertionem SS. Patrum.*

II. *Apologeticus de excommunicatione facta à Gregorio VII.*

III. *Synodus Romana sub Gregorio VII.*

IV. *Epistola I. Bernaldi ad Alboinum de celibatu sacerdotum.*

V. *Responsio Alboini ad precedentem Epistolam.*

VI. *Responsio Bernaldi ad Alboinum.*

VII. *Secunda Bernaldi responsio ad Alboinum.*

VIII. *Secunda responsio Alboini ad Bernaldum.*

IX. *Tertia responsio Bernaldi ad Alboinum.*

X. *Epistola reconciliatoria Alboini cum Bernaldo.*

XI. *Apologeticus Bernaldi pro decretis Gregorij VII. factis in Romana Synodo.*

XII. *Epistola Adalberti, & Bernaldi ad Bernardum Magistrum scholarum Constantiensium de Sacramentis excommunicatorum.*

XIII. *Responsio Bernardi ad precedentem epistolam.*

XIV. *Alia Adalberti & Bernaldi ad Bernardum epistola.*

Digitized by Google

BERNALDI PRESBYTERI TRACTATVS DE SACRAMENTIS EXCOMMVNICATORVM IVXTA ASSERTIONEM SANCTORVM PATRVM: NVNC PRIMVM EDITVS EX BIBLIOTHECA ADMODVM REVERENDI AC NOBILIS CAPITVLI Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis.

RELIGIOSISSIMO SACERDOTI, AC PRVDENTISSIMO PRAECEPTORI BERNHARDO

IAM IPSIVS REGIS CVBICVLVM* INGRESSO, BERNALDVS *solo nomine Presbyter, non moribus; deuotissimæ orationis, atq; seruitij certitudinem.*

*Quia Monasticum ordinem Corbeia amplexus fuerat.

DE Sacramentis excommunicatorũ, vnde iam dudum, ante multos annos multa ad inuicem scripsimus, nec tamen eo tempore aliqaum certitudinem inuenire potuimus, tandem, quid Dei clementiâ paruitas nostra inuenerit, vobis libet intimare, vestroque Examini prȩsentare. Non enim iam modo, vt quondam, vestri Examinis censuram subire timemus, sed optamus, qui olim manum nostram ferulæ vestræ in scholis multoties subduximus.

Bernaldus discipulus Bernardi Constantiensis Scholarum Magister, postea Monachus Corbeiensis.

Sententiæ Sanctorum Patrum de Sacramentis, quæ extra Ecclesiam Catholico more fiunt, diuersæ reperiuntur; quarum quædam eadem penitus annullare videntur, quædam autem, etsi recipi ea prohibeant, non tamen prorsus eorum confectionem denegant. Nam Beatus Leo Papa primus scribens Leoni Augusto de Alexandrino Timotheo excommunicato: *Manifestum est*, inquit, *per crudelissimam, insanissimamq;* *vesaniam (in Alexandrina sede) *omne illic cœlestium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus *omnia se subtraxêre mysteria.*

*S. Leo l. [illegible] ff. 75. Decr. 2. p. c. 1. q. 1. c. 69.

*sæuitiam.

*impiorum.

Item B. Innocentius Papa scribens omnibus Episcopis de ordinationibus extra Ecclesiam, asserit dicens: *Qui honorem amisit, honorem dare non potest, nec ille aliquid accipere, quod nihil in dante remansit, quod ille posset accipere.* Adquiescimus, & verum est, quia quod non habuit, dare non potuit. Damnationem ergò quam habuit, per prauam manus impositionem dedit. Item Beatus Pelagius Papa Ioanni Patricio scribens; *In Schismate*, inquit, *non consecratur, sed execratur Episcopus.* Item S. Gregorius Papa primus de ordinatione Maximi Salonitani Episcopi prȩsumptoris scribens; *Quam rem*, inquit, *nos nullo modo possumus dicere consecrationem, quod ab excommunicatis celebrata est.* Hæ nimirum sententiæ videntur Sacramenta excõmunicatorum proscribere; cum per manus eorum non consecrationẽ, sed damnationem, & execrationem administrari pronuncient.

B. Innocentius I. Epist. 27.

S. Gregorius Mag. Lib. 3. Epist. 20. Vbi sic Verba præsentantur: Quã rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata.

Sunt autem aliæ, quæ & extra Eccle-

C siam

siam Sacramenta posse confici affirmant. Sicut illud B. Anastasij Papæ ad Anastasium Imperat. de Sacramentis Acacij. *Ideo hic* (Acacius) *cuius nomen dicimus reticendum, male bona ministrando, sibi tantum nocuit. Nam inuiolabile Sacramentum, quod per illum datum est, in aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit,* * *ei autem obfuit.* * *Quod sicst, aliquorum in tantum se extendit curiosa suspicio, vt imaginentur, prolato à Papa Felice iudicio, postea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acacius vsurpauit, egisse; ac* * *proinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia diuina videantur, meminerint, in* * *hanc partem quoq; similiter tractatum præualere superiorem, quia non sine vsurpatione sacerdotij adiudicatus hoc egit; in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoq; alius, rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum* * *pertinet quod tubâ Dauidicâ canitur; Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in* * *delictis suis. Nam superbia semper sibi, non alijs facit ruinam; quod vniuersa scripturarum testatur autoritas: Sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur in Prophetâ: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Vnde cum sibi sacerdotis nomen vindicauerit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est; quia,* sic Ed. Rom. *non populus, qui in* * *ministeriis donum ipsius fitiebat, exclusus est: sed anima sola illa, quæ peccauerat, iusto iudicio propriæ culpæ erat obnoxia.* Sic Ed. Rom. ritè supplet.

Item Beatus Augustinus Vincentio Donatistæ scribens; *Ecclesia*, inquit, *sunt omnia Sacramenta Dominica, quæ sic habetis, & datis, quomodo habebantur, & dabantur etiam, antequam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quod non estis ibi, vnde sunt, quæ habetis.* Et post pauca: *Nobiscum estis in Symbolo, in baptismo, in cæteris Sacramentis: in spiritu autem vnitatis & vinculo pacis: in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis.*

Sed hæ sententiæ, etsi diuersæ, à veritate tamen deuiare nusquã probantur, si competenter intelligantur: Videlicet si superiores sententiæ ad effectum baptismi referantur, qui nusquã esse posse extra Ecclesiam veraciter asseritur; & inferiores ad veritatem Sacramentorum referantur, quæ eadem integritate, & bonis & malis adesse creduntur; Ac si vno ore ipsi Sancti Patres nobis communiter dicerent. Extra Ecclesiam, nec sunt, nec fiunt Sacramenta effectiuè, id est, cum salute animæ; attamen eadem inutiliter, imò perniciosè, & esse, & fieri non denegamus. Si enim ea extra Ecclesiam esse vel fieri penitus denegarent, nullatenus eadem in reconciliatis rata haberent. Nam prædictus Papa Leo Clericos Hæreticorum cum ordine recipi concessit, qui tamen omnia Sacramẽta manibus damnatorum subtracta superius asseruit. Item B. Innocentius, qui ordinationem Hæreticorum, non nisi damnationem esse prædixit, ordinationes Nouatianorum cum Nicęnis Patribus ratã esse probauit, cum eum non reordinandum esse iudicauit, sed acceptum ordinem administrare permitteret. Item Nicænum Concilium Clericos Nouatianorum cum ordine recepit. Itidem Africanum Concilium de Clericis Donatistarum fecit, videlicet, vt reconciliati ordinem vtiliter administrarent, quem extra Ecclesiam sine effectu, hoc est, sine salute animæ, imò perniciosè percepissent. Hinc B. Augustinus scribens ad Bonifacium de Clericis Donatistarum conuersis; *Sint*, inquit, *in Ecclesia Clerici, sint Episcopi vtiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter.* Omnes sane eiusmodi sententias, quæ consecrationem foris factam in tantum damnant, vt eam nõ nisi damnationem, siue execrationem, & maledictionem dicant, non ad ipsa Sacramenta, sed ad effectum eorum congruè referimus: ne eadem Sacramenta exsufflare videamur, quæ Sancti Patres in incõuersis integra esse docuerunt, cum conuersos non reordinarent, sed foris acceptum ordinem administrare permitterent.

Illud quoque quod B. Pelagius Papa scribens illustribus viris, Viatori, & Pancratio dicit: *Corpus Domini non esse, quod Schismaticus conficit*; ita congruè intelligitur, vt ipsi non sit corpus Domini effectiuè: Sicut è contrario in

Missa

Anastasius II Epist. Graec. sub finem.

* hoc supplent editio Rom.

* Quod cũ ita sit. Ed. Rom.

* perinde. sic Rom. Ed.

* hac quoque parte. Ed. Rom.

* pertinuit. Ed. Ro.

Psal. 67.

Ed Rom.

* delictis.

Psal. 100.

* mysteriis. Ed. Rom.

Non exstat in Edit. Rom.

Digitized by Google

Missa oratur à Sacerdote, vt *fiat nobis Corpus Domini*; videlicet ad salutem animæ. Hinc & Sanctus Gregorius in 4. Dial. libro. *Tunc*, inquit, *verè pro nobis hostia Deo erit, cùm nos ipsos hostiam fecerimus.* Est quidem etiam peccatoribus, & indignè sumentibus vera Christi Caro, verusque sanguis: sed essentiâ, non salubri efficientia: de effectu, inquam, Sacramenti, non de ipso Sacramento illud dictum competenter interpretamur, ne Beato Augustino contradicere videamur. qui Eleusio & Felici Grammatico scribens, etiam Donatistas, & in dissensione, & in schismate sacrificare testatur. Idem ad Bonifacium; *Hæretici*, inquit, *non quærunt Spiritum sanctum nisi in Christi corpore, cuius habent foris Sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cuius illud est Sacramentum, & ideò sibi iudicium manducant, & bibunt, vnus enim panis Sacramentum est vnitatis.*

S. Gregorius 4. dialogorum cap. 59.

Huiusmodi distinctionem inter Sacramentum, & eius effectum, cùm quidam ex antiquis Patribus minus attenderent, ad hoc deuenerunt, vt & baptismum in hæresi susceptum, nihil esse putarent, Beato Augustino attestante in lib. VI. contra Donatistas: *Nec ob aliud*, inquit, *visum est quibusdam, etiam egregiis virù antistitibus Christi, inter quos præcipuè Beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud Hæreticos vel schismaticos, baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel vsu Sacramenti; & quia eius effectus, atque vsus in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inueniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur:* Sed considerato eo, quod & reprobi in Ecclesia sine effectu Sacramenta habent, & tamen habent: Itidem & ab his, qui extra Ecclesiam sunt eadem perniciosè haberi, & tamen haberi Pastores Ecclesiastici censuerunt. Vnde idem Doctor in tertio libro contra Donatistas: *Hæretici* * *habent Sacramenta, & scripturas ad speciem, non ad salutem.* Idem in quarto: *Nec foris, sicut nec intus quisquam, qui ex parte Diaboli est, potest vel in se, vel in quam maculare Sacramentum, quod Christi est.* Item in quinto: *Deus adest Sacramentis, & verbis suis per qualescumque administrentur; & Sacramenta Dei vbique recta sunt; & mali homines, quibus nihil prosunt, vbique peruersi sunt*; id est, intus, & foris.

S. Augustinus lib. 6. de Baptismo, contra Donatistas. cap. 1.

* tenent. S. Augustinus lib. 3 contra Donatistas cap. 19. seu sub fin. libri. Idem contra eosdem lib. 4. c. 12. Idem contra eosdem operis, lib. 5. c. 19.

Idem ad quendam Festum: *Nec*, inquit, *Sacramenta eorum* (Hæreticorum) *nobis inimica sunt, quæ cum illis nobis sunt communia; quia non humana sunt, sed diuina. Proprius eorum error auferendus est, quem malè imbiberunt; non Sacramenta, quæ similiter acceperunt; quæ ad pœnam suam portant, & habent, quantò indignius habent, sed tamen habent.*

Idem Epist. 167. ad Festum.

Idem in expositione super epistolam S. Ioannis: *Habere*, inquit, *baptismum, & malus potest; habere Prophetiam, & malus esse potest. Inuenimus Saulem Regem habuisse Prophetiam, qui persequebatur Sanctum Dauid; & impletus est spiritu Prophetiæ, & Prophetare cœpit. Accipere Sacramentum corporis, & sanguinis Domini & malus potest. Nam de talibus dictum est: Qui manducat, & bibit indignè. Habere nomen Christi, & malus esse potest, id est, Christianus vocari & malus esse potest. De quibus dictum est: Polluebant nomen Dei sui. Ergò habere Sacramenta ista omnia & malus esse potest; habere autem charitatem, & malus esse non potest.* Idem ad Emeritum * Hæreticum: *Vos*, inquit, *mutamini ex ea parte, qua dissentiebatis; quamuis Sacramenta, quæ habebatis, cum eadem sint in omnibus, sancta sint. Quapropter vos mutari volumus à peruersitate, id est, vt denuò radicetur vestra præcisio. Nam Sacramenta, quæ non mutastis, sicut habetis, approbantur à nobis; ne fortè cùm vestram prauitatem corrigere volumus, illis mysteriis Christi, quæ in vestra prauitate depranata non sunt, sacrilegam faciamus iniuriam.* Idem in lib. 1. contra Donatistas: *Sic & illa* (Sacramenta) *quæ Schismatici, & Hæretici, si non aliter habent, nec aliter agunt, quàm vera Ecclesia, cùm ad nos veniunt, non emendamus, sed approbamus.*

Idem Epist. 164. sub finem.

S. Augustinus contra Donatistas lib. 1. c. 13.

Ex his ergò sententiis euidentissimè declaratur, etiam extra Ecclesiam esse Dei Sacramenta, cum in conuersis non iterentur, sed potius rata esse iudicentur. Eadem autem ratio, & de ordinatione, & de baptismo foris accepto tenenda est. Nam iuxta Augu-

ſtinum; *nulli Sacramento iniuria facienda eſt.* Si diſcedit à malis, vtrumque diſcedit; ſi permanet in malis, vtrumque permanet; *aut enim conuerſus adminiſtrat, quod adminiſtrauit, ſi hoc vtilitas Eccleſiæ exegerit; aut, ſi non adminiſtrat; manus tamen ei inter Laicos non imponitur, eò quod Sacramentum ordinationis obtineat.*

Quia igitur tam egregij Doctoris aſſertioni, & nos abſque ſcrupulo acquieſcere debemus. quem & Romani Pontifices iuxta atteſtationem ſancti Cæleſtini Papæ inter Magiſtros, dum adhuc viueret, habuere: cuius & Opuſcula poſt mortem eius pro authenticis recipienda Synodali iudicio decreuere. Quapropter illud ſcriptum Muſici *VVidonis*, quod ſub nomine Paſchalis Papæ honoraſtis, non in tantum attendere debemus, vt contra aſſertionem Præfati Doctoris Sacramẽta ab Hæreticis vſurpata, temere exſufflemus. Scribit enim ſatis improuidè de annullandis Simoniacorum Sacramentis, cum pię memoriæ Petrus Damiani Cardinalis Oſtienſis Epiſcopus religione, & eruditione nominatiſſimus, & in huiuſmodi cauſis ſagaciſſimus, non minus per Simoniacos, quam per alios Hæreticos Sacramenta decurrere probauerit in libro ſuo, quem *Gratiſſimum* cognominauit. Sancta quoque Romana Eccleſia nonnihil eos Sacramentorum habere demonſtrauit, cum in tempore Nicolai Papæ gratis ordinatos à Simoniacis, in acceptis ordinibus permanere conceſſerit. Quod autem Simoniaci Sacramenta habere dicuntur, non ad honorem eorum, ſed ad contumeliam eſt referendum, cùm tantò magis ſacrilegi deputentur, quantò ſanctius eſt, quod contra fas, & ius vſurpare non verentur. Eo vſque tantum humanam prauitatem inſequi debemus, ne iuxta Auguſtinum diuinis myſterijs ſacrilegam faciamus iniuriam, quæ prauitate hominum nullo modo deprauari potuerunt.

Sed & Sacramenta Neophytorum proſcribere non audemus, quorum ordinationes ſancti Patres ratas eſſe cenſuerunt, cùm eos acceptum ordinem adminiſtrare permitterent. Hinc Beatus Leo Papa primus ſcribens ad Epiſcopos Mauritaniæ, eos, qui ex Laicis ordinati ſunt, in ordine conceſſit permanere. Item S. Ambroſius in ordine, quem Neophytus, vtpote in octaua die poſt baptiſmum accepit, vſque ad finem vitæ Deo dignè diuina Sacramenta miniſtrauit. Hoc vtique nec ipſe ſanctus Ambroſius faceret, nec alibi ſancti Patres fieri permitterent, ſi neophytis Sacramentum ordinationis penitus defuiſſe crederent. Horum autem auctoritati illa exempla de annullatione huiuſmodi Sacramentorum anteponere nõ poſſumus, quæ non de antiquis, ſed recentioribus mutuaſtis temporibus, in quibus, inquam, temporibus, multa contra fas & ius vſurpata reperiuntur, quæ magis reſpuenda, quam in exemplum ducenda videntur. Ipſe etiam * *Romanus Pontificalis*, vnde illa exempla protuliſtis, ſæpenumerò non ita facienda, quàm facta hiſtorica ſimplicitate præſcribit: nec ſolum legitimas inſtitutiones, ſed & nonnullorum inconſideratas vſurpationes referre conſueuit. Vnde non omnia, quæ in eo ſcripta leguntur, pro Eccleſiaſticis ſanctionibus recipere debemus: præſertim illa minimè, quæ à conſideratiſſimis antiquorum Patrum ſententiis deuiare videmus; ex quibus vos duo exempla poſuiſtis, quæ Sacramenta neophytorum adeò profanant, vt ordinatos ab iis reordinãdos cenſeant, quod & ipſis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, aliiſque ſanctis Patribus aduerſari non dubitatur. Ipſi enim Apoſtoli in ſuis Canonibus eos damnaſſe leguntur, quicunque ſecundam manus impoſitionem accepiſſe detegerentur. Item S. Gregorius Papa I. ſcribens Ioanni Epiſcopo Rauennati: item prædeceſſores eius Zozimus Papa, atque Bonifacius cum CC. XVII. ſanctis Patribus Carthaginenſis Concilij reordinationem, æquè vt rebaptizationem, damnauere.

Quod autem illi, qui ordinati ſunt neophyti Sacramentum ordinationis non minus habeant, quàm Hæretici, ſupe-

VVido, ſeu Guido Aretinus, qui ſcripſit libros de Muſica. Vide Baron. Tom. II. ann. 1022.

Paulinus in Vita S. Ambroſij.

* *Liber hiſtoricus.*

S. Leo I. Epiſt. 87.

S. Gregor. Lib. 2. Epiſt. 32.

Digitized by Google

ſuperius ſanctiſſimi Patres, Leo Papa, & Ambroſius, alter decreto, alter exemplo nos apertiſſimè docuerunt. Quicunque igitur ordinatos neophytos iterum ordinandos cenſuerit, proculdubio contra ſanctos Patres facit. Eodem modo & illa reordinatio reprobatur, quam Alefredus Hildesheimenſis Epiſcopus fecit in his, quos Ebo Rhemenſis Epiſcopus, ſed damnatus, ordinauit. Nam iuxta Auguſtinum; **ſi quis Epiſcopus pro aliqua culpa ab officio remoueatur, Sacramento ſemel impoſito non carebit, * quod damnabiliter nihilominus dare, quàm habere poterit.* Sic & Acatius depoſitus, de quo ſupra retulimus, multos ordinauit, quos tamen beatus Anaſtaſius Papa integrum ordinationis Sacramentum ab eo percepiſſe, & ob hoc non reordinandos eſſe iudicauit. Nullus autem damnatus, vel excommunicatus, ſibi de confectione Sacramentorum applaudat, imò in hoc cumulum ſuæ damnationis agnoſcat, cum tanto ſceleratior, & ob hoc ſibi tantò pernicioſior exiſtat, quanto ſanctius reputat, quod ſacrilego auſu vſurpare non veretur. Nempe tolerabilius peccaret, ſi de altari corpus ſuum communi pane reficeret, quam animam ſuam damnatoria cõmunione interficeret. Nam iuxta Apoſtolum; *qui* (Euchariſtiam) *indignè ſumit, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Indignè autem ſumit, qui nondum criminibus pœnitẽdo ſe purgauit; quem nec Canonica ſeueritas ad pœnitendum excitare potuit. In ordinationibus quoque quilibet damnatus minus delinqueret, ſi nihil daret, quàm per Sacramentum ordinationis ordinato ſuam damnationem irrogaret. Et mirum in modum, dum eam alij irrogat, penitus ſibi ipſam non diminuit, ſed multiplicat. Nequaquam igitur damnati de perniciosa vſurpatione Sacramentorum applaudant ſibi, cùm tanto irreparabilius ſeipſos condemnent, quantò ſanctiora ſunt, quæ dare, vel, accipere contra fas & ius ſacrilege præſumunt.

*ſi quiſquã (ordinatum) *S. Auguſt. de bono coniugali. cap. 24.*

* quamuis ad iudicium permanente. *Anaſtaſius 11. Epiſtola Unica.*

Hinc ſanctus Gregorius Papa I. in Regeſto ſuo K. CC. XL. * partis ſecundæ, damnatum ſacerdotem priſtini officij vſurpatorem perpetua excõmunicatione damnat, vt vix ei viaticum in fine vitæ concedat. Hinc ſancti Patres in Antiocheno Concilio * K. 4. cuilibet damnato, ſi aliquid de ſacro miniſterio attingeret, omnem ſpem reſtitutionis, vel locum ſatisfactionis penitus denegauerunt; omneſque ei infra damnationem communicantes ſub excommunicatione damnauerunt. Siergò pro vſurpatione ſacri miniſterij tam acriter damnantur, qui ſolo officio priuantur, quanto magis illi, qui officio & communione priuati, talia præſumpſerunt indigni.

S. Gregor. Lib. 4. Epiſt. 5. ad Gregorium Venantium Epiſcopum Lancuſem. * *Vide etiam d. 50. c. 10. Accedens.*

* *Cap. Vel Canone quarto.*

Caueant quoque & ipſi Catholici, ne aliquando Sacramenta à damnatis percipiant, ne ſe ſub excommunicationem ſanctorum Patrum ponant. Præcipuè autem de Sacramentis excommunicatorum caueant, quod per hæc iuxta atteſtationem ſanctorum Patrum, non ſalutem, ſed damnationem, & execrationem quilibet participantes accipiunt, quibus non dico in Sacramentis, ſed ſi in oſculo communicauerint, Canonicam excommunicationem ſubterfugere non poterunt.

1. Cor. 11.

EIVSDEM BERNALDI CONstantiensis Presbyteri

APOLOGETICVS SVPER EXCOMMVNICATIONEM GREGORII VII.

SENTENTIAM excommunicationis, quam Dominus noster Gregorius Papa VII. Apostolica autoritate promulgauit, nonnulli sacrilega temeritate, quasi irritam iudicare præsumunt, seque in hoc, iuxta attestationem sanctorum Patrum, Apostolicæ autoritatis reos pernicioſissimè efficiunt. Sed in hac eorum præsumptione, nec ipsi peccarent, nec alios peccare facerent, si cuiuslibet Prælati in Ecclesia priuilegium, non dico Romani Pontificis, primatum attenderent. Est enim generale priuilegium huiusmodi Prælatorum, iuxta institutionem sanctorum Patrum, vt subditos iudicent, nec subditi eorum iudiciis temerè resultent, quibus absque omni contradictione secundum Canones obedire debent. Scriptum est enim. *non est discipulus supra Magistrum.* Et; *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et si hoc Apostoli de seculari potestate dixerũt. quid nos sub Ecclesiastica potestate degentes agere debemus, vbi inobedientia, pro ariolatione, & Idololatria reputatur. Si ergò inobediens Ecclesiasticæ potestati, scilicet diuinæ ordinationi pro Idololatra meritò deputatur, quid de illo censendum est, qui eandem potestatem penitus abrogare conatur? Videat autem quilibet Prælatus quam sibi reuerentiam à subditis exigat, nec eam Romano Pontifici denegare velit, à quo omnis Ecclesiastica potestas procedit. Nunquid enim suam potestatem statim irritam fore iudicabit, si qui tantum ex subiectis eius ita iudicauerint? Nunquid statim A suam prælationem ipse denegabit, si quidam ex suis ouibus eum pro Prælato habere noluerint? Nunquid suam Canonicam excommunicationem in subditos irritam arbitrabitur, si quidam tantum eorundem subditorum hoc asserere conantur, qui * tantum, eotenus ei, vt legitimo pastori, obedierunt, & sententias eius in alios ratas esse censuerunt? Nunquid sententiam suam iudicio subditorum retractari, nedum penitus annullari vnquã patietur? Non planè. Ergò reuerentiam, quam ipse à subditis suis sibi exigit, etiam ipsi Prælato suo, iuxta statuta sanctorum Patrum, dependat, & præcipuè Episcopo Sedis Apostolicæ.

Huius vtique sententiam sancti Patres, nusquam retractari, nedum annullari ab aliquo permiserunt. Hinc beatus Nicolaus Papa primus omnibus Episcopis scribens; *Nemini*, inquit, *licitum est de sedis Apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum*, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum.

Item Beatus Gelasius ad Episcopos Dardaniæ: *Cuncta*, inquit, *per Mundum nouit Ecclesia, * quòd Sacrosancta Romana Ecclesia quorumlibet Episcoporum ligata possit absoluere, & de omni Ecclesia fas habeat iudicare, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.*

Item Sanctus Syluester Papa vniuersalis Synodi iudicio decreuit; *Nemo*, inquit, *primam sedẽ iudicabit: Neq; enim ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à regibus, neq; à Populo Iudex iudicabitur.*

* quoniã quorũlibet sententiis ligata Pontificũ, sedes B. Petri Apostoli non habeat resoluẽdi: vtpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neq; &c. sic Rõ. editio.

Matth. 10.

Rom. 2.

1. Reg. 15.

* tamen.

Vide C. 17. q. 4. c. 30. Nemini. Vbi hoc scholiolum apponitur. Epistola, ex qua hoc ca. sumptũ est non extat: aliquid tamẽ simile habetur Epist. 1. ad Michaëlem Imp. B. Gelasium I. De hoc vide 9. q. 3. c. 107. & 108 Cuncta. Est-ne quorumlibet Episcoporum Epist. 11. Edition. Rom. S. Syluester. I. Cap. 20.

Bea-

Laus Gregorij VII.

Beatus autem noster Gregorius Papa, Canonicè quidē ordinatus, vt sancta Ecclesia Romana fidelissimè testatur, ab omnibus Catholicis Iudex vniuersalis Ecclesię, & pro Romano Pontifice semper habebatur, quod & ipsi eius excommunicati de eo iudicauerunt, cùm ad eius reconciliationem sæpenumero recurrerint, licet ad vomitum suum postea redire non timuerint. Nunquam sanè aliquod crimen in illo, vel ab inimicis inuentum est, vel probatum, quod susceptum sibi illicitum faceret officium. Sed si quod tale crimen admisisset, nunquid tandem inauditus, nō confessus, nec conuictus canonicè damnari posset, etiamsi vltimus Ecclesiastici ordinis extitisset? Nūquid enim legitimè officium suum exerceret, vsque dum Canonicè iudicatus ab officio cessare iuberetur? Et, hoc vtique Dominus noster Gregorius Papa nequaquam abnuit, quin more cuiuslibet Clerici duntaxat Canonicè audiretur. Et hoc priuilegio Romani Pontificis incongruum esse videretur, Aduersarij autem eius nec hoc vnquam concedere voluerunt. Nam in tali examinatione & illum expurgandum, & se * contumeliosè criminationis inculpandos fore non dubitauerunt. Ergo sententiam Apostolicæ autoritatis in apertissimos contumaces ab eo depromptā, nullus Christianus irritam iudicabit, qui Canonicis sanctionibus sanctorū Patrum contradicere noluerit. Ipsi enim & temerariam cuiuslibet inferioris Episcopi duntaxat Catholici excommunicationem vsq; ad Canonicam examinationem ratam esse censuerunt, vt in Sardicensi Concilio c. 17. legitur.

ab hostib. suis habit. & agnitus est prolegitimus Pontifex.

Innocentia Vita eius.

* cōtumeliosæ.

Nec illam excommunicationem noster Apostolicus priuatim deprompsit, sed generali Synodo præsidens vniuersali iudicio Ecclesiæ promulgauit. Quæ quidem Ecclesia, ius ligandi, atque soluendi in persona Petri acceptum semper obtinere à nullo fideli dubitatur, vt sanctissimi, atque fidelissimi Patres nostri, Cyprianus, Augustinus, atq; Leo Magnus in scriptis suis docuerunt. Quicunq; ergo eius iudicio in terra ligati sunt, ipsi nihilo minus, & in cœlo ligati indubitanter creduntur. Quapropter omni postposita contradictione, illos quos Dominus noster Gregorius Papa iudicio Vniuersalis Synodi excommunicauit, & nos excommunicatos esse credimus, ne ipsis excommunicatis damnabiliores meritò iudicemur, qui etsi qualibet occasione excommunicationi subiaceant, non tamen temerè ligamenta Ecclesiæ denegant. Nam proculdubio nefandius esse deputatur, quemlibet ipsam Ecclesiasticam potestatem ligādi, atque soluendi non credere, quàm, salua fide, Ecclesiasticis statutis non obedire. Hinc S. Gregorius Papa Primus ad Theoctistam patritiam scribens testatur: *Ipsi*, inquit, *sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ,* * *vanùm se existimant conatibus soluere*.

S. Gregorius lib. 9. epist. 39.

*variis Ed. Romana.

Sciendum autem, quod sancti Patres pro excommunicatis habuerunt non solùm illos, qui post apertam eorum contumaciam specialiter excommunicati sunt: sed & illos, qui iam factam excommunicationem incurrere non timuerunt, videlicet aut se in partem excommunicatorum conferendo; aut, quod sub excommunicatione illis specialiter prohibitum est, acceptando. Hinc S. Concilium Nicænum Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem, siue consensu, seu communione decidisset, vt B. Gelasius Papa testatur, damnauit; quem morem & in aliis excommunicationibus suis sancta mater Ecclesia obseruare consueuit. Beatus quoq; Gregorius Papa Primus, consecratores Salonitani præsumptoris excommunicatos esse declarauit, eò quòd ipsam consecrationem sub excommunicatione eis specialiter interdictam facere tentauerint. *Quam rem nos*, inquit, *nullo modo possumus dicere consecrationem, quæ ab excommunicatis celebrata est.* Sic vtiq; quilibet Romani Pontifices pro excommunicatis habuerunt eos vtique, quicunque aliqua sub speciali excommunicatione prohibita præsumpserunt. Ergo & à nobis omnes huiusmodi meritò, vt excommunicati; deuitantur, vsque dum Ecclesiastico more reconcilientur. Sunt

S. Greg. lib. 3. epist. 20.

autem quatuor res, in quibus eos ſpecialiter deuitare debemus, videlicet in ſalutatione, in oſculo, in oratione, in conuictu: *quòd*, vt S. Calliſtus Papa teſtatur, *quicunque excommunicatũ, vel in his, vel in aliis prohibitis communicauerint, ſimili excommunicationi, iuxta inſtitutionem Apoſtolorum, ſubiacebit.*

Calliſti I. epiſt. 2.

Sed multi ad *excuſandas excuſationes in peccatis* multipliciter ſe excuſant, quod excommunicatos vitare non debeant. Alij enim illam ſentẽtiam beati Auguſtini prætendunt, quòd *communio malorum non maculet niſi conſentientes*: alij dicunt; *quòd Eccleſiaſticis paſtoribus, ſiue eorum ſanctioni ſubiecti non ſint; eò quòd ſeculo penitùs abrenunciauerint:* alij *etiam ſibi obedientiam in Prælatum ſuum ſufficere putant, ne Canonicis Inſtitutionibus obedire debeant.* Sed omnes has excuſationes, quamuis ipſi Apoſtoli indubitanter, vt prædictum eſt, annullauerint, cum communionem excommunicatorum generaliter omnibus ſub excommunicatione, iuxta atteſtationem S. Calliſti Papæ interdixerint, nos tamen ſingulas, quàm friuola ſint, ſpecialiter demonſtrare, non pigebit. Et hoc vtique periti Eccleſiaſticarum regularum facilè per ſe deprehendunt; nos autem ſimplicioribus tantum fratribus in hoc ſatisfacere volumus, vt tanto ſtudioſius ab excommunicatis ſe abſtineant, quanto inexcuſabilius ſe in eorum communione maculari cognoſcant.

Pſal. 140. Varia excuſationes eorum, qui cum excõmunicatis communicabant. S. Auguſtinus, paſſim in libris cõtra Donatiſtas.

Refutatio excuſationum, quibus nõnulli communicationem eũ excommunicatis defendebant.

Illi ergo, qui ſententiam B. Auguſtini prætendunt, quod communio malorum non maculet niſi conſentientes, ad exaggerationem ſuæ excuſationis ſubinferre ſolent; *ſummopere ſibi crimina excommunicatorum diſplicere, nec vllo modo ſe eorum criminibus aſſentire, & ideo exteriorem eorum communionem non eis nocere.* Sed hæc ſententia beati Auguſtini, tantùm de communione malorum adhuc in vnitate poſitorum, & nondum pro ſua malitia excommunicatorum deprompta euidentiſſimè ex verbis ipſius Auguſtini probatur. Ponit enim eandem ſententiam ſcribens ad Donatiſtas: *Quiſquis*, inquit, *in Eccleſia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata; quoniam vnuſquiſque proprium onus (in ea) portabit. Sic & Apoſtolus dicit; Et quicunq; (in ea) corpus Chriſti manducauerit indignè, ſibi iudicium manducauerit & bibit. Cùm autem dicit; iudicium ſibi manducat & bibit; ſatis oſtendit, quod non alteri iudicium, ſed ſibi. Hoc nos egimus, & oſtendimus, & obtinuimus, quod communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, ſed conſenſione factorum. Nam ſi in factis malis non eis quiſquis conſentiat, portat malus cauſam ſuam, & perſonam ſuam, nec præiudicat alteri, quem in conſenſione mali operis, ſocium non habet criminis.*

Galat. 6.
I. Cor. 11.

Ecce apertiſſimè B. Auguſtinus non ſe hoc de excommunicatis dixiſſe manifeſtat, cum de eo, qui in Eccleſia corpus Domini indignè ſumit, dicat. Nam ſuperius ad eoſdem Donatiſtas de excommunicatis præmiſit dicens: *Quiſquis à Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimat, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſtianitate diſiunctus eſt, non habebit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.* Deinde, de his, qui in Eccleſia ſunt poſiti conſequenter adiecit: *Quiſquis autem in Eccleſia*, & reliq. vt ſuprà diximus. Idem Eleuſio, & *Grammatino: Quibus*, inquit, *mali placent in vnitate, ipſi communicant malis, quibus autem diſplicent, & eos emendare non poſſunt, ne ante tempus meſſis audeant Zizania eradicare, ne ſimul eradicent & triticum, non factis eorum, ſed altari Chriſti communicant, ita vt non ſolum ab eis non maculentur, ſed etiam diuinis verbis laudari, prædicarique mereantur; quoniam ne nomen Chriſti per horribilia ſchiſmata blaſphemetur, pro bono vnitatis tolerant, quod pro bono æquitatis oderunt.* Et hoc vtique de malis in vnitate poſitis, non de excommunicatis euidentiſſimè ſonat.

Iohan. 3.

* Felici Grammatico. *S. Auguſt. epiſt. 162.*

Idem ad Emeritum: *Et illud*, inquit, *non eſt tacendum, & cognitos malos bonis non obeſſe in Eccleſia, ſi eos à communione prohibendi, aut poteſtas deſit, aut aliqua ratio conſeruandæ pacis impediat.* Et poſt pauca: *Manifeſtum eſt, non hoc efficere hominem, quod eſt malus quiſquam, cum quo ad altare Domini acceditur, etiamſi non ſit incognitus, ſi tantùm non approbetur, & à bona conſcientia diſplicendo ſeparetur.*

Idem

Idem In ſerm. 17. de Euangelio ſecundum Matthæum de duobus cæcis: *In multis*, inquit, *Sanctorum librorum locis apertiſſimè ſonat eſſe intus in Eccleſia & bonos & malos, quos ſæpè dicimus frumentum, & paleam.* Et de iiſdem ipſis malis, id eſt in vnitate poſitis, quomodo boni non maculẽtur, in eodem ſermone ſubſequenter annectit: *Duobus modis*, inquit, *nõ te maculat malus; ſi non conſentias, & ſi redarguas, hoc eſt, non communicare, vel non conſentire. Communicatur quippe, quando facto eius conſortium voluntatis, vel approbationis adpingitur. Hoc ergo nos admonens Apoſtolus ait: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Et infrà: *Non conſentientes ſitis malis, vt approbetis, neque negligentes ſitis, vt non arguatis, neque ſuperbientes, vt inſultantes arguatis, Qui autem deſeruerit vnitatem, violat charitatem, & quiſquis violat charitatem, quidlibet magnum habeat, ipſe nihil eſt*, iuxta Apoſtolum. 2. Cor. 13.

Ideo in l. b. de fide, & operibus: *Cùm per negligentiam præpoſitorum, ſiue per aliquam excuſabilem neceſſitatem, ſiue per occultas obreptiones inuenimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſtica diſciplina corrigere, aut coërcere nõ poſſumus, tunc ne aſcendat in cor noſtrum impia, & pernicioſa præſumptio, qua æſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos, vt peccatis eorum non inquinemur, ac ita poſſ nos trahere conemur veluti mũdos, ſanctos q; diſcipulos à compage ſegregatos; veniant in mentem illæ deſcriptionis ſimilitudines, & diuina oracula, quibus demonſtratum, & pronunciatum eſt, malos in Eccleſia permixtos bonis vſque in finem ſeculi, tempus q; iudicij futuros, & nihil bonis in vnitate, & participatione Sacramentorum, qui eorum factis non conſenſerint obfuturos.*

Ecce quorum malorum communionem B. Auguſtinus nobis non nocere aſſerit, videlicet eorum, qui in Eccleſia ſunt poſiti, nondum ab Eccleſiaſtico iudicio ſeparati. Quod ſi idem ipſe S. Doctor non tam ſignanter vſquequaq; exprimeret, nos tamen illud nequaquam de excommunicatis intelligere deberemus, ne illum ipſis Apoſtolis, & ſanctis Patribus, ſibique ipſi contraria dixiſſe, aſtrueremus. Ipſi enim Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, communionem excommunicatorum in tantum nocere docuerunt, quod & ſupra notauimus, vt ſub excommunicatione eum damnarent, quicunque eis vel exterius communicare præſumeret. Nec hanc ſententiam B. Auguſtinus ignorauit, quam etiam in Concilio CC. XVII. Epiſcoporum ſua ſubſcriptione confirmauit. Non ergo aliquis B. Auguſtinum pro defendenda communione excommunicatorũ fruſtra in teſtimonium aſſumat, imò ei, ne eis vllo modo communicet, obediat, ne & ipſe, iuxta ſanctorum Patrum ſtatuta, eidem excommunicationi ſubiaceat.

Qui autem ſe de excommunicatione vitanda excuſatos putant, *quaſi abrenunciantes ſeculo, Eccleſiaſticis paſtoribus, ſiue eorum ſanctionibus non ſubiaceant*, videlicet monachi, ſiue quilibet religioſi, non ociosè conſiderent, quid de hoc ſanctum Chalcedonenſe Concilium deliberet. Ipſum enim generaliter omnes monachos per vnamquamque ciuitatem, ſiue regionem Epiſcopis ſubiectos fore decreuit, ipſosque Eccleſiaſticis ſtatutis inobedientes anathematizauit. Hoc autem vnum eſt ex illis quatuor Conciliis, quę S. Gregorius aſtruit veneranda, vt ſancta quatuor Euangelia; de quibus ad Patriarchas ſcribens teſtatur: *Cuiuſlibet*, inquit, *vitæ, atque actionis norma* * *exiſtat; quiſquis eorum* (hoc eſt, Conciliorum) *ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe videatur, tamen extra ædificium iacet.* Et poſt pauca; *Se, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit, aut ſoluere, quos ligant, aut religare, quos ſoluunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.* Vidéſne, quàm nulla religio quemlibet excuſare poſſit, quin Eccleſiaſticis ſtatutis obedire debeat, cum quilibet inobediens extra ædificium iacere deputetur: etiamſi tam religioſus ſit, vt lapis eſſe videatur. Imò ipſa religionis prærogatiua maiori eum addicit damnationi, qui non tanto obedientior ſanctiſſimæ matri ſuæ Eccleſiæ extiterit, quanto religioſior haberi voluerit. Debent vtique religioſi aliquid Eccleſiaſticis ſtatutis ſupererogare, non ipſa ſtatuta temerario auſu abrogare; alioquin tanto maius iudicium ſubibunt, quanto in altiori gradu ſanctitatis poſiti, & ipſa communia præ-

Refutatio alterius excuſationis.

5. Greg. lib. 1. epiſt. 24.

* conſilia

cepta

cepta non timent præuaricari. Est autem Apostolicum,& vniuersale totius sanctę Ecclesiæ præceptum,vt excommunicati deuitentur. Ergo & quilibet religiosi hoc obseruare debebūt; alioqui maiori damnatione, quàm etiam laici meritò subiacebunt.

Refellitur secta excusatio.

Sed & obedientia in Prælatum nos excusare non poterit, quin Apostolicis statutis necessariò obedire debeamus,si filijEcclesię esse volumus.Hinc enim *obedientiarij* Eutychetis Constātinopolitani Abbatis cum ipso Eutychete in ConcilioChalcedonensi anathematizati sunt. quod magis eidem, quàm Apostolicis institutis obedire delegerant. Subditi autem Nestorij Præsulis Constātinopolitani à sanctissima Synodo Ephesina laudati sunt, quod ipsi Apostolicis institutis obedientes,proprio Episcopo restiterunt, & ob hoc etiam postea ex eius potestate penitus emancipari meruerunt.

B.Eutychianus Papa epist.2.

Hinc & B.Eutychianus Papa,& Martyrà B.Petro decimus septimus in decretis suis, quæ martyrio consecrauit, verissimè protestatur; *quod subditus, nec Episcopo, nec Abbati suo obedire debeat, si iusserint ei, vt pro excommunicato Missas instituat.* Sed & B.Gregorius Papa I. Honoratum Salonitani Episcopi Archidiaconum, sed ab Episcopo depositum,eodem nolente Episcopo in locum suum restituit, aliumque eidem Honorato iam subrogatum deposuit, eò quòd ille suo Episcopo in tali subrogatione contra interdictum sedis Apostolicæ obedierit.Idem quoq; Apostolicus scribēs Ioanni Corinthiorum Episcopo, Paulum * Eufemium, Thomam, Clematium, clericos ab ordine deposuit, eò quod proprium eorum Episcopum accusare non obedierunt; quorum tamen Paulum,& Clematium in pristinum gradum postea restituit. Item ipse scribens omnibus* Nichacij Concilij Episcopis, firmissimè præcepit, vt Primatem suum Clementium de illatis criminibus cum omni solicitudine examinarent, vt audita si vera essent, vltione canonica resecaretur; hoc terribiliter subinferēs;quòd apud Deum eorundem criminum particeps existeret, quicunq; eorum illa subtiliter indagare neglexisset,

*Euphemium.

*Byzacij. *Vide S.Gregor.lib.10. epist.35.*

A Hæc & alia huiusmodi in Ecclesiasticis sanctorum Patrum statutis sufficienter inuenire potestis, quæ nobis euidentissimè demonstrant,quam obedientiam subiecti cuiuslibet Prælati ad superiorem potestatem debeant, quæ & ipsos damnare poterit,si vel Prælato suo contra ipsam obedierint. Non ergo aliquis obedientiam Prælati sui superfluè prætendat, quod præcipuæ potestati, videlicet Apostolicæ, & Ecclesiasticæ autoritati in deuitādis excommunicatis obedire non debeat, imò B tam subiectus, quàm Prælatus eos deuitare studeant, ne eidem excommunicationi, iuxta Apostolorum institutionem, pariter subiaceant.

Refutatur excusatio à multitudine excōmunicatorum.

Sed & illi excusationi, quam quidā simplices in nostro tempore prætendunt,*quod excommunicati iam in tantum abundauerint, vt nequaquam, aut vix deuitari possint:* facilè respondetur, quòd difficultas euitandi,non negligentiam nutrire, sed maiorem cautelam ad deuitandos excommunicatos debet nobis excitare. Quamuis enim difficile C vitentur, non tamen pro nullo peccato reputare debemus, si eis contra Ecclesiastica statuta communicauerimus,quæ iuxta sanctos Patres vsque ad sanguinem defendenda cognouimus. Nam & quotidiana peccata non minus pro peccatis reputamus, etsi ea nequaquam in hac vita deuitare valeamus. Vnde & quotidiana eis procurata sunt remedia, orationum videlicet, & Eleemosynarum, vt quotidie amputaretur, quod quotidie male pullulare videtur. Sic vtique quotiescunque excommunicatorum communione maculamur, D statim ad pœnitentiam,& reconciliationem festinare debemus. Nam difficultas euitandi, aut parum nos, aut nihil ad excusationem iuuabit, si nos ad præcauendum, & postea ad satisfaciendum negligentiores effecerit, quos in tali necessitate ad maiorem diligentiam excitare debuerit.

* Quidam etiam ineptissimè se cum morte Domini nostri Gregorij Papæ excusant, quasi excommunicationem Romani Pōtificis post mortem ipsius obseruare non debeant.Sed hi audiant ligationem Romani Pontificis non minus

* *Scripsit ergo Bernaldus hāc Apologiā, mortuo iā Gregorio VII.*

Digitized by Google

minus ratam reputari, quàm ſolutionem; quia B. Petro, & ſuis ſucceſſoribus à Domino ius ligandi eodem tenore, & firmitate, vt ſoluendi conceſſum eſt. Solutio autē cuiuſlibet Apoſtolici, ſiue in reconciliatione excommunicatorum, ſiue in reſtitutione lapſorum etiam poſt mortem ſolutoris valere non dubitatur. Nunquid enim quilibet reconciliatus, ſiue reſtitutus pro excommunicato, vel depoſito ſe ſtatim reputabit, poſtquam reconciliator eius, ſiue reſtitutor eius obierit? Non credo. Si igitur ſolutio cuiuſlibet Catholici Paſtoris poſt mortem ipſius rata & obſeruanda non dubitatur; itidem neceſſariò & de eius ligamento iudicabitur. Videlicet, vt & poſt mortem ligatoris æquè permaneat ligatus, qui non fuerit Eccleſiaſtico more reconciliatus.

Libet autem ſentētiam B. Cypriani Martyris, & egregij Doctoris de communicatoribus excommunicatorum ſubnectere, vt ipſi perpendant, quam periculosè ſibi ipſis ab eorum conſortio non caueant. Scribens enim ad Magnum Preſbyterum: *Inuenimus*, inquit, *in tali facinore non ſolum duces, & auctores, ſed & participes pœnis deſtinari, niſi ſe à communione malorum ſeparauerint, præcipiente per Moſen Domino, & dicente; Separamini à tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ab omnibus, quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccatis eorū; & quod comminatus per Moſen Dominus fuerat, implenit, vt quiſquis ſe à Chore, & Dathan, & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolueret. Quo exemplo oſtenditur, & probatur, obnoxios omnes & culpæ, & pœnæ futuros, qui ſe Schiſmaticis contra Præpoſitos, & Sacerdotes irreligioſa temeritate miſcuerint.* Caueant ergo omnes tam ſubiectus, quàm Prælatus, tam ſecularis, quàm religioſus à communione excommunicatorum, quòd nullus omnino excipitur, cum omnibus huiuſmodi communio ſub excommunicatione ab ipſis Apoſtolis interdicitur, & ſaltem cum excommunicatis perire timeamus, ſi nec pro reuerentia Apoſtolicæ interdictionis eos deuitare curamus.

B. Cypria. epiſt. 76.

Num. 16.

Ipſi etiam communicatores excommunicatorū deuitandi ſunt, & ſi communio eorum non ſub excommunicatione tam euidenter, vt excommunicatorum nobis interdicta legatur. Nam in ſacris Canonibus ſæpenumero reperitur, vt qui communicat excommunicato excommunicetur. Nec tantum ibi ſpecialiter adiicitur, vt & communicatoris communicator ſub excommunicatione damnetur: nempe multa, imò plura ſunt, quæ nuſquā vel ſub ſpeciali prohibitione, nedum excommunicatione, nobis prohibita legūtur, vt carnem comedere in paraſceue, & alia huiuſmodi, quæ tamē pro ſola Eccleſiaſtica conſuetudine neceſſariò deuitamus, ne iuxta Auguſtinum ad Caſulanum Preſbyterum, vt præuaricatores diuinę legis iudicemur. Si ergo plurima pro ſola Eccleſiaſtica conſuetudine deuitamus, quanto magis illud, quod à ſanctis Patribus & ſi non ſub excommunicatione, tamen firmiſſimè proſcriptum cognouimus, ſcilicet ne communicatoribus excommunicatorum communicemus. Nam beatus Gelaſius Papa, qui & aliorum ſanctorum Patrum ſcripta Apoſtolica auctoritate * canonizauit, ſcribens ad Epiſcopos Dardaniæ, hanc ſententiam promulgauit: *Nihil*, inquit, *nobis cōmune cum hominibus communionis externæ*, in his præcipuè rebus, quas ſancti Patres nobis prohibuiſſe cognouimus. Idem in ſequentibus: *Quid iuuat, ſi quis alicui euidentiori Hæretico non communicet, & his tamen communione iungatur, qui ab illius non ſunt communione diuerſi?*

* id eſt, anathēmatica declarauit, & ab apocryphis ſeiunxit. Gelaſij I. epiſt. 11.

Ne quis autē hanc ſententiam quaſi minus ratam contemnat, eò quòd pœnam excommunicationis ſpecialiter adſcriptam non habeat, diligenter attēdatur, quid B. Nicolaus Papa I. in generali Synodo preſidens generali eiuſdem Synodi iudicio decernat. *Sed ſi quis*, inquit, *dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, ſiue decreta à Præſule ſedis Apoſtolicæ promulgata contempſerit, anathema ſit.* Nec hoc vtique ſancti Patres neceſſarium fore iudicauerunt, vt ſingula quæque prohibenda ſingulari excommunicatione prohiberent, cum ſæpiſſimè omnium Eccleſiaſticarum inſtitu-

16. q. 1. c. 18.

institutionum violatores sub generali damnatione multarent. Sed & ipsa Ecclesiastica consuetudo sentẽtiam beati Gelasij Papæ obseruare conatur, *quæ communicatorem excommunicati recipere non solet, nisi reconciliatum. Nihil autem firmius est tenendum*, vt S. Augustinus testatur, *quàm illud, in quo veritas consuetudini suffragatur.*

Ideo autem sancti Patres huiusmodi communicatores deuitari voluerunt, quod ipsos quasi à seipsis dãnatos habuerunt. Sic præfatus Apostolicus Acacium, recepta communione Petri, se ipsum damnasse testatur. Vnde & beatus Felix Papa in ipsa sententia, qua Acacium anathematizauit, hoc signanter apposuit. *Habeo ergo cum hũ, quos libenter amplecterũ, portionem:* hoc est, cum excommunicatis: Ac si diceret. Non tam nouam excommunicationem super te fecimus, quàm veterem, qui te ipsum communicando excommunicatis innodasti, confirmamus. Nec hoc sanè negligenter inspiciendum, quòd B. Gelasius tam expressè subiecit, cur Apostolica sedes Acacium communicatorem Petri refutauerit: *Beati*, inquit, *Petri sedes ne per Acacium in Petri consortium duceretur, ipsum quoque à sua communione submouit.* Idem Anastasio Imp. *Gelasius l. epist. 10.* *Postquam Acacius communionũ externæ factus est, non potuit, nisi à Catholica, & Apostolica mox societate præcidi, ne per eum si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subisse contagia perfidorum.* Et paulò superius: *Non potest*, inquit, *quilibet peruersitatis communicatore suscepto, nõ pariter peruersus probari, nec potest refutari peruersitas complice peruersitatis admisso.* Vides ne, quàm necessario huiusmodi communicatores deuitemus, ne & nos per eorum consortium contagia perfidorum subisse iudicemur? Si quis autem hæc omnia latius considerare desiderat, scripta eiusdem Apostolici ad diuersos de anathemate Acacij non transitoriè legat, quæ si fideliter perlegerit, nulla ei amplius de vitandis communicatoribus excommunicatorum dubitatio remanebit.

Accipiant ergo sæpè dicti communicatores sanum consilium, & festinẽt ad Ecclesiasticam reconciliationem, nec Catholicam sinceritatem externa communione, iuxta B. Gelasium, commaculent; aut si ipsi suam salutem neglexerint, nos tamen, qui Catholici sumus, nobis ab eorum commaculatione caueamus.

In Simoniacorum causis.

Iudicium aquæ frigidæ non recipimus, nec eorum testimonium, qui eidem morbo consentiunt, sed religiosorum fratrum, qui eidem sceleri studio, & voluntate resistunt.* Qui tamen testes non per aquam frigidam, sed per ignitum ferrum, vel feruentem aquam sunt acquirendi.

Sequebantur hæc in M. S. Cod. quæ nec ad antecedentia, nec ad subsequentia pertinent. Non omisimus tamen vt omnia codicis bona fide repræsentarem. * *Omnes istæ probationes à sacris Canonibus prohibentur, vt patet in Decretalibus tit. de purgatione vulgari. Cap. 1.*

Simoniaci non admittuntur ad iudicium, si probabiles personæ, etiam laicorum, vel fœminarum precium se ab eis recepisse testantur. Nec aliud est pro manifestis venire ad iudicium, nisi tentare Dominum. Vnde & fallimur multoties in talibus; *quia Deus longè est ab hũ, qui tentant illum.*

Per multos iam annos regni Teutonici latitudo ab Apostolicæ sedis vnitate diuisa est. In quo nimirum schismate tantum periculi factum est, vt quod cum dolore dicimus, vix pauci Sacerdotes, aut Clerici Catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac strage iacẽtibus Christianæ pacis necessitas exigit, vt super hos materna Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum itaque nostrorum exemplis, & scriptis instructi, qui diuersis temporibus Nouatianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt, præfati regni Episcopos in schismate ordinatos, nisi aut inuasores, aut Simoniaci, aut criminosi comprobentur, in officio Episcopali susc ipimus. Idipsum de clericis cuiuscunque ordinis constituimus, quos vita, scientiaque commendat.

SYNO-

SYNODVS ROMANA
SVB GREGORIO VII.
CELEBRATA.

INDEX CAPITVM.

Extat hac Synodus plenior & perfectior Tomo 3. ep. Decret. fol. 761. Item Tomo Conciliorũ additionis recentioris Coloniensis Tom 3 parte altera pag. 1184. & 1285. & sequent. Notãd. deinde: eadẽ hæc capita non ita reperiri in locis & libris ibi allegatis. Illic enim & alia, & plenora. Et tamen decretalium Cœlij Romani ritè respondent istis M. SS. horum capitibus. Hæc Decretorũ horum Synodi inscripta, plenius extat tam in Tom. 3. Decretal. Ed. Rom. quàm edit. Conciliorum recentior.

CAP. I. De inuasoribus prædiorum Ecclesiasticorum.
II. De Nortmannis inuadentibus prædia Monasterij B. Benedicti Montis Cassini.
III. De Inuestituris Ecclesiarum à Laica manu suscipiendis.
IV. De non vendendis Prebendis, Archidiaconatibus, Praposituris.
V. Quæ sint falsæ ordinationes.
VI. Quæ sint falsæ pœnitentiæ.
VII. Ne Laici decimas possideant, etiam ab Episcopis concessas.
VIII. De ieiunio Sabbati.
IX. Vt nullus Abbas decimas, & primitias detineat.
X. De non grauandis Abbatibus, & Clericis ab Episcopo.
XI. De prædiis B. Petri restituendis cum pœna quadrupli.
XII. Vt Episcopus, qui non prohibuerit fornicationes Clericorum, ab officio suspendatur.
XIII. Vt omnis Christianus procuret ad missarum solẽnia aliquid Deo offerre.

ANNO Incarnationis M. LXXVIII. Synodus magna in vrbe Roma celebrata est, ob plurimas sanctæ Ecclesiæ necessitates, præsidente Domino Gregorio VII. Papa cũ multis Episcopis, & Clericis ex diuersis prouinciis. In eadẽ synodo hæ sententiæ decretales cõsensu & subscriptione vniuersali datæ sunt.

Hæc Decretorũ horum Synodi inscripta, plenius extant tam in Tom. 3. Decretal. Ed. Rom. quàm edit. Conciliorum recentior.

CAP. I. Quicunque militum cuiuscunque ordinis vel professionis prædia Ecclesiastica à rege, seu seculari Principe, Episcopis, seu Abbatibus, aut aliquibus Ecclesiarum rectoribus susceperit, vel suscepit, vel inuasit, vel inuaserit, vel ex eorum consensu tenuerit, nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subiaceat.

CAP. II. Si quis Nortmannorũ prædia Monasterij Beati Benedicti montis Cassini inuaserit, vel quascunque res eiusdem monasterij iniustè abstulerit, & bis, vel ter admonitus, non emendauerit, excommunicationi subiaceat, donec resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat.

In Marg. Cod. M. S. hæc erant. Ex Regesto S. Gregor. Papæ. Restitui ordo nõ patitur, vt res Monasteriorũ vel altarũ Ecclesiarũ ad suũ arbitriũ laica potestas vendicare debeat.

CAP. III. Quoniam inuestituras Ecclesiarum cõtra statuta sanctorum Patrum à Laicis personis in multis terrarum partibus fieri cognouimus, & ex eo plurimas in Ecclesia perturbationes * esse, imò ruinas religionis sanctæ oriri, ex quibus ipsa Christianæ censuræ dignitas conculcatur perspeximus, decernimus, vt nullus Clericorum inuestituras Episcopatus, vel Abbatiæ,

* orire, ex quib. Christiana religio conculcatur, decernimus, etc. sic Rom. Ed. & Concil. recent.

hac parenthesi cõclusa, comparent in solo M. SS. & rectè.

vel Ecclesiæ [seu Præposituræ, vel alicuius Clericalis dignitatis] de manu Imperatoris vel Regis, vel alicuius Laicæ personæ, viri, vel fœminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat inuestituram illam Apostolica auctoritate irritam esse; & se vsque ad dignam satisfactionẽ Excommunicationi subiacere.

Ex decretis sancti Vrbani Papæ; Quisquis res Ecclesiasticas quæ Dei dona sunt, quoniã à Deo fidelibus, & à fidelib. Deo donãtur, quæq; ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit vel emit; seũ eodem Simone donũ Dei pecunia possideri existimat. Hæc in M. S. ad Marg. notantur.

CAP. IV. Si quis Episcopus Præbendas, Archidiaconatus, Præposituras, vel aliqua officia Ecclesiastica vendiderit, vel aliter, quàm statuta sanctorum Patrum præcipiunt, ordinauerit, ab officio suspendatur. Dignum est enim, vt sicut gratis Episcopatum accepit; ita membra eiusdem Episcopatus, vel dignitatis gratis distribuat.

CAP. V. Ordinationes, quæ interueniente precio, vel precibus, vel obsequio alicuius personæ ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu Cleri, & populi, secundum Canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, * falsas, & irritas esse diiudicamus. Quoniam qui aliter ordinãtur, non per ostium, id est, per Christum intrant, sed vt ipsa veritas testatur, fures sunt, & latrones.

** infirmat. Ioan. 10.*

CAPVT VI. Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro æqualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunque miles, vel negociator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, id est, qui bona alterius iniustè detinet; vel, qui odium in corde gerit, recognoscat, se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat peruenire, nisi miles arma deponat, vlteriusque ea nisi aut consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda iustitia non ferat; & negociator negocium derelinquat, & officialis officium deserat, bona, quæ quilibet illorum iniustè abstulit, restituat, & odium ex corde dimittat. Nec tamen desperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur vt faciat, vt omnipotens Deus cor illius ad pœnitentiam illustret.

CAP. VII. Decimas, quas in vsum pietatis concessas esse Canonica auctoritas sanciuit, à Laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus. Siue enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis in proprietatem eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegij crimen admittere, & ob id æternæ damnationis periculum incurrere.

Moyses in Leuitico. omnes decimę terræ, siue de fructibus, siue de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificãtur. *Et infrà:* Possessio consecrata Domino, ad ius pertinet Sacerdotũ. *Hæc in margine M. S.*

CAP. VIII. Quia dies Sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, vt quicunque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die, nisi maiore festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente, abstineat.

CAP. IX. Vt nullus Abbas decimas, & primitias, & reliqua, quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu in cuius diœcesi habitat, detineat, Apostolica sanctione firmamus.

CAP. X. Nullus Episcopus grauamen, seu seruile seruitium ex vsu contra Ecclesiasticam normam Abbatibus, seu Clericis suis imponat, vel interdicti sacerdotale officium, precio interueniente, restituat. quod si fecerit, officij sui periculum subeat.

CAP. XI. Si quis prædia B. Petri Apostolorum Principis vbicunque posita in proprietatem suam vsurpauerit, vel sciens occultata non propalauerit; vel debitum seruitium exinde S. Petro non exhibuerit; recognoscat se iram Dei, & sanctorum Apostolorum, velut sacrilegum incurrere. Quicunque autem in hoc crimine deprehensus fuerit, eandem hæreditatem B. Petro restituat, & pœnam quadrupli de propriis * personis persoluat.

** bona. Sic restituendum videtur ex editis.*

CAP. XII. Si quis Episcopus fornicationi Presbyterorum, Diaconorum, seu Subdiaconorum, vel crimini incestus in sua parochia, precibus, vel precio interuenientibus, consenserit, vel commissa auctoritate sui officij non impugnauerit, ab officio suspendatur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII. Vt omnis Christianus procuret ad Missarũ solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam,
Exodi 23. quod Deus per Mosen dixit: *Non apparebit in conspectu meo vacuus.* Etenim in collectis Missalibus sanctorum Patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani ex vsu sanctorum Patrum Deo *aliquid offerre debent.*

In eadem Synodo sententia anathematis data est in omnes Simoniacos & Nicolaitas Hęreticos, qui in erroris sui secta indurati synodalibus sanctorum Patrum definitionibus, & decretalibus eorum statutis scienter inobedientes, Apostatarumque pertinacia eis recalcitrantes, studio, & voluntate refragantur. Multa etiam ad vtilitatem Ecclesię præter ista illic promulgata sunt, quæ nunc recensere non est temporis. Actum in Ecclesia Domini Saluatoris Laterarensi V. Idus Nouembris. Indictione prima.

Quæ sequuntur, etsi à beato Gregorio VII. decreta esse, forsan patet.

De falsis Pœnitentiis.

Præterea admonemus omnes, qui æternæ damnationis pœnas euadere, & veræ beatitudinis gloriam cupiunt intrare, vt à falsis sibi caueant pœnitentiis. Sicut enim falsum baptisma non lauat peccatum originale: ita post baptismum falsa pœnitentia non delet nefas commissum: ideoque valde necessarium est, vt qui se aliquod graue crimen commisisse cognoscit, animam suam prudentibus, è religiosis viris committat, vt per veram pœnitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam. Hæc est enim vera pœnitentia, vt post commissum alicuius grauioris criminis, vtpote meditati homicidij, & sponte commissi, seu periurij pro cupiditate honoris, aut pecuniæ facti, vel aliorũ his similium; ita se vnusquisque ad Deum conuertat, vt relictis omnibus iniquitatibus suis: deinde in fructibus bonæ operationis permaneat. Sic enim Dominus
Ezech. 18. per Prophetam dicit: *Si conuersus fuerit impius ab impietate sua, & custodierit vniuersa mandata mea: vita viuet, & non morietur.* In quibus verbis manifestè datur intelligi, quomodo qui aliena bona diripiunt, & ea, cùm possint reddere, vel emendare noluerint, vel qui arma contra iustitiam portauerit: aut odium in corde retinet, vel qui huius mundi negociationibus, aut officiis implicitus fuerit, quæ sine fraude, sine falsitate, sine inuidia, sine deceptione fratrum exerceri non possunt; nec ad Deum conuersus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. Vnde inter omnia vos hortamur, atque monemus, vt in accipiendis pœnitentiis non ad illos curratis, in quibus, nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum quàm ad salutem ducunt, teste veritate, quæ
Matth. 15. ait: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt:* Sed ad eos, qui religione, & scripturarum doctrina instructi, viam veritatis, & salutis vobis ostendere valeant.

Quotiens defuncto pastore alicuius Ecclesiæ alius est & Canonicè subrogandus, Clerus, & Populus, remota omni seculari ambitione, timore, atque gratia: Apostolicæ sedis, vel Metropolitani sui consensu pastorem sibi eligat secundum Deum. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, & de cætero nullam electionis potestatem habebit. Electionis verò potestas omnis in deliberatione sedis Apostolicæ, siue Metropolitani sui consistat: *Si enim ù, ad quem consecratio pertinet, non ritè consecrando*, teste B. Leone, *gratiam benedictionis amittit*, consequenter, *qui ad prauam electionem declinauerit, eligendi potestate priuabitur.*

INCIPIT VTILIS ALTERCATIO DVORVM SVPER QVODAM CAPITVLO, DE INCONTINENTIA SACERDOTVM.

DOMINO, AC VENERANDO SACERDOTI ALBOINO SCIENTIA, ET MORIBVS ADORNATO, BERNALDVS BONVM INDEFICIENS, QVOD EST CHRISTVS.

CVM proximè simul essem', & verba de Canonum sanctionibus ad inuicem conferremus, aliquantulum de capitulo Nicæni Concilij dissensimus. Cùm enim inter nos, vt recolis, de prohibenda sacerdotum incontinẽtia sermo * consereretur, quæ in tertio eiusdem Concilij capitulo adeò prohibetur, ne saltem clerici debeant habitare cùm fœminis nulla consanguinitate propinquis; tu quoddam aliud caput ex Ecclesiastica historia, quæ dicitur *Tripartita*, protulisti, quod quendam Paphnucium testatur in eodem Concilio surrexisse, & à tota Synodo sacerdotibus, vt dormirent cum vxoribus suis, licentiam impetrasse. Insuper etiam idem ipsum capitulis Nicæni Concilij minus considerate annumerasti.

Vnde non parum doleo de te tantæ indolis viro, in sacris literis tam erudito, quod hoc vnquam excellentissimo Concilio iuxta sanctum Gregorium, æquè vt Euangelium venerando, assignare non dubitasti, quod nec vltimum, imò nullum inter Canonica capitula habet locum, videlicet quod Apostolicæ, & Euangelicæ aduersatur doctrinæ. Nam ipse princeps Apostolorum in epistola sua, etiam laicis præcipit, vt parcant vxoribus suis, ne impediantur orationes earum. Cui & ipsum vas electionis Paulus concordat dicens: *Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi.* Si igitur Laici, die, quo volunt orare, prohibentur ab opere coniugali, liquidò consequitur, vt sacerdotes, quibus quotidianum est officium orandi, vel sacrificandi, vel baptizandi, nunquam à die ordinationis suæ coniugibus suis debeant commisceri.

Hanc autem continentiam ab ipsis Apostolis, Sacerdotibus, & Leuitis esse indictam testatur Aurelius Carthaginensis Archiepiscopus in Concilio generali CC. XVII. Patrum, cui egregius doctor Augustinus interfuit, verè ipsius sacræ Scripturæ armarium. Deliberat enim prædictus Archiepiscopus ita dicens: * *Placet vt Sacerdotes, & Leuitæ, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes sint in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quod constitutum à legatis Apostolicæ sedis Faustino venerabili Episcopo, & ab omnibus Episcopis vnanimiter cum subscriptionibus est confirmatum. Item ipsa veritas affirmat in Euangelio dicens: *Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Iustitia autem veterum erat, vt Sacerdotes anno vicis suę, dum nondum vera, sed, vmbratica tantum sacrificia celebrarent, non solum ad vxores, sed & ad domos suas venire penitus vitarent. Hanc igitur veterum iustitiam, quicunque ex modernis Sacerdotibus non dico superare, sed saltem

*f. conferretur.

*Hist. Eccl. Tripart. li. 2. cap. 14.

* *Vide Concilium Africanum sub Bonifacio I. & Celest. I. Pontif. can. 37. dist. 32. c. 13. Placuit. Vide etiam dist. 83. c. 4. Cum de quorundã. Vbi Verba huius Can. aliter, paulum habẽt sicut & in Conc. recẽs editis. sensus est alioquin cõcors. Matth. 5.*

1. Pet. 3.
1. Cor. 7.

Digitized by Google

tem imitari contendit, nunquam post ordinationem suam ad coniugale opus redibit, cum nulla dies prætereat, qua à sacerdotali officio vacare debeat.

Concilium Nicænum c.3. Amplius, Sancta, & Veneranda Synodus Nicæna, cui prædictum capitulum assignasti, in tertio capite penitus prohibet Clericis etiam cohabitationem fœminarum, nisi consanguinitate proximarum. Illud autem tuum nec prohibet concubitum. Quicunq; igitur tuo capitulo consentit, à prædicto Concilio dissentit. Vnde & damnatus est anathemate, quo S. Gregorius in synodica sua omnes à Nicæna Synodo dissentientes damnauit.

Si autem fortasse negas eandem Synodum prohibuisse Clericis habitare cum fœminis, antiqua, & authentica perscrutare exemplaria, quæ ibidem Concilium in 20. cap. cũ CCC. XVIII. Patrum subscriptione continẽt roboratum, quod etiam in eodem numero capitulorum à sanctissimis Episcopis Cyrillo, * Alexandro, & Attico Constantinopolitano ad prædictum Præsulem Aurelium, & reliquos Africæ Episcopos legitur esse transmissum. Ipsa etiam Tripartita historia, quam nimium venerari videris, 20. capitula in prædicta Synodo testatur esse constituta. In his, inquam, exemplaribus, si legere digneris, prędictum inuenies Concilium in 3. capite Clericis non modò coitum, sed & cohabitationem per omnia interdicere cum fœminis.

* *Alexandrino.*

Siricij Papa decr. 3. & 4. in Cœlio Arelatensi. S. Hieronymus ep. ad Oceanum. Ruffini ad Eusebium appẽdicem intelligit. S. Greg. lib. 7 epist. 33. Præterea Siricius Papa in decretis suis: B. Hieronymus in epistola sua ad Oceanum; & in Ecclesiastica Eusebij historia; sanctus etiam Gregorius Romano Defensori scribens & alij quamplures prædictum capitulum in Nicæna Synodo probant esse statutum. Ergo illud tuum, cum isti maximè sit contrarium, anathema nullatenus euadet Gregorianum. Ipse enim Doctor Apostolicus omnia Canonibus aduersa in synodo generali sub anathemate fecit damnari, ita scribens Syagrio Augustudunensi Episcopo: *Omnia*, inquit, *qua sanctis Canonibus, sicut prædiximus, sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur, id est, vt nullus pro*

S. Greg. lib. 9. epist. 112. *adipiscendis Ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere; neque ex Laico habitu quisquam repente accedat ad locum sacri regiminis peruenire. Neque vt aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ quæ sacris Canonibus sunt permissæ.*

Sed forsitan asseris ad tuam partem defendendam, Nicænum Concilium iuxta assertionẽ magni Athanasij præsulis Alexandrini, & Marci Papæ etiam in 70. capitulis constare. ex quibus, quòd nos tantũ XX. in vsu habemus: illud tuum reliquis apud vos vsitatis annumerare conaris. sed frustrà. Ego nempe assertionem SS. Patrum de 70. capitulis nec volo, nec possum negare: nunquam tamen adeo ero insipiens, deo miserante, vt ipsos venerabiles CCC. XVIII. Patres vnquam aliquid sibi, vel Apostolicæ doctrinæ contrarium suspicer constituisse. imò, omnia eorũ vel Apostolorum sententiis repugnantia non dubito damnasse. Quis enim sani capitis duo simul obseruari constitueret, quorum vnum obseruatum, aliud obseruari prohiberet? Si enim iuxta tuum caput, sacerdotes licitè singulis noctibus cũ suis vxoribus dormiunt, quomodo ne in vna domo habitent, obseruabitur, videlicet si in vno lecto iacebunt, quomodo nec in vna domo manebunt?

Sed nec hoc transibo, quod tuę parti maximè putas suffragari, quippe quod legitur in epist. S. Gregorij, quod ipse * Diacones Siciliæ ad continentiã non coëgisset, illos, inquam, tantum, quos iam ante triennium noua prohibitio incontinentię coniugatos inuenit. Nunquid tamen S. Gregorius alicubi in eadem epistola prædictis concessit Diaconibus, vt officium suum exercerent, si se iuxta tuum caput continere nollent? Non vtique. Nouit enim, quod nec laicis quidem, nisi post triduanam continentiam diuina concedantur Sacramẽta, cum & ipse Dauid, quem Dominus secundũ cor suum elegit, panes propositionis non accepisset, priusquã à sacerdote percũctatus se triduo continuisse, respondisset. Quomodo igitur incontinentibus Diaconibus ministerium suum exercere permitteretur,

* *In marg. Cod. hæc verba adiecta sunt. Nota, quod in emendatorib. exẽplarib. non Diacones, sed Subdiacones legũntur. Et sic legendum. Sic enim habetur. Lo. 1. ep. 42. ad Petrum Subdiaconum Sicilia.*

qui iuxta decreta sanctorum Patrum cũ ipsis sacerdotibus ad diuina Sacramenta conficienda, percipienda, vel saltem tractanda non intermisse, sed quotidie debent parati esse?

Lib. 3. epist. 34.

Præterea idem Apostolicus scribens ad Leonem Episcopum* Catinẽsium, hoc etiam Subdiaconibus esse constitutum à prædecessore suo testatur; vt qui eo tempore essent coniugati, vnũ de duobus eligerent, id est, aut se ab vxoribus abstinerent, aut certè nullatenus ministrare præsumerent. Diligenter etiam attendas S. Gregorium ad tempus tantùm à Diaconibus Siciliæ continentiam non exegisse. Nam in eadem ipsa epistola deliberauit, vt nullus Episcoporum deinceps aliquem Diaconem ordinare præsumeret, nisi qui se castè victurum promisisset, nec prædictorum etiam Diaconorum aliquis ad sacrum ordinem perueniret, qui se post prohibitionem tunc ante triennium factam ab vxore non continuisset.

Catanensium.

Quapropter manifestum est eundem Apostolicum* Diacones tantum illius temporis, & loci ad continentiam non compulisse, quam tamen deinceps ab omnibus, qui Diacones vellent fieri per professionem statuit exigi. Quantum autem hoc tuæ parti aduersetur, mecum tuæ charitas considerare non grauetur. Tuum enim caput, omnibus, etiam Episcopis, cuiusque temporis coniugale opus frequentare permittit, quod S. Gregorius vix in quibusdam Diaconibus ad tempus tolerauit, nec tamen sine pœna: nam spem promotionis penitus ademit eisdem. Incontinentiam denique concedis sacerdotibus, imò Episcopis, propter quam prædictus Doctor spem superioris gradus intercludit Diaconibus. Videlicet Episcopi iuxta tuum caput cum vxoribus suis dormientes abrenunciabunt castitati, quam ipse etiam ab omnibus, qui deinceps vellent fieri Diacones per professionem præcepit exigi. Cum in tantum ergo S. Gregorius tuo aduersetur capitulo etiam in hac causa, vbi non parum rigorem canonum mitigauit, & vbi quędam tantum eo tempore toleranda dissimulauit,

Subdiaconos.

A patet etiam idiotis, in quantum tua pars impugnetur, imò damnetur à generalibus statutis eiusdem patris, quæ ipse iuxta districtionem canonum non tantum ad tempus, sed omni tempore deinceps obseruanda promulgauit, in quibus etiam cohabitationem cum fœminis sub anathematis impositione, vt prædixi, Sacerdotibus fecit prohiberi.

Sed adhuc forsitan, vt aliquãtulum tuæ parti videaris suffragari, etiam in huius temporis Diaconibus, vt in prædictis incontinentiam contendis esse tolerandam; sed frustrà. Consequeretur enim, vt coniugium in quarta generatione etiam modo toleraretur: quod idem Doctor Apostolicus Anglis nouiter conuersis ad tempus se cõcessisse profitetur. Si enim hoc tempore alterutrum horum esset tolerabile, potius tale coniugium modò esset sufferendum quod saltem aliquando licenter legitur concessum, quàm incontinentia Diaconorum, quæ nusquam ibi concessa, sed vix in paucis, ad tempus, non tamen sine subsequente vindicta, vt prædixi, legitur esse dissimulata. Ergo cum tale coniugium modò nullatenus in aliquo, quantumuis ad continentiam infirmo, sit tolerandum, multo minus hoc tempore Diaconorũ incontinentia alicubi est sufferenda.

S. Greg. lib. 12. Responso ad 6. interrogationem Augustini.

Ex his ergo rationibus tu ipse colligas, quid de sacerdotali fastigio censere debeas. Sed non iam diutius in exquirendis rationibus demorabor, cum quælibet vna prædictarum satis indubitanter tuum destruat capitulum; quod non ex aliquo libro à sanctis Patribus canonizato, sed ex Tripartita assumptum est Historia; quæ quamuis nobis non parum ad noticiam rerum gestarum sit vtilis, nunquam tamen efficiet, vt aliquid ei credam, quod sacræ Scripturæ statutisque sanctorum Patrum, imò Spiritui sancto, horum auctori, deprehendam aduersari. Beatus nempe Gelasius Papa, Scripturarum indagator solertissimus, in decretis suis, vbi cum eruditissimis LXX. Episcopis diuersorum auctorum tam Græcorum, quàm Latinorum libros

B. Gelas. I. Decreto de Apocryphis Scripturis. Epistolarũ Decretal. Rom. edit. Tom. 1. pag. 416. & seq. & apud Grat.

exami-

examinauit, & diligenter, qui eorum eſſent recipiendi, vel renuendi deliberauit, nuſquam eandem hiſtoriã iamdudum à tribus Græcis compoſitam, recipiendis annumerauit ſcripturis, ſed ipſam in hoc tuo capitulo reſpuendam eſſe monſtrauit: quippe venerabiliter ſuſcipiendo ſanctorum Patrum decreta eidem capiti, vt diximus, penitus contraria.

Fortaſſis autem contendis prædictæ Hiſtoriæ ideo per omnia credendum eſſe, quod Caſſiodorus ex ſenatore Monachus, vir in diuinis, & humanis literis eruditiſſimus, ordinauit eandẽ. Sed huius viri perſona, quantumuis veneranda, non poterit annullare Canonicas S. Patrum inſtitutiones, quas, vt prædixi, nullatenus obſeruare valemus, ſi pro eius reuerentia ipſum tuũ caput adimplemus. Non autem miretis ipſius hiſtoriam in aliquibus eſſe reſpuendam, cum hiſtoria Euſebij, quam S.* Hieronymus de Græco in Latinũ conuertit, vix in prædictis decretis Gelaſij Papæ obtineat, ne omninò renuatur, licet multum vtilitatis in ea reperiatur. Sancti videlicet viri multa ad noſtram eruditionem vtilia nõ ſolùm tranſtulerunt, ſed etiam ex eorum propria perſona conſcripſerunt, quorum aliqua & ipſi poſtmodum iudicauerũt reſpuenda. Huius rei ſatis euidens teſtimonium S. Auguſtinus affert nobis in libro Retractationum, vbi penè ex ſingulis libris, quos ipſe compoſuit, nõ pauca ipſemet renuenda cenſuit. Hoc enim donũ propriè ſapientibus adeò eſt attributum, vt nec in ſuis, nedum in aliorum libris defendere velint, ſi quid in eis Catholicæ veritati contrarium inuenerint. Idem etiam Auguſtinus ſcribens ad S. Hieronymum, ſe ipſius, & quorumlibet ſanctorum ſcripta ita legere teſtatur, vt tamen nullatenus recipiat, ſi quid ibi apertæ veritati contrarium reperiat. Hac igitur conſideratione Hiſtoria Caſſiodori eſt legenda, quam non tantum ex ſua perſona compoſuit, ſed iam dudum à tribus Græcis non adeô notis compoſitam ordinauit, & cuilibet horum trium proprium opus aſſignauit. Vnde non tam ſibi, quàm auctoribus eiuſdem hiſtoriæ eſt imputandum, quod in ea inuenitur reprobandũ: aut forſan * Epiphanius neſcio quis ſcholaſticus cum eandem de Græco in Latinum verteret, non fideliter Latinis literis commendauit, quod tamen probabiliter in Græco ſcriptum inuenit. Vtrum autem ex hac, an ex alia qualibet cauſa eadem hiſtoria Canonicæ veritati non parum inueniatur refragari, tuo iudicio relinquendum æſtimo.

Cùm igitur prædictum tuum caput omnium auctoritate deſtitutum decretis ſanctorum Patrum, & Euangelicis, atque Apoſtolicis ſcripturis, imò Spiritui ſancto, cuius inſtinctu hęc omnia proculdubio ſunt deprompta, certiſſimè probatum ſit repugnare, quid aliud reſtat, niſi vt Gregoriano anathemate feriatur, quicunque illud deinceps contra Canonicas ſanctiones defendere conatur? Ceſſet itaque fraternitas tua illud poſthac ſacratiſſimis Niceni Concilij capitulis annumerare, vel etiam alicuius momenti æſtimare, ne ſi illud pro authentico receperis, Spiritui ſancto, vt prædictum eſt, repugnare iudiceris, quod peccatum nec hîc, nec in futuro ſeculo eſſe dimittendum conſtat. *Matth. 12*

* *imo Ruffinus,*

a. Auguſt. Epiſt. 9.

Vide Præfationem Caſſiodori in Tripartitam.

* *Fideliter Vertit Epiphanium.*

Fabula de Paphnutio auctores ſunt Sozomenus li. 1. cap. 22. Et Socrates lib. 1. cap. 8. duo ex tribus, ex quorum doctis hiſtoria Tripartita conſarcinata eſt.

CONTVMELIOSA RESCRIptio pro superiori Capitulo.*

* *De Alboino, qualis fuerit, diximus suprà, in præfat. ad hæc opuscula. Calebat nimirum eo spiritu, quo bodierni sectarij, sed mentem mutasse videtur, vt apparet ex vltima Epistola; Et ex principio Apologetici Bernaldi pro decreto Gregorij VII. De hac tota controuersia lege Bellarminum lib. de Clericis, præsertim cap. 20. vbi ex instituto fabulam de Paphnutio refellit.*

BERNALDO CONTRA LIBRVM SVPERIOREM MOLAM ABSQVE INFERIORE *FÆNERANTI ALBOINVS.

Ind.

NOn ambidextrũ Aod tam improuisò quasi inter oscitantes posse opprimi, * inter dumosa tui cornu petentis tyronis diuortia mihi quasi tremulo pede vix itur: imò etiam milleformis Protei species prępeti manu rapientis, impediente variarum rerum instantia, heu neque locus, neque tempus datur tibi vel ad pauca pro libitu respondendi. Hinc vrget enim verò quædam nostrorum confratrum antiquitus instituta orandi conditio; illinc instat nostri senioris in expeditionem eundi ornatio; * cui comitatu, ac si iniquæ mentis asellus, licet mille stimulis agitatus vix, ac vix enatauit: quod tibi in aurem susurro non magno mei periculo. Inter hæc omnia, veluti ne dedignando præterire videar * tui dicta, operam dare volo respondere tibi vel ad aliqua.

* *Exordium mendosum & intricatũ, simile toti Epistola.*

* *eius*

* *tua*

Me, vti tuis literis notatum esse percipio; Canonicis institutionibus, decretisue in aliquo reclamasse nullatenus consentio. Sed hoc nunquam cõfessum fuisse erubesco, & adhuc confiteri non recuso, omnique astipulatione firmando firmatum iri desidero, nondum lege prohibitum, primo aditu austeritate legis esse prohibendum, vindicandumue, sed paruulum magis lacte, quam solido cibo enutriendum. Ad hoc proculdubio tendit Gregorius Theologus: hoc etiam probat ipse & si luscus, Dei videns Paphnutius, qui ambo, velis nolis, condescendunt nostris infirmitatibus. Nam isto de ante consecrationem vsurpatis nondum in tantum, vt opinor, tuo tertio capite, (quo tu quidem vrbanæ frontis, obstinatæque mentis supra modum hæres, canonizato) siue propter quosdam infirmos ante Synodum iugalibus alligatos: quæres per tunc temporis non tanti sceleris, vti nunc esse perhibetur, siue propter quosdam Hæreticos legitimas nuptias anathematizantes cautius agente: illo autem inter Canonicè tradita, sed non Canonicè prohibita misericordius mediante: vtrumque quasi geminum par intus, ac foris, ante, & retro oculatus nulla caret ratione. Anne etiam te, mi frater, non pudet tuam controuersiam in hoc defendisse, à sancto Gregorio Sicilia nos Diacones suspensos ab officio, quasi pro quadam pœna fuisse; cum constet illum eosdem cum vxoribus post prohibitionem ante triennium factam, castè cohabitare dignæ remunerationi asscripsisse? Eo autem tuo ritè probato, eris, mihi magnus Apollo.

Quæ autem conuenientia, quæue ratio Tripartitam historiam propter Eusebij scripta vix à Gelasio authenticis approbata, neque ab eodem Gelasio, neque ab aliquo Doctorum repudiatam, triumque tum secularibus, tum Ecclesiasticis probabili testimonio affirmatam post tot secula à nobis esse refutanda? Nugæ. aut fabulam te narras-

narrasse putas surdo, aut quæris nodũ in scirpo. Quid plura? Si tu ita in nos, nostrosque confratres multo tibi, & mihi meliores pergis perplexa loqui; sed ponam digitum ori, ne plus quàm deceat presbyterum, arguar progredi. De cætero vti coactus tuipsius incitamento te aggrediar nudis verbis; vt qd pudibunda Patris Noë denudare non A paueſcis, cum certum sit, te de eodem secundum tuam ipsius sectam peccato esse progenitum, qua ratione, quoue modo tu ipse peccatũ, in alio vis damnare peccatum? Caue vt tibi sermonem faciam iuxta Salomonem; *Ante suum tempus nimis exaltata iuuentus: Ne malè labatur, pede desursum retrahatur.*

SVPERIORVM CONTROVERSIARVM IRREFRAGABILIS DEPVLSIO, ET PRÆDICTI CAPITVLI PROSCRIPTIO.

DOMINO Alboino Sacerdoti, nõ vt Hisboseth fraudulẽter impetito, sed Chusai Architofelis perfidia fideliter præmonito Bernaldus; Etiam improperanti charitatem offerre paratus ab eo benedici, qui non solum maledici, sed etiam pro nobis voluit peccatum fieri.

Multum miror de tua fraternitate, quod mihi tam perturbato rescripsisti animo, cùm nihil in literis meis inuenisses, quod in literis nescio si in tuis aliqua ratione dignum tua offensione probasses. Non enim inuitus, nec verecundus tam erudito præcipuè, & amico cederem, si à te rationabiliter saltem aliquatenus à vero deuiasse monstrarer. Sed Deus est testis conscientię meæ, rationes meas nullatenus à vestigiis sanctorum Patrum exorbitasse, videlicet, vt non tam meæ, quam illorũ sint iudicandæ. Quapropter sine causa videris cõtra me commotus esse, cùm epistola mea tibi tantũ sententias sanctorum Patrum charitatiuè describat, quæ non dico tuum, sed potius nescio cuius Sozomeni Capitulum *anathematizabant. Deberes enim, vt opinor, potius grates referre, quàm indignari, quod te de cauendo anathemate, vt amicum præmonui, ne si Sozomeni capitulum* reciperes, A teipsum sub Gregoriano anathemate posuisses. Ipse enim Doctor Apostolicus, imò per ipsum Spiritus sanctus, omnes à Nicæna Synodo dissentientes, & omnia sacris Canonibus aduersa, in Synodo generali sub anathemate fecit damnari. Prædictum autem Sozomeni caput, & omnes illud recipientes sacratissimo Canoni aduersantur, quẽ Beatus Papa Syricius, sanctus quoque Gregorius, Beatus etiam Hieronymus, & alij innumerabiles sancti probant, in excellentissimo statutum esse Concilio, æquè vt Euangelium venerando. Videat igitur charitas tua, quàm periculoso anathemate plectantur, quicunque Sozomeni Capitulo B astipulari conantur. De hoc itaque periculo fraternitatem tuam diligenter præmonere curaui, pro quo te non offendere, sed magis, si offensus esses, placare putaui.

In Tripartita lib. 2. c. 14.

Sed, heu heu, res, vt opinor, in contrarium deuenit. Literæ enim tuæ, si tamen tuæ erant, tam malè tornatæ, te & amicam admonitionem spreuisse, & insuper contumelioſa respondisse denotant, nec tamen aliquid me tibi scripsisse dignum cõtumelia aliquatenus probant. Qua de re nondum censui credendum esse, te, meum videlicet amicum, sacra scriptura tam eruditum, vnquam

vnquam mihi talem rescripsisse epistolam, quæ & me licet nulla ratione conuictum, blasphemaret, nec tamen tuam partem saltem aliquo modo iuuaret. Quam satis euidenter qua inuectione digna esset, monstrarem, si non eam à tali amico mihi transmissam accepissem. Quis enim videre non valeat, quàm negligenter ipsa tuæ voluntati cum suis obscuris ambagibus deseruiat, cum eadem tuam intentionem non solummodo nihil iuuet, sed etiam prorsus impugnet? Indicat enim te nullatenus sanctorum Patrum decreta respuisse: vnde cum veritas affirmet; *Qui non est mecum, contra me est.* & te eadem recepisse, & per eadem te Sozomeni caput probauit anathematizasse.

Matth. 12. Luc. 11.

Præterea multiplicibus verbis confirmat ipsa rem nondum lege prohibitam austeritate legis esse vindicandam; cum potius tuæ parti conueniisset, si in nondum lege prohibitis non austeritatem legis, sed lenitatem exercendam dixisset. Quod saltem tuam partem non adeò impugnaret, licet eam nihil penitus adiici valet, cùm res, in qua prædictum caput legem non dico mitigare, sed prorsus annullare conatur, etiam ante CC. annos, & eo amplius in generali Synodo legaliter sub anathemate interdicta legatur.

Ipsa etiam epistola sanctum mihi laudat Paphnucium, vt sub persona tanti viri aliquid persuadeat, quod à veritate dissentiat, sed frustrà. Ipsum nempe & ego laudo, quem stigmata Iesu in corpore suo portasse libenter credo, nunquam tamen adeò desipiam, vt prius reuerentiâ personæ aliquid recipiam, quod sacræ scripturæ, imò Spiritui sancto sit contrarium, vt de Sozomeni capitulo irrefragabiliter est probatum, quod ipsum Sozomenum de Beato Paphnutio iam dudum defuncto potius credo finxisse, quam in derogationem sanctitatis prædicti Confessoris suspicari præsumam, ipsum talem protulisse blasphemiam. Hoc est enim satis vulgare in libris nũquam canonizatis, vt cum nænias suas omnibus incredibiles, efficere velint saltem verisimiles, eis adscribunt eas personas indubitatæ sanctitatis, vt sub earum sanctitate eorum recipiantur næniæ; sed incassum. Quantò enim minus de earum personarum sanctitate dubitamus, tanto magis nænias iisdem adscriptas Canonicis institutionibus contrarias, credimus esse falsas. Transeo autem ipsius epistolæ coniecturas, in quibus, qua occasione prædictum caput sit confictum, satis cautè dubitatur. Quamuis nihil interfit inuenisse, cur sit conscriptum, cùm idem ipsum sacræ scripturæ aduersari certissimè sit probatum.

Quantum verò ipsa epistola deuiet à veritate in Diaconibus Siciliæ, ex scriptis Beati Gregorij poteris colligere: à quibus me in rationibus meis nullatenus deuiasse iudicabit, quicunque easdem, & scripta Beati Gregorij fideliter considerabit; nec dicet me dixisse, quod sanctus Gregorius incontinentiam Diaconorum Siciliæ per suspensionem officij, sed per prohibitionem superioris gradus vindicasset. nec dicet S. Gregorium ibi eisdem Diaconibus concessisse, vt altari ministrare deberent, si se non continerent. Idem etiam videre poterit S. GREGORIVM continentes Siciliæ Diacones pro continentia, non pro fæminarum cohabitatione laudandos pronunciasse.

Quod autem deinceps literæ à te mihi transmissæ de Tripartita fingnut Historia, nec ipsæ videntur explicasse, in qua nullatenus aliquid repudiandum esse censui, nisi quod à sanctis Patribus anathematizatum recipere non præsumpsi. Postea verò ipsę non aliqua ratione probant, sed tantum verbotenus pronunciant, me nescio quid contra sacerdotum ordinem protulisse, cum nec eædem saltem contra te, ad quem specialiter scripsi, me aliquod reprobandum vel tua offensione dignum aliquatenus probent dixisse. Nunquid enim merito te, vel illos offendit, si ego non meas, sed Patrum rationes caput Sozomeni destruentes, & sub anathemate damnantes fideliter colli-

Digitized by Google

collegi: teque, vt amicum de cauendo anathemate præmonui? Quid nempe contra te feci dignum blasphemia, si testimonium sanctorum Patrum Hieronymi, Gregorij, Siricij, & reliquorum de Capitulis Nicæni Concilij potius credendum esse asserui, quam historiæ nescio cuius Sozomeni?

Sed cur earundem literarum denuo incudi reddendarum ambages prosequar vlterius, cùm ipsæ caput Sozomeni, quod non potuerunt ratione, iam conuiciis nitantur defendere? Quæ, inquam, conuicia non mihi nocere, sed potius in caput ipsius scriptoris redundare leuiter probassem, si non pro talis amici reuerentia dimisissem. Ego quidem Patrem Noë semper habere desidero, cuius pudenda cum iamdudum per pœnitentiam sint annullata, denudare nec volo, nec valeo. Quicunque enim illa post pœnitentiam remansisse testatur, non Christianus, sed Nouatianus esse iudicatur, cum ipse Dominus per Ezechielem Prophetam dicat. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Pudenda videlicet non Noë, sed Nicolai, Pauli Samosateni, Episcopi Antiocheni, & reliquorum huiusmodi Patrum denudaui, qui omnes vnanimiter consenserunt anathematizato Sozomeni Capitulo. Quippe Nicolaus in Apocalypsi Hæresiarches denotatus suis condiaconibus etiam communes concessit vxores. Paulus verò Samosatenus ne ipse à Clericis suis de fœminarum familiaritate accusaretur, eisdem fœminarum cohabitationem concessisse in Ecclesiastica historia perhibetur. Vnde & ipsi pro aliis suis hæresibus pro hac ipsa eorum vsurpatione, sub æterno damnati sunt anathemate. Horum, inquam, pudenda, & à te, & ab omnibus zelum Dei habentibus sunt detegenda, ne fraternæ mortis crimen incurratis, si Idiotæ pereant ipsorum perniciosissima deceptione, qui & aliorum pudenda per obstinatam defensionem effecerunt sibi propria.

Ezech. 33.

Apoca. 2.

Euseb. historia Eccles. lib. 7. c. 25 interp. Ruffino.

Deinde prædictæ literæ Catholicam veritatem *sectam* nominando blasphemant, filioque baptizato, patris peccatum iam dudum & in ipso patre per pœnitentiam annihilatum Pelagianæ hæresi fauendo imputant. Quod quàm impium, quàm Hæreticum, quam detestandum esset æstimare, facilè monstrarem, si non pro respectu tuæ charitatis dissimulandum potius quam ventilandum esse iudicarem. Ipse enim Spiritus sanctus per Ezechielem Prophetam testatur dicens; *Filius non portabit iniquitatem Patris*; qui & sub tremenda obtestatione prohibet, ne quis dentes filiorum peracerbâ vuâ à patribus comestâ obstupescere dogmatizet. Non ego quippe dedignor, cum ipso, quem Dominus secundum cor suum elegit dicere. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Nunquam tamen adeò, me ipsum, Deo miserante, impugnabo, vt de plena remissione peccatorum in baptismo contra fidem Catholicam cum Pelagio diffidam. Nimium certè alium blasphemare conatur, qui in eadem ipsa blasphemia Catholicam fidem impugnare probatur.

Ezech. 18.

Ibid.

Psal. 50.

Parum etiam eædem literæ tuam partem iuuerunt, cum contra Domini præceptum me per blasphemiam peccatum nominauerunt, quæ non dico te, sed omnem caput Sozomeni suscipientem verè seruum esse peccati, non quidem sponte, sed nutu diuino coactæ probauerunt. Iuxta Euangelium enim, quicunque peccat, seruus peccati extat. Prædictæ autem literæ cum sanctorum Patrum statutis consentiendo, eos, qui caput Sozomeni recipiunt, anathematizent, eosdem mortali peccato obligatos esse docent. Ergò & eosdem verè seruos esse peccati confirmant.

Rom. 6. 2. Pet. 2.

Videsne igitur, quàm parum ipsæ prædictos videantur honorasse, cùm eædem me, licet falsò, peccatum nominantes, & eos verè seruos esse peccati monstrantes, me quasi Dominum eorundem habere vellent.

Præ-

Præterea & ego, si pro tua charitate non dissimularem, veracia etiam nomina caput Sozomeni amplectentibus, non dico imponerem, sed antiquitus impositа proferre nossem, in quorum prolatione non ego propter mendacium, & animam meam occiderem, & locum in stagno ignis ardentis promeruissem, sed ipsos pro eisdem nominibus & nunc anathematizatos, & postmodum æterno igni, nisi resipiscerent, liquidò probarem esse mancipandos. Non autem nimium eisdem literis indignari volo, quas in contumeliam potius * suarum, quàm meam falsò me *peccatum* nominasse pro ipsa veritate percipio, quæ iuxta Apostolum, etiam pro impiis facta est peccatum. Ipsa quippe in Euangelio nobis dicit: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes, propter me*, &c. Ergò & ego nec verum dicendo prædictas literas, vt meruerunt, blasphemare volo. Noui enim, quam terribiliter Iudas Apostolus silentium imponat blasphemantibus, asserens, quod nec Michaël Archangelus secum altercantem Diabolũ blasphemare fuerit ausus. Ipsum quoq; vas electionis testatur; *quoniam maledici regnum Dei non possidebunt.* Dauid etiam in sua persona satis terribilem omnibus proponit conditionem: *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis, inanis*

* *suam*

Gal. 3.

Matth. 5.

2. Cor. 6.

Psal. 7.

A & cætera huiusmodi. Si igitur talis pœna debetur etiam illi, qui pro bono malum reddenti malũ retribuit, quid de illo iudicabitur, qui malum fratri suo, nil nisi malum promerenti, reddidisse conuincitur?

Incassum ergò eædem literæ mihi opponunt illud Salomonis; *Iuuenem nimis alta petentem esse retrahendum*, cum hoc non mihi, sed illis sit dicendum, qui conculcatis ipsius sancti Spiritus præceptis, se altos æstimant, sequendo inanes, imò fictas hominum B traditiones. Videat igitur fraternitas tua, quam parum vel potius, quàm nihil illa epistola tua prouiderit honori, quæ & tuam partem, vt probatum est, impugnauit, & quod peius est, te contra sacerdotale officium tuos amicos nihil àte, nisi bonum promeritos, falsò blasphemasse indicauit; cùm iuxta Domini Præceptum nec inimico sit *Matth. 5.* maledicendum. Quapropter charitatiue admoneo te, ne vnquam in tuæ C religionis, & eruditionis derogationẽ alicui tam maledicam, tam illimatam transmittas epistolam, ne si aliquis, qui libenter velit contendere, tuoque honori parum prouidere ipsam perspiciat, omnes eius blasphemias in teipsum retorqueat.

ITEM

ITEM CONTVMELIOSA RESCRIPTIO PRO SVPERIORI CAPITVLO.

FRATRI, HEV IN TOT HYDRÆ CAPITA TVMENTI BERNALDO ALBOINVS, SE NVLLATENVS CAECIS CERASTEI veneni cornibus periclitari.

SI non ſub ſuaue Chriſti iugum colla ſubmiſſus iamdudum teſtamẽto pacis reſpirare appeterem, tuis maledicis reſcriptis dignum talionẽ reddere non ſuccumberem. Sed per nunc temporis id à me fieri, ipſa ratione Magiſtra, conſtat prohiberi, ratione, inquam, ne alicui malum pro malo reddam. Ac me, vti tuis literis liquidò patet, ſciſſo peplo Palladis, quaſi iniurias concitaſſe priorem, ſi modò aliqua cura eſſet, facilius dicto expurgare potuiſſem. Nil autem item dictum eſſe contumelioſum, cuique literas, etſi malè tornatas, tamen meas legenti, luce clarius fit expertum. Quid in hoc malè feci, vel quid promerui, ſi ego à te quaſi fideliter præmonitus, etiam, verſa vice, te pro aliquo præmonere curaui? Sed vt meo honori prouidendo, aliis, non tibi me de hac infamia ſecuriorem reddam, libet vti parumper pedem retrahens noſtri negocij primordia ad medium ducam. Cum me verò tuis * curatioribus ſcriptis, coaceruatiſq; Sanctorum teſtimoniis, ceu fideliter præmonendo, à Canonica regula deuiaſſe ex obliquo notaſti, quales grates, vel quid boni promeruiſſes, non ſatis facilè inuenire potui, quod amicum ſine cauſa admonere, quid eſt, niſi infamiæ maculam in illum plus ſpargere? Nam vbi neque res, neque opus admonendi inſtat, vbi, quid, quando, cui, imò quæque circumſtantia vacat, ergo abſque his, quid alicuius admonere aliud valeat, niſi tantũ, vt poëta; *Omne ſupernacuum pleno de pectore manat?* Me verò in recepto Sozomeni capite, de quo adhuc ſub iudice lis eſt, nil vnquam à ſana doctrina deuiaſſe, cuique ſcire volenti patet gemina ratione, vna ſcilicet, quod nil in eodem certo loco, tempore, probatiſque perſonis recitato, ſcripto, translato, niſi authenticum, & probabile perſpicio. Altera enim, ſi non probabili meliorem intellectum * adhibens, nihil ſub eius occaſione peruerſi dogmatizo, neque tui admonitione opus habeo, nec Gregoriano anathemati ſubiaceo.

Nam neque tu, neque aliquis ſanæ frontis, ſalua veritate, in faciem confiteri poteſt, quod me vnquam ſub huius capituli occaſione vel cum Nicolaitis, vel cum Paulianiſtis proprias vxores ſacerdotibus conceſſiſſe audiret; ſed id tantummodo propter magnam compaſſionem Magni Paphnutij, quemadmodum quoddam Gregorianum, recepiſſe me abſque rubore fateor, propter quam rem vel à te, vel ab aliquo me notari non vereor, quod ſicut S. Gregorio Sicilianos Diaconos ab vxoribus non in tempore prohibitis, violenter & inordinatè ſeparari, deteriorem caſum timenti, minus placuit, vti Paphnucius ante conſecrationem legitimè ductis vxoribus, ſimiliter occaſionem fornicationis abhorrens ſacerdotes non commiſceri contradixit: Sic etiam mihi homunculo,

Rom. 12.

* fort. adhibeat.

* fort. accuratioribus.

veluti cum tam sanctis viris in idem consentienti, nimis ac nimis temeraria nostri temporis prohibitio, non ex omni parte beata videri potuit. Verbi gratia, quod nunquam adquisitū, multò facilius denegatur, quā aliquando acceptum, si placet, auferatur. Si propter hanc rem anathemati subiacere debeo, Gregorium, atq; Paphnucium mecum in caussa esse, non parum gaudeo. Sed autem vereor ne ille magis anathematizandus subsistat, qui tantis viris, expers discretionis, repugnat; ille etiā adhuc anathemati deteriori succūbat, qui cōtra decreta eiusdē Gregorij, Eleutheri Paparū, Anacleti, Pontiani, Eusebij sacerdotes à secularibus infestari, accusari, arceri, despici, cōtemni, ab Ecclesiis absque Synodali iudicio eliminari approbat.

Quicunque ægrotum solerti cura sanare studeat, circumposita membra, priusquam ipsum vulnus, palpare prouideat. Si ipsum vulnus incautius primo aditu tractat, omnibus modis infirmus reclamat. Hac enim intentione ipse* secretarium Christi Moses, quo peiora compesceret, libellum repudij asportari iubet. Sub hac etenim occasione iustus Loth, vt ita dicā, ob peius malum declinandum, ipsas filias Sodomitis cōcedere voluit abutendum. Nonne etiam ipse summus Pontifex, qui cælos penetrauit, non omnes hoc verbum castitatis capere, neque etiam nouum mustum in veteres vtres fundi conuenire, insuper rudes discipulos, quamdiu cum illis sponsus est, non ieiunare profitetur; infirmitatibus nostris misericorditer compati non dedignatur? Nonne Paulus vas electionis, qui vsque ad tertij cæli raptus Paradisum, vti nos ad compassionem* promulgare studeat, nos homines esse admonet, sicut seipsum? Ille idem enim vero, quemadmodum Paphnucius non solùm propter sobolis propagationem, sed ob deuitandam fornicationem vnicuiq; concessit suam vxorem. Quapropter Sozomeni caput à nobis tam sæpè tritum nullatenus videtur tam temerè anathematizandū, quod vt ait S. Augustinus in suo speculo *quidquid in diuinis scripturis aliquo modo probabile videtur, nullatenus ab aliquo facilè præiudicetur.* Hæc hactenus.

At ego si non omnem diem, sed diem inter diem sapio, anathemati subiacere debeo? absit. quod ipse summus Medicus neque peccatores mensa eius priuauit, nec peccatricem à tactu pedum separauit. Ipse etiam cum Principem Publicanorum sui faciem desiderare conspexit, nequaquam sui præsentia, imò etiam sui cohabitatione defraudauit. Sed tu credo opponis illos pœnituisse. At rogo, vnde credas illis compunctionis motum in mentē cecidisse? Profectò filius hominis, qui de cælo descendit, Zachæo sui occulta inspiratione adscensionē arboris persuasit. Sic etiam nunc, nisi ille omnia trahens ad se occulto suæ gratiæ nutu nos miseros trahat, proculdubio nostri Papæ auctoritas vacillat; Agnum cum lupo vesci confitetur dextera excelsi. Proinde quenque piorum magis deceret pro infirmis orare, quàm in istis malis diebus tot persecutorum super eos iugum ducere. Ex quo gentes esse cœperunt, nulli priorum tam graue tempus inspexerunt. Omnibus diuinis legibus postpositis pro libitu nos deuorant, *sicut escam panis.* Ipse Siricius Papa non propter incontinentiā, pœnam expulsionis intulit, neque communionem populi abstulit, sed tantùm maioris Ordinis promotionem distulit. Quam discretè quámue misericorditer inter præsentia, & futura medians Dominus Papatum Græcis, tum Latinis literis eruditissimus Leo de huius rei negocio agat, tua curiositas absque omni mora in memoriam reducat. Quid opus est verbis? non est dolor nostro similis.

Vellem te, mi frater, notare, Gregorium, atque Siricium aliquantulum in ista re, vti mihi videtur, inuicem dissonare. Promotionem verò, quam Siricius penitus in futurum resecat, Gregorius Diaconibus propter prioris culpæ maculam, si vellent in postmodum continere, non denegat. Gregorius verò Diacones, quos nisi proposito mentis post tempus ad castitatem compelli non in tantum probauit, eosdem, vti me-

Matth. 9. *Luc. 7.* *Luc. 19.*

Isaia. 11.

Pſal. 13.

* fort. secretarium.

Gen. 18.

Matth. 19. *Matth. 9.* *Marci 2.* *Matth. 9.*

* promulgare.

1. Cor. 7.

Calumnia Alboini in Pontifices sui temporis.

Follicina Antilogia inter duos Pontifices.

Digitized by Google

mecum ſentis, in tempore in idipſum propoſiti ante ordinem cogens ab Epiſcopis, niſi continerent, promoueri prohibuit. Idcirco penè nihil diſtat, quin eius, & Paphnucij ſententia in vnum confluat. Iſte de inordinatè poſt ordinem prohibitis; ille autem, de ante conſecrationem agit vſurpatis. Iſte de commixtione; ille verò, vt ita dicam, de condormitione. Nec propter hoc neuter eorum, vti mihi videtur, in aliquo Canonicis decretis reluctari videtur, quod vbi nondum per legem cognitio peccati inculcatur, potius ſuaſoria admonitio, quàm legalis diſtrictio exerceatur; aut in tempore iniuſtum interdicatur; aut ſi hoc male negligitur, circumuolutis cum linteaminibus funiculis Propheta puteo extrahitur. *Hier.38.*

Quid plura? verè, ſi Paphnucius, vti tu peregrino intellectu arbitraris, vel vltroneo argumentaris, omnibus Sacerdotibus licentiam nubendi generaliter concederet, non ita ſingulariter, & euidenter de ante conſecrationem vſurpatis agere ſtuderet. Adhoc etiamſi in aliquo ſanæ doctrinæ aduerſari inſpiceret, nullatenus in idipſum caput Caſſiodorus, vir Diuæ memoriæ, magnæque conuerſationis, & prudentiæ tam officiosè de Græco in Latinum transferre laboraret. Putaſné, ſi aliquis ſcenica arte, vt tu dicis, ſuam hæreſim ſub perſona Paphnucij tegere auderet, Caſſiodorus, tam egregius vir, ſibi transferendo fauere curaret? Non verè: quia omne ſuum opus latè per Eccleſias redolet authenticum, & laudabile, cum multa ſcripta, vt in veteri, Tobiæ, auctore, & in nouo, vt Apocalypſis translatore, carentia recipiamus; cur non iſtud magis vtroque probatum diligamus?

Super hæc etiam, cum ipſum noſtrum * Pangirium Hieronymum tantùm reſecatis iuxta legem alienigenæ crinibus, & vnguibus, id eſt, ſuperfluis, & ſanæ fidei repugnantibus ſcripturæ locis, ipſis Apocryphis aliquando renunciare nolle nõ ignorem, quâ fronte prædictum caput tam authenticum, probabile *ſuper aurum, & topazium* in iſtis temporibus delectabile, nihili habere præſumerem? Nullatenus, quia eſſet contra fas, & ius. In eo autem idipſum de Epiſcopis, quod & de aliis ordinibus agi; Vnde tu ita ſummatim muſſitare videris, quaſi in hoc ſub æqua conditione poſitos eſſe non mireris. Nam Epiſcopus cum Presbyteris chriſma conſecrat. Presbyter cum Epiſcopis corpus Domini conficit, Diaconus ſuper altare miniſteria ordinat, ipſisque prior calicem porrigit, æquè communicat. Quid Paphnucius in eis, non inuenio, diſcernere valeat.

Iſta omnia non tibi ſed alicui infatuato ſali tam enucleatim debent inculcari. Sufficit de hoc. O mare Neptuni. O ſacra. proh ſcelus me tam inclementer in os increpari: inſuper in piſtrinum retrudi, quod ne funem tibimetipſi ad crucem portares, fideliter præmonui. Quamuis apud Deum non ſit perſonarum acceptio, inſuper originalis in baptiſmate peccati plena remiſſio, quodque me mutire nefas eſt, in ſcrobe tum infodio, nequaquam ſine legitimis nuptiis ex omni parte legitima procedit procreatio. Qualiter autem hoc ſit, fac periculum de temetipſo, quod huiuſmodi propter meos conſacerdotes diſſimulatum iri deſidero. Sed autem ne te defraudare videar ex toto, caue ne ſaltem capiaris in vno. Quidquid enim conuenit parti, conuenit & toti.

De hoc, quod mihi reſcripſiſti, meas literas malè tornatas eſſe, retiecerem, ſi non coram meis compatriotis, neſcio quâ cauſsâ, me tam turpiter dehoneſtari ægrè tuliſſem. Qua de re licet magis ipſius ſenſus intentioni, quàm pompaticæ poſitionis proprietati in illis, quemadmodum in iſtis, inhiarem, tamen ſi vniuerſaliter non reprehenſæ, ſed particulariter ad meas manus redirent puncto proſcriptæ, aut pro poſſe defenſas, vel emendatas tibi remitterem: Sin autem dexteras dando tuæ cauillationi morem gererem, O lepidum caput, quàm eleganter quaſi prouidens meo honori, ſi meæ eſſent, ad cumulandum meum dedecus percunctando dubitaſti. Vah callidum conſilium tuum: amicum

* *fortè, Panegyricum.*

Deut.22.

Pſal.118.

ſic retrahere in præcipitium. Si autem te ex æquo conueniſſem, tuas carbone notari dignas, te in id mihi conſentire ex magna parte compellerem, ſi earum theſin, diſtinctionem, ſubdiſtinctionem, media, vel * periodo, cola, & commate, quod abſit, carere perſpicerem: niſi in tantum oppro- A brium malæ tornationis rugoſa fronte obſtupeſcerem. Si enimuerò in tuis literis macrologiam, quam ſæpe * ſoleſcere caueres, non me quaſi ſilicernium in faciem cęderes. Habę.

* periodii, colii & commate.

* Locus, vt videtur, mendoſus. Quam ſæpe ſolet frequentare.

SVPERIORIS EPISTOLÆ RETRACTATVS, ET SAEPE TRITI CAPITVLI IRREFRAGABILIS ANATHEMATISMVS.

DOMINO ALBOINO, IN TEMPLO DOMINI NON IDONEE NEMVS PLANTANTI BERNALDVS: NON FABVLOSA VERBORVM FOLIA, SED SENTENTIAS INDVBItabili veritate ſubnixas.

ACCEPTIS literis à tua fraternitate mihi tranſmiſſis, aliquid in eis reperire deſideraui, quod & animum meum ob iniuriã prioris epiſtolæ meritò commotum mitigaret, teque ſaltem aliquo defenſionis colore de tam pernicioſa blaſphemia, quoquo modo expurgaret. Sed eheu nihil huiuſmodi in eiſdem literis inuenire potui, quippe quæ ad cumulum prioris iniuriæ meas literas, nulla ratione adhibita, dicunt maledicas, meque priorem iniurias concitaſſe, teque nil contumelioſum mihi dixiſſe, tantum pronunciant, non aliqua ſaltem ratiuncula probant. Quantum autem hæc earum pronunciatio deuiet à vero, nulli etiam Idiotæ latebit, qui vtriusque noſtrum epiſtolas diligenter perſpexerit.

Prima enim epiſtola, quam tibi de hac noſtra quæſtione transmiſi, te tantum per teſtimonia ſanctorum Patrũ fideliter, & amicè præmonuit de cauendo anathemate, vt nec tu ipſe ali- A quid in ea reperiſſes, quod tuæ literæ ſaltem alicuius offenſione dignum mihi poſſent probare. Quot autem blaſphemias, quàm inhoneſtas, quàm perniciоſas pro hac beneuolentia mihi reſcripſiſſes, referre pudet, cum adeò fœteant, vt vel inimico tales inferre non deceat.

Secunda verò mea epiſtola contra eaſdem blaſphemias tibi directa non remaledicendo tibi talionem reddidit, ſed te tantum, vt amicum, à blaſphemiis nõ mihi, ſed tibimetipſi perniciоſiſſimis compeſcere ſtuduit. Proculdubio enim noui, quod ipſum vas B electionis Paulus, per quem loquitur ipſe Chriſtus, maledicos tradiderit Sathanæ, vt diſcerent non blaſphemare. 1. Tim. 1. Patet igitur ſatis euidenter, quis caput, imò quis ſumma fuerit huius iniuriæ, & quam indebitè mea ſcripta à tuis vocentur maledica, quæ te à conuiciorum voragine per charitatiuam admonitionem voluerunt reuocare.

Non autẽ modo eſt neceſſarium, vt etiam huius epiſtolę ſingulas non dico ratio-

rationes, sed pronunciationes expugnem, quas in prioribus meis epistolis indubitanter annullaui, in quibus meam admonitionem rationabilem, & amicam, tuamque rescriptionem tibi pernicioſam, mihique contumelioſam euidentiſſimis rationibus probaui, quarum tu nec vltimam in hac epiſtola deſtruxiſti.

His igitur irrefragabiliter probatis, vltimus tibi reſpondere meritò detrectarem, ſi non tuæ charitati, & hac vice morem gerere deſtinarem, quippe vt & in hac epiſtola tua, quid tuam eruditionem, tuamque religionem dedeceat, me tibi fideliter indicare non tædeat.

Inprimis itaque volo te ſcire circumſtantias Rhetorum huic noſtro negocio non competere, ex quibus Oratores fingunt ſuas coniecturas, nō tam de veritate, quam de veriſimilitudine curantes. Hæc enim noſtra cauſa potius ad theſin, quam ad hypotheſin pertinere cenſetur, nec tractanda eſt per veriſimilem Oratorum ſuadelam, ſed per irrefragabilem Philoſophorum demonſtrationem. Dicis igitur in Epiſtola tua, Sozomeni capitulum idcirco tibi authenticum videri, quod certo loco, & tempore à probatis perſonis ſit recitatum, ſcriptum, atq; tranſlatum; ſed falleris in hac conſequentia. Num enim Categoriæ præcipui Doctoris Auguſtini, ipſiuſque ſcriptum, de electione Iacob & reprobatione Eſau exemplis Pauli, * ab aliquo ſani capitis recipiuntur pro authenticis, quæ tamen certo loco, & tempore ex perſona probatiſſima non dubitantur deſcripta, ex quibus Categorias nullus benè ſanus authenticis annumerabit: alterum autē ſcriptum idem Doctor in libro Retractationum repudiare non erubuit. Hæcinquam & alia huiuſmodi prædictam deſtruunt conſequentiam. Vnde cùm Sozomeni caput nondū eſſe authenticum probaſſes, nec per hoc probare potuiſti, vt eo recepto nihil à ſana doctrina deuiaſſes.

Abſurdiſſimū autem videtur, quod denegas, te aliquid peruerſi ſub eodem capitulo dogmatizaſſe, cum iamdudū meæ literæ idem ipſum caput tam irrefragabiliter probauerint peruerſum: quippe Euangelicis, & Apoſtolicis ſcriptis, atq; S. Patrum ſtatutis aduerſum. Fruſtra ergò proteſtaris, quod nullus te ſacerdotibus vxores concedere vnquā audiſſet. Nam & ego, & plures alij hoc te ſæpius concedere audiuimus, cùm idem caput non tantum pro vero, ſed etiam pro authentico prædicare nec adhuc pertimeſcas. Ipſum enim caput aſſerit S. Paphnucium in Nicæna Synodo ſurrexiſſe, & ſacerdotibus, vt dormirent cum vxoribus ſuis, licentiam impetraſſe. Quicunque igitur hoc non tantum pro vero, ſed & pro authentico recipiendum, & obſeruandum prædicat, nullatenus denegare valet, quin ſacerdotibus vxores concedat.

Incaſſum quoq; ſubiungis, qua occaſione illud pro authentico receperis, cum ipſum à te ſub ineuitabili anathemate relictum, nulla ratione probaueris authenticum. Nihil enim intereſt, qualibet occaſione illud pro authentico recipias, quod ne ita recipiatur ſub anathemate prohibitum nondum dubitatur. Nam ſemper ſub eodem anathemate erit, quicunque illud aliquatenus pro authentico receperit. Beatus quoque Paphnucius hac blaſphemia non eſt dehoneſtandus, imò Sozomenus cui id caput aſſignauit Caſſiodorus. Quantiſcunq; autem verbis res ſibiipſis aduerſantes reconciliare conerer; nunquam tamen adeò deſipiam, vt Sozomenum Beato Gregorio in prædicto capite conſenſiſſe cenſeam. Ipſe enim Sozomenus fingit in Nicæna Synodo coniugalem incontinentiam ſacerdotibus non eſſe prohibitam, ſed potius pro caſtitate reputatam; quam S. Gregorius nec Diaconibus Sicilię in epiſtola ſua conceſſit; ſed in quibuſdam eorum ad tempus tantū diſſimulando, non licitam aſſerendo, non cum Diaconij adminiſtratione, ſed ſub altioris gradus prohibitione legitur toleraſſe.

Denique nihil adeò alicui reperitur diſſimile, quod non cum eodem aliquem ſimilitudinis habeat colorem: cùm & ipſe Diabolus ſe in Angelū lucis ſoleat transformare. Quid igitur 2. Cor. 11.

* *Videtur aliquid deeſſe.*

mirum, si tu scriptæ Gregorij figmentis Sozomeni quoquo modo assimilasti, cùm tamen adeo dissentiant, vt huius figmenta nullatenus Gregorianũ anathema subterfugere valeãt? Iustissimè autem non hanc temporalẽ, & dispensatoriam, S. Gregorij tolerationem, sed generalia ipsius & reliquorum Patrum decreta generaliter hoc tempore iubemur obseruare; cùm Beatus Papa Leo tuæ partis assentator, vt æstimas, ad Episcopos Mauritaniæ hanc generalem proferat sententiam. Non ergò in cuiusquã persona est prætermittendum, quod in generalibus statutis cõtinetur. Atqui in generalibus statutis per auctoritatem S. Gregorij in Synodo Generali promulgatis, ipsa non tantum condormitio, sed etiam cohabitatio sacerdotum cum fœminis, & omnia quę sacris Canonibus aduersantur, sub terribili anathemate damnantur.

Hæc igitur si tu fideliter attendisses, nunquam in tui periculum Domini Apostolici sententiam nimium temerariè vocasses *temerariam*, quę tantum Simoniacos, & incontinentes Presbyteros à pernicioso sibi officio clementer separarat, quos S. Gregorius cũ reliquis Canonum aduersariis simul vno tempore sub seueriſſimo anathemate dãnarat. Nullatenus ipse se hac damnatione obligauit, licet Sicilienſium Diaconorũ incontinentiam dissimulando, non quasi licitam, tolerauerit. Ipsi enim Nicæni Patres nullatenus Apostolicę sedi primatum, siue priuilegiũ adimunt, cum omnium etiam prouinciarum antistites iuxta morem Romani Pontificis propria iubeant obseruare priuilegia. Est autem priuilegium Romani Pontificis iuxta assertionem S. Sylueſtri, Gelasij, & reliquorum Patrum, vt ipse de omnibus Ecclesiis iudicare valeat, nec alicuius iudicio subiaceat; & vt ipsorum Canonum, & decretorum seueritatẽ pro temporis necessitate valeat, imò debeat mitigare. Huius priuilegij auctoritate non impugnando Canones, sed obseruando, Diaconibus Siciliæ aliquantulum ad tempus pepercit; non eis, cum Sozomeno, peccandi licentiam dedit. Vnde nec seipsum cum aduersariis proprio anathemate obligauit, sed iuxta tuam ipsius assertionem, te solùm non dico cum Paphnucio, sed etiam cum omnibus Sozomeni sectatoribus sub eodem anathemate reliquit. Ipsi enim SS. Patrum statuta etiã annullare præsumunt, licet eis nullum priuilegium Canones concesserint, vt aliquid ex Apostolicis statutis saltem mitigare possint.

Anathema etiam, quod subiungis, maximè conuenit sectatoribus Sozomeni, & vt compendiosius dicam, *Sozomenistis*, qui non dico approbant, imo causſa, & caput sunt, vt seculares incitentur cõtra sacerdotes. Ipsi enim sua nefandissima persuasione simpliciores Presbyteros ad contemnendos Canones adeò confortant, vt rectores Ecclesiarum necessario Gregorianas sententias ad seculares proferant. Ipse enim Doctor Apostolicus Iennasio Patricio ita scribit: *Scito autem, fils excellentissime, si victorias quæritis, si commissa vobis prouincia securitatem tractatis; nihil aliud vobis magis ad hoc proficere, quam zelari sacerdotum vitam, & intestina Ecclesiarum, in quantum possibile est, bella compescere.* Idem etiam Reges Francorum in adiutorium sibi ad correctionem Sacerdotum hac terribili sententia incitauit conteſtans; *quod*, inquit, *proculdubio facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Nec tamen idem Apostolicus per hoc aliquid commisit in S. Patrum statuta, sacerdotes à secularibus defendentia. Nouit enim certissimè hæc eadẽ nullum sacerdotem à secularibus defendisse, qui sacris Canonibus obstinato animo resisteret, imò qui ab iisdem damnatus iamdudum à sacerdotio, apud Deum decidisset.

Videsne igitur, quam iustissimè prædicto anathemati subiaceant *Sozomenistæ*, qui quoslibet Sacerdotes adeò Canones contemnere, adeò suam damnationem spernere docent, vt Prælati eorum necessariò sibi in adiutorium seculares pro ipsis à damnatione reuocandis implorent.

Parum autem, imò nihil tuæ intentioni prodest, quod tot compassionũ exempla enumeras, dum hoc cuilibet erudi-

Digitized by Google

erudito ſit manifeſtum, quod nullatenus pro alicuius infirmitate ſe aliquis debeat à Chriſto ſeparare, quod omnes faciunt, quicunque aliis tam obſtinato animo contra ſacratiſſimos Canones adminiculari conantur, vt & ipſi iure cum illis ſub vno anathemate multari mereantur. Nam iuxta Apoſtolum; *digni ſunt morte non ſolùm qui talia faciunt, ſed & qui facientibus conſentiunt.* Si verò digna rebus nomina imponere volumus, non hoc miſericors compaſſio, ſed potius miſerabilis condemnatio nuncupabitur, cum aliquis non modo ſuum, ſed & alterius peccatum adeò defendere non dubitat, vt à fonte omnium bonorũ ſeipſum alienare non timeat. Non eſt modò neceſſarium, vt exempla compaſſionũ, quæ fruſtra multiplicas, etiam ſigillatim diſcutiam, cum eadem generaliter nihil tuæ parti prodeſſe iã monſtraſſem, quæ etiam in epiſtolari breuitate ſingulatim pertractare nimis longum æſtimo.

Rom. 1.

Volo tamen hoc tuæ fraternitati fideliter intimare, quod illud exemplũ, quod iuſtum Loth filias ſuas pro hoſpitibus ſtuprãdas exhibuiſſe, teſtatur, à B. Auguſtino inter vitanda potius, quàm imitanda ſacræ Scripturæ exempla, ſicut & mendacium Rahab, reputatur. Idem enim Auguſtinus euidentiſſimis rationibus probat, quod nullatenus aliquem pro aliena infirmitate peccatum committere liceat: pro quo deuitando, nec propriæ infirmitati parcere debeat.

Gen. 18.

Illud autem Apoſtoli: *Vnuſquiſq; ſuam habeat vxorẽ*; cum nec infirmitati monachorum, nec fragilitati quarumlibet velatarum aliquatenus condeſcendat, multominus condeſcendit ſacerdotibus; videlicet qui non ſimplici tantum benedictione ad continẽtiam ſunt dicati, ſed per venerandam manus impoſitionem; & per ſacratiſſimi chriſmatis vnctionem reliquis continẽtibus, imò virginibus, ſunt prælati, qui & ad perſoluendum officium, nullis niſi continentibus licitè, quotidie debent eſſe parati. Deniq; idem Apoſtolus in formans Titum de ordinatione ſiue de conuerſatione Sacerdotum, indubitanter affirmat, quod Sacerdotem oporteat eſſe continentem.

1. Cor. 7.

Scias etiam pro certo B. Auguſtinũ nullam mentionem tui capituli feciſſe cum tractaret, quod multipliciter diuina ſcriptura intelligi poſſet. Quis enim ſani capitis ipſum inter diuina computaret, quod ab ipſis diuinis ſanctionibus iam ab antiquo irrecuperabiliter anathematizatum conſtaret? Nullus autem *Sozomeniſta* ſummo medico eſt comparandus, quia nullo modo ſine ſua pernicie ſuis fauet auditoribus, quod fecit ipſe Chriſtus; nec Domini Apoſtolici auctoritas minuetur, etiamſi quilibet magis perire, quàm Apoſtolicis inſtitutionibus obedire conetur, pro quo etiã orare prohibet ipſe dilectiſſimus Domini: *Eſt*, inquit, *peccatum ad mortem, non dico, vt quis oret pro eo.* Ipſi videlicet tales ad correuertentes potius pro ſe, & pro aliis debent orare, ita dicẽtes: *Omnia quæ feciſti nobis Domine in vero iudicio feciſti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus.*

1. Ioan. 5.

Volo etiam, vt diligenter inſpicias, quoſlibet à populo vitandos eſſe non tam propter humanã incontinẽtiam, quàm propter Diabolicam inobedientiam; vt Spiritus ſanctus per Samuelem teſtatur: *Melior eſt obediẽtia, quàm victima, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum, quia quaſi peccatum ariolãdi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere.* Hinc & ipſe Princeps Apoſtolorum, vt B. Alexander Papa capit. 6. teſtatur in ordinatione B. Clemẽtis, firmiſſimè deliberat, vt populus nec ſaltem loqui ei audeat, quẽ præceptis Apoſtolicæ Sedis inobedienẽ ſentiat. Propter inobedientiam videlicet ipſe Paulus Samoſatenus, cuius errorem in ſæpe trito capitulo reſtaurauit Sozomenus, ab Epiſcopatu publica manu turpiter eſt expulſus, vt ipſa, quam nimiũ veneraris hiſtoria, fatetur. Siricius quoq; Papa ſacerdotalem incontinentiam defendentibus non promotionẽ tantum ademit, ſed omnem etiam aditum indulgentiæ iam tunc eis penitus obſerauit. Decreta Leonis Papæ, quæ tuæ parti fauere putaſti. *Sozomeniſtæ* prorſus condemnant, quæ omnibus Apoſtolica præcepta contemnentibus veniam denegari indicant.

1. Reg. 15.

Multum autem tuæ eruditioni derogas in eo, quod generalibus ſtatutis

B. Siricij dispensatoriam S. Gregorij tolerationem, quippe localem, & temporalem, miraris dissonare. Nullus enim Apostolicus successorem suum priuilegio sedis Apostolicæ priuat, quin pro sui temporis necessitate non solùm Canones, sed etiam sui antecessoris sanctiones valeat mitigare, nec tamen in hoc suo prædecessori repugnat, quem & propria statuta aliquando mitigasse non ignorat.

Nolo autem iterum exinanire illam tuam deceptoriam similitudinem Sozomeni cum Gregorio, & illum tuum prophetalem funiculum abrumpere *Hieren 38.* non necessarium duco, quia Hieremiam de lacu cænoso extrahi desiderantem, non obstinatè saluti suæ reluctantem, inde extractum non ignoro.

Sciat etiam fraternitas tua non Cassiodorum, sed Epiphanium nescio quẽ Scholasticum Tripartitam transtulisse historiam, cuius Cassiodori persona nullatenus anathematizatum Sozomeni caput canonizabit, cum nec in- ** Ruffinum transtulit.* dubitata sanctitas Hieronymi historiam Eusebij ab ipso * translatam effecerit authenticam, quam ipse Hieronymus in lib. de illustribus viris notat deceptoriam.

Idem quoque Doctor eximius teipsum idem caput sanæ doctrinæ aduersum intra crines alienigenæ docuit abscindere, quod cum susceptori suo, vt iam sæpius inculcatum est, sit perniciosum, nullatenus inter diuina mandata super aurum, & topazium est amandum.

Satis verò diligenter quoslibet à recipiendo Sozomeni capite deterres, cum administrationem tam venerabilium Sacramentorum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus æqua conditione doces iniunctam esse. Quis autem nostrum funem sibi ipsi ad crucem portarit, imò quis iam in cruce suspensus strangulantem nodum non abruperit, sed arctius gutturi suo innectere studuerit, tu ipse in superioribus euidenter ostendisti, vbi teipsum in Gregoriani anathematis eculeo suspensum reliquisti.

Laudo tamen quod plenam remissionem peccatorum in baptismo te credere profiteris, per quam professionem blasphemias epistolæ tuæ reprobasti; in qua, inquam, epistola filio iamdudũ baptizato, patris peccatum imputasse notaris. Illam quoque tuam propositionem, *quidquid conuenit parti, conuenit & toti:* & alia huiusmodi exempla, non ex arte prolata, facillimè monstrarem, si non in tali negocio de arte loqui minus idoneum reputarem. Aliorum quippe iudicio arbitror, non nostro relinquendum, quid de tuarum literarum, siue mearum compositione sit censendum.

Propulsatis igitur irrefragabiliter tuis obiectionibus iterum, te, licet ingratum, charitatiuè per subscriptas rationes libet conuenire, vt saltem iam tertiò admonitus ad cor redeas, ne cũ sectatoribus Sozomeni anathematizatus in æternum pereas. Nullum caput canonicæ veritati contrarium pro authentico est recipiendum, atqui tuum *topazion* sacratissimis Canonib. est contrarium. Asserit enim Nicænam Synodũ Sacerdotibus incontinentiam non prohibuisse; quibus S. Hieronymus, Siricius, Gregorius non solùm coitum, sed & cohabitationem cum fœminis in eadem Synodo penitus prohibitam esse testantur Ergo illud tuum *topazion* non etiam pro vero, nedum pro authentico est prædicandum à quolibet in sacris literis erudito, cùm scriptum sit; *os, quod mentitur, occidit animã.* Item *Sap. 1.* B Ioannes Apostolus dicit; *Timidis, etc. Apoc. 21.* *& mendacibus locus est in stagno ignis ardentis.* Item Psalmista: *Perdes omnes, qui Psal. 5.* *loquuntur mendacium.*

Amplius: Sanctissimus Papa Leo per Episcopos in I. Toletana Synodo congregatos Balconio Gallicię Episcopo hanc sententiam inter alia transmisit: *Si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas prater quas Catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas, vel venerandas esse, anathema sit.* Hoc igitur anathemate procul dubio illi multantur, quicunque illud tuum caput pro authentico venerantur, quod nullatenus Catholica Ecclesia recipit, cum sacris scripturis aduersari non dubitetur. *In assertione fidei quæ innotuit post canones Toletana I. Synodi.*

Amplius: Beatissimus Papa Damasus scribens ad Aurelianum Carthaginensem

nensem Archiepiscopum verissimè testatur: *illos manifestè Spiritum sanctum blasphemare, qui contra sacros Canones nõ necessitate compulsi, sed libenter aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt.* Quicunque autem tuum *topazion* pro *canonico* recipiunt, non solum eosdem canones præuaricantur, sed etiam eisdem obstinato animo, vt iam sæpius probatum est, aduersantur. Ergo ipsi cum Spiritum sanctum blasphement, ipsius damnationem, iuxta prædicti Apostolici attestationem, non euadent, præcipuè cum ipsa veritas in Euangelio testetur; quod blasphemia in Spiritum sanctum, nec hic, nec in futuro remittatur: Ipsumque Constantinopolitanum Concilium, quod est vnum ex quatuor Conciliis æquè vt Euangelium, venerãdis, ipsum, inquam, Concilium cap. 1. cum omnibus hæresibus etiam contumaciam Spiritui sancto repugnantium anathematizat; quos & speciali nomine, iuxta quandam translationem, Pneumatomachos cognominat.

Luc. 12.

Amplius: Spiritus sanctus per Apostolum istam promulgauit sentẽtiam: *Si quis non amat Christum, sit anathema, maranatha.* Sectatores autem Sozomeni non amant Christum, cùm indubitanter blasphement, Spiritum sanctum, per quem ipse Christus Canonicas sanctiones inspirauit SS. Patribus. Ergo ipsi subiacent Apostolico anathemati.

1. Cor. 16.

Amplius: B. Gelasius Papa in Apostolica sede cum L X X. Episcopis nominatim Nicolaum B. Stephani Protomartyris Condiaconum, Paulum Samosatenum Patriarcham Antiochenum, omnesque hæreticos siue Schismaticos, & omnes eorum Sectatores irremediabiliter anathematizatos esse pronunciauit cum omnibus, quæ docuerunt, siue conscripserunt. Quicunque autem docent capitulum Sozomeni pro authentico debere recipi, sectantur Paulum, & Nicolaum Hæresiarchas, cum in eodem capite adscribant sacerdotibus coniugale opus. Quomodo ergo ipsi, nisi resipiscant, eorum anathema subterfugere poterunt, quorum nefarium dogma confirmare, & disseminare non timuerunt?

Amplius: Hæresiarches Iouinianus à B. Gelasio inter reliquos Hæreticos specialiter anathematizatus, licet hæreticè incontinentiam continẽtiæ adæquarit: nunquam tamen adeò desipuit, vt Episcopale officium, singularem vtique, & principalem continentium dignitatem, incontinentibus adscribi posse dogmatizarit. Satius enim sibi videbatur, vt hoc reprobando suæ hæresi refragaretur, quam incontinentiam continentiæ tantum adæquaret, vt contra fas, & ius etiam incontinentiam diuinis mysteriis admittendam assereret. Ergo *Sozomenista*, qui hoc impudenter asserendo eundem Hęresiarcham in errore præcedunt, quomodo ipsius ineuitabile anathema subterfugere valebũt? Has igitur irrefragabiles sanctorum Patrum sententias diligenter inspicias, nec contra salutem tuam Sozomeni caput deinceps pro authentico recipere præsumas.

Sed forsitan adhuc dicis, te illud pro authentico recipere, nõ pro alia causa, nisi pro quorundam infirmorũ compassione. Quam obiectionem, licet in superioribus satis rationabiliter annullarim: tamen iterum eidem pro tua charitate non grauabor obuiare. Beatus Pater Augustinus, imo per ipsum Spiritus sanctus, in libro contra Mendacium testatur ita dicens: *Ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione faciendasunt.* Recipere autem Sozomeni caput non tantum pro vero, sed etiam pro authentico, siue Canonico, damnabile peccatum esse probatur; cùm idem caput, & Canonicæ veritati contrarium, & sub anathemate à sanctis Patribus prohibitum non dubitetur. Nullo igitur bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla quasi bona intẽtione est recipiendum. Ergo, nec pro compassione aliquorum. Hunc itaque librum Augustini si tu fideliter attenderis, nunquam nobis aliquod peccatum faciendum esse vel pro alicuius æterna salute iudicabis.

S. August. lib. contra Mẽdacium cap. 7.

Qua

Qua de re diligẽter, & obnixè tuam fraternitatem non cesso implorare, vt saltem modò totiens rationabiliter admonitus animæ tuæ saluti prouideas, teq; à tam pernicioso anathemate subtrahas, neque simpliciores in tuam, & ipsorum perniciem per anathematizati capitis receptionem seducas. Vigilanter sanè attendas verba Domini terribiliter comminantis ei, qui aliquem de pusillis eius scandalizauerit. Precor etiam te, vt & in hoc meam admonitionem recipias, nec te iuxta S. Gregorium Apostolicæ autoritatis reum vlterius efficias, quod iamdudum fecisse probaris, cùm Domini Apostolici præceptum contempsisse, & ei de verbis & scriptis derogasse non dubiteris. Qui etiam & alios per anathematizatum caput à te inter authentica descriptum confortasse infamaris, vt Apostolicis repugnent statutis. Certissimè autem volo te scire, quod nec moderni * Gregorij anathema tibi deerit, si ad ipsum hæc infamia iam de te vulgò dissemi-nata peruenerit, quę te præcipuum Doctorem, defensorem, imo vocem esse asserit omnium, qui Canonicis, & Apostolicis institutionibus obstinato animo resistant.

Matth. 18.

** Vinebat ergo adhuc Gregorius VII. quando Bernaldus hanc epistolam scripsit.*

Hanc igitur infamiam, fideliter ad- A moneo te, vt compescas, neque deinceps Apostolicis statutis in periculum tuum aliquatenus refragari præsumas. Vt autem damnatorias sententias nostri Apostolici, & ipsius principis Apostolorum super Ananiam, & Saphiram pari efficacia pollere nõ dubites: damnationem Spirensis Episcopi, & mortem eius studiosè consideres, qui in præterito anno, qui erat ab incarnatione Domini M. LXXV. in prima hebdomada Quadragesimæ, eadem die, id est, VI. Cal. Martij, imò eadem hora subitò, quasi quodam inuisibili telo perculsus, apud Spiram infirmari cœpit, qua hora & causam eius in Romana Synodo noster Apostolicus ventilare cœpit. Idem quoque tertia die, id est, IV. Cal. Martij heu miserabiliter expirauit, qua cum etiam definita nostri Gregorij sententia Romę cum indubitabili efficacia dãnauit. Sic enim concors fidelium relatio virorum testatur, quorum quidam eo tempore in Romana Synodo damnationi eiusdẽ præuaricatoris interfuere: quidam verò apud Spiram; quod idem Episcopus tam subitò, tam miserabiliter obiisset, præsentes exhorruere. Ergo & tu caue. * Das dir jetz alsamo beschehe.

Act. 5.

Scripsit ergo hanc ep. Bernaldus anno M. LXXVI. De hoc Episcopo Spirẽsi Bernaldus noster in suo Chronico anno M. LXXV. Nomẽ huic Episcopo erat Henricus. Vide de hoc Romano Concilio, Tomo 3. Conc. & Baron. Tomo X. anno Christi M. LXXV.

** Hæc Germanica verba clam dunt epistolam in Cod. Manuscripto.*

EPISTOLA RECONCILIATIONIS PRO superiorum Epistolarum iniuriis.

FILIO DEXTRAE BERNHALDO

ALBOINVS, PAR VELLE, IDEMQ. NOLLE.

NE sit inter nos zelus, & contentio, Propheticum sonat cum Apostolo. Quapropter boni æmulatores esse studeamus, quatenus quidquid noceat, facillimè euadere valeamus. Si qua dissensionis, æmulationisue zizania inter nos pullulasse videantur, idẽtitate puræ dilectionis, eiusq; propinquæ, fidei falce radicitus euellantur. Omne * nostri negocium iuxta Tullij, & Quintiliani conditiones, vertatur in vtile, & honestũ. Si hactenus per longas lucubrationes contentiosè, & infructuosè egimus; nunc sententiosè, & charitatiue per pauca multum proficiamus. Si A non propter Deum omnicreaturę subiacere deberem; propter tuæ redintegrandæ amicitiæ statũ nullatenus contentioni cedere recusarem. Me verò, si quid dixi, quod tibi, vel alicui subolere potest bono, quo spiritus saluus fiat, in interitum carnis tradi nõ renuo. Amodò, vtcunq; res se habeat, feruida vis charitatis nescius minui, sole calidior, adamante perennior, in ęternum & vltrà permaneat. Iam iam perstemus, & conemur, vti nouum par amicitiæ inuicem generare videamur.

1. Cor. 5.

** nostrum.*

1. Cor. 5.

Finis disceptationis de continentia Clericorum.

APOLO-

Digitized by Google

APOLOGETICVS BERNALDI PRESBYTERI

PRO

DECRETIS GREGORII VII. PONTIF. MAXIMI EDITIS IN SYNODO ROMANA,

Aduersus

SIMONIACOS ET INCONTINENTES ALTARIS MINISTROS.

Nunc primum in lucem editus,

EX DVOBVS MANVSCRIPTIS CODD. ALTERO RATISBONENSI, ALTERO WEINGARTENSI

CAPI-

Digitized by Google

CAPITVLA SEQVENTIS OPVSCVLI.

CAP. I. *Decretalis Epistola venerabilis Papæ Gregorij.*

II. *De auctoritate quatuor principalium Conciliorum.*

III. *De auctoritate Apostolicarum institutionum.*

IV. *De auctoritate reliquorum Conciliorum.*

V. *Breuis enumeratio decretorum superioris epistolæ.*

VI. *De primo statuto, id est, de Simoniacis.*

VII. *De secundo statuto, id est, de emptoribus Ecclesiarum.*

VIII. *Quod & sacra Scriptura damnet vēditores spiritualium officiorum.*

IX. *Item, quod emptores eorum damnet.*

X. *Item mediatores huiusmodi Simoniacæ negationis.*

XI. *Detectio statuti prædictæ decretalis Epistolæ, id est, vt incontinentes altari nullatenus ministrent.*

XII. *De anathemate eorum, qui defendunt incontinentiam sacerdotum, per Sozomeni capitulum ex Tripartita historia depromptum.*

XIII. *Quod non Sacramentorum ministris, sed Laicis permissum sit, vt vnusquisque suam habeat vxorem.*

XIV. *Quid Apostolus constituat de sacris ordinibus.*

XV. *Vtilis consideratio eiusdem institutionis.*

XVI. *Expositio B. Hieronymi super eandem institutionem.*

XVII. *De quarto statuto prædictæ decretalis Epistolæ, ne populus officia clericorum recipiat, quos Apostolica statuta contemnere videat.*

XVIII. *Cur eorum officia populo sunt prohibita?*

XIX. *Explanatio cuiusdam capitis, quod præsenti statuto videatur aduersari.* (*depromeret.*

XX. *Quid Domnum Apostolicum compulerit, vt hæc statuta*

XXI. *Quod non illi, sed SS. Patribus pro huiusmodi statutis esset indignandum.*

XXII. *Cur eisdem statutis nullæ appositæ sint inducię.*

XXIII. *Quod Domnus Apostolicus non solùm Episcopos sed & subditos eorum damnare possit.*

XXIV. *Quod cuiuslibet Episcopi parochianus Domno Apostolico etiam plus debeat obedire, quàm proprio Episcopo.*

BERTOL-



BERTOLDVS VEL RECTIVS, BERNALDVS NOSTER IN SVO CHRONICO ANNO DOMINI M. LXXV.

GREGORIVS Papa in prima hebdomada Quadragesimæ Synodum Romæ collegit, in qua cauſam Epiſcopi Spirenſis, ſed Simoniaci, examinauit: qui, ipſa die, cum examinaretur cauſa eius Romę, id eſt VI. Calend. Martij infirmatus eſt Spiræ, ſed deinde IV. Calend. Martij miſerabiliter exſpirauit: quando, & à Gregorio Papa definitam ſuæ damnationis ſententiam in Romana Synodo excepit. In eâdem Synodo decretum eſt à Gregorio Papa, vt Clerici aliquem ſacrorum ordinum gradum, & officium precio adepti, deinceps in Eccleſia non miniſtrent, nec Eccleſiam precio acquiſitam aliquis retineat, nec deinceps alicui Eccleſiam vendere, & emere liceat. Deinde, vt à Clericali officio ceſſent, quicunque ſe per incontinentiam reprehenſibiles exhibent. Item, vt populus Clericorum officia nullatenus recipiat, quos prædictas Apoſtolicas inſtitutiones contemnere percipiat.

INCIPIT APOLOGETICVS BERNALDI SVPER DECRETA QVÆ VENERABILIS PAPA GREGORIVS EIVSDEM NOMINIS VII. IN ROMANA SYNODO PROMVLGAVIT, CONTRA SIMONIACOS, & incontinentes altaris miniſtros.

PROLOGVS.

IN ſuperioribus epiſtolis illi * noſtro, nolit Deus, vt deinceps dicã æmulo, ſed amiciſſimo ſatisfacere ſtudui; & capitulum ſtatutis noſtri Apoſtolici contrarium nullatenus attendendum, vtputa ſub anathemate prohibitum, euidenter monſtraui: adeò videlicet, A vt ipſe amicus noſter, ſe iam non vlterius contentioni, ſed amicitiæ operam daturum mihi reſcriberet. Sed plures adhuc reſtant, qui eiſdem ſtatutis obſtinato animo nimirum periculosè, imò perniciosè reſiſtunt: qui & alios ſimpliciores, quippe non multum ſtudioſos ad conſiderandos Canones, a-

* Albeins. Cod. Reg.

Digitized by Google

deò ſeducunt: vt & ipſi prædictas authenticas ſanctiones contemnant, & ſuam conſuetudinem iucundiſſimam quidem, ſed perniciosiſſimā retinere contendant. Quod non plures eorum feciſſent, vt mihi videtur, ſi ipſis bene compertum eſſet, quàm parum, vel potius, quam * non, noſter Apoſtolicus in prædictis ſtatutis deuiet à ſanctis Patribus. Quapropter mihi, meique ſimilibus commodum fore cenſui, ſi eadem ſtatuta, Canonicis ſcripturis conferrē, & mutuam eorum concordiam qualiſcunque ſtyli officio breuiter, ac fideliter commendarem. Et hoc, ea intentione, vt, ſi quis forſitan ex idiotis hæc inſpicere dignetur, tantò viuacius ad obediendum Apoſtolicis inſtitutis reſipiſcat, quantò euidentius videat hæc eadem nullatenus à ſacratiſſimis canonibus deuiare: ſed cum eiſdem ex ipſa ſacra Scriptura proceſſiſſe.

Cod. Ras. nihil.

CAP. I. In primis igitur decretalem epiſtolam noſtri Apoſtolici deſcribere iuuat: vt tanto apertius ſequentia elucęſcere valeant.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto in Chriſto fratri OTHONI *Conſtantienſi Epiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Inſtantia nuntiorum tuorum feſtinanter redire volentium non permiſit nos fraternitati tuæ, quæ in Romana Synodo conſtituta ſunt, ſeriatim intimare. Hæc tamen neceſſariò tibi ſcribenda fore arbitrati ſumus: nos, iuxta auctoritatem SS. Patrum in eâdem Synodo ſententiam dediſſe: vt hi, qui per Simoniacam hæreſim, hoc eſt, interuentu * pecuniæ ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum, & officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia vlterius miniſtrandi locum habeant. Illi quoque, qui Eccleſias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant: nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat. Sed nec illi, qui in crimine fornicationis iacent, miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores Ordines miniſtrare altari debeant. Statuimus etiam, vt, ſi ipſi contemptores fuerint noſtrarum, imo SS. Patrum conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, vt qui, pro amore Dei, & officij dignitate non corriguntur, verecundia ſeculi, & obiurgatione populi reſipiſcant. Studeat igitur fraternitas tua, ſe in his nobis cooperatricem exhibere: ſic crimina iſta de Eccleſiis tuis radicitus euellere, quatenus boni paſtoris meritum apud Deum valeas obtinere, & Romana Eccleſia de te, ſicut de chariſſimo fratre, & ſtudioſo cooperatore debeat gaudere.*

C. R. pretiū.

CAP. II. Sed priuſquam hæc ſtatuta ſingulatim conſideremus quiddam de ipſorum Canonum auctoritate non incommodum æſtimo prælibare, vt tanto firmius teneatur, quidquid ex eis ad obſeruandum nobis denuntiatur. Sanctiſſimus Papa Gregorius, quē noſter Apoſtolicus nomine, & actione noſtris * repræſentat temporibus, in ſua ſynodica, id eſt, ſynodali epiſtola, ſanctiſſima quatuor Concilia confirmat ita: *Sicut * ſancta Euangelia quatuor, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor. Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error cōuincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur. Chalcedonenſe verò, in quo * Eutychetis, Dioſcorię prauitas reprobatur, tota deuotione complector; integerrima approbatione cuſtodio; quia in his, velut in quadrato lapide, ſancta fidei ſtructura conſurgit: & cuiuſlibet vitæ, atq; actionis norma conſiſtit. quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiam ſi lapis eſſe * videatur, tamen extra ædificium iacet, etc. Cunctas verò quas prædata venerāda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector. quia, dum vniuerſæ ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere, quos * religant, aut religare, quos ſoluunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.* Hucuſque Gregorius.

S. Greg. l. lib. 2. ep. 24

C. R. repræſentatur.

C. R. ſancta Euangelia quatuor libros, ſic etiam habet Rom. editio.

Eutychē. Rom. editio.

C. R. ligāt & Rom. editio.

Hanc autem ſynodalem epiſtolam idem Apoſtolicus ſtatim poſt ordinationem ſuam compoſuit: & reliquis Patriarchis, quippe Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano tranſmiſit. Conſuetudo enim erat eo tempore, vt quilibet in aliqua Patriarchalium ſedium nouiter ordinatus, ſe prædictas IV. Synodos cuſtodire, reliquis ſedibus, tranſmiſſa epiſtola profiteretur, antequam nomē eius apud reliquas ſedes in diptychis deſcribi mereretur. Nomen videlicet prædeceſſoris eius, licet defuncti, reliquæ

quæ ſedes computabant inter viuentes, donec ipſius nouiter inthronizati præſulis ſynodicam reciperent epiſtolam. quæ, quia eundem Epiſcopũ quatuor Synodos recepiſſe denotauit, hoc ſibi nomen, id eſt, ſynodicam ab eiſdem ſynodis non incongruè videtur mutuaſſe.

Hanc autem conſuetudinem illius temporiis fuiſſe, idem ſanctiſſimus Papa teſtatur in epiſtola ad Secundinum ſeruum Dei incluſum: quam & vſque ad tempora beati Papæ Hadriani, quippe ad Karolum Regem perduraſſe, Ioannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus aſſerit: qui vitam S. Gregorij, ex præcepto S. Ioannis Papæ fideliter deſcripſit. Sed vtrum adhuc eadem conſuetudo perduret, ignoro. quam tamen præfatis temporibus fuiſſe non dubito. Patet igitur euidentiſſimè, quàm magnæ ſint auctoritatis illa quatuor Concilia quæ S. Gregorius, imò per ipſum Spiritus ſanctus, non ſemel, vt prædictum eſt, ſed ſæpius, & Euangeliis comparat, & omnes ab eiſdem diſſentientes anathematizat. Quæ, & quilibet nouitius Patriarcha ſe obſeruaturum per epiſtolam ſuam reliquis ſedibus profiteri debebat, ſi ſe inter Catholicos Patriarchas in diptychis deſcribi volebat.

B. Greger. lib. 7. ep. 54.

Cap. III. Decreta verò ſanctiſſimorum Romanorum Pontificum ſi poſſemus, etiam ſtudioſius, quàm illa quatuor Concilia venerari, & obſeruare deberemus: cùm & ipſa Concilia omni firmitate carerent, ſi non Apoſtolicæ ſedis Pontifices eadem, per Apoſtolicam auctoritatem & congregare, & corroborare decreuiſſent. Vnde & beatus Papa Marcellus, qui & ante Nicænum Concilium ſua decreta martyrio conſecrauit, ipſe, inquam, vir Apoſtolicus, in decretis ſuis cap. 11. teſtatur ita: *Ipſi Apoſtoli, eorumq; ſucceſſores, Domino inſpirante, conſtituerunt, vt nulla fieret Synodus præter Romana ſedis auctoritatem.* Sanctus quoq; Athanaſius præſul Alexandrinus, qui non minima pars Concilij Nicæni fuit, in Epiſtola ad Felicem Papam capite 11. ita dicit: *Scimus in Nicæna magna Synodo CCC. XVIII. Epiſcoporum ab omnibus concor-*

B. Marcellus, Papa, ep. 1. Rom. edition.

diter eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari. Sed & Beatæ memoriæ Iulius Papa idipſum capite 5. profitetur dicens: *Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ conuocandorum generalium Synodorum iura, & iudicia Epiſcoporum, ſingulari priuilegio Euangelicũ, & Apoſtolicũ, atque Canonicis conceſſa ſunt inſtitutis.* Beatus quoque * Damaſus Papa in decretis ſuis cap. 9. hanc intulit ſententiam: *Nulla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta Apoſtolica auctoritate.*

* *Iulius I. in reſcripto ad orientales Rom. edition. pag. 208.*

His autem ſententiis beatus Iſidorus rimator ſcripturarum ſagaciſſimus fideliter adſtipulatur dicens: *Synodorum verò congregandarum auctoritas Apoſtolicæ ſedi priuata commiſſa eſt * auctoritate congregata, vel fulta. Hæc Canonica teſtatur auctoritas: hæc Eccleſiaſtica hiſtoria roborat, hæc ſancti Patres confirmant.*

* *C. R. generalẽ interſerit.*
* *C. R. poteſtate. Nec vllam Synodum ratam eſſe legimus, quæ eam nõ fecit.*

Si igitur illa quatuor Concilia omni auctoritate carerent, niſi principaliter ex decretis Romanorum Pontificum firmitatem obtinerent: quis inficiari poterit, quin decreta per ipſos Apoſtolicos viros promulgata, maiori veneratione digna meritò cenſeantur, quàm ipſa Concilia, quæ non per ipſorum Apoſtolicorum præſentiam, ſed tantùm per ipſorum legationem, authentica fieri merebantur? Sic enim legati ſedis Apoſtolicæ eorundem principalium Conciliorum ſanctiones primaria ſubſcriptione Apoſtolica vice canonizabant. Nempe ſub piiſſimo Imperatore Conſtantino magnus Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Victor, & Vincentius Preſbyteri Romanæ Eccleſiæ, ex parte ſancti Sylueſtri Papæ Nicæno Concilio præfuerunt, & ipſum principali ſubſcriptione firmauerunt. Item temporibus Theodoſij iunioris Auguſti, ſanct' Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Epiſcopus ex Italia vice beatiſſimi Papæ Celeſtini, Epheſino Concilio præfuerunt; & ipſum Apoſtolica vice corroborauerunt. Item, tempore Marciani Principis, Paſchaſinus, & Vincentius Epiſcopi, & Bonifacius Preſbyter, vice ſancti Leonis Papæ in

Chalcedonensi Concilio per duodecim dies celebrato, primi fuerunt, qui & Anatolio Patriarchæ Constantinopolitano quoddam priuilegium in Concilio vsurpanti, liberaliter contradixerunt, & reliquis statutis Apostolica vice subscripserunt: vt liber sancti Liberati Carthaginensis Archidiaconi de eodem Concilio testatur. Hæc autem omnia manifestius ille videbit, quicunque eorundem Conciliorum subscriptiones studiosè perspexerit. Ergo reuerentiam, siue obedientiam, quam sacratissimis quatuor Conciliis iuxta sanctum Gregorium meritò exhibemus; decretis Apostolicæ sedis nullatenus denegare, imò, si possibile est, studiosius impendere debemus: cùm sine eorum auctoritate nec ipsa Concilia fas esset recipere.

CAP. IV. Sed nec reliqua Concilia parui pendere debemus: in quibus multa, nusquam alibi inuenta, Ecclesiasticæ tamen * dispensationi necessaria reperimus. Quæ quidem à superioribus authenticis sanctionibus nullo modo discrepant, cum Christianæ religioni apertissimè conueniant. Huiusmodi, inquam, capitula, in quibuslibet Conciliis inuèta, nullatenus ab aliquo Catholico sunt contemnenda: præsertim cùm ipsa reliqua Concilia, ex sacratissimarum autoritate sanctionum descendisse non dubitentur: quæ per singulas prouincias bina Episcoporum Concilia annuatim fieri firmissimè decernunt. Hoc, inquam, beatus Anacletus ab ipso principe Apostolorum presbyter ordinatus in decretis suis capit. 17. certissimè decernit: *Congregatio*, inquit, *summorum per singulos annos fieri solet, & debet.* Hoc excellentissima Synodus Nicæna cap. 5. constituit. *Bene*, inquit, *placuit, singulis annis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis, discutiantur huiusmodi quæstiones.* Item, Constantinopolitanum Concilium, enumeratis priuilegiis diuersarum Ecclesiarum cap. 11. * constituit: *Seruata regula, quæ scripta est de gubernationibus, manifestum est, quod illa, quæ sunt per vnamquamque prouinciam ipsius prouincia*

* C. R. dispositionis.

* C. R. ita.

A *Synodus * dispensetur, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.* * C. R. dispenset.

Item Chalcedonense Concilium cap. 19. dicit: *Decreuit sancta Synodus secundum Canones Patrum bis in anno Episcopos in id ipsum in vnamquamque prouinciam conuenire, quo metropolitanus antistes probauerit: & corrigere, si qua forsas sis emerserint.*

Patet ergo quod authenticæ sanctiones etiam Prouincialia Concilia fieri præcipiunt. quod incassum præciperent, nisi & nos eorundem Conciliorum probabiles sententias obseruare decernerent. Vnde & in tertio Toletano Concilio vniuersali decretum est: *Qui Concilia orthodoxorum Episcoporum, consona sanctissimis quatuor Conciliis non recipit, anathema sit.* Quicunq; igitur vel horum Conciliorum rationabilibus statutis obuiare conatur, etiam à superioribus authenticis sanctionibus in periculum suum dissentire probatur. Beatus quoque Isidorus, in quadam sua præfatione de Canonibus capite vndecimo, prædictis rationibus adstipulatur hoc modo: *Nosse etiam oportet, licet cætera non infirmantur, quatuor esse principalia Concilia.* His autem enumeratis subinfert in eodem capite. *Sed & si qua sunt Concilia, quæ sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omnium manent stabilita vigore.*

Isidorus libro originū 6. cap. 15.

Est ergo dignum, vt & huiusmodi Conciliorum statutis obtemperetur. Si enim non paruæ stultitiæ constat, si quis cuiuslibet vnius hominis sano consilio adquiescere detrectat: quanto magis reprehensibile videtur, si quis impudenter resistit huiusmodi Conciliorum statutis: non vnius, sed plurimorum sapientium auctoritate, & iudicio prolatis, atque probatis. Nempe huiusmodi Conciliis plures Catholici, & eximij Doctores interfuisse leguntur, vt in Africanis Conciliis Legati sedis Apostolicæ Faustinus, Honoratus, Vrbanus Episcopi, * sanctus etiam Aurelius Carthaginensis Archiepiscopus: Item ipse vir omnium virtutum Augustinus Hipponeregien-

* in C. R. desideratur.

regiensis Episcopus, quem sanctus Celestinus vir Apostolicus in decretis suis ita nobis commendat: *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus: nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adsperſit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos, etiam antè à meis prædecessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote, qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori.* Huic etiam Augustino, vt liber Liberati testatur, Theodosius Imperator, per *sacram* suam mandauit, vt se Ephesino Concilio præsentaret. Sed heu, tam egregius Doctor antè mundo subtractus est, quàm ad illum inuitatoria Romani Principis Epistola peruenisset.

S. Celestinus Ep. 2.

Hi ergo, quos prædixi, & alij innumerabiles sancti Patres Africanis Conciliis interfuêre, imò præfuêre. Sic etiam sanctus Marinus Arelatensi Concilio per sanctum Siluestrum * approbato: sic sanctus Cæsarius Agathensi: sanctus Hilarius Arausicensi: sanctus Albinus Aurelianensi: sanctus Bonifacius Mogontiensi Concilio; sic & alij aliis Conciliis non soli, sed cum pluribus aliis sanctis Patribus interfuisse leguntur, qui in Christiana religione, & doctrina tam insignes fuisse creduntur, vt vel vnius eorum singulari iudicio obuiare nimium esset temerarium. Ergo multorum sapientium iudicio non acquiescere, multò magis est intolerabile, in his duntaxat capitulis, quæ prædictis authenticis statutis non aduersantur, sed institutioni Christianę religionis proculdubio suffragantur. Nam iuxta beati Augustini iudicium; *pro nullius personæ reuerentia est recipiendum, si quid Canonicæ veritati in aliquo Concilio vel alicubi reperitur aduersum.*

** C. R Papam.*

Præterea, sancta, & veneranda Synodus Chalcedonensis, etiam Prouincialia Concilia ante ipsum transacta, canonizasse non dubitatur, ita decernens capite primo: *Regulas sanctorum Patrum per singula nunc vsque Concilia constitutas, proprium robur habere decreuimus.* Hæc autem Concilia ante ipsum Chalcedonense leguntur fuisse: Ancyranum: Neocæsareense: quæ, & Nicæno Concilio antiquiora traduntur. Item, Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Laodicense. Ergo eadem & in Chalcedonensi Synodo non dubitantur esse roborata: quæ, etiam cum Africanis canonibus beatus * Hadrianus Papa Karolo Imperatori ad disponendas Ecclesias in regno suo, Romæ tradidisse legitur. Quapropter nec Prouincialium Conciliorum statuta à quolibet temerè sunt respuenda, quæ & Apostolica sedes censuit recipienda. Hucusque sufficiat dixisse de sacrorum Canonum auctoritate. Nunc ad propositum redeamus, & statuta, quæ noster Apostolicus in superiori epistola Othoni Constantiensi Episcopo cautissimè descripta transmisit, per ordinē digeramus.

** Extat hæc Epitome canonū ab Adriano confecta & Karolo Magno tradita.*

CAP. V. Horum illud erat primum: *vt Clerici aliquem sacrorum Ordinum gradum, vel officium, per precium adepti, nullatenus deinceps in Ecclesia ministrent.*

Secundum: *vt Ecclesiam precio acquisitam, nullus retineat; nec alicui deinceps Ecclesiam vendere, vel emere liceat.*

Tertium: *vt, à clericali officio cessent, quicunque se pro incontinentia reprehensibiles exhibent.*

Quartum: *vt populus Clericorum officia nullatenus recipiat: quos Apostolicas institutiones contemnere videat.* Curramus igitur per singula, & eadem quàm authentica, quàm attendenda, imò quàm ineuitabilia sint, non ex nostris coniecturis, sed ex sanctorum Patrum statutis compendiosè monstremus.

CAP. VI. Primum itaque statutum in Chalcedonensi Concilio, plenissimè, & euidentissimè reperitur, quod vnum ex quatuor prædictis Conciliis tempore quidem non dignitate vltimum sancti Patres Leoni Augusto vsque ad sanguinem vindicandum esse mandarunt, vt Liberatus in libro suo testatur. In ipso, inquam, Concilio scriptum est capite tertio: *Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & sub precio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinauerit q, per pecuniam Episcopum, Chorepiscopum, Presbyterum*

Vide ex. 1. c. 6.

aut Diaconum, vel quemlibet de his, qui connumerantur in clero: aut promouerit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium: vel quenquam omnino, qui subiectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo: is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit: &, qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, qua est per negotiationē facta, proficiat: sed sit alienus à dignitate, vel solicitudine, quam pecunijs quæsiuit. Si quis verò mediator tam turpibus, & nefandis datis, vel acceptis exstiterit; si, quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat. Si verò Laicus, aut Monachus, anathematizetur.

* C. R. pecunias.

Et notandum, quàm cautè istud capitulum omnes Simoniacorum astutias excludat: cum quolibet modo per pecuniam promotos, absq; omni spe recuperationis deponat. Solent enim Simoniaci diuersis modis, sed vno reatu, sacras dignitates mercari. Nempe, nunc ipsi, nunc pro ipsis eorum amici precium pro sacra dignitate, vel ante ordinationem suam dederunt, vel in ipsa dant, vel postmodum se daturos promittunt. Et hoc nunc electoribus eorum, nunc eorum ordinatoribus, vel demum quibuslibet eorum fautoribus.

Quicunq; igitur aliquo horum modorum quemlibet promouerit, vel se ipsum ita promotum esse cognouerit, indubitanter à superiori capitulo degradari iubetur, cum per pecuniam, vel alium promouisse, vel ipse promotus esse nō dubitetur. Sed nec hoc sine cōsideratione prætereundum videtur: quod idem caput duo negotiatorum genera damnauit. Vnum quidem eorum, qui ad Diaconatum, vel Presbyteratum, vel ad aliquem huiusmodi gradum per pecuniam ordinantur. Alterū eorum, qui ad dispensationis ministerium, vel ad aliquod huiusmodi clericale officium per pecuniam promouentur: qualis est vicedominatus, præpositura, decania, archipresbyteratus, & his similia. Sic igitur & noster Apostolicus duo negotiatorum genera, & omnes negotiantium versutias in primo eius statuto comprehēdit: in quo, clericos aliquem sacrorum Ordinum A gradum, vel officium, quoquo modo per pecuniam adeptos deponit. Quod tamē statutum superiori capite mitius liquidò probatur: cū spiritualium officiorum venditores, & tam nefariæ negotiationis mediatores debita vltione non damnet. quos tamen prædictum caput cum ipsis emptoribus degradandos, vel anathematizandos esse decreuit. Et nota, si mediator degradari, vel anathematizari meritò iubetur, quid de illo censes, qui per eandem negotiationem indignè promouetur? Hoc vtique, quod sanctissimus Papa Gregorius, imò quod per illum Spiritus sanctus de huiusmodi negotiatoribus indubitanter decreuit, qui in eiusdem Apostolici auriculam, sub columbina specie, quælibet decernenda, dictare consueuit. Nempe scriptū est in decretis suis *cap. 131 *Quicunq; ergo hoc, id est, (Ecclesiasticum officium) precij studet dationem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit.* Et paulò pòst in cōdem cap. *Cùm liqueat hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestifera subrepsisse, atq; in ipsa sua origine; Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cauetur, cur non perpenditur: quia benedictio illi in maledictionem conuertitur: qui ad hoc, vt fiat hæreticus, promouetur?* Quid ergo mirum si noster Apostolicus eos tantum ab Ecclesiasticis ministeriis separauit, quos sanctissimus eius æquiuocus, & ab Ecclesia separatos esse cum reliquis hæreticis deputauit?

S. Greg. l. 7. ep. 112.

* Apud Grat. 1. q. 1. c. 13.

CAP. VII. Secundum quoq; statutum nostri Apostolici est quod Ecclesias emptoribus * adimi præcipit: item in prædicto Chalcedonensis Concilij capitulo licet obscurè, comprehensum videtur: quod etiam dispensatori Ecclesiasticarum rerū per pecuniam promoto, officium dispensandi iubet auferri. Quilibet enim presbyter, dispensator debet existere non prædicationis tantùm, sed etiam rerum Ecclesiæ sibi commissæ, quas S. Patres, non solius presbyteri, sed quorumlibet egentium necessitati dispēsandas esse censuerūt.

* C. R. reum.

Præterea in eodem capite cuilibet clerico omnis Ecclesiastica solicitudo per precium acquisita, iubetur adimi.

mi. Procurare autem ipſam Eccleſiam cum ſacerdotali diligentia, ni fallor, clericalis ſolicitudo eſt, & Eccleſiaſtica: ergò & in eodem capite Eccleſiæ ſolicitudo per pecuniam vſurpata iubetur auferri. Vnde, & beatiſſimus Papa Gregorius ſcribens ad Clementem *Bizanzenum, de quodam preſbytero decernit ita: *Vt, ſi idem presbyter quandam Eccleſiam obtinuiſſet per pecuniam, non ſolum eâdem Eccleſia priuaretur, ſed etiam presbyterij honore ſpoliaretur.* Sic quoque in antiquis noſtratum Prouinciarum Conciliis, Magontiacenſi videlicet, Remenſi, ſiue Turonenſi ſtatutum legitur, vt preſbyter Eccleſiam precio adeptus, & preſbyterio & Eccleſia priuetur. Item beatus Leo Papa eiuſdem nominis IX. noſtro tempori penè contiguus, in prima ſua Romana Synodo Simoniacam hæreſim penitus damnauit: emptiones, & venditiones altarium ſub anathemate prohibuit. quod anathema illi non euaſerunt: quicunq; deinceps tam nefariam negotiationem exercere præſumpſerunt. Libet igitur cõſiderare quàm clementer noſter Apoſtolicus tantum emptas Eccleſias emptoribus earum ademerit, quos iuxta cenſuram SS. Patrum, & Eccleſia, & preſbyterio, imò Chriſtiano nomine, & communione priuandos eſſe non ignorauit.

*Bizanzenum.

CAP. VIII. Sed cur in tantum laboramus, vt prædicta noſtri Apoſtolici ſtatuta ex Synodicis SS. Patrum ſententiis proceſſiſſe demonſtremus: cum eadem ex ipſo ſacræ ſcripturæ armario emanaſſe, nullum dubitare eruditum putemus? Nam in eâdem ſcriptura, omnes perſonæ tam nefarij mercimonij damnatæ reperiuntur, ſcilicet & venditores ſpiritualium officiorum, & emptores, atque huius negotij mediatores. Ipſe enim DOMINVS *pariter vendentes, & ementes de templo ſuo eiecit, & cathedras vendentium columbas* iam tunc ipſe *euertit.* Quod S. Gregorius ille noſter Theologus in *XXII. homilia exponit ita: *Cathedra ergò vendentium columbas euertitur, quando hi, qui ſpiritualem gratiam vendunt, vel ante humanos, vel ante DEI oculos ſacerdotio priuantur.* Et meritò. Nam ipſa veritas præcipit in Euangelio: Gratis accepiſtis, gratis date. quod, cum tales non attendant, etiam à DEO ſeipſos alienant, qui in eodem Euangelio dicit: qui eſt ex DEO, verba DEI audit: ideo, vos non auditis, quia ex DEO non eſtis.

Matth. 21. Marci 11. *C. R. XVII. & reſtè.

Matth. 10.

Ioan. 8.

Præterea princeps Apoſtolorum Petrus imò per illum ipſe Chriſtus omnibus Prælatis in Eccleſia præcipit ita: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem DEI, prouidentes non coactè, ſed ſpontanè ſecundum DEVM, non turpis lucri gratia, ſed voluntariè.* Contra hoc præceptum illi agunt, quicunque ſpirituale officium, pro ſeculari lucro, ſubiectis ſuis turpiter impendunt. de quibus idem Apoſtolus, in ſua poſteriori epiſtola teſtatur; *ſequuti ſunt viam Baalam ex Boſor: qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutum in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam.* Quod venerabilis preſbyter Beda in tractatu ſuper eandem epiſtolam dilucidat ita: *Nam multi Catholicorum in tantum mercedem amant iniquitatis, vt etiam docti ab indocto, à Laico Clerici, meritò laceruntur.* qui, iure *comparantur Prophetæ, qui verbis aſinæ contra naturam loquentis corripitur: nec tamen à propoſito prauiitinere retardatur.* Iſte videlicet Balaam idem eſſe aſſeritur, qui & beatum Iob in libro ipſius ſuperfluè, & arroganter docuiſſe legitur: qui & Heliu, id eſt, diuinus ab officio diuinandi eſt cognominatus. Sic enim teſtatur S. Hieronymus in lib. de Hebraicis quæſtionibus. Hic igitur, cum eſſet Prophetà à Balac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Iſraël conductus: illis quidem in verbo domini pro precio ſtuduit maledicere: ſed prauitatem ſuam Domino vetante, ad effectum non perduxit, nec mercedem iniquitatis accepit. qui tamen à DEO reprobabilis denotatur, vt aſina eius ſapientior eo, veſaniam eius, & inſipientiam corripuiſſe, & eum à gladio reſiſtentis angeli eripuiſſe legatur: quam ipſe angelus non morituram fore teſtatus eſt, etiamſi ipſum reprobum

2. Pet. 2.

*C. R. Nunquam.

Num. 22. 23. 24.

bum Prophetam debita morte multaſſet. Si ergò Balaam tantum amando mercedem iniquitatis, à DEO legitur reprobabilis, quanto magis ille inter reprobos eſt computandus, qui cum Balaam de iniquiſſima venditione ſpiritualis officij precium ſtudioſiſſimè requirit, nec ceſſat, donec ambitionem ſuam ad effectum perducat?

Præterea Beatus Hieronymus in tractatu ſuper Matthæum, illum ſcribam qui dixit IESV: *Magiſter, ſequar te, quocunque ieris; ideo repudiatum à Domino teſtatur; quia more Simonis Magi eum ſequi voluerit, vt ex operum miraculis lucrum aſſequeretur. Vnde & ſibi à Domino reſpondetur: Vulpes foueas habent; & reliqua: ac ſi diceret; cur propter lucra, & diuitias me vis ſequi, cum tanta ſim paupertatis, vt nec proprium habeam hoſpitium, cùm vulpes etiam & volucres proprias habeant manſiones.* Si igitur ille, qui ſpirituale officium pro lucro tantum exercere voluit, ab ipſo Domino iure reprobatur, quanto magis ille, qui & huiuſmodi officium penitus aliis vendidiſſe detegitur?

Matth. 8.

CAP. IX. Emptores autem ſpiritualium cum ipſo principe eorum Simone Mago in Actibus Apoſtolorũ damnati leguntur. Vbi ille noſter Simon Princeps Apoſtolorum, eundem alium Simonem principem apoſtatarum æterna damnatione multauit, ita decernens: *Pecunia tua tecum ſit in perditione. quoniam exiſtimaſti donum DEI pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto. Cor tuum non eſt rectum coram DEO. Pœnitentiam itaque age de hac malitia tua, & roga DEVM, ſi forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Reſpondens autem Simon dixit: Precamini & vos pro me ad DEVM, vt nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis.*

Act. 8.

Et nota: ipſum hæreſiarcham Simonem Magum pro ſola nefaria cogitatione ab æquiuoco ſuo damnatum, quem videlicet ſpirituale officiũ mercari ſolummodò cogitaſſe, nullatenus autem tam nefariam negotiationem legimus impleſſe. Videſne quàm rationabiliter illi damnentur: qui & tam inhianter, vt Simon Magus ſpiritualia officia mercari concupiſcunt, & inſuper deſideratam negotiationem perficiunt: qui, & eadem ſceleratè acquiſita, ſceleratius vti, imò abuti non verentur. Vnde non parum ipſum Simonem Magum in culpa præcedere videntur. Ille enim emptionem, quam malè concupiuit, nullatenus ad effectum perduxit. qui pro ſolo nefario appetitu damnatus, per ipſos Apoſtolos apud DEVM efficere ſtuduit, vt damnatorias eorum ſententias ſubterfugeret, non vt officium criminosè appetitum criminoſius obtineret.

Sed cur idem hæreſiarcha ſpirituale officium mercari appetiſſet, niſi emptum deinde nefandius vendere vellet? Non enim fruſtra de eo ſcriptum eſſe videtur. quod ſtupidus de ſignis, & virtutibus admiraretur. quæ, vt ipſe poſſet facere, per pecuniam ſuam voluit efficere. Videlicet, *vt*, iuxta Hieronymi aſſertionem, *temporale lucrum ex miraculis aſſequeretur.*

Ergò non ſolum emptores, ſed & venditores ſpiritualium officiorum, ſectatores præfati hæreſiarchæ denotantur. Vnde & cum eodem æternæ damnationis vinculo adſtricti non dubitantur; atteſtante beato Gelaſio, in decretis ſuis cap. 24. *Quos verò conſtiterit indignos meritis, ſacram mercatos eſſe precio dignitatem, conuictos oportet arceri, non ſine facinus tale patrantes. quia dantem pariter, & accipientem damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, inuoluit.* Hanc autem generalem ſententiam, Beatus Gelaſius Papa per tractatus ſingulorum graduum ordinationibus ſubintulit: inter quos etiam Oſtiarios, Notarios, ſiue defenſores numerauit; qui, nec per manus impoſitionem ordinantur, nec ipſi manus alicui imponere permittuntur. Vnde & illum in decretis S. Alexandri Simoniacum vocari non dubium eſt, qui pœnitentem ad recon-

Gelaſius in Epiſt. 6. 1. q. 1. c. 6.

* *Hæc penitus in C. R. deſideratur in contextu: ſed tamen eſt ad marginem.*

cilia-

ciliationem pro precio apud Episcopum iuuat. Ex qua * re colligitur, non solùm illos reputari inter Simoniacos, qui per precium ad manus impositionem perueniunt, sed & illos, qui & alia clericorum officia per pecuniam acquirunt. Omnia autem in eiusmodi officiis operatur vnus, atque idem spiritus, cuius donum non gratis, sed per precium dare, vel accipere, non Catholicum, sed indubitanter est Simoniacum.

* C.R. ratione.

Cap. X. Mediatores quoque huius nefandissimæ negotiationis ab ipso vase electionis damnantur: qui eos ita detestatur. *Nam digni sunt morte, non solùm qui nefanda faciunt: sed etiam qui facientibus consentiunt.* Item citharista noster Dauid: *Si videbas*, inquit, *furem, currebas cum eo.* Et illud: *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Deinde in eodem Psalmo terribilis sententia de huiusmodi assentatore profertur: videlicet, quod à Domino sit arguendus, nec per aliquem à manu Domini deinceps eripiendus. Nec mireris, si spiritualis officij mercator sub nomine furis designetur. cum & ab ipsa veritate in Euangelio ita nominetur: *qui* enim *aliunde intrat nisi per ostium, non pastor ouium, sed fur, & latro* nuncupatur à Domino. Nempe nullus in Ecclesia prælatus per ostium, hoc est, per ipsum Dominum ad pastoralem curam intrauit, qui per auaritiam, id est, idolorum seruitutem ad hoc officium peruenit. Non est ergò indignum huiusmodi mercatorem siue mercenarium sub nomine furis infamari: cuius furtiuam irreptionem non expauit imitari. Huius autem criminosissimi mercimonij mediatores non negligenter attendant, Giezi puerum Helisæi, qui ex parte Domini sui, eo quidem nesciente, munera sponte oblata suscepit à Naaman Syro: qui iam à lepra mundatus est ab Helisæo Propheta. Idem quippe Giezi licet inter Helisæum, & Naaman medius nefariè lucraretur, neutrum tamen secum eiusdem sceleris fecit obnoxium. Nam & ille

Rom. 1.
Psal. 49.
Ibid.
Ibidem.
Ioan. 10.
4. Reg. 5.

A spontaneam oblationem satis eleganter respuit: quam iste non quasi ex debito mentis, sed ex benigno affectu mentis liberaliter obtulit. Sed quamuis Giezi neutrum horum in crimen secum attraxerit, sed se solùm inter hos medium simplici crimine obligauerit: ipse tamen & omnes eius posteri pro eadem culpa leguntur seueriſſimè puniti: scilicet lepram, à qua mundatus est Naaman, quasi hæreditariam in sempiternum sortiti. Quapropter mediatores Simoniacæ negotiationis attendant, quàm districtè, imò quàm districtissimè sint damnandi: qui non solum se ipsos, sed & illos, quorum mediatores sunt, sub æterna damnatione secum posuerunt.

Satis ergò, vt opinor, declaratum est, quàm summoperè prædictas nostri Apostolici sanctiones venerari, & obseruare debeamus, quas non solum ex Synodicis, & authenticis SS. Patrum sententiis promanasse; sed etiam ex Propheticis, Euangelicis, & Apostolicis * scriptis processisse probatum est euidentissimè. Ipsa videlicet veritas eadem, & per se ipsam, & per suos fideles indubitanter promulgauit; * quia & sub fideli attestatione nobis dicit: *Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum.* Item alibi: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Ergò qui mandata eius non obseruat, ipsam veritatem non amat. *Qui* autem *non diligit*, attestante beato Ioanne, *manet in morte.* Qui igitur diuina præcepta contemnit, nullatenus mortem subterfugere valebit.

* C.R. scripturæ.
* C.R. quia
Ioan. 8.
Ioan. 14.
1. Ioan. 3.

Cap. XI. Tertium autem nostri Apostolici statutum, quod incontinentibus Clericis ministerium altaris interdicit, nihilo minus definitũ est à SS. Patribus. Est enim scriptum in * Nicæno Concilio, quod maximum est inter IV. Concilia Euangeliis adæquata: Cap. III. *Interdicit per omnia, magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulie-*

* C.R. satis

rem: *nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt.*

Vt autem huius capitis intentio clarius eluceſcat, apertiorem eius translationem ſubnectere non pigeat. Omnimodis ſancta interdixit Synodus, neque Epiſcopo, neque Preſbytero, neque Diacono, neque vlli Clericorum, permittit habere ſecum mulierem extraneam: niſi fortè mater ſit, aut ſoror, aut amita. In his namque perſonis & horum ſimilibus omnis ſuſpicio declinatur. Qui aliter præter hæc agit, periclitabitur de Clero ſuo. Videſne igitur quia penitus clericis coniugale opus *C.R.ſic. * interdicatur? quia & pro ipſa cohabitatione ſua fœminarum, non ſolùm de miniſterio altaris, ſed de clericatu ſuo periclitari iure cenſentur. Nec hoc tantum de ſacerdotibus, ſed de omnibus ſacris ordinibus euidenter decernitur.

Item Neocæſareenſe Concilium, quod ante Nicænum Concilium fuiſſe legitur, ita cap. 1. decreuit: *Presbyter, ſi vxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.*

Chalcedonenſe etiam Concilium, quod ipſas Nicænas, Neocæſareenſes, imò omnes SS. Patrum ſanctiones ante ipſum tranſactas, vt prædictum eſt, confirmat: etiam earundem ſanctionum præuaricatores generaliter ita cõdemnat, cap. 10. *Eos autem, qui auſi fuerint poſt definitionem magnæ, & vniuerſalis huius Synodi quidquam ex his, quæ ſunt prohibita, perpetrare, decreuit S. Synodus, à proprio gradu recedere.*

Item beatiſſimus Papa Syluester, qui Nicænam Synodum congregauit, & eandem Apoſtolica auctoritate corroborauit, in ſuis Synodalibus decretis, ita decernit, cap. 6. *Nemo Presbyter à die honoris Presbyterij, ſumat coniugium. quod ſi quis neglecto hoc, aliter egerit, XII. annis eum iubemus priuari honore. Quod ſi quis contra hoc chirographum præſens, & publicè dictum egerit, damnabitur in perpetuum.*

Item beatus Siricius Papa in decretis ſuis cap. 7. *Quilibet Epiſcopus, Presbyter, aut ꝙ Diaconus, quod non optamus, deinceps incontinens fuerit inuentus, iam ſibi per nos omnem aditum indulgentiæ intelligat obſeratum.* Item, in eiſdem cap. 12. *Feminas, ſed non alias eſſe patimur in domibus clericorum, niſi eas tantum, quas propter ſolam neceſſitudinũ cauſam habitare cum iiſdem Synodus Nicæna permiſit.*

Item, ſanctiſſimus Papa Gregorius, ſcribens ad Romanum Defenſorem ita decernit cap. 10. *Si qui Epiſcoporum, quos commiſit tibi patrimonij ſinus includit, cum mulieribus degunt: hos,* omninò compeſcas & de catero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quas ſacrorum Canonum cenſura permittit, id eſt, matre, amita, germana, & aliis huiuſmodi, de quibus praua non poſſit eſſe ſuſpicio. Melius tamen faciunt, ſi etiam talium cohabitatione contineant. Nam legitur, quod beatus Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſerit dicens: qua cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. Docti ergò viri cautela, magna nobis debet eſſe inſtructio.* Et poſt pauca: *Præterea cura tua ſit eoſdem fratres noſtros Epiſcopos adhortari, vt ſubiectos ſibi in ſacris videlicet Ordinibus conſtitutos, quod ipſi ſeruant, ad ſimilitudinem ſui modis omnibus ſeruare commoneant.* *S. Greg. Lib. 7. Epiſt. 39. * C. R. hoc.

Item Zacharias Papa in decretis ſuis cap. 1. *Decernimus, vt Epiſcopi cum mulieribus omninò non habitent: ne ab antiqui hoſtis fraude decipiantur.* Idem, in eiſdem cap. 2. *Vt Presbyteri, vel Diaconi ſubintroductas mulieres nullo modo ſecum habere audeant: niſi fortè commatrem ſuam, aut proximitatem generationis ſibi habentes, quæ ſuſpiciones effugiunt, ſicut in Nicæna Synodo continetur. Si quis præter hæc ſtatuta præſumpſerit agere, ſacerdotij ſui honore priuetur.*

Item Beatus Hieronymus ſcribens ad Oceanum, authenticis rationibus probauit, nõ licere clericis conuerſari cum fœminis: Et poſtmodò ſubintulit: *Quod ſi poſt noſtra monita aliquis clericus, ſuas * agapetas amplius quæſierit amare, quàm Chriſtum, ſecundum Synodalem regulam conueniatur, & præcepta Patrum* * M.S. ſe agapetas mendoſe ad modum.

trum in Nicæa definita ei legantur. Tum verò, si conuentus, prædictas fugerit, & reliquerit, consecuti sumus maximum lucrũ. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est. Germinant enim fœminæ spinas cum viris habitantes: & arcana mentium acuto mucrone percutiunt.

Sed quid dicam vlterius? Deficiet enim me tempus, vt enarrem *virtutũ SS. Patres prædicti nostri Apostolici statutis subscribentes. Nam omnes Catholici eadem obseruanda esse censuerunt. qui & à sacratissimis quatuor Conciliis dissentire noluerunt. Ex quibus noster Apostolicus præfata produxit decreta. Quapropter nec idiotas latere æstimo, quàm periculosè, vel potius quàm perniciosè sibi, suisque sectatoribus desipiant: quicunque per Sozomeni caput sacerdotibus incontinentiam adscribere non formidant. Quibus, licet superior epistolarum assertio sufficere debeat; vnum * tamen eos præmonere de cauendo anathemate non tædeat.

*C. R. verum.

*C. R. item.

CAP. XII. Vetus testamentũ partim in mysteriis, partim in moralib, præceptis continetur. Sed adueniente Christo cessauit in mysteriis, & carnalibus obseruantiis; quia ipse est finis, siue completio legis. In moralibus * præceptis adhuc manet, quia semper est obseruandum; *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* * quicunque igitur ex lege aliquam carnalem obseruantiam nouo quidem testamento aduersam, adhuc obseruandam esse dogmatizat, proculdubio cum Galatis, imò cum * Hebionitis iudaizat. Coniugale autem opus sacerdotum inter carnales legis obseruantias cõputatur. Quibus * vnquam sacerdotibus hoc tantum in lege successionis causa legitur concessum: quia ex alia tribu nullus eo tempore peruenit ad sacerdotium. Nam in nostro tempore ex quolibet genere sacerdotes eligere licet: quibus & meritò interdicitur coniugale opus, cum non iam habeant successores necessarios. Quapropter quisquis, & hoc tempore illud Iudaicum coniugium sacerdotibus licere cum Sozomeno, vel potius cum * Hebione dogmatizat: non negligenter illud ineuitabile ana-

*Matth. 5. Deut. 6.

*C. R. & reliqua.

*Ebionitis.

*C. R. inquam.

*Ebion.

A thema consideret: quo ipse Apostolus specialiter Iudaïcarum obseruationum prædicatores anathematizat, Galatas iudaïzantes ita deterrens: *Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, prater quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Idem verò inculcans subiungit: *Nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit prater id, quod accepistis, anathema sit.* Idẽ quippe Paulus ipsum principem Apostolorum Antiochiæ, licet eiusdem sedis Episcopum, liberaliter corripuit, eò quòd gentes, non quidem prædicando, sed suo exemplo iudaïzare cogeret, cum se ab eorum conuiuio pro timore Iudæorum simulando subtraheret.

Gal. 2.

Gal. 2.

Præterea ipse hæresiarches Hebion cum omnibus suis sectatoribus inter reliquos hæreticos anathematizatus est à sacratissima Synodo Constantinopolitana: & à Beato Gelasio Papa in Apostolica sede; quod anathema nullus subterfugere poterit, quicunque ipsum hæresiarcham per Sozomeni caput sectari præsumpserit.

CAP. XIII. Quidam etiam sibi nimium videntur scioli, asserentes incontinentiam sacerdotibus esse concessam in illo Apostoli: *Vnusquisq; suam vxorem habeat.* Qui aut nõ intelligunt, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, aut si intelligunt, suam ipsorum conscientiam impugnant. Nam attestante Beato Hieronymo, Corinthij inter cætera ab Apostolo quæsierant: An nuper renatis in Christo, carnalis copula licita esset? quibus ita rescripsit Apostolus; *De quibus autem scripsistis mihi: bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisq; suam vxorem habeat: & vna quæq; virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* quod ita exponit S. Hieronymus in lib. contra Iouinianum: *Non dixit Apostolus, propter fornicationem ducat vnusquisq; vxorem. Alioquin hac excusatione libidini frenalaxasset: vt quotiescunq; vxor mo-*

1. Cor. 7.

ibid.

S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. cap. 4.

vitur,

ritur, totiens ducenda sit alia, ne fornicemur. Sed vnusquisq; vxorem suam habeat, suam, inquit, *habeat, sua vtatur, quam habebat, antequam crederet. quam bonum erat non tangere: & post fidem Christi, sororem tantùm nosse, non coniugem; nisi fornicatio tactum eius excusabilem faceret*, &c. *Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.*

Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipere non permittit? quandiu enim impleo maritii officium, non impleo continentiã. Iubet idem 1. Thess. 5. *Apostolus in alio loco; vt semper oremus.* * C.R. ergò. ** Si semper orandũ, nunquam coniugio seruiendum est; quando, quotiescunq; vxori debitum reddo, orare non possum.* Sic & 1. Pet. 3. Petrus Apostolus docet Christianos; vt infirmiori vasculo muliebri, honorem tribuant ab opere coniugali cessantes; ne impediantur eorum orationes.

Quis igitur sanæ mentis prædictas Apostoli sententias de exercendo cõiugali opere sacerdotibus adscribat, quorum quotidianum est officium, nõ modò orare, sed & diuina Sacramenta contrectare: præsertim cum in eodem loco etiam cuilibet Christiano, tempore orationis iniungatur continentia? Nam, si Apostolus hîc, etiam sacerdotibus carnalem copulam concederet, profectò contrarius sibi esset: quiad Titum scribens præcipit, vt sacerdotes sobrij, iusti sint, atque continentes. Ergò, non hîc sacerdotibus, Tit. 2. sed Laicis, & his non solidum cibum, sed lacteum potum ministrat, vt puta, neophytis, qui nondum sibi, necdum aliis sufficienter eraſit instructi. Qualibus idem Apostolus sacerdotale officium penitus intercludit.

Eâdem etiam ratione probatur, ad Laicos, non ad sacerdotes spectare, quidquid idem Apostolus scribit de exercendo coniugali opere: vt illud, 1. Cor. 7. *quod si se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri.* Et melius est legitimo marito misceri, quàm fornicari. Et illud; *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si acceperis vxorem; nõ peccasti. Si nupserit virgo, non peccauit.* Hoc itaque nullo modo de sacerdotibus, vel de aliis continentiæ dedicatis dicitur. Sed de illis tantùm, qui legitimè coniugari possunt. Vnde Hieronymus in supradicto libro: *Si*, inquam, *nupserit Virgo, non peccauit: non illa Virgo, quæ se semel* DEI *cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit, damnationem habebit. quia primam fidem irritam fecit.* Si autem hoc de viduis dictum obiecerit [quis,] quanto magis de Virginibus prævalebit, cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit. Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ. Si ergò prædictæ Apostoli sententiæ huiusmodi continentibus carnalem copulam non concedunt, quanto minus sacerdotibus: maximè cum illæ simpliciter ad continentiam sint consecratæ: Illi autem ipsis continentibus sint prælati, & per venerandam manus impositionem, & per sacrosancti Chrismatis vnctionem.

Præterea idem Apostolus ipsis, quibus coniugale opus exercere concedit, eisdem etiam secundas nuptias licenter inire permittit. Soluto enim ab 1. Cor. 7. vxore aliam ducere concedit, & viduæ nubendi licentiam attribuit. Nullatenus ergò sacerdotes sub permissoria carnalis copulæ sententia comprehendit: quibus, in epistolis ad Timotheum, & Titum, digamiam penitus pro- 1. Tim. 3. Tit. 1. hibuit: cum iubeat tantum vnius vxoris virum eligi ad sacerdotium. Nam nec apud Ethnicos bigamia licebat sacerdotibus, beato Hieronymo, asserente contra Iouinianum. *Legant*, inquit, *nostrates, & antequam religio nostra fulgeret in mundo, vnicubas* semper habuisse inter matronas decus. *Per illas, Fortunæ muliebri sacra fieri solita: nullum sacerdotum bigamum; nullum flaminem bimaritum. Hierophantas quoq; Atheniensium vsq; hodie cicutæ sorbitione castrari: ipsos, qui in Pontificatum allecti fuerint, viros esse desinere.*

Quicunque autem prædicta Apostoli verba in tantum adulterant, vt sub eorum peruersa interpretatione, etiam sacerdotibus incontinentiam licere confingant: Proculdubio sequuntur Nicolaum hæresiarchen, quẽ Clemens Alexandrinus in 3. lib. Stromatum refert, vxorem suam cuilibet etiã volen- *Lege ipsum Clementẽ lib. 3. cap. 3. & lib. 2. cap. 9.*

volenti proſtituiſſe: &, hoc exemplo ſuo docuiſſe, cunctis promiſcua, atque communia fœminarum conſortia licere. Et hoc ideo, vt à maioribus relatum, quia ſcriptũ eſt: Et erant illis [omnia] communia: inter quæ Nicolaus numerauit & coniugia. Sicut igitur ille Apoſtolicum exemplum nimis generaliter, & peruersè acceptum in hæreſim mutaſſe refertur, ſic & iſti, illud Apoſtoli: *Vnuſquiſq; ſuam vxorẽ habeat*, nimis generaliter, & peruerſiſſimè interpretantes, in errorem vertiſſe notantur: qui ſub eodem exemplo contra eundem Apoſtolum ſacerdotibus coniugale opus conceſſum fallaci pertinacia contendunt. Quamuis enim in ſacris ordinibus promiſcua fœminarum conſortia magis deteſtanda ſunt; quàm ſingularia; deprauatio tamen Apoſtolicæ inſtitutionis ipſi hęreſiarchę Nicolao minus imputanda videtur, quàm iſtis. Ille enim, eo quidem tempore Apoſtolicam doctrinam malè interpretatus eſt, cum vix in primis nomen Chriſtianitatis incepiſſet, cum Euangelica, & Apoſtolica doctrina nondum eſſet per totum mundum dilatata: nondum tot ſignis, & virtutibus: tot ſacratiſſimis ſanctorum Martyrum triumphis approbata. Iſti autem, eandem doctrinam iam vbique nec ignotam ruſticis, iam dudum, imò iam ab antiquo, ſanguine ſanctorum Patrum conſecratam, & irrefragabiliter corroboratã, obſtinatiſſima temeritate niituntur deprauare. Vnde, & illam perditionem ſubterfugere nequibunt: quam ipſe princeps Apoſtolorum deprauatoribus ſcripturarũ aſſignat: qui Epiſtolas coapoſtoli eius Pauli ita nobis commendat: *In quibus*, inquit, *Epiſtolis ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* 2. Pet. 3.

Vt autem clarius eniteat, Apoſtolum in ſuperioribus ſententiis non ſacerdotibus, ſed Laicis carnale commercium indulſiſſe, diligenter inſpiciamus, quod idem Apoſtolus miniſtros ſanctorũ * obſeruare decernat, & * C. R. ſeueram.

A quibus ſacros ordines concedi, vel denegari conſtituat. Nam in eâdem Apoſtolica inſtitutione & defenſoribus ſacerdotalis incontinentiæ perpetuum ſilentium euidenter imponitur: & præfata noſtri Apoſtolici ſtatuta irrefragabiliter corroborantur. quippe quę nulli ſacrum officium interdicunt, niſi quem & Apoſtolica præcepta penitus ab ipſo ſacro ordine ſecludunt.

CAP. XIV. Beatus igitur Paulus Apoſtolus ſcribens ad Timotheum, de ſacris ordinibus ita teſtatur: *Fidelis*, inquit, *ſermo; ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergò Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ DEI diligentiam habebit? Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino dedutos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi primum probentur: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. Diaconi ſint viri vnius vxoris: qui, filiis ſuis benè præſint, & domibus ſuis. Qui enim benè miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Domino.* 1. Tim. 3.

Idem, ad Titum: *Huius*, inquit, *gratia reliqui te Creta, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui: ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet autem Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut DEI diſpenſatorem, non ſuperbũ, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit & exhortari in doctri-* Tit. 1.

na sana, & eos, qui contradicunt arguere. Sunt multi inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Et post paucæ: Increpa illos durè; vt sint sani in fide, non intendentes Iudaicis fabulis & mendaciis hominum auertentium se à veritate.

CAP. XV. In primis igitur notandum est in his Apostolicis institutionibus sub nomine *Episcopi*, etiam Presbyteros comprehendi. Inconuenienter enim Apostolus post descriptionē Episcopi statim de Diaconibus subinferret: si non & Presbyteros sub Episcopali descriptione cōprehenderet: qui post Episcopum proximi, & ipsis Diaconibus indubitanter sunt antepositi. Aut enim nusquam de ordinatione presbyterorum dixit, aut sub nomine Episcoporum eos descripsit. Scilicet incongruum esset, vt prætermisso magistro ministrum eius describeret, cum tamen magister Ecclesiasticis dispositionibus magis esset necessarius. Præterea cum Apostolus Tito præcipiat, vt per ciuitates Presbyteros ordinet, statim eum de ordinatione eorum informans subinfert: *Oportet Episcopum sine crimine esse.* Idem Timotheo scribit: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum presbyterij*: cui, in sequentibus statim dicit: *Nemini citò manum imposueris, quod propriè Episcoporum est.* Ergò, eundem Episcopum dicit, quem & Presbyterum nominauit. Sic beatus Hieronymus, & S. Pater Ambrosius prædictas Apostoli sententias fideliter exponentes, testantur, apud antiquos idem fuisse Episcopum, & Presbyterum, vt nomen vnū, esset officij; aliud, ætatis. Postea autem, vt Hieronymus asserit, cum vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putaret, & non Christi; propter auferenda schismata, in toto decretum est orbe, vt vnus de Presbyteris, præponeretur cæteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret.

Ibidem.

1 Tim. 5.

De hoc dicto S. Hier. lege Bellarmin. lib. de Clericis cap. 15.

Post descriptionem autem Episcopi & Presbyteri, cautè Apostolus subiungit de Diaconibus ita decernens: *Diaconos similiter* scilicet oportet, *pudicos esse*; & reliqua. Ac si diceret, quod de Episcopis, & Presbyteris decreui, hoc idem & de Diaconibus me sciatis decreuisse. Satis ergò euidenter patet, vt æstimo, Apostolum in superioribus suis diffinitionibus etiam Presbyteros cum Episcopis, & Diaconibus comprehendisse. Vnde & meritò quilibet eorum à sacris officiis dimouetur, quicunq; ex illis in se Apostolicam informationē corrupisse probatur. Nempe Apostolus testatur Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos oportere turpis lucri cupidos non esse. Omnis autem Simoniacus turpissimi, & nefandissimi lucri indubitanter est cupidus. Ergò inter sacros ordines nullatenus est computandus, scilicet iam dudum per Apostolicam sententiam penitus ab eisdem segregatus. Notandum autem, si neophytus inter sacros ordines non recipitur, qui tamen inter Laicos posse saluari creditur, quāto magis inde sunt segregandi cupidi, siue auari, qui sunt idolorum serui: qui, iuxta Apostolum, nullatenus habent hæreditatem in regno Christi & Dei?

Ibid.

Eph. 5.

Item Apostolus præcipit in superioribus, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, sint pudici, id est, continentes. Nec mirum; cum & Laicos ad continentiam hortetur dicens: *Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum*, vtiq; continentes. Item: *reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint.* Item; *Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiā.* Vnde Hieronymus: Si Christus, inquit, sanctè, si castè, si absq; vlla macula diligit Ecclesiam: Viri quoque in castitate vxores suas diligant: Et, *sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant* DEVM. Quem honorem ita interpretatur Hieronymus: *Si*, inquit, *abstinemus nos à coitu, honorem muliebri vasculo tribuimus: si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam.*

1 Cor. 7.

Ibid.

Eph. 5.

1 Thess. 4.

Præterea omnis populus filiorū Israël ad montē * accessurus, & DEI eloquium de longinquo tantū auditurus, triduo sanctificari, & se continere ab vxoribus iubetur. Iure ergò Apostolus

* C. R. M.

Exod. 19.

sacro-

* C. R. continentiam dixit.

sacrorum ministris *incontinentiã interdicit, qui & secularibus debent præeminere in castitate. qui, & ipsius Spiritus sancti loquutorium effecti, quotidie Dominũ pro populo debent interpellare. Quicunque ergò horum incontinens esse detegitur, ab ipso Apostolo sacris ordinibus interesse prohibetur: cum per incontinentiam Apostolicę institutioni seipsum subtraxisse videatur. Nam quod Apostolus dicit, *vnius vxoris virum*, iuxta attestationẽ SS. Patrum, ante ordinationem tantũ, non post ipsam, est intelligendũ. Vnde

* Hic liber non constatur S. Cyprianus.

S. Cyprianus * in lib. de XII. abusionibus, dicit; *quod talis esse debeat Episcopus, vt ante Episcopatum vnam tantum vxorẽ habuerit, non plures.* Vnde, & S. Hieronymus in Apologetico ad Pammachium; *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui: vel certè post sacerdotium in aternum pudici.* Item, beatus Zacharias vir Apostolicus scribens ad S. Bonifaciũ Magontiacensem Archiepiscopum, ita decreuit: *Cùm*, inquit, *tua fraternitas in Concilio* (Moguntino) *consederit, cum* (Karlomanno) *excellentißimo viro: si quos repererit Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos, contra Canones, vel statuta Patrum excessisse, ideſt, in adulterio; vel, si plures vxores habuerunt; aut si sanguinem Christianorum, siue paganorum effuderunt, vel etiam aliis capitulis, quibus canonibus obuiasse repererit tua sanctitas, nulla ratione, Apostolica auctoritate permittit vt (eos) sacerdotio fungi: quia tales à suo opprobrio ore falsò nominantur sacerdotes: & peiores, ac deteriores secularibus esse noscuntur: qui, se neq; à fornicationibus, neq; à nefariis matrimoniis abstinent, neq; ab hominum sanguinis effusione manus seruant innoxias. Quales se esse sacerdotes existimant; aut quid inde sentiunt, dicente Deo: sacerdotes mei, semel nubant? Et Apostolus; vnius vxoris virum*, & cætera. *Et hoc, ante susceptum sacerdotium vtì, licitum est. Nam, à die susceptì sacerdotij; etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt.* Vnde, & Hieronymus ad Vigilantium scribens testatur: *Ecclesia Orientis, & AEgypti, & Apostolica sedes, aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut, si vxores habuerint, mariti esse desistunt.* Quomodo enim iuxta

A eundẽ Apostolũ, vt ꝓdictum est, se cõtinerent, si cum cõiugibus incõtinentiã exercere deberent: quæ, quia cõtraria sunt, nullatenus simul esse possunt?

Sed & hîc diligenter inspiciendũ, q̃ Apostolus iusserit eligi ad sacerdotiũ, nõ qui iam per incontinentiã filios generaret, sed qui dudũ filios adultos, & benè nutritos habuisset. Nota autem Apostolum, inobedientes, & vaniloquos nullatenus inter sacros Ordines cõputasse: imò peritos sacerdotes cõstitui præcepisse: ad hos vtiq; arguendos, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ nõ oportet, turpis lucri

B gratia: quos etiã durè increpari iubet, ne Iudaicis fabulis intendant, & mandatis hominũ * auersantiũ à veritate. Vt illi, qui iuxta mandatum Pauli Samosateni, siue Hebionis Iudaicam incõtinentiam Christianis sacerdotibus licere dogmatizant.

* auersantium fi.

Quid ergò mirũ, si & noster Apostolicus huiusmodi inobedientes à sacro officio dimouit: quos, & Apostolus durè increpari, nõ sacris Ordinibus annumerari decreuit? Videsnè igitur q̃ ineuitabiliter sint obseruanda nostri Gregorij statuta: quæ à sacratissimo fonte

C scripturarum videmus deriuata.

Sciendum autẽ Apostolũ cõstituisse, vt ordinãdi, siue ordinati, sine crimine essent, nõ sine peccato. Nam in mundo nullus, iuxta Augustinũ, exceptis paruulis baptizatis sine peccato cõuersatur, attestante ipso dilectissimo Domini Ioanne: *Si dixerimus*, inquit, *qa peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est.* Itẽ, frater Domini Iacobus: *In multis enim offendimus omnes.* Multi autẽ sine crimine reperiuntur. Vnde B. Augustinus in tractatu XLI. super Euangel. Ioannis testatur: *Scilicet*

D *planè multi iusti dicti sunt sine querela, q̃ intelligitur sine crimine. Nulla enim querela iusta est de hũ, in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen verò est peccatum graue accusatione, & dãnatione dignissimũ.* Qui igitur tam graue admiserit peccatum, iuxta Apostolũ, factum Ordinem obtinere nõ debebit. Vt autẽ hæc Apostolica institutio de sacris Ordinibus nobis euidẽtior fiat: beati Hieronymi expositionem super eandem consi-

1. Ioan. 1.

Iac. 3.

S. Hieron. Lib. 1. c. 1. & 2.

Digitized by Google

rare non pigeat. qui eam in libro contra Iouinianum ita dilucidat.

Cap. XVI. Sed & ipsa Episcopalis electio mecũ facit. Nõ enim dicit; eligatur Episcopus, qui vnã ducit vxorẽ, & filios facit, sed, qui vnã habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè cõfiteris, non posse esse Episcopũ, qui in Episcopatu filios faciat. Alioquin, si deprehensus fuerit, nõ quasi vir tenebitur, sed quasi adulter dãnabitur. Aut, permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarũ, vt idem sint Virgines, quod mariti: Aut, si sacerdotibus vxores nõ licet tangere, in eo sancti sunt; quia imitantur pudicitiã virginalem. Sed & hoc inferendum. Si laicus, & quicunq; fidelis orare nõ potest, nisi careat: officio cõiugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sacrificia, semper orandũ est. Si semper orandum est: ergò semper carendũ matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, nõ solùm in domibus suis non erant, sed etiã purificabantur, ab vxoribus separati: & vinũ, & sicerã non bibebant: quæ solent libidinẽ prouocare. Eliguntur mariti in sacerdotiũ. Nõ nego; quia nõ sunt tanti virgines, quanti sunt necessarij sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimus quisq; eligendus est, idcircò nõ assumẽtur & infirmiores, cũ omnes fortes esse nõ possint? Si exercitus viribus tantũ constaret & nõ etiã numero militũ; abiicerẽtur imbecilliores. Nũc & secundarũ, & tertiarum virũ gradus assumitur, vt turba, & numero exercitus compleatur.*

Et quo modo, inquies, frequenter in ordinatione sacerdotali sacerdos Virgo negligitur, & maritus assumitur? quia fortè, & cætera opera nõ habet Virginitati cõgruentia: Aut virgo putatur, & nõ est: aut est Virginitas infamũ: aut certè ipsa Virginitas ei parit superbiã. Et, dum sibi applaudit de sola corporis castitate, virtutes cæteras negligit: nõ fouet pauperes: aut pecuniæ cupidior est. Euenit interdũ, vt tristior vultus, adductũ supercilium, incessus pomparũ ferculis similis offendat populum. Et, quia nihil habet, quod reprehẽdat in vita, habitũ solum oderit, & incessum. Multi eliguntur nõ amore sui, sed alterius odio. In plerũq; suffragium meretur sola simplicitas: & alterius prudentia, & calliditati, quasi malitia opponitur. Nonnunquã errat, plebis vulgiq; iudicium: & in sacerdotibus cõprobandis vnusquisq; suis moribus fauet: vt, nõ tam bonum, quàm sui similem quærat Præpositum. Euenit aliquoties, vt mariti, quæ pars maior in populo est, maritis quasi sibi applaudant: & in eo se arbitrentur minores non esse Virginibus si maritum Virgini præferant.

Dicã aliquid quod forsitan cũ multorũ offensa dicturus sum: sed boni mihi nõ irascentur: quia eos peccati conscientia non remordebit. Interdũ hoc & Pontificum vitio accidit: quia non meliores, sed argutiores in clerũ eligunt: & simpliciores quosq;, at q; innocentes inhabiles putant: vel affinibus, & cognatis quasi terrena militia officia largiuntur; siue diuitũ obediunt iussioni: quod q; his peius est, illis clericatus donant gradum, quorũ sunt obsequijs deliniti. Alioqui, si iuxta sententiam Apostoli, nõ erunt Episcopi, nisi mariti, ipse Apostolus, Episcopus esse nõ debuit; qui dixit; Volo autẽ omnes esse. sicut ego sum. Et, Ioannes indignus hoc gradu existimabitur. Et, omnes virgines, & continẽtes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monile decoratur. Episcopus, & Presbyter, & Diaconus nõ sunt meritorum nomina, sed officiorum. Nec dicitur: si quis Episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum: sed bonum opus desiderat. quòd, in maiori ordine constitutus, possit. si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.

*Oportet ergò Episcopum irreprehensibilẽ esse, vt nulli vitio mancipatus sit. Vnius vxoris virũ; qui vnam vxorẽ habuerit, nõ habeat. Sobriũ, siue vt melius in Græco dicitur, vigilantẽ, id est, νηφάλιον. Pudicum: hoc enim significat, *σώφρονα. Ornatum & castitate, & moribus. Hospitalẽ; vt imitetur Abrahã, & cum peregrinis, imò in peregrinis Christũ suscipiat. Doctorem: nihil enim prodest cõscientia virtutum frui: nisi & creditum sibi populũ possit instruere: vt valeat exhortari in doctrina: & eos qui contradicunt, redarguere. Nõ vinolentum: quia qui semper in sanctis Sanctorũ est, & qui offert hostias, & vinũ, & sicerã non bibit, quia in vino luxuria est. Sic bibat Episcopus, vt an biberit, ignoretur. Non percussorem; id est, qui conscientias nõ percutiat singulorum: Neq; enim pugilẽ describit sermo Apostolicus: sed Pontificẽ instituit, quid facere non debeat. docet nunc è regione, quid faciat: sed modestum, non litigiosum, non cupidum, domum suam benè regentem; filios habentem subditos cum omni castitate. Vide, quãta pudicitia exigatur in Episcopo: vt,*

* C.R. Sanctis.

Leu. 10.

1. Cor. 7.

1. Tim. 3.

* C.R. Σώφρονα.

Gen. 18.

Leu. 10.

vt, si filij eius impudici fuerint, ipse Episcopus esse non possit: Et, eodem officio offendat DEVM, *quo offendit Heli Pontifex: qui, corripuerat quidem filios; sed, quia non abiecerat delinquentes, retrorsum cecidit, & mortuus est, lucerna* DEI *antequam exstingueretur. Mulieres, similiter pudicas: & reliqua. In omni gradu, & sexu tenet pudicitia principatum. Cernis igitur, quod Episcopus, Presbyter, Diaconus nō ideo sint beati, quia Episcopi, vel Presbyteri sint, aut Diaconi: sed, si virtutes habuerint nominū suorum, & officiorū. Alioqui si Diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo, quod inferior gradu est, apud Christum deterior erit. absit vt Stephanus Diaconus, qui primus martyrio est coronatus, minor futurus sit in regno cælorū multis Episcopis, & Timotheo, ac Tito: quos, vt subiicere non audeo, ita nec ante ponere.* Hucusque Hieronymus.

1 Reg. 4.

Qui quantæ auctoritatis fuerit, etiā apud Episcopos Apostolicæ sedis, decreta Beati Gelasij Papę satis insinuant. *quia, inter authenticas, & canonicas sanctiones opuscula ipsius recipienda decernunt. Sicut & S. Cypriani, Ambrosij. Augustini opuscula, siue tractatus. & reliquorū SS Patrum, qui nec in fide, nec in prædicatione, à S Romana Ecclesia deuiarunt: sed in eius communicatione vsq; ad finem vitę perdurarunt. In tantum namque Beatus Gelasius in prædictis decretis auctoritatem S. Hieronymi nobis commendat, vt & aliorum opuscula, iuxta eius iudicium recipienda, vel respuenda esse, ibidem decernat. Quicunq; igitur debitam obedientiā Apostolicæ sedi impendere voluerit, nullatenus vel huiusmodi SS. Patrum singularibus sententiis repugnabit. Hucusque sufficiat dixisse, quid Apostolus exigat à sacerdotibus. quod, quicunq; fideliter perspexerit: nequaquā statuta nostri Apostolici obliteranda iudicabit quæ, nec aliquis cōtemnere poterit, nisi & ipsorum Apostolorum sententiis repugnare velit: quibus ipsa veritas in Euangelio fidelissimè promittit: *Veruntamen dico vobis, terra Sodomorum remissius erit in die iudicij; quàm illis, qui sermones vestros non receperunt.

B. Gelasius I in Decr. de Apocryph. scripturis. *quæ.

Matth. 11. Luc. 10.

CAP. XVII. Quartum autem nostri Apostolici decretum præcipit; vt populus clericorum officia non recipiat, quos sacris canonibus, imò Euangelicis, & Apostolicis institutionibus adversari percipiat. Videlicet, quos iuxta censuram SS. Patrum damnatos in propriam eorum perniciem altari ministrare videat. Nempe Antiochenum Concilium à sacratissimo Chalcedonensi Concilio, vt prædiximus, indubitanter roboratum: Officia damnatorum clericorum à populis recipi, districtissimè prohibet, scilicet vt etiam ab Ecclesia abiiciendos esse iudicet; qui illis clericis saltem communicauerint, quos interdictum sibi ministeriū vsurpare cognouerint. Sic enim quartum eiusdem Concilij caput testatur: *Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere: siue Episcopus, iuxta precedentem consuetudinem, siue Presbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis. Sed & communicantes ei omnes abisci de Ecclesia oportet & maximè, si postquam dixerint aduersum memoratos prolatam fuisse sententiam, eā communicare tentauerint.*

Apud Grat. 11. q. 3. c. 6.

Iuxta huius capitis tenorem, sancti Patres, qui in * Chalcedone sacratissimos Canones promulgauerant, omnes communicatores cuiusdam damnati Timothei præsulis Alexandrini, excommunicatos esse censuerunt qui Leoni Imp. pro eodem Timotheo cōsulenti, hoc modo rescripserunt: *Eos etiā, qui cum scirent Timotheum fuisse damnatum, communicare illi sine periculo crediderunt, extraneos esse à* DEI *Ecclesia iudicamus: secundum consequentiam regularem nulla eis venia, nec spe restitutionis vllo modo remanente: sicut tertia, & octogesima regula de talibus apertè decernit, cuius initium est; si quis Episcopus à Synodo, & reliqua.* Quapropter & noster Apostolicus meritò populis officia huiusmodi clericorum prohibuit: Eorum, inquam, quos non tam ipse damnauit, quam à SS. Patribus iam dudum damnatos esse, monstrauit.

* De Timotheo Aeluro lege Baronij Tom. 6. Anno Christi 457. Nu. 12. & seqq. et anno 460. & 475. 476. 477 Hac, quæ hic citat Bernald. nō sunt Patrū Concilij Chalcedonensis, sed Episcoporū quorundā in Epistola ad Leonem Imp. quæ cum aliis Epistolis ab illustribus personis pro Concilio Chalcedonensi scriptis, habentur ad calcem Concil. Chalcedonens. Tom. 3. Concil. nouæ edit. Colon. fol. 161. columna 2.

Præterea sanctissimus Papa Alexandrā Beato Petro quintus, qui potius in camino ignis concremari, quam mentiri fortissimus athleta delegit:

Epistola 1.

Ipse, inquam, nec loquendum eis esse testatur: quibus vel Episcopus pro sceleribus eorũ sentitur aduersus. Et hoc, ex ipsius principis Apostolorum auctoritate confirmat, ita dicens, cap. 6. *Beatus* * *Petrus qui in ordinatione sancti praedecessoris nostri Clemẽtis instruens clerum, & populum, ait: Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite exspectare, vt ipse vobis dicat; cum illo nolite amici esse: sed obseruare prudenter debetis, & voluntati eius absq; * commutatione obsecundare, & auertere vos ab eo; cui ipsum sentitis aduersum: sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur: vt vnusquisque, qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre; festinet citius reconciliari ei, qui omnibus praest: & per hoc redeat ad salutem, cum obedire coperit monitis praesidentis. Si verò quis amicus fuerit his, * quibus ipse non loquitur, vnus est & ipse ex illis, qui exterminare Ecclesiam* DEI *volunt. Et, cum corpore vobiscum esse videatur: mente, & animo contra vos est: & est multò nequior hostis hic, quàm illi, qui foris sunt, & euidẽter inimici sunt. Hic enim per amicitiarum speciem, quae inimica sunt, gerit: &, Ecclesiam dispergit, ac vastat.*

*C.R princeps Apostolorum.

* commutatione. Sic Rom. Ed.

* quibus ipse amicus non est, & locutus fuerit his. Sic Rom. Ed.

Vbi ergò ipse princeps Apostolorũ tam districtè prohibet, ne quis eis saltem loquatur, qui Apostolicis institutis non obsecundare deprehenduntur: ibi etiam euidentissimè vetat, ne populus Missas, & reliqua huiusmodi officia ab eis recipiat. *Mos enim populi* DEI, iuxta Augustinum, *pro lege tenendus*, comprobat nobis cum canonibus, vt populus cuiuscunque sacerdotis missas audiat, eius etiam singulis salutationibus in missa respondeat. Quapropter populus huiusmodi praenaricatorum Missas nullatenus recipiet, si ipsius principis Apostolorum sententiam obseruare volet.

S. August. Epist. 86. ad Casulanum.

CAP. XVIII. Sanctissimus Papa Gregorius scribens ad Reges Francorum de huiusmodi sacerdotibus, Canonũ contemptoribus. Cap. C.* XXX. V. testatur: *quod regnum ex culpa talium sacerdotũ pragrauetur.* Et post pauca subiungit: *Maior*, inquit, *metuenda est locis illis calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur: qui, Dei magis in se iracundiam prouocent: quã per semetipsos populis placare debuerant.*

*C.R. LXXV. S. Greg. M. lib 7. Epist. 116.

Iure igitur nostri temporis Gregorius populum huiusmodi praesumptorum officia recipere prohibuit: quos sanctissimus eius æquiuocus, & regnum culpa sua prægrauare, & DEI iracundiam in se magis prouocare asseruit. Scriptum est enim: *qui auerterit aurem suam, ne audiat legem, execrabilis erit oratio eius.* Quo crimine omnes obligantur, quicunque canonibus, ac sanctionibus obstinato animo refragantur. Vnde & eorum officia meritò populis interdicuntur, quorum orationes omnipotens DEVS non dico, non recipit, sed execratur.

Prou. 28.

Sed iam ad ipsum vas electionis veniamus; qui & praesenti statuto nostri Apostolici consonare non dubitatur. *Si is*, inquit, *qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Videlicet, qui nolunt, iuxta Ecclesiasticas sanctiones, emẽdari: licet certis, & publicis criminibus sint obligati.

1. Cor. 5.

Item ad Thessalonicenses: *Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri* IESV *Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Et paulò pòst: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate; & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Cum quibus igitur Apostolus fideles nec corporalem cibum sumere permittit: &, à quorum consortio fideles discedere præcipit, de eisdem Apostolicæ institutionis contemptoribus, & populo præcipit noster Apostolicus, vt eis saltem ad Dominicam mensam non communicaret, & eorum societati se saltem eo tempore subtraheret, cum illi contra fas, & ius sacra mysteria in perniciem suam vsurparent. Iuxta Apostolum enim: *quicunque dominicum panem, & calicem sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini; & iudicium sibi manducat & bibit.* quod, omnes faciunt, qui fornicationem, vel auaritiam non solùm exercere, sed etiam obstinato animo defendere præsumunt. De quibus Apostolus dicit: *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

2. Thess. 3.

Ibid.

1. Cor. 11.

Gal. 5.

Qui

Qui etiam pro eiſdem criminibus, iuxta canonicas ſanctiones damnati interdictum ſibi officium, temeraria vſurpatione frequentant. Nempe ipſi, quos propriè vocamus pœnitentes, licet pro huiuſmodi criminibus canonicæ diſciplinæ colla ſubmittant: non tamen diuinis Sacramentis tam temerè approximant: *Vnde*, iuxta ſententiam B. Innocentij Papæ; nec infirmos pœnitentes, vt reliquos ægrotantes, ſacro chriſmate vngi licet: *Nam quibus*, inquit, (pœnitentibus) *& reliqua negantur Sacramenta, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?* Ne ſibi ipſis damnationem potius, quàm remiſſionem adquirant: ſi eadem, tam indigni nondum ſanè per pœnitẽtiam ad plenum purgati percipiant. Si igitur pœnitentes etiam Canonicè pro criminib' ſuis ſatisfacientes, diuinis Sacramentis iudicantur indigni; quanto magis illi, qui non pœniteré, ſed culpas ſuas iam dudum publicatas pertinaciter defendere conantur? qui, & * obſtinato animo reſiſtentes etiam Spiritum ſanctũ blaſphemare probantur. Sic enim B. Damaſus Papa in epiſtola ad S. Aurelium Carthaginenſem Archiepiſcopum teſtatur: *Violatores*, inquit, *Canonum voluntarij, grauiter à SS. Patribus iudicantur: & à ſancto Spiritu, (cuius inſtinctu, ac dono dictati ſunt) damnãtur: quoniam blaſphemare Spiritum ſanctum non incongruè videntur: qui contra eoſdem ſacros Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, vt præmiſſum eſt, aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus, ſponte conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum. Quia; vt iam prælibatum eſt, contra eum agit, cuius nutu, & gratia, ſanctis Canones editi ſunt.*

Itaq; illi ſacerdotes, qui tam grauiſſimis criminibus ſunt obligati, imò qui pro eiſdem ſecundum canonica inſtituta iam ſunt damnati, nullatenus niſi in perniciem ſuam ſacrificare poſſunt. Vnde, & illi non parum * deliquerunt, quicunque ipſis in propriam nec ſacrificare vſurpantibus, per ſolitas reſponſiones in miſſa ſcienter cooperari præſumerent. Non enim pro paruo crimine haberetur, ſi quis alicui ſibi ipſum crudeliter occidenti ſcienter cooperaretur. Sapientiſſimè ergo noſter Apoſtolicus populum huiuſmodi præſumptorum vſurpationibus intereſſe prohibuit: quas non ſolùm ductoribus earum: ſed & receptoribus pernicioſas eſſe non ignorauit. Sic enim ipſe Dominus à Core, eiusq; ſequacibus ſacrificandi officium vſurpãtibus: reliquos filios Iſraël diſcedere præcepit, ne peccatis eorum inuoluerentur: ſicq; crudeliſſima morte cum eiſdem damnati mererentur. Nam ipſi hæreſiarchæ, videlicet, Core, Datan, & Abiron, cum vniuerſa eorum ſubſtantia viui ad infernum ex improuiſo deſcenderunt. Sequaces verò eorum per ignem egreſſum à Domino penitus comburi meruerunt. Horum igitur ſubitaneam, & ſeueriſſimam vltionem illi diligenter attendant, qui contra Apoſtolica præcepta, interdictum ſibi ſacerdotale officium obſtinata temeritate vſurpant.

Nec ocioſe mortem Ozæ conſiderent, qui, cum Dauid arcam Domini de Philiſtiim in nouo plauſtro reduceret: à Domino percuſſus interiit, cò quod arcam, licet iam caſuram, manu ſuſtentare præſumpſerit. Si enim ille meritò periit, qui temerè quidem, ſed benignè arcam Domini tantum tetigit: quantò magis ille, qui contra fas, & ius ipſum corpus Domini contrectare, ſibique incorporare præſumit indignus?

CAP. XIX. Quidam tamen ſatis imperitè noſtro Apoſtolico obiiciunt quartum Gangrenſis Concilij capitulum: *Quicunque diſcernit à presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.* Hoc etiam caput, iuxta Petri Apoſtoli atteſtationem in ſuam ipſorum perniciem deprauantes, ita pronuntiant. *Quicunque recuſauerit Miſſam coniugati presbyteri, anathema ſit.* Scilicet vt eos anathematizatos eſſe demõſtrent, qui Apoſtolicis inſtitutis obedientes, incontinentium preſbyterorum miſſas recipere detrectẽt. Sed fruſtra. Nam prædictum caput illos tantum anathematizat, qui reſpuunt preſbyteri oblationem: non, qui modò habet: ſed qui quondam habuit vxorem. Eo enim tempore vt prologus Gangrenſis Concilij teſtatur, erant hæretici ſectatores

B. Innocentius I. epiſt. 29. edito. Rom. Item de conſec. d. 3. de pœnitentibus Vere.

c. 9. q. 3. c. 5. Violatores.

** C. R. conuenibus.*

** C. R. deliquerũt.*

1. Reg. 6.

Num. 16.

Ibid.

2. Pet. 2.

debito officij, illius hæresim, id est Iudaicam incontinentiam modernis sacerdotibus prohibere non studuerit.

Ipsa quoq; sacratissima Concilia, ex quibus statuta nostri Apostolici profluxerant, adeo amplexa sunt sancti Patres, vt, sicut ipsorum scripta testantur, potius seipsos diuersis tormentis affligi, imò se potius crudeliter occidi permitterent, quàm violatoribus earundem sanctionum consentire vellent. Ob hanc causam magnus Athanasius Patriarcha Alexandrinus post diuersas calamitates in exilium deportatur. Ob hoc etiam Felix Papa Romanus ab Episcopatu * depositus Martyrio legitur coronatus: & multi eius Presbyteri, Diacones, & reliqui ex clero etiam intra Ecclesiam ob eandem causam, heu, crudelissimè occisi leguntur: videlicet, quia sectatoribus Arij in violatione Nicæni Concilij assentire nolebant. Hæc autem & huiusmodi innumerabilia ex Ecclesiasticis historiis affatim colligere poteris.

* C.R. expulsus.

Dicat ergo quis, quomodo nosset Apostolicus sine suo periculo, vel potius exitio negligere posset, quin tam Ineuitabilium sanctionum non dico violatoribus, sed impugnatoribus ex debito officij sui obuiaret: quibus ipsos sanctos Patres etiam vsque ad sanguinem restitisse nō ignoraret? Quamuis enim modo quidam non tam apertè cum Ario, & reliquis hæresiarchis fidem sanctorum Patrum impugnent: tamen eorum moralibus statutis cum ipsa quidem fide per eosdē sanctos Patres eodem tempore, eâdem subscriptione roboratis obstinatè resistunt: quæ, & cum eâdem fide ex sacratissimo fonte scripturarum emanauerunt: sed in hac eorum nefandissima rebellione, etiam ipsam fidem sanctorum Patrum probantur annullare: cùm in authenticis sanctionibus auctoritatem illorum pro nihilo ducant: qui & fidem sua auctoritate confirmauerant. Nullatenus sanè alicui fides sanctorum Patrum proderit, qui eorum Canonicis, atque moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit. Nam, vt Iacobus frater Domini testatur; *Fides sine operibus mortua est*; qualem & dæmones habere fatetur. Non ergo minus est resistendum pertinacibus authenticarum institutionum impugnatoribus, quàm sacræ fidei violatoribus; cùm & dæmonibus assimilentur quicunque institutionem sanctorum Patrum in fide tantum, non etiam in conuersatione pro viribus suis sectantur. quia & culpam, quam humanum fuit committere diabolico instinctu non timent pertinaciter defendere.

Iac. 2.

Amplius: Ipsum vas electionis in sua persona omnibus Ecclesiasticis Pastoribus dicit: *Si euangelizauero, non est mihi gloria. Necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non euangelizauero.* quomodo igitur noster Apostolicus istud *væ* subterfugere posset, si gregem sibi commissum iuxta ipsius Apostoli præcepta, instituere negligeret? sanctus etiam Spiritus per Ezechielem Prophetam cuilibet Pastori terribilem proponit conditionem: *Si*, inquit, *non dixeris peccatori, morte morieris, & ostenderis, vt recedat ab iniquitatibus suis: ipse quidem in peccatis suis morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem dixeris, & ille contempserit, & non obedierit: ille, in sceleribus suis morietur. Tu autem animam tuam liberabis.* Hac quidem tralatione sanctus Augustinus in sermone de Psalmo 49. vtitur: statimque suis auditoribus subiungit: *Dico vobis, libero animam meam. In magno enim sum, non periculo, sed exitio constitutus, si tacuero.* Satis ergo patet, quàm immeritò quidam nostro Apostolico pro superioribus statutis indignentur: qui tam ineuitabili necessitate coactus, eadem instituisse deteguntur, videlicet ne proprię mortis crimen incurreret: si nos ex debito officij sui instituere negligeret.

Ezech. 33.

S. August. in Psal. 49.

Cap. XXI. Præterea si ob hoc nostro Apostolico indignari satagunt, cur nō potius illis CCC.XVIII.SS Patribus in Nicæa congregatis: & DC.XXX. Patribus in Chalcedone congregatis, vel coadunatis indignantur: qui, vt prædictum est, contra Simoniacos, & incontinentes altaris ministros multò acriores sententias protulerunt, quàm noster Apostolicus? Indignentur sanè sanctis-

ſanctiſſimo Papæ Clemẽti, qui & martyrio ſuo decreta confirmauit: quem, ipſe Princeps Apoſtolorum ſibi ſucceſſorem deſtinauit. Legitur enim in decretis eius capit. 46. quod incontinentes penitus ab altaris officio remouerit: quod etiam cohabitationem extranearum feminarum Clericis prohibuerit: quod violatores huius inſtitutionis prorſus anathematizauerit. Indignentur etiam beatiſſimo Papæ Siluestro, qui in Apoſtolica ſede conſtitutus incontinentiam totius mundi preſbyteris, vt prædictum, prohibuit: & omnes huic decreto repugnantes in perpetuum damnandos eſſe decreuit. Indignentur etiam beatæ memoriæ Damaſo Papę, cuius auctoritate ſecunda vniuerſalis Synodus Conſtantinopolitana legitur robora. Item, ſanctiſſimo Papæ Leoni, Chalcedonenſium canonum ductori: quorum vterque cãdem, & Apoſtolica auctoritate in decretis ſuis: Ille quidem cap. 4. hic autem quinto ita generaliter decreuêre: *Omnia decretalia cunctorum prædeceſſorum noſtrorum conſtituta, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis: ita ab omnibus Epiſcopis, ac cunctis generaliter ſacerdotibus cuſtodiri debere mandamus: vt, ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.* Indignentur etiam ſanctiſſimo noſtri Apoſtolici æquinoco, qui ſub generali anathemate damnauit omnes à ſacratiſſimis IV. Conciliis diſſentientes. Sed cùm nullus ſanæ mentis huiuſmodi ſanctorum Patrum ſententiis indignetur, patet euidentiſſimè, quàm irrationabiliter quidam noſtri Apoſtolici inſtitutis indignentur? In quorum promulgatione nullatenus à ſanctis Patribus diſcrepauit: excepto in hoc tantùm, quod non tam ſeuerè, vt illi, contemptoribus Canonum obuiauit. Illos enim clericos officio tantùm priuauit: quibus ſancti Patres non modò officium, ſed & veniam, & Eccleſiaſticam communionem denegauêre. Nil denique noui noſter Apoſtolicus nobis obſeruandum iniunxit, quod, etiam ſi feciſſet, non tamen ſine periculo eius contemni præceptũ poſſet. Nam Apoſtolica ſedes ex diuina A confeſſione hunc ſemper obtinuit, & obtinebit primatum, vt totius mundi Eccleſias non ſolùm antiquis inſtitutis, ſed etiam nouis diſponat, prout diuerſorum neceſſitas temporum expoſtulat: *Cogunt enim*, ait Auguſtinus ad Bonifacium, *multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum.* Hoc vtique diuerſa Romanorum Pontificum decreta teſtantur, in quibus ipſi diuerſis temporum neceſſitatibus conſuluiſſe leguntur.

CAP. XXII. Incaſſum autem publici contemptores Apoſtolicæ inſtitutionis, inducias ſuæ damnationis à noſtro Apoſtolico quærunt: quos, vt prædictum eſt, SS. Patres abſq; omnibus induciis damnauerunt. In dubiis enim rebus, licet veris, nondum tamen publicatis, neceſſariò conceduntur inducię: vt, iuxta ſanctiones Apoſtolicorum virorum, Felicis, & Iulij, & reliquorum, ipſe accuſatus poſſit ſe contra accuſatores pleniter præparare ad abluenda crimina. Vnde & B. Eleutherus à B. Petro duodecimus, in decretis ſuis, cap. 1. teſtatur: *Inducię non modica ad inquirendum dandæ ſunt: ne aliquid præproperè agi à quacunque parte videatur. quia per ſubreptionem multa proueniunt.* Iure ergo illi abſq; induciis damnantur, qui culpam ſuam iam dudum à SS. Patribus definitè damnatam non negare, ſed publicè contra Apoſtolica ſtatuta conantur defenſare. Nempe B. Gregorius ab omni Catholico paſtore meritò imitandus, contemptores ſedis Apoſtolicæ, etiam ante peractam culpam ſolebat excõmunicare. Sic enim Maximum per ambitionem Salonitano epiſcopatui intronizatũ, & omnes eius ordinatores excommunicauit: quos eadem excommunicatio nondum peracta culpa, pro qua excommunicati ſunt, obligauit. Nam priuſquam idem Maximus ordinaretur, ſub excommunicatione prohibuit S. Gregorius: ne hoc * præſumerent. Quod præceptum contemnentes Epiſcopi, cùm ordinarent eundem Maximum, ante peractam ordinationem, erant excommunicati, iuxta atteſtationem ſancti Gregorij: ſcribit enim in epiſtola ad eundem * præſumptorem ità dete-

* C.R. præſumeretur.

Li. 3. ep. 10.

* C.R. Maximum.

ſtans

stans eius consecrationem: *Quam rem*, inquit, *nos consecrationem dicere nullo modo possumus. quæ, ab excommunicatis est hominibus celebrata.* Non enim post ordinationem excommunicandos, sed in ipsa ordinatione dixit excommunicatos. sic, idem Apostolicus per Subdiaconem suum Natalem Salonitanum Episcopum absq; induciis, si præcepto eius non obedisset, pallio, & communione censuit priuandum esse. Sic inquam, ipse, & reliqui, eiusdem sedis Episcopi, quoslibet, & absque induciis, damnauerunt: qui, aliquam rem sub excommunicatione, vel officij suspensione prohibitam, temerariè vsurpauerunt. Has igitur, & huiusmodi rationes moderni præsumptores cautè considerent, nec deinceps iniustè se absq; induciis damnatos esse existiment.

lib. 2. epist. 14. 15. & 16.

CAP. XXIII. Forsitan autem aliquis adeò delirat, vt subditos cuiuslibet Episcopi per ipsum tantum, non per Romanum Pontificem damnari posse dicat. Sed illi, ipsa veritas in Euangelio contradicit: quæ, B. PETRO principaliter, inter reliquos Apostolos, hoc priuilegium concessit: *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Qui enim generaliter omnes Apostolicæ potestati subiecit: nullo modo alicuius Episcopi subditum excepit. Vnde idem Apostolus, & à senioribus sui temporis, id est, Presbyteris, siue Episcopis, & ab eorum subditis obedientiam generaliter exegit: cùm, tam subditis, quàm Prælatis, tam fœminis, quàm viris, specialia viuendi præcepta in epistolis suis tradiderit. Quod, incassum ipse faceret: si non generaliter omnes eius institutioni obedire deberent.

Matth. 16.

Beatus quoque Anacletus ab ipso Principe Apostolorum presbyter ordinatus, in decretis suis cap. III. testatur: *Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit: sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es* PETRVS, & reliqua. Ergo hæc Apostolica sedes, cardo, & caput omnium Ecclesiarum à Domino, non ab alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur: sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente, reguntur.

Item B. Gelasius, doctor Apostolicus cap. II. *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia, de omni Ecclesia fas habeat iudicare: nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Si quidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab illa autem nemini appellare permissum est.*

* C. R. nemo est appellare permissum.

Sed nec illa prætermimus, quod Apostolica sedes sine vlla synodo præcedẽte, exsoluendi * quos oportuit, habuerit facultatem. Et hoc nimirum pro suo principatu, quem B. PETRVS Apostolus Domini voce & tenuit, & semper retinebit. His autem sanctissimi Patres, Calistus, Fabianus, Sixtus, Siluester, Iulius, & reliqui innumerabiles adstipulantur. qui adeò amplexati sunt * vnitatem, vt potius mori, quàm mentiri deliberarent. Huius igitur priuilegij auctoritate B. Simplicius Papa XLIX. Gregorium Mutinensem Episcopum Rauẽnatis Archiepiscopi suffraganeum, à ditione eiusdem Archiepiscopi penitus absoluit. Et hoc ideo: quia idem Archiepiscopus eum inuitum Mutinensi cathedræ inthronizauit.

* C. R. quasi Synod. iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente synodo.

* C. R. Veritatem.

Item S. Gregorius Honoratum Salonitanę Ecclesię Archidiaconum, qui iam ex Archidiaconatu ad prebyteriũ deuenit, inuito eius Episcopo, ad pristinum gradum reduxit: depositio quidem eo, quem idem Salonitanus Episcopus in locum eius ordinauit. Quapropter apertissimè desipiunt, seque reos Apostolicæ auctoritatis efficiunt, quicunque eius potestati temerè præiudicant: cum cuiuslibet Episcopi subditos non per Romanum Pontificem, sed tãtummodò proprium antistitem ligari, vel solui posse confingant.

Lib. 2. epist. 14. 15. & 16.

Præterea B. Leo Papa, qui quartam vniuersalem Synodum Chalcedone congregauit: Item Vigilius Papa, sub quo quinta vniuersalis Synodus Constantinopolim conuenit: Item beatus Pater Gregorius; hi, inquam, singuli, eadem auctoritate præcipui, pænè eadem voce in decretis suis verissimè testantur hoc modo: *Sancta Romana Ecclesia*

cleſia vices ſuas ita aliis impertiuit Eccle-
ſiis, vt in partem vocatæ ſint ſolicitudinis,
non in plenitudinem poteſtatis. Vnde liqui-
dò demonſtratur, quod quilibet Epiſcopus
nec ſuper gregem ſibi commiſſum tantam
poteſtatem habeat; quantam præſul Apo-
ſtolicus, qui, licet curam ſuam in ſingulos E-
piſcopos diuiſerit: nullo modo tamē ſeipſum,
ſua vniuerſali, & principali poteſtate priu-
auit: ſicut nec rex ſuam regalem potētiam
diminuit: licet regnum ſuum in diuerſos
duces, comites, ſiue iudices diuiſerit.

Cùm igitur Domnus Apoſtolicus in omni Eccleſia tam principalem poteſtatem habeat, vt etiam inuito Epiſcopo cuiuſlibet Eccleſiæ, quæque in ea, iuxta Canonicas ſanctiones, poſſit diſponere: quis denegare poterit, quin vbique gentium tam ſubditos Epiſcoporum, quàm ipſos Epiſcopos Apoſtolicæ inſtitutionis contemptores damnare poſſit?

CAP. XXIV. His autem rationibus & hoc declaratur, quod cuiuſuis Epiſcopi parochianus, potius Domno Apoſtolico, quã proprio Epiſcopo obedire debet: cùm auctoritas proprij Epiſcopi nullatenus eum ab Apoſtolica damnatione valeat liberare: ſi Apoſtolicis præceptis inobediens exſtiterit. Et è contra: Domnus Apoſtolicus, ſi ei obedierit, eundem ab omni violentia proprij Epiſcopi facillimè poterit defendere: videlicet vel ipſum parochianum eius ditioni penitus emancipando; vel Epiſcopum ab iniuria per correptionem, vel damnationem Apoſtolica auctoritate refrænando. Attendat ſanè cuiuſuis Epiſcopi ſubditus, ne vel proprio Epiſcopo contra Apoſtolica præcepta obediat in aliquo. Cùm ſanctus Gregorius Archidiaconum Salonitanum in locum Honorati iam depoſiti ſubrogatũ depoſuerit, eò quòd idem proprio Epiſcopo, ſe in locum illius ordinari, poſt Apoſtolicam prohibitionem obedierit. Hinc etiam patet, quàm apertiſſimè illi deſipiant, qui dicunt, quod ſubditi cuiuſlibet Epiſcopi, Apoſtolicæ ſedi nullatenus obedire debeant, ſi proprio antiſtiti obediant: cùm à S. Gregorio & ille meritò degradaretur, qui & per obedientiam Epiſcopi ſui Apoſtolicę ſedi aduerſus fuiſſe detegitur. Nempe nullus debitam obedientiam proprio Epiſcopo exhibere poterit; niſi qui & Apoſtolicę ſedi principaliter obedire ſtuduerit. Omnis enim, qui vult eſſe Epiſcopus, hoc maximè ſubditis ſuis inculcat, vt ſanctorum Patrum inſtitutis, abſque omni contradictione obediant. quæ, vt prædictum eſt, Apoſtolicæ ſedi principaliter ab omnibus obediendum eſſe, denuntiant.

Lib. 2. epiſt. 35. & 36.

Quicunque igitur ſuo legitimo paſtori debitam obedientiam tribuerit: etiam principaliter Domno Apoſtolico obedire ſtudebit. Nam iuxta ipſius veritatis edictum; *non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Si autem Domnus Apoſtolicus, proprio, & legitimo Paſtori iure præponitur; quanto magis illi, qui nec nititur eſſe, quod dicitur? *Matth. 10.*

Has igitur, & huiuſmodi rationes, quicunque ſaltem è rudibus fideliter inſpicere dignabitur: nullatenus prædicta noſtri Apoſtolici ſtatuta proſcribere conabitur: præſertim cùm videat euidentiſſimè; eadem ex SS. Patrum ſententiis, imò ex diuinis ſcripturis emanaſſe. Poteram verò quàm plures alias rationes ſuperioribus annectere; & innumerabilia SS. Patrum exempla præfatis ſtatutis aſſignare, ſed ea hic conſideratione prætermiſi, ne grauis eſſem idiotis, quibus hîc ſpecialiter ſatisfacere propoſui. quibus, pauca ex multis tam indubitatæ veritatis ſufficere poſſunt: ſi indagandæ potius veritati, quàm infructuoſę contentioni operam dare volunt.

FINIS.

PRÆ-

Digitized by Google

PRAEFATIVNCVLA IN TRES SEQVENTES EPISTOLAS.

VIDENTVR tres iſta epiſtola ſcripta ante tractatum de Sacramentis excommunicatorum, *cui inter hæc pro Gregorio VII. opuſcula primum locum tribuimus: nam hîc quaſi adhuc incerti fluctuare videntur, Adalbertus & Bernaldus, quid de controuerſiis ea ætate excitatis, ſentiendum eſſet. In opuſculo autem prædicto Bernaldus ſententiam abſque vlla hæſitatione profert, tametſi indicat, multa ſuper hac controuerſia inter ſe & Bernardum, eſſe diſceptata: qui Bernardus non eſt alius quàm Magiſter ille Scholarum Conſtantienſium, de quo ſupra in præfatione ad hos Tractatulos, & in teſtimoniis pro Gregorio VII. poſtea Magiſter Scholarum Hildesheimenſium, & tandem Monachus Corbeienſis in Saxonia factus, qui vt ex ſecunda epiſtola apparet, feruentiſſimè quidem cauſſam S. Petri defendebat; ſed dum ardorem per ſcientiam Eccleſiaſticam non temperat; nonnihil impedit, vt docet ipſe Bernaldus in ſuo Chronico. Adalbertus ille eſt, quem Bertoldus ſeu Bernaldus in Chronico hoc elogio cohoneſtat anno M. LXXIX.* Doctor Adalbertus, facto verboque diſertus, iam triginta annis mundo crucifixus, & in fine ad Euangelicam perfectionem perductus, migrauit ad Dominum tertio Nonas Decembris. *Quem honoris cauſſa Bernaldus in ſecunda epiſtola appellat* Patrem & Dominum.

DE DAMNATIONE EORVM, QVI *PAPAM, TOTAMQVE ROMANAM SYNODVM DEAVCTORARE TENTAVERVNT, ET DE SACRAMENTIS DAMNATORVM;

* Gregorium VII.

EPISTOLA PRIMA ADALBERTI ET BERNALDI.

DOMNO, ac venerando ſacerdoti Bernhardo doctrina, ac moribus adornato Adalbertus preſbyter indignus eiusq; * bonum indeficiens, quod eſt Chriſtus.

A Multum de veſtra ſalutatione gauiſi ſumus, ſed multò plus gauderemus, ſi quoquo modo ad inuicem conuenirendi, & dulce colloquium conferendi facultatem haberemus. Quod cum nobis diuerſarum rerum neceſſitas in-

* Lacuna eſt in M.S. leg. eiusq; Bernaldus, vt infra in tertia epiſtola.

Digitized by Google

tercludat, saltem mutuam collocutionem literarum officio commendare non pigeat.

* *Manuscriptus codex non ad marginem sed in ipsa cõtextu huius sententiæ hoc glossema habet.* De hoc iudicio, in epistola, quæ istam tertio loco subsequitur, diligẽtissimè tractatum inueniturvidelicet, quàm nefariè isti in Apostolicâ sedempeccauerint, & quam Canonicè Romana synodus eos damnauerit.

* De iudicio igitur Domni Apostolici super publicos & contumaces Apostolicæ sedis proscriptores aliquid nobis rescribere velitis, sicubi quidquam authenticum eidem iudicio aduersum inuenissetis. Nam nos nihil adhuc illi contrarium reperimus, licet diuersorum Patrum statuta singulari diligẽtia euoluissemus. In illis sanè duos iudiciarios ordines inuenimus. Vnum de publicis criminibus: alterum, de dubiis, licet veris, nondum tamen publicatis. Et ad dubias quidẽ res discutiendas induciæ leguntur concessæ, vt accusati se contra accusatores suos possint præparare. In quo iudicio necessaria est præsentia accusati, & accusatoris. Publicæ autem contumaciæ nusquam legimus inducias ex debito esse concedendas. Huiusmodi enim causa non indiget accusatore, vel testium conductione: cùm ipse reus non verecundetur crimen suum propalare: nec per absentiam damnationem suam debet differre. Sed hos duos ordines iudicandi, per exempla vobis denotari non necessarium æstimamus, cùm scientiori quælibet ingerere, magnę iudicetur impudentiæ.

Iuxta hunc modum Domnus Apostolicus, publicos, & contumaces Apostolicæ sedis proscriptores, satis canonicè dãnauit etiam absentes. Quid autem vobis inde videatur, charitas vestra nobis rescribere non grauetur. Nam vestram de hac causa sententiam libentissimè recipimus: quem præ cæteris diligentiorem, & discretiorem in sacris literis non dubitamus.

De confectione etiam Sacramentorum à Simoniacis, seu à quibuslibet excommunicatis vsurpatorum, quid videatur vobis, scire vellemus. quippe, si careant veritate. Sanctissimus enim Pater Augustinus ita testatur: *Veri*, inquit, *sacrificij locus non est extra Catholicam Ecclesiam.* Nullus igitur locus veri sacrificij est apud hæreticos, siue excommunicatos.

Beatissimus quoq; Papa Leo, cuius auctoritate congregatum est & confirmatum Chalcedonense Concilium, à sancto Gregorio, Euangelio comparatum: Ipse, inquam, Leoni Augusto scribit de quodam damnato Timotheo Episcopo* qui reus occisionis Alexandrini Præsulis, * sedem eius simoniacè inuasit. De huius igitur simoniaci Sacramentis præfatus Papa Leo ita testatur ad Augustum: *Manifestum est*, inquit, *per crudelissimam, insanissimamqúe sauitiam, omne * illic cælestium Sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificij oblatio: defecit chrismatis sanctificatio: & parricidialibus manibus impiorum omnia se subtraxêre mysteria, &c.* Sanctus quoque Gregorius scribens de temeraria ordinatione Maximi Salonitani Episcopi, ita detestatur eandem: *Post interdictionem*, inquit, *quoque nostram, qua sub excommunicatione tua, ordinantiumqúe te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus q; ceteróque clero, manu militari ad medium diceris adductus. quam rem nos consecrationem dicere, nullo modo possumus, qua ab excommunicatis est hominibus celebrata.* Episcopi enim excommunicati erant, qui eum consecrauerant.

* *intrusit Alexãdrino cui cognomen Aelurus.*

* *Proterij. Leo Papa, epist. 75. ad Leonẽ Augustum.*

* *In Alexandrina sede.*

Li. 3. ep. 20.

Vestrum igitur iudicium exspectamus, quid de huiusmodi Sacramentis iudicare debeamus?

* *Post interrogationem hìc incipit valens responsio, cautè tamen legenda in vlteriore parte.*

* *Inuenden manuscr.*

EPISTOLA SECVNDA.

AREOLÆ aromatis, cuius lilio capreus Libani pascitur; cuius in vmbra ipse cubans meridiatur, viro deliciarum ADALBERTO, de Sacramentorum confectione Berenhardus cauteriatus instar æthiopis in tabernaculis Cedar, damnatus pistrino in Vr Chaldæorum, nec iam subsistens in miseriis, nõ dico corporis, sed expositæ iam morti animę, quidquid gemens peccatoris deuotio, angelicæ sanctitati. Deo fonti misericordiarum, & patri totius con-

Digitized by Google

consolationis, gratias corde, & voce itero vtroque: quod me tui salutatione tunc, cuius audito nomine recreor, dulcissima dignatus est collocutione. Salue corruptelam nescienscedre paradisi: salue auriga Israël: salue immortalitatem spirans ô animarum medela: salue petra, quam callidus serpens suis signasse vestigiis non gaudet: imò ab omni corporeæ labis aspergine purè detersam abhorret. Salue aureũ mensę Salomonis non significatiui, sed significati reclinatorium. Salue cœli luminate, lucens inexstinguibiliter in medio nationis malæ, atque peruersæ. 2. Pet. 1.

Iussionis igitur tuæ exsequutionem licet mihi pro sanctitate negotij, interdicat conscientia: licet præsumentem me, in faciem ipsam cedat stultitia: aggrediortamen, certus. quia, etsi quæ oporteat dici, nescio: in hoc tamen sciens sum; quod tibi, Domine obedio. Iubes igitur, vt tua ipsius verba ponam, tibi à me scribi de iudicio Domni Apostolici super publicos, & contumaces sedis Apostolicæ proscriptores, sicubi quidquam authenticum eidem iudicio aduersum inuenerim.

Sedis, pater, Apostolicæ est, vt diuini conscię arcani, rotare claues regni cœlorum. *Ipsa enim*, vt Anacletus Papa scribit, *constituta est à Domino, non ab alio, caput, & cardo Ecclesiarum.* Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.

Hinc B. Gelasius in generali decreto ad omnes Episcopos de institutis Ecclesiasticis dicit: *Cùm nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nil licere: &, cum sedes Apostolica super his omnibus, fauente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio, deuotôque studeat tenere proposito: satis indignum est, quenquam vel Pontificum, vel Ordinum subsequentium, hanc obseruantiam refutare: quam B. Petri sedem, & sequi videat, & docere, satis conueniens sit, vt totum corpus Ecclesia in hac sibimet obseruatione concordet. quam illic vigere conspiciet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.*

Leo quoque ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: *Quibus*, (sacerdotibus) inquit, *cùm sit dignitas communis: non est tamen ordo generalis. quoniam, & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis: Et cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt ceteris præmineret.* Et quia hanc excellentiam summæ sedis non minuit indignitas præsidentis, testatur idem Leo: *Etsi nonnunquam*, inquiens, *diuersa merita præsulum, iura tamen permanent sedium, quibus possint emuli perturbationem aliquam fortasse inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Sedis tamen huius sanctæ præsules, à subiectis moneri persæpe tolerabant: spiritum in eis exstinguere nolebant: demum Ecclesiastica lege duce, & magistra potius ipsi secundum instituta canonum viuere, quàm ex canonicis institutis subiectos opprimere volebant. Princeps Apostolorum cum in sui simulatione gentes cogeret iudaizare, Pauli correptione suggerentis, nec Iudæos ab huiusmodi tanquam à nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea tanquam ad necessaria compellendos sententia * mutatum.* * Locus, Videtur mendosus.

Ego, inquit B. Gregorius, *& minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum, stultus enim * essem, qui in eo se primum æstimat, vt bona, quæ viderit, discere contemnat.* Ille etiam, qui non ab homine didicit, auctoritati Corinthiorum cessit dicens: *Cui aliquid donastis, & ego.* Hinc colligimus cum sedis huius super petram, quæ Christus est, fundatæ, ius, & dominium constet, non posse abrogari: Præsules tamen eius concedat ratio interdum commoneri. * est 2. Cor. 2.

De iudicio autem Apostolici facto super hos, quos tu vocas publicos, & contumaces proscriptores, pro nostra respondemus stultitia. Fecit quidem Papa quod est Apostolicũ, dum damnauit, quos dixeras, publicos, & contumaces * si tantum hanc dubietatem sequens epistola satis elucidabit, quæ eos post literatoriam confessionem damnatos declarabit, vt Acatius Patriarcha Constantinopolitanus à sancto Felice Papa legitur anathematizatus, vtpote literis professus, nulla autem synodica vocatione præuentus: aut confessos veraciter, aut conuictos * fort. sed hanc.

2. Leo epist. 14.

regulariter; aut, si vocati canonicè ad reddendę rationis iudicium venire noluerunt.

Audi, Pater, quid S. Augustinus, qui Carthaginensi Concilio, ex Apostolica auctoritate, & ducentorum XVII. Patrum firmato interfuit, de sententia eiusdem Concilij ad clerum, & plebem Hipponensium inter alia dicit. *Nuper in Concilio Episcoporum constitutum est, nullum Clericum, qui nondum conuictus sit, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentauerit.* Ipsam autem præsentationem ipsum demonstrat Concilium, videlicet, vt aut ipse accusatus ad causam suam dicendam die statuta literis euocatus occurrat: aut aliquas veras necessitatis, causas probet, quibus occurrere, non potuisse manifestum sit. Et attendendum quia dicit, *non potuisse:* nec dicit, non voluisse: similiter & de accusatore, si ad Concilium vniuersale anniuersarium occurrere noluerit. Certè, siue accusator, siue accusatus occurrere voluit, & non valuit, Carthaginensis Concilij decretis absolutus erit. Consentit & Africana Synodus dicens: *Si infra annum causam suam purgare contempserit.* Nota verba; non dicit, *non voluerit*; sed *contempserit.* Vnde Augustinus in libro de pœnitentia: *Nos verò à communione quenquam prohibere non possumus. quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis: nisi aut sponte confessum; aut in aliquo siue seculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum, atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audet assumere, vt cuiquam ipse sit accusator, & iudex? Ideo,* inquit S. Gelasius, *vocatur ad iudicium certa quæcunque persona, vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis.* Et Antiocheni Canones: *In Conciliis,* inquiunt, *adsint omnes, qui se læsos existimant, & synodi experiantur examen.*

Sed tu dicis duos esse iudiciarios ordines: vnum, de dubiis, licet veris: qui & indigeat induciis: scilicet, vt accusatus consulendo sibi prouideat, qualiter de obiectis commodè respondeat. Alterum; de manifestis, cui inducię minimè sint concedendæ: quia, non necessariæ. Et posteriori hoc ordine Papam in contumaces Episcopos Apostolica vsum potestate. Recipimus, Domine, quod asseris, si coniunctionem hanc, quę est, tantum, nō addideris. Sunt quidem duo iudiciarij ordines, vt duo præcepta, vt duo peccandi genera; vnum, scilicet in Dominum: alterum, in homines: vt, duo aduentus Domini: vnus, occultus; alter, manifestus. Vnus de quo scriptum est: *Descendet sicut pluuia in vellus.* Alter, de quo scriptum est: *Deus manifestè veniet.* De priori igitur iudiciario ordine, dicit Apostolus: *Si quis frater nominatur fornicator, etc. Eam nominationem intelligi volens,* vt dicit Augustinus in lib. de pœnitentia; *quæ fit in quenquam cum sententia ordine iudiciario.* Noluit enim hominem ab homine iudicari, ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesię, siue vltrò confessum, siue accusatum, atque conuictum.

Hunc autem ordinem qualiter procedere, ac tractari oporteat, describit B. Gregorius in commentario ad Ioannem Defensorē, euntem in Hispanias: decernens, & Catholicum statuens, vt cōsiderata causarum qualitate alij sint accusatores, alij testes: &, vt præsente accusato, sub iure iurādo dicatur testimonium scriptis alligatū: & accusatus respondendi, & defendendi se, locum habeat: & examinatio personarum accusantium, ac testificantium regulariter fiat. Hunc etiam iudiciarij ordinis modum Dominus innuit: cum in resuscitatione puellę in domo iacētis mortuæ, ac si in reuelatione causæ non omnibus notæ, quosdam discipulorum suorum testes scilicet, & patrem, & matrem puellæ secum adhibuit.

Qualiter autem sit determinanda huiusmodi coniecturalis controuersia, describit Leo ad Rusticum Narbonensem Episcopum: *Quia sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus in rebus incognitis, in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.* Et item alibi egregiè dicitur: *Non iustum mediatorē, qui in incertis sic vnam partem audit, vt alteri parti nihil reseruet.* Quid verò sit faciendum, si accusatus

post

* Et S. Augustin. epist. 137.

Psal. 71.

Psal. 49.

1. Cor. 5.

S. Greg. lib. 11. epist. 56.

Matth. 9. Luc. 8.

poſt canonicas inducias, nec ipſe venerit, nec impedimenti neceſſitates probauerit, præſcribit S. Gregorius in prædicto commentario dicens: *Quoniam quidam aut apud locorum defenſores, aut apud clariſſimos prouinciarum iudices, aut etiam, vt aſſolet,* hîc apud virum clariſſimum *magiſtrum cenſus ingrediuntur*, & queruntur *tanquam ab alio paſſi aliquid contra leges, aut aliter læſi, aut damni facti teſtes volentes producere. At ne poſtea obiiciatur eis*, quia per vnam partem geſta confecta ſunt: *oportet illum qui impetitur, in ipſa ciuitate conſtitutum, vbi teſtimonia dantur, admonitum, à iudice ſiue à defenſore aduenire, & audire atteſtationes. Si verò noluerit aduenire, ſed contempſerit; vt ex hoc ab vna parte teſtimonia aduerſus eum inutilia ſint; ſancimus, huiuſmodi teſtimonia ita valere, ac ſi non ex vna parte conſiſterent, ſed etiam ipſo præſente fuiſſent facta. Si enim recuſauerit, & venire noluerit, & audire, quæ deponuntur, cùm vtique in publico ſit, & non ex inenitabili quadam neceſſitate venire non poſſit: ſimilis aduenienti erit, & nulla vtilitas ex contemptu ſuo ei adhibebitur: ſed videbuntur quidem ex vtriuſque præſentia probationes facta. Ecce*, inquit S. Gregorius, *admonendus eſt ſemper aduerſarius, vt ad audiendos teſtes aduenias; alioquin neceſſe eſt, vt quod contra leges actum eſt, firmitatem non habeat.*

S. Greg. lib. 2. epiſt. 56.

Epiſtola 2 B. Bonifacij Papa I.

Demonſtrat etiam Bonifacius Papa ſcribens ad ſeptem Prouincias de Maximo, qui multo crimine infamatus præſentari iudicio noluit, regulariter vocatus. *Nullus*, inquiens, *dubitat, quod ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur, qui eſt innocens, quærit: ſed aſtuta cauillatio eorum qui verſutiùs agendum credunt eſſe conſiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſe ſubterfugere iudicium dilationibus putat.* Et quibuſdã interpoſitis: *Decreuimus*, inquit, *veſtrum debere intra prouinciam eſſe iudicium, & congregari ſynodum, ante diem Kalendarum Nouembrium, vt, ſi adeſſe voluerit, præſens, ſi confidit, ad obiecta reſpondeat. Si verò adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt, confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato iudicio purgandi ſe occaſione non vtitur. Nihil enim intereſt, vtrum in præſenti examine omnia, quæ dicta ſunt, comprobentur, cùm ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia. Nos autem per omnes prouincias literas dirigemus, ne excuſationem ſibi ignorationis obtendat, vt ad prouinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare iudicio.*

Simili exequutione vocauit, & exſpectauit B. Gregorius Maximum Salonitanum Epiſcopũ, euidenter reum, & contumacem dicens: *Hortamur, vt ad nos venire, omni poſtpoſita excuſatione, feſtines: quatenus ſeruata iuſtitia, hæc,* (de quibus accuſaris) *& cognoſcere, & finire, ſecundum canonica inſtituta, Chriſto reuelante, poſſimus. Ita autem fac, vt ad veniendum amplius iam moras non ingeras: ne ipſa te magis abſentia obnoxium his, quæ dicuntur, aſſignet: & nos in te hac res, non ſolùm propter dicta crimina, quæ purgare ſubterfugis, ſed etiam propter inobedientiæ culpam durius ſcilicet, vt in contumacem cogat ex Concilio ferre iudicium.*

S. Greg. lib. 5. epiſt. 3.

Vides Domine, quia B. Gregorius Maximum Salonitanum, & præſumptorem, & contumacem, qui ordinem illicitè ſuſcepit, qui literas Papæ celebrationem ſibi Miſſæ interdicentis, proterue diſcidit: quia hunc, inquam, niſi canonicè vocatum, niſi regulariter exſpectatum, damnare noluit. Vnde & ipſe ad * Martianum: *Nullus ſine cognitione damnandus eſt.*

Alter iudiciarij ordinis modus eſt, quem & tu dixeras, cum crimen non negatur; cum iam quaſi extra portam ciuitatis, * ſceleribus exequiis reus effertur. Hunc modum, niſi tua vel prouidentia aliter iudicauerit, in duos adhuc modos ſubdiuidimus: & modum vtrumq; in ſynodum * vocari, & ex iudicio determinari volumus. Vna ſcilicet manifeſti iudiciarij ordinis ſpecies eſt, cùm reus nec ſe, nec admiſsũ, quod obiicitur, defendit: id eſt, cum fatetur & ſe feciſſe, & faciendo peccaſſe. In hac cauſa, accuſatorib' nil facientibus, reus tantum ad iudicium vocatur: paſſurus quod confeſſo, vel conuicto medicinaliter præſcribunt pænè ſingula folia Canonum. Secundũ hunc modum videtur Apoſtolus dixiſſe ad Corinthios. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens, eum, qui ſic*

* *Marinianum lib. 2. epiſt. 27.*

* *ſceleratum.*

* *Hæc & ſequentes notatiuncula ad hãc epiſtolã, erant in margine manuſcripti Codicis, cautela gratia ſine ab ipſo Adalberto & Bernaldo, ſiue ab alio quopiã addicta.* Hic cautiſſimè (vocabulũ) SEMPER nõ adiectum, nec aliud vniuerſitatis deſignatiuum; ne eo adiecto Apoſtolicæ ſedi iudicaretur: q̃ certè cõtumacia ſynodicã vocationem non eogatur prętendere. 1. Cor. 5.

ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatũ vobũ, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnũ.

Nota, quod dixit; *congregatũ vobũ in nomine Ieſu*: quaſi diceret; collecto à vobis Concilio, facto à vobis conuentu in nomine Domini, id eſt, canonico: ibi me ſpiritualiter vobiſcũ præſente, reus iudicetur: ibi, à conſortio Eccleſiæ eliminetur: tunc, manifeſtè ei mõſtretur, quia peccãdo, eius ſe iugo ſubiugauit; eius dico, qui iugum Domini abiecit. Et hoc niſi priuatæ reſpectu iniuriæ, nõ alia intentione, niſi vt in eo intereat, in mortem vergens carnalitas: reſipiſcat æterna quærens ſpiritualitas: carne ſcilicet intereat, vt ſpiritu ſaluetur. Item paulò ſuperius: *vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit.* Quod exponens Ambroſius, dicit: *Cognito opere iſto, pellendum illum* (peccantem) *fuiſſe de cœtu fraternitatis. Omnes enim crimen eius ſciebant, & nõ arguebant. Publicè enim nouercam ſuam loco vxoris habebat. In qua re, neq; teſtibus opus erat, neq; tergiuerſatione aliqua poterat tegi crimen.*

Idem. S. Ambroſ. in 1. Cor. 5.

Altera manifeſti iudiciarij ordinis ſpecies eſt, cùm purgatoriè crimẽ conceditur: ſed culpa remouetur, id eſt, cum *fatetur ſe, quod obiicitur, feciſſe; affirmat autem ſe* legem Eccleſiaſticã minimè in hoc facto exorbitaſſe. Huic accuſato magnopere ſuademus concedendam ſynodum: ſcilicet, vt aut conuincatur, aut probando ſuas partes, abſoluatur. Hoc modo ſecum agi debere clamant nunc proſcripti ab Apoſtolo præſule. Huius iudiciarij ordinis formam dabant nobis plures propter iuſtitiæ defenſionem accuſati: plures tyrannidem prælatorum experti. Quibus in conuentu auditis ipſi perſæpe obiecti honeſtatem ſuadendo, ſunt abſoluti: compreſſores eorũ, relato in ſe crimine, damnati. * Sic Conſtãtia Epiſcopum Carlomannum, qui eam ex inobedientia accuſauit, perorata inobedientiæ dignitate, quaſi infernalem furiam exſufflauit.

quũ.

contra.

Carolomãnum qui & Carolus Epiſcopum Conſtantienſis intruſum & ſimoniacum ab Hæreto IV. Cæſare an. M.LXIX. Vide Catalogum Epiſcoporum Conſtant. nuper editũ à D. Pelloreo, & Lambertum M. LXIX & M. LXXI. Conc. Sardicenſ. c. 17.

Huius autem regulam, & actionem controuerſiæ præſcribit Conciliũ Sardicenſe: *Si Epiſcopus quis fortè iracundus, (quod eſſe non debet) citò, aſperè commoneatur aduerſus presbyterum, ſiue Diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit; prouidendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo, habeat poteſtatem ũ, qui abiectus eſt, vt Epiſcopos finitimos interpellet; & cauſa eius audiatur, ac diligentius tractetur. quia non oportet ei negari audientiam rogãti. Et ille Epiſcopus, qui aut iuſtè, aut iniuſtè eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium diſcutiatur: vt vel probetur ſententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priuſquam omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum, qui fuerat à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere, vt communioni ſociet.*

Notentur verba, quæ dicuntur: vt ſententia eius probetur, vel emendetur: ſcilicet vt diſcuſſione facta, ſententia eius, qui damnauerat, ſi iuſtè ſecum agit, probetur: ſi ratione caret, emendetur. Cùm ergo neminem præpropere, ſeu præpoſterè damnari lex patiatur Eccleſiaſtica, probabiliter dicimus; ſi qui Epiſcoporum à Papa regulariter ad ſynodum vocati non venerant, vel certas impedimenti neceſſitates non probauerant, officij ſuſpenſionẽ * meruerant: audiendo tamen humano * Auguſtini conſilio in epiſtola ad Bonifacium: *In huiuſmodi cauſis, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras, non huius, aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent; detrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis caritas ſyncera ſubueniat.* Et Leone ad * Ruſticũ Narbonenſem Epiſcopum dicente: *Sicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione conuelli; ita * nonnulla ſunt, quæ aut pro cõſideratione ætatũ, aut pro neceſſitate rerum oportet temperari: Illa ſemper conditione ſeruata; vt in his, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inueniatur aduerſum.*

* Hîc cautiſſimè nõ adiectum: quod Papa abſque ſynodo neminẽ poſſit damnare. Nã hoc adiectiũ Apoſtolicę auctoritati præiudicare videretur.

* *S. Aug. epiſt 50. circa finem.*

* *Epiſt. 91. ad finem.*

* *multa.*

* Præterea decreta Triburenſis Synodi Concilij, cui interfuit Catholicus Arnolfus Rex, præſcribunt nobis tantum tria, quæ mereantur Epiſcopale anathema. Vnum ſcilicet; *Si ad ſynodum quiſlibet canonicè vocatus, venire contempſerit.* II. *Si præſentatus præceptis ſacerdotalibus non obedierit.* III. *Si ante finitam cauſæ ſuæ examinationẽ à ſynodo profugus abire præſumpſerit.* Ne verò hęc ſynodus ex loci humilitate demereatur auctoritas.

* Hi modi anathematum diſcutiendi ſunt quidem Epiſcopis, non vtiq; in contumacia publicatis ſ. fixi videntur, vt ex lectione eiuſdẽ Concilij colligitur. qui etiam modi præiudicare non poſſunt Apoſtolicæ auctoritati.

Digitized by Google

Gelasius I. epist. 11. ritatem, audiatur Gelasius in epist. ad Episcopos per Dardaniam constitutos: *Confidimus*, inquiens, *quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusq; Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesia probauit assensus; *nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quã primam: quæ & vnamquamq; Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.*

*nõ aliam.

Matth. 16.

Isidor. lib. 6. c. 15. Et Beatus Isidorus post descriptionem authenticarum scripturarum, & Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Chalcedonensis quoque Synodi addidit: *Si qua sunt Concilia à SS. Patribus instituta, post istarum IV. auctoritatem, & custodienda, & recipienda decreuimus.* Hinc & Augustinus de vera religione dicit: *Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, non est fas iudicare.* In istis autem temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tum, cum fuerint institutæ, atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Et per Carthaginenses Canones dicitur: *Quæ vel facta, vel dicta superius comprehensa sunt, vel ab aliis Conciliis conscripta, quæ secundum legem inueniuntur, custodire nos oportet. Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit: si laicus est, communione: si clericus, honore priuetur.*

S. August. lib. de vera religione. Tom. 1. Operum.

His de iudicio Papæ responsis, pro mea stultitia, tuæ, Pater, iussioni, liceat me, antequam de Simoniacis, & excommunicatis respondeam, quædam, quæ nos idiotæ vtrinque conferimus, tecum agendo deliciari. Persona igitur Apostolici exigit ab eo, vt si Ecclesiæ, quæ se suo credidit patrocinio, consultum voluerit, si id, quod dicitur, esse decreuerit, gladium spiritus euaginet in Episcopos, qui non per ostium intrauerant; qui eum præcipientem, quod Apostolica clamat auctoritas, non audierant: id sibi necessitatis imponentes, vt in correctionem Ecclesiasticorum opera vtatur secularium, vt quorum esset speculum vitæ A clericorum de agendis consulere; sibi modò arrogent Clericis magistrare. Tracta igitur, quod aiunt, à tergo legis Ecclesiasticæ materia, non per ostium intrauerant. *qui apud suas, quas nunc occupant sedes, nõ prius electi, quàm recepti; sed heu præposterè prius recepti, quam electi: prius persæpe ordinati, quam * omnes manus, & linguæ, seu corporeæ seruitutis, non solo spiritualis vitæ intetuentu, & commendatione promoti: de quorum contagio Ecclesia iam id labis contraxit, B quod penè sui Sacramenta, id est, ordinationes clericorum, cõsecrationes Ecclesiarum, & alia quædam sui insignia perdidit, cum à talibus consecrata, potius ab his maledictis sit maledicta, Domino eis per Prophetam dicente: *Maledicam benedictionibus vestris.*

* Hic M S. lacunam habet.

* Etiam hic lacunam aut sensus vitiat.

Malach. 2.

* Hæc dicuntur, imò deplorantur in quosdam istorum pro miseriis præsentis status Ecclesiastici, clamatur Apostolicus, vt subueniat Ecclesiæ laboranti. Isti è contra pro se, & in Apostolicum clamant: quod ipse eos, vt tuo verbo vtar, proscripserit Tyranni- C cè, non Ecclesiasticè: priuatæ suiipsius iniuriæ, non respectu æquitatis publicæ. Et maximè, quia id agentes, quod non pro magnitudine negotij discussum, sed rei Romanę periculosum, omni verò Ecclesiæ erit damnosum.

* Ab hinc calumnioſæ obiectiones conspiratorum in Papam sequuntur. quarum quædam in sequenti Epistola refelluntur. Illæ, inquam, quæ Apostolico aliquid obesse videbantur. Nam decreta SS. Patrum quæ sibi ipsos magis, quam illum impugnare videntur: si rectè deprauant, intelligantur.

Dicunt quidem Stephanum Papã, qui antea Fridericus, fratrem Gotefridi Ducis in publica Synodo; eius, qui nunc Papatum tenet, & omnium, qui aderant cõsensu, decreuisse, vt regnante Heinrico, quem nunc regem habemus, eius in electione Romani Pontificis exspectaretur consensus. Testantur etiam, quia hic idem Papa in eadẽ verba, orario collum ornatus, bis iurauerit. Et ex his subiungitur; quia ex * hoc quidem Papatum conscenderat, * quia suum decretalem consensum, suã professionem, suam subscriptionem negauerit, seq; periurum, quod nefas est dici, nõ solum tunc fecerit, suscipiendo, sed quotidie faciat obtinendo. Audiat dicta decreta Carthaginensis Concilij

Stephanus X. Papa, dictus IX. De hoc vide de Bar. Tom. XI. anno 1058.

Si quis contra suam * *professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo; ipse se honore priuauit.* Et ne ex loci culmine putet sibi omnia licere, audiat illum, cuius nomine gaudet, Gregorium. * *Nos, qui præsumus, non ex locorum, nec generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus; nec vrbium claritate, sed fidei puritate.* Id est: Adam primus homo, pro peccato de Paradiso deiectus est. Hoc est, qui nobilitatem DEI à se iecit, nobilitate loci priuetur. Id est, in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Audiat & Papam Simplicium: *Priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Audiat & Hieronymum: *Non facile est stare in loco Petri, & Pauli, & tenere cathedram regnantium cum Christo. quia hinc dicitur: non Sanctorum filij sunt qui tenent loca Sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Hinc & Augustin. de serm. Domini in monte: *Maximè hi temerè iudicant, qui magis amant vituperare, & damnare, quàm emendare, atq; corrigere.* Quod vitium est superbia vel inuidentia.

Demum vt Canonici Canonicis iaculis, Canonica prętendant propugnacula dicunt: Cum Domnus Papa nos nõ Canonicè vocatos, nos venire prohibitos damnarat, audire oportuit prædecessorem suum, cuius nomine gaudet, Gregorium, Episcopo Ioanni * iniustè excommunicanti scribentẽ: *Cassatis prius, atq; ad nihilum redactis prædicta sententia tua decretis, ex Beati Petri Apostolorum principis auctoritate decernimus, triginta dierum spatio sacra te communione priuatum ab omnipotente DEO nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia, & lacrimis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus implesse remissius, non iam tantam iniustitiam, sed contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, iuuante Domino, seuerius puniendam.*

Et item alibi: *Quod si contra hac, quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione, vel subreptione venire tentauerit, sacra te communione priuatum: nec eam, te excepto vltimo vitæ tuæ tempore, nisi cum concessa Romani Pontificis decernimus iussione recipere.* Hæc enim consona sanctis Patribus definitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, vel communionem capere sit dignus altaribus.

Mirum quod non * audit Leonem ad Anatolium, *Virum Catholicum, & præcipuum Domini sacerdotem; sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi, dicente scriptura: Post concupiscentias tuas non eas.* Non considerat sententiam Iustiniani Catholici Imp. quam probat, & seruat Ecclesia, dicentem: *Vt; nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus eam excommunicauerit aliquem; ille quidem, qui excommunicatus est, maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ cõmunionis redeat. Is autem qui non legitimè excommunicauit, in tantum abstineat tempus sacrosanctæ communione, quantum maiori sacerdoti visum fuerit, vt, quod iniustè fecit, ipse iustè patiatur.*

In bannientem igitur hunc nos voto priuatæ vltionis, non iusti examinis oporteret aurem inclinare Apostolo dicenti: *Non vos defendentes carissimi, sed date locum iræ.* Audire etiam eum, cuius sedi præsidet principem Apostolorum: *Nemo vestrum patiatur tanquam homicida, aut fur, aut maledicus.* Tanquam maledicus, inquiunt Catholici Doctores, patitur: qui iniuriatus suas iniurias effrenato linguæ, & animi feruore persequitur.

Audire etiam oportebat Gregorium scribentem, ad Ianuarium: *Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus à fraternitate tua frustra se excommunicatum, anathematizatumq; conquestus est. Quod ob quam rem factam fuerit, dum à clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo, quod te iniuriauerat factum innotuit. quæ res nos vehementer affligit. quod si ita est, nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas, dum pro vindicta * propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cætero omnino esto circumspectus, atq; solicitus, & talia*

* scilicet cõsiderate, nõ improuidè factam.

* His rationibus suã superbiã refrenare potissimum debebunt: qui nõ dico in subditos, sed in prælatũ suum tam inaudite superbierant.

11. q 3. c. 63.

3. August. serm. in monte.

* Lacum aperuit, & effodit eũ, & incidit in foueam, quam fecit. Si enim S. Gregorius Ioannem temerè inferiorem suum excommunicantem absque Synodica vocatione excommunicauit: cur se absque vocatione excommunicatos lamentantur, qui nõ dico inferiorem, sed prælatum omnibus Christum, imo totam Romanam Synodum deauctorizare tentauerunt, vt sequens epistola verissime testatur.

* Hoc si vos bene audissetis, non ita temerè prælatum vestrum deponere concupissetis.

Eccles. 18.

1. q. 6. c. 11.

Num S. Greg. vos excepit: cum omnes aduersarios Canonum anathematizauit. Vos, inquam, qui Patrẽ primæ sedis non cõuictum nec vestro iudicio conuincendũ deponere tentastis.

Rom. 12.

1. *Pet.* 4.

Lib. 2. *Epist.* 34.

* Cur hoc pro priuata iniuria Romani Pontificis cõputare voluistis, cum quo totam Romanam Synodum annullare voluistis.

Digitized by Google

lia cuiquam pro defensione propriæ iniuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam, si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.

* Lege Eusebium Abbat. Lib. 2. Epist. 24.

Item idem ad * Eufronum: *Seruorum DEI humilitas in afflictionis tempore debet apparere,* &c. *Non enim grande est, his nos esse humiles, à quibus honoramur. quia & hoc seculares quilibet faciunt. sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua patimur. nam Psalmista* dicente; vide humilitatem meam de inimicis meis.* Item in homilia VI. *Iudicare de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur.* * *Vnde fit; vt ipsa hac ligandi, & soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non subditorum moribus exerceat. Vnde rectè per Prophetam dicitur: Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt.* Licet quidem, prælatos sedis suæ, seu gradus zelo moueri: sed tamen quia in maximo imperio minima est licentia, non obliuiſci. * Vnde Gregorius in Epistola Sabiniano Diacono legato: *Paratior sum, inquit, mori, quàm Beati Petri Ecclesiam meis diebus degenerare.* Item ad Constantinam Augustam: *Et si peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat; Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus patiatur.* Item; *quem sedis, ordinisq; dignitas erexit, sui se consideratione repressit.* Item, scribens Episcopis Eulogio & Anastasio Antiocheno dicit: *Cum prædicator egregius dicat, quamdiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, qui rursus aliàs dixit: Facti sumus paruuli in medio vestrum: Exemplum proculdubio nobis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba.*

* Hæc perstudiosè in homilia S. Greg. prioris præt. Ezech. 13.

* Locus mutilus.

Lib. 7. Epist. 2.

Li 4. epist. 34.

Rom. 11. Lib. 4. Epist. 36. 1. Thess. 2.

Sententiæ quidem, qua ipsi eius maculant promotionem, arbitror eum hæc respondere. se, à Romanis electum, id culminis conscendisse coactum, indignumque, & rationis esse alienum, vt Ecclesiarum mater sedes Romana priuetur suæ electionis arbitrio: per quam aliæ sedes id obtinent, vt non sint Episcopi, qui non à suæ sedis clero, & populo, non propter generis nobilitatem, sed vitæ sanctitatem: non diuites in rebus, sed sancti in moribus sunt electi.

Defendit etiam forsitan se, ex Decretis prædecessorum suorum, Nicolai, Stephani, & aliorum, qui hoc firmauerunt sub anathemate: ne quis negaret electionis priuilegia sedi Romanæ. Illis è contra affirmantibus, non licere electioni, vt ad hoc rapiat electum, quod ipse sibi fecerat illicitum. Et hinc * Sunamite Ecclesia, quasi in collisione duorum lapidum contrita nobis, qui in spem filiorum in hac ingemiscimus valle lacrimarum, supplicandum est fonti misericordiarum; *vt fermentum illud*, quod sicut Gregorius dicit, *tribus farina satis totius humani generis massam in vnitatem conspersit: nunc totius Ecclesiæ corpus in illius formam panis, qui de cælo descendit, redigat, vt vinea Christi mundata vulpeculis, qua eam demoliuntur, purgata sarmentis, quæ igni debentur, vernet, floreat per concordiam vnitatis, vera viti in odorem suauitatis.**

* *sunamitide.*

2. Cant.

* *adhærens forte, subdendum* * *Audite.*

* Auditutis, qui nunc Apostolico contradicitis, Episcopi illud Gregorij ad Felicem Episcopum dicentis: *Qualiter obedientia, vel reuerentia sit Præpositis exhibenda, ex tuis quoque subiectis, ipse non ambigis. In qua re valdè est vtile, si id, quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda seruauerit.* Et illud Leonis: *Qui ergò scit, se quibusdam præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat.* Econtra Domino Apostolico viscera Doctoris gerentis in subiectos accepturo dicentis; *tanquam si nutrix foueat filios suos; ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium DEI, sed etiam animas nostras. quoniam charissimi nobis facti estis.* In hac Apostolici, sine, vt ille putat, reprehensione, siue, vt illi, necessaria consideratione, * ego tuus, licet interiori caream rationali, volens tamen funem Apostolicum potius

Lib. 4. Epist. 30.

1. Thess. 2.

* Hæc Catholica professio-

Digitized by Google

potius sequi, quàm trahere, sedem Romanam veneror, vt tribunal Christi, eius Pontificem, vt sacrarium spiritus almi, eius amplectens decreta, vt cælestis curiæ edicta.

Inquiris præterea à me, vt tui rursus verba ponam, quid ego sentiam de cõfectione Sacramentorum à Simoniacis, seu à quibuslibet excommunicatis vsurpatorum. quippe si careant veritate. Stultus igitur non stultè obedio. Dicam, quod sentio.

Simoniacus est, qui temporalis lucri gratia Ecclesiasticos honores qualitercunque vel emit, vel vendit. Horum alij, licet ordinati, carent tamen Ecclesiastico honore, quem à nullo acceperant. Alij regulariter ordinati, licet postmodum Simoniaci facti, habent tamen adhuc ordines, quos publicata sua hæresi nondum amiserant. Inordinatos autem dicimus, qui ordinati sunt à Simoniaco, qui nihil eis potuit dare: vel, qui per pecuniam, aut interuentum secularis gratiæ ordinati sunt à non Simoniaco: à quo nihil per emptionem poterant accipere. Ordinatos autem, & tamen Simoniacos appellamus, qui post acceptos, à quibus, & vt debuerant ordines, Ecclesias, vel alia, quæ Simoniaca suasit hæresis, emerant, vel vendiderant. Sed priores, quos diximus, ordinatos, nullo modo conficient Sacramenta, nisi post satisfactionem Episcopali auctoritate admittantur. Isti posteriores, id est ordinati, & Simoniaci non conficient * qui manifesti sunt, nisi conuertantur. quia verò matre Ecclesia cum Christo capite in vnum corpus vnita, filiorum est Ecclesiæ non nisi de Sacramentis Christi, & Ecclesiæ: propono mihi distinguendum, auctoritate Catholica probandum, quid de Simoniacis, & excommunicatis, eadem sibi Sacramenta vendicantibus, sit tenendum.

* Simoniacos igitur, & excommunicatos in duo diuidimus. Alij eorum, quorum zelus innotuit. Alij, qui, etsi accusati, etsi macula suspicionis respersi, nec dum tamen manifestati. Illorum verò, quorum nefas patet: alij, nec dum in iudicio præsentati, alij publico Ecclesiæ iudicio damnati. Ab illis igitur quorum scelus adhuc oculum hominis latet, credimus posse confici Sacramenta Ecclesiæ. Sed quamuis nos iuuent per fidem: illos damnant propter præsumptionem: *Iudicium*, inquit Apostolus, *sibi manducat.* sibi, inquit, non tibi, vt Augustinus in Epistola Concilij ad Donatistas. Communio malorum nõ maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensio factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, & personam suam. Non præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis. Et vt scias quod Simoniaci, quod excommunicati nondum ventilabrum experti latent in Ecclesia, vt in messe cum grano palea; omnes, quos Simoniaca polluit hæresis, ex sententia principis Apostolorum damnati, dicente Beato Gelasio: *Idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, exsecrationem sui gestat, & pœnam.* Item: *Nec dubium, quod sicut in vnaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est: quia firmum esse, nullus ambigit Christianus: omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel prauitatis pari sorte censentur.*

Omnes, scio, præsumptuosi, transgressores Canonum sunt anathematizati, scribente S. Gregorio ad Gallicanos Episcopos: *Omnia quæ sanctis canonibus sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur.* Sed hi, inquam, etsi accusati, euidenter tamen nondum in hac transgressione denudati, habent, vt credimus, de materna Ecclesiæ gratia, & sanctitate, aduersus quam nec portæ inferi prævalebunt: sub cuius alis in spe veniæ adhuc latent, vt Sacramenta eiusdem matris conficiant, cuius necdum filij esse publicè perdiderant. *Matth.16.*

Sed dicis: Quomodo cõficient corpus Christi, qui per hæresim, seu per meritum anathematis, se demembrauerunt à corpore Christi? Respondetur;

ne in qua scriptor ea (ponit) quę in Apostolicum perscripsit: nõ ex sua, sed ex schismaticorũ persona retulisse mõstratur.

* in MS. est hic lacuna.

* De Sacramentis hæreticorum, siue excõmunicatorum audiatur Augustinus, ex cuius lib. de Baptis-

mo contra Donatistas colligitur: tam ordinationes, quàm Baptisma extra Ecclesiam haberi, & dari posse, licet perniciosè tam habenti, quã danti. 1. Cor. 11.

tur; Iudas vnus ex duodecim erat, eandem cum eis potestatem miracula faciendi habebat. Et quamuis *loculos portans fur esset*: tamen quibus par erat in signis, par videbatur & meritis. Ante oculos quippe hominum in miraculorum insignibus, Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis erat socius; ante eius autem oculos, cui non erat opus, vt quis sibi testimonium perhiberet de homine: quia *ipse sciebat, quid esset in homine*, erat diabolus: dictum est enim de eo: *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Ideo vtique diabolus, quia dualem spirabat spem: esse videlicet & venditor Domini, & discipulus Domini; sed cum iam nequitiæ suę precium venditi Domini promitteret, cum iam opportunitatem tradendi eum quæreret: in hoc baratro sceleris non minus vsus est potestate Apostolica, & hac tamdiu, donec audito; *quod facis, fac citius, exiuit foras. Erat enim nox.* Ad hunc modum credimus & hos posse Ecclesiastica efficere Sacramenta; dum nondum eos publicauit, & quodammodo ante Episcopalem Ecclesiasticam excommunicationem, ab Ecclesia prę iudicariè eliminauit eorum se effrenis contumacia.

Ioan. 12.
Ioan. 6.
Matth. 26.
Luc. 22.
Ioan. 13.

* Ab illis verò, qui de hæresi Simoniaca sunt euidenter rei, & si nondum publicè iudicati, firmiter diffitemur Ecclesiæ Sacramenta posse confici. Publica enim & fronte carens præsumptio maior est ipso scelere admisso. quæ, dum claret, euidens est exemplar peccandi: qui dicit, nisi, me, me imitamini. Verbi gratia, qui honores Simoniacè acquisitos non deponit: quid aliud, nisi Simonem, in quo viuit, imitandum proponit? Qui autem pudibundè, & tantum ante DEVM peccat, quandoque esse metuet, quod videri pudet.

*Hoc ex diffinito credendũ ne cẽseas, vsque dum perlegas librum S. Aug. de Baptismo cõtra Donatistas.

Sed oppones mihi, scio: Cum vsus quotidiè nobis præsentet vnum, eundemque Simoniacum, alij cuiquam Christiano adhuc inexpertum: alij verò perlucere manifestum: quomodo ille Sacramentum nescienti conficiet, quod quantum ad scientem conficere non valet? Respondetur; iusta mens A *ex fide viuit.* Fidei effectus salubrius creditur, quàm cum ratione inuestigetur. Dico equidem. * quia illud quod per Simoniacum nõ posse confici creditur: illud, inquam, alicui simpliciter credenti, & fideliter nescienti * Sacramentum esse, fides operatur. Ipse tamen conficiens, ex hoc, quod conficit, damnatur. Ne mireris, quia per fidem Sacramento reficitur accipiens. audi, quia Sacramẽti gratia* participatur etiam non accipiens. Augustinus in sermone ad infantes ad altare de Sacramento: *Nulli est aliquatenus ambigendum; tunc vnumquenq; fidelium corporis,* B *sanguinisq; Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis, calicisq; consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est inuenit.* Ne igitur dubites simpliciter credentem salubriter illud accipere, ab illo, quem nescit hæreticum: audi etiam, quòd * simplicitatem fidei efficaciter accipit ab eo, quem scit hæreticum. Augustinum in eodem sermone: C *Si quem fortè*, inquiens, *coëgerit extrema necessitas, vbi Catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, & in animo, pace Catholica custodita, per aliquem extra vnitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa Catholica vnitate accepturus: si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum, nisi Catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cum se Catholicæ congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissimè, verissimeq; laudamus. quia præsentem * Domi-* D *num credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat.*

Rom. 1.
* Hoc nos conficitur, & quidẽ ab aliquo rẽ sciente per Simoniacum.
* Hæc sunt erronea.
* De hac sententia sequens Epistola nõ improbabiliter cõiecta dabit.
De consecr. d. 4. c. 131. Nulli est.
* f. simpli. citas.
24. q. 2. c. 40. Si quẽ fortè.
* Deum;

Discamus ergò, quia si cum Simoniaco ago, qui est adhuc tantum de manifestis, nondum de publicè damnatis: cum illi, inquam, quædam Ecclesiæ Sacramenta conficere nequeant: cum perfecti nec illos posse conficere, nec se confecta ab eis accipere credant: tamen quod non habeat nequiti-

quitiam dantis, accipit pleniter fides, & sapienter simplicis, & simpliciter sapientis; totum implente gratia IESV, sicut in illo felici latrone: cui; vt Augustinus ait; *quod ex Baptismi Sacramento defuit, benignitas DEI spiritaliter adimpleuit.*

Hoc autē distare videtur inter manifestè reos, & publicè excommunicatos: quia cum excommunicatis communicare prohibemur, nisi conuertantur. cum manifestis, & nondum iudicatis, conuersari oportet, vt conuertantur. Illis nefas est, vt dicamus *aue*: nefas est cum illis vel cibum sumere. Cum istis permittit Apostolus communicare dicens: *Non vtiq; fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: aliòquin debueratis ex hoc mundo exisse.* Illorum igitur, qui manifestè sunt rei formam habuerunt publicani, & peccatores, cum quibus Saluator manducauerat. Excommunicati autem significantur per illos, quos Apostolus Sathanæ tradiderat. Huiusmodi manifestis, nondum publicè iudicatis ego communicans, me non excommunico, dum hominem vt Christianum diligens; factum eius, vt non Christiani, improbo, præscribente Augustino: *Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas*, hoc est, non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis, vel approbationis adiungitur.

1. Cor. 5.

Matth. 9.

2. Cor. 5.

Ab his autem, id est Simoniacis, licet nondum publicè excommunicatis, non posse clericos ordinari, non posse Dominicum corpus confici, credas Apostolicis Innocentio & Paschali. Innocentius Papa de Simoniacis dicit: * *Asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse. Nec acquieseimus, vllum aliquid ab eo accepisse. quia nil erat in dante, quod alius ab eo posset accipere. Et verum est certè. quia quod non habuit, dare non potuit.* Audi Paschalem Papam in Epistola ad *Mediolanensem Eccle-

* Si hanc sententiam ita interpretamur: vt hæreticum dicamus, nihil proficui, nil honoris posse dare, dum tamē habeat Sacramentum ordinationis sibi qui-

* Hanc Epistolam non Paschalis Papa fecit; sed quidā VVido: qui & Musicam composuit. Sic enim viri religiosissimi asserunt: qui ex discipulis eiusdem diligentissime explorauerunt. Præterea eadem Epistola inter Romanor. Pontif. decreta nusquam scripta reperitur. Nō ergò Beato August. præiudicare poterit in aliquo.

A siam: *quicunq; sacros ordines ad precium largiuntur, cum Iuda pessimo mercatore peribunt: qui pro XXX. argenteis eterni filium vendidit parenti. Audiat hoc hæreticus, audiat & Christianus. Audiat & ille, qui hanc hæresin vult rabido ore auctorizare. Istis dico: Vbi est, quod accepistis? Illis dico: vbi est, quod dedistis? Infelices infeliciter sibi inuicem contra campserunt. Hic, vt consuleret suæ philargyriæ. Ille, vt satisfaceret propriæ nequitiæ. Quapropter nec ille habet precium; nec illi habent Christum. Exulta Christiane; quia quod Iudas vendidit, & Iudæus emit, tu acquisisti.* B *Grande bonum suo malo operati sunt nobis ambo.*

dem, & ab eo accipienti in damnationem, si ita inquam intelligimus; a Beato Aug. nō discrepamus.

Item in eādem: *Si tali exterminio traditus est, qui vendidit Christum: quid erit de sociis eius, qui emunt, vel vendunt paraclitum? Nunquid non pares sunt in vltione, qui pares sunt in crimine? Ille, vendidit filium. Isti, quantum in se ipsis est, Spiritum sanctum conantur vendere.*

Cum autem quidam, domine, & maximè apud vos, blandiantur sibi, affirmantes se nō esse Simoniacos; quia non emerint, vel vendiderint Ecclesias, vel altaria: sed res, & commoda Ecclesiis attinentia: audi eundem Pa- C schalem in eādem Epistola. *Si quis obiecerit, non consecrationes, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, vendi: videtur quidem aliquid dicere; nihil autem penitus sentire. Nam cum corporalis Ecclesiæ aut Episcopus, aut Abbas, aut alius aliquis sine rebus corporalibus, & exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter viuit: quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum haberi non prouenit, neutrum non venditum derelinquit.*

Quid quod etiam missa à talibus nequeat celebrari, declarat quidem in eadem: *Nunquid maledictus sua benedictione panem in Christi * carnem poterit vertere? maximè, cum quidquid benedixerit, Dominus se maledicturum asserit?* Et post pauca: *Si hæretici sacerdotes, voces exhortationum non possunt fari: quomodo valeant vinum in Christi cruorem vertere? Etsi Dominus præcepit nequaquam dari homicidis, adulteris, rapacibus, & cæteris criminalibus peccatis irretitis corpus, & sanguinem suum, vsq; ad satisfactionem:*

D

* Huius moderni dogmatistæ sententiam caute legamus. Vsq; dum diligentius SS. Patrum scita de Sacramentis inuestigemus.

quomo-

quomodo ipſe dabit ſacerdotium vſurpanti per Simoniacam hæreſim vbique damnatam?

Quantum noceat audita eorũ miſſa, audi eundem: *Cum ergo tales Epiſcopos, vel Abbates, vel reliquos clericos non deuitamus, ſi eorum miſſas audiamus, vel cum eis oramus, excommunicationem cum eis ſubimus. quos quidem ſacerdotes eſſe ſaltem credere, omninò errare eſt. cum Petrus Simoni dicat: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum DEI exiſtimaſti cum pecunia poſſideri.* Vbi, cum, *exiſtimaſti*, dicitur, patet, quia non pro eo, quod fecerat, ſed quia ſe facere poſſe crediderat, condemnatur. Patet igitur ex prædicta auctoritate, nec clericos ab eis ordinari, nec Dominicum corpus poſſe confici, ſed ipſos ex voce Petri eſſe perditos clericos. Et ſi prædicta duo Sacramenta non conficiunt, certe nulla. niſi fortè ſolum baptiſma conficere poſſunt. Et vt ſcias, quia nullo modo Eccleſiaſtica Sacramenta fieri poſſunt à Simoniaco: audi ex Apoſtolico decreto, annullata eſſe omnia, quæ facta videbantur à neophyto.

Act. 8.

Defuncto Romanæ ſedis præſule XCIV. Paulo huius nominis primo * Conſtantinus quidam à Laico in Papam conſecratus ſedem Apoſtolicam per annum & menſem obtinuit. Epiſcopos ſcilicet, Preſbyteros, & alios diuerſi gradus, infra hoc temporis ſpatium ordinauit: omnia, quæ Apoſtolici erant, fecit. Inter hæc quidam Romanorũ abhorrentes caput Eccleſiæ Romanam Sedem à neophyto inuaſam: Stephanum natione Siculum, Eccleſiaſticis traditionibus eruditum, impetrato cleri, ac populi conſenſu, Conſtantino depoſito, Stephanum illius nominis * III. Papam XCV. Apoſtolici apicis conſecratione ſublimauerunt.

* *Pſeudopapa hic factus eſt, Ann. Chriſti DCC. LXVII. Vide Panuin. lib. de Pontif. & Cal. Bar. Tom. IX.*

* *Baron. Steph. IV.*

Hic mox directis legatis ad reges Franciæ Karolum & Karolomannum, qui defuncto nuper Patri Pipino ſucceſſerant, eorum aſſenſu XII. Epiſcopos probabilioris vitæ, & ſcientiæ inſignioris de Francia adſciuit: aduocatiſque inſuper Apuliæ, Campaniæ, Italiæ præſulibus Synodum Romæ in Eccleſia Saluatoris celebrauit. Ibi omnia Conſtantini ſtatuta ex communi iudicio ſcinduntur, ſcripta eius in præſenti comburuntur. Ipſe Stephanus Papa cum clero proſtratus pœnituit ſe vnquam Papæ neophyto obediſſe, ſe, de manibus eius cõmunionem accepiſſe. Decretum eſt igitur in Concilio cõdẽ ſub anathematis vinculo, nullum dehinc neophytum ad Epiſcopalem adſpirare apicem. De Epiſcopis autem Preſbyteris, & cęteris, quos infelix Cõſtantinus conſecrando ordinauerat, ſtatutum eſt, vt omnes Eccleſiaſticis, quos per eum ſibi vendicauerant, honoribus exſpoliati, deſcẽderent ad ſolos illos gradus, in quibus cõſtiterant, priuſquã ab eo ad altiora prouecti fuerant. Si quos tamen ex illis ſub modio latere, candelabrum Eccleſię ſibi ſuper imponendos * expoſceret, ipſi à clero, & populo iterum electi, iterum quaſi non antea à Conſtantino Papa conſecrati, depoſitum tantum, & nunquam altiorem mererentur honorem. De his autem, ſi qui per eum de Laicis in Preſbyteratum, ſiue Diaconatum fuerant promoti, decretum, vt admiſſo gradu, vbicunque voluiſſent, in religioſo tantum habitu permanerent. Nullus omnium ad Pontificatus apicem promoueretur; nullus omnino altiorem gradum ſperaret: ne, hic nouitatis error in Eccleſia DEI radicaret. Demum ſancitum eſt, vt quæcunque Conſtantinus inuaſor in Sacramentis Eccleſiaſticis egerat, omnia iterarentur, vt in geſtis Pontificum legitur, * præter ſacrum baptiſma, & myſticum chriſma. Finita ſancta Synodo omnis populus ſui pedibus Papæ aduoluitur, indulgentiam popoſcit, quod vnquam Cõſtantino inuaſori communicauit. Ille, ſingulis pœnitentiam pro hoc admiſſo iniunxit. Epiſcoporum, qui digni cenſebantur, denuo à ſubiectis electos, ipſe denuo * conſecrauit. Reliqui ordinis nullum amiſſo gradui reſtituere cenſuit.

* *Iſtud exemplum ſi tamen eſt verũ, laudare timeo, ne eo affirmato, etiã omnes à S. Ambroſio cõſecratos, itidem exſufflandos reputem: qui vtique fuit neophytus, vtpote in depoſitione albarum conſecratus ad Epiſcopatum; hoc eſt, octauo poſt baptiſmũ die.*

* *Lege Baronii Tom. 9. Anno 769. Et videbis ab hoc Auctore rem ſatis ea intellecta, quæ in Pontificũ hiſtoria hac de re leguntur.*

Patet autem, Domine, ex clericorum ordinationibus ordinatis, annullatis, ex Eccleſiarum conſecrationibus alteratis; chriſma etiam neophyti cõſecratoris annullatum, niſi quod baptiſma ex illo chriſmate celebratum

* *Concluſit. Ita enim in huius falſi narratione Vox conſecrandi accipi debet.*

Lege Baron. Anno 768. & 769.

I nolu-

noluit Stephanus Papa annullare, quia nec ab hæretico baptizatum licet rebaptizare, dum tantum baptizet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Est ergo hæc Epistola scripta Anno M. LXXVI.

Hac etiam ratione cum prioris anni, id est, ab Incarnatione Domini M. LXXV. Pascha rex apud Babinberch celebraret, Leimarus Bremensis Archiepiscopus noluit in baptizando vti chrismate, quod confectum videbatur ab * Heremanno, tunc ibi Episcopo, cum sciret hunc Simoniacum, licet nondum conuictum: Ecclesiastica in hoc vsus ratione. quia baptisma, quod non annullatur, postquam factum est ab hæretico, non tamen vt fiat concedendum est hæretico: cum aliud sit, rem, postquam facta est, non improbando tolerare: aliud, ne improbari metuat, præuidere. Scire autem oportet illos non tantum neophytos, qui de Laicis subitò ad Ecclesiasticas promouentur dignitates, vt illum, quem vester Herimannus de * vnâ & eâdem die de coriario presbyterum maturauit. quem ipse subito de pila, in qua cortices contuderat, ad altare Christi transtulit: O festinata promotio. Fit Diaconus, qui lectionem prius in celebratione missæ non legerat: sacerdos, qui tunc primũ Leuita; suscepit simul omnes Ecclesiasticos gradus, qui largum & cogentem consecrare cõsecratorem eadem die * venerat, nec corona signatus: Sciendum est, inquam, non solum huiusmodi vocari, & esse neophytos, sed magis illos, qui moribus informes; religione, rudes; scientia, rustici; plures renascentis hydræ capitibus nunc emergunt, & per hoc se perpetuo anathemate perimunt. Audi Gregorium in suo regesto, in Epistola Vergilio Arelatensi Episcopo missa: *Cùm ad sacros ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibeat; sciendum est nobis, quia sicut tunc neophytus vocabatur, qui adhuc nouè erat plantatus in fide: ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione.*

De hoc Herimanno Bernaldus in Chronico Anno M. LXXV. Hermannus Babẽbergensis Episcopus, à cleticis suis pro Simoniacæ hæresi accusatus, à Papa deponitur.

f. venerat.

1. Tim. 3.

Scribam & adhuc de gestis Pontificum Concilium Papæ de annullatis quæ Leo neophytus vsurpauerat Sacramentis.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCC. XLIV. Tertio autem ex quo Otto Imper. Heinrici regis filius, compressa Beringarij, & eius filij Tyrannide, Italiam subiugauerat: Ioannes Papa ab Imp. quem cum coniuge, & Adelhaida * priori anno imperiali vnctione sublimauit, deficiens, Adelbertum Reip. aduersarium in vrbem recepit. Quod non passurus Imperator Romam hostiliter inuadit. Papa hinc Imperatorem timens, illinc Romanis diffidens cum suo complice Adelberto aufugit, vsurpato sibi non paruo Ecclesiæ thesauro. Romani, siue timore correcti, siue respectu iuris allecti, Dominum suum gratulatoriè recipiunt. Imperator Apostolico, ad determinanda, quæ tunc imminebant negotia, indigens, Ioannem Papam ad desolatam sui sedem reuocauit. Quò reuerti negante, * Leo adhuc Laicus, quantum ad secularia non parum strenuus, Papa eligitur, ordinatur. Synodus, præsente Imp. & multis Teutonicis, & Italicis præsulibus celebratur. multa, quæ vel Ecclesiastica necessitas, vel Imperatoria poscebat voluntas, decernuntur. Sic Domnus Leo præsidens Apostolicæ sedi fecit interim ordinationes, & omnia quæ erant Apostolici. * Nec longum, Romani alterata fide apud Imp. Papam recipiunt Ioannem. Ille congregato Romæ in Ecclesia sancti Petri Concilio, Leonem, qui sibi viuo neophytus successit, omni Ecclesiastico ordine exutum, ita ex statutis Canonum damnauit, vt, si postmodum ad aliquem clericalem gradum vel aspiraret, perpetuo anathemati cum omnibus sibi ad id opitulantibus subiaceret. Episcoporum duos, qui eum promouerant, in Synodum vocatos & in tertia Actione præsentatos, ita ex auctoritate Apostolica sacerdotali priuauit honore, vt postmodum in nulla Synodo recuperationis aditum auderent vel tentare. Tertium autem ex his nomine Siconem canonicè vocatum, exspectatum, demum venire nolentem, Ecclesiastica priuauit communione. Statutumque est publico omnium iudicio, Synodum à Leone collectam,

Error in numero vide Bar. Tom. 10. Anno Christi 963. 964.

** hoc est, Anno 962.*

** At Leo esse nõ fuit legitimus Papa, sed Antipapa, seu Pseudopapa. Vide Barõ. Anno 963.*

** Anno Christi 964. Lege Barõ.*

Digitized by Google

lectam, nec nominandam Synodum, ſed proſtibulum fauens adulteris. Ergò omnia prædicti Leonis decreta caſſantur: &, quicunque ab eo erant conſecrati, iuſſi ſunt planetis veſtiri, & ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in charta, hæc verba continenti: *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit.* Et ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus, quos habuerant antè, quàm à Leone promoti fuerant. Eâdem ratione, eâdem auctoritate, qua & illi, quos ſupra diximus à Conſtantino neophytos promotos.

Vt etiam ſcias non tantum à Simoniacis, non tantum, quod minus eſt, à neophytis, ſed etiam ab aliis inordinatè promotis non poſſe confici Sacramenta Eccleſiæ, referam quod contigit apud ſacroſanctam * Hildenesheimenſem Eccleſiam, cui ego indigniſſimus nunc ſeruio, ſi non fructuosè, tamen deuotè: ſi non vtiliter, tamen fideliter: ſi non, vt debeo, tamen vt potero.

* *Nota. Venit Bernardus Conſtantiâ Hildesheimium: Vbi Scholarum Eccleſia illius, vt primi Conſtantiæ, magiſtrum egiſſe videtur. Inde Corbeiam venit & Monaſticam vitam amplexus eſt. Kranzius in Metropoli. lib. 3. cap. 26. de Bennone Oſnaburgenſi Epiſcopo.* Qui cum ſcholis præfuiſſet apud Eccleſiam Hildesimenſem, (docebant enim illa ætate Scholaſtici ſacras litteras, & habebant, qui ſubdocerent in triuialibus,) clarum illi nomen ex doctrina & ex vitæ religione conciliabat ei Imperatori Henrico, &c.

* Ebo Rhemenſis Epiſcopus aſſenſum Lothario prębuit, cum Patrem ſuum Ludevvicum magni Karoli filium regno priuauit. Ludevvico autem ope filiorum ſuorum, Pipini ſcilicet, & Ludevvici, quorum prior dux Aquitaniæ; alter dux erat Baioariæ, in regnum recepto, Synodus colligitur. Ebo depoſitus Hildenesheimi relegatur. Defuncto iterum Reginberto Hildenesheimenſis Eccleſiæ Epiſcopo ſecundo, Imperator, Ebonem humanitatis potius, quàm iuſtitiæ reſpectu eidem ſedi tunc tertium præfecit. Ille miſer ex Epiſcopus Eccleſiæ Sacramenta Epiſcopali conceſſa dignitati ſtolidus ſibi per XII. annos vſurpauit. Quo hominem exuto, ſucceſſor eius Alfridus clericos, acceptis ab anteceſſore ſuo ordinibus, ex auctoritate Apoſtolica, exſuerat: Eccleſias denuo dedicauerat: omnia de Sacramentis Eccleſiæ ab eo geſta, præter ſolum baptiſma, iuxta decreta prædicti Papæ Stephani annihilauerat. Ecce quàm periculosè ſibi vſurpant Eccleſiæ, qui tamen non conficiunt, Sacramenta, quos Eccleſiaſticæ dignitatis præſumptuoſos raptores Apoſtolicum & ligando damnat, & damnando ligat anathema.

Reſtaret mihi probare de publicè excommunicatis: ſed cum Sacramenta Eccleſiæ non conficiantur à præſumptoribus, qui nondum in iudicio ſunt præſentati, quis quærat, quis ambigat de his, quin à concione Eccleſiæ ſint alienati? dimembrati igitur à corpore Chriſti, id eſt, ſeparati ab Eccleſia, nihil poterunt intra Eccleſiam operari: quod & tu ratione, & auctoritate inuictiſſimè probaſti, dicente Auguſtino contra Donatiſtas: *Quiſquis à Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus: quantum ſe laudabiliter viuere exiſtimet; hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti vnitate defunctus eſt, non habet vitam, ſed ira* DEI *manet ſuper eum.* Coloſſ. 3.

Ne autem excommunicatus propter conſcientiam innocentiæ, teſte ſe, abſolutum ſibi polliceatur, audiat decretum Carthaginenſis Concilij: *Qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu ſiue Epiſcopus, ſiue quilibet clericus, & tempore excommunicationis ſuæ, ante audientiam communionem præſumpſerit, ipſe in ſe damnationis iudicetur protuliſſe ſententiam.* Et illud Sardicenſis Concilij: *Priuſquam omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione ſeparatus ante cognitionem nullus debet præſumere, vt eum communioni ſociet.* Concil. Sardicense ſe. 17.

Agens ego de Synodis; legens ego illam * Leonis Synodum, vocatam non Synodum, ſed *proſtibulum fauens adulteris*, non poſſum non recordari Synodi veſtræ, quæ in * præterito anno à tribus millibus ac ſexcentis inter Preſbyteros, & reliquos gradus, Eccleſiaſticis, vt audio, apud vos collectis; quàm parum ſuæ profeſſioni proſpexit, cum decretis Nicænæ Synodi neſcio qua fronte contradixit. Si circumſpicientes animati ſunt de circum-

* *De hac Ebone vide Baron. Tom. 9. & 10. præſertim Anno 833. & 866. Vbi oſtendit Baronius, non legitimè facta fuiſſe, quæ Auctor iſte vt legitima prædicat.*

* *Pſeudopapa, de quo ſupra.*

* *Loquitur de Synodo Romæ ſub Gregorio VII. celebrata Anno 1075.*

cumfuſo tantùm ſui numero, legerent in decretis ſedis Apoſtolicæ, quæ Romani clerici Ioanni Preſbytero, ſed ſchiſmatico direxerant, tunc temporis, * quando Vigilius ex Apoſtolico in hæreſim lapſus, Conſtantinopoli tenebatur. In his, inquam, decretis hodie à Romana Eccleſia inter Catholicas regulas habitis legerent: *Quod ſi omnes ſacerdotes, & mundus aſſentiat, damnatio conſentientes inuoluit, non prauaricationem aſſenſus abſoluit. Non enim crimen minuitur: ſed accreſcit: contra, generale fit ex priuato. Hoc enim Dominus omnium iudicauit, qui peccantem mundum generali diluuio interemit.* Audirent & Leonem ad Anatolium: *Illa Nicænorum Canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio, nulla vnquam eſt parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur. Neque trecentis illis decem, atque octo copioſior numerus ſacerdotum, comparare ſe audeat, vel præferre; cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata; vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur: Omni penitus auctoritate ſit vacuum, quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.*

* *Vide Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 10. & Baron. Tom. 7. Ann. Chriſti 538.*

Gen. 8. S. Leo, Epiſt. 53.

De cuius priuilegio & Beatus Ambroſius dicit: *Non humana induſtria, non compoſitione aliqua, trecenti decem & octo Epiſcopi ad Concilium conuenerunt: ſed, vt in numero eorum, per ſignum ſuæ paſſionis, & nominis Dominus* IESVS *ſuo probaret ſe adeſſe Concilio. Crux in trecentis, IESV nomen in 10. & octo eſt ſacerdotibus. Et mihi*, inquit Hilarius, *ipſe ille numerus hic ſanctus eſt. In quo Abraham Victor regum impiorum, ab eo, qui æterni ſacerdotij eſt forma, benedicitur.* Et item Beatus Leo Papa: *Sancti illi, & venerabiles Patres, qui in Vrbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras vſque ad finem mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos, in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt: Et, ſi quid vſquam aliter, quam illi ſtatuere, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur.* Et hinc ſanctus Leo ad Pulcheriam Auguſtam: *Contra ſtatuta*, inquit, *paternorum Canonum, quæ ante longiſſima ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritalibus ſunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur; ita, vt ſi quis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quàm illa corrumpat.* Audirent etiam Beatum Gregorium in multis ſui non *Regiſtri*, ſed *Regeſti* epiſtolis Nicænæ Synodi decreta affirmantem: Reponerent interius & illud Gregorij, quod & prius dixi: *Conſona ſanctis Patribus definitione ſancimus: vt, qui ſacris neſcit obedire Canonibus, nec ſacris miniſtrare, vel communionem capere ſit dignus altaribus.*

S. Leo, epiſt. 53.

Idē Epiſt. 55.

Si dicunt hæc noua emerſiſſe, tertium nunc Catonem de cælo cecidiſſe, audiant Papam Cæleſtinum: *Nulli ſacerdotum ſuos ignorare licet Canones, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit * legibus obuiare. Non pretereant, non abradant pronomen SVOS. Nam Canones proprij ſunt ſacerdotum, vt lex Moyſi, & lex Iudæorum. Vnde eis Dominus: In lege*, inquit, *veſtra ſcriptum eſt. Et de eis in lege eorum ſcriptum eſt.* Hinc patet, quia, ſi, vt Cœleſtinus affirmat, illi ſunt ſacerdotes, quorum ſunt Canones, tunc, quorum non ſunt Canones, nec erunt ſacerdotes. Sed hæc hactenus.

Cæleſtinus, I. Epiſt. 2. * regulis.

Ioan. 8. Ioan. 15.

Cùm tui, venerande Pater, recordor, exclamare compellor: O me infelicem, imò infeliciſſimo infeliciorem: quod ego olim digitis tuis probatiſſimam diſtillando myrrham, mihi quid agendum præſcribentibus, nō obediui. quod, inſtar aſpidis ſurdæ, aurem tuis monitis obturaui. Nunc enim arguit me illud Salomonis: *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti; ſic in ore ſtultorum parabola.* Nam ſicut temulentus ſpina in manu detenta ſeipſum in primis vulnerat: Ita me mea ſententia ſui laqueo ſtrangulat: ita me proprio meo gladio iugulat. De lege ſua me DEVS docendo mitigare mihi à diebus malis voluit: ſed fateor tibi, ſancte Pater, quia tibi factus ſum in medio fornacis *es*, murmurando ſtannum, vt dealbatus paries meliora mentiendo; ferrum, proximis nocendo; plumbum, ſemper ad infima vergendo. *Curauimus*, ait Domi-

Prou. 26. Hieremi. 51.

Digitized by Google

Dominus, *Babilonem, & non est sanata. Crepuit*, dicit scriptura, *in fornace*: qui non caruit vento superbiæ. Hinc ego expallens illud Domini in Ezechiel dicentis: *Ve ciuitati sanguinum: cuius ego grandem faciam pyram*: licet DEVS in me fecerit viam semitæ iræ suæ. Illam tamen desidero iram, de qua Hieronymus: *Grandis*, dicit, *offensa est, postquam peccauimus iram DEI non mereri: vt illam declinem iram, de qua Psalmista: Exacerbauit Dominum secundum misericordiam iræ suæ, non quia idem peccator licenter peccat: sed nimia DEI iræ est, quod peccanti, prospera arridant: quod nequitia eius non retunditur: quod eius sceleri pro meritis non respondetur.*

Ezech. 24.

Psal. 10.

Et ne diutius delinquam maiestatem animi à maioribus demorando, tuos deosculans pedes, tua amplectens genua, clamo tibi Pater & domine; vnum pietate, alterum dignitate, precans indulgentiæ gratiam, quam sæpe tibi vale facienti seniori meo sanctissimo* Rumoldo hodie cælestis aulæ domestico dederas: precans leuatæ manus tuæ mereri benedictionem: cui nullus distat locus: precans vt in illo ineffabili iubilo, quo cælum penetras, quo diuinam promulces aurem, mei non obliuiscaris: qui tui saltem tunc memor existo, cum tui conuersationem, tritamque viuendi semitam deuotus exopto. Vix refrenata penna dicam inuito ore; Vale gloria Israël, vale curiæ cælestis conscriptæ senator. Insipiens factus sum loquendo dices mihi: Respondeo: coëgisti me. amori modum suadens, perdes operam.

* *An hic ille est Rumoldus, qui fuit primus præpositus Gosleriensis, & postea Episcopus Constantiensis; de quo in Vita S. Bennonis ca. 12. & apud Lambertū Ann. 1069.*

Valeas & tu optatæ indolis, BERNALDE, flosculę vernans, rogatus cum illo Apostoli ad Philippenses: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si qua viscera miserationis*, vt citius dictatæ tibi à Domino tuo materiæ mereat literas omni nectare mihi sapidiores, tum tantum tuam, Dominique tui salutem mihi referentes. Tu, tibi, moneo, non desis, præsentaturus te nobis talem, qualem ego te nescio, vtrum magis optem, an sperem. Opto quippe ex illo, quem in te habeo, affectu. Spero ex debitæ virtuti tuæ parentelæ respectu.

Philip. 2.

EPISTOLA TERTIA.

DOMINO, ac Reuerentissimo sacerdoti BERNARDO non iam nugacem lyram Horatij, sed mysticam citharam Dauid, fructuosius sibi, & suis auditoribus amplexanti, ADALBERTVS ætate Presbyter non moribus, eiusque Bernaldus, ex vtroque homine certissimi seruiminis affectus. De dulcissimo vestri rescripto, vobis condignas grates referre non sufficimus: sed hoc omnium bonorum retributori, vt ipse vobis retribuat, obnixa supplicatione committimus: quem & vos, in nobis tam charitatiua responsione, tam laborioſa rescriptione non dubitamus honorasse. Sed quia nonnulla in eodem rescripto, nos mouent, de experta vestræ prudentiæ beneuolentia securi, iterum vos inquietare præsumimus: iterum vestræ diligentiæ iudicium super nonnullis obscuris ardenter exspectamus.

De primatu igitur sanctissimæ sedis Apostolicæ satis eleganter charitas vestra nobis scripsit. quam licet aliquando ab indignis possessam, semper tamen omnibus Ecclesiis esse præferendam, ex decretis S S. Patrum euidentissimè probauit. Huius etiam sedis Pontifices pro tempore à subditis admonendos fore, non tamen temerè proscribendos, Christianissima pronunciatione docuistis, videlicet vt eiusdem sedis primus possessor à coapostolo eius Paulo charitatiua liberalitate admonitus est, non vt S. Athanasius Alexandrinus Patriarcha ab Arianis hæretica vsurpatione depositus est.

Tractatum vestrum de ordinibus iudiciorum gratissimè suscepimus,

quem ita expressum, ac testimoniis SS. Patrum ita roboratum, & nos postmodum in quodam libello reperimus. Duos quippe iudiciarios ordines esse nobiscum sentitis: vnum, de dubiis, alterum de manifestis. Sed ordinem de manifestis in duas species subdiuiditis. Vnam quidem, cum reus & obiecta se fecisse, & faciendo peccasse, fatetur. alteram verò, cum reus se obiecta fecisse, sed in hoc non peccasse fatetur. Nos tamen hanc posteriorem vestræ subdiuisionis speciem in nostra diuisione comprehendimus infra modum de dubiis criminibus. Dicimus enim ex iudiciariis ordinibus, hunc, fieri de dubiis: illum verò de manifestis criminibus. Nec hoc me quilibet dixisse putet, quasi vestræ diuisioni præiudicemus, sed ideo potissimum, vt vtrarumque diuisionum concordiam ad inuicem denotemus. Nam vtraque diuisio, vt nobis videtur, stare poterit. Si vestra prudentia non aliter iudicauerit. Illa enim vestræ diuisionis species, in qua factum conceditur, culpa denegatur, partim manifesta, partim dubia probatur. Factum enim, quod conceditur, manifestum est: sed idem ipsum, an pro crimine sit habendum, summoperè dubitatur. Non ergò mirum eandem speciem diuerso respectu, nunc dubiis, nunc manifestis adscribi: sed nos magis illam dubiis interposuimus: quia diuisionem iudiciorum non generaliter inter facta: sed, inter crimina fecimus iudiciariorum ordinum. Alij, fiunt de dubiis criminibus; alij, de manifestis.

Vnde prædicta vestrę diuisionis species, in qua, concesso facto, an crimen sit, dubitatur: non incongruè in nostra diuisione dubiis annumeranda videbatur. Vos autem iudiciarios ordines non inter crimina, sed absolutè inter occulta, & manifesta diuisistis: vnde, & prædictam speciem, in qua denegata culpa, factum conceditur, sine contradictione manifestis annumerare potuistis. Illud etiam, quod singularum discussioni causarum Synodicam vocationem prærogari vultis, & nos vtique laudamus. Nam & decreta SS. Patrum itidem præcipiunt, quippe, vt dubiis rebus infamati, ad conuentum sacerdotalem vocentur, per Canonicas inducias exspectentur, tunc demum, si venerint, in conuentu audiendi. aut, si venire noluerint, pro contemptu à communione suspendendi. Hoc, inquam, illis iure conceditur, qui de obiectis aut nihil se fecisse fatentur: aut hoc, quod fecerint, crimen esse diffitentur.

Nec hoc etiam negamus: quin & publicis criminibus obligati ad Synodale iudicium, pro contemptu vocentur, vt tanto cautius, tanto irrefragabilius, & demum Ecclesiæ tanto fructuosius, quanto à pluribus auditi iudicentur. Sed hanc Synodicam vocationem nullatenus tam generalem ponere audemus, vt ipsius Apostolicæ sedis priuilegiũ, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino ei concessum infringere tentemus. Est enim priuilegium sedis Apostolicæ, vt nulla proueniente Synodo, quoslibet damnandos possit damnare, & reconciliandos, reconciliare, vt Beatus Gelasius in decretis ad orientales Episcopos directis, ostẽdit, in quibus Achatium Constantinopolitanum Patriarcham absq; omni Synodo Canonicè ab Apostolica sede damnatum irrefragabiliter probauit. Scribit enim inter cætera: *Cuncta per mundum nouit Ecclesia; quod sacrosancta Ecclesia Romana, de omni Ecclesia fas habeat iudicandi: neque cuiquam, de eius liceat iudicare iudicio; siquidem ad illam, de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Sed nec illa prætermimus, quod Apostolica sedes sine vlla Synodo præcedente, exsoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Et hoc nimirum pro suo principatu; quem beatus Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit semper, & retinebit. *B. Gelas. in Epist. 11.*

Huius ergò priuilegij auctoritate sanctissimi Romanæ sedis Episcopi, absque omni Synodo damnare consueuerunt: quorum contumaciam, ex cuiuslibet indubitabili relatione cognouerunt. Hoc vtiq; illius scientiam *Matth. 16. Ioan. 21.*

non

non subterfugit, quicunque regestum S. Gregorij, & reliqua SS. Patrum decreta, diligenti consideratione percurrerit. Sic, inquã, Maximus Salonitanus Episcopatui præsumptuosè intronizatus à B. Gregorio absq; omni Synodo pro hac præsumptione missarum celebratione priuatur. Quem S. Gregorius non tam pro manifestis quàm pro dubiis criminibus ad se vocatum, videlicet, quem Simoniaco schismati, siue mulieribus mistum fuisse, non pro certò nouit, sed infamatum audiuit. De quibus etiam criminibus idem Maximus, se postmodum iuramento expurgauit. Si enim eum tam indubitanter Simoniacum siue fornicarium, vt præsumptuosum nosset, absque omni vocatione, siue discussione, iuxta prædictum Apostolicæ sedis priuilegium damnare illum posset.

Lib. 5. ep. 3. Eodem lib. epist. 25.

Item lib. 7. epist. 83.

Præterea, si nullum, licet in crimine vulgatissimum, nisi post synodicam vocationem iudicandum fore censemus; multum Ecclesiasticæ correctioni derogamus, nimiam multitudinem *catrinarum ad Synodum differemus: imò hac occasione plurimas negligendas fore non dubitamus. Sed Ecclesiarum consuetudo hoc obtinuit, vt non solùm Episcopus, sed etiam vnus solus presbyter subditum suum manifesto crimine obligatum, canonico iudicio subiicere valeat, nec eum, nisi eius iudicio inobediens extiterit, ad Synodum venire compellit.

*causarum forte leg.

Nec ociosè considerandum, quod S. Patres absq; omni Synodo etiam de dubiis criminibus iudicare solebant: non quidem definitè, sed sub quadam iudiciaria condicione. Vnde S. Gregorius Andream Tarẽtinum Episcopum, pro quadam concubina post ordinationem suam infamatum ita iudicauit, vt sacerdotale officium penitus deponeret; si, eum conscientia sua, de illato crimine, culpabilem assereret.

Sed iam ad causam nostram veniamus, quam etiam, vt euidentior fiat, breuiter, & fideliter literis commendare nõ pigeat: vt, ex fidelium virorum certissima relatione didicimus; quorum alios corpore quidem, non animo, Wormatiensi conspirationi; alios A verò Romanæ Synodo hanc eandem damnanti proculdubio interfuisse cognouimus.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis M. LXXVI. Gregorio Papa VII. in Apostolica sede constituto, cum Heinricus Rex iam per tres annos pro suis reatibus ad pœnitentiam multotiens ab Apostolica sede vocatus resipiscere nollet: cumque se in proxima Romana Synodo excommunicandum fore præsciret; tale consilium à simoniacis, siue excommunicatis accepit, vt omnes sibi subiectos ab Apostolico præsule separaret: sic, quod sanctam Romanam Synodum deauctoraret; tunc in prima Quadragesimali hebdomada futuram, & illum cum suis complicibus excommunicaturam. Accepto igitur consilio, ante eandem Synodum, in septuagesimam generale Colloquium apud Wormaciam condixit. quò, præter regni sui Principes, quàm plures Episcopos, & reliquos suos fideles, vel potius infideles congregauit. Qui pœnè omnes aut simoniaci, aut excommunicati, aut eorum complices indiuidui se Romani Pontificis censuram subituros non dubitabant, si Rex resipiscens Apostolicæ sedi obediret, eiq; in Ecclesiasticis negotiis debitum adiutorium impenderet vellet. Quapropter ex Regis insolentia, occasione accepta Regi non tã consenserunt, quàm persuaserunt, vt literas proscriptorias omnium eorum manibus, per subscriptionem roboratas ad Apostolicam sedem transmitteret: quibus, quasi proscripto Romanę sedis Episcopo, Synodus Romana Regem excommunicatura, nihilo minus cassaretur: sicq; ipsi cum Rege ab Apostolicę sedis censura liberarentur. In prædictis sanè literis, post multas Romani Pontificis blasphemias, hoc singuli sua subscriptione confirmauerant, vt nollent deinceps huiusmodi criminoso subesse, vel aliquam obedientiam exhibere.

Lege de hâc Bertoldum seu Bernaldum nostrũ in Chronico anno M. LXXVI.

His ergo literis in Romanam synodum delatis, iuxta posse eorum, eandem per legatos suos disturbauerant, & Apostolicum præsulem, in Romana synodo turpiter blasphemantes, eum

non confeſſum, nec alicuius criminis conuictum, ab Apoſtolica ſede, vt viliſſimum mancipium iuſſerant deſcendere. Præterea ex præcepto præfati Heinrici Francorum Regis, non vtiq; Romani Imp. cunctę Romanæ ſynodo contumaciter interdixerant, ne domno Apoſtolico paſtori ſuo vllatenus obedirent: paſtori, inquam, ſuo, cui eatenus obedierant, quem eatenus pro legitimo paſtore, vt canonicè ordinatum, vt canonicè in ordine ſuo conuerſatum habuerant: cui etiam prædictus rex debitam obedientiam ſpeciali promiſſione deuouerat: quem, diuerſorum regnorum Præſules, & Principes, pro S. PETRI Vicario honorauerant.

Hunc igitur non confeſſum, non conuictum, imò nec, ſi reus eſſet, ita, vel ab huiuſmodi conuincendum prędicti conſpiratores per legatos ſuos degradare volebant: qua temeritate, imò quo veſaniſſimo furore, nec cauponem ſuum quilibet deſtituere permitteret. Nam vt B. Marcellinus Papa omnibus orthodoxis ſcribens capit. 11. teſtatur: *Epiſcopi, Pontifici, à quo conſecrati probantur, præiudicium inferre nullum poſſunt.* Item, B. Anacletus Papa à B. Petro preſbyter ordinatus: *Sententia*, inquit, *quòque Cham filij Noë damnantur, qui ſuorum doctorum, vel præpoſitorum culpam produnt; ceu Cham, qui Patrũ pudenda non operuit, ſed deridenda monſtrauit. Doctor autem, vel paſtor Eccleſiæ, ſi à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus: ſed, pro reprobis moribus magis eſt tolerandus quàm diſtringendus.* Item ſanctus Alexãder Papa: Item S. Sixtus præſul Apoſtolicus, qui omnes mori magis, quàm mentiri voluerunt. Ij, inquã, ſinguli eâdem auctoritate præcipui, eiſdem penè verbis ſtatuerunt. *Si qui*, inquiunt, *aduerſus Epiſcopos cauſam habuerint, prius ad eos recurrant, caritatis ſtudio, vt familiari colloquio commoniti, ea ſanent, quæ ſananda ſunt. Si autem aliqui eos, priuſquam hæc egerint, lacerare, accuſare, infeſtare præſumpſerint, excommunicentur.*

Anacletus epiſt. 3. Gen. 9.

Has igitur, & huiuſmodi innumerabiles SS. Patrum ſententias, ſi illi noſtri conſpiratores fideliter inſpexiſſent, nullatenus ſuum, vtputa primæ ſedis Epiſcopum, tam repentina vituperatione, non conuẽtum, non confeſſum exſufflaſſent: nec ſe ipſos, pro tam temerario auſu ſub pernicioſa excommunicatione enecuiſſent. Nempe, ſi culpabilis eſſet peregrinorum, tamen Epiſcoporum iudicio iuxta canones, nec diſcutiendus eſſet, ne dum temerè deponendus: ſed potius in Romana ſynodo audiendus: ſi tamen de dubiis rebus, niſi ipſe vellet, vel vſquam, vel à quoquã, iuxta Canones diſcuti poſſet. Scriptũ eſt enim: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Vnde S. Silueſter Nicænorum Canonum auctor, generali Synodo præſidens, conſenſu CC. LXXVII. Epiſcoporum cap. 7. ſtatuit dicens: *Nemo iudicabit primam ſedem, iuſtitiam temperare deſiderantem. Neque enim ab Auguſto; neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Item Symmachus Papa omnibus Epiſcopis ſcribens, cap. 7. decreuit dicens: *Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminare. Sacro verò ſanctæ ſedis Romanæ præſulum, ſuo, ſine quæſtione, reſeruauit iudicio.* Item S. Alexander Papa, qui martyrio ſua conſecrauit decreta, cap. 1. teſtatur. *Non poteſt*, inquit, *condemnari humano examine, quem Deus ſuo reſeruauit iudicio.*

Matth. 10.

Sed tempora prius conſumeremus, quàm exempla. ſi, ſingula huiuſmodi SS. Patrum ſtatuta enumerare tentaremus. Quippe prædictus Papa Symmachus, Catholicæ fidei propugnator indefeſſus, cum plurimis criminibus infamaretur, nec ab Ariano Rege Theodorico tunc Romanis imperante, tam temerè proſcribitur: ſed in ſynodo Romana, non ab alio, niſi ab illo legitimè congreganda, diſcutiendus exſpectat. Synodus igitur Romæ per auctoritatem ipſius congregata, nullatenus tamen eum, licet hoc permittentem, contra decreta ſanctorum Patrum diſcutere præſumpſit: ſed totam eius cauſam diuino iudicio, vt geſta eiuſdem ſynodi teſtantur, commiſit. Nec hoc vtiq; dicimus, quaſi quælibet nefanda Romano Pontifici impunè licere credamus: quaſi non & ipſe ſit impetendus, ſi in aliqua hæreſi fuerit publica-

blicatus, sed contra illos agimus, qui pro dubiis rebus, Apostolicæ sedis Episcopum temerè iudicauerunt expellendum.

Ipse quidē noster Apostolicus multotiens hoc à suis insidiatoribus expetiuit, vt Romæ, vel alibi, quò ipse posset venire, in synodo conuenirent: & eo hoc libenter concedente, ordinationem eius, siue conuersationem, vtcunque vellent, duntaxat canonicè discuterent: seque ab Apostolica sede, absq; omni contradictione descensurum promisit: si quid in eo dignum depositione reperirent. Et hoc vtique sibi facilè credi potuit, qui id culminis captus, atq; eò actus cum magno eiulatu ascendit: cui, nec diuitias, nec honores seculares in Romano Pontificatu quærere opus fuit: quibus vtrisque cum minori solicitudine & ante Pontificatum abundauit.

Sed eius insidiatores hactenus eum præsentialiter conuenire spreuerunt: non tam, vt qualibet ratione se ab huiusmodi accusatione suspenderent: quàm, vt ipsi debitam sententiam, pro suis criminibus ab illo non exciperent. Nam, vt beatæ memoriæ Bonifacius Papa testatur: *Nullus dubitat, quòd ita iudicium nocēs subterfugit, quemadmodum, vt absoluatur, qui est innocens, quærit.*

Bonifacius I epist. 2.

Apud Wormatiam igitur conuentu facto, schismaticam conspirationem aduersus Dominum, & aduersus Christum eius conflauerant, quam, vt prædictum est, ad deauctorizandam sanctam Romanam synodum per legatos suos in eâdem synodo publicauerant. Vnde Romani ciues de sanctæ Romanæ Ecclesiæ dehonestatione meritò commoti, prædictorum legatos omni pœna dignissimos arripiunt, & vel aliquatenus eorum immanissimū scelus vlcisci voluerunt. Sed Romanus Pontifex, licet à prædictis legatis, specialiter impeteretur, tamē de manibus Romanorum crudeliter eos afficientium vix demum eripuit; & sedata turba, factoq; silentio eos ad pedes suos sedere fecit. Ea quidem ratione, vt ipsi audirent; quid sancta Synodus de huiusmodi schismatica conspiratione in eâdem Synodo ad iniuriam ipsius manifestata decerneret.

An. Christi M. LXXVI. lege Baron. Tom. Vndecimo anno M. LXXVI.

Decreuit igitur sancta Synodus, vt officio, & communione priuati essent: quicunq; illam nefariam conspirationem, & contumacissimam legationem studio, & voluntate conflassent. Reliquis autem omnibus eiusdem conspirationis participibus, inducias concessit, vt infra festiuitatem S. Petri, tunc proximam, se aut coactos deliquisse, missis legatis probarent; aut prædictorum excommunicationi, vt eôdem crimine obligati subiacerent.

Regem verò post multas admonitiones resipiscere nolētem, imò huius schismaticæ conspirationis auctorem, regno priuatum sub anathematis vinculo Dominus Apostolicus ligauit: vt eidem etiam antè excommunicationem promisit. De cuius anathematismi Canonica promulgatione nullum dubitare confidimus: quicunq; illam epistolam Domni Apostolici fideliter considerauerit: in qua, ipse Regem sæpius à se præmonitum, multo tempore expectatum, & ita demum canonicè anathematizatum euidentissimè probauit. Quapropter speciali Regis causa prætermissa, quid sancti Patres de huiusmodi conspiratoribus generaliter definiuerint, videamus.

Sanctissimus Papa Fabianus, veritatis miles indefessus, omnibus Episcopis scribens; decreuit, dicens: *Si quis clericus suo Episcopo infestus, aut insidiator fuerit, eumque criminari tentauerit, aut conspirator fuerit: mox ante examinatum iudicium submotus à clero, curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deseruiat, & infamis absque vlla spe restitutionis permaneat.*

Item S. Callistus Papa, fortissimus veritatis athleta Gallicanis Episcopis scribens: *Conspirationum*, inquit, *crimina vestris in partibus vigere audiuimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare, nobis mandatum est. Huius criminis astutia non solum inter Christianos admirabilis est, sed etiam inter ethnicos, & ab exteris lege prohibita. Et idcirco huius criminis reos non solum Ecclesiastica, sed etiam seculi damnant leges: & non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores verò nostri, quàm plurima turba Episcoporum, quicunque eorum in sacerdo-*

tali

tali ordine sunt constituti, aut existunt clerici, honore, quo vtuntur, carere, præceperunt. Cæteros verò communione priuari, & ab Ecclesia extorres fieri iusserunt. Et, non solum facientes, sed eis consentientes.

Item sacratissimum Calcedonense Concilium, Euangelio in veneratione comparandum: cap. 18. irrefragabiliter decreuit dicens: *Si qui Clerici, vel Monachi reperti fuerint coniurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis, gradu proprio penitus abiiciantur.*

Ergo, quos SS. Patres, etiam ante examinatum iudicium degradandos esse, vel penitus ab Ecclesia abiiciendos districtissimè iudicauerunt, hos Domnus Apostolicus per synodale iudicium satis misericorditer vsque ad satisfactionem officio, & communione priuauit: quæ tamen eis nondum eo crimine expiatis, periculosa, imò pernicioſa fore, si vsurparentur, non ignorauit.

Forsitan aliquis eorum dicit; Non pro conspiratione habendum, quod contra illum factum fuerit, quem pro Episcopo habere noluerint. Sed ille, si tamen Episcopus est, audiat: Nunquid & se pro Episcopo habendum non esse decernit, si quis ex eius subditis eum in nulla hæresi publicatum; nec pro aliquo crimine damnatum, pro Episcopo habere contempsit? Non vtique credimus, dum adeò eis sapiat Episcopatus. Ergo non denegent suo pastori, quod sibi à subditis suis nollent denegari: sed iuxta illud sancti Leonis decretum; *obedientiam, quam à subditis suis exigunt, etiam ipsi Prælato suo dependant. Quippe & ipsi eum etiam eo tempore, cum conspirarent, pro Episcopo habendum fuisse modò demonstrant: cui pro eâdem conspiratione ad satisfactionem venire non cessant.* Nempe, si nullius conspirationis reatu obnoxij tenerentur, sine exemplo tamen iure damnarentur: qui, sine exemplo contumaciam suam in Romana Synodo publicare; & insuper eandem Synodum disturbare præsumpserunt. Incassum se absque synodica vocatione damnatos conqueruntur: cùm & hoc in Prouincialibus Synodis pro Canonico custodiatur, vt cuiuslibet contumacia in Synodo publicata, nullatenus exeat impunita: licet, ad ipsam Synodum deauctorizandam ibi perpetrata non detegatur.

Præterea Romanæ sedis Episcopus, iuxta priuilegium suum, vt iam prælibauimus, absq; omni Synodo damnare potest, vel reconciliare quoslibet damnandos, vel reconciliandos. Sic enim S. Gregorius ad Ianuarium Caralitanum Episcopum scribens, consiliarios eiusdem Episcopi nulla synodica vocatione præuentos, vsq; ad satisfactionem à communione priuauit: per quorum consilium idem Episcopus Dominicorum die messem quorundam furiosa mente exarauit. Nihilo minus & nostri temporis Gregorius ad nullam synodum vocatos: attamen præsentario crimine obligatos damnare potuit. Per quorum consilium, HENRICVS Rex messem non terrenam, sed Ecclesiasticam noua præsumptione penitus deuastare tentauit. *S. Greg. lib. 7. epist. 67.*

Item S. Gregorius Ioannē primę Iustinianę Episcopum nulla synodica vocatione prævętum excommunicauit: eo quod ille iniustè Adrianum Thebanæ vrbis Episcopū deponere præsumpserit. Sic vtique & noster Apostolicus Episcopos indubitatæ contumaciæ nō vocatos excommunicare potuit: qui non vnum solum modò Episcopum, sed totam Romanam Synodum deauctorizare tentauerūt. Illud sanè exemplum illi nostri conspiratores secum agere putauerunt, iuxta cuius edictum, se rationabiliter excommunicatos esse non dubitabunt, si sacrorum Canonum lectores potius, quàm peruersores esse noluerint. *Lib. 2. epist. 6. & 7.*

Frustra quoque proclamant, secum agendum fore, eo iudicandi ordine, vbi manifestum factum crimen esse dubitatur. Nam, vt nobis videtur, de nullo facto, an crimen sit, est dubitandum; quod definitis sanctorum Patrum sententiis generaliter pro crimine damnatum manifestatur. Si enim ea, quæ illi generaliter, & synodaliter prohibuere, an culpæ sint, dubitauerimus: nihilo minus de eorum statutis, an iusta sint; dubitare videbimur. Quod B. Leo

Papa,

S. Leo epist. 78. Papa, Leoni Augusto scribens, penitus prohibuit. *Quæ patefactæ sunt*, inquit, *quærere: quæ perfectæ sunt, retractare; quæ sunt definita, conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdicta arboris cibum improbos appetitus mortifera cupiditatis extendere?* Idem in sequentibus: *De rebus*, inquit, *& apud Nicæam, & apud Chalcedonam (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas.* Idem ad Martianum Augustum: *Si quid vsquam*, inquit, *aliter quam SS. Patres statuêre, præsumitur, sine cunctatione cassabitur.*

Ergo illi nostri conspiratores manifestum factum suum an crimen esset, incassum discuti voluerunt, quod & ipsi à definitis sanctorum Patrum sententiis pro crimine damnatum indubitanter nouerunt. Vnde non, vt dubiis criminibus obligati per inducias erant exspectãdi, imò, vt contumaces, & apertissimi Canonum contemptores absque dilatione erant damnandi: de quibus diuina scriptura apertissimè sanxit; vt Carthaginense Concilium capit. 5. constituit, non est differenda sententia, sed potius exequenda. Vnde *S. Greg. lib. 2. epist. 27.* & S. Gregorius Matiniano Abbati, &c. scribens, testatur dicens: *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, insequi, vel vlcisci differimus, ad iracundum vtique diuinitatis patientiam prouocamus.*

Item piæ memoriæ Damasus Papa scribens ad Stephanum Archiepiscopum Mauritaniæ, & reliquos Episcopos Africæ: *Qui potest*, inquit, *obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud est, quàm eorum fauere impietati.*

Tres modos anathematismi, quos Triburiense Concilium nobis præscribit, non tam generales affirmare præsumimus, vt nullum absque synodica vocatione damnandum fore contra sedis Apostolicæ priuilegium asseramus: satiusq; nobis, si & vobis; ita videtur, vt idem Concilium potius aliquem modum anathematis dicatur prætermisisse, quàm Apostolicæ sedis priuilegio præiudicasse.

Singulis autem obiectionibus, siue, vt verius dicam, reprehẽsionibus conspiratorum respondere non necessarium æstimamus, quibus culpam tuam nullatenus expurgauerant, sed peruersa interpretatione scripturarum, Romano Pontifici derogando, crimen suum duplicauerant. Nam periurium, quod eum feciſſe confingunt, etiamsi eorum subditus esset, oportuisset tamen, vt eum non confessum, prius, feciſſe conuincerent, quàm illud in eo tam tyrannicè vindicassent. Quòd si, vt fingunt, iurasset, vt per consensum Heinrici Regis Romanus Pontifex eligendus esset, nunquam tamen, quod & vos cautè præuidistis, obuiando Romanæ electionis priuilegio, se anathematizare deberet: præcipuè, cum canones dicant, definitio incauta, laudabiliter est soluenda. Nec præuaricatio est, sed temeritatis emendatio.

Amplius: Si quis anachoreta, vel Inclusus, qui solitariam vitam Deo firmissimè promiserat, ad Episcopalem gradum expetuntur, nunquid promissionem suam, licet cautissimè factam, magis quàm Ecclesiæ causam attendere debebunt? Non planè. quod & nostri Conspiratores non inuiti concedunt. quorum quidã ad Episcopatum etiam monachali habitu penitus abiecto conuolarunt. Ergo si & cautissima promissio pro causa Ecclesię laudabiliter soluitur; quanto magis in causa, quę etiam sub anathemate impleri prohibetur. Nec hoc vtiq; dicimus, quasi Domnum Apostolicum ita vnquam iurasse credamus: sed ideò maximè, vt etiam si feciſſet, quod non fecit, non ob hoc tamen ita proscribendum esse probaremus.

Sententiæ autem SS. Patrum, quas enumerant de compescenda Prælatorum superbia, siue de damnatione temeraria, ipsos maximè percellunt: qui non modò in subditos, sed in ipsum prælatum suum noua præsumptione superbierant. quem ab Apostolica sede, vt seruum suum descendere, singulari contumacia præceperant. Sed hæc hactenus.

Omnipotenti Deo condignas grates compensare nequimus, cuius gratia nobis cõcessit, vt in hoc periculoso tempore, in quo omnes, quæ sua sunt, quæ-

quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, adulterantes Verbum Domini, vos ſaltem habeamus, cui veritas audita, nares nõ contrahat: imò cui præconium veritatis, quanto liberius, tanto dulcius ſapiat. Nõ enim alij tam liberaliter, tam infucatè loqui præſumeremus: quem non tam veritatem rerum, quam aliquod priuatum ſtudium per ſingula interpretaturum putaremus. Hoc, inquam, nefas eſſet de vobis vel ſuſpicari: qui ipſum præconem veritatis pro ſacrario Spiritus ſancti venerandũ fore iudicaſtis. Experti igitur veſtræ prudentiæ ardorem ad indagandam, ſiue denuntiandam rerum veritatem, potiſſimum veſtrum expectamus iudicium de his rebus, de quibus adhuc dubitamus.

De ſimoniacis igitur precamur, vt prudentia veſtra nobis apertius ediſſerat, ſi & illi pro hæreticis deputentur, qui propter ſacros ordines aliqua Eccleſiaſtica officia, vt decaniam, præpoſiturã, emunt vel vendunt. Non negamus quidem & eos probabiliter poſſe vocari ſimoniacos, vtpote de ſpiritali officio ſeculare lucrũ quærentes: quos & ab eiſdem officiis iuxta canones pellendos eſſe cenſemus: ſed cur pro hæreticis ſint deputandi, ex teſtimoniis SS. Patrũ euidentius doceri vellemus.

B. Greg. lib. 4. epiſt. 55.

Sanctus videlicet Gregorius in decretis ſuis illud ſpecialiter ſimoniacã hæreſim vocare videtur, cum manus impoſitio pro pecunia emitur vel venditur. Illud etiam nobis ſcribere dignemini; ſi & illi pro hæreticis habentur, qui * per aliud munus, niſi à manu ſacra officia emerunt, vel vendiderũt. Nam illos magis ambitioſos cenſeri vellemus, quàm ſimoniacę hæreſis obnoxios, ne penitus Eccleſiaſtica ſacramenta proſcriberentur, quæ penè omnino hactenus à ſolis huiuſmodi ambitioſis vſurpata non ignoramus.

**hoc eſt*, nõ per pecuniam; *hanc enim vocabant*, munus à manu, *vt patet ex lib. 1. S. Anſelmi cõtra Guibertũ, qui vocãt ſeruitia munerũ, quib. Eccleſiaſtica beneficia emebãtur*: munus à manu, mun' à lingua: munus ab obſequio.

De eo autem, quod ſcribitis Sacramenta à ſimoniaco nondum publicato vſurpata, ſcienti quidem non eſſe Sacramenta, ſed neſcienti: necdum ſideliter intelligere potuimus. Nam eſſentiam rerum nõ ſolet in contrarium ducere contrarietas opinantium. Ergo ſi Sacramenta quoquo modo veraciter ab aliquo ſimoniaco conficiuntur: quomodo alicui eius hæreſim ſcienti inconfecta veraciter probabuntur? Credibile quidem videtur corporales res in altari poſitas per ſacerdotalem benedictionem ex conſenſu Eccleſiæ in diuina poſſe conuerti Sacramenta, etiam inter manus hæreticorum, nondum tamen in Eccleſia publicatorum. Quæ, inquam, Sacramenta proſcribere timemus; vel apud illius ſcientiam, qui ſolus, vel alter ſacrificantis hæretici cognouerit dementiam. ſatius nobis videretur, vt eadem & ipſi hæreti-B co conficienti, & alij eius hæreſim ſcienti, Sacramẽta eſſe crederetur, quàm eadem eſſe, & non eſſe ſtatuerimus, videlicet, vt eadem oblatio & offerenti hæretico, ſiue eius ſocio ad damnationem, ignoranti autem Catholico ad ſalutem prouenirent. Nam S. Auguſtinus, vbi neophytos, licet ante communionem morte præuentos, non tamen eos Sacramento priuari teſtatur, non de re, ſed de virtute Sacramenti dixiſſe videtur, vt ille Sacramenti virtute non careat, quem extrema neceſſitas, à reali communione ſuſpendit. C Et nos vtique omnes, ſi Catholicæ fidei nõ ceſſamus cooperari, nunquam eius Sacramenti virtute priuamur, licet ipſam rem Sacramẽti rarius ſumere ſoleamus. ſic vtique facilius vos intelligere poſſemus, ſi diceretis quemlibet Catholicorum ab eo, quem neſcit hæreticum, non rem Sacramenti percipere, quam nec hęreticus poteſt conficere, ſed virtutem Sacramenti, non ex illa perceptione, ſed ex propria fide. Hoc, inquam, intelligibilius nobis videretur, quàm idem panis in diuina Sa-D cramenta confectus, & non confectus diceretur. Apertius igitur nobis intimate, quid de huiuſmodi Sacramentis debeamus iudicare.

Sententiæ autem veſtræ de ordinatis ab hæretico, iterum ordinandis à Catholico, illud repugnare videtur, quod quàm plures hæreticorum clericos ad Catholicam conuerſos in ordinibus ſuis legimus acceptos, non vtiq; reconſecratos, videlicet vt Nicænum Concilium capitulo 8. Nouatianos: & Africanum capit. 35. Donatiſtas, recipindos

piendos esse in suis ordinibus, non reconsecrandos decreuit. Nempe Nicænum Concilium solummodò clericos Paulianistarum à Catholicis reordinandos constituit: quorum etiam baptizatos, à Catholicis baptizandos esse decreuit. Hæc enim hæresis non faciebat inuocationem S. Trinitatis.

Damasus autē Papa scribens ad Prosperum primæ sedis Numidiæ Episcopum, & reliquos Episcopos, vestræ sententię de reordinationibus adstipulari videtur, si tamen in exemplari non fallimur: *Per illam illicitam manus impositionem*, inquit, *vt paulo superius prælibauimus, vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepisse, habebant. Et, vbi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula: Id est, reiterari necessum est, quod legitimè actum, aut collatum minimè probatur, si perfectū esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo accepit, qui potestatem dare legitimè non habuit, inuenire non possum.**

B. Damas. epist. 3.

* *Hoc Damasi dictū, & similia intelligi debent vel de ordinatorum cum Ecclesia cōciliatione; vel reordinatione vera, si quis validè ab Haretico vel Schismatico non fuerit ordinatus: cū scilicet ordinatus ordinādi nec eius nec potestatem habuit.*

Harum igitur sententiarum repugnantiam concordare nescimus, nisi hoc auctoritati sedis Apostolicæ, cum consensu sanctæ matris Ecclesiæ licitū fortè dicamus, vt pro aliqua temporis necessitate ordinatos ab hæreticis, per inuocationem S. Trinitatis in ordine suo non reconsecrādos suscipiat: quos tamen aliquādo ad euidentiorem hæreticæ ordinationis proscriptionem reconsecrari præcipiat. Nullam enim consecrationem videntur aliquibus accepisse ab hæreticis. quippe iam dudum omni spiritali gratia priuatis, vt B. Iudas Apostolus de eisdem testatur: *Hi sunt*, inquit, *qui segregant se ipsos, animales, spiritum non habentes.* Vnde B. Innocentius: *Hæretici*, inquit, *cum à fide Catholica desisterent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt.* Hinc igitur coniicitur, ordinatos ab hæretico, non cōsecrationem aliquam accepisse, sed solam formam consecrationis, absque virtute sanctificationis, quæ vtiq; forma, siue accepta virtute sanctificationis, ex consensu sanctæ Ecclesiæ, à conuersis retineatur, siue per iterationem penitus proscribatur: ad præsens non occurrit, quod rationabiliter obiici possit. Nam illa obiectio, quæ dicit, in-

24. q. 1. c. 30.

Hæc disputantur ab Adalberto

uocationem sanctæ Trinitatis, licet ab hæretico factam non esse annullādam, facilè refellitur: cum Ecclesias item ab hæreticis per inuocationem S. Trinitatis consecratas reconsecrare iubeamur, vt S. Ioannes præsul Apostolicus, illius nominis primus diuersis Episcopis scribēs decreuisse legitur: *Ecclesias, inquit, Arianorum, vbicunq; inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus, & operibus absque vlla mora consecrate: quia & nos fecimus, cum pro causa Theodorici Regis Constantinopoli fuissemus.*

& Bernaldo non per assertionē sed inquisitionis gratia.

Ioānes Papa I. ep. 2.

Nempe sacri baptismatis formam in nomine S. Trinitatis, licet ab hæretico susceptam nō iteramus, ne præceptum ab Apostolo vnum baptisma præcipientis præuaricari videamur. Præterea, vt B. Felix Papa generali Synodo præsidens verissimè pronuntiauit: * *Nullus ad secundam tinctionem venire poterit, nisi primitus professo paganismo se Christianum denegauerit.* quæ denegatio, per iterationem baptismi iure vitatur; ne iuxta Nicęnum Concilium grauissimè puniatur. Hoc tamen indubitanter scimus, iuxta Apostolicas sanctiones, nullum ab hæretico ordinatum à Catholicis, vel in ordine suo recipiendum, vel reordinandum, nisi in hoc alicui temporis necessitati consulatur. Nam, vt prædictus Papa Innocentius asserit: *Hæreticus per prauā manus impositionem ordinato damnationem irrogauit. cui, quia remedium pœnitentiæ necessarium est, legitimæ ordinationis honorem habere non potest.* Item Africanum Concilium cap. 35. decreuit, vt ordinati in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis, secūdum transmarinum Concilium, exceptis his, per quorum susceptionem Catholicæ vnitati consulitur.

* *Non vult Felix III. epist. 7. ad Vniuersos Episcopos Tom. 2. Cōcil. Nona editio. est, qui Christum abnegarunt, denuo esse baptizandos, seu ad secundā tinctionē admittendos esse, Vt Auctor huius epistolæ intellexisse videtur; sed exaggerans scelus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, qui se rebaptizari permiserant ait, eos ad secundam tinctionem hoc est, ad iteratum baptismū peruenisse, nō potuisse, nisi Christū penitus negarent, & se paganos esse profiterentur; propterea perpetua pœnitentia consubuisse.*

Notandum quoque, quod in Africano Concilio cap. 75. decernitur: vt non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum.

Item sanctissimus Papa Gregorius scribens Ioanni Episcopo Rauennati: *Sicut*, inquit, *baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel in eodem iterum Ordine non debet consecrari: sed si quis forsitan cum leui culpa*

S. Greg. lib. 2. epist. 32.

ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentiæ indici debet, & tamen ordo seruari. Sed in his sententiis, vt nobis videtur, non tam hæreticorum vsurpationes, quàm Catholicorũ ordinationes iterari prohibentur. Nam consecratio, quæ nulli ab hæretico dari potest, vt probatum est, si à Catholico conuersis impenditur, non iterata, sed primitus impensa magis propriè dicitur. Si consecrationes excommunicatorum, vt hæreticorum nihili pendimus, B. Anastasij Papę sententiis ad Anastasium Augustum directis contraire timemus. qui Sacramenta non irrita fore contendit, quæ Acatius Patriarcha Constantinopolitanus, licet à Felice Papa iam dudum anathematizatus vsurpauit. Sic enim prædictus Anastasius Papa Augusto scribit. cap. 2. *Ideo (Acacium) cuius nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando sibi tantum nocuit. nam inuiolabile Sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit ei autem obfuit.*

Quod si est aliquorum in tantum se extendens curiosa suspicio, vt imagi- C
Felix III. netur prolato à Papa Felice iudicio, inefficaciter postea in Sacramentis, quæ Acatius vsurpauit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita diuina beneficia videantur, meminerit in hanc quoque partem similiter tractatum prævalere superiorem: quia non sine vsurpatione sacerdotij adiudicatus hoc egit. In quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum perti- D
nuit, quod tuba Dauidica canitur.

Psal. 67. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam: quod vniuersa cœlestium scripturarum testatur autoritas: sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur in Prophe-
Psal. 100. ta: *Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiam.* Vnde cum sibi sacerdotis nomẽ vendicauerit, condemnatus in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est: non populus, qui in mysteriis donum ipsius sitiebat, exclusus est.

A Huius igitur * Apostolici sententia vetare videtur; ne, vel excommunicati Sacramenta irrita fore censeantur: quod vestræ assertioni de huiusmodi Sacramentorum annullatione, non dubitatur repugnare: nisi fortè dicamus beatum Anastasium Papam non hoc dixisse de publicatis in anathemate, sed specialiter de Acacio, cuius damnatio nondum, eo viuente, publicata creditur. Nam ille excommunicatoriam Felicis Papæ epistolam noluit recipere, vt Liberatus in libro suo B testatur. In qua epistola mandatum est Acatio, vt se excommunicatum fore, non dubitaret, postquam eandem epistolam per Toleratum diaconum suscepisset. Sed legatus Apostolicæ sedis illam dare Acatio, vel publicare non præsumpsit, eo quod Imperator eius errori patrocinaretur. Si enim eius damnatio subditis suis publicata esset, iuxta beati Innocentij Papæ assertionem, ordinandis potius damnationem, quàm consecrationem irrogaret. Quod autem damnatio eius ita C occultaretur, inde satis probari videtur: quia Euphemius Episcopus successor Acatij, quærit à beato Gelasio *B Gelas. in 1. epist.* Papa, quando Acatius damnaretur: vt in epistola eiusdem Papæ ad eundem Euphemium continetur. Et nos quoque damnatos, quorum damnationem adhuc ignoramus, diuina Sacramenta conficere posse per consensum Ecclesiæ credimus: quorum tamẽ confectionem publicè damnatis adscribere non audemus.

D Quid aut vobis de his omnibus videatur, caritas vestra nobis rescribere non grauetur. Item, si consecrationes eorum, qui quondam Catholicè ordinati, nunc autem pro aliqua culpa sunt remoti, vt hæreticorum pro nihilo ducimus, sententiis S. Augustini contradicere videmur: qui & in damnatis Sacramentum ordinationis permanere in libro de bono coniugali testatur: *Si,* inquit, *fiat ordinatio cleri ad plebem con-* *S. Aug. lib. de bono coniugali cap. 24.*
gregandam etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in ordinatis Sacramentum ordinationis. Et, si aliqua culpa, quisquam ab officio remouetur, Sacramento

* *Anastasius.*

mento Domini ſemel impoſito, non carebit, quamuis ad iudicium permanente. luxta huius viri ſententiam, remoti etiam ab officio cum Sacramentum ordinationis retineant; diuina Sacramenta, licet ad damnationem ſuam, celebrare poſſunt; ſi tamen vobis non aliter videtur intelligendum.

Veſtra igitur deliberationis ſententiam exſpectamus de his omnibus, ſiue quæ nos ipſi, vtcunq; pro captu noſtræ intelligentiæ ſoluimus: ſiue quæ nos nondum ſoluere, ſeu intelligere potuimus: *Deus autem pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* 1. Theſſ. 5.

A enim idemque his tribus nominibus ſignificatur) *ex vitæ integritate, & Catholico nomine ſummam ſibi gloriam comparauit inter chronographos huius temporis; cui vt veritatis ſtudioſiſſimo, bene precamur.*

Hactenus igitur quinquaginta teſtes pro innocentia Gregorij VII. audiuimus, qui omnes Gregorio partim fuêre coætanei, partim nõ longè ab æuo illius remoti; partim alioqui fidei ſanæ & incorruptæ, & à ſtudiis factionum auerſæ; quorum nonnulli non modò eruditione, ſed & vitæ ſanctimonia ac miraculis inſigniter effulſerunt: quos qui vni Bennoni, & recentiorum Sectariorum inſanis vociferationibus poſthabendos exiſtimat; is neſcit quid *diſcant era lupinis*: & eſt cur indeſinenter à Deo flagitet: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* Pſalm. 12.

ILLVSTRISSIMVS CARDINALIS BARONIVS

TOM. XII. ANNALIVM ANNO Redemptoris M. C.

BERTOLDVS (Bernoldus ſeu Bernaldus, vnus

REFVTATIO EORVM, QVÆ BENNO ET HÆRETICI GREGORIO VII. OBIECTANT.

OBIICIVNT; *Gregorium malis artibus ad ſedem Pontificiam aſcendiſſe, abſque Cardinalium ſuffragiis, inſcio Imperatore; Magum fuiſſe, imò & hæreticum, & mortalium omnium teterrimum.* Reſpondeo, hæc omnia hauſta eſſe ex lacunis & criminationibus Bennonis, contra quem ſtant quinquaginta iſti, quos produximus, teſtes. Quis non credat potius quinquaginta teſtibus, quàm vni, præſertim tam inſulſo, indocto & barbaro, qualis eſt iſte Benno, cuius ſcriptum Sectarij ne aſpicerent quidem, niſi mendaciorum & calumniarum in Pontifices incondita fotrago eſſet. Nam quod Sutliuius, Savvbrandus, & alij dictitant, *hos omnes fuiſſe Pontificii adulatores, ac proinde fide indignos.* Reſpondeo; ſi iſti C fide indigni, quia Pontificis & Pontificiæ cauſſæ amici; fide indigniſsimus erit Benno, & tota colluuies hæreticorum Bennoni adhærens; qui palam immaniſsimos Pontificum omnium, præſertim Gregorij VII. ſeſe profitentur hoſtes; odiumq; pluſquam humanum non in pectore abſconditum, ſed in ore, lingua & calamo promptum publicè circumferunt. Vter quolibet tandem in iudicio, fide dignior habetur, apertus amicus & fautor: an capitalis hoſtis & oſor? Nam quod ad conſenſum Imperatoris attinet; fuit quidem electus Gregorius inſcio Imperatore, rei neceſsitate celeritatem electionis efflagitante: noluit tamen Gregorius confirmari, inconſulto Henrico Rege, vt ſupra audiuimus: Quocirca mox lega-

Digitized by Google

tionem de ſua Electione ad Henricum decreuit: tametſi, vt minimè legatos ad Regem miſiſſet, culpari haud poſſet, cum totum iſtud ius, quod Reges & Imperatores in electione & confirmatione ſummi Pontificis ſibi vendicabant, non fuerit ius, ſed iniuria; vt docet nominatim S. Anſelmus contra Guibertum Antipapam: An non inter epiſtolas Gregorij VII. exſtat vna Regis Henrici hoc titulo ad Gregorium lib.1. *Vigilantiſſimo & deſideratiſſimo Domno Papæ Gregorio Apoſtolica dignitate cœlitus inſignito, Henricus Romanorum, Dei gratia, Rex, debiti famulatus fideliſſimam exhibitionem.* Conſtat item teſtificatione plurium Auctorum, quorum teſtimonia iam audiuimus, Henricum initiò electioni Gregorij non contradixiſſe, donec poſtea à Guiberto, & à male ſuadis conſiliariis iterũ in præceps eſt actus. Idem teſtatur ea epiſtola, cuius inſcriptionem iam recitauimus.

Secundò obiiciunt: *Henricum iniuſtè à Gregorio communione fide ſubmotum fuiſſe.* At contrarium teſtantur omnes Auctores ſupra adducti, & hanc obiectionem ſatis ſuperque refellit Bellarminus, etiam ex ipſis Henrici fautoribus, qualis Abbas Vrſpergenſis & Auentinus: qui tyrannidẽ & ſcelera Henrici minimè valuerunt diſſimulare: quem his etiam coloribus depingit S. Anſelmus lib.1. contra Guibertum: *Rex autem tuus ſine intermiſſione vendit Epiſcopatus ſuos, edicta proponens, vt nullus habeatur Epiſcopus, qui à clero electus, vel à populo fuerit expetitus, niſi præceſſerit honor regius, quaſi ipſe ſit huius oſtij oſtiarius, de quo veritas dicit: (Ioan.10.) huic oſtiarius aperit.*

Longè adhuc expreſsioribus coloribus depingit Henricum Bruno in commentario de bello Saxonico. Inter cætera ita ſcribit: *Binas, vel ternas ſimul concubinas habebat: nec his contentus, cuiuſcunque filiam, vel vxorem iuuenem, & formoſam audierat, ſi ſeduci non poterat, ſibi violenter adduci præcipiebat. Aliquando etiam ipſe vno, vel duobus comitatus, vbi tales eſſe cognouerat, in nocte pergebat: & aliquando voti ſui mali compos efficitur; aliquando verò vix effugiebat, ne à parentibus amatæ, ſiue marito occideretur. &c.*

Poſt enumerata in hoc genere dictu nefanda flagitia, ſubiicit: *Sed quia nefanda ſtupra, nefandiora generare ſolent homicidia, ſicut ille non vnam Bethſabe libidinoſus ſtuprauit; ita non vnum Vriam crudeliũ interfecit. Tot enim in homicidiũ immania perpetrauit facinora, vt dubium ſit, quæ maior ſit eius infamia, libidinũ inceſtæ, an crudelitatis immenſæ? Omnibus erat horribiliter crudelis, ſed nullũ ita, vt familiariſſimũ ſuũ. Qui omnium particeps erat ſecretorum eius, & conſcius, vel adiutor flagitiorum, ſiue facinorum, dum ſecurus ſui de aliorum morte tractãri ſauebat, coactus eſt mortem pati, quam non timebat. Et hoc, pro qua culpa quod vnum contra eius voluntatem dixit verbum, vel tacens aliquod eius conſilium ſibi non placere geſtu quolibet oſtendit. Multos namque conſiliarios habebat, ſed nullus ei dare conſilium audebat, niſi quod ipſi placeret. Si quis vel inſcius aliquid, quod nollet, ei conſulebat, delictum, quod ignoranter egerat, ſui ſanguinis effuſione luebat. Nec alicui ſuam demonſtrabat iram, donec incauto faceret auferri vitam.*

Poſt plura huius generis expoſita immania facinora, ſubdit Bruno: *Omnibus his malis hoc malum ſuperaddidit, quod ceteris omnibus malis, & antiquis firmamentum, quo vigerent, & nouis, quo ſurgerent, initium dedit. Epiſcopos enim non pro qualitate meritorum ſecundum Canonum decreta conſtituit, ſed, ſi quis maiorem pecuniam dedit, vel ipſe maior eius flagitiorum adulator extitit, hic dignior quolibet Epiſcopatus fuit. Quumque alicui ſic Epiſcopatum dediſſet, ſi ei alius plus daret, vel eius magis facinora laudaret, illum priorẽ, quaſi ſimoniacum fecit deponi, & iſtum ſecundum quaſi ſanctum in eodem loco conſecrari. Vnde contigit, vt multæ ciuitates in illis temporibus duos Epiſcopos ſimul haberent, quorum neuter Epiſcopi vocabulo dignus eſſet. Babenbergenſem Epiſcopatum tam rebus exterius diuitem, quàm ſapientibus perſonis intus venerabilem: cuidam mangoni dedit, imò pro inæſtimabili pecunia vendidit: qui, melius ſcibat nummos monetæ cuiuſlibet æſtimare, quam textum cuiuſlibet libri, ne dicam intelligere vel exponere, ſaltem regulariter pronunciare, &c.* Vno verbo, omnes Epiſcopatus, Abbatias, Prælaturas, totumq; Clerum ſibi & Gnathonibus ſuis Henricus ſubiugauerat. En quale prodigium iſte Henricus.

Tertiò obiiciunt, *Gregorium fuiſſe Auctorem turbarum & ſanguinis effuſi, præſertim in Saxonia.* Hanc calumniam grauiſsimè refellit S. Anſelmus lib.1. contra Guibertum. *Non aduerſum nos clamat ſanguis Saxonum, ſed contra vos cum vniuerſo mundo, qui ſceleris veſtri tabe inhorruit. clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Eccleſia iuſtorum, & quæ adhuc peregrinatur, & quæ iam cum Chriſto regnat: clamat Chriſtus, clamat Pater proſponſa Filij ſui; clamat Spiritus ſanctus, qui quotidie poſtulat pro ea gemitibus inenarrabilibus. Vos ſiquidem Eccleſiam laniatis, & ſcinditis, qui partem veſtrã ab eius vnitate præcidiſtis, eamque crudelius gladio ſchiſmatis, quàm idololatriæ ſcelere in fruſta concidiſtis: vt iam non cum granis palea, ſed præciſa à vite in ignem proiiciantur ſarmenta. Vos enim Eccleſia Catholica, quam inuaſiſtis per totum regnum, quod quia intus cecidit, foris diu ſtare non poterit; membra diſtrahitis, & in ſeruitutem redacta, quaſi vile mancipium in veſtrum dominium redigitis, & diuini iuris libertatem veſtro obſequio mancipatis, dicentes: omnia Imperatoris iuris eſſe ſubiecta: Epiſcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Eccleſias, cùm Dominus dicat; Eccleſiam meam; columbam meam; oues meas. Paulus dicit: nemo aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatus eſt*

eſt à Deo tanquam Aaron. In parte tua, quis præſicitur, niſi quem aut gratia exhauſto fœnore, vel munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obſequio attraxerit? Quis moribus, quis honeſtate, quis vitæ integritate eligitur? Perſequendi ſunt itaque lupi, vitandi ſunt vniuerſi, qui ad hoc, vt hæretici fiant, promouentur; qui lepram Giezi cum diuitiis poſſident, & malè quæſita mercede, non tam patrimonium facultatum, quàm theſaurum criminum congregarunt.

Quartò obiiciunt. *Gregorium fuiſſe Hæreticum, & quidem Berengarianum*, hoc eſt, Sacramentarium. Ridiculè prorſus, vt oſtendit Bellarminus, & patet ex Concilio Romano anno Chriſti M. LXXIX. à Gregorio celebrato, in quo Berengarius Catholicæ fidei, eiurata hæreſi, profeſsionem edidit. Exſtat hæc Synodus lib. 6. epiſt. ipſius Gregorij, & Tomo III. Conciliorum nuperæ edit. Colon. Et quia ante ſynodum Gregorius publicum ieiunium indixerat; valdè in eum debacchatur Benno, quaſi in *tentatorem Dei, qui miraculum extraordinarium quæſierit & expetierit*: quaſi verò antiqui moris & ritus Eccleſiaſtici non fuerit, vt Concilia inchoentur præcedente ieiunio. Nec ſine emolumẽto præmiſit Gregorius Concilio ſuo ieiunium, cum in eo veternoſus ſerpens Berengarius, inquit Cardinalis Baronius Annali vndecimo, ſpectantibus, & audientibus omnibus, virus euomuerit hæreticæ prauitatis, confeſſuſque fuerit Catholicam fidem. ſed &, quàm Gregorius certus aſſertor ſemper fuerit, in nullo hæſitans; veritatis: & certitudinis corporis, & ſanguinis Chriſti; cognoſcet lector ex eius epiſtola 47. libro 1. ſcripta primo anno Pontificatus ad Mathildem, qua hortatur eam, vt Sacramento ſacratiſsimæ Euchariſtiæ frequenter vtatur. Nos dignas Deo vindici veritatis gratias agimus, qui poſt naufragia, quibus quamplurimæ Gregorij Epiſtolæ periiſſe noſcuntur, eam integram voluerit conſeruari, in teſtimonium integerrimæ eiuſdem Gregorij de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento confeſsionis: qua vel vna obſtruatur os calumniantium ſchiſmaticorum. Qui igitur tam magnificè, tanta cum laude de Sacramento Euchariſtiæ ſenſit, ac ſcripſit, quàm diſpar eſt, vt ſingi poſsit eodem ad vetitam diuinationem abuſus, nec clandeſtino ſcelere, ſed palam coram omnibus Cardinalibus?

Et hæc pro Defenſione Gregorij ſeptimi diſputata ſint. Quid enim cætera Bennonis mendacia redarguere attinet, quæ inducto tanto teſtium numero; ita opprimuntur, vt caput nuſpiam attollere queant, niſi apud illos, quorum capita magis delectantur & ſaginantur mendaciis, quàm veritate; ex quibus etiam vnus eſt Iunius, qui clamat, *duos fuiſſe Bennones tempore Gregorij VII. alterum Epiſcopum Oſnaburgenſem: alterum Miſnenſem; & neutrum horum à Clemente III. Antipapa creatum eſſe.* Num dicit Bellarminus aliquem ex his duobus fuiſſe Auctorem inſulſi illius & mendaciloqui ſcripti, quod nomen *Bennonis* Pſeudocardinalis præfert? An duo tantùm erant in orbe Bennones temporibus Henrici Regis, & Gregorij VII? Abſit autem, abſit, vt Benno Miſnenſis libri huius parens exiſtimetur. Nimis iniurioſa eſſet in virum ſanctum hæc exiſtimatio. Quem Gregorio VII. conſtanter adhæſiſſe litterarum monumentis proditum legimus; qui ipſi etiam Langio in Citizenſi Chronico *vir Dei* nominatur.

Porro, ne quis cauſſetur, me non quinquaginta, ſed tantummodo quadraginta nouem teſtes pro innocentia Gregorij adduxiſſe, ſi fortè Bertoldus Conſtantienſis, & Bernaldus noſter ſunt vnus & idem; vt quidem nobis abſque dubitatione perſuademus: en alium tibi dabo, eumque non vnum, ſed multiplicem, nempe totum Monaſterium Hirſaugienſe: quod non modò conſtantiſsimè Gregorio ſemper adhæſit, ſed & ſcriptis defendit, vt teſtatur Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, in VVilhelmo Abbate duodecimo, & in Gebhardo Abbate decimotertio. Quod eorum in ſedem Apoſtolicam ardens ſtudium, excitauit Auctorem Apologiæ Henricianæ, vt in Monachos illos admodum ſtomachosè inueheretur, & epiſtolam quandam à quodam ex illis, contra Henricũ & Guibertum Antipapam publicatam, refutandam in poſteriore Apologetici ſui parte ſuſciperet: quos initio his verbis inceſsit: *Igitur æmulatores, ſiue autores ſchiſmatum, quæ dudum facta ſunt in Eccleſia pariter, & in Republica, extant præcipuè quidam, qui dicuntur monachi de Hirſaugia: ex quorum ſchola peruenit ad nos hæc, de qua tractamus, epiſtola; quæ contra Apoſtolicam ſedem, & contra regiam poteſtatem eſt deſcripta: & inteſtinum illud bellum, quo in plures ſectas iam diu ſciſſus eſt ſingularis ille ordo monachorum, ecce peruenit ad publicum malum. Qui enim debuerant ſe continere intra ſolitudines monaſteriorum, egreſſi ſunt vltra terminos, & conſtitutiones Patrum, &c.* Scilicet ad commune incendium Eccleſiæ exſtinguendum non licebit Monachis, præcipuis Eccleſiæ filiis accurrere, ſed, manibus in ſinum abditis, otioſi ſpectatores adſtabunt, & ſchiſmaticos incendiarios omnia rapere & diripere ſinent, nec vel verbulo contrà mutient; alioquin profeſsionis monaſticæ violatæ rei erunt.

Nec videtur hæc epiſtola Hirſavvgienſis illa eſſe, quæ exſtat apud Dodechinum

scripta à Stephano Halberstadiensi Episcopo, antea Monacho Hirsavvgiensi, ad VValramum non Episcopum Magdeburgensem, vt vitiosè scribitur apud Dodechinum, sed Naumburgẽsem, vt habet Trithemius in Chronico Hirsavvgiensi, quandoquidem verba, quæ Auctor Apologetici ex epistola Hirsaugiensi recitat, non reperiuntur in epistola apud Dodechinum; quę non sub Stephani, sed sub Ludouici Comitis nomine ad VValramum missa fuit. Et Auctor epistolæ Hirsavvgiensis in eadem epistola plura contra Guibertum sese scripsisse affirmant, illis verbis, quę exstat apud Apologeten Henricianum. *In libello, quem fecimus tibi scribi, optimè ad omnia respondetur his, quæ in VVigberti* (Antipapæ) *epistola inuenit. Sed quis sit ad quem scribat*, inquit Apologetes, *textus scripturæ nõ indicat*: Freherus, qui nuper post Huttenum Henricianam Apologiam edidit: notat esse VValramum, & probat ex Trithemio in Chronico Hirsavvgiensi. Sed Trithemius loquitur de epistola Stephani Halberstattensis, quæ diuersa est ab ista, quam refellit Apologia Henriciana. Et præterea hæc expresè VValrami vel VValtrami nomen adiunctum habet, vt & eius, qui epistolam mittebat, nempe Ludouici Comitis, tametsi Stephanus eam composuisset. At epistola, quam refellit Apologia Henriciana, anonyma erat; *cum nec proprij nominis*, inquit Apologia, *nec eius, ad quem scribitur epistola, vocabuli mentionem aliquam scriptor fecerit, qui etiam in exordio epistolæ dicit, quod salutationem ei præfigere nolit*: quia videlicet scribebat ad schismaticum & excommunicatum, cui ex Apostolico mandato, ne *Aue* quidem dicere fas est.

Tom. 1 scriptorũ Germanicorũ.

Obseruandum est autem, hanc Apologiam pro Henrico editam fuisse octauo anno post Gregorij VII. ex hac vita excessum, ita enim Auctor: *Nunc autem aliter instituta Mathilda, post octauum quoque annum, quo defunctus est Hildebrandus familiaris eius, defendit prorsùs contra Sedem Apostolicam* (imò contra Guibertum Antipapam) *& contra Imperatorem partem ipsius*. Et meritò; neque enim par erat, vt mortuo Gregorio, intermoreretur quoque pietatis & iustitiæ patrocinium.

Refellit autem Auctor in priore parte Apologetici, ex instituto litteras Gregorij VII. non illas, *ad omnes Episcopos, Duces, Comites, cæterosque fideles in regno Teutonico Christianam fidem defendentes*, vt putat Freherus, sed alias ad Hermannum Episcopum Metensem, quæ, vt & priores, exstant apud Brunonem in Historia de bello Saxonico. Auctorem Apologiæ pro Henrico, suspicatur in Catalogo Testium, Illyricus esse *VValramum* seu *VValtramum*, Naumburgensem Episcopum: alij *Venericum Vercellensem* Antistitem, de quo hęc Bernaldus in Chronico anno M. LXXVII. *Vercellensis quoque Episcopus, depositi Regis Cancellarius, cum omnibus suis sequacibus, colloquium generale circa Kalendas Maij in Runcalibus condixit, vt si aliquo modo posset, Gregorium Papam deponeret; sed ipse ad eundem terminum absque Ecclesiastica communione, vitam simul & Episcopatum heu miserabiliter deposuit, quo ille Papam nefaria præsumptione statuit deponere.* Sed de Auctore Apologiæ Henricianæ res incerta est. Certum illud, non esse *Venericum*, cum Auctor Apologiæ Henricianæ multis annis vltra annum M. LXXVII. superuixerit, vt patet ex ipsa Apologia.

Pulsat animum meum nescio quæ suspicio de Sigeberto. Testatur enim ipsemet in Catalogo de scriptoribus Ecclesiasticis. *Se validis Patrum argumentis respondisse epistolæ Hildebrandi Papæ, quam scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum.* Hæc certè Apologia Patrum testimoniis, tametsi in prauum sensum detortis, referta est, & in priore parte epistolam ad Herimannum, ex professo refellere tentat; & Auctor non est vnus ex triuio: lacertos habet.

Nec obstat, quòd postea Monachi cuiusdam Hirsavvgiensis epistolam contra Guibertum confutare aggreditur, Monachosque reprehendit, quasi se contra professionem suam Reipublicæ negotiis immiscerent; ex quo colligi videtur, Auctorem Henricianæ Apologiæ non fuisse *Monachum*; qualis Sigebertus: Non obstat hoc, inquam, quia schisma etiam fratres à fratribus & professores eiusdem instituti animis seiunxerat; & in Hirsavvgienses propter constantiam in vnitate Catholica omnium Schismaticorum corda potissimum exulcerata erant. Et Auctor iste eas fortè leges aliis præscripsit, quas ipsemet non obseruauit. Certè vita Monastica non prohibet, quò minus quis, qui eruditione præstat, veritatis patrocinium per librorum scriptionem suscipiat: quod factum à Monachis Hirsavvgiensibus, quantumuis Schismatici fremerent ac ringerentur. Edidit Sigebertus libros aduersus Gregorium VII. Et Paschalem II. Et Apologiam ad Henricum IV. *contra eos, qui calumniantur Missas Sacerdotum vxoratorum.* Et nefas scilicet fuerat Monachis Hirsavvgiensibus, vt pro legitimo Pontifice contra Guibertum, intrusum lupum, stylum stringerent.

Accedit denique, quòd Auctor Apologiæ Henricianæ de S. Benedicto vbique admodùm honorificè loquitur, vt Benedictini instituti Sectatorem agnoscere possis. Sed hæc de hoc Auctore non nisi suspicionem esse volo, donec certiora indagem.

Illud

Illud diligenter aduertendum, cum non modò hæc Apologia pro Henrico, sed & vita Henrici IV. composita ab auctore synchrono seu coæuo, exstet; vulgata à Reineccio cum suo Bennone, item à Iusto Reubero, & ab Vrstisio, & ab aliis sectariis, qui huiusmodi scripta legentes mel Atticum sibi lingere videntur; nihil tamen immanium illorum scelerum, quæ à Bennone Gregorio affinguntur & impinguntur, in his chartis reperitur. Qua de caussa, nisi quia verè Gregorio tribui non poterant? Itaque cum modestiore fronte, quam Benno essent, religioni habuerunt, tam horribilia crimina monumentis suis intexere: non omissuri ea, si qua verisimilitudinis specie Gregorio obiici potuissent.

Refert Lambertus Hugonem cognomento Blancum, vnum ex Cardinalibus, quem ante paucos dies Gregorius VII. *propter ineptiam suam & mores inconditos de statione sua remouerat*, venisse ad conuenticulum VVormacienſe M. LXXVI. *& secum detulisse de vita & institutione Papæ scenicis figmẽtis confimilem tragœdiam, scilicet, vnde oriundus, qualiter ab incunte ætate conuersatus, quam per-* A *uerso ordine Sedem Apostolicam occuparit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit.* Non ingratus accidit conuenticulo tanti calumniatoris aduentus. *Huius enim auctoritatem*, inquit Lambertus, *tanquam diuinitus sibi destinatam gratissimè amplexati & promptissimè secuti, sententiam promulgarunt, quod Papa esse non posset, &c. qui tantis vitam probris ac criminibus commaculauerit.* Videtur autem iste criminationum cento vel ipse Bennonis commentarius verè commentitius, vel materies eius fuisse, ex qua postmodum Benno farraginem suam impolitissimã & rudissimam inconcinnè prorsus concinnarit; quæ hodiernis sectariis non minus iucunda venit, ac VVormacienſi Synedrio ſtrues illa lœdoriarum Hugonis Blanci; quem ambitio, & sperati Pontificatus repulsa in præceps egit. B

Hactenus de Gregorio VII. cui in Martyrologio Romano hoc elogium ponitur XXV. Maij. *Salerni depositio Beati Gregorij Papæ septimi, Ecclesiastica libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi.*

GREGORII VII. PONTIFICIS MAXIMI, VITA, ELECTIO, RES GESTÆ.

Ex

LIBRO IV. ONVPHRII PANVINI DE VARIA CREATIONE ROMANI PONTIFICIS.

Quæ nunc primùm

EX BIBLIOTHECA BAVARICA

IN LVCEM PRODVNTVR.

LECTORI

bariſmus & ſolœciſmus ? Nimirum iudicio ſectariorum *doctus* eſt, quiſquis proiectè calumnias in Papam fundit, licet id faciat inſulſiſſimè & inſcitiſſimè ; vt fecit ille Benno : cui tantum ingenij non ſuppetebat, vt aptè & aſtutè calumniari poſſet. Eiuſdem farinæ ſunt reliqui VVitackeriani teſtes; vt conciliabulum Brixienſe; Auentinus, & clerici apud Lambertum & Nauclerum. qui cum ſcortationi & ſimoniæ ſuæ, aliiſque ſceleribus à Gregorio fibulam imponi ægrè ferrent; conuiciis in eum debacchari inſtiterunt, vt plerumque fieri aſſolet, cum quis alicui illud, quod efflictim deperit, eripere tentat. Illud concoquere nequit VVitackerus, quòd Papa, Henricum abſolutionem ab excommunicatione ſuppliciter poſtulantem depoſitis ad Papæ palatium imperatoriis inſignibus, nudis pedibus, cum omnia gelu rigeſcerent, non niſi poſt tridui ſpatium admiſit & exaudiuit. *Quæ hæc Luciferiana ſuperbia erat*; vociferatur VVitackerus. *Hiccine vir bonus? Diabolum certè ipſum hac in re malitiâ & ſuperbia vicit.* Minimè verò, ô Caluiniſta. Pertinax morbus acrem deſiderabat medicinam : Et piaculum ſchiſmatis tanto cum diſpendio Imperij commiſſum, duriore pœna expiandum fuit, & verſatilis ac inconſtans Henrici animus explorandus, num ſeriò de meliore fruge cogitaret. Nudis pedibus & depoſito omni corporis cultu, veſtibuſque ad luctum & mœrorem idoneis, pœnitentiam agere; offenſique gratiam, & amicitiam poſtulare, in Eccleſiaſtico foro perquam vſitatum fuit; Eſt cum & in ciuili.

Audi Caluiniſta, quid ipſe Henricus non erga vnum, ſed plurimos Saxoniæ Principes egerit, cum in gratiam Henrici recipi vellent ; Nec mea hîc adhibebo verba, ſed Lutherani Fabricij lib. 3. Originum Saxonicarum: *Planicies ibi latè patens fuit, quam Spiraugiam nominant: in qua Rex in ſolio ſuo, auro, purpuraq́ fulgens, ſolenniter aſſedit : quem exercitus ad ſpectaculum diſpoſitus, circumſtetit, relicto per medium ſpacio : quo prætereuntes Saxonum Duces, atque Antiſtites omnibus conſpicui eſſent. Incedebant habitu lugubri Præſules, Vuezelo Magdeburgius, Bucco Halberſtadius, Benno Miſnenſis, Vuernerus Merſburgius. Inter Duces, erant Otho Gotingenſis, Bauariæ exul, Magnus Elector Saxoniæ, Hermanus patruus eius Saxoniæ Comes, Fridericus Saxoniæ Palatinus, Ditericus Comes Catelnburgi, Albertus Turingiæ; Comites item, Rudigerus, Sizzo, Beringarius,*

Berno,

GREGORII PAPAE VII. VITA, ELECTIO, RES GESTÆ, ET CONSTITVTIONES CIRCA NOVAM ROMANI PONTIFICIS ELECTIONEM.

COMITIA, quibus GREGORIVS Papa VII. renunciatus est, &, quæ circa electionem constituerit, descripturo, quàm vir maximè memorabilis, & Romanæ Ecclesiæ perneccessarius fuerit, non alienum ab instituto nostro erit, pauca quædam repetere, quæ de eo in LEONIS Papæ IX. renũciatione dixi, & alia postmodum addere, quibus, quis nam vir ille ante Põtificatum fuerit, & qua occasione tot, tantaque memoratu digna contra Imperatorem Henricum IV. pro libertate Ecclesiastica gesserit, intelligatur.

GREGORIVS igitur VII. Hildebrandus antea vocatus, fuit natione Tuscus, patria Soanensis, & nobili genere ortus, ex ea scilicet familia, quæ postea ab eo *Hildebrandina*, siue de Pitiliano (cuius oppidi princeps aliquando fuit) appellata est. Patrem ipse habuit nomine Bonitium virum strenuum. Adolescens altæ indolis factus, ad Imperatoris curiam, vbi valdè profecit, se contulit. Inde inuidiâ ob virtutem contractâ, cessit multorum furori, se in religionem recludens. Monasticam enim vitam in cœnobio Cluniacensi, viris sanctissimis per ea tempora refertissimo, sub Odilone Abbate professus est.

Ita Bar. Ann. 1075. Num. 16.

Sunt, qui dicant eum infimo, ac pènè sordido loco natum, fabrique lignarij filium fuisse, atque adhuc puerum ad aulam Imperialẽ profectum in Cæsaris Chunradi, & eius filij Henrici III. curia adoleuisse. De quo comminiscitur nescio quis fabulator inconcinnas fabellas: quod cum filius esset fabri lignarij, ex sarmentis ordine compositis inscium ipsum has literas ordine conseruisse, quibus adstans homo literatus legerit, ex ea compositione scandulatum; *dominabor à mari vsque ad mare*: Vel, vt alij dicunt, spiritu Prophetico magis ductus, quàm instructus, monstrauerit se futurum Dominum à mari vsque ad mare. Inde coniectans vir ille literatus diuinum aliquid in puero, suasit patri, vt eum literis traderet: traditus, ita profecit, vt in Cancellariam Imperatoris peruenerit: * vbi somnio admonitus Imperator de eodem tum scriniario suo, quod cornua videretur habere, quibus filium eius contereret; hominem in vincula coniecisse: sed ab Imperatrice Hagnete vinculis liberatum, Cluniacense monasterium petiisse, indeque profeciisse primum in Subdiaconum, deinde in Cardinalem, notissimè in GREGORIVM Papã VII. Sed ego leuissimum hominem ridendum duco. Satis tamen constat, eum ex aula Imperiali ad cœnobium Cluniacense profectum: in quo, cum vir euasisset, rebus gerendis maximè idoneus, atq; admodum sagax, & prudens ab omnibus existimaretur: Romam ab eodẽ Abbate suo missus est, vt monasterij, & Congregationis Cluniacensis negocia apud Apostolicam sedem procuraret. Diu autem in monasterio eiusdem congregationis sanctorũ Laurentij, & Stephani extra muros Vrbis laudabiliter vitam transegit Benedi-

* *De hoc somnio nil Baronius; fabulam respuit, & rectè iudicat Omnibus.*

diaconus à clero, senatu, populoq; Romano legatus ad Imperatorem missus est, vt nouum ab ipso Pontificem postularet: à quo cum * Gebehardus Episcopus Aichstatensis electus, Victorq; II. appellatus esset; cum Romam consecrandum adduxit: apud quem etiam plurimum, vt & apud Leonem IX. in omnibus valuit. erat enim vir rerum gerendarum peritia valdè clarus: cui etiam maximam religionem, vitæque obseruantiam adiunxerat.

* Regg. Baron. Anno 1054. & 1055.

Post obitum Victoris II. dignus Romano Pontificatu adhuc subdiaconus existimatus est. Verùm cum ei Stephanus Papa * IX. prælatus, Romanus Pontifex creatus esset, apud eum quoque in maxima auctoritate fuit; à quo Simoniaca labe Italiam, & Galliam peruagante, * Apostolicæ sedis Legatus missus est in Gallias cum quibusdam Episcopis, vt Synodo, quâ contra Prælatos Simoniacos Lugduni cõgregare iusserat, Apostolica vice præsideret. In qua Synodo maximè Hildebrandi virtus enituit, & religio. Residentibus enim omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus in concilio: Archiepiscopus quidam vir literatus, & eloquens, quod Episcopatum emisset, accusatus est. qui, omnibus accusatoribus suis profusa largitione corruptis, in Synodum alia die reuersus, magna cum audacia dixit. Vbi nam sunt accusatores mei? Surgant in publicum cõtra me. modò prodeant. Cunctis autẽ tacentibus, Hildebrandus surgens, & se ad illum conuertens; *Credis*, inquit, *Archiepiscope Spiritum sanctum eiusdem esse cum patre, filioq; substantiæ, & diuinitatis?* Cui, se credere respondenti; dixit; Dic; *gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Cumque Archiepiscopus versiculum inchoasset, *Gloria; & Patri, & Filio* expeditè dicebat: sed, *Spiritus sancti* vocem nulla ratione proferre vnquam potuit. Cumque frequenter repeteret, & nihil proficeret, cognoscens se diuino iudicio conuictum, ad legati pedes se proiiciens, errorem suum per ordinẽ confessus est. cum verò omniũ iudicio statim Episcopali munere mulctatus esset; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; libera voce, & expedita decantauit. quod factum reliquos Prælatos Simoniacos adeò perterruit, vt XVII. ex his se Simoniacos fuisse confessi sint, & Episcopatibus, quos emerant, abdicauerint.

* X. Vide Baron. Anno 1058.

* Hæc acciderunt sub Victore II. Bar. Anno 1055. nu. 15. & seqq.

Celebrata Synodo, & Ecclesiasticis negociis magna cum prouidentia ordinatis, ad Vrbem reuersus est. Tunc à Papa * Stephano IX. post solenne Sacramentum, de quo in eius vita mentionem fecimus, ei ab omnibus Episcopis, & Cardinalibus præstitum, de non eligendo Romano Pontifice, si se mori cõtigisset, donec Hildebrandus, qui tunc ad Imperatorem super hoc negotio mittebatur, rediisset, Apostolicæ sedis legatus ad Imperatorem, & eius filium adolescentem Henricum IV. missus est.

* Bar. Anno 1058. qui rem ab ister ex Leone Ostiensi refert.

Cum autem audita Stephani IX. morte rediisset, Benedicto X. qui post eum Apostolicam sedẽ inuaserat, eius auctoritate abrogato, * Nicolaus II. Pontifex maximus renunciatus est: qui beneficij memor; quod enim Pontifex Romanus esset, illi acceptum referebat, ipsum post Mincium, S. R. E. Archidiaconũ creauit. Apud Nicolaum ipsum tanta gratia, & autoritate valuit, vt nihil eo inconsulto vnquam Pontifex decreuerit.

* Bar. Anno 1058. & 1059.

Quo mortuo, Ecclesiasticæ libertatis anxius, Romani Pontificis electionem, ex manu Imperatorum eripere iam aspirans, maximus auctor fuit, vt in electione Romani Pontificis Ecclesia Romana libertatem suam iam diu in electione suorum Pontificum amissam recuperare inceperit. Cadolo enim Parmense Episcopo, qui ab Imperatore electus fuerat, abrogato, * Anselmum Episcopum Lucensem Romę liberis Cardinaliũ suffragiis eligi procurauit: eiusque iam electi, & consecrati partes quàm maximè tutatus est. Et ipsius tandem opera effectum est, vt * Cadolus ipse, qui armata manu bis Romam venerat, sedem B. Petri occupaturus, bis armis auxilio Ducis Gotefridi repressus sit, atque Vrbe fugatus: & demum in Cõcilio Mantuę, ob eam causam congregato, Pontificatus ei ex Synodi sententia abrogatus fuerit, ordinatione Alexandri II. Papæ approbata,

* Bar. Anno 1061.

* Alii; Cadalumi

ſentibus venerabilib. Epiſcopis, & Abbatibus, clericis, & monachis, conſentientibus plurimis vtriuſq; ſexus, diuerſiq; ordinis, & acclamantibus laicis, elegimus nobis in paſtorem, & ſummum Pontificem, virum religioſum, gemina ſcientia prudentia pollentem, equitatis, & iuſtitiæ præſtantiſſimum amatorem, in aduerſis fortem, in proſperis temperatum, & iuxta Apoſtoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam bene regentem, in gremio huius matris Eccleſiæ ſatis nobiliter educatum, & eductum, atq; pro vitæ merito in archidiaconatus honorem vſq; hodie ſublimatum, dominum Hildebrandum videlicet archidiaconum, quem amodo, & vſq; in ſempiternum, & eſſe, & dici GREGORIVM VII. *& Apoſtolicum volumus, & approbamus. Tunc primus diaconorum dixit vniuerſis aſtantibus*; placet vobis? *qui reſponderunt*; placet *ſubiunxit iterum*; vultis eum? *qui reſpõderunt*; volumus. *Et tertiò*; laudatis eum? Laudamus, *omnes reſponderunt. Tunc ab omnibus clericis, & populo acclamatum eſt, Gregorium Papam S. Petrus elegit. Actum Romæ X. Kal. Maij, Anno M. LXXIII.*

Tunc Hugo Cãdidus preſbyter Cardinalis tituli ſancti Clementis, cũ præter ſententiam eius Gregorius ipſe à Cardinalibus Papa renunciatus eſſet, depoſita ſimultate, & amicitia ad tempus * ſimulata, quòd eſſet S. R. E. Archipreſbyter, vice omnium Cardinaliũ eius creationẽ honorifico elogio, quo ei gratificaretur, his verbis more maiorum fecit: *Nobiliſſimi*, inquit, *ciues, nemini veſtrum dubium vnquam fuit; quin Hildebrandus noſtræ Eccleſiæ Archidiaconus, vir prudentiſſimus, & ſpectata inter omnes fidei, & probitatis, eam iam inde à Leonis IX. tempore mirũ in modũ ſuis virtutibus exornauerit, laboribus auxerit, ſtudio, & induſtria tutatus ſit, atq; à multis periculis eripuerit. Quamobrem cum Patres neminẽ eo aptiorẽ iudicauerint ad Vrbis noſtræ, & Romanæ Eccleſiæ regimen obeundũ; ego ipſum omnium Epiſcoporum, presbyterorum, & Diaconorum S. R. E. Cardinalium nomine, omnibus electioni cõſentientibus, nobis, vobisq; Epiſcopum Romanum, & animarum noſtrarum paſtorem pronuncio.*

Quo facto, ſtatim arreptus, & more maiorum veſte purpurea indutus, Põtificalique diademate redimitus, inuitus, & reluctãs in Apoſtolica Sede magnificè ſummo cum gaudio, & lætitia fuit collocatus quippe, qui eum vnum tantùm eſſe credebant, qui rem Eccleſiaſticam reſtituere, atq; Romanã Eccleſiam diu ſeruam, in priſtinam libertatem ex Imperatoris manu eruere, & vendicare auderet, & poſſet. Electus autem Romanus Pontifex more maiorum Abbati Caſſinenſi, & Archiepiſcopo Rauennati ſcripſit Epiſtolas, quibus eos de electionis ſuę forma, & modo certiores facit.

Electus igitur Hildebrandus Archidiaconus in Romanum Pontificem, tempus opportunum veniſſe ratus eſt, quo Eccleſiaſticã libertatem tam Romanæ Eccleſiæ, quàm aliarum, pro qua tantopere priuatus laborauerat, iam Pontifex maximus renunciatus, aſſerere poſſet, omniaq; in priſtinam vendicare libertatem. Verùm maximè apud ſemetipſum contriſtari, & æſtuare cœpit, atque conſiderare, in quot grauia ſchiſmatis, & aliarum calamitatum pericula, ſi Pontificatum ſemel aſſumptũ retinere vellet, ſe, & Romanam Eccleſiam cõiecisſet: quippe qui abſque Imperatoris, & Germaniæ Principum cõſenſu, Romanus Põtifex contra cõſuetudinem creatus eſſet. Recordabatur enim malorum, ſeditionũ, & ſchiſmatis, quæ in creatione Alexandri II. per Imperatorem, & * Cadolum facta fuerant. Timebat Imperatorem potentiſſimum, iuuenem, audacẽ, maximè ferocem Henricum IV. quem haud paſſurum, vt Imperij * iura ſeperderet, arbitrabatur. Angebat præterea hominem, q̃ inuiſum ſe * multis Germaniæ Principibus, & magni nominis Epiſcopis ſe eſſe cognoſcebat. Sæpe enim ſub prædeceſſoribus ſuis ad Imperatoris aulam legatus miſſus, maximam Epiſcoporũ contraxerat inimicitiam, eorumq; in ſe odia concitauerat, q̃ nimis aſper, durus, & Eccleſiaſtici rigoris valdè tenax eſſe crederetur: atq; eò magis cõtriſtabatur, quòd ſi occaſio in priſtinam libertatem reducendi Eccleſiam hoc tempore ſublata eſſet, nequaquã amplius poſtea tempus ſic opportunum

Recitat Onuphrius has Epiſtolas. Nouemiſimum breuitatis cauſſa. Habentur Tom. 3. Epiſtolar. decretaliũ ſummor. Pontif. Edit. Rom. pag. 550. & 551. & Tom. 3. Concil. Noua edit. Colon. & apud Baro. Tom. XI. Ann. 1073.

*Cadaloũ.

** Vt nullũ Cadolorum perpetuũ, ſic nullũ ſimulatum, dimanauit. Quocirca paulò poſt depoſuit eſſe Hugolinum.*

** ſed iura non iura.*

** ſed Simoniacis & concubinariis.*

num venire posse arbitrabatur. Nam tunc Imperator adolescens erat, & nondum planè in Imperio confirmatus: maximis quoque bellorum turbinibus in Saxonia vexabatur: quæ, vt ad alia animum intenderet, eum maximè prohibebant. * Plures enim primi ordinis viri Saxones ab eo defecerant, rebelliones maximas moliri; sibi verò nec animum, nec vires defuturas existimabat, ad hæc omnia perficienda. Et quidem optimè nouerat, quantam rem moliretur, quàm difficilem, arduam, & periculosam. Difficile quoque in posterum fore existimabat, vt Romanus Pontifex quispiam esset, qui hæc tentare auderet, idque superiorum suorum exemplo. Cùm enim multoties Stephano IX. Nicolao II. & Alexandro II. persuasisset, vt hæc molirentur, nunquam hæc ipsa tentare ausi sint, Imperatoris omnia possidentis potentiam veriti. Si enim se in Romanum Pontificem cõfirmari non contigisset, de Ecclesiastica libertate, ad quam totis viribus anhelabat, actum esse arbitrabatur. nam, se vnum tanto negocio idoneum esse putabat.

Vide Brunonem de Bello Saxonico.

Ne igitur aliquando controuersia aliqua oriri posset, quod minus legitimis suffragiis electus, & consecratus Pontifex esset, & hanc ob causam de Pontificatu cum Imperatore, quem grauiter passurum esse non ignorabat, quòd eo inconsulto, contra consuetudinem, maiorumq; suorum priuilegia * Imperatoribus ab Apostolica sede cõcessa, ipse Romanus Põtifex renunciatus esset, aliquando cõtenderet: &, vt ab omnibus legitima eiusdem ordinatio haberi posset, nec in dubium aliquando vertenda: (nam, si id euenisset, nihil eorum, quę cogitauerat perficere potuisset) nulla vnquam ratione adduci potuit, vt consecrari vellet, & coronari, donec Imperatoris, & Principum super electione sua exquireret voluntates. Primum igitur statim post electionem suam Præsidi Cæsareo in Italia de sua creatione scripsit. Eâdem ratione Imperatori Henrico IV. tum in Germania agenti per legatos suos causam, & modum electionis de se per violentiam Romanorum factæ renunciauit, asserens, & si electus esset; quia populi furentis voluntati resistere nõ potuisset, se tamen nunquã consecrari voluisse, nec velle, nec Põtificatus administrationẽ se vnquã accepturũ, nisi prius ipsius, Germaniæq; Episcoporũ, & Principũ adesset consensus. Atq; ob eã causam, quamprimũ à populo, post electionẽ suã, liber dimissus fuit, statim Albanum extra Vrbem concessisse, ne contra morẽ ab eodem populo consecrationis munus acciperecogeretur.

Nulla ex-stant huius generis priuilegia: Et quæ exstare videntur, fictitia sunt.

Vide Bare. 1073. & 1074.

Literis autẽ suis ab Imperatore acceptis, Episcoporumq; conuentu congregato, diligẽter Gregorij VII. electio examinata fuit. Cùm verò * Imperator, eam legitimã esse, omniumq;, tam cleri, q̃ populi Romani liberis suffragiis factã fuisse cognouisset, tam ipse, quã cæteri Principes ratam esse voluerunt, eiq; consensserunt. Fuêre autem in illo cõuentu multi Germaniæ Prælati, Episcopi, & Abbates, qui graui scrupulo cõmoti, eandem electionẽ oppugnabant: qui ipsius Hildebrandi mores, res gestas, inflexibilem constantiã, feruentissimum diuini honoris zelum, & tenacem propositi sui voluntatem per multos retrò annos, quibus in aula Imperiali versatus, tam priuatus, quàm in publicis S.R.E. legationibus fuerat, optimè nouerant. Timebant enim, ne vir vehementis ingenij, & acris erga Deum fidei, strictius eos, pro negligentiis suis quandoque discuteret, rationemque ab eis de gregibus sibi commissis arctiorem exquireret.

Rex & principes approbant electionem Gregorij. Vide Epist. Henrici lib. 1. Epist. 29. Baron. 1073.

Hi cõmuni consilio Cæsarẽ adorti, ipsi Hildebrandũ maximè cauendum esse suggerebant: persuadereq; ei conabantur, vt nulla ratione hominis sibi infensissimi futuri, in tam summa, & maxima potestate electioni assentiret, eamq;, tanq̃ iniussu suo factam, irritam esse, decerneret. Futurum enim vaticinabantur, quòd nisi impetũ hominis præuenire maturaret, vt ab ipso Romanum Imperium maximã esset iacturã passurum: ipseq; Imperator, multis calamitatibus, & incõmodis ab eo inuolueretur: atq; hoc malũ, non in alium postremò grauius, quam in ipsum Cæsarẽ redundaturũ. Id quoq; pro certo affir-

affirmabant, quod postea vsuuenit, ipsum nihil magis curaturum, quàm vt Episcoporum, Abbatumque collationes ex Imperatoris manibus, & potestate eriperet, imperiumq; ipsum omnino pessundaret.

His auditis Rex paulisper commotus, à latere suo Eberhardum Comitem ire iussit, qui Romanos proceres conueniens causam ab eis scisciteretur, quare præter consuetudinem maiorum, Rege saltem non consulto, Romanæ Ecclesiæ Pontificem elegissent, ipsumque, si non idoneè satisfaceret, ab accepta illicitè dignitate abdicare præciperet. Is veniens Romam, benignè à Papa Gregorio susceptus est: cumque ille mandata Regis exposuisset, eadem quæ regi scripserat, respondit; se, Deo teste, honoris huius apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se à Romanis, & violenter sibi impositam fuisse Ecclesiastici regiminis necessitatem. Cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari se permitteret, donec in electionem suam, tam regem, quàm Principes Teutonici regni consensisse certa legatione cognosceret. Hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi regis voluntatem certus inde veniens nuncius aperiret. Hoc vbi est regi renunciatum, diuina voluntate res humanas ita disponente, cum imperium Romanum à sacerdotali potestate minuendum esset, & ad nihilum ferè redigendum, ipse libenter hanc satisfactionem suscepit; lisdemque Episcopis, qui vera prædicare videbantur, futuraque, vt præterlata cognoscebant, minimè acquiescendum duxit; Gregorium asserens esse virum sanctum, & tanto sacerdotio dignissimum, atque nunquam beneficij abs se accepti obliturum; statimque, vt consecraretur, lætissimo suffragio rescripsit, & Gregorium Episcopum Vercellensem Italici Regni Cancellarium ad vrbem transmisit, qui Imperatoris auctoritate electionem ipsam ratam faceret, & eius consecrationi interesset.

Gregorius igitur præter spem, quod tantopere desiderabat, assecutus, vt in eius electione Imperatoris esset consensus, nihil differendum ratus, in proximo Pentecostes festo, presbyterum se ordinari fecit; & natali die Apostolorum Petri & Pauli in Romanũ Pontificem consecratus, suæ coronationis insignia suscepit. Confirmatus igitur in Romana sede, quasi nulla amplius hæsitatio in animis hominum obrepere posset de legitima eius creatione: quippe, quòd à Cardinalibus, clero, senatu, populoque Romano, consensu, & voluntate Imperatoris, & Principum accedente, iam electus, & consecratus erat, atque tunc pro legitimo, vero, & indubitato Pontifice habebatur: non longè post eius consecrationem, quod diu ante animo conceperat, executioni mandare disponit. Nam non solùm Imperatorẽ * electione Romani Pontificis, quod & Hadrianus II. aliquando fecerat, sed & omni * autoritate, qua reliquos Prælatos, Episcopos scilicet, & Abbates constituebat, primus omnium Romanorum Pontificum priuare tentauit: &, si opus esset, eum non obtemperantem, excommunicare, atque imperio deponere; recipientesque ab eo Prælaturas, similiter gladio anathematis percutere. Sed, quoniã hæc magni ponderis erant, & haud ita facilè successura sibi sperabat, statuit rem paulatim, & sensim incipere, totumq; ferè annum sui Pontificatus, in eiusmodi consiliis, vsq; ad mediam Quadragesimam tempus congregandæ synodi à suis prædecessoribus præscriptum consumpsit.

* Qua ausus ciperetur illis.

* Nulla id auctoritate legitimè faceret.

Anno igitur Domini M. LXXIV. qui adhuc primus erat sui Pontificatus, statotempore hac ratione principia recuperandæ Ecclesiasticæ libertatis iecit. * In media enim Quadragesima Romæ in Basilica Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, primò synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum congregauit; in qua, circa XXX. edidit capitula, seu canones, quos *dictatus* appellauit: quorum maior pars antea parum in vsu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum vnquam attentata: verùm ad firmissimum Ecclesiæ statum iaciendum, & ad omnia tentanda,

* Prima Synodus Gregorij pro reformandæ Ecclesiasticæ.

Baron. Sub hac cap. ima fuisse cõscripta et edita in Synodo anni M.LXXIV

tanda, quæ animo agitabat, idonea. Ex quibus illud intelligebatur, quæ tum Romani Pontificis auctoritas fuerit: inter quę, hæa præcipuè capitula fuêre:

Quod Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

Quod ſolus Papa iure dicatur vniuerſalis Romanus Pontifex.

Quod ille ſolus deponere poſſit Epiſcopos, vel reconciliare.

Quod Legatus eius omnib⁹ Prælatis in Concilio præſit, etiam in inferiori gradu conſtitutus, & aduerſus eos ſententiam definitionis dare poſſit.

Quod Papa abſentes deponere poſſit.

Quod non debemus manere in domibus excommunicatorum ab illo.

Quod illi ſolis liceat pro temporis neceſſitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonicis Abbatiam facere, & è contra diuitem Epiſcopatum diuidere, & duos pauperes vnire.*

* Canonicis.

Quod ſolus poſſit vti imperialibus inſignibus.

Quod ſolius Papæ pedes omnes Principes deoſculentur.

Quod illius ſolius nomen in Eccleſiis recitetur.

*Quod hoc vnicum eſt nomen in mundo.**

* Bar. Papa Gelaſius.

Quod illi liceat Imperatores deponere.

Quod illi liceat de ſede ad ſedem, ob neceſſitatem Epiſcopos tranſmutare.

Quod de omni Eccleſia, quemcunq; voluerit, clericum valeat ordinare.

Quod ab illo ordinatus alij Eccleſiæ præeſſe poteſt, ſed non militare. & quod ab aliquo Epiſcopo nō debet ſuperiorem gradum accipere.

Quod nulla Synodus abſq; præcepto eius debeat generalis vocari.

Quod nullum Capitulum, nulliq; libri Canonici habeantur abſq; eius auctoritate.

Quod ſententia illius à nullo debent retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

Quòd à nemine ipſe iudicari debeat.

Quod nullus audeat condemnare Apoſtolicam ſedem appellantem.

Quod maiores cauſæ vniuſcuiuſque Eccleſiæ ad eum referri debeant.

Quod Romana Eccleſia nunquam erranit, nec, ſcriptura teſte, in perpetuum errabit.

Quod Romanus Pontifex, ſi canonicè futerit ordinatus, meritū beati Petri indubitanter efficitur, teſte S. Ennodio Epiſcopo Papienſi, & multis SS. Patribus ſanctis, ſicut in decretis beati Papæ Symmachi continetur.

Quod de illius præcepto, & licentia ſubiecti liceat accuſare.

Quod abſque Synodo poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare.

Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat S. R. E.

Quod à fidelitate iniquorum ſubiectos poſſit abſoluere.

Quibus *decretis gradum ſibi fecit, & viam, ad ea omnia, quæ animo conceperat, peragenda: quibus iactis, & factis fundamentis in ſynodo, tentandi, quod diſpoſuerat, gratiâ, benignè primum, & humaniter Henricum Regem per literas ſuas deprecatus eſt, vt ſubiectionem ſanctæ Romanę Eccleſię non abnueret, tanquam bonus & Catholicus Princeps, atque ſe eidem Eccleſiæ deuotum filium exhiberet; hortatusq; eſt, vt ab Simoniaca hæreſi, id eſt, ab Epiſcopatuum, & Abbatiarum venditione, ſiue mercatu, quas largitione correptus conferebat, omnino ſe temperaret: & à reliquis vitiis, de quibus apud ſedem Apoſtolicam, tam ſub prædeceſſore ſuo Alexãdro Papa II. quàm ſe Pontifice renunciato, infamatus, & accuſatus fuerat, ſe contineret; alióquin ſe vſurum in ipſum, & delinquentes cenſuris Eccleſiaſticis.

* *Hæc omnia decreta ex iure diuino deducuntur, partim directè, partim indirectè. Nec quidquam noui ſanxit Pontifex, ſed quæ apud multos in oblivionem venerant.*

Quæ omnia, vt accuratius intelligantur, & vnde tot malorum, & ſchiſmatum origo inchoauerit, cognoſcatur, eorum temporum conſuetudinem referam, eiusque primordia paulò altius repetam.

Erat tum conſuetudo, à temporibus * Caroli Magni Imperatoris, primùm ex auctoritate Romani Pontificis Hadriani I. introducta, vt alicuius vrbis, vel Abbatiæ Epiſcopo, aut Abbate mortuis, ſtatim clerus, vel monachi in vnum congregati, legatos ad Imperatorem, qui tunc erat, dirigerent, ad quem defuncti Prælati pedum Pontificale, & annulum deferentes, eum pro nouo antiſtite deligendo, nomine ſui collegij interpellabant. Qui ſtatim ſenatu ſuo congregato, ex ipſius plerunque

* *Non eſt ita. Decepit Onuphrium Sigebertus, quem egregiè cõfutat Bar. Tom. 9. an. Chriſti DCCLXXIV. num. 10. & ſeq.*

Digitized by Google

que ſententia, vnum vel ex ipſis Collegiis, vel ex amicis, & Capellanis, ceterisque domeſticis, & familiaribus ſuis, iuxta loci dignitatem, vt ei libitum erat, pro arbitrio à ſe electum, annulo, & virga paſtorali Prælati defuncti ad ſe tranſmiſſis donabat, eumque de illo ſacerdotio diplomate ſuo imperiali (vt tum dicebatur) inueſtitum, hoc eſt, illa dignitate donatum, in Epiſcopum, vel Abbatem conſecrari mandabat, abſque alia cleri, & monachorum lectione. Hoc autem per Galliam, Germaniam, & Italiam, quæ tunc Latinus orbis cenſebatur, vſurpari mos erat.

Cuius exemplo cæteri quoque Reges, vt Hiſpaniæ, Francorum, Hungariæ, & eiuſmodi imitati ſunt. Hanc autem conſuetudinem; cùm omnes, vt dixi, Latini orbis Eccleſiç, tum ſæpe, & diu, in multis ſuorum Pontificum lectionibus ſeruauit Romana Eccleſia, & præſertim in Ioannis XIII. Gregorij V. Silueſtri, Clementis, Damaſi, Victoris, Nicolaiq; II. & Leonis IX. Romanorum Pontificum lectionibus: qui omnes, vt ſupra vidimus, Imperatorum Othonis I. & III. Henrici quoque III. & IV. ſententia, Romani Pontifices ſine cleri Romani ſuffragiis lecti, & ab eiſdem Imperatoribus per annulum, & virgam de Papatu Romano inueſtiti fuerant. Hanc rem, ante quadringentos annos tradit Guillelmus Tyrius libro 1. cap. 13. de bello ſacro ita: *Henricus Teutonicus Rex, & idem Romanorum Imperator à Gregorio Papa VII. paſſus fuerat quæſtionem, & controuerſiam non modicam ſuper annulo defunctorum Epiſcoporum, & baculo. Inoleuerat enim conſuetudo, præſertim de Imperio, quod decedentibus Eccleſiarum Prælatis, annulus, & virga paſtoralis ad D. Imperatorem dirigebãtur; vnde poſtmodum vnum de familiaribus, & capellanis ſuis inueſtitum ad Eccleſiam vacantem dirigebat, vt ibi paſtoris fungeretur officio, non exſpectata cleri electione. Quod Papa Gregorius contra omnem fieri honeſtatem conſiderans, & iura in eo facto conculcari Eccleſiaſtica perpendens, ſemel, ſecundò, ac tertiò eundem Imperatorẽ commonuit, vt à tam deteſtabili deſiſteret præſumptione: quem præceptis ſalutaribus commonitum, cum reuocare non poſſet, vinculo anathematis innodauit. quod factum nimis Imperator indignè tulit, &c.* Hæc autem omnia vt accuratius intelligi queant; quia ſunt cognitu non indigna, nunc breuiſſimè ab origine repetam, breuiq; ſermone percurram, quæ duobus libris ſuprafcripſi.

Poſt Iuſtiniani Imperatoris tempora, Gothosq;, Italia, qua per LXXVII. annos, potiti fuerant, ab eius ducibus Beliſario, & Narſe, bello XVIII. annorum poſtremo exactos, Vigilius, qui tunc Pontifex Romanus erat, ceteriq; que, qui poſt eum fuerant, ſummi Pontifices, Roma, & ea Italiæ pars, quæ à Longobardis occupari nõ potuit, diu ſub Imperij Conſtantinopolitani poteſtate, & protectione fuerunt, ſcilicet vſque ad Leonis Iconomachi, & Gregorij Papæ II. ſæcula. Quo temporum tractu, Longobardi ſub iuniore Iuſtino Auguſto in Italiam ex Pannoniis ingreſſi, eius primum potiorem partem, deinde paulatim ferè omnem, præter vnam tantum Romam (quam in eius gentis poteſtatem, eam acriter Romanis Pontificibus Imperatorum Orientalium auxilio, & præſidio fultis, defendentibus, nunquam veniſſe conſtat) obtinuêre. Græci porrò, Imperatoris præſidiis vel pulſis, vel cæſis, cum Rauenna, & Exarchatu, quæ ſola in Imperatoris Conſtantinopolitani ditione prouincia ſupererat, captis, Romæ quoque ſub Rege Aiſtulpho Longobardi inhiarent, multas Romanis, qui deditionem facere ſuaſu Pontificum recuſabant, calamitates, & incommoda intulerunt. Verebantur enim Romani Pontifices Longobardorum feritatem, & barbariem; ſimulque, ne vrbem Romam ſuæ ditionis, eam negligentibus Græcis Imperatoribus, factã, & cuius tanquam domini erant, ſibi eriperent. Quo tempore cùm imperij Romani maieſtas in Oriente, omnia ſibi barbaris vendicantibus, obſoleſceret, ac ſenſim laberetur, Imperatoresq; Conſtantinopolitani in hæreſim lapſi orthodoxam fidem, Catholicamque Romanam Eccleſiam, quæ eis aſſentire nolebat, ſuper imaginum depoſitione, oppugnarent, (nunquam enim adduci potuerunt Romani Pontifices,

* *Tradidit quidẽ hoc Tyrius, ſed non approbauit, imò improbauit, & pro deteſtabili conſuetudine habuit.*

fices, vt impiis abolendarum imaginum decretis subscriberent, imò eas contra Imperatorum orientalium furorem tuendas susceperant) Romana Ecclesia ob eas causas orientalibus destituta auxiliis, quibus vsq; ad ea tempora in tuenda contra Longobardos sua libertate vsa fuerat, ab eisdem ad Francorum potentiam, & virtutē tum maximè in Occidente florentes respicere, & se conuertere cœpit, atq; ab eis auxilia contra Longobardorum superbiam postulare.

Primus enim Stephanus II. cùm ab Aistulfo Longobardorum Rege opprimeretur, à Pipino Francorum Rege, & Caroli, postea Imperatoris, patre, auxilia contra Longobardos impetrauit. Qui in Italiam veniens, vrbem Romam, sedemq; Apostolicam egregiè tutatus est, Aistulfumq; acie victum, & pacis cōditiones accipere coactum, diu, dum vixit, in officio continuit, & Exarchatum Rauennæ, quem paulò ante Aistulfus de Græcis vi abstulerat, eis ademptum, Romanæ tum primum Ecclesiæ donauit.

Aistulfo Longobardorum, & Pipino Francorum regibus vita functis, Carolus Francis, & Desiderius Longobardis præfuêre. quorum ille obsequij erga Romanam Ecclesiam, hîc verò odij, hæredes fuerunt. Desiderius, Hadriano Papa, adeò Romanos vexare, & oppugnare cœpit, vt Pontifex, qui longè impar Longobardorum viribus erat, Orientalibus auxiliis destitutus, coactus sit exemplo Stephani II. Carolum magnum Pipini filium, Frācorum Regem, Saxonico bello tunc implicitum, in Italiam Ecclesiæ Romanæ auxilio euocare. Qui Pontifici obtemperans, in Italiam ingenti cum exercitu, Alpibus superatis, venit. Vbi Desiderio acie victo, atq; paulò post capto, Longobardorum regnum in Francorum ius transtulit. Qui, vt se gratum Romanæ Ecclesiæ exhiberet, cuius tuendæ causa opulentissimum regnum obtinuerat; tres ex regno Longobardico partes fecit: quarum vnam, ipsius scilicet regni Longobardici sedem Ticinum, & omnia, quæ Lōgobardi in Italia antiquitus acquisierant, sibi retinuit: alteram verò, quæ ea comprehendebat, quæ paulò ante Longobardi in Italia Orientalibus ademerant Romanorum Imperatoribus, id est, Exarchatum, Vmbriç, & Piceni partē Romanæ Ecclesiæ confirmauit, vel de nouo largitus est. Tertiam porrò, qua ea Italiæ parte continetur, quæ Siciliam versus, in qua Beneuentum erat, respicit, & hodie regni Neapolitani nomine appellatur, Duci Beneuentano, qui vnus ex regio Longobardorum sanguine supererat, & Imperatori Constantinopolitano cum Siciliæ insula dimisit. Quibus ita dispositis, primus omnium Principum, Romanam quam maximè & dignitate, & profana ditione, maximisq; opibus auxit Ecclesiam.

Tot igitur, tantorumq; beneficiorum non immemor Papa Hadrianus, sub quo tam magnificè de Romana Ecclesia Carolus bene meritus fuerat, Synodum C. LIII. Episcoporum, Abbatum, aliorumq; plurium Prælatorum anno salutis * DCC.XXCV. Laterani in basilica S. Saluatoris, quę *Constantiniana* vocatur, congregauit; in qua, ex totius Synodi consensu, dedit ei ius, & potestatem Pontificem eligendi, & ordinandi Apostolicam sedem, cùm eo tempore liberis Romani cleri, & populi suffragiis Romanum Pontificem creari mos esset. Insuper Episcopos, Archiepiscopos, & Abbates omnium prouinciarum ei subditarum ab eo inuesituram accipere definiuit, eorum, quibus præerant, sacerdotiorum; ita vt nisi à rege laudarentur, & inuestirentur Episcopus, vel Abbas, à nemine consecrari posset: & omnes, qui contra hoc decretum egissent, anathemate notauit, & bona eius proscripsit. Cuius rei meminit Anastasius Bibliothecarius in historia Ecclesiastica * quem locum Gratianus Canonum collector 63. distinctione notauit.

Imperatoribus autem, qui Carolo Magno successerunt, ad eam ignauiam delapsis, vt non solùm eiusmodi priuilegium tueri nollent, sed nec vlla Imperij iura curarent, eam occasionem nactus

* *Nihil de hac Synodo hoc anno celebrata in legitimis & genuinis Ecclesiasticis monumentis occurrit. Totū hoc commentum refellit Bar. anno DCC. LXXIV.*

* *Gratianus in errorem inductus est à Sigeberto, cuius verba verbatim exscripsit. Sigebertus hāc historiam Synodum refert ad annum DCC LXXIII. cui Onuphrius ad annum DCC. LXXV. In Vita Hadriani nil hac de re habet Anastasius. Nec crediderim aliquid horum haberi in eius Historia quam ante aliquot annos Gedani manuscriptam. Haud enim fugisset rei tanti ponderis Baronium.*

* *Rectè & legitimè fecit Hadrianum.*

nactus * Hadrianus Papa III. ſub Imperatore Carolo Tertio anno ſalutis DCCC.LXXXIV. illud quidem, quod ſub prioribus Pontificibus ſenſim exoleuerat, congregata Synodo, omnino antiquauit, & abrogauit, inſtituens, vt in Papæ electione Imperator ſe non intromitteret. Priuilegium Hadriani primi, Imperatori ab Hadriano III. ereptum, * Leo Papa VIII. Othoni primo Imperatori de Romana Eccleſia optimè merito, cùm eam ex tyrannorum Berengarij, & Adalberti manibus erutam, in libertatem, quam amiſerat, vendicaſſet, anno Domini CM.LXII. in Synodo Laterani congregata, exemplo eiuſdem Hadriani primi, qui illud Regi Carolo conceſſerat, reſtituit, renouauit, & de nouo confirmauit, vt patet ex eâdem diſtinctione apud Gratianum.

* *Leo non fuit Papa, ſed Antipapa. Quod merum ab Onuphrio non fuiſſe animadverſum. Fictitium Leonis priuilegium ſolidè refellit Baron. anno Chriſti DCCCC.LXIV. & Gratiani hallucinationē d. 63. cap. 23. manifeſtè demonſtrat.*

Porrò autē contra hoc Leonis VIII. decretum nullus deinceps Romanorum Pontificum reclamauit, vel apertè contradixit, vſque ad Gregorium VII. Hic primus fuit, qui Imperatorum ſimonia offenſus, in contrarium editis decretis, hæc duo Hadriani primi, & Leonis VIII. priuilegia omninò abrogauit, & induxit. Satis autem conſtat, Ioannē XIII. qui Leoni VIII. immediatè ſuccеſſit, Gregorium V. & Syluеſtrum II. Apoſtolicæ ſedi ſola Imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, nullis cleri, vel populi Romani ſuffragiis expetitis. Cęteri verò Romani Pontifices, qui inter Ioannem XIII. & Siluеſtrum II. fuerunt, etſi eos electos fuiſſe ab Imperatoribus non legatur, ſed à clero, ſenatu, populoque Romano, id accidit, quod electionis tempore Imperatores vrbe abſentes, adeò maximis in Germania, & alibi bellis impliciti eſſent, vt de nouo Pontifice Romanæ ſedi prouidere non poſſent. Illud tamen conſtat, dum Imperatores, tres Othones loquor, in vrbe, vel propè, aut certè in Italia fuerunt, & Romanam fortè Eccleſiam paſtore vacare tum contigiſſet, eos nouum ſummum Pontificem dediſſe. Si verò tempore nouę electionis, eos ab Italia procul eſſe contigiſſet, certum eſt, tum Romanos Pontifices à clero, ſenatu, populoque Romano electos non abſque Imperatorum conſenſu conſecratos fuiſſe. Fuerunt autē Benedicti duo VI. & VII. Bonifacius VII. Apoſtolicę ſedis inuaſor, qui etiam exactus fuit, & Ioannes XIV, XV. * XVI. Quorum nouiſſimus, vt quidam ſcribunt, quod ſine Imperatoris Othonis III. conſenſu electus, & conſecratus eſſet, vrbe fugatus, ſacerdotio mulctatus eſt, Gregorio V. ſubrogato.

* *Iſte Ioannes fuit Antipapa.*

Huic igitur priuilegio à Leone VIII. vſque ad Gregorium VII. à nemine vnquam Papa reclamatum eſt: quanquam non omnino fuerit, negligentiâ Imperatorum obſeruatum. Verùm Othone III. Imperatore ſub Siluеſtro II. circa annum Domini M. mortuo, qui ei ſucceſſit Henricus II. vir ſanctiſſimus, ac inter Diuos relatus, & poſt eum Cunradus II. eiuſmodi priuilegium curare viſi non ſunt. Nam poſt Siluеſtrum Secundum, qui ſub Henrici Secundi Imperio obiit, Romani omnes Pontifices vſque ad Clementem II. ſine Imperatorum auctoritate renunciati ſunt. An autem eorum conſenſum, antequam conſecrarentur, requiſierint, etſi mihi veriſimile ſit, nunquam tamen inueni. Hoc autem accidiſſe credendum, tum propter Henrici II. eximiam ſanctitatem, qui liberam voluerit eſſe Romani Pontificis electionem, cuius in ſuperiori libro 3. vetus etiam documentum retuli, tum etiam propter Cunradi II. occupationes, quibus, & maximis bellis, dum vixit, detentus eſt, longè ab vrbe abſens. Neq; etiam vnquam contigiſſe legitur, vt vnus ex his duobus Imperatoribus Romæ, vel in Italia vacantis ſedis tempore fuerit. nam forte trium Othonum prædeceſſorum ſuorum exemplo Romanum Pontificem dediſſent. Cæterum cùm ob eorum * negligentiam in Imperij iure tuendo, priuilegium Leonis VIII. fortè obſoleuiſſet, octo, vel nouem Romanis Pontificibus ſine eorum lectione à clero, ſenatu, populoq; Roma-

Quid opus erat cōtradicere, cum vtrumque priuilegiū ſit fictitiū? Nulli Imperatori, Regi vel Principi ius eligendi Pontifex Romanus competit. Prin.ª, qui hoc ius ſibi tyrannicè arroganit, fuit Theodoricª Rex Arianus. Quē Deus ob pœnam factis, mox è medio ſuſtulit. Vide Baron. Tomo 9. Anno D. XXVI. num. 22. & ſeqq. Quem poſtea ſecutus eſt Iuſtinianª, & alij Orientales Imperatores, qui ſalem cum firmandi Pontificis ius ſibi vendicabant, nec ſine nummorum exactione, quod nō ſemel deteſtatur & amariſſimè deplorat Gregorius, præſertim ſuper 4. Pſal. pœnit. Vide Bar. Tom. 8. anno D. XC. num. 5. & ſeqq pecuniam pro confirmatione pendendam remiſit Conſtantinus Pogonatus anno Chriſti DC. LXXXI. retento tamen confirmationis iure, quo tamen paulò poſt, nempe anno DC.LXXXIV. penitus ſe abdicauit. Vide Bar. dicto anno. De conceſſione quadam à Nicolao II. facta Henrico, infrà dicemus.

* *S. Henricus id quod ſibi non debebatur, noluit ſibi temerè arrogare. Eadē mens fuiſſe videtur Cōrado Salico.*

* *Non fuit illa negligentia. Obſecro, cur vix quinquā Adelmanni & Leonis priuilegia contra Gregorium VII. & alios prōtulit, præter Sigebertū & Valramū in Tract. de Inueſtituris apud Illyr. Catal. Teſt. qui Valramum ſeruiſſe hunc Tractatum ſuum anno Chriſti M.C.IX.*

Digitized by Google

Romano creatis, occaſione maximi inter tres Pontifices ſchiſmatis accepta, Cunradi II. filius * Henricus III. in Italiam venit, Imperiúque hoc priuilegium magnificè vindicauit (vt ſupra in Clementis II. vita docui) &* iuxta priuilegia Hadriani I. & Leonis VIII. formam, abrogatis tribus Pontificibus, Benedicto VIII. Siluestro III. & Ioanne XX. Gregorio quoque VI. priuato, nouum Pontificem Romanæ ſedi dedit Suidegerum Saxonẽ Capellanum ſuum, Epiſcopum tunc Bambergenſem, quem Clementem II. appellauit, Cardinalesque, clerum, ac ſenatum, populumque Romanum Sacramento adegit in verba ſua iurare cogens, ſe Romanum Pontificem niſi ſuo iuſſu creatum non ſuſcepturos. Qui, dum vixit, hoc * præſtantiſſimum Imperij ius mordicus retinuit, & Clementem II. Damaſum II. Leonem IX. & Victorem II. ſuo arbitrio Romanos Pontifices deſignauit. Quomodo autem, & qua ratione, ab electione Clementis II. vſque ad Gregorij VII. Pontificatum Romana Eccleſia in huiuſmodi electionibus ſe geſſerit, & cauſſarum initia, quæ Gregorium VII. Papam commouerint, ad libertatem Eccleſiaſticam in Pontificiis Comitiis aſſerendam, ſatis ſupra explicaui: nũc factum exponam.

Gregorius VII. iam inde à Gregorij VI. depoſitione * malè aduerſus Imperatores animatus, Pontifex factus, nullam occaſionem prætermittebat, qua Imperatores auctoritate creandi Pontificem Romanum ſpoliaret. Cui rei maximum incendium obtulit comitiſſa Mathildis, quo iure quodam contra Imperatorem ipſum procedere poterat. Mathildis enim illuſtris illa, & tota Italia celebratiſſima femina, Bonifacij maximi per Italiam Principis filia, & hæres; Imperatoris Henrici IV. vim timens, * Longobardiæ, Tuſciæ, & Liguriæ aliquot vrbes iure hæreditario ad ſe pertinentes Gregorio Papæ, & S. R. E. donauit. * Hinc odij inter Imperatorem, & Pontificem ſeminarium primò exortum, cùm Imperator donationem illam in Imperij (cuius Mathildis beneficiaria erat) præiudicium approbare nulla ratione voluiſſet, imò ea omnia occupare, tanquam ad ſe deuoluta tentaret: Tunc enim Pontifex opportunitatem nactus, quod Imperator ſibi iura vendicaret Eccleſiæ, poſtea eum excommunicauit*, alia demum accedente, quæ periculoſiſſima erat cauſſa. Henricus enim IV. Imperator, cùm multis, & maximis bellorum occupationibus implicitus ingenti pecuniæ vi indigeret, Epiſcopatus, & Abbatias, plerumque his, * qui plus ei offerebant, largiebatur, perſonarum conditionis nulla habita ratione. Quod factum hæreſis Simoniacæ labem fugere non poterat. De hac igitur re, & aliis multis criminibus apud ſedem Apoſtolicam tam ſub Alexandro II. quàm ſub Gregorio VII. accuſatus, ſæpè à Gregorio VII. admonitus eſt, & acriter reprehenſus. Quem cùm ſibi rectè admonenti obtemperare nolle Pontifex cognouiſſet, eum literis minarum plenis vrgere cœpit. Animum Papæ ſuapte natura contra Imperatorem commotum excitabant aliquot Germaniæ, & Saxoniæ Principes Henrico rebelles, quorum, & Nortmannorum præſidiis, Comitiſſæ quoque Mathildis auxilio fretus, multa contra Imperatorem, cum primum potuit, * auſus eſt.

Igitur anno Domini M. LXXV. rebus, non verbis amplius tranſigendum eſſe ratus, Legatos ſuos ad Imperatorem miſit, ipſi mandans, vt ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima anni proximi M. LXXVI. Romam ad Synodum veniret, de criminibus, quæ ei obiecta fuerant, cauſam dicturus: aliôqui ſciret, ſe abſque omni mora eôdem die anathemate notatum iri. Quæ legatio adeò Henricum permouit, vt reiectis ſtatim graui cum contumelia legatis, duo tum primùm agitaret: vnum, vt clam Gregorium capere, vel interficere faceret; aliud; vt niſi eiuſmodi res ſucceſſiſſet, ipſum Pontificatu priuaret. Quare occultè per nuncios ſuos egit, vt nocte Natalis Domini, dum Papa Miſſam celebraret, à * Cencio Præfecti vrbis filio, ſatellite ſuo, ipſe caperetur, quod etiam factum

* *Idem in Henrico fuit, quod Theoderico Regi Gothorũ, hoc eſt, nullũ. Lege Baronium M. XLVI.*

* *Præſtantiſſimũ non fuiſſet; niſi inuerecundiſſet. Auctor Apologiæ pro Hẽrico nihil de hoc iure ſingit. Saltem Catholicũ nõ obſecrat: nec vllã argumẽtum pro ſuo Henrico inde duxit. Nec Catholici, qui omnes Schiſmaticorũ obiectiones ſoluunt, hanc vnquam attingunt.*

* *Non malè, niſi quia malè ſum obtinebat.*

* *Lege Bar. anno M. LXXVII. num. 24. & ſeqq.*

* *Hæc non fuit prima cauſa diſſidij, ſed Simonia, & ſcelera Hẽrici, & atrox in vrbe tyrannica vſurpatio.*

* *Eandem rationem tenent hodie Turcæ in Græcia & alibi, vbi ſub ſe Chriſtianos habent.*

* *Sed iure, quia pro Eccleſiaſtica libertate, contra turpiſſimã Simoniæ labem. Lege Bar. M. LXXVI.*

* *Cincio. Bar. anno M. LXXV.*

Digitized by Google

factum est. Verùm à populo Romano Cencio proscripto, liberatus impium conatum Imperatoris eluſit.

Cæſar, vbi inſidiæ non proceſſerant, *M. LXXVI. ad vim conuerſus, * congregato Wormatiç in proxima Dominica Septuageſimæ XXIV. Epiſcoporum, Abbatumque multorum, quos Gregorius variis excommunicationibus ante * vexauerat; conuẽtu; occaſione accepta, quod *abſque conſenſu ſuo, ſolis tamen Romanis fauẽtibus, Apoſtolicam ſedem conſediſſet, eum Papatu priuarunt. Cuius priuationis formula eiuſmodi fuiſſe dicitur: *Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs eſt initiatus, & Eccleſia Dei tam graui tempeſtate per abuſionem nouitatum tuarum periclitatur, & vitam per conuerſationem tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero vllam ſeruaturos eſſe renunciamus; & quia nemo noſtrum, vt tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Epiſcopus, tu quoque nulli noſtrum à modo eris Apoſtolicus.* Cui decreto non ſolum Germaniæ, & Galliæ multi Epiſcopi, ſed & Italiæ plerique conuentu Papiæ Imperatoris iuſſu habito, ſubſcripsêre.

* Sed ideo, vt Gexato daret intellectum. * Conſenſerat Henricus, ſed vt erat Variabilis, conſenſum poſtea in diſſenſum vertit.

Quo ad Gregorium Papam Laterani in Concilio Quadrageſimali ab ſe coacto, tam hoſtili decreto perlato, Pontifex ſtatim nullas interponendas eſſe moras ratus, ex omnium Epiſcoporum, & Abbatum, qui in Synodo aderant, ſententiâ, Imperatorem, & omnes eius fautores, & adhærentes, graniſſimo anathemate notatum, imperio priuauit, omnesq; ſubditos ab omni ei præſtito iuramento abſoluit.

Cuius rei occaſione, cùm vniuerſi ferè Germaniæ ſeculares Principes ab eo * defeciſſent; alium Imperatorem creare conſtituerunt, niſi Cæſar Henricus ante anni tempus excommunicatione à Pontifice ſolueretur: quem per nuncios ſuos clam deprecati fuerunt, ne ea Imperatorem exſolueret. Cæſar tot minis coactus in Italiam, ſuperatis Alpibus, rigidiſſimo anni tempore venit, & cum Gregorio Papa (quẽ Canuſij inuenerat) poſt multas preces, maximamq; præteritorum pœnitentiam oſtenſam, pacem quibuſdam duris conditionibus, præter Italiæ Principum voluntatem, fecit; atq; ab eo ſe anathemate ſolui procurauit. Sicq; Principum Germaniæ vim, & inflexibile contra eum propoſitum fregit. Hoc factum eſt 5. Kalend. Februarij Pontificatus Gregorij VII. anno quarto, ſalutis verò M. LXXVII.

* Imò & Epiſcopi, qui decreto cõciliabuli ſubſcripſerant, teſte Sigeberto, quamuis Schiſmatico, anno M. LXXVII.

Cæterùm Cæſar ingenti metu liberatus, Italicorumq; Principum promiſſis incitatus, Gregorio Pontifici denuo rebellis, & * manifeſtus hoſtis factus, ipſum clam capere Canuſio Romam redeuntem tentauit. Quod vbi alienatum ab ſe Cæſaris animum Papa cognouit, ſtatim in Germaniam ad Imperatoris hoſtes Saxones, & alios Principes Legatos miſit, qui Regis temeritatẽ, ſcelera, & periuria referrent, hortarenturq; eos, vt nouum ipſi Regem, Henrico abrogato, crearẽt, quem ipſe poſtea Imperatorem inungeret. Germaniæ Principes Papæ legatione audita, illicò conuentu in Forcheim congregato, Rodulfum Sueuorum Ducẽ in Romanorum Regem elegêre, hac conditione, vt ſacerdotiorum inueſituras dimitteret, &, ne velut hæreditario iure, filios ſuos ſucceſſores declararet. Quod vbi Henricus Imperator audiuit, vehementi indignatione inflammatus, in Germaniam ingenti exercitu comparato regreſſus, bellum rebellibus Principibus indixit: quod vario euentu propè in triennium protractum eſt.

* Imò & ſubdolus inſidiator. Baron. M. LXXVII. num. 36.

Anno verò M. XXC. Pontificatus Gregorij VII. Pontifex Laterani Concilio multorum Epiſcoporum, & Abbatum in Quadrageſima congregato, Henrico Rege bellis Germanicis implicito, cũ ipſum nulla ratione ex hoſtium Germanorũ manu euaſurum ſibi perſuaderi poſſet, quod diu antè agitauerat, aliquotq; decretis antè ſenſim prænotauerat, tunc primum * apertè euomuit. Conſtitutionem illam enim tunc primum edidit, qua Imperatorẽ non ſolùm auctoritate inſtituendi Romanum Pontificem, * quam trecentis propè annis antè prædeceſſores ſui habuerant, ſed & omnibus etiam cæterorum ſacerdotiorum inueſituris priuate conatus eſt, omnemq; Epiſcopo-

Vide Baron. anno M. LXXX.

* Schiſmaticum hac locutio decet, non Catholicum.

* Nunquã habuit rure. Agnum faucib. lupi eripere, cui non licuit!

Digitized by Google

rum, & Abbatum instituendorum rationem ad electionis capitulorum, & monachorum formam reduxit. Cuius decreti exemplum sequens est.

Patrum sanctorum statuta sequentes, sicut in prioribus Conciliis, quæ, Deo miserante, celebrauimus, de ordinatione Ecclesiasticarum dignitatum statuimus, & ita per nostram Apostolicam auctoritatem decernimus, confirmamus, & constituimus, vt, siquis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicuius laica personæ susceperit, nullatenus Episcopus, vel Abbas habeatur, neq; vlla ei, vt Episcopo, vel Abbati adhibeatur reuerentia. Insuper ei B. Petri gremium, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quo vsque locum, quem sub tanto crimine ambitionis, & inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cepit, resipiscendo non deserit. Similiter & de inferioribus Ecclesiasticis gradibus, dignitatibúsque constituimus. Si quis item Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cuiuslibet potestatis secularis Episcopatum, vel quamuis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se obstrictum nouerit. Insuper etiam, nisi resipuerit, & Ecclesiæ propriam libertatem dimiserit, diuina animaduersionis vltionem in hac præsenti vita, tam in corpore, quàm in cæteris rebus suis sentiat, vt in aduentu Domini nostri IESV Christi spiritus eius saluus fiat: cùm CCC.XVIII. Patres in Concilio Nicæno omnes huiusmodi vendentes, & ementes excommunicauerint, censentes, vt qui dat, & qui recipit, anathema sit.*

* Sententiam ex stant apud Baronium, & Tomo 3. Conc. edit. Colon.

Cùm eiusmodi igitur Episcopũ, vel Abbatibus, aut clericũ qui communicat, vel erat, aut ipsorum audit missas, vna excommunicationis sententia plectatur. qui ne sacerdotes quidem rectè putari possunt: pœnitentia verò, & communio à nemine, nisi à Catholico suscipiatur. Quod si nullus adsit Catholicus presbyter, rectius est sine visibili communione persistere, & inuisibiliter Domino communicare, quàm eam ab hæretico sumendo, à Deo separari. Nulla enim, vt ait Apostolus, est conuentio Christi ad Belial: neque pars aliqua fideli, cum infideli. Omnis enim hæreticus infidelis. nam sacram CHRISTI communionem, quamuis visibiliter, & corporaliter Catholici propter imminentes hæreticos habere non possint, dum tamen mente Christo coniuncti sunt, eius communionem inuisibiliter sumunt. Simoniacos verò hîc appellat, quotquot à manu laica alicuius beneficij inuestituram acciperent. Hoc verò decreto procul dubio Imperator * Henricus, & omnes Reges Latini, & occidentales petebantur; deinde Episcopi, & vniuersus clerus Galliarum, Germaniæ, & Italiæ pulsabantur.

* Nemo petebatur hoc decreto, nisi Simoniaci, & qui alienum ius inuasserãt & ab inuasoribus sibi reddi postulabãt. Omnes huius generis fuisse aperte falsum est.

De Episcoporum verò electione ita definiuit.

Quoties defuncto Pastore alicuius Ecclesiæ alius est ei canonicè subrogandus, instantia visitatoris Episcopi, qui ei ab Apostolica sede, vel à Metropolitano directus est; clerus, & populus, remota omni seculari ambitione, timore, atque gratia; Apostolica sedũ vel Metropolitani sui consensu, pastorem sibi secundum Deum eligant. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumpserit, electionis perperam facta omni fructu carebit, & de cætero nullam electionis potestatem habebit. Electionũ verò potestas omnis in deliberatione sedũ Apostolicæ, siue Metropolitani sui consistat. Si enim ũ, ad quem consecratio spectat, non ritè consecrando, teste B. Leone, gratiam benedictionis amittit: consequenter ũ, qui ad vanam electionem declinauerit, eligendi potestate priuatur.

* Quæ sequuntur plane indigna sunt homine docto, nedũ Onuphrio, qui tamen hæc ex Henrici potius sensu; quàm ex suo scribere videtur. Refero enim, quòd Henrici & Schismaticorum sensus fuerit super Gregorij decretis.

His autem decretis, in duobus potissimum, maiestas, & Romani Imperij dignitas euertebatur; & quod longè peius erat, ea fundamẽta iaciebantur, quibus Romani Imperij potestas omnino labefactaretur.

De primo autem dicam: Erat tunc * consuetudo, vt ex omnibus orbis Latini partibus infinita propè hominum diuersarum conditionũ millia, aulam Imperialem frequentarent. In his aderant diuersarum congregationum monachi, doctores, viri literati, nobiles, & ignobiles, qui omnes eò confluebant, spe ducti, vt ab Imperatore sacerdotia consequi possent, quemadmodũ nunc vsus est in Romana curia. Imperator enim non solùm Episcopatus omnes, & Abbatias, minoraque omnia sacerdotia, vt præbendas, canonicatus, præposituras, & decanatus, & huiusmodi * conferebat: sed etiam, vt iam visum est,

* Pessimus & pernitiosus hic abusus fuit, & ferro excommunicationis rescindendus, & factum à Greg. VII. qui nundinationem istam sustulit.

* Ei nimirũ, qui plus dabat, siue aptus, siue ineptus esset: quia in Aula perpetua nundina erant.

Digitized by Google

est, Romanum Ipsum Pontificem designabat.

Si igitur Gregorij decretis locus esset, illicò consequebatur, vt omnis hęc * aulæ Imperialis maiestas obsoleseceret, spe consequendi à Cæsare sacerdotia sublata, quæ iam per electionẽ tradebantur, nullo amplius Imperatoris interuentu, nec præterea à tot diuersarum nationum illustribus doctrina, & nobilitate viris frequentari contigisset aula Imperialis.

Altera verò causa, qua Imperator valdè vrgebatur, quæ multò maioris momenti existimabatur, erat: quod si Cæsar Prælatorũ *inuestituras* (ita enim collationem appellabant) amitteret, maiorem imperij sui, meliorem, fortioremq; partem deperderet, & maximarum calamitatum seminarium imperio faceret. Nam, quando priuilegia * Carolo Magno, & Othoni I. Augustis ab Apostolica sede de Prælatorum inuestituris concessa fuêre, Ecclesiæ, & Episcopatus tunc * pauperes, tenues, & sine tot redditibus erant. Postquam verò iuris Imperij facta est eorundem Prælatorum electio, quemadmodum & ceteri Principes seculares Imperij, tũ Cæsares, qui de religione bene mereri volebant, sine imperij tamen præiudicio, cœperunt Episcopos, & Abbates ob religionem, tanquam potiora Imperij mẽbra, præ ceteris Laicis principibus honorare; profana ditione, & ingentibus opibus honestare, arces, opida, vrbes, marchias, ducatus, prouincias, pedagia, telonea, vectigalia, portoria, & multa alia, quę Imperij propria erant, Episcopatibus concedere; quæ vel ex suis propriis bonis, quę ad Imperium pertinebant, vel ex alienis feudis erant. * Nam laicis principibus sine legitimo hærede mortuis, eorum prouincias, quæ beneficiario iure ad Imperium pertinebant, non aliis amplius Laicis regulis, sed Episcopis concedebant: atque hac ratione omnes Episcopatus, & Abbatias Italiæ, Galliarum, & Germaniæ, imò totius orbis Latini, & deniq; ipsum Pontificem Romanum, ex pauperibus ditissimos, & maximos Principes fecerant; ex eis scilicet opibus, quæ antè Imperij iuris erant, in nulla re Imperialia propterea iura minui existimantes. quippe quòd certi essent, eos omnes Prælatos à se designandos fore, & non nisi iussu suo, & voluntate sacerdotia ipsa obtenturos. Gregorius igitur suis decretis dimidium * Imperij Cæsari tollebat: Nam Episcopi nulla ratione adduci poterant, vt, quæ ab Imperatoribus antiquis obtinuerant, dimittere, & Imperatori restituere vellent, cùm ex sua eruendi essent potestate (id enim Cæsar ipse quærebat) nec Imperator id agere poterat, vt Episcopi ea Imperio restituerent, quæ ab Imperatoribus non vt * Episcopi, sed vt Imperialia membra obtinuerant. Si igitur Prælatorum designatio ab Imperatore auferretur, & Prælati retinerent beneficia, & alia, quæ Imperij antè fuerant, * dimidium Imperij omnino ab Imperatore tollebatur.

Accedit, quod maximè Cæsarem angebat, quod si Episcopi Germaniæ, & Italiæ cùm ab Imperatore electi, & inuestiti essent, vix in officio contineri poterant, ne contra ipsum varias, & frequentes rebelliones molirentur: quid deinceps facturi essent, si omnino ex Imperatoris potestate eruti & liberati essent, & in cuiusuis Ecclesiæ, Capituli, vel Collegij potestate esset nobilissimi, & potentissimi Episcopatus antistitem quempiam Imperatori hostem acerrimum eligere, qui maximæ Imperij ruinæ caussa deinde esset? *

Hæ igitur caussæ sunt, quæ Cæsarem, & ceteros laicos Principes quàm maximè aduersus Pontificem commouerunt, Imperij enim vel omnino tollendi, vel in perpetuum stabiliendi caussa tunc maximè tractabatur. Cæsar enim Imperij iura, & ea quidem summa omnino tueri, Papa verò Ecclesiæ libertatem, nulla imperialis excidij ratione habita, asserere volebat, indignum esse clamitans à manu laica sacerdotes creari, quanquam id per trecentos ferè annos à Caroli Magni

M 2 tem-

* An aula Imperialis florere nequibat sine beneficiorũ Ecclesiasticorum nũdinatione?

* Cura pecuniæ emẽgendæ potissimum coquebat & torquebat Henricum.

* Videtur tot* ista de inuestiturũ discursu effictum & expressum ex Tract. Valerami de eodem argumẽto apud Illyricum in Catalogo Testium; qui tot* inadsificatur priuilegiũ nũquam concessũ; sed supposititium & commentitium.

* Non est Quinersim Verum. Nã Carol* Magn* amplissimis opib* auxit cum alias Ecclesias, tũ maximè Romanam, Vt de antiquitb. Imp. nihil dicã.

* Plurima quidem Ecclesiæ donata sunt ab Imperatoribus; eram immediatè. Sed nõ omnia: neque Vllus Catholica pietatis amans Imperator aut Princeps ea consilia Romanam Ecclesiam vel alias diuaus, Verum eligendi & inuestiendi Antistites sibi vaperet, quia hoc ius non laicis, sed Ecclesiæ competit.

* Falsum; nam q Gregorius Cæsari eripere cõtabat, nunquam fuerũt Imperij de iure, sed per vim & illegitimam vsurpationem.

* imo, Vt Episcopi ea obtinuerant.

* Nihil penitus Imperio debitum auferebatur; quia Episcopi manebant imperij membra, sametsi, Vt Episcopi, non inuestirentur ab Imperatore.

* Huic incommodo occurri potest, salua Ecclesia iure, & absque vlla, qua tunc vigebat, Simoniaca beneficiorum nundinatione.

* Hæc sunt figeberti, non Gerttas. tempore * sub sexaginta & eo amplius Romanis Pontificibus vsurpatum esset. Maximè igitur Imperatori laborandum erat, ne hæc decreta starent, si imperij iura; imò imperium ipsum saluum esse vellet, quod eiusmodi Papalibus edictis procul dubio dissipãdum esse * existimabat.

* Sed mãlè: nam Imperium non dissipatur conservatione Iurũ Ecclesiastic. * Simoniacos, qui beneficia Ecclesiastica emerant. * Quàm vetò verum! Pontifex etiam * Episcopos, Abbates, cæterosq; Prælatos prima hac fronte his constitutionibus non minus sibi infestos reddidit, quàm Imperatorem ipsum: quibus necesse erat, aut Episcopatib' carere, & Abbatiis, aut excommunicationi subiacere: aut Episcopatus, & Abbatias de manu Imperatoris suscipere. Quod enim tunc Collegium, vel Capitulum auderet contra tam * veterem consuetudinem, tot seculis coalitam, & semper vsurpatam in locum demortui Pontificis, vel Abbatis nouum constituere Præsulẽ, Imperatore potentissimo inconsulto? Nam & eligentes, & electus antistes non solùm votis suis potiri nõ potuissent, sed & temerarij ausus statim pœnas Imperatori luissent. Aut, quis Episcopus, vel Abbas, quanquam rutè eligi à suæ Ecclesiæ collegio potuisset & præter Imperatoris sententiam; sacerdotium assumere posset, vel auderet, qui statim à sua sede, alio ab Imperatore surrogato, armata manu eiiciendus esset? Fieri ergo nõ poterat, vt, si quis Episcopatum, vel Abbatiam adipisci volebat, eam aliter quàm ab Imperatore acciperet, & prẽsertim in prouinciis imperio subiectis. E contra, si quis ita ab Imperatore sacerdotium suscepisset, statim ab Episcopo Romano excommunicatione notabatur; quam homines hac tempestate in tantum timebant, vt ea vna præcipuè Romani Pontifices omnia, quæ desiderabant, se tandem consequi posse, non dubitarint. Quod etiam illis ex voto, quanquam non sine periculis, & difficultatibus postremò cessit. Vix enim ab iis deuotus, alicubi diutino tempore consistere poterat, omnibus eum, tanquam pestem publicam, euitantibus, existimantibusque, si cum excommunicato agerent, se statim viuos terræ hiatu absorbendos.

Effectus & efficacitas excommunicationis.

A In maximis ergo angustiis, & calamitatibus, nimiisque pressuris Prælati Ecclesiæ tunc constituti erant, adeò, vt multi potius elegerint dignitatibus cedere, quàm vel in Imperatoris indignationem, si ab eo inuestituras, quod alia ratione fieri non poterat, non susciperent, vel in excommunicationem, si acceptassent, incurrere, ab omnibusque ludibrio haberi, & pro impiis, & facinorosis reputari. * Cæsar quoque ipse, multique alij Principes, & Prælati fuerunt, qui Romani Pontificis anathema, tanquam iniquum, & B iniustum, & præter leges factum, contemnebant, aliosque contemnere persuadebant, & cogebant. * Populorum tamen multitudo, & maxima Principum tam Laicorum, quàm Ecclesiasticorum pars excommunicationem Papæ maximè verebantur; vel, quod ita re ipsa sentirent; vel, in Imperatoris odium, qui à multis Germaniæ Principibus, & præsertim Saxonibus, quos, vt rebelles Cæsar ipse frequẽtibus bellis attriuerat, ingenti odio habebatur. C Ita enim sunt Germanorum Principum animi, * vt non nisi coacti, Imperatori à se electo parere velint, auitæ tuendæ libertatis auidissimi.

* Aliqui contemnũt excommunicationem, & repudiant, vt iniquam. * Plures eã reuerentur & rectam existimãt. * Imperatores sponte sua parent Germani; tyranno vẽ nisi coacti.

Hoc igitur Papæ decreto quàm maximè incitati sunt Episcoporum Germaniæ, & Italiæ animi; cui cùm Imperator nulla ratione obtemperare vellet; Papa Gregorius tam ob hanc caussam, quàm ob eam rebellionem, quam post primam pacem, & absolutionem impetratam fecerat, & alia multa crimina, de quibus à Saxonibus apud Põtificem delatus fuerat, ipsum Cæsarem D denuò grauissimo anathemate notatum, imperio priuauit; Rodulfumque, qui contra eum Augustus ab aliquot Germanis Principibus creatus in schismate fuerat, confirmauit, & omnes ab Henrici Sacramento absoluit: Guibertumq; Archiepiscopum Rauennatem præcipuum Imperatoris amicũ, sacerdotio mulctatũ, ac plerosq; alios Episcopos, Archiepiscopos, & Abbates, q Henrici causam tuebantur, passim excõmunicauit. Quæ omnia, cùm ad Imperatoris aurem peruenissent, valdè timuit, Pontificisq; * audaciam veritus, statuit

* Indemagnanimitatem.

ſtatuit hominem præuenire, quem videbat totas vires ſuas eò dirigere, vt ſe Imperio priuatum, in ordinem cogeret, * Imperiique maieſtatem, & iura omnino euerteret. Pro certo etiã ſciebat, Papam ipſum hoſti ſuo Rodulfo conſtantiſſimè adhęrere; ſe quoque ob friuolas, vt ipſe dicebat, cauſas excommunicatum querebatur. Ipſum itaque Pontificatu, alio ſuffecto, priuare omnino conſtituit.

* Hoc non fuit propoſitum Gregorio: Sed Eccleſiam ſuam recuperare, Simoniã tollere, & mẽſas nummulariorum euertere ſtuduit. Nec Imperium euertitur, ſi Eccleſia ius ſuum reliquatur integrum. * Tarulenſis diœceſis.

Igitur eodem anno, qui ſalutis erat M. XXC. duo contra Gregorium Papam Concilia in Germania celebrauit. Primùm Mogũtiæ in Pentecoſte XIX. alterum verò in Italiam veniens,* Brixinæ in Noricis, XXX. Epiſcoporum. In quo etiam adfuerant Principes Laici omnes, qui Imperatoris cauſam tuebantur; nõ ſolùm Germaniæ, ſed etiam Italiæ. Vbi ex Imperatoris auctoritate factus eſt omnium conſenſus aduerſus Papam Hildebrandum; quem *Pſeudomonachum totiuſq́ue veſania peſtiferum Principem, & præcipuè ſanctæ ſedis inuaſorem eſſe* affirmantes, ab Apoſtolica ſede depellendũ, quanquam inauditum, & abſentem, iudicauerunt; & ex Imperatoris voluntate Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem ipſi ſubrogandum elegerunt.

Concilia ſchiſmaticorum in Gregorium VII.

Maximum hinc diſcordiarum initium exortũ. quem electum tam Rex Henricus, quàm omnes Principes, & Epiſcopi * prohi in terrã adorauerunt. Eius porrò decreti, quo in Concilio Brixinenſi, Epiſcopi factionis Henricianæ Pontificatum Gregorio VII. abrogarunt, Concluſio hæc fuit: * *Quia*, inquiunt, *illum conſtat non à Deo electum, ſed à ſe ipſo in fraude, & pecunia imprudentiſſimè obiectum, qui Eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani Imperij perturbauit regnum, qui Regi Catholico, ac pacifico corporis, & animi intentat mortem, qui periurum defendit Regem, qui inter concordes ſeminauit diſcordiam, inter pacifices lites, inter fratres ſcãdala, inter coniuges diſcordiam, & quidquid quietè inter pie viuentes ſtare videbatur, concuſſitinos, auctore Deo, congregati in vnum, legatis, & literis freti XIX. Epiſcoporum, die ſancto præterita Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacißimum, ſacrilegia, & incendia prædicantem, periuria, & homicidia defendentem, Catholicam, & Apoſtolicam fidem de corpore, & ſanguine Domini in quæſtionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum diſcipulum, diuinationum, ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, pythonico ſpiritu laborantem, & ideirco à vera fide exorbitantem, iudicamus Canonicè deponendum, & expellendum; & niſi ab ipſa ſede, his auditis, deſcenderit, in perpetuum condemnandum.* Actum 7. Kalend. Iulij feria 5. Indictione 2.

* Notãi hoc ſectarij. Hęreſim cum ſint nõ negant Auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, ſed quæ geſſit, odio Gregorij, non ſedi ante throni geſſit.

* Hæc ſententia ex Veſpergenſi deſumpta eſt: de qua lege Bar. M. LXXX. num. 18. & ſeqq.

Cæſar quoque Henricus hanc illi epiſtolam ſcripſit: Henricus Dei gratia Rex, &c. Hildebrando, &c. *Cum hactenus ex te ea, quæ ſunt Patris exſpectarem, tibique in omnibus magna cum fidelium noſtrorum indignatione obedirem, recepi abs te vicißitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vita, regnique noſtri perniciоſißimus hoſtis eſſet. Nam cùm primùm omnem hereditariam dignitatem, quæ mihi ab illa Apoſtolica ſede debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes, longius inde progreſſus, regnum Italiæ peßimis artibus alienare tentaſti. neque hoc contentus, in Reuerendißimos Epiſcopos, qui nobis veluti duleißima membra vniti ſunt, manum mittere non timuiſti, eosq́; ſuperbißimis iniuriis, acerbißimis q́; contumeliis contra diuina, & humana iura, vt ipſi aiunt, exagitaſti. Quæ omnia, cum ego quadam patientia diſſimularem; tu, hoc non patientiam, ſed ignauiam exiſtimans, in ipſum caput inſurgere auſus es, mandans, quæ noſti, videlicet, vt tuis verbis vtar, quòd aut tu mo*rererũ, *aut tu mihi animam, regnumq́; tolleres, &c.* Vide Bar. M. LXXX. num. 26.

Hoc decreto, & epiſtola ad ſe perlatis, Gregorius nihil timens, vt animos ſuorum confirmaret, pronidit, Saxonibusque, Imperatoris hoſtibus, vt bono animo eſſent, perſuaſit. * Falſum enim Regem eo anno moriturum, conſtantiſſimè, quemadmodum ſibi diuinitus reuelatum fuerat, affirmabat. Et verum quidem prædixit: ſed, fefellit eum de falſo Rege coniectura, ſecundum ſuum deſiderium de Henrico Rege interpretata. Nam, cùm poſt Concilium Brixinenſe Antipapa Guibertus cum inſignibus Pontificalibus in

* Hæc à ſchiſmaticis conficta ſunt, occaſione cuiuſdã epiſtolæ à Gregorio ſcriptæ, de qua Baron. M. LXXX. num 49. & ſeq. Inuitus ea, vt plerasque alias huius farinæ Segebertum ſecutus Chronologiam. Vide deſcripſit Onuphr.

Italiam veniſſet, Imperatoris aduentum exſpectans, à quo armata manu Romam deduceretur; Imperator verò in Germaniam cõtra Rodulfum profectus eſſet. prælio inter vtroſq; reges ad 4. idus Octob inito Rodulfus Rex graui vulnere ſaucius, nõ longè poſt mortuus eſt. Rodulfo occiſo, & rebus Germaniæ compoſitis, Henricus ingenti exercitu cõparato, in Italiam venit, vt Antipapã Guibertum Apoſtolicę ſedi, fugato Gregorio, per vim imponeret.

Baron. M. LXXXI. num. 13, & ſeq.

Quapropter anno Domini M.XXCI. feſtis Paſchalibus celebratis, Imperator Henricus in Italiam cum exercitu veniens, aſſumpto ſecũ Antipapa Guiberto, ad vrbem in vigilia Pentecoſtes peruenit, quã reſiſtentibus ſibi Romanis, & Gregorio Papa, ferè per biennũ obſedit: donec poſtremò anno Domini M.XXCIII. nonis Iunij, tradentibus ſe Romanis, ingreſſus eſt. Põtifex Gregorius, vrbe partim vi, partim ꝓditione ab Henrico occupata, in arcem ſancti Angeli, quã egregiè munierat, cum ſuis ſe recepit. At cum nulla inter Imperatorẽ, & Pontificem concordiæ via relicta eſſet, Imperator annoſequenti M.XXCIV. Gregorio adhuc in arce S. Angeli exiſtente, de aliquot procerum, & Cardinalium Romanorum conſenſu; quos partim vi, & metu, partim donis, & pollicitationibus in ſententiam ſuam traxerat, Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem, ex eius auctoritate Brixinæ triennio ante Romanum Pontificem deſignatũ; in Antipapam Dominico die Palmarum Clementis III. illi nomine impoſito, inaugurari fecit: à quo proximo Paſchali feſto cum vxore ſua Berta, Imperator, & Augustus coronatus eſt. Deinde, ad arcem S. Angeli oppugnandam, in qua Gregorius VII. permanebat, conuerſus, cùm eam acriter vrgeret, effecit, vt Pontifex coactus Robertum Guiſcardum, cum maximo Nortmannorum exercitu in auxilium ſuum euocarit, cuius aduentu Imperator perterritus, vrbe cum Antipapa aufugit. Robertus portò in vrbem veniens, Gregorium arce eductum, ſuæ ſedi Laterani reſtituit: ſed audiens Imperatorem, quem vrbe effugauerat, reparatis ex Tuſcia, & Lombardia viribꝰ, cum Antipapa Romam reuerti, ſimulq; Romanorum inconſtantiam veritus, Pontificẽ ex vrbe eductum, ſecum Salernum vrbem munitiſſimam perduxit, vt ibidem, quouſq; pax daretur Eccleſiæ, permaneret. Vbi, toto anno M.XXCIV. & parte anni M.XXCV. vſq; ad diem mortis ſuæ commoratus eſt: cùm Imperator, & Antipapa Romam, eo interim tempore, & omne Eccleſiæ patrimonium occupaſſent.

Quibus factis Imperator in Germaniam reuerſus Antipapã, magna cum militum copia, & Romanis commendatum in vrbe reliquit.

Excuſio Gregorij VII.

Anno deinde, qui ſecutus eſt M. XXCV. *Vir vita venerabilis, prudentiſſimus, Catholicus, Deo amabilis, hæreticorum malleus indefeſſus, Eccleſiaſtici iuris redemptor, ac cõſeruator ſolertiſſimus, perpetuáque memoria dignus Gregorius Papa VII.* cùm per aliquot menſes Salerni fuiſſet, magna morbi vi premi cœpit, exitusque de hoc mundo tempus ſibi adeſſe cognoſcens, ante tertium ſui obitus diem, rogatus ab Epiſcopis, & Cardinalibus, qui fortè tunc cum Abbate Caſſinẽſi Deſiderio aderant, quid de Romanæ ſedis poſt obitum ſuum ordinatione iuberet, omnes hortatus eſt, vt procul dubio nouum in ſui locum Pontificem crearent, omnibusq; Abbatem Deſiderium propoſuit tanto muneri parem. Prętérid enim, quod is S. R. E. Preſbyter Cardinalis eſſet, prudentia quoque ſumma, & religione præcipua, ſingulari Principum beneuolentia, amicitiaq; pollebat. Quod ſi hunc flectere nullatenus poſſent, vt Pontificatũ Romanum acciperet; aut Lugdunenſem Archiepiſcopum Hugonem, aut Othonem Oſtienſem, ſiue Anſelmum Lucenſem Epiſcopos eligere, quàm primùm ipſe defunctus eſſet ſtuderent.

His ordinatis, cùm tempus obitus ſui iam iam appropinquare cognoſceret, clamauit: *Dilexi iuſtitiam, & iniquitatem odio habui*; & propterea exul morior. His dictis, & omnib. Eccleſiaſticis Sacramentis præmunitus, glorioſus, & B. Pontifex 8. Kal. Iunij die Dominico, Indictione 8. anno M.XXCV. animam

cœlo

cælo reddidit: ibidemque in Ecclesia S. Matthæi, quę Salerni cathedralis est, honorificentissimè est sepultus. Vacauit eo mortuo propter temporis, rerumque difficultatem Romana sedes annum vnum.

Cùm igitur in Principe Romano Imperium ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuisset, Ecclesia quoque Romana tanto Pastore, qui inter omnes principes *præcipui zeli, ac auctoritatis* erat, orbata, dolorem non modicũ sensit. Fuit enim hic Pontifex *vir constantissimus, recti propositi tenax, & qui à recta via nec minis, nec precibus vnquam ne latum quidem, vt dicitur, vnguem discesserit. Homo antiqui exempli, & priscis illis Romanis Pontificibus, qui diuersa pro Christo cruciatuum genera pertulere, comparandus, audax, prudens, cautus, & maximus Ecclesiasticæ libertatis assertor.* Huic vni, cum omnes Latinæ Ecclesiæ, tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quod libera sit, & ab Imperatorum manu eruta, quod tot diuitiis, opibus, & profana ditione locupletata; quod Regibus, Imperatoribus, & omnibus Christianis Principibus sit præfecta; à quo postremò, vt omnia verbo vno cõplectar, maximus iste, eximiusque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum domina; cum antea, tanquam vilis ancilla nõ ab Imperatoribus modò, sed à quouis principe Romani Imperatoris præsidiis fulto, premeretur, ab hoc maximè illius, & omni seculo tremendæ, venerandæq; Romani Pontificis, & infinitæ pænè potestatis ius manauit. Nam etsi ante Romani Pontifices, tanquam religionis Christianæ capita, Christique Vicarij, & Petri successores colerentur, non tamen eorũ auctoritas vltra protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel asserendis, vel tuendis. Cæterum * Imperatoribus suberant; ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: * de eis iudicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis, mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum principum bello ciuili laborantiũ inflammatus, præter maiorum morem, contempta Imperatoris auctoritate, & potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum, à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat; non dico excommunicare; sed etiam regno, imperioque priuare ausus est. Res ante ea secula inaudita. * Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror. Vnde Otho Frisingensis horum temporum scriptor; *Lego*, inquit, *& relego Romanorum Pontificum gesta, & nusquam inuenio aliquem eorum ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum*, &c.

Cæterum ea, quæ horum temporũ Cardinalis quidam Benno, Germanus, in gratiam Imperatoris contra Gregorium VII. scripsit, animus non est modò refellere. cum res ipsæ, quas huic Pontifici obiicit, partim falsæ, partim ridiculæ sint, & nullius momenti: cui tum, quòd hostis acerrimus Gregorij Papæ fuerit; tum ex his, quæ dixi, nullatenus fidem adhibendam censeo. Meam hanc sententiã confirmare possunt horum temporum scriptores tam Germani, quàm Itali; qui de huiusmodi pernicioſa discordia, tum ex instituto, tum obiter libros conscripsêre; inter quos præcipui fuêre, Paulus Bernriedensis * presbyter Reginoburgi; Gerochus Reicherspergensis * Episcopus, Lambertus Schaffnaburgensis Hirsenfeldensis monachus, Chunradus de Liechtenavv, omnes Germani: Ex Italis item Leo Marsicanus, Episcopus Ostiensis; Incertus auctor Bibliothecę Palatinæ, qui huius Pontificis vitam conscripsit, & nouissimè Anselmus Episcopus Lucensis, Gregorij ipsius cooperator indefessus; qui hymnos, & alia, quæ de Saluatoris nostri cruciatibus perscripta sunt, de Gregorio ipso interpretatus est: eiusque doctrinam eleganti libro scriptam confirmauit vir literis eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & quod omnibus maius est, in Dei timore, & sancta conuersatione celeberrimus; ita vt tam in vita, quàm post

Leo Gregory VII.

** Non sunt fabulæ. Lege Bell. lib. 2. de Pontif. cap. 19. & lib. 3. cap. 3. Vide quæ ad lib. 2. cap. 19. diximus.*

Iudicium de calumnioso Bennonis commentario.

** Abbas Urspergensis ord. Canon. Regul. S. Augustini*

** Non Episcopus, sed Præpositus.*

** Non omnibus, sed nonnullis, idq; de facto, non de iure; vt & tyrannide, non lege & æquitate.*

** Non est verum.*

mortem miraculis claruiſſe memorentur.

Is ſcribens ad Antipapam Guibertum Epiſtolam, in qua illum præuaricatorem, ac ſuperbum vocat, atq; inter alia: *Vt ergò*, inquit, *de Beato Patre noſtro Gregorio dicam, quod de Cornelio ſcripſit Beatus Cyprianus: factus eſt* Gregorius *Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de clericorum pænè omnium, &, vt verius dicam, omnium teſtimonio, de plebis, qua tunc aderat, ſuffragio, de ſacerdotum bonorum virorum, & antiquorum collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet; cum* Alexandri *locus, id eſt, Petri locus, & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret; quo occupato de Dei voluntate, atq; omnium noſtrum conſenſu ordinato, quiſquis iam Epiſcopus voluerit fieri, foràs fieri neceſſe eſt; non habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem. quiſquis ille fuerit, licet multum de ſe iactans, ſibi plurimum vendicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt; & cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt vnum, qui ſolus debet eſſe, factus eſt, iam non ſecundus ille, ſed nullus eſt*, &c. Idem & alij multi ſcriptores prodidêre.

Cæterùm, vt hanc rem ſemel finiam, huiuſmodi rerum occaſione pernicioſiſſima ſeditio, & hæreſis omnium peſtilentiſſima Chriſtianum populum hoc tempore maximè peruagata eſt, & orbis terrarum, ſi vnquam, hac tempeſtate à cardine bellorum procellis iactatus eſt; & genus humanum vndique armorum turbine inuolutum fuit, ita vt nullius ſchiſmatis tempore grauiora Eccleſiam pericula, & calamitates paſſam fuiſſe legamus.

Gregorio VII. expedito, nunc quis Clemens III. Antipapa fuerit, & res ab eo geſtas aperiam.

CLEMENTIS III.
ANTIPAPÆ ELECTIO.

CLEMENS III. qui in ſchiſmate contra Gregorium Papam VII. ab Imperatore Henrico IV. vt * imperij iura tuerctur, Antipapa creatus eſt. Fuit

* Imo vt libidinem ſuam expleret, & ſuos dominũ euertere.

A natione Italus, patria Parmenſis, ſummo loco natus, ex familia Corrigia, quę eius vrbis aliquando principatum tenuit, Guibertus antea vocatus. Hic ab ineunte ætate ad curiam Imperatoris, (quę ſacerdotiorum cõſequendorum cauſa, * vt noſtro tempore Romæ mos eſt, tunc ex toto Orbe terrarum frequentabatur,) vt fortunam ſuam experiretur, acceſſit Chunrado Henrici III. patre rerum potiente. Cum autem adoleſcens euaſiſſet ingenio, facundia, & prudentia clarus, & nobilitate præcipuus haberetur, paulatim in gratiam B Henrici III. peruenit; à quo permagnificè ſemper tractatus eſt. Apud vxorem verò eius Agnetem tantum gratia, & autoritate valuit, vt ipſum Italici regni Cancellarium creari procurarit. Eum enim prouidum, ſtrenuum, & prudentem virum in multis arduis negotiis experta fuerat. Quo tempore ad eius nutum, & voluntatem totum Imperij pondus vertebatur; in quo munere Henrico III. Cæſare Cadolum Pallauicinum in ſchiſmate contra Alexandrum II. Pontificẽ creatum maximè fouit, &, dum potuit, in Pontificia dignitate protexit.

C Cæterum Agnete Imperatrice à rerum cura ſubmota, quibus diu poſt Henrici III. mariti ſui mortem, quòd puer erat adhuc filius eius Cæſar Henricus, præfuerat; cum negotiorum Imperialium morem tractandum pro Rege puero Anno Colonienſis Archiepiſcopus ex Principum conſenſu ſuſcepiſſet, Guibertus officio ſuo priuatus eſt; Vercellenſi illi Epiſcopo ſubrogato, cum multorum Imperij procerum inuidiam ob virtutem contraxiſſet. D Verùm, cum Henricus Cæſar adoleſcens è tutorum poteſtate exiiſſet, cognita Guiberti induſtria, & virtute, eũ inter intimos amicos, & conſiliarios ſuos acciuit; & non longè pòſt Archiepiſcopum Rauennatem deſignauit. Mortuo Alexandro II. per aliquot tempus in officio permanſit, & Gregorio VII. qui ei ſucceſſerat paruit. Cùm verò eius ab Imperatore animi alienationẽ cognouiſſet, Pontifice, cui obedientiam præſtiterat, prodito, ad Imperatorem ſe contulit, cumque vehemen-

* *Diſſimulatio. Nam Roma legitimum eſt tribunal: in aula illegitimũ, præſertim cum in ea omnia eſſent venalia, præterque Simonẽ & Giezi nemo tum diceret.*

Dominio de Guiberto. Maior erat cunctis Guibertus Epiſcopus vrbis Rauennę, doctus, ſapiens, & nobilis ortus, exſtiterat Parmæ ciuis ſeu Clericus, ante Dum fuit Electus Gregorius, iſte Guibertus ipſi iurauit.

menter ambitione inflammatus, contra Papam Gregorium concitauit. Quo poſtremò Brixinæ ex Imperatoris auctoritate Pontificatu priuato, Anno M. XXC. Pontificatus eiuſdem Gregorij, VII. Guibertus ipſe Imperatoris iuſſu VII. Kal. Iulij; Indictione III. ab Epiſcopis, qui in eo cõuentu aderant, eidem Pontifici ſubrogatus eſt, & Clemens III. appellatus; qui in ſchiſmate contra Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem II. ſedit annos plus minus XXI. Anno deinde M. XXCIV. Romæ XI. Kal. Aprilis die Dominico Palmarum ab Epiſcopis Bononienſi, Mutinenſi, & Placentino, cum Cardinales deeſſent, inauguratus proximo Paſchali feſto Imperatorem Henricum cum vxore Bertha coronauit. Audito verò Roberti Guiſcardi Normannorum Ducis aduentu, qui in auxilium Gregorij VII. in arce ſancti Angeli concluſi veniebat, Imperator, & Antipapa Vrbe exceſſerunt: Guibertus quidem in Lombardiam; Imperator verò in Germaniam, vbi anno ſequenti M. XXCV. Moguntiæ Epiſcoporum Germaniæ Synodo cõgregata, ordinationem Clementis III. & abrogationem Gregorij VII. confirmari iuſſit. Quo tempore Herimanno primum, deinde eo mortuo, Egberto alio Regibus à Saxonibus contra ſe creatis, ita nouis bellis ciuilibus implicari cœpit, vt rebus Italicis amplius ſic vacare non poſſet. Portò autem Roberto Guiſcardo ex Vrbe cum Gregorio VII. diſcedente, Guibertus ad eam reuerſus cum Imperatoris Præfecto arcem S. Angeli, & omnia ferè eius loca obtinuit.

Audita interim Gregorij VII. & qui illi ſucceſſerat, Victoris III. morte, cum Vrbanum II. ſuffectum eſſe cognouiſſet, tum primum intellexit aduerſariorum ſuorum odium in ſe perpetuum eſſe, ſeque nunquam Pontificatum Romanum pacificè obtenturum. Quate toto Vrbani II. Pontificatu vario* cum Hildebrandina factione Marte conflixit, modo Vrbe extoris, modo ea potitus ſcilicet, prout ſibi ſecunda, vel aduerſa Romanorum, & Imperatoris ſtudia erant, eam tamen A maiore Vrbani II. Pontificatus parte obtinuit Vrbano ipſo Vrbe fugato.

Paſchali portò II. creato, cum aduerſus eum ſeditionem, & bellum ciuile aſtrueret, tandem in arce S. Angeli, quæ ſui iuris adhuc erat, mortuus eſt, & ad Eccleſiam Rauennatem, in qua ſepultus eſt, translatus Pontificatus Anno XXI. Chriſti verò M. C. I. Fuit hic Clemens vir vtique literatus; ingenio, eloquio, nobilitate, cæteriſque animi, & corporis dotibus inſtructiſſimus, & perſonæ reuerentia admodum clarus; &, qui forſitan Deo placuiſſet, niſi vi, & ambitione inflammatus, ea, quæ ſibi non licebant, tentaſſet; nec Roma tunc, nec Rauenna benè vſus; & qui ſupra vnum Papam Gregorium viuentem, quanquam, vt ipſe dicebat, coactus, aſcendit, & tribus ſibi inuicem ſuccedentibus ſuperuixit: extorris diu vtraque ſede, & Romana, & Rauennate, malens, vt ſæpe dicere ſolitus erat, ſe Apoſtolici nomen nunquam ſuſcepiſſe. Cuius cadauer poſtmodum, pace inter Henricum V. & Paſchalem II. facta, de ſepulchro, vbi quinquennio iacuerat, abſtractum, crematum eſt iuſſu Paſchalis II. omniaque eius acta in Synodo Laterani congregata irrita facta ſunt.

De eo ita quidam horum temporum auctor ſcribit: *Guibertus, qui poſt præſtita domino ſuo beatæ memoriæ Gregorio VII. fidelitatis iuramenta, & obedientiam ſeptem annis exhibitam, inuaſit Apoſtolicam ſedem, Henricumq; Imperatorem abſoluit ab obſeruatione iuriſiurandi, quod apud Canuſium Lombardiæ opidum olim Gregorio Papæ præſtiterat, eum Romam attraxit, & cum eo oppugnare Eccleſiam Romanam cœpit. Ii verò, qui ex parte Gregorij vltra montes erant, cum Imperatorem in Italia commorari cognouiſſent, aduerſus eum rebellare diſponunt. Contra hos Imperator accedens, vario belli euentu, plurimis præliis ſæpe pugnauit, magna vtrinque cædes, incendia plurima, direptionesq; contigere. Relictis tandem in Germania copiis ad obſiſtendum ſumptu tum ſuo, tum conductitio milite, Romam, & ſuburbana omnia rapinis, incendiisq;, & cædibus, quanta potuit, acerbitate vexauit: tandem Simone ſuo precio magis, quàm virtu-*

* imo cum orthodoxis.

virtute, in Apoſtolica ſede locato, Imperij ab eo accepit coronam, tam non fauentibus ſibi, ſuiſq; complicibus Romanis, quàm non contra dicentibus, atrociſſimam monit perſecutionem. Huius rei gratia, totus ferè Imperij Romani Eccleſia deſolata, & religio Chriſtiana diſſipata, & pluſquam viginti millia hominum, agente Guiberto, plerisq; locis ſunt caſa. Qui etiam, pulſis Catholicis Epiſcopis, & Abbatibus, aliisq; Eccleſiarum præpoſitis, doctrina, & religione præſtantibus, ſceleratos, & illiteratos ſingulis vrbibus, monaſteriis, Eccleſiisq; præfecit; ſæpe ſingulos, plerunq; binos, annis ſingulis Magiſtri ſui Simonis mercimonio execrando ſubſtituens in depræandis locis ſanctis, ſibiq; non fauentibus Chriſtianis, imò ipſis quoque fauentibus, dum non eſſent, qui armato reſiſterent, longè, lateq; ſæuitia Neronis, & Decij perdita voluntate graſſatus eſt. Idem verò, qui multò rectius demens Papa, quàm Clemens dictus eſſet, in oppido ſuo, quod argenteum dicitur, excelſa fabricata turre præſtolatus Simoniacos angelos, cum quibus volando in paludem ſtygiam rueret, Deo, per omnia, Gregorio Papæ fauente, cruribus ſuis confractis, cum illi nemo Apoſtolicam obedientiam exhibuerit, vel reuerentiam, præter Imperatorem, eiusq; complices, vel qui ſe illi propter anaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus, vel perpetuò, vel ad tempus ſub iuriſiurandi Sacramento crediderunt: quorum plurimi, quibus eius perfidia claruerat, dum execrabilis diuina immolaret ſacrificia, non adeſſe tolerabant, ſcientes eum nullo Romano ſucceſſiſſe Pontifici; ſed perfidum, periurum, inuaſorem, & Simoniacum Gregorio Papæ ſuperadditum fuiſſe. Catholici verò qui zelo Dei fidem, ac religionem tuebantur, Gregorio Papæ ſanctitate, ac religione præſtanti adhærebant. Ita Leo Epiſcopus Oſtienſis libro III. hiſtoriæ Caſſinenſis. *Cap. 69.*

Cæterum mortuo Clemente III. vacauit in ſua obedientia ſedes aliquot dies. Nam in ſchiſmate contra Paſchalem Papam II. aliquot habuit ſucceſſores ſtudio Imperatoris Henrici in Italia ab eius Præfectis, ducibus, & fautoribus infelici ſatis ipſis exitu creatos; quorum primus fuit Albertus quidam Attellanus: dein Theodoricus, & Maginulfus. *De quibus omnibus agit poſtea Onuphrius.*

ADMONITIO DE IOANNE WOLFFIO.

MOnuimus ſuprà, VVolffium in vndecimum mendaciorum & calumniarum ſuarum centenarium comportaſſe, quidquid contra Gregorium VII. olim vel ſimonia, vel ſcortatio, vel vtraque, furiosè effuderat. Inter cætera, quæ adfert, adducit quoque ſcriptores cõtra Gregorium VII. ſed tam obſcuros, vt vix appareant. Supereminet omnes Sigebertus; quid tamen iſte ad illos, quos ſupra recenſuimus? Qualis Benno Pſeudocardinalis tenebrio? Quàm ignotus Hugo Blancus ſeu Candidus: qui farraginem quandam contumeliarum & probrorum aduerſus Gregorium ad VVormacienſe ſynedrium attulit. Sed vbi vllum eius, extra Bennonem, exemplar ſupereſt? Quem his coloribus depingit Domnizo in vita Mathildis.

Hic Hugo tunc falſus venit, qui dicitur Albus.
Officit hic multis Romanæ presbyter vrbis.
Ter damnatus erat; pretio, qui reſtituebat
Emptores Chriſti templorum, iunctus & ipſis
Aduerſus Papam, fingens mala, latificabat
Corda malignorum, Regis ſimul & ſeiorum.

Nominat quoque Lupus iſte Venericum Vercellenſem Antiſtitem. At licet hic à parte ſchiſmaticorum ſteterit, diſſimulandum tamen non erat; qua ſtyli moderatione in ſua ſcriptione vſus fuerit. Audi Sigebertũ in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt. cap. 161. *Venericus ex Scholaſtico Treuerenſi Epiſcopus Vercellenſis, ſcripſit librum ſub perſona Theodorici Virdunenſis Epiſcopi, ad Hildebrandum, ſine Gregorium*

um Papam, de diſcordia regni, & ſacerdotij, nõ eum increpans, ſed vt ſeniorem obſecrans, & patrem; & amicabili inductione quaſi affectu dolentis ſuggerens ei omnia, quæ contra ius legum, & fas religionis eum feciſſe, & dixiſſe diuulgabat loquax fama. VVolffius nil dubitat hunc Venericum eſſe Auctorem Apologiæ Henricianæ; quam ipſe cum ſuis ineptè librum *de vnitate Eccleſiæ* indigitat. De qua inſcitia iam alibi egimus.

Profert quoque Rolandum, Parmenſem, vt inquit, ſacerdotem. Illum, opinor, intelligit, quem VVormacienſe Conciliabulum Romam ablegauit, vt decretum putatitiæ depoſitionis ad Gregorium perferret: quẽ Auctor, qui res geſtas S. Anſelmi Lucenſis literis conſignauit, appellat *filium ſæculi; hamum diaboli: inuentorem omnis ferè mendacij.* At dic, oro te, VVolffi, quid libri ſcripſit & euulgauit iſte Rolandus, vt à te meritò inter ſcriptores contra Gregorium VII. collocatus exiſtimari à nobis queat?

Prædictis additur VValramus Naumburgenſis Epiſcopus; cuius Epiſtolam ad Ludouicum Comitem egregiè excepit Stephanus Halberſtattenſis in Appendice ad Marianum Scotum. Producit quoque Illyricus in Catalogo Teſtium commentationem VValrami *de inueſtitura Epiſcoporum per Epiſcopos facienda*; ineptam prorſus, & plenã ignorantia veræ hiſtoriæ; vt pronum eſſet oſtendere; ſi hoc nunc agetemus. Inde VVolffius confectã Epitomen in ſuum vndecimũ Centenarium retulit: ne tam pretioſa gemma cento ille calumniatum careret.

Paulum Bernriedenſem & Gerochum Reichersbergenſem appellat VVolffius *Proditores*. Quã de cauſſã? Quia Gregorium VII. ſcriptis defenderunt contra ſchiſmaticos: En graue crimen, dignumq; notari tam graui & acerbo conuicio: quod tamen ad duos iſtos ſcriptores non penetrat, tum quia alis caret, tum quia ipſi iam in eum locum euecti ſunt, quem talia iacula ferire non poſſunt.

Quàm verò cautus & circumſpectus eſt VVolffius, cum ait; *Othonem Imperatorem fuiſſe à Pontifice Gregorio excommunicatum, quod nollet conſentire, vt hæreditas Mathildis ad Romanam Eccleſiam deuoluereturr.* Num Gregorio VII. vel Mathildi vlla cum Othone Imper. contentio fuit? Vtrum autem Mathildis Azoni Marchioni Aſtenſi nupta fuerit; & num ab eo per diuortium ſeparata, intelliget VVolffius, ſi, ſepoſitis nonnihil chartis infamibus & Voluſianis, meliores libros euoluere velit, nominatim Tom. XI. Baronij, Anno Chriſti M. LXXIV. Num. 26. & ſeqq. Sed non obſequetur; quia ſi morem gerat, euaneſcere videbit criminationem; A qua Gregorium VII. ob hoc fictitium connubium fictitiè diſiunctum verberat.

Exſcripſit idem VVolffius ex Zvvingliano Stumpfio Epiſtolã conciliabuli VVormacienſis Anno Domini M. LXXVI. ad Gregorium VII. datam. Inter Epiſcopos, quorum nomine ſcripta fertur, numeratur Burckardus Halberſtatenſis. At quo iure, cum tempore huius conciliabuli Burckardus ab Imperatore in vinculis teneretur, cum aliis Saxoniæ deditiis principibus, vt planum fit ex Bruhone de Bello Saxonico. Nominatur *Henricus Metenſis*. At Metenſis tũ non erat Henricus, ſed Hermannus, ſeu Herimannus, vt patet ex Lamberto & aliis. Nominatur Eppo *Neapolitanus*. Sed Eppo ille erat Epiſcopus *Citizenſis*. Forſan Epiſtolæ Architectũ Numburgenſem, ſeu Naũburgenſem Neapolitani vocabulo exprimere voluit. Sed quis, quæſo, veterũ Naumburgenſem Epiſcopum aliquando vocauit Neapolitanum? Omnino hæc recentioris ſunt ſtyli, ne dicam figmenti. Sed VVolffius criminationum perquam prouidus eſt coaceruator. Paulò antea ex ſibi ſimili Rhapſodo Schardio dixerat, ab omnibus Epiſcopis Galliæ & Germaniæ, exceptis Saxonibus, damnatum fuiſſe Gregorium VII. in Synedrio VVormacienſi; Et tamen poſtea Saxones nominat. An non enim Saxo Burchardus Halberſtatenſis, & Epiſcopi Mindenſis, Padebornenſis, Monaſterienſis, Hildisheimenſis, Oſnaburgenſis? Quis enim neſcit VVeſtphaliam olim Saxoniæ fuiſſe annumeratam? Et quomodo omnes Germaniæ & Galliæ Epiſcopi condemnarunt in VVormacienſi conuenticulo Gregorium, vt ex Schardio affirmat VVolffius? Vbi in Epiſtola, quam profert ex Stumpfio, apparet Epiſcopus Colonienſis? vbi Auguſtanus? vbi Paſſauienſis? vbi Salisburgenſis? An non ſunt iſti Germani? Prætereo alia Schardij mendacia, quæ VVolffius exſcribendo & iterando fecit ſua.

Oggerit eadem Stumpfiana & VVolffiana Epiſtola decretum Nicolai II. Pontificis, quo ſancitum, *vt nullus vnquam Papa fieret, niſi per electionem Cardinalium, & approbationem populi, & per conſenſum auctoritatemq; Regis*; Et addit Epiſtola, ipſum Hildebrandum fuiſſe huius decreti *auctorem, perſuaſorem, & ſubſcriptorem*. Sed vt hæc omnia abſque vlla dubitatione vero conſonarent, Gregorium tamen non ferirent; qui ſummo Cardinalium, cleri & populi Romani aſſenſu, Pontifex creatus fuit, cuius electionem poſtea ipſe Henricus ratam gratamque habuit, vt ſuo loco vidimus. Deinde, cur ipſimet ſchiſmatici hoc decretum nõ obſeruarunt? Nam Cadaloum & Guibertum elegit, imo intruſit Henricus abſque vlla prorſus cleri &

ri & populi Romani approbatione. Cur A
soli hoc ius sibi vendicare tentarunt ; vt
quem vellent, Pontificem crearent ; siue
Romanis consentientibus, siue dissentien-
tibus ? An non priuilegium amittere di-
gnus est, qui intra priuilegij metas se non
continet, præsertim, si eò etiam audaciæ
procedat, vt contextum eius addendo vel
detrahendo corrumpere audeat ; quod à
schismaticis in hac ipsa Nicolai constitu-
tione factum fuit, vt probat Baronius An-
no Christi M. LIX. Ex Cardinali Deusde-
dit in libro contra inuasores, Simoniacos,
atque schismaticos. *Cum in eodem decreto
cautum esset*, inquit Deusdedit, *vt Romæ Ponti-
ficis electio à Romano Clero, & populo ageretur, &
postea notificaretur ipsi : præfatum violantes decre-
tum, elegere (quod eis non licebat) prius Cadaloum
Parmensem, postea Guibertum Rauennatem, indu-
entes eos Apostolicis insignibus, vocantes Apostoli-
cos, Apostatas, & Antichristi præcursores. Præterea
autem præfatus Guibertus, aut sui, vt suæ parti fa-
uorem adscriberent, quædam in eodem decreto ad-
dendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à se
dissidens, vt aut pauca, aut nulla exemplaria sibi
concordantia valeant inueniri. Quale autem decre-
tum est, quod à se ita discrepare videtur, vt, quid in
eo potissimum credi debeat, ignoretur ?* Et hoc
quod Henrico parenti & filio concessum
fuerat, vt schismatibus, quibus tunc scin-
debatur Ecclesia, occurreretur, & seditiosi
ac Simoniaci, interposita aliquantulum
Imperatoris auctoritate coërcerentur, ne
contra legitimè electos Pontifices insur-
gerent, postea in violentiam, tyrannidem
& turpissimam nundinationem abiit, Im-
peratoribus ex patronis & defensoribus le-
gitimè electi Papæ in oppugnatores con-
uersis ; qui totum ius constituendi, confir-
mandi & deponendi Romani Pontificis
penes se esse contenderent ; Cuiusmodi pri-
uilegium, vel potius, vt à nonnullis appel-
latur, *præuilegium* Imperatoribus concede-
re, Nicolao nunquam in mentem venit.
Quapropter licet Hildebrandus Archidia-
conus, huic decreto Nicolai subscripsisset,
nil tamen deinceps contra subscriptionis
suæ fidem perpetrasset, quandoquidem vl-
tra terminos priuilegij, processum est ; &
non modo summus Pontificatus, sed & alij
infra hunc regali auctoritati ac nutui sub-
iecti.

Obiicitur in Epistola supradicta etiam
hoc Gregorio VII. quòd sub Henrico II.
Imp. Henrici IV. Regis & Imperatoris III.
iuramento se obstrinxerit se nunquam pas-
surum, vt vel ipse, vel quilibet alius *Papatum*
susciperet, *absq; assensu & laudamento vel patris*
B *dum viueret, vel filij dum & ipse viueret.* Memi-
nit huius obiectionis Bernaldus quoque si
rectè memini. Sed vt verum esset, quod isti
obiiciunt ; attamen nil proficerent ; quia
Gregorius non iniit Pontificatum absque
Henrici IV. approbatione & assensu, vt iam
non semel monstrauimus. Illud fabellis
accense, *Hildebrandum iurasse, nunquam se Pon-
tificatum susceperum.* Nimirum, quiduis fin-
gendum est, ne legitimè in ouile Domini-
cum videatur ingressus ; & vt tali iureiuran-
do sese obligasset, hoc ipso tamen vinculo
eius solutus fuisset ; eò quòd renitens ac in-
uitus, vnanimi Ecclesiæ consensu, in Petri
Cathedram sublatus fuerit. At satis de
VVolffio. *Vosmet nunc facite coniecturam cæ-
terum, quid id sit hominis, cui Lyco*
(Lupo) *nomen fiet.*

Digitized by Google



INDEX APOLOGIAE PRO GREGORIO SEPTIMO PONTIFICE.

CVM ADIVNCTIS OPVSCVLIS ET APPENDICIBVS.

A.

Aaron tolerat idololatras. 3

Abbas decimas & primitias ad Episcopos pertinentes ne detineat. 72

Abraham in sancto numero victor regum impiorum. 195. ab eo qui aterni sacerdotij est forma, benedicitur. ibid.

Acacius Episcopus depositus & condemnatus. 47. 53. seipsum damnat. 67. Petro cuidam excommunicato communicat. ibid. Patriarcha Cõstantinopolitanus. 170. à S. Felice Papa anathematizatus. ibid. absq; omni Synodo Canonicè ab Apostolica Sede damnatus. 200. aliàs Achatius. ibid. malè bona ministrando, sibi tantum nocuit. 215. excommunicatoriam Felicis Papæ epistolam noluit recipere. 216

Adalbero VVirzburgensis Episcopus. 26

Adalbertus Doctor sallo verbosq; disertus 41. 42. triginta annis mundo crucifixus. ibid. & 165. 166. à Bernaldo laudatus. ibid. presbyter. 165. à Bernhardo siue Berenbardo laudatus. 168. 169. 197

Adam primus homo pro peccato de paradiso deiectus. 179

Adamus Duriſchius ſcitarius. 6

Adrianus Papa canonum Conciliorum epitomen confecit, & Karolo Imp. tradidit. 126. Vide V. Hadrianus.

Adrianus III. Papa, qui & Hadrianus. 248. 255

Aduentus Domini duplex. 172

Æneas Syluius epitomator Blondi. 29

Africanum Concilium clericos Donatistarum cum Ordine recepit. 48. eius epitome ab Hadriano Papa Karolo Imperatori tradita. 126. prohibet rebaptizationes, reordinationes vel trãslationes Episcoporum. 214

Agathense Concilium. 125

Agnes Imperatrix. 274

Aistulphus rex Longobardorum. 252. 253. à Pipino rege Francorum victus. 253

Albertus Abbas Stadensis. 28

Albertus Astellanus Antipapa. 277

Albertus Crantzius. 30

S. Albinus Aurelianensi Concilio interfuit. 125

Alboinus continentiam clericorum iisdem ferè argumentis olim oppugnauit, quibus hodie hæretici. 34. 41. 42. Illyrico vir pius & doctus. 41. 42. male tornatas scripsit epistolas. ibid. sacerdotes. 75. 76. incontinentiam concedit sacerdotibus, imò Episcopis. 79 mentem mutasse videtur. 83 84. amicus Bernaldi. 86. amicam admonitionem spernit, & contumelioſè respondet. 86. 87. laudat Paphnucium. 87. Catholicam veritatem sectam nominat. 90. Pelagianum, blasphemus, seruum peccati. ibid. iterum contumelioſè rescribit. 93 calumniatur Pontifices sui temporis. 96. antilegiam fingit inter Gregorium & Siricium Pontifices. ibid. refutatur. 99. & seq. sacerdotibus vxores concedit. 102. in Gregoriani anathematis eculeo suspensus. 107. filio iamdudum baptizato patris peccatum imputat. 108. tertiò à Bernaldo admonitus. ibid. Bernaldo reconciliatus. 111. 112

Alefredus Hildesheimensis Episcopus. 53

Alexander Papa à B. Petro quintus, potius in camino igne concremari, quam mentiri fortissimus athleta delegit. 150. nec loquendum eis esse testatur, quibus vel Episcopus pro sceleribus eorum sentitur aduersus. 151. citat S. Petri institutionem in ordinatione S. Clementis. ibid. decreta sua martyrio confirmauit. 204

Alexander II. Papa, qui & Anselmus. 17. ante

Pontificatum Lucenſis Epiſcopus. 241. in Laterano vita functus ibidemque ſepultus. ibid.

Alfridus Hildenesheimenſis Epiſcopus omnia Sacramenta præter Baptiſmum, ab anteceſſore ſuo Ebone pſeudepiſcopo collata annihilat. 193. 194.

Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus. 29

Altmannus Patauienſis Epiſcopus. 26

S. Ambroſius octaua die poſt baptiſmum ordinatus. 52. in ordine Neophytorum vſque ad finem vitæ Sacramenta miniſtrauit. ibid. teſtatur, apud antiquos idem fuiſſe Epiſcopum & Presbyterum. 143. in depoſitione albarum conſecratus ad Epiſcopatum. 190

Anacletus Papa, ab ipſo principe Apoſtolorum presbyter ordinatus. 123. 161. 203

Anaſtaſius Pontifex Romanus, tempore S. Auguſtini. 23

Anaſtaſius II. Papa. 47. 53

Anatolius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Cõcilio Chalcedonenſi. 123. à S. Leone Papa cohibitus. 156

Ancyranum Concilium ante Nicænum. 126

Andreas Ratisbonenſis Chronographus. 30

Andreas Tarentinus Epiſcopus ob dubium crimen ſub conditione depoſitus. 201

Anno Colonienſis Archiepiſcopus, dilectus Deo & hominibus. 20. Henrici Imp. adhuc pueri tutor. 274

S. Anſelmus Cantuarienſis nullam ſalutem dicere vult VValramo Epiſcopo Naumburgenſi excommunicato. 21. opuſculum de proceſſione Spiritus ſancti edidit contra Græcos. ibid.

Anſelmus Epiſcopus Lucenſis 13. tam in vita, quam poſt mortem miraculis clarus. 14. quo tempore obierit, & vbi. ibid. Gregorij VII. Papæ diſcipulus. 15. 16. monachus. 15. in ipſis ſecularibus negotiis ſæpe exceſſit mente. 16. diuinis reuelationibus interdum confortatus. ibid. à Gregorio VII. deſignatus ad Pontificatum. 270. Gregorij VII. cooperator indefeſſus. 272. hymnos quoſdam de Gregorio VII. interpretatus. ibid. maximè laudatus. ibid.

Antiochenum Concilium, cuilibet damnato ſi aliquid de ſacro miniſterio attingeret, omnem ſpem reſtitutionis vel locum ſatisfactionis penitus denegat, omnesq; ei infra damnationem communicantes ſub excommunicatione damnat. 54. eius epitome ab Hadriano Papa Karolo Imp. tradita. 126. à Chalcedonenſi Concilio roboratum. 150. officia damnatorum clericorum à populis recipi prohibet. 150. 155

S. Antoninus. 29

Apoſtoli tolerant pſeudoapoſtolos. 4. in ſuis Canonibus damnarunt eos qui ſecundam manus impoſitionem accepiſſe detegerentur. 52. honoreſimiles, poteſtate diſcreti. 170

Arauſicenſe Concilium. 125

Arcadius Epiſcopus ex Italia, legatus Apoſtolicæ Sedis in Concilio Epheſino. 122

Arelatenſe Concilium. 125

Ariani, omneſque illis conſentientes vel communicantes, à Nicæno Concilio damnati. 58

Arnolfus rex Catholicus intereſt Synodo Triburienſi. 176

Aſinus ſtans ad aram, Prædicantis ſymbolum. 78

Aſina Baalam Prophetam corripit & à gladio reſiſtentis angeli eripit. 130. non moritura, etiam ſi reprobũ Prophetam debita morte multaſſet. 130. 131

S. Athanaſius Præſul Alexandrinus, non minima pars Concilij Nicani. 121. ab Arianis hæretica præſumptione depoſitus. 198

Auentinus parum ſanæ fidei & doctrinæ ſcriptor. 229. 230. 231. 232

D. Auguſtinus cathedræ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ coniunctus. 2. à Romanis Pontificibus inter Magiſtros, dum adhuc viueret, habitus. 51. eius opuſcula à Romanis Pontificibus Synodali iudicio pro authenticis recepta. ibid. ſubſcribit Concilio damnanti ſub excommunicatione eos qui excommunicatis communicarent. 82. verè ipſius ſacræ ſcripturæ armarium. 76. interfuit Concilio generali. ibid. penè ex ſingulis libris ſuis non pauca retractauit. 81. S. Hieronymum & alios cautè legit. 81. 82. eius Categoriæ & ſcriptum de electione Iacob & reprobatione Eſau, non recipiuntur. 101. vir omnium virtutum. 124. Hipponeregienſis Epiſcopus. 125. magiſter optimus, etiam Pontificum Romanorum iudicio. ibid. laudatus. ibid. cunctis vbique & amori & honori. ibid. egregius Doctor. ibid. ad Epheſinum Concilium ab Imperatore inuitatus. ibid. nec cum ſorore habitare conſenſit. 136. liberat animam ſuam non tacendo. 158. detrahendum ſuadet ſeueritati vt conſulatur charitati. 176. neophytos licet ante communionem morte præuentos, non tamen Sacramento, id eſt, virtute Sacramenti carere teſtatur. 212. Sacramentum ordinationis etiam in damnatis permanere teſtatur. 216. 217

Aurelianenſe Concilium. 125

Aurelius Carthaginenſis Archiepiſcopus teſtatur calibatum ſacerdotum eſſe ab Apoſtolis. 76

B.

Balaam ab aſina correptus. 130. idem & Helias, id eſt, diuinus. ibid. Beatum Iob arroganter docet. ibid. Propheta à Balac rege Moabitarum ad maledicendum filiis Iſraël conductus. ibid.

Balac rex Moabitarum Baalam prophetam ad maledicendum filiis Iſraël conducit. 130

Balæus plurimas de Pontificibus fabulas euulgauit. 3

Digitized by Google

Baronius Cardinalis Bertoldo seu Bernaldo bene precatur. 217. 218.
Baptismus extra Ecclesiam esse non potest. 47. 48. hæreticorum ratus, dummodo baptizent in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. 191
Basilius Imperator Constantinopolitanus. 5
Beatius est bene mori, quàm male viuere. 21
Benno Osnaburgensis Episcopus doctrina & religione clarus. 193
S. Benno Misnensis Episcopus vir sanctus Gregorio VII. constanter adhæsit. 222. Langio vir Dei. ibid.
Benno pseudocardinalis Gregorium VII. calumniatur. 11. videtur ab aliquo Lutherano confictus. 12. mendaciorum faber & architectus. 13. 217. fide indignissimus. 218. barbarissimus & fœcissimus. 230. 231. ineptissimus. 231. 232. etiam Onuphrij iudicio. 272
Berengarius hæreticus Sacramentarius. 221. in Concilio Romano à Gregorio VII. celebrato, eiurata hæresi, Catholicæ fidei professionem edidit. ibid.
Bernaldus Constantiensis. 31. oculatus testis rerum à schismaticis suo tempore gestarum. 34. Tritbemio Bernoldus, Cuspiniano Bertoldus. 35. 36. presbyter. ibid. edidit Chronicon. ibid. non videtur fuisse monachus. 40. 41. discipulus Bernardi Constantiensium scholarum magistri, postea monachi Corbeiensis. 45. Apologeticum scripsit pro Gregorio VII. post mortem illius. 64. etiam improperanti charitatem offerre paratus. 85. quo tempore scripserit epistolas ad Alboinum. 111. 112. filius dextræ. 111. decreta Romanæ Synodi sub Gregorio VII. defendit. 117. & seq. de Sacramentis excommunicatorum cum Bernardo disceptat. 165. 166. Doctorem Adalbertum laudat. ibid. Berenhardum se scribit & describit. 168
Bernardus siue Bernaldus monachus de S. Blasio. 39. 40. princeps suæ ætatis philosophorum. ibid.
Bernardus Constantiensium scholarum Magister, postea monachus Corbeiensis in Saxonia. 24. negat à schismaticis & ab eorum communicatoribus Sacramenta posse confici. 25. nimio zelo aliquantulum excessit. 25. 32. ordinis S. Benedicti, cœnobij S. Viti. 37. 38. laudatus. ibid. Bernaldi seu Bernoldi præceptor. 39. 40. 45. etiam magister scholarum Hildesheimensium. 165. 166. ab Adalberto & Bernaldo laudatus. 167. Adalbertum magnificè salutat. 169. sedem Romanam veneratur vt tribunal Christi, eius Pontificem vt sacrarium Spiritus almi, eius decreta vt cælestia curiæ edicta. 183. venit Constantiâ Hildesheimium, inde Corbeiam. 193. Adalberto olim magistro vsus. 196. sacerdos. 198. veritatem libenter audit. 211.
Bertoldus seu Bernaldus Constantiensis. 23. 31. & seq. 35. 36. rectius Bernaldus. 117. 118. 202. 217. à Baronio Cardinali laudatus. 218
Blondus historicus. 29
Bonifacius Papa. 52 205
S. Bonifacius Episcopus in Mogontiensi Concilio. 125. Archiepiscopus Magontiacensis. 145. Concilio Apostolica authoritate præsuit. ibidem.
Bonifacius presbyter Apostolicæ Sedis legatus in Cõcilio Chalcedonensi. 122
Bruno historicus. 27. Henricum IV. suis coloribus depingit. 219. 220
Burchardus Halberstatensis præsul Henrico IV. Imperat. inuisus. 233. 234. ab Imperatore in vincula cum aliis Saxoniæ dediticiis principibus coniectus. 280. Saxo. ibid.
Burghardus Misnensis Præfectus ex equo cadens expirauit. 19. schismaticus. 28. equo subito consistente, à suis inuaditur. ibid.

C.

Cadolus vel Cadalous Parmensis Episcopus, Pseudopapa. 240. armata manu bis Romam veniens, bis vrbe fugatus. ibid. in Concilio Mantuano depositus. ibid. in schismate contra Alexandrum II. Pontificem creatus. 274. à Guiberto protectus. ibid.
S. Cælestinus Papa. 51. vir Apostolicus. 125. S. Augustinum laudat vt magistrum optimum à suis prædecessoribus habitum. ibid.
Calibatus olim à clericis iisdem argumentis oppugnatus, quibus hodie ab hæreticis. 32. 33. Sacerdotibus & Leuitis ab ipsis Apostolis inditus. 76
S. Cæsarius Agathensi Concilio interfuit. 125
S. Callistus Papa. 59. martyr. 162. conspirantes contra episcopos suos Gallicanos damnat. 206. 207
Canones sacri à Spiritu sancto dictati. 153. eorum violatores videntur blasphemare Spiritum sanctum. 153. 156. proprij sunt sacerdotum. 196. iubent, ne ante diem tertium ab obitu pastoris, nouus Pontifex eligatur. 242. dictati appellati. 249
Carnes comedere in Parasceue pro sola Ecclesiastica consuetudine deuitamus, ne prauaricatores diuinæ legis iudicemur. 66. non comedendæ diebus Sabbati. 72
Carolomannus, qui & Carolus, Episcopus Constantiensis Simoniacus ab Henrico IV. Cæsare intrusus. 175
Carolus Magnus, Pipini filius, rex Francorum. Saxonico bello implicitus, in Italiam Ecclesiæ Romanæ auxilio euocatus. 253. Desiderio rege Longobardorum acie victo & capto Longobardorum regnum in Francorum ius transtulit.

ſtulit. ibid. ex regno Longobardico tres partes fecit, vnam ſibi, alteram Eccleſiæ Romanæ, tertiam Imperatori Conſtantinopolitano attribuit. 253 254

Carthaginenſe Concilium. 52. ducentorum ſeptendecim Patrum. 171. Apoſtolica auctoritate firmatum. ibid.

Caſſiodorus ex ſenatore monachus eruditiſſimus. 81. hiſtoriam Tripartitam ordinauit. 81, 82. Diuæ memoriæ. 97. laudatus. ibid.

Cathedra Apoſtolica, S. Petri, & Moyſis. 23

Cathedra vendentium columbas euertitur, quando Simoniaci ſacerdotio priuantur. 129

Catholicus non habeatur, qui non concordat S. Romanæ Eccleſiæ. 249. 250

Cato tertius de cælo cecidit. prouerb. 196

Chalcedonenſe Concilium monachos Epiſcopis ſubiectos fore decreuit, ipſoſq; Eccleſiaſticis ſtatutis inobedientes anathematizauit. 62. vnum ex quatuor Conciliis vt ſancta quatuor Euangelia venerandis. ibid. Eutychetem cum ſuis obedientiariis anathematizauit. 63. 120. Dioſcorum cum Eutyche reprobat. 120. tempore Marciani Imperatoris & S. Leonis Papæ. 122. per duodecim dies celebratum. ibid. decreuit in vnaquaque prouincia bis in anno Concilia fieri. 124. prouincialia Concilia priora canonizauit. 125. ex primis quatuor tempore, non dignitate vltimum. 126. vſque ad ſanguinem vindicandum. ibid. quolibet modo per pecuniam ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum vel officium aliquod promotos abſque omni ſpe recuperationis deponit. 127. ſpiritualium officiorum venditores & mediatores cum ipſis emptoribus degradandos vel anathematizandos decernit. ibid. diſpenſatori Eccleſiaſticarum rerum per pecuniam promoto, officium diſpenſandi iubet auferri. 128. omnem Eccleſiaſticam ſolicitudinem per precium acquiſitam iubet adimi. 128. 129. Nicænum & Neocæſareenſe confirmat, eorumq; prænaricatores condemnat. 135. Antiochenum roborat. 150. communicatores cuiuſdam damnati Timothei præſulis Alexandrini excommunicat. ibid. ſexcentorum triginta Patrum. 158. S. Leonis Papæ auctoritate congregatum & confirmatum. 167. 168. clericos clericis inſidiantes gradu ſuo deiicit. 207

Cham filius Noë, typus eorum qui doctorum ſeu præpoſitorum ſuorum culpas produnt. 203

Charitas neſciens minui, ſole calidior, adamante perennior. 112

Chriſtiani non ſunt, qui ligamenta ſanctæ Eccleſiæ vanis ſe exiſtimant conatibus ſoluere. 58. omnes ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre debent. 73. tempore orationis continentiam ſeruent. 139

Chriſtum tolerat Iudam traditorem ſuum. 4. infirmitatibus noſtris compatitur. 95. Zachæo ſui occulta inſpiratione adſcenſionem arboris perſuaſit. 96. ſcribam Simoniacum repudiat. 131. tam pauper, vt nec proprium haberet hoſpitium. ibid. bonum indeficiens. 165. in reſuſcitatione puellæ mortuæ teſtes adhibuit. 172

Chunradus de Liechtenavv. 272

Cinthius Præfecti Romani filius Gregorium VII. Papam capit. 22. extra vrbem eiectus. ibid. aliàs Cincius. 23. Onuphrio Cencius, alijs Cincius. 259

S. Clemens Papa & martyr, à principe Apoſtolorum ſucceſſor deſtinatus. 159. incontinentes penitus ab altari remouit. ibid. cohabitationem extranearum feminarum clericis prohibuit. ibid.

Clemens II. Papa dictus antea Suidegerus, Saxo, Epiſcopus Bambergenſis. 257

Clerici prohibentur in Concilio Nicæno habitare cum fœminis nulla conſanguinitate propinquis. 75. 77. Simoniaci & incontinentes à Gregorio VII. in Synodo reiiciuntur. 117. 118. incontinentes ab antiquis Conciliis & ſanctis Patribus condemnantur. 135. 136. & ſeq. contra Epiſcopum ſuum conſpirantes, infames, curiæ traduntur. 206

Communio malorum non maculat niſi conſentientes. 59. 60

Concilia omni firmitate carerent, ſi non Apoſtolicæ Sedis auctoritate corroborarentur. 121. abſq; Romani Pontificis ſententia non celebranda. 121. 122. ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate non recipienda. 123. bina per ſingulas prouincias annuatim habenda. 123. 124. in acquieſcendum & obtemperandum. 124. 126. quatuor Euangeliis adæquata. 134. more antiquo & ritu Eccleſiaſtico inchoata à ieiunio. 221

Conſtantinopolitanum Concilium vnum ex quatuor æquè vt Euangelium venerandis. 109. Pneumatomachos anathematizat. ibid. Eunomij & Macedonij errorem conuicit. 120. ſub Vigilio Papa. 162

Conſtantinus Pogonatus Imp. Conſtantinopolitanus iure confirmandi Romanum Pontificem penitus ſe abdicauit. 256

Conſtantinus Pſeudopapa neophytus. 189. 190. impoſtor. 190

Conſuetudo cum veritati ſuffragatur, firmiſſimè tenenda eſt. 67

Contumacia cuiuſlibet in Synodo publicata, nullatenus exeat impunita. 208. 209

Core, Datan & Abiron hæreſiarchæ viui ad infernum deſcenderunt. 154. eorum ſequaces per ignem à Domino egreſſum combuſti. ibid.

Corinthij ab Apoſtolo Paulo quærunt, an nuper renatis

natiũ in Chriſto cárnalis copula licita eſſet. 138

Cornelius Papa à B. Cypriano laudatus. 273

Crimen eſt peccatum graue, accuſatione & damnatione dignißimum. 146. impedit ſacros Ordines. ibid.

Cunradus II. Imperator. 256. vel Chunradus. 274

S. Cyprianus in rebaptizationis ſententia non pertinaciter contra Eccleſiam egit. 25. putabat non poſſe eſſe apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptiſmum Chriſti. 49. martyr & Doctor egregius. 65. non cenſetur ſcripſiſſe librum illum de abuſionibus. 145. Cornelium Papam laudat. 273

S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. 122. Epheſino Concilio loco Celeſtini Papæ præfuit. ibid.

D.

Damaſus Papa. 108. 122. violatores ſacrorum Canonum dicit blaſphemare Spiritum ſanctum. 153. ſecundam vniuerſalem Synodum Conſtantinopolitanam ſua auctoritate roborauit. 159

Dare non potuit, quod quis non habuit. 187

Dauid tolerat Saulem perſecutorem ſuum, & occiſum vindicat. 3. 4. ſecundum cor Dei. 78. panes propoſitionis non accepit, priuſquam ſe triduo continuiſſe reſpondit. ibid.

Decimæ in vſum pietatis conceſſæ. 72. à laicis ſacrilegè detinentur. ibid.

Decreta Pontificum Romanorum diligentius obſeruanda, quàm ipſa Concilia. 121. 122. 123

Definitio incauta, laudabiliter eſt ſoluenda. 210

Deſiderius Cardinalis Romanus & Abbas Caßinenſis. 28. Gregorio VII. inuitus ſubſtituitur in Pontificatu. ibid. à prædeceſſore ſuo ante obitum deſignatus. 270. laudatus. ibid.

Deſiderius Rex Longobardorum Romanos vexat. 253

Deus Chriſtianorum ab ethnicis pictus auribus aſininis, altero pede vngulatus. 4. comprehendit ſapientes in aſtutia eorum. 5. adeſt Sacramentis & verbis ſuis per qualeſlibet adminiſtrentur. 49. 50. tunc tentatur, cùm pro manifeſtis venitur ad iudicium. 68. aliorum hominum cauſas voluit per homines terminare: Sacroſanctæ verò Sedis Romanæ præſulum ſuo ſine quæſtione reſeruauit iudicio. 204

Deuſdedit Presbyter Cardinalis. 29. 281

Diabolus ſalutis noſtræ capitalis hoſtis. 2. omnium calumniatorum archiſtrategus. ibid.

Dodechinus continuator Mariani. 20

Dolus an virtus, quis in hoſte requirat? 1

Domnizo presbyter vitam Mathildis verſibus deſcripſit. 26. 278

Donatiſtæ hæretici credebant Sacramenta ab improbis & excommunicatis validè adminiſtrari non poſſe. 32. etiam in diſſenſione & in ſchiſmate ſacrificabant. 49. in ſuis Ordinibus ſuſcepti. 68. 212

Duo præcepta, vt duo peccandi genera, & duo aduentus Domini. 172

E.

Eberhardus Comes legatus regis Henrici ad Gregorium VII. 17. 247. à Gregorio VII. benigne ſuſceptus. 247

Ebion hæreſiarches. 138. à Synodo Conſtantinopolitana & Gelaſio Papa anathematizatus. ibid. Iudaicam incontinentiam Chriſtianis ſacerdotibus permittit. 145. 157

Ebionitæ Iudaïzantes. 137

Ebo Rhemenſis Epiſcopus damnatus. 53. aſſenſit Lothario patrem ſuum regno pellenti. 193. Hildenesheimi relegatur. ibid. Hildenesheimenſis pſeudepiſcopus. ibid. alias Ebbo. ibidem.

Eccleſia Romana omnes alias Eccleſias iudicat, propter ſuum primatum. 56. ius ligandi atque ſoluendi in perſona Petri acceptum ſemper obtinet. 57. eius ſtatuta vſque ad ſanguinem defendenda. 64. non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino noſtro primatum obtinuit. 161. ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemini appellare permiſſum eſt. 162. alias Eccleſias in partem vocauit ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. 163. conſtituta à Domino caput & cardo Eccleſiarum. 169. Synodos ſua auctoritate confirmat & cuſtodit. 177. Eccleſiarum mater. 181. Sunamitis. 182. vinea Chriſti. ibid. tribunal Chriſti. 183. cum Chriſto capite in vnum corpus vnita. ibid. ſine vlla Synodo quoſlibet damnandos poteſt damnare, & reconciliandos reconciliare. 200. à ſolo Domino fundata. 249. nunquam errauit, nec, ſcriptura teſte, in perpetuum errabit. ibid. Orientalibus deſtituta auxiliis à Francis auxilium contra Longobardos poſtulauit. 253. omnium Chriſtianorum domina. 271

Egbertus Rex à Saxonibus contra Henricum IV. creatus. 275

Eggebertus Marchio pro Gregorio VII. ſtetit. 21

Electio paſtoris Eccleſiæ perperam facta, etiam ipſam poteſtatem eligendi tollit, quæ in deliberatione ſedis Apoſtolicæ ſeu Metropolitani ſui conſiſtit. 74. 262

Eleutherus Papa à B. Petro duodecimus. 160

S. Ennodius Epiſcopus Papienſis. 249. 250

Epheſina Synodus ſubditos Neſtorij laudat & emancipat. 63. Neſtorium damnat. 120. temporibus Theodoſij Iunioris Auguſti, & Celeſtini Papæ. 122

Epiphanius hiſtoriam tripartitam de Græco in Latinum fideliter vertit. 82. ſcholaſticus. 107

Episcopum irreprehensibilis 148 hospitalis vt Abraham. ibid. sic bibat, vt an biberit ignoretur. ibid quam pudicus. 149

Episcopi prebendas vel dignitates Ecclesiasticas vendentes ab officio suspenduntur. 71. Abbatibus seu clericis suis grauamen imponentes, vel interdictum sacerdotale officium pretio restituentes. 72. fornicationem clericorum non prohibentes ab officio suspenduntur. ibid. Pontifici à quo consecrati probantur, preiudicium inferre nullum possunt. 203. obedientiam quam à subditis suis exigunt, etiam ipsi summo Pontifici debent. 207

Eppo Cizensis Episcopus S. Chiliane vltore in aquis miserè periit. 19. VVolfio & Stumpfio Neapolitanus. 280

Erfordiensis Synodus Prouincialis. 33

Essentiam rerum non solet in contrarium ducere contrarietas opinantium. 211

Eucharistia indignè sumitur ab eo qui nondum criminibus pœnitendo se purgauit. 53

Euphemius Patriarcha Constantinopolitanus, successor Acatij 216

Eusebius pro Russino citatus 77 à Russino de Graco in Latinum conuersus. 81. eius historia non authentica. 107

Eustathiani hæretici legitimas nuptias pro mortali crimine deputantes, nullum in coniugali gradu positum spem habere apud Deum asserebant. 155. oblationes presbyterorum etiam ante ordinationem legitimè coniugatorum respuebant. ibid. in Concilio Gangrensi anathematizati. ibid.

Eutyches Constantinopolitanus Abbas cum suis obedientiarijs in Concilio Chalcedonensi anathematizatus. 63

S. Eutychianus Papa & Martyr à B. Petro decimus septimus 63. decreuit, subditum nec Episcopo nec Abbati suo obedire debere si sustinerent ei vt pro excommunicato Missas instituat. ibid.

Excommunicati etiam Sacramenta ab Excommunicatis percipientes. 54 etiam Excommunicatis consentientes seu communicantes 58. deuitandi in salutatione, in osculo, in oratione, in conuictu. 59. quo sunt plures, eò diligentius euitandi. 64. 65. 66. eorum etiam communicatores vitandi. 66. 67. res Ecclesiarum vel monasterium inuadentes. 69. 70. possunt baptizare & ordinare, licet pernicioseè tam habenti quam danti. 134. significantur per illos quos Apostolus Sathanæ tradiderat. 187. qui cum excommunicatis erant vel missas illorum audiunt. 261. ab omnibus tanquam pestis publica euitati 265. 266. nec salutandi quidem, ex Apostolico mandato. 223

Ezechiel Propheta cuilibet Pastori terribilem proponit conditionem. 158

F.

Fabianus Papa & Martyr. 162. 208

Facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. 104

Faustinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus in Cõcilio Africano. 124

Felix Papa Acacium excommunicatis communicantem anathematizat. 67. ab Episcopatu depositus, martyrio coronatus, cum multis presbyteris & clericis. 157. Arianis in violatione Nicæni Concilij assentire noluit. ibidem.

Felix III Papa generali Concilio presidens, eos qui se rebaptizari permiserant, perpetuæ pœnitentiæ subiicit. 214

Filij Sanctorum sunt, qui exercent opera eorum. 179

Fortunæ muliebri sacra facta à monogamis. 140

Freherus Caluinianus. 27. 228

G.

Galatæ Iudaizantes. 136. 137

Gangrense Concilium 126. eius epitome Karolo Imp. tradita. ibid. Eustathianos legitimum coniugium pro mortali crimine deputantes anathematizat. 155

Gebehardus Salisburgensis siue Iuuauiensis Archiepiscopus. 25. alter Machabæus. 26

Gebhardus Abbas Hirsaugiensis decimus tertius. 222

Gelasius Papa. 58 scripta quædam sanctorum Patrum canonizauit, id est, authentica declarauit. 66. communicatorem excommunicati non solet recipere, nisi reconciliatum. 67. Scripturarum indagator solertissimus. 80. historiam tripartitam, & Eusebij non valdè probat. 81. Nicolaum Diaconum & Paulum Samosatenum anathematizauit cum omnibus quæ docuerunt siue conscripserunt. 109. Iouinianum hæresiarcham specialiter anathematizauit. 110. dantem pariter & accipientem sacra propretio damnat. 132 S. Hieronymi opuscula inter authenticas & canonicas sanctiones recipit 149. aliorum opuscula iuxta S. Hieronymi iudicium recipienda vel respuenda decernit. ibid. doctor Apostolicus. 162 canonum obseruantissimus. 169

Germani Imperatori sponte sua parent: Tyranno non nisi coacti. 266

Gerohus Reichersbergensis Antistes, Augustinianus, in Boiaria. 22. Augusta primaria edit sacerdos. ibid. Onuphrio Episcopus, sed falsò. 272 Gregorium VII. contra schismaticos defendit. 279

Giezi puer Heliszi, Simoniacus. 133. cum omnibus suis posteris lepra hereditaria punitus. 134

Godebaldus schismaticus ab equo suo nouiter ferrato in fronte percussus interiit. 28

Gódefridus dux, hoſtis Saxoniæ, percuſſus, ſine confeſſione periit. 19. 27. 28

Godefridus Viterbienſis. 22

Gothi Italia potiti. 252. à Beliſario & Narſete Iuſtiniani Imperatoris ducibus Italia exacti. ibid.

Gratianus inductus in errorem à Sigeberto. 254. 255

S. Gregorius Magnus Papa Primus. 46. 52. damnatum ſacerdotem priſtini officij vſurpatorem perpetua excommunicatione damnat, vt vix ei viaticum in fine vitæ concedat. 54. conſecratores Salonitani præſumptorii excommunicatos eſſe declarat. 58. quatuor Concilia & ſancta quatuor Euangelia aſtruit veneranda 62. Honoratum Archidiaconum depoſitum reſtituit. 63. clericos quoſdam ab ordine depoſuit, eo quod proprium Epiſcopum accuſare non obedierunt. ibidem. iubet Concilio cuidam, vt primatum ſuum canonicè examinet. ibidem. omnes à Nicæna Synodo diſſentientes damnat. 77. 78. Subdiaconos Siciliæ ad tempus tantum, ad continentiam non coëgit. 78. 79. ab omnibus Diaconis & Subdiaconis continentiam exigit. 79 Sacerdotibus cohabitationem cum fœminis ſub anathemate prohibet. 80. coniugium in quarta generatione Anglis recenter conuerſis ad tempus conceſſit. ibidem. Doctor Apoſtolicus. 86. omnia ſacris Canonibus aduerſa in Synodo generali ſub anathemate fecit damnari. ibidem. continentes Siciliæ Diaconos laudat. 88. incontinentiam Diaconorum ſub altioris gradus prohibitione ad tempus tolerat. 102. 103. Simoniacos & incontinentes presbyteros damnat. 103. reges Francorum in adiutorium ſibi ad correctionem ſacerdotum incitat. 104. quatuor Concilia Euangeliis comparat, & ab eis diſſentientes damnat. 121. à Spiritu ſancto in auriculam ſibi decernenda dictanti edoctus. 128. Simoniacos ab Eccleſia ſeparat & cum hæreticis deputat. ibidem. presbyterum Simoniacum & Eccleſiæ & presbyterij honore ſpoliat. 129. clericos à cohabitatione fœminarum dehortatur. 138. teſtatur regnum ex culpa malorum ſacerdotum prægraui. 151. 152. terribilis contra hæreticos. 156. 159. ab omni Catholico paſtore mêritò imitandus. 160. contemptores Sedis Apoſtolicæ etiam ante peractam culpam ſolebat excommunicare. ibidem. Maximum & eius ordinatores excommunicauit antequam ordinarent. 160. 161. Honoratum Archidiaconum depoſitum, inuito eius Epiſcopo reſtituit. 162. Sedis Apoſtolicæ primatum conteſtatur. 163. Archidiaconum Salonitanum degradauit, quì per obedientiam Epiſcopi ſui, Apoſtolicæ Sedi aduerſus fuiſſet. ibidem. temerariam ordinationem Maximi Salonitani Epiſcopi deteſtatur. 168. etiam minores ſibi bono imitari paratus. 170. præſumptorem & contumacem niſi canonicè vocatum & expectatum damnare noluit. 174. Ioannem Epiſcopum temerè inferiorem ſuum excommunicantem, abſque ſynodica vocatione excommunicat. 179. peruicior mori, quam beati Petri Eccleſiam ſuis diebus degenerare. 181. quem ſedis ordinisque dignitas erexit, ſui ſe conſideratione repreſſit. ibidem. regeſtum ſcripſit epiſtolarum, non regiſtrum. 196. Maximum Salonitanum Epiſcopum abſque omni Synodo miſſarum celebratione priuauit. 201. Andream Tarentinum Epiſcopum ob dubium crimen ſub conditione depoſuit ibidem conſiliarios Epiſcopi Caralitani nulla ſynodica vocatione preuentos, vſque ad ſatisfactionem communione priuauit 203 Ioannem primæ Iuſtinianæ Epiſcopum ſynodicè prius non vocatum excommunicauit. ibidem. reordinationes prohibet. 215

Gregorius VI. Papa, tribus Schiſmatis abdicantibus, factus. 237. obiit in Cluniacenſi monaſterio. ibid.

Gregorius Septimus prius Hildebrandus dictus. 11. quo tempore Pontificatum inierit & obierit. ibidem. Sectatis potißimum inuiſus. ibidem. legitimè creatus Pontifex 13. mitram ſuam miſit Anſelmo Epiſcopo tanquam poteſtatem ſuam. 14. 15. multa fecit miracula viuus & mortuus. 15. in extremis ſuis dixit: dilexi iuſtitiam, & odiè habui iniquitatem, ideo morior in exilio. ibidem. Alexandro ſucceßit. 15. 16. indutus rubea chlamyde, & papali mitra inſignitus, inuitus & merens eſt inthronizatus. 16. laudatus. 16. 17. Archidiaconum ibid. Henricum Imperatorem excommunicat & abſoluit. 17. purgat ſe publicè Imperatori, cum corpore Chriſti. 18. monachus. 19. natione Tuſcus. ibidem. ſacerdotum refrenat incontinentiam. ibidem. Henricum Imperatorem ſecundò excommunicat. ibid. miſſis literis confirmat Catholicos ſibi adhærentes. 20. Henrico regni dignitatem ablatam, Rodolpho authoritate ſancti Petri confert. ibidem. augurio inhibuit, & ſortilegia, & incantationes, & magicas artes. 22. connubia clericorum à ſubdiaconatu, & ſupra prohibuit. ibid. Prior Cluniacenſis. ibid. quendam Epiſcopum miraculose conuicit. de Simonia. ibid. à Cinthio captus. ibid. pernicacior. ibidem. Epiſcopum Spirenſem deuouet. 23 cùm Salernitano conuiciantis loquelam

lam ereptam reſtituit. ibidem. fugit Pontificatum. ibidem. ad vincula ſancti Petri occultatus. ibidem. in natali Domini miſſam celebrans capitur. ibidem. ictum gladij mirabiliter euadit. ibidem. Salerni mortuus, & ſepultus in Eccleſia ſancti Matthæi, quam eodem anno dedicauerat. 24. velut alter Helias ſacerdotes Baal trucidauit. 25. ſub decem ſuis anteceſſoribus Romæ eruditus. 26. Deſiderium ſucceſſorem ſuum deſignat. ibidem. dum ſacrum facit, columbæ niueæ ſuper ipſum reſedisse, viſæ eſt. ibidem. regem ad ſynodalia reſponſa crebrò vocauit. 27. à rege vrbe pulſus. ibidem. arcana pectorum cognoſcendi charismate claruit. 29. monachus primum Cluniacenſis, deinde Abbas monaſterij S. Pauli 30. natione Hetruſcus. ibidem. laudatus. ibidem. legatus Lugdunum, miraculum fecit circa Archiepiſcopum Eberudunenſem Simoniacum. 31. decretis ſuis contrà Simoniacos & concubinarios ſacerdotes addidit, ne quis eorum Miſſæ intereſſet. 31. 34. laudatus. 57. ab hoſtibus ſuis habitus & agnitus eſt pro legitimo Pontifice. ibidem. Epiſcopum Spirenſem excommunicat, ſtatim miſerabiliter expirantem. 112. 117. 118. in prima hebdomada Quadrageſimæ Synodum Romæ collegit contra Simoniacos & incontinentes clericos. 117. 118. 119. quatuor Concilia ſicut quatuor Euangelia ſuſcipit & veneratur. 120. S. Gregorium Magnum temporibus ſuis repræſentat. ibid. quatuor Patriarchis miſit ſynodicam epiſtolam. 120. 121. ſtatuta ſua Othoni Conſtantienſi Epiſcopo tranſmiſit. 126. Eccleſias emptoribus earum adimi præcipit. 128. clemens erga Simoniacos. 129. incontinentibus clericis miniſterium altaris interdicit. 134. decernit, vt populus clericorum excommunicatorum officia non recipiat. 150. non tam incontinentium, quam pro incontinentia damnatorum Miſſas audire prohibuit. 155. clemens erga Canonum contemptores. 156. 159. publicos & contumaces proſcriptores damnat. 170. in correctionem Eccleſiaſticorum, opera vitur ſecularium. 177. coactus cum magno eius latu Pontificatum aſcendit. 205. legatos Schiſmaticorum à Romanorum vi eripuit, & ad pedes ſuos ſedere fecit. ibidem. Henricum regem ſchiſmaticum regno priuatum canonicè anathematizat. 206. clemens erga clericos conſpirantes. 207. præſentarie crimine obligatos, ad nullam Synodum vocatos, damnare potuit. 208. inſcio Imperatore electus. 218. initio ab Imperatore pro legitimo Pontifice agnitus. 219. publicum ante Synodum ieiunium indixit. 221. hortatur Mathildem ad frequentem vſum Euchariſtiæ. ibidem. in Romano Martyrologio poſitus, cum elogio Eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris ac defenſoris acerrimi. 226. Henricum abſolui ab excommunicatione poſtulantem depoſitis Imperatoriis inſignibus, nudis pedibus, poſt triduum admiſit. 231. 232. patria Soanenſis, nobili genere ortus, Pitiliani oppidi princeps. 235. ad Imperatoria curiam ſe contulit, inde inuidiæ ob virtutem contracta ceſſit. ibidem. vitam monaſticam in cœnobio Cluniacenſi ſub Odilone Abbate profeſſus. ibidem. à quibuſdam fabri lignarij filius fuiſſe dicitur. 235. 236. cuſtos altaris ſancti Petri Apoſtoli, & S. R. E. Oeconomus. 238. Subdiaconus legatus ad Imperatorem miſſus. 239. Apoſtolicæ Sedis legatus in Galliam, vt Synodo Lugdunenſi contra Prælatos Simoniacos congregata præſideret. 239. laudatus. 241. 243. inuitus & reluctans veſte purpurea indutus, Pontificalique diademate redimitus. 244. Albanum extra vrbem concedit. 246. Synodum generalem cogit in Baſilica Lateranenſi Conſtantiniana. 248. Rodulphum Imperatorem à Germanis quibuſdam Principibus electum confirmat, & omnes ab Henrici Sacramento abſoluit. 266. Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem ſacerdotio mulctatum excommunicat. ibidem. à Schiſmaticis in Conciliabulo Brixinenſi conuitijs proſcinditur. 267. vrbe ab Henrico capta in arcem ſancti Angeli egregiè munitam ſe recipit. 269. Robertum Guiſcardum cum maximo Normannorum exercitu in auxilium ſuum euocat, à quo ſua Sedi reſtituitur, tandemque Salernum abducitur. 269. 270. vir vitæ venerabilis, prudentiſſimus, Catholicus, Deo amabilis, hæreticorum malleus indefeſſus. Eccleſiaſtici iuris redemptor ac conſeruator ſolertiſſimus, perpetuáque memoria dignus. 270. tertio ante obitum die Deſiderium Abbatem Caſſinenſem ſucceſſorem ſibi deſignat. ibidem. inſtante morte exclamat: Dilexi iuſtitiam, & iniquitatem odio habui. ibidem. omnibus Eccleſiaſticis Sacramentis præmunitus obiit exul Salerni, ibidemque in Eccleſia cathedrali ſancti Matthæi honorificentiſſimè ſepultus. 270. 271. inſigniter laudatus. 271. 273. 277

Gregorius Mutinenſis Epiſcopus. 161. inuitus Mutinenſi cathedræ inthronizatus. ibidem. Archiepiſcopi Rauennatis Suffraganeus. ibidem. auctoritate Simplicij Papæ ab Archiepiſcopi Rauennatis ditione penitus abſolutus. ibid.

Gregorius Syracuſanus cognomento Asbeſta, Photianus ſchiſmaticus. 5. egregius pictor. ibid. S. Ignatium Patriarcham ignominiosè depingit. 5. 6

Gregorius Vercellenſis Epiſcopus Italici Regni Cancellarius. 247

Guibertus Archiepiſcopus Rauennas, Antipapa, ſub Clementis III. nomine. 13. de Roma Rauennam repedare compulſus. 24. hereſiarcha. 26. ab Heinrico Imperatore Romæ inthronizatus. ibidem. Gregorio VII. octo annis obedientiam exhibuerat. 29. quibuſdam Gibertus vel VVichpertus. 30. morte ſubitanea extinctus. ibidem. Brixinæ in Tyroli à ſchiſmatico conciliabulo creatus Pſeudopapa, & à rege Henrico aliisq; principibus & Epiſcopis ſchiſmaticis adoratus. 267. armata manu Romam ab Henrico deductus, eundem Henricum cum vxore ſua Berta Imperatorem coronat. 269. vrbe pellitur à Nortmannis. ibidem. Romam redit & omne Eccleſiæ patrimonium occupat. 250. prauaricator & ſuperbus. 273. Italus, Parmenſis, ex familia Corrigia. 274. Italici regni Cancellarius creatus. ibidem. Cadolum Antipapam fouit. ibidem. laudatus. 274. 275. Gregorium Septimum prodit. 275. ab Epiſcopis Bononienſi, Mutinenſi, & Placentino inauguratus, cum Cardinales deeſſent. ibidem. Romæ in arce ſancti Angeli, quæ ſui iuris adhuc erat, mortuus. 276. Rauennam tranſlatus, ibique ſepultus. ibidem. laudatus. ibidem. pœnitens Antipapatus. ibidem. eius cadauer poſt quinquennium erutum & crematum. ibidem. Henricum Imperatorem abſoluit ab obſeruatione iuramenti Gregorio VII. præſtiti ibidem. auctor cædis plus quam viginti millium hominum. ibidem. rectiùs Demens, quàm Clemens dicendus. 277. graphicè deſcriptus. 276. 277. quibuſdam VVigbertus. 223

Guido Aretinus, Micrologus. 26. Bernaldo vocatus VVido. 51. ſcripſit libros de Muſica ſub nomine Paſchalis Papæ. ibid. ſatis improuidè ſcribit de annullandis Simoniacorum Sacramentis. 51. 187. 188

H.

Hadrianus Papa à Longobardis vexatus, Carolum Magnum in Italiam ſubſidio euocauit. 253. non dedit Carolo Magno poteſtatem eligendi Romanum Pontificem, vt fingit Onuphrius. 254

Hæretici ardent odio ſummorum Pontificum. 1. 4. Pontifices ignominiosè depingunt. 6. Babylonicæ meretricis imaginem ad Papam Romanum referunt. 9. habent foris Sacramentum, ſed rem ipſam non tenent intus. 49. habent Sacramenta & Scripturas ad ſpeciem, non ad ſalutem. 49. 184. ad Catholicam fidem conuerſi in ordinibus ſuis recepti, non reconſecrati. 212. cum à fide Catholica deſiſterent, perfectionem ſpiritus quam acceperant, amiſerunt. 213. non rebaptizandi. 214. omnes ſunt infideles. 261

Hartungus Magdeburgenſis Epiſcopus. 25. Tritheimio vocatur Hartvvicus Magdeburgenſis Archiepiſcopus. 37. 38

Heli Pontifex quia filios corripuit quidem, ſed non abiecit delinquentes, retrorſum cadens periit. 149

Helmoldus hiſtoricus. 28

Henricus Spirenſis Epiſcopus eodem die miſerabiliter Spiræ ſubitò expirauit, quo Romæ fuit à Gregorio VII. excommunicatus. 112. 117. 118. Simoniacus. ibid.

Henricus II. Imp. vir ſanctiſſimus, ac inter Diuos relatus. 256

Henricus Tertius vulgò Quartus, Imperator. 13. Guibertum Antipapam Gregorio Septimo opponit. ibidem. inuitatus à Gregorio Septimo ad communionem corporis Chriſti renuit. 18. Conſtantienſem, Babenbergenſem, Moguntinenſem Epiſcopatum pro pecunia, Ratiſponenſem, Auguſtenſem, Straſburgenſem pro gladio, Monaſterienſem pro Sodomia, Fuldenſem abbatiam pro adulterio vendidit. 21. hæreticus, & excommunicatus. ibidem. pluribus diebus nudis pedibus ſuper glaciem ſtans abſolutionem impetrat. 22. ſtupris, amoribus, impudicitia & adulterij flagrat infamia. ibidem. pulſo Gregorio Guibertum hæreſiarcham Romæ inthronizat. 26. ponit per violentiam Epiſcopos quos vult. 28. de vxore ſua publicum facit proſtibulum. ibidem. quartò citatus it Romam. ibidem. Quartus Rex, & Tertius Imperator. 37. 38. grauis & odioſus Saxonibus. ibidem. Carolomannum ſiue Carolum Simoniacum Epiſcopatui Conſtantienſi obtrudit. 175. per tres annos ſæpe ab Apoſtolica Sede ad pœnitentiam vocatus, reſipiſcere noluit. 202. generale Colloquium apud VVormaciam condixit. ibidem. contra Romanum Pontificem & Synodum Romanam cum ſuis complicibus inſurgit. 202. 203. 205. meſſem Eccleſiaſticam deuaſtare tentauit. 208. initiò electioni Gregorij Septimi non contradixit, donec poſtea à Guiberto & à maleſuadis conſiliarijs in præceps eſt actus. 219. binas vel ternas ſimul concubinas habebat. ibid. non vnam Bethſabee ſtuprauit, non vnum Vriam occidit. ibidem. maximè crudelis in familiariſſimos ſuos. 219. 220. Babenbergenſem Epiſcopatum rudi cuidam mangoni pro ineſtimabili pecunia vendidit. 220. totum clerum ſibi & gnathonibus ſuis ſubiugauit. ibid. abſolui ab excommunicatione ſupplicat, depoſitis imperatoriis inſignibus, nudis pedibus, hieme ſumma, poſt triduum à Papa admiſſus.

missus. 231. 232. Saxoniæ Duces atque Antistites contra fidem datam coniecit in vinculà. 233. 234. durus erga supplices. ibidem. Burchardum Halberstatensem præsulem pessimis modis oderat. ibid. iuuenis audax & ferox. 244. 245. maximis bellorum turbinibus in Saxonia vexatus. 245. electionem Gregorij VII. cum Principibus fuit ratam habet. 246. Gregorium VII. virum sanctum, & tanto sacerdotio dignissimum asserit. 247. Papæ secundò rebellis, insidiatur. 260. Principes Saxoniæ vt rebelles, frequentibus bellis attriuerat. 266. Moguntiæ & Brixinæ in Tyroli Conciliabula cogit contra Pontificem. 267. epistolam mittit ad Pontificem. 268. Rodulpho prostigato, Romam ferè per biennium obsessam, partim vi, partim proditione occupat. 269. à Guiberto Antipapa cum vxore sua Berta Imperator coronatur. ibid. à Nortmannis vrbe pellitur. ibidem. absente Pontifice Romam & omne Ecclesiæ patrimonium occupat. 270. Antipapam creat. 274. Gregorio VII. apud Canusium Lombardiæ vrbem iuramentum præstat. 276. Cadaloum & Guibertum in Sedem Apostolicam intrusit. 280

Herbrandus Lutheranus Nouator imagines perperam interpretatur. 7. 8

Herimannus Babenbergensis Episcopus à clericis suis pro Simoniaca hæresi accusatus, à Papa deponitur. 191. coriarium subito de pila in qua cortices contuderat, ad altare transtulit, & presbyterum maturauit. Ibid.

Herimannus Rex à Saxonibus contra Henricum IV. creatus. 275

Hermannus Metensis Episcopus. 26. 280. vel Herimannus. 280

Hieremias Propheta tolerat malos. 4. de lacu cænoso extractus. 107

S. Hieronymus citatus in historia Eusebij pro Ruffino. 77. 81. 107. indubitatæ sanctitatis. 107. historiam Eusebij vocat deceptoriam. ibid. eximius Doctor. ibidem. probat, non licere clericis conuersari cum fœminis. 136. 137. continentiam laudat. 139. testatur apud antiquos idem fuisse Episcopum & Presbyterum: illud nomen officij, hoc ætatis fuisse. 143. magnæ auctoritatis apud Episcopos Apostolicæ Sedis. 149. à Gelasio Papa receptus & commendatus. ibid.

Hierophantæ Atheniensium vicatæ sorbitione castrantur. 140

S. Hilarius Arausicensi Concilio interfuit. 125

Hirsaugiense monasterium Gregorio VII. constantissimè semper adhæsit, eumq; scriptis defendit. 222. 224

Honoratus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus in Concilio Africano. 124

Honoratus Salonitani Episcopi Archidiaconus depositus, iterumque restitutus. 63. 162. 163

Hosius Cordubensis Episcopus. 122. Nicæno Concilio, loco sancti Syluestri Papæ præsedit. ibid.

Hugo Candidus Cardinalis. 16. S. R. E. Archipresbyter. 243. simulator, tandem deponit larvam. ibid. etiam Blancus dictus. 242. Tridentinus. ibid. farraginem contumeliarum aduersus Gregorium VII. ad VVormatiense Synedrion attulit. 278. dictus Albus. ibid. ter damnatus. ibidem. à Gregorio Septimo, propter ineptiam & mores inconditos de statione sua remotus. 225. ambitione, & sperati Pontificatus repulsa in præceps actus. 226

Hugo Lugdunensis Archiepiscopus. 270

Humiles esse debemus non his à quibus honoramur, sed à quibus patimur. 181

I.

Iacobus Hierosolymitanus Episcopus. 2

Ianuarius Caralitanus Episcopus Dominico die messem quorundam exarauit. 208

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus. 5. à Photianis schismaticis ignominiosè depictus. 5. 6

Illyricus Lutheri imagines fœdissimas tantum non adorat. 10

Imaginum sacrarum cultum Romani Pontifices contra Imperatorum Orientalium furorem defenderunt. 253

Imbrico Augustensis Episcopus periurus se denouet. 24

Inducia conceduntur in dubiis rebus nondum publicatis. 160. non concedendæ publicis contemptoribus Apostolicæ institutionis. 160. 167. 171

S. Innocentius I. Papa 46. ordinationes Nouatianorum cum Nicænis Patribus ratam esse probauit. 48. pœnitentibus Sacramenta negat. 153

Inobediens Ecclesiasticæ potestati pro Idololatra meritò deputatur. 55. 106

Inobedientia diabolica. 106

Inuesturas Ecclesiarũ à laicis suscipientes excommunicantur. 70. 71

Ioachimi Abbatis Imagines & Vaticinia, conficta. 7

Ioannes Adrasderus ignobilis sectarius. 6

Ioannes Archiepiscopus Lugdunensis. 31

Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, tempore S. Augustini. 2

Ioannes Gratianus S. R. E. Cardinalis & Archipresbyter S. Ioannis ante portam Latinam. 237

Ioannes Papa huius nominis Primus Ecclesias Arianorum Catholicè consecrat, Constantinopoli. 214

Digitized by Google

Ioannes Papa Ottonem vngit in Imperatorem cum coniuge. 192. ab Ottone deficit. ibid. aufugit Romam cum theſauro Eccleſiæ. ibid. renouatus Concilium congregat in Eccleſia S. Petri. ibid. Leonem Antipapam omni Eccleſiaſtico honore exutum damnat. ibid. Siconem Epiſcopum excommunicat. ibid. à Leone Antipapa ordinatos deponit, ita profitentes: Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit. 193

Ioannes XVI. Antipapa. 256

Ioannes Piſtorius. 22. 29

Ioannes primæ Iuſtiniane Epiſcopus Adrianum Thebanum Epiſcopum iniuſtè deponere præſumpſit. 208. à S. Gregorio excommunicatus. ibid.

Ioannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus vitam S. Gregorij ex præcepto S. Ioannis Papæ fideliter deſcripſit. 121

Ioannes Rudrauff fanaticus ſectarius. 6

Ioannes Villanus hiſtoricus. 29

Ioannes Wolfius conuiciorum & criminationum in Eccleſiaſticos collector. 6. 7. effigies Pontificum ex Bezæ officijs, pro antiquis venditat. 7. imagines perperam interpretatur. 7. 8. nomini ſuo reſpondet. 8. 278. lupum. 278. fingit Othonem Imperatorem à Gregorio Pontifice excommunicatum. 279. Lycus hoc eſt lupus dictus. 282

Iouinianus hæreſiarches, à B. Gelaſio anathematizatus. 110. hæreticè incontinentiam continentiæ adæquauit. ibid. Epiſcopum tamen voluit eſſe continentem. ibid. confitetur Epiſcopum eſſe non poſſe, qui in Epiſcopatu filios faciat. 147

Ira Dei duplex. 197. maxima, cum peccanti proſpera arridet. ibid. prouocatur à nobis, cum ea quibus Deus vehementer offenditur, inſequi, vel vlciſci differimus. 209

Iſaias Propheta tolerat malos. 4

Iſidorus rimator ſcripturarum ſagaciſſimus. 122

Iudas diſcipulus Domini & traditor, typus Simoniacorum. 185. 188

Iudicium aquæ frigidæ non recipiendum. 68

Iudicium ita nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur innocens quærit. 265

Iulius Papa Primus. 122

Iuſtinianus Imperator. 180. Gothos per duces ſuos Beliſarium & Narſen Italia exegit. 252. ius confirmandi Romani Pontificis ſibi vendicat, non ſine nummorum exactione. 255. 256

Iuſtinus Iunior Imp. Conſtantinopolitanus. 252

Iuſtus Reuberus ſectarius. 225

Iuuenes nimis alta petentes ſunt retrahendi. 86. 92

L.

Laici res Monaſteriorum vel Eccleſiarum auferentes excommunicantur. 69. 70. inueſtiturat Eccleſiarum facientes. 70. 71. decimas ſacrilegè detinentes damnantur. 72. die quo volunt orare, prohibentur ab opere coniugali. 75. 76. non niſi poſt triduanam continentiam admittuntur ad Sacramenta. 78

Laodicenſe Concilium à Chalcedonenſi roboratum. 126. eius epitome Karolo Imperatori tradita. ibid.

Lambertus Schaffnaburgenſis, pro Gregorio VII. 17. 18. Hirſenfeldenſis monachus. 272

Latinus orbis, Italia, Gallia, Germania. 251

Legati Apoſtolicæ Sedis principalium Conciliorum ſanctiones primaria ſubſcriptione, Apoſtolica vice canonizabant. 122. ex parte S. Sylueſtri Papæ Nicæno Concilio præfuerunt, & ipſum principali ſubſcriptione firmauerunt. ibid. loco Cœleſtini Papæ Epheſino Concilio præſederunt, & ipſum Apoſtolica vice corroborauerunt. ibid. vice S. Leonis Papæ Chalcedonenſi Concilio primi fuerunt, & Anatolio Patriarchæ Conſtantinopolitano liberaliter contradixerunt, & reliquis ſtatutis Apoſtolica vice ſubſcripſerunt. 122. 123. Concilio Africano interfuerunt. 124. omnibus Prælatis in Concilio præſunt, licet in inferiori gradu conſtituti. 249

Leimarus Bremenſis Archiepiſcopus noluit in baptizando vti chriſmate confecto ab Hermanno Simoniaco Epiſcopo. 191

Leo Marſicanus, Epiſcopus Oſtienſis. 272.

Leo Oſtienſis, hiſtoricus. 26. 277

S. Leo Papa primus. 45. clericos Hæreticorum cum ordine recipi conceſſit. 48. Neophytorum ordinationes admiſit. 52. 53. tum Græcis tum Latinis literis eruditiſſimus. 96. generalia ſanctorum Patrum decreta iubet obſeruari. 103. omnibus Apoſtolica præcepta contemnentibus veniam denegat. 106. Chalcedonenſi Concilio per legatos præfuit. 156. Anatolij præſulis Conſtantinopolitani præſumptionem cohibet. ibid. prædeceſſorum ſuorum decreta confirmat. 159. quartam vniuerſalem ſynodum Chalcedone congreganit. 162. in omni Eccleſia vniuerſali & principali poteſtate præditus. 163. Timothei Epiſcopi Simoniaci Sacramenta videtur reiicere. 168

Leo IX. Papa Simoniacam hæreſin penitus damnauit, emptiones & venditiones altarium ſub anathemate prohibuit. 129. ante Pontificatum Bruno vocatus. 237. 238. Pontificatum ab Imperatore acceptum vltrò depoſuit. ibidem. legitimè à Cardinalibus electus & conſecratus. 238. Synodum cœgit contra vxoratos Sacerdotes & Simoniacos Epiſcopos. ibid.

Leo Antipapa ſeu Pſeudopapa neophytus. 192. omni Eccleſiaſtico ordine exutus & damnatus. ibid. Ab eo ordinati ita profitebantur: Pater meus nihil ſibi habuit: nihil mihi dedit. 193. eius Synodus non Synodus, ſed proſtibulum fauens adulterio. 193. 194

Leo VIII. Antipapa. 255

Lex æterna differt à legibus temporalibus. 177
Liberatus Carthaginensis Archidiaconus. 123
Libri nulli Canonici haberi possunt, absque auctoritate Romani Pontificis. 250
Licentia minima in imperio maximo. 181
Longobardi ex Pannoniis Italiam ingressi fere totam, præter Romam, in potestatem redegerunt. 252. feroces & barbari. ibid.
Loth iustus, ob pejus malum declinandum, ipsas filias Sodomitis concedere voluit abstendum. 95. 105. vitandum potius quam imitandum sacræ Scripturæ exemplum. 105
Ludevvicus magni Karoli filius. 193. à Lothario filio regno priuatus. ibid. ope Pipini & Ludevvici filiorum regnum recepit. ibid.
Ludevvicus Dux Bauariæ patrem suum Ludevvicum à Lothario pulsum regno restituit. 193
Lugdunensis Synodus contra Simoniacos. 239
Luipoldus Henrici IV. consiliarius ab equo cadens, ense è vagina lapso se confodit. 28
Lutherus maledicentissimus conuiciator Romanorum Pontificum. 1. Propheta, Euangelista, & Apostolus quibusdam. ibid. iam vicinus Stygi, librum de Papatu per Diabolum fundato, Diabolo dictante conscripsit. 2. in Papam & Cardinales furit. 9. 10. Papam & Cardinales patibulo suspēsos pinxit, circumuolitantibus cacodæmonibus. 10. ex potu vel senio delirat Luiheranorum iudicio. ibidem. imaginem Papæ ex loculis & clauibus suis suspensi probat. 11

M.

Maginulphus Antipapa. 277
Maledicendum nec inimico quidem. 91. 92
Mali tolerandi. 4. Sacramenta habere possunt, non autem charitatem. 50. quibus placent in vnitate, ipsi communicant malis. 60. cogniti boni non obsunt in Ecclesia. ibid. non maculant bonos, si non consentiant, & si redarguant. 61. boni permixti in Ecclesia vsque finem mundi. ibid. qui non resistit illis dum potest, fauct. 209
Marcellus Papa ante Nicænum Concilium decreta sua martyrio consecrauit. 121. vir Apostolicus. ibid.
Marcellinus Papa. 203
Marianus Scotus Chronographus. 20
S. Marinus Arelatensi Concilio interfuit. 125
Martinus Polonus historicus. 29
Mathildis Comitissa optima & potentissima per Italiam femina. 28. 30. Bonifacij maximi per Italiam Principis filia & hæres. 257. aliquot vrbes Ecclesiæ Romanæ donauit. ibidem. defendit Sedem Apostolicam. 223
Matthæus Iudex seditiosissimus Prædicans. 9. 10
Maximus Salonitanus Episcopus præsumptor. 46. 160. à S. Gregorio Magno Papa excommunicatus. 160. ordinatus ab excommunicatis ipso facto. 160. 161. 168. literas Papæ celebrationem sibi Missæ interdicentis, protervè discidit. 174. à B. Gregorio missarum celebratione priuatus. 201. de crimine Simoniæ siue fornicationis iuramento se expurgauit. ibid.
Mediator iustus non est, qui in incertis sic vnam partem audit, vt alteri parti nihil reseruet. 172
Medicinæ inuentæ variæ ob variorum experimenta morborum. 160
Meginvvardus Frisingensis Episcopus. 26
Micrologus, seu Guido Aretinus. 26
Missa Germanica in nonnullis vrbibus Lutheranorum. 8
Missa Sacerdotum prævaricatorum non audienda vel recipienda à populo. 151. in ea olim Sacerdoti populus respondere solebat. ibid.
Mitra Gregorij VII. splenecticum sanat. 15
Mogontiense Concilium. 125. presbyterum Simoniacum & Ecclesiæ & presbyterio priuat. 129. sub Zacharia Papa & S. Bonifacio Mogontiacense Archiepiscopo. 145
Monachi Episcopis inobedientes in Concilio Chalcedonensi damnantur. 62
Monastica vita non prohibet, quo minus quis, qui eruditione præstat, veritatis patrocinium per librorum scriptionem suscipiat. 224
Mos populi Dei pro lege tenendus. 151
Moyses tolerat murmuratores. 3. Christi secretarium. 95. quo peiora compesceret, libellum repudij asportari iubet. ibid.
Munus à manu, à lingua, ab obsequio. 211. 221

N.

Neocæsareense Concilium ante Nicænum. 126. incontinentes clericos damnat. 135
Neophytus inter sacros ordines non recipitur. 144. 190
Neophyti moribus informes, religione rudes, scientia rustici. 191. licet ante communionem morte præuenti, non tamen Sacramenti virtute priuantur. 212
Nestorius præsul Constantinopolitanus. 63
Nicænum Concilium clericos Nouatianorum cum ordine recepit. 43. Arianos, omnesq; iis consentientes seu communicantes damnauit. 58. probibet, ne clerici habitent cum fœminis nulla consanguinitate propinquis. 75. iuxta S. Gregorium, æquè vt Euangelium, venerandum. ibid. trecentorum & octodecim Patrum subscriptione roboratum. 77. ad Episcopos Africæ transmissum. ibid. omnium prouinciarum Antistites propria iubet obseruare priuilegia. 103. peruersum Arij dogma destruit. 120. sub Constantino Magno Imperatore, & S. Syluestro Papa. 122. constituit per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari. 123. inter quatuor

uuor Concilia Euangelia adaquata maximum. 134. explicatur. 135. trecentorum octodecim Patrum. 158. numero ſuo crucem Chriſti, & nomen IESV ſignificat. 195. diuino priuilegio conſecratum. ibidem. à ſanctis Patribus ſummè laudatum. 195. 196. 209. Paulianiſtarum clericos & baptizatos reordinari & baptizari decreuit. 213. Eccleſiaſticas dignitates vendentes & ementes excommunicat. 261

Nicolaus hæreſiarches ſuis cõdiaconibus etiam communes conceſſit vxores. 89. Beati Stephani Protomartyris condiaconus. 109. anathematizatus. ibidem. vxorem ſuam cuilibet volenti proſtituit. 140. 141. Apoſtolicam doctrinam malè interpretatus. 141

Nicolaitæ hæretici. 28. in Romana Synodo ſub Gregorio VII. anathematizati. 73

Nicolaus Papa. 51. generali Synodo præſidens, decreta Sedis Apoſtolicæ contemnentibus anathema dicit. 66. anathematizat negantes electionis priuilegia ſedi Romanæ. 182

Nicolaus II. Papa. 240. ſanxit, vt nullus vnquam Papa fieret, niſi per electionem Cardinalium, &c. 280

Nigrinus plurimas de Pontificibus fabulas euulgauit. 3

Nihil adeo diſſimile, quin aliquo modo ſit ſimile. 102

Nortmanni monaſterium S. Benedicti inuadentes excommunicantur. 70. patrimonium beati Petri in Campania occupant. 241. ab exercitibus Godefridi Ducis & Mathildis Comitiſſæ fugantur. ibid.

Nouatiani hæretici à Sede Apoſtolica in ſuis ordinibus ſuſcepti. 68. 212. non Chriſtiani. 89

O.

Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat. 94

Ononychites fictus Deus Chriſtianorum. 4

Onuphrius Panuinus duces ſchiſmaticos & parum ſanæ fidei in ſcribendo ſecutus. 229. 230. 268

Ordinationes non factæ ſecundum Canonicas ſanctiones, falſæ & irritæ eſſe declarantur. 71

Orthuinus Gratius Romanæ Pontificiæ parum amicus. 12

Otho Epiſcopus Conſtantienſis. 39. 40. 119. 126

Otho Epiſcopus Oſtienſis. 270

Otho Friſingenſis. 26. 27. 271. 272

Otho Primus Imperator Romanam Eccleſiam ex tyrannorum Berengarij & Adelberti manibus eruta, in libertatem vendicauit. Vide V. Otto.

Otho III. Imperator. 256

Otto Imperator Heinrici regis filius. 192. compreſſa Beringarij & eius filij tyrannide Italiam ſubiugat. ibid. à Ioanne Papa cum coniuge vnctus. ibid. Romam inuadit. ibid. Ioannem Papam reuocat. ibid.

Oza à Domino percuſſus interiit, eo quod Arcam iam caſuram manu ſuſtentare præſumpſerit. 154

P.

Papa ab hæreticis ignominioſè depictus. 6. Vide V. Pontifex Romanus, vnicum nomen eſt in mundo. 249

Papaſſus commentarijs Philippi & Illyrici illuſtratus. 6

Paphnucius quidam dicitur in Concilio Nicæno impetraſſe ſacerdotibus licentiam dormiendi cum vxoribus. 75. 82. falsò. 82. 83. 84. ſtigmata Ieſu in corpore ſuo portaſſe dicitur. 87

Paracelſus imagines in Pontificem ignominioſas comminiſcitur. 6. Ioachimi Abbatis nomen prætexit. 7

Paſchalis II. Papa. 276. pacem cum Henrico V. Imper. init. ibid. Guiberti Antipapæ cadauer de ſepulchro vbi quinquennio iacuerat abſtrahi cremarique iuſſit. ibid.

Paſchaſinus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis legatus in Concilio Chalcedonenſi. 122

Paſſionale Lutheri. 6

S. Patres potius ſe tormentis affligi & crudeliter occidi permiſerunt, quam violatoribus ſacrorum Canonum conſentirent. 157

Patriarchæ quatuor, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus. 120. ſolebant inuicem ſynodicas mittere, & nomina in diptychis deſcribere. 120. 121

Paulianiſtæ hæretici non verè & legitimè baptizabant, nec ordines conferebant. 213

S. Paulus tolerat malos. 4. ad tertij cœli raptus Paradiſum, nos homines eſſe admonet, ſicut ſeipſum. 95. principem Apoſtolorum Antiochia corripit. 138. Neophytis ſacerdotale officium penitus intercludit. 139. ſacerdotibus digamiam penitus prohibuit. 140. ſub nomine Epiſcopi etiam Presbyteros comprehendit. 143. hortatur omnes ad continentiam. 144. peritos ſacerdotes conſtitui præcipit, inobedientes & vaniloquos reiicit. 146. auctoritati Corinthiorum ceſſit. 170. Corinthium publicè damnat. 175. Gentium Apoſtolus, factus paruulus. 181

Paulus Beireutenſis ſeu Bernriedenſis Reginoburgij in Boiaria, Auguſtinianus myſtes. 22. 23. Gregorij VII. vitam ſcripſit. 22. monachus ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini. 272. Gregorium VII. contra ſchiſmaticos defendit. 279

Paulus Langius naſcenti Lutheranæ ſectæ benignior. 19. ſtat pro Gregorio VII. ibid.

Digitized by Google

Paulus Papa huius nominis Primus. 189
Paulus Samosatenus clericis suis cohabitationem fœminarum concessit. 89. propter inobedientiam ab Episcopatu publica manu turpiter expulsus. 106. Pseudopatriarcha Antiochenus. 109. anathematizatus. ibid. Iudaicam incontinentiam Christianis sacerdotibus permittit. 146
Peccatum paganitatis incurrit, quisquis dum Christianum se asserit, sedi Apostolicæ obedire contemnit. 31. pro aliena infirmitate nullatenus committere licet. 105. non idem quod crimen. 146. committere, humanum: defendere, diabolicum. 158
Peccata quotidiana in hac vita deuitari nequeunt. 64. quotidianis orationum & eleemosynarum remediis curanda. ibid.
Peccata aliorum defendere, non misericors compassio, sed miserabilis est condemnatio. 105. nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. 110. nec pro alicuius æterna salute facienda. ibid.
S. Pelagius Papa. 46. 48
Pelagius hæreticus negat plenam peccatorum remissionem in Baptismo. 90
Petilianus hæreticus cathedram Apostolicam appellat cathedram pestilentiæ. 2
S. Petrus in cathedra Ecclesiæ Romanæ sedit. 2. ius ligandi eodem tenore & firmitate qua soluendi, à Domino accepit. 65. Apostolorum princeps. 72. 75. firmissimè deliberat, vt populus nec saltem loqui cis audeat, quem præcepit Apostolicæ Sedis inobedientiæ sentiat. 106. Simoniacos detestatur, & cum Baalam comparat. 130. epistolas coapostolis eius Pauli commendat. 141. in ordinatione S. Clementis instruit clerum & populum. 151. prohibet ne quis eis loquatur, qui Apostolicis institutis non obsecundare deprehenduntur. ibid. S. Clementem sibi successorem destinauit. 159. ab omnibus obedientiam generaliter exegit. 161. Anacletum presbyterorum ordinat. ibid. principatum suum Domini voce tenuit semperque tenebit. 162. à S. Paulo correptus. 170. 198
Petrus Damiani Cardinalis Ostiensis Episcopus. 51. librum à se scriptum Gratissimum cognominauit. ibid.
Philippus Bergomensis, historicus. 30
Photius Pseudopatriarcha Constantinopolitanus schismaticus. 5. periurus. ibid.
Pipinus Aquitaniæ dux patrem Ludeuicum Imperatorem à Lothario pulsum regno restituit. 193
Pipinus Francorum Rex, Careli postea Imperatoris pater. 253. Vrbem Romam Sedemque Apostolicam egregiè tutatus est. ibidem. Aistulphum regē Longobardorum acie vicit, & Exarchatum Rauennæ ei ereptum, Romanæ Ecclesiæ donauit. ibid.
Pneumatomachi hæretici Spiritui sancto repugnantes. 109. in Constantinopolitano Concilio anathematizati. ibid.
Pœnitentes etiam Canonicè pro criminibus suis satisfacientes, diuinis Sacramentis indicantur indigni. 153. nec infirmos sacro chrismate vngi licet. ibid.
Pœnitentia vera est, cum quis relictis omnibus iniquitatibus suis, deinde in fructibus bonæ operationis permanet. 73. nudis pedibus & depositis omni corporis cultu, vestibusque ad luctum & mœrorem idoneis acta. 231. 232
Pœnitentia nolentium deserere officium quod sine peccato exercere nequeunt, vel restituere bona ablata, vel deponere odium, falsa. 71. quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro æqualitate criminum imponuntur. 71. 73. 74. falsæ cauendæ. 73. à religiosis & Scripturarum doctrina instructis accipiendæ. 74
Pontifex Romanus. Vide V. Papa. omnis Ecclesiastica potestas ab eo procedit. 55 omnium prælatorum Ecclesiæ est summus Prælatus. 56. à nemine iudicari potest. ibidem. est index vniuersalis Ecclesiæ. 57. de omnibus Ecclesiis iudicare valet, nec alicuius iudicio subiacet. 103. ipsorum Canonum & decretorum seueritatem pro temporis necessitate valet, imò debet mitigare. 103. 107. & propria, & prædecessoris sui statuta valet mitigare. 107. generalium Synodorum conuocandarum ius habet. 122. in omni Ecclesia vniuersalem & principalem potestatem habet. 163. ei potius, quam cuiuis alteri Episcopo obediendum. 163. 164. proprio & legitimo Pastori iure præponitur. 164. à subiectis moneri persæpe tolerabat. 170. sacrarium Spiritus almi. 183. absque omni Synodo contumaces damnare consuenit. 200. à solo Deo iudicari potest. 204. solus iure dicitur vniuersalis. 249. solus deponere potest Episcopos vel reconciliare. ibidem. potest deponere absentes. ibidem. potest vti Imperialibus insignibus. ibid. potest Imperatores deponere. ibidem. absque Synodo potest Episcopos deponere. ibidem. à fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere. ibidem. eius solius pedes osculantur omnes principes. ibidem. religionis Christianæ caput, Christi Vicarius, & Petri successor. 271
Populus Israël ad montem Sina accessurus triduo sanctificari & se continere ab vxoribus iubetur. 144
Prædia Ecclesiastica suscipientes vel inuadentes laici excommunicantur. 69. 70. Sancti Petri sacrilegè inuadens vel detinens, deprehensus resti-

reſtituat, & praeterea quadruplum de propriis bonis. 72

Praedicantes ardent odio Romanorum Pontificum. 1. aſini ad aram ſtantes. 7. 8. porci, hirci, vulpibus, vrſis, lupis, leporibus, anſeribus repraeſentati. 8. impudentiſſimi. 9

Prelati Eccleſiae ex generali priuilegio hoc habent, vt ſubditos iudicent. 55. obedire debent Romano ſummo Pontifici. 56. neceſſariò ſibi in adiutorium pro ſacerdotibus incontinentibus à damnatione reuocandis implorant ſecularium auxilium. 104

Praeſumptio publica maior eſt ipſo ſcelere admiſſo. 185

Priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. 179. 281. ne ſit priuilegium. 281

Probationes aquae frigidae, imò etiam igniti ferri vel feruentis aquae à ſacris Canonibus prohibentur. 68

Promiſſio cautiſſima pro cauſa Eccleſiae laudabiliter ſoluitur. 210

Proterius praeſul Alexandrinus occiſus. 168

Pudicitia in omni gradu & ſexu tenet principatum. 149

Q.

Quicquid in diuinis ſcripturis aliquo modo probabile videtur, nullatenus ab aliquo facile praeiudicetur. 95. 96. quicquid conuenit parti, conuenit & toti. 98. 108

R.

Rahab mendacium, virandum potius quàm imitandum. 105

Reginbertus Hildenesheimenſis Epiſcopus ſecundus. 193

Reinerus Reineccius Lutheranus vel Caluinianus haereticus. 11. 225

Religioſi debent eſſe obedientiores Eccleſiaſticis ſtatutis quam laici. 62. 63

Remenſe Concilium, presbyterum Simoniacum & presbyterio & Eccleſia priuat. 129

Robertus Guiſcardus cum maximo Nortmannorum exercitu Gregorium VII. reſtituit, ſecumque Salernum deduxit 269. 270. Nortmannorum Dux. 275

Rodolphus ſeu Rudolphus Rex pro Henrico, à Gregorio VII. conſtitutus. 20. 24. Sueuorum Dux. 260. à Germanis Principibus Imperator electus à Pontifice confirmatus. 266. in bello ſauciatus, paulo poſt mortuus. 269

Rolandus Parmenſis Sacerdos ſchiſmaticus, filius ſeculi, hamus diaboli. 279

Romanus Pontificalis, liber hiſtoricus. 51

Romana Synodus ſub Gregorio Septimo celebrata. 69. Simoniacos & Nicolaitas haereticos anathematizauit. 73. acta in Eccleſia Domini Saluatoris Lateranenſi. ibidem. à tribus millibus ac ſexcentis Eccleſiaſticis collecta. 194. legatos Schiſmaticorum officio & communione priuat, aliis inducias concedit. 206. decreuit Romanam Eccleſiam à ſolo Domino eſſe fundatam: ſolum Papam iure dici vniuerſalem Pontificem: ſolum poſſe deponere Epiſcopos vel reconciliare; etiam abſentes: ſoli licere pro temporis neceſſitate nouas leges condere, nouas plebes congregare: ſolum poſſe vti Imperialibus inſignibus: eius ſolius pedes, omnes Principes deoſculari: eius ſolius nomen in Eccleſiis recitari: ei licere Imperatores deponere: Epiſcopos de ſede in ſedem tranſmutare: quemcunque voluerit clericum ordinare: à nemine iudicari poſſe: ipſum ſolum omnium aliorum ſententias retractare poſſe: abſque illius auctoritate nec Synodum generalem nec librum vllum vel capitulum Canonicum haberi, etc. 249. 250

Romana Synodus ſub Leone IX. Simoniacam hereſin damnauit. 129. emptiones & venditiones altarium ſub anathemate prohibuit. ibid.

Romana Synodus à Symmacho Papa congregata. 204. cauſam Symmachi diuino iudicio committit. ibid.

Rucherius Haluerſtadenſis Epiſcopus. 20

Ruffinus hiſtoriam Euſebij de Graeco in Latinum conuertit. 81. 107

Rumoldus Primus Praepoſitus Goſlarienſis, poſtea Epiſcopus Conſtantienſis. 197

S.

Sacerdotes à die ordinationis ſuae debent eſſe continentes. 76. 77. qui ſacris canonibus obſtinato animo reſiſtunt, à ſacerdotio apud Deum decidunt. 104. per venerandam manus impoſitionem & per ſacratiſſimi chriſmatis vnctionem reliquis continentibus, imò virginibus ſunt praelati. 105. in Concilio Nicaeno prohibentur cohabitare foeminis. 108. non ſunt, ſed dici tantummodò inaniter concupiſcunt. qui ſacerdotium pretij ſtudent datione mercari. 128. ſobrij ſint, iuſti & continentes. 139. bigami nec apud Ethnicos quidem permittuntur. 140. ſecularibus debent praeminere in caſtitate. 145. Spiritus ſancti loquutorium effecti. ibidem. ſancti, & ſemper orantes. 147. neceſſarij, non tamen ſemper virgines. ibidem. in veteri lege purificabantur, ab vxoribus ſeparati. ibidem. vinum

& ſiceram non bibebant. ibid. cautiſsimè deligendi. 147. 148. Canonum contemptores regnum aggrauant. 151. 152. ſecundum Canones damnati, non niſi in perniciem ſuam ſacrificare poſſunt. 153

Sacramenta à malis collata. 3. extra Eccleſiam nec ſunt nec fiunt effectiuè, licet inutiliter & perniciosè & eſſe & fieri poßint. 48. vbique recta ſunt. 50. communia nobis cum hæreticis. ibid.

Sacrificium verum non eſt extra Eccleſiam Catholicam. 167

Samuel tolerat filios Heli & ſuos. 4. Propheta, per quem Spiritus ſanctus populum docuit. 155

Sanctis tolerant malos. 4

Sardicenſe Concilium & temerariam Epiſcopi Catholici excommunicationem vſq; ad Canonicam excommunicationem ratam eſſe cenſuit. 57. eius epitome ab Hadriano Papa Karolo Imperatori tradita. 126

Saul rex prophetat. 50

Schardius rhapſodus criminator, mendax. 280

Schiſmatici priuilegiorum corruptores. 281. nec ſatandi quidem. 223

Schlüſſelburgius ſeditioſus. 10

Schramus Prædicans Neoburgicus. 7.

Sententia paſtoris timenda eſt, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. 25

Sigebertus Gregorio VII. parum benevolus. 12. 32. Gregorio VII. calumniam ſtruit. 32. ſchiſmaticus. 229. 230. 259. monachus. 224. edidit libros aduerſus Gregorium VII. & Paſchalem II. & Apologiam ad Henricum IV. contra eos qui calumniantur Miſſas Sacerdotum vxoratorum. 224

Sigefridus Moguntinus Epiſcopus. 29

Sigehartus Aquilenſis Patriarcha ſchiſmaticus. in amentiam verſus apud Ratiſponam. 24. repentina morte interceptus. 24. 27. cum quinquaginta ſuis ſociis. 27

Simon Magus. 131. princeps Apoſtatarum à principe Apoſtolorum damnatus. ibid. hæreſiarcha. ibid. pro ſola nefaria cogitatione damnatus. 131. 132. temporale lucrum ex miraculis quæſiuit. 132

Simoniacus non potuit nominare Spiritum ſanctum. 22. 31. qui pœnitentem ad reconciliationem pro pretio apud Epiſcopum iuuit 132. 133. qui temporalis lucri gratia Eccleſiaſticos honores qualitercunque vel emit vel vendit. 183. Simonem imitandum proponit. 185

Simoniaci Sacramenta habent, ſed eo magis ſacrilegi. 51. non admittuntur ad iudicium. 68. in Romana Synodo ſub Gregorio VII. anathematizati. 73. diuerſis modis, ſed vno reatu, ſacras dignitates mercantur. 127. hæretici. 128. in ſcripturis ſacris damnati. 129 ſequuntur Prophetam quem aſina corripuit. 130. 131. Simone Mago peiores. 132. non ſolum emptores, ſed & venditores ſpiritualium officiorum. 132. 133. fures. 133. etiam illos quorum ſunt mediatores, ſecum ad damnationem trahunt. 134. inter ſacros ordines nullatenus computandi. 144. idolorum ſerui. ibid. ſemel à principe Apoſtolorum cum ſuo auctore damnati. 184. Spiritum ſanctum conantur vendere. 188. de ſpirituali officio ſeculare lucrum quærentes. 211. qui à manu laica alicuius beneficij inueſtituram accipiunt. 262.

Simon Roſarius fanaticus pœtaſter. 7. Papam Antichriſtum & Plutonem appellitat. ibid.

Simplicius Papa Mutinenſem Epiſcopum à ditione Archiepiſcopi Rauennatis penitus abſoluit. 162

Siricius Papa propter incontinentiam, maioris Ordinis promotionem diſtulit. 96. ſacerdotalem incontinentiam defendentibus omnem aditum indulgentiæ penitus obſeruauit. 108. 136

S. Sixtus Papa & Martyr. 182. 203

Sozomenus auctor fabulæ de Paphnucio. 82. 85. 86. 102. fingit in Nicæna Synodo coniugalem incontinentiam ſacerdotibus non eſſe prohibitam ſed potius pro caſtitate reputatam. 102. Pauli Samoſateni errorem reſtaurat. 106

Sozomeniſtæ, ſectatores Sozomeni. 104. Sanctorum Patrum ſtatuta annullare præſumunt. ibid. cauſſa & caput ſunt vt ſeculares incitentur contra ſacerdotes. ibid. anathemati ſubiacent. ibid. non ſine ſua pernicie ſuis fauent auditoribus. 106. malunt perire, quam Apoſtolicis inſtitutionibus obedire. ibid. Spiritum ſanctum blaſphemant. 109. Iouiniano hæreſiarcha priores. 110

Spannenbergerus Prædicans Lutheranus. 6

Spiritus ſanctus manifeſtè blaſphematur ab iis qui contra ſacros Canones aliquid agunt, vel loquuntur, vel conſentiunt. 109. S. Gregorio Papæ ſub columbina ſpecie in auriculam decernenda dictare viſus. 123. ſacros Canones dictauit. 153

Stephanus Diaconus primus martyrio coronatus. 149

Stephanus Epiſcopus Halberſtadenſis cauſam Gregorij VII. contra Henricum regem agit. 20. 279. antea monachus Hirſaugienſis. 223

Stephanus II. Papa à Pipino Francorum rege auxilium contra Longobardos impetrauit. 253

Stephanus Papa III. Baronio Quartus. 189. Synodum Romæ in Eccleſia Saluatoris celebrauit. ibid.

Digitized by Google

Stephanus X. Papa, dictus I X. qui antea Fridericus. 178. frater Gotefridi ducis. ibid. ovario collum ornatus iurat. ibid.

Stumpfius Zvvinglianus. 279

Subdiaconi tenentur ad continentiam. 78. 79. coniugati aut ab vxoribus abſtineant, aut nullatenus miniſtrare præſumant. 79

Superbia ſemper ſibi, non alii facit ruinam. 47. 215

S. Syluester Papa Concilium Nicænum per Legatos ſuos confirmauit. 122. Concilium Arelatenſe approbauit. 125. Concilium Nicænum etiam congregauit. 135. incontinentes clericos damnauit. 135. 159. Nicænorum Canonum auctor. 204. generali Synodo præſidens ſtatuit, neminem iudicare primam ſedem. 204

Symmachus Papa decreuit Romanos Pontifices à ſolo Deo iudicari. 204. Catholicæ fidei propugnator indefeſſus. ibid. Romanam Synodum congregat in qua ſe diſcuti permittit. ibid.

Synodica epiſtola denotabat præſulem nouiter inthronizatum recepiſſe quatuor Synodos. 121. ad patriarchas mitti ſolita. ibid.

T.

Teutonicum regnum ab Apoſtolicæ ſedis vnitate diuiſum. 68. eius Epiſcopi & clerici in ſchiſmate ordinati, à ſede Apoſtolica ſuſcipiuntur. ibid.

Theodoricus Antipapa. 277

Theodoricus Rex Romanorum Arianus. 204. primus ſibi tyrannicè arrogauit ius eligendi Romanum Pontificem. 255. à Deo mox è medio ſublatus. ibid.

Theodoſius iunior Imp. S. Auguſtinum ad Concilium Epheſinum inuitauit. 125

Timotheus Alexandrinus excommunicatus. 45. cognomento Ælurus, præſul Alexandrinus. 150. intruſus. 168. reus occiſionis Alexandrini præſulis, ſedem eius ſimoniacè inuaſit. ibid.

Toleratus Diaconus Apoſtolicæ Sedis legatus ad Acatium Patriarcham Conſtantinopolitanum. 216

Toletana I. Synodus. 108

Toletana III. Synodus. 124

Triburienſis Synodus ſub rege Arnolfo. 176. 209

Tripartita hiſtoria Eccleſiaſtica. 75. vtilis ad notitiam rerum geſtarum. 80. quoad hiſtoriam Paphnutij reiicitur. 81. à tribus Græcis compoſita, & à Caſſiodoro ordinata. 82

Turcæ in Græcia Epiſcopatus hodie pro pecunia vendunt. 258

Turonenſe Concilium presbyterum Simoniacum presbyterio & Eccleſia priuat. 129

V.

Vbaldus Epiſcopus Mantuanus. 14. 15. ſplenetico per mitram Gregorij VII. Papæ ſanatus. 15.

Vdo Treuirenſis Archiepiſcopus Henrici IV. Imper. fautor repentina morte obiit. 19. 27. Eccleſiarum prædationi aſſenſum præbuit. 27

Venericus Vercellenſis Antiſtes ſchiſmaticus 278. ex ſcholaſtico Treuirenſi. ibid. ſcripſit librum ad Gregorium VII. ſub perſona Theodorici Virdunenſis Epiſcopi. ibid. Henrici regis depoſiti Cancellarius. 224. abſque Eccleſiaſtica communione vitam ſimul & Epiſcopatum miſerabiliter depoſuit, eo die quo Gregorium VII. Papam ſtatuit deponere. ibid.

Vetus teſtamentum in myſteriis & carnalibus obſeruationibus ceſſauit, in moralibus præceptis adhuc manet. 137

Vezelinus Magdeburgenſis Epiſcopus. 20

Victor II. Papa, ante Pontificatum Gebehardus vocatus, Epiſcopus Aichſtatenſis. 239

Victor III. Papa Gregorio VII. ſucceſſit. 275

Victor presbyter Romanæ Eccleſiæ S. Syluestri Papæ legatus in Concilio Nicæno. 122

Vigilius Papa ſub quo quinta vniuerſalis Synodus Conſtantinopolim conuenit. 162. Romanæ Eccleſiæ & Pontificis primatum teſtatur. 163

Vincentius Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis legatus in Cõcilio Chalcedonenſi. 122

Vincentius presbyter Romanæ Eccleſiæ S. Syluestri Papæ legatus in Concilio Nicæno. 122

Virgines quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt quàm inceſtæ. 140. pulcherrima gemma Eccleſiæ. 148

VRBANUS Papa Gregorij VII. ſcripta & dicta contra ſchiſmaticos confirmauit. 26. res Eccleſiaſticas ementes vel vendentes damnat. 71.

Vrbanus II. Papa Victori III. ſucceſſit. 275. à Guiberto Antipapa Vrbe pulſus. 276

Vrbanus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus in Concilio Africano. 124

Vrſpergenſis Gregorio VII. parum benevolus. 12. 14. 219. 229. 230

Vrſtiſius Scriptor. 225

VV.

VValeramus ſeu VValramus Nuuenburgenſis ſeu Naumburgenſis Epiſcopus excommunicatus. 21. 279. vel VValtramus. 223

VValtramus Epiſcopus Magdeburgenſis, Ludouicum Comitem ad partes Henrici pellicere ſtudet. 20. 21

VVernerus Rolevvinck auctor faſciculi temporum. 22

VVestphalia olim Saxonis annumerata. 280
VVilhelmus Abbas Hirsaugiensis duodecimus. 222
VVilhelmus Episcopus Traiectensis hostilis odio Gregorium VII. persequens, horribiliter moritur. 18. 19. 23. fulmine tactus, in concione. 23
VVilhelmus Tyrius. 29. Pontifices ab Imperatoribus inuestiri, pro detestabili consuetudine habuit. 251
VVitakerus Caluinista. 231. 232

Z.

Zacharias Papa interdicit clericis cohabitationem mulierum. 136 clericos incontinentes vel sanguinem effundentes damnat, & secularibus peiores esse decernit. 145. vir Apostolicus. ibidem.
Zacharias Propheta tolerat Pharisaeos & scribas. 4
Zozimus Papa. 52

Errata.

PAg. 2. v. 11. recinimus. pag. 7. v. 7. nimirum. pag. 11. v. 13. impotentius, & impudentius. p. 13 v 1. grauissimi. pag. 13. v. 10. innocentia. pag. 19. v. 4. Citizensis. pag. 20 v. 3. Colonienſis. pag 23. v. 3. Bennriedensis. Ibid. v. 12. Gregorio septimo. pag. 24. v 20. superuixit. Ibid v 4. 5. perlegerit. pag. 25. v. 3. schismaticis. pag. 27. v. 2 Freberum. pag. 30. v 15. Rauennens. pag. 32. v. 8. nimirum. pag. 47. v. 7. Sic Ed. Rom. Et v. 10. & 11. Sic Ed. Rom. ritè supplet. dele vtrobiq; marginalia enim sunt scholiola pag. 54. in marg. Vide enim, lege, vide etiam. pag. 59 v. 6. quanto pag 73. v. 22. Lateranensi. pag. 73. v. 9. & pag. 79. v. 6. tua. pag. 84. v. 7. Siculianos. pag. 94. v. 1. admonere. pag. 106. v. 11. inobedientem. pag. 116. v. 14. negotiationis. 121. 20. Temporis. pag. 132. v. 12. non sine, adde, periculo pag. 155. v. antepenult. locus scriptura ad marg. emendandus est, vt sit 1. Reg. 15. pag. 159. v. 6. roborata. p. 162. v. 10. ab illa; quas voculas * præire debet. pag. 165. v. 18. impegit. p. 170. v. 20. Apostolorum. p. 175. v. 12. Apostolico. pag. 184. v. 12. consensione. p. 188. v. 15. attinentia. p. 189. v. 6. in marg. Panuin. p. 206. v 11. Eodem. p. 206. v. 6. admirabilis, pro, exsecrabilis. p. 210. v. 2. suam. Ibid. v. 4. seipsos. p. 217. v. 4. farrago. pag. 225. & 226 inculcantur perperam numeri pro 227. 228. Item 233. & 234. pro 231. & 232. In Onuphrij Panuinij opusculo, numeri peruersè ponuntur: Nam 233. 234. inculcatur è precedente pagina, pro 235. 236. in sequente verò pagina numeri 237. 238. penitus omittuntur. pag. 249. v. 4. hæc. p. 255. v. 6. in marg. hallucinationem. p. 256. v. 11. Ioannes, in marg.

Lectori.

Fol. 254. sub finem Not. Marg. dixi, me non credere, quod Onuphrius dicit; Anastasium Bibliothecarium in Historia sua Ecclesiastica, (quæ necdum edita est) scribere aliquid de priuilegio Pontificis Romani eligendi per Hadrianum primum Carolo Magno concesso. Interea rediit ad me manuscriptus Anastasius; quem statim adij, neque vel vestigium, vel volam huius priuilegij in eo reperire potui.

Digitized by Google

Digitized by Google